4-a-3-1

R. 3894

R. P.

# PAVLI SHERLOGI

IN

# CANTICVM CANTICORVM COMMENTARIVS.

R. 3894

4-a-3-1

# R. P. PAVLI SHERLOGI IN CANTICVM CANTICORVM COMMENTARIVS.


OLEVM EFFVSVM NOMEN TVVM
IHS
SALOMON SPONSVS
VENI DE LIBANO SPONSA MEA VENI CORONA
COGITATIONES IN
SALOMONIS
CANTICORVM
CANTICVM
Eo triplici Vestigatione
Humana, Sacra, Didactica.
VOLVMEN SECVNDVM
Auctore
R. P. PAVLO SHERLOGO
Societatis IESV Iberno Mattapienſi
S. Theologiæ Profeſſore
Indicibus obſervationum in varias Diſcipli
nas Regularum Sacræ Scripturæ, Concionum
Aduentus, Quadrageſimæ, multorum feſto
rum, Exhortationum, ſpiritualium, aliarum
que materiarum locupletatum.
LVGDVNI,
Sumptib. IACOBI PROST.
M.D c.XXXVII.
CRISTVS SPONSVS
ECCLESIA SPONSA
TOTA PVLCRA ES AMICA MEA ET MACVLA NON EST IN TE CANT. 4
SPONSA MARIA
QVI PASCITVR INTER LILIA
LAMPADES EIVS LAMPADES IGNIS ATQVE FLAMARVM




EXCELLENTISSIMO DOMINO,
D O M I N O

# IOANNI ANTONIO
D E
# VERA ET FIGVEROA,

EQVESTRIS MILITIÆ SANCTI IACOBI COMMENDATARIO DE LA BARRA, VICECOMITI DE SIERRA-BRAVA, COMITI DE LA ROCA, REGIÆ GAZÆ CONSILIARIO, PHILIPPI IV. HISPANIARVM MONARCHÆ POTENTISSIMI, AD VENETORVM REMPVB. LEGATO, &c.

PONTIFEX ille quondàm Hebræorum ſummus ſacrorum Antiſtes (EXCELLENTISSIME LEGATE:) admirabili operoſæ veſtis cultu, præter alia intexta Emblemata, pectore geſtabat *Vrim*, & *Thumim*, hoc eſt, *Doctrinam*, & *Veritatem*. Suffurati Hieroglyphicum Ægyptiorum Sapientes, egerunt & ipſi pariter vt qui inter Sacerdotes maximus haberetur, *circa collum imaginem ex Sapphiro confectam* portaret; ſcilicet monebant, vt nobis horum arcanorũ doctiſſimi tradidêre interpretes, Numini mancipatos homines, quos affatim eruditos eſſe oporteæt, vtpote popu-

Exod. 28. v.30.

Ælian. variar. hiſt. lib. 14. c. 34.

ã 3 lorum

lorum Magiſtros, *Veritatis* quamprimùm ſtudioſos eſſe decêre. Id verò in omnium ſcientiarum communicatione cùm obſeruaſſe æquum ſit; multò tamen magis in his, quæ circùm Diuina verſantur, vt Pauli Diſcipulus Areopagita aſſeuerabat Dionyſius: *Sit nunc quoque* ( aiebat ) *nobis illa Diuinorum Scriptorum antè præſcripta lex, vt veritatem doceamus eorum, quæ de Deo dicuntur.* Cùm igitur in eam incidiſſemus Tractationem, quæ de Deo, Diuiníſque rebus eſt, Verbi enim exinaniti ob Carnis indumentum, lætiſſimas repræſentat nuptias; nihil antiquius fuit quàm vt in operis veſtibulo appenderemus *Veritatis* characterem aliquem, dúmque veſtigando laboramus, occurrêre veſtri clariſſimi Stemmatis Gentilitiæ notæ, in quibus magnarum alarum Aquila triumphis glorioſam *Veritatem*, & improbos ſuperantem hoſtes quaſi in ferculo pomparum oſtentabat. Arripuimus hilares, & fronte lucubrationem depingi ſacrum Ænigma curauimus, debiti nimirum in Hymenæo explanando, hoc eſt, aſſequendæ Veritatis perpetuum nobis commonitorium futurum.

De diuin. Nominib. cap. 1.

Quod ſi eam potiſſimùm ob rationem ſcriptis voluminibus Patronos deſiderantes, eos requirunt, vt qui defendant ab inuidia, & calumniis, nanciſcantur, qui opem contra oppugnaturos ferant, talibúſque præſidiis fortes euadant; ſanè quid tutelari Veritate animoſius? Ac mihi quidem Gentilitiorum veſtrorum Inſignium titulos perſpicienti, quibus proclamatum: VERITAS VINCIT, Eſdræ 3. videantur ex libro ſumpti, nam ortâ lite ſuper iis rebus, quibus ad ſuperandum maxima ineſt virtus; adiudicatum eſt pronuntianti, *Super omnia* VINCIT VERITAS, neque ſine probatione effatum, *Omnis terra* (addit) *Veritatem inuocat, cælum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam; & Veritas manet, & inualeſcit in æternùm, & viuit, & obtinet in ſæcula ſæculorum.* Iam verò cùm in Sanctij Nauarræorum Vaſconum Regis ſecundam Reginam priuigni maligno exarſiſſent odio, adulteriíque pudicos honeſtiſſimæ feminæ thalamos accuſaſſent; Ramirius de veſtri generis authoribus primus Aragonum Monarcha, Nouercæ cõtra fratres innocentiam defenſurus, ad pugnam euocauit: Et quoniam *Veritatem* exploraturus certamen ſuſcipiebat, pulcherrimo indicabat ſymbolo, Aquilâ eductâ, quę ex Solis radiis, & claritate genuinam tentat ſobolem; & quaſi de triumpho certus, ob cauſæ magnitudinem, huius ab roſtro volitabat inſcriptio: VERITAS VINCIT. Præclarum ædepol oraculum, neque enim mediocris aliqua eſt firmitudo *Veritatis*; diſertiſſimus Chryſoſtomus aiebat: *Talis eſt veritatis natura, vt unde magis oppugnatur, indè magis confirmetur, & quò magis obtegitur, eò clarior euadat.* Commendauit & facundiſſimus Hilarius, inquiens: *Huius enim circumcincta munimine agit Eccleſia glorioſum de toto hoſtium agmine ſibi aduerſante triumphum.* Extollit & Socratis dictum Iuſtinus Martyr, nam prædicare conſueuerat, *nullum eſſe veritati præferendum virum.* Quamobrem ſi à nobis, vt conueniebat quidem, patrocinium optandum fuerat, quid *Veritate*, eâque *vincente*, potiùs eligeremus? Sed apud Vos dominatrix reperienda erat *Veritas* alitûm Principis ab ore naſcens.

Eſd. 3. c. 3. verſ. 12.

Hom. 57. in Ioann.

Lib. 7. de Trin. init.

Apocal. 1.

Quòd ſi *Veritatis* quædam perluſtrare encomiorum attributa cupiamus, tùm multò ampliùs apparebit, quàm ſit vobis cognata, quàm proxima. Quid nobilius eâ, quæ Deum authorem habet? nam quemadmodum ex Diabolo mendacium eſt, ita ex Deo *Veritas*; quàm annoſa proſapia, quàm illuſtris! Quidam veſtræ lineæ originem in Gothos,

thos, à quibus Hiſpania ſubacta eſt, transferunt, longè proculdubio ſenectutis excellens initium: vltra Gothos alij progrediuntur, cùm apud Romanos nomen in Conſulibus, & Imperatoribus floruerit, Marco Antonino Vero imprimis, de quo ex Xiphilino Dionis lib. 69. ad finem vitæ Hadriani; fuſiùs eius in geſtis Iulius Capitolinus, quem *veterrimæ familiæ ordinis Senatorij* Sextus Aurelius Victor prodit in Cæſaribus. Eutropius verò libro 8. *haud dubiè nobiliſsimum aſſeuerat, quippe cùm eius origo Paterna à Numa Pompilio, Materna à Salentino Rege penderet:* A Romanis ad Hiſpaniam tranſiêre ſtirpis rami, non ſine diademate, & trabea; nam Carolus familiæ inter Hiſpanos caput Ramirio primo Aragonum Rege ortus fertur; exinde caſtrorum ſupremi Duces, fuſorum hoſtium gloriâ memorabiles plurimi; Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi multi, de quibus copioſè Doctor Petrus Fernandez Garoſo erudito admodùm volumine de Verarum ſtemmate, & genealogiis. Itaque pro veſtra tantâ dignitate exiguum eſt, quod Sidonius de aliquo prædicabat: *Parentes ipſius aut Cathedris, aut Tribunalibus præſederunt, illuſtris in vtraque conuerſatione proſapia, aut Epiſcopis claruit, aut Præfectis; ita ſemper huiuſce maioribus aut humanum, aut Diuinum dictare ius vſui fuit.* Meliúſque idem in Anthemij laudatione:

In concio-cione lib. 7. epiſt.

*——— Cunabula veſtra*

*Imperij fulsêre notis.*

Carmine 2.

Denique ipſi Gentilitij characteres tot magnarum familiarum inſignibus exornati, vel omnium rudiſſimos docere poſſunt, quàm veſtræ Nobilitatis fines latè pateant.

Quæ tam inclyta eſt ob nobilitatem *Veritas*, duabus potiſſimum comitibus graditur, Fortitudine nimirum, & Doctrinâ; monſtrauimus quidem Aaronici in Pontificis amictu conſociari in Logio, ſeu Rationali, *Doctrinam & Veritatem*; ſed eadem quàm ſtrenua eſſet, Eſdras admonuit, cùm in omnibus *vincere* monuerit, itaque ſocia ei eſt Fortitudo; pulchra coniunctio, at difficilis, artium, bellíque. Ægyptij ſenes Mercurium duplici ſpecie fingebant, iuuenili pariter, canâque ætate: Arcanum repandit Syneſius oratione de Regno: *Si quis ipſorum præclarè Sacra ſit inſpecturus* ( inquit ) *eum & ſagacem, & fortem eſſe oportere, quando alterum ſine altero parum adiumenti conferre poteſt.* Sed à Muſis quidem ſagacitas, & induſtria, etiam illa, quâ pugnæ ipſæ feliciter adminiſtrantur: *Scitis quòd totius prudentiæ compendium* ( dicebat Angelorum Regi Bleſſenſis ) *in literis continetur: Si Reſpublica regenda eſt, ſi prælia committenda, ſi caſtra metanda, ſi machinæ erigendæ, ſi renouandi aggeres, ſi propugnacula facienda: denique ſi quies libertatis, ſi Iuſtitiæ cultus, ſi reuerentia legum, ſi finitimarum gentium amicitiæ ſunt faciendæ, libri hæc omnia erudiunt ad perfectum.* Itaque nec bonus Imperator, qui non doctus; neque Reipubl. ſufficiat, noſſe illum plura, ſi non dexterâ ſimul ſtrenuus: *Vis enim corporis prudenti moderatione deſtituta præceps ruit, cuncta miſcens, atque confundens, minimèq; idonea ad agendũ ea mens, quæ manuum officio caret.*

Syneſius.

Epiſt. 47. ad Henricum II.

Syneſius vbi ſuprà.

At tu quidem ( PRÆCELLENTISSIME LEGATE IOANNES ANTONI ) à pueritia pro antiquiſſimæ domus vſu Equeſtribus aſſueuiſti ludis, & aut feras perſequens in montium editiſſimis, ſyluarúmque receſſibus, ſub grandine, & niuibus; aut in famoſis vrbibus in Circum prodiens, edocebas, quàm hoſti metuendus aliquando, qui etiam in vmbratili exercitamento formidabilis appareres, lubet aptiſſimis Sidonij celebrare verſibus:

Sidon.

*Ludus erat puero raptas ex hoſte ſagittas*
*Feſtinâ tractare manu, captóſque per artus*
*Flexa reluctantes in cornua tendere neruos:*
*Nunc tremulum tenero iaculum torquere lacerto,*
*Inque frementis equi dorſum cum pondere conti*
*Indutas chalybum ſaltu transferre catenas,*
*Inuentas agitare feras, & fronde latentes*
*Quærere, deprenſas modò claudere caſſibus arctis,*
*Nunc toto penetrare veru.*

Atque hæc tam ſuperbâ Martiæ pueritiæ indole, quam firmior ætas melioribus quotidie adiuuit incrementis, pollicebaris priſcis æqualem Imperatoribus futurum Te: nec vana ſpes populorum, niſi Regnorum vrgentiora commoda militiæ abſtraxiſſent.

Deſtinabaris igitur Conſiliis & Legationibus; ſed quantis præditum ornamentis animum iſtamet expoſtulent! Alij tantam conſecuti ſupellectilem, ſed labore, & conſtantiâ; tibi Ingenij felicitas contulit, vt ſine tædio adipiſcerêre: (Ep. 95.) *Quidam ex hominibus* (inquit Seneca) *egregiam ſortiti indolem, in ea, quæ tradi ſolent, perueniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cùm primùm audierunt.* Atque vt de Carmine taceam, quaſi de minori facultate; Quid illa Epitoma Caroli glorioſiſſimi Imperatoris Quinti factorum venuſtius? ſtylus ſuauis, nitidus, abſque faſtu turgens, ſententiæ graues, monita acria, lepores iucundi, & modeſti; Iuſtinum, aut Florum legere te putes. Iam & de Legato Chriſtiano compoſitus liber quantâ abundat eruditione! quibus ſcatet documentis! quales vagatur in ſcientias! in quàm magnas! parum fuit mentem diſciplinis excoluiſſe, niſi & Prudentiæ ſingularis rara quædam fama accederet. Satis prædicaui laudes, tacere de cætero poſſum, cùm Prudentiâ eminêre dixi. Non eſt vulgare donum iſtud: (Iamblicus epiſt. ad Apholium de prudẽtia.) *Generatur hoc primum quidem à ſyncera, perfectâque mente: quòd ſi qua nobis cum Diis intercedit Communitas, ea maximè virtutis huius gratiâ conſiſtit, & per hanc imprimis ipſis aſſimilamur. Denique vt paucis omnia complectar, gubernatrix eſt hominum, & omnis inter ipſos conſtitutionis Princeps.* Quiſnam igitur Legationibus ampliſſimi Monarchæ Te aptior, in quem Nobilitas, Religio, Doctrina; vehemens, eadémque præſtantiſſimè Catholica Prudentia confluxêre! Bis itaque in Sabaudiam extraordinariâ functus Legatione, modò ordinarius Legatus apud Venetos conſiſtis Potueras domi voluptatibus frui ditiſſimi cenſus. Libuit peregrinari, non tantùm vt Regiis obſequerêre iuſſis, ſed vt probus, perfectúſque haberêris. (Libro de congreſſu.) *Quod quieſcit* (ait Philo) *& ceſſat immotum, imperfectum bonum eſt, nam mala quieſcere expedit, bona verò moueri:* ſimul etiam, vt Monarchæ ſatisfaceres clementiæ, qui ob maiorum, peculiariáque præclara facinora, Comitis de la Roca, Vicecomitis de Sierrâbrauâ condecorauit titulis.

Verùm egomet quouſque progrediar? quaſi noſtrorum encomiorum laude, & prædicatione veſtra egeat fama! Scripſit admirabili ingenij dexteritate Philo: (Lib. de Sacrificio Abelis & Cain.) *Vera bona ex ſeipſis naturaliter vocem mittere, etiamſi ſileant;* & vt ſimilitudine declararet, adiunxit: *nam nec Sol, nec Luna opus habent interprete, qui nos doceat, ab altero interdiu, ab alterâ noctu mundum vniuerſum illuſtrari. Sed ipſo ſuo ſplendore fidem, vel abſque teſte faciunt oculis.* Cùm igitur Sole clariora veſtra pateant opera toti Orbi, leguntur enim cum ſtupore in vltimis terrarum finibus, noſtris haudquaquam indigebant vocibus. Quorsùm ergo ſcri-

ptita

ptitamus? Sanè quidem, vt beneficiis multis, ſummiſque gratias referamus, non quales debemus, ſed quas poſſumus: ſub plurium ære ſumus. Auunculus tuus Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus D.D. Ferdinandus de Vera Cuſcenſis Antiſtes, Vir natalium ſplendore, omnium diſciplinarum notitiâ, pietate, conſilio, grauitate morum inter ſingulares Præſules conſpicuus, quâ non me gratiâ obruit? Quantus veſter fauor? quàm ſupra noſtræ mediocritatis exilem fortunam! Nec minora beneuolentiæ officia Filius tuus D. D. Ferdinandus Luiſius de Vera Vice-Comes de Sierrabraua, humanis diuiniſque ſcientiis non minùs, quàm ſtirpis generoſitate clarus exoluit. Video ſoluendo nunquam futuros nos pares. Quod valemus, præſtamus, hoc eſt, EXPLANATIONIS IN CANTICVM Salomonis offerimus Volumen: Didicimus ex veteri Hebræorum populi ritu, hanc poſſe eſſe compenſationem aliquam. Nam quoties aut victoriam adepti, aut periculo liberati, quotiéſve inſignia dona receperunt, animi in gratias procliuis ſignificaturi affectus, Canticis laudes perſonabant. Bernardus ſuggerit ſermone primo in Cantica aiens: *Sanè omnes, ni fallor, ceciniſſe reperies pro quocunque ſuo, ſuorumque percepto commodo, verbi gratiâ, pro obtentu victoriæ, pro euaſione periculi, aut pro cupitæ rei qualiſcunque adepto beneficio: Ita ergo plerique cecinerunt, ſinguli pro ſingulis cauſis, ne ingrati Diuinis beneficiis inuenirentur.* (Bernard.) Vtinam tam meloda vox ſtyli noſtri fuiſſet, quæ etiam ſuper aſtra Nomen tuum ferret! quò ſe demùm, (Princeps Inclytiſſime) meritis egregiis opimum, Numen ad beatos ciues tranſuehat; Voueo multoties Salmanticæ Kalendis Februariis, Anno MDCXXXV.

EXCELLENTIÆ TVÆ,

Deditiſſimus

PAVLVS SHERLOGVS
ex Societate IESV.

*Reuerendi Patris Auguſtini de Caſtro, è Societate IESV, Theologiæ Profeſſoris, & Regij Eccleſiaſtæ Approbatio ex Ordinarij mandato.*

VIcit ſpem eorum, quæ primo Tomo in Canticum Canticorum prælocutus eſt Pater Paulus Sherlogus, lectio, & attenta conſideratio ſecundi; nulli ſecundus eſt labor iſte; pugnant eruditio, profunda Scripturarum intelligentia; exactiſſima Commentatio, acumen ingenij, pietas, ſtyli ſuauitas: Vtrùm ex his præcellat, dubia palma; hoc vnum certum, nullos non æquat, à nemine vincitur; Non ſolùm tuta & debita eſt Approbatio huius Libri, vtpotè qui inoffenſo ſemper pede graditur, verùm iam reliquos ambit, eos qui ſuperſunt, anhelat: Quare non dignum ſolùm iudico, qui lucem videat, ſed proferat, ſiue Eccleſiaſtis, qui de ſuggeſtu concionantur, ſiue Præceptoribus, qui ex Cathedra docent: Hoc meum iudicium in hoc Imperiali Collegio Societatis IESV Madritano, die 6. Nouembris 1634.

AVGVSTINVS DE CASTRO.

*Facultas R. P. Prouincialis Caſtellæ.*

EGO Ildephonſus del Caño Præpoſitus Prouincialis Societatis IESV in Caſtellana Prouincia, poteſtate ad id mihi factâ à Reu. admodum P. Mutio Vitelleſco Præpoſito noſtro Generali, facultatem facio, vt liber inſcriptus: *Cogitationes in Salomonis Canticorum Canticum ex triplici Veſtigatione, Humanâ, Sacrâ, Didacticâ, Volumen Secundum*, &c. Studio P. PAVLI SHERLOGI noſtræ Societatis, ſacræque Theologiæ Profeſſoris compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbatus, typis mandetur; In quorum fidem has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus in hoc noſtro Collegio Valliſoletano Sancti Ignatij, die duodecimo Septembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto.

Ildephonſus del Caño.

*Reuerendi Patris Magiſtri Thomæ de Paredes ex Ordine Sancti Auguſtini, Theologiæ & ſacrarum Literarum Profeſſoris iudicium de hoc Opere ex Regij Senatus præſcripto.*

IAM ergo eam exhibet fulgentiſſimam lucem Sol, qualem prænuntiauit Aurora ex Anteloquiis in Canticum Canticorum primo Tomo contentis ſequuta, hoc Volumine Secundo, facilis, ornata, dilucida; triplex, Humana, Myſtica, Didactica Veſtigatio R. P. PAVLI SHERLOGI è Societate IESV, quam Regij ſupremi Senatus iuſſu, quâ potui diligentiâ percurri, hauſi, ſed non exhauſi: in ea quid non fidei Orthodoxæ? quid non honeſtandis moribus aptum? cuius Auctor Veritatis ſtudio, pietatis zelo, quæ anteà à Patribus, & Eccleſiæ Doctoribus ſcripta fuêre, ita perlegit, ebibitque, vt non quaſi præterita ex luce aliquo modo confuſa pateant, ſed tanquàm præſentia ſub aperto Sole videantur; mihi ergo aſpicienti, euoluentíque, tantâ induſtriâ, tantâ eruditione elaboratum opus, dubium non fuit, prælo committi mereatur, nécne; ſed an lucem videre neceſſarium magis fuerit, quàm vtile: neceſſarium verè dixerim. Madriti, in Conuentu Sancti Philippi, die 24. Nouembris, anno 1634.

Frater THOMAS DE PAREDES.

## Summa Priuilegij Catholicæ Majeſtatis.

POR priuilegio dado en Madrid a 18. de Hebrero 1635. tiene licencia el R. P. Paulo Sherlogue de la Compañia de IESVS, de haçer imprimir fuera el Reyno el libro que el tiene compueſto, y intitulado *Cogitationes in Salomonis Canticum Canticorum, ex triplici Veſtigatione*, &c. Y que nadie que el le pueda vender en los Reynos d'Eſpaña, durante el tempo de diez años, ſino el que del poder huuiere, ſo las penas en dicho Priuilegio contenidas. Firmado

YO EL REY.

*Por mandado del Rey nueſtro Señor,*

FRANCISCO GOMEZ DE LASPRILLA.



# SVMMA PRIVILEGII
## Chriſtianiſſimæ Majeſtatis.

REGIS Chriſtianiſſimi Priuilegio, dato Pariſiis duodecimo Aprilis, milleſimo ſexcenteſimotrigeſimoſeptimo, cautum eſt, ne quis in Prouinciis ſuæ ditioni ſubiectis, præter IACOBVM PROST Bibliopolam Lugdunenſem, aut de illius facultate, opus hoc, cui titulus eſt, R. P. Pauli Sherlogi Commentaria in Canticum Canticorum, intra nouem annos, à die editionis primæ computandum, mandare typis queat, ſub pœnis in eo contentis.

De mandato Regis

Signatum

VICTON.

ΤΩ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΝ ΧΡΙΣΤΩ

ΠΑΤΡΙ

# ΠΑΥΛΩ ΤΩ ΣΧΕΡΛΩΓΩ

ΙΒΕΡΝΙΚΩ, ΕΚ ΤΗΣ ΕΤΑΙΡΙΑΣ

ΤΟΥ ΙΗΣΟΥ,

Τῶν ᾀσμάτων Σαλομῶνος ἐξηγητῇ.

ΙΟΑΝΝΗΣ ΛΟΥΔΟΙΚΟΣ ΚΕΡΔΑΣ ΕΞ αὐτῆς τῆς ἑταιρείας.

Μέγα τῶν ἐπ' ἄρκτον κῦδος, ὧ τε παμφαές
Σχερλῶγε σέλας Ἰβερνίας,
Χρυσένδετος ὃς ἠΰτε πυρωπὸς, ἐν ἔθνεσιν
Ἰβηρικοῖσι λαμπετᾷς
Καθ' ὅλην τε φερόμενος αὐγάεις οἰκουμένην
Αὐγῇσι τῆς σῆς παιδείας.
Τίς ἄρ' ἐντυχίσαντά σε πνόος πνεύσας ἄγει;
Ψυχῆς τε ἱστία κολπόει;
Ἢ μὲν ὅτε Χριστοῖο θαλάμοις γαμηλίοις,
Στόματός τε τοῦ πανεραστάτου
Φίλημα διαπρανοῖς, δομένον ἐκκλησίῃ,
Νύμφῃ γε τοῦ εὐπλοκάμῳ,
Ἀμειβαδόν τε δῶρα τὴν μάλ' ἐρωμένοιν
Ἔρωτος ἐν περιστάσει.
Ἢ δ' ὅτε ἐναφίης ταῖς ἀκρωτάταις κάρα
Νεφέλαις, ἀνακρίνας, ὅσου
Θαλάμου ἀπόρρητα, καὶ ἄκροις γνώριμα νόοις
Δηλοῖς Θεοῦ μυστήρια.
Ἢ θ' ὅτε γεραιὰ τῶν πατέρων νοήματα
Ἢ καινά, καὶ τὰ σὰ δεικνύεις.
Τίς ἄρα πνόος; τίς ἔνθεος θυμός σ' ἄγει;
Μῶν ὃς Χρυσόστομον ἤγαγεν;
Ἢ καὶ Ἱερώνυμον; ἢ πατέρων παλαιῶν τινα;
Οὔ φησι μὲν σου τὸ εὐπρεπές,
Ἀλλ' εὐπρεπὲς τοῦτ' ὅστις ἂν ἄγοιέν, τις ἦν
Καλλιγραφούντων καλλίων.

REVERENDO IN CHRISTO

PATRI

# PAVLO SHERLOGO

HIBERNO, E SOCIETATE

IESV,

Canticorum Salomonis Expoſitori.

*IOANNES LVDOVICVS DE LA CERDA ex eadem Societate.*

SEptentrionis gloria, & tuæ inclytum
Sherloge, decus Hiberniæ;
Qui ſidus inter Ibericas gentes micas
Inſtar Pyropi auro inſiti,
Totúmque luſtras Orbem & illuſtras tuis
Scientiæ fulgoribus:
Quis te ſecundo Spiritus flatu vehit?
Aláſque pandit ingenî?
Seu cùm iugales explicas Chriſti toros
Dulciſque Sponſæ Eccleſiæ
Deſiderata diu oſcula; & gratas ſuum
Amoris in Sponſum vices,
Amantiúmque mutuâ in periſtaſi
Vltrò, citróque munera:
Seu cùm ſupremis nubibus caput inſeris
Abſtruſa rimatus ſacri
Arcana thalami, & nota ſummis Mẽtibus
Pandis Dei myſteria:
Vel vetera Patrum ſenſa, vel tuo noua
Solerter aperis acumine:
Quis ſpiritus, quis te entheus furor rapit?
An qui Chryſoſtomum tulit,
Hieronymúmve, vel veterũ aliquẽ Patrũ?
Negat tua id Modeſtia;
At hoc modeſtũ eſt; te aliquis è ſũmis agit
Elucubrator Spiritus.

# HENDECASYLLABVS
## EIVSDEM AD EVNDEM AVCTOREM.

QVO Te, PAVLE, rapit ſacratior vis!
*O quis te furor, & nouellus ardor*
*Euri remigio, Africique pennis*
*Per montes tulit, obuiáſque valles,*
*Per campos tulit, æquorúmque fluctus!*
*Quis latè Solymas videre turres,*
*Et pinguis iuga cernere Hermonæi,*
*Engaddique dedit, dedítque Cypri*
*Maturos propiùs videre botros?*
*Queis vectus Zephyris, Fauoniiſque*
*Per montis Libani vireta curris,*
*Cedros inter, & arduas cypreſſos,*
*Palmas inter, amabiléſque myrtos?*
*Quis Sponſi Solymæ, Tyríque Sponſæ*
*Nuptijs dedit intereſſe caſtis,*
*Caſto cernere languidos amore,*
*Caſtas cernere baſiationes,*
*Caſtas cernere luſitationes?*
*Certè Te meliùs, propinquiúſque*
*Haud quiſquam Libanitidem Puellam*
*Conſpexit reor, aureáſque Sponſi*
*Quadrigas, thalamúmque nuptialem.*
*Nemo Te, meliúſque, puriúſque*
*Sponſorum genus, & domum, & Parentes,*
*Fortunam, faciem, & pios amores,*
*Verba mutua, mutuáſque laudes,*
*Signa mutua, mutuóſque nutus*
*Tam bellè, appoſitéque curioſo*
*Plumâ nobilis explicauit Orbi.*
*I felix Liber, i Liber recenti*
*SHERLOGI veniens ab officinâ.*
*I felix Liber, I Volumen, ohe!*
*O quale, ô Superi, Volumen! ito*
*Codex Theologo profunde ſenſu,*
*Codex grandiloquo tumens Cothurno,*
*Codex Rhetorico decore fuco,*
*Codex Hiſtorico referte ſucco,*
*Codex omnigenæ eruditionis.*
*I felix Liber eſſedo Notorum*
*Trans Gangem procul, vltimámque Thulen,*
*Te norit Rhodanúſque, Tiberíſque,*
*Te diues Tagus, & Viſurgis, & te*
*Rhenus ſanguineâ cruentus vndâ.*
*I felix Liber, ô beatioris*
*Proles ingenij, quaterna mundi*
*Luſtra climata: ſíque fors rogaris,*
*Quo ſis progenitus, Liber, parente:*
*Dic, PAVLVS meus, ille PAVLVS, ille*
*Sacrarum cor, amórque Litterarum,*
*In ſaltum Libani, Tyríque colles*
*Hanc lucem, haſce faces Meridianas*
*A noctis mediæ profudit vmbrâ.*

SYLLABVS

# SYLLABVS SECTIONVM,
## QVÆ AD CONCIONES ET EXHORTATIONES MORALES INTEGRE DESERVIVNT.

Citatur cuiuſque Veſtigationis Explanatio Moralis, vbi reperiuntur.

*Ex Veſtigationis primæ Explanatione Morali.*


*Sectio* 1. MARIA, quæ omnis peccati expers; digna, quæ Dei Mater efficiatur. fol.49
*Sect.* 2. Dei magiſterium quàm efficax? eo præceptore momento inſtruimur. fol.51
*Sect.* 3. Deo abſente, anima in mœrore eſt: nihil eam recreare valeat. 53
*Sect.* 4. Quærentibus primo loco regnum Dei etiam temporanea adiiciuntur. 55
*Sect.* 5. B. Parentis Ignatij quàm ſingularis prærogatiua, quòd Pater æternus ſe illi manifeſtauerit, dum Romam pergeret ad condendam Societatem. 56
*Sect.* 6. Deus præter ſæcularium Principum morem facilis adiri à quocunque quauis hora. 58
*Sect.* 7. Obedientiæ vinculis adſtrictum propriâ duci voluntate, quàm ſit lubricum. 60
*Sect.* 8. Conſcientiæ latebras candidè manifeſtare ſubditus debet, quoties eius ratio à Prælato exigitur. 62
*Sect.* 9. Propriam iniuriam aut remiſiſſe, aut bono compenſaſſe, Diuinitatem quodam modo redolet. 64
*Sect.* 10. Iterandos eſſe crebrò virtutis actus; non ſufficere ad perfectionem ſemel, bísve conari ſolùm. 66
*Sect.* 11. Sponſa per carnis Aſſumptionem, Verbum cognatum habere optat, quo & Aduocatum, & Defenſorem certum habeat. 68
*Sect.* 12. Principi faciendum, & cuivis Antiſtiti, quæ ſubditos facere deſiderium eſt. 70
*Sect* 13. Animæ perfectionem concupiſcenti, ſub exordium præſertim conuerſionis, hominum irriſiones, & vana pronuntiata deſpicienda. 72
*Sect.* 14. Euchariſtiam dignè manducantem in Chriſtum quodam modo transformari. 74


*Ex Veſtigationis ſecundæ Explanatione Morali.*


*Sect.* 1. MAria Seruatorem corporaliter; Virginem Chriſtus ſpiritaliter lactat; quanta inde pulchritudo, quàm variæ affectiones? 95
*Sect.* 2. Supereminens Ioannis Euangeliſtæ doctrina, comparatione ad homines, Angelos, Chriſtum ipſum illuſtrata. 99
*Sect.* 3. Ioannes Baptiſta gratiæ vocabulo meritò inſignitus: infans ſupergreſſus adultam Heroum gloriam; qualem in cœlo locum promeritus. 102
*Sect.* 4. Quod quiſque enixè diligit, de eo ſeu opportunè, ſeu importunè ſermocinatur. 106
*Sect.* 5. Perfectæ vitæ ſtudioſis meliorum exēpla ſemper conſideranda, ne tepeſcant. 109
*Sect.* 6. Tyrocinia vitæ ſpiritalis validè iacienda, ad futuræ molis conſtantiam. 111
*Sect.* 7. Euchariſtia ſeruitutis charactere abolito manumittit, & ingenuos facit. 113


*Ex Veſtigationis tertiæ Explanatione Morali.*


*Sect.* 1. MAria Diuinæ munificentiæ organum eximium: mite quaſſatorum leuamen, tota blandiens, & ſuauis. 143

*Sect.*2. Iniuriam clementer remiſiſſe, Deo ſatos arguit. 145
*Sect.*3. Deus excellens paterfamilias, qui non contentus dediſſe neceſſaria, etiam ad voluptatem ſubminiſtrat. 147
*Sect.* 4. Animarum aliarum ſic ordinandus profectus, vt quam eis procuramus iuſtitiam, nobis non deſit. 149
*Sect.* 5. Peccatum, quos inficit, & deturpat, ex ingenuis, liberíſque mancipia continuò reddit. 152
*Sect.* 6. Chriſti imitatoribus nulla fixa patria: ibi domicilium, vbi maius Dei obſequium affulget. 154
*Sect.*7. Franciſcus Xauerius, quàm ſtrenuè animarum ſalutem procurarit, vt verum Ieſu famulum ſe probaret. 156
*Sect.*8. Ieſu nomen perſecutiones deſpondere eius cultoribus. 158
*Sect.*9. Quàm non debeat eſſe vulgaris eorum perfectio, quibus animarum eſſe ſaluatores conceſſum eſt. 160
*Sect.*10. In Ieſum eſſe transferendam omnem laudem, noſtrâ, ſi quæ potuit eſſe, occultatâ gloriâ. 162
*Sect.*11. Euchariſtiam alimoniam eſſe, quæ immortalitatem conferat manducantibus. 165

*Ex Veſtigationis quartæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. DEipara Virgo, vt fida laborum Chriſti in terris ſocia, ita in Aſſumptione gloriæ conſors. 177
*Sect.*2. Spiritalium exercitiorum ſignatas periodos non eſſe abbreuiandas ob negotia; non eſſe perturbandum ordinem. 179
*Sect.* 3. Viri magnâ præditi mente, ipſa laborum perpeſſione ſatis compenſari ſuos putant ſudores. 181
*Sect.*4. Diſcretâ Antiſtitis lenitate ſubditos mirum in modum excitari, atque proficere. 183

*Ex Veſtigationis quintæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. SCripturarum ſtudium ſolatio eſſe rebus triſtibus, & deploratis. 195
*Sect.*2. Optimi eſſe gubernatoris, in ſe transferre, quod durum ſit, quæ placida ſunt, velle ſubditis. 197
*Sect.*3. Diuinæ gratiæ fauores, & prærogatiuas maximo ſtudio occultare nituntur viri perfecti. 199
*Sect.*4. Obligatorium, Eccleſiæ fruentem reditibus pauperum eſſe ſubuentorem. 201

*Ex Veſtigationis ſextæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. BOnæ famæ proſpiciendum eſſe, eámque ab obtrectatoribus vindicandam. 218
*Sect.* 2. Difficilium rerum perpeſſione, & mortificatione ſapientiam acquiri. 220
*Sect.*3. Non eſſe tam ſanctum aliquem cœtum, in hac vitâ, in quo non bonis, permixtus malorum quiſpiam. 223
*Sect.* 4. Iuſtorum emolumentis etiam inimicos famulari euentus: vel ex peccatis lucra conſurgere. 224
*Sect.*5. Qui aliorum mores correcturus ſit, expedit ipſum ab omni culpa liberum eſſe. 227
*Sect.*6. Beatiſſimæ Virginis, Chriſto dilectiſſimo filio patiente, quàm fuerit dolor vehemens. 229

*Ex Veſtigationis ſeptimæ Explanatione morali.*

*Sect.* 1. QVod ſub panis, & vini accidentibus Chriſtus in Euchariſtia latêre voluerit, glorioſum id, & perhonorificum. 256
*Sect.* 2. Quæ praui deſiderij chariſſima fuêre pignora, in Dei iudicio hoſtiliter accuſabunt. 258
*Sect.* 3. In Republica, aut Congregatione modò pax vigeat domeſtica, vix nocêre poterunt externæ pugnæ. 260
*Sect.* 4. Quàm formidoloſum, ſub Deo Iudice vitæ humanæ examinari momenta. 263
*Sect.* 5. Vera Sanctitas non exhorret, non deſpicit peccatores; ſed eis dulciter compatitur. 265
*Sect.* 6. Subditorum næuos, quoad fieri valeat, à bono Antiſtite eſſe occultandos. 268
*Sect.*7. Dei cauſa vilem fieri, & conculcari, non pudor eſt, ſed ornamentum præcipuum 270
*Sect.* 8. Quàm ſublime miniſterium eorum, qui animabus conuertendis, excolendíſq; vacant. 272
*Sect.* 9. Regis digniſſima appellatio, ab edomitis malarum paſſionum affectionibus, à ſubiugatis vitiis. 274
*Sect.*10. Maria, vt purificaretur, templum conſcendit, ne filium magis in ſpecioſis, quàm humilibus imitata videretur. 276

*Ex Veſtigationis octauæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. CHriſtus dum reſurgit à mortuis, triumphator ſolus nobiliſſimus, ſolus beneficentiſſimus. 296

*Sect.*2.



*Sect.* 2. Proprio non regi iudicio ſolùm, ſed alienis vti conſiliis etiam ſapientiſſimis prudentia eſt. 299
*Sect.*3. Laudatiſſimum in Præſule, ſi gerendis ipſe interſit, & vicariam excuſet operam. 301
*Sect.*4. Humanæ mentis ſumma inconſtantia, quam tantùm Dei ſocietas firmam, ſtabilémque reddere valeat. 303
*Sect.* 5. In omnem voluptatem, & licentiam, copiam homini præſtari, maximum periculum eſt. 306
*Sect.*6. Hæreticorum in caſtris corruptelæ, & vitiis ampliſſima conceſſa facultas. 308
*Sect.*7. Si qua modeſtiæ, & probitatis figura in hæreticis aliquando, tota de hypocriſi eſt. 311
*Sect.*8. Sub adoleſcentia, ſpretis voluptatum blandimentis, pietatem ſectari, rarum, & percelebre eſt. 312

*Ex Veſtigationis nonæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. SVi ipſius ignorantiâ laboraſſe, quàm noceat hominibus. 323
*Sect.*2. Vel fugere ex Dei caſtris, vel expelli inhoneſtè, & periculoſum, & infelix. 325
*Sect.*3. Superbiæ ingens pœna, Dei domo expelli. 327
*Sect.* 4. Inſtructio nouæ puerorum ætatis, difficilis moleſtiæ opus. 329

*Ex Veſtigationis decimæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. MAria ſingulariter producta; originali ſoluta debito: Chriſti meritis nobiliſſimè redempta: quantum beneficium, ab omni noxa fuiſſe præſeruatam. 350
*Sect.*2. Antiquos ſubditorum lapſus, quos correxerint, memoriâ refricare Prælatum, ad æſtimationis imminutionem, inhumanum eſt. 353
*Sect.*3. Nobiliſſimum ſpiritalis vitæ genus, quod ex actiuæ, & contemplatiuæ nexu conſurgit. 355
*Sect.*4. Angelici ſpiritus milites nuncupati, ob fidam hominum cuſtodiam contra dæmones. 357
*Sect.*5. Hominibus vtiliſſimum, putare, nonniſi ex Dei ſpeciali prouidentia, aduerſa eis contingere. 359
*Sect.*6. Concionatorem Euangelicum Dei totum eſſe præſtat, nihílque humani ambire emolumenti. 361
*Sect.* 7. Diuini ſeminatorem Verbi in reprehendendis potentium vitiis conſtantem, & imperterritum eſſe deceat. 364
*Sect.*9. Diuinæ Omnipotentiæ virtus clareſcit maximè de conuerſione grandium peccatorum. 366

*Ex Veſtigationis vndecimæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. SEceſſus neceſſarius animæ, quæ à Deo illuminari cupiat. 378
*Sect.*2. Hominis Chriſtiana notitia præditi potiſſimus dolor eſſe debeat ob animæ ſponſum amiſſum per lethale peccatum. 380
*Sect.* 3. Virtus ſolùm, quoad aſpectum, & in ſuperficie terribilis; intus, atque in medulla, ſuauiſſima. 382
*Sect.* 4. Doctores ſancti de honoratiſſimis & pulcherrimis Eccleſiæ membris. 384

*Ex Veſtigationis duodecimæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. FIdei conſociandæ bona opera. 399
*Sect.*2. Perſecutio Sanctos non conſumit, nec attenuat quidem; robur magis, & nitelam confert. 401
*Sect.*3. Luctuoſum eſt, ob vnius mandati negligentiam, plurimorum obſeruantiæ iacturam feciſſe. 403
*Sect.*4. Anguſta eſt cognitio de Diuinitate, quā huius vitæ ſubminiſtrat lumen. 406

*Ex Veſtigationis decimætertiæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. QVò magis quiſque ſtudet deprimi, & abſcondi, eò plus vulgatur à Numine, & euehitur. 421
*Sect.*2. Bonus Euangelij miniſter non de peccatorum ſugat moribus, ſed illos ſuâ imbuat probitate. 423
*Sect.*3. Homini collaborandum eſſe, neque expectandum, vt Deus totum agat, eo feriante. 426
*Sect.* 4. Vxoris probæ cum Marito idem debeat eſſe velle, idémque nolle. 428
*Sect.*5. Mendacium, & fraus Deo, Sanctíſque mentibus inuiſa. 430
*Sect.*6. Dominicum corpus alimonia eſt vitæ, & ſalutis dignè ſumentibus: indignè recipientibus, eſca vitij, & mortis. 432

*Ex Veſtigationis decimæquartæ Explanatione Morali.*

*Sect.*1. PAſſionis Chriſti recordatione ſuperantur facilè aduerſa. 452
*Sect.* 2. Sacramentalis Confeſſio quàm laudabilis, atque vtilis. 454

Sect. 3. Inter metum, & fiduciam gradiendúm, ex Diuinæ Iuſtitiæ pariter, & miſericordiæ conſideratione. 456
Sect. 4. Vnio, & fraternitas, Chriſtianæ pietatis validiſſimum teſtimonium. 458
Sect. 5. Viri ſpiritales Dei præſentiam per Diuinorum memoriam quanto cum emolumento procurant! 460
Sect. 6. Antiſtiti pacis ſtudioſo, vitanda ſummoperè partialitas. 463
Sect. 7. Incoacta, & ſpontanea Deo obſequia quàm placeant. 465

*Ex Veſtigationis decimæquintæ Explanatione Morali,*

Sect. 1. ANtelucanæ feſtinationis in templum Mariæ adhuc trimulæ conſideratio. 482
Sect. 2. Chriſtus abſque ſolatio paſſus, lætitiam ad Martyrum agonas tranſmiſit. 484
Sect. 3. Non ſolùm internæ iuſtitiæ habendam rationem, ſed etiam procurandum, ne externæ aliquid decedat famæ. 486
Sect. 4. Doctoris Eccleſiaſtici animarum lucra optantis, eſſe varias formas induere pro auditorum captu, quibus ſe accommodet, oporteat. 488
Sect. 5. Baptiſmo abſtergi omnes omnium antecedentium peccatorum maculas, & hominem reddi cœlo paratiſſimum. 490
Sect. 6. Non niſi per tribulationem, & dolorum patientiam ad quietem, & iucunditatem peruenitur. 492

*Ex Veſtigationis decimæſextæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. REipublicæ capite, vel infecto, vel ſano de ſubditis idem iudicari cõſueuit. 505
Sect. 2. Tentationis diſcrimẽ opportunè præueniendum, nec expectanda vltima periculi occaſio. 507
Sect. 3. Infida amicitiæ ratio eſt, quæ ſodalis præſentiam tantùm obſeruat, ad profanas diſſoluendas amicitias optimum remedium ſeparatio. 509
Sect. 4. Verbum gloriam operum quę ipſi ſpecialiter tribuuntur, cum Spiritu S. partitur, item & cum Verbo Spiritus ſanctus. 511

*Ex Veſtigationis decimæſeptimæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. DIuinam arguit charitatem bonorum communicatio: humanam auaritiam nolle aliis prodeſſe. 523
Sect. 2. Virginitas cultores ſuos quaſi immortalitati oppignorat. 525
Sect. 3. Sacerdotalis honoris, quàm fulgida, & ſublimis dignitas. 527
Sect. 4. Indigna laus eſt, quam affectus, non autem merita conciliant. 530

*Ex Veſtigationis decimæoctauæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. ANimarum culturæ operam dantibus expedit, ſanctæ quandoque actioni ſe ſubtrahere, & ſpiritalibus vacare exercitiis. 545
Sect. 2. Ad caſtitatis illibatam gloriam, optimus cuſtos humilitas. 547
Sect. 3. Labores pro animarum ſalute Chriſti imitatoribus non ſarcina, ſed voluptas. 549
Sect. 4. Renouatio votorum Religioſis mediũ pervtile ad vitæ ſpiritalis incrementa. 551
Sect. 5. It velox, Eliſabetham viſitare Deipara, vt Ioannes ſanctificetur. 553
Sect. 6. Quantâ vigilantiâ opus viris vtcunque ſpiritualibus, dum cum huius vitæ periculis conflictantur. 554

*Ex Veſtigationis decimænonæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. AScenſionis Chriſti Regia Maieſtas vſque ad beatorum ſpirituum ſingularem ſtuporem. 564
Sect. 2. Conſcientię examen felicitatis æternę beatorum velut pignus quoddam. 565
Sect. 3. Euchariſtiæ Sacramentum aduerſus tẽtationum genera omnia, munimen fortiſſimum, ſuauiſſimúmque. 567
Sect. 4. Chriſtus tum ſingularis, & fidiſſimus auxiliator, cùm maximo in diſcrimine verſantur res mortalium. 568

*Ex Veſtigationis vigeſimæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. INeffabilis voluptas, & lætitia ingeniis ritè diſpoſitis ex ſacrorum Bibliorum lectione. 590
Sect. 2. Viri diuerſarum gratiarum laude excellentes, debent ſuppreſſis particularibus affectibus pro Eccleſiæ bono in vnum conſpirare. 592
Sect. 3. Amor maieſtatem excludit familiares & pares reddit diligentes. 593
Sect. 4. Antiſtes ſubditis, quę ad honeſtam vitę rationem neceſſaria ſunt, ſubminiſtret, & tum quę iubere cõueniens eſt, imperet. 597
Sect. 5. Magiſtratum non ambire, ſed alieno ex impulſu, & velut coactum admittere iuuat. 599
Sect. 6. Cum nouitiis animabus non in furore, ſed ex lenitate agendum. 600
Sect. 7. Regis ad pręſentiam vigor in ſubditis; eo ſublato, hebetantur & languent. 602
Sect. 8. Dilecti abſentiam iuſti bonis operibus, & rerum æternarum cognitione lenire conantur. 604

*Ex Veſtigationis vigeſimæprimæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. QVæ ad ſublime contemplationis euehuntur animę, priùs ariditate, & deſolationibus, Sponſo ſe occultante ab eis, tentantur. 620
Sect. 2. Vnum faciente Deo beneficium, expectes ab illo alterum; nam primum ſecundi velut pignus eſſe conſueuit. 622
Sect. 3. Nouiſſimorum vtiliſſima meditatio, ad vitiorum fugam, ad virtutis deſideriũ. 624
Sect. 4. Beatus Aloyſius Gonzaga inter orandum non diſtrahitur quanta hoc gratia. 626
Sect. 5. Deus quaſi in temporibus non numerans vanitati mancipatos annos: Mali hęc eſſe ſola vera tempora aſtruunt. 628
Sect. 6. Supra femineam conditionem admirabilis omnino vigor, & maſcula planè virtus Sanctę Thereſię à Ieſu conſiderata. 630

*Ex Veſtigationis vigeſimæſecundæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. AMorem non verborum phaleræ, & lenocinia, ſed beneficia, & opera teſtantur. 641
Sect. 2. Diuinę vocis imperio, diuinis inſpirationibus cum omni feſtinatione obtemperandum. 643
Sect. 3. Dei, mundíque contrarię opiniones, contrarij & diſpares vſus. 645
Sect. 4. Exemplo Numinis, ſingularibus officiis eos proſequamur, qui de nobis peius meriti ſunt. 647
Sect. 5. Virgines in ſacris Monaſteriis ob Chriſti honorem, quaſi in vita conſepultæ, mortem ſecuræ, & hilares præſtolentur. 649

*Ex Veſtigationis vigeſimætertiæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. MAriæ ex Natiuitate hominibus perfectio, & ſolatium, Deo gloria, & laus prorſus mirabilis. 664
Sect. 2. Qui vt alienis commodis ſeruiat, propria deſpicit, etiam in magnis periculis liberabitur. 666
Sect. 3. Tolerabilius ſuſtinentur quodammodo verborum, quàm verborum iniurię. 668
Sect. 4. Sancti non ob extrinſeca damna, humanorum caſuum, ſed ob peccatum triſtantur. 669
Sect. 5. Gemitu, & mortificatione Prędicatoris magis, quàm dictionis eloquentiâ rebelles animę conuertuntur. 670
Sect. 6. Deo quaſi parum fuiſſet, ex hominum bonis operibus glorificari, niſi eorum ſimul coniuncta eſſet vtilitas. 672
Sect. 7. Aduerſitatibus iuſtorum Congregatio non minuitur, ſed creſcit, & amplificatur. 673
Sect. 8. Dimidiatę, & imperfectæ virtuti tripudium, & laudes ſubtrahit Deus. 674

*Ex Veſtigationis vigeſimæquartæ Explanatione Morali.*

Sect. 1. SApiens ex lapſibus propriis, alienísve multò vigilantior redditur in futurum. 689
Sect. 2. Qui rebus magnis inidonei ſunt, temerè & præſumptuosè eas affectant: qui habiles ſunt, nõ niſi cũ verecundia, & metu. 691
Sect. 3. Malarum ſeu cogitationum, ſeu operum exordiis fortiter repugnandum. 693
Sect. 4. Maximâ ſolertiâ proſpiciendum, ne à vitiis ob virtutis quendam colorem decipiamur. 695
Sect. 5. Feruentiſſima Chriſti dilectio, ob inſtitutionem Euchariſtię ex verbis Ioan. cap. 6. v. 57. *In me manet, & ego in illo.* 696
Sect. 6. Dei maximi Imperatoris ſolius gloria præmiis ſpiritalibus compenſaſſe famulantium labores. 698

*Sect.* 3. Inter metum, & fiduciam gradiendũm, ex Diuinæ Iuſtitiæ pariter, & miſericordiæ conſideratione. 456
*Sect.* 4. Vnio, & fraternitas, Chriſtianæ pietatis validiſſimum teſtimonium. 458
*Sect.* 5. Viri ſpirituales Dei præſentiam per Diuinorum memoriam quanto cum emolumento procurant! 460
*Sect.* 6. Antiſtiti pacis ſtudioſo, vitanda ſummoperè partialitas. 463
*Sect.* 7. Incoacta, & ſpontanea Deo obſequia quàm placeant. 465

*Ex Veſtigationis decimæquintæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. ANtelucanæ feſtinationis in templum Mariæ adhuc trimulæ conſideratio. 482
*Sect.* 2. Chriſtus abſque ſolatio paſſus, lætitiam ad Martyrum agonas tranſmiſit. 484
*Sect.* 3. Non ſolùm internæ iuſtitiæ habendam rationem, ſed etiam procurandum, ne externæ aliquid decedat famæ. 486
*Sect.* 4. Doctoris Eccleſiaſtici animarum lucra optantis, eſſe varias formas induere pro auditorum captu, quibus ſe accommodet, oporteat. 488
*Sect.* 5. Baptiſmo abſtergi omnes omnium antecedentium peccatorum maculas, & hominem reddi cœlo paratiſſimum. 490
*Sect.* 6. Non niſi per tribulationem, & dolorum patientiam ad quietem, & iucunditatem peruenitur. 492

*Ex Veſtigationis decimæſextæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. REipublicæ capite, vel infecto, vel ſano de ſubditis idem iudicari cõſueuit. 505
*Sect.* 2. Tentationis diſcrimẽ opportunè præueniendum, nec expectanda vltima periculi occaſio. 507
*Sect.* 3. Infida amicitiæ ratio eſt, quæ ſodalis præſentiam tantùm obſeruat, ad profanas diſſoluendas amicitias optimum remedium ſeparatio. 509
*Sect.* 4. Verbum, gloriam operum quę ipſi ſpecialiter tribuuntur, cum Spiritu S. partitur, item & cum Verbo Spiritus ſanctus. 511

*Ex Veſtigationis decimæſeptimæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. DIuinam arguit charitatem bonorum communicatio: humanam auaritiam nolle aliis prodeſſe. 523
*Sect.* 2. Virginitas cultores ſuos quaſi immortalitati oppignorat. 525
*Sect.* 3. Sacerdotalis honoris, quàm fulgida, & ſublimis dignitas. 527
*Sect.* 4. Indigna laus eſt, quam affectus, non autem merita conciliant. 530

*Ex Veſtigationis decimæoctauæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. ANimarum culturæ operam dantibus expedit, ſanctæ quandoque actioni ſe ſubtrahere, & ſpiritualibus vacare exercitiis. 545
*Sect.* 2. Ad caſtitatis illibatam gloriam, optimus cuſtos humilitas. 547
*Sect.* 3. Labores pro animarum ſalute Chriſti imitatoribus non ſarcina, ſed voluptas. 549
*Sect.* 4. Renouatio votorum Religioſis mediũ pervtile ad vitæ ſpiritualis incrementa. 551
*Sect.* 5. It velox, Eliſabetham viſitare Deipara, vt Ioannes ſanctificetur. 553
*Sect.* 6. Quantâ vigilantiâ opus viris vtcunque ſpiritualibus, dum cum huius vitæ periculis confligantur. 554

*Ex Veſtigationis decimænonæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. AScenſionis Chriſti Regia Maieſtas vſque ad beatorum ſpirituum ſingularem ſtuporem. 564
*Sect.* 2. Conſcientię examen felicitatis æternę beatorum velut pignus quoddam. 565
*Sect.* 3. Euchariſtiæ Sacramentum aduerſus tẽtationum genera omnia, munimen fortiſſimum, ſuauiſſimùmque. 567
*Sect.* 4. Chriſtus tum ſingularis, & fidiſſimus auxiliator, cùm maximo in diſcrimine verſantur res mortalium. 568

*Ex Veſtigationis vigeſimæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. INeffabilis voluptas, & lætitia ingeniis ritè diſpoſitis ex ſacrorum Bibliorum lectione. 590
*Sect.* 2. Viri diuerſarum gratiarum laude excellentes, debent ſuppreſſis particularibus affectibus pro Eccleſiæ bono in vnum conſpirare. 592
*Sect.* 3. Amor maieſtatem excludit, familiares & pares reddit diligentes. 593
*Sect.* 4. Antiſtes ſubditis, quę ad honeſtam vitę rationem neceſſaria ſunt, ſubminiſtret, & tum quę iubere cõueniens eſt, imperet. 597
*Sect.* 5. Magiſtratum non ambire, ſed alieno ex impulſu, & velut coactum admittere iuuat. 599
*Sect.* 6. Cum nouitiis animabus non in furore, ſed ex lenitate agendum. 600
*Sect.* 7. Regis ad præſentiam vigor in ſubditis; eo ſublato, hebetantur & languent. 602
*Sect.* 8. Dilecti abſentiam iuſti bonis operibus, & rerum æternarum cognitione lenire conantur. 604

*Ex Veſtigationis vigeſimæprimæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. QVæ ad ſublime contemplationis euehuntur animę, priùs ariditate, & deſolationibus, Sponſo ſe occultante ab eis, tentantur. 620
*Sect.* 2. Vnum faciente Deo beneficium, expectes ab illo alterum; nam primum ſecundi velut pignus eſſe conſueuit. 622
*Sect.* 3. Nouiſſimorum vtiliſſima meditatio, ad vitiorum fugam, ad virtutis deſideriũ. 624
*Sect.* 4. Beatus Aloyſius Gonzaga inter orandum non diſtrahitur quanta hoc gratia. 626
*Sect.* 5. Deus quaſi in temporibus non numerans vanitati mancipatos annos: Mali hęc eſſe ſola vera tempora aſtruunt. 628
*Sect.* 6. Supra femineam conditionem admirabilis omnino vigor, & maſcula planè virtus Sanctę Thereſię à Ieſu conſiderata. 630

*Ex Veſtigationis vigeſimæſecundæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. AMorem non verborum phaleræ, & lenocinia, ſed beneficia, & opera teſtantur. 641
*Sect.* 2. Diuinę vocis imperio, diuinis inſpirationibus cum omni feſtinatione obtemperandum. 643
*Sect.* 3. Dei, mundíque contrarię opiniones, contrarij & diſpares vſus. 645
*Sect.* 4. Exemplo Numinis, ſingularibus officiis eos proſequamur, qui de nobis peius meriti ſunt. 647
*Sect.* 5. Virgines in ſacris Monaſteriis ob Chriſti honorem, quaſi in vita conſepultæ, mortem ſecuræ, & hilares præſtolentur. 649

*Ex Veſtigationis vigeſimætertiæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. MAriæ ex Natiuitate hominibus perfectio, & ſolatium, Deo gloria, & laus prorſus mirabilis. 664
*Sect.* 2. Qui vt alienis commodis ſeruiat, propria deſpicit, etiam in magnis periculis liberabitur. 666
*Sect.* 3. Tolerabilius ſuſtinentur quodammodo verborum, quàm verborum iniurię. 668
*Sect.* 4. Sancti non ob extrinſeca damna, humanorum caſuum, ſed ob peccatum triſtantur. 669
*Sect.* 5. Gemitu, & mortificatione Pr[æ]dicatoris magis, quàm dictionis eloquentiâ rebelles animę conuertuntur. 670
*Sect.* 6. Deo quaſi parum fuiſſet, ex hominum bonis operibus glorificari, niſi eorum ſimul coniuncta eſſet vtilitas. 672
*Sect.* 7. Aduerſitatibus iuſtorum Congregatio non minuitur, ſed creſcit, & amplificatur. 673
*Sect.* 8. Dimidiatę, & imperfectæ virtuti tripudium, & laudes ſubtrahit Deus. 674

*Ex Veſtigationis vigeſimæquartæ Explanatione Morali.*

*Sect.* 1. SApiens ex lapſibus propriis, alienisve multò vigilantior redditur in futurum. 689
*Sect.* 2. Qui rebus magnis inidonei ſunt, temerè & præſumptuosè eas affectant: qui habiles ſunt, nõ niſi cũ verecundia, & metu. 691
*Sect.* 3. Malarum ſeu cogitationum, ſeu operum exordiis fortiter repugnandum. 693
*Sect.* 4. Maximâ ſolertiâ proſpiciendum, ne à vitiis ob virtutis quendam colorem decipiamur. 695
*Sect.* 5. Feruentiſſima Chriſti dilectio, ob inſtitutionem Euchariſtię ex verbis Ioan. cap. 6. v. 57. *In me manet, & ego in illo.* 696
*Sect.* 6. Dei maximi Imperatoris ſolius gloria præmiis ſpiritualibus compenſaſſe famulantium labores. 698

# INDEX AD CONCIONES ADVENTVS, QVADRAGESIMÆ, FESTORVM CHRISTI DOMINI, BEATÆ Virginis,& quorundam Sanctorum; inſuper & pro Aſceticis nonnullis exhortationibus.

*In quo adnotata qualibet Puncta, integro & peculiari diſcurſu comprobantur.*

## ADVENTVS.

### *Dominica I.*

E*RVNT ſigna in Sole, & Luna, & Stellis*,&c. Luc.cap.21.verſ.25.Proponit Mater Eccleſia Nouiſſimorum recordationem,ad vitiorum emendationem. Veſtigatione 21.Explanatione Morali,Sectione 3. Elementa & aliæ creaturæ, quarum gratia olim Numen diuinum offendimus, appropinquante iudicio aduerſus nos conuertuntur, nobiſque hoſtes fiunt, Veſtigatione 7. Explanatione Morali, Sectione 2. Quàm formidoloſum ſub Deo iudice humanæ vitæ momenta examinari cùm Sol & Luna,quæ non peccauerunt,conturbentur. ibid. Sect.4. Felix iuſtorum ſors, qui tunc leuare capita iubentur,nam illis omnia famulantur ad bonum. Veſtig.6. Explanat.Morali, Sect.4.

### *Dominica II.*

*Cùm audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti*, &c. Matth.cap.11.verſ.2. Non eſſe credendum facilè quibusvis propter reuelationum,aut ſimilium aliarum gratiarum famam,ſed explorandam virtutem; ideò Ioannes ex diſcipulis mittit qui perpendant & conſiderent. Veſtig.24. Explan.Mor. Sect.4. Vult Chriſtus ex bonis operibus cognoſci,*Cæci vidēt, claudi ambulant*,&c. Veſtig.12.Explan.Moral. Sect.1. & Veſtig.22.Explan. Moral.Sect.1. Vult & cognoſci ex loquela, *renunciate quæ audiſtis*,&c. Nam qualis in corde,talis & in verbis ſolet ordinariè quiſque eſſe. Veſtig.2.Explan.Moral. Sect.4. *Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt*: Chriſti & mundi quàm contraria ſtudia. Veſtig. 22.Explan. Moral.Sect.3.

### *Dominica III.*

*Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes & Leuitas*, &c. Ioan.cap.1.verſ.19. Ioannes in deſerto morans ſolo Deo Præceptore quàm inſignis Concionator euaſerit. Veſtig.1. Explan.Moral.Sect.2. Ioannes plurimis annis verſatus in eremo,quia longa exercitatio ad perfectionem eſt neceſſaria. ibid. Sect.10. Interrogatus Baptiſta:Quiſnam eſſet? Nullam ſibi patriam aſſignat, quia prædicatoribus Euangelicis nulla certa debet eſſe patria,ſed eam talem reputare, vbi maius Dei obſequiū reperiatur. Veſtig.3.Explan.Moral.Sect.6. Humilitatis documenta exhibet eximia, dum accepta dona ſupprimit, & vocis ſe tantùm inane quaſi ſonum refert. Veſtig. 5, Explan.Moral. Sect.2. Ioannes ſe humilians, à Chriſto extollitur & laudatur.Matth.cap.11. nam qui e deprimunt, à Deo vulgantur. Veſtig.13. Explan.Moral.Sect.1,

### *Dominica IV.*

*Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris*, &c. Luc.cap.3.verſ.1.Nominantur Euangelij initio tot Dei veri hoſtes,quia verus prædicator nullius minas & terrores formidare debeat,vt veritatem ſileat. Veſtig.10. Explan.Moral.Sect.6.Atque etiam vt oſtendatur Chriſtum tum maximè ſuccurrere, cùm res mortalium in diſcrimine verſantur ſummo,vt Iudæorum Reipublicę tum contingebat. Veſtig.19.Explan.Moral.Sect. 4.Recenſentur Magiſtratus, vt ex eis Reipublicæ ſtatus colligatur,quoniam qualis Rector,tales ſubditi.Veſtig.16. Explan.Moral.ſect.1. Prædicat Ioannes hominibus, vt ipſi conentur & laborent, *rectas facite ſemitas*,&c.quia Deus ſine nobis non vult nos ſaluare. Veſtig.13. Explan.Moral.Sect.3.

## QVADRAGESIMA.

### *Feria IV. Cinerum.*

C*VM ieiunatis nolite fieri ſicut hypocritæ*,&c.Matthæi cap.6.verſ.17.Mendacium & fraus Deo quā inuiſa.Veſtig.13.Explan.Mor.Sect.5.*Ne videaris ab hominibus ieiunans*,&c.bona opera occultanda. Veſtig.5. Explan.Moral. Sect.3. Vera ſanctitas piè hilaris & vrbana eſt;*exterminant facies ſuas*,&c. Veſtigat.7.Explan, Moral.Sect.5. Virtus non adeò difficilis quàm putant homines mundani,vultu læto eſt:*Tu autem cùm ieiunas vnge caput tuum*,&c.Veſtig.11.Explan.Moral.Sect.3.

*Memento homo quia puluis es*,&c.

Quantâ vigilantiâ opus ex puluere fragili compacto in hac vita.Veſtig.18.Explan.Moral.Sect.6. Mortis,& diuini examinis quanta vtilitas.Veſtig.21.Explan.Moral. Sect.3. Vitæ in vitiis conſumpti dies quaſi non reputantur à Deo fuiſſe. ibid. Sect.5.

### *Feria V. poſt Cineres.*

*Cùm introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio*,&c.Matth.c.8.v.5. Proficiſcitur Centurio, vt pro famuli ſalute intercedat, nam bonus Gubernator ſubditorum incolumitati proſpicere debet ſingulari cura. Veſtig.5. Explanat. Moral. Sect.2. *Ego veniam, & curabo illum*,&c. quàm facilis adiri Deus præter humanorum Principum morem. Veſtig.1. Explan. Moral. Sect.6. *Ego veniam*,&c. Vicariæ non eſſe fidendum induſtriæ Gubernatoribus tantùm, ſed vt ipſi interſint quoque faciendis. Veſtig. 8. Explanat.Moral. Sect. 3. Non dedignatur Chriſtus adire puerulum, quia vbi amor eſt nulla eſt maieſtatis & ſuperbiæ ratio. Veſtig. 20.Explan.Moral.Sect.3.

### *Feria VI. poſt Cineres.*

*Audiſtis, quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio*



*odio habebis inimicum tuum*, &c.Matth.cap.5.verſ.44. *Vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cælis eſt*, &c. Iniuriam condonaſſe diuinitatē quodāmodò arguit. Veſt.1. Expl. Mor.Sect.9.& Veſt.3.Expl.Mor.Sect.2. Deo vt ſimiles appareamus, nō ſolùm remittere iniurias debemus, ſed benefacere quoq; hoſtibus.Veſt. 22.Expl.Mor. Sect.4.

### *Sabbato poſt Cineres.*

*Cùm ſerò eſſet factum, erat nauis in medio mari*,&c. verſ.48. Difficilis nauigatio in nocte, hoc eſt, cum ſui ignorantia.Veſtig.9. Explan.Moral. Sect.1.Laborabāt & fatigabantur remigando, quia Chriſtus cum eis non erat; nam Regis præſentiâ vigor infunditur ſubditis. Veſtig.20.Explan. Moral.Sect.7. *Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus.* Humanæ mentis ſumma inconſtantia niſi à Deo firmetur conſociato ei.Veſtigat. 8. Explan.Moral.Sect.4.

### *Dominica I. Quadrageſimæ.*

*Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu*, &c.Matth.c.4. verſ.1.Tunc ductus eſt Ieſus à Spiritu,videlicet ſancto, propria duci voluntate lubricum.Veſtig.1.Explan.Moral. Sect.7.Non vult conuertere lapides in panem,quia Eccleſiaſtici non debent dare panem Dæmoni,ſed pauperibus.Veſtig.5.Explan.Moral.Sect.4.*Sed in omni verbo*.Scripturę ſtudij & lectionis quanta voluptas?Veſtig. 5.Explan.Mor.Sect.1.& Veſtig.20.Explan.Moral.Sect. 1. *Mitte te deorſum*,&c. Non vult,quia in puro homine qualis foras apparebat, ſuperbia & temeritas eſſet Deum tentare vt miraculo ſaluus fieret,ſuperbia autem vt è Dei domo,quale eſt, eiiceretur, faceret. Veſtig.9. Explan.Moral.Sect.3. *Hæc omnia tibi dabo*, &c.in omnem voluptatem & licentiam,copiam homini præſtari periculoſum eſt. Veſtig.8. Explan.Moral. Sect.5.Non vult Regem eſſe deliciarum vt Diabolus ſuadebat,quia verus Principatus ex virtutibus. Veſtig.7.Explan.Moral.Sect.9.*Et ecce Angeli acceſſerunt*,&c.Quærenti primùm regnum Dei, non deerunt ſubſidia humana neceſſaria.Veſtig.1.Explan.Moral.Sect.4.

### *Feria II. Hebdomadæ primæ.*

*Cùm venerit filius Hominis in maieſtate ſua*, &c. Matth. cap. 25. verſ.31. *& ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris*,&c. Magnus de ſalute æterna timor, quia in omni congregatione boni pariter & mali. Veſtig.6.Explan.Moral.Sect.3. *Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare*,&c. Arguuntur de vnius tranſgreſſione mandati, ſeu charitatis erga proximum. Quàm luctuoſum propterea iacturam feciſſe obſeruantiæ aliorum. Veſtig.12.Explan.Moral.Sect.3. *Quando te vidimus*,&c.Debebāt in eius abſentia fideliores eſſe, quia infirma eſt amicitia quæ ſolam præſentiam amici obſeruat.Veſt.16.Expl.Mor.Sect.3. De iudicio & nouiſſimis vide ſuprà ad primam Aduentus Dominicam.

### *Feria III. Hebdomadæ primæ.*

*Cùm intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa Ciuitas*,&c.Matth.c.21.v.10.*Quis eſt hic?* Qui Ieſus, hoc eſt, animarum Saluator & miniſter eſt, tantæ debet eſſe perfectionis,vt obſtupeſcant populi, & propter admirationem quærant *quis eſt hic*? Veſtig.3. Explan.Mor.Sect.9. *Eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo*,&c.Non ſolùm ratio habenda internæ iuſtitiæ, ſed externæ quoque decentiæ Templorum in miniſtris. Veſtig.15. Explan.Moral. Sect.3.Pudet Ieſum quàm vilipendant Sacerdotum aliqui altiſſimam officij ſui dignitatem.Veſt.17.Explan.Mor.Sect.3. Sacerdotes non debent hiare ad lucra, ſed reditus in pauperes diſtribuere. Veſtig.5.Explan.Moral.Sect.4. *Quia ex ore infantium*, &c. Quàm grata Deo puerilis ſancta educatio.Veſtigatione 9.Explanat.Morali, Sect.4.

### *Feria IV. Hebdomadæ primæ.*

*Magiſter, volumus à te ſignum videre*,&c.Matth.cap. 12.verſ.38. Magiſtrum ex dolo vocant,cùm ſint hoſtes eius infenſi:notata Iudæorum hypocriſis.Veſtig.8. Explan. Moral.Sect. 7. *Generatio mala & adultera*, &c. Nam genus adulterij, imponere aliis grauia onera, & digito ea non tangere. Veſtig.3.Explan.Moral.Sect.4. *Et ſignum non dabitur ei*, &c. quia Chriſtus non ad curioſitatem, ſed ad hominum vtilitatem miracula facit. Veſtig.23. Explan.Moral.Sect.6. *Ecce plus quàm Salomon hic*, &c. quia liberalior Deus cum famulis ſuis, quàm Salomon, ſub cuius regno tanta abundantia in Ieruſalem.Veſtig.3.Explan.Moral.Sect.3.

### *Feria V. Hebdomadæ primæ.*

*Egreſſus Ieſus, receſſit in partes Tyri & Sidonis*, &c. Matth.c.15.v.21. *Miſerere mei fili Dauid*,&c.Suggerit Chriſto ex eadem cum nobis natura eſſe,& ideò propitium debere eſſe.Veſtig.1.Explan.Moral.Sect.11.*Filia mea malè à dæmonio vexatur*, &c. Nullius alterius tribulationis,niſi quòd Diabolo ſubdita ſit gnata, quoniā vera triſtitia ſolùm ob peccata. Veſtig.23. Explan.Moral.Sect.4.Inſtat & importunat Chananęa,quia iterando actus virtus adquiritur, & non primo tantùm conatu. Veſtig.1. Explan.Moral. Sect.10. *Magna eſt fides tua*,&c.verè magna & ſpecioſa fides, quæ bonis operibus conſociatur.Veſtig.12.Explan.Moral.Sect.1.

### *Feria VI. Hebdomadæ primæ.*

*Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam*,&c. Ioan.c.5.v.1.In his iacebat multitudo magna languentium,&c. Aduerſitatum vtilitas.Veſtig.23. Explan.Moral.Sect.7.*Et qui prior deſcendiſſet*, &c.nota *prior*,quia diuinis inſpirationibus cum feſtinatione reſpondendum. Veſtig.22.Explan.Mor.Sect.2. Angelus mouebat & Homo deſcendebat,quoniam Deus vult & adlaborare ſibi Hominem. Veſtig.13. Explan. Moral. Sect.3. *Vis ſanus fieri?* tanquam inuitum non ſanaturus, nam Deo incoacta obſequia placent. Veſtig. 14. Explan.Moral.Sect.7. Poſtquam ſanauit dicit,*tolle grabatum*, quoniam Superior neceſſaria ad valetudinem debet ſubminiſtrare antequàm onera imponat ſubditis. Veſtig.20.Explan.Moral.Sect.4.

### *Sabbato Hebdomadæ primæ.*

*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem*,&c. Matth. c.17. v.1.&c. Ducit illos in montem excelſum ſeorſum,&c.nam ſeceſſus neceſſarius animę,quæ à Deo illuminari cupit. Veſtig.11.Explan.Mor.Sect.1.in primis verò ſeceſſus quandoque expedit iis,qui animarum culturæ vacāt.Veſtig.18.Explan.Mor.Sect.1.*Et transfiguratus eſt*, &c. Concionator Euangelicus nihil humanum quodammodò ſapiat, ſed totus fiat cæleſtis. Veſtig.10.Explan.Mor.Sect.6. Moyſes & Elias,vt Lucas docet, loquebantur de exceſſu, nimirùm paſſione; nō videbatur tam opportunus ſermo cum glorificato, ſed de eo quis loquitur ſiue opportunè,ſiue importunè, de quo plenus eſt.Veſtig.2. Explan.Mor.Sect.4.*Faciamus hîc tria Tabernacula*, &c. dicitur Petrus neſcire quid loqueretur, à Luca. Primò, quia faciendo tria tabernacula,diuiſionem introducebat,Nota autem diſcipulorum Chriſti,vnitas.Veſtig.14.Explan.Mor.Sect.4. Secundò, quoniam non in iucunditate, ſed in fortibus laboribus Euangelij ſtabiliendum erat tyrocinium.Veſtig.2.Explan.Mor.Sect.6.Tertiò,quia non niſi per tribulationes adquiritur beatitudo, & nondum perpeſſus erat Petrus.Veſtig.15.Explan.Moral. Sect.6. *ipſum audite*,&c. Magiſterij Chriſti quanta excellentia. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect.2. *Nemini dixeritis*, &c.occultandi fauores ſpiritales,&c. Veſtigat.5.Explan. Moral. Sect.3.

*Dominica II. Quadrageſimæ.*

Cùm idem ſit Euangelium cum eo, quod Sabbato præcedenti legitur, ſuperaddere quidquam non eſt opus.

*Feria II. Hebdomadæ ſecundæ.*

*Ego vado, & quæretis me*, &c. Ioann.cap.8.verſ.21. nullæ terribiliores contra animam minæ, quàm vt à Chriſto deſeratur, ſtatim enim ſubintrat mœror. Veſt. 1. Explan.Mor. Sect. 3. *Quò ego vado vos non poteſtis venire*, &c. Quoniam Prædicatoris tanta debet eſſe perfectio, eam vt attingere auditoribus, quaſi modo quodam ſit impoſſibile. Veſtig.3. Explan.Mor. Sect.9. *Vos non poteſtis*, &c. Quia licèt via ſit difficilis & periculoſa, mihi qui propriam vtilitatem poſtpono alienæ, facilis redditur, vobis ardua eſt commodum veſtrum ſemper quærentibus. Veſtig. 23. Explan.Mor.Sect.2. *Vos deorſum eſtis, ego de ſupernis*, &c. Chriſti & mundi contraria ſtudia. Veſtig.22.Explan.Mor.Sect.3.

*Feria III. Hebdomadæ ſecundæ.*

*Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*, &c.Matth.cap.23.verſ.2. *Quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite*, &c. Propria regi voluntate quàm periculoſum. Veſtig.1.Explan.Mor.Sect.7.& Veſtig 8. Explan.Moral. Sect.2. *Dicunt & non faciunt*, &c. Turpe Gubernatori non facere quæ aliis conſulit. Veſtigat.1. Explan. Moral. Sect. 12. *Omnia ſua faciunt vt videantur ab hominibus*, &c. Hypocriſis & mendacium. Veſtig. 8. Explan.Moral. Sect.7. & Veſtig.13.Expl.Mor. Sect. 5. *Qui ſe humiliauerit, exaltabitur*, &c. Dei cauſa humiliari ornamentum eſt. Veſtig.7.Explanat.Moral. Sect.7.

*Feria IV. Hebdomadæ ſecundæ.*

*Ecce aſcendimus Ieroſolymam*, &c.Matth.c.20.v.18. *Et Filius Hominis tradetur*, &c. Oſtendit per labores adipiſcendam gloriam. Veſtig.15. Explan.Mor.Sect.6. *Neſcitis quid petatis*, &c. Quia non ambiendus Magiſtratus, ſed aliena coactione ſubeundus. Veſtig.20.Expl. Mor.Sect.5. Quia indigna laus eſt, quàm affectus, non autem merita conciliant. Veſtig.17.Expl.Mor. Sect.4. *Poteſtis bibere calicem*, &c. Non aliud ſpondet niſi labores, quia ſatis pulchra merces laboraſſe. Veſtig.4.Expl. Moral.Sect.3. *Quem ego bibiturus ſum*, &c. Quia milites incredibiliter ſtimulantur cùm vident eadem Imperatorem ſuſtinêre. Veſtig.20.Explan.Moral. Sect.7.

*Feria V. Hebdomadæ ſecundæ.*

*Homo quidam erat diues, & induebatur purpurâ*, &c, Luc.c.16.v.19. Quàm periculoſum vt omni frui voluptate in hac vita concedatur. Veſtig.8.Expl.Mor.Sect.5. Tacetur nomen diuitis & ponitur mendaci, quia ille qui ſe exaltauit, humiliatur, & hic qui ſe humiliauit, exaltatur. Veſtig.13.Explan. Moral. Sect.1. Tacetur quoque, vt cognoſcatur, quoniam infamandus erat, nam ſubditorum næui occultari debent quoad fieri valeat. Veſtig.7.Explan.Moral.Sect.6. Lazari afflicti exitus felix, tribulationes immitti ad prouentum. Veſtig.12.Explan.Moral.Sect.2. *Fili, recordare, quia recepiſti bona*, &c. Vocat filium reprobum, quia vera ſanctitas non exaſperatur contra peccatores. Veſtig.7.Expl.Mor.Sect.5. *Sed ſi quis ex mortuis ierit*, &c. Quaſi non ſufficiant prædicatores viui ad grandium peccatorum conuerſionem, res enim difficillima eſt. Veſtig.10.Explan.Moral, Sect.8.

*Feria VI. Hebdomadæ ſecundæ.*

*Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam*, &c. Matth. cap. 21. verſ. 35. Modò Vinitor, modò Paſtor, modò Dux nominatur Chriſtus in Scriptura, quia Doctoris Eccleſiaſtici munus eſt varias induere formas pro auditorum captu. Veſtigat.15. Explanatione Morali, Sectione 4. *Peregrè profectus eſt*, &c. Quantùm nocet Domini abſentia. Veſtig.8. Explan. Moral.Sectione 3. *Et vineam ſuam aliis locabit*, &c. Quàm formidabile ob contumaciam & ſuperbiam, Dei vineâ expelli. Veſtigat. 9. Explanatione Morali, Sect. 2.& 3.

*Sabbato Hebdomadæ ſecundæ.*

*Homo quidam habuit duos filios*, &c. Luc.c.15.v.11. Deus peccatori indulget, & homo inuidet illi, nam Pater abblanditur huic adoleſcenti, & frater indignatur. Veſtig.17. Explan.Moral.Sect.1. *In ſe autem reuerſus*, &c. Examen conſcientiæ, prędeſtinationis velut pignus quoddam. Veſt.19.Explan.Mor.Sect.2. *Pater, peccaui*, &c. Confeſſionis vtilitas. Veſtig. 14. Explan. Moral. Sect.2. *Cecidit ſuper collum, & oſculatus eſt*, &c. Vide affabilitatem, quia amor maieſtatem reſpuit. Veſtig.20. Explan.Moral. Sect. 3. Cum recens conuerſis leniter agendum: non increpat, ſed oſculatur. Veſt.20. Explan. Moral. Sect.6. Veſtit ſtolâ primâ, Quoniam niſi ſubditis neceſſaria concedantur ad victum, quonam pacto obſeruantiam ab eis ſuperior exiget? Veſtig. eadem, Sect.4. Poſt veſtem addit alterum beneficium ſymphoniæ, & epularum, quia vnum beneficium Dei eſt pignus alterius. Veſtig. 21. Explan.Moral. Sect.2. Frater ſenior inuidet minoris fratris felicitati: ex tali inuidia Orthodoxorum inter ſe aliquando plurimum damni naſcitur Eccleſiæ. Veſtig. 20. Explan. Moral. Sect.2,

*Dominica III. Quadrageſimæ.*

*Erat Ieſus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum*, &c. Lucæ cap.11. verſ. 14. Mutum dæmonium, quia prauas conſcientiæ latebras nec viris ſpiritalibus, nec Confeſſariis aperiebat. Veſtigat. 1. Explanat. Moral. Sect. 8. & Veſtigat. 14. Explan. Moral. Sect. 2. *Omne regnum in ſeipſum diuiſum*, &c. Ad Rempublicam & congregationem quamcumque deſtruendam nihil ciuili, & interna diſcordia aptius. Veſtig.7. Explan. Moral, Sect. 3. *Si in digito Dei eiicio dæmonia*, &c. hoc eſt, in ſpiritu, qui Prædicatores gemere, orare & amare docet, quibus modis plus quàm eloquentia conuertuntur animæ. Veſtigat. 23. Explan. Moral. Sect. 5. *Si autem fortior eo ſuperuenerit*, &c. Quàm difficile opus magni peccatoris conuerſio. Veſtig.10.Explan.Moral. Sect.8.

*Feria II. Hebdomadæ tertiæ.*

*Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem, Medice cura teipſum*, &c. Luc. cap.4. verſ. 23. Aliorum correcturus vitia debet ab omni culpa liber eſſe. Veſtig. 6. Explan. Mor. Sect. 5. Et aliorum profectibus ita vacare, vt ſeipſum curare non negligat. Veſtig. 3. Explanat. Moral. Sect. 4. & Veſtig. 13. Explanat. Moral. Sect.2. *Fac & hîc in patria tua*, &c. Non facit ſigna in patria, quoniam non propter affectum, ſed ob merita habitantium facit miracula. Veſtig. 17. Explan. Moral.Sect.4. *Vt præcipitarent eum*, &c. Deus bonos Concionatores mirabiliter ex periculis liberat. Veſtigat.23.Explan. Moral.Sect.2.

*Feria III. Hebdomadæ tertiæ.*

*Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*, &c. Matth. cap.18. verſ. 15. Et ipſum ſolum, &c. Exrernæ famæ prouidendum. Veſtig.15. Explan.Mor.Sect.3. Subditorum næuos quoad fieri valeat à Prælatis occultandos. Veſtig. 7. Explan. Moral. Sect. 6. Et antiquos lapſus ab iiſdem non refricandos. Veſtigatione 10. Explanat. Moral. Sect. 2.

*Si*



*Si Eccleſiam non audierit*, &c. Quàm formidabile ab Eccleſia expelli. Veſtig.9.Explan.Moral.Sect.2.& 3.

*Feria IV. Hebdomadæ tertiæ.*

*Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum*, &c.Matth.c.15.v.2. Mali reformatores cùm ipſorum maiora vitia ſunt. *Quare tranſgredimini mandatum Dei?* &c. Veſtig.1.Explan.Moral. Sect.12. & Veſtig.6. Explan.Moral. Sect.5. Partialitatis vitium velle in quibuſdam obſeruari, & in aliis nolle ob propriam commoditatem. Veſtigat.14. Explan. Moral.Sect.6. *Hypocritæ*, &c. Peſſimum malum. Veſtig.13.Explan.Moral. Sect. 5. Tales Magiſtri pernicioſi, quia pro virtute vitium obtrudunt. Veſtig.24.Explan.Moral.Sect.4. *Labiis me honorat, cor autem longè eſt*, &c. Externa, internáque ſimul iungenda iuſtitia. Veſtig.15.Explan.Moral.Sect.3.

*Feria V. Hebdomadæ tertiæ.*

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*, &c. Luc.cap.4.verſ.38. *Magnis febribus*, non mediocribus licèt Petri ſocrus, quia enim ſcit Deus tribulationes ad gloriam & emolumentum eſſe, maiores maioribus amicis immittit. Veſtig.12.Explanat.Moral. Sect.2. & Veſtig.23.Explan.Moral.Sect.7. *Et continuò ſurgens miniſtrabat*, &c. Non vult punctum temporis elabi, quia ſcit verum tempus eſſe ſolùm quod Chriſti obſequio impenditur. Veſtig.21.Explan.Moral.Sect.5. Aut illa miniſtrat, quia non permiſit alias feminas in domo ſua habitare continentiæ ſtudioſus optimus Eccleſiaſticus Petrus, & ob hanc continentiæ laudem fortaſsè propulſata infirmitas. Veſtig.17.Explan.Mor.Sect.2.

*Feria VI. Hebdomadæ tertiæ.*

*Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar*, &c. Ioann.c.4.verſ.5. *Sedebat ſic ſupra fontem*, &c. Principes humani quæſiti diligenter copiam ſui non faciunt, Chriſtus vel cum fatigatione homines quærit. Veſtig.1.Explan.Mor. Sect.6. *Ieſus ergo fatigatus*, &c. Non vile reputat miniſterium quanquam Ieſus ex villa in villam progredi animarum cauſa. Veſtig.7.Explan. Moral. Sect.8. *Venit mulier de Samaria*, &c. Non dedignatur cum ea colloqui, nam vera ſanctitas etiam cum vilibus affabilis eſt. Veſtig.ead.Sect.5. *Omnis qui bibit ex hac aqua ſitiet iterùm*, &c. Mundi enim voluptates, quia ſine Deo, ſatiare non poſſunt. Veſtig.1. Explanat. Moral. Sect.3. Deus non ſolùm dat aquam neceſſariam ad ſitim, ſed quæ præueniat, ne in futurum vlla ſit ſitis. Veſtig. 3. Explan. Moral. Sect. 3. *Domine, video, quia Propheta es tu*, &c. vbi detexit ei conſcientiæ latebras ſanata eſt. Veſtig.1.Explan.Moral. Sect.8. *Quando adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu*, &c. Dei ſingulariſſima gloria, quòd ſit Monarcha donorum ſpiritalium. Veſtig.24. Expl.Mor. Sect.6. *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui me miſit, vt perficiam opus*; &c. Labores pro animarum ſalute, voluptas. Veſtig.18.Explan. Moral.Sect.3.& Veſtig.23.Explan.Moral.Sect.6.

*Sabbato Hebdomadæ tertiæ.*

*Perrexit Ieſus in montem Oliueti*, &c. Ioann.c.8.v.1. Nunc in montem ſecedit, nunc ad populum venit, quia nobiliſſimum vitæ genus, quod ex actiua & contemplatiua reſultat. Veſtig. 10. Explan. Moral.Sect.3. Qui cum populo agunt, in montem ſæpè ad ſeceſſum pergant. Veſtig.18.Explan.Moral.Sect.1. *Scribebat in terra*, &c. Puta fortaſſe ipſorum noxas, vt doceret ignorantiâ ſui laborare, quod eſt graue periculum. Veſtig. 9. Expl. Mor. Sect. 1. Vt inſtrueret accuſatorem aliorum culpa vacare oportêre. Veſt.6.Expl.Mor.Sect.5. *Vnus poſt vnũ exibant*, &c. Quoniam formidabile eſt Chriſtum morum examinatorem nanciſci. Veſtig.7.Explanat.Moral. Sect.4.

*Dominica IV. Quadrageſimæ.*

*Abiit Ieſus trans mare Galilææ*, Ioann.c.6.v.1. Infirmos leniſſimè curabat miraculis videlicet, & ideò ſequebatur eum multitudo magna, quia lenitate attrahuntur ſubditi mirum in modum. Veſtigatione 5. Explan.Moral. Sect.4. *Cùm ſubleuaſſet ergo oculos*, &c. Nõ vult vt panis temporalis deſit eis, qui primò panem Verbi quæſierunt. Veſtig.1.Explan.Moral.Sect.4. *Vnde ememus panes?* &c. Conſulit, licèt opus non eſſet, vt nos, quibus opus eſt, doceamur aliorum requirere placitum in rebus dubiis. Veſtig.8.Explan.Moral.Sect.2. *Vt manducent hi*, &c. non dicit, Vt ego comedam: Nam bonus Antiſtes ſibi quod durum eſt aſſumit, & ſubditis quod blandum & placidum eſt procurat. Veſtig.5. Explan.Mor.Sect.2. *Quæ ſuperauerunt fragmenta*, &c. Deo parum eſt alimenta præciſè neceſſaria ſubditis concedere, niſi & maxima cum abundantia ſubminiſtrare. Veſtig.3.Explanatione Morali, Sectione 3.

*Feria II. Hebdomadæ quartæ.*

*Propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam*, &c. Ioann.cap.2.verſ.15. Ieſus punctualis & obſeruans diſtributionis ſpiritualis, & ideò Paſchate appropinquante cum tempore aſcendit. Veſtig.4. Explan.Mor. Sect. 2. *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis*, &c. Ipſe Ieſus manu flagellum tenet, vt ſciant homines ex Dei ſpeciali prouidentia tribulationes mitti. Veſtig. 10. Explanat.Moral. Sect.5. Sed quare non aliàs cùm aduersùs ipſum contumelioſi eſſent, dæmonium vocantes, aliiſque nominibus ignominioſis, non flagello vſus? Quia modò alienam quaſi iniuriam Patris videlicet vindicat, *Nolite facere domum Patris mei*, &c. aliàs verò propriam vlciſci videretur, quam potiùs condonabat. Veſtigat. 1. Explanatione Morali, Sectione 9. Vide alia ſuprà Feriâ tertiâ Hebdomadæ primæ.

*Feria III. Hebdomadæ quartæ.*

*Aſcendit Ieſus in templum & docebat, & mirabantur Iudæi*, &c.c.7.v.15. *Mea doctrina non eſt mea*, &c. Quàm pulchrè occultat præclara dona & fauores. Veſtig. 5. Explan.Moral. Sect.3. *Si quis voluerit voluntatem eius facere*, &c. Reſpondet ad interrogationem tacitè. *Quomodo hic literas ſcit?* Et monet mortificatione & mandatorum obſeruantia ſcientiam adipiſcendam. Veſtig. 6.Explanat.Mor.Sect.2. *Qui autem quærit gloriam eius qui miſit, hic verax eſt*, &c. Debemus in Chriſtum bonorum authorem, laudem referre. Veſtig.3.Expl.Moral. Sect.10.

*Feria IV. Hebdomadæ quartæ.*

*Præteriens Ieſus, vidit hominem cæcum à natiuitate*, &c. Ioann.c.9.v.1. *Reſpondit, neque hic peccauit, neque parentes eius*, &c. Aduerſa non niſi ex Dei ſpeciali prouidentia hominibus contingere. Veſtig.10.Expl.Moral. Sect.5. *Et fecit lutum ex ſputo, & liniuit*, &c. Ridiculum iuxta humanam ſapientiam remedium, ſed opus eſt vt initio conuerſionis qui ſpirituales volunt eſſe quæ riſum aliis mouêre poſſint, æquo ſufferant animo. Veſtig.1.Explan.Mor.Sect.13. *Lutum*, &c. Contrarium omninò antidotum, ſed iuſtorum emolumentis contrarij etiam famulantur euentus. Veſtig.6.Expl.Mor.Sect. 4. *Super oculos eius*, &c. Graue malum ſpiritalis cæcitas & ſui ignorantia. Veſtig.9.Expl.Mor.Sect.1. *Vade, laua*, &c. Non videbatur ad viſum recuperandum neceſſariũ, ſed oportebat vt homo etiam aliquid faceret, nec Chriſto totum relinqueretur. Veſtig.13.Expl.Mor.Sect.3.

*Feria V. Hebdomadæ quartæ.*

*Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim*, &c.

*Filius*

*filius vnicus matris ſuæ, & hæc erat vidua*, &c. Proinde omni ſolatio deſtituta, ſed Ieſus optimus Auxiliator tũ præcipuè ſuccurrit cùm omnia deſunt remedia quodammodò. Veſtig. 19. Explan. Moral. Sect. 4. *Adoleſcens tibi dico, ſurge*, &c. Reſuſcitat in porta vrbis, vt doceat, ianuæ & principio vrbis eſſe reſiſtendum, vt vitiũ quaſi inſuperabile non reddatur. Veſtig. 16. Explan. Moral. Sect. 2. & Veſtig. 24. Explan. Moral. Sect. 3. *Adoleſcens*, &c. Significat qui in media iuuentute conuertuntur & ſancti euadunt; id perquàm rarum & propterea ſubditur, *& magnificabant Deum*, &c. Veſtig. 8. Explan. Mor. Sect. 8. Et quia mortem tempore mater plangebat, dicit ei: *Noli flere*, quia triſtitia ob peccatum ſolùm in rigore, nam vbi peccatum non intercedit, malum pœnæ toleratu facile eſt. Veſtig. 11. Explan. Moral. Sect. 2.

*Feria VI. Hebdomadæ quartæ.*

*Erat autem quidam languens Lazarus*, &c. Ioann. c. 11. v. 1. Miſerunt ergo ſorores, &c. Recepit Magdalena inſigne beneficium ſalutis animæ, ex hac fiducia ad impetrandam ſalutem corporis fratri, nam vnum beneficium Chriſti eſt via ad ſecundum. Veſtig. 21. Explan. Moral. Sect. 2. *Ecce quem amas infirmatur*, &c. Amor reuerentiam non habet, audet ob familiaritatem quoduis. Veſtig. 20. Explan. Moral. Sect. 3. id eſt, quoniam amas, demonſtra benefaciendo. Veſtig. 22. Explan. Mor. Sect. 1. *Quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis?* Sed pergit rursùs, quia Prædicator Euangelicus nihil debet timere, nec mortem ipſam. Veſtig. 10. Explanat. Moral. Sect. 7. Et quia labores pro animarum cauſa ſuaues. Veſtig. 18. Explan. Mor. Sect. 3. *Domine ſi fuiſſes hic*, &c. Abſente Ieſu non niſi mors & dolor. Veſtig. 1. Expl. Moral. Sect. 3. *Tollite lapidem*, &c. nimirum vt peccator vlcera detegat & confiteatur. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect. 8. & Veſtig. 14. Explan. Moral. Sect. 2. *Voce magna clamauit*, &c. Ad magnum peccatorem, vel in Chriſto opus voce magna quodammodò. Veſtig. 10. Explanat. Mor. Sect. 8. *Lazare veni*, &c. ad præſentiam Regis etiã mortuus miles animatur. Veſtig. 20. Explan. Mor. Sect. 7. *& facies ſudario ligata*; quia obediens propriam habere voluntatem non debet. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect. 5.

*Sabbato Hebdomadæ quartæ.*

*Ego ſum lux mundi*, &c. Ioann. c. 8. v. 12. *Qui ſequitur me habebit lumen vitæ*, &c. quia proponendo ſibi tam inſigne exemplum ad imitandum, tepidus non fiet. Veſtigat. 2. Explan. Mor. Sect. 5. *Vos ſecundùm carnem iudicatis*, &c. nempe iudicio Chriſto, & Spiritui contrario. Veſtig. 22. Expla. Mor. Sect. 3. *Et nemo apprehendit eum*, &c. Quoniam Prædicator Euangelij tutus licèt in medio inimicorum. Veſtig. 23. Explan. Mor. Sect. 2. & vt oſtenderet, ſe ſponte & incoactè mori, non quando hominibus placuit, ſed cùm ipſi viſum. Veſtig. 14. Expl. Moral. Sect. 7.

*Dominica V. Quadrageſimæ.*

*Quis ex vobis arguet me de peccato?* &c. Ioann. c. 8. v. 46. *Ex vobis*: Nã quamuis peccatum haberem, tamen vos cùm in peccato ſitis, ad corripiendum non eſtis idonei. Veſtig. 6. Explan. Mor. Sect. 5. *Reſpondit Ieſus, ego dæmonium non habeo*, &c. Nominis bonam famam vindicandam ab obtrectatoribus. Veſtig. eadem, Sect. 1. *Ego non quæro gloriam meam*, &c. Et Prædicator in Dei laudem omnia referre debet. Veſtig. 3. Explan. Moral. Sect. 10. *Pater qui glorificat me*, &c. Humana non ambienda gloria à Concionatore Euangelico, ſed ſola diuina merces. Veſtig. 10. Explan. Moral. Sect. 6. *Numquid tu maior patre noſtro Abraham?* &c. Iactant ſe nobiles eſſe, ſed per vitium & peccatum ignobiles & mancipia facti ſunt. Veſtig. 3. Explan. Mor. Sect. 5.

*Feria II. Hebdomadæ quintæ.*

*Miſerunt Principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent eum*, &c. Ioann. c. 7. v. 32. Non mirum, quòd poſteà populus vociferatus ſit: crucifige; nam qualis Princeps, tale vulgus. Veſtig. 16. Explan. Moral. Sect. 1. *Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire*, &c. hoc eſt, ad pacem & conſolationem, & dona ſpiritalia; non poteſtis quidem de talibus participare, quoad ignauiam exuatis, & accingamini, & laboretis, nam per laborem quies & voluptas ſpiritus. Veſtig. 15. Explan. Moral. Sect. 6. *Si quis ſitit veniat ad me*, &c. Aliquando potum offert, aliquando panem, aliquando florem & herbam; nam Doctor Euangelicus varia habere condimenta debet pro diuerſitate auditorum. Veſtig. eadem, Sect. 4. *Si quis ſitit*, &c. Aliorum ſiti medetur, ſed non ſuæ in cruce, quia Prælatus ſibi dura aſſumere debet, & ſubditis velle blanda. Veſtig. ead. Sect. 2. & Veſtig. 5. Explan. Moral. Sect. 2.

*Feria III. Hebdomadæ quintæ.*

*Ambulabat Ieſus in Galilæam*, &c. Ioann. cap. 7. v. 1. *Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere*, &c. Periculi proxima occaſio cum ſtudio vitanda. Veſtig. 16. Explan. Mor. Sect. 2. *Tempus meum nondum aduenit*, &c. Diſtributionis egregius obſeruator Ieſus non vult niſi quæque ſuo facere tempore. Veſtig. 4. Explan. Moral. Sect. 2. Non vult ante tempus prodire, vt doceamur, nec Magiſtri, nec Concionatoris ambire officium, antequàm idonei ſimus, noſtrámque priùs ſalutem ſolidè procurare, quàm de aliena tractemus. Veſtig. 5. Explan. Moral. Sect. 4.

*Feria IV. Hebdomadæ quintæ.*

*Facta ſunt autem encænia Ieroſolymis & hyems erat*, Ioann. c. 10. v. 22. Feſtum renouationis Templi monet viris ſpiritalibus ſummoperè conducere vt ſæpè reſtaurent & innouent primũ feruorem vitæ ſanctioris. Veſtig. 18. Explan. Mor. Sect. 4. *Et hyems erat, & ambulabat Ieſus*, &c. Quod naturali induſtriâ vinci poteſt non expectes miraculo vincere. Veſtig. 13. Explan. Mor. Sect. 3. *Loquor vobis & non creditis*, &c. Magna incredulitas, magna hebetudo, quam Chriſti magiſterium non ſuperat. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 2. *Opera, quæ ego facio teſtimoniũ perhibent*, &c. Validum à bonis operibus ſanæ doctrinæ argumentum. Veſtig. 12. Explan. Moral. Sect. 1. & Veſtig. 22. Explan. Mor. Sect. 1.

*Feria V. Hebdomadæ quintæ.*

*Rogabat autem illum quidam de Phariſæis*, &c. Lucæ cap. 7. verſ. 36. *& ecce mulier vt cognouit, quia accubuiſſet*, &c. Non veretur ob tempus idoneum conuiuarum ſcommata & irriſiones, quia vero plena dolore accedebat. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 13. Et quoniam negotiũ illi cum Chriſto Domino, quem ſciebat præter morem humanorum Principum quacunque horâ admittere. Veſtig. ead. Sect. 6. *Et ſtans retrò ſecus pedes*, &c. Humiliat ſe quæ vult deinceps caſta eſſe. Veſtig. 18. Explan. Moral. Sect. 2. *Et capillis capitis ſui tergebat*, &c. Iuſtis etiam quæ hoſtilia erant ad lucrum deſeruiunt. Veſtig. 6. Explan. Moral. Sect. 4. *Videns autem Phariſæus*, &c. Phariſaïca hypocriſis peccatorem contemnit; non ita, qui verè & ſolidè ſancti ſunt. Veſtig. 7. Explan. Moral. Sect. 5. *Non ceſſauit oſculari*, &c. Vult vt tẽporis quod ſupereſt, nihil elabatur, quia tempus non reputat, quod mundo & vanitati conceſſit. Veſtig. 21. Explan. Moral. Sect. 5.

*Feria VI. Hebdomadæ quintæ.*

*Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium*, &c. Ioan. c. 11. v. 47. *Quid facimus, quia hic Homo multa ſigna facit?* &c. Ecce cauſam mortis miracula! Eccleſiæ grauia damna ex inuidia quorumdam ob felicia aliorum geſta. Veſtig. 20. Explan. Mor. Sect. 2. Vel propter miracula perſecutiones contra Ieſum. Veſtig. 3. Explanat. Moral. Sect. 8. *Venient Romani, & tollent noſtrum locum*, &c. Imò ſi Chriſtum principaliter quæſiuiſſent, & ſuum quoque locum retinuiſſent. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 4. *Vt qui erant diſperſi congregaret in vnum*, &c. Quoniam niſi ad concordiam adunarentur, firmam & inſeparabilem Eccleſiam non conſtituiſſent. Veſtig. 7. Explan. Moral. Sect. 3. *Ieſus iam non palàm ambulabat apud Iudæos*, &c. Licèt miraculo ſe ab eis defendere poſſit, vult fugâ ſibi conſulere, vt doceat nos cautos eſſe in hac vita. Veſtig. 18. Explan. Mor. Sect. 6.

*Sabbato Hebdomadæ quintæ.*

*Cogitauerunt Principes Sacerdotum vt & Lazarum interficerent*, &c. Ioann. c. 12. v. 10. Nimia mortalium inuidia contra bonum alterius, Deus ad benefaciendum promptiſſimus. Veſtig. 24. Explan. Mor. Sect. 2. *Acceperunt ramos palmarum*, &c. Honoratur triumphus Chriſti palmâ, quia arbori huic onus ſarcina non eſt, ſed gaudium, quia quò magis deprimitur, eò plus ſe erigit tanquam pondus non habens, & Sanctis labor onus nõ eſt, ſed merces & gaudium. Veſtig. 4. Explan. Mor. Sect. 3. vel quia iuſtis perſecutio non ad ignominiam, ſed exaltationem. Veſtig. 12. Explan. Mor. Sect. 2. idem de humiliatione qua ſublimantur poſteà. Veſtig. 13. Expl. Moral. Sect. 1. *Qui venit in nomine Domini Rex Iſraël*, &c. benè in nomine Domini & Rex; quoniam is verè Rex, qui cum Domino eſt, virtutémque amat. Veſtig. 7. Explan. Moral. Sect. 9.

*Dominica VI. Quadrageſimæ, ſiue in Palmis.*

*Cùm appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis*, &c. Matth. cap. 21. v. 1. *Inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea*, &c. Spiritaliter peccator, qui ob peccatum de nobili factus eſt iumentum, mancipium videlicet ad onera ferenda. Veſtig. 3. Explan. Mor. Sect. 5. iubet ſolui, vt ad pabulum adducatur, quia vt iumentum onus ferat, quæ ad victum neceſſaria ſunt, debent ſubminiſtrari ab hero. Veſtig. 20. Explan. Moral. Sect. 4. Et vide Chriſti miſericordiam, Nemo peius meritus de eo, quàm peccator, & tamen pro malo bonum reddit ad noſtram inſtructionem. Veſtig. 22. Explan. Mor. Sect. 4. *Ecce Rex tuus venit ſedens ſuper aſinam*, &c. Aſinus humilem deſignat, hic ad tam altum officium atque eſt Chriſtum ſeſſorem habere, non ſe audacter ingerit, ſed compellitur. *Soluite & adducite*, &c. Veſtig. 20. Explan. Mor. Sect. 5. Quod ad Palmarum triumphum ſpectat; vide in Sabbato præcedenti, & nunc aduerto Ioannem ibi dicere turbam commotam propter reſuſcitatum Lazarum, quia nullus glorioſior Chriſto, triumphus conuerſione magni peccatoris. Veſtig. 10. Explan. Moral. Sect. 8.

*Feria II. Hebdomadæ maioris.*

*Ante ſex dies Paſchæ venit Ieſus Bethaniam*, &c. Ioann. c. 12. v. 1. *vbi Lazarus, quem ſuſcitauit Ieſus*, &c. Signanter Ieſus, quaſi ad tam magnum ſuſcitandum peccatorem, qui iam myſticè fœtebat, non ſufficeret alius, quàm ipſe Ieſus. Veſtig. 10. Explan. Mor. Sect. 8. *Et exterſit pedes eius capillis*, &c. Iterat modum, quo ſalutem à principio conſequuta eſt, quoniam non vno actu perfectio adipiſcenda, & quia viris ſpiritalibus ſalutare, iterare frequẽter prima vitæ ſanctioris propoſita. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 10. & Veſtig. 18. Explan. Mor. Sect. 4. *Et domus impleta eſt ex odore*, &c. Non ſolius internæ iuſtitiæ ratio habenda, ſed externæ etiam ædificationis. Veſtig. 15. Explan. Mor. Sect. 3. *Fur erat, & loculos habebat*, &c. Iudas ab Apoſtolatu cadit, & meretrix ſaluatur; gradiendum in hac vita inter ſpem & timorem miſericordiæ, & iudiciorum Domini. Veſtigat. 14. Explanatione Morali, Sectione 3.

*Feria V. in Cœna Domini.*

*Ante diem feſtum Paſchæ*, &c. Ioann. c. 13. v. 1. *In finem dilexit eos*, &c. hoc eſt, tum vehementer & maximè dilexit, Euchariſtiam ſcilicet inſtituendi. Veſtig. 24. Explan. Moral. Sect. 5. *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta*, &c. Nimirùm ille tam potens, de quo paulò anteà, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Sed mirum eſt cùm ſummè diligat, & amor maieſtatem excludat. Veſtig. 20. Explan. Mor. Sect. 3. *Præcinxit ſe*, &c. Nempe formam ſerui accipiens, vt externo illo habitu homines commonefaceret, quales ob peccatum facti ſunt ex ingenuis famuli. Veſtig. 3. Explan. Moral. Sect. 5. *Cœpit lauare pedes diſcipulorum*, &c. Iudæ pariter, ne partialis cenſeretur. Veſtig. 14. Explan. Mor. Sect. 6. *Non lauabis mihi pedes*, &c. Propria voluntas in ſubdito periculoſa. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect. 7. *Non indiget niſi vt pedes lauet*, &c. Sed in his licèt nonniſi puluis exiguus, abſterſio facienda ne malum creſcat. Veſtig. 16. Explan. Moral. Sect. 2. & Veſtig. 24. Explan. Moral. Sect. 3. *Et vos mundi eſtis, ſed non omnes*, &c. etiam in Congregatione Sanctorum reprobus aliquis. Veſtig. 6. Explan. Moral. Sect. 3.

*Feria VI. in Paraſceue.*

Paſſionis Domini recordatione ſuperantur facilè tribulationes, & aduerſa quæque. Veſtig. 14. Expl. Mor. Sect. 1. Quàm acerba fuerit Seruatoris paſſio verberibus iunctâ verborum contumeliâ. Veſtig. 23. Explan. Moral. Sect. 3. Et quoniam deſtituebatur conſolatione, cùm anima triſtabatur vſque ad mortem. Veſtigat. 15. Explan. Mor. Sect. 2. Benè Centurio Filium Dei prædicabat, quem Genitorem rogare videbat, vt ignoſceret inimicis. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect. 9. & Veſtigat. 3. Explan. Moral. Sect. 2.

*Pro planctu Beatæ Mariæ in Filij orbitate.*

Virginis Beatæ Chriſto dilectiſſimo filio patiente, quàm fuerit dolor vehemens. Veſtig. 6. Explanat. Mor. Sect. 6.

---

## Particularia quorundam Feſtorum Puncta, quorum per integram Sectionem quodque expenditur.

*Pro S. Franciſco Xauerio.*

QVàm ſtrenuè animarum ſalutem procurarit, vt verum Ieſu famulum ſe probaret. Veſtig. 3. Expl. Moral. Sect. 7. & Sect. 6. num. 95.

*Pro Conceptione Beatæ Virginis.*

Maria, quia omnis peccati expers digna, quæ Dei Genitrix efficiatur. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 1. Et aliquid Veſtig. 2. Explan. Moral. Sect. 1. Maria ſingulariter producta, originali ſoluta debito, Chriſti meritis nobiliſſimè redempta: quantum beneficium ab omni fuiſſe noxa præſeruatam. Veſtig. 10. Expl. Mor. Sect. 1.

*Pro Natiuitate Domini.*

Maria Seruatorem corporaliter, Virginem Chriſtus ſpecialiter lactat: quanta inde pulchritudo? quàm variæ affectiones? Veſtigatione 2. Explanat. Moral. Sect. 1.

*Pro S. Ioanne Euangeliſta.*

Supereminens Ioannis Euangeliſtæ doctrina comparatione ad homines, Angelos, Chriſtum ipſum, illuſtrata. Veſtig. 2. Explan. Moral. Sect. 2.

Pro

*Index ad Conciones Aduentus, Quadrageſimæ, &c.*

*Pro Circumciſione Domini.*

Ieſu nomen perſecutiones deſpondêre eius cultoribus. Veſtigatione 3. Explanat. Moral. Sect. 8. Quàm non debeat eſſe vulgaris eorum perfectio, quibus ad imitationem Ieſu animarum eſſe ſaluatores conceſſum êſt. ibid. Sect. 9. In Ieſum eſſe transferendam omnem laudem, noſtrâ ſi quæ potuit eſſe, occultatâ gloriâ. ibid. Sect. 10.

*Pro Purificatione Beatæ Mariæ.*

Maria vt purificaretur templum conſcendit, ne filium magis in ſpecioſis, quàm humilibus imitata videretur. Veſtig. 7. Explan. Moral. Sect. 10.

*Pro ſancto Angelo Cuſtode.*

Angelici ſpiritus milites nuncupati ob fidam hominum cuſtodiam aduersùs Dæmones. Veſtig. 10. Explan. Moral. Sect. 4.

*Pro feſto Annuntiationis.*

Sponſa per carnis Aſſumptionem Verbum cognatum habêre optat, quo & Aduocatum, & Defenſorem certum habeat. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect. 10.

*Pro Reſurrectione Domini.*

Chriſtus dum reſurgit à mortuis, triumphator ſolus nobiliſſimus, ſolus beneficentiſſimus. Veſtig. 8. Explan. Moral. Sect. 1.

*Pro Aſcenſione Chriſti.*

Aſcenſionis Chriſti regia Majeſtas vſque in beatorum ſpirituum ſingularem ſtuporem. Veſtig. 19. Expl. Moral. Sect. 1.

*Pro feſto Pentecoſtes.*

Verbum, gloriam operum, quæ ipſi ſpecialiter tribuuntur, cum Spiritu ſancto partitur: item & cum Verbo Spiritus ſanctus. Veſtig. 16. Expl. Mor. Sect. 4.

*Pro feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.*

Anguſta eſt cognitio de Diuinitate, quam huius vitæ ſubminiſtrat lumen. Veſtig. 12. Expl. Moral. Sect. 4. Baptiſmo abſtergi omnes omnium antecedentium peccatorum maculas, & hominem reddi cælo paratiſſimum. Veſtig. 15. Explan. Mor. Sect. 5.

*Pro feſto Corporis Chriſti.*

Euchariſtiam dignè manducantes in Chriſtũ quodammodò transmutari. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 14. Euchariſtia ſeruitutis charactere abolito manumittit, & ingenuos facit. Veſtig. 2. Explan. Moral. Sect. 7. Euchariſtiam alimoniam eſſe, quæ immortalitatem conferat manducantibus. Veſtig. 3. Explan. Moral. Sect. 11. Quòd panis & vini ſub accidentibus Chriſtus in Euchariſtia latêre voluit, glorioſum id & perhonorificum. Veſtig. 7. Explan. Moral. Sect. 1. Dominicum corpus alimonia eſt vitæ & ſalutis dignè ſumentibus, indignè recipientibus eſca iudicij & mortis. Veſtigat. 13. Explan. Mor. Sect. 6. Euchariſtiæ Sacramentum aduersùs tentationum genera omnia, munimen fortiſſimum, ſuauiſſimúmque. Veſtig. 19. Explan. Mor. Sect. 3. Ferueutiſſima Chriſti Dilectio ob inſtitutionem Euchariſtiæ ex verbis Ioan. 6. *In me manet, & ego in illo.* Veſtigat. 24. Explanat. Mor. Sect. 5.

*Pro Beato Ludouico Gonzaga.*

Beatus Aloyſius Gonzaga inter orandum nõ diſtrahitur. Quanta hoc gratia? Veſtig. 21. Expl. Mor. Sect. 4.

*Pro Sancto Ioanne Baptiſta.*

Ioannes Baptiſta gratiæ vocabulo meritò inſignitus; infans ſupergreſſus adultam Heroum gloriam, qualem in cælo gloriam promeritus? Veſtig. 2. Explan. Moral. Sect. 3.

*Pro Viſitatione Deiparæ ad Elizabetham.*

It velox Elizabetham viſitare Deipara, vt Ioannes ſanctificetur. Veſtig. 18. Explan. Moral. Sect. 5.

*Pro Sancto Parente Ignatio.*

Beati Parentis Ignatij quàm ſingularis prærogatiua, quòd Pater æternus ſe illi manifeſtauerit dum Romam pergeret ad condendam Societatem. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 5.

*Pro Aſſumptione Beatæ Virginis.*

Deipara Virgo, vt fida laborum Chriſti in terris ſocia, ita in Aſſumptione gloriæ conſors. Veſtig. 4. Expl. Mor. Sect. 1.

*Pro Natiuitate B. Virginis.*

Mariæ ex Natiuitate hominibus perfectio, & ſolatium, Deo gloria, & laus prorsùs mirabilis. Veſtig. 23. Explan. Moral. Sect. 1. Maria edita diuinæ munificentiæ organum eximium, mite quaſſatorum leuamen, tota blandiens & ſuauis. Veſtig. 3. Explan. Moral. Sect. 1.

*Pro Sancta Thereſia à Ieſu.*

Supra femineam conditionem admirabilis omninò Vigor, & maſcula planè Virtus ſanctæ Thereſiæ à Ieſu conſiderata. Veſtig. 21. Explan. Mor. Sect. 6.

*Pro Præſentatione Virginis in Templo.*

Antelucanæ feſtinationis in templum Mariæ adhuc trimulæ, conſideratio. Veſtigat. 15. Explanat. Moral. Sectione 1.

*Pro Martyribus in communi.*

Chriſtus abſque ſolatio paſſus, lætitiam ad Martyrum agonas transfudit. Veſtigat. 15. Explanat. Moral. Sect. 2.

*Pro Doctoribus in communi.*

Doctores ſancti de honoratiſſimis, & pulcherrimis Eccleſiæ membris. Veſtig. 11. Explan. Moral. Sect. 4.

*Pro Virginibus in communi.*

Virginitas cultores ſuos quaſi immortalitati oppignorat. Veſtig. 17. Explan. Moral. Sect. 2. Ad caſtitatis illibatam gloriam optimus cuſtos humilitas. Veſtig. 18. Explan. Moral. Sect. 2.

---

## Puncta Exhortationum ſacrarum, quibus Magiſtri ſpiritales vti poſſint.

*Pro Obedientia, & voluntatis, iudiciíque proprij abnegatione.*

Obedientiæ vinculis adſtrictum propriâ duci voluntate quàm ſit lubricum. Veſtig. 1. Explan. Mor. Sect. 7. Proprio non regi iudicio ſolùm, ſed alienis vti conſiliis, etiam in ſapientiſſimis prudentia eſt. Veſtig. 8. Explan. Moral. Sect. 2.

*Pro reddenda conſcientiæ ratione.*

Conſcientiæ latebras candidè manifeſtare ſubditus debet, quoties eius ratio à Prælato exigitur. Veſtig. 1. Explan. Moral. Sect. 8.

*Pro tyrocinij ſpiritalis iaciendo validè fundamento.*

Tyrocinij vitæ ſpiritalis validè iacienda fundamenta ad futuræ molis conſtantiam. Veſtig. 2. Explan. Moral. Sect. 6.

*Pro contemnendis Mundi irriſionibus à Tyrone.*

Animæ perfectionem concupiſcenti ſub exordio præſertim conuerſionis, hominum irriſiones, & varia pronunciata deſpicienda. Veſtig. 1. Expl. Mor. Sect. 13.

*De ſequendis meliorum exemplis.*

Perfectæ vitæ ſtudioſis meliorum exempla ſemper conſideranda, ne tepeſcant. Veſtig. 2. Expl. Mor. Sect. 5.

*De ſanctis colloquiis.*

Quod quiſque enixè diligit, de eo ſiue opportunè, ſiue importunè ſermocinatur. Veſtig. 2. Explanat. Moral. Sect. 4.

*De ſeruanda diſtributione.*

Spiritalium exercitiorum ſignatas periodos non eſſe abbreuiandas ob negotioſa, non eſſe perturbandum ordinem. Veſtig. 4. Explan. Mor. Sect. 2.

*De lectione ſacra, & ſpecialiter diuinorum Codicum.*

Scripturarum ſtudium ſolatio eſſe rebus triſtibus & deploratis. Veſtig. 5. Explan. Moral. Sect. 1. Ineffabilis voluptas ingeniis ritè diſpoſitis ex ſacrorum Bibliorum lectione. Veſtig. 20. Explan. Mor. Sect. 1.

*De Pace domeſtica, & Vnione fraterna.*

In Republica & congregatione modò Pax vigeat domeſtica, vix nocêre poterunt externæ pugnæ. Veſtig. 7. Explan. Mor. Sect. 3. Vnio, & fraternitas Chriſtianæ pietatis validiſſimum teſtimonium. Veſtig. 14. Explan. Moral. Sect. 4.

*Officiorum abiectorum amor.*

Dei causâ vilem fieri, & conculcari, non pudor eſt, ſed ornamentum præcipuum. Veſtig. 7. Explanat. Moral. Sect. 7.

*Dimitti aut expelli ex Religioſa Congregatione.*

Vel fugere ex Dei caſtris, vel expelli inhoneſtè & periculoſum, & infelix. Veſtigat. 9. Explan. Moral. Sect. 2. Superbiæ vehemens pœna, domo expelli Dei. ibid. Sectione 3.

*Præſentia Dei.*

Viri ſpiritales Dei præſentiam per diuinorum memoriam, quanto cum emolumento procurant. Veſtig. 14. Explan. Moral. Sect. 5.

*Externa ædificatio & modeſtia.*

Non ſolùm internæ iuſtitiæ habendam rationem, ſed etiam procurandum, ne externæ aliquid diſcedat famæ. Veſtig. 15. Explan. Moral. Sect. 3.

*Tentationes præueniendæ.*

Tentationis diſcrimen opportunè præueniẽdum, nec expectanda vltima periculi occaſio. Veſtig. 16. Explan. Moral. Sect. 2. Malarum ſeu cogitationum, ſeu operum exordiis fortiter repugnandum. Veſtig. 24. Explan. Moral. Sect. 3.

*Exercitiorum ſpiritualium ſeceſſus.*

Animarum culturæ vacantibus, expedit ſanctæ quãdoque licet actioni ſe ſubtrahere, & ſpiritalibus vacare exercitiis. Veſtig. 18. Explan. Moral. Sect. 1. Seceſſus neceſſarius animæ, quæ à Deo illuminari cupit. Veſtig. 11. Explan. Moral. Sect. 1.

*Renouatio Votorum.*

Renouatio Votorum Religioſis medium pervtile ad vitæ ſpiritalis incrementa. Veſtig. 18. Explan. Moral. Sect. 4. Iterandos eſſe crebrò Virtutis actus; non ſufficere ad perfectionem ſemel, bísve conari ſolùm. Veſtigat. 1. Explan. Mor. Sect. 10.

*Conſcientiæ examen.*

Conſcientiæ examen felicitatis æternæ Beatorum velut pignus quoddam. Veſtigat. 19. Explan. Moral. Sectione 2.

*Pro velo Sanctimonialis, ſeu Religionis ingreſſu.*

Virgines ſacris odæis ob Chriſti honorem, quaſi in vita conſepultæ, mortem ſecuræ & hilares præſtolentur. Veſtig. 22. Explanat. Moral. Sect. 5.

---

# REGVLÆ SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ HOC VOLVMINE OBITER ANNOTANTVR.

1. IMPERATIVVM pro Optatiuo poſitum. Veſtigatione 1. num. 11.
2. Scriptura ſacra nominibus interdum vtitur ex Poëtarum fabulis depromptis. Veſtig. 1. num. 14.
3. Scriptura numerum pluralem pro ſingulari ſubſtituit interdum honoris gratiâ. Veſtig. 1. num. 19.
4. Scriptura nonnunquam Perſonarum nomina occultat, & quas ob cauſas? Veſtig. 1. num. 43.
5. Nomen alicuius circumlocutione declaratum. Veſtig. 1. n. 48.
6. Imperatiuum vice futuri indicatiui modi. Veſtig. 1. num. 49.
7. Relatiuum, aut quaſi relatiuum ſine Antecedenti quamobrem? ibid. n. 50.
8. Tertiæ perſonæ vſus pro ſecunda ob honorem. Veſtig. ead. & num. eod.
9. Tranſitus frequenter ab vna perſona ad aliam. ibid.
10. Pleonaſmus, & redundantia alicuius vocabuli. ibid.
11. Vbera pro amoribus. Veſtigat. 2. num. 14. Fœminina nomina pro maſculinis ad rei præſtantiam ſignificandam. Veſt. 2. n. 19.
12. Beatæ Virgini accommodantur, quæ de Chriſto ad literam ſunt. ibid. n. 56.

12. Hebræi à ſingularibus euentibus nomina induunt. Veſtig. 3. num. 3. Aliàs ab eminentiori dote. ibid. n. 5.
13. Abſtracta pro concretis locata. ibidem.
14. Pax pro omni bono, & felici. Veſtigat. 3. num. 14.
15. Vnctus pro Rege ex Biblica phraſi. ibid. num. 16.
16. Nomina ab animi vel corporis raris, & præſtantibus dotibus. Veſtig. 3. n. 18.
17. Nomen rebus adaptatum poſt amiſſum nominis fundamentum. ibid. n. 23.
18. Nomen pro re ſignificata poſitum; eadem Veſtig. 3. n. 42.
19. Inane & vacuum dicitur, quod celatur & tegitur. ibid n. 50.
20. Synecdoches figuræ vſus in Scripturis. ibid. n. 61.
21. Septuaginta ſeniorum tranſlatio Paraphraſis ſæpè habens quaſi rationem. Veſtig. 4. num. 12.
22. Coniunctio *Et*, ad exceſſum denotandum poſita interdum. Veſtig. 5. n. 41.
23. Citò peragenda velut iam facta reputata. Veſtig. 6. num. 19.
24. Ædificare, hoc eſt, filios gignere. ibid. num. 20.
25. Nigri & Æthiopes pro peccatoribus. ead. Veſtig. num. 21.
26. Gentiles & Ethnici Græcorum vocabulo intellecti. ibid. n. 25.
27. Peccatorum abſolutâ nuncupatione peccatores ab Hebræis ſignificati. ibid.
28. Oculorum auerſio iracundiæ nota, conuerſio autem beneuolentiæ. Veſtig. 7. n. 4.
29. Philiſtini ſpecialiter pro alienigenis. ibid. num. 14.
30. Dilectionis & affectus voce ſignificata vxor, & Parentes. Veſtig. 8. n. 18.
31. Verbum præteriti temporis ſignificans etiam pro futuris. ibid.
32. Idololatria meretricis appellatione ſignificata. eadem Veſtig. n. 31.
33. Ornatus causâ adiuncta vox. Veſtigat. 9. num. 2.
34. Hebræorum mos, vt à vicinioribus, notioribúſque rebus, externas & incompertas denominent. Veſtig. 10. n. 10.
35. Interpres propria nomina, appellatiua faciens quandoque. ibid. n. 11.
36. Dei vocabulum ad res magnificas indicandas adiunctum. Veſtig. 11. n. 20.
37. Fratrum dictione cognati omnes intellecti. Veſtig. 14. n. 13.
38. Interpres ſuppreſsâ interpretatione nomina originalia aliquando exhibet. Veſtig. 15. num. 9.
39. Interpres antiqua ſignificata recentioribus vocabulis declarat interdum, rerum, quarum non apud Hebræos, vſus. ibidem. num. 11.
40. Boni vocabulum non mentis ſemper ornatum, ſed nonnunquam corporeæ figuræ denotat elegantiam. Veſtig. 16. n. 19.
41. Noſtra dicimus, quę dono & liberalitate aliena accepimus. Veſtig. 17. n. 13.
42. Potentię vocabulo, quid ſplendidum & excellens eſt in quaque re, denotatum. Veſtig. 21 num. 18.
43 Militiæ nomine cœli ornatus intellectus. ibid. num. 19.
44. Vox *donec*, interdum limitatę ſignificationis, interdum indefinitæ. Veſtigat. 24. num. 9.



# COLLECTIO OBSERVATIONVM EX VARIIS DISCIPLINIS, QVÆ HOC OPERE colluſtrantur, in quinque Claſſes diſtributa.

*In quibus ad Theologicam facultatem ſpectantia breuiter, & amœnè tractantur; quæ verò humanioris literaturæ ſunt, Bibliorum locis paſſim intermiſcentur.*

## OBSERVATIONES THEOLOGICÆ.

OSCVLA quando liceant, declaratum. Veſtig. 1. num. 41. Eccleſia quotuplex. ibid. 53. An vna ab exordio mundi? eod. n. Fides diſcipulorũ in triduo mortis Chriſti. ead. Veſtig. 1. num. 60.

Inter Paganos ante Euangelium veri Dei cultores. ibid. n. 53. Quomodo Deum cognouerunt? Veſtig. 9. n. 26. & Veſt. 22. n. 14. & 15.

Meriti ratio an Arithmetica, an Geometrica proportione conſideranda? dictâ Veſtig. 1. n. 68. Dignitas perſonæ vt conferat ad meritum? ibid. n. 70.

Ordo intentionis & executionis quemadmodum cogitandus. Veſtig. 1. n. 73.

Principium meriti an cadere poſſit ſub meritum? ibid.

Beata Virgo, quo meriti genere Incarnationis accelerationem meruerit? Veſtig. 1. n. 66.

Ex Canticorum cap. 4. v. 7. *Tota pulchra es*, &c. probatum Deiparam ſine originali labe conceptam. Veſtig. 6. n. 15.

Num ab originalis culpæ debito proximo libera Dei Mater, & in Adamo non peccauerit? Veſtig. 10. n. 29.

Voluntas, & intellectus B. Virginis, quibus ſupernaturalibus donis locupletatæ? Veſtig. 11. n. 11. Magiſtra Apoſtolorum. ibid. n. 13.

Chriſtus, an mortalium formâ corporis pulcherrimus? Veſtig. . . . n. 54.

Sanguineus Chriſti ſudor vnde, & cuius conditionis? Veſtig. 2. n. 31.

Optio vitæ paſſibilis, vel impaſſibilis Chriſto à genitore facta, quando & quo pacto? Veſtigat. 3. n. 44. & ſeqq.

Chriſtus, an habuerit temporale ius & dominium regnorum orbis per ſe, & directè? eadem Veſtig. n. 54.

Chriſtus cur aromatibus conditus poſt mortem? Veſtig. 17. n. 16.

Circumciſio gratiæ quamobrem non eſſet cauſa? Veſtig. 3. n. 39.

Trahi à diuina Gratia quid ex vera ſignificatione, & quod genus auxiliorum denotet? Veſtigat. 4. num. 17.

Deus quomodo auxilia ſufficiẽtia ad ſalutem præbet quibuſcunque hominibus, nec per eum ſtat, quo minùs ſaluentur. Veſtig. 22. num. 13. & ſeqq.

Apoſtoli Sanctis priſci & noui fœderis clariores. Veſtig. 6. n. 22. & Veſtig. 16. n. 16.

Idololatriæ num dari valeat ignorantia inuincibilis? Veſtig. 7. n. 16.

Num ex ſimulatione thura obtuliſſe idolis aliquo euentu licitum? ibid. num. 18. Num ex ignorantia inuincibili id iuſtum cenſeri potuerit? ibid. n. 19.

An fana Deorum adire, & ritibus intereſſe nefarium? ead. Veſtig. 7. n. 20.

Angelorum, quæ notitia inter Paganos? ibid. num. 35.

Reliquiæ, earumque veneratio. Veſtig. 7. n. 29. & ſeqq.

Idololatriæ origo quando, & à quibuſnã? ibid. num. 38.

Idololatria an peccatorum maximum? n. 45.

Deus quemadmodum aut excæcat, aut indurat corda malorum? Veſtig. 7. n. 47.

Deus Eccleſiam, vel animam iuſtam derelinquere quo pacto intelligatur. Veſt. 24. n. 27.

Euangelij quando reſeratur oſtium Gentilitati? Veſtig. 9. n. 10. An ab Aſcenſione Chriſti prædicare Gentilibus licuit Apoſtolis? Veſtig. 18. n. 15.

Vetus lex quando abrogata? quãdo noua obligare cœpit? Veſt. 10. n. 23. & Veſt. 19. n. 15.

Religioſorum ſtatus cum trium Votorũ nexibus peculiare ornamentum nouæ legis: & quæ Regularium norma antiquior? Veſt. 12. n. 21. & ſeqq. & Veſt. 21. n. 22. & ſeqq.

Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutio quando? Veſtig. 14. n. 16. & 17. Confeſſionis auricularis vtilitas contra Nouatores. ibid. n. 19. Obiter de moribundo exhibente ſigna pœnitentiæ abſente Sacerdote. n. 23. Secretum ſigilli confeſſionis. num. 24.

Sacrificiũ Miſſæ, & de eo celebre vaticiniũ, ex Malach. c. 1. v. 11. Veſtig. 14. n. 25. & n. 30.

Confirmationis Sacramentum quando inſtitutum? de eius materia balſamum. Veſtig. 15. num. 29. & 30.
Eccleſiæ Catholicæ latiſſimi fines. Veſtigat. 2. n. 39. Eius perpetuitas deficiente qualibet hæreſi. ibid. n. 44. Firmitudo inter aduerſa. Veſtig. 17. n. 20.
Bibliorum cognitionem difficilem eſſe contra ſectarios demonſtratum. Veſt. 17. n. 22.
Conciliorum & Patrum quanti facienda authoritas? Veſtig. 9. n. 12.
Pontificis Romani humanus & politicus magiſtratus propugnatus aduerſus Caluinum, Veſtig. 15. n. 22.
Donum Confirmationis in gratia, quo pacto declarandum? Veſtig. 20. n. 22.
Amor beatificus cur potentias exteriores non fatigat? Veſtig. 20. num. 15.
Virginitatis innumeri cultores in Eccleſia Catholica omni tẽpore. Veſt. 20. n. 27. & ſeqq.
Beata Virgo, an fuerit prima, quæ ſeu inter viros, ſeu inter feminas, caſtitatem perpetuo firmauit voto? ibid. n. 32. & ſeqq.
Vita ex cõtemplatione & prędicatione ſimul melior & perfectior ſolâ contemplatiuâ. Veſtig. 21. n. 27. & ſeqq.
Quâ agendum viâ cum hæreticis, vt ſuperentur? Veſtig. 24. n. 23. Hæreticorum ad Scripturas intelligendas infauſta ingenia. Veſt. 8. num. 34.
Amor diuinus extaticus, Veſtig. 20. n. 11. & 12. Languoris ſacri origo. ibid. n. 13.
Diſcretionis ſpirituum ſcientiâ præditos eſſe decet animarum Magiſtros. Veſt. 15. n. 32.
Prudentia in vita ſpiritali ad moderandos indiſcretos feruores ſummè neceſſaria. Veſt. 20. num. 24.
Epiſcoporum quanta debeat eſſe perfectio; & ad excelſiores promoueri infulas quando æquum? Veſtig. 11. n. 17.
Locus contra Caluinum de fide, & bonis operibus iungendis. Veſtig. 20. n. 25.

*Obſeruationes Bibliacæ, rituúmque Hebraicorum.*

Oſculum in auguratione Regũ Hebræorum, & in primogenitorum deſignatura, Veſtig. 1. num. 4.
Nomina ex Poëtarum fabulis quamobrem in Scriptura? ibid. n. 14.
Cantum exordiri in quaque muſica nobiliores ſoliti apud Hebræos. ead. Veſt. 1. n. 26.
Damnatis an Hebræorum ex vſu porrecta vina generoſa dum ſupplicio approximaret? Veſtig. 2. num. 22.
Saluatori in Cruce quale vinum propinatum: ibid. num. 25.
Hebræis plurimus & frequentiſſimus vnguentorum vſus. ead. Veſtig. 2. n. 9.
Fœtor ex viuentium Iudæorum corporibus, ibid. num. 11.
Chriſti & Eccleſiæ vocabulorum, item Salomonis etymon, & interpretatio. Veſtigat. 3. num. 11. & ſeqq.
*Halmah* vocis quæ directa ſignificatio? ibid. num. 23.
Hoſanna dictionis explicatio. ead. Veſtigat. 3. num. 33.
Conſuetudo Hebræorum, aliorúmque Orientalium ſeparatas ædium partes virorum, feminarúmque conſtruentium. ibid. n. 24.
Scenopegiæ feſtum quando celebratũ, & quo pacto? Veſtig. 3. n. 32. Illud imitati apud Paganos Bacchi cultores. Veſtig. 19. n. 4.
Nomen Tetragrammaton Iehouah quare inineffabile? an idem quòd Ieſus? & huius ſignificatio an à medendo? Veſtig. 3. num. 59. & ſeqq.
Adonai quid repræſentet? eadem Veſtigat. num. 61.
Explicatus verſus 14. Pſalm. 44. *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*, &c. Veſtig. 18. n. 6.
Exteriores tenebræ quænam in Euangeliis? Veſtig. 8. n. 13.
Chriſtum ſedere ad dexteram Patris ex Bibliaca loquutione, quid denotet? Veſtig. 19. num. 10. & ſeqq.
Ioannis ſententia, cap. 12. verſ. 24. *Niſi granum frumenti cadens in terram*, &c. elucidata. Veſt. 4. num. 14.
Examinatum ſeriò quid Nardus piſtica. Ioan. c. 12. v. 3. Veſtig. 13. n. 13. & ſeqq.
Pauli verba ad Philipp. c. 2. v. 6. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, &c. Veſtigat. 3. num. 51.
Pauli ad Hebræos locus, c. 1. v. 4. *Tantò melior Angelis, quantò præ illis differentius nomen hæreditauit*, &c. ead. Veſtig. n. 7.
Ex Actorum c. 13. v. 46. *Ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus*, &c. De reſerata Euangelij ianua Gentibus. Veſtig. 9. n. 12. & Veſtig. 18. n. 15.
Deſponſatæ virgines ſponſis vt cuſtodirentur, traditæ apud Iudæos. Veſt. 4. n. 5.
Hoſtia pacifica quid? & quando offerebatur? ibid. num. 7.
An in ſolo templo Ieroſolymitano Iudæi ſacrificarent? & Synagogarum quis vſus? eadem Veſtig. 4. n. 9.
Architriclinus quis apud Hebræos? & quod eius munus? Veſtig. 5. n. 4.
Domus animæ quid Hebræis? eadem Veſtig. num. 11.
Cedareni quinam? Vitæ exercitamenta. Veſt. 6. n. 1. Cedar vrbs. ibid. n. 7.
Madianitę qui, & vbinam? eadem Veſtigat. num. 2.

Æthiopia



Æthiopia duplex in Scriptura. Veſtigatione 6. num. 4.
Arca fœderis an velata pellibus? & quinam obtexuerunt? ibid. 8. & 9.
Macula quid ex Hebræa phraſi? Veſtigat. 6. num. 14.
Hebræi quonam in deſerto verſati, & quamdiu? Pſalm. 119. lux. ibid. n. 23.
Hebræi omnes ingenui ſub monarchia Salomonis. Veſtig. 7. n. 7.
Num in lege naturæ, aut ſcripta de immobili ſubſtantia portio filiabus conceſſa ſuperuiuentibus fratribus? eadem Veſtigat. 7. num. 10.
Alienigena Bibliorum phraſi quiſnam? ibid. num. 14.
Deum Hebræorum ſimul cum idolis aliqui Gentiles coluerunt. Veſtig. 7. n. 27.
Duo ſchiſmatica templa ſub Iudaiſmo. ibid. num. eod.
An ſanctorum virorum memoriis delati honores ſub lege naturæ? & quantum ſynagoga coluerit? Veſtig. 7. n. 29. & ſeqq.
Idololatria num antè diluuium. ibid. num. 38. & 45.
Iudæi an ſederent, an accumberent in epulis? an Agnum Paſchalem comederent ſtantes? Veſtig. 8. n. 2.
Meretricis vox an de turpi quæſtu ex Hebræo? ibid. n. 20. An apud Hebræos meritoriæ permiſſæ feminæ? ibid. n. 26.
An Salomonis æuo apud Hebręos Circi ludus, & ſpectacula? Veſtig. 10. n. 4.
Quæſitum diligenter ex Regum 3. c. 10. v. 28. de Coa: & quid inde Salomoni aſportatum? ead. Veſtig. n. 11.
Equorum Iudæis an interdictus vſus? Veſtigat. 10. num. 17.
Num Salomoni graue piaculum quadrigarum multitudo? ibid. n. 19.
Hebræi circumire altaria ſoliti, cùm victimas offerrent? Veſtig. 13. n. 7.
Libanus mons odoratus. Veſtig. 13. n. 17.
Domus ſaltus Libani vnde nuncupata? Veſt. 17. n. 3. Libani montis duplex nomen. Veſt. 24. num. 10. & 11.
Iudæa palmetis diues. Veſtig. 15. n. 2.
Engaddi ſub Ierichuntino tractu. ibidem, num. 5.
Arbor ſcientiæ boni & mali, de qua Geneſis c. 2. v. 9. Cuiuſnam ſpeciei fuerit. Veſtig. 15. num. 19. & ſeqq.
Ædificiorum ſummitates in Palęſtina quales? Veſtig. 17. n. 5.
Thyina ligna, de quibus Reg. 3. c. 10. v. 12. quænam? ibid. n. 12.
An corpora defunctorum ab Hebræis combuſta? ibid. n. 17.
Pallio cooperiri nouam nuptam quid ex Hebræorum rituali? Veſtigat. 19. n. 7.
Num in Palæſtina regnante Salomone Mala medica, ſiue aurea? Veſtig. 20. n. 18.
Siniſtram an potiorem dextrâ eſſe probent loca Scripturarum, vel econtrà? Veſtig. 21. num. 6. & ſeqq.
Nazaræi comam quare deponerent? ibid. n. 4. Nazaræatus in priſca lege votum quamobrem magnum nuncupatum? Veſt. 20. n. 44.
Hebræorum ritus per Ethnicos ſuperſtitionibus infecti. Veſtig. 21. n. 3. & 4.
Num Salomonis ætate in Palæſtina lapis *Bezar*? ibid. num. 15.
Num ex Apocal. c. 17. inferatur, Romam ſub finem mundi ad Ethnicas reuerſuram ſuperſtitiones? Veſt. 24. n. 24.

*Obſeruationes rituum, rerúmque Eccleſiaſticarum.*

Cærimoniæ antiquę in nuptiis Chriſtianorũ, velamen, Euchariſtia, oſculum, dextera data. Veſtigat. 1. n. 4.
Oſculum ſanctũ Chriſtianorũ quale? quoties, in quibus rebus obſeruatum? ibid. n. 38.
Conuiuia in honorem Martyrum. Veſtig. 1. n. 40. & Veſtig. 5. n. 15.
Vnguenta ad lampadas Martyrum, & in funeribus Sanctorum. Veſt. 2. n. 4. & 5.
Primi Chriſtiani Therapeutæ quamobrem nuncupati? ibid. n. 62.
Feſti Chriſtianorum dies in Sanctorum memoriam: concurſus populorum, flores, vota, faces, vnguenta. Veſtig. 5. n. 15.
Reſurrectionis Chriſti antiquiſſima celebritas quàm læta fidelibus? ibid. n. 17.
Candida baptizandorũ veſtis. ead. Veſt. 5. n. 18
Præter diurnam ſolemnitatem, noctu etiam celebratæ feſtiuitates Chriſti & Martyrum à veteribus Chriſtianis. Veſt. 8. n 13.
Chriſtianorum ieiunia olim qualis formæ? ibid. num. 17.
Hierarchię Eccleſiaſticę venuſtas propugnata contra ſectarios. Veſtig. 12. n. 16. & ſeqq.
Lampadarum, & cereorum vſus in ſacris Catholicorum. Veſtig. 13. n. 23.
Templorum magnificę fabricę, ornatus d[illegible]naria vindicata à maledicentia H[illegible]ticorum. ibid. n. 24. & ſeqq.
Pixis, in qua ſeruabatur [illegible]chariſtia pretij ingentis. ibid. n. 27.
Primi Chriſti[illegible] cur fratres nuncupati? Veſt. 14. [illegible] 14.
M[illegible]æ ſacrificij, & partium eius antiquitas. ibid. num. 25. & 26.
Crucis adoratio in die Paraſceues. Veſtig. 14. num. 23.
Templa martyria dicta. ibid. n. 33.
Anniuerſaria Chriſti funeris pompa, per

 hebdo

hebdomadam ſanctam. Veſtig.14.n.32.& 33.

Oleo inuncti qui Baptiſmum ſuſciperent, quã-obrem? Veſtig. 15.num.29.

Euchariſtiâ communiti euntes ad martyrium. ibid.num.31.

Apoſtoli quonam anno in Prouincias diſperſi ad euangelizandum? Veſtig.18.n.16.

Num Apoſtolorum ætate promulgata lex gratiæ vbique? ibid.n.18,

America an veteribus nota, & illuc Apoſtoli introierint? ibid.num.19.

Sanctus Iacobus Zebedæus an Hibernos docuerit? Veſtig.18.n.21,

Ioannes Ieroſolymitanus quibus erroribus infectus? Et an Author Tractatus de Inſtitutione Monachorũ? Veſt.20.n.39.& ſeqq.

Dexter, an ſiniſter locus potior in Conciliis, & imaginibus. Veſtig.21.n.9.

Prima aduerſùs Chriſtianos perſecutio quæ, & qualis fuerit? Veſtig.21.n.29.& Veſtig.22. num.10.& 11.

Pauli Apoſtoli conuerſio. Veſtig.21.n.12.

Diſperſi fideles ex perſecutione in Stephani nece, quas adierint Prouincias, & num Ethnicis prædicarint? Veſtig.23.n.18.& 19.

Petri in Antiochena vrbe locatam cathedrã, inde Romam tranſlatam, vbi perpetuò defixa eſt, contrà Nouatores demonſtratum. Veſtig.23.num.23.

Eccleſiaſticæ Hymnodiæ initium. Veſtig. 24. num.13. Eſſeni num Chriſtiani eſſent. ibid. num.15.& ſeqq.

Chriſtiani ad Orientem conuerſi orabant. Veſtig.24.n.18.

Simon Magus primus hæreſiarcha libidinoſus & bonorum operum oſor. ibid.n.20.

Concilium Ieroſolymitanum ſuper exorta lite de legalium obſeruantia, quando celebratum? ibid.num.26.


*Obſeruationes Phyſicæ, & naturalis Hiſtoriæ.*


AMantium ſenſus, quàm acuti? Veſtigat.1. num.43.

Nutricum mores ebibunt infantes. Veſtig.2. num.15.& 47.

M[illegible]ri & ægritudini Bacchus quomodo remed[illegible] ead. Veſtig. num.21.

Myrrhæ an [illegible] potus amarus. Veſt.2.n.24. Myrrhæ nomen [illegible] lapide; & an porcellanæ antiqua vaſa murr[illegible]? Veſtig.14.n.1. An de Myrrhe foliis corona[illegible] ibid. num.5. Eius ſuauiſſimus odor. ibid.n.7. Sta[illegible] quid? ibid.num.4. Inſignis medicinalis. num. 10. An Myrrhæ ſpecies Benjuinum? ibid n.11.

Amor carnalis ægritudinem cauſans, & quanta vis caſti affectus? Veſtig.2.n.26.

Animæ paſſiones quemadmodum in carnem dominentur? ibid.num.28.

Similitudo amoris incentiuum. ibid.n.52.

Deliquium vnde proueniat? Veſtig.2.n.29.& Veſtig.19.n.10.

Vnguentorum præcipua laus odor. Veſt.5.n.11.

Philoſophorum Gentilium falſa virtus. Veſtigat.7.num.18.& 26.

Quæ cauſa nigri in hominibus coloris? ibid. num.6.

Vitibus quæ apta ſedes? Priſcorum ſtudium in earum cultura. Veſtig.7.n.1.& 2. Quod tẽpus putandarum vitium? Veſt.23.n.8.& 10. Odor floreſcentis vitis ſuauis. ibid.num.9. Æſtimatio apud veteres.n.14.

Quâ horâ ducẽdæ in paſtum oues? Veſt 8.n.7. Pecorum magiſtri olim in honore. ibid.n.8. Paſtor an præire ouibus, an ſequi eas debeat? Veſtig.9.n.5. Feminæ cur ſequantur gregem? ibid. n.7.

Equi generoſi notæ. Veſtig.10.n.9. Equarum in pullos amor. ibid.n.15.

Turtur auis pudica; cuius coloris? Veſt.11.n.2. Regiones mutat. ibid.n.4. Hyeme latet, & quando prodit. Veſtig.23.n.12.

Margaritarum candor & pretium. Veſt.11.n.3. Piſcatio ſingularis. ibid.n.9.

Electri quot ſpecies? An minerale idem quòd aurichalcum? Vtriuſque conditio & honos. Veſtig.12.n.10.& ſeqq.

Nardus conuiuiorum voluptas; eius ab odore pretium: lauendula pſeudonardus. Veſt.13. num.1.& ſeqq. Nardi dotes. ibid. num.12. Quænam proferant regiones? ibid.n.16.

Cypri arbor qualis naturæ & formæ? Veſtig. 15.num.4.& 5.

Balſami planta viti ſimilis; odor ſuauiſſimus. Veſtig.15.n.6 & 7. Nuptialibus deliciis expetitum. eod. n.7. An in ſola Iudæa? ibid. n.30. Eius ſurculus odoratus. Veſtig.23.n.8.

Cypri inſulæ vbertas. Veſtig.15.n.10.

Ficus Indicę alio nomine Pomi paradiſi indagatio. Veſtig.15. n.17. Ficus communis an flores emittat? Veſtig.23.n.14.& ſeqq. Medicina ne groſſi cadant; eius honos olim. ib.

Columba Veneri ſacra, Amoris ſymbolũ; pulchræ vbinam? Veſtig.16. n.4.& 5. Epiſtolas deferunt. ibid.n.8. Earum fœcunditas. n.14.

Oculi animorum indices. Veſtig.16.n.6.

Cedri & Cupreſſi laus, odor, & incorruptio. Veſtig.17. num.9.

Sindon quid? Veſtig.18.n.4.

Byſſus quid? ibid.n.9.

Lilium quarum rerum ſymbolum? ibid.n 13.

Mala Heſperidum, & Cydonia amoribus dicata, honeſtíſne, an ſpurcis? Veſtig. 19. n.2. & Veſtig.20.n.16.

Cerui & capreæ imbecillioris ſexus venatio. Veſtig. 21. n. 13. In deliciis virginibus, quæ ſummo ſtudio alebant. ibid.num.14. Eorum velocitas. Veſtig.22.num.5.


Lapis




Lapis *Bezar* vbi reperitur? in quibus animantibus? Veſtig.21.num.15.

Ex diurnis cogitationibus nocturnæ ſomniorum imagines. Veſtig 22.n.1.

Verno ſub tempore imbrium & ventorum an metus aliquis? Veſtig.23.n.3.

Amygdala veris nuntia. ibid.n.5.

Aprilis cur ita nuncupatus? ibid.n.7.

Vulpeculę hoſtes vinearum: olidum & fœtens animal. Veſtig.24.n.7.

Venti per æſtatem in meridiem conſopiuntur. ibid.num.9.


*Obſeruationes rituum profanorum, quæ paſſim ad Scripturæ modos elucidandos referuntur.*


OSculа data per abſentes, & in amicorum regreſſu. Veſtig. 1.n.2.& 6. Oſculum oris, manuum, pedum. ibid.n.8. Oſculorum libatione quemadmodum amantes tanquam vnum fiant? ibid. n.14. Morientibus data oſcula quamobrem. Veſtig.1.n.17.& Veſtig. 21. n.2. Vbi, quomodo lumina morientium amicorum chariſſimi claudere ſoliti. Oſculũm ſubmiſſionis nota. Veſtig.1.n.21. Salutationis loco apud veteres, amicitię pignus. ibid.num.36.& 37.

Cantores olim ex genere mancipiorum. Veſtig.1.n.27. Nablium quale muſicum inſtrumentum? ibid.n.30. Cantilenis victores celebrati à feminea turba. Veſtig.4.n.11. Muſica triſtitiæ, & curarum leuamen. Veſtigat. 24.num.4.

Amor incognitus & multiformis. Veſt.1.n.44. Amoris tota cogitatio dilectus, quæſtum ſpernit, cum imperio poſtulat. ibid.n.45.& ſeqq. Amicis nihil ſecretum: amicitia æquales reddit. Veſtig.10 n.21. Amoris exercitus robuſtiſſimus. Veſtig.20.n.6. Amantes pomis & floribus delectantur, & quas ob cauſas? ibid.n.16.

Rex vini & compotationis. Veſtig.5.n.2. Triclinij præfectus, & eius munera, in conuiuiis locus. ibid.n.5.& ſeqq. Veteres an ſederent in epulis, an accumberent? Veſt.8.n.2. Stragularum triclinarium & lectorum pretia. ibid.n.3. Lotiones quotæ ſub conuiuio? ibid.n.4. Vxor, filij, ſerui, quemadmodum diſcumberent? ibid.n.5. Domini in conuiuio ſeruis miniſtrantes. Veſtig.1.n.51. Menſæ rotundæ interdum hemicyclæ. Veſtig. 13 n.5. In compotatione redeuntia in orbem pocula. ibid.n.6. Amicorum in reditu conuiuia, quæ aduentitiæ cœnæ dicta. ibid. num.9. In hortis epulæ. Veſtig.17. n.4 Citreæ menſæ in honore. ibid.n.11. Connubialis ritus; vt prægustatam phialam vxor nouo marito porrigeret. Veſtig.20.n.2. Philoeſius crater qualiſnam. ibid.num.3. Vina aromatibus condita. Veſtig.2.n.18. Feminæ an vinum probarent? ibid.n.20.

Vnguentorum honeſtus, & medicus à principio vſus. Veſtig.2.num.1. Inunctio variarum corporis partium, & luxus. ibid.num.2.& 3.

Sponſæ vnguentis ſe poliunt ante nuptias. eadem Veſtig.2.num.12. Vnguenta & corollæ feminei officij opus. Veſtig.13.n.4.

Veſtis pulchritudo formæ auget decorem. Veſtig. 16. n.1. Muliebris labor veſtium pictura. Veſtig.15.n.16. Alba veſtis lætitiæ indicium. Veſtig.18.n.2. Nobilitatem à plebe diſtinguit. ibid. n. 3. Epulantium candida veſtis, nubentium quoque. ibid.n.4.& 5.

Antenuptialia munera à Sponſo ad Sponſam miſſa, & ad eius affines & cognatos. Veſtig. 3.num.1.& 2. Munera ab amicis nuptiarum Sponſo, Sponſæque data. Veſtig.12.n.3.

Vxor in mariti gremio inter epulãdum. Veſt. 2.n.17. Gremio fouêre dilectionis ſingulare argumentum. Veſtig.21.n.1.

Sponſus nouæ nuptæ pędagogus. Veſt.2.n.17.

Veteribus ſeruorum plurimus numerus. Veſt. 3.num.4.

Nomen dominorum famulis indultum ingenuos reddebat. ibid.n.7.

Oleum pacis ſymbolum ibid.n.11.

Clementia Principum dos vnica. Veſt.3.n.19. Iuſtitia conſocianda clementiæ. Veſt.5.n.8.

Celeuma propriè quidnam? Veſtig 3.n.32.

Coronæ triumphantium de oliuæ foliis. Veſt. 3.n.30. Coronis triumphantium nomina, & victorię occaſio effigiata. ibid.n.35. A ſympoſij domino coronę hoſpitibus muneris loco miſſę. Veſtig 13.n.10.

Rapina quid? & miſſilium ſparſio in ludis publicis. Veſtig.3.n.52.

Viro abſente indecorum ſi vxor componatur. Veſtig.4.n.1. Foras prodire non decet. ibid. num.4.& Veſtig.18.n.9.

Congratulationes in ſecunda fortuna, lætíſq; euentibus. Veſtig.4.n.6.

Iugum impoſitum nubentibus: pallâ & vittis obumbrati. ibid.n.10.

Victimæ & ſacrificia pro bonis euentibus, ob ſuperata pericula. Veſtig.4.n.6.

Maritus Rex, vxor Regina, dominus quoque & domina dicti. Veſtig.5.n.1.

Annulus matrifamilias datus ad obſignanda vtenſilia. ibid.num.7.

Nuptialium hilariorum virgines pręcipua inſtrumenta. Veſtig.5.num.10.

Orientales an nigri? Veſtig.6.n.4.

Regibus veſtes de animantium exuuiis. Veſt. 6.n.10. In veſtibus priſcis multarum rerum figuræ ſubtextæ, florum, herbarum, &c. Veſtig.15.num.15. Cultus diligentia fœminei ſexus peculiare ſtudium. Veſtig.16.n.2.

Caſtrenſia tentoria ex pellibus. Veſt.6.n.11.


Genialis

Genialis thalami ornatus.ibid.num.13.
Pauperum fuſca veſtis.ibid.num.19.
Tabernacula viatoria ſummi pretij. Veſtig.6. num.12.
Tabernaculorum vſus in feſtorum lætitiis. Veſtig.19.n.4.
Num Gentiles vnum venerati numen ſub variis Deorum figmentis? Veſt.7.n.23.& ſeqq.
Gentilium omnia numina an vnus Sol? ibid. n.42. In lucis & nemoribus falſorum deorum ſuperſtitioſus cultus.ibid.n.44.
Romanorum Imperatorum falſæ apotheoſes. Veſtig.7.n.25. relati inter aſtra homines à paganis.ibid.n.33.
Quis Genius? & an bonorum Angelorum nótitia Ethnicis fuerit? Veſtig.7.n.35.númque eos coluerint? ibid.
Fratris & ſororis vocabula, an de marito & vxore,vel de amica? Veſtig.14.n.12.
Feſta veterum an interdiu ſolùm, an noctu etiam? Veſtig.8.n.12.
Prandia an in antiquorum vſu? ibid.n.16.
Meretrices, an vultum occultarent cùm incederent? & quibus diſtinguebantur notis ab honeſtis matronis? Veſt.8.n.21.& ſeqq.
Nobilitatis inſignia quadrigæ & equitatus? Veſtig.10.num.3.
De Circi origine, eiúſque ludis coniecturæ. ibid.num.4.
Rhedarum & equorũ magnifici ornatus apud veteres.Veſtig.10.n.8.
Currus primi,& ſecundi regibus quamobrem? ibid.num.16.
Amicæ nomen an caſta vox? Veſt.10.n.20.
Equus ſalutis emblema.ead.Veſtig.n.27.
Pudor Virginum dos inclyta; eius teſtis rubor vultus.Veſtig.11.n.1.& 2.
Luxus gemmarum quantus olim? ibid.n.6.
Ex donis nouæ nuptæ tradi ſolitis, monilia ex vnionibus.Veſtig.11.n.5.
In gemmis ſculptæ Deorum imagines, & virtutum emblemata.ibid.n.7.
Femineæ Zonæ ornatus & æſtimatio. Veſtig. 12.num.2.
Auri & argenti confederatio gratior in elaboratis, quàm vnius metalli tantum opus. ibid.num.5.
Vermiculatum opus quodnam? quantus veterum exceſſus illius in ſtudio, & quibus in rebus? Veſtig.12.num 7.& ſeqq.
Dotem virgini an pater, an futurus maritus tribuerit? Veſtig.15.n.12.
Flores in triclinio, & cubili? Veſtig.17.n.3.
Syluæ in domorum faſtigiis. ibid.n.6.
Veteres quamobrem cadauera defunctorum condirent,& quanta in funeribus ambitio? Veſtig.17.n.16.& 17.
Muliebris planctus ad buſta defunctorum. ibid.num.18.
Eunuchi mulierum olim cuſtodes: nomen quid ſignificet? Veſt.18.n.10.
Flores, frondéſque nuptialem pompam exhilarant.Veſt.19.n.6. Flores puellarum amor. Veſtig.21.n.18.
*Obumbrare* vox Matrimonij index. Veſtigat. 19.num.7.
Procorum bellicis contentionibus emptæ ſponſæ.Veſtig.20.n.7.
Ordo in militaribus firmitudo caſtrorum. ibid.num.5.
Latrunculorum ludus militarium idea certaminum.ibid.n.9.
Sepulturę priſcis hominibus ingens cura.Veſt. 21.num.4.
Gentilium in libris non pauca, quæ ad optimam Bibliorum interpretationem vſui eſſe queant.Veſtigat.21.n.4.& 5.& in Præfatione ad Lectorem.n.3.
Siniſtrą an potior dexterâ? Veſtig.21.num.6. & ſeqq.
Coma detonſa,Diiſque conſecrata,præſertim fluminibus.ibid.n.4.
Quarum nationum virgines venationibus aſſuetæ? ibid.num.11.
Quid fabuloſum in Amazonum hiſtoria? Veſtig.21.num.12.
Verſus intercalaris quiſnam? Veſtigat. 21. num.20.
Amor aut nimium credens, aut nimium deſiderans.Veſtig.22.n.4.
Cancellis ad pudicitiam & grauitatem præpeditæ feneſtræ.ibid.n.7.
Sertis & floribus amantium coronatæ valuæ. ibid.num.8.





# CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS,

## Quod Hebraicè dicitur SIR HASIRIM.

### *CAPVT PRIMVM.*

1 OSCVLETVR me
oſculo oris ſui:quia
meliora ſunt vbera
tua vino.
2 Fragrantia vnguentis optimis.
Oleum effuſum nomen tuum: ideo
adoleſcentulæ dilexerunt te.
3 Trahe me: poſt te curremus in
odorem vnguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te, memores
vberum tuorum ſuper vinum: rectè
diligunt te.
4 Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Ieruſalem,ſicut tabernacula Cedar,ſicut
pelles Salomonis.
5 Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol:
filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in
vineis: vineam meam non cuſtodiui.
6 Indica mihi, quem diligit anima
mea,vbi paſcas,vbi cubes in meridie,
ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.
7 Si ignoras te ô pulcherrima inter
mulieres,egredere, & abi poſt veſtigia
gregum,& paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.
8 Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea.
9 Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis: collum tuum ſicut monilia.
10 Murenulas aureas faciemus tibi,
vermiculatas argento.
11 Dum eſſet rex in accubitu ſuo,
nardus mea dedit odorem ſuum.
12 Faſciculus myrrhæ dilectus meus
mihi, inter vbera mea commorabitur.
13 Botrus cypri dilectus meus mihi,
in vineis Engaddi.
14 Ecce tu pulchra es amica mea,
ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.
15 Ecce tu pulcher es dilecte mi, &
decorus. Lectulus noſter floridus.
16 Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

### *CAPVT II.*

1 EGo flos campi, & lilium conuallium.
2 Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica
mea inter filias.
3 Sicut malus inter ligna ſiluarum,

ſic dilectus meus inter filios. Sub vm-
bra illius, quem deſideraueram, ſedi:
& fructus eius dulcis gutturi meo.
4 Introduxit me in cellam vinariam,
ordinauit in me charitatem.
5 Fulcite me floribus, ſtipate me ma-
lis: quia amore langueo.
6 Læua eius ſub capite meo, & dex-
tera illius amplexabitur me.
7 Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per
capreas ceruóſque camporum, ne ſu-
ſcitetis, neque euigilare faciatis dile-
ctam, quoaduſque ipſa velit.
8 Vox dilecti mei, ecce iſte ve-
nit ſaliens in montibus, tranſiliens
colles.
9 Similis eſt dilectus meus capreæ,
hinnulóque ceruorum: en ipſe ſtat
poſt parietem noſtrum, reſpiciens per
feneſtras, proſpiciens per cancellos.
10 En dilectus meus loquitur mihi:
Surge, propera amica mea, columba
mea, formoſa mea, & veni.
11 Iam enim hiems tranſiit, imber
abiit, & receſſit.
12 Flores apparuerunt in terra no-
ſtra, tempus putationis aduenit: vox
turturis audita eſt in terra noſtra.
13 Ficus protulit groſſos ſuos: vineæ
florentes dederunt odorem ſuum.
Surge, amica mea, ſpecioſa mea, &
veni.
14 Columba mea in foraminibus
petræ, in cauerna maceriæ, oſtende
mihi faciem tuam, ſonet vox tua in
auribus meis: vox enim tua dulcis, &
facies tua decora.
15 Capite nobis vulpes paruulas, quæ
demoliuntur vineas: nam vinea no-
ſtra floruit.
16 Dilectus meus mihi, & ego illi,
qui paſcitur inter lilia.
17 Donec aſpiret dies, & inclinen-
tur vmbræ. Reuertere: ſimilis eſto, di-
lecte mi, capreæ, hinnulóque ceruo-
rum ſuper montes Bether.

META



# METAPHRASIS
## *IN CAPVT I. & II.*
# CANTICI CANTICORVM SALOMONIS;
## *IN QVA*
Vtriuſque hiſtorici ſenſus, diuini humaníque, ordo & vinculum breuiter, & dilucidè proponitur.

---

## *CAPVT PRIMVM.*
### Sacri Dramatis Proœmium, & Ingreſſus.

### VOX SPONSÆ.
*Oſculetur me oſculo oris ſui*; verſ. 1.

NVPTIARVM ſponſione tacita pompa apud Libanum celebrata, Ieroſolymam nouus petit coniux, præparaturus magnifica in feſtam, & ſollennem connubiorum diem: diuerſatur interim cum parentibus virgo ſponſi viduata præſentia, & verebatur ne matrimonij pactis eius contradicturi eſſent cognati ob ſtemmatis & opum differentiam; ergo ſub oſculorum metaphoris quandoque vt feſtinus reuertatur implorat concupiſcens; quandoque connubialem accelerari diem exoptat, vltra cæteram fortunæ beneuolentiam & primaria etiam nominari vxor anhelat.

REPVDIATA *Synagoga deſpondet ſibi in morte nouam ex Gentibus Eccleſiam Dei altiſſimus filius* IESVS CHRISTVS: *abeſt triduano dierum interuallo inferos deſpolians anima beatiſſima inconiuncta corpori: plangit abſentiam noua coniux, eiúſque precatur Genitorem, properè vt reſtituat, nec matrimonij ſollennes differat tædas: ſuppléxque, & humilis exorat, quando vxorem nominare non dedignatus ſit, primariam & Dominam vt faciat.*

---

### VOX SPONSÆ.
*Quia meliora ſunt vbera tua vino*; ibidem. *fragrantia vnguentis optimis*; verſ. 2.

DVmque tota in deſiderio præſentiæ ſponſi moratur; recens amor efferueſcit, ſpiritúque, & viribus priuat: exanimem penè famulæ attollunt, vino & odoribus confortant: paululum melior facta, vt loqui potuit, ſignificauit debilia pediſſequarum remedia, modò incolumem videre cupiant, ſponſum reuocandum eſſe; eius quamprimùm in amplexus ruat, ab vnguentis, quibus ſinum confortat, ſimul ac perſenſe-

*QVorſum verò noui connubij tanto inardeſcat ſtudio, innuit; ſcilicet, quòd maritus* IESVS *dulciſſimus legem conditurus ſit molliorem in infinitum veteri illa priori: quippe apud Moyſem non niſi vinum, hoc eſt, auſteritas, nam oculus pro oculo, & dens pro dente eruebatur; in Euangelio gratia per* IESVM CHRISTVM; *propterea, quæ ſuauitatem afferunt vnguentia fragrantia & optima, repræſentantur ijſdem Catholicæ*



 *Eccleſiæ*

rit, ſanam conſurrecturam: pariter & indicat vberum ſponſi complexu connubialium ſe epulorum flagrare ambitu, in quibus ex more ſponſi in gremio noua reſidet nupta.

*Eccleſiæ duæ notæ ſingulares, diffuſio videlicet per mundi plagas omnes, & ſtabilitas perpetua.*

## VOX SPONSÆ.

*Oleum effuſum nomen tuum, ideò adoleſcentulæ dilexerunt te*; ibid.

NEque immemor ſponſæ ſub abſentia dilectus, ex Ieroſolymis frequentes ad eam curſores mittebat, iiſcum epiſtolas & munera plurima: tulêre aromatum & vnguentorum copiam inſignem, quibus & ſponſa & ancillæ eius inungerentur; tantam excellentium vnguentorum profuſionem magis quàm liberalitatem demirata virgo, à munificentia nomen imponit, *oleum effuſum* appellans; nec tamen ob hoc ipſam amare, ſed adoleſcentulas innuit, quia ſponſæ non in muneribus affectus: quanquam olei hieroglyphico *Salomonis*, hoc eſt, *pacifici* vocabulum depingatur, pariter & *vncti*, hoc eſt, regia fulgentis poteſtate nomen: quas ſibi communicari appellationes verecundè, tacitéque precatur ſponſa, vt *Reginæ* dicatur, & *Sulamitis*: quod vt faciat ſponſus, cum eo exemplo pediſſequæ ſperare debeant, vt & ipſæ quandoque obſcura ex ſorte in amplitudinem euadant, hanc illum ob rationem dilecturæ ſint. Sin verò Principem nouum maritum his concelebrare verbis incipere ſponſam concipiamus; exorditur ab ea, quæ Regum potiſſima eſt dos, nimirum clementia oleo adumbrata.

*NEque eo ſolùm titulo Synagoga potior iunior Eccleſia, quòd mitiora acceperit præcepta, ſed quòd abundantiſſimis donata eſt ſubſidÿs ob perennes Sacramentorum fontes, alióſque gratiæ creſcendæ eximios & ſpeciales modos, cùm ibi quod gratiam cauſaret nullum Sacramentum; ob hanc tam vberem benignitatem, adoleſcentulæ, hoc eſt, peccatrices ex Gentiliſmo animæ* IESVM *tantopere dilexerunt, vt ab eo conuellere tentantes minas ſpernerent ferocium Imperatorum, vitæ & ſubſtantiæ prodigi: & recordabatur cum mœrore fidelis ſponſa ſub tridui mortis Chriſti luctu, nomen* oleum, *vncti ſcilicet, Meſſiæ, Regis exinanitum probroſa necis forma, quippe humiliauit ſeipſum vſque ad mortem Crucis; ſed videns, quia ob hanc paſſionem animæ ſceleratæ, pro quarum expiatione occubuit, eum dilecturæ ſint, nam poſſidebit portas inimicorum ſuorum; compeſcit in ſolatio tantæ gloriæ Saluatoris lachrymas: ſufficit in lætitiam, quòd adoleſcentulæ ament.*

## VOX SPONSÆ.

*Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*; verſ. 3.

FLagrat penitus vehementi impetu præſentiæ ſponſi, nec ſilere valet; deſtinauerat ille quibus componeretur ſponſa, & famulæ, vnguentorum pretioſiſſima; ſuggerit, indecorum eſſe, vt viro abſente honeſta ornetur coniux; proinde ſi vt comatur velit, ex Libano ad ſe Ieroſolymam pergere mandet; hoc trahi cum ancillis in odorem vnguentorum eius: ſponſus etiam Ieroſolymitano offerebat in templo nuptiale ſacrificium, cui intereſſe ad maiorem pompæ laudem optabat ſimul cum famulabus.

*DEinde & ſub terras in tædÿ lenimen cogitatione deſcendens, memorata tripudium & iubilationem Patrum in limbo ad conſpectum animæ clarificatæ Redemptoris, & ad ineffabile lumen reſeratæ diuinitatis, quæ cum vnitur, auet illuc perduci, vt pariter tanquam gaudeat, quando eo abſente exhilarari illam non deceat; vel quoniam propter olei exinanitionem, id eſt, patibuli contumeliam, ſemen longæuum habiturus ſit* IESVS *in nationibus conuerſis; hortatur, vt non differat, ſed veniat & trahat ad ſe Gentes hæreditatem eius; ſequuturas quippe non Iudæorum more lentis greſſibus, ſed curſu & velocitate, vnguentorum effuſorum tractas odoribus.*

VOX



## VOX SPONSÆ.

*Introduxit me Rex in cellaria ſua; exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum; recti diligunt te*; ibid.

ABiit ex Ieroſolymis in Libanum ſponſo præcipiente œconomus familiæ, idémque Sympoſiarcha & conuiuiorum Rex cum vaſis & ciborum generibus, omníque apparatu neceſſario ad connubiorum gloriam; introduxit in apothecas, quibus iſtamet aſſeruabantur, ſponſam, vt tanquam materfamilias annulo obſignaret: gauiſa illa ſpondet & ipſam cum puellarum mandris pompæ ſubſidium allatura, quòd ſponſi quibus perfunderetur pectus, vnguenta compoſituræ ſint, quæ vino fragrantiſſimo meliùs ſpirent; ſed & ludos ſe quoſdam exhibituras pollicentur, dum aiunt, *exultabimus, & lætabimur in te*, &c. quem verò ſuperiùs ob clementiam laudauit, nunc & ob iuſtitiam commendat Principem, nam fœderari vtrumque neceſſarium, *æquitas dilexit te.* Fortaſsè congruentiùs, quòd poſtquam à conuiuiorum Rege intellexerit, diſplicuiſſe Ieroſolymorum non paucis coniugale vinculum ob diſparem ſponſæ nobilitatem cum tenui ſupellectili; cùm ob virtutem illa adamata ſit, bonis optimè viſum aſſerit, quod diuitiis & ſtemmati mores in vxore ſponſus antepoſuerit; quare ait, *recti diligunt te*; quod praui ſpernant, nihili faciendum.

*DVm ſic triſtatur, & languet Eccleſia antequam reſurgat Chriſtus, intromittitur à Spiritu ſancto in cellaria beatæ Scripturarum domus, in quibus anaſtaſim Seruatoris diuini prædixerunt Vates: ibi legit, & intelligit quemadmodum glorioſus ex tumulo triumphator proditurus eſſet, vt Gentes conuertendæ, vt dæmonum calcandus faſtus, vt ſuperatis procellis ipſa quæ legebat, exaltanda: recreata lætiſſimis vaticinationibus, promittit feſtos ſe inſtituram dies in memoriam ſponſi, fortiſſimorúmque ducum eius, & in his pia exhibituram ſpectacula; præcipua autem hilaritate celebraturam Reſurrectionis ter candidam lucem*, exaltabimus, & lætabimur in te, &c. *Et quoniam perfidi Iudæi ſponſum ſeductorem nominabant, & ideò cuſtodiri ſepulchrum iubebant; opponit maleuolorum conuitÿs, quòd recti omnes, & probi illum impensè diligant.*

## VOX SPONSÆ.

*Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*; verſ. 4.

PRæter falſos de marito rumores, quid etiam inuidia contra ſponſam auſa ſit obloqui, domus idem procurator refert: nam dolentes Ieroſolymitanæ virgines deſpectas ſe à ſponſo, & prælatam eam, quæ in Libani planitie, & iugis hœdos ad paſtum ſequebatur, vineis excubabat, ſubfuſcam redditam ruralibus exercitamentis concipiebant, cúmque nullæ aliæ cauſæ in promptu formæ, excepta venuſtate, ob quas adamaretur (nam neque poſſeſſiones, neque genus commendabant) vt temerarium fuiſſe ſponſi conſilium doceant, hanc extenuant, dicentes, fuliginoſo eſſe vultu non minus quàm atri illi Cedareni, qui vel alendis pecoribus, vel latrociniis aſſueſcunt: ſed ignorabant (aut niſi hoc quidem eò impudentior calumnia) velandæ faciei proſpexiſſe ſemper ſponſam cognatorum incitatam adhortamentis: quamobrem conuerſa illa ad famulas iocatur de falſa Sionidum opinione, Planè, inquit, deformis ego, atque

*DIcebant de Magiſtro Domino* IESV *inimici Hebræi ſeductorem eſſe, vocabant & diſcipulos eius peccatores; quæ e ſurgentis Eccleſiæ exigua illa prima initia deformia & offuſca reputabant: reſpondet Eccleſia mendacio & figmentis ſubnixam opinionem, ſanctum fuiſſe præceptorem, ſanctum congregaſſe cœtum, cui in decore nec Salomon cùm elegantiſſimus, par fuerit: ſin verò propterea* nigram *vocent, quòd exordia illa obſcura eſſent; iubet reminiſci Synagogam, qualis ipſa fuerit, quàm deſpecta olim, & pauper, cùm ſubiens de Ægypto in Chanaan per multos annos verſaretur inter Cedarenos in deſerto Pharan, inde liberatam Numen tantis cohoneſtauit modis, vt templum regnante Salomone habuerit, cui tum ſiue religione, ſeu fabrica miraculo nihil comparabile in orbe terrarum; quod illi contigit, hanc quæ modò videatur obiecta Eccleſia melioribus conſecuturam incrementis, vt eius honori collata in Synagogam beneficia, quaſi non fuiſſe*

nigra, cùm vos quæ familiares & domeſticæ teſtes ſciatis ſpecioſam eſſe non minus, quàm vel Arabum pretioſa tentoria, aut nundinarum Cedaris viſenda tabernacula; aut Salomonis ſeu mirificæ gloriæ albas veſtes, ſeu quibus Arcam fœderis exquiſitis contexit pellibus; aut quale fuit genialis thalami conopeum ſuperbiſſimum, cùm filiæ Pharaonis matrimonio copulatus eſt.

*dona appareant: poſtremò, ſi* nigra *idcirco, quòd ex Gentilitate conflanda nationum Eccleſia; at nec inter paganos omni defuiſſe tempore, qui vero Numini ſinceris famularentur obſequijs: ergo & tum quando rudiſſima, formoſa in quibuſdam velut pelles Salomonis.*

## VOX SPONSÆ.

*Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol; filij matris meæ pugnauerunt contra me; poſuerunt me cuſtodem in vineis; vineam meam non cuſtodiui;* verſ. 5.

QVòd ſi non candida mihi facies, ſed à natura vitium non eſt, proinde quòd corrigatur facillimũ: neque enim ſicut vos egomet gynæcei parietibus incluſa, verùm fraterna inhumanitate ardentem ſuſtinere Phœbum coacta: quippè illorum ſæuitia contenta non eſt dotali me vinea, quam Pater infantulæ reliquit, ſpoliaſſe, inſuper & nobili ortam Genitore ſeruilibus addixere officiis, vineam vt cuſtodirem compellentes. Aliter, in fauorem ſponſæ fratrum: Nolite putare, quòd à ſole combuſta ſim; fratres enim vineam ex induſtria ſeruare iuſſerunt, prohibitis aliis agreſtibus laboribus, quo tam ea, quàm vineæ habent incluſa, dum ſpeculor contra botrorum hoſtes, radij non læderent phœbei; ſin autem Nigredinis vocabulo Ethniciſmum exprobrauerint, quid ſuperſtitioſos coleret Deos, excuſat vtcumque planetarum ſe coluiſſe regem, non vt ille quondam vitulinam figuram, & magiſtros nactam omninò hoſtiles, nimirum fratres paganos, qui ſuam inſtillauerint ſectam; cùm illæ Doctores habuerint Dei Prophetas eximios.

*REpudiata Synagoga, quod poteſt aduerſùs Eccleſiam ex gentibus coaceruandam, euomit; ſemper verò paganiſmum obiectat: reſpondet illa; Fateor veneratam me Numina ementita, ſed heu! deceperunt me præceptores; & vos quidem ad idololatriam prouocarunt aliqui, ſed fuerunt exteri, vel Moabitæ, vel Ægyptij, vel Chaldæi, vel alij ſimiles; qui erant de eadem genitrice ſati, Synagogæ filij pro vobis erant, non contra vos; aduersùm me pugnauerunt, & dimicarunt non incogniti aliqui, & peregrini, ſed qui ex eadem Gentilitate, & in his ſcientiarum oracula, Philoſophi ſcilicet: nec tamen recuſo quin mea fuerit ſupina ignorantia, Deúmque inuenire potui, modò naturæ clamoribus tantillum attenderem: fuit tamen magna infelicitatis pars, quòd præceptores nacta fuerim, qui veritatem ſumma occultarint malitia; à quibus compulſata, in vineis, hoc eſt, frondoſis locis aras dijs impijſſimis erexi, vineam meam, id eſt, animam oblita: ſin opponat, quòd pauper & indiues ſit prima illa credentium Eccleſia, gloriatur egeſtatis opprobrio, nam à magiſtro Chriſto didicit, ille iuſtitiæ ſol ita decolorauit conſilio, & exemplo: equidem & ipſe primo loco ad Iſraëlem colendum deſtinauit Apoſtolos; ſed quia eorum doctrinam illi contempſerunt; acceperunt mandatum vt omnes gentes baptizarent: itaque vinea ſua, nempè Iudæa deſerta, poſiti ſunt cuſtodes in vineis nationum.*

## VOX SPONSÆ.

*Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in Meridie, ne incipiam vagari poſt greges ſodalium tuorum;* verſ. 6.

OMnis ſponſæ cogitatio de reditu ſponſi, & vt pactam connubiorum fidem certam faceret; timebat ne abſentia tepeſceret amor, vel minis, aut ſpe inuidentium: poëticæ igitur Muſæ feſtiua licentia deſcribitur, quæ ſponſo ſupplicat, aula vt paulelum valere iuſſa, ſyluis cum ſponſa non contemnat, gregem ductare,

*POſtquam à Synagoga obiectata diluit Eccleſia, de cellarijs Scripturarum recordata; quam in prædictionibus ibi contemplata eſt ſponſi reſurgentis immortalitatem, prandij iucunda ſubindicat lætitia, quam vt manifeſtet dilectus, & decorem indutus appareat, cum affectu plurimo rogat, eam imprimis ob cauſam, vt nutantia quorundam diſcipulorum*



& vxori locum notum facere, vbi cum pecoribus ad Meridiem Phœbo incaleſcente, in vmbra requieſcat, ne ignara illa oberret in nemoribus pudicitiæ diſpendio ob ſodalium petulantiam. Alio modo; introducta eſt ſuperiùs à conuiuiorum præfecto, vt cellaria intueretur, in quibus ad epulum ſolenniſſimum nuptiarum quęque neceſſaria conſpectabantur: hæc Sympoſiarcha cùm demonſtraret, falſos de ſponſo, ſponſáque exortos rumores apud metropolim retulit; hos ad confutandos cæteris interruptis ſermonibus, ſtatim conuerſa eſt: quam vbi abſoluit defenſionem, redit ad cellariorum memoriam, & inde accepta anſa alloquitur ſponſum, & precatur vt veniat, locúmque oſtendat (nam cæteris in promptu, quæ Sympoſiarcha nimirum attulerat, hîc ignorabatur,) vbi prandium geniale celebrari velit; atque puellari quadam ſimplicitate, quaſi zelotypiæ accendat facibus, terrens ſi reditum producat, velut timor eſſe poſſit, ne illo remorante, ad alios ipſa deflectat amatores, & ſodalium, comprocorum videlicet, aliquem ſequatur.

*diſcipulorum corda de reſurrectione illius confirmet, hoc illud,* ne vagari incipiam, *&c. fortaſſe & quæ nuperrimè dicebat, propriam ab eo deſtituendam vineam, quòd in alienas migraturus eſſet, cùm Euangelij iſta met clariſſimam lucem declarent, & naturæ legis, ſcriptæque fulgoribus tanto illuſtriores, quantò meridianus ſplendor auroræ exortu; celerem eius poſtulat aduentum, quo doctrinæ tantæ imbuta radijs, ampliùs non vagetur ob incertas opiniones; denique & hoc in Meridie cubantis ſponſi epulum illud eſt, quo Apoſtoli in die Pentecoſtes ſaturati diuino inflammante Spiritu, qui Eccleſiæ connubialis futurus dies, quem anxiè deſiderat; quo diſcipuli in paſſione debiles, ita corroborati ſunt, vt poſtea nunquam vagari, & trèpidare contigerit.*

## VOX SPONSI; VEL AFFINIVM & cognatarum SPONSÆ.

*Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum;* verſ. 7.

QVæ paſtorem fieri ſponſum amoris ſui votis fingebat, modò interroganti quemadmodum reſpondeat, cõminiſcitur; iubet ipſa pecudum veſtigia legere, nam hæ directis greſſibus opilionũ ad mapalia tendent; illac cùm peruenerit ſpõſum reperiet, vbi minores habitent bubulci: ſin verò non dilecti ſermo iſte, ſed amicarũ, & affinium; corripiunt ob nuper prolata, ſcilicet, ne incipiam vagari poſt greges ſodalium tuorum iis quippè cùm verbis declarauerit (quanquam non intra animũ vllo ſentiret pacto) quæſitum ſe thalami alium conſortem niſi reuertere ſponſus properaret; deteſtantes virginis ſimplicitatem cognatarum turbæ: Si ignoras (aiunt) eam, quę tibi facta eſt, gratiam à Principe, quam à rure euocauit ad Reginarum delitias; diſcede, & antiquis aſſueſce exercitamentis illaudato vitæ genere, duc matres agnorum, duc hœdos ad paſtum, & de communium vſu puellarum comitare paſtores, illíſque miniſtra.

*ANgeli, qui perſpexerant vacillantem Eccleſiam in quibuſdam membris ſuis; nam erant increduli quidam de reditu Seruatoris ex mortuorum habitatione; corripiunt in credendo tarditatem, cùm Prophetarum tot extarent manifeſta oracula; quare ſi Chriſtum ducem habere renuant, viderint quid profecerint legalia ſequendo, quæ per* IESVM *euacuata fuere in Cruce; abeant igitur poſt carnales eas cærimonias in veſtigijs maiorum; cæterùm, quoniam Eccleſia repræſentabat, ne fortè, quod in naturæ, & ſcriptæ contigerat lege, in quibus Dei priùs cultores ſuperſtitionibus deinde fœdati, ipſi accideret, prauo ſeduci dogmate in filijs ſuis; petebat lucem radiare meridianam: nunc ergo quæ inſtrui cupiebat, eruditur, vt gregum ſemitas conſideret, hoc eſt, quam Martyres, Religioſi, Virgines, Doctores viam tenuerint; cui ſi inſiſtat, vt aberret, nullum omninò periculum erit.*

## Actus primus ſacri Dramatis.

## VOX SPONSI.

*Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea;* verſ. 8.

HVcuſque Epithalamij introitus, & luctus ſponſæ variis in querelis ob dilecti abſentiam; nunc diuinæ primus auſpicatur

*HActenus cum lamento ad defunctum ſponſum Eccleſia ſæpè ingeminans & vociferans: Exurge gloria mea! Quouſque patiar?*

Comœdiæ actus, fruitúrque precum deſideriis marito reduce accepto noua rupta: veniebat autem inclyta pompa ipſis triumphatoribus maior cùm equitum & quadrigarum multitudinem vix Libani ſuſtinerent arua, circo & ſpectaculis dicata tanta eſſedorum copia: audet igitur numerum ingentem curruum iis comparare, quibus olim ab Ægypto diſcedentes Hebræos dum Erythræa pertranſirent vada, Pharao inſectatus eſt: aut quidem ad genialem ornatum congruentiùs, vt multo iunior alius ſignificetur Pharao, cuius Salomon Regum doctiſſimus filiam ad thalamos admiſit: hæc cùm de Ægypto ad Palæſtinam aſcenderet, magnificum tulit comitatum curulium equorum: indicat autem non minorem eſſe gloriam feſti honoris connubiorum ſponſæ: quæ vt tam ſpecioſa euaderet, moras Ieroſolymis ſponſus traxit.

*patiar? quouſque non videro: ſed eum ſingultibus diu, noctúque toties inuocatum, nunc reſtitui cernit: ô qualem illum! currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium! abſorpta eſt mors in victoria eius; planè formoſus in ſtola ſua tinctis veſtibus de Boſra: qui igitur aduentabat Angelorum hominúmque ſtipatus agminibus, quorum omnium iuuentutis immortalis flos, nónne ſimilis quaſi in curribus Pharaonis? quæ excelſior maieſtas? quæ lætior claritas? meritò equitatui Eccleſiam comparauit, nam in quadrigis ſaluatio, & Apoſtolos Saluatores gentium volebat eſſe; nec vltrà tantùm in Iudæa notus Dominus, ſed à Solis ortu vſque ad Occaſum, ab Aquilone ad Auſtrum, in omni natione, quæ ſub cælo eſt.*

---

## VOX SPONSI.

### *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia*; verſ. 9.

PErſpeximus ſuperiùs de colore ſponſæ mendaces vulgatos rumores, cùm eſſe ſubfuſcam Ieroſolymitanæ aſſererent: harum cum ſponſo venerunt multæ ad lætitiam genialem: ſponſæ igitur detecta facie, monet vt intueantur, & cernant quanta fabulæ audacia extiterit, cùm genæ purpuraſcerent, lactea ceruix margaritorum vinceret candorem; tantæ etiam gemmarum diuitiæ pendebant ex vertice in maxillas & colla, vt non eſſe genæ, ſed ex turturibus ſigilla, non collum, ſed torques viderentur; commendatur quoque pudica indoles erubeſcentis vel ad conſpectum mariti quanquam tantopere expetiti.

*DEſpiciebant qui erant ex Synagoga naſcentis Eccleſiæ alumnos, quòd hominis peccatoris eorum prauo iudicio, Chriſti videlicet, diſcipuli eſſent, proinde obfuſcum, & nigrum imputabant vultum; oſtendit Seruator nequiſſimè deceptos, cùm nihil formoſius collo, geníſque illius: id ſi de Apoſtolis perquam veriſſimum: ſi de Virgine Beata, vt propriùs quidem, perquam certiſſimum; donorum autem ſubindicatur abundantia, cùm maxillas & ceruicem præ copia ſepeliant, obtegántque: tam decoram fuiſſe oportebat quæ Deum genuit, quæ Apoſtolorum, & Eccleſiæ Magiſtra futura erat.*

---

## VOX AMICORVM SPONSI.

### *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*; verſ. 10.

PRo nuptiarum conſuetudine affines & ſodales ſponſi ſuis etiam nouam muneribus conſalutant ſponſam, offerunt autem faſciam pectoralem, aut cingulum quidem catenæ ex ceruicibus ad lumbos diductæ variegati operis, cum piſcis murenæ effigiatione, materiæ autem de aurichalco, vel de electro, quod vtrumque metallum ex argenti, auríque admixtionibus.

*AMici, affinéſque ſponſi Apoſtoli Eccleſiæ ſpondent prædicationis opus, quo in omnem terram Euangelij peruadat ſonus, iuxtáque traditum à ſponſo modum Hierarchicos diſpoſitum ordines pulchriori forma quàm ab antiquis ſub Moyſe: quódque iunioris Eccleſiæ peculiare ſit encomium, regulas monaſticæ tradituros diſciplinæ cum trium ſubſtantialium votorum nexibus.*





---

## VOX SPONSÆ.

### *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuauitatis*; verſ. 11.

CVm erga ſponſam & dilectus & amici eius tam liberales, ne non aliquid ſaltem tantis rependiſſe beneficiis ipſa videatur; monet eam nardum, de qua vel ſerta, vel vnguenta; quibus aut coronati, aut delibuti hoſpites, epulo, quod aduentitia cœna fuit Procerum ex Ieroſolyma venientium in Libanum ad nuptiarum condecoranda hilaria, ſuis ipſamet confeciſſe manibus: laudat autem in primis odorem, quem conuiuæ ſummopere demirati ſunt: itaque & ipſi curam eſſe, vt in nuptiarum feſtiuitatem conferat pariter.

*CVm hac Epithalamij contineatur parte quæ à Chriſto Seruatore potiſſimum geſta ſunt diebus, quibus conuerſatus eſt in terra cum diſcipulorum manu poſt reſurrectionem: epulum, de quo hîc memoratio eſt, illud concipi valeat, de quo* Ioannis cap. 21. *de piſce ſuper prunis inuento: nardus verò humilitatem & reuerentiam deſignat, quando nemo auſus eſt interrogare* IESVM, *quis eſſet? aut quidem, cùm ſuperiori verſu ſponſæ magna quædam polliciti fuiſſent ſponſi amici de Hierarchia Eccleſiaſtica, & Religioſorum cœtibus; illa ſponſo promittit templa, quæ exædificatura ſit, in quibus accumbat ob perenne Euchariſtiæ ſacrificium, quod epulum ſplendidiſſimum ſit; & in his baſilicis aras Sanctorum memorijs, lampadáſque fulgentis metalli, in quibus oleum pretioſiſſimum nardinum ardeat; denique operum cultum Numini, beatíſque eius famulis.*

---

## VOX SPONSÆ.

### *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*; verſ. 12.

NOn vnum genus vnguenti ſponſa ſuggerit, præter nardum, inſuper myrrhæ vel ramuſculos ad coronas, vel ſtacten & liquorem ad inungendum, quod contra ebrietatem conuiuaturis medicina ſit: at & ſua inter repoſituram vbera narrat, partim, quòd opus habeat, cùm deliquiis & languori Spiritus obnoxia ſæpè animam deperdere videatur, cor autem à myrrha recreetur: partim, vt inde mutuata occaſione ſponſo blanditias dicat, & optatiſſimo myrrhæ antidoto chariorem ſignificet.

*CLauium inſtitutio, & ſacramenti Pœnitentiæ à Chriſto poſt reſurrectionem facta, cùm* Ioan. cap. 20. *inſufflauit in Apoſtolos, dicens, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. ſimul cum fori externi iuriſdictione ad cenſuras ferendas, aliáſque Eccleſiaſticas pœnas: vtramque poteſtatem homini carnis ſenſum habenti, amaram eſſe denotat myrrha; quæ inter vbera reponitur ad ſigilli confeſſionis ſecretum innuendum: verùm & eadem myrrha Paſſionis Chriſti memoria indicata; hanc mater Eccleſia iugiter in Miſſæ recolit ſacrificio, quam à ſacris ſpondet celebrandam miniſtris inſigni admodum cum pompa, Altariúmque & veſtium ſplendidiſſimo ornatu, buſtíque Saluatoris in Quadrageſimæ exitu repræſentatione, & publica multorum ex Catholicis voluntaria flagellatione.*

---

## VOX SPONSÆ.

### *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*; verſ. 13.

ADdit tertiam vnguentorum ſpeciem, quæ omnium perfectiſſima ſit, balſamum videlicet, quod propè Ierichuntem naſcitur ad botrorum ſimilitudinem in vineis, quæ ad odorem nouus maritus puellæ conceſſit; niſi placeat flores, fructúſve quoſdam ſingulares illam addere pigmentis in nuptiarum iucunditatem; & vel dactylus ſit botrus Cypri, vel Cypri ipſius cum nomine

*NEc ſola ſpiritali poteſtate refulget ſacerdotium Eccleſiæ, portat & illa gladium temporalem: Romanus namque Antiſtitum caput Pontifex legitimum & directum ius habet in prouincias, quas Imperatorum munificentia, aliíſque iuſtis ſortitus titulis; itaque eius magiſtratus & ſæcularis, & Eccleſiaſticus pariter, quem regium ſplendorem illius, balſami regale denotat vnguentum cyprinum: quo &*

aromaticum virgultum, aut ficus Indica, ſeu pomum Paradiſi: forſan & nunc tranſeatur ab odoribus ad veſtes; quodcumque botrus cypri cogitetur, eum in chlamyde, thorace, & aliis ſponſi indumentis, ſponſa cum famulabus, acu, alióve artis ingenio deſcripſerint: hæc igitur ſponſa & ancillæ fecerint in gratiam connubialis pompæ: & quoniam omnem veſtem botri occupabant figuræ, quaſi in botrum cypri conuerſum ſponſum vocabulo picturæ explicat.

*confirmationis denotatur Sacramentum chriſmate delibutis athletis ad colluctandum balſami adhibita lacryma in olei confectionem; & ne dominicæ paßionis myrrham liquare futuri in Eccleſia Martyres reformident, ſubnectitur botrus cypri totus dulcis ad futuram in tormentis conſolationem oppignorans, vt & gaudeant in tribulationibus.*

## VOX SPONSI.

*Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum*; verſ. 14.

## VOX SPONSÆ.

*Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; verſ. 15.

ITa certabant mutua beneficentia, ſponſus, amici eius, & ſponſa: ergo cum naturæ ornamentis, quæ formoſiſſima imprimis, ſuperaddidiſſent in puellam congerentes maritus, & ſodales eius alia complurima dona auri, gemmarum, pigmentorum, reliquáſque mundi muliebris gazas; ob geminas dotes comptiſſima prodiens ſponſa, bis pulchra à ſponſo prædicatur; oculos autem columbarum habere memorat, ſuauiſſima, modeſtiſſimáque ſuggerens indole præditam, quòd ex oculis animi pateat habitus; formæ autem cuſtodem, optimã eſſe oporteat mentem in virginibus, contendit laudibus noua nupta, & ſponſum non ſolùm ex colore delineamentis ſpecioſum eſſe affirmat, ſed entheum quoddam, vegetum, hilare in eo apparere ſimul, quod formam ſupra modum extollat; & propterea decorum pariter cum pulchro appellat.

*QValémnam gloriam hactenus Eccleſia in venturas generationis ſponſas, eiúſque amici promiſerint? quid eius Sacramentis excelſius? quid Hierarchicis turmis illuſtrius? quid monachatu ſplendidius? quid Martyribus? quid Doctoribus fulgentius? tam igitur ſpecioſam cernens, encomium geminat vt dignè enarret: iam & oculos ſortitam columbarum adnectit, vt parem eſſe externo decori interiorem probet, quo nomine hæc Eccleſia vel hæreſum conuentus omnes, vel Synagogam ſuperet, nam in Phariſæis hypocriſis plurima, & in omnibus ſectarijs perpetuum, & congenitum vitium: fœcunditatem etiam & ſobolis amplitudinem in columbis denotat, qua omnes vnquam Eccleſias quæ Catholica eſt, longißimis vicit incrementis: ſponſa autem in dilectum ſuum conuerſa, quando eum modò intueatur, luna, ſoléque, & micantißimis aſtris formoſiorem, qui iacebat in ſepulchro lucidus, & cruentatus, vt quaſi leproſus æſtimaretur; qua poteſt ratione extollit immortalis æui in corpore ſexcenties venuſto gratißimum lumen.*

## VOX SPONSÆ.

*Lectulus noſter floridus*; ibid. *tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreßina*; verſ. 16.

INterruptis laudibus & blanditiis ad genialem apparatum ſponſa redit, & cùm hucuſque de nubentium veſtibus, de gemmis, de pigmentis & triclinio; modò conſtructum nuptialem docet thalamum, in quo ſub pompæ ſpectaculo noui ſedeant coniuges, quem floridum depingit, vel quòd reſperſus natiuis hortorum donis lectus; vel quòd intexti aulæis & tapetibus, fulcríſque cælati flores: adiicit & domus

*DOrmiuit in ſepulchro Chriſtus & ſoporatus eſt: nunc ergo cùm ex putreſcente lecto iuuentutem capere videat, obſtupeſcit quemadmodum floridus euaſerit thalamus conſumptor venuſtatis, in quo vermes, & fœtores habitant, quaſi de incorruptibilibus domus illa mortis fabricata ſit, déque odoratis, videlicet cedro & cupreſſo: ſed quòd & floridum geniale cubile Eccleſia nuncupat, indicat, nunquam defuturos in ipſa perfectißimos*

Dei



conuiuialis perfectam operam Principis dignam authoritate, ex cedrinis nimirum, cypreſſiníſque tabulatis: eſt autem ſpeciatim ſermo de ædium ſuperiori parte, quòd in mœnianis & domate ſollennes, & feſtiuæ concelebrarentur epulæ.

*Dei cultores: quódque aſſerat compingi ex lignis, quæ ſenectutem contemnunt, cupreßinis, cedriníſque, innuit tributum ei, vt in ſæculorum fines duret, neque temporum vllis iniurijs diſſoluendam, vt quæ ſupra petram fundata contra omnem Tartari rabiem.*

# CAPVT SECVNDVM.

## VOX SPONSI.

*Ego flos campi, & lilium conuallium*; verſ. 1. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*; verſ. 2.

VBi ſe coniuges vltimùm ornauêre ad genialia gaudia, ſuperinduxêre laboratis arte veſtibus ſtolam candidam byſſinam ex ritu connubiali, quibus dum indutos contemplatur ſponſus, niueis liliorum foliis comparat; quanquam ſe campi florem ſponſus dum nominat, vxorem autem vallo circumambit quaſi ſpinis ſeptam; docet in nuptiarum tumultu, oportere & illa quidem, in gynæceo, virorum ſemota conſpectibus lateat pro vſu pudicarum; maritus foras verſetur, ſícque partiantur officia pro ſexuum diuerſitate.

*ANte quàm diſcipulos relinquens Chriſtus cælos conſcenderet, iußit eos docere omnes gentes, quo mandato ſublatum eſt præceptum, quo intimarat olim, ne in vias gentium abirent, ſed Iſraëlem inſtruerent; ob hanc cauſam florem ſe campi nuncupat, quòd deinceps vniuerſis ſalus pateat, Græcis pariter, & Barbaris: ſed quia iußit, vt in ciuitate ſederent, quoad inducerentur virtute ex alto; rectè ita clauſos, & in medio acerrimorum hoſtium, ſcribarum ſcilicet, & Phariſæorum, lilio aßimilauit ſpinis circumſepto: licèt & hæ ſpinæ intelligi valeant perſecutores eorum, qui Euangelium publicaturi erant, cùm velut oues inter lupos habitarent vbique terrarum.*

## Actus ſecundus ſacri Dramatis.

## VOX SPONSÆ.

*Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios: ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*; verſ. 3.

IN alto tectorum domate, atque ædium ſolario concelebratæ nuptiæ, prandiúmque miniſtratum lautiſſimum, abundantiſſimúmque: & quoniam locus ille apricus, Phœbeíſque expoſitus radiis, tegebatur vndique arborum nobilium ramis, quibus non ſolùm viror, ſed odoris præſtantiſſimus halitus; cúmque aliorum hoſpitum vmbracula de myrto, lauro, cupreſſo, ſyluæ honor, nempè quod fert arbuſtum mala aurea Heſperidum delicias, ſponſi compoſuit tentorium; quantúmque antecelleret cæterorum tabernaculis ſponſa præferendo inſinuat; ſub huius ſe vnà cum nouo marito conſediſſe frondibus, quòd nuptiales ita poſtularent cærimoniæ, ſubindicat; laudátque ex pomo formoſam arborem, nam probauit ex nuptiali quoque ritu.

*POſt diſcipulorum inſtructionem per quadraginta dies, eleuatus eſt Redemptor* IESVS *in cælum, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: gradiebantur ſimul animarum beatarum cateruæ, gradiebantur Angelorum turmæ: quæ non omnium lux? quod non iubar? ſed humanitatis Chriſti eminebant in infinitum radij, & propterea ſicut malus inter ligna ſyluarum, &c. poſt decimum exortum ſolem Paracletus in ſono vehementi, & cum ignibus dilapſus, obumbrat Eccleſiæ, vxorémque declarat Saluatoris, matrimonio ſancto & duraturo in æuum publicè declarato; & Euangelij lege maxima cum ſollemnitate in orbis ſalutem promulgata.*

VOX

## VOX SPONSÆ.

*Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem*; verſ. 4. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*; verſ. 5.

QVoniam verò coniugalis fœderis ſub omni fortuna indiſſolubiles amicitiæ vini libatione ſponſo propinata phiala indicabantur, Bacchi intrat domum ſponſa, vt quem velit ſcyphum, quódque delectet phalerni genus, eligat; quo primis labiis admoto, & nouo marito porrecto, pollicetur deinceps in amando non minus ſe futuram ſtrenuam, quàm ſint robuſtæ ordine ad pugnandum diſpoſitæ acies; dúmque ſub his, aliiſque connubialibus legibus matrimonium coaleſcit, & maxima eſt hoſpitum lætitia, virgo inter exultationes animo tractabat, quale ad faſtigium inexpectatæ gloriæ euecta ſit ſponſi benignitate; qualíſque olim extiterit, & qualem modò ſe intueatur, quam felicem: tantarúmque gratiarum obruta cumulo, non valens ſuſtinere amoris pondus, ceſſit iucundæ tempeſtatis oneri, abiítque extra ſe: dum autem in extrema deficeret verba, ſuauioris medicinæ haud omninò oblita, aurei Heſperidum mali poma, floréſque deliquiis ſalutaria poſtulat.

*REpleti Spiritu ſancto diuini Apoſtoli, ſic inflammabantur, ſic ardebant tanquam lydo ad ſatietatem potati, quare & muſto plenos iudicarunt: ô ebrietatem rationis! inde corroborata dilectio velut caſtrorum acies ordinata; ad ſupernæ indulgentiæ memoriam rapta eſt in profundam ecſtaſim congregatio ſancta, & dum ab amore languet, non vt conſueuerat Synagoga, ab vxoribus, & humana poſteritate ſolatium mutuatur. ſed à pudica virginitate, quam poma floréſque deſignant; itaque noua Eccleſia nouum meditatur in terra; ſcilicet, vt ſpadones & eunuchi ſint, qui ſe caſtrauerint propter regnum cælorum; neque ampliùs carnale audiatur verbum: Maledictus, qui non facit ſemen in Iſraël.*

## VOX SPONSÆ.

*Laua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*; verſ. 6.

## VOX SPONSI.

*Adiuro vos filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vſque ipſa velit*; verſ. 7.

NOn auſa eſt ob modeſtiam primo exanimationis impetu ſponſi deſiderauiſſe vlnas, conualeſcens tantillum, & aliquid ſibi reddita, velut quæ à floribus & pomis non ſenſerit remedium, exoptat mariti ſinu, & brachiis confoueri; indulget ille precibus: quæ verò circumſtabant Ieroſolymitanæ nurus, ſeu quòd diutiùs ſuſtinendo ſponſam laſſari non paterentur, ſeu quòd ægrotæ magis prodeſſe iudicarent, in cubile deferendam ſuggerunt: qua dum in contentione importuniores ſunt, comminatur ſponſus capreis, ceruíſque, quæ omnis illarum voluptas, quáſque tanto alant ſtudio, niſi ſponſam requieſcere permittant.

*ADiungit virginitati primitiua Eccleſia diuitiarum contemptum, quæ læua adumbrantur, & ideò ſub capite, quod ſubſterni & calcari velit.: perpulchrè autem brachiorũ nexus adſeritur, quia maxima pars naſcentis Eccleſiæ paupertatem voto muniebat, vt & caſtitatem quoque ſimúlque obediẽtiam, Monachatus in lege gratiæ fundamentum ſubſtantiale, quod in votis eſt, iacientes: cúmque* IESVM *plurimi agnoſcerent, & Apoſtolorum doctrinæ conſentirent, vehemens ſuborta eſt tempeſtas Stephano enecato, fidelibúſque diſperſis: quamobrem impijs Iudæis ſponſus Ieroſolymæ ruinam comminatur, niſi ad pœnitentiam conuertantur, & Sanctis moleſti eſſe deſinant.*

VOX



## VOX SPONSÆ.

*Vox dilecti mei; ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*; verſ. 8. *Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum; en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos*; verſ. 9.

SPonſa ſuper ſtratum repoſita, vt in longum dormiret, & quieſcendo ſibi reſtitueretur, cùm florum amoribus captam intueretur ſponſus; deliquij ad irruptionem, in prata, montiúmque ſecretiorum iuga conuolat, florum peregrinorum manipulos allaturus: reuerſus, thalamo adſtantium amicarum, famularúmque turbas de valetudine iacentis percunctatur; vocibus expergefacta illa agnouit continuò ſonum, & inclamauit, *Vox dilecti mei*, &c. celerémque obſtupefacta ob reditum, parem nimirum hinnulorum, caprearúmque ſaltibus; dum ille ad cubilis feneſtras, valuáſque ſerta appendit, odores exhalantia quàm ſuaues, licèt occultari tentarit, amantis perſpicaces ſenſus latêre non valuit; prodit itaque illum ſponſa, & dicit; *en ipſe ſtat poſt parietem*, &c.

*DVm membra Chriſti ſuſtinent, ipſemet pati intelligitur; nomine igitur ſeruorum introducitur qui ſaliat in montibus, & retrò parietem abſcondatur, ſiquidem ex diſperſis ob perſequutionem, quæ Stephani mortem comitata eſt, alij in oppidis remanſerunt, planè in domorum remotiſſimis angulis, atque ita poſt parietem; alij in montium ſpeluncis, vt abderentur, & cùm ab inimicis quærerentur, ex vno in alium fugere & tranſilire collem cogebantur: Vox etiam dilecti, quæ ad Paulum in via facta eſt, cùm Damaſcum peteret, concipi poſſit; tranſiit cælorum montes ſponſus, cùm propè ipſum Ieſus adſtitit: quem cùm non ſatis diſtinctè intueretur, præſtrictis à fulgore luminibus, quaſi poſt parietem latens per cancellos videbatur.*

## VOX SPONSI.

*En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, formoſa mea, & veni*; verſ. 10. *Iam hyems tranſiit, imber abijt, & receſſit*; verſ. 11. *Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra*; verſ. 12. *Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum*; verſ. 13.

FLorum, quos è montibus aduexerat ſponſus, cùm viſu delinitam ſponſam conſideraſſet, adhortatur, ipſamet conſurgat, & ad carpendos proficiſcatur; inuitabat autem extra domum ad loca amœna, quòd ſaluti conducere putaret, ſi ruri paululùm vagaretur; quò alliciat omninò mirificis notis vernam deſcribit tempeſtatem, imprimis nullum eſſe ventorum, imbriúmve metum, quod delicatæ maximum ſolatium: terræ pauimentum florum amœniſſimis coloribus Babylonia vincere periſtromata: balſami luxuriantes tonderi ſurculos, niſi magis de vite vſitata ſermo accipiendus, cuius quædam pars ſimul floreat, ſimul amputetur: turturem peregrè reuertentem volucres monere canendi horam eſſe, ficulneam groſſos producentem ver ſine dubio comprobare: omnem penitùs in lautitiis, & hilaritate naturam exiſtere.

*BEata illa diſperſorum fidelium manus ob perſecutionem Iudæorum in Bithyniam, Pontum, Cappadociam, Aſiam, aliáſque Ethnicorum prouincias delata, cùm nullo ſe teneri Sacramento; noſſet, quominùs debuerit Euangelium Gentilibus prædicare; cùm illud enunciaſſent, Chriſto multam, pulchrámque genuerunt ſobolem: hæc igitur vt pergat in arua Eccleſiam ſponſus hortatur, eiúſque delitias vernæ iucunditatis exprimit ſymbolo: fortaſſe, cùm* terram noſtram *ob ſingularem nimirùm poſſeſſionem dicit, denotat beati Petri duas Epiſcopales ſedes, quas habuit; nempè Antiochenam ad tempus, ſeptennio videlicet; Romanam verò cathedram ſtabili manſione in perpetuum ſibi, ſuíſque ſucceſſoribus.*

## VOX SPONSI.

*Surge amica mea, ſpecioſa mea & veni :* verſ.13 *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora ;* verſ.14.

## VOX SPONSÆ.

*Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas ; nam vinea noſtra floruit.* verſ.15. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia;* verſ.16. *Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Reuertere, ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether.* verſ.17.

CVnctantem ſponſam, in ſuburbana iterùm Dilectus excitat : & ne (cùm affirmauerit, pluuiam, flatúſque non eſſe timendo,) vxor opponat Phœbi metuendos eſſe radios, æſtúmque ardenti ſub climate ; ſubdit, vocare ſe illam in locum, vbi antrum ſit in viuo lapide, naturæ ingenium : eo in foramine petræ, adiuncto etiam maceriæ tegumento, Solis declinaturos iram ; Profectum ab eis in hortum : cùm in ſpelunca ſederent, ad volucrum inuidiam, guttur vt ſoluat, & canat, ſponſam vir exorat : proſpectat in ſubiacentem noua Nupta vineam ; & ſiue vt Matremfamilias ſe oſtendat, capi vinearum demolitrices vulpeculas iubet ; ſiue vt teneram & delicatam ſe, & planè fœminam demonſtret, quod fœtentis animalculi teterrimum pati halitum non valeat. Neque ſine prandio, ruralis habitatio ; inter lilia diſcumbitur : Quoniámque nouus amor ex dilecti ſocietate confortabatur ſingulariſſimè, obteſtatur Sponſum, ne vſque in veſperam diſcedere tentet ; ratus illе non decere, vt ab hoſpitibus, qui ex nobilitate erant, tamdiu abſtraheretur, diſcedendi veniâ acceptâ, abit : voluentem terga precatur ſaltem, vt breui reſtituat ſe Sponſæ, imitatus velocipedes capreas, hinnulóſque ceruorum.

*SAnctus Petrus ex Vrbe in Alexandriam beatum Marcum deſtinat ; ibi templo conſtructo, quod ex lapidibus habitaculum, optimè conſtituta Eccleſia, vt facies eius admodum decora extiterit : voce etiam intonare ſuaui in Hymnis & Pſalmis, & Canticis ſpiritualibus docuit : Eſſenis diſcipulis ſuis in vtrumque eruditis, & famam mirificam nouæ conciliantibus religioni, Diabolus orthodoxo cætui ſummè floreſcenti inuidens, Simonem Magum Hæreſiarcharum infandum caput quaſi ex tartaro euomit, qui ſchiſmate, & erroribus perturbet ; hunc cum aſſeclis callida in nequitiam animantia, vulpibus ideò ſimilia, capi priuſquam adoleſcant, hortatur Sponſa : fecerunt egregiè ſanctus Petrus, & de eadem ſchola commilitones alij : Non ad hoſtilem intuitum frangitur Eccleſia, exurgant qualeſcumque pugnæ, pollicetur Sponſo fidem ſempiternam ; amabitur & ipſa æternùm à Dilecto donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ : lætatur Eccleſiæ conſtantiâ Ieſus ; quam vt probet, tentari ſinit : recedente eo, ſupplicibus precatur modis, ne abſens longiores innectat moras, ſed feſtinus ad conſolandum reuertatur.*





# PRÆFATIO
# AD LECTOREM.

BEne, ac ſapienter (Chriſtiane Lector) eximius ille Gregorius cognomento Theologus, ordinem, & concentum rerum præcelſis amplificauit encomiis, orat.26. *Ordo* (inquit) *cæleſtia & terreſtria continet ; ordo in ijs, quæ ratione, & animo intelliguntur, locum habet, ordo in ijs, quæ ſenſibus percipiuntur, ordo in Angelis, ordo in aſtrorum motu, magnitudine, mutua relatione & ſplendore, ordo in anni partibus, & temporibus, ordo in diei, & noctis menſuris & interuallis : Quid autem ſingula commemorare attinet ? ordo omnium rerum Pater & præſidium eſt :* Quod vt verum ſit de naturæ ambitu toto ; ſpeciali autem iure vendicat dicentis oratio, eóque magis, quò præſtantior is eſt, qui ſermocinatur, nexu atque diſpoſitione vt conſtet ; hoc cùm animaduerterent inſignes quidam huius Epithalamij interpretes, de quibus commemini volumine 1. Anteloq.1. n. 77. & Anteloq.9. num.42. feliciſſimis ingeniis maximè dignam prouinciam arbitrati ſunt, luſtrare diligenter quemadmodum omnia concatenari poſſint ; ſed quantæ magnitudinis onus iſtud ! Iuuat diſcamus à Ioanne Pico Mirandulæ Comite ; nam cùm ſui temporis Doctorum Phœnix haberetur & toto mentis conatu de ſex dierum Geneſeos opere, Heptaplum condidiſſet, qualis tamen eſſet laboris ſingula ordine diſponere, ſubticere noluit ; *Secunda difficultas eſt, vt tenor idem ſit interpretamenti ſibi conſentiens, ex ſe aptus, & vno quaſi ductu tota ſeries, à quo primitùs ſenſu proficiſcitur, in eundem illum quaſi memor propoſiti referatur ; nec ſi fortè hic de ideis loquentem introducamus, proximâ clauſulâ de elementis agere, vel de homine velimus ; arbitrarium hoc & violentum exponendi genus ; quod euitare tamen in huius libri enarratione impoſſibile multis, ne dicam difficile, operoſum profectò omnibus viſum eſt ; vide quanti laboris, quàm non factu ſit facile id, quod animo nos concipimus, vtinam conſequamur?* Quod ſi in mundano connectendo opificio moléſque & montes inſuper alti, cùm Moyſes illuſtrem nihilominùs facem præferat, nam & tempora & dies recenſet ; & fabricam diſtinguit ; quanti ſudoris futuram Spartam explanationis Cantici Canticorum, vbi rariſſimus emicat ſplendor, vaſto natantibus in gurgite, cogitabimus? 1.

1. Gregor Naz. *Ordinis ratio laudata.* Picus Mirād. *Ordinem & nexum inter difficiliores Bibliorum ſententias oſtendiſſe, quantus labor.*

Quídnam igitur ? deſperandum ſit propterea ? haudquaquam ; ſiquidem oraculi ſacra nos adhortatur vox, *quærere vt inueniamus, pulſare vt aperiatur nobis.* Luc. cap. 11. verſ.9. aiebat Chriſtianâ fiduciâ peroptimè Iuſtinianus Imperator lib. 1. §.1. cap. de veteri iure enucleando : *Res* (inquit) *difficillima nobis, imò magis impoſſibilis videbatur ; ſed manibus ad cælum erectis, & æterno auxilio inuocato, eam quoque curam noſtris animis repoſuimus, freti Deo, qui & res penitus deſperatas donare, & conſummare virtutis magnitudine poteſt ;* vt autem impetremus à Filio, exoranda eſt Mater indulgentiſſima : *& ipſa dico vobis* (ſpondet Bernardus ſerm.2. in Dominic.1. poſt Octauā Epiphaniæ) *chariſſimi, ſi piè à nobis pulſata fuerit, non deerit neceſſitati noſtræ, quoniam miſericors eſt, & mater miſericordiæ ;* itaque pro Dei gratia primum omnium ſubleuandi in cœlum oculi; deinde ne hanc in vacuum recepiſſe videamur, enitendum omni virium noſtrarum adhibitâ ad cooperandum diligentiâ, edocet nos præclariſſimè Gregorius Nyſſenus in ea diſſertatione, quam habuit, de infantibus, qui præmaturè arripiuntur : *Ego verò animaduertens* (ait) *quanta difficultas, ac perplexitas inſit in ea, quæ nobis ad conſiderandum, & contemplandum, propoſita quæſtio eſt, conuenire quidem opinor præſenti Commentationi Apoſtolicam vocem, qua ille vſus eſt in arduis, & mentis cogitationi inacceſſis, & incomprehenſibilibus quæſtionibus ; ô altitudo, inquiens, diuitiarum & ſapientiæ, & cogitationis Dei ! Sed* 2.

2\. *Dei inuocatio ante omnia ad Scripturarum nodos ſuperandos ; noſtra adiungenda induſtria.* Iuſtinian. Bernard. Greg. Nyſſ.

*quoniam rurſus Apoſtolus ait, proprium ſpiritualis eſſe omnia ſcrutari, indagare, exquirere, & examinare; atque commendat eos, qui à diuina gratia in omni ratione, omníque cogitatione ditati ſunt; rectè me facturum eſſe cenſeo, ſi quoad eius fieri poterit, inquiſitionem & inueſtigationem non negligam, neque quod in his quæritur, ita deſpiciam, atque contemnam, vt id abſque ſcrutatione, atque contemplatione prætermittam; ne ad ſimilitudinem argumenti propoſitæ quæſtionis, oratio quoque de ea re imperfecta euaneſcat; vel etiam antè tempus veluti infans aliquis modò natus, priuſquam in lucem prodeat & augeſcat, tanquam morte quadam, in quæſtione veritatis, deficientium ignauiâ atque ſocordiâ intereat, atque corrumpatur.*

3. *Bina expoſitio Hiſtorica Canticorum.*

Spe igitur ſuffulti clementiæ eius, qui pauperem momento honeſtare ſolet, quanquam multis videbatur, ne vnam aliquam tentari poſſe continuam & indiuulſam explanationem, binam proferemus, quarum altera de connubio agat humano pudico & modeſtiſſimo; altera Chriſti & Eccleſiæ thalamos complectatur, vtraque verò Hiſtorica & Literalis ſit; ex his expoſitionibus, quoniam prior materiam percolit infinitis ſæcularium antiquitatū ritibus efferueſcentem, opus fuit nobis plurima conquirere adiumenta ex Auctorum Ethnicorum, ſiue qui hiſtorias texuerunt, ſiue qui muſâ luſerunt, ſcriptis, neque irreligioſum Theologo quanquam opus; Pulcherrimè allegorizat Nyſſenus de ſpoliata ab Iſraëlitis Ægypto; *Quaſi nimirum ſcriptura iubeat* (inquit in vita Moyſis,) *vt ij, qui honeſtè, ac liberaliter ex virtute vitam inſtituunt, eruditionis gentilium diuitias ſibi comparent, quibus alieni à fide homines exornantur; & in meliores vſus transferre iubemur, vt quæ nobis vſui futuræ ſint, cùm opus fuerit diuini myſterij templum his ſpiritualibus opibus exornare; qui enim tales opes ſibi collegerunt, Moyſi circa tabernaculum teſtimonij laboranti, de rebus ſuis ad ſanctorum conſtructionem conferunt, quod etiamnum fieri videmus; multi Gentilium eruditionem tanquam donum quoddam Eccleſiæ offerunt, cuiuſmodi Magnus ille fuit Baſilius, qui cùm Ægyptias opes in iuuenili ætate ſibi egregiè comparaſſet, Deóque conſecraſſet, verum Eccleſiæ tabernaculum eiuſmodi opibus exornauit*; Sed quonam pacto de Nardo, Myrrha, Turture, Columba, cæteríſque animantum & plantarum generibus, de vnguentis, de torquibus, de conuiuiis, de millenis aliis argumentis ſatis valeamus declarare, niſi Gentium imbuamur vſibus, quibuſcum Hebræi plurima communia habuêre, nam permixti ſunt cum eis, & didicerunt opera earum? Prudentiſſimè Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 16. *Rerum ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cùm ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarúmve rerum, quæ plerumque in ſcripturis ſimilitudinis alicuius gratiâ ponuntur*; Fusè deinde Auguſtinus ſingillatim comprobat; Origenes homil. 3. in Cantica propè medium, Beda initio expoſitionis in hunc Salomonis librum; atque, vt ſileam de qualibus referant ex Theologorum vetuſtiſſimis delectatos eſſe inferioribus diſciplinis in gratiam, commodúmque excellentiorum, Hieronymus epiſtola ad Magnum oratorem, Euſebius lib. 6. Hiſtor. cap. 13. Nicephor. lib. 10. cap. 26. Quare Baſilius oratione ſpeciali, hoc de argumento: *Vt enim tinctores, qui medicamentis quibuſdam rem tingendam præparant, atque ita demum colorem, quem cupiunt, inducunt: ſic & nos, niſi priùs purgati externis his, ſacras diſciplinas non facilè attingemus:* Seueriori ſtylo aduersùs bonarum facultatum obtrectatores Nazianzenus orat. 29. *Quamobrem non idcirco eruditio contemnenda eſt, quòd ita quibuſdam videatur; quin potiùs ſtulti, atque imperiti habendi ſunt, qui hoc exiſtimant; Qui omnes ſui ſimiles eſſe cupiant, vt priuata eorum inſcitia ſub communi deliteat, nec quiſquam ipſorum imperitiam prodat & coarguat*; proinde epiſtola reſponſiua ante Eccleſiaſticorum ſcriptorum catalogum Trithemius dicere veritus non eſt; *neque enim ſatis eruditum in diuinis literis quenquam dici poſſe arbitror, vbi ſæcularis literaturæ diſciplinam ignorat:* Vide, quæ fusè nos Anteloq. 11. ſect. 5. quibúſque modis Patres intelligendi, ſi quando his aduerſantia tradere ſuſpicio eſſe poſſit, lege in noſtri Creſolij Myſtagogo lib. 2. cap. 15. ſect. 2.

*Theologo quemadmodū Gentilium uti ſcriptis concedatur.* Greg Nyſſ. — Auguſtinus. — Baſilius. — Greg. Naz. — Trithem.

4. *Eruditio prophana quo pacto quaſi ſancta euadat.*

Reperient autem, ſi quibus noſtra peruoluere libuerit, in his non ideò tantum à nobis laboratum, vt ſuſceptam Canticorum exornaremus interpretationem; ſed vt Bibliorum paſſim obſcuris multis verbis, ſi quam poſſimus, lucem afferremus; quod frequenter præſtare conati ſumus, niſi vanâ decipimur opinione; hac quippè formâ literæ illæ, id quod à Theologo exigitur, velut ſanctificantur; dum non ſolùm generatim in Deum, quod commune eſt vitæ cæteris actionibus, ab homine religionem profeſſo, vt decet, referuntur; ſed multò magis ipſæ Deum vbique ſpirant, cùm quæ Deus loquutus ſit in parabola & metaphoris, quaſi aperiunt. Eximiè Salomon in Concionatore ſuo: *Sapientis oculi* (inquit) *in capite eius,* Eccleſ. cap. 2. verſ. 13. admiratus dictionis

Eccl. 2.

Sacra



Sacramentum Nyſſenus hom. 5. in Eccleſiaſten: *cur hæc dicit? Eſtne vllum omnino animal, quod habeat oculos extra caput, ſeu dixerit aquatile, ſeu terreſtre, ſeu aëreum? Quomodo ergo hic dicit, ſolius ſapientis caput præditum eſſe oculis?* Sed ad myſterium nos compellit; oculis enim quemadmodum intelligentiæ acrior vis ſubauditur, ita capite Chriſtus figuratur; quicunque igitur ſapiens iure nominandus ſit, oporteat ad Chriſtum doctrinam transferat, alioqui apud mortales quanquam eruditus habeatur, ſtultus computabitur; *Quando igitur perſpiciendi, & contemplandi vis* (ſubiungit Nyſſenus) *occupatur in rebus ſenſibilibus, in eius calcaneos oculorum tranſit natura, per quos aſpiciet quæ ſunt inferiora; ſin autem rerum ſubiectarum cognitâ vanitate, ſuſtulerit oculos ad ſuum caput, quod eſt Chriſtus, ſicut interpretatur Paulus, beata cenſenda fuerit propter acrem oculorum aciem;* hoc conſulebat Origenes tract. 25. in Matth. aiens: *Debemus ergo ad teſtimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre ſenſum ſcripturæ, quaſi confirmantem quem exponimus ſenſum: ſicut enim omne aurum quod fuerit extrà templum, non eſt ſanctificatum; ita omnis ſenſus, qui fuerit extra diuinam ſcripturam, quamuis admirabilis videatur quibuſdam, non eſt ſanctus*; denique hoc eſt quod Theologorum ſchola præcipit, diuinis ſcientias alias famulari.

Nyſſen.

Er quidem mutuata pleraque verborum nomina à geniali nubentium pompa, quis non ſtatim animaduertat? Quapropter veterum aut recentiorum nemo vnquam dubitauit de coniugum amoribus honeſtate plenis, phraſis externum ſonum eſſe; quia tamen de perſonis, de tempore, de loco, de gaudiis, de pronunciatis & factis diligentiùs inquirere ab aliquibus prætermiſſum eſt, & ipſa hæc, quod potiſſimum munus erat, ordinare deſiuerint; ſequutum eſt, vt ſpiritalis ſenſus aut de Eccleſia, vel de Anima iuſta non talis euaſerit, qualem doctiores optaſſent; his itaque medelam afferre rebus pro virili ſtudemus; ex qua induſtria id ad nos commodi deriuatum eſt, vt quam chariſſimam habemus explanationem de memorandis Eccleſiæ euentibus per deſponſationem cum Chriſto, aptè diſpoſuerimus, quando mirâ concordiâ, quod in myſtica interpretatione deſideratur, dextram humanæ porrigat, eiuſque velut de præcordiis emanet; ſed ad hanc concinnandam, quæ de Eccleſia eſt, interpretationem, quanta ſcientiarum vbertas? quæ copia requiratur? Nam & ſubtilioris arcana Theologiæ interdum diſcutienda; cum ſectariis ex antiqua Eccleſiaſtica Hiſtoria, ex Patrum, ex Conciliorum, ex vetuſtæ traditionis monumentis, ex ſcripto Dei verbo agendum; vocant nonnunquam morales quæſtiones; vocant ad contemplatiuos ſpectantes etiam; ipſummet penè Salomoni æmulum quempiam iſta poſtulent, *Verba* ſcilicet *congregantis filij vomentis.* Prouerb. 30. verſ. 2. *Congregantis* nimirum vniuerſos doctrinarum theſauros, eoſdémque effundentis, & ſine inuidia communicantis; aut talem ſanè, qualem Hieronymus deſcribat epiſt. 3. ad Heliodorum, extitiſſe quem laudat Nepotianum, *qui lectione aſſidua, meditationéque diuturna, pectus ſuum Chriſti Bibliothecam effecerat*; vel qualem Theodoricus Boëtium commendat, Caſſiodor. 1. variar. epiſt. 45. *Quaſcumque diſciplinas, vel Artes facunda Græcia per ſingulos viros edidit, in eo vno Latium ſuſceperit*; aut poſtremò quales noſtrum compellat Epithalamium labia habentes cum fauo diſtillante, cap. 4. verſ. 11. ibi Nyſſenus hom. 9. *Cor tuum factum eſt plenum fauis, omne genus eruditionis, vnde profert ex bono theſauro cordis ſuaues ſtillas ſermonum, adeò vt tibi ſit oratio mel miſtum cum lacte.* Miſeros nos, qui ab hac gloria longiſſimo abſumus interuallo! Potiantur eo honoris titulo, qui in grandia deſtinantur; effugere tamen concupiuimus, ne iis annumeremur, quos Marcus Tullius reprehendit initio Tuſculanarum quæſtionum, inquiens, *Sed mandare literis quempiam cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis; itaque ſuos libros ipſi legunt cum ſuis, nec quiſquam attingit præter eos, qui eandem licentiam ſcribendi ſibi permitti volunt*; huius Ciceronis ſententiæ dignam quorundam ſcribendi pruritu commentationem lege apud Franciſcum Petrarcham lib. 1. de remediis vtriuſque fortunæ. Dialogo 44.

5. *Quanta ſupellex omnigena eruditionis ad exactam Scripturarum commentationem requiratur?*

Hieronym. — Greg Nyſſ. — Cicero.

Præter duo nominata interpretationum genera, quæ omnino Literæ debentur, in quibus idcirco preſſa & circumſpectior rerum, materiarúmque diſſertatio eminet, tertiam adiecimus exponendi normam, quâ morum Ethica docetur, & vnde ſuppetias referant, qui ad plebem Orthodoxam conciones habent in ſingula anni tempora; Hanc faſtidiunt quaſi leuioris operæ & encomij, neque magnis humeris æquam ſarcinā nonnulli Bibliorum Hiſtorico aſſueti ſtudio, doléntque tanquam ob melioris explanationis iniuriam quandam, velut confarcinari iſtiuſmodi excurſibus libros præferentes titulos Commentariorum in diuinam Inſtrumenti paginam vtramque; ſed quam ipſi

6. *Concionatoria themata à Bibliorum interprete nō negligenda.*



ſint

ſint meritò vituperandi, qui cùm Eccleſiæ Magiſtros veteres Doctores plurimi faciant, hoc in dogmate ab eis diſcedunt, neque enim Literæ aliquo pacto tantùm incubuerunt, quantùm Catecheſi, & inſtructioni morũ, oſtendimus Anteloq. 11. ſect. 3. demonſtrántque noſtri Ludouicus Creſolius Myſtagogi lib. 3. cap. 45. ſect. 5. Nicolaus Cauſſinus in ſacræ & humanæ eloquentiæ Parallellis, lib. 14. & ſequentibus; ſingulariter autem Gilbertus Genebrardus epiſtola Dedicatoria in Origenis à ſe partim aucta, partim caſtigata opera. Nec quidem abſque hoc laboris exacta Bibliorum interpretis diligentia: modò, Greg. Nyſſ. vt conſentaneum eſt, Gregorio Nyſſeno acquieſcamus, hom. 7. in Cantica; in illud: *Dentes tui ſicut greges tonſarum*, &c. *Quicunque diuina myſteria perſpicuâ quadam enarratione quaſi comminuit, vt alimentum ſpirituale faciliùs accipi à corpore Eccleſiæ poſſit, hi dentium opus conficiunt, craſſúmque & conſiſtentem Verbi panem ſuo ore ſumentes, & per ſubtiliorem contemplationem, aptum eſui reddentes animis eorum, qui ſuſcipiunt.* Declarat verò Pauli Eccleſiaſtarum principis exemplo, qui tradito Hiſtoriali ſenſu, modò Allegoriam, modò Tropologiam ſubtexit; ſed quemadmodum ſibi temperare debent, qui Literæ ſtudent, ne exoſa habere putentur concionandi themata; ita cohibere ſe iuſtum eſt illos, qui Didactica amant, ne impatienti quadam abrepti conceptuum auaritiâ, contra Auctores ſubiraſcantur, qui ſummis exantlatis moleſtiis, florido & locupleti ſtylo Hiſtoriam vberiùs pertractant, nullâ eruditionis prætermiſsâ ſpecie; modus itaque vtrobique tenendus eſt; vt nec priores affectent omnia Literæ ſibi vendicare interpretationem; nec ſecundi requirant vniuerſam in homiliis conſumi tractationem.

7. *Obſeruanda in concionatorio tractando argumento.* Quò autem fructuoſæ noſtræ poſſint eſſe vigiliæ piis, & grauibus concionatoribus, quibus potior eſt animarum vtilitas, quàm Hiſtrionicæ cuiuſdam in dicendo, inueniendóque laudis fama; de vitiis de virtutibus, de Chriſto ſeruatore, illiuſque Parente Deipara, de Beatis omnes noſtræ ſuaſoriæ, ablegatis ſterilium cogitationum partubus ad mouendos animos non conducturis; Inſuper & cùm in Ethnicorum ſcriptorum lucubrationibus ſatis nos verſatos, humani argumenti Canticorum elucidatio oſtendat, tamen in hoc commentandi genere vel à Philoſophorum doctrinis abſtinuimus exemplo veterum Magiſtrorum, Origenis, Auguſtini, Nazianzeni, Hieronymi, Baſilij, Chryſoſtomi, Cypriani, aliorumque, quibus cùm opus eſſet vel diſputare aduersùs Gentes, vel ſcripturarum phraſi indicatos ritus comprobare, libenter vtebantur teſtimonio Paganonorum; ſed cùm ad benigniores auditores verba haberent, Chriſtianæ ſcilicet quam ad ſanctitatem efformabant plebis, rariſſimè ex Gentilium libris dictionis mutuabantur præſidia, quod probè à noſtro Cauſſino adnotatum eſt in vtriuſque eloquentiæ Parallellis lib. 15. § *Enimuerò præclara*, &c. Præterea, quanquam fuſioris orationis aliquam ſubituri eramus reprehenſionem, quòd amplificando expendamus conceptus, & in vitia exclamemus; maluimus hanc ſuſtinere pœnam, quam iis auſcultare, qui ob inexplebilem conceptuum famem, adiuncta ornamenta, quibus moueantur animæ, contemnunt; *Concionibus, Patrum allegatio qualem afferat reuerentiam.* Vltimò, quoniam plurimi intereſt, ſuóne, an aliorum loquatur ore prædicator, eorum maximè, quibus ſanctitatis admirabilis excellentia tantum conciliauit reuerentiæ, illorum ſolo vt audito nomine componantur humanæ mentes, licet in concionatoria tractatione non pauca comminiſci poteramus, quorum inuentionis opera proprij ingenj fœtus eſſent, elegimus magis ſingula Patrum communire ſententiis, *agricolas* Greg. Nyſſ. *imitati* (placet ex Gregorio Nyſſeno initio Apologeticæ explicationis in Hexameron, profari) *qui mirabili quadam ratione ex vna, eadémque planta varios fructus percipiunt; id autem aſſequantur inſerendi artificio, quod eiuſmodi eſt: puſillum aliquod ex arbore quæpiam germen vna cum cortice baſi illius ſubiecto decerptum, in alterius arboris maioris aliquâ parte ſic inciſâ, vt ei cortex quadret, includunt, vt naturali maioris arboris humore germen illud enutritum coaleſcat, ramuſque fiat: Meam itidem ego cogitationem, quaſi germen, aut ſurculum exiguum magnæ arbori*, nempe ſanctorum Patrum *ſapientiæ ingeram; occaſionéque inde mihi ſuppeditata, tanquam humore quodam irrigatus, pro viribus ramus eius efficiar.*

8. Video à nonnullis interdum conqueri, in hac ſtudioſa erga Patres obſeruantia, imponi nihilominus de quibus ab eis non eſt cogitatum, trahíque ſeu inuitos ad alienam factionem; ſed duo conſideranda ſunt; alterum, ne tanta appareat differentia, vt ne quidem analogiam habeant Doctorum ſacrorum aphoriſmi cum rebus, quas aſſeuerare nunciantur; alterum potioris animaduerſionis; ne vnquam dicere cogantur, quæ cum Auditorum vtilitate non adhæreant, quæve pietatem aut decorem non ſpirent; reliquum veniabile eſt: Quid enim ſceleris, vt quam mihi vendicare acutè di-

ctorum,



ctorum, gloriam poſſem; eam in Beatos præceptores noſtros Eccleſiæ fulgentia transferam lumina?

Ergóne à vobis laudatiſſima cohors, (Concionatores dico) pro quibus deſudauimus, aliquid ad compenſationem, poſtulaturi ſimus? Satis & pluſquam ſatis fateor retribuiſtis vos, cæterique eruditorum, beneuolentiâ eâ, qua Anteloquiorum noſtrorum opus recepiſtis, pro qua gratias habeo quas poſſum maximas; ſed non merenti pro ſumma veſtra humanitate iſtud exhibuiſtis; quæ nunc expoſcam, Chriſto vt perſoluatis, debitum eſt; nempè, quem mortuis noſtris elementis calamus ſpiritu vacuus feruorem negauit, vos exhortando adiiciatis; ignem & faces vndequaque ſpargite, & comburite ſyluam malignam; timeat à facie veſtra omnis peccator quaſi à fornace ardenti quadraginta nouem cubitorum, nec ſit qui ſe abſcondat à calore veſtro. Mirabile eſt cùm ſit *Concionatoris in dicendo zelus, & pia vehementia.* tanta poteſtas vocum diuinarum, quàm pauci audiendo qui has enarrant, conuertantur! vis intelligere, quàm ſtupenda ſit virtus? Lactantius lib. 3, diuinar. inſtit. cap. 26. Lactantius. *Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus; pauciſſimis Dei verbis tam placidum, quàm ouem reddam: da cupidum, auarum, tenacem; iam eum tibi liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus largientem; da timidum doloris, ac mortis; iam cruces, & ignes, & taurum Phalaridis contemnet:* Si igitur Dei ſermo tam viuus & efficax eſt, quæ ratio vt non emolliantur corda ſaxea, niſi Prædicatorum ignauia, & languor in dicendo?

Longitudinis arguemur, cùm vnum, alter úmve Hymenæi caput integræ magnitudinis volumine penè abſoluerimus: quid ſi breues fuiſſemus? audiamus Balbum apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum non longè à principio: *atque hoc cùm vberiùs diſputantur, & fuſiùs, vt mihi eſt in animo facere, faciliùs effugiunt Academicorum calumniam; cùm autem, vt Zeno ſolebat, breuiùs anguſtiúſque concluduntur, tum apertiora ſunt, ad reprehendendum; Nam, vt profluens amnis, aut vix, aut nullo modo: concluſa autem aqua facilè corrumpitur: Sic orationis flumine reprehenſionis vitia diluuntur: anguſtia autem concluſæ orationis non facilè ſeipſam tutatur*; Rectiſſimè Plinius iunior lib. 1. epiſt. 20. ad Tacitum: *Frequens mihi diſputatio eſt cum quodam docto homine, & perito, cui nihil æquè in cauſis agendis, vt breuitas placet. Quam ego cuſtodiendam eſſe confiteor, ſi cauſa permittat, alioquin præuaricatio eſt tranſire dicenda; præuaricatio etiam, curſim, & breuiter attingere quæ ſint inculcanda, infigenda, repetenda; nam pleriſque longiore tractatu vis quædam, & pondus accedit:* perbellè appoſuit; *Si cauſa permittat:* Iam verò quis ignorat quanta ſit cuiuſque Scripturæ partis in ſenſibus infinita quædam vbertas, ob quam Dionyſius Athenienſium primus Epiſcopus epiſt. ad Titum ſcribebat? *Hæc enim Sapientia diuina accedentibus præſtat affluentiam, indeficientium dapum inundantiam largiens, ſuperemananans atque ſupereffundens:* Clemens etiam dictus Stromaticus apud Damaſcen. lib. 2. Paral. cap. 49. *Quemadmodum* (ait) *mare omnibus patet, atque alius natat, alius negotiatur, alius piſcatur: & rursùs quemadmodum terra communis eſt omnibus, atque alius iter facit, alius arat, alius ædificat; eodem modo, dum ſacra Scriptura legitur, alius in fide, alius in moribus iuuatur, alius per literarum agnitionem ſuperſtitione eximitur*; Si ergo tanta eſt fœcunditas glebæ huius, agrique omninò pleni, cui benedixit Dominus, quónam pacto exigui Commentarij ſeptis tam multiplicia claudenda abſque maieſtatis iniuria quadam? Sapientiſſimè Hieronymus in Præfatione lib. 3. ad Galatas: *Qui per me intellecturus eſt Apoſtolum, nolo vt mea ſcripta difficulter intelligat, & ad interpretem cognoſcendum, alium quærat interpretem*; Si quibus voluptas eſt, breui enarratione Literæ hauſiſſe ſenſum, & cerebro forſitan diſcruciantur prolixa legendo, illis ſufficiat noſtram inſpicere metaphraſim; Commentarij virilibus & fortibus relinquantur. Hos quoque vt ſe gerere debéant Auguſtinus docet lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, ad finem; *cui autem longus eſt, per partes eum legat, qui habere vult cognitum; quem verò eius cognitionis piget, de longitudine non queratur*; cerno multos dicere, iucundiorem eſſe breuitatem; nec Plinium iſtamet latuerunt citatâ epiſtolâ: *Gratior* (inquit) *multis eſt actio breuis: eſt quidem, ſed inertibus, quorum delitias, deſidiamque, quaſi iudicium reſpicere, ridiculum eſt: nam ſi hos in conſilio habeas, non ſolùm ſatius eſt breuiter, ſed omninò non dicere*; de hac materia latiùs diſputauimus Anteloquio 11. ſect. 1. — 9. *Longiorum Commentariorum excuſatio.* Cicero. Plin. Iunior. Dion. Areop. Clem. Alex. Hieronym. Auguſtin. Plin. Iunior.

Nec eſt quod ſilentio occultemus pia amicorum conuitia de huius operis tarditate querentium: Equidem poſt emiſſum primum volumen interdum morbus afflixit, & curæ oppreſſerunt innumeræ, taléſque, ob quas ſcripturiendi vel effrænis impetus remitteretur: concipiebamus interim molem interpretationis, quæ pleniſſimam deſideraſſet vacationem; quæ ſi tam iuſtæ defuiſſent cauſæ, quando ad feſtinandum ætas non pro- 10.



pellebat

pellebat, quadrageſimo videlicet nondum expleto anno; vt cunctaremur, operis ſumma difficultas perſuaſura erat: Auguſtinus tantus Doctor epiſt. 7. ad Marcell. *Angit me planè* (ait) *Horatiana ſententia; Neſcit vox miſſa reuerti: hinc eſt, quod periculoſiſſimarum Quæſtionũ libros, de Geneſi ſcilicet, & de Trinitate diutiùs teneo, quàm vultis & fertis; vt ſi non potuerint niſi habere aliqua, quæ reprehendantur, ſaltem pauciora ſint, quàm eſſe poſſint, ſi præcipiti feſtinatione inconſultiùs ederentur*; Hieronymus autem Quintilianum ſequutus lib. 10. inſtit. cap. 3. epiſt. ad Pammach. de obitu Paulinæ: *atque vt notauit Quintilianus* (dicitur) *primum hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quàm optimè ſcribamus: ſumma hæc eſt rei; citò ſcribendo non fit vt benè ſcribamus; benè ſcribendo fit vt citò*: Damus cùm licuit: tu fruere Lector, & boni conſule.

*Mora in ſcribendo.* Auguſtin.

Hieronym.

VESTIGA



# VESTIGATIO I.

## Explanatio Grammaticalis, & Humana in verſum primum Capitis primi, Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus*: Oſculetur me oſculo oris ſui: *cap.1. verſ.1.*

*Prænoſcenda ad literæ continuationem & nexum.*

FVIT mediocris, & obſcura promiſſi Connubij pompa, cùm circumſtarent ſolùm pauca capita, & hæc vilia, ex Sponſæ nempè affinibus & conſanguineis agreſtis plebs: locus quoque incelebris, nempè vaſtæ ſolitudinis horror: cœlum omninò apertum; & ne læderet violentior Phœbus, excepit hoſpitio Malus arbos, præbuit vmbraculum, & tegumenta. O charum Sponſæ germen, & inter omne nemus colendum pignus! Sub arbore Malo ſuſcitata eſt, planè ſuſcitata, quæ de Paſtrice in Dominam, & reginam euaſit. Sed pudebat magnificentiſſimum Dynaſtam, ingloria penitus fuiſſe ſponſalia: & neque ſaltem Monticolarum inconditis quanquam, feſtiua gaudiis: non auenam, non ſiſtrum, non tympana reſonare: Ergo emaculaturus labem iſtam: Tyrum Sponſæ habitationem, & Libani vlteriora deſtituens, Hieroſolymam regreditur, quò & cognatos deliniat impatienter laturos Coniugij triſtem & inæqualem formam, cùm thalamos concederet Puellæ ex infimo vulgo, egenti, & quæ non de Hebræorum linea: At inprimis, quò in diem Nuptiarum præparet tanto Principe digna ſpectacula, & quicquid in Metropoli ambitioſum, delicatum, ſingulare, eremò atque ruri videndum præbeat. Hæc omnia nos ſuperioris Tomi Anteloquio tertio, ſectione primæ ſubſectione prima; Modò contemplemur, quænam fuerint Sponſæ deſideria abſente viro, qui animi affectus, quæ illa ſuſpiria & lamenta concupiſcentis reſtitui, & tempora, & ſeipſam abſque crimine accuſantis.

*Oſculi deſiderijs variè ſignificatum, Sponſam optare Maritum reducem fieri: Oſcula per abſentes data; in Amicorum regreſſu: Connubiorum cerimoniæ: Actorum locus.*

### SECTIO I.

1. VIx eſt huius exordialis verſus Interpres aliquis, non ad Sponſum abſentem referens tabeſcentis præ Dilecti amore, Virginis querimoniam hanc; & aut de ipſomet Sponſo, aut de eius genitore, tutoribúſve piam expoſtulationem; Ita vetuſtiſſimus (ſi modò genuinus) Adamantius homil. 1. ex quatuor: *Introducitur ergo nunc* (inquit) *per Hiſtoriæ ſpeciem Sponſa quædam, quæ ſuſcepit quædam ſponſaliorum, & dotis titulo, digniſſima munera à Sponſo nobiliſſimo: Sed plurimo tempore moram faciente Sponſo, ſollicitari eam deſiderio Amoris ſui, & conſici iacentem domi ſuæ, & agentem omnia, quatenus poſſit aliquando videre Sponſum ſuum, atque oſculis eius frui: quæ quoniam nec differri amorem ſuum, nec adipiſci ſe poſſe quod deſiderat, videt: conuertit ſe ad orationem vt ſupplicet Deo, ſciens eum Patrem eſſe Sponſi ſui*: Atque eodem more, contractiùs tamen hom. 1. ex duabus Tranſlationis Hieronymianæ: quem in totum imitatus ad hunc primum verſum Theodoretus. Ambroſius quoque initio ſermonis primi in Pſalmum 118. & libro de Iſaac, cap. 3. & non obſcurè idipſum Nyſſenus hom. 1. in Cantica: in verſum iſtum, Euſebius Pamphilus, ſiue Athanaſius, Trium Patrum Commentatio, Caſſiodoro adſcripta expoſitio, Aponius, Beda, Bernardus ſerm. 2. Anſelmus VVolbero. Sanctus Thomas, Philippus Abbas, Thomas Ciſtercienſis: & extra Cantici enodationem Hieronymus epiſt. 146. ad Damaſum: Gregorius Romanus lib. 14. Moralium cap. 20. Chryſoſtomus tom. 5. hom. de Turture, Richardus à Sancto Laurentio, lib. 1. de laudibus Mariæ, cap. 5. Ex recentioribus rigidè & iuxta Hiſtoriæ ſenſum Luiſius Legionenſis, Delrius, Placidus, Nigidius, Hortulanus, Gaſpar Sanchez, Sotomaior Commentario iuſto, & Notis breuioribus quoque: ſubindicat Giſlerius Literæ explanatione: Spiritali ſenſu Eccleſiæ deſiderantis verbi illapſum, Titelmannus, Genebrardus, Almonacirius, Petrus Nannius; Nec dubitari valeat tritum atque commune hoc eſſe placitum: Sed quando ita, quamobrem oſculi deſiderio vſa Sponſa, quo innueret Sponſi ſe præſentiam rebus præ vniuerſis concupiſcere ardentiſſimè?

Origen.

Origenes. Ambroſius. Theodoret. Euſebius. Tres Patres. Caſſiodorus. Aponius. Beda. Bernardus. Anſelmus. VVolbero. Philipp. Abb. S. Thomas. Th. Ciſterc. Hieronym. Nyſſenus. Greg. Papa. Chryſoſtom. Richardus à S. Laurentio. Luiſius Legionenſis. Delrius. Placidus Nigidius. Hortulanus. Sanctius. Sotomaior. Giſlerius. Titelmãnus. Genebrard. Almonacirius. Nannius.

2. Veterum igitur ritus is fuiſſe apparet, vt non tantùm ore, labiiſque cùm adeſſent vel cognatos, vel familiaritate & Amicitia iunctos deoſcularentur, ſed quoque modum inuenerint ſalutandi per oſcula diſtantes: ſic mihi Dio Caſſius in Othone aſſerẽs φιλήματα τοῖς ἐκδόσοις διὰ δακτυλίων ἔπεμπε, ſcilicet, *oſcula Amicis per annulos mittebat*; Et propè hoc, quod Iulianus Imperator in epiſt. 40. Iamblico: *Vt accepi tuas literas oſculabar, & ad oculos admouebam, & arctè tenebam, quaſi veritus, ne tuæ imaginis ſpecies mihi per obliuionem euolaret in legendis tuis literis*; Quibus indicatum & chartas atque annulum, Vicaria oſcula fuiſſe: credo &

*Salutati abſentes Amici per oſcula.*

Dio Caſſius. Iulianus.

ob

*Effigies tabula deſcripta vltrò, citróque mitti ſolita.*

Claudianus.

ob eundem Scopum charorum imagines in tabulis ad viuum deſcriptas mitti ſolitas, quæ ſubſtituerent vice ſodalium, de quibus in Honorij, & Mariæ Epithalamio Claudianus:

*Non ego luxuriam regum, morémque ſequutus*
*Quæſiui vultum tabulis, vt nuntia formæ,*
*Læua per innumeros iret pictura Penates.*

Sponſam itaque cùm promiſſus Maritus ſalutaret per emortua oſcula: hoc eſt, aut epiſtolas crebras mitteret, aut nuncios frequentes, & cum his veſté pretioſam, monilia, torques, annulos, & quicquid eſt in diuitiis Principum exquiſitum: videbantur Amori exigua hæc vniuerſa, ſordebántque, abſente mentis ſolatio, dilecto nempe: reſpuit itaque muta illa, atque defuncta oſcula, & tota exardeſcit in eius, quem deperit conſociatam præſentiam: Concinnè Philippus Abbas lib. I. in Cantica, cap. I. *quia*, inquit, *Amori tenero non ſufficiunt promiſſiua, ſed ingraueſcit languor, ſi differantur iuſto ampliùs completiua: Cùm ad obtinendum quod diligo nec debeam, nec præualeam inſerre coactiua: offerre dignum arbitror verba ſimpliciter precatiua: Oſculetur me oſculo oris ſui.*

Philipp. Abb.

3. *Amor ſuſpectus, quem munera comitantur.*

Et quando hæc ſubſtituentia oſcula donorum interuentu porrigebantur, imò non aliud ipſamet, quàm munera à ſponſo ad conſortem; verebatur Puella, ne ſi deſiderium reducis Mariti ſobrium, atque moderatum fuiſſet, amaſſe ſuper virum ab eo miſſa pignora exiſtimaretur, ſaltémque lenimen per illa mœrori adhibitum; quò igitur de affectus ſynceritate teſtetur, & demonſtret haud eſſe mercenarium Amorem eius, vt qui in beneficiis non ſiſtat, ſed properet in largientem ipſum toto niſu; quaſi ad munerum præſentiam impatientior, & ſubiraſcens piè: Eia, dicit, ſubtrahite, amouete dona: nam licet illa grata, quoniam à Dilecto, ſed quia non ipſe, quem depereo, munera ſua comitatur, faſtidium eſt vel de tam pretioſa ſupellectile: O veniat dilectus, colloquar cum eo, deoſculer ipſum, alioquin ſi non & quem amo cum donis, recuſo munera; ſuſpectus eſt Amor, quem beneficia ſolantur: noſtra in dilectum tota rapiatur anima: Ibi, ibi moretur ſolùm: non fero, non ſuſtineo alia oſcula præterquàm ab ipſo Amore meo, cuius ſaucior optatibus: Certè de hac caſtiſſima Amatrice melius Poëtæ verſus illi:

Helena Paridi apud Naſonem.

*Munera tanta quidem promittit Epiſtola diues,*
*Vt poſſint ipſas illa mouêre deas.*
*Aſt ego perpetuò famam ſine labe tenebo,*
*Aut ego te potiùs, quàm tua dona ſequar.*
*Vtque ea non ſperno, ſic acceptiſſima ſemper*
*Munera ſunt, Author quæ pretioſa facit.*

Si faſtidio eſt ſpiritalibus auribus prophana Muſa, Bernardum percipite ſermone. 7. in Cantic. *Non petit libertatem, non mercedem, non hæreditatem, non denique doctrinam, ſed oſculum: Annon tibi quaſi dicere manifeſtè videtur: quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Amat profectò caſtè, quæ ipſum, quem amat quærit, non aliud quidquam ipſius.*

Bernardus.

4. *Cerimoniæ in nuptijs Chriſtianorum obſeruatæ.*

Fuit ſanè mos ſub Eccleſiæ initiis, vt Chriſtianorum nuptiæ peragerentur interuentu Euchariſtiæ, velaminis, datis dexteris, datóque oſculo: itaque de Connubialibus cerimoniis baſium: docebit Illuſtriſſimus Baronius tom. I. ad annum Chriſti 57. num. 48. Seuerinus Binnius Notis ad Canonem 13. Concilij 4. Carthaginenſis, atque pro hoc vſu Tertullianum exponunt libro de velandis Virginibus c. 11. cuius ſermo: *Si congreſſio viri mulierem facit, non tegantur niſi poſt ipſam nuptiarum paſſionem: at quin etiam apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur. Si autem ad deſponſationem velantur. quia & corpore, & ſpiritu Maſculo mixtæ ſunt, per oſculum, & dexteras, per quæ primùm reſignarunt pudorem ſpiritu:* hac namque oratione ſubinnuit Tertullianus, excepto geniali Flammeo quo Nuptura tegebatur, adiuncta inſuper vt & dexteras connecterent, & oſcula præberent: Zonaras ad Canon. 98. Concil. Trident. refert, ſi oſculum addidiſſent qui ſponſalia contrahebant, adulteram habitam quæ antè nuptias etiam ad alterum virum diuertebat: Equidem apud Ethnicos quoque & ſacrificij vſus ante nuptias, & in ipſis, velaminis, quo abſcondebatur Virginis pulchritudo: oſtendunt Bullingerus noſter lib. 3. de Imperatore Romano, cap. 17. Dempſterus Additamentis ad cap. 37. lib. 5. Antiquitatũ Roſini, Bernartius Notis ad lib. 12. Thebaidos Statianæ: meminit & dexteræ datæ ſponſo Lipſius ad illa lib. 4. Annalium Taciti: *Nam Patricios confarreatis Parentibus genitos*, &c. Viguiſſe etiam hos eoſdem Connubiales ritus apud Hebræos commonſtrat noſter Sanchez Prolegomeno tertio in Canticum Salomonis: Et quanquam de oſculis apertum nihil occurrerit quod commonefaceret inter nuptiales obſeruantias relata baſia, credibile tamen eſt, cum oſculandi frequentiſſimus extiterit mos & apud Nationes ſuperſtitioſas & apud Iudæos veri Numinis cognitione imbutos; Sancitum inter eos, vt quæ viro traderetur Puella, oſculum ſub ipſo Nuptiarum fœdere & traderet, & acciperet. Sanè in Regum Hebræorum inauguratione de ritibus fuiſſe, vt qui Monarcham vngeret, oſculum impertiretur, exiſtimat Abulenſis quæſt. I. in cap. 10. lib. I. & obſeruatam eandem cerimoniam in Primogenitis deſignandis autumat q. 5. in c. 27. Geneſis.

Baronius.

Binnius.

Tertullian.

*Ritus Connubiales apud Ethnicos & Hebræos.*

Bullingerus. Dempſterius Bernartius. Lipſius. Sanchez.

Abulenſis.

5. *Vxor æqualis ducenda.*

Ergo huic vſui vt ſubſcribamus, aſſeremus quidem deſponſatam Virginem, dum pro oſculo anhelat, nuptialem diem anxiè appetere; Nouerat prudens fœmina graue futurum ſponſo certamen cum affinium & cognatorum multis: Nam ægrè laturi erant, vt deſpectis patriis Virginibus, in quibus nobilitas, forma, eloquentia, modeſtia, & vniuerſa iſta opibus coniuncta, velut in contemptum Metropolis, diuerterit ad Paſtorum tuguria, & eam adamauerit, quam genitrix in ſiluis ſub arbore Malo peperit, quæ hædos ad paſtum ducebat, in qua vt faciei reluceret aliquis decor, Aulicismi tamen nihil neque in voce, neque in geſtu poterat eſſe: quid enim non perſuaderent cognati æqualem ducendam vxorem? hoc ipſa natura inſinuat. Percipiamus ex Ambroſiana epiſt. 66. ad Paternum: *Coniugium vis inter filios noſtros componere: quæro vtrum pares copulandi ſint, an impares? Sed ni fallor compares appellari ſolent: Boues, qui iungit ad aratrum, equos ad currum, pares eliget, vt ætas & conueniat, & forma, nec natura diſcrepet, nec decoloret diuerſitas:* Cùm igitur noſſet acerbam futuram & Parentum, & Amicorum pugnam, qui & minitarentur de medio tollere Adoleſcentem, ni cogitatione abſtineret peregrinæ coniugis: verebatur ne recens animus inexperti Iuuenis cederet facilè tantæ Tragœdiæ: Quid ſi horum nihil? tamen ipſa ætas, quæ ſub flore adhuc per ſe ſatis inconſtans: inſuper & Hieroſolymorum illecebræ plurimæ, quæ irretire poterant, & meliori illaqueare pulchritudine: ſed & ipſa abſentia nonnunquam fidiſſimas diſſoluit Amicitias: Hoc itaque perpendens, vt quæ omnia valerent promiſſi Connubij fidem eneruare,

Ambroſius.

optabat



optabat diem Nuptiarum, nempe hic vnus corroboraturus erat pacta antiqua: & quoniam ex huius diei cerimoniis, quod dabatur coram multitudine ſolenniſſimum à nouo Marito oſculum, ſub huius metaphora quod tantoperè concupiebat, intimauit, inquiens: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* O veniat lux illa candida & fortunata, quæ me Principi, duraturo fœdere coniungat, quæ timorem perturbato auferat animo, & in Reginam, Dominámque extollat mulgentem hædos. O quamdiu morâris ſpecioſiſſime Adoleſcens? quæ te noſtri habet obliuio? ô dimittite iuuenem cognati! Tu ſine, Genitor, venire, Tu Mater permitte abſcedere! habebitis nurum, cui, ſi alia deſint, at virtutem, ſobrietatem, pudicitiam amet, nec deformis ſit, nec rudi indole: Maritus apud Claudianum Epithalamio Honorij & Mariæ ſimilem in modum exclamat conquerens:

Claudianus.

———*quónam vſque verendus*
*Cunctatur mea vota Parens? quid iungere differt*
*Quam pepigit, caſtáſque preces implere recuſat?*
*Optatúſne dies aderit? dabitúrne iugalis*
*Nox, vnquam? tali ſolatur vulnera queſtu.*

Equidem hic ſenſus de Nuptiarum voto Hiſtoricus eſt ſi quis alius: quid enim magis deſideret Puella quæ iam deſponſata ſit, quàm ne quod offendiculum, Matrimonij pacta diſſoluat, præſertim coniugij ſupra omnem ſpem atque expectationem, ob comparis ſummam magnitudinem? Sed & his quoque Mariti ſatis indicatur aduentus cuius in præſentiam tabeſcebat, quando certè non niſi ab ipſo tantum oſculum oris auebat Sponſa.

6. *Oſculum, peregrè venientium Nota.*

Receptum & priſca conſuetudine, vt cùm aut diſcederent, aut peregrè redirent Amici atque conſanguinei, vel familiaritate vel cognatione deuinctis oſculum impertirent; itaque vel diſceſſus, ſeu aduentus etiam velut nota erat ſuauiatio: quamobrem Plinius in Traiani laudatione: *gratum erat cunctis, quod ſenatum oſculo exciperes, vt dimiſſus oſculo fueras.* Suetonius in Nerone cap. 37. *certè neque adueniens, neque proficiſcens, quemquam oſculo impertiuit, ac ne ſalutatione quidem:* & in Tiberio cap. 10. *paucóſque admodum in digreſſu oſculatus:* Catull. ad Verannium reducem factum:

Plinius.

Suetonius.

Catullus.

*Veniſti? ô mihi nuntij beati!*
*Viſam incolumen, audiámque Hiberum*
*Narrantem loca, facta Nationis,*
*Vt mos eſt tuus; applicánſque collum*
*Iucundum os, oculóſque ſuauiabor.*

Et ſimilia Horatius de Pomponio Numida redeunte ex Hiſpania lib. I. Carminum, oda. 36.

Horatius.

*Qui nunc Heſperia ſoſpes ab vltima*
*Charis multa ſodalibus,*
*Nulli plura tamen diuidit oſcula*
*Quam dulci Lamiæ.*

Vbi antiqui gloſſantes Acro & alij ſermonem eſſe ſignificant de oſculis, quæ dabantur è longinquo venientibus. Theocritus Idyllio 28. quod Colus.

Theocritus.

Χεῖνον ἐμὸν τέρψομ' ἰδὼν, κ' ἀντιφιλήσομαι.

Scilicet: *Hoſpitem, cùm intuebor, iucundabor, & mutuo accipiar oſculo.* Adeò etiam & rebus inanimatis oſcula non denegabantur: Ouidius Metamorphoſeos tertio, libri penè veſtibulo.

Ouidius.

*Cadmus agit grates, peregrinæque oſcula terræ*
*Figit, & ignotos montéſque, agróſque ſalutat.*

Apuleius ſuarum Metamorphoſeon lib. I. ad finem. *Pytheas condiſcipulus apud Athenas Atticas meus; qui me poſt quàm multùm temporis amanter agnitum, inuadit, amplexúſque, ac comiter deoſculatus:* Cicero Tironi: *Ego vos ad* III. *Calend. videbo, tuóſque oculos, etiamſi te veniens in medio foro videro, diſſuauiabor:* Chryſoſtomus expreſsè hom. 30. in poſteriorem ad Corinthios, ad illa verba: *Salutate inuicem in oſculo ſancto*, &c. *Ob eam cauſam* (ait) *ex peregrinatione aliqua redeuntes, mutuò nos oſculamur, animis videlicet ad mutuum congreſſum accedentibus:* Certè Paulus cùm ex Mileto diſcederet, Actor. 20. verſ. 37. *Magnus fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum eius oſculabantur eum:* Adoleſcens autem prodigus cum è remota Prouincia rediret, accurrens genitor, cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum Luc. cap. 15. verſ. 11. Approbant iſta, à quibus & nonnulla mutuati ſumus, & omnes eadem aliqua repetunt, Lipſius Electorum 2. cap. 6. Marcellus Donatus ſcholiis ad ſcriptores Latinos Hiſtoricos ad cap. 34. Suetonij in Tiberio; noſtri Bullingerus de Imperatore Romano lib. 3. cap. 15. Ludouicus Creſolius Myſtagogi lib. 4. cap. 6. ſect. 2. Pererius diſput. I. ad cap. 29. Geneſeos, Iuſtinianus tom. I. in Apoſtolum, ad cap. 13. ſecundæ ad Corinthios Epiſtolæ: Sanctius ad locum præſentem Salomonici hymenæi; in eundem Ludouicus de Sotomaior Dominicanus: alter quoque eius commilito Raphaël de Torres tom. I. de Religione, diſput. 5. ad art. 2. quæſt. 84. 2. 2. num. 16. Ludouicus Dorleans ad lib. 11. Taciti.

Apuleius.

Cicero.

Chryſoſtom.

Actor. c. 20.

Luc. cap 15.

Lipſius. Marcelius Donatus. Bullingerus. Creſolius Pererius. Iuſtinianus. Sanchez.

Sotomaior. Raphaël de Torres. Dorleans.

7.

Quoniam igitur ex communi ſententia oſtendimus ſub initio ſectionis huius, dolentis Sponſæ pro Mariti abſentia eſſe iſtum threnum, erit vt ſermo ſit de oſculo, quod impertiunt qui ex peregrinatione redeunt. O ſi veniat dilectus meus, *ſi oſculetur me oſculo oris ſui*, oſculo nimirum eo, quo chariſſimi quique amantiſſima pignora ſalutant, quoties reduces ſiunt, & ſuis, poſtliminio reſtituuntur. O ſi Hieroſolymam adhuc reliquerit! ô ſi eum via habeat! ô ſi propè ianuas ſit! currite veloces Horæ, abbreuiate hebdomadas, vóſque ô Libani iuga ſummittite dorſa, ſiant aſpera in ſemitas planas, & praua in directa, quò non moretur, ſed volet agilis, ſimilis capreæ, hinnulóque Ceruorum, ſaliens in montibus, tranſiliens colles. O Virginis acre, impetuoſum, vehemens deſiderium! & tamen hæc, quæ nunc tam rapida, & impatiens in amando, quam nulla fomenta ſolantur, ſi non veniat quem deperit, & oſculetur illam oſculo oris ſui, erit, cùm præſentem deſpiciat: quid dixi? Supplicantem obnixè, ad oſtia pulſantem, & obtendentem, quoniam caput plenum ſit rore, & cincinni guttis noctium, Cantic. cap. 5. verſ. 2. Non malè equidem Propertius lib. 2. Elegia 33.

Propertius.

*Semper in abſentes felicior æſtus Amantes;*
*Eleuat aſſiduos copia longa viros.*

Quanquam Sponſam noſtram defendere conabimur, vt quæ vigilans & ſui compos exarſerit in abſentis deſideria: ſomniauerit autem, & ratione orbata ſit, cùm quæ huius Epithalamij cap. 5. referuntur, contigerunt.

*Cur Oſculum Oris ſingulariter exoptauerit Sponſa, duæ cauſæ: Variæ Oſculorum differentiæ: Spiritus, vt Oſculo attrahatur: Amantes quemadmodum vnum fiunt? An Poëticè aliquid ex Scriptura interpretandum? Regum verba, & Pauli.*

## Sectio II.

Cum & frontem, & oculos, & maxillas, & pectus, & manus, & genua, & plantas deoſculari

culari vſus fuerit , quam ob cauſam nominatim oris oſculum concupiſcit Sponſa? Vt enodem;

*Tria oſculorũ genera, pedis, manuum, oris.*

Suppono primùm, tria extitiſſe celebriora baſiorum genera. Vnum, pedis, quod ſeruorum, & abiectæ multitudinis erat honos : alterum manuum , quo mediocres homines afficiebantur beneficio , aut qui ex ſeruorum numero excellebant aliquid : tertium oris, ad quod niſi pares officiis, & nobilitate haud admittebantur : hinc à

Plinius.

Plinio inter encomia Traiani repoſitum : *Non tu* (ait) *Ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis , nec oſculum manu reddis* :

Seneca.

Seneca de Pedis oſculo lib.2. de Beneficiis , cap. 12. loquens de Caio Cæſare: *Cæſar dedit vitam Pompeio Penno : deinde abſoluto, & agenti gratias porrexit oſculandum ſiniſtrum pedem: qui excuſant eum , negant id inſolentiæ cauſa factum: aiunt ſocculum auratum, imò aureum margaritis diſtinctum oſtendere eum voluiſſe* : Nimirum ſuperbiæ arguebatur, quoniam cùm Pomponius Senatorij fuiſſet ordinis, pedem oſculandum tradidiſſet, quod non niſi erga ſeruos fit , aut qui in victoris poteſtatem tranſiêre, captiuitatis iugo ſuppreſſi; quare & faſtui datum id in aliis Imperatoribus;

Capitolinus.

de Maximiano Iulius Capitolinus : *in ſalutationibus* (inquit) *ſuperbiſſimus erat, & manum porrigebat, & genua ſibi oſculari patiebatur , nonnunquam pedes:*

Dio. Arrianus.

Dio in Caio : *pleriſque etiam Senatorum vel manum, vel pedem præbuit adorandum* : Arrianus lib. 2. cap. 26. diſſert. Epict. *Nunquàm blanditus es ſerulo tuo , nunquam eius pedes oſculatus es , & ſi quis te pedes Cæſari oſculari iubeat , iniuriam exiſtimas:*

Seneca.

Seneca de manuum oſculo, epiſt. 47. *Viue cum ſeruo clementer : comiter quoque & in ſermonem admitte , & in conſilium , & in conuictum : Hoc loco acclamabit mihi tota manus Delicatorum : nihil hac re humilius, nihil turpius : Hos ego eoſdem deprehendam alienorum ſeruorum oſculantes manum* : Idem epiſtol. 118. de Candidatis diſſerens : *alius eorum manus oſculis conterat , quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt.*

9. Arrianus.

Diſcreuit faciei , & manuum oſcula memoratus antea Arrianus lib. 1. cap. 19. diſſertationum Epicteti : *Tribunatum aliquis adeptus eſt* (inquit:) *Omnes obuij gratulantur : alius colla oſculatur , alius oculos , ſerui manus* : Fuit cùm & Nobilibus porrigeretur deoſculanda manus , ſed oris ſuauiatione adiunctâ :

Pomponius Lætus.

Pomponius Lætus , tit. de magnitudine imperij Romani : *Imperatores antea manus exoſculandas nobilibus præbebant , pòſt ſuis manibus ſubleuabant ad oris oſculum : vulgus genua exoſculabatur; Diocletianus edicto ſanxit ; vti omnes ſine generis diſcrimine , proſtrati, pedes exoſcularentur* : Hoc autem Tyrannidi & ſuperbiæ ſummæ amentiſſimi Imperatoris huius tributum, vt qui pares faceret ex Patriciorum claſſe viros cum ſeruorum, & vulgi ordinibus : verùm omnes oſculorum differentias comprehendere viſus

Claudianus.

Claudianus , loquens de nouo Eutropij Conſulatu, lib. 2. in eum:

*————————huc plebe ſenatus*
*Permiſtâ, trepidique duces, omniſque poteſtas*
*Confluit ; aduolui genibus, contingere dextram*
*Ambitus , & votum deformibus oſcula rugis*
*Figere.*

Bernardus. Hugo Card. Th. Ciſterc. Cyprianus Ciſterc. Titelmãnus. Almonacyrius. Pererius. Pineda. Lorinus.

Sed ad initialem hunc Canticorum verſum trini oſculi meminêre , quod & partiuntur, quo more nos , Bernardus ſerm. 2. & 4. in Cantica , & ex paruis ſerm. 25. Hugo Cardinalis, Thomas Ciſtercienſis , Cyprianus de la Huelga , Titelmannus, Almonacyrius : tangunt & Pererius diſput. 1. in cap. 29. Geneſeos, Pineda ad verſ. 27. cap. 31. Iobi, Lorinus ad verſ. 12. Pſalmi ſecundi. Salazarius ad verſ. 26. cap. 24. Prouerbiorum ; Ioſephus Stephanus Oriolanus Antiſtes tractatu de oſculatione pedum Romani Pontificis, capite primo.

Ioſephus Stephanus.

10. *Polygamia permiſſa Hebræis.*

Suppono inſuper licitam fuiſſe Hebræis Polygamiam , & inter multitudinem vxorum alias extitiſſe primarias, alias ſecundarias : Illæ erant penes quas familiæ regimen , quarum filij hæredes nominabantur , quæ Dominæ , & in honore apud Maritum , proinde & communiter æqualis cum ipſo nobilitatis , atque opulentiæ , vti animaduertit

Rupertus.

Rupertus Abbas lib. 7. in Geneſim, cap. 39. Hæ, quæ ſecundariæ, ex plebeia conditione , & quanquam veræ vxores atque legitimæ, prioribus tamen ita ſubditæ vt ancillarentur : tales Agar obſecundans Saræ , Bala Racheli , Zelpha Liæ : denique illæ Matronæ, iſtæ Concubinæ dictæ : Modò non vacat ſingula firmare, Erit quæ expoſtulet oportuna ſedes ; videantur interim à cupientibus ſcire,

Azor. Pererius. Maluenda. Becanus. Mendoza.

Azor tom. 1. Inſtitutionum Moralium , lib. 6. cap. 13. Pererius diſput. 1. in c. 16. Geneſis, Maluenda lib. 6. de Antichriſto , cap. 18. Becanus Analogiæ, cap. 22. Franciſcus de Mendoza tom. 1. in lib. 1. Regum. Annotatione 1. Literali ad verſ. 2. cap. 1. ſect. 2. Suppono denique id, quod multoties à me fulcitum eſt elapſo volumine, præſertim Anteloquio tertio, ſect. 3. ſubſect. 1. Sponſum , de quo Epithalamium Salomonis opibus, ſtemmate , gloria fulſiſſe , vt nemo poſt Monarcham eo potior : cùm è diametro Sponſa iis omnibus careret ornamentis , & præter Animi , corporíſque dotes , in quibus excellebat, Auorum , fortunæque ſubſidiis deſpoliatam, atque idcirco Marito per bona extrinſeca imparem.

11.

Cùm igitur ſagax Virgo perpenderet, nimiam eſſe coniugum differentiam : Maritum de prima nobilitate , cognatione, obſequiis , potentiâ clariſſimum ; Deſponſam abſque opibus, & ſine familia ; verebatur vt tandem Affines concederent, ad thorum , prolémque admitti , ſed nunquam permiſſuros , vt aliud quàm Concubinæ nomen poſſideret, futuram nimirum de primariæ vxoris ancillis: certè, nónne ſatis beata Sponſa ſi vel hac ſorte donetur? neque enim mediocre eſt tanti Principis vtcumque appellari conthoralem: Cùm tamen Dynaſtæ erga ſe ſtrenuum affectum non ignoraret Virgo , ſperabat contingere poſſe vt ad apicem gloriæ eueheret , neque Concubinarum ſubtraxiſſe numero contentus , etiam reginarum caput faceret : igitur inter ſpémque , atque timorem , *Oſculetur me* (inquit) *oſculo oris ſui* , id eſt , ô vtinam oſculetur : non enim imperij ſunt verba illa (quanquam dictionis ſonus aliter ſubinnuat,) ſed concupiſcentis, ſed deſiderantis :

Regula, *Imperatiuum pro optatiuo poſitum.*

ſolet enim ex ſacri idiomatis Dialecto Imperatiuum loco Optatiui ingeri , vti circa hæc ipſa verba adnotat

Origenes.

Origenes hom. 1. ex duabus , & probat ex Dominicæ Orationis illa periodo; *Sanctificetur nomen tuum*, id eſt, vtinam ſanctificetur , atque idem Catena Græcorum Patrum in Moyſis Pentateuchum , ad illud Numerorum, cap. 10. *Surge Domine & diſſipentur inimici tui* , &c: *Animaduertendum* (inquit) *omnia ferè verba, quibus fundantur preces , imperandi modum ſeruare , loco tamen optandi accipienda ſunt : Surge igitur ſignificat, vtinam ſurgas* :

Cantapret. Pineda.

ſubſcribunt Cantapretenſis lib. 3. Hypotypoſeôn , cap. 4. Pineda ad verſ. 3. cap. 3. Iob itaque humili cum fiducia grande quidpiam optat, vti à

Bernardus.

Bernardo ſerm. 7. in Cantica animaduerſum : *Magnum quid* (inquit) *à Magno petitura, nullo tamen , vt aſſolet , vtitur blanditiarum fucis: nullis*



*nullis circumuolutionibus ad id quod deſiderat ambit: non facit Procœmium , non captat beneuolentiam , ſed ex abundantia cordis repentè prorumpens, nudè, frontoſéque ſatis : Oſculetur me , ait , oſculo oris ſui* : At quid ſit grande iſtud, quod tantoperè auet , niſi primariam dici vxorem cæterarúmque omnium Promacham? Vis noſſe quo more, oſculo id adſignificetur?

12.

Nempè, ſubeant initio Membri huius propoſita : ſcilicet, docuimus oſculum pedum , ſicut & manuũ baſia, ad plebem, & mancipialem turbam pertinere ; oris ſuauiationem Nobilitati reſeruatam , atque iis, qui paribus fulgerent honoribus: ergo oſculari Sponſum oſculo oris ſui, eſt æquali cum eo gloria donari , eſſe Reginam eam inter multas, quæ in veſtitu deaurato ad dexteram illius vadat , fluente myrrhâ & guttâ & caſiâ à veſtimentis eius , vt demirati populi vim tantam odoramentorum, exclament, *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum , ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ , & thuris , & vniuerſi pulueris pigmentarij?*

Cant. cap. 3. verſ. 6.

Cant. cap. 3. verſ. 6. nimiámque Sponſi indulgentiam ſtupeſcentes, dicant iterum : *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens , innixa ſuper dilectum ſuum?*

Et cap. 8. verſ. 5. Bernardus.

Cant. 8. verſ. 5. Nam certè cùm oſculum oris petit , inter oſcula ſummum flagitat , vt perſpexit Bernardus ſerm. 4. in Cantica: *Cur enim* (inquit) *cùm ſufficere poterat dixiſſe ſimpliciter, Oſculetur me : præter morem tamen , vſumque loquendi diſtinctè & ſignanter adiecit (oſculo oris ſui,) niſi vt oſtenderet, ipſum quod petèbat oſculum ſummum eſſe?* Quod ſi quidem inter baſia præſtantiſſimum , rectè deſignauerit potiores honores Matrimonij ( hoc enim oſculo concinnè adumbratum ſtatim patefaciemus : ) Erat autem Coniugij ſupremum culmen , inter cæteras vxores præpollere, quam reliquæ & Concubinæ & Reginæ beatiſſimam deprædicarent , quam colerent, vti inferiùs Canticorum cap. 6. verſ. 8. Pro hoc igitur tam fortunato & excelſo dono ſuſpirat Virgo : non extorquet, non imperat , non audet etiam petere , vt cui ſit abſolutè tribuendum : verùm modeſtè & tremens : ô ſi contingat ! ô ſi beneplaceat illi in hac ancilla ſua , &, quando libuit de ſtercore erigere, etiam vſque eò attollat , vt ſolium gloriæ poſſidêre faciat ! Quis mihi hoc tribuat , vt aſſumas me , & conſtituas Reginam, cuius vultum deprecentur diuites plebis , quam adorent filiæ Tyri in muneribus ! Quæ expoſitio cùm arrogantiæ nihil inuoluat, ſed plena ſit humilis voti , omnia refundentis in Sponſi largitatem admirabilem,

*Beata Virgo num poſtulauit Mater Domini fieri.*

eò mihi arridet magis , quod Beatiſſimæ Virgini adaptari valeat , & eorum piam opinionem firmare, qui æſtimant , non ſolùm deſideratum ab ea, vt Verbum Patris humanam naturam aſſumeret ſed inſuper flagitatum ſumma cum demiſſione, ſi fortè placeret inexhauſtæ benignitati , de ipſamet carnem mutuare , ciúſque viſceribus illabi.

13. Mulieres Zelotypæ.

Iuxta autem humanum Literæ ſenſum , haudquaquam inſolens æſtimari debeat , vt Puella optarit in primariam tranſire vxorem : conſueuit námque durum eſſe honoratioris coniugis in reliquas imperium , præſertim aduerſum Concubinas. Fateor Agarem ſuperbiâ elatam, ac proinde iuſtè caſtigatam Geneſ. cap. 16. ſed tamen aliquem in Sara exceſſum iracundiæ

Ambroſius.

Ambroſius ſubolet , lib. 1. de Abraham, cap. 4. *Accepit poteſtatem irata vxor, & immoderatiùs vltione permiſsâ vtitur : quod ſi Sara moderationem non tenuit , quæ tenebit ? ideóque ſcriptum eſt* ; (*& afflixit eam :* ) ac ſanè egregiè , *Quòd ſi Sara moderationem non tenuit , quæ tenebit?* Nam apud alias, in quibus tumor atque faſtus , quid non dirum , & prorsùs intolerandum ?

Briſeis Achilli.

Precabatur de Concubinarum numero vna, Dominæ metuens arrogantiam,

*Nos humiles, famulæque tuæ data penſa trahemus,*
*Et minuent plenas ſtamina noſtra colos.*
*Exagitet ne me tantùm tua, deprecor, vxor,*
*Quæ mihi neſcio quo non erit æqua modo.*
*Néve meos coram ſcindi patiare capillos,*
*Et leuiter dicas , Hæc quoque noſtra fuit.*

Ne igitur dominantis Heræ ſæuitiam pati cogatur , & zelotypæ mentis perpetua bella ; optat inter primarias vxores recenſeri.

14. *Amantes vt per oſcula Spiritum diligentis ebibunt.*

Alia cauſa deſiderandi ſingulariter oris oſculum eſt , quoniam per oris ſuauiationem qui ſe exoſculantur , quodammodò alterutrum hauriunt animum , ſpiritúmque cuiuſque , & viuit Amans potiùs in eo , quem deperit , quàm in ſeipſo :

Cyprianus Ciſterc.

Cyprianus Ciſtercienſis in hunc verſum: *Quærebatur iam olim inter præſtantes omni genere doctrinæ Philoſophos , quid potiſſimum Amantes oſculorum frequenti repetitione , & velut concertatione quærerent : reſpondent illi magno cum iudicio , crebris oſculis contendere , vt animi quantùm fieri poteſt , in ſeipſos penetrent, & abeant ; & quoniam id penes illos non eſt , animos ſcilicet inuicem commutare : illud efficiunt quod poſſunt : ob eámque rem in ipſo Animi veſtibulo veluti commorantur, & ore decertant, vt Animi ſe inuicem poſſint exoſculari ; quoniam aliud non licet : Nónne igitur oſculo oris commutationem iſtam Animorum, & transformationem intelligimus?* Paria

Luiſius Legionen. Nannius. Almonacyrius. Delrius. Nigidius. Sanctius.

Luiſius Legionenſis, Petrus Nannius, Almonacyrius , noſter Delrius, Placidius Nigidius , & ex profeſſo noſter Sanctius , numero tertio. Diſplicuit tamen aſſertum Raphaëli de Torres loco à nobis indicato ſuperiùs num. 6. & Ludouico Legionenſi inſultat , vt qui Poëticè , atque lubricè ſcripſerit de oſculorum natura : At, quid ſi Poëticè Luiſius? Nónne genuinè id quidem , dum cortici verborum exponendo, inhæret eius, quod Metrum eſt, Codicis ? neque enim abhorrêre

Regula, *Scriptura ſacra nominibus interdum vtitur ex Poëtarum fabulis depromptis.*

Scripturarum Phraſim à Poëtarum tropis , atque Metaphoris : quin verò, ſi quid excellens , comptum , floreſcens in ſæculari carmine, à Salomone , Dauide aliiſque ſacris Vatibus mutuatum oſtendimus Tomo anteriori , Anteloq. 1. ſect. 3. num. 20. & Anteloquio 9. ſect. 2. Nunquid non Poëticè Iobus dum cap. 9. verſ. 9. & Arcturum , & Oriôna, & Hyadas , & interiora Auſtri nominat? Sed Interpres id neceſſarium ratus ex fabulis vocabula deſumere, quò nos faciliùs intelligeremus: percipiamus à Hieronymo ad illud cap. 5. Amos:

Amos 5.

*qui conuertitis in abſynthium iudicium* , &c. *Quando autem audiuimus Arcturum , & Oriona, non debemus ſequi fabulas Poëtarum , & ridicula , & portentoſa mendacia , quibus etiam cœlum infamare conantur, & mercedem Stupri inter ſydera collocare, dicentes:*

*Arcturum, pluuiáſque Hyadas, geminóſque Triones,*
*Armatúmque auro circumſpicit Oriona.*

*Sed Hebræa nomina , quæ apud eos aliter appellantur, vocabulo fabularum gentilium in linguam noſtram eſſe tranſlata , quia non poſſumus intelligere quod dicitur niſi per ea vocabula , quæ vſu didicimus , & errore combibimus* :

Hieronym. Greg. Papa. Cantapret. Sanchez.

Conſimilia idem in cap. 3. Epiſtolæ ad Galatas: atque ad præfatum Iobi verſum Gregorius Papa lib. 9. Moralium , cap. 6. Aſſentiuntur Cantapretenſis Hypotypoſeôn lib. 6. pag. 440. §. *Nonnihil etiam dicendum* , &c. Sanctius in cap. 9. Iobi, num. 23.

15.

Sed homo ſcholarum exactis regulis plus aſſuetus,

*Raphaël Torrenſis pro deſpecta Poëtica Scripturæ interpretatione notatur.*

aſſuetus,quàm Scripturarum vſui, putauit,omnia ad viuum ſemper eſſe reſecanda, nec perpendit coniecturæ, & diuinationi ſæpè eſſe locum tantùm : Verùm ſunt multi eius naturæ, vt ſi in peregrinum,& ſubtile aliquid incidant,cùm, ratione aut graui authoritate conuellere nequeant, vel ad dicteria, aut ineruditas exclamationes ferantur, & iis paginas adimpleant : Neque in noſtro Cornelio approbare conſilium eſt,quod Alcazarij cogitationem de Luna ſub pedibus mulieris Sole amictæ,Commentario ad verſ. 1.cap.12. Apocal. §. *Septimò cum hæc*, Poëticam quaſi ſugillans dixerit, eò quod vir acris à Lucina gentium Dea,quæ parturientibus ſuccurreret, ſimilitudinem tranſtulerit,ad Eccleſiæ partum;Nam quorſum non id quidem & plurima cum elegantia? Verùm, hæc, quæ Raphaëli Torrenſi tantoperè diſplicuêre, Vt quod per tropum homines omnigenâ doctrinâ prædititi aſſeruerint,per oſculum quaſi ebibi Amantium Spiritum, mentium quandam tranſmutationem contingere, fieri vnum ex duobus,dimidium Cordis eſſe ſodalem, viuere qui diligit magis in eo quem deperit, quàm in ſeipſo, atque iſtis homogenea alia, quæ per affectum & intentionaliter,non per Phyſicam aliquam vnionem ſuccedunt, experiamur vt grauiſſimi vetuſtatis Patres reiicienda non duxerint.

*Cornelij à Lapide eſſatum diſplicet.*

16. Poëticum vtique erit illud Horatianum,Carmin, lib.1.Ode 3.

Horatius.

> *Nauis, quæ tibi creditum*
> *Debes Virgilium finibus Atticis*
> *Reddas incolumem precor,*
> *Et ſerues Animæ dimidium meæ,*

*Ex Amantibus vnum quodammodò fieri, qui aſſerant,& quæobrem.*

Augustinus.

Quam tamen phraſim Auguſtinus non aſpernatur Confeſſionum lib.4. cap. 6. *Benè quidem dixit de Amico ſuo ; Dimidium animæ meæ : nam ego ſenſi Animam meam, & animam illius vnam fuiſſe animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaueram :* Tale & illud Nazianzeni oratione, qua funus Baſilij proſequitur : *Vna enim ambobus Anima videbatur duobus corporibus incluſa* : Nec ab his multùm diuerſus Hieronymus ad Ruffinum ſcribens. *Credas mihi frater, non ſic tempeſtate iactatus portum nauta proſpectat, non ſic ſitientia imbres arua deſiderarunt, non ſic curuo aſſidens littori, anxia filium Mater expectat : poſtquam me à tuo latere ſubitus turbo conuulſit, poſtquam glutino charitatis hærentem impia diſtraxit auulſio : tunc mihi cæruleus ſuprà caput adſtitit imber : tunc Maria vndique,& vndique cælum.* Et ſtatim : *Innocentium enim partem animæ meæ repentinus febrium ardor abſtraxit.* Sed quid inhæremus Patrum effatis, quando & Regum liber primus,c.18.verſ.1.eundem in morem loquitur : *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Quem ad verſum Toſtatus quæſt.1. *Tangitur autem in hoc propria radix Amicitiæ, quia cùm aliqui veri Amici ſunt, tanta eſt in eis colligatio, quod iam non ſunt vt duo homines, ſed vt vnus per vnitatem affectionis, quia vera Amicitia eſt idem velle, & idem nolle, vt ait Tullius in libro de vera Amicitia : & in tantum eſt iſta identitas volitionis, quod iam prædicatur identitas ſubſtantiæ, ita vt non dicatur, quod duo Amici ſunt duo homines, ſed idem homo : ſic Ariſtoteles 9.Ethicorum,ſcilicet,quod Amicus eſt alter ipſe, & hoc non ſolùm eſt in Amicitia humana, ſed etiam in omni amore locum habet, iſta enim identitas ſequitur, quando Deum verè diligimus : ſic patet.2. ad Corinth.cap.6. ſcilicet,qui diligit Deum, vnus ſpiritus eſt cum eo : Hoc autem eſt, quia anima Amantis non manet in Amante, ſed tranſit ad amatum : vnde Anima verius eſt vbi amat, quam vbi animat, vt ait Dionyſius libro de diuinis Nominibus:* & cognata idem ad cap. 38. Geneſis,& tom.6. in Matthæum,quæſt.302.in cap.22.

Greg Naz.

Hieronym.

Reg.1.c. 18. verſ.1.

Abulenſis.

17. *Morientes cur deoſcularêtur priſci?*

Poëtica videri poſſint, vt iam ad inſtituti proximiorem Scopum accedamus, quòd Morientium oſcula vehementiſſimè affectent conſanguinei & Amici, ſi quo pacto ſpiritum abeuntis legere, atque in ſe quodammodò deriuare valeant; quo de ritu Chryſoſt.tom. 1.hom.1.de patientia Iob. *Qui enim ſecundum carnem Parentes ſunt, cùm natum vltimo ſpiritu laborantem habuerint, os deoſculantur vltimo Parentum oſculo* : Id habuit ſemper Ethniciſmus in magna religione, Propertius lib.2. Elegia 10.

Chryſoſtom.

Propertius.

> *Oſculáque in gelidis pones ſuprema labellis*
> *Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.*

Et de Anna Pœnorum Reginæ ſorore, Maro, quarto Æneid.pangit:

Virgilius.

> ——*extremus ſi quis ſuper halitus errat*
> *Ore legam.*

Quò ſpectant illa Tranquilli in Octauio Auguſto,cap.99. *Omnibus deinde dimiſſis dum aduenientes ab vrbe de Druſi filia ægra interrogabat, repentè in oſculis Liuiæ,& in hac voce defecit :* Nec tamen veretur Ambroſius ſimilia de ſemet pronunciaſſe, Oratione de Satyro fratre illius : *Nihil mihi profuit vltimos hauſiſſe anhelitus, nihil flatus meos inſpiraſſe morienti.* Sed vti ſpiritum vnà cum oſculis quaſi ad ſe trahere, & velut Animarum quandam migrationem contingere inſpiciamus vt idem concedat Ambroſius, qui tamen metaphoricè ſermocinari intelligendus eſt: libro de Iſaac, cap.3. *Per oſculum* (ait) *adhæret Anima Deo, per quod ſcilicet transfunditur ſpiritus : ſicut & hi,qui ſe oſculantur, non ſunt labiorum libatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi inuicem videntur infundere:* Chryſoſtomus hom. 30. in 2. ad Corinthios ad illa: (*Salutate inuicem in oſculo ſancto*, &c.) *ob eam cauſam* (dicit) *ex peregrinatione aliqua redeuntes, mutuò nos oſculamur, animis videlicet ad mutuum congreſſum accedentibus.* Guillelmus Abbas in Meditationibus : *Qui ſe dulciùs oſculantur, mutuos ſibi ſuos Spiritus dulciùs infundunt, quorum quibuſdam odoribus dulce habent perfundi : Accipe tibi Domine, nec reſpuas totum ſpiritum meum, quem totum in te effundo, qui totus olet.* Hoc latiùs proſequutus ſum, vt ſemel commonefaciam, non eſſe protinus deſpicienda, ſi quæ à Poëtis vſurpentur, cùm in his non pauca reperiantur ex Philoſophorum officinis deprompta, quæ & Eccleſiæ Doctores non illibenter amplexantur, cùm hoc de Animarum per oſcula & Amorum communicatione, quod fabulam & Metrum ſapere iudicabatur, in Patrum volumina irrepſerit, & ex nuperis homines conſummatæ diſciplinæ admiſerint.

Suetonius.

Ambroſius.

Chryſoſtom.

Guill. Abb.

18. Iam ex his duo pro Sponſæ noſtri Hymenæi Amoribus : Primum,quod ab aliis inculcatum,vt concupierit ſupremum in diligendo apicem attingere, ita vt non iam duo, ſed vnus idémque ſpiritus quodammodò vtriuſque, ebibitâ amborum mente per oſcula, Rectè Cyprianus Ciſtercienſis : *Cùm itaque ſit os in homine Animi veſtibulum, per quod potiſſimùm Amantes animos commutare contendunt : non iniuriâ Salomon Sponſam inducit petentem oſcula non frontis, non manus, aut pedis, ſed illud potius genus oſculi, quo chariſſimi Sponſi animum exoſculari poſſit, & ſeipſam pro illo quodammodò commutare:* Neque ad iſta ſeuerior quiſquam

Cypr.Ciſter.





frontem contrahere debeat,vt quæ non nimium ſolida ſint ; imò & magnarum rerum characteres egregij : Nónne enim hîc ad viuum delineatus æſtus Pauli extatica charitate vulnerati, aientis,cap.2.ad Galatas, verſ.20. *Viuo autem,iam non ego : viuit verò in me Chriſtus?*

Secundum,pro re nuptiali non inuenuſtè;nam optauerat,quemadmodum num.5.oſtendimus vti lux appropinquaret, qua ex deſponſa in vxorem tranſiret:hoc autem votum acutè ſignificauit Oſculi oris ambitu:nam per Matrimoniū fit,vt Maritus & vxor in vnum coaleſcāt,propterea Moyſes Geneſ.c.2.v.24. *Et erunt duo in carne vna*,quam ſententiam vſurpans Chriſtus Matth.c.19.verſ.5. *Itaque iam non ſunt duo*(inquit)*ſed vna caro:*quæ ad verba Maldonatus: *Significat ergo Chriſtus*(ait)*virū & vxorem non duos eſſe homines,ſed vnum:vxorem veluti corpus,virum veluti Spiritum & animam eſſe:itaque non magis debêre virum ab vxore,quàm animam à corpore ſeparari:* At probauimus hoc ipſum Amantes per oſcula conari, quod coniugio perficitur; nimirum,vt ex duobus vnum coaleſcat,transfuſo cuiuſque ſpiritu in alterū, & coalitis inter ſe per affectum : hoc autem præſtat ſolum baſium oris, quia per hoc tantum attrahitur animus, quando pectoris oſtium ſit:ergo dum oſculum oris flagitat,vnum fieri cum Sponſo auet:vnum autem cum Sponſo fit Virgo per Matrimonium,quoniam deinceps non ſunt duo,ſed vna caro:Connubiū igitur ambit latenter, dum pro oris baſio anhelat: Huius explanationis ſi Bernardum nuncupauero Patronum; puto,non fallar : is ſerm. in Cantic.7. *Nec ſunt inuenta æque dulcia nomina,*(ait)*quibus Verbi, Animæque dulces adinuicem exprimerentur affectus, quemadmodum Sponſus & Sponſa,quippè quibus omnia communia ſunt,nil proprium, nil à ſe diuiſum habentibus:vna vtriuſque hæreditas,vna domus,vna mēſa vna etiam caro:Si ergo amare ſpecialiter Sponſis,principalitérque conuenit,non immeritò Sponſæ nomine cenſetur Anima,quæ amat;amat autem quæ oſculum petit: non petit libertatem,non mercedem,non hæreditatem,nō denique vel doctrinam,ſed oſculum:* Rectè ſubintulit, eam, quæ ſingula indiuiſa habebat cum viro aut certè habitura, ſimul atque vxor eius, non aliud poſtulare quàm oſculum,per quod Amantes conglutinantur,& in vnum coaleſcunt.

*Matrimoniū vnum ex duobus quo facit pacto?*

Geneſ.cap.2. verſ.24.

Matth. c.19. verſ.5.

Maldonatus.

Bernardus.

*Sponſus & Sponſa vocabula Amoris.*

---

*Tranſlationum diuerſitas ex Hebræo, & apud ſeptuaginta, quos ſuppeditet ſenſus? Oſculum ſummiſſionis Nota: Amantis vox quam potens. Pſalmi phraſis ſecundi & Geneſeos.*

## SECTIO III.

19. QVoniam in plurali Hebræa מִנְּשִׁיקוֹת *minneſcicot* retinent,non pauci multitudinis numero extulêre,præſertim ex his,qui verſiones meditarunt,nam apud antiquos non inualuit;quanquam eximia ſemper virorū Septuaginta authoritas,qui pluraliter legunt ἀπὸ φιλημάτων, *oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Sequuti ex veteribus Ambroſius libro de Iſaac,cap.3.& alibi Aponius & Matthæus Cantacuzenus ad verſum 1. Canticorum; Ex Recentioribus Pagninus, Vatablus, Genebrardus:Primùm dicere valeamus,quoad ſignificatum non eſſe differentiam aliquam duarum lectionū, ſed honoris causâ vſam Sponſam numero plurificante quoniam de oſculis à Sponſo impertiendis loquebatur : Vt cùm nos ſermonem habemus ad viros principes, *vos*, nuncupamus, cùm penes ſenſum idem met ſit,ac ſi *Te*, diceremus:ita nonnulli arbitrantur Michæam c.5.verſ.2.pluraliter aſſerere, *Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*, cùm ſermo ſit de æterna Verbi generatione quæ ſimplex & indiuiſibilis eſt,quoniam de maximo diuinitatis arcano loquebatur ; Atque vt ſit hæc in aliis quoque,ſacri idiomatis conſuetudo,docebūt exēpla,quæ Ribera ſuppeditat in Michæam,n.38. Sanctius n.34.Antonius Fernandez in viſiones Inſtrumenti veteris,viſione 35.ſect.3.n.2. Sic igitur Sponſa,vt innueret,quàm præſtans & ſublime eſſet oſculum Sponſi,vſa eſt plurali numero, aiens: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui!* Et certè nónne excelſa oſcula,quæ Paſtrici & ruſticanæ Puellæ,Dynaſta Nobilitatis lumen,daturus erat? Aliquando & in Scripturis non rarò (vt monet Salonius Viennæ Galliarum Epiſcopus, ad illud Prouerbiorum c.11. *Anima,quæ benedixit, impinguabitur, &c.*)*Poni ſolet pars pro toto,aut totum pro parte ſecundum ſpeciem Grammaticæ Artis,quæ dicitur ſynecdoche:* ita igitur ſiue oſculum pro oſculis,ſeu è diametro oſcula pro vno baſio, erit vt vel ponatur totum pro parte,vel pars loco totius.

Septuag. Int.

Ambroſius.

Aponius.

Matthæus Cantacuz.

Pagninus.

Vatablus.

Genebrard.

Michææ c.5. verſ.2.

Regula, *Scriptura numerum pluralem pro ſingulari ſubſtituit honoris gratiâ.*

Ribera.

Sanctius.

Antonius Fernandez.

Regula, *Pars pro toto, aut è diuerſo.*

Salonius.

20. Quanquam & accidere potuit,vt quemadmodum erant oſculorum differentiæ,ſic vt pro conditione Perſonarum, aliis præberetur manus exoſculanda,aliis vel pes,vel genu, honoratiſſimis os ipſum : Sic etiam plura paucioráve baſia darentur,Amantiſſimis multa, cæteris ad ſobrietatem,& alicui tantum ſemioſculum:hoc corroborare videatur quod ſuperiùs produximus num. 6. ex Horatiana Oda de Pomponio Numida,ſuis ex peregrinatione reſtituto:

*Oſcula plura paucioráve data pro qualitate perſonarum.*

Horatius.

> *Nulli plura tamen diuidit oſcula*
> *Quam dulci Lamiæ.*

Quippè innuit pauciora aliis danda baſia, quàm quæ Lamia accipiat. Sed de ſemioſculo ab vno tantùm labro meminit Valerius Martialis lib. 2. Epigram.10.in Poſthumum;

Martialis.

> *Baſia dimidio quæ das mihi Poſthume labro*
> *Laudo,licet demas hinc quoque dimidium.*

Sponſa igitur, vt quam Sponſus diligat præ vniuerſis,nolit aliquos ſibi limites præſcribi,proinde non duo, non tria flagitat oſcula, ſed indefinitè pronunciat:Oſculetur me ab oſculis oris ſui:Hęc planè Ambroſiana ſententia, quem hæc lectio ſemper delectat:libro de Iſaac,c.3 *Non vnum oſculum quærit,ſed plura vt deſiderium ſuum poſſit explêre,quæ enim diligit, non eſt vnius oſculi parcitate contenta,ſed plura exigit,plura vindicat,& ita ſe ampliùs Dilecto commendare conſueuit : Denique illa in Euangelio ſic probata eſt,quia non ceſſauit,inquit,oſculari pedes meos,& ideò remiſſa ſunt ei peccata multa,quia dilexit multum :* Aliquid ſimile innuit etiam Orig. hom.1.ex quatuor.

Ambroſius.

21. Sed Hebræum נָשַׁק *Naſak* pro qua vulgatus oſculari dedit,etiam ſignificat erudire:vt Pſ.2. v.12. vbi verbum ex eadem radice Interpres, *apprehendite diſciplinam*, vertit,id eſt ſcientiam diſcite,percipite inſtructionem,cùm tamen alij multi legerint, *oſculamini filium*,quam tranſlationem in eandem recidere,quâ expoſuit, *adorate purè*, Hieronymus defendit contra Ruffinum Apologia 1. propè medium,inquiens : *Illud quoque carpere dicitur, quod ſecundum Pſalmum interpretans,pro eo quod legimus in Latino,Apprehendite diſciplinā,& in Hebraico volumine ſcriptum eſt* נַשְּׁקוּ־בַר *Naſcu bar,dixerim in Commentariolis meis,Adorate filium, & rurſum omne Pſalteriū in Romanum vertens ſonū,quaſi immemor expoſitionis antiquæ,poſuerim,adorate purè,quod vtiq; ſibi eſſe contrariū omnibus patet:& reuera ignoſcendum eſt ei ſi ignoret Linguæ Hebraicæ veritatem,qui interdum*

*Naſak Hebræa vocis diuerſa ſignificata.*

Hieronym.

*& in Latinis hæſitat :* נִשְׁקוּ *Naſku,vt verbum de verbo interpreter,*καταφιλήσατε*,id eſt,deoſculamini , dicitur:quod ego nolens transferre putidè,ſenſum magis ſequutus ſum,vt dicerem, Adorate : quia enim, qui adorant ſolent deoſculari manũ,& capita ſubmittere,quod ſe Beatus Iob elementis,& idolis feciſſe negat,dicens : ſi vidi ſolem cum fulgeret,& lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum , & oſculatus ſum manum meam ore meo,quę iniquitas maxima eſt,& negatio contra Deum altiſſimum:Et Hebræi iuxtà linguæ ſuæ proprietatem deoſculationẽ pro veneratione ponunt, id tranſtuli,quod ipſi intelligunt,quorum verbum eſt:*In

Gen.41.v.40.

eundem morem illa ex c.41.Geneſeos,verſ.40. *ad tui oris imperium cunctus populus obediet*,quoniam in Hebræo eſt נָשַׁק *Naſak* transferunt periti eius idiomatis; *Ad tui oris imperium oſculabitur omnis populus*, ſeu ſubmittet ſe,& parebit tibi ; quam verſionem vt potiorem antefert Oleaſter ad nominata Geneſeos verba,Bonfrerius item , & agnoſcit ex Hebræo probatam tranſlationem Salianus tom.1.Anno Mundi 2319.num.24.

Oleaſter. Bonfrerius. Salianus.

22\. Itaque *Naſcu*,ſiue *Naſak* pro quo hoc loco cõmunis Interpretatio,*Oſculari*,tria inſuper repræſentat ex famoſiori ſignificatione,nimirum,*erudire,venerari,parêre* , niſi fortè , quia poſtrema duo hęc idem ſint:Ac ſanè Oſculum cultus,ſubmiſſionis , venerationiſque indicem fuiſſe , præter memoratos nuperè ſcriptores , fatentur ad verſ. 12. Pſ.2.Genebrardus & Ianſenius:Lorinus corroborat ibidem : aſſentitur Mendoza tom. 3. in lib.1. Regum,litterali exploratione verſ.1. c. 10. n.15. Varia cum eruditione muniunt Gaſpar Sanchez ad verſ.2.c.13.Oſeæ,n.14.Aloiſius Nouarinus Sacrorum Electorum lib.2.c.20.Lipſius ſuorum electorum libro quoque ſecundo,c.6.Bullingerus de Imp.Rom.lib.3.c.15.Annectam ex ſeptimæ Synodi Actione 7. fragmentum epiſtolæ Thraſij ad Conſtantinum Imperatorem, & Irenem Matrem eius : nam loquens de ſacrarum imaginum reuerentia:*Quad enim* (inquit)*quis oſculatur , & adorat; & quod adorat , profectò & oſculatur ; ſicut teſtatur humana affectio , quæ à nobis ad Amicos habetur , & obuiorum congreſſus : hoc autem non ſolùm apud nos, ſed apud veteres in diuina Scriptura ſcriptum reperimus : in hiſtorijs námque regnorum* (1.Reg. 20.) *& Dauid ſurrexit,& cecidit in faciem ſuam, & adorauit tertiò Ionatham,& deoſculatus eſt eum* : Ergo Sponſa quamuis è mapali ad baſilicam traducta,& regiis affecta honoribus, parem gloriam cum Principe, eius miſericordi indulgentia, & liberalitate ſortita ſit,tamen pollicetur nunquam fore , vt propterea erigatur, & in Maritum parum officioſa euadat,quin verò Ancillæ inſtar vt Dominũ perpetuò veneraturam, ad nutus & ſigna parituram hoc eſt, velle oſculari,cupere nimirum omni cum obſeruantia colere,ſubmitti ei in ſingulis quibúſque:Proh,quam præclara in vxore Dos!

*Oſculum cultus, & ſubmiſſionis indicium.*

Genebrard. Ianſenius. Lorinus. Mendoça. Sanctius. Nouarinus. Lipſius. Bullingerus. Septima Synodus.

23\. Verùm,quid illud,*Erudiat me eruditione oris ſui?* De explanatoribus Luiſius Legionenſis, Delrius, Giſlerius,Sanctius,Placidus Nigidius coniectantur Sponſam deliquio affectam ab Amoris nimietate,Animi conſternationẽ patientẽ, ſenſibus excidiſſe:accurrerũt famulę quantociùs,& de affinibus,conſanguineiſque adſtãtes,variiſque adhibitis fomentis incaſsùm,tandem poſt moras ſibi reſtituta,velut docet, quali pharmaco in poſterum & feſtinè & ſuauiter mederi valeat : *Erudiat* (ait) *me Sponſus eruditione oris ſui* : Cùm ita languentem,& pene ſub Mortis poteſtate conſpexeritis,deſpicite Hippocratis Scholam , credite, maior eſt Galeni peritiâ infirmitas noſtra:

*Expoſitio altera vocis* נשק *Erudijt.*

*Non eſt in Medico ſemper releuetur vt æger,*
*Interdum doctâ plus valet arte malum.*
*Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,*
*Sanabit nullâ vulnera cordis,ope.*

Ouid.lib.1. de Ponto, Elegia 4. ad Ruffinum.

Mentis potius quàm corporis eſt hæc ægritudo: Sponſus vulnerauit,ſi incolumem deſideratis,facite vt Dilectus erudiat me , loquatur mihi vel vnam voculã,quantumcumque viribus,& meipsâ deſpoliata, reuiuiſcam ſubitò ad ſermonem eius; ô ſi noſceretis,quanta eſt Amoris virtus!certè penetrat vſque ad Animæ compagem, & vix tantus poſſit eſſe lethargus potentiarũ,vt non ad Amantis ſonum quæ diligitur , ſtatim euigilet. Multis ſuper hoc ludunt Poëtæ,vt ſubindicent quàm verum ſit,quoniam fortis vt mors ſit Dilectio,quãdo cæteris propè mortui,atque euaneſcentes , ad Amantis ſibilum reſpirent, & exſuſcitẽtur: Naſo de Babylonio Adoleſcẽte 4.Metamorph.fabula 4.

*Amans ad Amantis vocẽ reuiuiſcit.*

4.Metam.

*Ad vocem Thisbes oculos in morte grauatos*
*Pyramus erexit,viſâque recondidit illâ.*

Sed frequentiſſimus in hac Amoris ſecretâ vi inſinuandâ Papinius lib. 2. Syluarum , Epicedio in Glauciam Melioris Alumnum.

Statius.

*Te vultu moriente videt,linguáque cadente*
*Murmurat,in te omnes vacui iam pectoris afflat*
*Relliquias,ſolum meminit,ſolúmque loquentem*
*Exaudit,tibique ora mouet.*

Et propiùs ad rem noſtram lib. 5. Syluarum de Priſcilla Abſcantij vxore,

*Iámque cadunt vultus,oculiſque nouiſſimus horror,*
*Obtuſæque aures,niſi cùm vox ſola Mariti*
*Noſcitur : illum vnum mediâ de morte reuerſa*
*Mens videt,illum ægris circundat fortiter vlnis.*

Et aſſimilia de Aty libro octauo Thebaidos:Huc non incongruè,quod Chryſologus aduertit, cùm ad vada Tiberiaca diſcipuli piſcarentur poſt Chriſti anaſtaſim, prius agnitum à Ioanne Seruatorem,quàm à Simone Petro : *Primus, qui diligitur videt* (ait ſerm.78.) *quia ſemper Amoris oculus acutiùs intuetur , & ſemper viuaciùs qui diligitur, ſe tit.*

Chryſolog.

24\. Sanè & *Naſak*,pro quo nos hactenus oſculari, erudire,ſubmitti,etiam *armari* ſignificat,vt nonnulli contendunt, quare & Geneſis c.41. verſ.40. vbi vulgatus; *Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet* , Quidam, vt monuimus , transferunt, *Ad tui oris imperium oſculabitur omnis populus* ; Alij: *Ad tui oris imperium armabitur omnis populus*:Conſule allegatos num.21. Oleaſtrum , Bonfrerium, Mendozam : Ergo Sponſa, modò Dilectus adſit, modò eam ſiue deoſculetur, ſiue alloquatur , armabitur,hoc eſt,vires priſtinas reſumet, quas per deliquium amiſerat,fortis euadet, & robuſta : ſin & militaturam eam velis,& ad certamen deſcendet. Meminiſſe neceſſe eſt,quod veſtibulo totius huius explanationis ſubindicauimus,acrem fuiſſe Spõſo pugnam cum Hieroſolymitana Nobilitate, præſertim cognatorum non paucis , eò quòd Sponſam hanc duceret , quæ neque Natalium ſplendore,nec opibus fulgeret:delato autem huius diſcriminis nuncio ad Puellam,ſenſibus continuò orbatã fuiſſe ob pugnæ dubium exitum:igitur ad ſe reuerſam primis vocibus arma inclamare,&(modò futurus patiatur Maritus,)belli velle pericula experiri, Amorem quippe vires idoneas ſubminiſtraturum : quid demiramini fœmineos Spiritus?Non ſunt Thraſoniana verba iſta:Amor quos occupat, ſtrenuos reddit : Intelligite à Platone in Sympoſio , pagina 285. *Si quo pacto* (inquit) *fieri ciuitas, vel exercitus poſſit , partim ex his , qui amant , partim ex his , qui amantur,*

*Tertia expoſitio verbi* נשק *Armatus eſt. Armauit.* Gen.41.v.40.

*Strenuos Amor reddit Amantes.* Plato in Sympoſ.



*tur , ſuprà quàm dici poſſet , fortem futuram huiuſmodi ciuitatem , vel exercitum : taléſque homines vel pauci numero , vniuerſos , vt ita dixerim , homines prælio ſuperarent : Amator enim vel deſerere ordinem , vel arma abijcere coram amato , vehementiùs, quàm coram alijs cunctis hominibus erubeſceret : imò mortem obire ſæpenumerò mallet,quàm Dilectum derelinquere , & in periculis non ſuccurrere.* Denique cùm eruditionem poſtulat à Dilecto Sponſa , dicens, *Erudiat me eruditione oris ſui*, eundem obteſtatur fortaſſe , vt illi ſit Pædagogi ad inſtar , qui inſtruat , quo pacto ad Hebræorum mores ſe componat quæ gentium ritus didicit ab incunabulis , vt cum Hieroſolymitanis & Matribus & nuribus ſe gerere deberet,quæ ſyluis & montium ruditati aſſueta fuerat,quo pacto familiam regere,Maritũ obſeruare,à formæ obſeſſoribus declinare:De hoc virorum erga nouam nuptam Magiſterio nos tantillum Præludiali volumine, Anteloquio ſexto,num.115. Et dicemus forſan ex inſtituto, ſi vita producatur,ad capitis octaui Canticorum verſ.2. *Apprehendam te,& ducam in domum Matris meæ,ibi me docebis,&c.*

---

*Num abſente Sponſo verba initialia Canticorum à Sponſa prolata ſunt , vel magis eo præſente etiam:Cantum exordiri ſoliti apud Hebræos duces populi:Epithalamium Sponſus, Sponsáque ; Ieremiæ & Apocalypſis verba , item Pſalm.44. Cantores olim ex genere mancipiorum ; Eſdras declaratus : Nablium quid ? Canticum 1. Moyſis: Eſdræ , Machabæorum , Eccleſiaſtæ ſententiæ.*

## Sectio IV.

25\. OStendi ſectionis primæ exordio, vel ab iis, qui Hiſtoricum & Grammaticalem iſtius Hymenæi ſenſum expendunt , concedi primum ſermonem Sponſæ abſente tùm viro illius pronunciatum : ſed ex his , qui myſticam amplexati intelligentiam nemo non idem ſubinnuens aliquando:nam quanquàm alios non excludant ſenſus,tamen nullus eſt , qui explicatiùs tradiderit, non aſſentiens,Eccleſiæ deſiderium eſſe , verbum vt è ſinu genitoris delaberetur , carnémque aſſumeret pro humani generis redemptione:quæ Declaratio,modò Literæ ſororia æſtimetur , neceſſum eſt abſentiam Dilecti ſupponat. Sanè nihil mage tritum apud Scriptores nouos,recentéſque: multos coaceruat Giſlerius Appendice ad hunc verſum:& nos omittimus, quoniam ſtatim ipſi ſe produnt legentibus. Sed tamen aduersùs hanc tam vulgatam cogitationem , eſt quod opponamus aliquid ad vniuerſis hactenus prætermiſſum: Nam ſanè cùm omnium mentibus inhæſerit , & rectè quidem,hoc Metrum Epithalamicum,& geniale eſſe,oportet adſtruamus eius prima verba à Spõſo,nouâque decantata Nuptâ:ſic enim ferebat Hymenæi vſus apud Hebræos præſertim,vt illius exordialem verſum ſaltem Nubentes ipſi intonarent voce ad Muſicam conformatâ, dein ſequeretur Adoleſcentum, & Virginum chorus:quare & in præſtantiſſimo Salomonis Hymenæo idipſum cùm obſeruatum fuerit,& Sponſus atque Sponſa illius cecinerunt introitum, nempè, *Oſculetur me oſculo oris ſui*:Quod ſi certè ab illis decantata initialia verba:igitur & ſimul adfuêre:non ergo Maritus à Deſpõſa abſens,quemadmodum tritâ fide Authorum æſtimabatur : At quoniam diſcurſus huius Cardo omnis, quod Nubentes cantum auſpicarentur,tentemus,ſi fortè corroborare valeamus.

Giſlerius.

*Nubentes intonabant Hymenæum.*



26\. Primùm igitur conſtans eſſe appareat, aliquid in Nuptiarum alacritate modulatos fuiſſe,quorũ celebrabatur Matrimonium : Nam ſanè Ieremias c.7.verſ.34.*Et quieſcere faciam de vrbibus Iuda,& de plateis Ieruſalem vocem gaudij,& vocem lætitiæ,vocem Sponſi,& vocem Sponſæ,in deſolationem enim erit terra*:Idem prorſus c.16.verſ.9.c.25.verſ.10.*Perdámque ex eis vocem gaudij,& vocem lætitiæ,vocem Sponſi, & vocem Sponſæ,vocem molæ,& lumen lucernæ*:quibus locis noſter Sanctius ſemper conſentit vatem ſermocinatũ eſſe de nuptiali Hymno : Habet & cognata Ioan.Apoc.c.18.verſ.13.*& vox molæ non audietur in te ampliùs , & lux lucernæ non lucebit in te ampliùs,& vox Sponſi , & Sponſæ non audietur adhuc in te*:Ac licet dicere quiſquam poſſit genialia carmina vocẽ Sponſi & Sponſæ nominari,non quoniam ipſimet canerent,ſed quia de iis materia, & ſcopus Poëſeos, vt quorũ laudes pertractaret;tamen multò ſyncerius procedit Literę intellectus, ſi quemadmodum ſonant verba percipiantur;neque ad metaphoras eundum,niſi vrgeant abſurda ſequutura ex ſimplici declaratione , qualia nulla in Ieremiæ conſtructis verbis , vti reſonant illa: Nam certè Sponſam hoc noſtro Epithalamio aliquando in melodas voces prorumpere, quis inficias iuerit?quando Maritus hortatur Cantic. c.2. verſ.14. *Sonet vox tua in auribus meis , vox enim tua dulcis,& facies tua decora*;& c.8.verſ.13.*Quæ habitas in hortis,Amici auſcultant,fac me audire vocem tuam:* Innuunt & verba Ioan.c.3. verſ.29. *Amicus autem Sponſi,qui ſtat,& audit eum,gaudio gaudet propter vocem Sponſi:*Nam Amici nomine intelligendum putauimus ſuperiori volumine, Anteloq.6.num.30. Sympoſiarcham,& regem,qui cùm inter familiares Sponſi principem ſedem obtineat ; ad eius dulciſſimam Muſicam , qua Epithalamium inceptat,plus cæteris lætatur : fortaſsè etiam ingreſſoria illa verba Pſalm.44. (quem ſæpè monuimus antelapſo opere Hymenæum eſſe,) *Eructauit cor meum verbum bonum , dico ego opera mea Regi* , ſic enarranda,vt Sponſus,qui Odæ principium accinit,affirmet,ſe verbum bonum,id eſt,placiturum propterea pangere , quòd regis , ſympoſiarchæ nẽpe gratiâ faciat,cui illud conſecret:niſi mauis Sponſæ eſſe ſermonem,cui tribuit Pineda,Eccleſiæ ſcilicet,lib.5.de rebus Salomonis,c.4 .§.2.n.5. quæ Sponſo dedicet Epithalamium : nam *dico regi* ita interpretatur Hieronymus ad Principiam: *Carmen*(inquit) *& opuſculum conſecrat ei:*At melius vt de Sponſo , cuius percepto dulci gutture chorus ſtatim genialis prorumpit in commendationem : *Specioſus forma præ filijs hominum , diffuſa eſt gratia in labijs tuis* , eo pacto , quo paulò antea de Sponſa dilectus pronunciauerat,vt referebamus: nam *vox tua dulcis,& facies tua decora.* Quamobrem ſecundum hæc,vox Sponſi & Sponſæ nominabitur Hymenæus , non quia Nubentium encomia percurrit,ſed quod ipſi præeant, & Choragi functi vice , aliis exemplo ſunt vt canere norint: quemadmodum Apocalypſis c. 15. verſ.3. qui de Antichriſto victoriam reportarunt, nominantur *Cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei : & Canticum Agni:* Sanè quidẽ Agni Carmen;quod illos Agnus docuit,quod acceperũt ab Agno vt canerẽt:ſic & vox Sponſi Epithalamiũ, quoniam à Sponſo Virgines,& Adoleſcentes,ex quibus chorus cõſurgit,

*Muſica olim in nuptijs.* Ier.7.v.34.

Idem c. 16. verſ 9. Et c.25.v.10.

Apocal.19. verſ.23.

Cant.2.v.14. c.8.verſ.13.

Ioan.3.v.29.

Pſal.44. v.1.

Pineda.

Hieronym.

Apoc.15.v.3.

didícerunt vt pangerent : Puto & illud quoque Agni Metrum nuptiale eſſe, nam modò deſponſationis hebdomas eſt, vt alibi inſinuauimus ; ſub finem Mundi proſtrato Antichriſto, & abſolutis Comitiis generalibus, aut certè coniungetur Matrimonio Agni vxor, aut pompa traductionis eius in domum Mariti celebrabitur : lege dicta primo noſtro opere, Anteloquio tertio, num. 110. & 131. Quamóbrem, quod in Heronis & Leandri fabula Muſæus canit,

Muſæus.

Οὐ ζυγίην ἱερήν τις ἐπεφήμισεν ἀοιδός.
Οὐχ ὑμέναιον ἄεισε πατὴρ ϗ πότνια μήτηρ.

*Non ſacras nuptias Poëtarum quiſquam laudauit: Non aut pater, aut veneranda mater Hymenæum cantauit* ; intelligendum ; Parentes nec grauitati obtemperaſſe, vt à celebranda filiorum geniali abſtinerent lætitia, quare modulatos cum plurima turba feſtiuum carmen ; non tamen, vt in canendo præiuerint, ſed Nubentium vocem, quæ exordium tulerit in Muſica, ſequutos.

27.
*Quid vox Molæ, & cur in nuptijs adhibita apud Hebræos.*
Iſaiæ 47. 2.
Exod. 11. 5.

Verùm neque Ieremiæ, nec Apocalypſis ſententia de feſtiuis nuptiarum plauſibus aptè exponantur, quando & vocem Molæ, quæ lamentabilis eſt, adiungunt : Nam ad piſtrinum atque molam, quæ ob captiuitatem Mancipia, adſtringebantur : Iſaiæ cap. 47. verſ. 2. *tolle Molam, & mole farinam*, &c. Exod. cap. 11. verſ. 5. *vſque ad primogenitum Ancillæ, quæ eſt ad Molam:* quamobrem ibi vt aliquid canerent, non potuit non funeſtum eſſe, & ad lachrymas concitans magis quàm ad alacritatem. Reſpondeo, vt nonnunquam threnis, & lamentationibus vacarent, dum aut patriæ aut cognatorum meminiſſent, vel antiquæ felicitatis ſubiret recordatio ; tamen frequentiùs ad læta pangenda conuerſos, quo iucundi Carminis amœnitate in obliuionem veterum malorum venirent ; certè quicquid eſt, vulgus Artificum cantu ſolatur labores, quin & decipit: vide non pauca in noſtris Proluſionibus, Anteloquio nono, ſect. 1. num. 11. Sed & priſco æuo, qui ex ſeruili genere erant, canendo imprimis excellebant : Eſdræ 2. cap. 7. verſ. 67. *Omnis multitudo quaſi vir vnus, quadraginta duo millia, trecenti, ſexaginta, abſque ſeruis, & ancillis eorum, qui erant ſeptem millia, trecenti, triginta ſeptem, & inter eos Cantores, & Cantatrices ducenti, quadraginta quinque :* Iulius Capitolinus in vero, cap. octauo: *Adduxerat* (loquitur de Imperatore) *ſecum & fidicinas, & tibicines, & Hiſtriones, ſcurráſque Mimarios, & Præſtigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria, & Alexandria paſcitur voluptate :* igitur ex hac mancipiali turba conducebantur & viri, & fœminæ, qui in nuptiis cùm lampadas & tædas ferrent, ſimul etiam canerent, de quibus profusè Anteloquio ſexto : num. 22. Ac proinde aptè coniungitur voci Sponſi & Sponſæ, vox quoque Molæ, id eſt Mancipiorum, quæ Molam vertebant, de quibus Modulantium chori : neque minùs falsè *lumen* inſuper *lucernæ*, cùm & faces pariter geſtarent : Quod ſi certè voce Molæ non ſuaue quidpiam, ſed clamoſum potiùs, & æquo plus reſonans intellexiſſe iuuat, ſanè & in nuptiis vociferatio atque tumultus, quando Matthæi, c. 25. verſ. 6. *Media autem nocte clamor factus eſt, ecce Sponſus venit, exite obuiam ei* : Machabæorum 1. cap. 9. verſ. 39. *& eleuauerunt oculos ſuos, & ecce tumultus, & apparatus multus :* nec mirum, quando Conuiuia, & iucunditas plena : nam in ſimili cauſa Latinus Poëta, Æneid. 1.

2. Eſdr. 7. 67.
Iul. Capitol.
*Cantores & Cantatrices in nuptijs. Lampades etiam & tædæ.*
Matth. 25. 6.
1. Mach. 9. 39.
Virgilius.

*Fit ſtrepitus tectis, vocémque per ampla voluitant Atria.*

Igitur Molæ voce, vt nolimus ſuaue aliquid, & mulceſcens denotari, poterit tamen clamor nuptiarum, & incondîta vociferatio denotari.

28.
Iul. Scaliger.
*Duo Epithalamia.*

Iulius Scaliger Poëtices libro tertio, quem Ideam inſcripſit, capite centeſimo primo : duo meminit Epithalamia, alterum, quod poſt cœnã nuptialem caneretur, cùm in thalamum & cubile Nubentes ducerentur : alterum, quod ipſo Conuiuij tempore, atque iſtud Sympoſiale Carmen *Scolion* nominatum aſſerit : At quale fuerit Metri genus Clemens enarrat Stromatæus lib. 2. Pædag. c. 4. *Cæterùm, apud Græcos quoque veteres in Conuiuijs ad compotandum comparatis, & diſtillantibus poculis, ad Hebraicorum Pſalmorum ſimilitudinem Canticum quod appellabatur* σκολιὸν, *id eſt, obliquum canebatur, communiter omnibus voce ſimul Pæana clamantibus ; & nonnunquam etiam per Cantici vices propinationem circumagentibus, qui autem erant ex eis Muſicæ paulò peritiores, etiam ad lyram canebant.* Athenæus lib. 15. Dipnoſophiſt. omnes quidem canere ſolitos, ſed ex circumductione & velut ex quodam ambitu Cantũ excipiebant, & nonnihil ſimile Bullingerus ex Dicæarcho, & aliis lib. 2. de Theatro, cap. 9. itaque hoc circulare verſus genus cùm extitiſſe appareat, incipiebat à Sponſo ipſo, eiúſve Nupta, & cùm tranſiret ad cæteros accumbentes, in orbem reuolutum tranſibat denuò ad Perſonam eandem, à qua exordia ceperat : Quamobrem cùm hoc Salomonis Hymenæo Sponſa inchoet pangens, *Oſculetur me oſculo oris*, quaſi reuersâ iterum Musâ ad eandem, monet Sponſus ſub finem Genialium, vt cœtum diſſoluat, & Epithalamium quemadmodum exordita eſt, ſic & finiat, quod id pertineret ad eam, quæ inceperit : *Quæ habitas in hortis, Amici auſcultant: Fac me audire vocem tuam :* Cantic. c. 8. verſ. 13.

Clem. Alex.
*Cantus in conuiuijs circularis.*
Athenæus.
Bullinger.

29.
*Poëſis & Muſica antiquiſſima apud Hebræos.*

Atque ſanè Hebræorum antiquiſſimus vſus fuiſſe videatur, vt præſtantiſſimi quique Heroës, nobiliſſimæ quæque fœminæ, non tantùm Metra componerent, ſuáque facta, aut aliorum Ducum, & imprimis magni Numinis oſtenta, verſui aptarent, ſed ipſi quoque velut Phonaſci agentes munus, vel cum multitudine alternatim canerent, aut poſt edoctum vulgus, id quod mage vſitatum erat, honoris causâ, & vt turba excitaretur ſiue ad laudandum Creatorem, ſeu ad honeſtam & ſobriam Animi relaxationem, prima intonabant verba cum modulatione, quæ deinceps repetebant nonnunquam ex intercalaris more Poëſis: Ita accidiſſe in primo omnium Carmine, quod propter vetuſtatem Canticum Canticorum à quibuſdam nuncupatum, adſtruxêre Hugo Cardinalis & Richelius Dionyſius ad cap. 15. Exodi, vbi legitur *Cantemus Domino glorioſè* præeunte quidem viris Moyſe: & Mulieribus ſorore Aaronis Mariâ, quæ & tympanum ſumpſit : percipiamus ab eius gentis teſte diſertiſſimo Philone: qui lib. 1. de vita Moyſis ad medium : *At Hebræi ſtupentes, quod prodigioſam, inſperatámque ſine ſanguine nacti eſſent Victoriam, duos choros, alterum virorum, alterum mulierum ſtatuerunt in littore, cecinerúntque Deo hymnos gratulatorios, præeunte Carmen viris Moyſe, ſorore verò huius, mulieribus, nam hi choreas ductabant* : Et libro tertio de eadem vita Moyſis, non longè à fine: *Ipſe viris Carmen præiuit: Sororem dedit præcentricem fœminis, vt hymnos in Parentem, conditorémque alternis canerent verſibus, non diſcrepante à moribus Carmine :* Huic cogitationi præcipuam authoritatem conciliat L X X. Seniorum verſio, quæ loquens de Moyſis germana : *Principium autem dedit illis Maria* (inquit) *dicens : Cantemus Domino*, &c. Ac quanquam de fratre non idemmet explanet, veriſimile tamen eſt eam ſequutam illius exemplum, & non alium in cantando fuiſſe morem Puellarum choris, quàm qui fuiſſet virorum !, quamobrem vt & Moyſes etiam inchoauerit Metrum ; & ante reliquos dux cecinerit, autumat Nicolaus ad præfatum Exodi caput : Abulenſis quæſt. 1. & 6. Dionyſius Articulo 32. Lippomanus, Caietanus, Oleaſter, Bonfrerius : Lorinus ad verſ. 26. Pſalm. 67. Salianus tom. 2. Anno Mundi 2544. num. 243. Barradas Itinerarij lib. 3. cap. 13. num. 3. Magallañez lib. 2. in Cantica Moyſis ſect. 1. Annotatione 4. num. 3. Balthaſar Páëz, Prooemio in hoc Exodi Canticum : Hoc igitur, quod in Euchariſtico, pro victoria, hymno contigit, vt Moyſes, & eius ſoror præirent canendo, arbitremur in Epithalamio actum, nempè vt inciperent Muſicam, & prima modularentur Sponſus, atque Sponſa.

Hugo Card.
Richelius.
Philo Iud.
*Cantus alternus.*
LXX. Int.



Delyra.
Toſtatus.
Dionyſius.
Lippomanus.
Caietanus.
Oleaſter.
Bonfrerius.
Lorinus.
Salianus.
Barradas.
Paëz.

30.
1. Reg. 18. 6.

Iam verò, quod Exodi memorato capite 15. verſ. 20. egreſſæ dicantur omnes mulieres poſt Mariam cum tympanis & choris, nempe quæ tentoria deſtituerint, & per littora choreas duxerint ; in fauorem præclariſſimi triumphi actitatum ; Nam quanquam fœminarum plurima cuſtodia apud Iudæos, quibus non licebat in aperta, atque populoſa proſilire : ſed magnis gaudiis id conceſſum oſtendimus præcedenti Tomo Anteloquio 5. num. 22. atque illud eſt Reg. 1. c. 18. verſ. 6. *Porrò, cùm reuerteretur percuſſo Philiſthæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres, de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes, choróſque ducentes in occurſum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris* : Tunc igitur nobiliſſima quæque Heroïna, (vti modò legiſlatoris ſoror, & Iudicum capite quinto Debbora,) non ſolum choreæ caput, & ductrix, ſed ipſa cantum auſpicabatur, & intercalarem verſum frequenter iterabat : Hoc item & in nuptiis eueniſſe monſtrauimus Anteloquiorum opere, Proluſione tertia, num. 90. & Præloquio quinto, num. 37. atque id eſt, quod Ieremiæ verba, à quibus deſumpſimus probationem Thematis huius num. 25. innuunt : *& requieſcere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Hieruſalem vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem Sponſi, & vocem Sponſæ :* & ad ſimilia alludit idem Vates Thren. cap. 5. verſ. 14. *Senes defecerunt de portis ; iuuenes de choro Pſallentium : defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum Chorus noſter* ; Neque abſurdum, ſi ad huiuſcemodi aliquid reſpexiſſe dicamus Eccleſiaſten loquentem de mœſtiſſimis Antichriſti temporibus, aut certè de nimiùm fracta ſenum ætate ſolatia reſpuente : *& claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ Carminis :* cap. 12. verſ. 4. igitur nuptiali prodeunte in vicos & plateas Ciuitatis choreâ, ductabant virorum greges Sponſus, fœminarum noua Nupta, & intonabant Odam Epithalamicam: Sed & ſua habuerunt inſtrumenta Muſicalia Virgines, quæ nuptui tradebantur, quemadmodum & Maria tympanum in manu ſumpſit : fuit vero Nablium, de quo 3. de Arte Naſo;

Ierem. 7. 34.
Thren. 5. 14.
Eccl. 12. 4.
*Nablium, Inſtrumentum Muſicum Sponſarum.*
Ouid.

*Diſce etiam duplici genialia vertere palmâ*
*Nablia : conueniunt dulcibus illa modis.*

Toſtatus.
Genebrard.
Politian.
Sanchez.
Lorinus.

Quo de inſtrumento Toſtatus breuiter ad finem quæſtionis primæ in cap. 9. lib. 2. Paralipomenon, Pſalterium exiſtimans : in quam ſententiam Genebrardus propendet ad initium Pſalm. 32. dubitat Politianus cap. 14. Miſcellaneorum, Noſtri Sanchez in cap. 6. lib. 2. Regum, num. 43. Lorinus omnium locupleriùs Præfatione in Pſalmos, cap. 9. Græcis νάβλιον eſt, Hebræis נֵבֶל *Nebel*, quod vocabulum, quoniam vacuitatem ſecundum Etymologiam innuit, dubium habuit aliquos num *vtriculus* eſſet, id quod Hiſpana voce *gayta* dicimus, Hibernâ noſtratum, *piob :* At ruſticanam Muſicam, eámque inſuauem, & neque politis auribus vllo modo dignam, non puto delicatam Puellam iuſſerit vates Amator diſcere: qualis tandem formæ, fuit proculdubio de nobilioribus inſtrumentis.

31.
Pſal. 67. 28.

Neque ſanè omittamus verſum vigeſimum octauum Pſalmi 67. *Præuenerunt principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum:* nam certè hoc loco ad cap. 15. Exod. reſpectum arbitrantur Genebrardus, & Agellius, Bolduc lib. 3. Eccleſiæ ante legem, cap. 15. *Præuenerunt Principes* (inquit Aquenſis Archiepiſcopus) *plebeios ad tuos triumphos concinendos : exemplo inferioribus ordinibus ad id præluxerunt :* Paria Agellius, Chaldæus Paraphraſtes : *Præuenerunt, & dixerunt Canticum poſt Moſen, & Aaron, qui modulabantur ante eos :* Ac ſanè hic Pſalmi locus non obſcurè ſubinſinuat, morem fuiſſe, vt optimates præirent canendo, & nequaquàm ſua indignum authoritate putarent : quare mortuis Saüle, & Ionatha, Dauid non tantum Epitaphium, & lamentationem compoſuit, ſed accinit quoque Reg. 2. c. 1. verſ. 17. quem vti pangerent Contribules ſuos docuit, vt Mariana, & Sanctius cum ad locum aduerterunt, & Ioſephus ſatis indicat lib. 7. Antiquitatum, cap. 1. De Iuda quoque Machabæo ſcriptum Machabæorum 2. cap. 12. verſ. 37. *Incipiens voce patria, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incuſſit :* vbi dux ipſe ſacram orationem auſpicatur, quem alij deinceps ſectentur : Gaſpar Sanchez peculiari Commentario in Pſalmum 67. ad finem Canticorum explanationis, num. 60. ea quæ nuper allegauimus verba, ad nuptialem pompam refert, *in qua* (inquit) *Sponſi, qui primas partes tenent & reges ibi ſalutantur, Canticum ordiuntur :* dixítque germana in Paraphraſi: Quamobrem, vt quò ſpectat omnis hæc diſcuſſio, tandem inferamus ; fit, vt cùm mos extiterit Iudæis, ne cantum alij exordirentur, quàm qui magis pollebant, & in primis ij, qui vel Metra ipſa componebant, vel quorum encomia verſibus continebantur : Nubentes fuiſſe, qui Salomonis Epithalamium canere inceperint : proindéque & ſimul iunctos : quare Sponſa cùm proximum & adſtantem ſibi habuerit Sponſum ; non ad eum velut abſentem verba fudit : Quod ſi non ad ſemotum verba data ſunt : igitur nullum fundamentum eſt communis Allegoriæ, aſſerentis, Eccleſiam flagitare Verbi in terras delapſum, atque vt qui inuiſibilis erat, ac propterea quaſi abſens ; viſibilis, & præſens appareret, & conficiendum ſe præberet auidè præſtolantibus Amicis.

Genebrad.
*Optimates in cantu præibant.*
2. Reg. 1. 17.
Ioſephus.
2. Machab. 12. 37.
Gaſpar Sanchez.

32.
Sotomaior.
*Canticum Canticorum non rigidè Epithalamium, ſed quid mixtum partim ex Epithalamio, partim ex rerum geſtarum narratione.*

Scio, Ludouicum de Sotomaior initio explanationis in hunc verſum contendere, anceps eſſe, num ſermo ſit ad Sponſum abſentem potiùs quàm præſentem, quanquàm fatetur tritam ſententiam de abſente iudicantem, atque vt dixi, communis Allegoria de Verbi aduentu id planè ſuadet, neque à nobis aliud ſuſtineri valeat iuxta poſita Hiſtoriæ fundamenta : Dicimus itaque Metrum iſtud non eſſe rigidè Epithalamium, ſed mixtum, Hymenæum partim complectẽs, partim rerum geſtarum narrationem, quamobrem & Author quatuor homiliarum Origenis nomen

ferens,homil.1. quemadmodum & Prologo, *Epithalamij ſpeciem* habere dicit, id eſt, ſimilitudinem quidem, non rem ipſam omnino, quia non omnis loquela eſt de ſpectantibus ad nuptias: firmauimus tomo 1. anteloquio 1. ſectione 5. num.40.ſectione 7.totâ. Anteloquio 3.num.106. Itaque, cùm Nubentes laudantur, quod fit potiſſimum cap. 4. 5. 6. 7. cùm de floribus, de Muſica, de Conuiuiis, de prole naſcitura tractatur, Epithalamium eſt, quod talia ſibi vendicat libenter: cùm autem recenſetur quid Sponſa in Dilecti abſentia, quantumque ingemuerit, quæ fuerit præparatio in diem nuptiarum, quoties ſomno correpta, quàm ſæpè deliquium paſſa, & eius generis alia; Hiſtoria, & geſtorum Narratio eſt: neque enim fuit hic concinnatus Hymenæus ante connubia celebrata, (vt faciunt ſæculi Poëtæ,) & datus canere ſcientibus, vt Muſicæ aptarent, quem pangerent dum aut cœnarent Nuptiarum Amici, vel dum pompa procederet; ſed elapſis temporibus Salomon Dauidis regnorum hæres, inſtigante Deo compoſuit, quo Chriſti atque Eccleſiæ Matrimonium, varióſque decurrentium temporum caſus præſignificaret: & diuinorum Sacramentorum humana coniugalia fœdera eſſent integumenta: Inſpirauit autem ſupernum flamen, vt non Epithalamium ſolum Metro includeret, ſed adiungeret nonnulla ex iis, quæ vel ante connubialem patrata ſunt nexum, aut contigerunt quoad perſeuerauit Nuptialis lætitia: ſic enim formari Canticum iſtud Canticorum expediebat, quo Eccleſiæ memorabiles euentus adumbrare poſſet: Quibus admiſſis.

*Prima verba Cantici huius non ſpectant ad Epithalamium, ſed ad hiſtoriam.*

33. Aſſerimus prima verba genialis Carminis ſpectare ad Hiſtoriam, non ad Epithalamium, quod fortaſsè inchoat capite 4. vbi & laudes ſponſæ: quamobrem neceſſum non eſt vt ſponſa dicatur ceciniſſe primum verſum: Hoc verò excluſo, ceſſat continuò vis argumenti, quod efformabamus: nitebatur namque eius omnis vis fundamento ſupponente Epithalamij exordium eſſe oſculi deſiderium: Epithalamium autem euidens eſt nullo pacto cantatum abſente ſponſo: nam quamuis nonnunquam & vicem Mariti ſubſtituit Procurator eius, & per ſubſtitutum Matrimonia coaleſcunt, ſed nunquam ad luſus, ad Conuiuia, & gaudioſa cætera proceditur abſente Compare: Poëta igitur veſtibulo operis narrat ſecundum Hiſtoriam, vt arſerit in Sponſi præſentiam honeſtiſſima Puella, & diem Connubialem anxiè concupierit. Quod ſi certè amor eſt, vt & initia illa ad Epithalamium pertineant: tum ſanè Muſæ ingenioſæ arte factum, vt Sponſa referret, qualem Animi angorem paſſa ſit Dilecto abſente, & vt nihil eo deſtitutam ſolari potuerit: atque ita non eſt quod prohibeat, & eſſe ſermonem virginis ad pollicitum Maritum, & rurſum dici coram ipſo Marito: Nam verè & reipſa cùm effunderentur ſuſpiria, aberat Dilectus: ſed cùm per narrationem proponeretur, vt lamentatum ſit in abſentia, potuit adeſſe Sponſus: neque enim præſentia Sponſi opponitur narrationi de eius deſiderio, ſed ipſimet deſiderio, quod eſt de abſente, & non poſſeſſo: atque hunc in morem facile eſt omnes conciliare ſententias, ſiue de præſente, ſeu de abſente Sponſo.

*Si quis velit prima hæc Cantici verba pertinere ad Epithalamium, quomodo exponenda.*

*Num in pudicam, & honeſtam fœminam cadere poſſit, virorum vt oſcula deſideret, vt concupiſcat? Oſculum ſalutationis loco apud veteres: fæderis pignus: quale ſanctum Chriſtianorum baſium? quotiéſque & quibus in rebus obſeruatum? Quando introductus abuſus? Conuiuia in honorem Martyrum: Oſculum quando liceat, theologicè declaratum: Canticorum phraſis honeſtiſſima.*

## Sectio V.

*Nil in ipſo etiam ſenſu Grãmaticali Cantici non honeſtiſſimum.*

34. NOn infrequenter anteriori Tomo monuimus Canticorum ſtylum, grammaticalem quidem, atque eum ſanè, qui ſub cortice eſt, etiam grauiſſimis auribus dignum, nihil de effræni venere continentem, nihil quod ſobrios coniuges dedeceat; itaque vitio nihil in Salomonis dictione verti poſſe, niſi ab eis, qui in ſancto Matrimonij Sacramento, quod diſpliceat inuenturi ſint: nam huius leges nunquam effractæ: ſed Sponſam huius Epithalamij talem depinximus, quæ cùm orbata fuerit Maiorum gloria, opum ſplendoribus, cùm eius incredibilis fuerit vultus pulchritudo, ad quam cæteræ comparatæ fœminæ, quæ venuſtate pollebant, deformes apparebant, & ſicut ſpineta ad lilium; fuit tamen verecundia tam excellens, & mentis ornatus tam ad amuſſim conſummatus, vt eam propterea, optimatum deſpectis filiabus, Sponſus adamauerit. Hanc igitur tam omnibus modis præclaram fœminam quid eſt, quod Salomon ipſo Epithalamij ingreſſu oſcula petentem offerat? demiratus Gregorius Nyſſenus homil.1. in Cantica, & notam inuſſit: *Non humano more* (ait) *ſponſo incipiente teneri deſiderio, ſed ſponſum Virgo præuenit impudenter ſuum in publicum proferens deſiderium:* quamobrem & prophana Claudiani Muſa ſuperius data, ſect.1.num.5. non Puellæ, ſed viro auſus eſt affingere querimoniam de Nuptiarum mora: Certè commendauit Ambroſius in Rebecca, quòd genitoribus reliquerit decernere quæ ad Connubia ſpectarent, quaſi verecundata, ne intelligeretur Virgo honeſta viri expetiiſſe amplexus, ac non magis ipſam à procis ardenter ambitam: *Conſulitur Puella* (inquit libro de Iſaac. cap. 9.) *non de ſponſalibus* (*illa enim iudicium ſpectat Parentum: non eſt enim virginalis pudoris eligere Maritum*) *ſed iam deſponſata viro de profectionis conſulitur die: Mulier etiam ſi qua amiſſo Marito citò, adoleſcentula in laqueum infirmitatis ſuæ timeat incidere, ſi vult, nubat, tantùm in Domino, vt electionem Mariti Parentibus deferat, ne appetentiæ procacioris æſtimetur author, ſi ipſa de nuptijs ſuis electionem ſibi vendicet: expetita enim magis debet videri à viro, quàm ipſa virum expetiſſe*; & apud Homerum initio lib. 6. Odyſſeæ, cùm de nubendo Marito Alcinoi filia Nauſiaca à Minerua in ſomniis admonita fuiſſet, pudet vel Patri ſermonem de connubiis indicare.

*Gregor. Nyſſ. Sponſam ne impudentiæ inſimulat.*

Ambroſius.

Ὣς ἔφατ'. αἴδετο γὰρ θαλερὸν γάμον ἐξονομῆναι
Πατρὶ φίλῳ· ὁ δὲ πάντα νόει, καὶ ἀμείβετο μύθῳ.

Homerus.

nempè, ſic ait, *verebatur enim floridas nuptias nominare Patri charo: ille verò omnia intelligebat, & reſpondebat ſermone*; quãdo igitur Virginem rubore ſuffundi præſtet, ſi quando de Coniugio memoria ſuboriatur; quamobrem, quæ à nobis tam caſta deſcribitur Puella, oſcula & amplexus affectat?

Sed



*Pudor Virginum & ſponſarum.*

Gen.25.65.

35. Sed deſponſata iam eſt: maior licentia eius eſt, quæ Marito promittitur: At certè Rebecca quaſi ad Maritum pergebat ad Iſaac, & quoniam adhuc deſponſa tantùm, ad virilem conſpectum theriſtro vultum obnubilat, Geneſ.c.25.verſ.65. Placuit Tertulliano tanta modeſtia, & laudauit ſtudioſè libro de velandis Virginibus: *Et deſponſatæ* (inquit) *fœminæ habent exemplum Rebeccæ, quæ cùm ad Sponſum ignotum adhuc ignota duceretur, ſimul ipſum cognouit eſſe, quem de longinquo perſpexerat; non ſuſtinuit dexteræ colluctationem, vel oſculi congreſſionem, nec ſalutationis communicationem. O mulierem iam de Chriſti diſciplina! oſtendit enim etiam nuptias de aſpectu, & animo fieri, quemadmodum & ſtuprum.* Neque etiam apud Ethnicas gentes ſeueritatis deſunt argumenta: Nam quale illud eſt apud Valerium lib.6.cap.3.eius, qui ſororem gladio interemit, quod plus æquo arbitratus eſſet Sponſum in bello amiſſum fleuiſſe? *Parum pudicas ratus lachrymas* (ait) *quæ præpropero Amori dabantur:* & apud eundem Sulpitius Gallus vxorem dimittit, quod eam capite aperto foris verſatam cognouerat: *Lex enim, inquit, tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus formam tuam approbes.* Plutarchus verò in coniugalibus memorat Catonem ſenatu mouiſſe illum, qui præſente filia oſculatus erat vxorem: Igitur Sponſam, vt impudicam non fuiſſe concedamus, audaciæ atque petulantiæ non poſſumus non accuſare.

Tertullian.

Valer.Max.

Plutarchus.

*Defenditur Sponſa Cantici.*

36. At huic vt tanto ſcandalo de expetitis à Sponſa oſculis faciamus ſatis, oportet attendamus Oſculum aut in humanæ aut in ſanctæ Amicitiæ, atque concordiæ, pignus datum, officii etiam cauſâ in ſalutationibus, in congratulando; Nonnihil ad hæc ſpectantia primâ atque ſecundâ ſectione præſertim, locupletemus modò: Quod ſalutationis, aut congratulationis nota, Seneca libro 2.de ira, cap.24. *Ille me parum humanè ſalutauit, ille oſculo meo non adhæſit:* & lib. 3. de Beneficiis, cap.28. *Deinde negas beneficium tibi à ſeruo tuo poſſe dari, cui oſculum alieni ſerui beneficium eſt.* Arrianus in diſſertationibus Epicteti, cap.19. *Tribunatum aliquis adeptus eſt, omnes obuij gratulantur, alius oculos, alius colla oſculatur.* Suetonius in Vitellio, cap.7. *Quam veterem de ſe perſuaſionem Vitellius recentibus etiam de ſe experimentis auxerat, totâ viâ caligatorum quoſque militum obuios exoſculans.* Ouidius, conſolatione ad Liuiam:

*Oſculum Salutationis & congratulationis nota.*

Arrianus,

Suetonius.

Ouidius.

*Obuia progrediar, felixque per oppida dicar,*
*Colláque & os, oculóſque illius ore premam.*
*Talis erit; ſic occurret; ſic oſcula iunget.*

Poſſent alia quàm plurima coaceruari, ſed religio eſt tranſcribere, nam & trita iam nimis, propter repetentium multitudinem: Apud quem non ſtatim Epigrammatarij Martialis illud lib. 7. Epigram.94.ad Linum?

Martial.

*Bruma eſt, & riget horridus December,*
*Audes tu tamen oſculo niuali*
*Omnes obuius hinc, & hinc tenêre.*

Et in primis vulgatiſſimum apud eundem libro vndecimo, Epigram.99.ad Baſſum,

Idem.

*Effugere non eſt Baſſe, baſiatores*
*Inſtant, morantur, perſequuntur, occurrunt*
*Et hinc, & illinc, vſquequáque, quacumque.*

Cui non dictum Tiberij mandatum prohibentis quotidiana oſcula, de quo Tranquillus in eius vita, cap.34. Sed non omittendum, quoniam ad propoſitæ diſputationis ſcopum maximè confert, in Hebræorum Republica eoſdem viguiſſe ritus: collegêre Bibliorum loca, Maldonatus ad verſum 48.cap.26.Matthæi, & ad verſum 45. c.7. Lucæ. Serarius in cap.1. Ruth, quæſtiuncula 21. non grauabor referre, quia in vtilitatem Lectoris cedet quæ allegant capita; nempè Geneſ. cap.27.verſ.27.cap.29.verſ.11.& 13.c.31.verſ.28. & 55.cap.33.verſ.4.cap.44. verſ.15 Exodi cap.4. verſ.27.& cap.18.verſ.7. Ruth.cap.1.verſ.9. Reg. lib.1.cap.20. verſ.41. Reg. lib.2. cap.14. verſ.33. Matth.cap.26.verſ.48.

Maldonatus.

Serarius.

37. Iam, quòd Amicitiæ, quòd fœderis & concordiæ Symbolum quis non docuit? Tacitus Annalium lib.14.cap.15. de Nerone volente ſimulare Amicitias cum Seneca: *His adijcit* (nempè blandis ſermonibus) *complexus & oſcula, factus naturâ, & conſuetudine exercitus velare odium fallacibus blandicijs:* Plutarchus in Fabio Maximo: nam cum Fabio Minutius equitum Magiſter infenſus eſſet, ei cum Annibale infauſtè pugnanti ob auxilium & ſuppetias à Fabio latas, quò ſignificaret redintegratas Amicitias; oſculo excepit, & ducem legiones imitatæ ſunt: *Secundùm hoc* (ait Plutarchus) *amplexus Fabium, & oſculatus eſt: idem erat cernere per totum exercitum, nam complexu ſeſe mutuo, & oſculo exceperunt: Vnde in lætitiam tota Caſtra effuſa, vt præ gaudio lachrymæ manarent:* Nihil tam frequens apud Eccleſiaſticos Doctores; Auguſtinus ſerm.121. loquens de Iuda per oſculum tradente Chriſtum: *O ſignum ſacrilegum, ô placitum fugiendum, vbi ab oſculo incipitur bellum, & per Pacis indicium, Pacis rumpitur Sacramentum*; & tom. 9. tract.6. in Ioannem. Oſcula Columbarum commonſtrat Pacis veras eſſe notas, de quibus quoque Cyprianus Martyr circa initium libri de vnitate Eccleſiæ; *Oris oſculo concordiam Pacis agnoſcere, legem circa omnia vnanimitatis implere:* Ambroſius autem enarratione in Pſalm. 39. *Iuda oſculo filium hominis tradis? Hoc eſt, venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur; oſculo, quod ſacræ Pacis inſigne eſt; oſculo, quo Amicitia fida firmatur, oſculo, quo fides ſancta ſignatur?* Chryſoſtomus hom.30. in cap. 13. Epiſtolæ ad Corinthios poſterioris: *ob id enim nobis datum eſt oſculum, vt charitatis igniculus, & fomes ſit:* & rectè quidem Amoris incentiuum: nam ab amore Oſculum. Græcis oſculari, τὸ φιλεῖν, & oſculum, φίλημα, quare & LXX de verſu, quem interpretamur, ἀπὸ φιλημάτων *ab oſculis:* in eundem verſum Bernardus ſerm.1. in Cantica: *Obſerua in primis Pacifici nomen, (quod eſt Salomon) conuenire principio libri, qui incipit à ſigno Pacis, id eſt, ab oſculo:* Item ſequenti concione: *Tamen, ſi verè (vt dicitis) decreuit miſereri Deus, cogitátque vt complacitior ſit adhuc; Statuat teſtamentum Pacis, & fœdus perpetuum feriat mihi in Oſculo oris ſui.* Honorius Auguſtodunenſis, *Oſculetur me oſculo oris ſui: ac ſi dicat, & pace ſigno Amicitiæ, quam proprio ore pœnitentibus promiſit, me conſoletur.* Halgrinius Cardinalis; *Habetur quoque in oſculo dulcis & delectabilis duorum coniunctio: Signum quoque dilectionis, reconciliationis & Pacis, & hæc omnia, oſculo connotantur.* Finem ponet Philippi Abbatis ſententia de ſilentio Clericorũ, c 24. *Quia igitur ab antiquo inuenitur eſſe oſculũ ſignum Pacis, ſignum beneuolentiæ, non ſimulatoriæ, ſed veracis; ipſe etiam Chriſtus quodammodò videtur admirari, quia videt illud conuerſo, & peruerſo ordine deprauari: Iuda, inquit, oſculo filium hominis tradis? Mira res! oſculo ſolent diſcordes ad concordiam reuocari, concordes in ſolida Perſeuerantiæ gratia confirmari: Nunc autem fas, & nefas ſimulatione deteſtabili tu confundis*, &c.

*Oſculum Amicitiæ, fœderis, & concordiæ Symbolum.*

Tacitus.

Plutarchus.

Auguſtin.

Cypr. Mart.

Ambroſius.

Chryſoſtom.

LXX. Int.

Bernard.

Honorius Auguſtod.

Halgrinius.

Philip. Abb.

*Oſculum ſanctum.*

38. Verùm oſculi ſinceritatem in primis commendat, eius quoniam frequens vſus extiterit

ſub

ſub Eccleſiæ Catholicæ exordiis, & quidem in ſacratiſſimis quibuſque, & maximè verendis Myſteriis, vt cùm de pane vitæ fideles participarent, cùm orationibus, & ieiuniis inſtarent: ſuper his plurima & à multis collecta, præſertim ab Apoſtoli explanatoribus ad Romanos cap.16. v.1. ad Corinth. priori, cap.16. v.16. Ad eoſdem poſteriori, cap.13. v.12. Ad Theſſalonicenſes c.5. verſ.26. Agit luculentè eo de Themate Eminentiſſimus Cardinalis Cæſar Baronius tom.1. Eccleſiaſticorum Annalium, ad Chriſti annum 45. num.13. Gabriel Albaſpinus Aurelianenſis Epiſcopus, obſeruationum de veteribus Eccleſiæ ritibus lib.1. cap.17. Teſtis antiquiſſimus Clemens Romanus Apoſtolorum *Synchronos*, lib.2. Apoſtolicarum Conſtitutionum, cap.57. *Vt viri viros, & fœminæ fœminas, cùm ad Euchariſtiam accedunt, oſculentur.* Meritò autem vocatum eſt tam purum baſium titulo oſculi ſancti; quod à Paulo acceptum honoris Epitheton, veteres doctrinæ Chriſtianæ Anteſignani libenter vſurparunt, de quo Ignatius Martyr Clementi coætaneus epiſt.7. ad Tarſenſes, & epiſt.12. ad Antiochenos, Dionyſius Areopagita, qui & à Chriſti diſcipulis ordinatus, de Hierarchia Eccleſiaſtica, titulo: *Myſterium Communionis*. Tertullianus lib. de oratione, c.12. qui ne ob ieiunij quaſi auſteriorem obſeruantiam, ſubtrahi oſculum ſanctum patiatur: *Alia iam conſuetudo* (inquit) *inualuit; ieiunantes habita oratione cum fratribus ſubtrahunt oſculum Pacis, quod eſt ſignaculum orationis: quando autem magis conferenda cum fratribus pax eſt, niſi cùm oratione commendabilior aſcendit, vt ipſi de noſtra operatione participent, quam auderent de ſua pace fratri tranſigere? quæ oratio cum diuortio ſancti oſculi integra? quem Domino officium facientem impedit Pax? quale ſacrificium eſt, à quo ſine pace receditur?* Origenes ad cap.16. epiſt. ad Romanos, ad verba ea: *Salutate in oſculo ſancto*, &c. & homil.1. ex quatuor in Cantica: *Cuius rei imago eſt* (inquit) *illud oſculum, quod in Eccleſia ſub tempore myſteriorum nobis inuicem damus.* Auguſtinus ſermone 83. de diuerſis: Chryſoſtomus homil. 30. in epiſt. 2. ad Corinthios: meminit & Cæſar Baronius ſuprà allegatus tom.2. anno Seruatoris 294. num.10. non tantùm in ſacris Templorum adytis poſt preces, oſculum à Chriſtianis datum, acceptúmque, ſed cùm ſe inuiſerent fideles, prius orationem ſolitos habêre ad Deum, poſtea in caſtos amplexus, atque oſcula ruere, probat ex ſanctæ Suſannæ Actis: ſed tacuiſſe par non eſt, vt huius ſancti oſculi allatis exemplis, Sponſæ fuiſſe honeſtam poſtulationem, quemadmodum Theodoretus probat. *Atque ne quis oſculorum vocabulo perturbetur* (ait) *vti myſtico ſponſi tempore ſponſi corpus ſuſcipientes, complectimur, & oſculamur, atque oculis cordis imprimimus, & animo, & cogitatione quaſi complexus quoſdam, & congreſſus nuptiales effingimus, atque ipſum charitate timorem foras eijcientes, nos amplexari putamus & ſuauiari.*

Clem. Rom. — Ignatius Mart. — Dionyſius Areop. — Tertullian. — Origenes. — Auguſtinus. — Chryſoſt. — Baronius. — Theodoret.

39\. *Oſculum inter Chriſtianos, olim frequens.*

Neque ſolùm mos deoſculandi ſe Chriſtianos poſt ſynaxim, & abſolutas communes preces, ſed idem aliàs multoties religioſè ſemper: Sic innuit Areopagita Dionyſius: nam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cap.6. qui ad Monaſticam admittebantur, poſt induta noui ſtatus inſignia, ait, conſuetos oſculum à circumſtantibus accipere: capite verò ſeptimo, defunctis fidelium cadaueribus etiam oſcula impreſſa: Martyrum buſta exoſculata Prudentius cecinit in Paſſione Hippolyti Martyris:

Prudent.

*Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,*
*Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.*

Cyprian.

Singulare & illud eſt, quod ſuggerit Cyprianus de recens natis infantibus impertito oſculo, vt in quo Dei plaſmantis venerarentur opus: libro 3. epiſt.8. ad Fidum, aliter epiſtola 59. *Nam etſi adhuc infans à partu nouus eſt, non ita eſt tamen, vt quiſquam illum in gratia danda, atque in pace facienda horrêre debeat oſculari: quando in oſculo infantis vnuſquiſque pro ſua religione ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modò formato, & recens nato quodammodò exoſculamur, quando id, quod Deus fecit, amplectimur:* Iam illud quantum eſt, quod & Sanctis Martyribus in vſu oſcula pudica? Iacobus Zebedæus cùm ad ſupplicium raperetur, petiit is, qui ad tribunal duxerat, ab eo veniam, quem Iacobus oſculatus, *Pax* (inquit) *tibi ſit.* Martyrologium Romanum die decimo Septembris: *Chalcedone Sanctorum Martyrum Soſthenis, & Victoris, qui in perſecutione Diocletiani ſub Priſco Aſiæ Proconſule poſt vincula, & beſtias ſuperatas, iuſſi ſunt incendi; at illi ſalutantes ſe inuicem in oſculo ſancto, in oratione poſiti ſpiritum emiſerunt.* Metaphraſtes in vita ſancti Baſilei Epiſcopi & Martyris apud Surium tom.2. ad diem 26. Aprilis: *Cúmque vocem hanc (Amen) addidiſſet, Elpidiophorum, & Diaconos ipſos amplexatus cum oſculo ſancto, quemadmodum Maximus ille Paulus Epheſiorum Preſbyteros olim amplexatus fuit:* Alludit autem ad factum Apoſtoli, de quo Actorum cap.20. verſ.37. De Martyribus iſta. Sed & de Confeſſoribus etiam: Hieronymus in vita Pauli primi Eremitæ: *Dum in mutuos miſcentur amplexus, proprijs ſe nominibus ſalutauêre, & poſt ſanctum oſculum reſidens Paulus, cum Antonio ita exorſus eſt.* Metaphraſtes in vita Abrahamij Confeſſoris tom.2. Suriano ad decimumſextum Martij: *Et è cathedra ſtatim ſurgens Epiſcopus vadit ad Beatum Abrahamium cum vniuerſo clero, & poſtquam eum ſalutaſſet, & oſculum dediſſet, exponit ei omnia*, &c. Denique huius normæ oſcula Romano Pontifici quatenus Chriſti in terris Vicario cum omni cultu data: ex Actis Alexandri Papæ III. apud Binnium tom.3. Conciliorum, Notis ad Concilium Venetum: *Fredericus nempè Imperator, proſtrauit ſe in terram, & deoſculatis Pontificis tanquam Principis Apoſtolorum pedibus, veræ Pacis oſculum ipſi deuotiſſimè dedit.* Et apud eundem tom.4. Conciliorum, 1. parte, hiſtorica narratione ad initium Florentinæ Synodi, recenſetur, vti Patriarcha Conſtantinopolitanus Pontificem in genam exoſculatus ſit. Argumentum ex profeſſo tractat Ioſephus Stephanus opuſculo ſpeciali de Oſculatione pedum Romani Antiſtitis.

Martyrolog. Roman. — Metaphraſt. Surius. — Act.20.27. — Hieron. — Surius. — *Oſculatio pedum Summi Pontificis.* Binnius. — Ioſeph. Stephan.

40\. *Obijcitur Clem. Alex. contra oſculum.*

Dixeris Clementem Alexandrinum notæ antiquitatis teſtem, vt qui fuerit Origenis præceptor, damnare introductam exoſculandi inter Chriſtianos formam: nam lib.3. Pædag. cap.11. *Dilectio autem* (ait) *non in oſculo cenſetur, ſed in beneuolentia, illi autem nihil aliud oſculo, quàm Eccleſias conturbant: etenim hoc vtique turpem mouit ſuſpicionem, & maledicentiam, quod impudenter oſculo vterentur, quod eſſe oportebat myſticum: id ſanctum vocauit Apoſtolus*; atque propter abuſionem obſeruat Cardinalis Baronius tom.1. anno Chriſti 45. num.26. factum in quibuſdam Eccleſiis, vt tabella porrigeretur deoſculanda, qui mos decurrente tempore, generalis euaſit. Reſpondeo, Stromatæi ſermonem docêre ſolùm ex hominum peruicacia vitiatum, quod in ſe erat honeſtum: & credo non vbique regnaſſe etiam Clementis

*Vſus oſculi tabellæ pacis in ceremonijs vnde?* — *Reſpond.*



Clementis æuo maculam, certè vt infecerit non paucos, ſed caſtigata poſtea licentia: nam eum, qui diu ſubſequuti ſunt alij Patres, quales Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, oſculi ſacri, quod poſt orationes & Euchariſtiam dabatur, vſum commendant: Sic in Eccleſiis fiebant conuiuia, atque ob Martyrum honorem in eorum Natalitiis; de prioribus Apoſtolus (vt nonnulli arbitrantur) 1. Corinthiorum, cap. vndecimo, verſ. 22. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum*, &c. de ſecundis Gregorius Romanus lib.9. epiſtolarum, Indictione 4. epiſt.71. ad Mellitum Abbatem; *Et religioſis conuiuijs* (dicit) *ſolennitatem celebrent*: Et quàm fuiſſent illa ſub initio religioſa & ſobria, Tertullianus Apologetici cap.39. innuit: *Cœna* (aſſerit) *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit, vocatur enim ἀγάπη, id quod Dilectio, penes Græcos eſt: non prius diſcumbitur, quàm oratio ad Deum præguſtetur, æquè oratio conuiuium dirimit:* Et tamen vt ſunt homines fragile genus, quod ob charitatem alendam, propter Diuorum honorem inſtitutum eſt, à guloſitate fœdatum eſt, vt ingemuerit idcircò Paulinus Nolanus Natali 9. Sancti Felicis.

1\. Cor. 11. 22. — Gregor. — Tertull. — Paul. Nolan.

*———Et nunc eſſe frequentes*
*Per totam, & vigiles extendunt gaudia noctem:*
*Lætitiâ ſomnos, tenebras funalibus arcent.*
*Verùm vtinam ſanis agerent hæc gaudia votis,*
*Nec ſua liminibus miſcerent pocula ſanctis.*

Conc. Laod. — Gregorius.

Quare & Laodicenum Concilium cap.28. *Non oportet* (inquit) *in baſilicis ſeu Eccleſijs agapen facere, & intus manducare, & accubitus ſternere.* Quin & Gregorius Papa, vbi ſuperiùs allegatus, hortatur ad Chriſtianam alacritatem in Templorum dedicatione, & Martyrum commemorationibus, tamen extra loca religioſa per ambitus Eccleſiarum, tabernacula erigi ſuadet, in quibus epulandum ſit: Itaque Clementis Alexandrini de oſculorum abuſu conqueſtus in fauorem eſt: Nam dolet cerimoniam piam illegitimis circumſtantiis prophanatam.

41\.

At quorſum tam varia, & longa de oſculis diſquiſitio? nimirùm, vt ſignificaremus oſculum vituperatione ſæpius carere, ſi Amicitiæ, ſi Pacis, ſi beneuolentiæ, ſi patriæ conſuetudinis gratiâ aut reddatur, vel accipiatur: Laudem quoque non raro promeruiſſe, vt quod ſanctum vocatum ſit ſub naſcentis fidei incunabulis: quamobrem Theologicè Angelicus Doctor 2.2. q.154. art.4. in corpore, *Reſpondeo, dicendum quod aliquid dicitur eſſe peccatum mortale dupliciter: vno modo ſecundum ſpeciem ſuam: & hoc modo oſculum, amplexus, vel tactus ſecundum ſuam rationem non nominant peccatum mortale: poſſunt enim hæc abſque libidine fieri, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, vel rationabilem cauſam.* Atque ſanè oſculum ob præfatas cauſas impreſſum, & delectationem inde ſequutam, vtrumque licitum eſſe ex communi Doctorum ſententia, ex Bibliorum locis multis, & ipſo humani generis vulgato conceptu patêre, optimè adnotauit P. Leſſius de iuſtitia & iure, lib.4. cap.3. dubio octauo, num.56. Cur enim non liceat Animi ſinceritatem, atque beneuolentiam externis indiciis demonſtrare? Videndi P. Salas de peccatis quæſt.74. tract.13. diſput.6. ſect.20. num.131. P. Hurtado de Mendoza tom.2. in 2.2. diſput.173. ſect.25. §.306. Quæ cùm ita ſint, quorſum mediocriter peritus aliquis exhorreat ſimul atque audiat Sponſam Dilecti oſcula expetentem? Nónne certè beneuolentiæ cauſa? nónne Amicitiæ? nónne ex patriæ, quin & gentium ritu optat, quò peregrè venientem ſalutet? vti in præcedentibus oſtendimus ſect.1. atque 2. At ſanè, ſi qua eſt in vniuerſo Epithalamio Charibdis, ad quam offendant delicatæ aures, hæc eſt de concupitis baſiationibus: Hîc autem cùm planè perſpiciant nihil eſſe laſciuientis Orcheſtræ, prurientis Deæ, deſinant tandem metum deponere, & vana ſcandala ob lectionem pudici Codicis; intelligant etiam in grammaticali, atque externo ſenſu nihil eſſe, quod vel leuiſſimè impudicitiam oleat: Reuocentur quidem à libro terendo ob arcanorum denſam multitudinem, ob metaphoras abſtruſas, ſed non ob aliquam carnalis voluptatis, quæ illegitima ſit, & Matrimoniis negata, ſuſpicionem: hîc enim non tale quidpiam, ne vmbræ quidem & figuræ.

D.Th.2.2. — *Et Oſculum honeſtum, & delectatio ex eo ſecuta, licita ſunt.* — Leſſius. — Salas. Hurtado de Mendoza. — *Nihil prorſus in hoc Cantico, quod vel delicatiſſimas aures poſſit offendere.*

42\. *Sponſis de futuro licita eſt ea voluptas quæ præciſè ex oſculo & contactu manus vel faciei percipitur, etiam ſine veniali peccato.*

Eſtque illud conſiderandum, quam Salomon in ſcenam producit Virginem, eius, cuius oſcula auet, thalamis promiſſam fuiſſe, & ſequuturi coniugij Sponſalia præiuiſſe: At verò, quanquam diuerſa ſit ratio inter omninò ſolutos, tamen Sponſis de futuro conceditur ea voluptas, quæ præciſè ex oſculo, & contactu manus vel faciei percipitur, ſic vt nec venialiter idcircò delinquere intelligantur, quemadmodum ex probatis Authoribus, nimirum Toleto, Nauarro, Valētia ſubinfert Leſſius loco ſuperiori §. indicato, num.58. Igitur quanquam verſus Canticorum explanandus eſſet de Carnali oſculo, & deſponſatorum oblectamento aliquo; nihil tamen laſciuum concipiendum eſſet, quando ne venialis quidem interceſſit noxa: & vt in coniugatis non ſint omnia ſtatim ſeuerâ animaduerſione ferienda, docebit Auguſtinus libro 22. contrà Fauſtum Manichæum, cap.46. Nam cùm Hæreticus titillationi & luxuriæ; vt minimùm petulantiæ tribuiſſet quod de Iſaac ſcribitur Geneſ. cap.26. verſ. octauo: *Cúmque pertranſiſſent dies plurimi, & ibidem morarentur, proſpiciens Abimelech Rex Palæſtinorum per feneſtram, vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua*, &c. Reſpondit Beatus Pater in hunc modum: *Rex alienigena Rebeccam viri ſui coniugem tunc eſſe cognouit, quando eum cum illa ludentem vidit, quod non cognouiſſet niſi cum coniuge ſic ille luderet, quo modo cum ea, quæ coniux non eſſet, ludere non deceret: quod cùm ſancti coniugati faciunt, non inaniter faciunt, ſed prudenter: deſcendunt enim quodammodò ad fœminei ſexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate vel dicant, vel faciant, non eneruantes, ſed temperantes virilem rigorem; quod tamen ei, quæ vxor non eſt, qui dixerit, aut fecerit, turpis eſt.*

Toletus. Nauarrus. Valentia. Leſſius. — Auguſtin. — Geneſ. 26.8.

*Notandum maximè hæc ſcripta eſſe dum vigeret lex Moyſis cuius licentia amplior*, &c.

Sed eſt, quod his adiungamus rem præcipui momenti; nempè iſta accidiſſe donec vigeret Moyſis lex, & ſtaret Synagoga, cuius maxima gloria in coniugiis, & multiplici ſobole, apud quam infœcunda inhonora erat, & *Maledictus, qui non faceret ſemen in Iſraël*; tum ipſa lex infantilis & nihil ad perfectum ducens, quamobrem laxiores habenæ tunc, & amplior licentia quando nec pudeat apud Iſaiam cap.4. Septem mulieres ambire viri vnius thorum: Et Rachel Geneſ. cap.30. verſ.1. morituram ſe dicat, ni liberos tollat: Sed de hoc argumento ad ſatietatem Nos tom.1. Anteloquio ſeptimo, ſectione duodecima. Igitur, cùm ex omnium ferè & temporum, & locorum, & Prouinciarum, & gentium vſu docuerimus caſtū, & impollutum fuiſſe exoſculandi morem, quoad ſalutationes, Amicitias, fœdera: cùm à nobis demonſtratum à Chriſtianis, tum

Iſaiæ 4. — Geneſ. 30.1.

*Solitudo Spõſæ abſente Sponſo eiuſque dulces querimoniæ.* Venant. Fortunatus.

Soliloquio vt Sponſi immiſceret Nomen, non fuiſſe neceſſum : Talem nobis pingit graphicè æternitatis percitam deſiderio,& in Sponſi anhelantem amplexus Animam fidelem Venantius Fortunatus lib. 3. Metro *de gaudijs , & ſpe vitæ æternæ* ; planè ibi omninò noſtra tota in myſterio Sponſa, nec grauabor plura adtexere diſticha, quæ iucundiſſima ſunt.

*Sponſo abſente manens,tam dura cubilia ſeruo*
*Nec mea,quem cupiunt membra tenêre queunt.*
*Dic vbi ſis,quẽ expecto gemens,quâ te vrbe requirã?*
*Quáve ſequar,nullis fœmina nota locis?*
*Ipſa venire velim properans,ſi poſſit in Aſtris*
*Pendula ſyderеam planta tenêre viam.*
*Nunc ſine te fuſcis grauiter Nox occupat alis,*
*Ipſáque ſole micans eſt mihi cæca dies.*
*Lilia,Narciſſus,violæ,roſa,Nardus,Amomum,*
*Oblectant animos germina nulla meos.*
*Vt te conſpiciam per ſingula nubila prendo,*
*Et vaga per nebulas lumina ducit Amor.*
*Ecce procelloſos ſuſpecta interrogo ventos,*
*Quid mihi de Domino nunciet Aura meo,*
*Quicquid erit tolerem,ſint omnia dulcia dura,*
*Donec te videam : hæc mihi pœna placet.*

*Nomen Sponſi poſtea ſubindicat Sponſa.* *Nomina propria ſæpe per circumlocutionem exprimit Scriptura.* Iſai.8.3. & c.9.6.

Denique,neque quod paſſim ſupponitur ; Sponſi appellationem ſuppreſſit, nam pauciſſimis interiectis vocibus,*oleum* (ait) *effuſum nomen tuum* : nam hac periphraſi innuit Pacificum,dici,quod idem eſt ac Salomon, de quo ſuo nos ordine, & loco: neque inuſitatum eſt Scripturæ proprium vocalum per circumlocutionem ſupplêre : Sic Iſaiæ c.8.verſ.3.*Et dixit Dominus ad me,voca nomen eius, Accelera,ſpolia detrahere , feſtina prædari* : Similiáque ſequenti cap.9.verſ.6. *Et vocabitur nomen eius Admirabilis,Conſiliarius,Deus fortis,Pater futuri ſeculi, princeps Pacis*, quæ non ſunt Meſſiæ propria vocabula,illum tamen ſatis innuunt,quemadmodum & Sponſum ſatis ab effectu demonſtrat, quòd oleum effuſum dicatur.

49. *Cur Sponſa Verba Imperatiua ſint, Oſculetur me,&c.* Sidonius. Gregorius. Bernardus.

Verùm,quando ſiue oſculum, ſiue aliquid maius oſculo ſignificatum Sponſa deſiderat, quorſum non ſubmiſsè poſtulat magis quàm cum imperio ? Nam iubentis ſuperbior vox eſt, *oſculetur*, &c.Dixi in antecedentibus,n.11,Optantis potiùs ſermonem eſſe humilem,quàm præcipientis: Nũc affirmo,nec inconueniens eſſe,ſi imperet & mandet quæ diligit,nam Amor vt rectè effatur Sidonius lib.4.epiſt.18. Lucontio : *Quod recenſebit , vt eſt in his, quæcumque depoſcit priuilegio charitatis imperioſiſſimus* : Ibi aliqua Sauarus: Gregorius lib.6. epiſt.37.ad Eulogium, Indictione 15. *Habet enim ipſa Dilectio authoritatem ſuam , & omninò certa eſt, quia iniuria non erit in omne , quod amando præſumpſerit* ; Bernardus ſerm.83. in Cantica:*Nec verendum,ne diſparitas perſonarum claudicare faciat conuenientiam voluntatum , quia Amor reuerentiam neſcit : ab amando quippè Amor , non ab honorando nominatur : honoret ſanè qui horret , qui ſtupet, qui metuit , qui miratur : vacant hæc omnia penes Amantem* : At & fieri poſſit,vt imperatiuum vice futuri Indicatiui modi poſitum ſit, id eſt, *Oſculabitur me*,demonſtrat námque fiduciam,quam in Sponſo habeat, qui non patiatur irrita fieri quæ procedunt de eius palato verba,ea nimirum, quibus maritalia fœdera Virgini pollicitus eſt, cùm deſponderat ſibi : de Imperatiui in futurũ commutatione luculentum exemplum Iſaiæ cap.6.verſ.9. *Audite audientes & nolite intelligere , & videte videntes,& nolite cognoſcere* : & tamen Matth.cap.13. verſ.14. citantur hæc eadem cum futuro : *Auditu audietis , & non intelligetis & videntes videbitis , & non videbitis* : Videndus Pagninus lib.1. Iſagogæ, cap.47.

*Imperatiuum vice futuri Indicatiui.* Iſaiæ 6.9. Matt.13.14.

50. *Cur Relatiuum ſine Antecedente.* Cantapret. Gueuara. Martinez.

Sed locus iſte plenus eſt tropis Hebræorum: nam relatiuum,aut quaſi relatiuum abſque antecedenti ponitur,vti aliàs ſæpe,cùm non exprimatur quænam Perſona illa ſit, cuius expoſtulantur oſcula,id,quod aduertit Cantapretenſis lib.9.regula 31.Gueuara ad illa cap.3.Habacuc:*Cornua in manibus eius*,&c ; At Martinez benè vidit vſum eſſe huius figuræ,cùm res excellit in malitia, vel bonitate aut ſit valde nota : Sponſa igitur quoniam dilectus illius inter optimates primus erat, & quia idem in Iudæa notiſſimus, quin & extrà Iſraël, eum cùm alloquitur, metaphorâ vtitur, quæ adhiberi ſolet, cùm res claræ nominantur; Atque propter hoc ipſum, cùm debuiſſet vti ſecunda perſona aiens : Oſculare me, tertiam magis interponit, quod honoris causâ fieri interdum in Scripturis allegatus probat Cantapretenſis dicto lib. 9. Hypotyp. regula 31. Atque ita ſanè vates obſcurior loquitur. *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem,filium Buzi,ſacerdotem in terra Chaldæorum*,cap.1.verſ.3. cùm ſufficeret dixiſſe, factum eſt ad me verbum Domini : verùm authoritatis conciliandæ ergò ſub tertia perſona exorditur; ac ſanè de perſonarum crebra variatione in Scripturis,vt quod ſæpè tranſitus fiat ab vna ad aliam, multis idem Martinez lib. 5. cap.2. Oleaſter Canone 11. Ribera in cap. 2. Sophoniæ num. 46. Cornelius in Iſaiam Canone 14. Sanctius in verſ. 1.cap.2.lib.1. Regum,& paſſim diligentiores Interpretes: Denique eſt quod notetur in verbis Sponſæ πλεονασμὸς & redundantia,vt cui ſatis eſſet,dixiſſe, *Oſculetur me*, quin adderet *ore*, atque vt iſtud verbum adiunxiſſet, ly *ſuo* ſupereffluebat:percipiamus à Bernardo ſerm.4.in Cantica : *Nónne denique*(ait) *ita inuicem loquimur:Oſculare me,vel da mihi oſculum,& nemo loquitur , vt dicat,ore ſuo,ſiue oſculo oris ſui ? quid, alterutrum oſculari parantes , num verſus inuicem ora tendimus , quæ tamen ab inuicem non requirimus nominatim? Denique, qui narrat,verbi gratia,à Domino ſuſceptum in oſculo Proditorẽ:& oſculatus eſt,ait,eum; nec addidit ore ſuo, vel oſculo oris ſui:Sic nimirum omnis & qui ſcribit,& qui loquitur conſueuit* : Sed quanquam non abhorreat à ſacri idiomatis more,vt excreſcere videatur aliqua particula,ſine qua maneret perfectus Orationis ſenſus vt Pſal.54. v.13. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi*,&c.illud *quoniam* ſi demeretur,teneret adhuc ſententia.Pſal.104.v.26. *Miſit Moyſen ſeruum ſuum, Aaron quem elegit ipſum*:ſuperat dictio *ipſum*:Tamen hoc loco non eſſe neceſſarium ad tropum confugere,cùm verba quæque myſterijs grauida ſint,oſtendimus ſuperius ſect.1, & 2.vbi cur potius oris,quàm aut frontis,aut genarum,vel pectoris oſculũ flagitet monſtrauimus; inſuper & quod proprij oris,magis quã alienorum labiorũ baſium:Nec tamẽ diſplicet aliquo pacto, quod à noſtro Sanctio adnotatũ eſt in hunc verſũ, & exẽplis comprobatũ,emphaſim habere eiuſmodi verborũ copulationẽ,vt Thren.c.1.v.2.*Plorans plorauit in nocte* : Matth.c.2.v.10. *Gauiſi ſunt gaudio magno*,de quibus Euthymius ad v.2. Pſal.39. *Expectans expectaui Dominum* : itaque denotant iſta Amantẽ incredulam & timentem, ne forſan vota fruſtrentur;non fidit ſibi ſatis,metuens eſt,proinde vltrà oſculum,& quod ab ore ſit, cùm tamen non niſi ab ore eſſe valeat, nec hoc ſatis, adhuc ſub formidine eſt,annectit igitur ab ore ſuo, puto,& ſi reſtaret aliud,cumulaſſet quoque:date veniam Amoris vanæ trepidationi:ecce quid illa:

*Tertiá perſonâ vtitur Sponſa, honoris causâ.* Cantapret. Ezechiel 1.8. Martinez. Oleaſter. Ribera. Cornelius. *Pleonaſmus hic in verbis Sponſæ, nimirum, Ore ſuo, redundant, & quare?* Bernardus. Pſal.54.13. Pſa.104.26. Sanctius. Thren.1.2. Matth.2.10. Euthymius. *Amantes meticuloſi , & increduli.*





Penelope Vlyſſi. Ouid.

*Quando ego non timui grauiora pericula veris?*
*Res eſt ſolliciti plena timoris Amor.*

Hieronym. Paulinus.

Hieronymus ad Furiam de Virginitate ſeruanda non longè à fine : *Hoc dico, non quod de te ſiniſtrum quid metuam , ſed quod pietatis affectu etiam quæ tuta ſunt pertimeſcam* : Paulinus etiam in fine epiſt.13. ad Seuerum.*Verùm ego vel tam timidum me vitio infirmitatis meæ,vel tam nimium Amoris tui fateor , vt pro te etiam tuta timeam.*

51. *Cur Sponſus non inceperit hoc Canticũ.* Tertullian. 1.Cor.11.3. Sidonius. *Vir vxorem quandoque vltra ſeipſum euehit.* Ioan.14.12. Auguſtin. *Quantùm Deus deferat ſeruis ſuis.* Luc.12.17. Athenæus. *In Saturnalibus & Mercurialibus feſtis Domini ſeruis miniſtrabant.* Macrobius. Senec. Sulpitius.

Sed quando vt inſinuabamus ſect. 4. Hebræis vſus fuerit,vti Epithalamij Muſicam ordirentur Nubentes ipſi,quale aliquid & in conuiuiis Tertullianus ſubindicat ſcribens ad vxorem,c.6.dum inquit : *Diſcumbit cum Marito in ſodalitijs , ſæpè in popinis : de cuius manu deſiderabit ? de cuius poculo participabit? quid Maritus ſuus illi,vel Marito quid illa cantabit?* Quamobrem non Sponſo potius prima tribuuntur verba ? Debebatur enim initium excellentiori,qui nobiliora occupat ſemper : At vir dignior,vtpotè mulieris caput apud Apoſtolum Corinth.1.cap.11.verſ.3.Fateor quidem Marito debitos potiſſimos honores,& mulierem non niſi ab eius iubare coruſcare, quare venuſtè Sidonius Carmine 22. Matremfamilias dixit *illuſtrem pro ſorte viri* : At eſt,quando vir pro vxoris meritis & virtute, non tantum paria concedit officia, ſed vltrà ipſummet euehit : quid enim legimus Ioan.c.14.verſ.12.pronunciatum à Sotere:*Amen, Amen dico vobis,qui credit in me,opera quæ ego facio, & ipſe faciet,& maiora horum faciet* : Quæ ad verba Auguſtinus tract.72. in Ioannem : *Non quò maior eſſet Magiſtro diſcipulus,vel Domino ſeruus , ſed quod per illos ipſe dignaretur eadem maiora facere , qui dicit illis alio loco,ſine me nihil poteſtis facere*:Sed luculentum in primis illud apud Lucam cap.12. verſ.37. de famulis obſequioſis & vigilantibus:*Amen dico vobis , quod præcinget ſe , & faciet eos diſcumbere , & tranſiens miniſtrabit illis* : Quo ex loco apparet quantùm famulantibus deferatur ab Hero,vt qui Dominorum vice fungantur, Domino ſeruilem non dedignante formam in gratiam eorum,quos impensè diligit. At putat Maldonatus hîc Parabolam ad inuſitata tranſcurrere, cùm cæteræ illius partes ab his, quæ contingerent nonnunquàm, deſumptæ fuiſſent, non autem euenire vt Dominorum quiſquam famulis miniſtret : Sed cum bona venia tanti Interpretis, fuit, cùm & illud etiam accideret, quamobrem & veriſimile eſt Chriſtum alluſiſſe ſemper, aut ferè ſemper in huiuſcemodi comparationibus, ad rem, quæ alicubi gentium ( nam comprehendebat ipſe vniuerſa) in more eſſet : Sed percipiamus de præſenti controuerſia ab Athenæo, lib.14. Dipnoſophiſt. cap.17. *At non Saturnaliorum quidem ſolùm diebus, in quibus mos eſt apud Romanos , vt familiaribus conuiuium exhibeant , ipsique ſeruorum officio fungantur: eſt autem Græca hæc conſuetudo,nam per Mercurialia feſta hoc ipſum fit in Creta, velut teſtatus eſt Cariſtius in Hiſtoricis Commentarijs ; nam conuiuantibus ſeruis Domini illis ſeruiunt , atque miniſtrant* : refert & ex Beroſo, Babyloniorum eſſe eundem vſum : Macrobius lib.1. Saturnalium, cap. 12. loquens de Menſe Martio : *hoc menſe ſeruis cœnas apponebant Matronæ,vt Domini Saturnalibus: illæ , vt principio anni ad promptum obſequium honore ſeruos inuitarent; hi,quia gratiam perfecti operis exoluerent* : vbi vides Heros ſubmittere ſe,vt rependant bonis famulis, quod planè Lucæ etiam indicat ſententia:Huc reſpexerit Senecæ Philoſophi ſermo epiſt.47. *Maiores noſtri inſtituerunt diem feſtum , quo non ſolùm cum ſeruis Domini veſcerentur,ſed vtique honores illis in domo decernere , ius dicere permiſerint* : Et vt Chriſtianum aliquid ſuggeramus,Sulpitius in vita B.Martini de Imperatrice Maximi vxore:*Componitur caſtis reginæ manibus apparatus, ſellulam ipſa conſternit,menſam admouet, aquam manibus ſubminiſtrat,cibum,quem ipſa coxerat apponit: ipſa illo ſedente eminùs,ſecundum famulantium diſciplinam ſolo fixa conſiſtit immobilis,per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſeruientis.*

52. Pſal.44.10. *Cãtat prior Sponſa fortè quia celebris propter cantus ſuauitatem , vnde in gratiam conuiuarum, qui iam ipſè Sponſum canentem audierant , ſola incipit.*

Ergo dicamus, in nouæ Sponſæ fauorem prælatam eam à Marito vt quæ priùs caneret, nam & certè ſimilis honoris,quòd Sponſa meliora occupet veſtigia in Dauidis quoque Epithalamio, oda nempè 44. nam verſu decimo adſtitiſſe, narratur Regina à dextris in veſtitu deaurato circumdata varietate,cùm tamen vulgata æſtimatio ſit, potiori reſidêre loco qui à dextris ſit : Fortaſsè, & quod nunc dixero in cauſa fuit : percrebruerat rumor de hac Sponſa, vt cùm in plurimis excelleret,gutture tamen eſſet ſuauiſſimo ; qui autem ad nuptiarum pompam accerſiti fuerant ex Hieroſolymitana nobilitate, illi de Sponſi voce nouerant, quàm ſuauis & meloda eſſet, cantauerat nimirum ipſis aliquoties, ſeu priuatim, ſiue publicè ; igitur omnis ardor pro Sponſæ Muſica: quod ſi ſimul & Vxor & Maritus intonarent hymenæum,non poſſit ſatis diſcerni, quàm aut dulcis,aut perita eſſet vox fœminea : in gratiam igitur Hoſpitum præter communem Epithalamiorum morem, abſtinuit à canendo vir, Puella demulcet conuiuas : Quòd ſi affirmamus iuxta quæ ſtatuimus ſectione 4. non eſſe Hymenæi èxordium, eum, quem explanamus verſum, ſed partem Hiſtoricæ Narrationis, tum etiam vt diſquirat quiſquam, cur Poëta initia loquendi tribuerit Sponſæ, & non potius viro ? dicemus, ordinem rerum ſic expoſtulaſſe, cùm fuerit in principio declarandum, qualibus tabuerit affectibus noua Nupta ob Dilecti abſentiam,proinde vt inchoandum fuerit ab ea,& non à Sponſo.

# Explanatio in eundem verſum Myſtica.

*Senſus principis de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus* : Oſculetur me oſculo oris ſui : *cap.1. verſ.1.*

*Cuiuſnam Eccleſiæ verba, & quota ipſa Eccleſia? Synagoga Mater Eccleſiæ iunioris quo ex titulo? Inter paganos veri Dei cultores : vna ab exordio mundi fidelium Eccleſia quo pacto? qualis fides diſcipulorum in triduo mortis Chriſti?*

## SECTIO I.

53. *Triplex Eccleſiæ diſtinctio.*

TRIPLICIS Eccleſiæ vulgata diſtinctio : eius, quæ ſub Naturæ decretis : eius, quæ ſub ſcriptâ lege ; illius denique, quæ ſub gratia. Naturalis legis tempus illud conſueuit vocari quoaduſque genus humanum Naturæ lumine, & inſtinctu gubernatum eſt,

*Quodnam naturalis legis tempus?*

nullis à Creatore latis ſpecialibus præceptis, neque ordinatâ peculiari aliquâ obſeruantiâ, quâ ex communi nationum vſu, & regulariter loquendo coleretur : ſed peritè obſeruatum à noſtro Suario tom.3.in 3. Partem, diſputationis 4. Præfatione, cùm de lege naturali ſermo eſt, non intelligi ſolum illud dictamen, quod prodit ex puræ naturæ viribus, nam cùm homo ſub puræ naturæ ſtatu nunquam verſatus ſit, verùm ſimul atque productus, in finem ſupernaturalis Beatitudinis ordinatus, inde eſt, quod & media ſupernaturalia habuerit, quibus finem præſtitutum adipiſci poſſibile fuit : *Comprehendimus ergo* (inquit nominatus Author) *ſub lege naturæ ea præcepta, quæ connaturalia ſunt gratiæ, & iuſtitiæ ſupernaturali, ſeu illud dictamen rationis, quod non tantùm ex naturali lumine, ſed etiam ex fide ſupernaturali reuelata ac ſufficienter propoſita intrinſecè oritur*, qualia ſunt præcepta fidei, ſpei, charitatis, Pœnitentiæ, & ſimilia, quæ per ſe, & ex natura rei ſunt neceſſaria ad vitam rectè inſtituendam.

Suarez.

Stetit iuxtà tritum computum vſque ad promulgatam per Moyſem ſcriptam legem, tum ſubintrauit altera Eccleſia, cui Nomen Synagoga.

*Synagoga non erat Eccleſia vniuerſalis.*

At non fuit hæc Eccleſia Vniuerſalis, quoniam non pro omnium Prouinciarum mortalibus, ſed pro vnius Iudææ & ſeminis Abrahæ hominibus, quæ ſupra naturalem legem peculiaria obſtringebant præcepta data ſunt : quamobrem etſi totius Synogæ fides penitus deficeret, tamen non propterea deſineret vera eſſe Eccleſia, cùm Dei fideles cultores reperirentur non pauci, Ethnicorum inter ſpineta, vt prudenter animaduerſum à Bellarmino, tom.1.lib.3.de Eccleſia, cap.16.§.*ad tertium* : Quamuis autem ad ſalutem ex neceſſitate medij non deſiderabatur tunc (ſed nec fortaſsè poſt Euangelium annunciatum) fides explicita de Chriſti Incarnatione, eiúſque quaſi Mediatoris, quod ſenſêre de noſtris Ægidius Conink. 2. 2. diſput.14 dubio 9. concluſione 4. Luiſius Torrenſis diſput.27. dub.2. Puente Hurtado de Mendoza diſput. 44. ſect. 1. concluſione tertia : tamen & expreſsâ eius fide imbutos fuiſſe, neque raros eos, commonſtrat Salmeron tom.2. in Euangelia tract.18. Cui pronunciato egregiè fauet Sanctus Thomas 2.2.quæſt.2.art.7.ad 3. quin & vrbes, regnáque veri Creatoris fidem profeſſa extra Iudæam Pineda autumat, & non inconcinnè oſtendit ad verſum 1.cap.1.Iob num.73. Mutuabor allegatum ab eo Auguſtinum & librariorum mendum, eius quod Textui irrepſit, emaculabo: nam citat ex libro duodecimo ad Marcellinum de ciuitate Dei, cùm ſit decimus octauus, cuius cap.47. beatus Antiſtes : *Nec ipſos Iudæos exiſtimo audêre contendere, neminem pertinuiſſe ad Deum præter Iſraëlitas, ex quo propagatio Iſraël cœpit eſſe, reprobato eius fratre maiore : Populus enim reuera, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit : homines autem quoſdam non terrenâ, ſed cœleſti Societate ad veros Iſraëlitas ſupernæ ciues Patriæ pertinentes, etiam in alijs gentibus fuiſſe, negare non poſſunt* : Et de argumento profusè Iacobus Bolduc opere de Eccleſia ante legem. Baronius Apparatus n. 18. Ribera in cap.2.Haggæi, num.33.

Bellarm. Salmeron. S.Thom. Pineda. Auguſtin.

54. *Ante Meſſiæ aduentū duæ Eccleſiæ.*

Itaque donec adueniret Meſſias, duæ extiterant Eccleſiæ ; altera quæ ſecundum Naturæ leges, more à nobis indicato, in medio Nationum prauarum vitam ordinabat, & forſan non pauca de fidei myſteriis didicerat aut ex Maiorum traditione, vel ex Hebræorum Amicitia, eorum qui per varias oras diſperſi ſunt : Altera Iſraëlitarum, quem Populum Numen ſingulariter dilexit ; tandem & filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis, qui cùm in laboribus & ærumnis plurimis pertranſiſſet benefaciendo, & ſanando ſiue mentis, ſiue corporis valetudine fractos, neque oratione ſuper mel, & fauum dulci emollire valuiſſet, denique Barabbæ poſtpoſuiſſent, & in panem eius lignum miſiſſent, deleuit, & repudiauit ingratum cœtum, & ſuffecta eſt Synagogæ loco Eccleſia ex gentibus ; apud quam cum nulla ſit neque Græci, neque Iudæi, neque Barbari diſtinctio, atque eius inſtituta omne genus hominum comprehendant, ideo Catholica & Vniuerſalis appellata eſt. Cùm verò dicimus reiectatam Synagogam, non eſt intelligendum excluſos Iudæos, vt qui ad nouam Congregationem non pertinerent quouis modo, ſed indicamus tantùm caſſas redditas in poſterum cerimoniarum obſeruantias, & iudicialia legis Scriptæ, in quibus deinceps ſpem aliquam ſalutis collocare non liceret : Cæterùm quicumque parati eſſent Baptiſmum ſuſcipere, & opere adimpleuiſſent, quique exinde intrà fidem Chriſti perſtabant, nec idololatriâ aut hæreſi inficiebantur, ij licet Iudæi, de Eccleſia iuniore erant : qui verò Principes & duces eius ex gremio Synagogæ



*Synagoga Mater Eccleſiæ.*

Synagogæ proceſſerant, Simon Petrus, & Commilitonum manus, atque hanc ob cauſam Synagoga Mater appellatur Eccleſiæ recentioris : ſic equidem maxima pars antiquorum, nouorúmque Interpretum ad verſ.5.c.1.Cant. *Filij Matris meæ pugnauerunt contra me*, nam conqueſtam Eccleſiam Euangelicam de genitricis Synagogæ nimirum ſæuitia affirmant, dabo nomina meliori occaſione n.58. ſubſcribunt Gregorius Papa ad verſ.4. c.3. Cant. Rupertus ad verſ.5.c.8. Eucherius Lugdunenſis, ſiue potiùs Euſebius Gallicanus homil. in Feriam 5. poſt tertiam Dominicam Quadrageſimæ : Hieronymus in illud cap.62.Iſaiæ : *dicite filiæ Sion*, &c. *Quæ vel ideò appellatur* (inquit) *filia Sion, quia primùm orta eſt ex Iudæis, de qua dicit in Cantico Canticorum : filij Matris meæ pugnauerunt aduerſum me* : Idémque epiſtola 137.ad Marcellam : *Vt quoniam prima Eccleſia ex Iudæis fuerat congregata, nihil ad credentium ſcandalum innouarent* : quin & ipſa Eccleſia Sabbatho ſancto ad Cerei benedictionem Iudæos Progenitores agnoſcit, quando Patres appellat, niſi forte antiquitati delatum titulum illum quiſpiam velit : *Hæc nox eſt* (inquit) *in qua primùm Patres noſtros filios Iſraël eductos de Ægypto mare rubrum ſicco veſtigio tranſire feciſti* : Denique vulgata cogitatio eſt, oſtium gentibus patefactum per Centurionis Cornelij ad fidem acceſſum, ſentiunt Bellarminus tom.1.lib.1.de Romano Pontifice, cap.22. Baronius tom. 1. ad annum Chriſti 41.à num.21. in quem incidiſſe Conuerſionem illius æſtimat : fuit igitur vſque in hanc temporum Periodum ex Iudæis conflata Eccleſia : & vt concedamus noſtro Sanctio tract. 1. de Prædicatione Sancti Iacobi in Hiſpania, cap. 9. Cornelio à Lapide ad verſum 48.c.10. Actorum, Petri, aliorúmque diſcipulorum concionibus illuminatos Ethnicorum aliquos fidem Ieſu Chriſti amplexatos, ſed erant illi pauci ſine dubio comparatione Iudæorum.

Cantic.1. Gregor. Rupert. Eucherius Lugdunenſis. Hieronym.

*Per centurionem Cornelium, oſtium Gentibus ad fidem patefactum.*

Bellarm. Baron.

55. *Quare Eccleſia etſi per Iudæos fundata, dicatur vocata ex gentibus.*

Quomodo igitur vocata eſt Eccleſia ex gentibus vti frequentiſſimè Patres appellant, quæ per Iudæos fundata eſt? Sanè, eò quod de Iſraëlitis, exceptis primis Anteſignanis, non multi acquieuerũt ; quinimò acres experta eſt hoſtes, etiã ſuprà Gentilitatem ; Vbi igitur viguit potiſſimùm, inde nomen acceptum : inſuper, & ne ex modo ſignificandi, ſi Iudęa vocaretur, Moſaïcos ritus obſeruare intelligeretur : ſed pręcipua Epitheta, quibus eã Symbolum honeſtat, *ſanctam affirmans*, κg. θολικὴν, id eſt, *Vniuerſalem, Apoſtolicam*, de quibus nobiliſſimis vocabulis Suarez de fide diſp.9. ſect.7. Sed in his adnotandum, cùm omnis quæ vnquam fuerit Eccleſia, ſiue ante legem ſcriptam ; ſiue hac oppreſsâ quoad ritus, & iudicialia, per quę ſpeciatim conſtituebatur ; quoad eſſentialia conuenerit, quãuis penes exteriorem cultum ſua cuique differentia ; idcircò eiuſdem naturæ, atque eſſentię omnem cenſeri Eccleſiam : Eſſentiale verò illud, media ſupernaturalia Theologicarum virtutum fidei, ſpei & charitatis imprimis, quibus aſſequenda erat æterna in quam deſtinabantur, Beatitudo : quam ſanè fidem viſibili aliquo, & externo cultu quanquam multùm diſſimili teſtati ſunt, quicumque in verum Deum crediderunt : Num autem qui adiecti ſunt peculiares ritus, quæ Sacramentorum heterogenea forma, eiuſmodi extiterint, vt fecerint diuerſorum temporum Eccleſias ſpecie incompleta differre, vti nonnulli autumãt Sacramẽta partialia ſanguinis & corporis Dominici ſecerni, non multum intereſt, dummodò ſubſentiamus ſimpliciter & abſolutè vnam, non autẽ multas Eccleſias fuiſſe : atque hanc eſſe ſolidã doctrinam ſuadebunt Euſebius Cæſarienſis lib.1.Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, c.1.Nicephor.lib.1.c.5. Gregorius Romanus hom.19.in Euangelia, Auguſtin. in illud Pſalm. 61. *tanquam Parieti inclinato*. Beda, Nicolaus de Lyra, Carthuſianus ad verſum hunc primum Cantici Canticorum. Baronius tom. 1. Annalium, exordio Apparatus ; Ribera ad c.8.Zachariæ à num.2.Titelmannus ad verſum 1. cap.8. Canticorum, Coſmas Damianus Iſagoga in Cantica : Melchior Canus, lib.4.de locis, c.2.Bellarminus lib 3.de Eccleſia militante, cap.2. Suarez de fide diſp.9.ſect.4.Valentia tom.3.diſp.1. quæſt.1. Puncto 7. §.14. Antonius Pererius in Pentateucho fidei, volumine 1.dubio 19.cap.2.& alij plurimi, quos allegant poſteriori loco allegati à nobis ſcriptores.

Suarez. Euſeb. Nicephor. Gregor. Auguſt.&c.

56. *Eccleſia ſemper fuit vna, quamuis diuerſa pro diuerſis Sacramentis & ritibus.*

Sed quanquam vna, atque eadem ſemper omnis Eccleſia verè credentium ; tamen penès varia connotata diuerſorum præſertim Sacramentorũ, & rituũ diuerſæ Eccleſiæ diſtingui valeãt. Quemadmodum etſi Animæ potentiæ idem ſint realiter, operatione intellectus per reſpectum ad diuerſos terminos, diuersáque cõnotata ſeparãtur ; & alia diſtinguitur quæ in verum feratur, alia quæ in bonum : in Deo autem ſimilem Attributorum ſeiunctionẽ nemo inficiatur ; ſed hîc etiamnum maius diſcrimen, vbi craſſiora reperiuntur : Hinc prodierit, vt alia vocetur Eccleſia ante legẽ, alia ſub lege ; altera ſub gratia, & ſæpiùs immemorata quæ ſub naturæ Decretis fuerat Eccleſia : præcipua differentia inter duas Eccleſias, Iudæorum nempè & Chriſtianorum : illa ſenior & antiqua, hæc noua & adoleſcentior ; illa Hebræorum, hæc Nationum indiſtinctè ; illa peculiaris, hæc vniuerſalis ; illa Synagoga, & Moſaïca, hæc Eccleſia Antonomaſticè, Romana, & Apoſtolica vocatur : hinc vt duæ tribuantur vxores Verbo Dei, altera ſeminis Abrahæ ſecundum carnem, altera, quæ per Euangeliũ in Chriſto Ieſu generata ſit : nam idem & Sponſus & Pater ex Bernardo ſermone 8.in Cantica : de vxoribus duabus more indicato, Origenes tract.7. in Matthæum, ad illa : *Non legiſtis, quoniam qui fecit ab initio*, &c. Auguſtinus ſerm.79.de tempore. Gregorius Papa lib. 14. Moral.cap.22. & in expoſitione 4. Pſalm. pœnitentialis, ad illa, *quia ædificauit Dominus Sion*, &c. Rupertus lib. 7.in Cantica expendens verba ea : *Sub arbore Malo ſuſcitaui te*, Gloſſa ordinaria ad verſum 15.c.21. Deuteron. *ſi habuerit homo vxores duas*, &c. Iam igitur quando præmonſtratum ſit, qualis Eccleſiæ fuerit ſub omni ſtatu, & tempore vultus ; & vt poſſit, licet vna atque indiuiſa, quaſi multiplex conſiderari, examinis Cardo eſt, de quanam hoc Epithalamium Eccleſiâ proloquatur, & ſingulariter quænam, Verba exordialia, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, profuderit?

*Duæ vxores Verbi Dei.*

Bernard. Origen. Auguſt. Gregor. Rupert. Gloſſ.

57. *Primus verſus Cantici ſuſpirium eſt Eccleſiæ Chriſtianæ in triduo mortis Chriſti.*

Perſto nunc poſt nouam conſiderationem, & ſecundam curam in ſententia, quam Præludiali volumine cũ ſtudio proſequutus ſum Anteloq.3. ſect.4. cùm oſtendi Eccceſiã iuniorẽ, ex gẽtibus, Chriſtianã ſubintroduci, quæ cùm cœperit fũdari ab initio prædicationis Chriſti per Apoſtolorum vocationẽ, vt placet Suario de fide diſp.9. ſect.2. n.6. penitùs manifeſtata eſt in Seruatoris morte, & tum quoque deſponſata vni viro Virgo caſtiſſima ; cuius ſuſpiria & gemitus pro abſentia Dilecti in triduo mortis eius, ab hoc, quod veſtigamus Hemiſtichio auſpicantur ; neque modò alia fulcra, quàm quæ tum adhibuimus. At duriſſimum eſt (inquies) cùm omnis penè Interpretantiũ

chorus Synagogæ tribuit, vt quæ optet Verbi in terras delapſum, & incarnatum intueri, æſtuet à trita velle deflectere ſemitâ, ab eâque ſanè, in quam tot & doctrina, & auctoritate pollentes conſpirauerint. Reſpondeo. Varias fuiſſe cogitationes eorum, qui in huius verſus enodationem inciderunt. Prima refert ad iuſtos ſub lege ſcripta, vt inclamauerint pro aduētu Meſſiæ: pro hac priſcorum, iuniorúmque denſa manus. Secunda reſtringit vota pro Reparatore ad Mariam Deiparam, vt vel hoc deſiderauerit ſuprà quam intelligi valeat, aut certè abſoluto Archangeli colloquio, dixerit, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, pro eo, quod in Lucæ Euangelio, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum :* arriſit Honorio Auguſtodunenſi, Ruperto, Guilljelmo Abbati, Philippo Abbati, Alano, Halgrinio, Carthuſiano, Ioanni Pico ex eius ſodalitio, Delrio, Giſlerio, Placido Nigidio. Tertia, de verbi atque Animę ſincero Colloquio, quæ omnium expoſitorū vallatur patrocinio. Quarta Spiritum ſanctū flagitari dicit: putant Ambroſius ſerm.1.in Pſalm.118. & lib. de Iſaac, cap.3. Bernardus ſerm.8. in Cantica. Philippus Abbas ad hunc verſum lib. 1. cap. 3. & 4. S. Thomæ Commentarius. Quinta, de Altaris ineffabili eſca apud Ambroſium lib. 5. de Sacramentis, cap.11. Sexta, de Eccleſia ſub Naturæ legibus aut certè de primo inchoamento Synagogæ, quando vineam ſuam de Ægypto Creator tranſtulit: ita Nicolaus Lyrenſis, Iacobus de Valentia, Cyprianus Ciſtercienſis, & accommodant ſe quoque Agathius Guidacerius, & Coſmas Damianus Hortulanus; innuunt Andreas Acitores Symbolicæ Theoſophicæ principio trigeſimo, Georgius Ederus OEconomiæ Bibliorum lib.2. Tabula 123. Quid verò ex tot recenſitis opinionibus hauriamus? Nempè ancipitem, & variam eſſe ſententiæ conſtructionem, nihílque vnicum & indiſcrepans ſequutos Scriptores, ſic vt ad alia conuolare interdictum eſſet: iam verò quot declarationum facies mutant qui Animæ & Verbo colloquentibus aptant? Nullum igitur piaculum eſſe affirmamus in tanta viarum laxitate ignotum quidpiam tentaſſe, quod neque priores ſemitas aliquo modo contemnat, neque à pietate, & Catholico Biblia interpretandi vſu vel latum vnguem deflectat. De his frequenter ſuperiori Tomo, ſingillatim Anteloquio 1. ſect.5. à num. 34. neque damnum legiſſe eadem ſtabilientem Ferdinandum de Eſcalante, Clypeo Concionatorum, lib.7.cap.9. Sed cùm his inſiſteremus miſſus ad nos peropportunè Alcazarii tomus ſecundus de Apocalypſi confœderata; vbi totam aperuit noſtram ſententiam lib.3.ſect.1. in cap.1. Canticor. Commentarij §. *Tertiam hîc Sponſam*, &c. *Et verò fateor* (inquit) *ad Incarnationis deſiderium verba hæc à nonnullis Patribus applicari : contextu tamen conſiderato ſequendus potius videtur Athanaſius in ſynopſi pronuncians : Canticum Canticorum non habère Prophetiam; ſed Chriſtum iam carne indutum repræſentare : quaſi dicat : Vaticinium huius libri non ita eſſe conformatum, quaſi prædicat futura : ſed Sponſum induci poſt factam iam Incarnationem : adde & poſt Spiritus ſancti aduentum.*

*Variæ expoſitiones huius primi verſus.*

Alcazar.

58\. Sed quoniam inſinuaui Præparatorij Operis multis in locis, coactum me nouam ordiri telam, eò quod aliorum veſtigiis inhærêre impermiſſum fuiſſet, volo ſchema lectori ob oculos proponere. Præbeamus ſanè lubentibus animis Synagogam Sponſam eſſe, quæ ab amore impatiens ex arcano mentis ſinu gemitus ducat, & inclamet, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, cur vix tranſacta quarta Periodo ſuperinducitur altera Sponſa, quæ de prioris infanda crudelitate queratur? *Filij* (ait) *Matris meæ pugnauerunt contra me :* nam hæc eſſe nouæ & primitiuæ Eccleſiæ lugentis verba, eámque memorantis cladem, quam à Iudæorum & nobilitate, & vulgo paſſa ſit, poſtquam aſcendit in ſuperna Chriſtus Ieſus, & ſedit ad dexteram Patris (de quo vexamento Actorum cap. octauo enucleatiùs) quanti affirmarunt conceptâ etiam verborum formulâ? Eum in modum hom.1. ex duabus ſub finem Adamantius, Caſſiodorus, Beda, Anſelmus, Aponius, Philo Carpathiorum Antiſtes, Iuſtus Orgelitanus, Iſidorus Hiſpalenſis, VVilleramus Abbas, Bernardus ſerm. 29. in Cantica, Gloſſa ordinaria, & Interlinearis, Dionyſius Carthuſianus art.3. Thomas Ciſtercienſis; de recentioribus, Titelmannus, Hortulanus, Almonacirius, Sotomaior, Delrius, Giſlerius, Vincentius Riccardus Notis ad Matthæum Cantacuzenum, quem benè exponit huius eſſe mentis: neque ab his multùm diſtantes, qui Deiparam Mariam Iudæis perduellibus filij necem obiectare dicunt, Rupertus, Philippus Abbas, Halgrinius Cardinalis, Richardus à Sancto Laurentio lib.5. de laudibus Mariæ, titulo, *Chriſtus matrem ſuam :* quamobrem ergo ſaltus tam immanis à Chriſto nato ad eundem patientem? cur in ſcenam miſſa altera Sponſa, quæ omiſſis connubiorum gaudiis in lamenta illicò proſiliat? Quid in litera & cortice, quod duas repræſentet Sponſas? Sed & non diu poſtea reditur vel ad Seruatoris iterum natiuitatem, vel ad miracula & prædicationem, & his rursùm velatis Paſſio apparet: quoniam igitur tam hebeti eramus ingenio, vt hoc conciliare ignoraremus, reliquimus tantam Prouinciam acri iudicio præditis viris, & meditati ſumus planiorem Commentandi normam, hiatibus vacuam: Alij vt ſe liberent, veteres accuſant interpretes ob deſpectum hiſtoricum ſenſum, quo relegato Allegoriam labare neceſſum erat, hos quinam eſſent oſtendimus tom.1. Anteloq.1. ſect.5. & nunc iiſdem annumeramus Eſcalantem, clypei ſui Concionatorum lib.4. cap.43. Sed video & in Recentium pleríſque negligentiam, cùm tamen literæ ſe nauaſſe operam putent: At fuêre rariſſimi, qui pro continuando filo Carminis laborarent, hinc omnis dolor. Vtinam vt nobis fauet votum atque deſiderium genuini aperiendi ſenſus, ſic & nos iuuet eruditio, atque acumen!

*Difficultates in his expoſitionibus non paucæ.*

59\. Eſt tamen quòd in noſtris lucubrationibus magnam ſuſtineat querelam, nempe omiſſa à nobis quæcumque Chriſtus geſſerit inter homines: nam Epithalamium auſpicamur ab his, quæ eius mortem ſubſequuta ſint, occultatis mirificæ vitæ præclariſſimis Actis: quid verò eſſe poſſit, quod Hymenæi magis extenuet laudem iſto ſilentio? aut quo pacto Canticum Canticorum nominari debeat, in quo non reſonant Chriſti myſteria? Reſpondeo, nequaquam derelicta tam grandia: Quoniam vero Poëta ſacer non Metrum ſcribebat, cui ſcopus egregia Sponſi facinora; ſed ludere volebat in nuptiis, propterea à Matrimonio orditur; cúmque Hymenæi leges poſtularent, vt Nubentium encomia exciperent ad gaudia connubialia vocati, anſâ arreptâ capite 5. Canticorum delineat ſpecioſiſſimum Iuuenem à vertice ad pedes, ibi igitur recenſetur Dei hominis conuerſatio in terris, ibi & quâ infinitus, & quâ temporalis graphicè deſcribitur, verâque illius

*Curà Morte ſeu Reſurrectione Chriſti Epithalamiū hoc inceptū.*



illius Nobilitate conſtabilitâ euertuntur Hæreſes, quæ maculam inducebant gloriæ eius.

60\. Obiiciat autem quiſpiam, in Triduo mortis Chriſti non fuiſſe Eccleſiam nouam, quam nos meditamur, quæ ſcilicet Chriſti reſurrectionem ardenter exoptaret: equidem ſi talis aliquis cœtus, maximè Diſcipulorum Chriſti: At hi ad Eccleſiam non ſpectabant, nam à fide defecerant, infideles autem de Eccleſia non ſunt: quanquam autem in Virgine Beata tum ſpirans, & perfecta fides, ſed non ſola poterat Eccleſiam facere, quæ multitudinem requirit vt propriè loquamur, quemadmodum Suarius animaduertit de fide diſput.9. ſect.2. num.2. Igitur tunc reuerà non erat Eccleſia Chriſti mortem cognoſcens, & reſtitui deſiderans. Reſpondeo cum eodem Suario nominatæ diſputationis ſect.3. numero 7. & octauo, præter Seruatoris Matrem, fide quoque imbutos Apoſtolos, & Sanctas fœminas, nec enim quidquam eſt momentum, & pondus habens, quod ab hoc pronunciato deterreat: cæterùm, licet fide caruiſſent, tamen ad hanc iam Eccleſiam pertinebant quicumque per totum orbem diſpergebantur iuſtitiâ Dei præditi: Nam iſti quamuis Mediatoris implicitam ſolùm fidem haberent, vel etſi manifeſtam quoque, ſed ignorabant veniſſe adhuc, tamen erant cum animi præparatione ad obediendum his quæ numen credenda præcepiſſet. Horum igitur quaſi filiorum nomine genitrix, pia Mater, Virgo intacta Maria fundebat aſſiduas preces ad Patrem Sponſi vti euigilare faceret, & ſuſcitaret Dilectum: fundebat & credo Diſcipulus, quem diligebat Ieſus, qui Cruci adſtitit, nec non & mulier illa peccatrix in ciuitate quondam, & Ioſephus ab Arimathæa: Verùm properemus noſſe, atque auſcultare quid dicant.

*Eccleſiæ fides in triduo mortis Chriſti.*

Suarez.

---

*Eccleſiæ Chriſti Anaſtaſim concupiſcentis vota : illa Domina, Synagoga ancilla ; de humano Sponſo, & de ſpiritali, Chriſto nempè, ſenſuum concordia.*

## Svbsectio Vnica.

61\. Ergo oſculum notam eſſe redeuntis ex peregrinatione diximus: At certè nonne peregrinatum abierat, qui mortuus eſt; qui etiam vſque ad inferos deſcendit? petit igitur chara Sponſa reducem fieri, atque vt remeantem liceat deoſculari: ô reuertatur ad nos, intueamur, conſurgat, *oſculetur me oſculo oris ſui*; Nempè acceperat & vicaria per internuncios oſcula, nam viſitauerant Angeli, qui à piis mulieribus conſpecti, antequam datum Seruatoris vultus cernere: At & ſub ipſo mortis triduo veriſimile eſt Matri crebrò adfuiſſe de cœleſti militia ſpiritus, qui conſolabantur ſuper filij nece: nam ſi frequentes alloquutiones eorum donec in templo ſeruabatur Virgo, antequam Domini genitrix nunciata eſſet, quemadmodum teſtantur ex Patribus multi apud Chriſtophorum Caſtrenſem, Hiſtoria Deiparæ, cap.3. num.10. vt quid arbitremur defuiſſe poſt ablatum chariſſimum Animæ pignus? Sed non ſatis deſiderio ſubſtituentia oſcula, proinde ſuſpirat, & vt ipſe veniat gemebundè implorat: Oſculo (inquit) non alieno, ſed *oris ſui*: Nonne tibi videtur hoc dulci œſtro laborare Mariam Magdalenam, quæ nihil aliud ſciat loqui, nihil reſpondêre, nihil cogitare niſi pro Dilecto? ſi Angelus percunctatur, ſuggerit, quia *tulerunt Dominum meum*, Ioan. c.20. verſ. 13. ſi Dominus ipſe apparet, dum tamen occultat lineamenta: *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum*, &c. Ita omnis de Amore ſermo, nec morbi vim lenire quidquam valeat, ſi non ipſe ſe manifeſtet, & oſculum ſanctum labiis ſuis impertiat: legantur Origenes hom. de Magdalena, Gregorius Papa hom.25. in Euangelia.

*Frequēs Angelorum apparitio Virgini Deiparæ, in triduo mortis Filij.*

Ioan.20.13.

62\. Sed imprimis meminiſſe oportet eius partitionis, qua diſtinximus oſcula pedum, manuúmque, & oris; priora illa ſeruorum eſſe docuimus, labiorum baſia ad ingenuos atque nobiles ſpectare; propterea, & manuum veſtigiorúmque oſculis adumbratas ſecundarias vxores de Ancillarum claſſe: oris ſuauiatione primariam deſignari conſortem, quæ Domina familiæ, quæ poteſtatem exercens, quæ paris cum Marito encomij in plurimis; igitur vt primaria nominetur Coniux, Eccleſia gentium poſtulat, & nonne id affatim aſſequuta? Nonne Synagoga Ancilla, hæc Princeps in domo; illa Agar, hæc Sara? & dubitabimus de iſtis Paulo apertiſſimè ſuffragante? nam ad Galat. 4. verſ.22. aſſerit: *Quoniam Abraham duos filios habuit; vnum de Ancilla, & vnum de libera, ſed qui de Ancilla ſecundum carnem natus eſt; qui autem de libera, per repromiſſionem, quæ ſunt per Allegoriam dicta, hæc enim ſunt duo Teſtamenta.* Deinde commonſtrat vetus inſtrumentum ſeruitutem generaſſe, cùm nouum ingenuos, & nobiles cultores produxerit: Atque ſanè vel hic Apoſtoli ſufficeret locus, ne Synagogæ adſcriberemus oſculum oris; nam cùm probauerimus nullo vnquam tempore conceſſum captiuis, & ſeruitute oppreſſis, vt quid tribueremus cœtui mancipiali Iudæorum? genuinus igitur ſenſus eſt, qui de Eccleſia Catholica exponit. Et curni huic ſanè? quando hæc ſit quæ amat, & diligit ſyncerè, non terram fluentem lacte & melle, non poſſeſſiones agrorum, non filiorum multitudinem, non auri talenta exoptat; ſed tantùm Amoris pignus, nempè oſculum: illa autem alia Eccleſia ad temporalia hians, amabat propter dona; imò quaſi ne amabat quodammodò, neque enim ſeruorum eſt amare, ſed timêre; ſed ipſa famula, & miniſtrans: atqui noſtra Sponſa vſque eò in diligendo progreſſa, quæ niſi in Dilectum tranſmigret; & mutetur, quieta non ſit; hoc quo pacto accidat ſpiritu per oſcula attracto, declarauimus: propterea & Amator nouæ Eccleſiæ, dicebat: *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus*, ad Galatas 2. verſ.20.

*Oſcula pedū, manuūmque ſeruos, labiorum verò & oris ingenuos decent.*

*Chriſtiana Eccleſia Domina, Synagoga Ancilla.* Ad Galat.4. 22.

Ad Galat. 2. 20.

63\. Quod ſi & alias enodemus tranſlationes, illud de L X X. Seniorum penu, *Oſculetur me ab oſculis oris ſui*, an non rectè ſtatuemus indicare, parcam & exilem fuiſſe Creatoris munificentiam erga Synagogam, ſi cum Eccleſia Apoſtolorum fiat comparatio? ibi vnum potiſſimum donum, nempè Circumciſionis ſignaculum, neque hoc ipſum in vniuerſos diſperſum, neque enim ad fœminas extendebatur; hîc gratia ſuper gratiam, nempè adimpleta eſt vaticinatio: *& erit in nouiſſimis diebus dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* Act.2.verſ.17. Cernis vſque ad effuſionem prodigam liberalitatem? proptereà ibi oſculum, hîc *ab oſculis oris ſui*: Adiunximus ex Hebræo doctrinam ſignificari pro oſculo, ideo flagitare ſponſam, vti Dilectus eam erudiret eruditione oris ſui, perciperet ab eloquentiſſimis labiis ſermonem vitæ, & quonam pacto formanda eſſet noua Eccleſia; conceſſit deſideriis ille,

*Sponſus parcus in Synagogam, munificus in Eccleſiam.*

Act.2.17.

illo nam per quadraginta dies manſit cum diſcipulis, *apparens eis, & loquens de regno Dei*, Actor. cap.1.verſ.3. (Act.1.3.) hoc eſt, ſecundum tritam enucleationem de vniuerſa Eccleſiaſtica Hierarchia, de Sacramentis, de cerimoniis inſtruens : ſi cui etiam placet lectio, quæ *armari* vertit pro oſculo, nec repugnamus: erat enim puſillus grex credentium, erat in quibuſdam laſſata fides, at lupi multi, tota ferè Iudæa, certè Metropolis habitatores ob inuidiam erga Magiſtrum, quem ligno ſuſpenderant; igitur vt muniantur contra vim & tyrannidem inhumanè ſæuientium, opus vt aſſiſtat Præceptor, qui animet & confortet.

63. *Cōcordia ſenſus Grammaticalis & Myſtici, Sponſæ prophanæ & ſacræ.*

Sic igitur, niſi me decipit cogitatio, omnem literæ ſenſum Myſterio accommodauimus abſque violentia: quadrant etiam annexa alia: Nam ſi prophanæ ſponſæ connubialia pacta cum ſilentio, & ſine apparatu coram agreſti ſolùm plebe celebrata; & Eccleſiæ ſponſalium obſcura pompa, Dilecto tam vulnerato & afflicto ſub Patibuli infamia: Si continuò humanus ſponſus diſceſſerat, nouámque vxorem dereliquit inter ſuos rurales affines pauperem & incognitam, quoaduſque nobiliſſimâ, & numeroſâ cateruâ ſtipatus rediret; Et Chriſtus recentem Eccleſiam pauidam, atque trementem, nulliſque apud ſæculi cultores ornamentis inſignem per triduum mortis reliquit: Si Sponſa antequam viro placeret Ethnica, cuius & Mater Pagana, egens pariter, & deſpecta: Eccleſia quoque iunior exceptis iis, qui de Iudaiſmo conuerſi fuêre, quoad maximam ſui partem, à qua denominationem ſumpſit, & vocata eſt Eccleſia gentium, vanorum Numinum adoratrix fuit, & è gentilitate prognata, egens ſimul, cùm virtutibus non polleret, ac proinde meritò contempta; Ita ergo quoad fieri valeat & Hiſtoria & Allegoria manus ſibi porrigunt concordi fœdere. Si quando à vulgaribus ſententiis recedere neceſſarium ſit, idcirco audemus, hanc vt germanitatem Literæ & Myſterij continuare valeamus: credo æquus lector feret benignè, quando optimæ Interpretationis potiſſimum encomium, ſi amicitias ſtrictiſſimas ineant Hiſtoricus, atque Allegoricus ſenſus.

*Acceleratio Incarnationis Filij Dei abſolutè & ſimpliciter, num ſolius Virginis beatæ poſtulationibus debita, quaſi ſola ipſa de condigno meruerit? Aliquid de natura meriti: de ratione decretorum æternæ mentis: ordinum intentionis & executionis: Deiparæ genus humanum quanta obſtringatur ob commoda.*

## Sectio II.

66. Celeberrima eſt huius initialis verſus de Cantico Salomonis Explanatio, quæ refertur ad vota æſtúſque vehementis deſiderij, quo Synagogæ proceres, quicunque ſanctitudine excelluerant, Meſſiæ feſtinum aduentum, dies, noctéſque implorabant. Locuples fideiuſſor Bernardus exordio 2. in Cantica ſermonis: *Ardorem* (ait) *deſiderij Patrum ſuſpirantium Chriſti in carne præſentiam frequentiſſimè cogitans, compungor, & confundor in memetipſo, & nunc vix contineo lachrymas; ita pudet teporis, torporiſque miſerabilium temporum horum: cui namque noſtrum tantum ingerat gaudium gratiæ huius exhibitio, quantum veteribus ſanctis accenderat deſiderium promiſſio? illorum ergo deſiderium flagrans, & piæ expectationis affectum ſpirat mihi vox iſta: Oſculetur me oſculo oris ſui.*

*Veterum Patrum pro Verbi Incarnatione ſuſpiria.* Bernard.

Sed tribuunt imprimis Virgini intemeratæ, qui integrum de ea Commentarium texuerunt non pauci: de quibus Philippus Abbas cap.1. (Philipp. Abbas.) *Volo enim, vt in ſinu Patris ſe diutiùs non abſcondat, vt exinde aures meas verboſâ nuntiorum frequentiâ non obtundat, ſed diu ſufferentem, nec ſufferre diutiùs præualentem ampliore gratia me perfundat, & illapſu plenario totus meo gremio ſe infundat.* Et diſtinctiùs Richardus à ſancto Laurentio lib.1. de laudibus ſanctæ Mariæ, capitulo quinto (Richard. à S. Laurent.): *Tracta enim eſt ſapientia, quæ eſt Filius Dei, de ſinu Patris, id eſt, de illis occultis, ad quæ nulli creaturæ patebat acceſſus; quaſi quibuſdam funibus, vel intimis deſiderijs, ſuſpirijs, & lachrymis Sanctorum antiquorum: vnde dicebat Moyſes, Exod.4. Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es: & Dauid Pſal.143. Emitte manum tuam de alto, &c. & Iſaiæ 64. Vtinam dirumperes cœlos, & deſcenderes: ſed Maria quæ magis dilexit, profundiùs ſuſpirauit, vehementiùs deſiderauit, ipſa fortiùs traxit, dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui.* Cant. 1. De his Mariæ gemitibus inenarrabilibus pro Mediatoris aduentu S.Birgitta lib.1.Reuelationum, c.10. & lib.3.cap.8. Sancta Mechthildis lib.1. ſpiritalis gratiæ. Bonauentura in Meditatione vitæ Chriſti, cap.3. (S.Birgitta. S. Mechthild. S. Bonauent.) ac nemo, vt reor, dubitauerit præcipuam laudem eius deferendam petitionibus, vt à noſtro Caniſio probè conſideratum eſt, lib.2. de Deipara, cap.16. §.*quod ſi*, &c.

66. *Meritum de congruo exile, nec propriè meritum.*

Cæterùm vt meruiſſe Incarnationis accelerationem, & vt hebdomadæ abbreuiarentur, etſi pleriſque bonæ notæ Theologis viſum; ſed non attollunt ſupra antiquorum Patrum gloriam huius Virginis meritum, quando omnes de congruo ſolùm promeritos aſſerant: Ac quanquam intra meriti de congruo circulum, maior, minorve amplitudo, vt plus etiam ex congruitate vnus mereatur, quàm alius: ſed quantum eſt qualecumque meritum, dummodò congrui metas non excedat, quàm exile? Adeò ſanè meritum de congruo non dicitur *propriè* meritum, & conſequenter neque abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum habitu diminuente, *ſecundum quid, & impropriè*, vt docent vulgariter Scholaſtici. Valentia tomo 2. quæſt.6. puncto 1. Ægidius Conink de Actuum Moralium ſupernatur.diſp.8.num.17. (Valentia. Conink.) Quamobrem ſi dicamus Virginem Deiparam meruiſſe Incarnationis accelerationem de congruo tantùm, modicè commendamus, cùm propriè loquendo atque in rigore, hoc non ſit meruiſſe. Putabam igitur Patrum effata de huius Virginis miranda præcellentia legens, aliud nobilius, quàm ſit meritum de congruo indicare: nam certè ſubinnuunt, huius Virginis operâ factum, vt quæ peccatum, & in rationali creatura & in cætero mundiali opificio labefactauerat, redintegrata iterum ſint (*Quæ peccatū labefactauerat, Maria vt redintegrauit.*): ita Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſerm. de zona Domini (Germanus Patriarch.): *Nullus enim eſt, qui ſaluus fiat niſi per te, Virgo ſanctiſſima; nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per te, ô puriſſima: nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per te, ô caſtiſſima.* Ephrem oratione ad eandem Virginem (Ephrem.): *Tu captiuorum redemptio, & omnium ſalus, Aue pax, gaudium, & ſalus mundi: Aue vniuerſi terrarum orbis conciliatrix.* Baſilius Seleucienſis ſerm. de Incarnatione (Baſil.Seleuc.): *Aue, quæ inter Deum, & homines mediatrix intercedens, efficis, vt interiectus inimicitiæ paries tandem aliquando euertatur, terrenáque cœleſtibus coniungantur.* Anſelmus de excellentia (Anſelm.)



lentia Virginis, cap.11. *Vtique cuncta, quæ Deus bona, & vtiliter fecit, in eo ſtatu, quo condita fuerunt, ſicut diximus, & oſtendimus, eſſe deſtiterunt: & per hanc Beatiſſimam Virginem in ſtatum priſtinum reuocata ſunt, & reſtituta.* Bernardus ſerm. 1. de Natiuitate Mariæ (Bernard.): *Vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, vt non ſit qui abſcondat ſe à calore eius.* Petrus Damianus ſerm. de Annunciatione (P.Damian.); *Sic per ipſam, cum ipſa, & in ipſa totum hoc faciendum decernitur: vt ſicut ſine ipſo nihil factum eſt; ita ſine illa nihil refectum.* Arnoldus Carnotenſis tractatu de laudibus Mariæ (Arnold. Carnot.): *Diuidunt coram Patre inter ſe Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ inuiolabile Teſtamentum*; & ſimilia ad verba illa: *Mulier, ecce filius tuus.*

67. *Mariam Virginem meruiſſe de condigno Incarnationis accelerationem, Probatur.*

Ex his argumentor. Patres affirmant Beatam Virginem cauſam fuiſſe vtique meritoriam humanæ reſtaurationis, atque ſalutis: at non ſignificant meruiſſe de condigno redemptionem, cùm hoc puræ Creaturæ vires ſuperet; Neque etiam de congruo, quia eum in morem & Patres antiqui Incarnationem, per quam venit ſalus & Redemptio, promeruerunt: Igitur innuunt meruiſſe de condigno accelerationem redemptionis, & Incarnationis, & idcirco de ipſa, & non de Patribus antiquis, aſſerunt cauſam extitiſſe noſtræ reconciliationis; quia ipſa ſola fuit, quæ de condigno meruit accelerationem, ac proinde merito proprio & ſimpliciter; aliàs ſi meritum de congruo ad ſimiles locutiones ſufficiens eſſet, cur non de veteris Inſtrumenti iuſtis ſimilia deprædicant? Dices, mereri accelerationem ſalutis, non eſſe mereri ipſam ſalutem. Fateor preſsè loquendo, & Scholaſticè ita verum eſſe, verùm Patres ſe accommodaſſe vſui humano in ſermonibus, cùm dicunt abſque limitatione, Deiparam promeruiſſe ſalutem hominum: Nam apud homines ſi ex procraſtinatione Medicinæ, & remedij, valetudo ſic atteratur, vt ægrè confortari poſſit æger, & vix antiquo vigori reſtitui; ſanè qui cum tempore opitularetur, quãuis eius induſtriâ ſolùm patratum ſit, vti celeriter Antidota adhiberentur; conſueuit tamen ei ſecundũ vulgarem cõceptum ſalus ipſa abſolutè tribui: quia ſecundum æſtimationem hominum per eum velut factũ, ne in deſperationem recuperãdarum virium dolens veniret, atque ſic deſperatus contemneret ipſam Medicinam. Arqui *ſi remedium per Incarnationem filij Dei differretur vſque in finem Mundi* (inquit Sanctus Aquinas 3.part. quæſt.1. art.6. in corpore) (D.Thom.) *totaliter Dei notitia, & reuerentia, & morum honeſtas abolita fuiſſet in terris*: Quem in articulum grauiter Suarius diſput. 5. ſect. 2. concluſione 2. (Suarez.) *Sicut enim pertinuit ad dignitatem myſterij, vt aliquamdiu expectaretur, & prædicaretur: ita maximè pertinuit, ne tanta eſſet dilatio, vt iam & mores eſſent omnino corrupti, & fides eius prorſus amiſſa, & ſpes quaſi deſperata: quod certè timendum eſſet, ſi ampliùs dilatum fuiſſet.* Igitur cùm Virgo Beata meruerit vt hoc remedium tantum daretur tempore opportuno, ideò Patres abſolutè, atque ſine addito pronunciant, eam, nobis ſalutem, aliis creaturis veterem meruiſſe pulchritudinem: quales propoſitiones vt non ſunt aliquo modo intelligendæ de merito condigno ipſius Incarnationis myſterij; ſic aliquid longè præſtantius, atque ſublimius indicant, quàm fuerit meritum antiquorum Patrum: hoc autem nequeat aliud concipi quod ex duobus illis alterutrum non ſit, quàm quod meruerit de condigno accelerationem: in quo merito fundantur tam multa atque eximia Doctorum Eccleſiæ encomia: Quamobrem Bernardus homil.4. ſuper *Miſſus eſt*, pulchrè introducit veteres ſub vtraque lege Patres, hanc ſacratam obteſtantes Virginem, quod ab eius labiorum ſermone vnicè dependeret mortalis creaturæ ſolatium (Bernardus.): *In ſempiterno Dei verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur: in tuo breui reſponſo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur: Hoc ſupplicat à te pia Virgo, flebilis Adam, cum miſera ſobole ſua exul de Paradiſo, hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant Sancti Patres, Patres ſcilicet tui, qui & ipſi habitant in regione vmbræ mortis: hoc totus Mundus tuis genibus prouolutus expectat; Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, ſalus denique vniuerſorum filiorum Adam totius generis humani.*

68. *Præmium de condigno varium & inæquale, &c.*

Hoc vt rationis fulcro ſtabiliam, ſuppono, duobus facientibus idẽ, poſſe vni tribui centum, cùm alter accipiat tantùm quinquaginta; & tamen vtrumque compenſari de condigno. Probo: Nam ſi Poëticum certamen exempli causâ proponatur & à magni nominis Dynaſta, & vnà ab Equeſtris ordinis quopiam: iiſdem verſibus Princeps aſſignauerit nummos centum aureos, eques quinquaginta; equidem cùm Metrici paria detulerint carmina, & vterque ex iuſtitia pacta acceperit, præmio condigno vterque afficitur, ſed longè inæquali: Atque idem euenire poſſit conductis in vineam: nam quanquam duos tréſve Iulios accipiens, condignam mercedem accipiat; tamen ſi vineæ Dominus paciſcatur, & ſpondeat daturum ſe octo Iulios, erit etiam hæc condigna laboris merces: Accidere quoque poſſit, vt quanquam iiſdem facinoribus præclaræ virtutis duo clareſcant, vnus tamen præmium de congruo ſolùm mereatur, altero merente illud de condigno. Præbeamus námque gregarium militem in hoſtilis atque inimicæ vrbis expugnatione murum conſcendere, ſigna contraria capere, propria Turribus ſuſpendere: agat iſtud ipſum de Optimamum filiis vnus, aut certè ex præcipuis legionum Ductoribus; equidem tum ſi aut Dux, aut Senatoris, Conſuliſve filius, exercitus Imperator nuncietur, compenſabuntur egregiè labores illius, at condignè tamen: cùm tamen non teneatur Monarcha, niſi ex decentia ſolùm, tanto honore gregarium affeciſſe militem, atque ideò eiuſmodi militis meritum de congruo tantummodò extiterit: Sic quoque, quantumcumque pura Creatura conetur & vires exerat, non poterit alteri mereri primam gratiam niſi de congruo tantùm: Et tamen Chriſtus eliciens ſimilia opera quoad ſpeciem & ſubſtantiam, poteſt de condigno mereri talem gratiam aliis, vt fatentur cum Angelico Doctore Theologi 1. 2. quæſt. 114. art. 6. in corpore. Ex his ſubſequitur inter præmium & meritum de condigno vt ſic, non eſſe neceſſum, vt intercedat proportio Arithmetica, & ſecundum omnimodam æqualitatem, verùm ſufficere proportionem Geometricam, & ex ſufficienti æqualitate. Ita ſanè Bellarminus lib.5. de Iuſtificatione, cap.17. (Bellarmin.) vbi §.1. docet, ſi Dominus vineæ conduceret operarios, & non denarium diurnum, ſed centum nummos aureos pro mercede promitteret: eſſet eiuſmodi Meritum ex condigno ratione pacti, non ratione operis: & fuſiùs eandem doctrinam explanat capite 18.

§. *Reſpon*

Quoniam cauſa, Deus ſcilicet, in illo priori, in quo intendit abſolutè rem producere; non tenetur neceſſariò determinare hanc, vel illam actionem, cùm poſſit eam determinare pro poſteriori, atque ita in illo priori poteſt eſſe futura tantùm aliqua actio indeterminata : ſed in illo priori præuidetur res vt futura abſolutè vt monſtraui, ergò poteſt ſic præuideri, cùm non videatur actio determinata.

74. Iam ad principalem ſcopum redeamus : ac tria quidem ſunt reſoluenda. Primùm, quòd Chriſtus Patribus promeruerit gratiam, rurſúmque iidem Incarnationem de congruo meruerint : vtrumque ſtat : nam Chriſtus pro aliquo ſigno id poteſt promereri totum, quod ipſe, & eius opera in illo ſigno non ſupponunt, & cum quo non habent neceſſariam connexionem : atqui pro ſigno rationis à nobis aſſignato, & ordine intentionis, Chriſtus non dependet à ſuis Progenitoribus, quia pro illo priori Chriſtus non eſt futurus ex determinatis Parentibus; ſed vel à ſolo Deo, vel ab hominibus his aut illis, de quibus nihil tunc ſtatutum, ac proinde potuit illis promereri gratiam, potuítque etiam promereri, quod in ordine executionis in alio ſigno poſteriori ex hac in indiuiduo Virgine oriretur : Itidem & Patres ſuis bonis operibus id de congruo potuerunt mereri, quod talia opera non ſupponebant, & cum quo non habebant neceſſariam connexionem: vnde, cùm non haberent eiuſmodi connèxionem cum hac determinata vnione hypoſtatica, neque eam ſupponerent, potuerunt illam de congruo promereri. Secundò, quòd accelerarètur tempus Incarnationis componitur etiam : Nam Deus ex vi ſui decreti & intentionis abſolutæ de incarnando, ſolum tenebatur carnem induere aliquo tempore, ſcilicet vel ſub initio mundani opificij, vel ad medium, vel propè exitum aut quando ipſi placuiſſet priuſquam Orbis diſſolueretur : Cùm igitur ob peccata hominum, quæ præuidebat, aut alias ſibi cognitas rationes, poſſet in ſerum differre, voluit cum tempore exequi propter Virginis meritum de condigno, ob Patrum orationes de congruo. Tertium, de mutua cauſalitate in eodem genere : nam cauſa, *Mutua cauſalitas.* quæ non cauſat tanquam per rationem cauſandi in actu primo, (quod accidit cauſis phyſicis;) ſed cauſat per aliquid à ſe diſtinctum, verbi cauſâ per complacentiam in ipſa tanquam per rationem formalem in actu primo cauſandi, benè poteſt eſſe cauſa ſui ipſius : cauſa enim finalis, ſanitas exempli gratia, quia non cauſat per ſeipſam, ſed per complacentiam à ſe diſtinctam, quam habet ægrotans, eſt cauſa finalis ſui ipſius: Chriſtus autem in noſtro caſu non cauſat per ſe ipſum, ſed per complacentiam Dei in ipſo Chriſto benè operante, atque ita eſt cauſa ſui ipſius : & ſicut non ſequitur quod ipſa ſanitas ſecundum ſe ſit prior ſeipsâ, ſed tantùm quod ſit prior per complacentiam ipſamet Sanitate, quod non eſt aliud, quàm eſſe obiectum formale complacentiæ, quæ eſt prior *à quo*, quàm illa; quod non repugnat, vt videmus in Verbo diuino, quod eſt formale obiectum cognitionis Paternæ, quæ eſt prior *à quo* origine quàm illud; ita non ſequitur, quod ipſe Chriſtus ſecundum ſe ſit prior ſeipſo, ſed quod ſit prior per complacentiam Dei ipſo Chriſto, in quo nulla relucet implicantia. Poſtremò, nec principium meriti caderet ſub meritum : nam principium meriti erat vnio hypoſtatica vt indeterminatè futura, quod verò promeruerunt de congruo Patres, non fuit vnio huiuſmodi indeterminata, ſed potiùs determinata, & in indiuiduo talis.

Sed nondum ablatus omnis ſcrupulus : nam ſi qualia nos ſtatuimus admittantur decreta, Chriſtus, vt ſic præuiſus abſolutè futurus cum hac vel illa vnione hypoſtatica, poteſt mouere Deum ad conferendam ei hanc numero, & determinatam vnionem, quam de facto habuit, quæ eſt prima gratia vnionis : poterit igitur per bona opera ex gratia vnionis elicita mereri ipſam vnionem, ac proinde cùm prima gratia vnionis cadat ſub meritum, principium & radix meriti cadet ſub meritum; hoc autem Scholæ commune axioma recuſat. Poteſt & comparatione primæ gratiæ habitualis idem omnino formari argumentum. 75. *Ex ſuperioribus obiectio.* Reſpondeo : eiuſmodi determinatam vnionem quæ daretur poſt decretum abſolutum de aliqua danda vnione non potuiſſe habere rationem præmij aut remunerationis, & ſimiliter de gratia habituali. *Diluitur.* Cauſa eſt : Nam ſi Monarcha antecedenter ad obſequia à me præſtita teneatur dare mihi quingentos aureos, licet non teneatur dare hos magis quàm illos determinatè, non cenſetur ſatisfacere, & compenſare, eò quòd hos quingentos aureos determinatè tribuerit, cùm teneretur dare ſiue hos, ſiue illos, qui omnes erant eiuſdem valoris, & nihili referebat, quos potiùs daret : Iam igitur ex vi abſoluti decreti, quo Deus intendit, vnionis, ſiue gratiæ huius aut illius exiſtentiam indeterminatè, tenebatur abſolutè vnionem aut gratiam quampiam producere : igitur cùm teneretur Deus antecedenter ad præuiſionem bonorum operum aliquam dare aut vnionem aut gratiam, quod ex his præuiſis, hanc numero vnionem vel gratiam quæ æquiualet cæteris vnionibus, cæteræque gratiæ det ſolùm, non remunerat bona illa opera; ac proindè nec merito locus eſt, quod tamen ſupponebat argumentum. Aliud eſt, ſi eſſent ſpecie diuerſæ vniones, aut gratiæ habitus, quæ magis minúſve perfectæ, & nobiles eſſent, tum ſanè cùm Deus ex vi intentionis abſolutæ non teneretur niſi ad dandam aliquam vnionem & gratiam indeterminatè, ſiue hanc ſiue illam; quòd perfectiorem vnionem dediſſet, cùm minus perfectam dare potuiſſet, præmium & remuneratio fuiſſet, quoniam iam dabatur quod antea debitum non extitiſſet, & cùm ob meritum tribueretur, dabatur vt merces & præmium : ſed de lege ordinaria hæc non contingunt : de potentia autem Dei abſoluta vt eueniant, tùm etiam dicendum propriè & formaliter loquendo principium meriti non cadere ſub meritum : nam principium meriti non fuit niſi vnio aliqua indeterminata abſolutè futura, quod autem cadit ſub meritum eſt talis vnio determinata : & quamuis ſub communi illa indiſtinctione inuolueretur hæc etiam vnio, ſed tamen non influebat in meritum niſi materialiter vt plurimùm, cùm ad dignificandum indiſtinctè & indeterminatè per ſe nullo modo hæc particularis vnio, ſiue ſpecifica, ſeu numerica deſideretur.

Quamobrem mirandum non eſt, quantum huic Virgini Beatiſſimæ in cauſa Reparationis humanæ grauiſſimi orthodoxi ſcriptores concedunt : quàm excelsè mellifluus eius cultor Bernardus ſerm.2. de Pentecoſt. 76. *Omnis creatura B. Virgini eſt obſtricta.* Bernard. *Ad hanc ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium omnium ſeculorum reſpiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos*



*præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur.* German. Conſtantin. Pulchrè Germanus Conſtantinopolitanus loquens cum Deipara : *Huc ades* (inquit) *renouatio rerum antiquarum.* In eandémque prorſus ſententiam Laurent. Iuſtin. Laurent.Iuſtin. de caſto Connubio: *Ipſa eſt Renouatio eorum, quæ erant inueterata :* Et doctiſſimus Idiota. Idiota c.4. *Qui ad hoc Te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur.* Sed quàm altè Richard. à S. Laurent. Richard.de S.Laurentio lib.2 part.1. *Ipſa enim eſt cauſa ſalutis generis humani, & quædam ratio & complementum poſt filium ſuum omnium quæ facta ſunt, & quæ futura ſunt :* nupérque allegatus Ludolph. Saxo. Idiota Prologo operis: *quia per ipſam, & in ipſa, & cum ipſa, & ab ipſa habet Mundus, & habiturus eſt omne bonum.* Denique Ludolphus de Saxonia, de vita Chriſti, parte 2.cap.86. *Sicut Deus ſuâ potentiâ cuncta patrando, pater eſt & Dominus omnium : ita Beata Maria ſuis meritis cuncta reparando Mater eſt & Domina rerum :* Quanquam verò iſta propoſito Themati fauere plurimum videantur; nihilominus admonitum Lectorem volumus, hæc non in eum finem à nobis conſcripta eſſe, quaſi huius opinionis Patroni habeamur quoquo modo : voluimus tantum proponere aliquid, de quo viri ſapientes cogitare valeant, num Marianis encomiis, gloriam aliquam adiicere poſſit : quoad eruditi probauerint, ſi fortè id contingat ſucceſſu temporum, communi ſubſcribimus placito Meriti de congruo. Verùm hæc ſatis, nam oſſea fuit diſceptatio, & ex rigidiſſimis ſcholarum terminis : præparemur, accingamúrque ad floridiora.

# Explanatio in eundem verſum, pro morum Didaſcalia.

## *Textus :* Oſculetur me oſculo oris ſui : *cap.*1. *verſ.*1.

*Maria, quia omnis peccati expers, digna, quæ Dei genitrix efficeretur.*

### Sectio I.

77. *Cur Magdalena pedum oſculum tantùm, Maria verò Deipara oris oſculum ambit.*

MAGNA planè Deiparæ poſtulatio, oſculum labiorum, & oris flagitantis: Non terram lacte & melle fluentem auet; non aurum & lapillos, Matronarum delitias, concupiſcit; non iterum aperiri, atque reſtitui Paradiſum voluptatis orat; denique nec ſpiritalibus ſatianda, in ſupernaturalium donorum quopiam requieſcit; ipſam, ipſam diuinitatē Carni de eius viſceribus ſumptæ, vniri anhelat : Et vbi illa tam laudata humilitas, ob quam & Beatam dicturæ ſint omnes generationes? Nónne ſatiùs pedibus aduolui? Et ſi quid amplius cogitandum ſit, Manuum deoſculatione contenta fuerit? Ecce, Virgo Intemerata, & altera Maria Lazari germana, Dilecti ſagittis vulnerata vſque ad languorem vritur; & tamen illa ſiue in conuiuio, plantas tenet; ſiue cùm Martha ſollicita eſt, & plurimùm turbatur; ſiue cùm nondum Seruator ad Patrem aſcendit mortè triumphatâ; Et ſi quando verticem attingere audet, non vt aut genas, aut oculos vel labia ſuauiando comprimat, ſed vt irroret effractâ nardinâ alabaſtrite. Quid eſt igitur, quod ad os conſurgere veretur, quæ tantâ exæſtu a flammâ? aut quorſum non formidet, & trepidet Maria noſtra labiis labia admouere, & in oſculo ſancto Deum ſalutare omnipotentem? Percipiamus à mellito Guerrici Abbatis calamo ſerm.2. Guerr.Abb. de Aſſumptione : *Dicam igitur* (loquitur Virgo pudica) *tamen ne iudicer temeraria, quòd maiora me quærere videar : Oſculetur me oſculo oris ſui : Si quid mihi conſcia eſſem, contenta eſſem cum Maria Magdalene oſculo pedum, vbi indulgentia ſumitur delictorum : Sed, quia in omni vita mea non me reprehendit Cor meum; non puto me arroganter flagitare de oſculo oris gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, ſi illud os mihi repoſco, quod de me ſibi formauit ipſe conditus & Conditor?* Ergo quoniam Maria Magdalene abominationi quondam ſeruiuit, & deuigrata eſt ſuper carbones quando erat in Ciuitate peccatrix, & abiit poſt amatores multos; longè ſit ab eius palato verbum de oſculo oris, id eſt, vt Filius Dei, eius de ſubſtantia carnem mutuetur: Quia verò Reginam noſtram Cor eius in omni vita non reprehendit, quæ neque originali labe vitiata eſt, nec actuali quantumcunque atomâ atque inuiſibili; ipſa eſt, de quo decorum fuerit, vt Rex Pacificus ex eius vtero tanquam Sponſus de thalamo ſuo procedat; ac proinde & ipſa, cui liceat pronunciare, *Oſculetur me oſculo oris ſui*, hoc eſt, vt exponit Halgrinius Cardinalis, *Deus Pater in oſculo Filij ſui oſculantis humanam naturam : in quo oſculo habetur dulcis vnio, & delectabilis coniunctio duarum naturarum in Chriſto.* Halgrinius.

Loquitur Pater ad gnatum per Dauidis guttur : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, Pſalm. 2. verſ. 7. ac videtur Oratio eſſe quaſi diſtinctiua, tanquam aſſerat; Non hic, neque ille Filius meus, ſed Tu : Puto verò (quanquam non abſurda hæc cogitatio) ſubtilius quidpiam intelligi, nempè ſcopum eſſe demonſtraſſe, non ex alio potuiſſe naſci genitore, quàm à fœcunda æterni Patris mente : *Filius igitur meus es tu*, id eſt, in me ſolum refundis ortum; à me, non ab alio prodiiſti, Tu nimirum qui tantus, in quo Diuinitatis plenitudo : Sed quo euincit argumentandi genere ad ſe pertinere filium, qui Deus ſit? *Ego* (inquit) *hodie genui te* quid eſt *hodie?* Nempè, vbi totum quod eſt, dies eſt, totum lux atque iubar : ibi nihil vmbroſum, quoniam nihil de culpa eſt : totum radiat, quando peccati etiam ſuſpicio abeſt : igitur, quia hodie genuit, id eſt, claritate circumdatus, macula vacuus, benè ad ipſum ſpectet, vt gignentis ſi-

78. Pſalm 2.7. *Variæ expoſitiones hemiſtichij huius,* Ego hodie genui te.

bi titulum vendicet, quoniam non niſi ab immaculato genitore talis filius: Aliquid de his apud
Ambroſius. Ambroſium propè finem Commentarij in Pſalmum quadrageſimum : *Filius meus es tu, ego hodie genui te : hoc eſt, generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quem nulla macula potuit inquinare peccati : hodie te genui, in quo lucem immaculatæ prolis agnoſco : Nox in te nulla eſt, qui totus es dies.* Iam ad Deiparam, de qua rectè
*B.Virgo, dies ſine nocte.* Ianſenius. Ianſenius Annotationibus ad hunc Pſalmum : *In die Natiuitatis Chriſti ſecundum carnem Maria Virgo dicere etiam potuit : Ego hodie genui te:* Certè potuit: Nam ſi ideo genitor ad ſe pertinere mauult, quoniam hodie genui, id eſt, cùm tenebræ nullæ comprehenderent, & omnis ignoraretur macula; etiam Virgo intemerata ſemper in ſplendoribus ſanctorum fuit, nihil coinquinatum in eam intrauit aliquando, ſiue actuale, ſeu originale; dicat igitur & ipſa fidenter: *Ego hodie genui te*, atque vt dicere valeat, præoret flagitans: *Oſculetur me oſculo oris ſui.*

79. Secundum hæc Auguſtinus à me intellectus, ſermone 21. in Appendice, qui fuit no-
Auguſtin. nus de tempore : *O dies, dierum omnium nouitas, lucrum lucis, & diſpendium cæcitatis, in quo æternus ſol de ſumma celſitudine charitatis paternæ deſcendens, vuluæ virginalis aluum reſerauit.* At quid exoticum & peregrinum in luce illa, qua conceptus eſt Filius Dei? Nunquid aut Phœbus curſum retardauit? Aut tenebris coopertus eſt mundus? Si igitur tanquam cæteri dies ſæculi dies ille, cur *nouum* appellat Auguſtinus? Arbitror de rationali Virginis die loquutum, nam & omnis Iuſtus, dies eſt, de
Prou.4.18. quo Parœmiaſtes cap. 4. verſ. 18. *Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens, procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem:* Sed iuſtorum dies, quales dies ſæculi iſtius, pauci & mali; nimirum omnes noctem ſupponunt, noctem illam tenebroſam, & mortis caligine luridam, in qua homo conceptus eſt, atque Adæ macula aſperſus; Deinde & in pleriſque iuſtorum nox etiam ſubſequitur, & vt quiſquam tam fortunatus ſit, qui acceptam in Baptiſmo gratiam nunquam deperdiderit, verùm nubeculæ claritatem leuiter obtegunt, nam ſepties in die cadit iuſtus. Nihil autem horum in Maria, ſed totum hodie ad Patris, qui in cœlis eſt imitationem : vbi hodie ſolum, ibi totum dies eſt, ibi obliuio noctis. Mariæ diem non præceſſit nox originalis culpæ, nec ſubſequuta eſt aliqua actualis nox, etiam de ſubreptitiis : Igitur planè *dies nouus*, dies Virginis fuit, quando totum apud illam, dies ſolùm; Sed niſi talis dies extitiſſet, quomodo voluiſſet Pater æternus vt Filius eius dilectiſſimus & conſubſtantialis, Filius quoque ſanctæ Mariæ diceretur, eſſétque re ipsâ? Videns igitur Pater & apud Mariam hodie reperiri, diem ſcilicet vndequáque puram, imitatricem lucis, quæ apud ipſum, quam nox neque anteceſſerit, neque ſubſequuta ſit, quam nullæ vnquam vmbræ obſcurauerint; ratus eſt non dedecere magnitudinem ſuam, ſi & ex hac Die prodire Verbum ſuum pateretur : Ergo *dies*
Pſalm. 18.2. *diei eructauit verbum*, Pſalm. 18. verſ. 2. *Vtique*
Bernard. *Dies Pater* (ait Bernardus ſerm. de Aquæduct.) *Siquidem dies ex die ſalutare Dei : Annon etiam Virgo dies? Et præclara : rutilans planè dies, quæ procedit ſicut Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* Idémque ſermone 5. ex Paruis : *dies diei eructat verbum : Deitas Virginitati, de vtero paternæ maieſtatis, in vtero maternæ integritatis.*

Vide quali Metaphora Iſaias naſcituri Meſ- 80.
ſiæ ortum exprimat capite 16. verſ. 1. *Emitte* Iſai.16.1.
*agnum Domine dominatorem terræ, de petra de-* *Meſſiæ ortus è Petra.*
*ſerti ad montem filiæ Sion.* Primùm, abſonum videatur, vt ex lapide Agnus prodeat : nam cur non ſimile ſibi potiùs, durum aliquid & patiens parturiat? aut ſi oportet viuens aliquod ſenſibile parere, cur non robuſtum quidpiam, quando, vt Lyricus pangit, *fortes creantur fortibus*; Leonem, aut Pardum magis, quàm imbellem Agniculum prædæ futurum omni beſtiæ voraci? Deinde, ſi & terras ſubiugaturus Agnus, & poteſtatem magnam habiturus in Nationes, cur non vrbium ſpecioſiſſimæ eius nobilitantur geniturâ, magis quàm teſqua ferarum, quàm eremi Cauernæ, in quibus ordo nullus, ſed ſempiternus horror inhabitat? At benè tamen è petra deſerti, quando, qui naſcetur, femori inſcriptum edat clariſſimum titulum, *Regis regum, & Domini dominantium*, ipſe eſt Filius altiſſimi, & Mater eius petra, ſed non alia, quàm deſerti. Petra quidem, eò quòd ad peccati illecebras & Sirenas tanquam inſenſibilis, cùm in ea ne fomes quidem peccati manſerit, ſed à prima ſanctificatione deletus, atque extinctus fuerit, Euincit Suarius
tom. 2. in 3. part. diſp.4. ſect.5. §. *Ex his igi-* *Maria, Petra deſerti.*
*tur*, &c. Deſerti verò petra, quoniam eiuſmodi lapides, propterea quod nullis vſibus ſubſeruierint, virgineam & intactam ſeu corporis, ſeu animæ nitelam aptè repræſentant: Ergo indicant petram, quæ ferrum & ſecurim non ſit experta, quæ proinde innocua, atque intacta ſit. Quare, quemadmodum gleba, ex qua Protoplaſtes formatus fuit, eò quòd inarata & improſciſſa fuerit, meritò Deiparam, ex quo ſecundus Adam effictus ſit, ab omni crimine immunem fuiſſe, ſignificare intelligitur; ita & de petra deſerti, quæ nullius iugum ſuſtulerit : quamobrem ſi Petra deſerti eiuſmodi, quæ multis nominibus proclamet Mariam ab omni culpa liberam eſſe; præclarè eſt quod rogetur Pater æternus, vt ex hac petra emittat Filium ſuum, qui dominaturus ſit à mari vſque ad mare, & ad vltimum terræ; nam certè ſi quam Matrem habiturus ſit in carne paſſibili, ea fuerit proculdubio, quæ de ſordibus Adæ nihil contraxerit, quæ à iu-
ſtitiæ tramite ne latum vnguem declinaue- Guerr. Abb.
rit aliquando. Guerricus Abbas ſermone 2. de Annunciatione : *Emitte Agnum Dominatorem Domine de petra deſerti, id eſt, abſcinde petram de petra; Sanctum, & inuiolabilem Sancta & inuiolata proferat Virginitas: Si ergo petra Chriſtus, vt ait Apoſtolus, non degeneret à matre filius, quando & ipſa petra nomine cenſetur: Annon rectè vocatur petra, quæ & in amorem integritatis propoſito firma, affectu ſolida, ſenſu quoque ipſo aduerſus illecebram peccati, tota inſenſibilis erat & lapidea?*

De Chriſto, & Adamo locutus Apoſtolus: 81.
*Primus* (inquit) *homo de terra terrenus: ſecundus homo*
*de cœlo cœleſtis*. Corinth.1. c.15. v.47. Agnoſco li- 1. Cor.15.
bens Protouirũ de limo terræ formatum, ſed nunquid non ex terra etiam ſecundus homo primi Renouator? Annon de caſtiſſima Mariæ ſubſtan-



*B. Virgo cœlum, imò cœlo purior.* tia, quæ vtique terreſtris, & non de ſideribus? Audio neſcio quos de Hæreticorum cloaca garrientes, carnem Chriſti æthercam fuiſſe; ſed abſit à Catholico deteſtanda cogitatio: ergo cùm de terra iunior homo, quamobrem Paulus ex cœlo fuiſſe dicat? Sanè, quod ex cœlo, idem terſum, defæcatum, limpidum eſt: nihil aut maculoſum aut coinquinatum apud beatam patriam : ô cœli puriſſimam habitationem! Non talis terra, vbi ſordes, & lutum, & mille peccandi artes, quæ animam deturpant. Ergo ſignificaturus ſecundum Adamum Chriſtum Ieſum ex ea natum Matre, quam nulla vnquam contagio ſeu grandis, ſeu exigui næui vitiauit, egregiè ex cœlo proceſſiſſe dixit : Nam certè Maria ob nitelam cœlum, imò ipſo cœlo purior, quæ niſi talis fuiſſet, quæ omni crimine libera, eam nunquam Dei filius genitricem voluiſſet. Rupertus de Coniugio Mariæ & Ioſephi, ex quo homines prodiiſſe exiſtimabant ſpecioſum præ filiis; ad illa c.1. Matth. *Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ*, &c. *O coniugium verum, & ſan-*
Rupertus. *ctum, coniugium cœleſte, non terrenum! propterea veriſſimè dixit Apoſtolus : quia primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis : non quod iſte Ieſus Chriſtus, qui ex Maria natus eſt, de cœlo cum Carne venerit, & per Mariam quaſi per fiſtulam tranſierit, ſicut quidam dixerunt Hæretici, ſed quod coniugum vita, ſiue coniunctio fuerit cœleſtis, & Spiritus ſanctus amborum coniugalis Amor*: ita Tuitienſis. Sed noſtra explanatio quadrat in ſolam Virginem, quam non immeritò cœlum nuncupamus, cùm peccatum ignorauerit : nam ob ſimilem cauſam Chriſtum cœleſtem à Paulo dictum æſtimant Beda, Anſelmus, Bruno Carthuſianus & alij, ex quibus Bruno : *Igitur ſicut portauimus*
Bruno. *imaginem terreni Adæ per peccatum : ſic amodò portemus imaginem cœleſtis Adæ per iuſtitiam vitæ : vt depoſito onere terrenitatis, gaudeamus in leuitate gloriæ cœleſtis.*

---

*Dei Magiſterium quàm efficax? Eo Præceptore momento inſtruimur.*

## SECTIO II.

82. HIeronymus epiſtola 103. ad Paulinum: *Legi-*
Hieronym. *mus* (ait) *in veteribus hiſtoriјs quoſdam luſtraſſe*
*Vt Moſes meritò cæteros reſpuit ductores, præter Deum ipſum; Sic Sponſa ſolum Doctorẽ auet Sponſũ.* *Prouincias, nouos adiјſſe populos, maria tranſiſſe, vt eos, quos ex libris nouerant, coràm quoque viderent*: Nunquid huiuſmodi œſtro noſtra percita Sponſa, ipſius auet verba haurire, de quo legerat in Moyſe, in Pſalmis, & Pophetis? aut Pædagogos quos in eum diem habuerat quaſi faſtidita, cernens quod lex nihil ad perfectum duceret, exoſa Magiſterij longiora tædia, Didaſcalum optat, qui compendio inſtruat? ergo loquitur, Bernardo Aſ-
Exod. 33.15. ſeueratore ſerm.2. in Cantica : *Quo mihi ore hæc ſemiuerbia Prophetarum? Ipſe potiùs ſpecioſus forma præ filiјs hominum, ipſe me oſculetur oſculo oris ſui: Non audio iam Moyſem, impeditioris ſiquidem linguæ factus eſt mihi; Iſaiæ labia immunda ſunt; Ieremias neſcit loqui, quia puer eſt; & Prophetæ omnes elingues ſunt : ipſe, ipſe quem loquuntur, ipſe loquatur, ipſe me oſculetur oſculo oris ſui.* Prudens omninò Virgo : reminiſcebatur quondam oblatum à Creatore Moyſi Angelum, qui præcederet Hebræorum Caſtra, ſed renuit legiſlator, alium non habiturus ductorem, quàm Numen ipſum; & ait Moyſes, *ſi non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco*
Bernard. *iſto*, Exod.c.33. verſ.15. O hominem prouidè diligentem! vis noſſe quanti ſteterit non niſi ſub Deo Imperatore militaſſe? ipſum, & non alium quanquàm Angelũ de cœlo, legionibus præfuiſſe? Au-
di per Chryſologum, ſerm. 69. *Miro Contubernio* Chryſolog.
*Iſraëliticis Deus conuerſatus in Caſtris; numeroſas gentes nunc ferit fulmine, nunc tangit grandine, nunc ſolo tubarum clangore proſternit; vt ſine conflictu, ſine vulnere Deus ducat victrices acies, quas præcedit :* Luculenta poſtrema verba : Nam quidem & alius duceret ſiue homo, ſiue Angelus; ſed non abſque ſanguine, non abſque vulneribus deſideratâ potirentur tellure : Dei eſt triumphum addidiſſe abſque effuſo cruore, ſine milite percuſſo. Ergo & Sponſa bellum habitura aduerſum concupiſcentias, contra nequitias ſpiritales, Deum inuocat, qui aptet manus eius ad prælium, & digitos eius ad pugnam. O veni, & doce me rudem, atque inſciam, Tu Doctorum Anteceſſor, tu Pædagogus optimus : ſub ferula tua euadam perita momento vno, & diſcam in ictu oculi, quod ab exordio rerum, non Patriarchæ, non Prophetæ inſpirare valuerunt; ô Domine ne taceas, neque compeſcaris Deus, loquere tu mihi, & non loquatur Moyſes, quoniam verè tu ſolus potens in ſermone.

Sedebat ad menſam Principis infelix Iudas, at- 83.
*Iudam è cœnaculo Damõ euocat citò, ne Chriſti concione is ad Pœnitentiam emolliatur.* que vt hunc in viam reduceret Seruator, intinxit panem, quem Traditori porrexerat. Equidem Amoris conſueuit eſſe nota, ſi cui de hoſpitibus, Conuiuij Pater ipſe manu ſuâ vel eſcas diuidat, vel exhibeat. O vehementem charitatis flammam, ne tum dulciora ſubtrahentem obſequia, cùm in ianuis eſſet ferale odium! *Cùm ergo accepiſ-*
*ſet ille buccellam, exiuit continuò*, Ioan.c.13. v.30. Quæ Ioan.13.30.
eſt hæc tam velox fuga? Cur tam citus abit? Nempe poſt buccellam introiuit in eum Satanas, ille incitauit vt diſcederet feſtinanter : Sed quæ Inimico occaſio diſtrahendi à Commilitonibus, à Chriſti vultu & aſpectibus? Nimirum cœnâ abſolutâ habiturus erat ad diſcipulos Concionem ſanctam Mediator hominum Chriſtus Ieſus; timuit igitur, ne, ſi Iudas auſcultaſſet, Magiſtri ſermonibus depoſuiſſet mentẽ peſſimam, & in ſe reuerſus, clamaret, Pater peccaui in cœlum & corã te, volens tradere nocentibus crucifigendum Iuſtum tuum; Sciebat enim vocem Chriſti tanquam malleum eſſe conterentem, à quo & Adamas cõfringeretur: metuens igitur poteſtatem ſermonis igniti, ſubduxit cœtui piorum: At non expectaret ſaltem initium Orationis? Non; ne ſonum verborũ quidem, nã & ſonus mouere & inſtruere ſufficiens. O vtinam vel ad ſententiam vnã attendiſſet præuaricator Iudas! Sed animaduerte quã pulchrè
loquutus Cyrill. Alexandr. lib.9. in Ioan.c.19. *Ti-* Cyrill. Alexandr.
*met, vt credo Diabolus, ne morando locus pœnitentiæ detur, & quaſi à temulentia homo rectè cogitans mentem ſuam eripiat; hac de cauſa feſtinat, ac impellit : nam etiam Iudam cùm poſt panem omnino ſeparauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, præcipitem egit celeritate.* Qua in expoſitione conſiderandum, vt non magnum aliquem ignem, non incendij bonam partem vſurpauit Cyrillus, ſed contentus de ſcintilla dixiſſe. Itáne ſcintilla vna potens ad deuorandam tantam malitiam, quanta ſub Iudæ pectore? Ecquando impetus flammarum, ſi non modò? At Chriſti ignis eſt, Chriſti verba; Ab eius ore ſi prodeat vel ſcintilla vna, plus conſumet, quàm ſi alij Ætnam apponant : nouit callidus dæmon, propterea tam diligens in extrahendo Iuda, antequam verba habeat ad diſcentes Seruator.

84. *In cruce bonus Latro, Chriſto Doctore, ſtatim perfectus euadit.*

At ſi quando enituit vis planè diuina huius Magiſterij, certè in Latrone ſancto: quid eſt quod tam doctè amat tam breuis diſcipulus, & in Paradiſum ſine mora transferri homo rapinis, & inuerecundiæ aſſuetus, promeruerit? Longa ars eſt vitæ perfectæ, multáque ſunt vincenda, atque poſt annos etiam feruentiores inclamant, *Ego dixi, nunc cœpi*; vel Paulus ſe comprehendiſſe non arbitratur. Quadraginta manſiones percurrendæ, antequam eremi via tarda abſoluatur. Sed ecce Latro iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles: antè docet penè, quàm didicerit; quæ hæc mutatio dexteræ Excelſi? Nimirum habuit præceptorem Chriſtum ipſum; non Moyſen, non Prophetas, non Apoſtolos audiuit, ſed Patris Organum, vitæ habentem verba Ieſum, neque excepit multam dictionem, ſed è Cruce prolatas ſententias paucas, ſed fuerunt documenta eius, in cuius labiis diffuſa gratia. O veni Ieſu bone, ſonet vox tua ipſius in auribus meis, & ero in momento clarus in Iſraël Magiſter, etiam ſuper ſenes intelligam! Nónne videtis, vt ſtatim Doctor euaſerit Latro, quãdo ſocium correxerit, impiè de Seruatore ſentientem? *Neque tu,* (inquit) *times Deum, & nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit.* Luc.cap.23.v.41. Floridiſſimè Arnoldus Carnotenſis in illud: *Hodiè mecum eris in Paradiſo: Non huic pœnitenti multorum annorum ieiunia imponuntur, non nudipedalibus, vel ſacco afficitur: ſimul & confitetur, & iuſtificatur, & glorificatur: Vide horam, nota perſonam: vltima hora, peccatrix perſona; multa antiquáque peccata illicò abolet gratia, nec proceſſu, moráque temporis indulgentia limat, corroditque culpæ rubiginem: Sed vbi repentè facto cælitùs ſono Spiritus ſanctus illabitur, quicquid immaduerat peccati tabe, ſiccatur; nec ſupereſt vllum fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lauacrum:* Solet equidem poſt medicatam aperturam cicatrix eminere, quę inflictæ quondam plagæ vocalis nota; ſed verbis Chriſti & hoc conceſſum, ne reliquiæ ſuperſint vetuſti doloris; Ideò Carnotenſis, *Nec vllum fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lauacrum.* Proh validam chirurgiam, quæ & relinquendæ cicatricis ſuperfocat imaginem! vnus Chriſti ſermo ſic mederi poterat, & mali etiam vmbras conſumere.

Luc.23.41. Arnoldus Carnotenſis.

85. Exod.4.10. *Moſes cæteroqui eloquentiſſimus, ad primam Dei vocem balbutit.*

Mittebatur in Ægyptum Legatus Moyſes, & declinare volens graue onus, *Obſecro* (ait) *Domine non ſum eloquens*, Exod. cap.4. verſ. 10. At nónne eruditus omni Ægyptiorum ſapientiâ? Nónne in aula enutritus cùm filius putaretur filiæ Pharaonis, & didicerat comptè loqui in regum domibus? Sed vide, vt non ſe profiteatur ineloquentem niſi ab heri, & nudiuſtertius; & ſtatim veriſſimè ſubdit: *Ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum:* ergo mediusfidiùs Dei allocutio linguam nectit; at nónne potiùs diſertam eſſe faciat? Certè ad vnam Mariæ ſalutationem acceleratus eſt Baptiſtæ rationis vſus; prophetauit & Mater eius Elizabetha, Luc.1.verſ.45. Non æqualia præſtabit Numen, quod vel ex infantium, & lactentium ore perficit laudem ſuam? Quid igitur de linguæ impedimento conqueritur Moyſes? Sanè & legiſlator eloquentiâ præſtabat, erátque ſic egregium dicendi flumen, vt palmam deferrent omnes Rhetorum Ægyptiorum ſcholæ; ſed poſtquam experiẽtiâ comperit, quanta eſſet ſuadendi vis in diuina Alloquutione, putauit ſingulariter omnem humanam facundiam vinculum & impedimentum eſſe magis, quàm calcar aut ſtimulum, diuinæ comparatam energiæ: Ego quidem coniectabar per eloquentiam aliquid poſſe me, ſed intueor omnem noſtram dictionem elumbem eſſe; ad Dei ſermones relatam; ille ſolus mouere valens, ille corda illuminare, ille accendere. Baſilius Magnus in c.6. Eſaiæ ſub exordio. *Ad eandem dicendi formulam & Moyſes eruditus omni ſapientia Ægyptiorum, & (vt par eſt credere) illos exſuperans omnes dexteritate ingenij, & perſpicacitate intelligentiæ, non priùs percepit ſe linguæ eſſe impeditioris & tardiloquæ, quàm, à Domino accepto oraculo, ſenſit primùm ſuam ineloquentiam, & tardiloquentiam.*

S.Baſilius.

86. Matth.2.11. *Magi Chriſto procidunt nẽpe à Deo ipſo edocti, non itẽ Paſtores, ab Angelis inſtructi.*

Venerantur recens natum Emanuelem & Paſtores, & Chaldæorum Satrapæ: ſed Magi ſupplices in terram procumbunt, & adorant ſacra veſtigia: *& intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum,* Matth.c.2.v.11. de opilionibus non tale aliquid nouimus, tantùm, quod venerint *feſtinantes, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio*; curnon & ſubmiſſi animi pares notas exhibuêre Paſtores? An quoniam quo quiſque excelſior, & dimitti facilis; abiecto nihil ſit ſuperbius? At noſce ouium cuſtodes ab Angelis edoctos; cùm Magi Deum Præceptorem ſortiti ſint: verùm ſub Deo Magiſtro perfecta eruditio. Igitur Deum nacti inſtructorem Chaldæorũ Philoſophi cùm Reges eſſent, & Purpurâ fulgerent; ſternuntur humiles, & locum ſacræ recubationis exoſculantur millies: Agreſte vulgus, quod Angelos monitores habuit, reuerentiæ ſegniora indicia profert. Hoc Animaduertit acutè Rupertus lib. 2. in Matthæum: *Vide* (ait) *quanta ſit differentia in modo diſcendi, quantùm diſtet inter eruditionem illius, qui per Angelum, ſiue per hominem; & illius, qui per ſolam Spiritus ſancti reuelationem meretur erudiri: Paſtores itaque Iudæi, qui erant vigilantes, per Angelum ſibi eſſe Saluatorem didicerunt; & tamen non adeò docti fuerunt, vt procidentes adorarent: iſti primitiæ gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum, ſed per Spiritum ſanctum, procidentes adorarunt.*

Rupertus.

87. Rogatus Præcurſor à Sacerdotibus & Leuitis, quiſnam eſſet? Reſpondit *Ego vox clamantis*, Ioan. cap. 1. verſ. 23. Quis clamat per Baptiſtæ vocem, niſi Chriſtus, cuius erat Prodromus? Verùm nónne ſatiùs eſſet nominaſſe vocem ſobriè loquentis, quàm clamosè? nam clamor ſub vitio; idcirco de Meſſia Vates: *Non clamabit, nec audietur vox eius foris*, Iſaiæ capite 42. verſ.2. Theophylactus in cap.1. Ioannis: *Ego vox clamantis, hoc eſt, ego ſum vox Chriſti; omnes enim, qui in lege erant, humiliter, & ſubmiſſè ſonabant, & hæc erat ſanè ruditas vocis in Moyſe quia lex obſcura erat, & non manifeſta: Chriſtus autem cùm ſit veritas, ipſe clamans eſt: ideo Ioannes dicit, Ego ſum vox verbi clamantis.* Verùm, nónne Moyſes clamabat etiam? *Dixitque Dominus ad Moyſen: quid clamas ad me?* Exod.14. verſ. 15. Et per Iſaiam Numen præcipit cap. 58. verſ. 1. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam:* Cur igitur Theophilactus inquit Prophetas ſubmiſsè, & quaſi ſub modio loquutos eſſe, atque muſſitaſſe potiùs, quàm pronunciaſſe? Nimirum, quia, ſi cum verbis Chriſti eorum conferantur ſermones, balbutiſſe magis appareat illos, quàm articulatum aliquid formaſſe; & quoniam ſonus tam exilis erat, qui aures non traiiceret. Impatiens ferendi diutiùs Sponſa verba non adeò profutura ob vocis ſubmiſſionem; orat amoueri



Ioan.1.23.

Iſai.42.2.
Theoph. *Prophetis ſubobſcurè muſſitantibus, Chriſtus articulatè clamat.*

Exod.14.15.
Iſai.58.1.



Moyſem gracilis & implexæ linguæ virum, & vt cœlo deſcendat, qui apertè ſciat pronunciare, qui gutture polleat forti, & clamare noſcat: Hoc eſt, quamobrem expoſtulet ipſius Sponſi doctrinâ erudiri, quod idem eſſe, atque ab ore oſculum capere monſtrauimus, literæ corticem enucleantes.

---

*Deo abſente Anima in mærore eſt: nihil eam recreare valeat.*

## Sectio III.

88. *Mœror Sponſæ abſente Sponſo.*

ABerat ſponſus, ſed interea dum neceſſarias moras trahit, mittit ad ſponſam crebram legationem, & cum muneribus quidem: habebat Virgo ornatum plurimum ex dono, byſſinum, purpureum, auro, gemmíſque intertextum; non deerant aromata, non dapſile Conuiuium, non ludi, non Muſica, non obſequia famulorum, non vrbium, non ruris voluptates, non denique in vita quicquid amœnum eſt: & tamen ſub mœrore ſemper pulcherrima facies eſt: Deduxerunt oculi eius riuos lachrymarum, ſuſpirat & ingemiſcit etiam inter epulas, & ſi quando vulneri pleniores laxauit habenas, deficit, exanimatur, ſpiritum amittit. Quid facis ô pulcherrima inter mulieres, cur ſic conſumeris? vt quid de tantis deliciis nullæ animum deiectum releuare valeant? O parcite fœminæ lamentis, ſinite vt lachrymas ad ſatietatem ebibat, quia magna eſt velut mare Contritio eius, quoadúſque veniat Dilectus illius, & præſentiâ ſuâ dulciſſimâ, exhilaret in oleo faciem eius. Egregiè hom.1. ex 4. Adamantius: *Hæc ergo Eccleſia ſit quaſi omnium vna Perſona, quæ loquatur, & dicat: Omnia habeo, repleta ſum muneribus, quæ ſponſaliorum, vel dotis titulo ante nuptias ſumpſi: ſed quoniam iam ſeculum penè finitum eſt, & ipſius quidem præſentia non datur mihi, ſolos autem Miniſtros eius video aſcendentes, & deſcendentes ad me, propter hoc ad te Patrem ſponſi mei precem fundo, & obſecro, vt tandem miſeratus Amorem noſtrum mittas eum; vt non iam mihi per miniſtros ſuos, Angelos duntaxat, & Prophetas loquatur, ſed ipſe per ſemetipſum veniat, & oſculetur me ab oſculo oris ſui; ipſum audiam loquentem, ipſum videam docentem.* Cernis, vt Sponſa fateatur, omnia ſe poſſidere, & repletam eſſe muneribus, & tamen quia Dilectus abeſt, nihil eſt quod recreare valeat, quod triſtem deliniat. Quod ſi certè Animæ hæc contingunt Amanti, quam proinde, nimirum ſincerè diligentem, gratia & charitas ornant, & à qua ob eandem cauſam Spiritus ſanctus nequaquam verè abeſt, at ſimulat procul eſſe, quò velut in fornace probet aurum electum; quid putabimus de mente ea, à qua propter lethales noxas diſceſſit Omnipotens? & arbitraris vel ad punctum, aut inſtans eſſe poſſit in gaudiis? nequaquam ſanè.

Adamant.

89. *Peccatoribus nihil verè lætum.*

Atqui dicis, Peccatores in bonis dies ſuos traducunt, & lætantur cùm malè fecerint; ipſi ſunt qui roſis ſe coronant, & vitulum pinguem de armento comedunt, & in lectulis eburneis laſciuiunt. An non hæc iucunda vita, atque gaudioſa eſt? Eheu! neque vita eſt, neque iucunditas: ſi quid ibi eſt, hypocriſis eſt, & lætitiæ fallax vmbra; intus pauor & deſperatio, & tantùm non dolores inferni circumdederunt miſerum ſpiritum. O ſi vidiſſent filij Adam ſub quantis cruciatibus ingemiſcunt interiora! Nónne ſatis potens, atque ſuperbus ille Saül primus in Iſraël cum Regis

*Saül à Deo derelictus regiè infelix.*



authoramento? quid defuit homini? Obediebant milites, parebant ciues, aurum in theſauris, margaritæ, veſtes mutatoriæ; habebat & domos eburneas, quibus aromata condebantur: quid memorem regiarum ædium ſplendorem, conuiuiorum luxum, amicorum claſſes? & tamen ſub tanta bonorum affluentia *ſpiritus Domini malus arripiebat Saul.* Reg.1.cap.16.verſ.23. Sed cuius naturæ ſpiritus iſte malus Saülem affligens? Caietanus: *Vbi interueniebat* (inquit) *duplex paſſio immiſſa à Deo; altera corporis, in motu ſpiritus melancholici mali, id eſt, nociui: altera animi, quoniam ex motis ſpiritibus melancholicis formabantur in internis ſenſibus apparitiones exterrentes Saülem.* Siccine, Deus bone! triſtatur vſque ad mortem qui in ſolio trabeatus, & diademate radians ſedet; & totus ſub melancholia eſt? Et hoc, quia tu dereliquiſti eum, ex eo, quod & ille à te receſſerit, quia iugum tuum ſupportare noluit, & recalcitrauit aduerſum mandata tua. Hæccine etiam Principum vita? & ſub tam enormi pompa lethalis mœror? O accurrite mortales, & contemplamini, quoniam Deo recedente nullæ voluptatum illecebræ, nulla lenociniorum blandimenta mederi valeant afflictæ Animæ! Tu Pater ſancte, qui attingis à fine vſque ad finem, mentis voluptas integra, tu ſatietas plena, tu conuiuium, & riſus: recedentes à te plorabunt in tenebris & caligine melancholici ſpiritus, qui arripiebat Saül, qui infeliciſſimus, ex quo tu diſceſſiſti ab eo, in tanto regnorum ambitu, miſeros, & lamentabiles traduxit dies. Antiochus homil.114. de obſeruantia mandati: *Nemo* (ait) *qui Dei mandatum contempſerit, in rectitudine vitam inſtituit ſuam: Saül Dei mandatis malè moriger, in mœrore vitam cùm egiſſet, tempore ipſe præſcripto, demùm regno quoque excedit.*

1.Reg.16.23.
Caietan.

Antioch.

90. *Moſes recuſat ducatum Angeli, & quare.*

Volebat Numen Angelum ducem præficere Hebræorũ itineribus, & reluctatur ſtrenuè Moyſes; *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto,* Exod.c.33.verſ.15. Vt quid nolit Angelum Anteſignanum eſſe? docebit Athanaſius ſcribens ad Serapionem: *Moyſes recuſauit ducatum Angeli: Niſi, inquit, ipſe Deus nobiſcum proficiſceris, ne me hinc abducas; nolebat enim creaturam ducem populi eſſe, ne omiſſo Creatore creaturæ inciperent ſeruire.* Sed cui inciperent ſeruire? fortaſſe vel Moabitis, vel Iebuzæis, vel alteri nationi de multis Chananæorum, vicinorúmve regnorum populis? At nonne ab his tueri potens Angelus, cùm vnus ſpiritus percuſſerit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia de copiis Sennacherib? Reg.4.c.19. verſ.35. Anne igitur non tam ſeruitutem ipſam, quàm potius captiuitatis effectus innuat? Erat miſerrima ſeruorum conditio: Seneca lib.3. de ira, cap.32. *Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſeruulum infelicem in ergaſtulum miſerimus: quid properamus verberare ſtatim, crura protinus frangere?* Iſaias cap.47.v.2. *Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina*; quàm laborioſa hæc docebit noſter Sanctius ad vatis locum: Sed vt grauia non imponantur onera, lachrymarum diues cauſa, patriâ, affinibus, ſodalium dulciſſimis orbari; quamobrem apud Pſalmodum hymno 136. verſ. 1. *Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus, cùm recordaremur Sion:* Vide continuam in mœrore & ſingultibus vitam? Igitur ſeruorum cùm ſit æternùm gemere, atque tabeſcere quoad reſtituantur veteri honori; futurum ſubinnuit, vt ſi Deo Imperatore careant Hebræi, dies noctéſque

Exod.33.15.
Athanaſ.

Reg.4.19.

Seneca.

Iſa.47.2.

Pſal.136.

rentur,interdicendæ erant mundanæ alloquutiones omnes ; quæ ſi negarentur,magnis itineribus ad ſupernum brauium tenderent: At certè vereor, ne cùm apparuerit Princeps Paſtorum , & poſuerit rationem cum ſeruis, quibus hæc incumbunt, anguſtias patiantur maximas.

97. *Subcineritius panis Eliæ ex charitate ſubminiſtratus,amplum in ſumma penuria, viduæ Sareptanæ victum ſuppeditat.*

Miſſus Elias in Sareptam Sidoniorum , vt paſceretur à muliere vidua,petiit ab ea primùm calicem aquæ frigidæ , deinde & buccellam Panis: illa cùm ſincerè proteſtaretur non ſupereſſe , niſi quantum pugillus capere poſſit farinæ , & filium cum matre alendum eſſe , ſubintulit Vates : *Vade & fac ſicut dixiſti , veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcineritium paruulum panem , & affer ad me ; tibi autem & filio tuo facies poſtea.*

3.Reg.17.13. Reg.3.cap.17.verſ.13.Quid eſt , primùm mihi,ô Elia ? Nónne vides tam modicum eſſe farinæ, vt vix etiam primo ſatis ſit ; Atque vt diuiſio fiat, num poſtulabat gratia humanitatis incipiendum eſſe à poſſidente ? In tanta egeſtate peregrinis vel ſecunda tribuiſſe, laus eſt , atque magna quidem. Intuere Prophetæ ingenium. Volebat benè eſſe viduæ,atque domui eius : ſciebat illis qui principem conatum in cœleſtium diligentia ponunt , ſuperaddi quæ ad corpus ſpectant : monet igitur vel ſub tanta rerum inopia,eleemoſynæ & charitati prima deferenda; velut pronunciet, Quod mihi factura ſis, Deo noueris te facturam, nam ego Deum repræſento : Quod ſi tu anteponas Deum humanæ neceſſitati , & priùs de eius Prophetæ victu cogites,quàm vel de tuo , filiíve; conſequens proculdubio , vt quanquam egeſtas omnia opprimat, tibi tamen haud defutura ſint, quibus famem abigas. Concinnè Rupertus lib.5.

Rupertus. Commentariorum in Reges , cap. 7. *Verumtamen vt timere non debeas , vt merito ſpem habeas, mihi primùm fac ſubcineritium panem paruulum :* benè appoſuit , *vt timere non debeas :* quoniam ſi à Prophera , Dei vices gerente,atque idcirco à Deo incipiat , non erit vt metuere debeat : quamobrem

3.Reg.17.14. ſubiunxit continuò vates : *Hoc autem dicit Dominus Deus Iſraël : Hydria farinæ non deficiet , nec lecythus olei minuetur vſque ad diem,in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ.*

98. Benedicebat Iacob caligans Iſaac , & dicebat:

Geneſ.27.20. *Prima benedictio de rore cœli ; vt qui cætera largè impluat.*

*Det tibi de rore cœli , & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Geneſ.cap.27. verſ.28. Cur ab Olympo initium benedictionis ? Num quia nobiliora ſuperna ? At quæ de terra, ſuper ætheris dono vtilia : nam vini & frumenti maior commoditas quàm roris , qui vt plurimùm mella parit,vnde Poëta Georgic.4.

Virgil.

*Protinus aërij mellis cœleſtia dona*
*Exequar.*

Plinius lib.11.c.12. *Siue ille eſt cœli ſudor,ſiue quædam ſiderum ſaliua,ſiue purgantis ſe aëris ſuccus.* Verùm iſta de fabula redolent , atque vt certa fuiſſent, potiores glebæ diuitiæ : cur non igitur Benedictionis exordium ab iis,quæ iuuant magis? Sanè, propterea à cœlo benedictioné auſpicatur Iſaac, vt quæ beneficia Tellus præſtitura ſit,ea cumulatiſſima offerat,nam ſi contingat Olympum prima ſibi rapere,& hunc exquiri ante temporalia , denique regnum Dei in principio appeti ; adiicientur corporalia abundanter , & torcularia redundabunt ex hoc in illud. Strenuè Ter-

Tertullian. tullianus lib. 3. contra Marcionem prope finem : *Denique* (ait) *animaduertenda eſt hîc etiam ſtructura benedictionis ipſius ; nam circa Iacob , qui quidem poſterioris , & prælatioris Populi figura eſt, id eſt,noſtri,prima promiſſio cœleſtis eſt roris ; ſecunda,terrenæ opimitatis : nos enim primò ad cœleſtia inuitamur,cùm à ſeculo auellimur , & ita poſtea inuenimur etiam terrena conſequuturi : & Euangelium quoque veſtrum habet , quærite primum regnum Dei , & hæc adijcientur.* At cur nominatim filio rorem cœli optat , potiùs quàm grandinem,niuem, ſpiritum procellarum , nam & hæc quoque glebæ ſalutaria ſunt ? Nempe rore deſignatur Chriſtus,

*Ros,Chriſtus.* Iſai 45.8.

ideo Eccleſia ab Iſaiæ vaticinio erudita , cap. 45. verſ. 8. inclamat ; *Rorate cœli deſuper , & nubes pluant iuſtum* : quo dicendi genere Concilium Hiſpalenſe Canone 13. (vt eum in locum obſeruarunt Leo Caſtrius, & Sanchez,) velari Chriſti diuinitatem expoſuit : igitur à Chriſto , à Deo benedicendi initium ; præeunte Chriſto , eóque ſibi principalia vindicante,replebuntur vbertate campi , atque erunt gloria & diuitiæ in domo ſic facientis.

99. Baſil. Deus, *nomen Prouidentiæ. Verè Deus eſt ſingulariter virorum cœleſtium quorũ curam ſpecialem habet.*

Baſilius Magnus in illud Pſalm. 29. *Domine Deus meus clamaui ad te* , &c. *Domine*,inquit, *Deus meus. Non omnium Deus eſt Deus, ſed eorum propriè, qui charitate ſunt ei coniuncti , vt Deus Abraham, Deus Iſaac , Deus Iacob : ſi enim omnium eſſet Deus, non vtique ſeiunctim illis teſtimonium reddidiſſet quaſi aliquid eximium : eſt itaque vox iſta , Domine Deus meus , plena affectu fiduciæ , & conueniens ſtatui prophetico.* At quomodo Baſilius aſſerat : *Non omnium Deus eſt Deus* ; Ergo aliqui fuerint , qui ſub Deo non ſint , vel erant plures dij ad quos pertinuerint Creaturæ,neque omnes ad vnum ? Annon ipſius genus ſunt quæcumque exiſtunt, & in ipſo mouentur , ab ipſo pendent , ſicut in prima emanatione ; ita in eiuſdem continuatione?Equidem Dei nomen Prouidentiæ vocabulum eſt , & quomodo prouidens , ſic & Deus. Ita concipiamus ; ſed alia eſt prouidentia Dei lata , alia ſpecialis , & amicabilis:prima illa contenta eſt ſubminiſtraſſe , quod ſufficiens eſt tantùm: ſecunda, ad vbertatem & dèlitias largitur ; cùm igitur Baſilius affirmat non omnium eſſe Deum , loquitur de ſpecialiter prouidente Numine,ſic vt ſubindicet , non in omnes effundere dona ſua , ſiue quæ ſpiritalia , ſiue quæ corporea,prodigâ munificentiâ , ſed in illos qui Abrahæ,Iſaaco,Iacob ſimiles extitêre. Sed in hoc cur tamen ? nimirum hi primùm attendebant ad diuina, auſpicabantur à cœlo , quærebant ciuitatem manentem : Creator autem videns primùm de æthereis ſollicitos , adiunxit liberaliter temporalia ; Et propterea eorum , ſed non omnium ſingulariter Deus.

---

*Beati Parentis Ignatij quàm ſingularis Prærogatiua,quod Pater æternus ſe illi manifeſtauerit , dum Romam pergeret ad condendam Societatem.*

## Sectio V.

100. *Pater æternus, quem Sponſa non audet interpellare,qui nec ad Paulum voluit deſcendere, ad S. Ignatium tamen potiori fauore deſcendit è tertio cœlo.*

OSculum oris dum Sponſa poſtulat , & Filium , & Spiritum ſanctum ſibi mitti docuit Bernardus ſerm.2. & octauo in Cantica , ab ea concupitum ; idem Philippus Abbas cap. 2. & 3. cur non & Patris deſiderauit aſpectum ? An quoniam lucem habitans inacceſſibilem nemini ſe contuendum præbeat ? proinde & Sponſam etiam deterruit grauior Maieſtas. O erga Ignatium amorem ! Qui Sponſæ ſe ſubtrahit , quem illa interpellare veretur,Ignatio vltrà ſe offert, & Filio lignum ſalutis baiulãti ſedulò commendat.

Talia



Talia antenuptialia munera iam iam deſponſanda Societas Ieſu meruit admittere. Vultis intelligere,quàm nobile, quàm ſublime donum ſit iſtud Patris ſe Ignatio patefacientis ? Videte,quid Pau-

2.Cor. 12. 2. lus electionis Vas de ſe memoret : *Scio hominem in Chriſto* (ait) *antè annos quatuordecim (ſiue in corpore neſcio,ſiue extra corpus,neſcio,Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cœlum :* Sed quare non vſque ad primum vel ſecundum raptus cœlum? cur ſigillatim ad tertium ? Sanè trium cœlorum nomine tres diuinas Perſonas Sanctæ Triados concipere valeamus,ex his deſcenderunt ad nos ſecunda, & tertia : Nã filius inuentus eſt in ſimilitudinem hominum factus,natus ex muliere; Et Spiritus viſibiliter apparuit, modò ſub columbæ lineamentis , modò linguarum ad inſtar , quamobrem in primum & ſecundum cœlum aſſumi, Creaturæ non erat neceſſe,cùm cœli ipſi ſe inclinauerint : Sed Pater æternus difficilis ſuum Hemiſphærium relinquere,nemini patebat , neque enim cum mortalibus conuerſatus eſt , Angelis ſolùm notus ; atque & his ſanè velata facies duabus pennis , apud Iſaiam cap. 6. planè vt de illo, quod idem Propheta cap. 45. verſ. 15. *Verè tu es*

Iſai.45.15. *Deus abſconditus :* Cùm igitur ſic latitaret Pater,& incircumſcripti vultus copiam non faceret ; & tamen Apoſtolo gentium Præceptori ſingulares deberentur honores ; quò Patrem intueretur, cùm ille deſcenſurus non eſſet, raptus eſt iſte , & in tertium ſublatus cœlum. Fateor particularem Meditationem , ſed ex Bernardi cerebro fœtus, qui de gradibus humilitatis propè finem , expendens allegata Pauli verba ex 2. Corinthiorum,

Bernard. cap.12.verſ.2. *Nam ad hoc Filius legitur deſcendiſſe* (inquit) *vt vocaret, & iuuaret aſcendentes ad primum cœlum ; & Spiritus ſanctus miſſus fuiſſe , qui duceret ad ſecundum : Pater verò licet Filio,& Spiritui ſancto ſemper cooperetur , nunquam tamen aut de cœlo deſcendiſſe , aut ad terras legitur miſſus fuiſſe. Lego de Filio : poſtquam venit plenitudo temporis , miſit Deus filium ſuum : Lego de Spiritu ſancto Paraclitus autem Spiritus , quem mittet Pater in nomine meo : Patrem autem in ſua perſona licet nuſquam non ſit , nuſquam inuenio niſi in cœlis, vt in Euangelio, [& Pater meus,qui in cœlis eſt,] & in oratione,[Pater noſter,qui es in cœlis.] Vnde nimirum colligo,quod quia Pater non deſcendit ; Apoſtolus, vt eum videret , ad tertium cœlum aſcendere quidem non potuit, quò tamen ſe raptum memorauit.* Iam igitur ſi Paulus magnus Prædicator non eſt adeptus, vt Pater ad illum deſcenderet,& videretur ſuper terram , & incredibili ſe affectum gratiâ meritò arbitratur , quod ſubuectus ſit in æthera,& ad Patris conſeſſum vallatum atque obtruſum perductus ; quibus laudibus meum extollemus Ignatium , quem Pater longæ recluſionis abrumpens ſilentia,conſolari dignatus è tertio deſcendens cœlo,vt putat Bernardus, & ſe manifeſtum præbens hominis aſſumptâ figurâ?

101. Ad Hebr.1.1. *Non Propheta, non Apoſtolus,non Seraphim,nec verò Chriſtus , ſed ipſe Pater cœleſtis Ignatium alloquitur.*

Atque idem Beatus Apoſtolus legi Euangelicæ conceſſos honores demonſtrare volens, grandiori tuba inſonat cap. 1. ad Hebræos , verſ. 1. *Multifariam* (inquit) *multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis , nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio* , &c. Quæ tota Oratio Patris commendat indulgentiam ſacrâ verborum, & magnificâ pompâ , quoniam ſermones miſcere cùm hominibus non contempſerit : Ac ſanè vbique interpoſitis nunciis,ipſo ſe perpetuum abſcondente ; atque in Prophetis & obſcuriùs , & quaſi à longè pronunciabat ; nihilominus multùm gloriabatur populus ille,& Notum in Iudæa Deum iactabat. Sed quid Synagogæ fauores , ſi cum Eccleſiæ iunioris Priuilegio conferantur? quippe iam Pater æternus non per Vatum ora, ſed per Filium ſuum loquitur ; ac ſicut Filius Patri intimus eſt,ſumméque proximus, (& cur non proximus quoad concîpi valeat, qui eiuſdem naturæ atque Deitatis ? ) Sic hæc nouiſſima Patris locutio priorem illam vincit ,& propter organi ſummam authoritatem , & propter viciniorem genitoris præſentiam, vtpote radiantis in ſpeculo claritatis ſuæ : Faceſſant igitur (ait Paulus) antiqua tempora , *nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio* : Vbi Nicolaus Lyrenſis: *Excellentia noui Teſtamenti ad vetus tangitur , cùm dicitur , quia Deus olim erat loquens Patribus in Prophetis : in nouo autem Inſtrumento loquutus eſt nobis in Filio.* Ergo ſi

Delyra.

tanti priſca Eccleſia faciat, quod Pater , licet per alienum os , ſermocinatus ſit cum Iſraëlitis per labia Prophetarum : Si hunc quaſi nullum fuiſſe ſplendorem velut reputet Paulus , ſi ad iuniora ſecula conuertatur mentis acies, eò quòd per Filium loquutus ſit : annon eximius Ignatij fauor, cui non Propheta,non Apoſtolus,non Seraphin, non denique natus dilectiſſimus Genitoris nomine verba inſtillauerit , ſed Pater os ſuum aperuerit,ipſemet facienda inſinuauerit?

102. *Et in ſolemniſſimo Chriſti Baptiſmo latet æternus Pater,qui tamen vltrò ſe videndum Ignatio præbet;non dolẽte Filio,Ignatiũ velut ſibi præferri.*

Egregia hæc ſunt , ſed reſtat maius quidpiam. Baptizabatur in Iordane Seruator à Ioanne Præcurſore ; Spiritus ſanctus magnæ feſtiuitati adſtat ſub columbæ ſpecie ; Pater etiam in tantis filij gaudiis latitat, neque ſe prodit niſi voce ſolùm ; Ac fuit vel in ipſa voce aliquid tenebroſum,(adeò Patris in occulto ſunt omnia) vt quoniam palàm non conſtabat ex ſermone quem ſignificaret,eſſe Filium ſuum , in quo ſibi complaceret : Spiritui ſancto idcircò deſcendendum fuerit , vt præſentiâ ſuâ vocis ſuppleret dubieta-

Chryſoſt.

tem : *Nam & Columba* ( ait Chryſoſtomus homilia 12. in cap.8. Matthæi) *tunc ideò apparuit, vt extenti quodammodò digiti vice , Dei filium Ioanni monſtraret.* Fateor Regum quorundam vſus fuit, vt ſui copiam parcè admodum facerent , & adiri pœnâ mortis intentâ vetarent , nimirum hi Reges illi , & Conſules, qui vt teſtatur Iobus cap.3.

Iob.3.14. verſ. 14. *Ædificant ſibi ſolitudines.* Talis planè Aſſuerus ex Perſici imperij more , de quo Eſthe-

Eſther.4. 11. ris c.4. verſ. 11. *Omnes ſerui Regis , & cunctæ, quæ ſub ditione eius ſunt , norunt Prouinciæ , quod ſiue vir , ſiue mulier , non vocatus , interius atrium Regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficiatur.* Rupertus lib. 8. de Victoria Verbi Dei cap. 10.

Rupert. *Maximè apud Perſas mos iſte ſancitus fuit, vt perſona Regis occultaretur ſub ſpecie Maieſtatis :* Et tamen hic tam difficilis conſpici Monarcha , occaſione oblata ſolemniſſimi Epuli ; videndum ſe exhibuit , non ſolum proceribus regnorum , ſed omni etiam populo , qui inuentus eſt in Suſan à maximo vſque ad minimum ; Eſtheris cap.1. verſ. 5. Igitur quamuis æternus Pater ſecretum affectaret , ob filij tamen gloriam , quo Ablutionis pompam condecoraret , non tantùm è cœlo proloqui , ſed etiam contuendum ſe ſub his , vel illis lineamentis præbere , æquum apparebat : Attamen latet genitor cùm filius baptizatur ; Ignatio oranti ſe manifeſtat : ille tam moroſus prodire vel in filij tanto ſpectaculo , quoniam Filio id placiturum nouit,Ignatio obiicitur precationum horâ : Non dolet Filius ſibi velut præferri Ignatium , quoniam & ipſe permittit vt ex ipſius virtute ſerui maiora edant prodigia:

nam

nam gloria famulorum, Domini gloria eſt, ad caput refertur quod membra operantur.

103. *Ea eſt ſancti Ignatij & Societatis benedictio, vt plures Orbes expeteret ad lucrum ſpirituale.*

Et quando Pater ſe aperuit, Filio commendauit, benedictionem impertiuit, non miror, quanquam tam breui intercapedine, Vitem iſtam ſic expanſam quæ vſque ad mare palmites extenderit: multæ filiæ congregauerunt ſibi diuitias, ſed magna eſt gloria domus huius: Nam fecit ei eximia qui potens eſt ſuſcitare de puluere terræ; ſit ſanctum nomen illius. At me non capeſſit admiratio, conſiderantem ab æterno Patre benedictionem, nec enim tantæ benedictionis minores potuère eſſe fructus. Deſcribit Matthæus tremendi eius, quod ſub Mundi finem examinis, modum; & iuſtorum præmia indicaturus, inquit: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi,* cap.25. verſ.34. cur benedictos Patris ſingulariter nominat? Venuſtè Origenes tractatu 34. in Matthæum: *Vocat autem illos, benedictos Patris, addito,* [ *benedicti Patris mei,*] *vt eminentia benedictionis eorum manifeſtaretur, qui benedicti ſunt à Domino, qui fecit cœlum, & terram; & forſitan, quia ſunt aliqui, qui benedicti quidem ſunt, non autem Patris.* Perpende attentus, [vt eminẽtia benedictionis eorum manifeſtaretur,] nempè idcircò ab Euangeliſta expreſſum, Patris benedictione cumulatos, quo ſignificaret non mediocrem fuiſſe illam benedictionem cujus Pater Author extiterit, ſed de nobiliſſimis, ac proindè, quæ in immenſum ditauerit. Igitur cùm à Patre ſanctus Ignatius Benedictus fuerit; non eſt, quod obſtupeſcamus fundatam ab eo Societatem tam breui ſic exauctam, vt eam penè orbis capere non valeat, certè illa ſi plures fuiſſent orbes, intraret per mille pericula, quò Chriſto lucrifaceret: Creuit, & magnificata eſt ſuprà modum, nimirum eximiè benedicta, à Patre ſcilicet.

Matth. 25. 34.

Origen.

104. *Ignatius nouus Ioſeph Benedictionibus Patrum præ fratribus ſtabilitur.* Geneſ.49.

Moriturus Iacob, benedixit Iudæ, inquiens, *Iuda, te laudabunt fratres tui*, Geneſ. c.49. verſ.8. benedixit & Ioſepho, cui ait, *benedictiones Patris tui confortatæ ſunt benedictionibus Patrum eius*, verſ. 26. nempè ſuper eum; ſed cur à fratribus laudatur Iudas, quod idem ſit, atque ab eis benedici; à genitore vero Ioſeph? videlicet, nomen Ioſeph augmentum denotat, vndè & citato capite, ver. 22. *filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu*; Cùm autem incrementa ſubſequantur benedictionem paternam, rectè vt is qui ob auctionem *filius accreſcens* vocatur, paterna ditetur benedictione. Aliter; Iacob diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos; volebat itaque amantiſſimum pignus optimâ affici benedictione: Cùm ergo noſſet quanta eſſet paternæ benedictionis Virtus, quo ſtrenua eſſet Ioſeph benedictio, paternæ benedictionis inſigniuit titulo: Denique, quoniam benedictionis paternæ ſpecialem eſſe gratiam non ignorabat, filium cum vehementia diligens, quaſi timeret, ne non ſatis valida vnica ipſius eſſet benedictio, roborauit eam, tanquam accerſitis quoque Auorum benedictionibus, videlicet Iſaac, atque Abraham; vt cum omnis benedictio paterna deſcenderet in caput Ioſeph, creſceret ad ſtuporem: hoc eſt quod aſſerat Benedictiones ſuas confortatas eſſe benedictionibus Progenitorum eius: *& eſt ſenſus* (inquit Abulenſis) *Scias fili mi Ioſeph, quod benedictiones meæ, qui ſum Pater tuus, confortatæ ſunt, id eſt, factæ ſunt fortes per benedictiones Patrum meorum; & hoc patet; quia per additionem efficitur aliquid maius; quia Abraham ſolùm contulit benedictionem ſuam, quam à Deo acceperat, filio ſuo Iſaac: Iſaac autem contulit magis, quia contulit benedictionem, quam acceperat à Patre ſuo, & inſuper propriam benedictionem: deinde Iacob dedit maiorem benedictionem Ioſeph, quia dedit benedictionem Abrahæ, & benedictionem Iſaac, & inſuper benedictionem ſuam; ideo confortata fuit benedictio eius per benedictionem Patrum ſuorum adiuuantem benedictionem ſuam.* ergo alios Iudæ in ſimilitudinem laudabunt, & benedicent fratres eorum, Ignatius à Patre æterno benedicetur; ideo & ipſe nouus Ioſeph, filius ſcilicet accreſcens, atque iterum etiam filius accreſcens: nam phraſis cõgeminatio magnum incrementum ſubindicat. ô amplificatum Ignatium; ô adauctum! Benedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui fecit miſericordiam cum famulo ſuo, quem ita exaltauſt, quem ſic creſcere voluit.

Toſtat.

---

*Deus præter ſecularem Principum morem, facilis adiri à quocumque, quâuis horâ: Amoris de Amante fiducia.*

## SECTIO VI.

105. *Quacunque horâ Deus adiri poteſt, nullis aditum occludentibus.*

QValem nominabimus Sponſam hanc? nimiúmne confiſam, an nimium ſimplicem? Regem ſeculorum terribilem & formidandum, ante quem cœli etiam columnæ tremiſcunt, adit, & à nemine rogatâ veniâ, nullius implorato auxilio, ſed nec verborum interpoſitis aſſentamentis, poſtulat quo maius non habeat quidquam, vnionem diuinæ Hypoſtaſis cum natura humana: Scitè Bernardus ſerm.7. in Cantica: *Vide enim* (ait) *quale præripiat ſermonis exordium: magnum quid à magno petitura, nullo tamen, vt aſſolet, vtitur blandiciarum fuco, nullis circumuolutionibus ad id, quod deſiderat, ambit: non facit procemium, non captat beneuolentiam, ſed ex abundantia cordis repentè prorumpens; nudè, frontoſéque ſatis: Oſculetur me* (ait) *oſculo oris ſui.* O ſupinam humanæ mentis negligentiam ſub tanta Creatoris indulgentia! Non pulſat, non quærit, cùm tamen nulla præpediant obſtacula, ac propterea meritò neque inuenit: quid cauſatur iners ſocordia? *Non aſſiſtit miles, qui expellat* (inquit pulcherrimè Chryſoſtomus in Pſalm. 4.) *non ſatelles, qui tempus interrumpat: non eſt qui dicat; non eſt nunc tempus accedendi, veni poſtea: ſed quando veneris, ſtat audiens, etiamſi tempore prandij, etiamſi tempore cœnæ, etiamſi nocte intempeſta:* Non ſic apud Rectores mundi huius: paucis tributum Monarcham vtcumque alloqui, cum eo familiarem terere ſermonem rariſſimo conceſſum, ſed cui ad omnem horam? Nimirum regunt in virga ferrea, ex timore obediunt ſubditi, ac proinde expaueſcunt: Sponſa noſtra amat, atque in amando ardet; quæ ſic æſtuat quid vereatur? Maieſtatis inſcia eſt charitas, præſumit de Dilecto, & culpam putat voluiſſe per blandicias, per adulantia labia extorquere, quod imperare poſſit.

Bernard.

Chryſoſt.

106. *Et Filius & Sponſa cum Deo liberè & audacter agunt.*

Quod ſi tibi nimia videatur Sponſæ fiducia, intuere vt Filius & plus audeat. Lazarum in lucem reuocare meditabatur, & ad genitorem conuerſus: *Pater* (inquit) *gratias ago tibi, quoniam audiſti me*, Ioan.cap.11. verſ.41. Certè ſponſa poſtulabat ſaltem, *Oſculetur me* (aiens) *oſculo oris ſui*, Gnatus pro nihilo ſupplicat, *Pater* (dicit) *audiſti me:* At quomodo audiuit non loquentem aliquid? O Amoris ſuperbam poteſtatem! nedum verba formauit, & reportaſſe fructum petitionis gloriatur:

Chryſolog.

riatur:



riatur: ſatis eſt Amori ſi cogitauit tantùm, reſpuit tarda molimina, & anteuertit ſermonem: ergo filius, quoniam cum infinitum depereunte ipſum genitore res illi, vſurpat ſibi de plenitudine charitatis, & circumciſis verborum ambagibus, imò omni de medio ſublato ſermone, corde diſputat ſolum; ſufficere ad impetrandum, ſilentium arbitratur, quando Amor intermediat. Chryſologus ſerm. 65. *Pater* (inquit) *gratias tibi ago, quia audiſti me: de præſtito gratias agit; & quod Pater audierit, hoc dicitur; quod filius petierit, hoc tacetur: fratres, inter Patrem & Filiũ audiendi eſt affectio, non eſt neceſſitas ſupplicandi: charitas aſſenſus eſt, non eſt auſteritas iuſſionis: ibi amore geruntur omnia, vbi non indigetur obſequio: vacat inuocandi cura, vbi fiducia certa eſt audiendi.* Ergo & Filius & Spõſa ob Amoris magnitudinem Regem cum fiducia adeunt, quin ad genua ſe demittãt, quin deprecatores adhibeant, quin perſuadeãt, quin ſuppliciter rogent.

Chryſolog.

107. *Ea eſt Dei Indulgentia vt Adamum etiam poſt peccatum ad colloquium familiare admittat.*

Sed quæ laus eſt, inquies, ſi Numen ſe placabile oſtendat aut Filio, aut Sponſæ, alterive eorum, quos charitas vrget: nam & Reges gentium idipſum præſtant, neque enim ſe negant dilectiſſimis Amicis, quibuſcum humaniter agunt, regiam obliti maieſtatem: Dei fuerit neque peregrinos arcêre; quid ſi & peccatores admittat? Saltem non corripiat, quanquam titulis tam magnæ poteſtati debitis, abſtineant: Deliquerat Protoplaſtus, & abſcondit ſe cum vxore à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi: deſcendit in hortum voluptatis Creator, & Adamum interpellans, *dixit, Vbi es?* Geneſ.cap.3. verſ.9. *Vocem* (inquit) *tuam audiui in Paradiſo, & timui, eò quod nudus eſſem:* Sanè velut ſodalem alloquutus, ſic familiaris ſermocinatur; non diceret, O rector Mundi, O Pater ſæculi, O metuende, O ineffabilis, audiui vocem Maieſtatis tuæ, & conturbatus ſum, & contremuit venter meus? Non aperiret os cum humilitate ſicut Abraham, & pronunciaret, Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis & cinis? non ſaltem verborum fucatis coloribus mitigaret irati iuſtam vindictam? Affirmabimúſne à culpa dementatum neſcire politici idiomatis formam, hebetem, & inurbanum redditum? placuit cogitatio Lippomano: *Sine honoris præfatione*, inquit, *& cognomine, ſine aliquo Epitheto Deum alloquitur veluti attonitus à voce Domini corripientis; & propriâ conſcientiâ iam confuſus, & accuſatus, non addit: Clementiſſime Domine Deus*, &c. Puto ego etiam Adamum ſibi non ſatis conſtaſſe, alioqui haud vnquam tam inſipienter proloqueretur, vt propterea ſe abſcondiſſe aſſereret, quoniam nudus; quaſi verò ante delictum non etiam integumentis caruiſſet, cùm tamen abſcondi non deſideraſſet. Sed hæc vt vera, ita Deum ſalutaſſe abſque titulorum pompa, neque inſolentia, neque agreſtis ruditas; tanta eſt enim Deitatis indulgentia, & condeſcenſus, vt nihil magis abhorreat, quàm vanam adulationem compoſitæ eloquẽtiæ, nihil ſic delectet atque ſimplex Oratio, copiam enim ſui velit facere omnibus: quare Adam, ſiue vt nobis indicaret, quàm non operoſum eſſet Numen alloqui, ſiue quoad hanc doctrinam mente non lapſus, Epithera vitauit, & quicquid ſuſpectam Aulicíſmi hypocriſim olere potuiſſet, à qua magnorũ vocabulorũ mendacia.

Geneſ.3.9.

Lippoman.

108. Luc.15.20.

Pertæſus malorum filius ille iunior ad genitorem reuertitur: *Cùm autem adhuc longè eſſet* (inquit Lucas cap. 15. verſ.10.) *Vidit illum Pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum:* Quæ ad verba demiratus profundè ſummam infiniti Numinis humanitatem, exclamat Euthymius: *O admirandam reconciliationem; quid dicam, aut quid loquar de ineffabili Dei benignitate? Nam vbi ad immenſum illius pelagus reſpicio, ſermo mihi præciditur, neque quid loquar mihi reliquum eſt.* At quæ occaſio tanti ſtuporis Euthymio? Animaduerte Principum ſiue ſacrorum, ſiue ciuilium apud homines morem; equidem ſi quis eos inuiſat, pro conditione, & officio, cubili vel citiùs, vel tardiùs, vel breuiori, vel longiori ſpatio progrediantur; ſi mediocris vir, ne mouentur quidem latum vnguem: ſi equeſtris ordinis, vix ad thalami oſtia deferũtur: ſi Baro aut Vicecomes, & in ſecundam aulam prodeunt: ſi paris honoris quiſquam, ad primum auguſtæ domus limen deſcendunt. Innuit igitur Lucas cùm adhuc à longè eſſet Adoleſcens, cùm diſtaret, genitorem obuiam ei progreſſum per longa ſpatia, itaque excepiſſe magnifica cum gloria: Sed nónne ſatis felix perditus iuuenis, ſi genitore intrà cubiculum manente, ei concederetur ad conſpectum admitti, & veſtigia tenere? Satis quidem id paulò antea Mercenariorum fortunam inuidenti, ſed non ſatis paternæ charitati; decreuit igitur progredi in occurſum: *præ nimio gaudio* (ait Euthymius) *non expectauit, vt ille veniret, ſed priùs occurrit: neque id vtcumque, ſed & accurrit, vt appareat Amoris vehementia*; & progreſſum longè (qui ſummis Dynaſtis honor debetur) Chryſologus affirmat ſerm.5. de duobus filiis, atque Textui quadrat: *Sed Pater occurrit* (ait) *& occurrit longè.* Quid tandem hæc nos erudiant? Videlicet, alias eſſe regulas Principum huius orbis, alias Dei: terrena Maieſtas nec conſpici à Paupere & lacero vult, tantùm abeſt obuiam procedat: Deus vero Iro miſerabiliori, infauſto Adoleſcenti, quem & fames, & nuditas perſequuntur, occurſurus in longum progreditur; ideóque, ſecùs quàm mundi Toparchæ facilis inuentu à quouis: Quis enim in ſpem non erigatur, quando itinera ſuſcipi magna Pauperis gratiâ, oſcula porrigi videat? Verè humaniſſimus Dominus, qui in hominum quiſquilias tam beneuolus, qui nemini ſe ſubtrahit, qui celſitudine ſua non indignum reputat miſerorum in occurſum ire.

Euthym.

*Ad filium prodigum reuertentem, à longè obuius accurrit bonus Pater: Deus ſcilicet ad Peccatorẽ.*

Euthym.

Chryſolog.

109. *Reos homines Deus magna cum reuerentia, quamuis Iudex ſummus, officiosè excipit.*

Solent homines, quamdiu priuatæ, & ſingulares perſonæ ſunt, non tantùm dignitate pares officiosè alioqui, ſed etiam cum honore inferiores excipere, mites ſe, affabiles, contubernales denique præbere: ſi verò per Monarcham ad Præfecturas ſubuchuntur, ſi Magiſtratus, ſi Iudices nominentur, Animarum quaſi tranſmigratione operatâ in alteros mutantur viros: nihil tam tumidum, nil tam ſeuerum, nihil tam cenſorium: timor poſſedit vel Reipublicæ proceres, inclinantur coram his, & ſubmiſsè ſe gerunt. Tanta eſt ſuperbæ Dominationis ira. Sed quid de Numine Sapientiæ Author? cap.12. verſ.18. *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos:* Quid eſt, cum magna reuerentia diſponis? Nempè, quod vel reos cum humanitate excipiat, non frontem arrugat, non labia diſtendit, non buccæ intumeſcunt, non dentibus frendet, non vociferatur, non tunicam diſrumpit, non manibus, non pede ſonat: Quis vnquam in Amicos tam dulcis, quis in benefacientes tam officioſus, atque Iudex iſte, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, qui iudicaturus eſt duodecim tribus Iſraël, Chriſtus Ieſus? Benè Saluianus Maſſilienſis Antiſtes

Sap.12.18.

Saluian.

lib.2.

lib.2. de Prouidentia Dei : *In iſto*,inquit, *Scripturæ loco , non gubernatio tantùm ſacra , ſed etiam dignitas declaratur humana : in hoc enim quod ait ; diſponis nos , vis diuinæ gubernationis : in hoc autem, quod cum magna reuerentia , culmen humanæ oſtenditur dignitatis :* Quo autem pacto elucet humanæ dignitatis culmen ? nimirùm eò quòd tanta cum reuerentia cum hominibus agit Deus magnæ potentiæ. O quid eſt homo, quia magnificas eum! homo vanitati ſimilis , dies eius tanquam vmbra prætereunt , ipſe natus ad laborem repletur multis miſeriis, & dignum iudicas ſuper huiuſmodi reſpicere ? hunc igitur tam deſpectum & vulgarem etiam tum , cùm in iudicio ſedet tremendæ maieſtatis,Numen reuerenter alloquitur, officiosè compellat. O filij hominum , vos , qui virgam portatis , & ſalutamini Antiſtites,vſquequò inflati , & erga ſubditos inurbani ? Scilicet graues eſſe non poteſtis, niſi ſimul arrogantes? Deponite latentis Ambitionis affectatam imaginem : mala grauitas eſt, atque peruerſa , quam ſuſtentat erga ſubditos irreuerentia; non ſic attrahuntur,non ſic, ſed in funiculis Adam,in vinculis charitatis.

110\. *Deus nos,dies noctéſque, quâuis hora præſtolatur imò inuitat.*

Sæpè in vtramque aurem iudices dormiunt, & ſpe alloquendi quorum cauſæ apud eos pendent , matutinos abrumpunt ſomnos , ianuam obſident, & ſuperbam plebeij ianitoris indignationem patienter leuant : tandem expergiſcitur, & quoniam profundior quies horas abſumpſit, vel circumfuſæ turbæ ſe negat , vel præ feſtinandi ardore aut breuis eſt ſermo , aut pungens, nouúmque vulnus , potiùs quàm medela : Scio Abſalonem vix orto ſole de ſtrato conſurgere

2\. Reg.15.2. ſolitum & præſtolari , *Omnem virum , qui habebat negotium , vt veniret ad Regis iudicium.* Regum 2. cap.15. verſ.2. Sed faciebat imperij cupidus , & decipiebat incautum vulgus : At verò ſummus Iudex , cuius in decreto & vita & mors eſt , præoccupat omnem induſtriam litigantium : *qui manè* (inquit) *vigilant ad me , inuenient me.* Prouerb.

Prou.8.17. cap.8.verſ.17. Quid eſt,qui manè ? Num poſt auroram enatam ? Et ſi antea venerint,ſi in ſecunda aut tertia vigilia , ſi dum ſilentium tenet omnia, & nox medium iter peragit ? Semper præſtolantem reperient ; Egregiè Bernardus ſerm. 69. in

Bernard. Cantica. *Vigilas tu ? Vigilat & ille : conſurge in nocte in principio vigiliarum tuarum : Accelera quantumuis etiam ipſas anticipare vigilias ; inuenies eum, non præuenies : temerè in tali negotio vel prius aliquid tribuis tibi,vel plus : & magis amat, & antè.* Et propè eandem mentem , Chryſoſtomus ſuperiùs

Chryſoſt. allegatus in Pſalmum 4. *Semper & aſſiduè*(ait) *eum potes interpellare , & nulla adeſt difficultas : neque enim opus eſt ianitoribus , qui te introducant : non diſpenſatoribus, Procuratoribus,Cuſtodibus,aut Amicis : Sed quando ipſe per te ipſum acceſſeris , tunc maximè audiet.* Heu ! Amor dulciſſime, apud te eſt fons vitæ,apud te honor & voluptas, vltrò inuitas,emite,inquis, abſque argento & vlla commutatione, & non eſt qui recogitet ! Aurum Tigres

111\. Exod.8.9. *Ita omni momento patet ad Deum acceſſus , vt Pharaoni liberum ſit diē, horámque Diuinæ auſcultationi præfigere.*

obſeruant , Margaritas pelagus abſcondit , aromata deſertum occupat,trans Oceanum eſt ebur, byſſus,coccus bis tincta : quæruntur iſta per centena pericula , ſolùm tecum non eſt ex gentibus vir,qui ſolus locupletare vales.

Benè nouerat Moyſes nullum eſſe momentum , quo non ad hunc iudicem acceſſus pateat, proinde Pharaoni dicit : *Conſtitue mihi quando deprecer pro te , & pro ſeruis tuis , & pro populo tuo.* Exod. cap.8. verſ. 9. quaſi dicat , quod ad Deum, qui Iudex eſt ſpectat , ipſe omni tempore paratus eſt, ſiue feſtâ acceſſeris luce,ſeu laboribus deſtinatâ , ſiue turbidâ,& nebuloſâ , ſeu clarâ,atque ſerenâ , ſiue hybernâ , ſiue æſtiuâ , in procinctu ſemper eſt : quid aliud optare reus valeat , quàm vt eius ſub poteſtate ſit quoties velit , & quâ deſideret opportunitate , vti Iudex gratas præbeat aures ? proh mitem Creatoris naturam ſubiicientis ſe miſeræ & infirmæ creaturæ , quantùm voluptas illius ſit ! Ac ſanè vocum perpenſo tantùm Cortice videbatur Moyſis Oratio quaſi metam præfigere diuinæ auſcultationi ; ſed genuinus ſenſus eſt , quem produximus; vt non tam voluerit ab Ægyptiorum Rege certum,& præſignatum diem indici , quo ſolùm Numen eſſet adeundum, quàm potiùs indeterminatum eſſe tempus, atque vt determinari præſtaret , Pharao , non Deus id feciſſet : Ita Abulenſis in nominatum Exodi caput,quæſt.5. *Nec rurſum iſta aſſignatio* (inquit) *aliquam ſuperſtitionem ſupponebat : imò ad tollendam ſuperſtitionem ponebatur : quia ſi Moyſes taliter diceret , ſcilicet tali die pro te orabo , & non aliâ , eſſet aliquid ſuperſtitionis , quia attribueret aliquam virtutem tempori ; vel Deum ad exaudiendum promptiorem vno tempore , quàm altero iudicaret : Sed nihil horum fuit : imò vt indicaret ſe de his non curare ; voluit , quod dies conſtitueretur ſecundum voluntatem Pharaonis ; quod in Dei laudem cedebat.* Toſtat.

---

*Obedientiæ vinculis adſtrictum,propriâ duci voluntate,quàm ſit lubricum?*

## SECTIO VII.

112\. *Solum Dei oſculum ambit Sponſa, quâ via quibúſue miniſtris ad illud ducatur , indifferens.*

TAntùm implorat vniri chariſſimo ſuo bono Sponſa hæc ; tantùm ire in amplexus gaudioſos vltimi , & incommutabilis finis ; Sed quibus ventis portus occupandus ſit perennis lætitiæ , per quos gradus pergendum , vt videatur Deus Deorum in Sion ; num ſcilicet per diuitias magis quàm inopiam ; an per honores,vel per infamiam ; per lectulum doloris, an per valetudinem non audet præfigere : ſolùm oſculum , quæ cum Deo eſt coniunctio,flagitat, de reliquo negligens : aduertit Bernardus ſerm. 7. in Cantica: *Non petit libertatem* (ait) *non mercedem,non hæreditatem , non denique vel doctrinam , ſed oſculum.* O Bernard. plenæ abdicationis obedientiam , quando inferior in nullam inclinat partem , omníſque ſtudij conatus , nihil voluiſſe conari. Digna prorsùs tanti Sponſi Connubio,quæ à ſe ita receſſit Anima : Vultíſne eius parentiæ aliud quoque ſpecimen egregium ? *Oſculetur me*,inquit : At quiſnam ô Sponſa ? cui ſubmittes collum , & iugum quis imponet? Monarcha,an conſul,an plebeius?Moyſes,an Phariſæi ? Philoſophus,an ſubulcus ? Non diſcerno Perſonas,ait ; vicem Dei gerat,de cætero non eſt mihi anxia diſquiſitio ; ſupplebit ille quod deerit Miniſtro vel Sapientiæ , vel prudentiæ. Si in aliquam deflectendum lineam eſſet , optarem potiùs à contemptiore regi, quoniam hoc Caro & ſanguis reſpuit , ſed nolo vel tantillum mihi aſſumere ; etiam ſpiritalia deſerenda , ne arbitrij vel ſcintilla vna ſuperſit , propterea nolo vt ſignanter quiſpiam oſculetur : Bernardus eodem ſerm. 7. *Geſtit in oſcula, petit,quod cupit,non tamen nominat,quem amat, ideò non dicit, oſculetur me iſte , vel ille , ſed oſculetur me tantùm.* Bernard.

113\. *Chriſtus in paſſione variè circumductus, vt cadauer ; poſuerat quippe in puluere ſepulcrali os ſuum.*

Sanè,vbi Chriſti maximè excelluit patientia, ſub mortem fuit ; cùm ſub iniquiſſimo Præſide diuexatus vltrà modum , taceret perpetuò , & alienis regeretur imperiis : demiratus ſupra humanam Patientiæ conſtantiam Ieremias Thren. cap.3. verſ.29. *Ponet* (inquit) *in puluere os ſuum , ſi fortè ſit ſpes :* Quonam in puluere ? nempè in ſepulcrali ; ac propterea legit diuersè Ambroſius ad initium ſermonis 10. in Pſalmum 118. *Ponet in*

Thren.3.29. *ſepultura os ſuum :* Quando verò eiuſmodi puluere non conſueuerint obrui , & ſupertumulari niſi mortuorum cadauerum ora, planè ad defunctorum labia reſpexerit Vatis ſermo , ac proinde ſignificarit Chriſtum corā ſceleſtiſſimis iudicibus ita ſe geſſiſſe,tanquam ſi emortuum cadauer eſſet: quid inde ? Demonſtratur nimirum perfectiſſima Seruatoris obedientia,qui permittat ſe vndequaque ferri,velut ſi cadauer abſque ſenſu eſſet. Hoc enim cadaueris exemplo maximè vtuntur vitæ ſpiritalis formatores,cùm docere cupiunt,quanta debeat eſſe abdicatio voluntatis in eo, qui exactè parère deſideret , vt in quo non ſit aliud aut velle,aut nolle, quàm ſecundum arbitrium gubernantis : Eſt verò hæc eò cumulatior virtus, ac ſanè tum propè diuina , cùm accidit moroſum eſſe Antiſtitem,grauem in præceptis , difficilis naturæ , & qui cùm ſuis commodis attendat ſatis, de ouibus ei non ſit cura ; vt ſileam contingere,malitioſum quoque & improbum euadere poſſe,qui ſtudiosè vexet ſub ferula poſitos. O Ieſu Bone, quàm magnus ille,ſi quis ſub tantis iniuriis ponat in puluere os ſuum , labiis oſtium circumſtantiæ admoueat , & gementis Animæ murmur intrà cohibeat! ô certè durum,& forte certamen, ne loqui tum , ne hiſcere quidem ! quis eſt hic & laudabimus eum ? procul & de vltimis finibus pretium eius : Quàm pauci ſunt tantæ obedientiæ tuæ imitatores ! ducunt ad Caipham,non reſiſtis ; ferunt ad Pilatum,obſequeris etiam : traheris coram Herode , neque obluctaris : ſcilicet propter obedientiæ amorem Cadauer mortuum te cogitas,atque ideò ſiue huc , ſiue illuc ducaris,

Ambroſ. non reniteris. Ambroſius vbi ſuprà : *Quod autem ait , dabit in ſepulturam os ſuum , oſtendit quandam ſuprà modum Patientiæ taciturnitatem , vt tanquam ſepeliat os proprium , ne loquatur ; & velut quodam aggere virtutum obſtruat , ne vocem doloris emittat, tanquam pondus aſſerens Patientiæ , quam ſpes foueat , vt vocem ipſam velut buſto quodam , ac tumulo ſepeliat , ac includat , quam nulla excitare poſſit iniuria.*

114\. *Qui ſuo arbitrio vult regi, Saülem more Iudæorum , Regem ſibi petit, ſæuiſſimum experturus.*

Et quanquam ardua hæc ſit Perfectio , tamen omni, qui ſub obedientia viuit neceſſaria ; ſimul enim atque ſubditus proprio ferri arbitrio non metuit,periculo ſubeſt;neque erit operoſum Aduerſario proſternere. Exemplo erunt filij Iſraël: nam cùm à Iudicibus regerentur, auſi ſunt ſubiectorum limites tranſilire, & ipſi ſibi gubernato-

1\.Reg.8.5. rem creare : *Ecce tu ſenuiſti* (aiunt Samueli, Reg. 1.cap.8. verſ.5.) *& filij tui non ambulant in vijs tuis, conſtitue nobis Regem , vt iudicet nos,ſicut & vniuerſæ habent Nationes :* Verum cedo malos eſſe Samuelis natos , ſed malo inſtrumento Deus benè vtetur , modò inferiores credant Numinis loco poſitum , quod eſt Sapientia infinita , nec fallere volens , nec falli poſſibile : & intuere vt ſtatim impingunt , & delirant : *ecce Tu* (inquiunt) *ſenuiſti :* Ergóne propterea regere ineptus ? imò verò nunquam magis idoneus : nam benè Hierony-

Hieronym. mus ad Nepotianum : *Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus , & creſcente ſolâ ſapientiâ , decreſcunt cæteræ virtutes , ieiunia vigiliæ , eleemoſynæ, chameuniæ* , &c. Si igitur cum ætate ſapientia adaugetur , quamobrem ob ſenium reiectant ? Puto nollent tam ſapientem directorem ; ſed de fatuis & ſtultis Prælatum aliquem , quem deludere valeant. At quídnam his accidit propter temeritatem ? nimirum,illo ipſo Rege , quem deſiderauerant,& quo frui indultum , nemo ſæuior extitit hoſtis ; nam vt ſtatim Textus indicat,verſ. 11. 1.Reg 8.12.

& 12. *Filios eorum,filiáſque tollebat* , & in abiecta, laborioſáque miniſteria tranſmittebat;agris quoque,vineis,oliuetis optimis deſpoliabat. O quoties ita euenit , vt cùm Religioſi extorquent ab Antiſtite hoc,illúdve munus , fiant illis in ſcandalum,& ruinam , quo beatos ſe futuros arbitrabantur , pereúntque à ſuis deſideriis , & neque corporis,neque Animæ valetudo illis , nec hora, aut momentum gaudij. Sed audiamus Cyprianum Martyrem de Saüle proloquentem lib. 3. epiſt.9. aliàs tertia ad Rogatianum , de ſuperbo

Diacono eius : *In libro quoque Regum , cùm Samuel ſacerdos à Iudæorum populo ob ſenectutem , ſicut tu modò , contemneretur ; exclamauit iratus Dominus,& dixit : Non te ſpreuerunt , ſed me ſpreuerunt : & vt hoc vlciſceretur , excitauit eis Saül Regem , qui eos iniurijs grauibus affligeret , & per omnes contumelias,& pœnas ſuperbum populum calcaret & premeret.* Cognata his , quæ & noſtram cogitationem apertiùs roborent , inuenturus ſis apud Gregorium Papam lib. 4. in lib. 1. Regum ad cap. 8. capite ſuo 1.& 2. Cypr.Mart.

115\. *Saülem è ſolio leuis inobedientia præcipitat.*

Atque ſic meritò afflictatus populus , ſed neque Saul minori plagà vulneratus , nam & ipſe propter inobedientem Spiritum Monarchiâ deſpoliatus : *Dixitque Samuel ad Saul.*(Reg.1.cap.13. verſ.13.)*Stultè egiſti , nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui , quæ præcepit tibi : quod ſi non feciſſes , iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum : Sed nequaquam regnum tuum vltrà conſurget.* Verùm percipiamus elegantem Gregorij Theologi ſuper hac Saülis contumacia orationem, ſeptima ex ſuis declamationibus : *Quid de Saüle exiſtimamus ? Quoniam autem ſe totum ſpiritui vtendum non præbuit , nec purè,& integrè vt oraculum ferebat , in alium virum mutatus eſt,ſed priſtini improbitatis fomitis , prauique ſeminis nonnihil ſupererat ; quid omnes illius calamitates Tragica oratione commemorare neceſſum eſt ?* Quo in ſermone illud à Religioſo viro cum formidine conſiderandum : *Quoniam autem ſe totum ſpiritui vtendum non præbuit* , hoc eſt,quia tantillum de propria voluntate ſibi reſumpſit ; ac ſanè imperio excidit:Quid ſi enim & de vitæ libro deleamur ob proprij arbitrij reaſſumpta iura,quibus per obedientiæ votum abrenunciauimus : quemadmodum & Petro olim propter modicam contumaciæ ſpeciem dictum : Non habebis partem mecum ? Non quod ob veniales lapſus beatitudo ſit amittenda, quam ne omnium mortalium venialia delicta in vnum congeſta , ſed nec poſſibilia omnia quanquam exiſterent , ereptura fuiſſent ; verùm , quia atomæ illæ noxæ ad grauiora diſponunt , ob quæ ſubtrahente Numine auxilia efficacia, proculdubio homo in foueam incidat immanium peccatorum ; à qua non ſit liberandus ob duritiam impœnitentis Animæ. At quæ fuerunt hæc, quæ tam puſilla videbantur in Saul , quæ præcipitio viam ſtrauerunt ? Nempè præcepit illi Dei Propheta Samuel , ne per dies ſeptem holocauſtum offerret,donec ipſe reuerteretur , & adfuiſſet ſacrificanti ; & ille cùm in dies ſex expectauiſſet, quin & in partem ſeptimi iuxta Carthuſianum, Dyon.Carth.

antequam ſol occumberet paucis horis ob breuis moræ impatientiam violauit mandatum; qua in re magnum Gregorium ſequutus Dionyſius, nam ipſe quoque ſub veſperam victimas obtuliſ-

Gregor.

ſe Regem putat, lib. 5. Expoſitionis ſuæ in 1. Regum, capite ſuo tertio: *Ecce* (inquit) *quàm magna perdidit, qui, vt putabat, nulla contempſit: Ecce ſeptem diebus Prophetam ſuſtinuit, ſed dum præſtolari eum in fine diei deſijt, gloriam tantæ dignitatis amiſit:* Heu, à quàm leui inſufferentia tantorum malorum crudele exordium! Quis te faſcinauit, Principum vecordiſſime, ne in horas tres expectares, qui hebdomadæ tædia deuoraſti? Credo de conſiliariis Satan aliquis ſuggeſſit rem modicam eſſe trium horarum anticipationem, proinde ſcrupulum deponendum, nec fore vt Samuel ægrè habeat. Sic decipiuntur plerúmque mentes incautæ, & dum quaſi inania ſpernunt, labuntur in voraginem profundiſſimam. Certè periculoſum eſt à ſuperioris præſcripto diſcedere, & abdicatæ ſemel voluntatis ſponſionem eneruare, quam-

Gregor.

obrem iterùm pulchrè Gregorius: *Quo in loco trementi corde conſiderandum eſt, quàm breuiſſimi temporis expectatione neglectâ, repulſus ſit: cùm compleſſet* (inquit) *holocauſtum, ecce Samuel veniebat: Si ergo eum ſolo temporis breuiſſimo interuallo expectaret, quo obtulit holocauſtum, ſecurus iam regni ſui robur obtinere potuiſſet.*

116\. Ad genitorem rediturus Chriſtus, cùm aſcenſui proximus eſſet, qui conuenerant, interrogabant eum dicentes, *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* Actor. cap. 1. verſ. 6. quibus reſpondet: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate:* Verùm, curni & hæc nouiſſe tempora potuerint? num propter difficultatem Arcani? Sed maiora didicerant, quemadmodum demonſtrat Chryſoſtomus homilia 2. in Acta Apoſtol. *Didicerant enim* (ait) *Chriſtum eſſe Filium Dei: didicerant, quòd Deus Filium haberet æqualem honore: didicerant reſurrectionem futuram: didicerant, quod Caro ſedet in cœlis, & adoratur ab Angelis: Hæc ſcire, magnum eſt: cæterùm diſcere, quod aliquis ſit regnaturus, & quando, nihil magni eſt.* Cùm igitur de nobilioribus docuerit, cur celat quæ non ita ſublimia ſunt? Nempe, ideo, quia ad eos non ſpectaret de eiuſcemodi noſſe: *Non eſt veſtrum* (inquit) *noſſe tempora:* non enim debet ſubditus inquiſitiuus eſſe de his, quæ facienda ſunt; ſed quicquid aut de ipſo, vel de aliis agendum ſit, totum ſuperioris prudentiæ relinquere, & cum ſilentio mandatum præſtolari: Et vide, vt ſubeunte Ieſu, nubes ſuſcepit eum ab oculis

*Curioſos de futuris Diſcipulos Superior Chriſtus reprimit, ac nubis oppoſitu, ad Patrem aſcendens, ſuauiter caſtigat.*

Act. 1. 6.

Chryſoſt.

Idem.

eorum: *Non ignis* (ait Chryſoſtomus loco memorato) *neque Currus igneus, quemadmodum factum eſt in Elia, ſed nubes eum ſuſcepit.* Verùm quare nubes? Videlicet ne pergentem intueri poſſint diſcipuli, oppoſito tali muro: Imò quidem ob Apoſtolorum ſolariũ, quæcumque lumen oculorũ impedire valerent, remouenda erant; amabant enim dulciſſimè Præceptorem, nam & lachrymas

Bernard.

in abſceſſu fudiſſe Bernardus affirmat: *Et quidem illis plorantibus* (ait ſermone 3. de Aſcenſione) *eleuatus in cœlum eſt:* Cur igitur diligentibus ar-

Chryſoſt.

denter præpedita viſio Magiſtri? Chryſoſtomus vbi iam citauimus: *Deinde* (inquit) *ne rurſum ipſum interrogarent, videntibus illis ſubleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum:* Verùm ad hoc ſufficiens, vti in aëra attolleretur: neque enim procul abeuntem cum celeritate, interrogaturi erant rurſum, ſi in tempore hoc reſtituturus eſſet regnum Iſraël? Igitur, ſi hic finis ſolùm, nubis ſuperfluus erat vſus: Quid ergo meditabimur? Nimirum ſuauiter caſtigare voluiſſe diſcentes ſuos, quod Antiſtitis latentes cogitationes explorare tentaſſent: Igitur qui videre, atque intelligere vltrà quam oportebat, cupiebant; nempe tempora penetrare, quæ Pater poſuit in poteſtate ſua; ne quidem intueri contingat, quod ſecùndum decentiam quandam cernere debuerant: & proinde nubes interpoſita, quæ aſcendentem Seruatorem, Diſcipulorum, & eorum qui conuenerant, atque interrogauerant, obtutibus negaret.

---

*Conſcientiæ latebras candidè manifeſtare ſubditus debet, quoties eius ratio à Prælato exigitur.*

## Sectio VIII.

MOs à primis Cœnobiarchis ad omnem be- 117.
nè inſtitutam Congregationem deriuatus, vti ſpiritalis vitæ milites, Ducibus ſuis pectoris arcana ſenſa omnia manifeſtent, ſimúlque & virtutes & tentamenta detegant; verùm ſunt qui ambages atque Mæandros amant, & quorum omne ſtudium vt ſuperiorem fallant, cui iuſtitiam, quam non habent perſuadeant, à quo vitia, & humanæ fragilitatis lapſus abſcondant: Non ſic Sponſa, neque enim blanditur Dilecto, non auram captat, non vocabula honoris accumulat, non circumloquitur, ſed ſtatim ex priſca ſimplicitate, Oſculetur me oſculo oris ſui: *Nullo vtitur blandiciarum fuco* (ait Bernardus ſerm. 7. in Cantica) *nullis Circumlocutionibus ad id, quod deſiderat, ambit: non facit Procemium, non captat beneuolentiam, ſed ex abundantia cordis repentè prorumpens, nudè, frontoſéque ſatis, Oſculetur me* (ait) *oſculo oris ſui.* Ita ſanè decet puras mentes Animæ penitiora reſerare, angulos patefacere vniuerſos; cæterùm veritatem Delphico more oſtendere tantùm, & inuolucris gaudere, neſcio quid tartareum inolet. Latus Chriſti poſt mortem, *vnus militum* (inquit Ioannes cap. 19. verſ. 34.) *lanceâ aperuit:* Cur non perfregiſſe, rupiſſe, diuulſiſſe ſcripſerat? videlicet, quia eiuſmodi vocabula ſignificant inſpontaneum aliquid: nam quæ aperiuntur, clauibus nempè, pateſcunt: vbi autem clauium vſus eſt, violentia abeſt: ſecus ſi findatur ianua, ſi cardine amoueatur, ſi ab ictu procumbat: Perfloridè Auguſtinus Tractatu 120. in Ioannem: *Vigilanti verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit; vt illic quodammodò vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt:* Quid igitur vigilanti inſinuatum dictione? nempe vitæ ſedem, Cor ſcilicet humanum, non eſſe violenter reſerandum, ſed ex voluntate, quin & ex voluptate etiam. Igitur non ſit opus Magiſtro ſpiritali, vel Prælato quaſi per torturam quid intus deliteſcat, expiſcari; ipſe ſuo genio ſubditus reuelet, & glorietur nihil eſſe tam abditum quod non Didaſcali cenſuræ & luminibus ſubiecerit: Sic omnis Chriſti æmulator. Sed exploremus quid de eodem cantatum Seruatore cùm ad inferos deſcendit: *Qui contriuit portas æreas,* (ait Dauid Pſalm. 106. verſ. 16.) *& vectes ferreos confregit:* Ac ſanè quemadmodum ſuperiùs Auguſtinus adnotauit ex multa attentione dixiſſe Ioannem, apertum fuiſſe Chriſti latus, non ſciſſum, aut vulneratum; Sic in hunc locum Chryſoſtomus commonuit, ex conſilio abſtinuiſſe ab aperiendi

Bernard.

*Latus Chriſti quaſi ſponte apertum, nos ad cordis ſpontaneam reſerationem inuitat.*

Auguſtin.

Pſal. 106. 16.



Chryſoſt.

riendi vocabulo Prophetam: nam oratione de cœmeterij appellatione: *Vide* (ait) *orationis accurationem, non dixit, aperuit portas æreas, ſed confregit, non abſtulit vectes, ſed contriuit:* At quamobrem non aperuit, ſed cum vi reſerauit? nimirum Infernus erat, & mortis ergaſtulum: quibus verò mors peccati dominatur, non niſi coacti ſuperioribus quidpiam reuelant, vt opus ſit conterere ianuas cordis, & ſanè in Spiritu vehementi, vectes comminuere, & hoſtiliter cum illis agere, neque vel ſic expromere ſæpè datur quod in fundo pectoris eſt.

118\. Habent cauernas Serpentes, habent & Columbæ: De illis Iſaias capite 11. verſ. 8. *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet:* De iſtis noſtrum Epithalamium cap. 2. verſ. 14. *Veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ:* Sed luci patent columbæ, nimirum in excelſo poſitæ, facilè extrahuntur: Serpens vt prodeat, vi opus eſt, atque fortitudine; odit apertum æthera venenatum reptile; percipe ab Æliano lib. 2. c. 9. *Mirifico quodam munere naturæ* (inquit) *ceruus ſerpentem vincit: neque enim ipſum tametſi hoſtis in latebras abditus, effugere poteſt: etenim ille naribus ſuis in ſerpentis cauernam incumbens, vehementiſſimè inſpirat, inuitúmque profert:* Conſidera poſtremum hoc: *inuitúmque profert,* id eſt reluctantem quidem & latere cupientem: igitur, quæ candidæ & ſimplices Animæ ſunt, columbarum ad inſtar, facilè in apricum eruuntur, paténtque anguſti cubilis ſpatia leui diligentiâ: quæ verò ſerpentinæ mentes ſunt, quemadmodum profundiſſimè deliteſcunt, & vmbras plurimùm amant, ita nonniſi per violentiam & irruptionem antro egrediuntur. O quantùm ſudat miſer Prælatus, quando cum ſerpentibus confligendum, quando in lucem proferendi! qualis ea fatigatio, vt niſi ceruus poſt enecatos ſerpentes ad trium horarum interuallum, aquarum venâ refrigeretur, emoriendum ſit infeliciter ab ardentiſſima ſiti; teſte Epiphanio ad Phyſiolog. cap. 5. Non talis pia Columba, & ideo veritatis Symbolum, quæ & ipſa apertum diligit. Sed loquatur Tertullianus, contra Valentinianos cap. 3. *Abſcondat ſe Serpens quantùm poteſt, totámque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè habitet, in cæca detrudatur, per anfractus ſeriem ſuam euoluat, tortuoſè procedat, nec ſemel totus lucifuga beſtia: Noſtræ Columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper & apertis, & ad lucem: nihil veritas erubeſcit niſi ſolummodò abſcondi.*

Iſai. 11. 8.

Cant. 2. 14.

*Columba ſimplex & lucis amans facilè educitur è ſua cauerna: E ſua verò Serpens lucifuga, niſi vi & eruptione non extrahitur.*

Epiphan.

Ælian.

Tertullian.

119\. Vidit Ioannes cœlum apertum, eóque reſerato equum album, *& qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax.* Apocal. cap. 19. verſ. 11. ſtatímque de legionibus hunc ſubſequentibus; *Et exercitus, qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo:* Cedo quidem rectè delineatum, quod equis ferantur candidis, nam veritas ſemper Triumphatrix euadit; eſt autem veritatis pictura: porrò quibus triumphare conceſſum, albis vehebantur ſeu bigis, ſiue quadriiugis, quod probatum à noſtro Bullingero de Imperatore Romano lib. 1. cap. 34. tom. 2. Opuſculorum, libro vnico de Triumphis, cap. 21. à Dempſtero Paralipomenis ad cap. 29. libri decimi Antiquitatum Roſini, ab Alexandro Neapolitano cum Scholiaſte ſuo lib. 6. Genialium, cap. 6. Igitur, quod albi ſubiiciantur equi, benè quadrat in veritatis ouationem; at cur veſtis de byſſo? Sanè eiuſmodi genus lini tenuiſſimum eſt, ſubtile, diaphanum, itaque ſubter poſita vniuerſa apparent; lege Plinium lib. 19. cap. 1. Vt ergo inſinuet eos, apud quos eſt veritas, cuncta palàm facere, nihil occultare ſacrato Antiſtiti, feneſtrare Superiori Cor & animam; peritè expreſſit byſſo conueſtitos, id eſt, tali quidem ornatu, qui ſubſtrata explicaret quaſi nullo modo velata eſſent. O pulchram Veritatis libertatem nihil metuentis, vt omnia clareſcant! ô bonam fiduciam! Tu qui latebras, velut quondam Protoplaſtus, diligis, & abſcondi aues, haud ſanè in veritate ſteriſti: Origenes tom. 1. in Ioannem: *Conſidera verò albos equos eorum, qui ſequuntur ſermonem, & pura byſſo: & conſidera, num quia byſſus è terra oritur, byſſina indumenta ſignificent proprietates linguarum, quæ ſunt in terra, quibus indutæ ſunt voces, & apertè, & purè ſignificantes:* Conſpicuè dixit byſſo adumbrari voces apertè ſignificantes, tales enim ſunt illorum, qui ex veritate loquuntur, qui cum Præſide candidè agunt, & Magiſtro Animarum; nam ſermonem meditari verſipellem, & ambiguum, eorum non eſt, qui veracem & fidelem in albo equitatu, in byſſino indumento perlucido & tranſparente ſequuntur.

Apoc. 19. 11.

*Veritas candida & byſſina, nil occultat.*

Bulling.

Dempſter.

Alex. Neap.

Plinius.

Origen.



Portabat Aaron in Rationali iudicij ſuper pe- 120.
ctus ſuum nomina filiorum Iſraël, ſed in rationali iudicij inſculpta *Vrim & Thumim*, id eſt, doctrinam, & veritatem; ſeu vt alij exprimunt, *illuminationem & veritatem:* quorſum vtrumque? Nimirum quòd Prælatus in corde ſubditos geſtet, admonet, Patrem eſſe debere amantiſſimum; non Dominum, non exactorem ſuperbum, non Iudicem metuendum: itaque ſubditus perſuaſum teneat, nihil eſſe tantæ voluptatis Principanti, nihil, in quo ſic delicietur, atque in eius commodis; nullius eſſe gremium, vbi dulciùs, vbi ſalubriùs requieſcere valeat: Et ſanè ad Præfectum attinet omninò, vt Patrem ſe demonſtret: ad ſubditos ſpectat veritatem profiteri, ſimulationem abiicere, oues intus & foris eſſe. Sed quonam probaturi ſint modo ſincerè agere illos, & ex recto, & vero? nimirum ſi *veritatem* comitetur *illuminatio:* nam ſi fibras & viſcera Gubernatori aperuerint, ſi ſplendorem dilexerint, ſuſpicari licebit intrepidè veritatem ad eos conuolaſſe; cùm ibi ſit veritas, vbi pariter ſplendor eſt atque claritas, vbi nihil obſeſſum & vallatum: propterea in Rationali eximiè aſſociantur *Vrim & Thumim*; hoc eſt, veritas atque illuſtratio. Philo Hebræus libro de Iudice: *Quid enim in vita eſt æquè pretioſum ac veritas? Quam Vates ſapiens inſtruxit loco ſacratiſſimo, ea parte veſtis Pontificiæ, vbi eſt principalis vis Animæ; vt Sacerdotem per hoc ornamentum auguſtiorem faceret: Veritati autem adiunxit cognatam virtutem, Declarationem, vt vocat, vt eſſent ceu imagines orationis, quæ vel animo concipitur, vel profertur etiam; nam huic Declaratione opus eſt per quam aperiatur alijs quicquid latet in animo.* Ac ſanè arduum eſt elucidaſſe, quidnam illud fuerit in Rationali nuncupatum *Vrim & Thumim:* modò in gratiam præſentis Tropologiæ recipiamus Caietani effatum, aientis, vocabulis allegatis demonſtrari quale eſſe oporteret Rationale, videlicet eiuſmodi, in quo nullæ rugæ, nullæ plicaturæ cernerentur: Igitur ſubindicat terſam eſſe debere conſcientiam ſubditorum, in qua nullæ lacunæ, nulli ſulci, raſa eſſe oportere cuncta, proinde & patentia;

Vrim & Thumim, *Veritas & Illuſtratio ſubditos decent erga Prælatum, amantiſſimũ; vt qui eos in ſinu foueat, velut Aaron.*

Philo.

Caietan.

& bellè, quod eiuſmodi ornatus cordi ſignanter inſideat, nam ipſo imperuia atque latentia omnia abſconduntur, inſcrutabile enim eſt cor hominis, ibi igitur nulla ruga, ibi inuolucrum nullum.

121. *Et in morte Innocens Abel toto ſanguine ad veritatis manifeſtationem clamat; ſilet, negat, mentitur impius fratricida.*

Sublato Abele, quaſi è cœlo Numen delapſum de homicidio inquirit: At Iuſti cruor deſcenſum anticipans, clamauit de terra, Geneſ. cap. 4. verſ. 10. Non expectat iudicantis diſquiſitionem, præuenit in maturitate, & ſonauit in auribus Omnipotentis: vbi duo obſerua: Primum, innocuas mentes, qualis Abelis, malam taciturnitatem, ſcilicet eam, quæ de Prælato veretur, non ſolùm in vita, ſed in morte quoque odiſſe; adeò ſemper velint vniuerſa Antiſtitis luminibus ſubiacêre: Secundò, vocem eſſe patentem, quæ ſatis intelligatur, clamorem vtique, vt ne in pronunciandi forma quidquam ſit abſconditum, & ſuppreſſum. Tantus ardor manifeſtationis! Sed Cain impiorum caput in negando, in occultando pertinax. *Num cuſtos fratris mei ſum ego?* ait: Et ſanè facinoris erat iam tam publicus rumor, quantus eſſe poſſit quodammodò; nam neque ſuperna, neque infima latebat, quippe vt inquit ſerm. 125. de villico iniquo, Chryſologus, *Clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota ſeculi fama loquebatur*; Sic ille de clamore interemptionis Abel; ſub tantis nihilominus vocibus cruentus fratricida perſtat in celando: Quando hic ſceleſtus abſque teſtibus culpam euomuiſſet, qui, Naturâ totâ aduerſus eum dicente, ſilet & inficiatur? ô tenebrarum verè filios! Ambroſius ſerm. 19. in Pſal. 118. propè initium: *Eſt tamen & vox cordis, quia eſt & vox ſanguinis, quæ ad Deum peruenit: denique Deus dicit, vox ſanguinis fratris tui clamat ad me: magna vox iuſtitiæ, magna eſt caſtitatis, per quam & mortui loquuntur, nec ſolum loquuntur, ſed etiam ſicut Abel clamant; At verò iniuſti anima nec viuens clamat, quia Deo mortua eſt.*

Geneſ. 4. 9.

Chryſolog.

Ambroſ.

122. *Vel corã vniuerſo Orbe ipſi Chriſto Iudici mendaces Reprobi tergiuerſantur.*

Cainum, omnis ſceleſtorum manus, Anteſignanum ſuum imitatur: Arguit Chriſtus in Iudicio ſedens, quod neque famelico cibos, neque potum ſitienti dederint, non peregrè venientem ſub tecto exceperint, non viſitauerint ergaſtulo detentum; At illi replicant; Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, &c. Quid? nónne paulò antea à iuſtis propoſita eadem quæſtio, & reſponſum tulerunt; *Amen dico vobis, quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, Matth. c. 25. verſ. 40. nónne igitur tum coram adſtans impiorum turba intelligere potuit, quo pacto Chriſtum in membris ſuis, videlicet pauperibus, reiecerit? cur igitur nunc inficiatur Chriſtum vnquam ab eis conſpectum aut ſiti, aut ediâ laborantem? Nimirum faciunt ex praua indolis ſuæ natura, aſſueti enim ſemper fuerunt peccatores etiam in luce manifeſta teſtium, obiecta crimina negare, atque ideò nunc quamuis ſatis perceperint, quemadmodum Chriſtus, etſi in hoc mundo ipſe non conuerſaretur, veſtibus cooperiri, cibis paſci valuerit; tamen contendunt haud à ſe conſpectum, & coràm vniuerſo quidem orbe non erubeſcunt de ſpiſſitate mendacij. Egregiè Imperfectus Chryſoſtomus homil. 54. in Matthæum. *O inconuertibilis inobedientia peccatorum! Numquid non audierunt Dominum ſuprà dicentem ad iuſtos, quod vni minimorum iſtorum feciſtis, mihi feciſtis? & vtique intelligere debuerant, quomodo qui hominibus non facit, nec Chriſto facit.*

Matth. 25. 40.

Chryſoſt. Imperfect.

*Inimicis condonaſſe, boniſque mala compenſaſſe, Deo quaſi prognatos eſſe indicat.*

## SECTIO IX.

123. *Verbum incarnatur, ab Adamo ſingulariter offenſum.*

Filij hypoſtaſim ſibi vniri ſingulariter Sponſa auet: probauimus eſſe communem exiſtimationem veterum, nouorúmque interpretum: Sed cur non vel Patris, vel diuini Flaminis? aut certè, quamobrem hoc, ſempiterno conſilio ante tempora, & ætates decreuit Numen? Num, quia in Filio vniuerſa condita ſunt, per ipſum & reſarciri debuerint? At conſidera; peccauit aduersùm totam Trinitatem ingratus Protoplaſtes vetitam attingens arborem, & de interdicto pomo comedens; ſed quoniam ſapientiæ nimia ambitio eius ſenſus peruertit, nam in ſpem perductus eſt à ſerpente, vt Deo parem boni & mali cognitionem aſſequeretur, vti Rupertus cum eloquentia expendit lib. 3. de Trinitate, cap. 7. idcirco quaſi ſpeciali modo in Dei Verbum offendit; hoc enim ſolum eſt, quod Pater dicendo genuit, & cui ex vi & proprietate emanationis per ſe, & primariò omnem infinitæ intelligentiæ communicauit notitiam: ſtudens igitur homo æqualis cum Deo eſſe comprehenſionis, cùm non à ſe haberet eam, ab altero autem eſſet accepturus; Verbi Dei poteſtatem & ſcientiam velut vſurpare tentauit: Filium itaque ſpecialiter laceſſiuit: Quoniam ergo diuinitatis quaſi proprium, & genuinum ſit, iniuriam peculiarem condonare, aut beneficio remunerare, non quidem Pater in Virgineum vterum deſcendat, non Spiritus, ſed quem homo ſpecialiùs irritauit, Verbum nempè: cui parum videatur ignoſcere delinquentibus, ſi non quoque pro illis turpiſſimâ morte condemnetur, ſi non inexhauſtâ donorum largitate ditet: Benè Richardus Victorinus lib. de Incarnatione Verbi, cap. 11. *Diſce ô homo, diſce quid facere debeas, diſce remittere iniuriam: nec parum fuit Filio Dei, vt ſuam ignoſceret, niſi & eandem apud Patrem expiaret.*

Rupert.

Richard. Victorin.

124. Tertullian. *Chriſtus à Patientiâ Deus demonſtratur: ab eadem Homines velut Dij euadunt.*

Profero Tertulliani dictum ex tractatione de Patientia, cap. 3. *Qui in hominis figura propoſuerat latêre, nihil de impatientia hominis imitatus eſt:* Quam habet emphaſim de patientia magis locutum eſſe Tertullianum, quàm de aliis ſeu virtutibus, ſeu noxis? fortaſſe aut ebrietatem, aut laſciuiam, aut faſtum imitatus eſt Seruator magis, quàm impatientiam? Sed perpende quid dixit, *nihil de impatientia hominis:* Sanè Deus quaſi impatiens eſt, quatenus hoc vocabulo ſignificetur vt etiam iraſcatur ipſe, etiam vltionem meditetur, ſed non quaſi homo impatiens: quid enim homines norunt? ad proprias iniurias excandeſcere, concitari vehementiùs, ad fratrum & proximorum vulnera conniuêre, in vtramque aurem ſæpiùs dormire: non tale Numen, diſſimulat aduersùs ipſum commiſſa delicta, facit ſolem ſuum oriri ſuper iniuſtis, reddit retributionem ſuperbis, idcirco igitur de hominis impatientia nihil participauit: At quid ſubiiciat continuò Tertullianus, animaduerte, *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret:* ſcilicet ob talem, qualem deſcripſimus, iniuriarum tolerãtiam Deum fuiſſe agnoſcere oportebat: Verùm eſto, vt hinc diuinitate præditum colligere valuerint, ſed miror aſſerere Tertullianũ, hinc maximè deducere potuiſſe, quaſi diuinitatis præcipua nota ſit tanta Patientia: Nónne enim Deum eſſe potiùs demonſtrent miracula?

Idem.



miracula? nónne mundi opificium, & gubernatio? nónne Gentilitatis euerſio? & inter virtutes nónne Charitas magis cæterarum Regina? ſed tamen Tertulliana vox à patientia velut deſumendam præcipuam Deitatis atteſtationem. Vltima illa premenda ſunt quoque: *Patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret*: Nónne enim & homines ſunt de iuſtorum choro non pauci, qui ſimili iniuriarum tolerantiâ ſplenduêre? ſcilicet, inimicis non tantùm indulſerint, ſed erga eos munifici extitêre præterea; quomodo igitur non apud homines ſuſtinentiæ æmulatio talis? Nempè dixerimus fuiſſe quidem, in quibus eluceret Patientiæ conſimilis repræſentatio, ſed eo ipſo continuò quaſi deſiiſſe homines eſſe, & Deos reputatos, & qui mortalia quodammodò tranſcenderent, velut transformati in naturam inimmutabilem.

125. *Dauid parcens Saüli, Sacerdos ac Dei Vicegerens habetur.*

Deliteſcebat in ſpelunca cum militibus Dauid; fortuitò ingreſſum Saülem, vt ventrem purgaret, ſi vellet, interimere potuit; & hortabantur ſerui quidem: *Ecce dies* (inquiunt) *de qua locutus eſt Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis.* 1. Reg. c. 24. verſ. 5. ſed contentus oram chlamydis præcidiſſe, nihil acerbioris mali intulit, quin & de leuiſſima hac bilis ſignificatione pœnituit illum: talem Dauidis manſuetudinem contemplatus Chryſoſtomus, & exercitus totius lentam iram, homil. 2. de Saüle & Dauid ſub calcem tomi 1. *Præfuerat enim illis, non vt Belli Dux, militibus, ſed vt Sacerdos: iámque ſpelunca illa erat Eccleſia:* Sed cur hac rerum occaſione Sacerdotem nuncupare Chryſoſtomo placitum? Num à quoquam inunctus Dauid poſtquam antrum ingreſſus ſit? An Myſtas Patientiam docêre voluit, quando mitem, & choleræ imperantem quo nomine inſigniret potiùs, aliud quàm Sacerdotis non reperit? Perpende, Sacerdotem in mundo hoc, Dei vices gerere, eius vocem Dei loquelam eſſe; ſic enim mundat, *Ego abſoluo te* ab ore Sacerdotis nomine Dei prolatum, ac ſi ipſum Numen pronunciaretur, Sacerdos itaque Deo ſuperueſtitus eſt: Iam & Eccleſia orationis locus cùm ſit, ſacrificij immaculati, & omnis religioſioris cultus, Deum etiam quoad vniuerſa ſpirat: At diximus iniuriarum condonationem, & in hoſtes gratiam, Diuinitatem redolêre & quaſi ſupra Creaturæ maieſtatem auguſtum indicare quidpiam: videns igitur Chryſoſtomus quàm ſe clementem oſtenderet cum inimiciſſimo capite Dauid, & vt veterum dolorum oblitus fuerit, putauit diuinitatem quandam, huius certè communicationem adſcribendam: ſciens autem Deos eſſe Sacerdotes, quatenus Dei perſonam ſuſtinent in ſacrorum myſteriorum operationibus, probè admodum Sacerdotem appellauit, id eſt, non iam poſt inimicitiarum remiſſionem, hominem de turba mortalium, ſed hominem Deum ferentem in ſe; quo pacto Regem in ſemetipſo fert legatus illius, vel qui eius nomine dicit, facítve quidpiam: *Neque enim aliter atque aliquis Epiſcopi ſortitus munus* (proſequitur ibidem Chryſoſtomus) *ad illos concionem habebat, ac peractâ hac concione ſacrificium obtulit, idque admirabile quoddam, dictûque incredibile: haud quidem mactato vitulo, aut occiſo agno, ſed quod his erat multò honorificentiùs, manſuetudinem, & humanitatem offerens Deo, atque irrationabili motu mactato, occiſâque iracundiâ: & factus eſt idem, tum victima, tum Sacrificus, tum Altare.*

1. Reg. 24. 5.

Chryſoſt.

Chryſoſt.

126. *Moyſis, quia mitiſſimi & iniuriarum patientiſſimi vultus diuinè irradiat, nempe Dei Pharaonis.*

Moyſi inter Prophetas ſingulariter conceſſum, vti ſic ſplenderet vultus eius, vt ferre non poſſent Iſraëlitæ, neque in eum intendere, 2. Cor. cap. 3. verſ. 13. ſed conſidera, vti eum in locum à Commentatoribus animaduerſum, atque ad verſum 34. cap. 34. Exodi, legiſlatorem cum Iudæis loquentem velo faciem occultaſſe, quo ſuſtinere poſſent nimiùm ignea atque radiantia ora, quod detrahebat cum Numine ſermocinaturus: Cur id? nimirum Deitatis velut quidam fulgores erant illi; ita certo more concipiamus: Deus autem, quod ex diuino erat, optimè ſufferre potuit, non ſic homo, ſed ne ipſi Seraphim coram Dei luminoſo vultu abſque propugnaculo, idcircò alas erigunt, Iſaiæ cap. 6. *& duabus velabant faciem eius*; hinc Ambroſius Officiorum lib. 2. cap. 7. *Meritò æſtimatus eſt ſupra homines, & vt vultui eius non poſſent intendere, & ſepulturam eius non repertam crederent.* Sed quare humanam ſuperaſſe conditionem iudicatus? Num quia Deus Pharaonis à Creatore nominatus? Exodi cap. 7. verſ. 1. At hoc ipſum veſtigamus potiſſimum, cur tam magnifico Epitheto donatus, vt homo Deus vocetur, & non cuiuſcumque Creaturæ, verùm illius, quæ Princeps eſt inferioris mundi, rationalis nempè; & non alicuius è media plebe Deus, ſed Monarchæ, & ſceptrigeri? Equidem Moyſes imprimis excelluit ſiue in domeſticorum iniuriis tolerandis, ſiue in contumeliis, quas ab exteris patiebatur; & læſus beneficia rependebat, orabat pro inſequentibus; ſi quando indignabatur, pro Dei erat causâ, pro emolumentis fratrum, non pro ſuo honore: qui igitur ſic condonare iniurias nouit, inſolens non eſt, vt pro Deo quodammodò habeatur, quando diuinitatis probatio, immemoria, & conſepelitio propriarum iniuriarum: Ambroſius vbi ſuprà: *Quantas Moyſes à populo illatas abſorbebat contumelias! & cùm Dominus inſolentes vindicare vellet, ſe tamen pro populo offerebat frequenter, vt indignationi diuinæ plebem ſubduceret: quàm miti ſermone poſt iniurias appellabat populum, conſolabatur in laboribus, delinibat oraculis; fouebat operibus! Meritò æſtimatus eſt ſupra homines*, &c. Et Rupertus lib. 1. Commentariorum in Exodum cap. 26. *Nec dixit Deus Author Deorum, ecce conſtituam, ſed ecce conſtitui te Deum Pharaonis; ſubauditur enim à conſtitutione mundi, nec enim ille Deus Deorum nouo quidquam conſilio conſtituit: Ac ſi dicat: Quoniam tu mitiſſimus virorum, pro tam glorioſo negotio cum Pharaone dimicare, & cum Regibus confligere, indignum te ducis; ecce ego ſuſtollam te ſuper altitudinem Nubium, faciámque te Deum, non quem ille fideliter adoret, ſed quem ſeruiliter formidet.* Rectè illud: *quoniam tu mitiſſimus virorum:* hoc eſt, ideo Deum te vocaui, quia in tolerandis iniuriis, ignoſcendíſque omne hominum genus longo ſuperas interuallo, vt qui cunctorum mitiſſimus ſis.

Iſa. 6.

Ambroſ.

Ambroſ.

Rupert.

127. Beda. *Euchariſtia, Sacramẽtum Pacis, Amicitiæ, Charitatis, quia Deũ iniurias diſſimulantem, hoſtibus benefacientem intra ſe claudit.*

Sacramentum Euchariſtiæ ſingulari nuncupatione dictum Sacramentum Pacis, Concordiæ, Vnionis, Charitatis, Beda ex Auguſtino prodit ad illa cap. 10. Epiſtolæ ad Corinthios prioris: *Calix benedictionis, cui benedicimus, &c. ita Dominus Ieſus Chriſtus nos ſignificauit, nos ad ſe pertinere voluit; myſterium Pacis, & vnitatis noſtræ in ſua menſa conſecrauit: qui accipit myſterium Vnitatis, & non ſeruat vinculum Pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe:* & ad ſequentia verba ſtatim: *O Sacramentum Pietatis, ô ſignum Vnitatis, ô vinculum Charitatis.* At quorſum potiùs, quàm alia Sacramenta, hoc dictum Pacis & concordiæ myſterium? Num quia in modum Conuiuij ex panis & vini materiâ remotâ inſtitutum:

Tacitus.

epulæ autem ſemper Amicitiæ pignus fuêre? Tacitus lib.2.cap 12. de Rheſcuporide Trachiæ rege: *Rheſcuporis ſanciendo, vt dictabat, fœderi conuiuium adijcit: tractâque in multam noctem lætitiâ per epulas, & vinolentiam, incautum Cotyn, ſacra regni, eiuſdem familiæ Deos, & hoſpitales menſas obteſtantem, catenis onerat:* Atqui & in aliis Sacramentis exiſtunt, quæ Pacem indicare valeant, nam in Chriſmate oleum eſt, quo Pax denotatur, Ambroſio ſtipulatore libro de Noë, & Arca, cap.19. & Sidonius in Præfatione Epithalamij Polemij, & Araneolæ,

*Oliua pacis ſymbolum.*

Sidonius.

*Quem Pacis ſimul arbor & iuuentæ,*
*Æternúmque virens Oliua ſignet.*

Sed quid his indigemus ſubſidiis, cùm per Baptiſmum peccati eluitur macula, & homo cum Deo conciliatur; per Sacramentum quoque Pœnitentiæ in gratiam Creatoris redit? quando igitur & Pacem, & Amicitiam alia generant Sacramenta, qua de cauſa effectus multis communis, vni tribuitur Sacramento? Sanè ex omnibus Sacramentis vnum Euchariſtiæ, Deum intra ſe claudit, nam ex vi verborum per concomitantiam etiam diuinitas ponitur ſub ſpeciebus panis & vini: Cùm autem ad diuinitatem ſpectet, vt hactenus oſtendimus, & eam maximè arguat, iniurias diſſimulare, hoſtes ad oſcula & amplexus admittere, Concordiæ & vnitati ſtudere; præclarè quidem Sacramentum Deum ambiens, Pacis Sacramentum nominatum, vt quanquàm aliæ cauſæ defuiſſent, vel ex hoc ſolùm, quod Deum complecteretur, non poſſit non gratiam, & conciliationem ſpondere: Quamobrem venuſtiſſimè Doctor gentium, cum intelligeret apud Corinthios dum in Eccleſiam conuenirent, ſciſſuras eſſe, atque diuiſionem, ſubintulit; *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam*

1.Cor.11.20. *cœnam manducare.* 1. Corinth, cap, 11. verſ. 20. Verùm nonne Chriſti manducabant Corpus? quid igitur negat Dominicam manducaſſe cœnam? Certè ideò, quia animi furorem non deponebant, quoniam adhuc ante ipſa etiam ſacra altaria tumultus ciebant, liuore rumpebantur, vltionem de hoſte in corde ſuo meditabantur: At Chriſti menſam tam execranda dedecent, nam Chriſti caput Diuinitas: eſt autem diſciplina Deitatis parcere conuitianti, deuorare iniuriam, bonum pro iniquo reddere; his cùm oppoſita Corinthij amarent potiùs, aſſeuerauit benè, *Dominicam non manducare cœnam.*

---

### *Iterandos eſſe crebrò virtutis actus: non ſufficere ad perfectionem, ſemel, biſve conari ſolùm.*

## SECTIO X.

128.

*Et Sponſa noſtra, & Magdalena plura ingeminant oſcula, quippe non vno ſolo perfectio acquiritur.*

PRo vulgati Tranſlatione, quo vnius oſculi poſtulatio ſignificata videatur, LXX. oſcula in plurali legiſſe monſtrauimus, *Oſculetur me* (inquiunt) *ab oſculis oris ſui*; curnon vna baſiatione contenta eſt Sponſa? ſcilicet, hoc Epithalamium eruditio eſt eorum, qui ad Perfectionis culmen anhelant; ſignificaturus igitur Spiritus ſanctus eiuſmodi ſemper magis, magiſque conari oportere, plura cumulauit oſcula: Forſan putabatis vno, alteróve oſculo arctiſſimum cum ſponſo fœdus initum, ſed ne, quæ multum dilexit, Maria Magdalena id conſequuta; Ex quo enim Dominus intrauit in domum Simonis, non ceſſauit oſculari pedes eius, Luc. cap.7. verſ.45. O quantus in vita ſpiritali error eſt, cogitaſſe primo ſpiritalis tyrocinij feruore, ſatisfactum eſſe ſtudio perfectionis, & licere in ſcala Iacob quieſcere, cùm hoc quod ſit feriari, ſit retrouerti? difficilis Ars eſt, quæ circa animam; frequenti incudis percuſſione opus, & vtinam vel ſic formetur in nobis Chriſtus! Sed teſtetur Ambroſius egregius Magiſter de Iſaac & Anima, cap.3. nam quanquam productus antea, ſed libet iterare, quando de repetenda ſæpius eadem re oratio

Ambroſ.

eſt; *Non vnum oſculum quærit, ſed plura oſcula, vt deſiderium ſuum poſſit explere: quæ enim diligit, non eſt vnius oſculi parcitate contenta, ſed plura exigit, plura vindicat, & ita ſe ampliùs Dilecto commendare conſueuit: Denique illa in Euangelio ſic probata eſt, quia non ceſſauit, inquit, oſculari pedes meos: & ideò remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.*

129.

Thren.3.30.

*Chriſtus opprobrijs ſaturatus, nos ad plura tolerãda, durè inſtruit.*

De Seruatore patiente loquutus Ieremias, Threnor.cap.3, verſ.30. *Dabit* (ait) *percutienti ſe, maxillam, ſaturabitur opprobrijs:* quæ neceſſitas ſaturari? Numquid non leuiſſimi conuitij perpeſſio ſufficiens? erant namque omnes actus infiniti valoris, proinde quolibet extinctum fuiſſet chirographum peccati, & Numen placatum, cur igitur pœnarum tanta ſitis? An vt hominibus charitatis probaret abundantiam, quæ vſque in dolorum ſaginam proceſſit? ſanè Chriſtus vnico actu meruiſſet hominibus delictorum remiſſionem, & vitam cum Deo ſine fine, ſed elegit pluribus exerceri modis pro noſtra inſtructione: ſignificauit igitur non vno vulnere Patientiam acquiri, & concupiſcentiam frangi, durum eſſe chalybem, ac proinde opus multis ictibus eum ad domandum. O quis ille eſt, qui gloriari valeat, de opprobriorum amariſſimis eſcis non tantùm probaſſe, ſed & vſque ad ſaturitatem! At & ego, meique ſimiles (ſi quem habere ſocium tam imperfectum poſſim,) ſaturamur quoque verùm leuiſſimâ iniuriâ: Heu quantùm dolemus, quantùm conquerimur; quas ducimus inſomnes noctes! quos irrequietos dies! quibus agitamur curarum fluctibus! quæ in offendentem machinamur! verùm quidem neceſſum eſt, ſi Patientiæ laurum reportare deſideramus, verberari iterum, ſæpiúſque, atque idem de reliquis virtutibus, quæ multoties deuorandæ, vt inhæreant ſpiritui. Hunc etiam diſcurſum Ambroſij muniet authoritas initio ſermonis decimi in Pſalmum 118. *& ſatiabitur* (inquit) *in opprobrijs: Non dixit, ſubibit opprobrium: facile eſt enim vnam, aut alteram contumeliam ſuſtinêre: Addidit: ſatiabitur in*

Ambroſ.

*opprobrijs, quo faciliùs Domini moueat miſericordiam, opprobriorum complurium deformitate miſerabilis.*

130.

Profectus ad Eliſeum Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, quem à lepra purgaret, miſit ad

4.Reg.5.10.

illum vates Nuncium, qui diceret: *vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis:* vbi ſtatim animum pulſat, quamobrem præceperit vti in ſeptem vices mergeretur, neque enim ſine miraculo redintegrata eſt priſtina ſalus; at qui ſic reſtituit, poterat ſanè & ad vnam reſtituiſſe ablutionem: cur igitur ſeptenairroratio? curnon ſatis lauari bis, teruè? Sanè poterat corporis ſalus vnâ conferri lotione, ſed vna hæc Animæ mundationem non declaraſſet, prout nobis conueniebat: exiſtimaremus nempè leui diligentiâ priſtinam deponi malitiam poſſe. O vide, quid in Naamano effectum ſit! *Reſtituta eſt* (ait

*Ad mundationem lepræ, non ſufficit vna lotio, ſepties in Iordane lauatur Naaman.*



4.Reg.5.14. (ait Textus) *caro eius ſicut caro Pueri paruuli, & mundatus eſt.* Reg.4. cap.5. verſ.14. nempè ſecundum myſterium, peccatorum, exuuio poſito grandium ſcelerum, quiſquam in tantam proceſſit innocentiam, vt quaſi modò genitus infans, & in Chriſto renatus cenſeatur: Sed hæc tam mirabilis conuerſio, quâ antiqui mali characteres delētur, non eſt vnius ablutionis fructus: ô quoties lachrymandum eſt, quoties dolendum, ſi modò lepra abigenda ſit! Septies igitur deſcendat Naaman in Iordanem, repetat eaſdem frequenter aquas, creber ſit, importunus; ita mundatur lues totum hominem deturpans. Guerricus Abbas

Guerr.Abb. ſerm.4. de Epiphania Domini: *Tandem, vix, ægréque obtinetur à ſuperbo peccatore, vt deſcendat in Iordanem, & lauet: Si tamen ſepties lauat, totúmque ſe pleniùs, & ſæpiùs mergat; non moratur effectus ſalutis fidem prophetico facere ſermoni: Sed proh dolor! quanta eſt huius noſtri miſeria temporis, quia non ſolùm diuites, ſed etiam pauperes leproſi, ita inueniuntur delicati, vt vix vſque ad talos ſalubribus intingi patiantur aquis: aut ſi ſemel lauerint, mox ſibi pleniſſimè videantur mundari: At Eliſeus non ita ſentit, ſed ſignanter exprimit, ſepties lauare, & mundaberis.*

131.

*Vt neque Sol, nec Annus in ſuis ceſſant, laſſantúrve periodis; Sic in via virtutis ſemper eundũ, & millies idem repetendum.*

Stupenda eſt, Chriſtianè expendentibus, Orbis huius adminiſtratio, quando per tot annorum ſeriem nunquam elementa laſſentur, nunquam aut ſolem æther terris denegauerit, aut fructus gleba ſubtraxerit, niſi per interuallum, neque tum vbique regionum. Quamobrem ex graui oratione tract.8. in Ioannem Auguſtinus: *Quis eſt enim, qui conſiderat opera Dei, quibus regitur & adminiſtratur totus hic Mundus, & non obſtupeſcit, obruitúrque miraculis?* Et Pſalmodus, cùm Numen magnificaret

Pſal.118.91. Auguſtin.

Oda 118. verſ. 91. *Ordinatione tua* (ait) *perſeuerat dies*; id eſt, Explanatore Ianſenio, *iuxta diſpoſitionem tuam dies in ſuo curſu ſemper perſeuerat, poſt noctē ſtatuto ſemper tempore rediens:* Sed hæc tã conſtans

Ianſenius.

temporum, & inuariata firmitas vnde proueniat? Dcam, quod Ethologiam iuuet: nimirum, repetit ſemper Mundus eadem; hic Annus præſentat quæ ſuperior; Æſtatem affert, Brumam, Autumnum, Veris Zephyros; Lux tenebris alternatur; generatio præterit, & altera locum tranſactæ occupat, nulla à longâ æuorum ſimilitudine nauſea. O ſi hoc intellexiſſent viri ſpiritalium diuitiarum, nequaquam obſtupeſcerent, quod nihil inueniſſent in manibus ſuis, cùm tamen diu interioris ſcholæ limina triuiſſent! poſt numeratos Monaſticæ plures annos, quid eſt quod poſterior dies priori deterior ſit, & in ſenecta vberi nihil de obedientia, nihil de mortificatione, nihil de vera humilitate? nempè interruptum eſt filum ſpiritalis ſtudij, tædium fuit geminare eadem, & cano deſpicienda fuerant capiti rudimenta inexercitatæ iuuentæ. O caluum caput, & nimium caluum, intus, foriſque ſimul, quæ te ita conſumpſerunt faſtidia ingrata exactioris diſciplinæ, & ſic comederunt robur tuum? Proloquatur modò Ambroſius, Temporum ſtabilem curſum attendens ſuper illis ex cap. 8. Geneſeos,

Geneſ.8.22. verſ.22. *Cunctis diebus terræ, ſementis, & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requie-*

Ambroſ. *ſcent*, qui libro de Noë & Arca, cap. 23. *Ergo ſemper in eadem recurſurum, dum in hoc mundo eſt, genus memorat humanum, vt cùm incipit annus, finiatur; cùm finitur, incipiat; non medio Mundus tempore reſoluatur: ita & Mens, quando aliquid videtur incipere, ad finem vſque contendat, & operis ſui terminum quærat: quando finit aliquod opus, non quaſi conſummato opere finiatur, ſed in alia recurrat opera, & ſemper incrementa virtutis exerceat: quandoquidem videt, quod in fructus ſuos ſemper terra renouetur, qui diuerſi aut vere, aut æſtate, vt in partibus Orientis, aut æſtate, autumnóque naſcantur, vt in partibus Occidentis.*

132.

Populum, quem de Ægypti ſeruitute in manu forti vindicauit Dominus, per eremum ipſos quadraginta annos traxit: *Dominus Deus tuus* (ex

Deut 2.7.

Deuteron.cap.2.verſ.7.) *benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit:* Sed cur diſplicuêre oppida, & populorum frequentiæ? Cur non ſaltem intermixtus ſeceſſus & vrbium curæ? Tandiu ciuitatum ſpectacula, choreæ, luſus, & omnifariæ interdictæ delitiæ? Sed hoc populi de Ægypto exitu, vulgatâ Allegoriâ intellecti, qui recens Mundo valedixerunt, & Cœnobiorum vitam amarunt. Proh, quale deſertum ſub illis noui ſtatus crepundiis! Quid non ibi ſolitarium? pecuniæ contemptus, honorum obliuio, veſtis & ciborum neglectus: Pater qui genuit, & Mater chariſſima derelicti, denique & ipſum ſe homo negat. O ſi per quadraginta annos ſic perſiſtat, & ſemper iiſdem immoretur votis! ô ſi in illa cordis primæua ſimplicitate! Sic tamen gradiendum eſt ſupra vulgus aſſurgere cupienti, hodie eremus, & cras, & in omnem vitam: Felix, qui in tanta potens eſt, quem tantæ vaſtitatis tædia non laſſarunt! His cognata apud Richardum de S.Victore tract.1. de exterminatione

*In vita Religioſa, ſicut in Hebræorum ex Ægypto migrantium ſolitudine, per 40 annos, imò per totam vitam proficiſcendum.*

Rich. Vict. Mali, cap.1. *Proculdubio non eſt eiuſdem facultatis, & felicitatis Ægypto exire, & eremum pertranſire, mundum relinquere, & ſeipſum vincere: illud vnius diei opus eſt, hoc vix poſt multa tempora explemus: durum, difficile, grande ſeipſum benè inſpicere, & plenè deſpicere, perfectè probare, & penitus improbare.*

133.

*Agar in Abrahæ thorum electa Saram deſpicit, & inde fit miſera: timeat vir in dignitatem elatus ne ſeu diſciplinæ negligentiâ ſiue prioris obſeruantiæ contemptu, cadat infelix.*

Sed non multi de Imperfectorum turba, quoad in minoribus verſamur, ſimulamus humilem, & trementem Spiritum; mox, ſi quando ſuper Candelabrum ponamur, ſiue Magiſterij, ſeu Præſulatus ornamentis condecorati, aliiſve ſpecioſis nominibus: poſt terga reiectamus prioris obſeruantiæ memoriam: Sed Deum immortalem quanto diſpendio noſtro! Habebat Agarem ancillam Sara, & auſcultabat Heræ nutibus ſubmiſſa: quouſque tandem? nempè donec Mater nuncupata eſt Iſmaële edito: *Sed tunc concepiſſe ſe videns, deſpexit Dominam ſuam,* Geneſ.cap.16. verſ.4. Fateor mutauit antiquas vias Spiritus humiliati, & ſobrij,

Gen.16.4.

noluit eaſdem calcare ſemitas, verùm non eſt hæc mutatio dexteræ Excelſi, talis tamen, quæ Malorum penè Iliadem inuexit: nam inde ſubſequutum, vt Sara affligeret, inde vt fugam meditaretur, & beſtiarum ſocia fieri mallet, quàm hominum torquentium eam acerbè: Nolite iugum excutere qui Deo vos mancipaſtis: Nolite extolli in altum, & diſciplinã odiſſe. Quis nouit poteſtatem iræ Domini, & ſi forte propter nouã Mentis ſuperbiam, ob conuulſam veterem fidem vlciſcatur, & arguat in furore ſuo? & quis poterit ſuſtinere indignationem eius? Quid ſi & illud contingat, vt fugam capeſſat aliquis Agaris in morem? & Apoſtata infelix, vagus, & profugus eat in damnationem? Gregorius Papa lib. 2. in 1.

Gregor.

Regum, cap.3. *Quidam námque Prælatorum Eccleſiæ Sanctæ Magiſterio ſubditi, rudes obediunt: Sed cùm paulò altiùs per conuerſationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam perſiſtunt: Quos benè Agar Saræ ancilla ſpiritaliter deſignat, quæ*

*cùm de Abraham viro eius concepiſſe ſe vidit, Dominam deſpexerit : Agar quippè concipit, quando reproba mens ſubditi, aut per eruditionem ſcientiæ ſe proficere, aut per vitæ conuerſationem credit : quæ profectò prægnans Dominam ſuam deſpexiſſe dicitur: quia iam præſidenti ſibi Præpoſiti ſui voluntati per obedientiam ſubdi dedignatur : Sed quæ Dominam deſpicit, ancillam eſſe perhibetur : quia ſuperbi, ſubiecti, & infirmi ſunt per elationem, & ad filiorum Dei numerum non pertingunt.*

---

*Sponſa, per Carnis aſſumptionem, Verbum cognatum habere optat, quo & Aduocatum, & defenſorem certum habeat.*

## SECTIO XI.

134. MAgna vis eſt Conſanguinitatis : etiam contra liuorem valet : Nam & Ioſepho fratres inuidebant, ſed commota ſunt viſcera Iudæ ſuper Puero : *melius eſt* (inquit) *vt venundetur Iſmaëlitis, & manus noſtræ non polluantur : Frater enim & Caro noſtra eſt.* Geneſ. cap.37. verſ. 27. Cerne quod allegat : *Frater* (ait) *& Caro noſtra eſt* : Potens etiam contra inuidiam Carnis nexus : Sciens igitur Sponſa poteſtatem eſſe Carni & ſanguini ad impetrandum, implorat diuinæ Hypoſtaſis cum humanitate coniunctionem ; ſi enim de noſtro limo induatur, frater noſter erit deinceps, os de oſſibus noſtris, & Caro de Carne noſtra ; non igitur ſuſpectus erit, vt qui in Patrem declinet ſolum, etiam ex Matre habebit : habens igitur de vtroque, à genitore diuinitatem, à Virgine paſſibilem naturam, ita indicabit, vt cùm Patri ſatisfactum ſit ad æqualitatem pro delictorum offenſa : tamen homines ſecum præclariſſimè actum putent, quos ſeruauerit, quibus cœli ianuas aperuerit. Cumulatè Bernardus ſerm.2.in Cantica : *Vt ex æquo partibus congruens Mediator neutri ſuſpectus ſit, Deus filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, & certum me reddat in hoc oſculo oris ſui : Securus ſuſcipio Mediatorem Dei Filium, quem agnoſco & meum : minimè planè iam mihi ſuſpectus erit: Frater enim & Caro mea eſt : Puto enim, ſpernere me iam non poterit os de oſſibus meis, & Caro de carne mea.*

Gen.37.27.

*Chriſtus, frater & caro noſtra.*

Bernard.

135. Innocuo Abele ſublato, impium germanum Numen alloquitur, inquiens : *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, Geneſ. cap. 4. verſ. 10. Quem in locum acutiſſimo ingenio Ambroſius lib.2.de Cain, & Abel, cap.9. *Et benè ait : Vox ſanguinis fratris tui clamat ; non frater clamat : hoc innocentia, & gratia germanitatis etiam in ipſa morte ſeruat : Non accuſat frater, ne videatur Parricida; non accuſat vox ipſius, non anima eius, ſed vox ſanguinis accuſat, quem ipſe fudiſti : tuum ergo te facinus, non frater accuſat :* At certè, quo pacto intelligendum, ſanguinem non eſſe hominis partem, vt quem Anima rationalis non informet, ac proinde dum vociferetur Cruor, alter & diuerſus quàm Abel clamare ſignificetur, oſtendimus ſuperiori Tomo, Anteloquio octauo, ſect.3. Sed illud tamen in Ambroſiano ſermone peregrinum ; Fratrem defunctum propterea non accuſare, ne ſi argueret, Parricida exiſtimaretur : Sed vnde hoc? nónne enim iniuſtè interfectus? Verùm, licet pro iniuſta nece vltionem Creatoris implorare, nam apud Ioannem, Animæ interemptorum propter Verbũ Dei clamant voce magna dicentes : *Vſquequò Domine (Sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iys, qui habitant in terra?* Apoc. cap.6. v.10. Ergo, ſi pro vltione os aperiat Abel, non erit inter Parricidas referendus. Equidem non latebat Mediolanenſem Antiſtitem doctiſſimum, tutum eſſe vindicatiuæ iuſtitiæ manifeſtationem à Deo petere, quo reprimantur impij; ſed tamen ne hoc, quod fieri valeat, germano quaſi decorum eſſe : Itaque ſanguinis atque ſubſtantiæ eiuſdem Communicatio etiam iuſtam vindictam prohibere debeat ; adeò nihil acerbum & hoſtile aduersùs cognatione fœderatos meditandum: idcirco igitur ab Ambroſio monitum, non fratrem, ſed Cruorem in terram effuſum clamaſſe. Ergo ſi tam mitis Abel, quale futurum Verbum poſt aſſumptam naturam noſtram, poſt conſanguinitatis vincula? Certè multò meliùs loquetur quàm ſanguis Abel, vt Paulus elegantiſſimè ſcripſit ad Hebræos cap.17. verſ. 24. Sed placet ex Ruperto Tutienſi docere. quemadmodum melius inclamarit ſanguis Seruatoris, qui lib.3. in Gen.cap.6. *Hæc terra cùm ſit rationalis, tantò præſtantior eſt terrâ inanimatâ, & inſenſibili, quantò ſanguis huius Abel, quem ſuſcepit, aperiens os ſuum in voce exultationis, & confeſſionis, melius clamat, quàm ſanguis illius Abel clamare potuerit ; ſicut Apoſtolus idem qui ſuprà, dicit : Sed acceſſiſtis* (inquit) *ad noui Teſtamenti Mediatorem Ieſum; & ſanguinis aſperſionem multò meliùs clamantem, quàm Abel : Nam ille ſanguis vnius tantùm hominis nefarium ſcelus accuſabat : hic autem pro omni Mundo interpellat, & Vniuerſorum peccata excuſat : ipſos quoque qui fuderunt illum, ad Pœnitentiam inuitat :* Benè igitur quod Sponſa Verbum conſanguineum habere aueat, quando ex Conſanguinitate fructus tam vberis indulgentiæ.

Gen 4.10.

Ambr.

*Abel quamuis nefariè interfectus nõ clamat in occiſorem, quia germanum: Sed eius ſanguis dicitur clamare; lõgè melius clamat Sanguis Chriſti.*

Apoc.6.10.

Rup.Tutien.

Parùm eſt, ſi pro nobis orat, ſi interpellat, niſi quoque & noſtras iniurias, ſuas æſtimet : Perſequebatur nouellam Eccleſiam Saulus, Damaſcum pergens, de cœlo clamatur ad eum, *Saule, Saule quid me perſequeris?* Actor. cap. 9. verſ 4. neque modò expendo quod triuiale eſt, ſcilicet dixiſſe; in ipſum ſæuiiſſe Paulũ, cùm magis aduersùm Eccleſiam ſtomacharetur ; Sed diſquiro, Cur non perſiſtente Synagogâ, audita aliquando de Conuexis talis querimonia, cùm tamen plurimi fuerint, à quibus vexata ſit Congregatio illa? Atque hoc interrogo illorum temporum ratione habitâ, quæ Seruatoris Natiuitatem præceſſerunt; nam quoad vixit ipſe, non multùm afflicta eſt Synagoga. Sanè & Chriſtus atque Eccleſia cùm in vno tertio conueniant, idem ſunt identitate ſpecifica, quatenus de eodem Plaſte : & cùm Caro & ſanguis vtrobique vnus, modo enarrato, conſanguinitatis gaudent neceſſitudine : igitur ad Conſanguineæ læſionem ſtatim proſilit Seruator, & non tam illam, quam ipſum peti, quandoquidem vnum cum ea ſit more aſſeuerato, inclamat, ideò Non, Cur Eccleſiam meam? ſed, quid me perſequeris? Auguſtinus tract. 28. in Ioannem : *Non enim Saulus ipſum, ſed membra eius, id eſt fideles eius in terra perſequebatur : Noluit tamen dicere, ſanctos meos, ſeruos meos, poſtremò honorabiliùs fratres meos, ſed me, hoc eſt, membra mea, quibus ego ſum caput.* 136.

Act.9.4.

*Saulus, in Eccleſia Chriſti conſanguineâ, Chriſtum ipſum perſequitur, vnde de cœlis conqueritur in illum Ieſus.*

Auguſtin.

Diues ille, cuius Purpura, & byſſus indumentum eius, è loco tormentorum in Abrahamum ſuſpiciens : *Pater Abraham* (ait) *miſerere mei, & mitte Lazarum*, &c. Luc. cap.16. verſ.24. Cur Patrem vocat ; nec enim quod ex ſtirpe Abraham fuerit, nouimus ; Quod ſi Pater ſecundum imitationem ſpiritaliter intelligendus, nequaquam Abrahæ fidem, virtutem, probitatem conſequi ſtuduit : 137.

Luc.16.14.

*Abrahamum Diues Epulo ab Inferis Patrem appellat, quaſi naturæ vinculo ſibi coniunctum ſtatim exoraturus.*



Chryſolog.

ſtuduit : Quamobrem Chryſologus ſerm. 122. *Modò cognoſcis Patrem, & modò tibi Patrem ſe eſſe neſcit, quem in Lazaro Patrem ſic ſpreuiſti.* Et ſerm.123. *Qui genitoris opera non facit, negat genus, Domino ſic docente : Si filij Abrahæ eſſetis opera Abrahæ faceretis : ille fidem generis probat, cui tantus paterni operis Aſſertor aſſiſtit :* Si igitur non Filius Diues, cur Patrem nuncupat Abrahamum? Sanè cruciabatur vehementiſſimâ ſiti miſerandus : volebat autem emollire Patriarchæ animum : nihil autem ſic potens occurrit, quàm ſi genitorem appellaret ; ſciebat enim vinculum Naturæ & ſanguinis plurimum, & quanquam ementitum nomen proferebat, ſperabat tamen vel ex ſono verborum remedia, neque poſſe iniectâ Patris mentione vacuam penitus reuerti orationem : & puto conſequutus fuiſſet nonnihil, ſi extra loca Tartari in hoc mundo fudiſſet preces : Ac ſanè tanta Conſanguinitati cùm ſit Authoritas, à qua ſolamen, ſtygiæ paludi dicata nequiſſima capita expectent, peritè Sponſa Conſanguineum optat fieri ſibi Verbum, quo cum fiducia accedat ad thronum Dei, & repulſam non ſuſtineat.

138. Detenebremus iuxta hæc, Arnoldi Carnotenſis verba in illud : *Mulier, ecce filius tuus*, nam de Apoſtolo, quem diligebat Ieſus, locutus : *Loco filij* (inquit) *poſitus es, & vt vicem in Matre ſuppleas, ordinaris, nec abnuit te Mater Sancta Vicarium, licet longè imparem, & inferioris tituli : intueor igitur quadrigam, quâ currendum eſt ad Patrem, ſic debere diſtingui ; vt per te ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filiũ verò attingere poſſit Pœnitentis affectus ad Patrem :* itaque ex Genitore, Gnato, Maria, Ioanne ferculum quadrigarium confletur, & Pater ſit, quem Filius exoret, Filium Genitrix interpellet, Genitricem ſpecialis amoris Diſcipulus. Sed cur non Simon Petrus Apoſtolicæ ſcholæ vertex, honorem tantum mereatur potiùs, quàm Ioannes? Currui trahendo idoneus eſt, vt qui fortis atque robuſtus, aduersùs cuius ſoliditatem neque portæ inferi præualere valeant : Dices, ſignificare Carnotenſem voluiſſe, quantum poſſit cum iuſtitia & ſanctitate coniunctum ſanguinis vinculum, ac proinde copulaſſe eos, in quibus Naturæ participatio, & ſubſtantiæ conſimilis, nam & Filius à Patre diuinitatem accepit, & Gnatus à Matre Carnem ; Deiparæ autem non Petrus, ſed Ioannes lineæ, & cognationis comparticipatione vnitus ; nam eius Matrem Salome, ſororem fuiſſe Beatæ Virginis ſunt non pauci, qui opinentur, vti animaduerſum à Maldonato ad cap.20. Matthæi verſ. 20. Verùm ſi ob hanc cauſam prætermiſſus Apoſtolorum Coryphæus, cur non delecti alij ex Diſcipulis, in quibus conſanguinitatis effulgebant tituli, videlicet Iacobus Maior Ioannis germanus, aut alter Iacobus Minor, nuncupatus frater Domini? Sed ecce maior quàm horum cognatio Ioannis, nam & filiatio acceſſit pariter, ex quo ad Mariam dictum: *Mulier, ecce filius tuus* : de qua filiatione vt ſit intelligenda, aptè Arnoldus eodem loco : *Vices filij naturalis filius accepit adoptiuus, & transfunditur in miniſtrum filialis affectus ; formatúrque, & firmatur in ambobus pietatis vnicæ gratus, concórſque complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ.* Igitur cùm in Ioanne eximia ſanctitudo, & huic adiuncta ſit maior neceſſitudo cum Virgine, ipſe imprimis idoneus, qui pro hominibus apud Deiparam intercedat, qui quadrigæ componendæ adhibeatur.

Arnold. Carnot.

*Quanta Ioãnis Euangeliſta prærogatiua, ex eo quod Chriſto conſanguineus & Deiparæ filius adoptiuus.*

Idem.

Vexatus ab ingratiſſima prole ſupra modum Dauid, cùm ad prælia cogeret, præcipuos Ducum obteſtatus eſt, *Ioab, & Abiſai, & Ethai, dicens: Seruate mihi Puerum Abſalom.* Reg. 2. cap. 18. verſ.5. Quódnam eſt tuum hoc conſilium ô Rex? Nónne, vt parcendum eſſet multis, tamen Coryphæum ciuilium bellorum de medio tollere oportebat? quæ Pacis ſpes ſuperſtite ambitioſo Adoleſcente? Ille vinctus & catenatus ſimulabit ad tempus, ſed datâ occaſione rurſum ſæuiores machinabitur inſidias : permitte occidi, & libera trementes populorum animos tyrannidis metu: At non poteſt Dauid ; ô non poteſt, quoniam Filius eſt, quoniam ei coniunctus ex ſanguinibus, & voluntate Carnis : Hauriamus perpulchram Ambroſij Commentationem ſerm. 14. in Pſalmum 118. ad illa : *Voluntaria oris mei beneplacita*, &c. *Pius Pater dicebat profecturis ad prælium : Parcite filio meo Abſalom : tacebat improbitatis gradum, & nomen neceſſitudinis proferebat, vt pugnaturi non Aduerſarium Regis, ſed Filium cogitantes, dolorem læſæ Pietatis inhiberent.* Ergo Dauid tantùm abeſt, vt ſtomachetur in Abſalonem, quin magis Aduocatus & orator illius ſit, atque ex doctæ Rhetoricæ Canone, quem amor Naturæ ſuggerebat, celat quæ bilem mouere poſſint ; quæ emollire valeant, aperit, ideò probè animaduerſum ab Ambroſio, *tacuiſſe improbitatis gradum, Neceſſitudinis protuliſſe titulum.* Igitur non & paria cum homine, cuius naturæ particeps factum ſit, Verbum agat : multa ingratitudo filiorum Adæ, ſed non hoc æterno Patri Chriſtus præſentat, ſed quod fratres illius ſunt : itaque ſi cum hominibus Conſanguinitatem ineat, habebunt in eo Protectorem, & locum refugij. O dulce peccatori Nuncium, quando plus confert ad veniam Chriſti conſanguinitas, quàm ad torturam poſſit delictorum enormitas! 139.

2.Reg. 18. 5.

*Dauid de ſalute Abſalonis beſtis infenſiſſimi ſolicitus, vt pote filij.*

Ambroſ.

Volebat Numen, vt huius Mundi optima creatura Homo, non more ſeruili ad nutus Creatoris formidaret, & totis concuteretur artubus; ſed amaret fiduciam habens : quid, vt hoc conſequeretur, cogitauit? nempè ſtatuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam fingere, atque fecit ; Nam vbi ſimilitudo, ibi filiatio, aut hanc quod æmuletur ; qui verò filius, timore vacat, nec enim genitor in viſcera ſua immoderatus eſſe conſueuit: percipiamus à Chryſoſtomo hom.26. ex variis in Matthæum : *Non vult ergo Deus, vt timeatur ab hominibus quaſi Dominus, ſed vt diligatur quaſi Pater: Nam ſi conceperimus ab initio creati hominis cauſam; intelligemus, quia Deus ſe magis Patrem voluit eſſe hominum, quàm Dominum : non enim dixit tantummodò, faciam hominem ; ſed faciam hominem ſecundum imaginem noſtram : Similari autem conuenit filijs ad Patres ſuos, non autem ſeruis ad Dominos ſuos :* Ac ſan in hac Chryſoſtomi admonitione ſalubre adhibetur Regnantibus documentum, vt diligi à ſubditis plus velint, quàm metui ; quod vt contingat illis, ſtudeant ſe Patres, non Dominos prob re. Verùm ad præfixi ſcopum ſermonis : Certè ſimilitudo inter Deum & hominem effecit, vt non abiectè homo timeret, ſed amaret ſuauiter, diligeret reuerenter ; Ergo Sponſa oſculum oris flagitans, poſtulat, vt homini ſimilis Deus efficiatur Carnem induens paſſibilem : quænam inde emolumenta? Sanè ne deinceps conterritus homo abſcondat ſe à facie Dei, velut egerat Protoplaſtus in horto amœnitatis : equidem præciſâ gratiâ iuſtificante homo per ſimilitudinem naturalem Trinitatis, ratione trium potentiarum, 140.

*Deus hominẽ ad imaginem ſuam creauit, quaſi filium, vt ſe magis amaret, quàm timeret.*

Chryſoſt.

non

non erat Filius Dei, niſi largo modo; & tamen illa qualis qualis filiatio ob ſimilitudinis poteſtatem, metum adimebat: igitur potiori iure, cùm ſtrictior ſimilitudo ab eiuſdem ſpeciei natura, non erit quod poſt incarnatum Verbum, homo trepidet, Aduocatum habens, qui Patri reconciliet.

*Principi faciendum, & cuiuis Antiſtiti, quæ ſubditos facere deſiderium eſt.*

## SECTIO XII.

141. EMphaſim habet, quod ſe nominatim exoſculandum iri à Verbo Sponſa exoptet: *Oſculetur* (inquit) *me!* quid eſt *me?* id eſt, non Angelum, non impaſſibilem hominem, ſed qui frigora ſentiat, qui nuditatem, qui inopiam, qui opprobria ſuſtineat, & nouiſſimus virorum reputetur: Talem Ducem concupiſco, qui in laboribus hominum ſit, & cuius Anima vſque ad mortem triſtetur: Sed quare in tali figura Altiſſimi Filius? ô certè! dedit enim Pater mortalibus in caput & Præceptorem: hortaturus autem erat, Mundi vt deuitarent illecebras, Crucem tollerent, ſeipſos abnegarent, eſſéntque peripſema pro Dei amore; quomodo hæc amplexarentur ſi aliud verbis, aliud loqueretur operibus ipſemet? aut quonam pacto ſubtraherent ſe laborioſis quibuſque officiis præcedente Rege æternitatis? At, quemadmodum hoc loco à Sponſa, Filij Dei Incarnatio

Pſalm. 14. 5.

exoptata, ſic à Dauide Pſalm. 143. verſ. 5. *Domine* (ait) *inclina cœlos tuos, & deſcende, tange montes, & fumigabunt*: Verùm, vt deſcendat Numen, cur neceſſum orbes Empyreos ſimul inflecti? Vide, ne cœlorum nomine, fortaſſe Spiritus Angelici ſignificentur, certè præpotentes quæque, & excelſiores virtutes: Sed contemplare, quemadmodum priuſquàm Verbum Caro factum ſit, Angelicæ mentes (ſic cogitemus more humano) quaſi dedignabantur Mortalibus pares referre honores: Nam cùm Ioſuë apparuiſſet vnus, cecidit ille pronus in terram, & adorauit, cap. 5. verſ. 15. & tamen Hebræorum Duci nec ſe inclinauit, nec prohibuit ſubmiſſionis notas: At verò, poſtquam in Carne apparuit Deus, cùm ad pedes Angeli prolaberetur Ioannes, non ſuſtinuit, inquiens,

*Angeli poſt Incarnationē, à Chriſti exemplo ſubmiſſi magis erga homines.*

Apoc. 19. 10. *Vide ne feceris, Conſeruus tuus ſum.* Apoc. cap. 19. verſ. 10. Quamobrem ante Incarnatum Numen adorari ſe Angeli permittunt, poſtea reſpuunt? Nempè viderant Dei Filium deſcendentem & Regis exemplo moti, ipſi ſe quanquam cœli, inclinarunt: Scilicet, in nocte cœnæ quando tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, perſpexerant ad Iudæ impuriſſima veſtigia procumbentem; linteo tergentem; quod igitur à Rectore ſuo perpetrari cernunt, ingrauatè peragunt, nihil apud eos contemnendum, nihil vile, poſtquàm arriſit capiti. Hoc igitur eſt cœlos inclinari, quia nempè viderant cœlorum Monarcham deſcendentem. Hanc cogitationem Bernardus aliquo modo inſinuat ſerm 5. de Dedicatione Eccleſiæ, dum aſſerit: *Quidni mittat Angelos, pro quibus & ipſe à Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cœlos, pro quibus ipſe quoque cœlorum Rex inclinauit ſe, ita, vt digito in terram ſcriberet: Domine inclina cœlos tuos? Parum eſt; & deſcende.*

Bernard.

142. Remuneraturus Chriſtus electos, præmittit merita: *Eſuriui enim* (inquit) *& dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & cooperuiſtis me: infirmus & viſitaſtis me: in carcere eram & veniſtis ad me.* Matth. cap. 25. verſ. 35. Sed demiror vt vnus tot Paſſiones ſuſtinuerit: Nónne ſatis vel infirmum, vel ergaſtulo coërceri, vel ſitim pati, vel nuditatem? vt quid omnis collectio malorum ſimul? Conſidera ſubditorum & Antiſtitis impares leges. Subditus vno grauatur onere, Prælatus omnibus; Subditi eſt vnius officij deuorare moleſtias; Superioris cunctorum: Itaque de particularibus vnus fame atteritur, alter ſiti vexatur, alium nuditas vexat, alium amiſſa valetudo; Sed hi vt ſine querela dolores tolerent, opus eſt videant Gubernatorem, & ſitientem, & fame enecari, & veſtibus indigentem; ſi enim ſibi indulgentem cernant, cùm illi opprimantur, detrectabunt iugum facilè, & Tragœdias excitabunt. O Principatus emolumenta, vnus vt cogatur infinita ſubire onera, modò Præfecti nomen dignè ſuſtinere velit! ô duram quæſtionem, ſi quando ab Epiſcopo exigatur magno Iudice poſtulante, quoties eſurierit cum fameſcente Paupere, quoties ſitiuerit, Carcerem vbi ingreſſus ſit, veſtem ſi detraxerit, vt cooperiret lacerum? Saluianus lib. 4. ad Eccleſiam: *Ego plus addo aliquid, Chriſtum non ſolùm egere cum cæteris, ſed plus multò egere, quàm cæteros; in omni enim Pauperum numero non eſt vniuerſorum omnium vna Paupertas: ſunt enim quidam, quibus etſi veſtimenta deſunt, alimenta non deſunt; multi ſunt hoſpitio egentes, veſtibus non egentes; multi domo carentes, ſed non ſubſtantia; ſunt denique, qu bus, etſi deſunt multa, non deſunt omnia: Chriſtus tantummodò ſolus eſt, cui nihil eſt, quod in omni humano genere non deſit: Nullus ſeruorum ſuorum exulat, nullus frigore, ac nuditate torquetur, cum quo ille non algeat; Solus cum eſurientibus eſurit, ſolus cum ſitientibus ſitit, & ideò quantùm ad Pietatem illius pertinet, plus quàm cæteri eget: Omnis enim egeſtuoſus pro ſe tantùm, & in ſe eget: Solus tantummodò Chriſtus eſt, qui omnium Pauperum vniuerſitate mendicet*: ô bonum Ducem! Dira pertulêre Apoſtoli, Martyres ſæuiſſimis affecti ſuppliciis, mortificati tota die Anachoretæ: ſed curni ferant tā grauia ſub Imperatore apud quem, *Nullus ſeruorum exulat, nullus frigore & nuditate torquetur, cum quo ille non algeat?* Nihil de impatientia eſt, quando laborum comes, qui virgam portat.

Matth. 25.

*Chriſtus cum paupere eſurit, ſitit, peregrinatur, nudus eſt, infirmus, incarceratus, &c. Superior optimus.*

Saluian.

143. Hebræorum exercitus, dum per eremum graditur, quaſi impaſſibilitatis prærogatiuâ donatus, neque enim aut Calceamentum, aut veſtes temporum expertæ iniurias, Scriptore ſacro teſtante, Deuteron. cap. 8. verſ. 4. *Veſtimentum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt*: Eadémque iterum cap. 29. verſ. 5. atque Eſdræ lib. 2. cap. 9. verſ. 21. Quin & Toſtatus quæſt. 1. cui adhæret Bonfrerius veriſimile putant, Puerorum integumenta vnà cum ætatis adauctione, incrementa cepiſſe: Cur hoc miraculo vſus Creator? Sanè tantorum populorum ſpecialis Dux, & Imperator Deus ipſemet fuit, *Dominus ſolus Dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus*, ait Moyſes, in Cantico magno Deuteron. cap. 32. verſ. 12. & cap. 33. Exod verſ. 15. *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto: in quo enim ſcire poterimus ego & Populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant ſuper terram?* Igitur, cùm Deus ſtatuiſſet Imperatorem fieri Hebræorum, putauit ad Ducis pertinere authoritatem, vt qualis ipſe fuiſſet, eiuſmodi cognatum aliquid in ſubditis eluceret:

Deuter. 8 4.

Deut. 32. 12. Exod 33: 15.

*Deus Iſraëlitici exercitus Imperator, vt ſenij & vetuſtatis incapax, ſic in ſuis aliquod perpetuæ Iuuentæ ſpecimen edit ſanè mirum.*



ceret: Cùm igitur Numen ſuapte natura vetuſtatis, & ſenij incapax, cui delabentia ſecula nihil officiunt; huius perpetuæ iuuentæ imitationem aliquam in milites tranſtulit, dum per quadraginta annos, neque calceus, neque vel chlamys, vel tunica læſa fuerit; ratus ita demum Imperatoris munere egregiè ſe functum, quando vel ſerui Dominorum potirentur honoribus pro modulo ſuo, vel Domini in famulorum deſcenderent onera: Hoc, ſi non deſipiam, Chryſologus innuerit ſerm. 69. *Miro Contubernio Iſraëliticis Deus conuerſatus in caſtris: numeroſas gentes nunc ferit fulmine, nunc tangit grandine, nunc ſolo tubarum clangore proſternit: vt ſine conflictu, ſine vulnere Deus ducat victrices acies, quas præcedit: nimirum*, quoniam ipſe plagæ incapax eſt, vult vt ei legiones, quas ductat, aſſimilentur, ideò *ſine conflictu, abſque vulnere.*

Chryſolog.

144. Inſignes victorias adepti Gedeon, & Abimelech Filius eius: verùm propterea de Hoſtibus triumpharunt, quod pares cum ſtipendiariis labores ipſi pertulerint, imò in diſcrimine ipſi primi fuerunt, nam dum Madian adoritur Ierobaal, ad præliaturos conuerſus: *Quod me* (inquit) *facere videritis, hoc facite: ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero ſectamini*, Iudicum cap. 7. verſ. 17. ô dignam Imperatore vocem! Non miror ſi cum puſillo numero confertiſſimas imicorum turmas fuderit: *Quod me* (inquit) *facere videritis, hoc facite:* Vna omnium noſtrorum ſors, nomen tantùm Ducem ſecernant, non pericula. De eius verò ſobole Abimelecho, cùm Sichimorum turrim igni conſumere tentaret, materiam incendio laturus, arreptâ ſecuri præcidit arboris ramum, *impoſitúmque ferens humero, dixit ad ſocios: quod me videtis facere, citò facite:* Iudic. cap. 9. verſ. 48. quod alacres, & cum feſtinatione perfecerunt. Nilus Abbas in Aſcetico loquens de Prælatura: *Cùm enim verbis quidem facilè putant imperare, quamuis grauia ſint imperata, factis autem docere nihil volunt; perſpicuè indicant ſibi non eſſe propoſitum, vt audientibus proſint, ſed vt imperando ſuæ ſatisfaciant voluptati: diſcant ſi velint ab Abimelech, & Gedeone homines non verbis, ſed factis ad imitandum deduci, dum ille quidem lignorum ſarcinam componit, & compoſitam geſtat; quemadmodum* (inquiens) *videtis me facere, facite vos: hic autem opus commune priùs aggreditur; quod à me* (inquit) *fieri cernitis, idem & vos facietis.*

*Factis imperandum eſt exemplo Gedeonis, & Abimelechi, non verbis tantùm.*

Iudic. 7. 17.

Iudic. 9 48.

145. Fameſcente toto Iſraël, in tantam egeſtatem prolapſus Elias, vt humanis omninò deſtitutus ſubſidiis, miraculo alendus fuerit, ſiue cùm panem & Carnes deferunt Corui; ſeu quando hydria farinæ, & lecythus olei perdurant ſupra Naturæ vſum, Reg. 3. cap. 17. Cur tantam inopiam ſuſtinere coactus Vates? Equidem erat ipſe velut Pater totius Iſraëlis, idcircò *Currus Iſraël, & Auriga* nominatus ab Eliſeo Reg. 4. cap. 2. verſ. 12. Porrò ob eius orationem fames totum regnum occuparat, itaque quod vexarentur tam graui plaga Prouinciæ, ipſe in cauſa erat: Si igitur immiſsâ ſubditis eſurie, ipſe ab omni iniuria liber, ſecurus ageret bonis affluens, tyrannum arbitrarentur, quem aduerſùs alios crudelem cernerent, ſibi verò parcentem, atque in ſeditionem irent: Nunc autem intuentes inopiâ etiam laborarē, cùm ſe in tales anguſtias coniecerit, meritò cogitaturi ſint ob Numen placandum, & diuinam arcendam vltionem feciſſe potiùs, quàm ob iram, mentíſve aliquā amarulentiam: itaque ſuſpiciones omnes iniquas propellunt ſimul ac aſpiciunt Patrē, & Aurigam Iſraël miſeriarum partem non recuſare, & ea ſuſtinere, quæ alios pati coëgerit ipſemet. In hanc ſententiam Chryſoſtomus ſerm. de Elia, tom. 1. *Et quid facit? Prophetam vnà cum populo punit, vt dum etiam ipſe famis ſupplicio comprehenditur, aliquid miſericordiæ in relaxando ſententiæ ſuæ iuramento addiſcat.*

*Fameſcente populo Iſraëlitico, fameſcit & ipſe Elias, Currus Iſraël & Auriga eius.*

4. Reg. 2. 12.

Chryſoſt.

146. Bis à Moyſe, ſitiente Hebræorum populo, è duriſſimo ſaxo aquæ eductæ, cap. 17. Exodi, iuxta Horeb; & Numerorum cap. 20. in Cades: nam duplicem fuiſſe vndarum emanationem, & ſeparatam, ex diuerſis circumſtantiis colligunt benè Cornelius & Bonfrerius; & quanquam vbique miraculum, ſed obſtinatior ſecundò Cautes, nam bis verberare neceſſum fuit, Numerorum cap. 20. Quamobrem non ad primum ictum ceſſit? vti Exod. cap. 17. Vel, cur opus aut hic, vel illic ad verbera deſcendere? Quare non ad vocem Moyſis & Aaron proſiliêre latices? Num, vt duritia plebis, & Cor ſignificaretur incredulum? Eſto quidē Percuſſionis ea ratio, ſed qua de cauſa in deſerto Sin propè Cades iterata verberatio exigitur, quando etiam iuxta Horeb præceſſit incredulitas in vulgo, & ad ſimplicem ictum tamen aquæ fluxerunt? Dicet quiſpiam, maiora ſupplicia promeruiſſe reincidentiam incredulitatis, ac propterea non emollitum primo ictu ſilicem: Conièctor tamen & aliter enodari poſſe in fauorem eius, quem proſequimur, diſcurſus: Sanè, quando vnam ad verberationem ceſſit lapis, tunc ſolius Populi incredulitas obſtabat; cùm verò bis percutiendus fuit, adiuncta eſt etiam Magiſtratuum incredulitas, Moyſis nimirum & Aaronis: indicatum igitur, tantùm potuiſſe fidei imbecillitatem duorum Magiſtratuum, quantùm propè innumeræ plebis; vt ſi multitudinis ægra fiducia de Numinis potentia atque virtute, in cauſa, vt virgâ feriretur ſaxum, antequam fluenta laxaret; cùm acceſſit gubernatorum incredulitas, iterum percutere neceſſum fuerit. Equidem cùm ex ſua malitia ſubditi delinquunt, conamine opus eſt, ſed tamen ad vnam plagam durities ſuperatur; At ſi nequitiæ ſuæ velamentum habeant ſimilem in Prælato negligentiam, tum multâ fortitudine opus ſit, & geminato verbere edomanda contumacia: probátque ſanè noſter Bonfrerius ad cap. 20. Numerorum, venialem exceſſum ſolum fuiſſe, quo & Moyſes, & Aaron commaculati ſunt; nihilominus, quoniam à Capite noxa, quamuis leuis, velut moram diuinæ beneficentiæ interpoſuit, ne inuocata primo adfuiſſet ictui, & manarent incunctantes dulciores riui: Author de mirabilibus ſacræ Scripturæ lib. 1. cap. 32. *Semel in Horeb* (ait) *percutitur petra, vbi tantùm populi infidelitas notatur: in Cades autem deſerti Sin, ſaxum bis cæſum pulſatur: ibi námque infidelitas in populo, & in duce dignoſcitur:* Quamobrem Pſaltes inclamat hymno 41. verſ. 10. *Quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus, dum confringuntur oſſa mea.* De oſſibus præcipuus eſt dolor vati, nam ipſa quæ ſolidiora, robuſtioráque ſunt, Reipublicæ columnas innuunt, Præfectos, & Senatores videlicet; plangit itaque ſuper horum confractione, ſciens, quoniam ſi feriatur Paſtor, facilè diſpergentur oues, & languente Magiſtratu, populus corruet: Auguſtinus in eum Pſalmum: *Non carnes meas tantùm, ſed etiam oſſa mea: vt in quibus putabatur eſſe aliqua fortitudo, videas cedere in tentationibus, vt cæteri infirmi deſperent, quando vident fortes ſuccumbere! quanta iſta pericula fratres mei?* Rectè indicauit Auguſtinus

*Bis percutitur Silex pro aquis, ob incredulitatem Moſis & Aaron licet Venialem ſolùm.*

Author. Mirabil. Script.

Pſal. 41. 10.

*Languente Magiſtratu corruit populus:*

Auguſt.

ſtinus,quorſum de oſſium confractione metuendum ; quia ſcilicet infirmi intuentes robuſtos deficere & vacillare, eorum commoti exemplo ſic nutabunt ipſimet, tantum vt in deſperationem non incidant.

---

### *Animæ Perfectionem concupienti, ſub exordio præſertim Conuerſionis, hominum irriſiones, & vana pronunciata deſpicienda.*

## Sectio XIII.

*Negligit Spōſa plebis ſeu ſociarum rumuſculos, dicteria, ſcōmata.*

147. SPonſæ Acta, quæ primus hic verſus ſubindicat, ſi attentiùs perpendamus, vel ebriam computabimus,vel ſenſibus amotam : Quis enim non tale quidpiam arbitretur, ſi videre fortaſsè datum de media plebe Virginem aliquam, quæ neque cenſu abundet, neque Maiorum ſplendore glorioſa exiſtat, & tamen Principis nuptias ambiat ? Sed cùm ad has aſpirare non verecundetur,& ſe præferri nobiliſſimis Puellis, in quibus ſimul & ingenium & forma; apud quas & multa ſubſtantia, & varia, diuéſque ſupellex flagitet; non tamen ſaltem Dynaſtæ adblandiatur, non beneuolentiam captet, non ſupplici agat prece; ſed quaſi ex imperio effata, prorumpat, & tanquam iubeat,inquiens, *Oſculetur me oſculo oris ſui?* Quare ſcitè Bernardus addubitare viſus, num ex cella vinaria prodierit, quæ ſic alloquitur : qui ſermone in Cantica 7. *Quid enim? reſpicit terram, & facit eam tremere, & iſta ſe ab eo poſtulat oſculari? ebriáne eſt? ebria prorſus : & fortè tunc, cùm ad iſta prorupit, exierat de cella vinaria, quò ſe nimirum introductam poſtmodum gloriatur : Nam & Dauid de quibuſdam dicebat Deo; Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Equidem de huius Epithalamij finibus,vt aliàs monuimus, Animam docere Chriſtianam, quibus gradibus ad Perfectionis culmen ſcandendum viro deſideriorum : Solet autem recèns pœnitentibus offendiculo ſummo eſſe, (nam veterani & prouecti contempsêre) irriſiones, & ſcommata vanorum hominum, qui nouæ & teneræ adhuc iuſtitiæ inſultant. Heu ! quantos ſuffocauit mala hæc Satanæ aſtutia, vix à portu ſoluentes ! quantos in Ægyptū poſtliminio retraxit,& ad vomitum concitauit? Docet igitur Sponſa fortiter eſſe huiuſmodi calcanda virtutis ſtudium ingreſſuro : ſic omninò oportet ſe obuallare, & perfrictæ contra ſimilia frontis eſſe : propterea à ſe tanquam alienata ſanctè Virgo hæc; quid ſociæ Puellæ dicturæ ſint, quibus eam proſciſſuræ modis linguæ mordaces, non curat, non reputat; ſolùm non iraſcatur Dilectus, cui potiùs iſta placitura nouit, tota ſolicitudo eſt : Quamobrem ſubnectit, vbi ſuprà,Bernardus pulchrè:*O quanta Amoris vis, quanta in Spiritu libertatis fiducia! quid manifeſtius, quàm quod perfecta charitas foras mittat timorem?*

Bernard.

Bernard.

148. Geneſ. 9. 20. *A maledicto Cham irriſus Noë, Tyronem in ſpiritualibus ſignat ſugillandum, ſed à maledictis.*

Renaſcituri Orbis ſemen Noë, & Filij eius, vxoréſque; *Cœpitque Noë vir Agricola exercere terram, & plantare vineam, bibénſque vinum, inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.* Geneſ.cap.9. verſ. 20. Vt quid homo ob multos titulos venerandus incoopertus ita? Annon præſentit & veretur futurum,qui ſugillet, & exprobret, qui in cachinnos ſoluatur præ irriſionis enormitate? Erit ſanè, qui turpitudinem Patris reuelet, erit qui iocetur,erítque ſpernens: Sed hic erit de maledictis,Cham nempè Pater Chanaan,qui idcircò ſeruus ſeruorum erit fratribus : quàm longa & tarda manebunt ſupplicia vnius horæ leuem riſum! A progenie in progenies ibit vindicta. Sanè Noë,qui Orbem rurſus redintegraturus ſit obliterato veteri malorum charactere, Hominem repræſentat, qui vel per Baptiſmatis vndas, vel per lacrymarum fluenta, corde oculos aſſociante, præterita delicta, & iuuentutis ignorantias deleuit.Nec mirum ſi huiuſmodi Noë inebriato comparemus, quando eidem hominum Mediatorem Chriſtum Beatus Laurentius Iuſtinianus conferre non aſpernatur, qui de triumphali eius Agone, cap. 7. *Amore* (inquit) *ebrius Mediator ſuam coram omnibus exhibuit nuditatem : alter equidem Noë præfiguratus.* Hic igitur talis nouo muſto diuinarum Conſolationum efferueſcens, ea peragit nonnunquam, quæ filiis ſæculi ſtultitiæ ſunt, cui & Helleborum opus eſſe putant : ô ſi ad has venefici incantantis irriſorios ſermones fiat ſicut homo mutus,& non audiens! Quis ſcit qualem per eum reformationem perpetrandam meditetur Numen in cogitationibus Pacis ſuæ?Nec tamen qui ſic loquuntur aduerſum nouum athletam linguâ doloſâ, & impediente vias Domini, impuniti abituri ſint,nam elongabitur ab eis ſicut à Cham benedictio, & induent maledictionem ſicut veſtimentum, & intrabit ſicut aqua in interiora eorum, & ſicut oleum in oſſibus eorum.

Laurent. Iuſtinian.

*Gratiam Ieſu promerentur laceri & exploſi Gabaonitæ: Hos vel Saül inſequatur, ſed non inultus.*

Venerunt Gabaonitæ,vt gladium Hebræorum declinarent, fœdúſque inirent cum Ioſuë,ſed venerunt, *Saccos veteres aſinis imponentes, & vtres vinarios ſciſſos, atque conſutos, calceamentáque perantiqua, quæ ad indicium vetuſtatis pittacijs conſuta erant*, Ioſuë cap.9. verſ. 4. Cur ſub tam deformi apparatu? Non vident contemnendos iri & ab exteris, & à domeſticis, quibus tam exiguus, & vilis cenſus? Sed nihili faciunt ſcommata, dummodò promereantur gratiam Ieſu victoris, & pereuntibus reliquis Chananæis, ipſi ſalui fiant. Sed quinam ſpiritales Gabaonitæ, niſi qui ſpretâ mundanâ pompâ, Seruatoris vitam æmulantur ſub Pædagogo Monaſtico? O quale ſpectaculum, videre generis claritate ſublimem,qui epulabatur quotidie ſplendidè, cuius purpura & byſſus indumentum eius, intra Religionis ſepta lacero cum amictu,cum attritis calceamentis, pane & obſonio vulgari contentum, iis perfunctum officiis,quæ lætitiâ incredili ſuſcipit, ad quæ agaſones vix ſe dimittant! Eia pergite, germen illuſtre,ſic conciliabitur vobis Ieſus : Scio, quoniam cognati veſtri dolebunt, ſi conſpexerint tales, Nouiſſimos vtpotè virorum, & toto cœlo diuerſos ab antiquo homine; erunt & Filij Belial, qui vos fatuos appellabunt; ſed nihil iſtorum moueat : Veniet tempus quando illi pronunciabunt: Nos inſenſati vitam eorum æſtimabamus inſaniam, & ſine honore : vltionem ſumet omnipotens de irridentibus vos, & ipſe ſubſannabit eos: certè miſeros Gabaonitas vehementer perſequutus eſt, addens ſuper dolorem vulnerum eorum, ſuperbiſſimus Rex Saul : Sed qualem de eius filiis vindictam ſumpſerit Numen, Regum præmonſtrat Hiſtoria lib.2.cap.21. verſ.1. Rectè Serarius noſter quæſt.22.in cap.9.Ioſuë,num.12. *Gabaonitarum imitanda etiam modeſtia, quos primò non puduit vilioribus amiculis pannoſos ad caſtra hoſtium, in Ioſue, Principúmque conſpectum venire : ſe horum, totiúſque populi ſeruos profiteri : deinde fieri calones, & lixas, id eſt, viliſſima quaſi mancipia viuere :* Deinde quæſt.24. *& hi ſanè, licet hoc in ſeculo*

149. Ioſuë 9.4.

Serarius.



*videantur coram hominibus maledicti : Deo tamen adeò cari ſunt, vt ſi eos quis lædat, etiam Saul, & Rex quiſpiam, eorum vindicet acerrimè iniuriam.*

150. *Et inaures dabit Idololatra ludibrio expoſitus : Nō item veri Dei cultor.*

Sed quid mirum, ſi pro veri Numinis amore, & reuerentia fideles agant,quod in gratiam commentitiæ Deitatis idololatræ facere non dubitant? Pertæſus populus Hebræorum,Dei ſanctiſſimi, qui in mirabilibus liberauit eos de poteſtate Pharaonis,imperium fabricari ſibi ab Aarone ſimulacrum poſtularunt : Sed ille volens explorare,quantus eſſet erga nouam ementitam diuinitatem inſipientium animorum ardor, iuſſit ſibi porrigi inaures aureas de vxorum, filiorúmque,& filiarum auribus,Exod.c.32.v.2.rectè námque Abulenſis q.10.in præfatum caput; *Quia hoc erat difficile, ſcilicet, quod mulier daret ornamenta corporis ſui : nam ſi petiniſſet alia vaſa aurea, aut argentea miniſtrationis domeſticæ, libentiùs, & magis ſine præiudicio dari poſſint, hæc autem ornamenta difficulter darentur; ideò ſic ſaltem eorum importunitatem Aaron coërcêre voluit, ſed non valuit :* Verùm, quamobrem tanta difficultas in his concedendis xeniis? nempè, quoniam abſque his pueri & fœminæ deformes apparerent, atque ſi ab aliis conſpicerentur, vel contemptui eſſent, vel irriſui : Arbitratus eſt igitur Sacerdos Aaron à concepta inſania, nullo potentiori antidoto reuocari poſſe, quàm ſi eis eiuſcemodi propoſuiſſet conditionem,quæ ignominiam afferret,dedecus,opprobrium;modò amplexarentur, nulla enim tam valida robuſtioris affectus probatio,quàm famæ,& honoris diſpendium : Heu! properantibus in gehennam nulla ardua obſtacula; tantùm pro æternaturis ſegnes! Perbellè Oleaſter in hunc locum : *Imperat virtus, & dormimus : annuit vitium, & iam currimus : Si ab vxore aut filia monile auferas ad bonum aliquod, vix totâ die fletum, & turbationem domus compeſcere poteris; nunc verò tam facilè ſe pretioſis ſpoliari permittunt ad idola : vix Aaron verba finierat, quando iam omnia iocalia, & pretioſa ſua ad eum adducunt : clamat autem Pauper per horam ad oſtium, & vix fruſtum panis porrigere dignaris!*

Toſtat.

Oleaſter.

151. *Ornatus depoſitionē Hebræis edicit Dominus, vt inde cachinnis expoſitam probet eorum pœnitentiam.* Exod.33.5.

Magnum fuit crimen Vituli adoratio poſthabito dulciſſimo Numine à quo tot beneficia receperant,qui,velut Aquila prouocans ad volandum pullos,in humeris ſuis eos portauit; ſed tandem Moyſe Interceſſore in gratiam veniunt Creatoris, at vide quid præcipiat eis : *Iam nunc* (inquit) *depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.* Exod. c.33.v.5. Ambigua quæſtio eſt,quid ſignificatum ornatus vocabulo; & plura comminiſcuntur tam Rabbini,quàm noſtrates : melior cogitatio Abulenſis q.7.& aliorum ex Nuperis præſertim : *Dicendum eſt ergo* (ait) *quod iſtud ornamentum erat pretioſitas veſtium, quia ipſi tulerant de Ægypto veſtes bonas :* & planè indicat Textus LXX. Seniorum: Νῦ οὖν ἀφέλεσθε τὰς στολὰς τῶν δοξῶν ὑμῶν ϗ τὸ κόσμον: *Nunc igitur deponite ſtolas gloriarum veſtrarum, & cultum ſiue ornatum:* Sed quare iubet ſtolas exuere gloriarum,id eſt,quæ decorem, & gloriam accreſcebant?nimirum, peccauerant ſimilia agendo in gratiam Vitulini idoli,& Numen intendit vt in iis plectantur,in quibus deliquerant:Deinde vult vt pro vitæ perennis acquiſitione tantùm agant, quantùm pro ſeculi voluptatibus : denique voluptas eſt, dæmoni & vitiis bellum inferre per eadem inſtrumenta,per quæ quondam abominationi deſeruierant.Sed exceptis his alium fuiſſe ſcopum autumo:nempè, præ ſe ferebant de infanda idololatria magnos animorum æſtus, & dolorem cordis intrinſecum : Deus igitur probare volens, num firmus eſſet luctus, & genuinè flerent,abiici imperat quod in monilibus & veſte delicatū erat, quibúſque forma corporis adiuuabatur:Quorſum verò eiuſcemodi inuentum?Videlicet,cùm ſic viderent incomptos alij,ſine decore & gloria,quam & veſtes,& monilia conciliabant,deſpicerent citò,irriderent,ſibilis, & cachinnis exciperent : Si igitur talia ſcommata cum animi æquitate ſufferrent,& ludibria iniquorum hominum conſtanter tolerarent, probabant tali patientia veram fuiſſe pœnitentiam:nam ſinceræ Conuerſionis præclariſſimum ædepol indicium, ſi de Mundi erronea opinione nullū pondus. Talis Maria Magdalena, quæ neque prandij horam reuerita, non virorum conuentum, non Phariſæi certam indignationē, ſoluit crinales nexus,capitis venuſtatem;gauiſa,ſi deformis à foris videretur, cuius iam omnis gloria eius ab intus. Egregiè Oleaſter in hunc Exodi locum:*Non libenter videt Dominus peccatorem feſtiuis veſtimentis indutum: Sed quemadmodùm dedecent iuſtum veſtimenta lugubria; ita & peccatorem indumenta iucunditatis : Conſiderate quæſo peccatricem illam, cuius ſacra meminit Hiſtoria, qualiter ad Saluatorem, non ornata, ſed ſolutis crinibus venerit verecunda; vt non auſa fuerit faciem Chriſto oſtendere, ſed eam capillis ſuis operuerit, vt retrò ſteterit : Tu ergo, qui à Domino Deo tuo veniam requiris, ornamentum depone.*

Toſtat.

LXX.

*Magdalena Pœnitens inornatum & irriſionem ambit.*

Oleaſter.

152. *Immolanda filia Iephte ſuam primùm in ferendis opprobrijs patientiam probat : Hæc ſi conſtans patiatur, iugulū præbebit intrepida.*

Morti ex voto deſtinata victima Iephte filia, inducias à genitore expoſcit duorum menſium, quibus Virginitatem defleat cum ſodalibus,Iudicum cap. 11. verſ. 37. Quis huius petitionis ſcopus? Nam ſi abſque prole diſcedere mœror eſt, quippè amarum illis temporibus ſemen non reliquiſſe in Iſraël, cur non in vnius ſaltem anni circulum ſupereſſe exoptat, vt marito tradatur, & prole gaudens,læta collum ſecuri præbeat,paterna quam vibret dextera? Sin poſteritatis amor non vexat, vitæ autem deſiderium occupat, cur non dulci frui æthere in longiora ſpatia nititur, & ſaluo genitoris verbo, animam vtique reddat, ſed poſt vnum, alterúmve ſaltem luſtrum? Quod ſi fugam meditari ſub corde latet, & dolus ſtruitur bimeſtri morâ, cur tanta in redeundo fides eius, quam ſyluæ abſcondere poterant? Affabrè Ambroſius lib. 3. Officiorum, cap. 12. *Nec fletus æqualium mouit Puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præterijt, nec fefellit hora : redijt ad Patrem quaſi ad votum rediret, & voluntate propriâ cunctantem impulit :* Quæ igitur ita ſub æui flore vltrò ſe percutienti obtulit,quę de prole relinquenda non conſuluit,quam vitæ productiores termini non ſolicitarunt, planè amabat Virgo Deo iugulari, erátque validus affectus, quem nec Mors deterrebat; ſed probari affectum ſuum difficili experimento cupiebat, idcircò procraſtinauit ſacrificij diem: nempè cùm maledicta haberetur infœcunda & ſterilis in Iſraël; exprobraturæ erant luctus comites,cognatæ,& amicæ fœminæ; quod ſine poſteritate abiret ex hac luce:nihil ſic fatigabat mulierum Hebræarum pectora, atque huiuſcemodi contumelia : quoties quaſi vnam de ſtultis Virginibus nominarent,quæ nuptias deſpiceret : Dura equidem tentatio pro more illius Nationis : vt igitur perfectam ſe offerret hoſtiam, voluit ante cædem ſic probari; rata,ſi conſtanter linguarum tuliſſet iniurias, ſi deſpexiſſet opprobria exprobrantium illi infœcundam vuluam; tum demum coronari poſſe illius fidem, & ſecuram poſſe expectare gladium, quæ intrepida ſuſtinuit hominum irriſiones,atque ſcommata.

Ambroſ.

*Euchariſtiam dignè manducantem, in Chriſtum quodammodò transformari.*

## Sectio XIV.

153. PRobauimus oſculo velut conari Amãtes ſpiritum hinc,inde bibere,vt quoad fieri valeat, vnũ ſint,quorũ Anima quaſi vna:itaque in altero quiſque potiùs ſit,quàm in ſe,videlicet, vbi amat plus quàm vbi animat;nihil proinde ſapiat,nihil velit, nihil cogitet præter alterius velle. Vt hæc intelligenda ſint,dum Literã explanaremus, oſtẽdimus;nunc ad Myſtica referamus;ac ſanè,quãdo Ambroſ.lib.5.de Sacramentis,cap.11. de viuifico Altaris pane verſum hunc declarat;equidem ſi Literæ enodationẽ germanè cupiamus aptare, pulchrè dicturi ſumus, & in manducatione corporis Chriſti euenire,quod in oſculo contingit;nimirũ, & qui ad menſam tanti Principis accedit debita cũ præparatione,eius induere quandã ſimilitudinẽ,in ipsũ velut trãsformari. Audiamus à Cyrillo lib.4.in Ioan.c.17. *Sicut enim,ſi quis* (ait) *liquefactæ ceræ aliam ceram infuderit,alteram cum altera per totũ commiſceat:Sic neceſſe eſt,ſi quis Carnem, & ſanguinẽ Domini recipit, cum ipſo ita coniungi, vt Chriſtus in ipſo,& ipſe in Chriſto inueniatur:*quæ ſanè non ſunt intelligẽda,vt phyſicè vnũ reſultet ex Chriſto,& manducante,ſed cùm intimè ſubſtantiæ hominis iungatur,potentiora ſint vincula Spiritus;vt homo ille,in cuius ſtomachũ hoſtia ſacroſancta intrauit,ſi feliciter percepit,atque admiſit,in alium virum deinceps tranſeat,in quo tantũ Ieſus quodammodò reluceat;Ieſum in victu referat, Ieſum in verbis,Ieſum in inceſſu,Ieſum in operibus;planè vt cũ Apoſtolo & ipſe cũ ſpiritus fiducia dicere valeat: *Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus* ad Galat.c.2.v.20. Et hoc illud apud Auguſt.lib.7.Confeſſionum,c.10. *Cibus ſum grandiũ, creſce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te,ſed tu mutaberis in me*; denique & apud Ioan.c.6.v.57. *qui manducat meam Carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet*: hanc igitur ſui in Chriſtum quandam transfigurationem per corporis ſacratiſſimi communicationem Anima ſupplicat, dum orat & poſtulat,*oſculari ab oſculo oris.*

*Manducatione corporis Chriſti,in illum velut transformamur.*

Cyrillus.

Galat.2.20.

Auguſtin.

Ioan.6.57.

154. Viſum à Ioanne ſignum magnum in cœlo,*mulier* nẽpè *amicta Sole & Luna ſub pedibus eius.* Apoc. c.12.v.1.Græca habent, περιβεβλημένη τὸν ἥλιον,hoc eſt,*circumamicta Sole*, vt Sol vndique cooperuiſſe videatur;Quare,Sole ita corpus & lineamẽta eius fœminæ omni ex parte celante,cõtingebat,inſpicientibus apparere transformatã illam mulierem in Solẽ,quando quod cernebatur,Sol erat,ſiquidẽ eo mulier vndequáque velata; id namque innuit *circumamictam eſſe.* Firmat hanc cogitationẽ Chryſoſtomi effatum hom.24.in epiſt.ad Romanos ſub finem: *Ad eum modum & de Amicis dicimus*(inquit) *is illum prorſus indutus eſt, multam dilectionem, irremiſsúmque conuictum ſignificantes:indutus igitur id eſſe videtur,quod indutus eſt*: ergo ſecundum hæc, cùm mulier iſta Solem induerit;nam eo circumamicta eſt,Sol ipſa potiùs, quàm fœmina computabitur, ſiquidem iuxta Chryſoſtomi mentem, *indutus id eſſe videtur, quod indutus eſt*: in Solem ergo quaſi transformatam fuiſſe cenſebitur. Sed quænã hæc mulier,aut quiſnam ambiens ſiderum Monarcha, & irradiãs? Sanè Phœbo ſignificari Chriſtũ communis æſtimatio eſt,ex vulgari Epitheto Solẽ iuſtitiæ appellante:fœminã,Eccleſiam volunt;referunt & ſatis piè ad Virginem Beatam; Acquieſco nunc veſtigationi noſtri Alcazarij putãtis de primitiua Eccleſia ænigma interpretandum;ſit eũ in morem; ſed quo pacto Eccleſia hæc in Chriſtum velut transformata,ſi quidẽ eũ veſtiuit,& induit? Equidem ſub Chriſtianitatis exordio in feruẽtiſſimis pectoribus magna fames Euchariſtiæ,quam etſi quotidie manducarent, verùm cum ſingulari Spiritus munditie, & nitela accedebant,præmiſſa exhortatione,& adiunctis orationibus,Actor.c.2. v.42.*Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum,& communicatione fractionis Panis, & orationibus*:quando igitur iis conceſſum,qui digna cũ reuerentia ad hanc menſam appropinquant, vt in Chriſtũ tranſmutentur;rectè,vt hoc in ea Eccleſia ſignificetur,cuius fideles de altaris pabulo quotidie reficiebãtur,Chriſtũ induta ſub characteribus, & Hieroglyphicis oſtendatur Eccleſia,quãdo quo quiſquam induitur,id eſſe dicatur, quemadmodũ Chryſoſtomus aſſerebat.Et planè Chriſtũ induerãt deuotiſſimi illi Catholici,in ipsũ trãsformati, quando eius vitam perfectè repræſentabant,quod eſt illum induere, in eúmque tranſire, ſiquidem aliud non norant,quã Chriſtũ,cúmque crucifixũ.

Apocal.12.1. *Primitiua Eccleſia fuit* Mulier amicta Sole, *Chriſto, in cúmque trãſmutata per frequentem Euchariſtiæ ſumptionem.*

Chryſoſt.

Actor.2.42.

155. Simile his quidpiam apud Dauidẽ Pſ.64. v.14. *Induti ſunt arietes ouium,& valles abundabunt frumẽto*,cuius verſus primam partem Hieronymus trãſtulit:*veſtientur Agnis greges:*Secundam multi verterunt,*valles operuerunt ſe frumento, vel accingentur, amicientur,obtegentur,induentur frumento:*proſequar vltimi hemiſtichij ſenſum, nam ex eo prioris,idẽ vtpote innuentis, ſubinferri poterit: Igitur qui dicit coopertas iri valles,indicat, propriam quodammodò amiſſuras ſpeciẽ,cùm id tantùm ingeratur intuentiũ luminibus,quo velatæ ſunt,quando germanæ formæ lineamenta conſepulta ſint, obtegente illam à quo ſuperueſtitur:Sed cur non æquè dixit ſuperinduendos mõtes? nunquid non & in collibus frumenta etiam? Aut cur certè ſingulariter frumento amiciendas valles aſſeuerauit? Cur reiecta Olea, cur Cedrus? cur & deſpecta hortenſia?Sed quidem de transformatione ſermo eſt,quandò ab indumento ſumpta Metaphora, vt mõſtrabamus ex Chryſoſtomo,Numero anteriori;quando verò transformamur,aut in quẽ?nempè in Chriſtum cùm de ſacratiſſimo Angelorum pane communicamus:rectè igitur per frumentum potiùs quàm per Oleam,vel Myrtum,aut Cedrum transformatio,quando per Euchariſtiam. Sed attende vt non montibus promiſſa in Chriſtũ quaſi commutatio,ſed vallibus,quoniam mõtes,ſuperbos,& inflatos exprimũt; valles,humiles & manſuetos indicant;igitur ſi quis multâ cum Spiritus ſubmiſſione ad ſacrum altare accedat, antiquis velut ſpoliatus coloribus, Chriſtum deinceps ad viuum perhibebit, vt in eum transformatum eſſe nemo non facilè annuat, cùm eius in poſterum mores Chriſtum referant, Chriſtum apertè proclament:Sic verba Pſalmi myſticè exponit Commentarius ſub Arnobij titulo. Vultis, vt iſta declarem non inerudito fortaſſis exemplo:Adamabat impensè Dauidem & ſanè quaſi animã ſuam, Anima namque Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid; ergo in Dauidẽ trãsformatus quodãmodò Ionathas, quãdo Amor ex diligẽtibus vnũ faciat, vti expẽſum à nobis in Literæ enodatione,& cõſiderat Toſtat.q.1.in c.18. lib.1. Regum:Sed memorato capite, ſtatim vbi ex duobus ſpiritibus quaſi vnam compactam mentem ſignificatũ, ſubnectitur,v.4.*Nam expoliauit ſe Ionathas tunicâ,qua erat indutus,& dedit eam Dauid,& reliqua veſtimẽta ſua,vſque ad gladium & arcum ſuum & vſque ad balteum:*

Pſal.64.14.

Hieronym. *Piæ Animæ,* valles *humiles*,abundant *& obteguntur* frumẽto, *Chriſto in Euchariſtia.*

*Transfiguratur Dauid in Ionatham,indutus eius veſtimentis.*

Toſtat.

1.Reg. 18.4.



Toſtat.

*teum*: vbi luculentè Abulenſis q.9. *Iſtud inducitur hîc ad probationem præcedentis dicti,ſcilicet quod diligebat Ionathas Dauid ſicut animam ſuam, & manifeſtatur in opere,quia mox exuit ſe veſtibus ſuis, & dedit eas Dauid:*Verùm nónne poterat alio etiã donorũ genere Amorẽ ſuũ Dauidi ſatis probaſſe,vt ſi vel præfecturâ condecoraſſet, vel auri talẽta dediſſet, aut iugera agrorum?Iterum Abulenſis q.10.*Viſum eſt autem Ionathæ,quod nullum erat conuenientius donũ pro tunc,quàm veſtimenta,& arma:ideò quanquam Ionathas potuiſſet dare Dauid pecuniam magnam, vel aliquid alterum,quod eſſet maioris precij, quàm veſtimenta & arma,dedit tamen iſta, quia magis conueniebant;quia Ionathas tunc non dabat donum aliquod Dauid vt eum ditaret,ſed vt ei affectionem nimiã demonſtraret:nihil autem erat,per quod tantùm poſſet indicari affectio Ionathæ ad Dauid,quantùm dãdo ei veſtes ſuas omnes.* Sed quare nihil? Scilicet Amor,vt dicebamus,transformat diligentem in amatum: quamobrem continuò ibidem Toſtatus, *nam ille,qui intensè amat,iam non eſt ſui iuris, cùm anima veriùs ſit vbi amat,quàm vbi animat iuxta Dionyſium libro de diuinis nominibus*; quando igitur Amoris vi iam vnum & Dauid & Ionathas; magíſque in Dauide Ionathas quodammodò,quàm in ſeipſo, affectiuè ſcilicet non phyſicè;opus vt deinceps Dauid ſub Ionathæ notis & indicibus,quę ſunt veſtes,appareat; ſic enim iudicabitur Dauid eſſe Ionathas, quando apud Dauidem ea, quæ Ionatham præmonſtrabant: ergo, cùm ad ſubindicandam eam, quæ per amorem facta eſt, transfigurationem, Textus Regum venuſtè docuerit, Dauidem Ionathæ veſtibus coopertum; Scitè idem Dauid, vti moneret,cum deuota humilitate ad ſacram accedentes menſam,in Chriſtum quaſi conuerti, dixit eiuſmodi Chriſtum ſibi induere, & Vallis atque frumentorum ſymbolo expreſſit.

Idem.

Idem.

156. Diſcedebat Elias;& petiit à Magiſtro rem difficilem Eliſeus, vt fieret in diſcipulo præceptoris Spiritus duplex;ecce raptatur in aëra Elias,& pallium ſubmittitur Eliſeo, & *leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat* ei,Reg.4.c.2.v.13.Quid eſt,quod ad eum Melota deſcendit, qui nihil de veſtimentis poſtularat,ſed Spiritum implorauit? Scilicet,eius precibus indultum,& vaticinij, miraculorúmque gratiâ donatus, qui duplex Eliæ Spiritus; ſed ex hoc iam in Eliam Eliſeus transformatus: quid enim defuit,quando idem met vtriuſque Spiritus? igitur vt hanc,quæ per Spiritus communicationẽ facta eſſet, velut tranſmutationem perciperemus,& intelligeretur Eliam tranſlatum in diſcente eodem prædito Spiritu quaſi remanêre, neceſſum, vt iiſdem contegatur veſtimentis Eliſeus, quibus obtegebatur Elias,nam Spiritus tranſmutatio non alio meliori notâ humanis oculis eluceſcat,quàm veſtium operimento,vti nuper monſtrabamus de Ionatha & Dauide: proinde vt percipiamus Eliſeum quaſi commutatum eſſe in Eliam Præceptorem ſuum; chlamyde eâdem tegatur, qua Magiſter amiciebatur. Diſceſſurus ex hoc mundo mitior Elias Chriſtus Ieſus, Patrem obteſtatus eſt,inquiens;*vt omnes vnum ſunt,ſicut tu Pater in me,& ego in te,vt & ipſi in nobis vnum ſint*, Ioan.c.17.v.21. perpende ſingulariter illud: *ſicut tu Pater in me*,nimirum imago eſt Verbum,& ſpeculum diuinitatis paternæ;omnia quæ repræſentat genitori æternâ & inexhauſtæ comprehenſionis intelligentiâ, eadem Verbum exprimit: Supplicat igitur, vt quemadmodum in Filio perfectiſſimè tranſlucet Patris diuinitas; & natus ſpeculum ſit,in quo Pater perfectiones ſuas ad amuſſim contempletur: Sic & homines ſancti & credentes quoad fieri valeat, Deum in ſe repræſentent, & ſpeciatim, quem miſit Ieſum Chriſtum propitiationem pro mortali genere; itaque Deo in Chriſto ſeruatore configurentur; hæc grati oratio,cùm inſtaret profectio de hoc orbe;& certè aſſecutus in plurimis, qui conformes Filio in tantùm,ne vnus ſuo, aliorúmque nomine vereretur proclamare, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: Quando igitur hanc transformationem ex morum ſimilitudine à Genitore obtinuit,quid putatis, fecerit? Certè veſtimenta ſua nobis reliquit,ſtolam primam,& pallium, vt cùm vſque ad veſtem haberemus,nemo dubitaret cum eo vnum factos, in eum per voluntatem bonam & fidelem commutatos; eſt enim Amictuum donatio, Amoris, proinde & tranſmutationis pignus, vt num. 155. philoſophabamur de Ionatha & Dauide.Sed quando vel ſtolam,vel pallium nobis legauit? Sanè conceſſit corpore ſacratiſſimo nobis relicto, nam hoc pallium & ſtola, Geneſ. c.49.v.11.de quo pronuntiatum,Diodoro,& Caietano aſſertoribus apud Lippomanum: *Lauabit in vino ſtolam ſuam,& in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Sed ne ab Eliæ aſcenſu mutuatæ Allegoriæ obliuio nos capiat, auſcultemus Drogoni Hoſtienſi, libello de Sacramento Dominicæ Paſſionis:*Amplius te tuus non videbit Eliſeus: remanſit tamen ei pallium tuum in memoriam tui, vt præſentia abſentiæ tuæ dolorem eius ſemper & augendo leniat,& leniendo augeat: hoc ſumite* (ait) *in meam commemorationem, hoc eſt Sacramentum Corporis tui,quod ſumimus in tui commemorationem corporis donec venias: pallium tuum, Caro tua eſt,qua veſtitus ad nos proceſſiſti*: Ac tanto certè lætata indumento pia Anima, tam glorioſè adornata plaudat,& exultet cum iubilo, cantétque in diebus iuuentutis ſuæ Domino,de Iſaiæ Metro cap.61. verſ.10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit Anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me,quaſi Sponſum decoratum corona, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis*; vbi pro veſtimento ſalutis transferri poſſe legitimè ſecundum Hebræa, Leo Caſtrenſis aduertit: *Induit me veſtimento Ieſu, vel induit me veſtimentum Ieſum.* Induit ſanè veſtimentis Ieſu, ex quo Carnem ſuam ſacratiſſimam manducandam tradidit, nam hanc eſſe veſtem Ieſu oſtendimus, cùm ſit & pallium eius, & ſtola illius, quam in vino & ſanguine vuæ ob noſtri amorem, ſtillantibus cruoris diuini riuis,lauerat.O ſæpè beatam Mentem,quæ talem meruit veſtem, non timebit à frigoribus niuis; neque ei nocebit Sol, neque Luna per noctem: quid dixi? Si tranſierit per ignem, non comburetur ab eo; ſi intrauerit aquas, non ſubmergetur ab illis; ſi conſurgant in eam caſtra, non pauebit; cadent à latere eius mille, & decem millia à dextris illius: Veni dulciſſime & operi nos,ne fortè quaſi Adam fugiamus, & abſcondamur à te,timentes, quoniam nudi ſumus.

4.Reg.2.13. *Idem pallium Eliæ & Eliſei eundem in vtroque Spiritum indicat.*

Ioan. 17.21.

*Sumẽtes pallium & ſtolã Chriſti, hoc eſt, eius Corpus in Euchariſtia, transformamur quaſi in illum,& vnũ cum illo ſumus.*

Diodor. Caietan. Lippoman. Gen.49.11.

Drogo.

Iſai.61.10.

Leo Caſtr.

# VESTIGATIO II.

## Explanatio Grammaticalis, & Humana in alterum Hemiſtichium verſus primi, primi Capitis Cantici.

*Textus*: Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. *cap.*1. *verſ.*1.

*NON me latuit, huius ſententiæ tria poſteriora vocabula in ſecundum reijci verſum, à quibus ille exorditur; ſed quoniam eorum ſenſus, pars eſt antecedentis orationis, placuit eodem ſub titulo copulare. Scio quoque ex Hebræorum punctatione, ipſam Epithalamij inſcriptionem primum verſum conflare, vti & Vatabli habet tranſlatio, neque à noſtro prætermiſſum Delrio; at quoniam vulgata Biblia, præſertim Sixti & Clementis authoritate caſtigata, aliter numerant, libuit omnino horum prætuliſſe diſpoſitionem.*

*Vnguentorum honeſtus & Medicus à principio vſus: Matthæi illuſtratus Textus; abuſio ingens ſequuta: ex Sapientiæ libro dictum: inde contemptus pigmentorum: qua moderatione Chriſtiani ſe vngerent; quàm profuſè res ſacras? Pſal. 132. verſus: Hebræis plurima & frequentiſſima vnctio: varijs Bibliorum ſententijs lux; Sophoniæ noua: ex Iudæorum corporibus fætor, & quam ob cauſam? Sponſæ vnguentis præparatæ ante genialem diem: Scripturæ locis non paucis, fax aliqua.*

### SECTIO I.

1. *Varius & optimus vnguentorum vſus.*

NON illaudata vnguenta, modò ſobriam nanciſcantur mentem: Cerebrum iuuant, cordi medentur, artus vegetant, frontem exhilarant, laſſis ſolatio fuêre, contagia auerterunt, honeſtam voluptatem nutriunt. Do fideiuſſorem Clementem Stromatæum, quanquàm aliàs ab eo & ſuffitus, & odoramenta acriter vapulent: Secundo de Pædagogia, c.8. *Medici cùm cerebrum eſſe frigidum per diligentem naturæ contemplationem cognoſcerent; pectora eſſe vngenda ſentiunt, & ſupremas Naſi partes; vt ſenſim tranſiens calida exhalatio, eius frigiditatem poſſit rectè ſouere.* In hanc eandem mentem Athenæus Dipnoſoph. lib.15.cap.14. *Hortatur videlicet, vt ſibi vngat pectus, in quo ſedes eſt cordis, tanquam odoris ſuauitate Cor recreetur: hoc autem apud veteres fuit olim factitatum, non ideò tantùm, quod naturâ vapor odoris à pectore ſurſum in caput efferatur, ſed etiam, quia in corde ſit animi domicilium, vt aſſerunt Philotinus, & Praxagoras illuſtres Medici.* Cæterùm & irrorari verticem vnguentis ſuauioribus, ne potus noceret, docet eiuſdem libri cap. 18. & nardino ad hæc perfundi monuit libro 2. Certè Magdalena alabaſtritem Nardi piſtici & precioſi in coma Seruatoris effregit, cùm Calicis inſtitutionem proximè meditaretur, eius qui præclarè inebriat, Matth. cap. 26. Sed & libro duodecimo prodit de Demetrio Phalereo, vnguentis faciem oblinere ſolitum, vti aſpectu hilaris & venuſtus appareret. Legimus quoque apud Matthæum de vultus iucunditate: *Tu autem, cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans:* cap. 6. verſ. 17. Et quoniam aduersùs peſtem Antidotum, Herodianus lib. 1. de Romanis Ciuibus: *Quocirca in ipſa quoque vrbe de Medicorum ſententia, plerique vnguentis ſuauiſſimis nares, atque aures opplebant, ſuffitúque, & odoramentis aſſiduè vtebantur, quod meatus ſenſuum (vt quidem dicunt) odoribus illis occupati, neque admittunt aëra tabificum, & ſi maximè admiſerint, tamen eum maiore quaſi vi longè ſuperari.* Verùm & laſſos refouere, Iſaac Presbyter ſignificat libello de contemptu Mundi, c.45. *Ne corpus tuum expone, vt ab hominibus videatur, & ſi de via feſſus, oleo paululùm vngi volueris propter itineris laborem; pedes tuos tantùm ſic vngi permitte, vt eos retegi verearis.* Et in hæc commoda cùm intenderet Plinius, voluptatem illius à Romanorum populo, *inter laudatiſſima, atque etiam honeſtiſſima vitæ bona, admiſſam* ſcripſit, lib. 13. cap. 1.

Clem. Alex. — Athen. — Matth. 6.17. — Herodian. — Iſaac Presb. — Plinius.

2. *Vnguentorum balneorúmque abuſus.*

Sed quod in Balneorum vſu contingit, quæ abſtergendorum vnguentorum causâ adinuenta, Senecâ Patre teſte, epiſtola 86. idipſum atque vnguentis euenit, tranſlatâ ſobriâ vtriuſque iucunditate in luxum: Rectè Artemidorus Daldian. lib. 1. Oneir. cap. 66. *Sed aut bello reuerſi, aut magno labore tranſacto digreſſi lauarentur: erat igitur ijs balneum, laboris, aut belli monimentum, ſicut & ipſum lauari: Nunc verò alij non priùs edunt, quàm lauerint, alij verò etiam accepto cibo lauantur, inde ſumpturi cœnam: eſt & nunc Balneum nihil aliud quàm via*

Artemidor.



*via ad cibum.* Sed Deum immortalem! qualis tandem exceſſus? quæ vnguentorum ingluuies præter modum omnem? Seneca nuperrimè relatus eâdem Epiſtolâ: *Parum eſt ſumere vnguentum, niſi bis die, térque renouetur, ne euaneſcat in corpore.* Plinius lib. 13. c. 3. *Vidimus etiam veſtigia pedum tingi: necnon aliquem ex priuatis audiuimus iuſſiſſe ſpargi parietes balneorum vnguento: maximè tamen mirum eſt hanc gratiam penetraſſe & in caſtra: Aquilæ certè, ac ſigna, puluerulenta illa, & cuſtodijs horrida, inunguntur feſtis diebus: at hercule iam quidam etiam in potus addunt:* qualem ad ebrietatem vnguentariam alluſerit Oda Horatiana 7. ex lib. 2.

Seneca. — Plinius. — Horatius.

*Obliuioſo læuia Maſſico*
*Ciboria exple, funde capacibus*
*Vnguenta de conchis.*

Emphaſim enim habet quod capaces nominet conchas, quo plenè ſe proluere & ingurgitare poſſint; & Helluonum voces illæ totæ de cado, apud Sapientiam cap. 2. *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ. Venite ergo & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur Creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino precioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: Coronemus nos roſis antequam marceſcant.* Hic, inquam, de crapula ſermo ad viuum ab eodem Horatio expreſſus, nominato Carminum 2. libro, oda tertia,

Sapient. 2. 1. 6.7.8. — Horat.

*Huc vina, & vnguenta, & nimiùm breues*
*Flores amœnæ ferre iube roſæ:*
*Dum res, & ætas, & ſororum*
*Fila trium patiuntur atra.*

Clem. Alex. Sed quantum illud eſt, quod à Clemente Græco obſeruatum Pædag. 2. cap. 8. eoúſque progreſſum, *vt cùm non ſufficeret & veſtimenta, & veſtes ſtragulas, domóſque ſuffumigare, atque aſpergere, adeò ipſas propemodum matulas olêre cogerent vnguentorum delitiæ?* Verùm & de magno Bellatore Macedonum duce, Alexandro memorat Athenæus Dipnoſoph. lib. 12. rigaſſe pauimentum exquiſitiſſimis vnguentis, fragrantíque vino, cui & vrebatur Myrrha cum aliis ſuffituum generibus. Nec abſimilis alterius Getulorum Ducis apud Claudianum de Bello Gildonico:

Athenæus. — Claudian.

*Vmbratus dux ipſe roſis, & marcidus ibat*
*Vnguentis, crudúſque cibo, titubánſque Lyæo.*

Seneca. Denique & publicæ tabernæ, in quibus venum exhiberentur vnguenta; de quibus illud Senecæ epiſt. 108. *qui in vnguentaria taberna reſedêrunt, & paulò diutiùs commorati ſunt, odorem ſecum loci ferunt,* &c.

3. Exinde, quæ & ſanitati commoda eſſe poterant, & honeſtæ inſeruire voluptati, probro affici cœpta vnguenta, & prout quiſque altiori erat præditus mente, philoſophicíſque imbutus præceptis, ab illo deſpici; quamobrem & Solonem in ſuis legibus prohibuiſſe, ne quiſquam vnguenta venderet, & Seplaſiarios ex Sparta à Lacedæmoniis eiectos aſſertor eſt Athenæus lib. 15. c. 14. pluráque ſimilia Alexander Neapolitanus recenſet Genialium lib. 3. cap. 11. Adeò pulcherrimè, cùm mollicie effractam Voluptatem pingeret; conſtantem & fortem Virtutem Seneca: alteri puluerem & negotia tribuit, alteri quietem, & odoramenta; ſed eius verba ex libro de vita Beata, cap. 7. *Virtutem in templo inuenies, in foro, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas manus habentem: Voluptatem latitantem ſæpius, ac tenebras captantem; circa balnea, ac ſudatoria, mollem, eneruem, mero ac vnguento madentem:* delineauit eundem in morem Silius venuſtus Poëta lib. 15. initio:

Seneca. — Silius Ital.

*Hinc Virtus, illinc virtuti inimica Voluptas,*
*Altera Achemenium ſpirabat vertice odorem,*
*Ambroſias diffuſa comas, & veſte refulgens*
*Oſtrum, quam fuluo Tyrium ſuffuderat auro,* &c.
*Alterius diſpar habitus, frons hirta, nec vnquam*
*Compoſitâ mutata comâ, ſtans vultus, & ore*
*Inceſſúque viro propior.*

Ambroſ. Sed ex Chriſtiana eloquentia egregiè Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel, cap. 4. *Fragrabat vnguento humus, ſpinis cooperta piſcium, & marceſcentibus iam floribus lubrica; ſaltatrices tonſæ, & criſpantes pueri comâ, epulantium cruditas, edentium ructus, ebriorum ſitis, heſterna crapula, hodierna temulentia, repleta vomitu bibentium pocula: ipſa in medio ſtans: Bibite, inquit, & inebriamini, vt cadat vnuſquiſque, & non reſurgat: ille apud me primus, qui omnium perditiſſimus: venite ergo, fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino precioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat flos temporis: Coronemus nos roſis antequam marceſcant,* &c.

*Vnguenta Chriſtianis putida.*

4. Hinc ſanè, poſtquam Orbi affulſit Euangelica lux, nihil antiquius habuit credentium pietas, quàm vt enormen vnguentorum corruptelam deteſtaretur. Minutius Felix in Octauio introducit Cæcilium quendam de Ethniciſmo, qui de Chriſti cultoribus loquens: *Vos verò ſuſpenſi interim, atque ſoliciti honeſtis voluptatibus abſtinetis: Non ſpectacula viſitis, non pompis intereſtis, conuiuia publica abſque vobis, ſacra certamina, præcerptos cibos, & delibatos Altaribus potus abhorretis: ſic reformidatis Deos, quos negatis: non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis; reſeruatis vnguenta funeribus, coronas etiam ſepulcris denegatis:* Puto vocat honeſtas voluptates ex Canone Pagano: nam quando apud Chriſtianum de potu, cibóque nefandis appoſito Numinibus, communicare honeſtum? Quid? illi vnguenta in deliciis habituri, de quibus Alexandrinus Clemens, monens, qui fidei Chriſti ſubſcripſerint Pædag. lib. 2. cap. 8. *Oportet autem viros imprimis apud nos vnguenta non olêre, ſed vitæ probitatem.* Lactantius Inſtitut. lib. 6. cap. 22. *Turpe eſſe ſapienti, ac bono, ſi ventri, & gulæ ſeruiat, ſi vnguentis oblitus, & floribus coronatus incedat: quod qui facit, vtique inſipiens, ineptus, & nihili eſt.* Saluianus lib. 7. de Prouidentia, Carthaginenſium perditos mores deſcribens: *Video* (ait) *quaſi ſcaturientem vitijs ciuitatem: alios vino languidos, alios cruditate diſtentos, hos ſertis redimitos, illos vnguentis oblitos.* Nazianzenus orat. 10. in funus Cæſarij fratris: *Non ſericæ, ac molles, & circumfluentes telæ, quibus necdum adhuc ſuperſtes dum eſſes, multorum more delectabaris, nec pretioſorum vnguentorum effuſiones, quas priùs etiam ad Gynæcea remittebas, vt quorum fragrantiam dies vnus ſoluit.* Prudentius in Hamartigenia:

Minutius Felix. — Clem. Alex. — Lactant. — Saluian. — Gregor. Naz. — Prudentius.

*Aut ideò ſpirant, mediâque ex arce cerebri*
*Demittunt geminas ſociata foramina nares;*
*Vt bibat illecebras malè conciliata voluptas,*
*Quos pigmentato meretrix iacit improba crine?*

Chryſoſt. Chryſoſtomus concione 1. de Lazaro: *Te non oportet olêre vnguentum, ſed ſpirare virtutem: nihil immundius animâ, quoties corpus talem habet fragrantiam:* idémque multi alij ex Patribus ſæpè.

5. *Chriſtiani in defunctorum corporibus vngendis profuſi.*

Sed tamen, cùm ſic abſtinerent ab vnguentis, à ſuffimento, & odoribus Chriſtiani; erga defunctorum corpora, erga res ſacras profuſiſſimæ erant largitatis: quippe ſub aurea illa prima ætate, præter Martyrum infinita examina, qui ſine cultro diem obibant, plerunque cum ſanctitudinis

dinis eximia fama diſcedebant;in eos igitur quaſi in ſanctificata membra omnem honorem impendebant fideles, nulliſque ſumptibus parcentes, quod in vnguentis pretioſiſſimum eſſet, Buſto tradebant : hoc illud apud Minutium ſuprà : *re-*
Tertullian. *ſeruatis vnguenta funeribus :* hoc apud Tertullianum Apologetici cap. 42. *Si Arabiæ queruntur, ſciant Sabæi pluris, & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari,quàm dijs fumigandis.* Pruden-
Prudentius. tius, Hymno in exequiis defunctorum ;

*Hinc maxima cura ſepulchris*
*Impenditur , hinc reſolutos*
*Honor vltimus accipit artus,*
*Et funeris ambitus ornat :*
*Candore nitentia claro*
*Prætendere lintea mos eſt,*
*Aſperſáque Myrrha Sabæo*
*Corpus medicamine ſeruat.*

D.Gregor. De ſanctorum Reliquiarum cultu Gregorius Romanus indictione 2. ep. 53. ad Secundinam: *Aloën verò, thymiama , Styracen , & Balſamum ſanctorum Martyrum corporibus offerenda , latore præſentium deferenda tranſmiſimus :* de quibus iiſdem
Paulin. Nolanus. Martyribus Paulinus Nolanus Natali ſexto ſancti Felicis.

*Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere Nardo,*
*Et medicata pio referant vnguenta ſepulchro.*

*In rebus ſacris Oleum pretioſiſſimū.* Pontificale Damaſi. Nec tantùm in ſacra fortiſſimorum Pugilum oſſa liberales , ſed in Eccleſiarum lucernas , quantum fomentum de pretioſiſſimo oleo : Pontificale cum Damaſi nomine in vita Silueſtri Papæ: *Pharum Cantharum ex auro puriſſimo ante altare, in quo ardeat oleum Nardinum Piſticum cum Delphinis octoginta :* & cognata omninò Anaſtaſius Bibliothecarius in Benedicto tertio : & de Baptiſmo
Hincmarus. Clodouei Hincmarus in Remigio , *Baptiſterium* (narrat) *Balſamo, & cæteris odoramentis conſperſum.*

6. Nec tamen ſic intelligi iſta velim , vt putem nullo more Chriſtianos primi , & recentium ſeculorum poſt Chriſtum natum , vnguentis , aut ſuffimento vſos : aduerſaretur quippe locuples
Tertullian. de antiquitate teſtis , in Corona Militis, Tertullianus : *Et ſi me odor alicuius loci offenderit* ( inquit) *Arabiæ aliquid incendo : ſed non eodem ritu,nec eodem habitu , nec eodem apparatu , quo agitur apud idola:* verùm qui plenis manibus irrorabant Martyrum tumulos ; ſibi vel ex patria conſuetudine, vel Medico vrgente , parcè tamen indulgebant , memores & Seruatorem Ieſum nec à talibus abhor-
P.Damian. ruiſſe, de quo ſapienter Petrus Damianus epiſtola 106. *Nam cur ſibi caput , & pedes vnguento conſpergi muliebri miniſterio paſſus eſt, niſi quia Palæſtinæ , atque Iudaicæ Regionis mos erat , vt eius accolæ crebriùs vngerentur ?* quippè Redemptor , cùm in exterioribus communi ſe vitæ accommodaret, vt
Suarez. benè animaduerſum à Suario tom. 2. in 3. part. diſp.17. ſect.3. §.1. quæ honeſta erant obſequia admittebat, ſed melior propugnator nullus alle-
Tertullian. gato nuper Tertulliano,eodémque libello : *Dicimus enim, ea demum & noſtris,& ſuperiorum vſibus, & Dei rebus & ipſi Chriſto competiſſe,quæ meras vtilitates, & certa ſubſidia, & honeſta ſolatia neceſſarijs neceſſitatibus vitæ humanæ procurent : quæ verò hunc ordinem exceſſerint, ea non conuenire vſibus noſtris.*

7. Cæterùm Ethnici illi , quorum in vngendo omnis voluptas , nihil fermè exceperant , quod non ſuauiter fragrare cogerent : multus in eo argumento Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2.
Athenæus. cap. 8. multus Athenæus Dipnoſoph. lib.15. vbi diſſerit,inquiens: *Antiquos in vnguentorum vſu fuiſſe curioſos & diligentes , hoc eſt indicio , quod priuatim vnicuique corporis parti idonea ſcirent ;* ſubdítque Antiphanis Poëtæ verſus : Antiphanes.

*Lauat is in aureo quodam ſolio : vnguento*
*Ægyptio pedes linit , & crura :*
*Phœnicio buccas , & vbera :*
*Siſymbrino verò vtrumque brachium ;*
*Amaricino ſupercilium & comam ;*
*Serpillino ceruicem, & genua.*

Fuit cùm & in augurandis Chriſtianis Imperatoribus vnctio in totum deriuaretur hominem; *Carolus Imperator vnctus.* ſic de Carolo Imperatore memorat Paulus Diaconus lib.24. perunctum in baſilica D.Petri Apoſtoli à Leone Papa à vertice vſque ad pedes,quale & aliquid ſignificaſſe viſus, locus ex Pſalmo 132. Pſalm.132. *Sicut vnguentum in capite;quod deſcendit in barbam, barbam Aaron : quod deſcendit in oram veſtimenti eius ;* quanquam Doctiores quique Interpretes non explanent de lacinia & fimbria veſtimentorum,quæ extima ora eſt,ſed de ſuperiore ora,quæ veſtis aut collo, aut capiti iungitur, quam ex capite defluens liquor pertigerit : Nec tamen mihi diſplicet aliquo modo Genebrardus concedens quidem ex more communi ita perunctos Hebræorum Pontifices,vt ad ſuperiorem veſtis partem tantùm deſcenderet oleum , verùm in Aaronis conſecratione, ad quam Pſalmodus reſpiciat, & de qua Leuit.cap.8.verſ.12. cum vbertate effuſum vnguentum , quo Chriſtus denotaretur , qui à Deo præ participibus ſit vnctus. Sed de omnibus rebus , quæ vnguento oblinerentur, imò nec de ſolius corporis partibus, otium eſt in præſenti agere : ſufficit modò tenuiſſe vbera & pectus perungi ſolita , quod hoc Numero ex Athenæo, ſuperiúſque numero 1. ex eodem , Clementéque Stromatæo monſtrauimus : reliqua ſuis locis probabuntur.

Verùm , quod polliciti ſumus, & de Hebræis 8.
aliquid dicere , perſoluamus , de quibus obuia exempla ſunt in ſacris monimentis. De ſacerdotali oleo , & ſuffitu in miniſterium Tabernaculi, *Vnguentorum vſus apud Hebræos multus.* habes Exod.29. v.7. 30. v.7. 40.9. Leuit. 8. v.12. Inter famulitia Aulæ Hebræorum Regis , numerantur Vnguentariæ, 1. Reg.c.8. v.13. *Dauid ſurrexit de terra,& lotus, vnctúſque eſt* , 2.Reg.cap.12. 1.Reg.8.13. 2.Reg.14.2. v.20. Thecuitis, vt luctum ſimulet , *oleo non vngitur*, 2.Reg.cap.14.verſ.2. Salomon in Regem vngitur, 3.Reg.cap.1.v.39. admittit aromata multa nimis , quæ Sabæorum Regina detulit , 3. Reg. c.10.v.10.quæque alij exhibebant inter donaria; mulier de vxoribus Prophetarum Eliſeo nihil ſibi derelictum profitetur, *niſi parum olei , quo vngatur*, 4.Reg.c.4.v.2. & cap.20.verſ.13. Ezechias 4.Reg.4.2.& cap.20.13. legatis Babyloniorum *Domum aromatum* demonſtrat : 2.Paralip.c.16.v.14.de Aſa Rege defuncto: 2.Paralip.16.14. *poſuerúntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus , & vnguentis meretricijs , quæ erant pigmentariorum arte confecta.* Non abhorrent ab vnguentorum vſu Ruth,cap.3.v.3. Iudith,c.10. v.3. & 16.v.10. Eſther,cap.2.verſ.12.Suſanna,Danielis c.13.v.17. Daniel ipſe,cap.10.v.3. Chriſtus Dominus,Lucæ 7.v.39. & poſt mortem,Ioan.19.v.40. aromatibus Ioan.19. 40. conditum marmori inferunt cadauer , *ſicut mos eſt Iudæis ſepelire* inquit Euangeliſta notanter ; vt omittam Pſalmos,Prophetas,Cantica paſſim vnguenta reſonare;tantúmque inualuit patriæ mos, vt nec vulgatæ conſuetudinis officium etiam viri graues, ſanctíque reſpuerent, proindè & Chriſtus,caput,pedéſque oblini paſſus ſit,quemadmodum probè adnotatum à Pererio noſtro,lib.12.in Danielem , ad illa , *ſed neque vnguento vnctus ſum*, &c. & in antecedentibus numero 6. conuicimus: quanquam



quanquam non me latet Ioſephum Flauium de Eſſenorum moribus agentem , qui Iudæorum Philoſophi habebantur , inter ſeueræ Diſciplinæ
Ioſeph. encomia reponere,lib.2.de Bello. cap.7.*Quòd probro ducant oleum ; & ſi quis vel inuitus vnctus fuerit, munditijs corpus abſtergat ; quoniam ſqualorem decorem putant , dummodò ſemper in veſte ſint candida.* Verùm vt concedamus huius ſectæ non fucatos rigores , neque ad popularem auram inſtructos, quod tamen arduum eſt æſtimaſſe , ſi Chriſto priorem fuiſſe ſentiamus , nam & de gentiliſmo arguunt viri graues : ſed ſcopus incarnationis alios in Seruatore exigebat mores,& vitam communem imitatu indifficilem , *quare in cibo,& potu*
S.Thom. *communiter ſe ſicut alij habebat*, vt loquitur Angelicus Doctor in 3.partem,quæſt.40.art.2.in corpore , Auguſtinum ducem ſequutus lib. 16. contra Fauſtum,cap.31.Et ab Aquinate mutuati propugnacula,luculentè admodum Toſtatus tom. 3.in Matth. quæſt. 43. in caput vndecimum , Suarius tom.2. in 3.part.diſputatione 28.ſectione 3.§.*Ex quo præterea* , &c. Etiam nec Balnea & purificationes Iudæorum, in cœna præſertim & epulis Saluatorem reſpuiſſe , latè propugnat Fortunatus Schacchus ſacror. Eleochriſmat. Myrothecio 1. cap.32. & 33.

9. At proſequamur de Hebræorum vſu in ſuffi-
Hieronym. mentis , & myropolio : Hieronymus in 6.Matth. caput,ad illud : *Tu autem cùm ieiunas: Iuxtà ritum Prouinciæ Palæſtinæ* (inquit) *vbi diebus feſtis ſolent*
Druthmarus. *vngere capita :* Chriſtianus Druthmarus ibidem: *Secundum morem Prouinciæ loquitur , in qua habitatores habebant compoſitum vnguentum de oleo , & balſamo odorato , & vngebant caput.* Abulenſis tom.3.
Toſtat. in Matth. quæſt.123. in cap.6. *Ita erat conſuetudo in terra Chanaan partim propter calores , & partim propter iucunditatem,quod tam viri quàm fœminæ oleo capita vngerent :* Caietanus : *Vnctio enim capitis in regionibus illis iucunda erat.* Aſſentitur Maldonatus: Petrum Damianum ex Magdalenæ obſequio confirmantem eadem dedimus ſuperiùs num. 6. Nec tacuêre de vatibus, Papinius lib.5.Syluarum de Priſcillæ Abſcontij vxoris funere:

Statius. *———omne illic ſtipatum examine longo*
*Ver Arabum,Ciliciúmque fluit,floréſque Sabæi*
*Indorúmque arſura ſeges,præreptáque Templis*
*Thura,Palæſtini ſimul,Hebræique liquores.*

Marius Victorius lib.1. in Geneſim , loquens de Paradiſi fragantia:

Marius Victorius. *Sed nec quod Medus redolet,vel crine ſoluto*
*Fragrat Achemenius,quod molli diues amomo*
*Aſſyrius,meſſiſque rubens Mareotica nardo,*
*Quod Tarteſſiaci frutices,quod virga Sabæa*
*Quódque Palæſtinus lacero flet vulnere ramus.*

Marcellus Medicus de Iudæo , Ægyptióque vnguento:

Marcell. Medicus. *Quódque ab Idumæis vectum Seplaſia vendit*
*Et quicquid confert Medicis Lalagæa Cataplus.*

10. *Vnguenta apud Perſas & Aſſyrios.* Plinius. Sanè noti fuiſſe luxûs Perſas , atque Aſſyrios exploratum eſt ; de illis Plinius lib.13.cap.1.*Perſarum debet eſſe gentis vnguentum : illi madent eo, & accerſita commendatione , ingluuie natum virus extinguunt.* Illúdque de Horatiana Oda 38.ex Carminum lib.1.

Horat. *Perſicos odi puer apparatus,*

id eſt,omni deliciarum genere affluentes , communis explanatio interpretatur : Athenæus lib.4. cap.6. ex vetuſto ſcriptore refert , Perſarum Reges magnam argenti copiam per præconem offerre ſolitos , nouarum voluptatum Inuentoribus ; at non ſubticenda illa afflicti Regis Hormiſdæ,qui Perſico imperio excidit,veteris mollitiei recordatio ; loquitur apud Simocatam lib.4. ὁ τοῖς ἀλουργίσι περιρρεόμενος, ὁ θρύψει χρυσοῦ καὶ μαργαρίτου κατακοσμούμενος, ὁ τὰς τρίχας ἀνθιζόμενος, καὶ Simocata. τοῖς μύροις καταπνεόμενος, ὁ τοῖς μυρίοις γένεσι τῶν ἐδεσμάτων κολακευόμενος, ὁ τοῖς χρυσοφόροις θαλάμοις ἐνδιαιτώμενος, κλίναις τε χρυσαῖς ἐμβλακευόμενος, καὶ σισύραις λαμπραῖς ἐντρυφῶν, καὶ ἐφεστρίσιν ἐγκαλινδούμενος μεγαλοπρεπέσι : *Qui antea purpureo amictu circumdatus erat,auri,& gemmarum delicijs conſpicuus, qui comam pectebat , vnguentis diſtentus vndique, cui infinita ciborum varietas blandiebatur , qui thalamis auro coopertis incubabat , ſtrato otiabatur aureo, ſtragulis candentibus delicians , in ſumptuoſis amiculis volutatus.* Iam verò apud Babylonem & Perſidem Iudæi longam captiuitatem paſſi , eorum moribus aſſueuêre : diſcamus ex Prudentio in Hamartigenia:

*Num latet,aut dubium eſt animas de ſemine Iacob* Prudent.
*Exilium gentile pati , quas Perſica regna* *Iudæi ab Aſſyrijs, veſtem, idioma, cultum, moréſque barbaros mutuati.*
*Captiuas retinent,atque in ſua fœdera cogunt?*
*Illic natali deſueſcunt viuere ritu :*
*Moribus & patrijs exutæ,in barbara iura*
*Degenerant , linguámque nouam , veſtémque ſequuntur,*
*Déque prophanato diſcunt ſordeſcere cultu,*
*Nutricémque abolent petulanti è pectore Sion.*

Qui ſanè Poëtæ verſus lucem præferunt Sophoniæ cap.1.verſ.8. vbi variè diſtrahuntur Interpre- Sophon. 1.8.
tes : *Et erit in die hoſtiæ Domini viſitabo ſuper principes,& ſuper filios Regis , & ſuper omnes , qui induti ſunt veſte peregrina :* Nam,cùm eò loci ad captiuitatem Babylonicam reſpici veriſimile ſit , vt à noſtro Sanctio peritè animaduerſum , Veſtis hæc peregrina,de qua Propheta,erit Perſica, quam ob mollitiem patrio depoſito indumento Iudæi aſſumpſerint,Prudentio aſſertore: Sed id,quod noſtri ſcopi eſt principaliter monuiſſe iuuat , cùm humanus animus ad luxum , & delicias procliuis ſit , quando ante iugum Aſſyriorum nulla vnguentorum apud Hebræos notitia fuiſſet , exinde impensè adamata ; quando & veſtem , & idioma mutuati ſunt,quæ minùs alliciebant.

Verùm prætermittere cordi non eſt , id, quod 11.
à noſtro Sanctio non ſemel adnotatum , nempè *Iudæi fœtentes & putidi, & vnde.* ad cap.19. lib. 2. Regum , num. 13. & in cap. 2. Eſther,num.16. Iudæorum è corporibus , maleolentem intolerabilis pœnè fœtoris halitum prodire,cui vt medeantur,ſuffitus,& vnguenta compaſtinant : & aliàs non raro ad Prophetarum Vaticinia eadem iterat , quæ conatur fulcire Hiſtoricorum , Poëtarúmque ſententiis ; mihi ſi quid robuſtum,& de tota probans Iudaica colluuie, illud imprimis de Martialis penu,ex lib.4.Epigr.4. in Baſſam:

*Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,&c.* Martial.
*Piſcinæ vetus aura quod marinæ,&c.*
*Quod ieiunia Sabbathariorum*
*Mœſtorum quod anhelitus reorum*
*Quod ſpurcæ moriens lucerna Ledæ,&c.*
*Malles,quàm quod oles,olêre,Baſſa.*

Vbi cùm plura coaceruaſſet , quorum tetrus vapor offendit,Sabbathariorum,hoc eſt, Iudææ ſectæ ieiunia commemorat : At quare abſtinentiæ tempora ſingillatim ? nimirum , quia cùm iis in obſeruandis ieiuniis quibuſcumque , ſuperſtitioſiores eſſent; vnguenta parumper amouebāt, quibus deſpoliati , anhelitus ille grauis,qui ab odoribus ſuppreſſus latebat,hoſte, nempè fragrantiâ ob ieiuniorum reuerentiam liberatus , diffundebatur : Ac ſanè non admodum difficile æſtimaſſe

eiuſmodi plagâ affectos poſt enecatum Seruato-
rem, vt rectè obſeruat noſter Creſolius Myſtago-
gi lib. 4. cap. 8. ſect. 2. ſub finem. Cæterùm antè
immaniſſimũ ſcelus ſi quibus ſimilis ægritudo, à
vitio id quidem, non à natura, neque congenita
peſtis: Nam ex Hebræis non pauci abdomini &
Baccho dediti: propterea Iſaias cap. 5. verſ. 11. *Væ*
Iſai. 5. 11. *qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & po-*
*tandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis:* Amos
Amos. 6. 6. cap. 6. verſ. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vn-*
*guento delibuti:* & qui apud Pſalmodum conque-
Pſal. 68. 13. ritur Pſalm. 68. verſ. 13. *& in me pſallebant qui bi-*
*bebant vinum*; de quibus Theodoretus Græcarum
Affectionum lib. 7. qui de ſacrificiis: *etenim, cùm*
Theodoret. *Hebræos ſciret quadam ſuperſtitione ſubtrepidos, pa-*
*tinarióſque, ac gulones eſſe quàm maximos, morbum*
*morbo curandum eſſe exiſtimauit*, &c. Igitur à nimia
compotatione, ab ingluuie & crapula, cùm affla-
tus ad contagium penè accederet, quò celarent
indignam luem, vnguenta adhibebant, ideò pau-
lò antea nominatus Amos: *bibentes* (ait) *vinum, &*
*vnguento delibuti:* quibus germana accidiſſe Par-
this memorat Plinius, pariáque adhibuiſſe medi-
Plinius. camenta, lib. 11. cap. 53. *Namque & vino fœtent*
*ora nimio; ſed ſibi proceres medentur grano Aſſy-*
*rij Mali, cuius eſt ſuauitas præcipua, in eſculenta*
*addito.*

12. *Annum integrum poliendæ cuti Sponſæ Perſicæ adhibebant.* Iam, quod & res Nuptialis iure quodam ſuo
pigmenta, & benè olentia vendicat, ſatis teſtatur
annus integer, quem poliendæ cuti, quæ Regis
thalamos conſcenſuræ erant, ex Perſarum vſu,
impendebant Virgines: ſed narret Eſtheris Tex-
Eſther 2. 12. tus cap. 2. verſ. 12. *Cùm autem veniſſet tempus ſin-*
*gularum per ordinem Puellarum, vt intrarent ad Re-*
*gem, expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem per-*
*tinebant, menſis duodecimus vertebatur: ita dunta-*
*xat, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, &*
*alijs ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus vte-*
*rentur:* Neque Aſſyriorum eiuſmodi leges tan-
tùm, & apud Ægyptios etiam: Nam propterea
Saram nihil à Pharaonis laſciuia paſſam, cùm diu-
tiùs apud illum detenta eſſet, Hieronymo placuit
Quæſtionibus in Geneſim ad cap. 12. relato nám-
que Eſtheris facto per annum ſe præparantis,
Hieronym. ſubdit: *Atque ita poteſt fieri, vt Saræ, poſtquam*
*placuerat Regi, dum per annum, eius ad Regem præpa-*
*ratur introitus, & Abrahæ Pharao multa donauerit,*
*& Pharao poſtea ſit percuſſus à Domino, illâ adhuc*
*Sponſæ vnguentis ſtillantes: Eſther, Iudith, Ruth, &c.* *intactâ ab eius cubitu permanente:* Hieronymo aſ-
ſenſit Auguſtinus tom. 4. quæſt. 26. in Geneſim;
ſed ob hanc cauſam potiùs ab Abimelecho Ge-
raræ Rege intactam eandem, de quo Geneſ. c. 20.
Salianus autumat Annal. 1. tom. anno Mun-
di 2138. num. 90. Equidem Iudith velut Sponſa
proceſſit ad caſtra Aſſyriorum, niſi enim aliud
Numen intimaſſet, cogitabat de fœdere Con-
nubiali, ſperabátque Marito ad Creatoris veri
adorationem traducto, per ipſam liberandos
Ciues ſuos: lege Serarium quæſtiuncula 2. & 4.
in cap. 13. Iudith: Sed quæ iam ad Nuptias apta-
Iudith. 10. 2. batur: *abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis*
*viduitatis ſuæ: & lauit corpus ſuum, & vnxit ſe myro*
*optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui*, &c. Iu-
dith. cap. 10. verſ. 2. Rutham quoque cùm ad am-
biendum Booz thalamum, Noëmi inſtrueret, *la-*
Ruth. 3. 3. *uare igitur* (ait) *& vngere, & induere cultioribus ve-*
*ſtimentis:* Sæpè etiam de Synagoga Deus con-
queſtus, quod Adulterinos amplexus ſequuta,
Sponſæ in morem, quò falſo Amatori gratior ap-
pareret, pigmentis vultum componeret, Iſaiæ. 57.
Iſai. 57. 9. verſ. 9. *Et ornaſti te Regi* (id eſt Sponſo, inquière
noſtri Sanchez & Aluarez, quem moris eſt Re-
gem nominari, vti & Sponſa Regina appellatur)
*vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua.* Ezechielis Ezech. 23. 41.
cap. 23. verſ. 41. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & men-*
*ſa ornata eſt ante te: thymiama meum, & vnguentum*
*meum poſuiſti ſuper eam:* Sed & ſupra apud eun-
dem cap. 16. vbi ex inſtituto Sponſæ ornamenta
deſcribit, verſ. 18. *Et ſumpſiſti veſtimenta tua mul-* Ezech. 16. 18.
*ticoloria, & operuiſti illas: & oleum meum, & thy-*
*miama meum poſuiſti coram eis:* apud Oſeam verò
ipſa fornicatrix & adultera, cap. 2. verſ. 5. *Vadam* Oſe. 2. 5.
*poſt amatores meos, qui dant panes mihi, oleum meum,*
*& potum.* At Carmen iſtud, quod hymenæale eſt
nónne paſſim vnguentis ſtillat? quæ modò viro
tribuuntur, modò Puellæ deſponſæ: vti & Dauidis
geniali Metro, nam qualem Sponſum depingit:
*Myrrha & gutta, & Caſia à veſtimentis tuis, à* Pſal. 44. 9.
*domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ Re-*
*gum in honore tuo.* Pſalm. 44. verſ. 9. Cydippe
apud Naſonem Marito promiſſa ad Acontium
ſcribens:

*Sæpè coronatis ſtillant vnguenta capillis,* Ouid.
*Et trahitur multo ſplendida palla Croco.*

Déque Nuptiarum Patrono Hymenæo, ibi-
dem:

*Proijcit ipſe ſuas deducta fronte coronas,* Idem.
*Spiſſáque de nitidis tergit amoma comis.*

Claudianus nuptialia dona enumerans, quæ
Orpheo allata à feris, & volucribus, Epiſtola ad
Serenam pangit:

*Venit & extremo Phœnix longæuus ab Euro* Claudian.
*Apportans vnco cinnama rara pede.*

Idémque Poëta, Epithalamio Palladij, & Se-
renæ de apparatu nuptiali:

*Gemmatis alij per totum balſama tectum* Idem.
*Effudêre cadis: duro quæ ſaucius vngue*
*Niliacus pingui deſudat vulnere Cortex.*

Nemo verò indoctior, imò irreligioſus qui- *Maritatis aliquid licè-*
dem, & præceps, Nubentes hoc Epithalamio *tius in orna-*
propterea ſpernat, quod videat aut vnguen- *tu dandum.*
tis delibutos, aut pretioſiori ornatos veſte, aut
aliis irretiri illecebris: neque enim hæc ex ge-
nere ſuo vel inter Chriſtianos mala ſunt, vt
docet luculentè Angelicus Doctor. 2. 2. quæſtio-
ne 169. art. 2. Abulenſis tom. 3. in Matth. à
quæſtione 23. in cap. 11. Serarius quæſtiuncu-
la 2. in cap. 13. Iudith: Et meminiſſe oportet,
vt indecorum, vetitúmque fuiſſet, tamen con-
cedendam licentiam aliquam maritatis, & nu-
bere cupientibus: quamobrem prudentiſſimè
Auguſtinus epiſt. 73. ad Poſſidium: *Nolo de or-* Auguſtin.
*namentis auri, & veſtis præproperam habeas in*
*prohibendo ſententiam, niſi in eos, qui neque con-*
*iugati, neque coniugari cupientes, cogitare debent,*
*quomodo placeant Deo:* Verùm, quid ſi in his eti-
iam exceſſus? quid ſi fucum & medicamina fa-
ciei adhibeat muliebris ſexus? Sanè, neque tum
lethalem contrahi noxam, causâ exceſsûs præ-
cisè, niſi per accidens praua aliqua circumſtan-
tia adiungatur, vt ſi finis ſit libido, ſi ſcanda-
lum iuſtè ſuboriatur, ſi lex prohibeat ſub
excommunicationis pœna, doctè noſter
præmonſtrat Leſſius de Iuſtitia, &
iure, lib. 4. cap. 4. dubit. 14.
numero 110.

Declaratus



*Declaratus contextus iuxta binam Tranſla-*
*tionem: Sponſa in Mariti gremio inter*
*epulandum: Nutricum mores ebibunt in-*
*fantes: Ioannis elucidatio, Michææ, Deu-*
*teronomij, & Eccleſiaſtici: Vbera & la-*
*ctatio pro ſermone: Parœmiaſtes & Oſeas*
*declarati: Sponſus nouæ Nuptæ Pædago-*
*gus: Ex Ieremia, Parabolis, & Dauide*
*aliqua: vina aromatibus condîta; vbe-*
*ra de mammis virorum: vulgatæ lectionis*
*defenſio.*

## Sectio II.

13. *Verſus expoſitio Grammaticalis.* PRæmiſimus ſemel de vnguentis Tractatio-
nem, quoniam de eis paſſim memoratio hoc
Epithalamio, experiamur opem à labore hoc: Er-
go clari Metri huius Interpretes Sponſam cogi-
tant, quæ ob Amantis deſiderium viribus atque
animo exciderit: accurrêre ſiue de cognatis fœ-
minæ, ſeu de Pediſſequarum numero; vina adhi-
buêre de condîtis vtique, & ſuauiſſimè redolen-
tibus, non quæ hauriret Virgo (demus ita ſanè
Neoterico, de quo tamen ventura ſectione ad
longum,) ſed quibus perfunderetur, quorum at-
traheret afflatum, Cor releuaturum. Tali medi-
camine ſibi ægrè reddita, ac ne reddita quidem
adhuc, totáque abeuntis Animæ languida, recor-
datione in vnum Sponſum defixa: O Veni dul-
ciſſime, refoue me ſinu tuo, porrige brachia fra-
grantia vnguentis optimis: Abite vina nectarea,
potentior ſuaueolentia vnguentorum Dilecti
mei; Reſpirabo ſi cordi admoueat, ſi læuam
ſupponat capiti meo, dextera illius amplexetur
me. Sanè nihil ad continuandum Metri ſenſum,
ad commendandam Amoris efficaciam aptius;
Neque, cùm à ſe deficere Sponſam affirmamus,
robore deſtitui propter affectus vehementiam,
inſolens quidpiam dicimus, cùm ſæpè ipſa Animi
morbum declaret, & vti modò vina adhibentur,
aliàs recubare ſuper flores, ſtipari Malis ardeat:
Sed fuêre, qui hanc cogitationem amplexati ſint
libenter, Coſmas Damianus, Hórtulanus, Luiſius
Legionenſis, Delrio, Sanchez, Giſlerius, Placidus
Nigidius: Neque recentior Author, de quo pau-
Hieronym. Almonacir. lò antea meminimus, Hieronymus nempè Almo-
nacirius ſolidè loquutus, cùm ſcripſit Patribus
ignotam explanationem: Nam ſanè & tabeſcen-
tem Sponſam ob Comparis abſentiam Origenes
admiſit hom. 1. ex duabus, & ex quatuor etiam:
Ambroſius initio ſermonis primi in Pſalm. 118.
Bernardus ſerm. 2. in Cantica, Philippus Abbas
cap. 1. in verſum 1. Canticorum: & ſanè huic in-
terpretamento principem deferimus locum, vt
quod ſit reliquis mage germanum.

14. Verùm celebris eſt ad hunc verſum poſt Nico-
laum de Lyra, cæterorum Scholiorum Adnota-
rio, videlicet, Hebræum verbum, quod eſt
דודיך *Dodécha* aliter conſtrui, vt, exceptis vberi-
bus, ſignificet quoque *Amores*; quam licentiam
etſi Hebrææ Dictionis vis non concederet; ta-
men metonymicè, & per Tr nſlationem accom-
modanda vbera charitati; ſiue, quia Amoris
thalamus, Cor nempe, inter mammas; ſiue quod
ſinu & gremio complectimur quæ dulciſſima
ſunt pignora; ſiue ex vſu ſacri idiomatis, ex Com-
mentatoribus fuſiùs edocent Sotomaior, Cypria-
nus Ciſtercienſis, Almonacirius, Delrio. Iuxta
hæc: Superiori quidem verſu, *Oſculetur me oſculo*
*oris ſui*, ambierat Sponſa non ſolum dici con-
toralis Mariti, ſed primaria nominari vxor, cæ-
terarúmque Regina: Magni auſus tanta petitio,
cùm illa è mulgendis hœdis extracta, quanquam
formoſa & decens, at cui ſufficeret Principis opi-
bus, & honore ſuperbi, Concubinâ, & ſecundi or-
dinis coniux fieri: ſubuerecundata igitur Puella, *Excuſat Spõ-*
ne quaſi vſque ad inſaniam prorupiſſe videretur, *ſa temerita-*
veniam implorat: Si modò (inquit) aut ebria iu- *tem ſuam, ab*
dicer, aut Mentis, animíque impotens, parce Vir *amoris ebrie-*
meus: Vbera tua, Amores nempè, deebriauerunt, *tate.*
nam & ipſi vino potentiores: Bacchi eſt pote-
ſtas, quæ rationem euertit, cerebrum fatigat:
Sed non Baccho debilior vehemens affectus, qui
iudicium diſtemperat: Crimen fuit; at quoniam
ab Amore culpa, digna remitti, Tu mitis indulge.
Porrò ab Amore, non ſecùs quàm à vino, Men-
tis ſtatum obtrudi docuimus elapsâ Veſtigatione,
num. 45. Et ſanè oſtendimus eiuſdem Veſtiga-
tionis num. 37. quod apud Græcos eſt vocabu-
lum, quo oſcula exprimunt, ab ea voce deductum,
quo Amor ſignificatur: Oſculum igitur flagi-
t ns Sponſa, quæ deliquium paſſa ſit, Amoris
deſiderabat pignus. Verùm quamobrem? Nunc
ſanè declarat, *quia meliora ſunt vbera tua*, id eſt,
fortiores Amores tui ad me releuandam, quàm
à Baccho petita ſubſidia: Da igitur baſium, Amo-
ris oppignorationem, ſi incolumem optas, quo-
niam ſuper omni Antidoto Amor tuus, quo
flagro.

Sed cur vbera Sponſo attribuit, quæ in Marem 15.
non quadrant? ingenioſus ſemper eſt Amor, & *Infans Nu-*
quod opere non valet, ad ſolamen deſiderio ſal- *tricis mores*
tem affectat: Vellet igitur Sponſum Mamillis *potiùs quàm*
præditum eſſe; nempè, vt de lactis fonte ſugeret; *Matris in-*
At id quorſum? Scilicet, Nutricum mores refe- *duit.*
runt potiùs infantes, quàm Matrum, quæ genuê-
re, plus aſſimilantur vberi, quàm vuluæ: Super-
ſedeo probationi, quoniam peculiare nihil oc-
currit dictis à noſtro Mendoza tom. 1. in 1. Re- Mendoza.
gum, in expoſitione literæ verſus 23. cap. 1. nu-
mero Marginali 6. Ibi teſtes, Philoſophorum Dux
Stagirita, Magnus Albertus, Abulenſis, Matthio-
lus. Iam verò Amoris tota concupiſcentia, Di-
lecto quoad fieri valeat, ſimilem fieri; vt vnum
ſit diligentium velle, vnum, idémque nolle: hoc
oſculi auiditate à Sponſa exoptatum monſtraui-
mus præteritæ Veſtigationis numero 14. Quod
igitur ibi per oſculi ſymbola expreſſit, hîc per
vbera repræſentat; vt quoniam lactis ope ſimil-
limi euadunt moribus Puſiones, iis à quibus
aluntur, & Nutricis magis, quàm Parentis ge-
nium referunt; lactis copia ſit Dilecto, quam
hauriens illa, vnâ & mores ebibat, Sponſúmque
ad viuum exprimat: Ædepol & Mamillam Patris
Clemens Alexandrinus Chriſtum nuncupat Pæ-
dag. lib. 1. cap. 6. Irenæus & Chryſoſtomus citan-
di inferiùs, numero 98. De quo vbere ætherei la-
ctis pleno cùm fideles Animæ hauſiſſent impi-
grè, ſic lactanti euasêre ſimiles, vt ſicut ipſe, ita
& illi meruerint appellari Filij Dei, quanquam
ille naturalis filius, iſti adoptiui; & hoc apud
Ioannem cap. 1. verſ. 12. *quotquot autem receperunt* Ioan. 1. 12.
*eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri*, &c.

Fuit & illud de nuptiarum ritibus, vti ſym- 16.
poſio exhibito geniali, Sponſa Mariti gremio *In Nuptiali*
reſideret, eius in ſinu accumberet, inter vbera *Conuiuio*
quidem, ad pectus nempè: Apuleius 6. Meta- *Mariti in ſi-*
morph. *Accumbebat ſummum torum Maritus, Pſy-* *nu accumbe-*
*chen gremio ſuo complexus* (loquitur de cœna *bat Sponſa.*
nuptiali)

*quoque virilium vitia æquauerunt: non minùs peruigilant, non minùs potant, & oleo, & mero viros prouocant: æquè inuitis ingeſta viſceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur.* Et Author Commentariorum cum ſcriptis Ambroſij in epiſtolas Paulinas, ad cap. 3. epiſt. ad Coloſſenſes: *Quid mirum, cùm & ipſi Romani, longè alij fuerint, quàm nunc ſint? Nam & mulieribus eorum caſtitatis causâ vini vſus incognitus fuit, ſicut nunc aquæ:* At illis ipſis temporibus, quibus tam ſeueræ regulæ Romanis mulieribus poſitæ, vt quæ vel tetigiſſet vinum, morte afficiebatur, Tertulliano narratore Apolog. c. 6. Valerióque lib. 6. cap. 3. num. 9. tamen permiſſum eis vti de condîtis, & quibus immixta aromata potare vinis poſſent, quod hæc valetudinem fouerent, & aduersùs intemperantiam remedio eſſent, congruè adnotatum à noſtro Salmerone tom. 10. in Euangelia; tract. 35. à Cardinale Baronio tom. 1. anno Chriſti 34. num. 106. probántque ex Gellio lib. 10. c. 23. Macrobio Saturnal. lib. 7. quæſt. 7. Cùm ergo vinum, cui fragrantiſſimus Sponſi ſinus comparetur, de vnguento medicatis fuerit, vt neceſſum eſſe cogitare indicauimus elapſa ſectione: potuit Sponſæ quantumcumque aut verecundæ, aut delicatæ præberi.

Author Cõmentar. in epiſt. Pauli.
Tertull.
Valer. Max.
Salmer.
Baron.
Gellius.
Macrob.

21. *Vinum triſtitiæ, deliquio, ægritudini variè medetur.* Sed concedamus Almonacirio, vel odorem teneræ Puellæ ingratiſſimum, at Medicinæ causâ porrigebatur: Solet autem deiecta valetudo ea amplexari, quorum ne olfactum, ne aſpectum vegeta toleret ſalus: Porrò Sponſa mœrore torquebatur ob longiorem Sponſi abſentiam, amiſerat ſpiritum, & mente erat languida, atque conſternata, his omnibus nocumentis ſolamen à vino, cui adhæsêre aromata precioſa, Seneca de Tranquillitate, cap. 15. *Eluit enim curas, & ab imo animum mouet, & vt morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur: Libérque non ob licentiam linguæ, dictus eſt inuentor vini, ſed quia liberat ſeruitio curarum animum, vegetiorem, & audaciorem in omnes conatus facit:* Idem epiſt. 95. *Antiqui Medici neſciebant dare cibum ſæpiùs, & vino fulcire venas cadentes:* & ſimilia prorsùs lib. 3. de Benef. c. 9. Plinius epiſt. 8. lib. 2. *Inuideo, angor tamen, non & mihi licêre, quæ ſic concupiſco vt ægri vinum, balinea, fontes.* Socrates apud Xenophontem in Sympoſio: ὁ οἶνος ἀρδεύων τὰς ψυχάς, τὰς μὲν λύπας ὥσπερ ὁ μανδραγόρας τοὺς ἀνθρώπους κοιμίζει, τὰς δὲ φιλοφροσύνας, ὥσπερ ἔλαιον φλόγα ἐγείρει: *Vinum irrigans animos, ægritudines ſopit, vt Mandragoræ ſuccus homines, hilaritatem verò excitat, vt oleum flammam.* Ouidius Triſtium lib. 3. Elegia 3.

Seneca.
Plinius.
Ouidius.

*Si iam deficiam, ſuppreſſáque lingua palato,*
*Vix inſtillato reſtituenda mero.*
*Nunciet huc aliquis Dominam veniſſe, reſurgam*
*Spéſque tui nobis cauſa vigoris erit.*

Horatius non ſemel: lib. 2. Carminum Oda 7.

Horatius.

*Obliuioſo læuia Maſſico*
*Ciboria exple, funde capacibus*
*Vnguenta de conchis.*

*Obliuioſo* (ait vetus Gloſſiſta Acro) *hoc eſt, vino, quo curæ pelluntur, & labor in obliuionem venit;* & lib. 3. Poëta iterum, Oda 21.

Idem.

*Tu ſpes reducis mentibus anxijs*
*Viréſque.*

Sacer etiam in hymnis ſuis Pſaltes, *Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis,* Pſalm. 103. verſ. 15. vbi multa in hunc ſcopum Lorinus; illud & de apocrypho Eſdra lib. 3. cap. 3. verſ. 20. *Et omnem mentem conuertit in ſecuritatem, & iucunditatem, & non meminit omnem triſtitiam:* Parœmiaſtes quoque cap. 27. verſ. 9. *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor:* nam & modò de eo vini genere ſermo eſt, quod ab vnguentis ſuauiſſimè redolet.

Pſal. 103. 15.
Lorin.
Eſdr.
Prouerb. 27. 9.

22. *Damnatis ad mortẽ vinum conditum dabatur.* Ac ſanè apud Hebræos vſitatiſſimum appareat fuiſſe Animi deiectionem, & à mœrore ſubortam imbecillitatem vino generoſiori propinato, qualia erant quibus admiſcebantur aromata fulcire, adeò vt & mandatum habuerint medicato ab vnguentis Falerno ſupplicio afficiendos releuare: percipiamus à Lyrano in illud Matth. cap. 27. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum,* &c. *Scribitur enim* (inquit) *in quodam libro Hebraïco, qui apud eos intitulatur liber Iudicum ordinariorum; quod quia Salomon dixerat, Prouerb. 31. date ſiceram, id eſt, potum inebriatiuum mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo, vt bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs; ideò ex occaſione huius verbi, Seniores Iudæorum ſtatuerant, vt condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt faciliùs tolerarent paſſionem: in Ieruſalem autem erant Matronæ deuotæ, & compaſſiuæ, quæ hoc vinum dabant ex deuotione.* Similis Traditionis meminit Salmeron tom. 10. in Euang. tract. 5. §. *ſecundum dubium eſt,* &c. atque fuiſſe inter affirmatiua præcepta, nonageſimum octauum, vt capite plectendis daretur granum thuris & myrrhæ: refert & paria ex Thalmud, titulo Abel Kabbati, cap. 2. Cardinalis Baronius tom. 1. anno Chriſti 34. numero 110. eruditus comprimis Dominus, & plurimis ornamentis conſpicuus Don Laurentius Ramirezius, in Πεντηκοντάρχῳ, cap. 9. Qui omnes ſcriptores vt probent, allata ex Prouerbiorum, cap. 31. libenter ſubſumunt verba: quæ & eodem pacto legitimè conſtrui autumant Suarius tomo 2. in 3. partem, diſputatione 37. ſect. 3. §. *Difficultas eſt,* &c. Prado tomo 2. in Ezechielem ad verſ. 31. cap. 23. Barradas tomo 4. in Euangel. lib. 7. cap. 11. Sanchez in cap. 51. Iſaiæ num. 56. & in cap. 2. Habacuc, num. 81. Salazar ipſum in Prouerbiorum locum: Zerda in aduerſariis, cap. 177. num. 6. Franciſcus Valeſius de ſacra Philoſophia, cap. 27. neque modò contenderim pertinax, Salomonis gnomen, ex litera benè aptata, de morte puniendis ex Iudicis ſeu iuſta, ſeu iniqua ſententia, conſtruendam; illud tamen obſirmatè docuerim, ad mœrore affectos ſpectare, & ad ſuppreſſos ſpiritus erigendos, (qui vnicus ſcopus præſentis tractationis) pharmacum ſalutare vinum eſſe, prout memoratus nuper inſigniter doctus Medicus Valleſius commonſtrat: atque ab Agellio ſanè egregiè animaduerſum ad Dauidis periodum ſuperiùs allegatam ex Pſalm. 103. verſ. 15. *& vinum lætificet cor hominis:* in Hebræo dictionem eſſe אֱנוֹשׁ *Enos* qua non homo ſignificatur vtcumque, ſed eiuſmodi, qui ſub angore ſit, & tabeſcat atque affligatur animo; quo intelligamus vini hilaritatem ad hos refocillandos ordinatam, quod à Parœmiaſte aſſerebatur: non reticebo Agellij Commentationem: *Vigilanter autem hominem hoc loco Enos appellauit, hoc eſt afflictum, & mæſtum, vt lætificet cor Enos, ne luxurioſi homines ad defenſionem ſuæ ebrietatis Scripturæ ſacræ teſtimonium haberent: nam ad cor ſubleuandum laboribus, curiſque depreſſum, & ad mediocrem vſum datum eſt, non ad luxuriam, & voluptatem excitandam.*

De Lyra.
Prouerb. 31.
Salmeron.
Baron.
Laurent. Ramirez.
Suarez.
Prado.
Barrad.
Sanchez.
Salazar.
Zerda.
Franc. Valeſ.
Agell.
Pſal. 103. 15.
*Vinum pharmacum ſalutare* אנוש. *j. homini mente afflicto.*
Agellius.

23. Amos 2. 8. *Vinum damnatorum in Scriptura, cõditum & precioſum, quod pro morti addictis & ex eorum bonis emebatur.* Verùm de oblato vino excellentiori ad ſupplicium ituris Amos certè verſus octauus ex cap. 2. *Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare: & vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui:* Exprobrat duo crimina Idolorum cultoribus



ribus Hebræis, nempè cùm in mendacium Deorum fanis conuiuia, & ebrietatem, quaſi in honorem Numinum, exercerent; ita crudeles fuiſſe; primùm, vt cùm ex legis præſcripto veſtimenta, quæ tenuiores oppignorauerant, in veſperam reſtituere debuerint, quo Pauperes, cùm aliud non haberent operimentum, noctu tegerentur, Exod. cap. 22. verſ. 28. retinuerint tamen, quando & Conuiuia in multam noctem producerent: certè attererent, & conſumerent, cùm ſaltem interdiu iis vterentur: Secundò, quoniam Vinum, quo in patibulum agendi, aliâve lethi formâ enecandi, reficiebantur, cùm exquiſitum eſſet atque precioſum, vt cui etiam aromata adiuncta eſſent; hoc miſeris ſubtraherent pro voluptatis irritamento: Vocatum eſt autem Vinum Damnatorum, non ſolùm quia morti addictis porrigeretur, (quanquam Nominis hæc princeps occaſio,) ſed quoniam inſuper ex Damnatorum mulctis, & proſcriptionibus precium eius: Fuit enim priſcus mos, vti in res ſacras atque pias bona diſtribuerentur, aut illorum quidem portio, quæ vnà cum vita, delinquentibus adimebantur: probat eruditè noſter Roa Singular. lib. 2. cap. 9. cui Liuium annectimus lib. 33. *Ex argento mulctatitio tria ſigna ænea, Cereri; Liberóque, & Liberæ poſuerunt:* Nam quemadmodum triginta argenteis, quos Iudas retulit Principibus Sacerdotum, & Senioribus, Ager in ſepulturam Peregrinorum emptus eſt; cur non putauerimus & de Bonis eorum, qui mortem ſubierunt ob Iudicis ſententiam, aliquid deputatum ad vinum comparandum, quo reficerentur, quoties animo & viribus excidiſſent, qui ad ſupplicia trahebantur? Equidem non percipio, quamobrem Amos verba, hoc genus interpretamenti non ſuſtineat, quod cùm & Patronos habeat Nicolaum de Lyra, Baronium, Prado, Ramirezium, Sanctium, Salazarium, Zerdam: neſcio quamobrem vir ſatis moderatus, loco paulò antea indicato, Martinus noſter de Roa, meras nugas, meráque ſomnia dixerit.

Martinus Roa.
Liuius.
De Lyra.
Baronius.
Prado.
Ramirez.
Sanctius.
Salazar.
Zerda.

24. Verùm ſi Iudæorum Religio, Damnatis, ſuauioris meri hauſtu occurrere, quamobrem non & in Chriſtum humani fuerint, cui dederunt vinum bibere *cum felle miſtum?* Matth. cap. 27. verſ. 34. Marcus vinum fuiſſe *myrrhatum* narrat capite 15. verſ. 23. Sed idem hoc, cùm Myrrha ſaporis ſit, quemadmodum & fel, amaricantis. Duæ ſunt opinantium factiones: altera conſiderat triplicem Chriſti potum: Primum ex Myrrha, qui propterea fuit & ſuauis, & odoratus, de quo Marcus: Secundum ex vino cum fellis admixtione, qui palato grauis, de quo Matthæus: Tertium, poſtquam aſcenderat lignum ſanctum, qui ex aceto, Ioan. cap. 19. verſ. 29. huius ſententiæ de veteribus Theophylactus atque Euthymius, ex nuperis Salmeron & Baronius: probabilem æſtimarunt Suarez atque Barradas: indicauimus vbinam affirment numero 22. Altera, nihil aut ſuaue aut fragrans Chriſto oblatum contendit, proinde duos potus meditatur ſolùm: alium ex Myrrha atque felle, antequam Seruator crucifigeretur: alium de aceto poſt ſuſpenſum à patibulo; hæc eſt communior opinio: Ego ſtatuo Myrrhatum poculum, & amari potuiſſe ſenſus fuiſſe, atque dulcis etiam: Nimirum, ſi vel Myrrha aliis cum vnguentis vino infundebatur, de quali Miſcellaneo Plinius lib. 14. capite 13. *Lautiſſima apud priſcos vina erant, Myrrhæ odore condîta, vt apparet in* Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur, quanquam in ea & calamum addi iubet: Vel propter vaſculum, quo vina propinabantur, quod Myrrhinum nuncupabatur: de quo Epigrammatarius in Apophoretis, Diſticho 113.

Matth. 27. 34.
Marc. 15. 23.
*Triplex Chriſti potus in paſſione.*
Theophyl.
Euthym.
Salmeron.
Baronius.
Suarez.
Barradas.
Plinius.



*Si calidum potas, ardenti Myrrha Falerno*
*Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.*

Martial.

Plinius & de hoc poculorum genere, libro 37. cap. 2. *Aliquam in odore commendationem eſſe* affirmat: Sed pro hac potus forma, nempè vt fuerit & guſtu, & odore commendabilis, decertant Baronius Tom. 1. anno Chriſti 34. numero 96. Delrius in floridis, lectione 10. de Paſſione Chriſti, Raderus ad nominatum Martialis diſtichon, Ramirez de Prado in Pentecontarcho, cap. 9. Sanctius in hunc Canticorum locum, Vincentius Riccardus Notis ad Commentarium Cantacuzeni in Salomonis Canticum, ad verſ. 2. capite 8. Bullingerus lib. 3. de Conuiuiis, cap. 3. Sin autem Myrrha, guttâ exceptâ quam Græci σταϰτὴν appellant, abſque aliorum vnguentorum temperamento cum vinis miſceatur, quid ſi & fel ſuperaddatur? Potum efficit & amarum, ſimúlque obtupeſcentem, & quo torquendi aduersùm dolores hebetes euadant; probant ex Galeno & Dioſcoride de nuper recenſitis Delrius, Ramirezius, Bullingerus, Lorinus ad verſum 9. Pſalm. 44. Nec abnuit Plinius lib. 13. capite 1. *Myrrha, & per ſe vnguentum facit ſine oleo, ſtacte duntaxat: alioquin nimiam amaritudinem affert.*

Plin.
Baron.
Delrius.
Raderus.
Prado.
Sanctius.
Vincentius Riccard.
Bullinger.
Delrius.
Ramirez.
Bullinger.
Lorinus.
Plinius.

25. *Latrones in cruce de vino condîto potati, Chriſtus de felle & aceto.* Dico itaque: Si quid hauſerunt, dum in Caluariam pergerent, aut poſtquam ibi conſtiterunt, Latrones duo, (vt hauſiſſe Iudæorum mores perſuadent,) fuiſſe ex poculo condîto & ſuaueolenti, quod animum delinire, Cor erigere poſſet; Chriſto autem amaritudinis calicem porrectum: Incitor, eò quòd Latrones ſi de altero potaſſent liquore, Myrrhato nempè, vti ab Illuſtriſſimo Baronio fortiter annotatum, in ſtuporem verſi, & mentis de ſtatu amoti, haud poſſent in Cruce ea verba pronunciare, quæ conſilium, & rationem ſaperent; fuit autem ſibi conſtans ſermo, & boni Latronis ad miraculum perfecta Oratio, Mali vero impia ſanè, ſed non delirans plus quàm Scribarum & Phariſæorum, aliorúmque aduersùm Redemptorem blaſphemantium: Neque erat occaſio reſpuendi vt à Chriſto factum; quoniam illi, quibus poterant modis, cruciatibus ſolatium quæſituri erant, vt qui ob delicta, & inuiti patiebantur: Ieſus autem, qui voluntariè oblatus eſt, ob nimiam charitatem erga mortale genus, ſaturari voluit & torturâ & opprobriis, vir ſcilicet dolorum; proin deſpexit, quæ laborem minuere poſſent. Iam verò, quod Seruatori amara ſubminiſtrauerint Crucifigentes, Textus Matthæi palàm edocet: Neque hinc argumentum, præter vſum Hebræorum vina aromatica effundere patibulariis: nam quanquam & mandatum haberent, nimiâ in Chriſtum inuidentiâ, legem contempſiſſent: vti ſanè & Deuter. cap. 25. v. 3. cautum, ne in flagellando plagarum numerus quadragenarium ſuperaret, quod vt exactè obſeruarent, conſuetudo fuit vndequadraginta verberibus afficere; docet Ioſephus Antiquit. lib. 4. c. 8. & monent vulgariter Interpretes ad verſ. 24. epiſtolæ ad Corinthios poſterioris: tamen in verberando Dei Filio abolita iſta decreta, vt expendit Gretſerus Tom. 1. de Cruce, lib. 1. c. 9. Sic igitur mandatũ infringẽtes de exhibendo cõdîto

Baron.
Deuteron.
Ioſeph.
Gretſer.

poculo damnatis, dederunt Seruatori in eſcam fel, & potauerunt eum aceto. Quod ſi quis amet aſſerere Chriſto à piis mulieribus de aromatico vino datum, antequam inimici fel præberent;

Pſal 68. 21. *Chriſtus in Cruce nõ habuit conſolatorem.*

erit, qui opponatur Pſalmi 68. verſ. 21. *Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni:* at ſi calicem condîti Bacchi accepit, non defuit Conſolator: Verùm altera, cáque difficultas communis hos ſcrupularios vrget; quoniam ſanè mulieres plangebant & lamentabantur, Lucæ 23. verſ. 27. & tamen Pſalmi verba indicant, non extitiſſe, qui ſimul contriſtaretur: Quemadmodum igitur Propheticæ non officit veritati fuiſſe quæ lacrymarentur aliquas, ita nec quod de iiſdem condîtum merum obtulerint:

Lorin.

multæ apud Lorinum explanationes, quæ Dauidico medeantur vaticinio. Ergo conſtat peritè loquutos illos, qui Sponſæ exanimationi vino ſubuentum aſſeruêre, præſertim odorato & fragranti, non tantùm ſua à natura, & propaginis nobilitate; ſed

*Deliquio remedia.*

magis ab aromatibus, & vnguentis: quare Franciſcus Ranchinus in Opuſculis Medicis, tract. de curatione morborum, qui purgationem aut comitantur, aut ſubſequuntur, ſect. 1. cap. 4. de

Franc. Ranchin.

animi deliquio: *Vinum* (ait) *ad hæc omnia præſtantiſſimum, quia vires reficit & cor recreat: odorata pariter conueniunt, & ſpirituoſa, vt Aqua cæleſtis, aqua vitæ, acetum Roſaceum, & imperiale:*

Lemnius.

Leuinus Lemnius lib. 2. de occultis naturæ miraculis, cap. 11. ſiniſtræ manus digitum infimo proximum, quod in eum tenuis arteria à corde ducatur, ſolitum à ſe velli, cum auri & croci attritu affirmat, vt deliquio ſuccurreret; Neque negamus & alia præter vinum opem afferre, at hoc ſuper cætera iuuare; fatetur &

R. Fonſec.

Rodericus Fonſeca libello de tuenda valetudine, cap. 12.

---

*Amor carnalis ægritudinem cauſans: quantum robur honeſti affectus? Geneſis & Prouerbia exornata: Animæ paſſiones quemadmodum in carnem dominentur, phyſica ratio: alius Prouerbiorum locus, cum verſu ex Pſalm. 83. Num ab amore caſto deliquium? ex nimio gaudio & mærore ſpirituum defectio: ex Geneſi & Regum lib. 1. probatio: Lucæ verba de ſanguineo Chriſti ſudore accuratiùs tractata: an naturalis? vnde origo? extaſim quænam pariant, contemplatio an amor? corporeæ pulchritudinis honeſta dilectio.*

## SECTIO IV.

26. QVæ principem Textus explanationem impediebant à vino petita argumenta eneruauimus, ni mihi nimiùm imponat cogitatio: multò difficilior Charybdis, quod Sponſam animo defeciſſe præ Amoris aut magnitudine, aut impotentiâ aſſeramus; quippè caſta meditamur fœdera, coniugium immaculatum, Virginem in ſcenam mittimus, quæ Maritum impenſè adamet, verecundè tamen, quæ non debacchetur, non inſaniat: At ſi orbatam ſenſibus, penè defunctam pro affectus vehementia haud diffitemur, quonam more non turpiter amaſſe cenſuerimus? quæ enim aliæ Notæ furentis libidinis, quàm morbus, & languor?

*Languor Amantum.*

Ita cùm perditè in Nouercam æſtuaret Seleuci Regis filius Antiochus, tabe conſumptus in lectum decidit: refert

Valer. Max.

Valerius lib. 5. cap. 7. num. 5. Sic & Amnon, cùm germanam deperiret, thalamo affixus eſt, Reg. 2.

2. Reg. 13. Toſtat.

cap. 13. vbi Toſtatus quæſt. 19. de Poëtarum Mileſiis non pauca congerit: ſanè quædam apud Naſonem:

Laodamia Proteſilao. Ouidius.

*At poſtquam nec te, nec vela fugacia vidi,*
*Et quod ſpectarem, nil niſi pontus erat.*
*Lux quoque tecũ abijt, tenebriſque exanguis obortis*
*Succiduo dicor procubuiſſe genu.*

Flaccus quoque de Amoribus ſuis nihil caſtis, de quibus & ſuppudebat ipſummet, Epodon vndecimo.

Horat.

*Heu me! per vrbem (nam pudet tanti mali)*
*Fabula quanta fui:*
*Conuiuiorum & pœnitet:*
*In quibus amantem & languor, & ſilentium*
*Arguit, & latere*
*Petitus imo ſpiritus.*

Apuleius.

Apuleius etiam Tranſmutationum lib. 10. ſub initio, de Priuigni amoribus ſaucia Nouerca *ſæuienti Deo iam ſuccubuit: ac languore ſimulato vulnus animi mentitur in corporis valetudine: iam cætera ſalutis, vultúſque detrimenta, & ægris, & amantibus ex amuſſim conuenire, nemo eſt qui neſciat: pallor deformis, marcentes oculi, laſſa genua, quies turbida, & ſuſpiritus cruciatus tarditate vehementior:*

*Amantum morbus, ſumma amentia,* Michaël Paſchal.

Denique huiuſcemodi incendia non tam morbum, quàm ſummam amentiam periti iudicarunt Medici, ex quibus Michaël Ioannes Paſchalius, de curandis morbis internis, lib. 1. cap. 11. neque iniuriâ dementiæ extremum æſtimata, vt quam immedicabilem ægritudinem iudicarint. Propertius lib. 2. elegia 1.

Propert.

*Non hîc herba valet, non hîc nocturna Cytæis,*
*Non Perimedæa gramina cocta manu.*
*Quippè vbi nec cauſas, nec apertos cernimus ictus,*
*Vnde tamen veniant tot mala, cæca via eſt.*

Cùm igitur ſponſæ Amorem, pudicum, ſibi imperantem, moderatum vbique pingamus, languorem oportet, & animi conſternationem procul amoueamus.

27. *Caſti & obſcœni Amoris ijdem effectus aliqui.*

Sed attentiùs conſiderandum eſt, ex Amore adulterino, éxque impolluto eoſdem poſſe generari effectus: Quantis ſe obiectant laboribus, qui ſordida depereunt! Illa apud Tragœdum in Hippolyto, Actu ſecundo:

Phædra apud Senecam.

*Non me per altas ire ſi iubeas niues,*
*Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:*
*Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina,*
*Cunctler paratis enſibus pectus dare.*

Et tamen abſque piaculo, & rectè diligens Iacob, pro Rachele ſeptem annis ſeruiuit, ſub duro auunculo magnis probatus certaminibus, & videbantur illi pauci dies præ Amoris magnitudine, Geneſ. 29. verſ. 20. vbi Nicolaus & Abulenſis Hieronymum interpretari aſſerunt laborem pro diebus, quoniam etſi dies multi viderentur, quoniam diligenti omnis mora longa, tamen laborem exiguum & breuem reputabat: ipſi tamen aliter: *Quia etſi dictum fuiſſet Iacob* (inquit Toſtatus) *quòd ſeruiret annis quindecim pro Rachel, ſeruiret etiam amplius, tanto amore honeſto tamen tenebatur:* certè Iacobum ab impudico affectu omnes vindicant Interpretes; legendi præ aliis Thomas Anglicus, Pererius tom. 3. in Geneſim, diſputatione 3. in cap. 29. Abulenſis ibidem, quæſtione 1. *Iſte amor* (ait) *fuit caſtus*

Geneſ. 29. 20. De Lyra. Toſtat. Thom. Angl. Pererius. Toſtat.





*non excedens metas Matrimonij, nec vt frueretur pulchritudine, ſed quia pulchritudo incitauerat eum, & boni mores, ad accipiendam Rachelem potiùs, quam Liam:* Sapienter ab eo pronunciatum: *Matrimonij cancellos non prætergreſſam Iacob flammam* (quem de impudica venere ſolus Manichæus, aut ſimilis

Auguſtin.

hircus taxauerit, vide Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum, cap. 48.) Nam ſanè haud æquum fuerit minores in diligendo vires conceſſiſſe Amori coniugali & bono: id quod optimè animaduerſum à Baſilio Legionenſi, Tomo variarum, quæſtione 2. expoſitiua, cap. 3. quando & nobiliora incitamenta habeat; nec latuit de prophanis Metriſtam: Propertius lib. 4. epiſtola Aretuſæ ad Licotam:

Baſil. Legion. Propert.

*Romanis vtinam patuiſſent caſtra puellis,*
*Eſſem militiæ ſarcina fida tuæ,*
*Nec me tardarent Scythiæ iuga, quum Pater altas*
*Africus in glaciem frigore nectit aquas.*
*Omnis Amor magnus, ſed aperto in coniuge maior,*
*Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipſa facem.*

Dixit feliciter, manifeſto in coniugio valentiorem eſſe Dilectionem: Solet ignis impuri ardoris, veſtibus delectari iucundioribus, vnguenta chara habere, monilia, gemmas; Sic illa inuerecunda, & petulans Prouerb. capite 7.

Prou. 7. 16.

verſ. 16. *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha, & aloë, & cinnamomo: Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus.* Sed & hæc etiam caſtitas tolerat, Eſthere & Iuditha teſtibus: Paria & de languore atque morbis: veſtigemus cauſam.

28. *Corporis & Animæ magna ſynergia.*

Equidem inter corpus & animam pro huius vitæ curriculo tanta ſynergia, vt viciſſim aut gaudeant, aut tabeſcant: corpus quidem lato more & impropriè: de mutua lætitia ex animæ Hi-

Pſal. 83. 3.

laritate, Pſalm. 83. verſ. 3. *Cor meum: & Caro mea exultauerunt in Deum viuum:* de grauedine à cor-

Sap. 9. 15.

ruptela carnei indumenti, Sap. cap. 9. verſ. 15. *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam:* Quare Stagirita de Phyſiognom. c. 4. *Videntur mihi Ani-*

Ariſtot.

*ma, & corpus compati abinuicem: & Animæ habitus alteratus ſimul alterat Corpus, & iterum forma corporis alterata alterat Animæ habitum: quando enim anima eſt triſtari, & lætari, manifeſtum eſt quod triſtes obſcuræ faciei ſunt, gaudentes autem hilaris:* Sequitur Philoſophum Medicorum ſchola, è quibus

R. Fonſec. F. Ranchin.

vidẽdi Roderic. Fonſeca de tuenda Valetud. c. 24. & pro dignitate qui ventilat Franciſcus Ranchinus in Opuſculis Medicis, Pathologiæ Vniuerſa-

Iac. de Forliu. Conimbric.

lis, ſect. 2. cap. 18. Iacobus de Forliuio ſuper fen. 1. Auicen. quæſt. 45. atque optimè noſtri Conimbricenſes in lib. Stagiritæ de morte & vita, capite 6.

Ambroſ.

Ambroſius affabrè initio Explanationis Pſal. 61. *Anima Carni compatitur, & Animæ Caro, quæ ſibi quodam contubernio copulantur.* Sed in compoſito rationali quemadmodum nobiliſſima pars Anima, ſic & ipſa plurimùm dominatur: vnde Prouer-

Prouerb. 17. 22.

biorum Author, cap. 17. verſ. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus triſtis exſiccat oſſa:* Cui ſimilis ſententia præceſſit capite 15.

Et 15. 13.

verſ. 13. *Cor gaudens exhilarat faciem: in mærore animi deijcitur Spiritus:* vbi non indoctè Ian-

Ianſen.

ſenius: *Intelligatur ergo Cor gaudens, animus gaudens, & læta mens: hæc exhilarat faciem, totúmque corpus perfundit: quia affectiones Mentis redundant in Corpus, & in faciem vbi omnes vigent ſenſus, maximè agnoſcuntur & operantur:* Et de hac Animi velut poteſtate, in ſenſitiuam, materialémque partem, intelligendus Author de Cardinalibus operibus Chriſti ſub titulo Cypriani in

Auth. de Cardin. oper. Chriſti.

Prologo: *Non eſt Caro dictatrix peccati; nec inuentrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda, ſed officina eſt Spiritus, qui in ea, & per eam, quæcumque affectauerit, peragit & conſummat;* quibus non negatur lucta illa, de qua Apoſtolus ad

Ad Galat. 5. 17.

Galat. cap. 5. verſ. 17. *Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus Carnem, hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis, illa faciatis:* Nam fomes peccati in nobis manens ex peccato Originali, cùm ſit inclinatio naturalis appetitus ſenſitiui, quatenus inordinatè & abſque rationis conſenſu vetita concupiſcit, vt monet S. Thomas 3. part. quæſt. 15.

S. Thom.

art. 2. in corpore, agit vt Animæ contradicatur, ciúſque minuatur imperium rationale & honeſtum: tantùm nunc ſcopus eſt, vt ſiue ex virtute, ſeu ex improbitate, Spiritus vel gaudeat, vel triſtetur, vel alio commoueatur affectu, quoties vehementes ſunt; corpus etiam ad Animæ componi exemplum, & vel ſalutis incrementa, vel diminutionem ſentire, ſæpiúſque hebes reddi ad ſolita munia.

29. Huius effati locupletiſſimum robur ab experientia aſſidua; ſuadet item formæ ſupra materiam præſtantia, cuius hoc excellentiæ debetur, præſertim cùm ipſa ſit, quæ viuere, & ſentire, & vegetare faciat, cuius vitali ſpiramento ſtatim vt deſtituitur Caro, frigeſcit inepta & mortua; verùm adiungamus & præter ſacram Bibliorum, Authoritatis externæ quidpiam. Venuſtè Latinus Pacatus in Theodoſij Panegyrico: *Repentina felicitas facit attonitos: Animos enim noſtros ſubitis affectibus impares, perinde lætitia, ac dolor, ſi deprehendat, externat:*

Pacatus. *A mærore, vt à voluptate defectus animi.* Theophraſt.

Theophraſtus & Medicè & Philoſophicè, in calce Opuſculi de Animi defectione: *Faciunt & voluptates, & mærores defectum animi: Nam ab vtriſque humoris copia irruit: à voluptate quidem, quod tabeſcit, & effundit; à dolore autem, quod adſtringit, & denſat: irruens autem humor ad inſpirationis locum, animam facit deficere.* Iam ergo, cùm vt Anima deficiat, viréſque laſſentur corporis, & totum conſumptio occupet, ab affectibus pendeat ſeu mœroris, ſeu gaudij, ſeu ſtuporis cum nimietate; equidem ſi huiuſmodi Paſſiones Amorem omnem comitentur, ab omni Amore erit, vt procedat languor & defectio:

*Ab Amore ſeu ſpurco ſeu puro deliquium.*

Atqui non minus eſt obiectum pulchri & indefæcati Amoris potens ad gaudium excitandum vehemens ex Boni poſſeſſione, vel mœrorẽ profundam ex metu amiſſionis eiuſdem, quàm ſit obiectum Amoris ſpurci & impuri: igitur non minùs procedet ſpiritus conſternatio ab Amore ſine macula, quàm à polluta dilectione. Declaro iſta: Nam quò præſtantius eſt Bonum, quóque rebus vndequáque conſideratis, plus bonitatis in termino, eò magis incendit voluntatem, atque vt æſtuet, & ebulliat, cogit; præſertim verò ſi Intellectus Bonum ipſum attentiſſimâ ſpeculatione contempletur, & Voluntati repræſentet: Sed in obiecto honeſti Amoris, obiectum eſt nobilius, ipſíque puri Amatores, theoriæ Boni totis viribus incumbunt; igitur talis Boni Amor excitabit robuſtiores affectus: At pro affectus magnitudine Deliquia obueniunt, igitur & ab Amore abſque ſordibus Deliquia cauſari valeant.

30. Nunc exemplorum aliquid pro affectu meliori. Poſtquam Iacob Patriarchæ renunciatum Ioſe-

*& carnem, & mentem. O potens & præpotens paſſio Charitatis! ſi non temperatur, non toleratur: iure potens, quæ Animum, quem poſſederit, ſui ipſius efficit impotem:* ſed de extatico Beatiſſimæ Deiparæ morbo, quo anhelabat in Filij conſortium Mater, & cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto, exponit

Philipp. Abb. Cant. 2. 5.

Philippus lib. 1. in Cant. c. 24. verſum 5. c. 2. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia Amore langueo:* quæ & interpretatio eſt, ſed ad verſ. 8. c. 5.

Cant. 5. 8.

*Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis Dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langueo*, Ruperti Abbatis, Richardi à S. Laurentio lib. 3. de laudibus Mariæ: Titulo: Duodecim Priuilegia, §. *videtur tamen ex verbis*, &c.

Rupert. Richard. à S. Laurent.

Egregiè pro eodem ſcopo S. Thomas de Villanoua, concione 4. de Aſſumptione Virginis, vtrumque maritans locum:

Thom. de Villanoua.

*Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ſi inueneritis Dilectum, vt nuncietis ei, quia Amore langueo, quia deficio præ amore: quia tota amore liqueſco: Mitigate flammas obſecro, temperate incendium, fulcite me floribus, ſtipate me malis quia amore langueo, neque enim fortitudo lapidum, fortitudo mea, neque caro mea ænea eſt. Vnde non immeritò crediderim, hoc toto exilij ſui tempore ad ſuſtinendos extaticos illos Amoris impetus odoriferis eam Paradiſi floribus, & purpurantibus malis, id eſt, lucidiſſimis è cœlo reuelationibus, & dulciſſimis ſuauitatibus ab Angelis fuiſſe fulcitam, ne deficeret præ amore:* pro iiſdem verbis mellitè Guerricus Abbas ſerm. 2. de Aſſumptione:

Guerr. Abb.

*Langueo plus impatientiâ Amoris, quàm paſſione doloris, plus vulnerata charitate, quàm grauata infirmitate:* Huiuſmodi languor, de quo Danielis c. 8. verſ. 27. *& ego Daniel langui, & ægrotaui per dies*, quemadmodum declarat Gregorius Romanus lib. 4. Moral. c. 30. & Dialogor. 3. c. 24. vbi peritiſſimè de ægritudinis huius natura: Gillebertus etiam memorato iam ſerm. 46. in Cantica.

Daniel. 8. 27. Gregor. Gilbert.

35. *Ecſtaſeos dua cauſa.*

Hæc ſenſus orbatio, quæ extaſis eſt, hoc animi deliquium, hic ſopor beatus, & deſideratiſſimus duplici ex cauſa oritur; Vna eſt, Intellectus operatio, cui ſoli propriè loquendo, Theoriæ & contemplationis nomen conuenire volunt Doctorum maior factio; ſermocinamur verò de contemplatione actuum ſupernaturalium, & naturæ tranſeuntium vires, quibus poſtquam ratio tota ſe colligit in Deum, ex ipſis connaturaliter ſequitur, vt ſenſuum functiones ſuſpendantur, ſic vt poſitâ gratiâ perfectæ contemplationis, (de qua intelligendi ſimus) non ſit noua & diſtincta gratia, potentiarum conſopiri munia; itaque ipſimet actus eius ſunt efficaciæ, vt corporis habitudinem immutent; nam hoc ſpectatum à nobis ſemper, vt in ſpiritus internos actus refundatur, Animam deficere, & facultates externorum ſenſuum ſaltem otiari, quin & torpere, atque impediri: hæc ſingula approbat Suarius Tom. 2. de Relig. lib. 2. c. 15. num. 12.

Suarez.

Altera cauſa, Voluntatis affectus, ſeu mœroris vehementis pro abſentia Dilecti, longóque exilio; ſeu gaudij à torrente diuinarum conſolationum: itaque ſi contingeret ſpeculationem non eſſe vſque adeò robuſtam, (quod eueniſſe non eſt impoſſibile,) quæ ſenſus à foris ligaret, & ſilentium induceret, ſeu contractis, ſeu euaporatis ſpiritibus, quibus exhilarantur potentiæ, tum ita poſſit ardere voluntas, vt quod non ſit aſſequutus intellectus ſuis actibus, illa conſequeretur: & ob hanc cauſam Magnus Dionyſius c. 4. de Diuinis Nominibus, Amorem eſſe affirmat, qui extaſim parit; & Sanctus Thomas languorem afferre pronunciat, 1. 2. quæſt. 28. art. 5.

Dionyſ. Areopag. S. Thom.

& Richardus Victorinus tractatu de quatuor gradibus violentæ charitatis, loquens de quarto gradu: *Hic eſt ille gradus* (inquit) *qui defectum adducit, qui de remedio iam deſperare facit: & ſic deſperatus æger, qui quaſi præmortuus membris iacet, iam vlterius quid agat, vel ab alio expectare debeat, non habet: vltimum iam ſpiritum trahit, & quid circa ſe agatur, vel quid ſibi fiat, nec attendit, nec aduertit: in hoc gradu verum eſt illud, Fortis eſt, vt mors dilectio, dura ſicut infernus, æmulatio.*

Richardus Victor.

Cæterùm quibus notis dignoſci valeat, & ſecerni ab impoſtura, vera Extaſis, docuimus aliquid ſuperiori volumine, Anteloquio 5. num. 8. de Propheticæ dono tractantes, nam eadem ſigna & ad fraudes extaſum inueſtigandas prodeſſe valeant.

36. *Sponſa in ſuo deliquio vindicata.*

Quando igitur oſtenderimus ſatis, ab Amore ſincero, honeſtóque, Animi defectionem originem capere, neque eſſe quòd libidini tribuamus, conſtat, neque dedecere explanationem, quæ Sponſam Scenæ præſentat viribus deſtitutam: Quippè ſponſa hæc cùm nullius eſſet vel nobilitatis vel ſplendoris, nihílque fortunæ debuiſſet, tantùm naturæ, animíque opibus clara, à viro adamata eſt; qui cùm gloria, ſtemmate, pulchritudine excelleret in paucis, indole erat mitiſſima, excultiſſimis moribus: Abierat hic eius ſponſus in Metropolim cum ſponſione nuptiarum adhuc ſolùm, erátque paſſurus ab Affinium Cognatorúmque manu acrem luctam, dedignantium vtique impar connubium: quid igitur mirum, ſi angebatur Puellæ ſpiritus, metuebátque, ne conſanguineis ceſſurus Sponſus deteſtaretur Amorem? Quid ſi & de hoc falſum Nuncium ad Virginis aures perlatum? In tantis igitur procellis victa ſuccubuit mœrori fœmina, & in ſtuporem incidit: quid in his libidinoſum aut petulans? quid à Coniugis fide alienum? quid à muliebri imbecillitate, quibus vſitatum, ob non magnas cauſas Animo deſtitui? Sed amauit, inquies, formam corporis: Cedo amaſſe, verùm amauit ſecundariò poſt dotes pectoris; amauit in ſuo, hoc eſt pollicito ſponſo, non in alieno; & quemadmodum Iacob Patriarchæ non imputamus quod plùs moueretur erga Rachelem propter ſpeciem, quando cæteris paribus gratior ſit *pulchro veniens in corpore virtus*, ſic nec Sponſæ obiectare debeamus.

*Pulchritudo grata.*

Lubet appoſuiſſe Thomæ Anglici verba, ad cap. 29. Geneſ. verſum 18. quibus apologizat pro Iacob: *Et Hugo de ſancto Victore* (inquit) *in quodam ſuo libro ſcripſit: Vt idem ferculum placet magis in patina munda, & eleganti, quàm contrà: ſic etiam æqualis charitas, & virtus plus nobis placet, & vehementiùs nos ad ſui amorem allicit, ſi fuerit in perſona, quæ habeat ſuauem vocem, venuſtos geſtus, lepidum ſermonem; quàm in perſona ruſticana, & agreſti:*

Thom. Angl.

de Iacob fusè diſputauimus numero 27. Atque nunc ſanè Sponſa ob mœrorem, Animi vigorem amittat, poſteà ob gaudium, celebrato geniali epulo; cùm ferre non valens cumulum Bonorum, poſtulabit fulciri floribus, ſtipari malis, Cantic. cap. 2. verſ. 5. Ita profectò conſentaneum erat delineari, quando de huius libri præcipuis finibus, vt ſæpè anteriori Præloquiorum volumine monſtrauimus, contemplatiuæ Animæ iconem fingere: Contemplatio autem, quando ad perfectum venerit, annexas habeat extaſes, potentiarum ſomnum, virium corporalium extenuationem, prout num. 35. oſtendimus.

Explanatio



# Explanatio in eumdem verſum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. *cap. 1. verſ. 1.*

*Lex Euangelica ſuauis; Vetus oneroſa, & terribilis: Eccleſiæ Catholicæ latiſſimi fines, Synagogæ anguſti, ex Scriptura & Patribus: cur Iudæorum breues limites? Iſaias ſingulariter elucubratus: Euangelio gleba materialis felicior reddita: Hæreſes citò marceſcentes, vera Religio inconcuſſa, & perpetuanda.*

### Sectio Vnica.

37. DOCVIMVS ſuperiori Veſtigatione num. 61. Eccleſiam Catholicam proponi, quæ Sponſum alloquatur in triduo mortis eius, ac, quando Synagogam repudiarit, petit, vti reſurgat de tumulo celer, doceátque modum, & ritus Sacramentorum, omnémque Hierarchici ordinis diſpoſitionem; quod ſanè præſtiturus ſit poſtquam mortem ſuperauerit *per quadraginta dies apparens, & loquens de Regno Dei*, Actor. cap. 1. verſ. 3.

Actor. 1. 3. *In multis Euangelium melius & excellentius Lege veteri.*

Sic enim communiter verba ea conſtruere mos: hoc illa flagitarat antecedenti clauſula, *Oſculetur me oſculo oris ſui:* & nunc, quorſum obteſtetur, aperit: *Quia meliora ſunt vbera tua vino*, id eſt, Euangelium Lege: Ædepol melius multifariam, variiſque modis: Primùm: huius iugum ſuaue, onúſque leue, quoniam præcepta pauca, gratia multa, nam excepto Decalogo, ad quem & Naturæ iura obligant, vix quatuor, aut quinque inſuper de Sacramentorum ſuſceptione: ibi ſexcenta & tredecim præcepta: teſtantur Abulenſis quæſt. 29. ex Deuteronomio capitis, & quæſt. 24. in cap. 1. Ruth. Tena in cap. 2. ad Hebræos difficult. 1. num. 15. à Lapide in capite 15. Actor. verſ. 10. ex Rabbi Moyſe lib. 3. Ductoris dubiorum, cap. 6. vbi affirmatiua ſeparat 148. negatiua facit 365. vt non immeritò Apoſtolorum Coryphæus ibi: *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices Diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?*

Toſtat. Tena A Lapide. Actor. 15. 10.

Pulchrè etiam Auguſtinus tom. 10. ſerm. 9. de verbis Domini: *Propter quod ita diuinæ pietatis diſpenſatione actum eſt, vt interior homo, qui renouatur de die in diem, non adhuc ſub lege poſitus, ſed iam ſub gratia exoneratus ſarcinis innumerabilium obſeruationum, quod erat reuera graue iugum, ſed duræ ceruici conuenienter impoſitum; facilitate ſimplicis fidei, & bonæ ſpei, & ſanctæ charitatis, quicquid moleſtiarum exteriori homini forinſecus intuliſſet ille Princeps, qui miſſus eſt foras, interiori gaudio leue fieret.*

Auguſt.

Hieronymus quoque lib. 3. in Iſaiam ad illud cap. 10. *Et erit in die illa, &c. Abbreuiatus autem, atque perfectus ſermo Euangelicus eſt: qui pro cunctis laencioſæ Legis cæremonijs, dedit præceptum breuiſſimum Dilectionis, & fidei, vt quod nobis fieri noluerimus, ne fecerimus alteri.*

Hieronym.

Abulenſis in 2. Paralip. cap. 2. quæſt. 13. *& ſic lex vetus erat onus, quia magis erat oneroſa, & obligatoria quam vtilis, ſic dixit B. Petrus, Actor. 15. loquens de cæremonijs veteris Teſtamenti, ſcilicet hoc eſt onus, quod nec nos, nec Patres noſtri ferre potuimus; vtilitas autem huius legis erat per quandam ſubiectionem domare colla indomitorum.*

Toſtat.

Secundò: quia eadem lex, (vt idem Toſtatus quæſt. 23. in cap. 20. Exodi,) quod non bonum, qualia vſuræ & repudia, amplectens, Deuter. 33. & 34. Euangelium etiam ad conſilia adhortans; proinde hoc Epithalamij carmine *vnguenta* non qualiacumque, ſed *de optimis*, nam his aſperſa vbera Spōſi, quia lex ab eo lata in perfectiſſimum tendit. Præclarè Andronicus Conſtantinopolitanus Dialogo contra Iudæos c. 48. *Illa antiqua dicit: Non occides: Chriſtiana etiam genas, volentibus ferire porrigit: illa, non mœchaberis: hæc, ne concupiſces quidem: illa, non furaberis: hæc litigare & tunicam auferre volenti, etiam togam permittit: illa, non concupiſces aliena: hæc, etiam iuſtè parta dimittes.*

Andronic.

Tertiò, quia lex priſca, minarum atque formidinis; quare Exod. cap. 21. verſ. 24. *Oculus pro oculo, dens pro dente* eruitur: Paulus ad Rom. 4. verſ. 15. *legem iræ* nominat: Chriſtus autem Petro interroganti, quoties fratri dimiſſurus ſit: *non dico tibi* (ait) *vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Matth. c. 18. verſ. 22.

Exod. 21. 24. Ad Rom. 5. 15. Matth. 18. 23.

Denique lex Moyſis ſeruitutis & timoris lex; Chriſti, Amoris Canon; floridè Auguſt. lib. contra Adimantum Manichæum, c. 17. *Breuis* (inquit) *differentia legis, & Euangelij, eſt timor & Amor:*

Auguſtin.

Sed multa alia ſunt, in quibus vincit Euangelium legem, quæ dicenda à Toſtato tit. 3. in Matth. quæſt. 68. in cap. 11. Maldonato ad v. 30. eiuſdem cap. Barradas tom. 1. lib. 1. à cap. 2. Pereira diſp. 6. in cap. 1. ad Rom. num. 15. Valentia tom. 2. diſputatione 7. quæſt. 6. punct. 3. §. . Acoſta lib. 1. de Chriſto Reuelato cap. 15. Becano Analogiæ cap. 5. quæſt. 1.

38. *Lex vetus, vinum auſterum: Euãgelium vbera meliora.*

Annon iuſtè pro vberibus Sponſa aſſerit, pro Euangelij dulcedine; vuam amaram antiquæ obſeruantiæ deteſtata ſit? Trita Patrum cogitatio iſtamet, quibus præit ſignifer Adamantius hom. 1. ex Hieronymianis, primâque ex quatuor: Aponius lib. 1. in Cantica, Beda, Iuſtus Orgelitanus, Anſelmus, Matthæus Cantacuzenus, VVilleramus Abbas: gloſſæ magnæ Auctor, Philippus Abbas, cuius de Commentario potiùs mutuabor, quoniam plenè exponit, ſic igitur cap. 7. lib. 1. in Cantica: *At verò in lege quædam vini auſteritas reperitur, quæ operatur iram gratiam non largitur, quæ dentem pro dente, oculum pro oculo vult auferri, repercuti ferientem, maxillam alteram non offerri: lex*

Origen. Aponius. Beda. Iuſt. Orgel. Anſelm. Cantacuz. VVilleram. Philipp. Abb.

 quidem

banus, iucundúſque Carmelus, & cæteri venuſtatis colles marcuerint, abieritque illorum & vbertas, & lætitia ad Nationes, quæ in Ieſum Dei Filium crediderunt: certè Genebrardus lib. 2. Chronolog. *Totus* (ait) *decor, & felicitas Terræ Sanctæ, vnà cum templo, & gente concidit:* Quo de argumento nos aliàs tranſeunter quidpiam diximus.

Genebrard.

*Eccleſiæ vniuerſalis propagatio, Nota eſt Orthodoxa.*

Bellarminus.
Th. Bozius.

44. Et quanquam hac ſui admirandâ propagatione eſt, qua Synagogam Eccleſia incomparabiliter vincat, eadem quoque Amplificatio de Notis eſt, quibus verus Orthodoxorum cœtus ab Hæretica illuuie dignoſcitur: Animaduertêre Bellarminus Tom. 1. lib. 4. de Eccleſia, capite 7. §. *Sexta Mahumeti*, &c. Thomas Bozius lib. 6. de ſignis Eccleſiæ, cap. 3. §. *Veniamus ad noſtræ ætatis*, &c. Nam cùm diuina Prouidentia Sponſæ ſuæ chariſſimæ incumbat vigilans, coërcet rabiem Hæreticam & diuagari non ſinit, ne ferus Aper Paradiſi ſui ſpecioſa depopuletur: ipſæ etiam brutæ illæ mentes, & ſtygi deuota capita, ebrietatibus, crapulâ, libidinibus fracta, in torporem, & ignauiam reſoluuntur: Quid? illi loca caloribus infeſta, aut quibus frigus dominatur inſuperabile, humanis deſtituta præſidiis, ferarum teſquis, barbarorum crudelitate immania penetraſſent? Et tanti diſpendij lucrum Indus, qui abiuret in fauſtam ſuperſtitionem? Et vbi interim popinæ? Vbi crateres auitum deſpumantes Falernum? Vbi menſarum profuſiones? Vbi Muſica & eneruatura vnguenta? Vbi meretriciæ illecebræ? Circa hæc reſidet languida, & effœminata Hæreſis: non eſt, quod trans mare currat, niſi forte Auri ſacra fames inuitet: quamobrem memoratus nuper Thomas Bozius egregiè eodem loco aduertit, vnum noſtri ſodalitij valentiſſimum Ducem Franciſcum Xauerium Nauarræum, plures Chriſto aggregaſſe de idolorum veneratoribus, quàm ſuos traduxerint ad errores, quotquot vnquam extiterunt Hæretici à Seruatore paſſo in hunc vſque diem, decem & ſex per tanta interualla, conſumptis longiſſimis ſeculis.

*Hæreſis voluptuoſa decûbit languida.*

*Franciſcus Xauerius.*

*Synagoga vua expreſſa, ficus maledicta, fœnum arefactum: Eccleſia vbera ſemper fœcunda.*

45. Hauriamus & de Vberibus aliud in commendationem Eccleſiæ Catholicæ, quo inſigniter differt à Synagoga, & imprimis ab Hæreticorum conuentibus inſanis: ſuggeſſit verò Bernardus ſerm. 9. in Cantica: *Vua* (inquit) *ſemel expreſſa non habet iam quod denuò fundat, ſed perpetua ariditate damnatur: Vbera non ſic: hæc enim cùm exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris ſumunt, quod propinent ſugentibus:* Itáque Vua breuem, & euaneſcentem gloriam denotat, Vbera continuandam, & duraturam: floruit quidem Synagoga, ſed ad tempus, arefacta eſt iam diu, periit, euaſit: quamobrem Bernardus ſerm. 60. in Cantica ſignificatam affirmat ficu illa, cui Chriſtus maledixit, quæ aruit in ſempiternum, Matth. cap. 21. verſ. 19. quæ eſt Patrum vulgata Allegoria: idémque Bernardus fœnum putat, quod exſiccatum memorat Iſaias cap. 40. verſ. 8. *Carnalis ille populus Iudæorum* (inquit ſerm. 1. ex homiliis ſuper Miſſus eſt) *fœnum fuit: An non fœnum aruit, dum idem populus ab omni Spiritus pinguedine vacuus, ſiccæ Literæ adhæſit? Annon etiam flos decidit, quando gloriatio, quam habebant in lege non remanſit? Si flos non decidit, vbi ergo Regnum, vbi Sacerdotium, vbi Prophetæ, vbi Templum, vbi denique magnalia illa, de quibus gloriari ſolebant, & dicere: quanta audiuimus, & cognouimus ea, & Patres noſtri narrauerunt nobis?* Verùm arefacta eſt quidem Synagoga, non quia mala fuiſſet lex lata pro illis temporibus, ſub qua floruerunt multi iuſti & Prophetæ cum eximia ſanctitudine, ſed quoniam vt diuinè commonet Apoſtolus ad Galat. c. 3. v. 24. *Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificemur: at vbi venit fides, iam non ſumus ſub Pædagogo, omnes enim Filij Dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu:* Aliæ & multæ cauſæ apud Toſtatum quæſt. 16. in cap. 3. lib. 2. Paralip. Valentiam tom. 2. diſputatione 7. quæſtione 7. puncto 7. Tenam difficultate 7. in cap. 7. ad Hebræos: Non talis Hæretica abominatio: nunquam enim hæc vel mediocriter bona fuit, morbida ſemper & in contagio, quónam more in longum perſeueraret? Tot plauſtra Mendaciorum quanquam multoties vallata Principum ſuffragiis, legionibus munita, artibus & calliditate fulcita, euanuêre prorſus, ac ne cognoſcerentur Nomina quidem, niſi ob Catholicorum diſputationes, quæ ad poſteros delatæ. Petri verò Cathedra, columna vtpotè, & firmamentum veritatis, permanſit inter decumanos fluctus ſtabilis & inconcuſſa, manebítque ſicut Luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis, & portæ inferi non præualebunt aduersùs eam: vt non inſcitè accommodari illa valeant de Eccleſiaſtæ cap. 1. verſ. 4. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum ſtat:* nimirum Hæreſes ſint, quibus morientibus aliæ repullulant, breuis vitæ Animalia: Sed Catholica Religio terræ firmitudinem imitata, duret eadem & inuariata, propterea & à Deo quidem: nam cum venuſtate Pacianus epiſt. ad Sympronianum: *Certè non eſt ab homine mutuatum, quod per ſecula tanta non cecidit.*

Idem.
Bernard.
Matth. 21.
Iſai. 40.
Bernard.
Galat. 3. 24.
Toſtat.
Valentia.
Tena.

*Hæreſibus identidem euaneſcentibus, ſtat Eccleſia.*

Eccl. 1. 4.
Pacian.

46. Sed percipiamus aliquid, quod Patres ſuper hac re pronunciauerint. Pro ſua ætate, Euſebius Cæſarienſis teſtatur graphicè lib. 4. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 7. *Quippè alij ex alijs noui, & inauditi errores enaſcentes, & priores ſemper pedetentim ad nihilum prolabentes, obſoleſcere cœperunt, inque multiplices, & non vnius modi ſectas, ac formas dirempti, ad extremum funditùs extincti ſunt: Cæterùm, inſignis veræ, & Catholicæ Eccleſiæ ſplendor, perpetuò, eodem modo, & eiſdem virtutis veſtigijs incedens, mirandum in modum proptcrea creuit, & dilatatus eſt; quod veneranda, ſyncera, libera, modeſta, & pura diuinæ viuendi rationis, Chriſtianæque Pietatis inſtitutio, per vniuerſum, tum Græcorum genus, tum Barbarorum, claritate quadam eximia, & decore enituit: Noſtra igitur ſola permanſit diſciplina*, &c. Hoc Auguſtinus innuit enarratione in Pſalmum 57. in illud: *Spernentur tanquam Aqua decurrens*, &c. *Non vos terreant fratres, quidam fluuij, qui dicuntur Torrentes, hyemalibus aquis implentur: nolite timêre, poſt paululum tranſit, decurrit Aqua; ad tempus perſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare non poſſunt: Multæ hæreſes iam emortuæ ſunt, cucurrerunt in riuis ſuis quantùm potuerunt, decucurrerunt, ſiccati ſunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerint: Spernentur tanquam aqua decurrens.* Sed præclariſſimè Bernardus ſerm. 79. in Cantica, de immobilitate Catholicæ Eccleſiæ inter millena diſcrimina: *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum Matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: ita eſt, ex tunc & deinceps non deficit genus Chriſtianum, nec fides de terra, nec charitas de Eccleſia: venerunt flumina, venerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eò, quòd fundata eſſet ſupra petram, petra autem eſt Chriſtus: itaque, nec verboſitate Philoſophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladijs Perſecutorum potuit iſta, aut poterit aliquando ſeparari à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu; adeò fortiter tenet quem diligit Anima eius, adeò illi adhærêre Deo bonum eſt!*

Euſeb. Cæſarienſ.
Auguſtin.

*Hæreſis Torrens tempeſtuoſus.*

Bernard.

*Eccleſiæ firmitas.*

Explanatio



# Explanatio Didaſcalica, & in morum eruditionem de eodem verſu.

## *Textus:* Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis. *cap.*1. *verſ.*1.

*Mores vnà cum lacte transfuſi: Deus in veteri fœdere ſeuerus, poſtquam Homo factus, de Mariæ vberibus ſuxit, quaſi mitior redditus: Humilitas Chriſti cur ſpecialis virtus? decuiſſe abſque labe originaria concipi eam, à quo lactandus Ieſus: Similitudo, Amoris incentiuum: Chriſtus pulcherrimus mortalium, B. Virgini in corpore ſimillimus prodijt: Mariam Filius ſpiritaliter lactauit: inde argumentum pro immaculata Deiparæ Conceptione, & pro ſumma illius dignitate.*

### Sectio I.

*Infantes cum lacte nutricis mores imbibunt.*

47. STATVIMVS in antecedentibus, numero 5. lactis eſſe plurimam vim ſiue in corporea lineamenta, ſiue ad indolem, quantùm hæc corporis temperaturæ ſubiacet: Nunc addimus eo loci allegatis, qui multò copioſiùs tractat, noſtrum Raynaudum, de Morali diſciplina diſtinctione 3. quæſt. 1. art. 3. num. 64. Sed vt aliquid afferamus probationis, libabimus pauca quædam ex diſſertatione Phauorini Philoſophi apud Gellium lib. 12. cap. 1. *Quamobrem* (inquit) *non fruſtra creditum eſt, ſicuti valeat ad fingendas Animi, atque corporis ſimilitudines vis, & natura ſeminis; non ſecùs ad eandem rem, lactis quoque ingenia, & proprietates valêre: Neque in hominibus id ſolùm, ſed in pecudibus quoque animaduerſum: Nam ſi ouium lacte hœdi, aut caprarum agni alerentur, conſtat fermè in his lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem: in arboribus etiam, & frugibus maior plerúmque vis & poteſtas eſt ad eorum indolem, vel detrectandam, vel augendam, aquarum, atque terrarum, quæ alunt, quàm ipſius, quod iacitur, ſeminis; ac ſæpè videas arborem lætam, ac nitentem in locum alium tranſpoſitam, deterioris terræ ſucco deperijſſe.* Ac ſanè huiuſce in rei confirmationem Conimbricenſes noſtri, in lib. 1. Ariſt. de generatione, & corruptione, cap. 4. quæſt. 25. art. 1. ex Iuſtini Hiſtoriarum lib. 44. referunt ſcribere illum, eâ Hiſpaniæ parte, quæ Gallecia vocatur, Habbidem infantem beſtiis expoſitum, & Ceruino lacte nutritum, tantâ fuiſſe pernicitate, vt montium iuga hinnulorum inſtar incredibili velocitate ſuperaret. Equidem Stagirita lib. 3. Hiſtoriæ Animalium, cap. 12. *Aquas eſſe narrat multis in locis, quas cùm oues biberint, móxque inierint, nigros generent Agnos, vt in terra Aſſyritide agri Chalcidici, Thraciæ facit amnis, quem præ nimia frigiditate Pſychrum vocant: & in Antandria quoque duo ſunt fluuij, quorum alter candorem, alter nigritiem Pecoribus facit: Scamander etiam amnis flauas reddere oues creditur, quamobrem Xanthum pro Scamandro nuncupatum ab Homero autumant.* Eadem ſcribit Ælianus ferè, lib. 8. de Animalibus, cap. 21. περί τε τὸν ἐν Ἀντάνδρῳ ποταμὸν, καὶ τὸν ἐν Θρᾴκῃ, ὃ τὸ ὄνομα ἐρῶσιν οἱ πάροικοι Θρᾴκης ὁ δὲ ἐν Τροίᾳ Σκάμανδρος ἐπεὶ ξάνθας ἀποφαίνει ποιοῦσας τὰς οἶς πρὸς τῷ Σκαμάνδρῳ τῷ ἐξαρχῆς, ἄλλο ὄνομα ἢ τὸν προβάτων ἐπίκτητος χρόα ἔθετο αὐτῷ τὸν Ξάνθον: Quæ non vertenda, cùm penè ab Ariſtotelicis non diſcrepent: cognata etiam in Plinij Naturæ Hiſtoria lib. 2. cap. 103. Quamobrem Hieronymus epiſt. ad Lætam, pro inſtitutione filiæ, Nutricis & Pædagogi maximam diligentiam habendam admonet: Laudatiſſimas verò quaſque Matres alienis vberibus noluiſſe ſobolem credere, oſtendit Pineda lib. 1. de rebus Salomonis, cap. 15. num. 4.

Raynaud.
Gellius.
Conimbric.
Iuſtin.

*Infantis ceruino lacte nutriti mira pernicitas.*

Ariſtot.
Ælian.
Plinius.
Hieronym.
Pineda.

*Deus olim terribilis, de Mariæ lacte mitis redditus.*

48. Iam ergo Deus ille, cuius ſub veteri fœdere, ante conſpectum eius ignis, & in circuitu tempeſtas valida, planè Deus vltionis; vt quid idem poſt aſſumptum hominem tam mitis, qui ne calamum quaſſatum confringat, non linum fumigans extinguat? Nempè bibit de Mariæ vberibus, bibit de lacte miſericordiarum Virginis intemeratæ, bibit nutritios mores, & dulcis, atque ſuauis redditus eſt; vt quales mammæ, talis qui hauriebat: Sic dicamus Allegoriæ ſubſeruientes, nam alioqui, Theologicè nempè, non proles à Matre didicit miſericordiam, aſt è diametro. Nobiſcum omnino Cardinalis Halgrinius in hæc verba: *Meliora enim, poſterioris, & vberioris efficaciæ ſunt vbera Beatæ Virginis, quàm vinum: Nam vinum inebriare poteſt hominem, vt præteritarum ſit immemor offenſarum, & ſit facilis ad condonandum, & largus ad donandum: Vbera verò Virginis Deum quaſi inebriare potuerunt: Nam poſtquam de Matris vberibus bibit,* (notanda hæc clauſula, quâ noſtra cogitatio roboratur,) *ac ſi cum lactis dulcedine, dulcedinem bibiſſet Miſericordiæ, proiecit ab oculis ſuis peccata noſtra poſt tergum, & factus eſt largus ad dandam peccatorum veniam:* Hæc eadem verba cum aliis non paucis Ioannis Halgrinij apud Richardum à Sancto Laurentio lib. 2. de laudibus B. Mariæ: Titulo: *Conſilia Mariæ ſunt:* Neque ſanè conſueuit Halgrinius de alienis Meditationibus tranſcribere, quod tamen Richardo non infrequens eſt, vt ſuſpicer proinde Richardum ante quadringentos annos haud floruiſſe, quando Halgrinius diſceſſerit anno 1450. Sixto teſte, Bibliothecæ lib. 4. eſt tamen admodum pius Author Laurentius, & de Virginis encomiis optimè meritus: Verùm & Richardus de Sancto Victore fauet

Halgrin.
Richard. à S. Laurentio.
Sixt.

Richard. idem.

fauet 2.parte,cap. 23. in Cantica, ſub finem inquiens : *Cùm materiale lac ex te Deus ſuxit, ſpirituale pariter Filys Dei ex te fluere cœpit : & cùm miſericordia Dei ſit ab æterno, amplior eſſe cœpit ex tempore, & cùm ex te cepit initium, eius quoque largitas per te ſumpſit augmentum; in te ergo concreuit lac diuinæ miſericordiæ, & ex te nobis profluxit.*

49. *Vt inter Apoſtolos Chriſto charus Ioannes, Sic inter virtutes Humilitas, Antonomaſticè, Chriſti virtus, quã velut à Matre ſuxerat.* Matth. 11. 29. 2.Corinth. 12.9. Bernard.

Atque eundem in morem conſtruamus, quamobrem Chriſto velut inter diſcipulos ſingulariter charus Ioannes; ſic ex virtutibus peculiariter dulcis Humilitas, quam vnicè adamari ſuis ab imitatoribus cupiat, Matth. cap.11. verſ.29. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*; Quare Bernardus de gradibus Humilitatis ad calcem denotat, cùm virtus abſolutè pronunciatur, ſermone de rebus Chriſti incidente, humilitatem intelligendam; Nam illud explanaturus de poſteriori Corinthiorum, cap.12. verſ.9. *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur : Quæ virtus* inquit ? *Ipſe Apoſtolus reſpondeat : Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti : Sed nondum forſitan intelligis, de qua ſpecialiter dixerit, quia Chriſtus omnes virtutes habuit : Sed cùm omnes habuerit, præ omnibus tamen vnam, id eſt, humilitatem in ſe nobis commendauit, cùm ait, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis Corde:* Sed cur Redemptori tam chara humilitas ? Nimirum, Seruator vnà cum lacte materno, bibit mores & ingenium Parentis : atqui Deiparæ Mariæ vnica virtus, & in qua deliciabatur, Humilitas : Idem Bernardus epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum : *Sola denique eſt, de qua omnium plena virtutum Maria gloriandum putauit : audito quippè ab Angelo : Aue gratia plena, quaſi ſolam ex ipſâ plenitudine humilitatem in ſe recognoſceret, ſolam rependiſſe, ac reſpondiſſe memoratur in gratiam : reſpexit, inquiens, Deus humilitatem Ancillæ ſuæ :* Cùm igitur Mariæ voluptas in humilitate, nutrientis affectu in mammantem tranſlato, & ipſe humilitatem amabiliſſimam habuit.

Idem.

50. *Patri Filius vulnera, Filio Mater vbera in peccatorũ veniam piè obtendit.* Arnold. Carnot.

Sed quando dixerimus quaſi potaſſe Verbum Carne indutum ex Mariæ vberibus lenitatem, & miſericordiam, Arnoldi Carnotenſis ſententiam expendamus Tractatu de laudibus Matris Chriſti : *Securum* (ait) *acceſſum iam habet homo ad Deum, vbi Mediatorem cauſæ ſuæ, Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem : Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus, & vulnera; Maria Chriſto pectus, & vbera : nec poteſt vllo modo eſſe repulſa, vbi conueniunt, & orant omni linguâ diſertiùs hæc Clementiæ monumenta, & Charitatis inſignia.* Et Tractatu de ſeptem verbis, in illud : *Mulier, ecce Filius tuus: Filius* (inquit) *ad pectus Matris, & vbera; Pater ad Filij Crucem, & vulnera reſpiciebat:* Equidem non miror, quod aſſerat Patrem ſpecialiter conuerti ad plagas, & liuores filij, nam etſi quæuis illius opera monere genitorem valeant, principatum tamen obtinent Crucis ignominiæ, in quibus Amor præſtantiſſimè effulſit : At verò vbera materno in corpore principem locum non ſortiuntur, quibus oculi, & cerebrum dignitate præeunt : Quamobrem itaque ignobiliori parte moueri Gnatum aſſeuerauerit? Sanè compoſita Actio ad miſericordiam implorandam : huic autem ſcopo commodius vbera denudare, quàm oculos in filium attollere, aut vultum demonſtrare: quippè filium ad maternum lac reſpectantem, quam inde hauſiſſet indolem, meminiſſe oportebat; Sciebat autem miſericordia repletum genitricis pectus : quò igitur ſe probet tantæ Parentis non degenerem ſobolem, mitem atque benignum ſe oſtendat, neceſſe eſt : Mater igitur vbera exertat, quò filio ſuggerens quid inde traxerit, clementem, & in peccata lenem eſſe decêre, moneat; alioqui ſi diuerſi mores, ſuſpicio erit de mammis, quas ſuxerit, & Matris non erit ſatis tutus honos, vbi non concordat prolis indoles, genitrice blandâ & indulgenti, nato ſeuero, & tetrico.

51. *B.Virginis, quia Chriſti Nutricis, vel immaculata debuit eſſe Conceptio.* Gellius.

Verùm pro immaculata Conceptione Virginis Matris, ſcitiſſimè Inuectiua Phauorini Philoſophi apud Gellium, eo, quod nominauimus cap.1. lib.12. *Quæ (malum) igitur, ratio eſt, nobilitatem iſtam nati modo hominis, corpúſque & Animum benignè ingenitis primordijs inchoatum, inſitiuo, degenerique alimento lactis alieni corrumpere? Præſertim, ſi iſta, quam ad præbendum lac tunc adhibetis, aut ſerua, aut ſeruilis, &, vt plerumque ſolet, externæ atque barbaræ nationis; ſi improbata, ſi informis, ſi impudica, ſi temulenta eſt : patiemúrne igitur infantem hunc noſtrum pernicioſo Contagio infici, & ſpiritum ducere in animum, atque in corpus ſuum, ex corpore, & animo deterrimo ?* Si igitur Nobilitate humana indignum reputant ſapientiores viri, lactis fontem de ſeruili, de barbara conditione eſſe, fœminæve, cuius immundus Animus, quem vitia deturparunt; Vt quid exiſtimaturi ſimus Chriſti Seruatoris gerulam, & Nutritiam eiuſmodi fuiſſe, quæ ob Originale delictum Satanæ mancipium, quæ ob idipſum barbara, & pluſquam temulenta? Ac credo, præter dubium, nemóque non facilè iudicaturus ſit, ſi modò poſſint ad mammam ludentes Puſiones, de Matribus conqueſti fuiſſent, quod in peregrinas vlnas tranſmiſerint, certè ipſi, modò compotes, elegiſſent probatiſſimam Nutricem, quæ cùm ex honeſto eſſet loco, corporis excelleret formâ, valetudine, mente fuiſſet excultiſſimâ : ob horúmque negligentiam in optimatum ſobole euenit, de quo dolet noſter Mariana lib. 2. de Rege, & Regis inſtitutione, cap.2. *Nobilium* (inquit) *inter nos filij Parentibus diſſimiles ſæpè euadunt, puſillâ ſtaturâ, moribus, ingenio, viribus : cum nouo enim lacte, cætera vt par eſt, magnoperè etiam immutantur*; Verbum igitur, quod potuit ante aſſumptam Carnem, eiuſcemodi ſibi gerulam formare, in qua næuus non extitiſſet, quæ ſpecie inter mulieres pulcherrima, mente & Angelos ſuperaſſet, quorſum perpetraſſe deſtiterit ? Quæ ratio, quæ prudentia, quod Conſilium potiùs optaſſe labe coinquinatam ?

Mariana.

52. *Chriſtus in omnibus Matrẽ referebat.*

Cæterùm, quanquam à nutricibus non pauca ſunt, quæ deriuantur in fœtum, morum tamen ea eſt ſimilitudo, ingenij, deſideriorum; corporis imitatio, faciei, lineamentorum à Parentibus manat, ob virtutem formatricem ſemini impreſſam, quæ ab vtroque gignente ex multorum ſententia: videndi Conimbricenſes noſtri, de ſimilitudinis in prole causâ lib. 1. de generatione, & corruptione, cap.4. quæſt.30. art.1. At, quod Virgo Beata lac præbuerat, maternum erat : illa ſimul & genitrix, & Nutrix, ſeménque ſubminiſtraſſe & effectiuè operatam in cõcipiendo Seruatore clari exiſtimarunt Theologi apud Suarez tom. 2. in 3. Partem, diſputatione 10. ſectione 2. §. *Secunda ſententia*, &c. Proceſſit igitur filius Matrem totam referens, quemadmodum de illo teſtatur Nicephorus lib.1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap.40. *Perſimilis denique* (inquit) *per omnia fuit diuinæ immaculatæ ſuæ genitrici*; Et collatis inuicem iis,

Conimbric. Suarez. Nicephor.



Caniſius. Viegas. C.de Caſtro. Barradas. P. de Morales. Suarez.

quæ antiqui Scriptores de vtriuſque figura prodiderunt, oſtendunt de noſtris, Caniſius lib.3. de Deipara, c.13. §. *manet igitur*, &c. Viegas Comment. 2. in c.12. Apocal. ſect.3. Chriſtophorus de Caſtro Hiſtoria Deiparæ, cap.22. num.4. Barradas tom.1. Concordiæ, lib.6. c.9. Petrus de Morales in cap.1. Matth. lib.2. tract.10. num.9. concluſ.3. & innuit Suarez bis, tom.2. in 3. part. diſp.2. ſect.2. §. *Secundò colligitur* : & diſp. 3. ſect.5. §. *vltimo loco rationibus*, &c : neque mirum, cùm Pater non fuiſſet de hominibus, qui ſimilitudinem diſtraheret, dimidiarétque, vndè ſancta Brigitta in ſermone, quem ex allocutione Angelica ſcripſit de excellentia B. Virginis, cap.2. *Totum ſuum corpus de ſolo tuo corpore ſine aliquo defectu accepit :* Quod ſi quidem natura aliquando potuit germanos produxiſſe, quibus in agnoſcendis Mater quoque ipſa erraſſet, quales apud Silium duo illi, de quibus lib. 2.

S.Birgitta.

Silius.

*Vos etiam primo gemini cecidiſtis in æuo*
*Eurymedon fratrem, & fratrem mentite Lycorma*
*Cuncta pares, dulciſque labor ſua nomina natis*
*Reddere, & in vultu genitrici hærêre ſuorum.*

Quid opinabimur in eius formatione commiſſum, qui de Spiritu ſancto conceptus ſit ? Præſertim cùm Virginis complexio, & natiuum temperamentum optimum, quæ ſolet eſſe cauſa etiam eoſdem imprimendi characteres faciei, reliquorumque membrorum.

53. *Amor à ſimilitudine.* Sauarus.

At quem in ſcopum iſtamet ? Primùm, vt demonſtremus Amoris vndequáque incendia inter Filium atque Matrem : ſolet enim plurimùm conciliari à ſimilitudine : probat eruditè Sauarus ad ep. 4. lib.4. Sidonij ex Chryſologo ſerm. 101. Plinio iuniori ep.16. lib.4. rurſúmque ad epiſt.14. lib. 7. ex Caſſiano collat. 16. cap. 3. Quintiliano declamatione 307 : Nos addimus Eccleſiaſticum cap.13. verſ.19. & 20. *Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſibi: Omnis Caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur.* Ambroſium de Bono Morbis, cap. 11. *Quod ſi illi glorioſum, & iucundum erat cum ſimilibus conuerſari, quantò nobis glorioſius erit, & iucundius ad meliores pergere?* Gerſonem in ſua Ioſephina, qui pangit:

Eccl. 13. 19. Ambroſ. Gerſon.

*Perſonas inter ſimiles eſt nexus Amoris:*

Cicero.

Ciceronem de Amicitia ad medium: *Diſpares enim mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias*, & inferiùs aliquantũ de ipſo ferarum genere : *Deinde, vt requirant, & appetant aliquas alias animantes, ad quas ſe applicent eiuſdem generis; idque faciunt cum deſiderio, & cum quadam ſimilitudine Amoris humani.* Naſonem de Ponto lib. 2. eleg. quinta ad Solanum.

Ouidius.

*Scilicet ingenijs aliqua eſt concordia iunctis*
*Et ſeruat ſtudij fœdera quiſque ſui.*
*Ruſticus Agricolam, Miles fera bella gerentem,*
*Rectorem dubiæ Nauita puppis amat.*

*Chriſti in Matrem Amor.* Anſelm.

Cùm ergo tanta eſſet ſimilitudinis ratio inter Matrem, gnatúmque, nec Pater eſſet ſimilitudinis origo in humanis, qui vindicaret idcircò affectus portionem, ferebatur in genitricem plenis velis Dilectio, vt mihi optimè ſenſiſſe viſus Anſelmus libello de excellentia Virginis cap. 4. inquiens : *Amorem, quem Pater, & Mater ſinguli debent Filio ſuo, debet hæc feliciſſima Matrum ſola Filio ſuo : amorem etiam, quem debet quilibet Filius ſimul ſuo Patri, & Matri, ille Filius verè Virginis debet ſuæ Matri : nam ſicut alij filij naſcuntur ex Patre, & Matre; ita Filius ſuus natus eſt ex ea ſola Matre.*

54. Secundò, ídque potiſſimum, quando Filius



*Inter filias Adam pulcherrima Matris, Chriſtus Filius Speciosus forma præ filiis hominũ.*

Dei, huiuſque Virginis formæ præſtantiâ exceſſerit omnibus qui vnquam fuerunt mortalibus, quo pacto Pſalmi 44. verſ. 3. *Speciosus forma præ filiis hominum*, denſior Patrum manus exponit, qua de materia luculentè Suarius tom. 1. in 3. part. diſp.32. ſect. 2. §. *ſecundò, ex eadem*, &c. & nominati Authores, num.52. cùm eidem ſimillima extiterit Virgo Beata, etiam & ipſa poſt gnatum ſecundas pulchritudinis occupabit partes: probant ex citatis, num. 52. Barradas, Viegas, Morales, & cumulatiſſimè Rutilius Benzonius, lib.3. in Magnificat, cap.34. eruditè quoque Aloyſius Nouarinus, lib.4. ſacrorum Electorum vmbræ Virgineæ, cap.14. excurſu 24. ſed non omittenda B.Antonini Florentini Archipræſulis verba, 4. parte ſummæ, titulo 15. cap. 10. *Ratione probatur ſic ſecundùm Philoſophum : Naturæ eſt vis ſita rebus, ex ſimili ſimile procreans : niſi ergo Natura impediatur, vel erret; Filius erit ſimilis Patri, vel Matri : vnde ſequitur, quod Filius, qui naſcitur de Matre, & non de Patre, & tali operante, qui non poteſt impediri, vel errare, ſcilicet Deo; ibi neceſſe eſt Filium fieri ſimilem Matri, & è conuerſo : ſed ipſe eſt pulcherrimus iuxta illud Pſalmi 44. Speciosus forma præ Filiis hominum, ergo & Mater.* Radiaſſe planè diuinum in morem beatum caſtiſſimæ Genitricis vultum (qui tamen puros affectus contuentibus inſpirabat, quemadmodum ex multis teſtibus iidem, qui ſuprà Doctores commonſtrant, aliique apud Lorinum ad verſum 3. Pſalmi 44.) memorabilis ille ſtupor confirmat, quo perculſus tantus Philoſophus, qualis Areopagita Dionyſius, vt à doctis creditum eſt, quorum nonnullos recenſet noſter Halloix Notationibus ad cap.6. vitæ illius : & Rutilius Benzonius lib.1. in Magnificat, cap.25. Eius referuntur Beati Francorum Apoſtoli ſequentia verba : *Ductus* (inquit) *fui ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, & tantus me immenſus diuinus ſplendor circumfulſit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundauit fragrantia, vt nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet, totius, ac tantæ æternæ felicitatis inſignia ſuſtinêre : defecit cor meum, defecit & ſpiritus tantæ gloriæ maieſtate oppreſſus : Teſter, qui aderat in Virgine Deum, ſi tua Diuina concepta mente non me docuiſſent, hanc ego verum Deum eſſe credidiſſem : quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc verò feliciſſimus deguſtaui.*

Barrad. Vieg. Morales. Benzonius. Nouarin. S.Antonin. *Deiparæ Pulcritudo.* Lorin. Halloix. Benzon. Dionyſ. Areop.

55. *Piæ ad viſendam Virginis Deiparæ, dum in terris degebat, pulchritudinem Peregrinationes.* Ignat. Mart.

Hanc ob cauſam de gentilitate conuerſæ piiſſimæ Animæ peregrinationem inſtituebant viſendæ Matris Domini causâ, tum vt infinitam magnifici oris pulchritudinem conſpicarentur, tum ſingulariter vti abſentem filium in genitrice ad amuſſim delineatum, viderent : quare Ignatius Martyr Epiſt.1. ad Ioannem : *Sunt hic multæ de mulieribus, Mariam Ieſu vidêre cupientes, & quotidie à nobis ad vos diſcurrere volentes, vt eam contingant, & vbera eius tractent, quæ Dominum Ieſum aluerunt, & quædam eius ſecreta, percunctentur Mariam Ieſu : & hæc talia excitauerunt viſcera noſtra, & cogunt valdè deſiderare aſpectum huius (ſi fas eſt fari) cæleſtis prodigij, & ſacratiſſimi ſpectaculi.* Ac ſanè Auguſtinus in illud Pſalm. 44. verſ. 13. *Et Filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis:* Filiarum vocabulo, Ethniciſmum quæ abiurarunt mentes, intelligit, Eæ igitur ſub illo Chriſtianitatis initio, patriâ laribúſque ad tempus deſtitutis cum piis oblationibus, Hieroſolymam, locáque quibus Virgo intemerata frequentiùs agere ſolebat, petebant, eius ſalutandæ ergò : docet noſter

Auguſt. Pſalm. 44. *Quænam Filiæ Tyri, & qui Diuites plebis ad Mariam confluerent.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Melchior de Incofer.

Melchior de Incofer, Tractatu veritatis vindicatæ Epiſtolæ B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes cap. 1. qui legatione ad eandem miſsâ, Literis reſponſiuis conſalutari meruerunt. Sed quòd diuites Propheta nominet ſpeciatim, qui incomparabilem vultus gratiam viſuri pergerent, haud ſit intelligendum de illis, qui ob pecunias & aurum locupletes dicuntur, ſed qui iuſtitiâ, & virtutibus affluerent, qui ſpiritalis & diuinæ theoriæ apicem attigerant, de quibus ædepol Athanaſius ſerm. de Deipara: *Ideòque* (ait) *vultum tuum deprecabuntur diuites plebis, ditati ſcilicet iſtiuſmodi bonis, & ſpiritalibus contemplationibus*: tales nimirum Dionyſius Pauli diſcipulus Areopagita, Ignatius Martyr, & ſimiles Animæ: nec dubito, quin & Angeli deſiderauerint proſpicere in vultum tantæ Reginæ.

Athanaſ.

56. *Quæ de Chriſto principaliter dicuntur, etiã Mariæ accommodat Eccleſia.*

Atque ita ſanè de vberibus loquuti ſumus, quaſi Sponſæ ſint; tum quod Interpretes fuerint, qui de Sponſa intellexerint; tum, quod ſolenne ſit ipſi etiam Eccleſiæ doctiſſimæ Matri, ea, quæ de Chriſto ſenſu principe conſtruuntur, ad Mariam referre: vel quoniam, vt ſunt plures in Litera intelligentiæ, propriè illi conueniant: vel ſaltem ex licentia piâ atque vtili accommodentur, prout ſapienter animaduerſum à Caniſio lib. 5. de Deipara, c. 6. §. *quæ limitatio*, &c. à Salmerone tom. 3. in Euang. tract. 5. §. *tertia Regula*: vel ob maximam, & ſingularem coniunctionem & ſimilitudinem inter Seruatorem, & Genitricem, quod inſinuat Alcazar notat. 2. in verſ. 1. cap. 12. Apocalypſis. Nunc paululùm inſiſtamus genuinæ ſignificationi Sponſo attribuenti, qui Chriſtus ſit; Lactauit igitur Seruator Deiparam ſpiritaliter, genuitque, pariter vt ipſum Mater corporaliter & lactauit, & concepit, peperítque: Ac quemadmodum inde factum probauimus, vti filius Matri quàm ſimillimus prodiret figurâ, ac lineamentis corporeis; ita hinc perpetratum, vt Genitrix ſpiritu Gnato ſimillima euaderet, vt neque in cœlo, neque in terris reperiri creatura poſſet, quæ Filij Dei imaginem ſic repræſentaret, atque ſigillum Beatæ Mariæ: vnde Andreas Ieroſolymitanus, Cretenſis Antiſtes, floridiſſimè ſerm. 2. de Annunciatione: *Virgo, ipſorum Seraphin ipſam vincens naturam miraculo Dei generationis; prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Anſelmus de excellentia B. Virginis, c. 9. in principio: *Pura enim ſanctitas, & ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris eius, omnem omnis creaturæ puritatem ſiue ſanctitatem tranſcendens incomparabili ſublimitate.* Bonauentura ſerm. 2. de Annunciatione: *Hæc enim, in tantùm Deo proxima fuit, tantâque ſanctitate reſplenduit, vt creatura aliqua non vnita Verbo, nec perfectior, nec maioris boni capacior fuit.*

Caniſius. Salmeron. Alcazar.

*Et Chriſtus Matrem ſpiritaliter genuit & lactauit ſibi ſimillimam.*

Andr. Ieroſolym. Anſelm. Bonauent.

57. Oſee 2. 14.

Fallar, ſi non hanc Chriſti lactationem Oſeas graphicè depinxerit, cap. 2. verſ. 14. *Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*: ac quidem intellexêre de Deipara Philippus Abbas lib. 5. in Cantica, cap. 5. in illud: *ego dormio, & cor meum vigilat*: Richardus à ſancto Laurentio, cuius verba lib. 8. de laudibus Mariæ, titulo: *Maria mons: Solitudo ſecundum proprietates deſerti, & verè fuit ſolitudo, quia ſeparata à turbine mundi, & ſoli intenta Creatori; & in hanc ſolitudinem animi ducebat eam Spiritus ſanctus, ſicut prædixerat Oſeæ 2. Ablactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Sed altius quidpiam de Virgine innui exiſtimarim, quàm vt ſeceſſu opus fuerit ad vacandum Deo Creatori: fuit quidem ſolitudo lactationis effectus, ſed quid ſolitudinis nomine deſignatum? Nempè ſolitarium id eſt, quod vnicum, & ſingulare ſit, proinde & à Monade, quo vnus denotatur, Μοναχὸν dictum quidam velint, vt qui viuendi ſocium non habeat, qualis Paulus Eremita, & Anachoretæ plurimi, certè Caſſianus, collatione 18. cap. 5. *Monachi, ſiue Monozantes ſingularis, ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt*: & Hieronymus ad Heliodorum: *Interpretare vocabulum Monachi, hoc eſt nomen tuum: quid facis in turba, qui ſolus es?* Virgo igitur in ſolitudinem ducta, quoniam eius prærogatiuæ nemini conceſſæ, ſingularis proindè & vnica: Quid enim? non ſingulare, quod abſque origineo næuo concepta, cuius nec debitum contraxit? non vnicum, quod Virgo ſimul, & Genitrix? non ſtupendum, quod fomes concupiſcentiæ in ea extinctus? non rarum, quod abſque dolore peperit? non mirabile penitus quod omnem Sanctorum Angelorum, hominúmque gratiam collectiuè ſumptam vicerit? At certè, quonam more Filio præ omni Creatura ſimilis euaderet, niſi taliter lactata fuiſſet? O decus noſtræ Reginæ inenarrabile! ô diuinæ potentiæ ſchema præclarum! ô lactis efficaciam!

Philipp. Abb. Richard. à S. Laurent.

*Solitudo & ſolitariũ dicunt ſingularitatem.*

Caſſian. Hieronym.

*Maria ſingularis.*

58. *Maria Chriſtum veſtiuit, & ab ipſo veſtita, eumdemq; Chriſtum induta, fuit Mulier amicta Sole.*

Fateor Seruatori benefaciens fuit Deipara, nam de puriſſimis ſanguinibus neuit ei indumentum intra Virgineum clauſtrum, auxit eodem cruore iam albido, & per vbera emiſſo; impreſſit ſacro amictui viuam ſui ideam, ita vt in Filio tota Genitrix; ſed Deum immortalem! quàm copioſior Gnati remuneratio, Animam veſtientis impollutæ Matris, & ad ſui exemplar ſingentis? Vultis intueri, non tantùm à Chriſto veſtitam Mariam, ſed & Chriſtum indutam? videte apud Ioannem: *Signum* (ait) *magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*, Apoc. cap. 12. verſ. 1. Sed quare Sole amicta? nempe, quoniam ſpirans Chriſti imago, & Deitatem quantùm puræ creaturæ fas, repræſentans: Bernardus ſerm. 2. de Natiuitate Mariæ, qui de verbis Apocalypſis: *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyſſum: vt quantùm ſine perſonali vnione Creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa*: Verùm ad hanc gratiam filij præſtantiſſimæ imaginis, quid ſequutum? Primùm, duodecim ſtellarum diadema, quibus ſignificantur ſpeciales Prærogatiuæ huius Virginis, alteri ex Mortalibus inconceſſæ, enumerantur à Bernardo præfato de verbis Apocalypſis ſermone: Poteſt & duodenarius numerus plenitudinem Sanctorum indicare, vt in ſolam hanc Puellam confluxerit, quicquid inter diuorum examina diſperſum, quorum omnium gloria ſimultaneè conſiderata ab vnius Virginis ſplendoribus longè vincatur. Satíſne iſta decorandæ Adoleſcentulæ? Inſuper & *Luna ſub pedibus eius*: quorumnam figura inconſtans Luna, & citò à claritate in nubilum, & obſcurum tranſiens? puto, tenebræ illæ, quas patitur, lapſus infidæ voluntatis, & peccata deſignarint; quod igitur Geneſis cap. 2. verſ. 15. Mariæ pollicitum: *ipſa conteret caput tuum*, nempè, vt malorum omnium ſeminarium, originariã labem declinaret, quemadmodum exponunt Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 3. ſect. 5. §. *Poſſumus ergo*, &c. Salazar de Concept. c. 19. num. 14. Perlinus Apologia pro eadem Conceptione, ſcholaſtica, diſt. 5. c. 1. n. 21. aut certè, omnem dæmonis aſtuciam vniuerſim ſicut alij explanant, hoc ipſum Lunæ veſtigiis ſacris conculcatæ, Apocalypſis Hieroglyphico intimatum: quamob-

Apoc. 12. 1. Bernard.

*Quid 12. Stellæ Mariam coronantes?*

*Quæ Luna ſub Mariæ pedibus?*

Geneſ. 2. 15. Suarez. Salazar. Perlinus.



Bernard.

-rem Bernard. memorato iam ſerm. *Nam & defectus omnis ſub ea, & quicquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate, præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur Creaturis; vt meritò ſub pedibus eius Luna eſſe dicatur.* Quónã verò pacto defectus omnis ſub ea, quam texit caligo primi næui? Vel quomodo reliquas Creaturas ſupergreſſa, quæ Angelis inferior, ſi tamen fœdata illo contagio? Abſint iſta à Muliere, quam Sol circumdat, quæ ad viuum Chriſtum exprimit. Perbellè & in eiuſdem cogitationis robur, quâ Lunam Satanam interpretamur, Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus B. Mariæ: titulo, *Dominus quorundam tenet: Item, ratione potentiæ* (ait) *dicitur, quod Luna, id eſt, antonomaſticè ille ſtultus, Diabolus ſcilicet, qui vt Luna mutatus eſt, Eccleſiaſt. 27. à claritate in obſcuritatem, ſub pedibus eius, id eſt, ei plenariè ſubiectus eſt, Apoc. cap.* 12. dixit optimè, *plenariè ſubiectus eſt*, quoniam neque originali, neque actuali lue, infecta eſt vnquam Mater Domini, atque ita de inferni Principe integrè triumphauit: Sed dixit *plenariè* cum eruditione; quoniam in illo Ioannis ſymbolo, ita ſupponitur fœminæ Luna, vt ſit ſcabellum pedum eius, præſertim, ſi acumina deorſum conuertantur, quæ verior pictura eſt, vt notat in Commentario Alcazarius; porrò eo loquendi vſu, cùm & ſuppedaneum Victori efficiuntur hoſtes, ſicut ouationis cumulatiſſimum genus ſignificatur, ita & ſeruitutis iugum miſerabiliſſimum: Sic illud de Pſalmo 109. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, meliores quique Interpretes exponunt: Genebrardus ibi: *Metaphora* (inquit) *ad extremam & turpiſſimam ſubiectionem*: Non igitur vtcumque à Virgine Beata triumphatum de ſuperbiſſimo tyranno; Sed ita, vt maior non poſſit de eo reportari victoria à pura Creatura. O Lucifer, dimitte colla in ſempiternum! Maria bellatrix iubet: meritò tam vilis homuncio effectus, qui præſumebas ſedère in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: Talibus igitur perpolita ornamentis à filio genitrix, pro indumẽto Carnis paſſibilis quod ſuppeditauerat Bern. iam dicto ſerm. *Veſtis eum, & veſtiris ab eo: veſtis eum ſubſtantiâ Carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ maieſtatis: veſtis ſolem nube, & ſole ipſa veſtiris.*

*Diabolus, Luna.*

Richard. à S. Laurent.

*Cornua Lunæ quæ ſub pedibus Deiparæ, debent pingi deorſum verſùs.*

Pſalm. 109. Genebrard. Bernard.

59. Ioan. 1. 27. *Neque Baptiſta, neque Angeli ad Chriſti calceamenta præſumere audent: Maria verò & manus & totum corpus veſtit.*

Altiſſima planè Virginea dignitas, ſiue dum Chriſtum veſtit, ſiue dum ei Chriſtus indumentum. Interrogatus Præcurſor Ioannes, num Chriſtus eſſet, reſpondit percunctantibus: *Ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti*, Ioan. c. 1. v. 27. At certè habenas calceamentorum laxare ſeruilis conſueuit eſſe officij, atque miniſterij, quomodo non in lixam ſaltem etiam Meſſiæ Baptiſta ſufficiens? Quod ſi eo tam abiecto labore ne dignum adhuc ſe autumat, quo maior non ſurrexit inter natos mulierum, putamus tentaret humeros decorare, verticem componere? Sed interſeramus noſtris Origenis ſententias de expoſitione in Ioannem: *Si enim* (inquit) *nec calceos eius dignus ſim, qui portem, quid de veſtibus eius dicendum eſt? Quis eſt is, qui tunicam eius integram ſeruare, ac tueri poterit? Quis eſt, qui tunicam inconſutilem, quòd à ſumma parte per totum, contexta ſit, intelliget?* Iure veſtigat Baptiſta quis veſtem, palliúmque conficere audeat: quando ipſe, qui reiquis prælatus, nec calceamenta tangere præſumat: Arbitror, ſi & Angelorum diſpoſitas claſſes perluſtrare vel:t, neque inuenturum, qui Seruatoris plantis tegumenta aptare non vereatur, contremiſcunt enim & ipſi, columnæ cœli quanquã, & alarum interponũt maceriam, duabus obuelantes caput, duabúſque pedes, ob incircumſcripti ſplendoris radios. Abſcondente ſe tamẽ vniuersâ Creaturâ, & ne calceamenta porrigere auſâ: Maria nihilominus non tantùm pedes, ſed & manus cooperit, quin & totum corpus: ipſa tunicæ inconſutilis gnaua artifex: ipſa ſtolam primam neuit, ipſa pallium, ſanè, quam lauit in vino ſtolam eius, & in ſanguine Vuæ pallium illius. Neque in his terminus, ſublimiora parãtur; & Chriſtus ſpiritaliter Mariam, déque ſemetipſo veſtit: *Mulier* (inquit) *amicta ſole*: Verè ſignum iſtud magnum, & incomprehenſum: Quid enim audiuimus à Propheta Dei indumentum referentis? *Confeſſionem* (ait) *& decorẽ induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Pſ. 103. v. 2. Sed nónne in fulgoribus etiam Maria? *Mulier* (inquit Bern. ſerm. 2. de Natiuitate Virginis) *amicta ſole: planè amicta lumine tanquam veſtimento.* Ergo & Mariæ & Diuinitatis vna, eadémque veſtis, nam vtraque lumine tanquam veſtimento amicta. Hîc iam paueſcat omnis Creatura ad tãtæ Virginis honorem, & ter ſtupeat ſic potuiſſe diuinas perfectiones referre, vt abſorpta videatur in Deitatem humana fragilitas: Quamobrẽ & Dionyſium Areopagitam niſi fides vetaret, doctáque Numinis cognitio, pro Deo habiturum ſe, aſſeueraſſe, ſuperiùs indicauimus n. 54. & Andreas Cretenſis, ſerm. 2. de Aſſumptione cum Virgine loquutus: *Tu* (inquit) *rectè deſcripta diuini Archetypi imago*: Auguſtin. hom. 2. eandem in feſtiuitatem: *Formam Dei* appellat; à quo mutuatus Ildephonſ. ſerm. 6. de Aſſumptione: *Si matrem gentium te vocem, præcellis: Si formam Dei appellem, digna exiſtis: Si nutricem cœleſtis panis te vocitem, lactis dulcedine reples: lacta ergo Mater cibum noſtrum, lacta panem cœleſtem, lacta cibum Angelorum, lacta eum, qui talem fecit te, vt ipſe fieret in te*: Et benè lactare iubet, quãdo vt recompenſaret, & Matrem filius ſpiritaliter lactauit, tantúmque ad culmen euexit.

Origen.

Pſal. 103. 2.

*Mariæ & Diuinitatis vna veſtis.*

Bernard.

Andr. Cretenſ. Ambroſ. Ildephonſ.

---

*Supereminens Ioannis Euangeliſtæ Doctrina comparatione ad homines, Angelos, Chriſtum ipſum illuſtrata.*

## Sectio II.

60. *Duo Ioannes, Baptiſta & Euangeliſta, duo vbera Chriſti.*

VBeribus adumbratam ſcientiam communis Vox eſt, & antiquorum, & recentium Interpretum; contemplatus verò Aponius vetus ſcriptor, ab vtroque Ioanne; Præcurſore, & Euangeliſta, copioſos doctrinarum latices ad Eccleſiã profluxiſſe, vberibus, de quibus verſu iſto, ſignificatos dixit: *Quãquam enim* (inquit) *perfecti viri Apoſtolici: qui præſunt populo Chriſtiano Doctores, vbera Chriſti intelligantur, per quos Chriſtus paruulos nutrit: tamen non erit inconueniens, duo vbera Chriſti, Baptiſtam, & Euangeliſtam, duos Ioannes intelligi propriè, qui Eccleſiæ (poſt oſcula Sacramenti prædicti) pleniſſima vbera ſunt propinati.* Modò de Euangeliſta Ioanne, de quo Petrus Damianus ſerm. 2. *Quid enim diuinæ Sapientiæ quæris quod apud Ioannem reperire non poſſis? Quid neceſſarium in doctrinis, quod Ioannis volumina ſacroſancta non teneant? In ſpeculanda ſumma Diuinitatis eſſentia, præcedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, Apoſtolos ſuperat: poſtremò totius humanitatis tranſcendit ingenia, & illuc vſque Mentis aciem tendit, quò vix & Angelica valet attingere Creatura*: Chriſto & prætulit quodammodò, 1. ſerm. *Quid autem mirum* (inquiens) *ſi Ioannem de diuinitate loquentem Beato Petro præferimus: cùm illud Euangelij ſui ſingulare principium, ipſa etiam Dominica verba, ſi dici liceat, excedere videatur: Nec iniuria ſit Redem-*

Aponius. P. Damian.

*Ioannis Euãgeliſtæ doctrina & Humanam & Angelicam tranſcendit.*

*ptori noſtro, ſi dicatur aliquid ipſè ſublimius deponere per Diſcipulum, quàm per ſemetipſum: & per illius linguam manifeſtè proferre, quod per ſemetipſum liquidò noluit aperire:* Sed exploremus, vt vera ſint iſta, Ioannis nempè ingenium ſuperare præclariſſima quæque ſcientiarum prodigia, Angelis etiam diuiniori acie præditum fuiſſe.

61. Ac ſanè Nemo vel tenui Minerua imbutus Chriſtianæ famæ, ignorat, quantus Magiſter extiterit, qui & orbis Pręceptor meruit vocari, Paulus Apoſtolus: an hunc Ioannes vicerit? Planè quidē: *Raptus fuit in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* 2. Corinth. c. 12. v. 4. Quænam fuerunt hæc arcana? Bruno Carthuſienſis: *Dicit B. Auguſtinus hæc arcana eſſe, quia vidit, quomodo Trinitas in vnitate, vnitas eſſet in Trinitate:* Quamobrem non declarauit Myſterium? nempè, quia id ſupra humanas vires, ſi enim liceret alicui hominum, Paulo denegatum non fuiſſet: Quod tamen Magiſtro gentium inconceſſum, Ioanni tributum; nam Euangelium exorditur à Triade, & Verbum, quod in principio erat apud Deum manifeſtat: Quare ſanè Ioannes pluſquam homo, quando homini tantū Sacramentum aperire non fas ſit: quin inter Paulum, Euangeliſtámque velut ea differentia, quæ cōſueuit eſſe inter duos, qui tametſi vterque difficillimum intellectu quidpiā penetret, alter tamē non ita peritus ſit, vt valeat orę, aut ſcriptura declarare, quod mente conceperit, itaque abſconſa, & dimidiata eſt eius ſcientia: alter verò & ſibi intelligit, alióſque vt percipiant, efficit vi potentis Magiſterij: videamus, quale ſit Adamātij de hac re iudicium, hom. 2. in diuerſos: *O B. Paule, raptus es (vt tu ipſè aſſeris) in tertium cœlum & Paradiſum: Sed non es raptus ſuper omne cœlum & Paradiſum: Ioannes omne cœlum conditum, omnémque creatum Paradiſum, hoc eſt, omnem humanam, Angelicámque tranſgreditur naturam: In tertium cœlum raptus, ô vas electionis, & Magiſter gentium, audiſti verba quæ non licet homini loqui; Ioannes intimæ veritatis inſpector, vltra omne cœlū in Paradiſo Paradiſorum, hoc eſt, in cauſa omnium audiuit vnum Verbum, per quod facta ſunt omnia: & licuit & illud Verbum dicere, hominibúſque prædicare, quantùm hominibus prædicari poteſt, ac fiducialiter clamat: In principio erat Verbum: Non ergo Ioannes erat homo, ſed pluſquam homo, quando & ſeipſum, & omnia, quæ ſunt, ſuperauit, & ineffabili Sapientiæ virtute, puriſſimæque mentis acumine ſubuectus in ea, quæ ſuperiora ſunt ſecreta, videlicet vnius eſſentiæ in tribus ſubſtantijs, & trium ſubſtantiarum in vna eſſentia, ingreſſus eſt: Non enim aliter potuit aſcendere in Deum, niſi priùs fieret Deus.*

2. Corinth. 12. 4.

Bruno. *Ioannes Euāgeliſta pluſquam Homo, quod Paulo non licuit, Myſterium Trinitatis doctior, hominibus expoſuit.*

Origen.

62. Verùm Apoſtolorum Coryphæus Petrus diuinitatem apertè confeſſus eſt, Matth. c. 16. verſ. 16. *Reſpondens Simon Petrus dixit: Tu es Chriſtus, Filius Dei viui:* Sed animaduerte, quid ad hæc P. Damianus ſerm. 1. in Feſto Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ: *Planè, quod vterque diſcipulus protulit de Sacramento Dominicæ fidei, quanquam profundiſſimū ſit, atque omninò diuinum, & vtrumque pari modo vires humanæ mentis excedat, nec videatur diuerſum in excellentiæ diuinitate, quod eodem prolatum eſt Spiritu dictante: illud tamen Beati Ioannis ſingularitatis locum ſibi vindicare conſpicitur, quia neque ante illum, neque poſt illum, hoc idem ſcripſiſſe aliquis inuenitur: nam illam B. Petri Apoſtoli ſententiam, & Martham ſororem Lazari iiſdem ferè verbis legimus protuliſſe: cui nimirum cùm Saluator diceret, omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum, atque ſubiungeret, credis hoc? Illico eodem Spiritu, quo & Petrus inſpirante, reſpondit: Ego credidi,* inquit, *quia tu es Chriſtus Filius Dei, qui in hunc mundum veniſti:* Ita ſanè Martha, Ioan. c. 11. v. 27. At quid, quod & ab alio idemmet prolatum ſit? Nempe, laus magna Doctoris eſt, ſi tam exquiſitè concipiat, vt alteri nulli idē occurrerit, Quod ſi idipſum alius præſertim non multæ claritudinis proferat, quod ab eximio Anteceſſore excogitatū ſit, hoc ipſo decreſcit, neque enim momenti eſt, in quod & mediocra ingenia facilè incidant: Igitur Petri de Chriſto confeſſio grandis quidem: Sed de tantâ gloriâ vel fœmina participat, neque ſuprà fœminei ingenij captum, quod à Simone adinuentū eſt: Ioannis indiuidua laus eſt: quia (vt loquebatur Damian) neque antè illū, neque poſt illū hoc idē ſcripſiſſe aliquis inuenitur: huícque Ioannis encomio Origen. memorata nuper hom. in diuerſos, accōmodat, quod currētibus ad Chriſti buſtū Ioanne atque Petro, Ioannes pręcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum, Ioan. c. 20. v. 4. *Monumentum* Chriſti (ait) *eſt diuina Scriptura, in qua Diuinitatis, & humanitatis eius myſteria denſitate Literæ veluti quadam muniuntur petrâ: Sed Ioannes præcurrit citiùs Petro: acutiùs namque atque velociùs intima diuinorum Apicum penetrat ſecreta virtus contemplationis penitus purificatæ, quàm actionis adhuc purificandæ.* Per contemplationem autem toto eo loco Ioannem ſignificat, actione Petrum adumbrans.

Matth. 16. 16.

P. Damian. *Petri Confeſſio & fœminæ communis, Ioannis doctrinam nemo attigit.*

Ioan. 11. 27.

Origen.

63. Veniamus ad Præcurſorem Domini Baptiſtam. Eius vt Mater audiuit Salutationem Mariæ, ille tunc infans exultauit in vtero eius, Luc 1. verſ. 41. quamobrem illi Puſionis motus? Singulariter interpretatus eſt Cæſarius Nazianzeni frater Dialogo 3. nempè, cùm Virgo illa, quæ Eliſabetham viſitabat, viſceribus portaret Deum hominem factum, non potuiſſe Prodromum Seruatoris ferre nimios diuinitatis fulgores; & quanquā eſſet munitus genitricis clauſtro, tamen lumine velut oppreſſus, cuius intuitioni non ſufficeret oculorum vis, tāquam retrocedere voluiſſe, vt diſtātia ſplendores tolerabiles redderet: *Ille* (ait) *appropinquante Matri ſuæ, eâ, quæ geſtabat filium ſine Patre, Matrem reueritus, geſtijt exiliendo: ac velut imminente ſibi à prægnante, periculo, non ferebat eam, quæ facem geſtabat, propiùs accedere.* Non talis Euangeliſta Ioannes, qui rotam Solis inconniuentibus luminibus ſuſtinet, proinde Aquila magnarum alarum, de quo Auguſtinus tom. 9, Præfatione in illius Euangelij Commentaria: *Vnde meritò in figura quatuor animalium, Aquilæ volanti comparatur, quæ volat altiùs cæteris auibus, & Solis radios irreuerberatis aſpicit luminibus.* Rupertus Prologo in idem Euangelium: *Vt hanc aliquatenus Aquilam valeant proſequi: quam cordis munditia iuuat, vt claritatem Solis æterni plus cæteris diuinæ viſionis animalibus irreuerberata poſſit mentis acie contemplari.* Damianus ſerm. 1. de Euangeliſta hoc: *Licet enim vbicumque fuerit Corpus, illic neceſſariò congregentur & Aquilæ: Sed iſte tantò familiariùs ad vitæ pabulum, corruptionis vinculis iam ſolutus accedit, quantò & in carne adhuc poſitus, in ipſum æterni Solis orbem, hoc eſt, in diuinæ ſubſtantiæ claritatem radios purificatæ Mentis infixit.*

Luc. 1. 41. *Ad diuini fulgoris vultum caligat Baptiſta, quē tamen immotis oculis Euangeliſta fixè vt Aquila intuetur.*

Cæſarius.

Auguſtin.

Rupert.

P. Damian.

64. Ac per hoc quidem, & Angelis præferre valeamus: nam & de ipſis etiam ſupremus ordo, Seraphin nempè, qui ardent & ſcintillant, vultum tamen coram gloria ſummæ Maieſtatis obtegunt, Iſaiæ c. 6. Sanè Chryſoſtomus Prologo in Ioannem, non veretur aſſeuerare & ſupernas virtutes à Piſcatoris calamo edoctas, vt proinde habuerint quaſi Magiſtrum: *Huic autem Apoſtolo ſupernæ affuerūt virtutes, eius Animæ pulchritudinē, Sapientiam, &*

*Ab Euangeliſta Angelorum Doctore diſcunt & ipſi Seraphin.*



Chryſoſtom.

*& ſpeciem virtutis admirantes: Nihil enim nobis humanum, ſed à Spiritus ſancti profundis, & abditis theſauris omnia proloquitur, quæ neque Angeli, priuſquam hic diceret, nouerunt: Námque & ipſi nobiſcum per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, quæ cognouimus: quod etiam Beatus Paulus his verbis ſignificauit: Vt innoteſcat nunc Principatibus, & Poteſtatibus* (Epheſ. c. 3. v. 10.) *in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis Sapientia Dei: Si igitur Principatus, & poteſtates, Cherubinque, & Seraphin hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat ipſos Angelos ſummâ cum attentione eius ſeſe Auditores exhibuiſſe.* Porrò, quónam more Angeli Beati extra Verbum didicerint in tempore, oſtendimus breuiter tom. 1. Anteloq. 4. n. 85. Et hanc fortaſſe ob cauſam Angelus ille, de quo ipſemet Ioan. Apoc. cap. 19. v. 10. cum ad eius veſtigia procumberet adoraturus, nō ſuſtinuit, *Et dicit mihi, vide, ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrū tuorum habentium teſtimonium Ieſu:* Quem ad locum Damian. ſerm. 1. de Ioannis laudibus: *Refugit obſequium ab illo ſuſcipere, quem decernebat æqualem: fratrē recognouit, ſocium indicauit, ſubiectionis obedientiā non accepit.* Verùm, quo more æquales? Equidem Angelorum officium eſt ſeruos, miniſtróſque ſe prębêre: vnde Apoſtolus, ad Hebr. c. 1. v. 14. *Nónne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Hoc verò miniſterio funguntur potiſſimum docendo, & illuminando internè homines, ſanctáſque excitādo cogitationes, ob quod licet ſerui quidem eius, cui obediunt Creatoris, hominum tamen verè Magiſtri, & Præceptores. Quando igitur Ioānes ad hoc aſſumptus, à quo & Angeli diſcerent, pulchrè cōſeruum appellauit, æqualémque ſibi iudicauit: Nā ſi ipſe Dei ſeruus, hominū autem Doctor; Ioannes quoque Dei miniſter, Angelorum tamen inſtructor; itaque paris encomij ſaltem, proinde & conſeruus, niſi potiùs ideo maior Ioannes, quod non homines inſtruat, ſed Angelos nouo, & inaudito Magiſterij genere.

Epheſ. 3. 10.

Apoc. 19. 10.

P. Damian.

Ad Hebr. 1. 14.

65. Sed Apex encomiorum illud, quòd quæ ipſe Chriſtus ſubticuit ob Auditorū imbecillitatē de ſempiterna Verbi emanatione difficillima arcana, hæc per Ioannē recluſerat: Suggerat allegato frequenter ſerm. 1. Damian. *Propterea igitur Redemptor noſter dilectum ſibi ſpeciali Prærogatiua diſcipulum ad declarandam ſuæ diuinitatis eſſentiam, quoddam quaſi organum fecit, atque vt hic ſuppleret, quod ad tēpus ipſe Dominus diſpenſatiuè ſuppreſſerat, ſibimet Vicarium dereliquit, quatenus expleto Paſſionis, ac Reſurrectionis, Aſcenſioniſque myſterio, poſt tredecim ferè annorū luſtra, cùm iam videlicet homines liberiòrem ad capeſſendam veritatem haberēt mentis obtutū, hic coëſſentialis, & coæterni Deo Verbi panderet Sacramentum, dicēs: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:* Quo in ſermone illa notāda: *Vt ſuppleret, Vicariū dereliquit:* Atque vt percipiamus, ſimili illuſtranda. Memini S. Aquinatem Thomā ſcholarum gloriam, cùm vltimùm decumberet in Foſſæ Nouę Ciſtercienſium ordinis Cœnobio, rogatum enixiùs à fratribus, vt melliflui fundatoris Bernardi Explanationem in Salomonis Cāticum planè diuinam, paribus doctrinarum ornamentis ad vmbilicum perduceret, ac reſpondiſſe cordatè pro innatâ modeſtiâ Theologorum verticem, facturum ex animo, modò de Bernardi Spiritu adfuiſſet illi: itaque iudicauit non poſſe in Bernardi ſegetem falcem mittere, & inceptam meſſem perficere; denique Bernardi vices ſupplere, niſi Bernardo æmulum quemquam. Si igitur Ioannes aſſumptus, qui opus ab homine Deo inchoatum proſequeretur, qui ſuppleret omiſſa, qui Vicarium ageret, qui dicendorum non tenuem aliquam & mollem ſubiret Prouinciam, ſed profundiſſimo nataret Oceano, qualē eius ſcientiā fuiſſe opinaturi ſimus? Qualem ingenij clariſſimam vim? Quibus ſuperni luminis imbutam radiis?

*Sublimius aliquid dixit Chriſtus per Ioannē, quàm per ſeipſum.*
Damian.

*Ioānes Chriſti Vicarius Doctor.*

S. *Thomas Aquinas.*

66. Experiamur ſi fortè iſta manuducant ad Cæſarium Gregorij Theologi fratrem denoctandum, tertio Dialogorum, vbi collato vtroque Ioanne, inquit: *Ille enim* (Baptiſtam innuit) *cum multo timore etiam iuſſus tangere Verbi verticem Carnem geſtantis, non audebat: hic autem plus omnibus libertatis habens, in diuina Cœna, in ſinu Domini recūbens, paulò pòſt ſuper ipſum ſanctum vniti cum Deo Hominis pectus ſeſe reclinat: Non mater, quæ peperit; non Ioſephus, qui nominabatur, attamen Pater eius non erat: non Ioannes Baptiſta, non Angelus, non Archangelus, neque alius quiſpiam, Incarnati Dei & Verbi auſus fuit attingere illud formidabile pectus, ſuper quo hic Ioannes velut Pater ſuper filium diffuſus recubuit; inde de Verbo verbum hauſit.* In qua oratione expendo vltima: *Velut Pater ſuper filium diffuſus,* nam ab his omnis Ioannis honor: Sic verò conſtruo, vt relatio ſit ad Trinitatem, in qua Filius velut ſupra Patris recūbit pectus, ideò apud hunc ipſum Ioan. c. 1. v. 18. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſè enarrauit:* Quod ſi Filius paterno in gremio reclinatus, equidem genitor ſuper ipſum eſt diffuſus: Significatur autē metaphorâ, Gnato reſerari omnia Patris ſecreta, omnia conſilia patêre, transfundi omnes ſcientiæ theſauros: ſicut igitur Pater Filio communicat omnem intelligētiam, & hoc eſt, filium in gremio genitoris eſſe, Patrem ſuper illum diffundi: Sic nouâ quaſi inſtitutâ emanatione Filius fit Ioānis genitor, & in eo ſecundum Verbum producit, propterea inter cœnandū pectori admouet, vt innuat, *Verbū de Verbo haurire* vt aiebat Cæſarius, vt ſignificet, quemadmodum Pater qui ſupra ipſum diffundebatur, gremio retinens, cordis arcana in eum tranſmiſit; ita & ab ipſo ſcientiarum latices Ioanni cōmunicari ſupra pectus cubanti: Damian. ſerm. 1. *Et quia in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ abſconditi, ſuper fontem perennis vitæ recubuit, vt ipſe tunc ſuper manantia fluenta diuinæ doctrinæ hauriret, & eadem nobis poſtmodum præfixo certi temporis articulo, propinaret:* Beda hom. de Io. Euangeliſta: *Quia enim in pectore Ieſu ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ abſconditi; meritò ſuprà pectus eius recubat, quē maiore cæteris Sapientiæ, & ſcientiæ ſingularis munere donat:* Quid? nónne ſimilis Verbo, cui de receſſu intimo cordis ſcientiæ fundūtur, quando & Propheta de proceſſione æterna Verbi, Pſalm. 44. v. 1. *Eructauit Cor meum Verbum bonum:* quo loci Auguſtinus: *& vnde profert Deus Verbum, niſi ex corde ſuo, & intimo ſuo? Tu non dicis, niſi quod ex corde tuo profers; Verbum tuum, quod ſonat, & tranſit, aliunde non profertur; & miràris, quia ita dicit Deus?* Et ſanè ex corde: *Ne putares aliquo coniugio* (inquit Auguſtin.) *indiguiſſe Deum vnde filium generaret, Eructauit, ait, Cor meum Verbum bonum;* Sedes virginitatis eſt Cor diuinū, quod & Virgines germinat, de quibus Ioānes, *& ideò præ omnibus diligitur* (aſſerit Beda paulò antea citatus) *quia Virgo electus, Virgo in æuum permanſit:* Quando igitur Verbi quaſi naturā imitatus ob hauſtas notitias de Verbi pectore, alterū ipſius Verbi tanquā Verbū apparuerit; rectè, quod Verbum ſibi ſocium, & cognatum inſtrumentum ſingulariter elegerit, à quo, ab ipſomet Verbo omiſſa Deitatis arcana pāderentur, vti perpendimus Numero anteriori; neque enim Verbo ſubſtituendo

Cæſarius. *Super pectus Domini in Cœna recumbere Ioanni ſoli conceſſū.*

Ioan. 1. 18.

*Chriſtus nouâ quaſi emanatione Ioannis Genitor, vt ipſe ſit Verbi, in quo omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ Dei, Verbum alterum.*
Damian.

Pſalm. 44. 1.
Auguſt.

Beda.

aliquid mage idoneum,quã alterum Verbum;neque iis proferendiš arcanis, quæ de ſinu & corde paterno ſilius bibit ante æuum,aptior quiſquam illo, qui de filij pectore in æuo ſuxerat, lactatus planè mamilla Regis,Puer Amabilis Domini.

67. At Cæſarij explanatis verbis, nodum alium ſubminiſtrat Paulinus Nolanus Antiſtes ep. 43. quæ tertia ad Auguſtinum; eius in calce: *Et illud quod ad fidem omnium pertineret, ſalutiferum pietatis ſuæ Sacramentum,arcanâ diuini ratione conſilij ſub hac voce deſignans, vt & alij Matrem delegaret pro matre habendam,& vice ſuâ conſolandam: atque illi viciſſim nouum filium vice corporis ſui traderet,imò(vt ita dixerim)gigneret:* Arnoldus quoque Bonæ vallis Abbas de ſeptem verbis Domini, in illud: *Mulier,ecce filius tuus: Vices filij naturalis,filius accipit adoptiuus,& transfunditur in miniſtrum filialis affectus:* Sed quare ſpeciatim Ioannes ad hoc delectus? Aut quo more potens ſubſtituere pro defuncto pignore? vel Mater quo pacto conſolaretur, tanquam ſi filium non amiſiſſet; Certè filium eum,in quo erant omnes theſauri ſcientiæ, & Sapientiæ Dei,qui ſecundum diuinam generationem ex ore Altiſſimi prodierat ante mundi conſtitutionem,& ante omnia ſecularia? Sanè in filio Dei, filióque Virginis duo conſideranda maximè; Alterum diuinum, quod à Patre per Intellectum accipit, ratione huius, Verbum nuncupatur, quoniam ex vi generationis, notitiam omnem accipit, quæ ſit in Patre; ex cuius conceptu,& intelligentia emanat formaliſſimè, quà verbum eſt: Alterum humanum quod à Matre traxit,obumbrante illi diuino Pneumate: Atqui in Ioanne harum naturarum partim ſimilitudo, partim veritas: Vera fuit humana eſſentia: repræſentatio autem quædam diuini Verbi, more à nobis propoſito, quatenus Verbum quaſi paterno in gremio reſidens, inde hauſit cognitionem: Ioannes itidem Chriſti admotus vberibus, potauit & de Sapientiæ fonte: proinde non inſcienter illud Paulini: *imò(vt ita dixerim)gigneret*; nam gignere, in diuinis dicitur, reſpectu perſonæ communicantis intellectionem; quando igitur Verbum Ioanni quodammodò communicauerit intellectionem, dum ſinu foueret eum, quatenus altiſſimâ theoriâ donauit,venuſtè quod genuiſſe narretur: Videns igitur ſibi quoad vtramque natiuitatem quaſi ſimilem,ſicut declarauimus: rectè,quod ſibi ſubſtituerit, & moriens genitrici delegarit: *Mulier* (inquiens) *ecce filius tuus*: hic quidem præ aliis: quoniam ſi diuinæ generationis eminentiam deſideras, in hoc repræſentatio, qui de Verbi Incarnati ſinu intelligentiam mutuatus, cùm Verbum eructauerit Patris Cor: ſi humana ſpectes, coniunctior aliis, quoniam vt homines ſint, ſed inſuper Ioannes Virgo eſt.

S.Paulin.

Arnold. *Ioannes filius Mariæ ſubſtitutus, quia Chriſto ſecundum & Diuinam & Humanam generationem quaſi ſimilis.*

68. Si cui verò credenda Deipara ex Apoſtolico cœtu,præ Ioanne,Simoni Petro quidem: At Petro ſignificatam vitam actiuorum, Ioanne ſpeculantium ſeceſſum Eccleſiaſtici ſcriptores paſſim affirmant: Auguſtinus, tract. 124. in Ioannem, Chryſoſtomus in eundem, homil. 87. Theophylactus, Beda, Haymo in c.21. Ioannis, Origenes hom.2. in diuerſos, Damianus, ſerm. 1. in feſtiuitatem Euangeliſtæ huius: Mariâ autem otium, & quietem indicari æquè notum eſt, & frequentiſſimè Patres aduertunt ad verſum 38. cap. 10. Lucæ: Quando igitur Maria quieta & pacifica; Muſæ autem iuſtitium,& ſubceſiua tempora vindicant ſibi,habeat quidem Petrus Eccleſiam, vbi negotia,& cauſæ; Ioanni,(qui ob ſcientiæ famam incomparabilem Theologus antonomaſticè nominatus à Græcis, vnà & Latinis Doctoribus, vt monet Damianus ſerm. 1.) Maria, quæ ſtrepitu vacat, deferatur: hæc velit Arnoldus Carnotenſis de 7. Verbis Domini,in illud: Mulier,ecce filius tuus: *Petro* (inquit) *commendatur Eccleſia, tibi Maria: illi tumultuoſa negotia; tibi pacifica, & quieta.* Eligendus erat & in Mariæ vigilem propterea,quod ipſa ſit Paradiſus, de qua Damianus, ſerm. de Annunciatione: *Iam conſecranda erat in locum voluptatis, de quo fons ille debebat aſcendere,qui vniuerſam terræ ſuperficiẽ irrigaret.* Similia Guerric. ſerm. 1. de Ioanne Baptiſta: At cuſtos horti delitiarum Cherubin eſt,qui interpretatur, plenitudo ſcientiæ,quale vocabulum Ioanni Euangeliſtæ debitum eſt, cùm Domini pectoris cubator egregius,inde encyclopædiam traxerit, & omniſcius euaſerit, quare Damianus ſerm. 2. de eius feſtiuitate: *Nam & Cherubin iure perhibetur, qui ſcientiæ plenitudinem ex ipſo Redemptoris pectore percepiſſe cognoſcitur*; Cùm igitur Ioannes Cherubin ob Sapientiam, Maria autem Paradiſus, aſſignandus fuit ſpecialiter,qui excubias ageret.

*Petro, Actiuo, Eccleſia: Ioãni, Contemplatiuo, Deipara creditur.*
Auguſt.
Chryſoſt.
Theophyl.
Beda.
Haymo.
Origenes.
Damian.

Arnold. Carnot.
*Maria, Paradiſus, cuius Cherub cuſtos, Ioannes.*
P Damian.
Guerric.
Damian.

---

*Ioannes Baptiſta Gratiæ vocabulo meritò inſignitus: infans ſupergreſſus adultam Heroum gloriam; ex Ioannis natiuitate lætitia: in vno eo plurimorum ſanctorum excellentiæ: qualem in cœlo locum promeritus?*

## SECTIO III.

69 PRopoſuimus ex Aponij mente ſub initio elapſæ Quæſtionis, vberibus Sponſi Baptiſtam Ioannem indicatum; iure quidem, oſtendimus quippè num. 38. Lacte, atque vberibus ſignificatam legem gratiæ, quæ Euangelium ſit: huius verò præmonitor Baptiſta, vnde & nomen mutuatus: nam Ioannem Doctores antiquitatis creberrimè, Gratiam interpretantur. Subiiciamus Haymonis Halberſtatenſis Epiſcopi verba in cap. 1. Lucæ: *Allegoricè verò* (inquit) *Ioannes, qui Gratia Dei dicitur, ſanctum Euangelium ſignat: Ioannis natiuitate celebratâ, noui teſtamenti eſt inchoata ſublimitas: per Parentes & vicinos, qui nomen Patris Ioanni volebant imponere, ſignantur Iudæi, qui quaſi iuncti aſſinitate, magis Iuſtitiam Legis cupiebant ſectari, quàm Gratiam Sancti Euangelij recipere.* Accepta hæc à Venerabilis Bedæ Commentario in Lucam: Sed Ioannem ad nouum fœdus pertinuiſſe, Angelicus Doctor aſſeuerat, 2. 2. quæſt. 174. art. 4. ad tertium: Cæterùm, morem eſſe, vt qui mittuntur à Creatore Nuncij,atque Legati; nomen ſortiantur, Miſſionis ſcopum repræſentans, Gregorius Romanus variis commonſtrat exemplis, hom. 34. in Euangelia ante medium, vt quia per Incarnationem, Omnipotentiæ diuinæ vis, atque robur maximè enitebat, Angelus annuntians, Gabriel, id eſt, fortitudo, ſit nuncupatus: Cùm igitur Ioannes delectus ſit, qui gratiæ aduentaſſe tempora feliciſſimo præconio Mortalibus innueret, rectè quod vocabulo donatus hoc ipſum denotante, vt *Gratia* diceretur, qui gratiam afferebat.

*A Ioãne (qui Gratia interpretatur) Euangelij, Gratiæ legis inchoata eſt ſublimitas.*
Haymo.
Beda.
S.Thom.
Gregor.

70. Aſt operæpretium,tantæ appellationi conueniant geſta,& dictionem immortalia adimpleant facinora: Itáne in Præcurſore? ad amuſſim ſanè: Quippè



Quippè inter Gratiam, Naturámque hoc intereſt: Natura debito ſatisfacit; gratia vltra debitum protenditur: aduersùs Naturam obligatio eſt: contra Gratiam non item: cerne igitur Ioannem Matris aluo exilientem ad præſentiam quanquam velatam Seruatoris, qui Mariæ claudebatur vtero: quid illi geſtus non ſatis animati corporis, cùm nondum robuſti, portendunt? Scilicet ardet deſiderio noui infantis quem Deipara geſtat intactis viſceribus, cuperet exire materno deſtituto tabernaculo, terrâ proſterni, & humilibus votis adorare Ducem, quem ſit annunciaturus: hoc ſanè eſt; Credamus Chryſoſtomo homilia 3. de Præcurſore apud Metaphraſtem: *Saliebat ſimul chorum ducens, & ægrè ferens, quod teneretur in vtero: exclamabat aduerſum menſium conuerſionem: tanquam iniuſtam cuſtodiam quatiebat Matricem: in clauſtra Naturæ inſultabat calcibus, modum naſcendi accuſabat, & clauſis labris vociferabatur figuris, talia propemodum motu dicens Elizabethæ: iniquè facis ô Mater, quæ tardas: Lux venit, ſolue matutinum*, &c. cognata apud eundem ex Antipatro Boſtrorum Pontifice: Verùm, quando rationis vſu polleat Ioannes, & ſcientiam acceperit pariter, an non ſcit nouimeſtrem eſſe plenam geſtationem, qualem deceat eſſe tanti vatis: cur ante hoc interuallum prodire cupiat morarum impatiens? Nempè vt nomine ſuo, quod gratia eſt, dignus videatur: habet namque hoc gratia, vt conetur vltrà metas communes; plus, quàm quod exigitur, faciat. Proſilire poſt decem menſes, & tum Chriſtum revereri; hoc qualiſcumque faciat homo; indecora eſt Præcurſori vulgata laus: vincantur Naturæ limites & exonerationis inſperato generali exitu antè ſeptimum menſem prodeat: non debet hoc quidem, ſed Gratia auaras debiti leges contemnit: tardus amor eſt videndi Seruatorem in decem expectans menſes; neſcit ſpiritus vigor tarda molimina, gratia ſub tædio ingemiſcit; Ergo horas præoccupet, cui à gratia nuncupatio, & tantùm non calcibus effringat materna repagula, vti diſſertabat Chryſoſtomus: Anne iſtud indicarit Lucas, cùm ſcribit: *Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium*, c. 1. verſ. 57. quam in ſententiam Origenes hom. 9. in Lucam: *Multi putant ſuperfluè dici: Elizabeth completum eſt tempus, vt pareret, & peperit filium: Quæ enim mulier poteſt parere, niſi tempus pariendi antè compleuerit?* Verùm à Ioanne quaſi intentatum oſtendebamus ne complerentur iuſta pariendi tempora, cùm faſtidiret tamdiu ergaſtulo ventris contineri; Euangeliſta autem vt cohibitum votum Præcurſoris iuſta ob momenta ſignificaret, quod mulieribus vulgare, quaſi ſingulariter Elizabethæ acciderit, memorat; fuit enim penè ſtupendum, quod attigiſſet menſem nonum, quo editus eſt, ac proindè compleſſet ſpatia exactè pariendi, cùm tantoperè geſtiret infans præuertere tempora ſtudio adorandi Seruatorem.

*Baptiſtæ in matris vtero longa ſunt tempora, quæ præuertere conatur, ſtudio adorandi Saluatorem.*
Chryſoſt.
Metaphraſt.
Antipater.
Luc. 1. 57.
Origen.

71. Et quando gratia eò plus eluceſcit, quò profuſior eſt in donando, vide per omnia ſemper mirabiliter gratioſum Ioannem: Amiſerat Pater vocis vſuram, & nato Præcurſore ſoluuntur vincula impediti oris: ſed leue iſtud gratiam facturo, quando & Natura linguam ſubminiſtrat; Inſuper & vaticinetur longæuus ſenex Zacharias, fœmina etiam Elizabetha prophetet. Neque parum felices ſe putaſſent ſermone genitori reſtituto, at exiguum eſt Præcurſoris gratiæ, ea ſolùm Progenitoribus impetraſſe, quæ optare poterant, niſi & vltra votorum menſuram prodigâ eatur liberalitate. Ita viſum Ambroſio lib. 1. in Lucam, aienti: *Non ſolum ablata reſtituit, ſed etiam non ſperata concedit:* Guerricus etiam Abbas ſerm. 1. in natiuitate Baptiſtæ: *Nec ſine fœnore magno rediјt intercepta facultas loquendi, cui ſimul acceſſit gratia Prophetandi.* Et animaduerte, vt aliorum filiorum pietas in eos, à quibus ortum traxerunt, plurimùm extollitur, ſi cùm adultæ ætatis facti, beneficia educationis compenſant, quibus valent officiis; Ioanni vulgaris eſt remuneratio poſt annos retribuiſſe, antequam vel menſes numeret, antequam momenta Natiuitatis, ſatisfacit; nondum lucis debitor eſt progignentibus, & lucem accipiunt illi propheticæ viſionis, hoc Gratia poſtulabat Ioannis, vt anticiparet remunerando præſignatos æui terminos: Iuſtitiæ eſt tum ſubueniſſe, ne ſoboles parricidij arguatur; gratia antelucana eſt, & præueniens, nam ſi obligatio eſt, gratia deſinit eſſe. Guerricus concinnè, vbi paulò anteà allegatus: *Antè prophetare, quàm profari cœperat: Parentes quoque ſuos Prophetas faciebat: & in eos qui in ſe transfuderant carnis ſubſtantiam, ſpiritus ſui, & gratiæ ſuperabundantiam refundebat:* Denique, cùm eremum petit, neque manducat, neque bibit, neque penè veſtis illi: vt quid tam ſeueræ leges? Scio magnis itineribus ad brauium ſupernæ vocationis currere Ioannem, ſed etiam Perfectionis apex neceſſaria vitæ defenſandæ permittit: imò Apoſtolica perfectio ea eſt, quæ ſuperflua ſpernit omnia, iiſque contenta eſt, quæ tantùm in alendam vtcumque vitam ſufficiunt: ô gratiam Ioannis etiam ſuprà Apoſtolicæ faſtigium Perfectionis! glorientur alij, quod de ſuperfluis erogauerint, eſcæ & tegumento modum poſuerint; Ioannes quò gratiam commendet nomine eius indicatam, ne iis vtatur quidem, quæ vel Apoſtolica non abnuat perfectio. O nouam viuendi formam, cui etiam neceſſitas velut in culpa ſit! Bernardus ſerm. de natiuitate Præcurſoris: *Victum & veſtitum* (*ait Apoſtolus*) *habentes, his contenti ſimus: Apoſtolica perfectio iſta eſt, ſed Ioannes etiam hæc contempſit: Denique audi Dominum in Euangelio: Venit, inquit, Ioannes, non manducans, nec bibens, planè nec veſtiens: ſicut enim non eſt locuſta cibus, niſi aliquorum fortè irrationabilium animalium; ſic nec pilus Cameli, humanum eſt indumentum.*

*Naſcens Baptiſta Patri & loquelam amiſſam, & inſuper Prophetiæ gratiã impetrat.*
Ambroſ.
Guerric. Abb.
Idem.
*In Eremo Baptiſta ſuprà Apoſtolicã perfectionem euectus, etiam neceſſaria contemnit.*
Bernard.

72. Sed, quòd vbera meliora dicantur eſſe vino, cùm lac paruulorum ſit, eòque ſignificentur primi conatus, qui non fortes eſſe conſueuêre, Euangelium eximiè honorari Beda putauit, cuius inchoatio, legis & Synagogæ maturitatem vinceret: *Vinum quippè* (inquit in hunc verſum,) *feruorem ſcientiæ legalis, vbera verò dicit rudimenta Euangelicæ fidei, de quibus ait Apoſtolus 1. Corinth. 3. lac vobis potum dedi, non eſcam: vbera ergo Sponſi meliora ſunt vino; quia rudimenta noui Teſtamenti, quoſcumque ex aqua, & ſpiritu regenerant, mox vitæ cœleſtis introitu aptos reddunt, quod longa legis obſeruatio nequaquam facere valebat.* In huius laudis communionem admittatur Baptiſta, nam quod Euangelium, cuius ille præco, conſecutum, idem ipſe, vt fuerint incunabula potiora; quin & intra aluum maternum geſtatio, magnorum virorum conſummata gloria, plúſque ille inter crepitacula, vixque ablactatus fecerit, quàm alij poſt conſumpta multa luſtra, cùm interim pro pulcherrimis deſudarent impigrè. Guerricus 1. ſermone de Baptiſta: *Cuius etiam prima elementa iuſtitiæ, modum ſupergreſſa ſunt perfectionis humanæ; cuius rudi-*

*Vt Euangelij incunabula Synagogæ maturitati præſtitêre, ſic Baptiſtæ infantia conſummatam magnorum virorum gloriam ſuperauit.*
Guerric.

*menta primæuæ ætatis, grauitatem Sapientiæ vicêre ſenilis.* Equidem vt de vaticinationis Spiritu dicamus: hunc non infundi ex ordinario more, niſi in prouecta ætate, aduertit Gregorius Papa lib. 1. in Ezechielem, hom. 2. in illud, [& factum eſt in triceſimo anno: &c.] *Hoc autem* (inquit) *quod dicitur, quia triceſimo anno Spiritum Prophetiæ acceperit, indicat aliquid nobis conſiderandum, videlicet, quia iuxta rationis vſum doctrinæ ſermo non ſuppetit niſi in ætate perfecta:* Quantus igitur Ioannes, cui donatum antequam in auras prodiret, quod Ezechieli conceſſum nonniſi trigeſimo ætatis anno, vt inde viuendi inceptarit exordia, quo viriles decorati ſunt anni vnius de maioribus Prophetis? Vt ſanè vel ob hanc cauſam non dubitauerit aſſerere de eo prolatum, non ſurrexiſſe maiorem inter natos mulierum, Cæſarius Nazianzeni germanus Dialogorum tertio Codice ad finem: *Maior ergo omnibus* (inquit) *inter natos mulierum Ioannes, quod cùm adhuc in vtero materno eſſet, noſtrámque vitam nondum attigiſſet, vaticinatus ſit, inſtrumento maternâ linguâ vſus:* Ac ſanè à non paucis æſtimatum, Prophetarum, quos habuit vetus inſtrumentum, Moyſem ſummum, præclariſſimúmque extitiſſe; qua de materia nos Tomo 1. Anteloquio 9. numero 31. Porrò huius incanam ætatem ſuperatam à Ioanne nondum vagiente, vt quem genitrix adhuc portaret, Antipater Boſtrorum Epiſcopus aſſeuerauit, oratione de ſancto Baptiſta, & Zachariæ ſilentio, apud Metaphraſtem: *Fuiſti* (ait) *Spiritu afflatus, vt qui donum Prophetiæ accepiſti in vtero: Saliens in ventre ea dicebas, quæ Moyſi, cùm conſenuiſſet, Deus ſignificauit: Qua de cauſa te maiorem Prophetis vocauit Sponſus Eccleſiæ: Quis enim ex Prophetis ex vtero Matris narrauit myſterium?* Num & Angelis prælaturi ſimus, vt quod eos latuerit aliquid, vel poſtquam legerunt in Verbo vitæ, Ioannes priùs ſciuerit? Monuimus aliàs data occaſione edoctos Angelos cum tempore, & poſt editum Seruatórem, de quibuſdam Incarnationem circumſtantibus, quæ ab exordio Beatitudinis latuerunt, & ob hoc introducuntur Pſalm. 23. atque Iſaiæ cap. 63. vt qui non ſciant, & inſtrui cupiant: Lege apud S. Thomam 1. parte quæſt. 57. art. 5. ad 1. & ad 3. quæſt. 64. art. 1. ad 4. quæſt. 106. art. 4. ad 2. Fortaſſe ex his nonnihil Præcurſori reuelatum antequam pateret diuinis Spiritibus: eius fuiſſe opinionis Chryſoſtomus apud Metaphraſtum hom. 2. de Natiuitate Baptiſtæ videatur: *O res admirabiles* (exclamat) *& quæ ſuperant opinionem! quæ in cœlo ignorauerunt Angeli, cognouit Ioannes, qui geſtabatur in vtero: Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice minimè præteriјt: celauit Dominationes, & ei, qui erat in ventre reuelauit myſterium ſuſceptæ Carnis œconomiæ:* Paria eodem in Metaphraſte Antipater Boſtrenſis Præſul oratione ſuperiùs nominata de Præcurſore: *Etenim, antequam eſſet natus, Deus apertè tradidit gratiæ myſterium, gratiæ theſauros apud eum depoſuit; & ea, quæ ignorarunt, in cœlo choros ducentes Angeli, Ioannes dicebat, qui in Matris geſtabatur vtero.*

Gregor. *Quod Ezechieli & Moſi in ætate perfecta conceſſum, hoc Ioanni in matris vtero.*

Cæſarius.

Antipat. Metaphraſt.

S. Thom.

Chryſoſt. Metaphraſt. *Sciuit Ioannes in vtero, quæ ignorauerunt Angeli in cœlo.*

Antipat.

72. Transeamus ad Apoſtolos, de quibus Author ſermonis de Priuilegiis Baptiſtæ, qui modò adſcribitur Sancto Bernardo, modò Beato Petro Damiano certè vtroque digniſſimus; ſtylus Bernardum non ſapit, cuius tamen ſimilitudo in aliquibus Damiani homiliis eniteſcit, ſub cuius nuncupatione citaturi ſimus, cui & frequentiùs alij tribuunt: *Denique, & Apoſtoli* (ait) *qui manibus ſuis tractauerunt de verbo vitæ, cùm Spiritum ſanctum de Saluatoris accepiſſent afflatu, vix quinquageſimo à Reſurrectionis die ad illum gradum peruenire potuerunt, vt diceretur de eis, repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: & licet Spiritus ſanctus largiori tunc munere credentium corda repleuerit: hoc tamen Ioannes legitur in vtero aſſecutus, quod Apoſtolica celſitudo tandem largiori promiſſione meruerit obtinere;* Nempè de Ioanne dictum ab æthereo nuncio: *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero Matris ſuæ.* Luc cap. 1. verſ. 15. Verùm, ſubtilius aliquid proferamus: Decem & octo menſes agentem Chriſti Prodromum, inhoſpitalia, & deſerta petiſſe non vulgares aſſeruêre Hiſtorici, qui apud Suarez tom. 2. in 3. part. diſputatione 24. ſect. 3. Quam vt exceſſerit ætatem, ſed tenerum & delicatum ſatis fuiſſe, vulgare iudicium eſt; nec veſtigandum, quæ tante feſtinationis occaſio; at inquiſitione dignum, quamobrem Chriſti latus deſeruerit, cur non adhæſerit Sponſo Amicus, duci miles, & vultus incomparabilis contemplatione Beatiorem ſe futurum æſtimauerit, quàm Syluarum incolatu? Equidem humanitatis Chriſti contemplatio vtiliſſima eſt, eadémque ſimul præſtans & digniſſima: Sed nobilior, quæ in diuinitatem figit obtutus, theoria omninò ſpiritalis; Vnde Chriſtus Dominus ſub fine dierum, volens ſuauiter Apoſtolos ab Humanitatis quanquam Sacratiſſimæ conſideratione, ad Diuinitatis traducere cognitionem attentam, aiebat, *Expedit vobis vt ego vadam, ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos,* Ioan. cap. 16. verſ. 7. Quæ ad verba Bernardus ſermone 3. de Aſcenſione Domini: *Quid eſt, quod Chriſto commorante in terris, Spiritus ſanctus ad eos venire non potuit? An Carnis illius conſortium abhorrebat, quæ de ipſo, & per ipſum in Virgine, & de Virgine matre, concepta erat, & nata? abſit: Sed vt oſtenderet nobis per quam ambularemus viam, formam apponeret, cui imprimeremur:* Igitur Ioannes vt Chriſtum melius lucrifaceret, pro Chriſto Chriſtum deſeruit, hoc eſt, ab humanitatis abſtinuit conſortio, quo ſoli vacaret diuinitati nobiliſſimo contemplationis genere: Petrus Damianus ſermone de Priuilegiis Baptiſtæ iſtud innuerit, dum inquit: *Relinquit Ioannes mundum, homines fugit, neſcit patriam, Parentes aſpernatur: & in ſolius diuinitatis apicem beatæ contemplationis figit obtutus:* illud; *in ſolius diuinitatis* noſtram munit cogitationem: At, in quem finem diſcurſus totus? nimirum, vt doceatur Baptiſtâ ſub viuendi ingreſſu ſpiritalis Magiſterij eam aſſecutum laudem, quam Apoſtoli non niſi cùm Seruator diſceſſum pararet, attigerint: Siquidem non cunctorum eſt diiudicare, quænam in Theoria præferenda, & acutum eſt vel Chriſti carnem deſerere, vt in diuinitatem velociùs feratur Mens: hoc igitur, de quo Diſcipuli inſtructi cùm ex hoc mundo tranſiret Redemptor, nempè, ne ægrè ferrent Carnis ſanctæ abſentiam, Ioannes tenuit, cùm vix faſcias, & crepitacula reiectaret, & idcircò in ſaltus & nemora puſiunculus, in antra ferarum irrupit.

Author. ſermon. de priuil. Bapt. *Baptiſta Spiritu ſancto repletus ex vtero matris, dũ Eremum infans incolit, eam aſſequitur perfectionẽ, quam Apoſtoli niſi in Saluatoris diſceſſu non attigerunt.*

Suarez.

Ioan. 16. 7.

Bernard.

P. Damian.

73. Ac moueat quempiam, quod Baptiſta iam prouectior, non ſe Chriſti gymnaſio addixerit, ſed Magiſter eſſe maluerit, ſcholam habêre, & diſcentes numerare: viſa Auguſtino difficilis quæſtio, homilia 4. de Natiuitate Baptiſtæ, qui ex Sermonibus de ſanctis 23. *Hic igitur Ioannes* (ait) *non inuenitur inter diſcipulos Domini, ſed inuenitur potiùs diſcipulos habuiſſe cum Domino: quid eſt hoc? quis eſt iſte homo? homo tantùm: quis homo tantus? quantus tantus homo? tamen non ſequebatur inter diſcipulos Dominum, & ſequebantur eum diſcipuli: abſit, vt dicam contra Dominum, ſed tamen quaſi extra Dominũ diſcipulos*

*Suum peculiare gymnaſium, ſuóſque diſcipulos habuit Ioannes, quaſi laureâ & magiſterio à Chriſto honoratus, ob Ingenij præſtantiam & doctrinæ eminentiam.*



*diſcipulos habebat Chriſtus, diſcipulos habebat Ioannes: docebat Chriſtus, docebat Ioannes:* Quid igitur? Tam conſummatus doctrinâ Baptiſta, vt nec Chriſto præceptore indigeat? Vel deſpexerit ſub ferula eſſe? nihil iſtorum: procul tam immanis ſuperbia ab humili Prodromo: Verùm honorare voluit Seruator fidelem lucernam ſuam; vidit ex dono ipſius ab vnguiculis egregiè peritum extitiſſe, ac matris vtero reſidentem ea aſſecutum, quæ magni viri vix poſt multa emenſa luſtra: Tantam in addiſcendo eminentiam ſignificaturus, diſcipulum non ſuſtinuit: lauream & Magiſterium conceſſit. Sic & apud nos, ſi quiſpiam arte ſub aliqua promptiſſimè diſcat, ita vt ſui admirationem concitet, ſtupeátque vel præceptor ipſe ad ingenij properantiam: deinceps non velut diſcentem coërcet, ſed libertatem præſtat quaſi Magiſter ſit; nec propterea, quia omnia hauſerit, nihílque diſcendum ſuperſit, verùm vt honoret acumen peregrinum, & mirabile. Alterum Auguſtini in eadem hom. quæſitum. *Occurrit* (ait) *quæſtio non prætereunda; quare Natalem, quo eſt natus ex vtero Ioannes, potiùs celebramus, quàm cuiuſlibet Apoſtoli, vel Martyris, vel Prophetæ, vel Patriarchæ?* Idem qualibet ferè Concione de Baptiſta: Hilarius Arelatenſis hom. 1. Sanè Præcurſoris ortus non tam videbatur Natiuitas, & inceptio, quàm maturi æui terminus: ita ille vel tum coæquans longa viuendi ſpatia, & Heroum merita; quamobrem concinnè aduertit Ambroſius lib. 1. in Lucam, ſuppreſſam infantiæ memoriam, vt quam ignorarit: *Et ideò* (ait) *nihil in Euangelio ſuper eo legimus, niſi ortum eius, & oraculum, exultationem in vtero, vocem in deſerto; neque enim vllam infantiæ ſenſit ætatem, qui ſupra naturam, ſupra ætatem in vtero ſitus Matris, à menſura perfectæ cœpit ætatis plenitudinis Chriſti:* Cùm igitur Natiuitas Ioannis talis, eius vt rudimenta iuxta Ambroſium, haberent ſimilitudinem plenitudinis ætatis Chriſti; non mirum, vt ſicut Chriſti Natiuitas ab Eccleſia celebratur, ita & Ioannis illam referentis, qui honos alteri ſanctorum non datus, vt monent vbi ſuperius, Auguſtinus, & Hilarius.

Auguſtin.

Auguſtin.

Hilarius. Arelat. *Solius è Sanctis Baptiſtæ celebratur Natiuitas, quia nullam infantiæ ſenſit ætatem, & à menſura perfectæ cœpit ætatis plenitudinis Chriſti.*

Ambroſ.

74. Sed cùm vbera hæc, de quibus actitamus, vnguenta ſpirent, experiamur num & Ioannes vnguentis delibutus proceſſerit? Quídni autem? Nam huius Veſtigationis monſtrauimus num. 9. Vnguenta adhibita, vt exhilarent in oleo faciem: proh, quantæ letitiæ origo, aduentus Præcurſoris! Abſcondat ſe tantiſper noſtrâ oratio, & theatro cedat, locum factura Damiani Petri eloquentiæ ſerm. de Priuilegiis Baptiſtæ: *A diebus Adæ* (ait) *vſque ad Ioannem, organum noſtrum verſum eſt in vocem flentium; quia vbi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus, duplex erat deplorandi materia: Occidis, occidi iuberis: Sabbato ligna colligis, lapidari iuberis: Et ille, cui proprium eſt, miſereri ſemper, & parcere; niſi ferire non nouit. Ioannes natus oſtendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati: hæc eſt prima vox, quam vox clamantis in deſerto propoſuit; & vox Turturis audita eſt in terra noſtra: ex tunc miſit in os noſtrum Canticum nouum, Carmen Deo noſtro, & reſonat in ore noſtro gratiarum actio, & vox laudis; ſuperexaltatur Miſericordia Iudicio, peccatoribus parcitur, regnat pietas, iuſtitia diſſimulatur; & miſerendi, non feriendi quærit occaſionem miſericors, & miſerator Dominus.* Nec tantùm pauor homines reliquit poſt editum Baptiſtam, ſed ipſa etiam elementa. Tranſierat Iordanem Arca quondam, Ioſue cap. 3. verſ. 16. & aquæ ſtupefactæ fugam capeſſerant: *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti* (ait Pſaltes Oda 113. verſ. 5.) *& tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Baptizatur ſubſecutis ætatibus eodem in flumine Seruator, adſtat Trinitas, neque trepidant, nec mouentur vndæ: demiratur Chryſologus ſermon. 160. Scio aliàs à nobis productum, ſed opus & nunc tranſcribere: *Hodie* (inquit) *Deus maieſtate intonuit: & ſi Pater de cœlo intonat, ſi filius Iordanis inſiſtit fluentis, ſi Spiritus ſanctus corporaliter apparet de ſupernis: quid eſt, quod Iordanis, qui fugit ad præſentiam legalis Arcæ, ad totius Trinitatis præſentiam non refugit: quid eſt?* Sed cauſa in promptu eſt: nempè, quanquam præſens diuinitas, quæ timorem, & metum incutere valeat, ſed adſtat Ioannes Baptiſta, poſt cuius aduentum, benignitas, & humanitas Dei Seruatoris noſtri dominatur, erudiens Creaturam omnem ne paueſcat ampliùs: vnde Petrus Rauennas ſtatim: *hîc Trinitas exercet gratiam totam, totam ſecum loquitur charitatem: ibi elementa corripit, vt ſeruulos inſtituat ad timorem: inter hæc tamen talia & tanta intrepidus ſtat Ioannes, quia timêre non poteſt, qui totus ad Dei amorem natus Angelico teſtimonio comprobatur.*

P. Damian. *A Præcurſoris aduentu totus in gaudio renouatur Orbis.*

Ioſue 3.

Pſal. 113. 5.

Chryſolog. *Timidus enim Iordanis ad Præcurſoris præſentiam firmatur.*

Idem.

75. Et fragrant quidem non ab vno aliquo vnguento vbera, ſed à diuerſis, quoniam quæ inter multos diſperſæ Prærogatiuæ, vno in Baptiſta collectæ reperiantur: Sanè hoc noſtro Epithalamio legitur Salomon potens opibus, & gloriæ auidiſſimus Monarcha, ferculum ſibi feciſſe: & quia pro vehendo Rege Lectica illa, in vnam congeſtæ diuitiæ multiplices: itaque de arboribus Libani odoratis ligna, columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus, media charitate conſtrata, vbi lapides exquiſiti honoris. Cant. cap. 3. verſ. 9. Decuit ſic ornari quæ principem erat portatura, Carrucam: Iam verò, ſi ad arcanum, interiorémque ſenſum iſta referamus; comperiemus incorruptâ Libani Cedro Virginitatem deſignari; columnas repræſentare Apoſtolos, Eccleſiæque Magiſtros; auro, argentóque Sapientiam, & eloquium innui; aſcenſu purpureo adumbratos Martyres; varios lapillos Spiritus ſancti dona eſſe multa, atque varia. O decorum eſſedum! ô pulcrum quadrigarum onus! ô feſtiuam æterni Salomonis geſtatoriam! Sed quid Ioannes Baptiſta? Vox planè Verbi: nihil mage notum; quid autem vox aliud, quàm verbi vehiculum? Auguſtinus hom. 2. de Baptiſta, (qui ſerm. 21. de Sanctis:) *Sicut ſermo vocis quodammodò miniſterio, ac vehiculo ad audientem à loquente tranſmittitur; Ita Ioannes Chriſtum ſonans, Verbi erat miniſter, & portitor:* Quando igitur Præcurſor æterni Salomonis vehiculum, hinc vt in vnum eum tanquàm omnium diuorum opes congeſtæ ſint; & ipſe proinde Apoſtolus, quia miſſus à Deo vt teſtimonium perhiberet de lumine, Virgo, Doctor, pluſquam Propheta, Martyr. Floridiſſimè Damianus ſub finem Sermonis de Priuilegiis Baptiſtæ: *Audi ergo: Ioannes Patriarcha, imò Patriarcharum finis, & caput: Ioannes Propheta, imò pluſquam Propheta: Ioannes Angelus, ſed & inter Angelos electus: Ioannes Apoſtolus, ſed & Apoſtolorum primus, & princeps, quia fuit homo miſſus à Deo: Ioannes Euangeliſta; ſed & Euangelij primus Meſſor, prædicans Euangelium regni: Ioannes Virgo, imò Virginitatis inſigne, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum: Ioannes Martyr, ſed & Martyrum lumen:* Sic igitur in Ioanne, eò quod Thronus Chriſti futurus eſſet, adunati Sanctorum ſplendores omnium: Quod

*Baptiſta miro Salomonis ferculo ſiue Throno pulcrè comparatus.*

Cant. 3. 9.

Auguſtin.

*Varia Ioannis attributa.*

P. Damian.

3.Reg.10. 20.
Quod ſi de Salomonis Throno pronunciatum: *Quia non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis*, Reg.3.cap.10.verſ.20.de Ioanne dictum eſt: quia non ſurrexit maior inter natos mulierum: quæ verba ſic interpretatur Damianus,vt idem denotent,quod de Throno prædicatum, ſcilicet, non extitiſſe parem alium,(excipiuntur Mater gratiarum Deipara, & Filius,)
Damian.
*Vnus eſt*(inquit)*& ſecundum non habet, qui choris intertextus Angelicis, ſublimioris Coronæ titulis, Vniuerſitatis humanæ tranſcendit aſcenſum: Denique inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.*

76.
*Primam in cœlo poſt Chriſtum & Mariam ſedē occupat Baptiſta, Luciferi loco ſuffectus.*
Quod ſi Ioannes tentus, cui nemo æqualis poſt Seruatorem, illiúſque genitricem, igitur & in cœlis ſublimiori donatus loco,nec ſolùm beatas hominum ſupergreſſus animas, ſed & Angelorum ordinibus ſuperior: neque vt hæc ſignificent vnguenta,difficile: nam L X X. legunt ſeniores:
LXX.
ϗ ὀσμὴ μύρων σου ὑπὲρ πάντα τὰ ἀρώματα: *Et odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata:* Aromata autem hæc cùm ſint merita virtutum, ſicut meritis excelſior Præcurſor, ita & præmio meritorum,quæ gloria perennis eſt,Dei intuitiuâ viſione conſiſtens: neque hanc faſtidit vllo modo ſententiam Damianus ſerm. de priuilegiis
Damian.
Antecurſoris Verbi Incarnati: *Felix homo* (ait) *qui feliciter cœlorum perambulans officinas,curſu velociſſimo ſequitur Redemptorem, nec alicuius intercluditur faſtigio dignitatis, quem ſummæ felicitatis immenſitas largiùs irrorauit:* Quibus indicat proximum Seruatori, cùm à nullius dignitatis intercludatur apice,nempè etiam poſt Matrem Domi-
Idem.
ni,vt ſæpè idem aduertit, qui ſubiungit:*Eleuentur omnes, & meritorum prærogatiuas antè conſiſtorium maieſtatis exaltent: non erit tamen, qui ad Baptiſtæ Ioannis priuilegium audeat aſpirare:* Ac ſanè apud
Barrad.
Barradium noſtrum tom. 1. Euangelicæ harmoniæ, lib.8.cap.4. ad calcem: allegati ab eo Fran-
F.Mayron.
ciſcus Mayronis,& Cancellarius Pariſienſis Ioan-
I.Gerſon.
nes Gerſon, dicunt Luciferi ſubſtitutum loco Præcurſorem,qui cùm eſſet Hierarchicarum Dux claſſium, & Angelorum ſupremus, quemadmo-
Molina.
dum ex commmuni Patrum iudicio Molina oſtendit in 1. part.quæſt.63. art. 7. ſedebat loco fulgentiori; hac autem in Ioannem tranſlatâ gloriâ,oportet,intelligatur ipſe Angelis,& hominibus ſupereminêre: Antiquus huius opinionis præſtructor videatur Cardinalis Sanctus Petrus Damianus,eo,quem ſæpè nominauimus ſerm. de Priuilegiis Ioannis Præcurſoris: ad finem illius:
Damian.
*Silentio tranſeo* (inquit) *quòd ſic nouem Angelorum ordinibus inſertus eſt, vt etiam ad Seraphin apicem transferatur:*Porrò Seraphim eleuatiori inter Spiritus cœleſtes ſolio reſident, horúmque culmen ille occupans,ſublimiſſimus euaſerit:huius tantæ gloriæ num illa ſpecialior occaſio? nimirum ten-
*Lucifer à Ioanne deluſus.*
tarat Baptiſtam deiicere Satan, ſed opus validiſſima arietatione; concepit autem quibus ipſe deiectus ſit modis, Ioanni poſſe inſidias parari: quem non enim ſuperbia vincat? Præſertim,ſi vt in Deum Creatura tranſiret, via aliqua aperiretur: cecidit ille Altiſſimo ſimilis fieri præſumens: Lapſi & Protoparentes, dum obaudiunt ſpondentem ſicut Deos futuros,ſcientes bonum, & malum? Ergóne fortiorem ſe Ioannes demonſtrabit? Mittuntur itaque ex Hieroſolymis legati,qui Seniorum,& plebis nomine pro Meſſia colere in poſterum offerant, Luc cap. 3. verſ. 15. Ioan. cap.1. verſ. 19. Sed incaſſum ceſsêre Artes: inſultat inimicos Damianus: *Erubeſce Lucifer,qui manè oriebaris, & conatuum tuorum fractus impulſibus, tandem intellige,quia in nouiſſimo dierum, tanquam Perdix ſtultiſſimus remanebis: Ecce genus armaturæ, quod tibi conſtitueras ad victoriam, Ioanni naſcitur ad Coronam: apprehende arma, & ſcutum,& toto malignitatis tuæ Spiritu debacchare: non tamen poteris irrumpere Ioannis Priuilegium:* Igitur, quòniam Ioannes noluit Deus haberi, Iudæis id ſtultè proponentibus, noſſe enim poterant haudquaquam Meſſiam eſſe; ob tantam humilitatem ſingulariter eius occupauit locum, qui affectauit tanquam Deus eſſe & coli: Et pia quidem ſententia eſt ſubrogatum pro Lucifero; Sed non euidens probatio vulgaris clauſula ex Matthæi cap.11.verſ.11. *Amen dico vocis, non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptiſta:* quæ neque hominibus vniuerſis antecellere, vt credamus, Suarez.
obligat; qua de aſſertione Suarius ad longum in 3.Partem: diſputatione 24.ſectione 3. & Philippus Abbas putauit ſic, de continentia Clericorum,cap.74. nam de Apoſtolis loquutus: *Cæte-* Philipp.Abb.
*rum,cùm poſt Aſcenſionem Chriſti, deſcendente ſuper eos in linguis igneis,Spiritu,muſto nouæ gratiæ deebriātur: cùm exuti pannos infantiæ, indumentis perfectioribus innouantur: cùm iam Chriſtum paſſim annunciant,nullo timore ſicut antea, reuocati: Cùm etiam ad eorum vmbram vel ſemicincti infirmi quilibet redduntur ſani: quid mirum, ſi quis eos Ioanne non ſolùm non minores, ſed fortè etiam putauerit ſanctiores? cùm, etſi hoc apud nullum Euangeliſtam Chriſtus apertè profitetur; tamen Ioanni teſtimonium perhibens, negare non videtur.*

---

*Quæ quiſque enixè diligit, de ijs ſiue opornè,ſiue importunè,ſermocinatur.*

## Sectio IV.

Viſum aliquibus præter rerum morem,quod vbera Charo ſuo Sponſa tribuat,vt vel hinc 77.
*Vbera hîc cōmemorat Spōſa, vtpote Puellarum voluptatem.*
aliter vertendum duxerint pro vberibus *Amores*, quemadmodum ſignificauimus,cum Literam explanabamus; Sed Sponſæ parcendum,quanquam aliquid ſolœciſmi committeret,certè minus propriè diceret, quoniam ex abundantia cordis os loquitur. Vbera,delitiæ eius, ſiue quia mater dici anhelat,vt inferiùs non leuiter ſubinnuit, cap.8. verſ.1. *Quis mihi det te fratrem meum,ſugentem vbe-* Cantic.8.1.
*ra matris meæ*,&c. Siue,quoniam Puellarum voluptas,vbera,quorum proinde ornatui vigilantiùs incumbunt; inde Ieremiæ cap. 2. verſ. 32. *Nun-* Ierem.2. 34.
*quid obliuiſcetur Virgo ornamenti ſui, aut Sponſa faſciæ pectoralis ſuæ? Populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris:* Ergo vbera quæ vehementer diligit,neſcit effari niſi de vberibus:vidit Philippus Abbas lib. 1. in Cantica cap. 5. *Denique non* Philipp.Abb.
*De ſua quiſque ſermocinatur arte.*
*ſponſorum* (ait) *ſed ſponſarum ſolent vbera commendari, quia virorum vberibus conſtat Pueros non lactari: Cæterùm, vnicuique quodammodò naturaliter eſt inſertum,vt eo ſepoſito,quod ei penitus inexpertum eſt,ad illud ſe conuertat, quod ei familiarius eſt compertum, id in exemplum ducat, quod eius eſt arti, vel officio non incertum: Sic Nauta loquens,proſpera quæque rerum vocat auras placidas,æquor ſtratum, velum forte, remiges,& Carinam: aduerſa verò, ventos rapidos,tumens fretum;aquas defluas in ſentinam: Miles quoque in omnibus ferè, quæ diligit verboſari, ea trahit in exemplum, quæ officio competunt militari; & vix in eius ore ſonat niſi lancea, gladius,ſcutum, galea, vel lorica; quæ etſi ad prœliandum reddit ei nonnunquam timor degener inimica; tamen ad loquendum familiari*



*familiari conſuetudine ſunt amica: Igitur,quia Virgini,quæ ſunt mulierum familiariter innoteſcunt,quarum vberibus infantes paruuli grandiuſculè pueređcunt: Sponſò loquens, ei muliebria ſimpliciter aſſignauit; imò feracem illius gratiam notis vberibus comparauit:* Vereor tamen,ne de quibuſdam nimium iuſta ſit Beati Laurentij Iuſtiniani querimonia,de perfe-
Laurent. Iuſtinian.
ctione Monaſticæ Conuerſationis, cap.15. *Videmus* (ait) *Agricultores,cùm in vnum coadunantur, repentè, & ſine tædio,de ijs,quæ agriculturæ ſunt, ſermocinari: Artifices mechanicos de artificijs,mercatores de mercimonijs ſuis: Oratores de ſuis facultatibus confabulari; & proh dolor! Soli ſerui Dei, quæ proprio congruunt ſtatui,audire,vel loqui non curant,vel ignorant:* Quid ſi contingat quod apud eundem ſubſequitur? Auertat Omnipotens à dicatis ſibi vaſis crudele malum! *Vtplurimùm tacent propria, & vtilia,& de alienis proloquuntur negotijs: Cùm vana audiunt,& ſcurrilia loquuntur, intenti ſunt: Cùm verò ſpiritualia, citò fatigantur, & perſæpè miſerabiliter merguntur ſomno.*

78.
Gen.3.19.
*Adamus poſt peccatum vxorem ſuam vocauit Euā, .i.vitam,propter ingens deſiderium, & aſſiduam memoriam vitæ indeficientis per peccatum amiſſæ.*
Eiecit poſt vetitam gulam Protoplaſtos de loco Voluptatis Creator, & mortis anathemate damnauit: *In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: Quia puluis es,& in puluerem reuertêris.* Geneſ. cap. 3. verſ. 19. Sed hac audita comminatione, tanquam ſi felix, & perennis iuuentus ei promitteretur, Adam, quam olim Viraginem nuncupauerat idoneo tum vocabulo, nunc viuentium progenitricem appellat: *Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Heua, eo quod mater eſſet cunctorum viuentium:* Volo autē expendat Rupertus Abbas grauiſſimis verbis, quàm aliena fuerit dictionis huius vſurpatio ſub illis circumſtantiis: is verò lib.3.de Trinitate, &
Rupert.Abb.
eius operibus,cap,26. *Quid* (inquit) *inſaniùs,quàm in illo talis cauſæ iudicio illam nuncupare Euam,id eſt, vitam, quæ vitam in ſe non habebat? eámque dicere Matrem cunctorum viuentium, quæ potiùs Mater eſt cunctorum morientium? Omnes enim in peccato eius moriuntur, & nemo filiorum eius viuit, niſi qui per vnum hominem Chriſtum viuificantur: mirabile itaque eſt, quod vbi mortis corporeæ ſententia ferebatur, iam ſpirituali morte mortuus,& poſtea etiam corporali moriturus,illic vxorem ſuam,Euam, id eſt, vitam appellauit:* rectè vitam Euam interpretatus Ruper-
LXX.
tus, L X X. Seniorum exemplo, apud quos ζωὴ, id eſt *vita*, & in Hebræo חַוָּה *Chavvah* à radice חַי *Chai*, quod *viuere, animari*, prout à Nuperis obſeruatum diligentiùs Commentariis: quamobrem cùm vitam dictio repræſentat,nonniſi per Ironiam,& Sarcaſmum ita vocatam fœminam à primo Marito Rupertus eodem loco exiſtimauit. Verùm, quod noſtro Scopo deſeruiat, expromo: ſatis compertum eſt,homines cùm bonis fruuntur,eademmet ſiue ob naturæ inconſtantiam, ſeu ob familiaritatem, aſſuetudinémque minori in gratia habere: nonnunquam & aduerſari, & faſtidire: poſtquam autem ablata ſint, & procul iêre, tum ardens deſiderium oritur, & cupiditas magna vt reſtituantur: Adamo igitur, modò pactum obſeruaret, vita promiſſa indeficiens,huius ille inchoator breui illo iuſtitiæ originalis interuallo, contempſit facilè, quâ gaudebat, guſtauit de interdicto pomo, excluſus eſt viridario delitioſo,& in exilium miſſus, cui tandem Mors terribilium omnium terribiliſſimum finem imponeret:tum ille cernens deſpoliatum ſe vitâ immortali, amiſsúmque beatum priuilegium migrandi à vita in vitam, nam transferendus erat abſque lethi interuentu ab amœna Paradiſi ſtatione in cœlorum ampliſſima; arſit in illius, quod deperdiderat,Boni cupediam: itaque ſuſpiria, & pectoris vota pro non recuperanda amplius vita: Quare, cùm ſub corde vnicè verſaret vitæ memoriam, eructauit affectui cognatum verbum, vxorem vitam appellans, non quia ignoraret morituram, ſed cùm de amiſſa vita eſſent Animæ cogitationes, lingua ſequuta eſt Animæ affectionem, & foris pronunciauit, quod intùs meditabatur.

Cruciabatur ſub flammis atrocibus Diues ille 79.
quondam melioribus eſcis paſtinatus, ſed linguæ imprimis vexabat tormentum, quamobrem ad Patriarcham miſerandos attollens vultus: *Pater* Luc.16.24.
*A ferreo Diuitis Epulonis corde infert Chryſologus dura & dira in Lazarum verba,ob quæ potiſſimùm linguâ torquetur in inferis miſer ille.*
*Abraham* (inquit) *mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam,& refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*Luc cap.16. verſ.24. Sed quamobrem de linguæ conqueſtus vexamento præcipuè? nimirum, quòd plus cæteris membris laboraret ſub ardoribus ſempiternis: Sed hoc ipſum, quâ de cauſâ? cur non aut pedibus, aut manibus, vel cerebro incuſſæ triſtiores plagæ? Quid ſceleris audacioris præſumpſit lingua? Vulgare quæſitum, atque itidem triuialis eſt reſolutio,ob gulæ irritamenta linguam ſuſtinuiſſe, quæ primas obſoniorum illecebras excepit, dignúmque,vt acriùs vapularet, quæ capitalior in delinquendo fuit:Sed Petrus Rauennas à cōmuni ſemita diuertit, & Maledicentiæ fuiſſe diuitis inſignem offenſam autumat,cui non ſatis menſæ analecta,quin & fruſtula denegaſſe Pauperi, niſi & contumeliis oneraſſet: ſerm.132.Qui ſecundus de Diuite & Lazaro: *Certè, ſi te iam poſſidet totus* Chryſolog.
*ignis inferni, ſi te gehennæ flamma complectitur, quare ſolius linguæ æſtibus deſideras ſubueniri? Niſi, quia, cùm pectus tuum anhelat flammâ ſui criminis, & reatus,magis lingua vritur,ardet, æſtuat, quæ inſultauit Pauperi, quæ miſericordiam denegauit: hæc præcedit ad iudicium: hæc antea deguſtat,& patitur cruciatus: hæc de toto corpore prima ſentit ardorem:* Porrò, inſultare linguam miſero, fameſcentique, haud ſit aliud, quàm conuitia & maledicta in eum iacere: Sed,vndenam prompſit Chryſologus,verba effutiuiſſe Helluonem illum amara & ſtringentia aduersùs Pauperem? neque enim Scripturæ Textus ſubindicat, qui de voluptatibus taxat: Sanè, ex his, quæ ab Euangeliſta narrantur, nemo non ſtatim concepturus ſit, ferrea extitiſſe impiiſſimi locupletis viſcera contra Lazarum, odiôque, atque liuore ſatis abundaſſe: Quando igitur doceat vſus,continere ſe non poſſe mortales,quin per os effluat id quicquid eſt, Animus quo repletus ſit; opportunè coniectatus eſt Rauennas Antiſtes, malitiâ, omníſque inuidentiæ monſtris refarcinatum pectus, facilè per labia euomuiſſe, intus quod latebat venenum.

Ioſeph, filius ille accreſcens, & decorus aſpe- 79.
*Sola læta & iucunda ſomnia recenſet Ioſephus, vt quæ cordi erant; triſtibus ſilentio ſuppreſſis.*
ctu,totus in referendis ſomniis, ſed quæ principatum deſignabant; nam & eius manipulus conſurgit, quem circumambientes adorant; neque ab aſtris tantùm, verùm & à Luna, & à Phœbo clariſſimis Mundi luminibus, colitur: Cur non & aliquid de Heræ crudelitate, de ergaſtulo, & loco ſeruitutis? pudétne effari de miſera conditione? certè Bernardo ſingulare viſum,quod ſubticeat labores, quippe tractatu, de gradibus Humilitatis, in primo tractatu, de curioſitate, ad finem: *Sic Ioſeph,cùm præuidiſſet exaltationem ſuam,* Bernard.
*non tamen præſciuit ſui venditionem,quamuis propior eſſet venditio, quàm exaltatio: Non, quod tantum Patriarcham, in ſuperbiam crediderim incidiſſe: Sed*

vt

*vt eius exemplo pateat; quod hi, qui futura prævident per ſpiritum Prophetiæ, etſi non omnia,non ideò tamen putandi ſunt nulla prævidiſſe:* Et quanquam ſancti Abbatis iudicium, Ioſepho ſubſtractum lumen, quo præcerneret malorum cumulum; ridentiáque tantùm, & honora affulſiſſe, res eſt tamen, de qua dubium ſubeſſe poſſet, cùm Numini in more, electis ſuis, quibuſcum familiariter loqui conſueuerit,præſignificare amaritudines, quo iacula (vt dici vſus) præuiſa minùs feriant: exemplorum multitudinem Biblia ſubminiſtrant obuiâ largitate, & Diuorum geſta innuunt creberrimè: Equidem & pro Ioſepho indulgentiſſima

Sap.10.13.

Prouidentia,Sapientiæ cap.10. verſ.13. *Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberauit eum, deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum:* pulcher condeſcenſus, ergaſtulum ſimul intrauiſſe: qui ita conſolabatur vinctum, an non præmuniuerit, inter dormiendum aliquid ſuggerens de anguſtiis, quas ſubiturus eſſet? Denique & Thomas Anglicus, quem

Thom.Angl.
Pererius.

producit ad verſ.18. c.37.Geneſis, Pererius, alia, quàm quæ narrata ſint per Moyſem, ſomnia Ioſepho obiecta putat, ſed cardinalia ſolùm ab Hiſtorico poſita:Quid igitur?præmonſtrata quoque fuêre aduerſantia Ioſepho? Eſto ſanè: verùm celandi cauſa: Puer erat, & terruerant facilè delicatam mentem Tragœdiarum lineamenta; quamobrem ab inuiſâ,metuendâque ſpecie auertebat quamprimùm Animi vultum, obliuioníque commiſerat, cuius recordatio verberabat: non ſic gaudioſa illa, & in quibus celſitudo, regnúmque apparebat; blandiebantur illa cordi, nec moroſus ingreſſus, vltrò ſe aperiente mentis ſinu,& amplexante quæ exhilarare valebant: igitur in hæc defixi obtutus vniuerſi, hæc diurna, hæc nocturna lenocinia: Quoniam igitur totam ſibi vindicabant animam læta atque pacifica, triſtibus ſilentio obuolutis, Spiritus autem ægrè patitur intus latêre, in quibus oblectatur, quæ attentè verſat; idcirco Ioſephus ſermones habuerit de ſomniis, quæ principatum ſpondebant; illis ſuppreſſis, quæ carceris ſqualorem diuturnum annunciabant.

81. Doluit pro erepta paterna benedictione Eſau, mortémque daturus Iacob; ne quid Animi praua machinamenta impedire valeret, clauſit arcano

Geneſ.27.41.
*Impio Eſau de cæde fratris nefariè animum oblectâti, de eadem & verba & minæ incauto excidunt.*

pectoris receſſu: *Oderat ergo ſemper Eſau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei Pater, dixítque in corde ſuo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum,* Geneſ.c.27. verſ.41. illud; *dixit in corde ſuo,* indicat latitaſſe apud ipſum, & nulli adapertum, ne ſi publicaretur, reſciret Iacob, & aut reſiſteret, aut fugam capeſſeret; ſed ecce ſtatim ſubiungit Textus: *Nunciata ſunt hæc Rebeccæ, quæ mittens, & vocans Iacob filium ſuum, dixit ad eum: Ecce Eſau frater tuus minatur, vt occidat te:* At quomodo declarata ſunt Rebeccæ, à qua præcipuè celanda fuiſſent? ſi mente conceperat tantùm Eſau, quo pacto diuulgata? quare

Auguſtin.

Auguſtinus quæſt. 81. in Geneſim diuinitùs patefactum Rebeccæ autumat, renium enim atque cordium ſcrutator eſt ſolus Deus, ſolus ipſe potens rimari abſcondita mentis humanæ: ſed ab

Strabus.
Toſtat.
Perer.
Salian.

Auguſtino receſsère Strabus, Toſtatus, Pererius numero 104. Salianus tom.1. Anno mundi 2276. num.17. nam gloſſæ Author & verbis & ſignis demonſtraſſe iras aſſeuerat, cæteris cum Amicis ſaltem, familiaribúſque colloquutum eum, per quos didicerat Rebecca: Putarim ædepol à principio ſic ſtatuiſſe Eſau, ne cui ſuſpicio veniſſet de fratricidio, preſsítque corde aliquamdiu, quo tempore totum occupabant iniquæ cogitationes, & delectabatur apud ſemetipſum ex complacentia futuræ occiſionis: nam pro vulgata lectione: *Eſau frater tuus minatur, vt occidat te:* Pagninus,

Pagnin.

*Ecce Eſau frater tuus conſolatur ſe propter te, vt occidat te:* idem Oleaſter, qui & declarat ſceleratorum

Oleaſter.

complacentiam de Malis: *Sunt namque multi* (ait) *qui non peccatis ipſis, ſed illorum memoriâ, & determinatione paſcuntur: videbis lubricos ſua imaginatione repræſentantes obſcœnos luxuriæ modos, quibus ita vt rebus ipſis delectantur: ſic guloſum, & auarum: commune tamen eſt irarum vindictâ delectari, vnde apud Iſaiam legis: Heu, vindicabor de hoſtibus meis, & conſolabor de inimicis meis!* Cùm igitur de vlciſcendo cogitaret aſſiduè, & eſſet mentis paſtus frequens cædis memoria: arduum verò ſit ſermonem à mentis auertere deſideriis, aliúdque profari, quàm quod vnuſquiſque diligit: ideò non potuit linguam frænare Eſau (quanquam aliàs cuperet, quia res exigebat) nec ſuſtinuit quin verba audiſſent etiam, qui ad Rebeccam deferrent. Bene Salianus noſter quo allegauimus

Salianus.

loco: *Nec id tantùm machinatus eſt in corde ſuo, ſed quoniam ex abundantia cordis os loquitur, etiam minas effudit foras, quæ ad Rebeccam delatæ ſunt.* Vt quid tibi blandiris miſer peccator, quoniam nemo eſt qui intelligat? Non vides, quia ad momentum latebit ſolùm? tu ipſe eris tuba, tu clamoſus præco, tibi citò verba excident,à te perditio tua: ſepulcrum patens eſt guttur tuum,& manifeſtabit abſcondita cordis.

82.
Thren.3.29.

Cerne,quid de captiuo populo Ieremias,Threnor. cap.3. verſ.29. & 30. *Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes: dabit percutienti ſe maxillam,ſaturabitur opprobrijs:* aliter & ſingulari modo prius Hemiſtichium legit Ambroſius: *dabit in ſepulturæ*

Ambroſ.
*Viro grauiter afflicto,vt taceat,ſepeliendum eſt os, terrâque obruendum,forti virtutum aggere.*

*foſſam os ſuum,* quæ explicat vt ſignificet obturanda labia ſupercumulatâ terrâ, quemadmodum foueæ eæ, quæ defunctorum excipiunt cadauera, obſtruuntur non tantùm lapide admoto, ſed etiam puluere ſuperiniecto, compreſſôque, vt murum efficiat: Hiſpanico idiomate ſignificatiuè: *tapiarle han la boca:* Verùm ex Ambroſio ipſo hauriamus, ſermone 10. in Pſalmum 118. *Quod*

Idem.

*autem* (ait) *dabit in ſepulturæ foſſam os ſuum: oſtendit quandam ſupra modum taciturnitatem Patientiæ, vt tanquam ſepeliat os proprium, & velut quodam aggere virtutum obſtruat, ne vocem doloris emittat:* Nimirum captiuus ille quicumque, ſtatuit de Malis non conqueri,ſed fluctus miſeriarum ſorbêre, intúſque confringere: nempè, quoniam ſi gementem ſuperbus vidiſſet Dominus, excandeſceret magis,geminarétque ſeruitutem:vel ſi non ex humano metu, ex diuinæ Patientiæ amore,quæ ſuadet tanquam ouem ad victimam duci, atque os non aperire: hanc vt conſequatur ſufferentiam, labia iterùm atque iterùm munit, ne vel incauto verba elabantur mœrorem teſtantia. Sed cur tam forti vallamento opus? cur ſic occluſa vniuerſa, vt ne rima vna ſuperſtes ſit, per quam vocis ſcintilla erumpat? ſcilicet, internus dolor erat vehementiſſimus, multa namque triſtitiæ incitamenta; amiſſa vrbs inclyta Sionis, deuaſtata patria, fundi erepti, cognati interempti, opes proſcriptæ; adhæc Dominorum ſuperbia immanis, fames, nuditas, conſumptio, omne genus afflictamenti: igitur ſub tanta nocte ſaltem non releuaſſe curas ſuſpiriis, non lugubris threni cantu laborem minuiſſe, non loqui, & fando ſolatium haurire aliquod; tam hoc difficile quidem, Animi morbum



morbum celaſſe penitus, neceſſum vt planè ſit munitione robuſtiſſima vias omnes præcluſiſſe, obſtruxiſſe puluere os, & aggerem impenetrandum admouiſſe.

83. Vxores Azotidas ductas à Iudæorum quibuſdam Nehemias ſcribit, Eſdræ 2. cap.13. verſ. 23. Quid inde ſecutum enarrat lamentans, verſu

2.Eſdr.13.
24.

proximo: *Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & neſciebant loqui Iudaïcè, & loquebantur iuxta linguam populi, & populi.* At quare maternum idioma Pueruli faciliùs didicerant, quàm quo genitores Hebræi vterentur? Lyranus cauſam perhibet, eò quòd Puſiones *plus* (ait) *cum matribus, quàm cum Patre loquantur:* Idipſum

De Lyra.
Sanct.
*Matris idioma faciliùs diſcunt pueruli, propter teneriorem in eas amorem.*

noſter Sanctius numero 20. Nec repugno,quando ætas illa tenera vix à Matris contubernio diſcedit, quâcum crebrò garrulatur: Genitorem externæ curæ occupant: Sed tamen his addi cupiam, id, quod quotidianus vſus corroborat, maiorem eſſe Puerorum erga Matres propenſionem, Amoris pondus in genitricem declinare: Ergo Amor facit, vt dulciter verba ebibant,nam qualis Amor, talis ſermo; Matris itaque, quæ plus diligebatur, idioma per animam faciliùs intrauit: Siue ergo diſcat, ſeu proloquatur qui ſub affectu eſt, id tantùm diſcit, id effatur, quod interna motio ſuggerit; imò nec intelligere velit, (cùm poſſit tamen,) niſi quod in ſui affectus beneuolentiam, patrociniúmque cedit. Di-

1.Reg.9.20.

cit Saüli, Propheta: *Et cuius erunt optima quæque Iſraël? Nónne tibi, & omni domui Patris tui?* Regum 1. cap.9. verſ.20. intellexit ille continuò de principatu ſibi conferendo dicta Samuelis, & in ſpeciem deflectendi à tanto honore,vt cui par non eſſet: *Nunquid* (ait) *non filius Iemini ego ſum de minima tribu Iſraël, & cognatio mea nouiſſima inter omnes familias de tribu Benjamin? Quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum?* Hoc eſt, vt declarat Ioſephus Flauius, ſexto Antiquitatum, c.5.

Ioſeph.
*Samuelem ſubobſcurè de Corona Regia loquentem, ſtatim intelligit Saul, agreſtis licèt, quia frequens ei de ſua ad Thronum euectione cogitatio.*

*Supra ſpem* (inquit) *meam ſunt iſta, Domine, neque enim mea eſt tribus, quæ Reges proferat, & familia mea humilior eſt alijs familijs: Tu verò ludis me, & maiora quàm pro mea conditione loqueris:* Quâ ex Ioſephi velut Paraphraſi, colligitur manifeſtè id, quod aſſerebamus in regnum tranſtuliſſe Vatis ſententiam: Et ſanè idem Samuelis ſcopus; Verùm ſubobſcurè ſermocinatum fuiſſe omnes notarunt interpretes, quanquàm enim optima Iſraëlis ſpoponderit,ſed Hebræorum Reſpublica ſub Iudicibus erat tunc, vt cùm ſi aliquid fuiſſet, Iudex,non Rex creandus; Vnde igitur armenta cuſtodire ſuetus homo, & cum agreſtibus verſatus penetrauit difficilem & ambiguum ſenſum? Sanè Author Hebraïcarum Quæ-

Author.
Hebr. quæſt.
*Saulis ſomniū de Regno.*

ſtionum ex Rabbinica traditione: *Erat* (inquit) *in corde Saul, ſicut Hebræi tradunt, quod Rex futurus eſſet: Quia viderat per viſum, ſe in vertice arboris Palmæ collocari, quæ viſio ſignum regale fuit.* Toleremus modò iſtud Rabbinicæ fidei, tum quòd Tropologiæ inſiſtimus: tùm quòd non abiecerint multi ex claris Explanatoribus, ſiquidem amplexauêre Rupertus, Rabbanus, Come-

Rupert.
Rabban.
Comeſtor.
Hugo.
Dionyſ.

ſtor,Hugo,Dionyſius, & ſtatim publicandus Lyra: ab ea igitur ſomniatione Saülis mens tota in regnum ferri, de trabea, de ſceptro, de aula ſæpiùs cogitare: Cùm ergo & affectus, & interna iugis Memoria ſermonibus imperent, non ſolùm impellunt, vt ſi quid homo pronunciaturus ſit, id Animi fundum ſapiat; ſed etiam efficiunt, vt quod ab aliis dicitur, ſi modò vel leuis aliqua in verbis ſimilitudo effulgeat, quanquàm in diuerſum ſcopum trahi valeant, pro ſemetipſis conſtruant. Saul igitur, cuius meditatio de Corona, & infulis regalibus, Samuelis dictionem, cùm aliter intelligi poſſit, Animi ſui genio accommodauit: *Ex quo patet* (ait Nicolaus de Lyra) *verum,*

De Lyra.

*quod prædictum eſt, ſcilicet, quòd cogitauerat ſe ad dignitatem regiam ſublimandum; quia verbum Samuelis, quod erat obſcurum, ſtatim intellexit de dignitate regni, quamuis aliter poſſet intelligi.* Videas ſanè non rarò contingere, vt qui è loco ſuperiore verba Chriſtiana habentem excipiunt, reprehenſos ſe putent ab Oratore Euangelico, & nonnunquam immaniter excandeſcant, cùm ei ne aura de increpatione: Sed ipſi conſcientiæ ſtimulis puncti verba ſecundum affectus conſtruunt.



---

*Perfectæ vitæ ſtudioſis Meliorum exempla ſemper conſideranda,ne tepeſcant.*

## Sectio V.

84.
*In via Perfectionis, Heroüm inſpicienda veſtigia,nec reſpiciendum retro quid laboratum ſit, ſed videndum quid laboris ſuperſit.*

VBera Sponſi comparata non cuicumque Lyæo monuimus, numero 18. Sed generoſiſſimis Bacchi muneribus, nimirum aromatico Cado: exin,qui ad ſumma contendunt,inſtruuntur auertere oculos ab his, qui lento gradu procedunt in viis mandatorum Domini, ne proſpectâ eorum tarditate aliquid ipſi ſibi videantur feciſſe, & otio indulgentes, vt qui ſatis laborauerint, ignauiâ torpeſcant: quin & retroactis ſudoribus noſtris, ſi qui tamen abſque fuco & allucinatione, quod deeſt, intuendum, Heroümque obuerſanda exempla, quibus nos comparati,vix locuſtæ fuerimus, pudebítque minoris ſtaturæ,gigantæâ proceritate animaduerſâ. Hæc arbitror inſinuauerit Origenes,hom.1. ex quatuor:

Origen.

*Igitur, ſi intellexerimus vini differentias, eáſque pro diuerſitate dogmatum conſtare perſpeximus, quod ait hîc Sponſa: Quia bona ſunt vbera tua ſuper vinum; ſuper vinum vtique intelligamus bonum, non malum: Bonis enim, non malis comparata dogmatibus Sponſi dogmata præferuntur.* Atque in hunc ſcopum de illo Seruatoris apud Lucam documento cap.9. verſ.62. *Nemo mittens manum ſuam*

Luc.9.62.

*ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei:* peropportunè Euthymius cap. 33. *Qui arare co-*

Euthym.

*natur* (inquit) *& à tergo reſpicit, corrumpit conatûs promptitudinem ſegnitie, quâ à tergo reſpicit:* Quippe iugera duo vel quatuor reſpiciens,quorum peractum opus; blanditur ſibi, vt qui ſudauerit nempe, paulatímque ipſe ſibi indulget, & ab arando ceſſat: Si autem conſideraſſet non quòd laborauerit, ſed quantùm ei ſuperſit, quàm magna agrorum ſpatia adhuc ſulco indigeant, veritus, ne non dies ſufficeret, exultaret vt gigas ad currendum: *Parabolicè ergo* (ſubnectit idem-

Idem.

met Author) *Saluator dixit, Aratrum, & ſequi ſe: & tantundem eſt, ac ſi dicat: Oportet enim eum, qui elegit ſequi Chriſtum, confeſtim omnia deſpicere, & ſequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo; ne fortè habitu ac ſpecie eorum, quæ à tergo ſunt, retineatur:* Aurea planè hæc vltima clauſula: nam ſi vel Sacerdos, vel Cœnobita ad laïcorum mores, quos à tergo reliquerit, animaduertat, putabit ſe iuſtum eſſe comparatione laxæ ſecularium vitæ: Vnde continget, vt retineatur, ſtare cupiens, & tantiſper requieſcere, oblitus in ſcala Iacob, nullum neque iacêre, nec ſeſſitare, nec ſtare, ſed cunctos aut aſcendere,

aſcendere,aut deſcendere : Certè eiuſmodi properanter deſcendet.

85. Eccli.50.6.

Non talis præclariſſimus ille Sacerdos Oniæ ſoboles,de quo Eccleſiaſtici cap.50. verſ.6. *Quaſi Stella matutina in medio nebulæ ; & quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet ; & quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei :* expendamus ſingula : Primùm vocat Stellam matutinam, hoc eſt Luciferum, nam huius Aſtri micantiores radij præ ſiderum cunctorum lampade : at ille ſic præluxit in medio Nebulæ, inter Malos ſcilicet iuſtiſſimus extitit, vti Lyranus interpretatur : Sed vnde tam bonus Simon Oniæ filius in medio nationis prauæ? nimirum, haud intuebatur ille quanto ſuperaſſet interuallo peccatores, ſed lumina conuertebat ad argenteum Lunæ orbem, verecundabatúrque de exiguis ſuis ſplendoribus Latonæ comparatis ; quare nitebatur ſemper magis, magíſque clarêre, donec Reginæ noctis æmulum eius iubar : Sed hâc adeptâ claritate, quippè *velut Luna plena in diebus ſuis lucebat*, num acquieuit? num ſubſtitit? neque vlteriùs progreſſus? Leue ſolatium eſt, ſtellarum multitudinem viciſſe, reſtat adhuc qui Oniæ multùm excellit auricomus Phœbus:Non igitur ille cogitat, ad Lunæ præſentiam fugari ſidera,hoc ſi delectaretur gaudio, frangerentur conatus, neque de perficiendo ſplendore anhela ſitis,quando Lunæ aſſecutus honores; videt coram Sole Lunam euaneſcere,igitur de nouo accingitur, quoadúſque & in Sole ponat tabernaculum ſuum;quod etiam tandem feliciſſimè adeptus impigrâ diligentiæ conſtantiâ : *Nam quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in domo Dei.* O Sacerdotem ter eximium, qui ad anteriora ſemper contendens, nullíſque frangendus difficultatibus, vnus promeruit aſtrorum, Lunæ, Solis deuorare claritudinem! Sic ſic pergendum : meritò, de eiuſcemodi pronunciatum, quod in diebus ſuis corroborauit templum, & in vita ſua ſuffulſit domum : Vel vnus ſimilis integrum Monaſterium ſuffulcire potens, puto & vnum Cœnobium tantis humeris puſillum onus.

Lyran. *A veneris fulgoribus,ad Lunæ claritatem, & ab ea ad Solis lumen continenter tendat Perfectus,more Simonis Oniæ filij.*

86. Luc.16.11.

Heu nobis à Saluatoris ſententia! *Quia filij huius ſeculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt*, Luc. cap. 16. verſ. 8. Nónne quotidie ante ora oculóſque veſtros? Ille Vexillifer factus, (exemplo ſit militia;) ſordent quæ poſt tergum deſtituit, Dux vocari æſtuat : hoc aſſecutus per vulnera & ſanguinem, non tamen caſtra relinquit, non otium, non voluptatem meditatur, deſunt potiora, horum deſiderium vexat, per gladios & ſagittas penetrabit quoad legioni præficiatur ; denique ſub periculis ſemper vſque ad ſupremum gloriæ culmen : Vide per Rempublicarum cætera munia, nemo laſſatur, cùm tamen fatigationis plurimum ſuſtinuerit, donec faſtigium occupat ; nemo ſi poſſit retrogreditur, horrori eſt occupaſſe iterum relicta. Tantùm in via ſalutis remiſſæ manus, & debilia genua, & rarus pudor deuolui ad antiqua : Sed quorſum in his aridus noſter ſtylus immoratur? Bernardi ſucco pingueſcat Lector,qui epiſtola 341. ad Monachos Eccleſiæ Sancti Bertini : *Denique, quia omnia cooperantur in bonum his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti, moueat nos ipſum quoque ſecularis cupiditatis exemplum : Quem enim ambitioſum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus, ad alias non anhelare? Sic & curioſi cuiuſque non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu : Quid? eorum, qui auaritiæ ſeruiunt, aut amatores ſunt voluptatum, ſeu vanas ſectantur hominum laudes : nónne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè ſpiritualium bonorum nos minùs cupidos inueniri : erubeſcat anima conuerſa ad Dominum, minori affectu ſectari iuſtitiam, quàm iniquitatem antea ſectaretur:eſt enim cauſa valdè diſſimilis:Stipendium quippè peccati mors : Fructus autem Spiritus vita æterna : pudeat proinde negligentiùs,nunc in vitam;quàm priùs in mortem ire : & minori ſtudio ſalutis acquirere, quàm perditionis augmentum.*

*Prudentia filiorum huius ſeculi in ambiendis maioribus ſemper dignitatibus, exemplo ſit Filijs lucis.*

Bernard.

87. 1. Petr.1.12.

De Angelorum erga Chriſtum ſtudio, Petrus epiſt.1.cap.1. verſ.12. *Vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui Euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere :* Quæ verba ad Chriſti humanitatem retulit Beda,quam intueri cœleſtes concupiſcerent Spiritus : *Conſtat profectò* (ait) *quia tanta eius, qui paſſus eſt pro nobis hominis Ieſu Chriſti poſterior gloria ſucceſſit ; vt etiam Angelicæ in cœlo virtutes cùm ſint æternâ felicitate perfectæ : non ſolùm immortalem Deitatis magnificentiam, ſed & aſſumptæ eius humanitatis claritatem ſemper aſpicere gaudeant :* Sed cur in humanitatem ſingulariter intenti, qui ab vbertate Deificæ inebriantur viſionis? aut quæ eſt illa tam acris diligentia, quæ deſiderio ſignificatur, cùm tamen fruantur expetitis? Sic ardent,velut nondum poſſederint ; commendatur, opinor, in ſpeculando attentio rara, vt quibus ſtudium, ne tantillùm oculos à Chriſti inſpicientia auertere. Animaduerte, pennatis beatiſſimis Spiritibus concreditam hominum ſalutem:Vigilanter Prouinciæ incumbunt, ſed ne laſſentur aliquando, in Chriſtum defiguntur oculi ſemper : non quòd in Beatitudine functos verè tædium cadat, ſed vt nos his doceamur modis, in Angelis explanationis gratiâ, noſtros referentes morbos : itaque ſi ad naturæ præſtantiam, quam ex dono Creationis acceperunt, lumina vertant,ſi gratiæ Prærogatiuas, & effuſam Numinis largitatem erga eos pendant, deſpicient miniſterium, vt taceam ingratiſſimum eſſe hominum genus : Iam ſi cogitent, quàm parum homines ipſi pro medicina laborant ſua, quàm ſupino fruantur otio ; mouebunt, vt & requiem capeſſere velint, & ſedere tantiſper ſaltem. Ne igitur ad hæc cogantur quid meditarit induſtria ſagax? *In Chriſtum deſiderant proſpicere :* Huius enim propoſito ſibimetipſis exemplo, vident, cùm & Angelorum caput ſit homo Deus, & ſupereminear infinitum, quantùm Rex regum à Miniſtrante differt,tamen ob nimiam charitatem qua dilexit Mundum, virum dolorum, & non habentem ſpeciem, neque decorem factum, exultaſſe vt gigantem ad currendum viam ſuam, ídque in laboribus, & plagis ſupra modum, cùm tamen illi nihil patiantur : hæc autem intuentes accinguntur celeres, & adimplent miniſterium ſuum, non ceſſantes neque die,neque nocte : Tantùm iuuat fortiora ſibi exempla imitanda ſtatuere vnumquemque. At ſi tantoperè Chriſtum intueri auent, vt quid eodem proſpecto, apud Iſaiam cap. 6. alas obtendunt, vultum aut eius, aut ſuum, & vt multi iudicant, ſuum quidem obtegentes? Nam ad Chriſtum refert Bernardus expreſsâ interpretatione, ſermone 5. de verbis Iſaiæ Prophetæ : Certè multum illi pro humano genere iam tum ab initio mundani opificij : Sed ſtatim vt in Chriſti ſanctiſſimam humanitatem obtutus figunt, aſſiduè verò agunt, tantùm non gloriandi occaſio fidiſſimis teſtibus : vt potiùs quodammodo ſuppudeat, & verecundati, quod (ita concipiamus) ſegniores in obeunda Prouincia extiterint,ora obtegunt, coràm apparere tanquam non audentes : & in hanc mentem Galfridus apud Tilmannum in Catena, ad cap.6.Iſaiæ : *Quod ſi aliter faciem velare intelliguntur, quaſi ne videant ; alæ ipſæ,quibus faciem ſibi velant, timor & pudor poſſunt non inconuenienter intelligi :* Pudor igitur ibi magis quàm elatio quidem : *Neque id cuiquam incredibile videatur* (loquitur Bernardus ſermone 1. de Archangelo Michaële) *quandoquidem ipſe quoque Creator, & Rex Angelorum venit non miniſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare pro multis : Vt quid ergo miniſterium illud Angelorum quiſquam dedignetur, de quo procedit eos, qui in excelſis tota cum auiditate, & felicitate miniſtrant?*

Beda.

*In Chriſtum Dominũ proſpiciunt Angeli, eius vt exemplo,alacriores veluti reddantur in obeundo ſuo circa homines miniſterio.*

Bernard.



Galfrid.

Bernard.

88. 2.Reg.23.

De Bethleemitica Ciſterna quæſitos latices fortiſſimorum militum cum periculo, noluit bibere Dauid, libauit autem Domino, Regum 2. cap. 23. verſ.16. Quæ hæc tam magna abſtinentia Principis & adulteri, & homicidæ? Imò propterea quidem : antiqui recordatio lapſus modò refrænauit : Quippe olim, bello potens Imperator, & Caſtrenſi famâ clariſſimus Dauid,dum in retroacta facinora laudationis plena oculos coniectat, putauit excutiendum tantiſper puluerem, & ſolatia in vrbibus,quærenda : ídque eò magis licere opinabatur, quòd contueretur otio frui Ductores alios, qui æquam Pugnæ molem non ſuſtinuerint ; ergo, quo tempore ſolent Reges ad bella procedere, miſſo Ioab, & ſeruis contra Ammonitas, remanſit ipſe in metropoli : Quid non ibi ad voluptatem? Sed delitiarum amariſſimus exitus, & infandus planè, cùm vir ſecundum Cor Dei, immaniſſimo ſcandalo, ille qui nutriebatur in Croceis amplexaretur ſtercora, & qui cœlorum faſtigium attigerat, cœno immunditiarum volutaretur : Ecce bona Quietis emolumenta. Nunc igitur aquam manu tenens, Bethleem ſuggeſſit venturi Seruatoris memoriam, atque vt erat Propheta, conſiderabat in ligno pendentem aceto potari, cui antea vinum myrrhatum ſubminiſtrauerunt impiiſſimi hoſtes : neque enim hæc latuerunt Pſaltem, quando cantauerit, hymno 68.verſ.22. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto*, quam Odam præciniſſe nihil vetat priuſquam iſtud contingeret : & pro hac coniectatione illud Gloſſæ : *Naſciturum in Bethleem de Virgine Chriſtum præuidebat, cuius lauacrum, & ſanguinem ſitiebat.* Quæ ex Ambroſio accepta fuêre Apologiâ 1. pro Dauide capite 7. Chriſtum igitur intuens ſitientem, nec tamen refrigerari, cùm enim guſtaſſet, noluit bibere, abiecit protinus tanto œſtro concupitas vndas, ratus, pudibundum eſſe vel tam leni ceſſiſſe voluptati, quanquam bellorum pondere feſſum, cùm, ſanguine exhauſto, liuidis membris, terebrato vertice, adhuc Redemptori ſitibundo & arenti dati liquores, quos firma valetudo nauſearet. Compara igitur bis tentatum Dauid, & experire palàm, quid poſſent ignaua exemplaria, quid robuſta & conſtantia : Aggreditur hominem ſpiritali erudiriſſimum ſcholâ, nec terruit horrendum luxuriæ monſtrum ; tantùm in ſtuporem lapſus, cùm iuſtitiam aliquam ſuam & exantlatos labores tepidis aliorum conatibus præfecit : Sed cùm in glorioſa Chriſti certamina oculos volvit, ne à leuiſſimo gulæ irritamento ſuperatus eſt : pœnituit & optaſſe latices : alius modò, omnino alius ab eo qui duplicauit peccata grandia ; & in puſillis hæret Agoniſta ſanctus : vah celebrem transformationem! *Qui ergo quondam concupiſcere alienam Coniugem nequaquam timuit* (ait Gregorius Romanus hom. 34. in Euangelia) *pòſt etiam, quia aquam concupiſſet, expauit :* Ergo qui inoffenſo curſu procedere velit, nec turpi dedecorare caſu, non maculare antiquam famam, optimos quoſque æmulandos menti ſubſtituat, nam in hos intuens conſiderabit ſibi adhuc plurimum deeſſe, proin neceſſum eſſe vrgêre, currere : tales iuſtorum ſemitæ, nempe quaſi lux, quæ procedit augmento glorioſa continuo, & creſcit vſque ad perfectum diem.

*Dum glorioſa ſua facinora retroſpicit Dauid, fit Adulter & Homicida; dum verò in Chriſtum venturum Propheticæ mentis aciem intendit, etiã ab aqua frigida in areſcente ſiti abſtinet.*

Pſal.68.22.

Ambroſ.

Gregor.

---

*Tyrocinia Vitæ ſpiritalis validè iacienda, ad futuræ molis conſtantiam.*

## SECTIO VI.

89. Mirum certè quod Lac Vino nobilius ſit, eôque ſane vino, quo non aliud generoſius,vt quod etiam habeat admixta aromata : at Vinum Synagoga,Lac Eccleſiæ rudimenta Chriſtianæ, vt dicebamus ex Beda Venerabili numero 72. vbi ille pro encomio huius magnæ fabricæ acutè perpendit, initia, primáſque lineas Catholicæ imaginis, quod ſub Moyſe excelſiſſimum erat, ſuperaſſe. Vbi enim in Patriarchis, qui ad Apoſtolorum & ſanctitudinem, & gratiam accederet? Nec Baptiſta, quem obiectare poſſis, lege nouâ excluſus : probauimus numero 69. ex Angelico Doctore, nec mirum quæ talia fundamenta habuit, Eccleſiam creuiſſe ad ſtuporem, nullâ ventorum rabie deuictam, nullis fluctibus peſſundatam. O quantum iuuat gnauiter incepiſſe! Binas memorat Chriſtus domos, Matth. capite 7.verſ.25. quarum altera ſtetit inconcuſſa, & durabilis : altera colliſa,& ruinam paſſa : Vtrobique parietes, tigna,culmen,& eiuſdem materiæ. Fateor eam, quæ lapſa eſt, Æolo, pluuiis, inundationibus vexatam : acria fuerunt certamina conglobatorum hoſtium,non renuo : Verùm & pares congreſſus alteræ etiam expertæ ædes, nec ſuccubuêre. Quæ diſparis exitus ſub æquali Marte occaſio? Scilicet fundamenta vnius in ſaxoſis, & validis : arenam mobilem,& fallacem ſuppoſuêre alteri : Videamus, vt Euangelij ſententiam dilatat Chryſoſtomus, tom.5. hom. *Quod nemo læditur niſi à ſeipſo. Non ergo pluuia* (ait) *neque flumina cum impetu deſcendentia, neque venti validiſſimi, potuerunt domum ſupra petram fundatam commouere : vt hoc intelligas ; qui ſeipſum non prodiderit, nec à ſeipſo fuerit motus, nulla ſuperueniens tentatio deijcere eum poterit : illud verò aliud ædificium facilè ſubuertitur, non pro tentationum violentiâ, alioquin & illud aliud ædificium deieciſſet, ſed propter firmamentum, id eſt, Propoſiti firmitatem : arena enim eſt res mobilis, & fluens.* Cernis, quàm diuinè inculcat, tentationem non fuiſſe cauſam, quandò hæc & non diſſimilis in eo, qui perſeuerauit? Baſis fuit omne vitium, quam præmunire oportebat lapidibus admotis, iiſque & craſſitudine ingentibus, & duritie præualidis.

*Lac noua Eccleſiæ recens, veteri Synagogæ Vino lõgè melius.*

Beda.

S.Thom.

*Fundamenta Eccleſiæ valida.*

Chryſoſtom.

90\. *Cecidit Angelus, cecidit Homo : Sed Homo reſurgens reparatus eſt, quia Chriſtus eius fundamentũ : non item Angelus.*

Sed tranſcamus ad rationalia exempla. Duæ Creaturæ intellectu, & arbitrio præditæ, Homo & Angelus; vtraque cecidit, ſed multo grauior lapſus humani generis, nam culpa pertranſiit omnes purè homines exceptâ Mariâ ſacratiſſimâ: Angelorum infinitus numerus ſtetit in veritate, nam millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtunt illi: Angelorum nihilominus irreparabilis fuit caſus, eorum qui ſemel collapſi fuerunt: Homo ſe erexit. Cur igitur homo, cui latius impactum vulnus, medicinam conſecutus; Angelus infirmatus diſperiit, ne vno valetudinem recuperante? Sanè dicamus modò, non quoniam ex animo ſentiamus, verùm diſputationi ſeruientes, Chriſtum Dominum quoad gratiam iuſtificantẽ, quâ peccatum extinguitur, & quoad gloriam ſanctificationi debitam, Angelorum nõ fuiſſe caput, cùm iis hæc non promeruerit, & conſequenter, neque initium, neque fundamentum illorum: Habet in ſchola ſuos non contemnendos patronos, de quibus apud Suarium tom. 1. in 3. partem, diſp. 42. ſect. 1. veſtibulo: Non ſic de hominibus, qui in Chriſto prædeſtinati ſunt quotquot præelecti fuerunt: ipſe vero Prædeſtinatorum omniũ dux, proinde & initium, & baſis, quemadmodum de eo proloquitur Salomon Prouerb. cap. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, ex communi Græcorum, Latinorúmque Patrum iudicio apud eundem Suarez, nominato tom. diſput. 5. ſect. 2. concluſione 1. Igitur ꝓples humanæ præſtructionis licet plagam acceperit enormem, quia tamen fundamentum habuit diuinum, Chriſtum namque prædeſtinatorum hominum caput, & qui omnes ſaluos fieri voluerit, omnibúſque ſufficientia auxilia promeruerit, reualidata eſt in Eccleſia Electorum, quæ neque maculam, neque rugam habet, gaudens cum Deo Patre, & gratias agens pro Agno ab origine mũdi occiſo, & emiſſo de petra deſerti, vt ſemen Abrahæ apprehenderet; Angelicum autem ædificium in Chriſto nõ fundatum ſemel collapſum, nunquam aſſurrexit iterum. Athanaſius fauet, orat. 3. contra Arrianos, non longè à fine, exponens allegata de Prouerbiis Salomonis: *Creans igitur nos per ſuum Verbum omnium rerum Deus, cognita habens noſtra, melius quàm noſmetipſi, proſpiciénſque nos bonos creatos quidem; ſed poſtea tamen præuaricatores futuros præcepti ſui, eijciendóſque ex Paradiſo ob contumaciam: ipſe, vt humanus, & bonus, iam antea inſtituit in Verbo ſuo noſtræ ſalutis procurationem; vt quamuis decepti à ſerpente excideremus; non tamen penitus extincti maneremus: Sed habentes in nobis per Verbum iam antè præparatam Redemptionem, & ſalutem: iterum reſurgentes immortales perſeuerar emus; cùm filius pro nobis initium viarum creatus fuiſſet*: multam emphaſim claudunt poſtrema iſta: *Cùm filius pro nobis initium creatus fuiſſet*: Hoc eſt, propterea nos aliter quàm Angeli, reſurgere potuimus, & mortem peccati excutere, quoniam in venturo Meſſia fundati eramus, qui gratiam ſanctificantem nobis, non autem Hierarchicis ordinibus promeruit: nam penès fundamentum totius domus ſalus.

Suarez.

Prouerb. 8. 22.

Suarez.

Athanaſ.

91\. Geneſ. 1. 1. *Primò Deus creat cœlum vt ſolidam rerum omniũ baſem & fũdamentum.*

Rerum primam emanationem deſcribens Moyſes: *In principio* (ait) *creauit Deus cœlum, & terram*, Geneſ. cap. 1. verſ. 1. Quid? Cœlúmne ante ſolum formauit, & quidem nobiliſſimum illud, Empyreum nempè, de quo Moyſem eſſe loquutum doctiores quique ex veteribus, & nouis intellexêre? Sed qualis ædificandi ordo? nam cœlum magni opificij culmen, & Empyreum ſanè ſupremum rerum faſtigium: quare Theodoretus quæſtione 11. in Geneſim, aptè: *Quemadmodum cœlum iſtud* (inquit) *nobis eſt pro tegmine, terra verò pro pauimento: ita cœlum, quod videmus pro tegmine ſuperpoſitum cœlum habet*. Quod ſi culmen, quorſum inde Artifex peritiſſimus inchoarit, & non magis à terra, quæ baſis, & ſubſtratum eſt? Sed demus id, quod vera fert Theologia apud Molinam de opere ſex dierum, diſputatione 2. §. *has ſolas*: cui ſubſcribit Salianus, tom. 1. Annalium, Apparatus cap. 6. numero 1. Simul, eodémque reali inſtanti creata, terram, aquas, cœlum Beatorum: cur non tamen ex modo loquendi Hagiographus innuit, ſi quid realiter cum antelatione temporis producendum eſſet, à terra quaſi à fundamento incipiendum; id quod denotaret, ſi dixiſſet: *In principio creauit terram & cœlum?* Animaduertit Anaſtaſius Sinaïta lib. 1. Hexameri non longè ab initio: *Hîc autem, vt diſcas, quod Deus non ſequitur Naturæ conſequentiam, ſed fabricatur ſupernaturaliter, & non artificiosè, dicit Moſes: fecit Deus Sphæram, deinde terram Centrum: oportebat enim reuerà contra dicere: Fecit Deus terram & cœlum: ſeu centrum, & tunc Sphæram: nam ſi coniunctionem copulatiuam accipiunt; illud &, &, ambo dicunt ſimul facta eſſe; oportebat certè, vt ipſorum eſt ſententia, priùs ſignificari principium, & cauſam circuli, nempè centrum, ſeu terram; & magis quàm contrà.* Dicamus, iſtis ſignificari interius aliquid, & arcanum: Cœlum igitur quòd culmen eſt, & quidem vt referebamus, Empyreum cœlum quaſi pro fundamento eſt, ex modo enarrandi ſacrorum Bibliorum; quoniam ſpiritalis vitæ inchoatio, & tyrocinium tam politum eſſe debeat, tam ſuis omnibus numeris abſolutum, vt non tam eſſe iudicentur rudimenta, quàm conſummatio, non præſtructio & baſis, ſed tholus & culmen; denique eiuſmodi, quod magis appareat cœlum eſſe Empyreum quàm terra, terreſtriſve Conuerſatio. Vtinam nos terra ſaltem eſſemus, illa quæ vnà cum cœlo emerſit, inanis & vacua, non virtutum fructibus, ſed curis ſæculi!

Theodoret.

Molina.
Salian.

Anaſtaſ. Sinaïta.

Talis mihi videtur fuiſſe vrbs illa fortunata, de qua egregius Vates Pſalm. 86. verſ. 1. *Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*: Ac certè fuit Ciuitatis tam admiranda ſpecies, quæ Poëtam extra ſe quodammodò verterit, tantùm vt non excidiſſe ſermone videretur: Quid enim illud? & non hiulcum? *Fundamenta eius?* cuiuſnam? cur titulum celat? quæ intelligentia ſuppreſſo nomine? Excuſat Auguſtinus ob ſtuporis magnitudinem, quem nimia ingeſſit pulchritudo: *Nihil de illa adhuc dixerat Pſalmus, hinc incipit, & ait: fundamenta eius in montibus ſanctis: cuius fundamenta? non dubium eſt, quia fundamenta præſertim in montibus, Ciuitatis alicuius ſunt: repletus ergo Spiritu ſancto Ciuis iſte, & multa de amore, & deſiderio Ciuitatis huius voluens ſecum, tanquam plura intus apud ſe meditatus, erupit in hoc: Fundamenta eius in montibus Sanctis; quaſi iam de illa dixerit aliquid.* Verùm, ſi tam amœna Ciuitas, vt quid tantùm de valuis aliquid, & orationis princeps ſcopus, fundamenta commendare? Cur nihil de foro, de Nauali, de Curia, de plateis, de ædificiis, de porticibus? & vbi incruſtati parietes domorum inſerto marmoribus Elephantis dente? vbi de Pario ſaxo poſtes renidentes: vbi pauimentum variegatum? vbi altiſſimæ turres? vbi mœniana, & in ſummitate tectorum 92.

Pſalm. 86. 1. *Ciuitatis ſpiritalis fundamenta primùm & maximè Dauid commendat, quia vitæ melioris exordia, faſtigia potiùs ædificij quàm fundamenta videri debent.*

Auguſt.



horti cum nemoribus? Atque equidem voluptas eſt conſideraſſe Encomiaſten hunc: nam quaſi in depingenda plurimus extitiſſet, applaudit ſermoni, & inquit: *Glorioſa dicta ſunt de te Ciuitas Dei*: mehercle glorioſa quidem, cùm tamen ſpecioſiora omiſerit, & fundamenta laudarit, quæ obſcuriſſima vrbium pars. Sed attende Prophetam, qui ſpiritalem Ciuitatem delineabat: in hac autem Ciuitate, fundamenta, quæ ſunt exordia vitæ melioris, quoad fieri valeat, talia eſſe debeant, quæ non eſſe fundamenta, ſed faſtigia iudicentur. Mecum non coactè, Auguſtinus: *Etenim origo fundamenti huius ſummitatem tenet: & quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo eſt, ſic fundamentum ſpiritalis fabricæ in ſummo eſt: ſi ad terram ædificaremur, in imo nobis ponendum erat fundamentum.* Nitidè illud: *Origo fundamenti huius ſummitatem tenet*, vt non tyro videatur nouus tamen miles, ſed exercitatus Chiliarchus; ô ſi in hunc modum præiacta à nobis eſſent fundamenta, quàm glorioſa de nobis enunciarentur! Qui animorum inde motus? quæ nationum conuerſiones? nam ad talem vrbem omnes gentes confluerent depoſitâ feritate, Chriſtum induere cupientes, quippe in illa Ciuitate: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

Auguſtin.

Pſalm. 86.

93\. Vocatus ad nuptias Seruator, deficiente Baccho, conuertit in vina frigentes, aquarum latices: poſt recenſitum miraculum, monet prouidè Lectorem Euangeliſta: *Hoc* (inquit) *fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam.* Ioan. cap. 2. verſ. 11. & multa ſanè cum attentione notatum id à ſcriptore ſacro Euthymium non latuit: *Non ſolùm ſcriptor* (inquit) *prodidit miraculum, ſed etiam docuit principium hoc fuiſſe ſignorum: nam quia id ſcitu dignum erat, & ab alijs præteritum ſcripſit illud*: idémque Chryſoſtomi perpetuus abbreuiator, cum ſectatus hom. 22. in Ioannem affirmat mirandorum primum abſolutè fuiſſe iſtud, neque audiendos, qui ſignificari contendant, primum fuiſſe tantùm ſupernaturalium eorum operum, quæ apud Canam Galilææ patrata ſunt: Acquieſcit ambobus Nicolaus Lyrenſis, ac dicunt inſuper declaratum ex ſententia, infantiam Seruatoris miraculis vacaſſe. Mihi ſiet fas æſtimaſſe Euangeliſtæ ſcopum fuiſſe, ſignatim aduertere huius & non alterius generis miraculum extitiſſe, videlicet, quo ſubſtantiarum duarum Conuerſio facta ſit; itaque tantundem eſt ac ſi loquatur: Ieſus, cùm poſſet auſpicari ab aliis portentis, vt ſi vel hominem ſanaret, vel arborem areſaceret, vel ſuper vndas graderetur, vel reuocaret ex ſepulcro mortuos, noluit tamen exordiri niſi à Conuerſione vnius ſubſtantiæ in alteram. At, quamobrem ſpeciatim ab huius formæ miraculo, initium? Chriſtus in vitæ occaſum inter miracula potentiſſimum, Euchariſtiæ nempè inſtitutionem reſeruauit: *In vltima cœna* (ait Angelicus Doctor Opuſculo 57.) *quando Paſcha cum diſcipulis celebrato, tranſiturus erat de hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum inſtituit, tanquam paſſionis ſuæ memoriale perenne, figurarum veterum impletiuum, & miraculorum ab ipſo factorum maximum*: Et benè, quod ſub dierum exitu præcipuum miraculum, quia tunc conſummata eſſe ſolet iuſtitia Sanctorum; tunc ad perfectum virtus adoleſcit: Porrò, hoc miraculorum apicem imprimis ſubuehit, & commendat panis & vini in Corpus, & Chriſti ſanguinem Conuerſio: Ergo volens ab alterâ etiam Conuerſione ordiri miracula, voluit principia finibus conſimilia eſſe. Sed qua de cauſa idipſum? Pro noſtra videlicet diſciplina: nimirum cupiens inſinuare fundamenta, baſímque vitæ noſtræ, quæ ex Deo eſt, talem eſſe debere, vt non incipere videamur, ſed emenſo curriculo, beatè & optimè perfeciſſe. O felicia primordia! imò ne primordia illa quidem, ſicubi nihil rude, atque indigeſtum: *Et manifeſtauit* (inquit Euangeliſta) *gloriam ſuam*: Ingens proculdubio gloria, & Chriſto quanquam digna, quando à tam grandibus inchoatum, quæ ſi pro cataſtrophe reſeruarentur, magnificè clauſiſſe, omnium votis, & ſententiis, iudicatum fuiſſet. *Et crediderunt in eum* (ſubinfert) *diſcipuli eius*: Solent nonnunquam familiares difficiliùs vinci, de hoc ipſo Sancto Meſſia idem Ioannes cap. 1. verſ. 12. *In propria venit, & ſui eum non receperunt*: Sit ita, vt Domeſticorum fides tardior habeatur, ſítque illa cedere non prompta: Sed nihil ſuperatu arduum, quando rudimenta talia, qualis ipſamet Artis perfectio: O Magiſtrum Ieſum! ô ſtupendum gymnaſium? in quo tyrones, atque nouellæ plantæ, ſic àd omnem honeſtatem & modeſtiam compoſiti, ſic ad bella contra ſpiritales nequitias docti, ſic ex virtute facti; vt non de terra geniti homines, fragilia vaſa; ſed cœlo penitus lapſi videantur.

Ioan. 2. 11.

Euthym.

De Lyra. *Chriſtus miram panis & vini in ſuum corpus & ſang. Conuerſionem ſub mortem ſuam reſeruauit, qui à ſimili quaſi conuerſione Miracula ſua inceperat, vt oſtenderet quantâ ſpiritalis vitæ initia perfectione eminere debeant.*

S. Thom.

Ioan. 2.

Ioan. 1. 12.

---

*Euchariſtia ſeruitutis charactere abolito, manumittit, & ingenuos facit.*

## SECTIO VII.

94\. DE Euchariſtiæ, eâ, quam haurit, iucunditate, cùm ſacræ menſæ pabulo Anima ſaginatur, Vbera exponunt, Sanctus Ambroſius, lib. 5. de Sacramentis, cap. 2. Guilielmus Durantus, Rationali diuinorum officiorum lib. 6. cap. 53. num. 9. Aponius ſubindicari Euangelicæ doctrinæ eminentiam, qua Legi præpollet: *Sed vbi ore, manibúſque* (inquit) *Corpus & Sanguinem contrectauit; meliorà cognouit vbera Apoſtolica, Euangeliorúmque doctrinæ lacte manantia, quàm vinum veteris Teſtamenti, aut legis, quæ ſecundum Apoſtolum, neminem ad perfectum perduxit.* Docuimus verò antelapſa Veſtigatione, numero 62. atque iſthac, qua verſamur, numero 37. Euangelicæ benignitatis Priuilegium eſſe, vt liberos faciat cultores ſuos: cùm vetera illa præſcripta ſeruitutem generarent, & timorem: Ideò Synagogæ mater Agar, quæ ancilla fuit: Eccleſiæ genitrix Sara, quæ nobilis & ingenua, quæ ſunt per Allegoriam dicta, vt inquit Apoſtolus ad Galatas: igitur & Euchariſtia etiam, quæ huius altæ, generoſæque Legis, notitiam, ſenſúmque aperit, ipſa liberabit quoque à ſeruitute de Pane eius comedentes, déque muſto bibentes in ſuauitate Domini: Quod vt præmonſtremus diſcamus ab antiquiſſimo Scriptore Afro, Tertulliano, quibus condecorabãtur honoribus à Patronis, qui mãcipiali conditione exutâ, clementiâ Dominorum, in libertorum numerum tranſibant; nam ſi iſtas omnes notas effulgêre viderimus in eis, qui dignè accumbunt ad menſam ſacratiſſimam, proculdubiò cenſebimus libertate donatos fuiſſe: Sed proferamus verba ex libro de Reſurrectione Carnis, cap. 57. *Oro te, ſi famulum tuum libertate mutaueris; quia eadem Caro, atque anima permanebunt; quæ flagellis, & compedibus, & ſtigmatibus retrò obnoxiæ fuerant: idcircóne illas, eadem pati oportebit? non opinor:*

Ambroſ.
Durant.
Aponius.

D. Paul.

*Libertis Honor exhibitus.*
Tertull.

*at quin & veſtis albæ nitore : & aurei annuli honore; & Patroni nomine, ac tribu, menſâque honoratur:*
95. *Permitte hanc & Deo poteſtatem*, &c.

Verùm ſigillatim quæque pendamus : ac primùm de veſte candida : Sanè eo plurimum vſi colore in feſtiuis omnibus priſci, quare Petrus Venerabilis lib.5.epiſtola 16. *Veſtes enim candidas magis gloriam, quàm abiectionem; magis gaudium, quàm mœrorem antiquitùs deſignaſſe*; probamus infrà Veſtigatione 18. à num. 2. nunc pro incepto inſtituto, Eccleſiaſtis locus ex cap.9. verſ.8. *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua:* Olympiodorum libenter admitto interpretem: *Verbum* (inquit) *Caro factum, homines cohortatur ad myſticam ſui Corporis participationem, cùm propter noſtram ſalutem Carnem aſſumpſerit : approbat ergo hoc fieri; congaudet myſterijs, & ritibus Eccleſiæ*; ſed vide quid moneat ſedulò, ſubnectítque continuò: *Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat :* At quare ſpeciatim albos eſſe amictus ſuadeat? nimirum, qui in libertatem aſſeruntur, ſub candida toga ſunt : Euchariſtia verò manumittit, & liberos facit : benè igitur, quod albis tegi iubeat : Huic Eccleſiaſtis perſimillima eſt altera ſententia Apocalypſis cap.3. verſ.18. Quam eo lubentiùs produxero, quod ſimul eadem de præaſſignatis Notis altera declaretur, nempè per quam Herus quem liberauit ſeruum, conuiuij ſodalem non abnuit : *menſâque honoratur* aiebat Tertullianus, quanquam non latebat vix opus eſſe huiuſce rei teſtificatione, cùm non poſſit fieri, vt quiſquam de ſacro pabulo veſceretur, niſi idem hoſpes fuiſſet, eîque Menſæ conceſſa licentia : Ioannis igitur ſermo nomine Dei alloquentis: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias : & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Quare autem nuditas veſte candida ſingulariter obtegenda? certè nudo ſufficiant qualiacumque ſtamina : Quod ſi in frigora armetur, & non alba defenderint? Sed intellige ad cœnam inuitari: *Ecce ſto ad oſtium* (ait) *& pulſo : Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam; intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Quodnam hoc ſympoſium? Alcazarius in Commentario : *Quare in hac promiſſione tepido, ſi ſeriò decernat teporem à ſe expellere, & feruorem ſpiritus amplecti, promittitur gratia ex ipſa ſacra ſynaxi ad virtutum ſolidarum fructum, quibus eundem Chriſtum paſcere, ac recreare poſſit* : ergo certè & Manumiſſus, Domini conuiua eſt, quódque maius, Dominus ipſe eius quoque hoſpes : nec potuit talibus ſaginari epulis, niſi priùs abſolueretur ſtigmatibus liberatus; proin & candido ſubtegmine fulgidus : nefas enim accumbere abſque his inſignibus : quid protuli, accubuiſſe? ſed neque triclinium ingredi : propterea de nebulonibus temerarius vnus in tenebras amandatus exteriores ligatis pedibus, manibúſque, Matth. cap.22. verſ.13. *Amice* (ait) *quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* quibus vel limen prætergreſſum fuiſſe abſque tamen cœnatoria veſte, culpæ tribuit. Fuit autem eiuſmodi amictus candidus, cùm de byſſo fuiſſet, vt aduertit noſter Ioannes Ferdinandus, Theſauro ſacræ Scripturæ, verbo *Byſſus* : atque ſcitè admodum in Matthæi allegatum caput à Caietano commonefactum, non caſtigaſſe ob ſordidam veſtem, quæ fuiſſet intolerabilis audacia hominis, ſed quoniam non aptis operiebatur indumentis, videlicet eâ, quæ manumiſſorum eſt, veſte lacteâ Nobilitatis indice : *Quid* (ait) *ſi cum veſte ſordida vidiſſet conuiuam : quando ſolum negationem veſtis condignæ animaduerterit?* terribilis planè eſt locus conuiuij huius, quando ſic plectitur qui deſpexit vſitatam genialibus menſis veſtis formam.

Beda.

Eccleſ.9 8.

*Vt Manumiſſus veſte alba donatus, ſic Euchariſtia, candidam in ſumente veſtem depoſcit.*

Olympiod.

Apocal.3.18.

*In ſacra Synaxi, Domini ſumus Conuiuæ, vt olim Manumiſſi.*

Matth.22. 13.

Ioan.Ferdin.

Caietan.

96. Sequitur Annulus, qui digito inſerebatur, ex auro quidem: Memini pendiſſe aliàs de Iuuene Errone illo, qui adhæſerat vni ex ciuibus regionis longinquæ, in quam paternæ domus oſor, poſt millenos caſus, delatus fuerat: Omnis ibi queſtus de fame, & ſtomacho vacuo : coëgítque extrema inediæ vis in lares remeare antiquos, ſed ob panem reuertebatur : nec credo latuit bonum genitorem, quando & vitulum opimum de armento afferri iuſſerit : ſed ſtupeo tamen, quod non ſtatim eſcas apponi mandat : totus in cooperiendo diſtenditur : *Citò* (ait) *proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius*, Luc.cap.15.verſ.22. Eſto tamen, obtegendus fuerit, ſiue ad refocillandum pectus calore à veſtibus deriuato; ſeu ob decorum: Quæ Annuli tam velox, atque feſtina neceſſitas? Annon abſque tali præſidio calefaciendus? nunquid non & formoſus etiam atque venuſtus, gradiens vtique in pulcritudine ſtolæ primæ, in calceamẽtis affabris? Statui ſuperiori tomo quanquam ex leui probatione non ſemel, Annulum nobilitatis pignus fuiſſe apud ætatem veterem; docui inſuper vitulo ſaginato Dominici corporis ſignificatam eſcam : Tranſiuit autem in mancipiorum ordinem iunior iſte filius, vili quippe exercitamento functus, qui ſetoſa animalia ductabat : ergo quando menſæ regalis conuiua futurus, oportet libertate donari priùs, idcirco antequam manducet, ornetur ingenuitatis inſignibus, annulus itaque digitos componat. Tertullianus de Pudicitia, cap.9. *Recordatur Patris Dei, ſatisfactio redit, veſtem priſtinam recipit, ſtatum ſcilicet eum, quem Adam tranſgreſſus amiſerat, annulum quoque accipit : atque exinde opimitate Dominici corporis veſcitur, Euchariſtiâ ſcilicet :* Energicum ſanè aduerbium : *Exindè veſcitur*, hoc eſt, poſt annuli munimentum; niſi enim ſeruitute erutus, quod annulus ſatis ſpondet, vitulo non paſceretur. Sed animaduerte in hoc adoleſcente, quid pollicitus ſit tum, cùm fames vexaret : *Surgam* (ait) *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei : Pater peccaui in cœlum, & coram te : iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis :* igitur etiam ſub genitoris cura ſtatuit ſeruus eſſe : verùm ecce Patri redditus, ſilet tertium petitionis membrum : tantùm ille, *Pater peccaui in cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus :* Cur nihil de Mercenariorum operibus, ſicut pollicitus fuerat? num ob gaudiorum affluentiam memoria excidit? An in ſpem nouam erectus propter oſcula, amare incipiens, pœnarum, & ſeruitutis metu liberatur? viſum Caietano eum in modum: *Fatetur* (ait) *ſe peccaſſe, vt propoſuerat; fatetur quoque ſe indignum nomine filij; ſed non ſubiungit petitionem, quam tertio loco propoſuerat : ſcilicet, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis : quia non eſt in eodem ſtatu nunc, quo erat quando propoſuit hoc petere : nam tunc vrgente fame, anhelabat ad panem : hoc eſt, recognitâ miſeriâ proprij ſtatus, mouebatur affectu ad proprium bonum : nunc autem amplexus & oſculatus à Patre occurrente ad ipſum, tanquam abſorptus à paterna benignitate, tanquam iaciens ſe totum in paternam gratiam, nihil petit, ſed ſolùm confitetur peccatum & indignitatem :* Heu quales ſumus! quàm ſubmiſſi

*Prodigo filio dat Pater annulum, libertatis & nobilitatis pignus, priuſquã ad menſam & eſcam vituli ſaginati, Euchariſtiæ figurã admittat.*

Luc.15.22.

Tertull.

*Qui Patris ſeruum fieri in ſumma egeſtate optabat, vbi de conuiuio opiparo audit, ſeruitutis optatæ non meminit Prodigus.*

Cyprian.



ſubmiſſi aduerſitate premente! vel Mercenariorum labores, ſolatia arbitramur : vbi lætior adſpirauit aura, in ventos abiêre ſponſiones antiquæ contemptioris miniſterij. Nec tamen iuuenis iſte reprehendendus : pœnituit eum ſapienter verbi ſeruilem affectantis conditionem: nam vt vidit Patris ſummam indulgentiam, accurrere longæuam ætatem, oſcula figere, in colla requieſcere, ſubodoratus eſt continuò aliquid de vitulo ſaginato, & fore vt menſam inſtrueret opiparam, pinguium vtique medullatorum, & vindemiæ defæcatæ : Sciebat autem vetitum apparatum grandis pompæ ſeruituti obnoxiis: ſubticuit igitur tanquam paternis inuiſum auribus ſermonem de mercenaria conductione : nec enim patienter hauſiſſet is, qui abſque mora, nobilitatis ornamenta omnia proferri imperauerat, ſtolam primam, calceamenta, annulum.

97. Nomen quoque ſuum Patroni Libertis concedunt : Suo etiam de vocabulo appellat Chriſtus, quibus Carnem porrigit : *Vincenti* (ait) *dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum*, Apocal.c.2.verſ.17. Manna ſignificatam Euchariſtiam ad longum probat Viegas, Commentario 3.in cap.2. Apocal. ſect. 4. non celabo tamen Bedæ verba : *Vincenti dabo manna abſconditum : hoc eſt, qui Carnis illecebram, hypocritis licet ſuadentibus contempſerit, iure dulcedine Panis inuiſibilis, qui de cœlo deſcendit, ſaturabitur :* Iam verò cùm ex ſeruitute emerſerint, calculum proculdubio candidum acceperint, qualis dabatur in Olympicis Victori, vt tradit in hunc locum Aretas, & quo mos diem ominoſum notare apud veteres; denique cùm & veſtem candidam acciperent quemadmodum oſtendimus, mirum non eſt lapillo donatos. Fortaſſè etiam calculus hic Adamas annuli gemma, quem Patronus Liberto dabat, quo ille Domini nomen inſcriptum ferebat, quo de ritu Sanctius in cap.22. Ieremiæ num. 39. éſtque hæc non inſcita diuinatio. Verùm quo pacto nomen nouum? Contendimus namque libertos recenti appellatione minimè inſignitos, ſed mutuari ſolitos Dominorum nomina : nouum autem non eſt, quod præceſſit in altero. Verùm Chriſti Ieſu nouum tamen nomen, ſiue quo ab eo Chriſtiani vocamur, ſeu quo dicuntur Iuſti, Filij Dei quemadmodum ipſe, quanquam naturalis ipſe, illi per adoptionem : nouum equidem, quia nunquam faſtidium affert, ſemper eſt in ore mel, in corde fauus, & ſatiat & eſuriem parit : nouum inſuper, quia nouos facit, quibus donatum, vt Filij Dei appellentur; oportet enim illos veterem hominem exuere depoſitâ peccati ſarcinâ, grauíque ſeruitutis iugo ſub poteſtate Principis tenebrarum : De titulo Filiorum Dei nomen nouum explanant Ribera, Pererius, à Lapide, veterum multos ſequuti.

Apoc.2.17.

Viegas.

Beda.

*Chriſtianis Libertis dat Chriſtus in Euchariſtia calculum, & nomẽ nouum, ſuum nempe.*

Aretas.

Sanctius.

Ribera.
Perer.
A Lapide.

98. Supereſt vltimùm, de Tribu : notum verò eſt Chriſtum de Imperatoria Iudæ tribu fuiſſe: Si ergo Reges quotquot dignè communicant de ſacris myſteriis, & ipſi ad Regiam ſpectabunt tribum: Porrò eiuſmodi cenſendos qui ſynaxi aluntur, docuimus ſuperiori Volumine, Anteloquio 6. ſectione vltima : At plus tribuit libertis ſuis diuinus Redemptor, quàm homines præſtant : nam vltra tribus communionem, concorporeos ſibi facit : quare Hieroſolymitanus Cyrillus Cathecheſ 4. *Nam ſub ſpecie Panis datur tibi Corpus, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis; vt ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, efficiaris & comparticeps Corporis & Sanguinis; Sic χριστοφόροι γινόμεθα, id eſt Chriſtum in nobis ferimus, atque ita, vt Beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ conſortes efficiemur :* Significantiſſimè dixit : *Chriſtum in nobis ferimus*, quemadmodum filius in Creatis, genitorem ob participatam ſubſtantiam illius, in ſe geſtat, portátque; quin & Nutricem pariter, quando per lactis alimentum ab ea ſubminiſtratum adoleſcit. Verùm Chriſtus vtroque fungitur munere, & nutritio, & genitali : Sed Nutrix quomodo non, cui vbera tribuuntur, cui Mamilla : *Meliora* (inquit) *ſunt vbera tua vino?* Luculentè Irenæus, lib.4. aduerſus Hæreſes cap.74. *Ipſe enim in ſua inenarrabili gloria ad nos venire poterat, ſed nos magnitudinem gloriæ ipſius portare non poteramus : & propter hoc quaſi infantibus ille, qui erat Panis perfectus Patris, lac nobis ſemetipſum præſtitit : Vt quaſi à mamilla Carnis enutriti, & per talem lactationem aſſueti manducare, & bibere Verbum Dei, & eum, qui eſt immortalis Panis, qui eſt Spiritus Dei; in nobis ipſis eum continere poſſimus.* Chryſoſtomus quoque Vber ſpiritalis Poculi appellat hom. 60. ad Antiochenſes : Verùm & idem Pater nobis, cùm tanquam in lumbis contineat : Strabus Gregorium allegans in illud Geneſ.cap.24.verſ.2. *Pone manum tuam ſubter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ, non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum*, &c. *Vnde, non ſuper femur, ſed ſub femore manum ponere iubet, quia inde deſcenſurus erat, qui homo, ſed ſuper homines eſſet : Vnde dignum non fuit, vt manum ſuper femur poneret : quia nulla Caro ſuper illam eſt :* Interlinearis : *Non ſuper, quia Caro Chriſti inde deſcenſura, quæ ſuper eſt :* Ergo certè Chriſti Caro, prima Caro eſt, nimirum ſuper omnes alias, à qua cæteræ originem ducant : Verùm id quo pacto, quando tot Reges & Patriarchæ, à quibus Meſſias ortus, præceſſerint? Sed concipe duas generationes : alteram humanam merè ex ſanguinibus & voluntate Carnis more reliquorum hominum : Sic Caro Seruatoris non eſt prima Caro, Patriarchas autem & Regum lineam ſupponit : alteram deinde cogita, quâ ſuam Carnem manducandam modo ineffabili & ſtupendo quiſquam præbeat, qua ex participatione qui ſaturantur de eius Carnibus, filij ipſius, quaſi ſecundum corpus fiunt, eius traiectâ ſubſtantiâ, certè concorporei ei, & conſanguinei, quod fit per Euchariſtiam : & ſecundum hæc Caro Chriſti eſt prima Caro inter omnes; imò ſingularis & vnica à mundi origine.

*Libertos ſuos in Euchariſtia Redẽptor, & Tribules & concorporeos ſecum facit.*

Cyrill. Ieroſolym.

Irenæus.

Chryſoſt.
Strabus.

*Quo ſenſu, Chriſti prima Caro.*

# VESTIGATIO III.

## Explanatio Hiſtorica & Grammaticalis, In Verſum ſecundum Capitis primi Canticorum.

*Textus*: Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. *cap.*1. *verſ.*2.

*Antenuptialia dona à Sponſo ad Virginem ducendam miſſa: Affinibus quoque & exteris interdum conceſſa: Geneſis, Eſther, Oſeas illuſtrati: Nomina ab euentibus apud Hebræos; Adoleſcentulæ, famulantium puellarum turmæ: multus antiquis ſeruorum numerus, ex Geneſi, Regum 1. & Machabæorum 2. aliquid: Nomen Dominorum famulis indultum, ingenuos reddebat: Pauli cum ſtudio verſatus locus: Eiuſdem & Geneſeos collatio venuſta: Concubinæ differentia & Vxoris primariæ: Olea pacis ſymbolum: Salomon id eſt Pacificus: Nomen hoc Ieſu latens in vocabulo: Matthæi diſcuſſio: Chriſti appellatio quid denotet? & Reges quamobrem ſic dicti? verſus ex Pſal. 44. Sponſus Canticorum binomius.*

### SECTIO I.

1. *Frequentia Sponſis dona antenuptialia.*

POST fidem nuptiarum, antequam ſolennis inſtaret dies publicæ lætitiæ, mos viro fuit Virginis demulcere animum, amorémque ſignificare ditiſſimâ miſsâ ſupellectile eorum omnium, ex quibus muliebris operoſus ſanè mundus, ſatíſque varius. Dicam eâ de re nonnihil, eò lubentiùs, quòd prætermiſſum animaduertam à Tiraquello, Barnaba Briſſonio, Roſino; cùm tamen exactè connubiale pertractarint argumentum. Iulius Capitolinus in Maximino Iuniore, loquens de Donis antenuptialibus, quæ in futuri Coniugij pignus, ab eodem Maximino Iuniæ Fidillæ promiſſæ Coniugi miſſa fuêre, quæ eo ante nuptias extincto, adhuc retinuit: *Monolium* (inquit) *de albis nouem: reticulum de Praſino vndecim; dextrocherium cum coſtula de hyacinthis quatuor præter veſtes auratas & omnes regias, cæteráque inſignia ſponſaliorum*: Photius ex Hiſtoria Gothica Candidi, pag. 108. ἐν οἷς μετὰ τῶν ἄλλων γαμικῶν δώρων δωρεῖται Ἀδαοῦλφος, καὶ ν. ἀθρόως νεανίας σηρικὴν ἐνδεδυμένους ἐσθῆτα, φέροντες ἑκάστης ταῖς χερσὶν ἀνὰ δύο μεγίστους δίσκους, ὧν ὁ μὲν χρυσίου πλήρης, ὁ τιμίων λίθων, μᾶλλον δὲ ἀτιμήτων ἐτύγχανεν, &c. *Quæ inter cum alijs muneribus nuptialibus dedit Atulphus quinquaginta formoſos iuuenes ſericam indutos veſtem: quorum ſinguli duos ferebant Diſcos ingentes: alterum auro plenum, alterum lapillis ſummi pretij.* Iulianus orat. 1. de nuptiis Conſtantij: *Exquiſitarum veſtium, ac donorum generis omnis, & monilium, ac Coronarum ab Imperatore miſſarum, ingentem quendam Catalogum inſtituimus.* Alluſit floridè Epiphanius, & ad ſacratiora retulit, Oratione de laudibus Deiparæ: *Quomodo Virgo inuenitur eſſe cœleſtis Sponſa, & Mater, quæ Donorum antenuptialium nomine Spiritum ſanctum accepit?* Quamobrem, ſi cauſa repudij ob ſcelus vxoris: hæc repetebantur Dona à Marito, certè in litem vocabatur contoralis, quanquam ſponte ſuperſedebat vir nonnunquam, vel forum iudiciale exoſus, vel liberalis etiam cum non merente volens eſſe: Naſonis Muſa lib. 2. de Remedio Amoris.

Tiraquell. Briſſon. Roſin. Iul. Capitol. Candid. Hiſtor. Goth. Iulian. Epiphan.

*Tutius eſt, aptúmque magis diſcedere pace,*
*Quàm petere à thalamis litigioſa fora.*
*Munera quæ dederas, habeat ſine lite, iubeto,*
*Eſſe ſolent magno damna minora bono.*

Ouid.

Suetonius in Tiberio, cap. 11. *Comperit deinde Iuliam vxorem ad libidines, atque adulteria damnatam, repudiúmque ei ſuo nomine ex auctoritate Auguſti remiſſum: & quanquam lætus animo, tamen officij duxit, quantùm in ſe eſſet exorare filiæ Patrem frequentibus literis: & vel vtcumque meritæ quicquid dono dediſſet, concedere.* Quin & dotem vniuerſam Marito adiudicatam, adulterij cauſâ interueniente ſecundum vetuſtas Epheſiorum leges meminit Petrus Faber Semeſtrium lib. 3. cap. 22. §. *Sed vt ad rem*, &c.

Sueton. P. Faber.

2. *Etiam Sponſæ cognatis & affinibus aliiſque dabat Sponſus munera.*

At non in vnam largitio omnis Sponſam, quanquam eius gratiâ: accipiebant & cognati munuſcula. De Abrahæ legato, Rebeccæ nuptias procurante, Geneſ. 24. verſ. 53. *Prolatiſque vaſis argenteis, & aureis, ac veſtibus; dedit ea Rebeccæ pro munere; fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.* Ille quoque Dinæ correptus amore Adoleſcens Geneſ. cap. 34. verſ. 12. *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis; tantùm date mihi Puellam hanc vxorem.* Militiæ toti diſtributa præmia Iulius Capitolinus in Antonino Pio, his refert verbis: *Nuptias filiæ ſuæ Fauſtinæ, cùm Marco Antonino eam coniungeret, vſque ad Donatiuum Militum celeberrimas fecit.* Nec latet de hoc ritu Nubentium, reſperſum per nos aliquid Volumine ſuperiori, ſed ibi minori cum eruditione: monuiſſe tamen cupido eſt, quanquam inter hæc dona, & veſtes eſſent & gemæ, & torques, & annuli, & ſpecula, & ſindones, plurimæque aliæ fœmineæ illecebræ; tamen præcipuam ſummam de myrothecio fuiſſe; nec mirum, cùm illinendis ſe, annum conſumerent integrum: *Ita, vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino; & alijs ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus vterentur.* Eſtheris cap. 2. verſ. 12. Quare delatum ab Abrahæ Procuratore, de quo paulò antea loquuti fuimus, Balſamum, Cinnamomum, & alia id genus, optimè aduertit Salianus tom. 1. anno Mundi 2178. num. 8. & inter ſtrenas nuptiales repoſuit Sidonius Apollinaris Epithalamio Ruricij & Iberiæ, quod, Carmen vndecimum;

Gen. 24. 53. Gen. 34. 12. Iul. Capitol.



*Vnguenta odora in Donis præcipua.* Eſth. 2. 12. Salian. Sidon. Apoll.

*Sic ventum ad thalamos, thus, nardus, balſama, myrrhæ,*
*Hîc ſunt; hîc Phœnix buſti dat Cinnama viui.*

Dabat vero Amator vel legitimus, vel adſcititius huiuſcemodi: vnde fornicatrix apud Oſeam cap. 2. verſ. 5. *Vadam poſt Amatores meos, qui dant panes mihi, oleum meum, & potum*: Verùm vt genialis lætitia apud veteres abſque profuſa vnguentorum copiâ, nulla potuerit eſſe, diximus abundè, Veſtigatione 2. num. 12.

Oſee 2. 5.

3. *Oleo vnguenta ſignificata odoris optimi.*

Oleo autem generaliori vocabulo ſignificata vnguenta ſuauioris halitus, atque id ex vſu Hebræi idiomatis, à quo non animaduerſum Interprete? quare L X X. Μύρον ἐκκενωθὲν ὄνομά σου: *Vnguentum effuſum nomen tuum.* Cùm igitur Sponſa Dilecti ſui vbera præcedenti verſu laudaſſet, quòd vnguentis delibuta eſſent perfectiſſimæ compoſitionis: modò intimat ſibi vni nequaquam beneficum ſolum, ſic autem in donandis vnguentis amplum, vt non liberalis fuiſſe videatur, ſed prodigus: Euacuaſſe nimirum omnem penitus domum aromatum, adeò olei exinanitio illa magis quàm abſumptio: nam pro vnguento effuſo, *exinanitum* alij transferunt: Origenes imprimis vſurpat libenter, hom. 1. & ex duabus, & ex quatuor: Ambroſius lib. 3. de Virginibus: & de Helia, cap. 10. Certè ipsâ *effundendi* dictione largitatem maximam innui Dydimus annotauit egregiè, hunc exponens locum libro 1. de Spiritu ſancto poſt medium: *Significat autem* (ait) *effuſionis verbum, largam & diuitis muneris abundantiam: itaque cùm vnus alicubi, aut duo Spiritum ſanctum accipiunt, non dicitur, effundam de Spiritu meo; ſed tunc, quando in vniuerſas gentes munus Spiritus ſancti redundauerit.* Conſiderantes ergo Sponſa cum famulabus ſuis, eis vt ditauerit magnificus Princeps; nomen ſuperaddunt veteribus recens; *Oleum effuſum* vocantes: Solenne eſt enim Hebræis ab actionibus indere Epitheta, titulóſque: quo de more Hieronymus optimus inſtructor, in illud Iſaiæ cap. 62. *Non vocaberis vltrà derelicta*, &c. *Hoc eſt autem Hebraicæ conſuetudinis, vt ex euentu rebus vocabula ſemper imponant: Sicut Abram, qui priùs dicebatur, Pater excelſus; quando audiuit promiſſionem [& in nomine tuo benedicentur omnes gentes] appellatus eſt, Pater multarum gentium, id eſt, Abraham: Et Domino Saluatori ſuprà nomen imponitur,* (Iſaiæ cap. 8.) *Citò accelera, ſpolia detrahere, velociter prædare.* Luculentè etiam Moyſes Barcepha, Commentariorum 1. parte, qui de Paradiſo, c. 19. pendens, cur diceretur arbor Boni, & Mali? *Reſpondemus* (inquit) *eum eſſe morem ſacrarum literarum, vt & locis, & temporibus earum rerum accommodent nomina quæ rebus ipſis in locis & temporibus illis euenientibus, debentur: Sic puteum quemdam iurgij appellarunt, cùm Puteus non iurgaſſet, ſed de puteo inter ſe contendiſſent Paſtores: & rursùs alium Puteum iuramenti, non quia ipſe iuratus eſſet, ſed quia de ipſo facta fuerant iuramenta: ad eundem igitur modum Arbor illa cognominata eſt ſcientia Boni, & Mali*, &c. Confirmat Maldonatus, ad verſ. 69. cap. 1. Lucæ: Ribera, in cap. 2. Oſeæ num. 15. Pineda, Præfatis in Iobum cap. 1. num. 9. & de Salomonis rebus lib. 1. cap. 16. num. 10.

Origen. Ambroſ. Didym. *Familiare Hebræis ab actionibus & euentibus nomina imponere.* Iſai. 62. Hieronym. Iſa. 8. Moyſ. Barcepha. Maldonat. Ribera. Pineda.

4. *Per Adoleſcentulas Sponſa intelligit Pediſſequas ſuas.*

Verùm, quænam hæ Adoleſcentulæ, quæ dilexerunt Sponſum? Opinor, non incongruè dicturos nos, fuiſſe Pediſſequas Sponſæ: nam quanquam illa Mapalibus extracta, & ab hœdorum regimine vocata: Statim tamen ac vir nobiliſſimus, dexterâ acceptâ, datâque, connubium promiſit, quemadmodum priores amictus demiſit cum omnibus vitæ exercitamentis ingratis, & ſilueſtribus; ſic continuò accepit Puellarum mandras, quæ obſequerentur. Ita certè Rebecca illa, Virgo decora & pollens, cùm Abrahæ ſeruo occurrit, ipſa aquatum proceſſerat, & hydriam ferebat; Quid? nónne ancilla penè mox vt Iſaaco deſponſata, præter charam nutricem famulæ adiunctæ ſunt pariter, nempè quæ coniungebatur Regis Filio: nam Abrahamum regiâ functum gloriâ, priori tomo inſinuauimus Anteloquio 5. num. 126. Cæterum de Rebecca, eiúſque Virginibus, Geneſ. cap. 24. verſ. 61. *Igitur Rebecca, & Puellæ illius aſcenſis Camelis, ſecutæ ſunt virum.* Et quam ob cauſam fœminea illa cohors, Clemens Stromatæus declarat Pædag. lib. 3. cap. 3. *Ornatores autem & ornatrices mulieribus ornandis deſeruiunt: & hæ quidem ſpeculis; illæ autem vittis, aliæ verò præſunt pectinibus.* Mutuemur & illud etiam ex diſputatis primo volumine, Anteloquio nuperrimè allegato, eius numero 23. Quòd arguit hoc genus apud Poëtam Ceres, vt quæ negligentes fuerint in tuenda filia: lib. 3. de Proſerpina, Claudianus:

*Rebecca Deſponſæ dantur ancillantes fœminæ.* Gen. 24. 61. Clem. Alex.

*Heu, vbi nunc eſt nata mihi? quò mille Miniſtræ?*
*Quò Cyane? volucres quæ vis Sirenas abegit?*
*Hæccine veſtra fides? Sic fas aliena tueri*
*Pignora?*

*Puellarum grex elegans in Hebræorū Aula.*

Magnæ curæ Regibus Hebræorum de cultu iſtarum, quemadmodum & de ſeruorum elegantia, vnde Regina Sabæorum, demirata eſt *habitacula ſeruorum Salomonis, & ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum*. Reg. 3. cap. 10. verſ. 5. & quanquam virorum fuiſſe obſequia indicet, verſ. 8. inquiens; *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam*; Tamen ſub hac verborum forma comprehenſum vtrumque ſexum L X X. Verſio Seniorum ſubintimat, apud quos: *Beatæ mulieres tuæ, & beati Pueri tui, qui aſſiſtunt coram te ſemper, qui audiunt omnem prudentiam tuam*: Quâ lectione vſus in omnibus Ambroſius lib. 2. Officiorum, cap. 10. certè vtroſque connectit idem Salomon Eccleſ. cap. 2. verſ. 7. *Poſſedi ſeruos, & ancillas, multámque familiam habui*: verſ. 8. *Feci mihi Cantores & Cantatrices*: Eiuſmodi autem Symphoniacæ Virgines ſtabant planè in aula, vt epulas recrearent, ſed in auro & purpurâ; neque enim Romanorum luxu minor gloria incomparanda Salomonis, de quibus vetuſtior Seneca, lib. de tranquillitate Animi, cap. 1. *Cùm benè iſta placuerunt, perſtringit animam apparatus alicuius Pædagogij, diligentiùs quàm iam intra priuatum larem veſtita, & auro culta mancipia, & agmen ſeruorum nitentium*: Denique Saul primus regij ſolij conditor ereptas à ſinu Matrum Virgines fecit ſibi vnguentarias, & focarias, & panificas, de quarum ædepol ornatu memor ſatis, cùm quicquid de hoſtibus ſpecioſum cepiſſet, in eas conferre ſolitus, quare ad lamentum imprimis hortatur threno, quem mortuo Saüli componit Dauid: *Filiæ*

3. Reg. 10. 5. L X X. verſ. 8. Ambroſ. Eccleſ. 2. 7. Seneca.

*Filiæ Iſraël* (ait) *ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro*, Reg.2. c.1. verſ. 24. de bellorum ſpoliis Nicolaus & Toſtatus conſtruxerunt: Nonnunquam & ciuitates integræ donatæ cuilibet iſtarum, (præſertim cùm Adoleſcentularum infimo relicto ordine, in ſecundam tranſibant claſſem Concubinarum,) quo mundus aleretur muliebris opulentè, quæ tanta Regum vaſtatio nonnunquam ſeditionis in Republica origo, malorúmque tumultuum: Machab.2. c.4. verſ.30. *Et cùm hæc agerentur, contigit Tharſenſes, & Mallotas ſeditionem mouere, eò quod Antiochidi Regis concubinæ, dono eſſent dati.*

2.Reg.1.24. De Lyra. Toſtatus. 2.Machab.4. 30.

5\. Tantùm igitur cùm inſudarent Reges, ſiue Concubinis decorandis, ſeu Adoleſcentularum copioſis gregibus, quæ omnes primariæ coniugi, & inter vxores excellenti famulabantur; ſicut Bala & Zelpha quanquam legitimæ conſortes, Racheli, & Liæ, non fuerit arduum concepiſſe, quamobrem Adoleſcentulæ Sponſum diligere aſſerantur, nimirum, ob tantam Donorum largitionem. Quod ſi ſermo vniuerſim ad omnes munerum formas referendus ſit: tum ſeu Prouerbialis ſeu metaphorica loquutio fuerit, quod *oleum effuſum* appellent: eſt enim Oleum munificentiæ ſymbolum, vt probant Lauretus, Allegoriarum ſyluâ, verbo, *Oleum* Pierius, Hieroglyphicorum lib.53. ſub initio: Sin verò ad vnguenta, vt poteſt fieri, (nam diximus liberalitatis Sponſi hanc fuiſſe principem gloriam, quòd res nuptialis ita poſtularet: ſolent autem Hebræi ab eminentiori dote nomen imponere, ſic Abrahæ titulus à fide, Iobo à patientia, Dauidi à manſuetudine: lege Cantapretenſem, qui Hieronymi authoritate roborat, lib.9. Hypotyp.reg.21.) tum ſanè propriiſſimè accipiatur vocabulum, ſcilicet vnctus meritò, atque effusè vnctus, qui plenâ manu Virginibus aromata ſuppeditauerit: Dixi *vnctum*, nam vberioris ſignificationis gratiâ frequentiſſimum Scripturæ, nomina Abſtracta Concretorum loco ponere: dabit exemplorum numerum Ribera in cap.5. Oſeæ, num.4. & in cap.7. Epiſt. ad Hebræos num.23. Verùm, quamobrem Sponſa hæc, quæ toties ab amore languet, & exanimatam vidimus ad exordialia verba Epithalamij, cur non ab ipſamet quoque Sponſum diligi inclamat? celat autem flammam ſuam, & Adoleſcentularum ſolùm charitatem ſubuehit: *Ideò* (ait) *Adoleſcentulæ dilexerunt te:* Equidem de muneribus, iiſque grandibus ſermo fuerat illi: eſt autem ſuſpectus Amor, quem precioſa conciliant: ne igitur ob lucrum dilexiſſe videatur, magna vtique Amatrix, Sponſa: ſilet ignem ſuum, & Adoleſcentulas profert tantùm, quæ ob talia diligant.

*Adoleſcentulæ Sponſum, quem vt munificum amabant, Oleum effuſum vocant, ſiue à liberalitate, ſiue à potiori vnguentorum dono.* Lauretus. Pierius. Cantapret. Regula. *Scriptura frequenter nomina abſtracta pro concretis ponit.* Ribera.

6\. Aliáne potior ſententiæ eiuſdem anima? ſanè docuimus Veſtigat.1. num.11. optaſſe Sponſam iſtam in primariam tranſire Principis vxorem: ſuppudebat verecundam Puellam quaſi nimij auſûs, nam memor obſcuræ conditionis ſuæ, deſideraſſe vltrà menſuram cùm modeſtæ ſuggererent cogitationes, laborauit delere notam Præſumptionis, neque vno adhibito propugnaculo: cùm enim declaratas antecedenti verſu: *Quia meliora ſunt vbera vino, fragrantia vnguentis optimis*, cauſas, eáſque efficaces exhibuiſſet, nunc alteram ſuggerit, validámque illam: *Oleum* (inquit) *effuſum nomen tuum:* quid hæc denotarint? videlicet, communicatum fuiſſe Sponſæ Dilecti nomen: oſtendimus Tom.1. Ant. 1. numero 51. iterúmque Proluſione 5. numero 83. ſed pulchrè vt & Sponſum euehat, & de ſe cum ſobrietate ſentiat, attenuatum deinceps fuiſſe, exinanitum ſcilicet tanti Herois glorioſiſſimum & magnificè inclytum Nomen perhibet: Heu Sponſe amabilis! Heu, virorum clariſſime! Cur placuit ſic demittere ſuperbos titulos? Cur tam vilis facta eſt nuncupatio eximia? poſtquam enim ad me tranſiit incomparabilis vox, cùm nihil ſim, nihil in me pompoſum eniteat, emarcuit; de antiqua reuerentia vmbræ ſuperſunt, & inane tantùm aliquid: Patiamur ita cogitare honeſtiſſimam Virginem pro innatâ modeſtiâ: diſquiramus tamen quo pacto hæc nominis Sponſi communicatio excuſet, quod affectauerit vxor dici primaria. Equidem apud Iſraëlitas cùm duo legitimarum coniugum extiterint genera, quæ tamen primariæ dicebantur, eædémque Matresfamiliæ, nobiles erant, hoc ipſo ingenuæ, liberæ: ſecundariæ vxores concubinæ vocatæ ſub alieno erant iure: Paulus docet ad Galat. c.4. verſ.22. *Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera:* quibus agnominibus diſtinguit primariam à coniuge ſecundaria, vt benè adnotauit Cornelius noſter; & Hieronymi expoſitio in præfata ad Galatas verba non leuiter indicat. Si igitur oſtenderimus per nominis communionem, ingenuam redditam Sponſam; probabimus eandem meritò exoptaſſe, vt primaria diceretur vxor: proinde non eſſe, cur verecundiæ limites prætergreſſam fuiſſe cuipiam videatur: Nam ſi Sponſus dignatus eſt ad nominis eam ſocietatem admittere, hoc ipſo viſus eſt, ingenuam, liberam, nobilem facere: ſi autem libera, & aliundè vxor, nonniſi primaria eſſe vxor valeat, quando primariæ conceſſum, vt libera illa dicatur, & ingenua: Concubinæ miniſtrant, ſub ſeruitute, atque onere verſantur, quanquam torus eis non denegetur.

*Ambitioſam ſuam de primaria vxore temeritatem excuſat Sponſa, ab eo quòd Sponſus ei nomen ſuum communicans ingenuam fecerit & nobilem.* Ad Galat.4. 22. Cornel. Hieronym.

7\. Age demonſtremus Nominis participio adeptam libertatem. Ergo certè Romani, quos à iugo abſoluerent, cùm multis, iiſque inſignibus affeciſſent commodis, tum imprimis ſuo condecorabant nomine. Crede Tertulliano, de Reſurrectione Carnis, cap.57. *Oro te, ſi famulum tuum libertate mutaueris*, &c. *at quin & veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & Patroni nomine, ac tribu menſâque honoratur.* Subſcribit Iacobus Pamelius Notis in eum locum: probat ex Cicerone Angelus Politianus, Miſcellan.cap.31. teſtantur Onuphrius de nominibus Romanorum, Alexander Neapolitanus genialium lib.2. cap.29. Salianus tom.4. anno Mundi 3426. numero 6. Græcorúmne idem mos? Certe Chryſoſtomus fortaſsè ad Prouinciæ normam reſpexerit, hom.1. Auctuarij ad 5.tom. quæ eſt de Anna, & precatione eius: *Neque enim* (inquit) *tantùm Deus cœli, & terræ, & maris, & eorum, quæ in eis ſunt, appellari gaudet, quantùm ſi Deus Abraham, & Iſaac, & Iacob vocetur: & quod in hominibus non ſolemus, in Deo videre licet: apud homines enim à Dominis ſerui appellationem ſumunt:* Verùm lectâ integrâ oratione alius, quàm qui nobis modò ſit propoſitus, Chryſoſtomi ſcopus eſt: ſed demus & Latinorum, Græcorúmque eum fuiſſe ritum manumittendi, quæ indè pro Hebræorum inſtitutis euidentia? Sanè in Scripturis vt paria non reperiantur exempla, ſed cognata tamen: nam Ioſepho, quamprimùm ergaſtulo eductus, & in libertatem vindicatus, nomen commutatum eſt, Geneſ. cap. 41. verſ. 45. poſtquam etiam Nabuchodonoſoris iuſſu de pueris Hebræorum electi, qui inter optimatum filios, Aulæ fruerentur

*Seruos manumiſſos Nomine ſuo honorabant Domini.* Tertull. Pamelius. Politian. Onuphr. Alexand. ab Alex. Salian. Chryſoſt. Geneſ.41.



fruerentur delitiis captiuitate oblitâ, nouis appellationibus inſigniti, Danielis c.1. verſ.6. ſed meherclè Apoſtoli præclarè adiuuat locus ad Hebræos, cap.1. verſ.4. *Tantò* (inquit) *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: Cui enim dixit aliquando Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ac cùm multus ſit toto eo capite, ſæpiúſque ingerat ſpiritus cœleſtes, quibuſcum comparationes, adminiſtratorios eſſe, equidem conari videatur, vt probet illos ſeruos eſſe, Chriſtum verò liberum, qui ideò omni Creaturæ excellat, quod nulla pura Creatura ſit, quæ non Dei ſerua nominetur, à quo ille liber titulo, ac proinde vndequaque ſolus liber, quanquàm Deo ſubiectus in quantùm homo, eôque minor: cùm igitur Chriſto ratione diuinæ ſubſiſtentiæ humanitati vnitæ, conueniat Dei eſſentiale Nomen, (rectiſſimè enim Fulgentius lib.3. ad Thraſimundum, cap.13. *Qualiter enim homo ille habêre potuit Dei nomen, niſi quoniam à Deo ſuſceptus, vnam cum eo poſſedit nominis dignitatem*;) cùm Dei nomen ſeruitutem reſpuat, quicumque nominis dignitatem conſequatur tanti, idem & à ſeruitute vt exemptus ſit, neceſſum eſt. Quamobrem Damaſcenus tertio de Orthodoxa fide, cap.21. *Seruilis ordinis eſſet caro, niſi Dei Verbo copulata eſſet: ac cùm ſemel ei perſonaliter vnita ſit, quonam iam pacto in ſeruilem claſſem redigetur?* Vides egregiè corroboratum noſtræ diſceptationis propoſitum: quippe Verbum incarnando velut Matrimonium iniiſſe cum Humanitate, ſanctorum Patrum non infrequens vox eſt, de qua nos Tomo Præludiali, Anteloq.3. numero 109. erat autem Humanitas conſiderata ſeorſim, præciſâ vnione hypoſtaticâ, aut eâ potius ablatâ Serua quidem, & vilior ſane quàm Angeli: vt verò in coniugem aſſumpta eſt per nexum hypoſtaticum, Sponſi, qui Deus erat nomen æternum, infinitæque participauit maieſtatis, nam deinceps compoſitum illud ex Humanitate, & ſubſiſtentia ſecundæ Triados perſonæ, Deus vocatum, vniuerſorum Dominus, Filius Patri conſubſtantialis, vt benè à Caietano animaduerſum in cap.1. epiſt. ad Hebræos: Sponſi igitur appellatione honoris pleniſſimâ vxori cõmunicatâ, libera fuit, ingenua denique & ipſis Angelis tantò ſublimior, quantò præ illis differentius Nomen accepit: huius Theologiæ partum debeo ſanè Vazquezio noſtro, nam vt Paulum ſic interpretarer, eius de Chriſti ſeruitute eximiæ cogitationes impulerunt, tom.1. in 3. diſput.80. cap.8. num.38.

Daniel.1. Ad Hebr.1. 4. *Chriſtus ſolus è creaturis liber, vt cui Dei nomen conueniat.* Fulgent. Damaſcen. *Humanitas Chriſti de ſe ſerua, in Coniugem Verbi aſſumpta, libertatem & Dei nomen aſſequuta eſt.* Vazquez.

8\. Iam & illud attende, cùm duas vxores ex more loquendi Eccleſiaſtico Chriſtus habuerit, Synagogam videlicet, & Eccleſiam Catholicam, vt dicebamus, veſtigat.1. num.56. Quamobrem Synagogam Paulus Ancillam nominarit, ad Galat. cap.4. vt ibidem pendebamus num. 62. cœtum vero poſteriorem, Vxorem liberam, & ingenuam dixerit? Nimirum priori illi cœtui nominis vocabulum non communicauit, vti cum recentiore fecit, quæ à Chriſto appellata eſt Chriſtiana: Athanaſius ſerm.2. contra Arrianos: *Certè à beatis Apoſtolis præceptoribus noſtris appellationes adepti non ſumus, ſed à Chriſto Chriſtiani ſumus, & nuncupamur.* Pacianus in epiſt. ad Sempronianum: *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit:* Cùm igitur Sponſi titulis condecorata fuerit iunior Eccleſia, egregium, quod Paulus hanc liberam pronunciarit, neque enim ſeruitus poſt adeptum Sponſi nomen, & vide ab his egregiam Apoſtoli eiuſdemmet acrimoniam: nam de Protoparentum formatione, & Connubiali loquutus vinculo, ad Eccleſiam Catholicam ex induſtria ſymbolum tranſtulit, Epheſior. cap.5. *Sacramentum hoc magnum eſt*, (ait verſ.32.) *Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*: de Eccleſia autem ſecunda, quam ex gentibus congregauit ſermonem eſſe & Textus ipſe ſubinnuit manifeſtè, & concordi explanatione intellexêre optimi commentatores noui, veteréſque; ſiquidem ipſa eſt, quæ proceſſit de latere Chriſti dormientis quod præfiguraſſe Adæ ſoporem monſtrauimus, Tomo anteriori, Antel.3. numero 114. Quid igitur tùm primus homo? equidem denominauit à ſe mulierem Paradiſi Contubernalem: *Hæc* (inquit) *vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt* Geneſ.c.2. verſ.23. ibi Toſtatus: *mulier accepit hîc nomen viri: ſi autem lingua Latina tale nomen reciperet meliùs vocaretur Vira, quam Virago: in Hebræo autem reperitur conueniens nomen: quia vir vocatur, Is: mulier autem vocatur Iſſa:* Adſtipulantur Lyra, Caietanus, Eugubinus, Vatablus, Sa, Pagninus, Pererius, Delrio, Salianus die 6. Mundi, num.122. Bonfrerius, Oleaſter, à quorum pleriſque notatum, ſic ipſam Hebraicorum dictionum colluſionem admonêre, quibus vir dicitur איש *iſch*, mulier vocatur אשה *iſchſcha*, tanquam nominares *Virum, Viriſſámque*; id, quod ſcitè expreſſit tranſlatione ſuâ Symmachus Hieronymo Authore quæſtionibus in Geneſim: αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτοῦ, ἐλήφθη αὕτη: *Hæc vocabitur Vira, quia ex viro ſuo ipſa ſumpta eſt:* vocem ἀνδρὶς ponens, quæ fœminam ſignificaret, vti ἀνδρὸς virum. Quoniam igitur in primo illo recens formatorum hominum Matrimonio ſubaſſumpſit nomen Mariti vxor; Nominis autem communicatio liberam arguit fœminam, opportunè ad Chriſtianam Apoſtolus retulit Eccleſiam, Sacramentum proteſtans in Chriſto, & per eum fundata Catholica Eccleſia, cùm Ancilla, & degeneris conditionis Synagoga extiterit: quare in Geneſeos allegata verba, breuiter & commodiſſimè Gloſſæ Interlinearis ſtructor, *Sicut* (ait) *à Chriſto Chriſtianum nomen datum eſt Eccleſiæ*; quæ à Venerabili Beda deſumpſit in cap.2. Geneſis.

Ad Galat.4. *Chriſtus Eccleſiam, vxorem ſuã primariam, nomine ſuo nobilitauit, non autem Synagogam.* Athanaſ. Pacian. Ad Epheſ. 5. 32. Geneſ.2.23. Toſtat. De Lyra. Caietan. Eugubin. Vatabl. Sa. Paguin. Pererius. Delrio. Salian. Bonfrer. Oleaſt. Symmach. Interlin. Beda.

9\. Ergo Sponſa, quam elapſo volumine Chananæam diiudicauimus, ſeruilis erat generis, quippè Ioſepho Flauio aſſertore, octauo Antiquit. cap.2. poſt medium; *Salomon reliquias Chananæorum, quæ Libanum, montem vſque ad vrbem Amathen colebant, & imperium eius detrectabant, ſub ditionem ſuam reductas, tributa pendere coëgit, & per ſingulos annos certum numerum ſeruorum, & colonorum, qui per agros diſtribuerentur, exegit: Hebræorum enim nemo ad ſeruiles operas adigebatur*, &c. Propterea Sunamiten antiquo epitheto vocatam, id eſt, captiuam, & mancipium, eodem monuimus tomo, Anteloq.5. numero 83. ſed donata Principis appellatione ſubito in nobilem, liberam, illuſtrem tranſiit: Quod ſi certè ingenua, quidni primaria vxor? quamobrem Leo primus, ep. 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, cap. 4. *Non omnis* (inquit) *mulier iuncta viro, vxor eſt viri, quia nec omnis filius heres eſt Patris, nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales: itaque aliud eſt vxor, aliud Concubina; ſicut aliud Ancilla, aliud Libera: propter quod etiam Apoſtolus ad manifeſtandam harum Perſonarum diſcretionem, teſtimonium ponit ex Geneſi, vbi dicitur Abrahæ: Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Iſaac:* quibus verbis non ſubintimat haud

*Sponſa Cantici, Chananæa genere, vnde Sunamitis. i. captiua, antiquitùs dicta.* Ioſeph. Leo.

Bellarm.

*Primariæ vxoris Prælatio.*

Spartian.

haud fuiſſe veras vxores, & propriè nominatas, quæ recenſentur fuiſſe Concubinæ ſub veteri fœdere, vt à Bellarmino probè animaduerſum lib.2. de Conciliis, cap.8.§. *At obijcies.* Et lib. 1. de Matrimonij Sacramento, cap. 11. §. *Quod ad Sanctum Leonem*,&c. Scopus verò innuere primariæ vxoris, quæ ſcilicet ingenua & libera eſt, honorem in domo, ſummámque excellentiam: ipſa enim eſt, quæ à dextris Regis ſtat in veſtitu deaurato; ipſa, cuius filij hæreditatem capiunt: ipſa, quæ ſolenni cum pompa, & in oculis Reipublicæ totius viro coniuncta eſt: ipſa quæ dominatur in cæteras vxores: ob hoc itaque tam ſpiſſum diſcrimen quaſi non vxor penè, quæ Concubina eſt, atque ancillatur: *Vxor enim*, dicebat quidam apud Spartianum in Ælio vero, *dignitatis nomen eſt*: at Concubinis negata ſpecioſa: dicit itaque Sponſa: Cùm mihi Dilectus indulſerit, eius vt dicar de nomine, cur non in oſculum oris affectare præſumam, hoc eſt, vt primaria eius coniux vocer? Cui enim hoc debitum niſi ei, quæ ingenua & libera eſt? Ego autem poſt mutuatam à Sponſo appellationem, ſeruitutem depoſui: abiêre veteres ſordes, alia ſum à priſtinâ illâ, nunc vel Optimatis non indigna thalamo, ex quo ingenua reddita: ingenuam vero reddidit Nominis Sponſi effuſio.

10\.

*Quænam hæ Adoleſcentulæ, quæ hîc amare dicuntur?*

Cyprian. Ciſterc. Sotomaior. Giſler.

Legionenſ. Delrio. Nigid.

Titelman. Almonacir.

Sanct. Genebrard. Vincent. Riccard.

Sed fuerint iſta ſicut à nobis delineata ſunt, cùm tamen inde vni Sponſæ lucrum, ipſa enim ſola Dilecti nomen participauit; cur Adoleſcentulæ amare propterea referuntur? Num, quia Dominam ſic deperiêre, vt propria commoda eius putent emolumenta? Amor vehemens de Amici bona fortuna non ſecus quàm de peculiari gaudet. Verùm intelligamus eas, quæ nominantur hoc verſu Adoleſcentulæ, fuiſſe Pediſſequas Sponſæ, nam eædem ſunt de quibus c. 6. verſ.7. *Et adoleſcentularum non eſt numerus*, quas famulas dicunt ibi Cyprianus Ciſtercienſis, Sotomaior, Giſlerius: atque cùm poſt Concubinas locentur, iis dignitate inferiores extitêre, proinde ſeruilis officij & conditionis, quando & ipſæ Concubinæ tales, vti in ea verba à Legionenſi, Delrio, Giſlerio, Sotomaior, Placido Nigidio animaduerſum: quin & Eccleſiaſticorum Doctorum frequentior indicat Allegoria, poſtponunt enim Concubinis, cùm per has proficientium ſtatum deſignari, per Adoleſcentulas incipientium ordines pronunciant. Vidêre ibi Titelmannus & Almonacirius, noſque Tomo præcedenti firmauimus, Anteloquio 1.num.67. Monent pariter allegati Authores, atque iiſcum Sanctius, Genebrardus, Vincentius Riccardus notis ad Cantacuzenum ſuper hac gnome, Virgines, & innuptas fuiſſe quæ Adoleſcentulæ memorantur: perſuadet Hebræa dictio, de qua venturâ ſect. num.23. Ergo quæ Marito adhuc carebant Puellæ, cùm intuerentur obſcuræ famæ Iuuenculam, quæ hœdos ad caulas agebat, quæ vineis excubabat, Principis ampliſſimo vocabulo inſignitam, ciúſque ſanè Optimatis, qui cùm & natiuis polleret dotibus, & fortunam haberet amicabilem, iudicio erat prudentiſſimo, mente ſobriâ, & rectrice paſſionum: in ſpem erectæ ſunt, non defuturos ex Magnatum numero, qui exemplo ducerentur, ſimilíque deſiderio ipſas quanquàm ancillas, vxores vellent, primariáſque equidem: hanc igitur ob cauſam exhilarauit eas nominis Sponſi effuſio, quoniam ſcilicet cum ipſis fieri poſſe concipiebant, quod in Sponſa perpetratum non dubitabant.

11\.

*Oliua Pacis Symbolum.*

Plin.

Sil.Italic.

Verùm, qualis ſignificantiæ nomen Sponſæ conceſſum? Prælibo: Oleum Pacis ſolemne emblema: Plinius lib.15. cap.30. de Lauro ſermocinatus: *Idque, non quia perpetuò viret, nec quia pacifera eſt: præferenda ei vtroque Olea.* Silius Italicus lib.13.

*——tum pignora pacis*
*Prætendens dextrâ ramum canentis Oliuæ.*

Statius.

Papinius frequenter lib.5.Thebaid.

*Donec ab extremo cuneo ratis Æſone natus*
*Palladios Oleæ Mopſi geſtamina ramos*
*Extulit, & ſocium turba prohibente popoſcit*
*Fœdera.*

Idem.

Idem, Thebaidos duodecimo:

*——ille quidem ramis inſontis Oliuæ*
*Pacificus.*

Idem.

Denique & Achilleidos lib.2.

*Dixerat, atque ipſo portarum in limine Regem*
*Cernit, & oſtensâ Pacem profatur Oliuâ.*

Zerda. Pontan.

Miſſale Roman.

Tertullian.

Ambroſ. Sid.Apoll. Iſidor. Hiſp. Amalar.

Rupert. Tut.

Gul.Durand.

Pierius. Lauretus.

Ex profanis alia ſuppeditabunt Zerda & Pontanus ad verſ.115. lib. 8. Æneidos; Nos ad Eccleſiaſtica & Chriſtiana feramur. Officium Miſſarum in die Palmarum: *Deus, qui per Oliuæ ramum pacem terris Columbam nunciare voluiſti*, &c. Quibus agnata crebrò ingeminat Ordo Romanus de Officiis diuinis, qui Bibliothecæ veterum Patrum inſertus eſt. Tertullianus de Corona militis, cap.12. *Quin & Oleâ militiam Coronari à Minerua, non ſolùm Artium, ſed Armorum quoque Dea: & pacem cum Neptuno iniſſe ex hac arbore coronatam*: Dedi Veſtigatione 1. numero 127. Sanctum Ambroſium, & Sidonium Apollinarem: Iſidorus Hiſpalenſis, Etymolog.lib.17.cap.7. *Eſt autem arbor pacis inſigne*: Idipſum Amalarius Fortunatus, lib.1.de Eccleſiaſticis officiis, cap. 12. de iiſdémque officiis Rupertus Tutienſis Abbas, libro 5. cap.16. *Arborem miniſtram Pacis vocat*: Antiquos hos ſequutus Guilielmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus, Rationalis diuinorum officiorum lib.6. cap.67. num.9. & cap.74. num.2. Conſpirant Pierius, Hieroglyph. lib. 53. ipſa ſtatim in prima fronte; Hieronymus Lauretus, Syluâ Allegoriarum, verbo, *Oleum*.

12\.

*Salomon idē ac Pacificus.*

Pineda.

De Lyra. Toſtat. Serrar. Sanct. Torniell. Salian.

1\. Paralip. 22.9.

Pineda.

Iſa.9.6.

Thom. de Villanoua.

Aduerto inſuper Salomonis vocabulum à dictione שָׁלֵם *Schalam*, quod ſub pace eſſe denotat, *Pacificum* caſtigatiſſimâ tranſlatione verti, quam fuiſſe vocis primariam ſignificationem à priſcis ſemper æſtimatum Doctoribus, Pineda demonſtrat lib.1.de rebus Salomonis cap.16.§.4. num.10. Quorum inhæsêre veſtigiis Nicolaus de Lyra, Abulenſis, Serrarius, Sanctius ad verſ. 24. cap.12. Reg.2. Torniellus tom. 1. anno Mundi 2996.n.1. Salianus tom. 3. anno item Mundi 300. n.5. & ſuffragatur manifeſtè Biblica ſententia ex Paralip.1. c.22.verſ.9. *Filius, qui naſcetur tibi erit vir quietiſſimus: Faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis per circuitum, & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Iſraël cunctis diebus eius.* Denique commonendum Patres libentiſſimè quauis datâ anſâ hunc Salomonis de Pace titulum Chriſto accommodare: Probat copioſè Pineda loco iam iam allegato, iterúmque lib.6.de Salomone, cap.16.& 17. Quidni enim Salomon Chriſtus Ieſus, aut ſanè pluſquam Salomon, quem Pacificatorum apicem pulchro vocabulo Iſaias nominauit, *Principem Pacis* vocans? cap.9.verſ.6. Iniuriam lectori fecerim ſi B. Thomæ de Villanoua non tranſcribam verba, Concione 2.in die Natali Domini: *Noſter enim hic Salomon* (inquit) *vſque adeò Salomon eſt: vt non ſolùm Pacificus, ſed & ipſa Pax ſit. O verè magnum*

Salomonem



*Salomonem & Pacificum Regem, qui hominem Deo, hominem Angelo, hominem homini fœderauit, per Crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo, Deo debitam rependens delicti ſatisfactionem in proprio Sanguine: ipſe enim eſt Pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & populum populo in vnam fidem coadunauit, ſoluens parietem maceriæ medium, & in ſuo ſanguine faciens pacem, pacem his qui longè, pacem his qui propè.*

13\.

*A Salomone Sponſo dicta Sulamitis Sponſa. i. Pacifica.*

*Litera vnius mutatione Nomina corrupta.*

Seneca.

Petr.Faber.

Alexand. ab Alexand. Orgelitan.

Quando igitur Oleum Pacis Symbolum, & Sponſo, Salomonis nomen, qui vocabulo *Pax* deſignatur, ad hanc vtique appellationē Virgo alluſerit, *Oleum effuſum* dicens, proinde & hoc genus tituli ſibi communicatum: quidni & apertè quidem, quando Sulamitis nuncupata? nam à Pace huius etiam vocis origo; & à Salomone Salomoniam deriuatam monſtrauimus ex probatis teſtibus Parte huiuſce operis 1. Anteloq. primo: numero 52. nec abnuo, quod eodem volumine ſuſtinui, antiquâ nomenclaturâ, dum in ſyluis ageret, & ſeruituti obnoxia fuiſſet, Sunamitem vocatam: & ferè Paronomaſia eſt inter vtramque dictionem, certè Literæ differentiâ, poſito ל *Lamed* pro נ *Nun*, ſignificatus toto cœlo Diameter, vt nemo imperitior cogitet hîc accidiſſe, quod Romano Meſſalæ, cùm propriè diceretur Meſſana, permutata eſt Litera: *Sanè & hanc ad rem pertineat* (inquit Annæus Seneca lib. de Breuitate vitæ, c.13.) *quod Valerius Coruinus primus Meſſanam vicit, & primus ex familia Valeriorum, vrbis captæ in ſe tranſlato nomine, Meſſana appellatus eſt: paulatimque vulgo permutante Literas, Meſſala dictus eſt*: Sed neque illud contigit, quod memorat Petrus Faber Semeſtrium lib.1. cap.14. apud Romanos vſu fuiſſe, vt alieno nomine per adoptandi gratiam, aliôve honoris modo, aſſumpto, idem ipſum nomen in adoptatum non tranſiret abſque inflexione aliqua, exempli causâ, in quem Octauij vox tranſmiſſa, Octauianus, non Octauius appellaretur: Quod enim non exhauriret integrè vocem, ſexus coëgit, cui Sulamith congrua dictio, non Salomon. Scio alios contendere, & Patronos exhibui priori tomo dicto nuper Anteloq. 1. n.51. Sulamitem inſignitam, vt quæ Solimitana eſſet: eiuſmodi fateor Etymo Hebræa non repugnare, ſi vocum ſola notitia in conſideratione exiſtat: Verùm Solymitana quorſum? num quia Metropoli progenita? Sed oſtendimus Libani radicibus in auras emiſſam: num quia vrbe donata, & Ciuis Hebræorum Emporij facta: at eiuſmodi Ciues non à ciuitate ipſa nomina mutuabantur, ſed ab aliquâ principe familiâ, vt docet Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib.4.c.10. denique hoc loco ex Patribus Iuſtus Orgelitanus, & aliqui alij à Sponſo promanaſſe nomen aſſerunt nempè ſicut ipſe Chriſtus dictus ſit, ita illa Chriſtiana vocata fuerit; quo nihil mage idoneum explanationi de Chriſto & Eccleſia.

14\.

*An nomen Ieſu hîc ſubinnuatur?*

Origen. Ambroſ.

Bernard. Philipp. Abb. Dionyſ. Carthuſ. Ioan.Picus. Philo. Carpath.

Iſa.9.6. Bernard. Rich. à S. Laurent. Suarez. Magallan.

Matth.1.23.

*Vt Ieſus appellatur Emmanuel, re nō ſono, ſic & hîc Salomonis & Pacifici nomine poteſt ſubintelligi.*

Maldonat.

Toſtat.

Serrarius.

Toſtat.

Coloſſ. 1.20

*Nominum Ieſu & Salomonis affinitas.*

Genebrard.

At hanc reiectabit quiſpiam opinionem eo titulo, quod neque ex Patribus, nec de Recentioribus Tutelarem aliquem nacta ſit: Duæ quidem celebres ſententiæ de Chriſti nominibus, quæ *oleo effuſo* repræſentantur quarum cùm nulla in eam quadret ſignificationem, quæ Salomonem, id eſt, Pacificum exprimit, non eſt quod Olei effuſi vocabulo denotari arbitremur: Siquidem Hiſtorialem ſenſum Humanum, ab eo qui de Chriſto eſt, vt non diſcrepet, oporteat. Prima, Seruatoris proprium nomen Ieſum ſubinnui credit. Dux Origenes hom.1.ex duabus: Ambroſius quanquàm ambiguè lib.1. de Spiritu ſancto, c.8. Bernardus manifeſtè ſermone 2.de Circumciſione Domini, & ſermone 15.& 16.in Cantica, Philippus Abbas libro 1. in Cantica, cap.9. Dionyſius Carthuſianus art. 3. Ioannes Picus ex eadem familia: Philo Carpathiorum Antiſtes ſubobſcurè loquitur: Neque præter hos offendi; vt mirer eſſe qui contendat communiorem eſſe hanc cogitationem Alterâ eâ, de qua proximiori Numero ex ſecuturis. Reſpondere valeamus eo ipſo, quod interpretati fuerint de nomine Ieſu, explicaſſe in virtute & cum æquiualentia de nomine Salomonis ſeu Pacifici: Quippè in nomine Ieſu includuntur ea vocabula, quibus appellandum Meſſiam præuaticinauit Iſaias capite 9.verſ.6.inter quæ *Princeps Pacis*. Ita Bern. ſermone 2.de Circumciſione, &c. Richardus à Sancto Laurentio libro 1. de laudibus B. Mariæ, capitulo tertio: Suarez tom. 2. in 3.Partem, diſputatione 15. ſectione 2. §. *Tertiam rationem*, &c. Magallañez dedicatione Commentariorum in Ioſuë. Perſuadet venuſto exemplo Suarius: quippe Matth. cap.1. verſ.21. Angelus Ioſephum præmonet de naſcituri pueri proprio & genuino vocabulo: *Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum*: Statímque ſubnectit: *Hoc autem totum factum eſt vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum Deus*: At quomodo vocandus Emmanuel, qui potiùs Ieſus dictus: Scilicet Emmanuel quidem re, licèt non ſono appellandus, eò quod ſignificatum per Emmanuelis vocem Ieſu comprehenderetur nomine: idipſum Maldonatus ad verſ. 22. cap. 1. Matth. & eleganter mehercle: *Idem ergo* (inquit) *eſt Ieſus, & Emmanuel, non ſono, vt ait Tertullianus, ſed ſenſu: ecce enim Deum nobiſcum, quod Emmanuelis, eſt Deum ſeruatorem eſſe noſtrum, quod nomine Ieſu ſignificatur.* Abulenſis tom. 1. in Matth. quæſt.43. in cap.1. *Vocatur tamen Ieſus Emmanuel: quia ita eſt, quod in eo eſt verè Emmanuel.* Ad eum igitur modum dicimus & Salomonis vocabulum comprehendi Ieſu nomine: certè Ieſu nomen à ſalute dictum, vt vidimus paulò antea ex Matthæi verbis, & probat validè Serrarius tom. 1.in Ioſuë, quæſt. 1. in cap. 2. Atqui ad parem ſignificationem Salomonis vocabulum referre Toſtatus non abnuit: qui diſquirens cur ita, Pacificus nimirum, dictus fuerit, quæſt.26. in capite 12. lib.2. Regum: *Dicendum, quod Mater poſuit iſtud nomen filio: vno modo ad ſignificandam vitam eius, quia vita, pax, & Salus ad idem pertinent: Sed alius filius mortuus erat, & iſte erat victurus, ideò vocauit eum Pacificum, id eſt, in pace conſeruandum, & non moriturum ſicut præcedentem filium*: Denique & ipſam, quam nobis peperit Animæ medelam Ieſus per pacem adeptus eſt: *Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt*, ad Coloſſ. c.1. v.20. Et ipſa ſalus animæ quid aliud quàm pax? nam per gratiam iuſtificationis extinctâ diſcordiâ, Amici conſtituimur Dei, qui eramus ab eo longè, & filij iræ: mirificè ergo in nomen Ieſu quadrant, quæ de Salomonis & Pacifici vocabulo dici queāt: Quod ſi non Pacis vox preſsè ſumatur, ſed eum in morem, quo ex vſu Hebræorum ſæpenumerò ſignificat: tum erit inter nomen Ieſu & Salomonis tanta cognatio, quanta vix maior eſſe poſſit: Siquidem Pax phraſi Iudaicâ Authore Genebrardo in verſ.4.Pſalm.71. omne Boni & felicitatis genus includit.

Pineda.
Sanct.
Gabr. Aluar.

Agnoſcunt vocis latitudinem eandem Pineda lib.1.de Salomone, cap.16.§.4.num.10. Sanctius in cap.35. Iſaiæ num.31. Gabriel Aluarez in eiuſdem Prophetæ, cap.29. num.29. igitur Ieſu nomen omnium nominum laudes in ſe complectens ex Bernardo paulò anteà; Salomonis nomen, quia à Pacis voce deſumptum, eadem inuoluens:Ieſus inter multa genuinum & proprium vocabulum Redemptoris; Salomon, cùm appellatiua alia haberet, noſtri Sponſi propria appellatio: Ieſus nomen ſuum Eccleſiæ communicauit,cùm Militans Chriſtiana dicta: Beatos Ciues Ieſuanos ſeu Ieſuitas nuncupandos aſſerit Hugo Cardinalis in illud cap. 2. Apoc. *Et in calculo nomen nouum ſcriptum*, &c. poſſent & fideles nunc ſic dici omnes prout bene ſuggerit Serarius tom.1. in Ioſue quæſt.18.in cap.2. Sponſus noſter & ſui nominis participem Sponſam fecit: ita certè paſſim intueri eſt, quemadmodum huius Epithalamij Nubentes Chriſtum & Eccleſiam ad viuum delineent.

Hugo.
Apocal.2.
Serar.

15.
Oleum effuſum *nomen Chriſti literatè indicat.*

Et quanquàm noſtræ Cynoſuræ ea potiſſimùm apta ſit Opinio,quæ de *Ieſu* nomine, Oleum effuſum explanat, vti ex nupere recenſitis facilè iudicaturus ſit lector, veritas tamen affectibus præponenda: Quamobrem quidem affirmamus Alteram ſententiam, de qua polliciti ſumus dicere, & ad *Chriſti* vocabulum refert, planè firmiorem eſſe: Nam & literæ inhæret ſua ſponte, & Agonothetas ſortita eſt, numero multò plures, authoritate nec ſecundos: Statuamus indubitatum eſſe nomen ab vnctione ductum: nam Græcis χρισὸς, Hebræis מָשִׁיחַ *Maſchiach*, vt nos efferimus Meſſias: idem illa duo, Ioan. c.1. verſ.41. *Inuenimus Meſſiam (quod interpretatum eſt Chriſtus)* vtrúmque à Chriſmate, ſiue ab vnctione: rectè Anſelmus in cap.1.Matth. *Ieſus Hebraicum eſt, & dicitur Græcè* σωτήρ, *latinè Saluator: Ieſus fuit ei proprium nomen ſicut nunciatum eſt ab Angelo, Chriſtus verò nomen Officij: Chriſtus enim ſignificat eum vnctum fuiſſe in Regem & Sacerdotem*: & paucis interiectis ſubaddit: *ſciendum quod idem eſt Meſchiah apud Hebræos, quod Chriſtus apud Græcos, vnctus apud nos:* Fuit perpetua doctrina Patrum: Tertull. Apologet. cap.3. & libro de Baptiſmo: Auguſt.enarrat.2.in Pſalm.26.ad titulum eius Odæ: Gregorius Niſſenus de perfecta Chriſtiani forma propè initium: Chryſoſtomus in Pſalm.24.ad illud: *Impinguaſti in oleo caput meum*, &c. Hieronymus ad Principiam in illud Pſalmi 44. *vnxit te Deus, Deus tuus*, &c. & lib.4. in Ezechielem ad illud c.16. *facta eſt*, &c. Baſilius Magnus, hom.1. de laudibus ieiunij: Albinus Flaccus,libro de diuinis Officiis, titulo de cœna Domini: Rupertus Abbas, lib.5. de diuinis Officiis, cap.16. Beda, lib.1. in Marcum, cap.3. Gloſſa Ordin. in verſ.1. c.1. Matth. in idémque caput Toſtatus ſtatim introitu Commentariorum: & tom.6. in Matth. q.39. in cap.24. Si igitur Chriſtus vnctus, & à Chriſmate, quod Oleum eſt, nomen illi,cur non de hoc nomine literatiſſimè ſanè *Oleum effuſum* conſtruamus? quare ſic intellexerunt quidem in hoc Epithalamium ſcribentes, nec referam dubios aliquomodo Authores; Gregorius Romanus, Aponius, Iuſtus Orgelitanus,Beda, Iſidorus Hiſpalenſis, Sanctus Thomas, Philippus Abbas cap.10.lib.1.in Cantica,Strabus,Matthæus Cantacuzenus Petrus de Alliaco, Thomas Ciſtercienſis, Ioannes Picus Carthuſianus, Iacobus de Luſanna antiquus ſcriptor ex ordine Prædicatorum; datâque opportunitate alij,quales Cyrillus Alexandrinus lib.4. de adorat. in ſpiritu & veritate poſt medium: Chryſoſtomus tom.2.hom.14. in Marcum: Petrus Damianus ſerm.67.Innocentius Papa tertius ſerm.2. in Natiuitate Domini; Richardus à Sancto Laurentio lib.9. de laudibus Mariæ; titulo *Maria Phiſon*, & Euſebius lib.4. de Demonſtrat.cap.26.

Ioann.1.41.
Anſelm.
Tertull.
Auguſtin.
Niſſen.
Chryſoſt.
Hieronym.
Baſil.
Albinus.
Rupert. Abb.
Beda.
Toſtat.
Gregor.
Aponius.
Iuſt.Orgelit.
Iſidor.
S.Thom.
Phil.Abb.
Strab.
Cantacuz.
P.de Alliac.
&c.
Cyrill. Alex.
Chryſoſt.
Damian.
Innocent i Papa.
Rich. à S. Laur.
Euſebius.

16.
*Sponſum Regem eſſe inſinuat Sponſa.*

Quamobrem iuxtà hoc interpretamentum, Sponſum ſe habere, qui regiâ fulgeat dignitate Sponſa inſinuat; idem námque ex Biblica phraſi, Chriſtum ſiue vnctum nominari, ac Regem dici: vnde Iudicum, c.9. verſ.8. *Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe regem* 1. Regum, c.12.verſ.3. *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius*, id eſt, ante Saulem: Pagnini tranſlatio, *& coram vncto eius*: c.26. verſ.23.Et *nolui extendere manum meam in Chriſtum Domini*, id eſt, in Saulem: lege Pinedam lib.5. de Salomone c.4. ad verſ.8. Pſal.2.44. numero 8.Nos contenti erimus Lactantij Firmiani verbis, quæ eò lubentius producemus, quod plenam Chriſti vocabulo lucem allatura arbitremur: quarto igitur diuinarum Inſtitut. cap.17. *Nam Chriſtus non proprium Nomen eſt,ſed nuncupatio poteſtatis, & regni: ſic enim Iudæi Reges ſuos appellabant: ſed exponenda eſt huius nominis ratio propter ignorantiã eorum, qui eum immutatâ literâ Chreſtum ſolent dicere: erat Iudæis antè præceptum vt ſacrum conficerent vnguentum,quo perungi poſſent ij, qui vocabantur ad ſacerdotium, vel ad regnum: & ſicut nunc Romanis indumentum Purpuræ, inſigne eſt regiæ dignitatis aſſumptæ: Sic illis vnctio Sacri vnguenti, nomen, ac poteſtatem regiam conferebat: Verùm quoniam Græci veteres* χρίεσθαι *dicebant vngi.quod nunc* ἀλείφεσθαι, *ſicut indicat Homeri verſus ille:*

Τὲς δ᾽ ἐπὶ ἐν δμῶαι λῶσαν ϰαὶ χρῖσαν ἐλαίῳ.

*Ob hanc rationem nos eum Chriſtum nuncupamus, id eſt vnctum, qui Hebraicè Meſſias dicitur.* Et meritò vnctus Sponſus Epithalamij huius,vt qui expreſsè Rex nominetur, capite hoc 1. v.11. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo*, &c. fortaſsè & iterum, cap.3. verſ.9.*Ferculum fecit ſibi Rex Salomon*, &c. verſ.10. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem*, &c.de quo & Imperatoriâ eminuiſſe gloriâ,oſtendimus voluminis primi Anteloquio 5. ſect.6.

Iudic.9.8.
1.Reg.12. 3.
Pagnin.
Pineda.
*Chriſtus ſiue vnctus idem ac Rex in Biblijs.*
Lactant.
Homer. Odiſſ.6.
Cant.1.11. Et c.3. verſ. 9.10.

17.
*Quia Rex Sponſus, & Sponſa Regina, & inde primaria vxor.*

Verùm ex huius nominis Communione, quâ nimirum Regina nuncupata eſt Sponſa, quo pacto euincat ſe primariam æſtimandam vxorem? optimè ædepol:nam cùm apud Iudæos,quibus licentia Polygamiæ, duæ eſſent vxorum claſſes: ex his quæ primariæ nuncupabantur, eædem vocabantur,liberæ,ingenuæ,Matres familiæ, Reginæ: Secundariæ comprehenſæ nominibus Concubinarum,ancillarúmque;eum in modum huius Hymenæi verſ.7.c.6.*ſexaginta ſunt reginæ, & octoginta Concubinæ*,&c.declarant Genebrardus,Legionenſis, Cyprianus de la Huelga, Sotomaior,Delrius, Giſlerius, Nigidius, Sanchez, & acriores omnes Commentarij: docet & ad Regum 3.c.10.n.5.ex profeſſo noſter Sanctius:ſi igitur Regina Sponſa, & de ſupremo Poteſtatis vocabulo communicãs, idque Nominis Sponſi,quo Rex dicebatur, effuſio deſignat: rectè hinc infert etiam vxorem primariam appellandam: proinde non eſſe mirum, quod oſculum oris flagitare auſa ſit, hoc eſt inter primarias numerari Coniuges,quando Principis beneficio Regina facta ſit: nam in eam vncti, quod Regis eſt, nomen effuſum eſt: de quo ſanè Adoleſcentulæ plurimùm lætatæ, cùm ab exemplo Sponſæ conceperint ſpem, fore poſſe vt ipſis ſimilis contingat felicitas: & pediſſequali exuto famulitio in Reginas primariáſque Toparcharũ

Cant.6.7.
Genebrard.
Legionenſ.
De la Huelga.
Sotomaior.
Delrius.
Giſlerius.
Nigidius.
Sanchez.





*Quare Sponſa Cantici non dicitur Regina, cùm verè ſit?*

vxores euehantur. At quare ſi Regina, Sponſa Canticorum, non tali aſſiciatur vocabulo, quæ ſanè nunquàm ita nuncupata eſt?Reſpondeo Reginæ nomen Maieſtatem reſonare: eſt verò iſtud Amoris Carmen cui Maieſtas inuiſa: Sic in altero Hymenæo, quem paris argumenti cum hoc multos putaſſe, priori demonſtrauimus tomo, Anteloq.1. num.73.Nupta,filia plerumque dicitur: vbi Genebrardus ad verſ.16. *Vocat filiam ad indicandam ſummum erga Eccleſiam ardorem:Sic viri vxores,quas tenerrimè amant, filias vocant.* Et quidem hymno Dauidico illo, qui 44. ſemel tantùm Reginæ nomen de Sponſa obauditum v.12. *Adſtitit Regina à dextris tuis*,&c. Semel,inquam,manifeſta & patenti dictione: nam iterum ex idiotiſmo Hebræo agnoſcunt Genebrardus,Lorinus, Agellius,cùm dicitur verſ.16. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus*, &c. *Filiam porrò Regis* (ait Agellius)*appellat Eccleſiam Reginam eo loquendi modo,quo filij Sapientiæ ipſi ſapientes vocantur: & filia virtutis, id eſt,prudens, & ſtrenua mulier*: talem in modum nominatur c.7.huius Metri, verſ.1. Sponſa, Filia Principis hoc eſt Regina & Vxor Dynaſtæ: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* Vel certè ideò filia, quæ Regina & coniux, quoniam per Matrimonium tranſit Puella quaſi in viri familiam omninò, adeò in poſterum hoc ipſo Pſalmo iubetur verſ. 11. *Obliuiſci Patris domum*: Probat eum ad verſum Pineda lib.5. de Salomone cap.4.Sanchez in cap.4.Cantic.num.67. & in cap.3.Ieremiæ,num.15.diximus nos aliquid tomo noſtro 1.Anteloq.5.num.115. videri etiam queat non ſine fructu aliquo Briſſonius libello de ritu nuptiali.

Genebrard.
Pſal.44.12.
Genebrard.
Lorinus.
Agellius.
*Cur Sponſa dicitur filia Principis?*
Cantic.7.1.
Pineda.
Sanchez.
Briſſon.

18.
*Duo Sponſi nomina:Salomon, & vnctus ſiue Rex.*

Ergo Sponſi duplex vocabulum: alterum germanum & proprium, quo in Circumciſione Salomon nominatus eſt: alterum commune & appellatiuum, ſed ipſi ob raras dotes ſpeciatim applicatum,ſeu à vulgo toto, ſiue à Sponſæ pediſſequarum numeroſâ cohorte; *Vnctum* namque & *Regem* per excellentiam quandam appellarunt: obſeruauit noſter Sanctius in cap.24. Iobi, n.26. ex Hebræorum id fuiſſe vſu,vt ſi quem intuerentur de nobilitate præſertim raris affulgentem ſeu corporis, ſeu Animæ inſignibus, ei nomen affigerent, quo ſignificaretur illud, in quo emineret: Secundum hæc putat Suſannam,Danielis 14. ſic vocatam à populo ob egregiam formam: שׁוֹשַׁנָּה *Schoſchannah*, à qua dictione Suſanna *Lilium* denotat, vt velut inter ſpecioſas plantas Lilia excellunt, ſic illa inter pulchras ſplenderet gratioſior. Apud Romanos inualuerat idipſum: Tacitus lib.1.capite 9. in fine loquens de Germanici filio: *Iam infans in Caſtris genitus, in contubernio legionum educatus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi ſtudia, eo tegmine pedum induebatur.* Ad ſcopum propius illud, quod de Alexandro Seuero memorat Lampridius: *Tamen ob ingentem vigorem animi, & mirandam, ſingularémque conſtantiam contra militum inſolentiam, Seueri nomen à militibus eidem inditum eſt: Quod illi ingentem in præſenti reuerentiam, magnam apud poſteros gloriam peperit, cùm eò acceſſiſſet, vt de Animi virtute nomen acceperit.* Sponſi igitur liberalitatem demiratæ ſummam, Adoleſcentulæ: nam cumulatiſſimè donis auxerat nuptialibus vt vidimus ſub huius fronte ſectionis, Regem appellarunt Munificentiæ; id enim *Olei effuſi* vocabulis præſignificatur.

Sanchez.
*Hebræi vt & Romani ab eminentiâ ſiue corporis ſiue Animi, nomina imponebant.*
*Suſanna.j. Lilium, dicta ob pulchritudinem.*
Tacitus.
Lampridius.



*Tres eiuſdem verſus Explanationes aliæ: Clementia Principatus nota, Regum dos vnica: Halmah vocis quæ directa ſignificatio? Iſaiæ celebris Vaticinatio de Virgine Matre: conſuetudo Hebræorum, aliorúmque Orientalium, ſeparatas ædium partes virorum fœminarúmque habitationibus conſtruentium; variæ Biblicæ ſententiæ in teſtimonium; ex Prouerbiorum libro inſignioris difficultatis enodatio; Oliuæ de folijs coronæ triumphantium: geſtati manibus rami: Scenopegiæ feſtiuitas: Eſdræ, Leuitico, Pſalm.117. data claritas: celeuma quidnam? Hoſanna Latina interpretatio: Coronis triumphantium nomina, & Victoriæ occaſio effigiata: Exodi & Siracidis particularis intellectio: Heros modeſta famulorum increpatio laudat.*

## Sectio II.

19.
*Oleum Clementiæ Symbolum. Inde ex Olea Deorum ſtatuæ.*

OLeum manſuetudinis, & clementiæ notiſſimum Symbolum: quidni? cùm & vndis inſperſum, tumentes iras procelloſi æquoris ſedare creditum ſit authore Rhodiginio libro 25. antiquarum lectionum, cap. 16. idcirco & fabricatas eo ex ligno Deorum ſtatuas refert Valerianus libro 53. Hieroglyphicorum, quòd Numina maximè decêre lenitatem putaret etiam lippa gentilitas: certè nihil ita Monarcham probat: quod ſimul ac demonſtrauerimus, perſuadebimus facilè propterea ſingulariſſimè nominatum Sponſum, Vnctum, ſiue Regem à famulabus Sponſæ: Polybius libro 4. *Tantùm manſuetudo, atque benignitas Principum poteſt, vt non ſolùm cùm ſunt præſentes, verùm etiam maximo interuallo diſiuncti, quoſdam quaſi fomites Amoris, & beneuolentiæ erga ſe in pectoribus hominum relinquunt*: Themiſtius oratione 5. pendens cur Lycurgus ab Apollinis oraculo Deus vocatus ſit: *Quæ cùm ita ſint, quid in Lycurgo tandem animaduerti cuius gratiâ Deum potiùs, quàm hominem appellandum cenſuerim? Facilitatem nimirum, iuſtitiam, atque pietatem; harúmque Principem omnium Humanitatem: cuius vnius beneficio Reges ad Dei ſimilitudinem accedunt.* Plutarchus in Agi & Cleomene, de poſteriori loquutus: *Siquidem, cùm alios Reges Græci adirent, non ita opes, & luxum eorum ſtupebant, vt execrabantur ſuperbiam, & faſtum, tumidè & aſperè cum appellantibus ipſos agentium: Cleomenem cùm adirent, qui Rex & verè erat & dicebatur: neque Purpuras circa eum, neque lænas, neque lectorum conſpicerent, vel lecticarum inſtrumentum: neque per nuntiorum, & ianitorum gregem, vel libellos grauatim, & cum difficultate reſpondentem: verùm, illum ipſum pallio amictum plebeio ad ſalutationes occurrentem, colloquentémque, & vacantem exporrecto vultu, humanôque adeuntibus: his artibus capiebantur, & ducebantur; ſolúmque illum ab Hercule prædicabant ortum:* Longùm eſſet ex Senecæ de clementia libris excerpere, ſatis vna gnome ex lib.1.c.3. *Nullum tamen Clementia ex omnibus magis, quàm Regem, aut principem decet:* Claudianus ad Honorium in 4.eius Conſulatu:

*Sis pius imprimis:nam cùm vincamur in omni*
*Munere, ſola Deos æquat Clementia nobis.*

Rhodigin.
Pierius.
*Regia Principum virtus Clementia.*
Polybius.
Themiſtius.
Plutarch.
Senec.
Claudian.

Dio.

Dio de Nerua Traiano: *Tum in honorem eius multa Senatus decreuit, atque illud imprimis, vt Optimus appellaretur: Niſibi & Ecbatanes mox potitus, Parthicus appellatur: Nihil tamen eum magis quàm cognomen Optimi iuuit, vtpotè moribus & manſuetudini conueniens: nam reliqua bellis, & armis faciliùs attribuas.*

20. Philo. *Principes immites, hoſtes habentur.*

Iam ex Hebræorum Schola Philo diſertiſſimus Scriptor lib. de Principis Creatione: *Sunt enim Principes, (vt verum fatear,) publici Parentes Ciuitatum & gentium, quotquot boni ſunt, nec cedunt pietati Naturalium: Contra, qui in ſubditorum detrimentum, abutuntur potentiâ, nequaquam Principes, ſed hoſtes appellandi ſunt:* Verùm in ipſo eo, qui Regum Rex eſt, & à quo omnis Dominationis bona norma, quid excellentius eius lenitate, conniuentiâ, manſuetudine? Tertullianus de Patientia: *Cùm de Domino ſit Magiſter, non contendit, non reclamauit, nec quiſquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quaſſatam non fregit, linum fumigans non reſtinxit: nec enim mentitus fuerat Propheta, imò ipſius Dei conteſtatio, Spiritum ſuum in filio cum tota patientia collocantis.* Cyprianus de Bono Patientiæ; *Qualis vero in Deo, & quantæ patientia, quod in contumeliam ſuæ maieſtatis & honoris ab hominibus inſtituta profana templa, & terrena figmenta, patientiſſimè ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen Solis oboriri: cúmque habeat in poteſtate vindictam, mauult diu tenere patientiam, ſuſtinens ſcilicet clementer, & differens:* Quamobrem & ex Apoſtolatu ſuo qui erant, Principes creans ſuper omnem terram, mites vti eſſent imprimis adhortatus eſt: quare Origenes tract. 12. in cap. 20. Matth. *Principes gentium non contenti tantùm regere ſuos ſubiectos, violenter eis dominari nituntur: inter vos autem, qui eſtis mei, non erunt hæc: ne fortè, qui videntur habere aliquem in Eccleſia principatum, dominentur fratribus proprijs; principatus eorum in dilectione ſubiectorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali.* Quare Hieronymus & placati, & immitis dominatus exempla proponens, ep. ad Theophilum contra errores Ioannis Hieroſolymitani: *Qui ſcorpionibus* (inquit) *cædit, & lumbis Patris habêre ſe putat digitos craſſiores, citò regnum manſueti Dauid diſſipat: certè Romanus populus, nè in Rege quidem ſuperbiam tulit: Dux ille Iſraëlitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium, cœlum, & terra, & maria ſeruiebant; inter cunctos homines quos tunc terra generauit, manſuetiſſimus prædicatur: & ideò per quadraginta annos obtinuit principatum: quia Poteſtatis ſuperbiam lenitate, & manſuetudine temperabat.*

Tertullian. *Deus ſummè clemens ſuos manſuetudinem docet.* Cyprian. Origenes. Hieronym.

21. Ambroſ. *Theodoſius Imp. clementiâ illuſtris.* Baſil.

Cæterùm & in Theodoſio Imperatore illuſtre exemplar: Ambroſius de eius obitu Oratione: *Si magnum eſt miſericordem aut fidelem quemcumque hominem inuenire, quanto magis Imperatorem, quem poteſtas ad vlciſcendum impellat? Quid præſtantius fide Imperatoris, quem non extollat potentia, ſuperbia non erigat, ſed pietas inclinet? beneficium ſe putabat accepiſſe auguſtæ memoriæ Theodoſius, cùm rogaretur ignoſcere: & tunc propior erat veniæ, cùm fuiſſet commotio maior iracundiæ: prærogatiua ignoſcendi erat, indignatum fuiſſe: & optabatur in eo, quod in alijs timebatur, vt iraſceretur.* Tritum iam illud eſt, quod de apibus, Hexameri octauâ homil. apud Baſilium: *Eſt enim & ipſe rex aculeo præditus ſpiculóque armatus: at nunquam irritatur ad vltionem, nunquam vtitur illo: leges quædam iſtæ profectò naturæ ſunt, inſtitutáque literis non mandata: tardos inquam, eos ad vindictam, pœnámque ſumendam eſſe oportêre, qui maximas obtinent poteſtates.* Matrum in dulcem affectionem procedere clementiam velit Bernardus ſerm. 23. in Cantica: *Audiant hoc Prælati* (inquit) *qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, vtilitati rarò: erudimini qui iudicatis terram: diſcite ſubditorum matres vos eſſe debêre, non Dominos: ſtudete magis amari, quàm metui:* Non omittam, quod à Nicolao de Lyra egregiè obſeruatum eſt, noluiſſe Saülem nouiter Monarcham, obtemperare vulgo ad cædem poſtulanti, eius qui detrectabant imperium: Sic igitur ad verſum 11. cap. 11. Reg. 1. *Saul hoc fieri impediuit, vt à clementia regnare inciperet, offenſas proprias remittendo: vnde dicit Seneca libro de Clementia: Nullum ex omnibus magis decet Principem, quàm clementia: magni enim Animi proprium eſt, placidum eſſe, tranquillúmque; offenſas & iniurias remittere: muliebre autem eſt litigare, & morem iræ ſuæ gerere.* Omnia hæc apud Toſtatum quoque ſub finē quæſtionis 9. in idem caput. Coronidis loco B. Thomæ de Villanoua effatum, Concione 1. de Aduentu Domini: *Et quid eſt eſſe Dominum temporalem? Numquid habêre multam familiam, equos phaleratos, domos & palatia, opulentam menſam, magnificas, & pretioſiſſimas veſtes, argenteis, & aureis vaſis fulgentem abacum, & pulcherrima aulæa periſtromata: inſuper & canum, & accipitrûm omne genus? non vtique ad hoc ſunt in populo: ſed vt ſint Patres, & Patroni ſubditorum, quibus præſunt.* Qui plura de Themate iſthoc ſcire aueat, legat erudtiſſimum opus Petri Fabri, Semeſtrium inquam volumen 2. cap. 2. & volum. 3. cap. 17. nos hæc paucula, quoniam ab eo prætermiſſa ferè omnia, in gratiam ſtudioſorum hîc inſerere operæ aliquod pretium duximus.

*Prælati ſubditorum Matres non Domini.* *Saül à clementia bene regnum auſpicatus.* De Lyra. Toſtat. Thom. de Villanoua. Petr. Faber.

Ergo, ſi Principatûs Nota, Clementia, ſi manſuetudo: rectè cum excellentia quadam Vnctum, hoc eſt Regem nominat, quod Olei ſubindicat emblemate: *Oleúmque* ſanè *effuſum*, id eſt Monarcham liberalem, beneficum: nam Clementiæ germana ſoror Largitas: vbi mitis ſpiritus, ibi & miſericors. At nonnè certè dulciſſimus Sponſus, cui vbera, eáque delibuta, vnguentis, in quibus omnis ſuauitas? vinum reſpuit quod auſterum eſt; lac præbet, quod nec edentuli horreant; talem delinearat verſu antecedenti, & in eorumdem confirmationem, modò *Oleum* vocat: quid Oleo tranquillius? Cùm igitur in eo præter Oleum & lac non aliud, & de rigore nihil: excuſat ſe Virgo ſi fortè vltra crepidas proſilierit, cùm oſculum oris deſiderauit, nimirum primaria dici vxor: ſcilicet Sponſi bonitas immenſa prouocauit, vt auderet. Ignoſce dimidium mentis noſtræ, ſi conatæ ſumus ſuprà fortunæ metam: non noſtra eſt omnis culpa: ſi minùs eſſeris clementes, officio continemur: aut parce, aut vnà & damna tuam ipſam lenitatem: vis noſſe, quàm abundat in te comitas? etiam *Adoleſcentulæ dilexerunt te:* ſolent equidem ſeruorum greges, de quibus & famulæ, quæ Adoleſcentulæ, Dominos metuere, non diligere: tibi quod rariſſimum eſt, contingit amari. Certè de hoc Sponſo rectiſſimè, quod de Stilicone ſeniore Claudianus:

22. *Rectè Spõſus, Oleum effuſum dictus, quia Rex, quia mitis, quia munificus.* *A bonitate Sponſi Sponſa audacior.* Claudian.

*Non odium terrore moues, nec fræna reſoluit*
*Gratia: diligimus pariter, paritérque timemus:*
*Ipſe metus te noſter amat.*

Dixit cum lepôre, ipſum etiam Metum diligere, cuius eſt tamen vereri atque timêre: quàm blandus & facilis, qui ne ipſi metui tremorem incutit? talis Sponſus: idcirco metuere ſolitæ Adoleſcentulæ dilexerunt illum: legit ſub initio ſermonis in Cantica 19. Bernardus: *Adoleſcentulæ dilexerunt*



*dilexerunt te nimis:* Legunt duo Richardi eodem more: alter, cui à Sancto Victore cognomentum, de gradibus charitatis parte 1. cap. 2. alter cui à Sancto Laurentio lib. 1. de laudibus B. Mariæ, capitulo 2. titulo, *Oleum:* lib. 2. particula 3. libro 7. ſub initio: titulo, *Maria cœlum:* noſtro comprimis idonea hæc lectio inſtituto: Nam quæ non conſueuêre aliquo pacto diligere Adoleſcentulæ: metuunt enim, vt dicebamus, ſeruitute oppreſſæ, non amant: Sponſum tamen & cum exceſſu, ſi modò in eo proſequendo exceſſus eſſe valeat, depereunt: id eſt, *nimiùm* dilexiſſe: Sed quoniam neque in Græcis, neque in Hebræis adiecta illa particula: & caſtigata omnis tranſlatio recuſat: valedicimus eidem & nos libenter; quibus, dum Hiſtoricam exploramus intelligentiam, Animus eſt, non niſi emuncta obtrudere.

Bernard. Richard. Victorin. & à S. Laurentio.

23. *עלמה ſignificat Puellam incorruptam, & à virorum aſpectu ſemotam.*

Antequam Verborum aliam diuerſam profeтam conſtructionem, ſuppoſuiſſe conueniens eſt: hoc loci in Hebræis Originalibus reperiri vocem עלמה *Hhalmah*, quam vertit Interpres *Adoleſcentulam*, ſignificat autem incorruptam Puellam, ſimúlque eam, quæ lateat, abſcondatur penetralibus, & virorum aſpectibus denegata ſit: Aduertêre in hunc verſum Commentario, Delrius, & Giſlerius: Notis ad Cantacuzenum, Vincentius Riccardus num. 19. noſtri Viegas in c. 12. Apoc. Comment. 3. ſectione 14. Gabriel Aluarez in cap. 7. Iſaiæ numero 74. Itaque duo importarit nomen, vtrumque his, quæ à nobis docebuntur, peropportunum: nempè, & illibatum Virginitatis florem, & cuſtoditum pariter à luminibus virorum: ita exceptis nuperè memoratis Doctoribus Maldonatus ad verſ. 23. cap. 1. Matthæi: Ianſenius Concordiæ cap. 7. ad finem: Oleaſter ad cap. 24. Geneſeos, verſ. 43. ibidem Bonfrerius, Pereira diſputatione 8. Gaſpar Sanctius in cap. 7. Iſaiæ numero 26. Leo Caſtrius ibidem ad verſ. 14. Suarius tom. 2. in 3. part. diſputatione 5. ſect. 2. §. *Duobus tamen modis.* Refragantur acerrimè Iudæi, ne pro Deiparæ integritate Iſaiam vaticinatum fuiſſe concipiamus capite relato 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet,* &c. vbi עלמה *hhalmah*, quod Puellam iam corruptam volunt innuere, ſed nullo Bibliorum fundamento: imò vocabulum, quod magni pendunt, & quo propriè Virginem denotari concedunt, nempè בתולה *Betulah*, pro ea, cuius libatus eſt flos, ſumi videatur, quemadmodum Ioëlis c. 1. v. 8. *Plange quaſi Virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ:* vbi in Hebræo eſt בתולה *Betulah*, quanquàm ſermo de nupta quidem, virum quæ deploret: notauit Leo Caſtrenſis ad verſ. 14. cap. 7. Iſaiæ: ibidem noſter Sanchez, num. 26. & quanquam in Ioëlis eum locum Ribera num. 23. ipſemet Sanchez num. 29. ſubſcribant ex tropo nonnunquam Virginem appellari eam quæ deflorata ſit, quia ex vſu Hebræorum nomen aliquando rebus adaptatur vel poſtquam illud amiſerunt, de quo Martinez lib. 9. Hypoth. Regula 11. Sed vel hoc pacto oſtendant, quando contingat עלמה *hhalmah* ſumi? Verùm quid immoramur, cùm pro nobis linguæ Sanctæ Clauis, Hieronymus: & in quæſtionibus Hebraicis: & in cap. 7. Iſaiæ v. 14. & lib. 1. contra Iouinianum poſt medium? *Quid eſt igitur* (ait) *quod ſignificat Alma? abſconditam Virginem: id eſt, non ſolùm Virginem, ſed cum* ἐπιτάσει *Virginem: quia non omnis Virgo abſcondita eſt, nec ab hominum fortuito ſeparata conſpectu: Denique & Rebecca in Geneſi ob nimiam caſtitatem, & Eccleſiæ typum, quem in ſua Virginitate ſignabat, Alma ſcribitur, non Bethula: in eo enim loco, in quo ait; Virgo, quæ egredietur, vt hauriat aquam; in Hebræo ſcriptum eſt Alma, id eſt, Virgo ſecreta, & nimiâ Parentum diligentiâ cuſtodita: aut certè oſtendant mihi, vbi hoc verbo appellentur & nuptæ: & imperitiam confitebor.*

Delrio. Giſlerius. Vincent. Riccard. Gab. Aluar. Maldonat. Ianſen. Oleaſter. Bonfrer. Pererius. Gaſ. Sanct. Leo Caſtr. Suarez. Iſai. 7. 14. *בתולה Virgo, etiam de corrupta dicitur.* Ioël 1. 8. Leo Caſtr. Sanchez. Ribera. Martinez. Hieronym.

24. *Apud Palæſtinos & Orientales ædes bipartitæ, vt ſua eſſet vna fœminis pueriſque teneris manſio, ſua viris altera.*

Priuſquàm diluero quæ his opponi queant: volo mihi lector concedat, Palæſtinis, & generatim Orientalibus in more, ſeparata ſtruere ædificia, ſic vt alia pars Tectorum Vxori, famulabus, pueris quoad teneri fuiſſent: alia Marito, gnatis maioribus, & maſculinæ omni turbæ. Vt clarè docet Vitruuius lib. 6. cap. 4. ſatíſque indicat Iulius Pollux lib. 10. cap. 28. Plutarchus in Themiſtocle, & in Pelopida, Statius 2. Achilleidos vbi de regia Lycomedis, & Vlyſſis canit aduentu: Ioſeph. Antiquitat. lib. 11. cap. 6. Nazianzenus oratione 10. in Cæſarij fratris obitum: Paulus Diaconus de geſtis Longobard. cap. 8. Hoc, quod Geneſ. cap. 24. verſ. 28. *Cucurrit itaque Puella & nunciauit in domum Matris ſuæ omnia, quæ audierat:* nimirum, quia habitabat cum genitrice diſtinctâ domo à paternis Laribus: & ſimile poſtea verſ. 67. *Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ:* Ita Nicolaus de Lyra, Thomas Anglicus, Abulenſis, Caietanus, Pereira, Delrio, à Lapide, Bonfrerius, Salianus tom. 1. anno Mundi 2178. num. 15. Hoc quod Eſtheris cap. 1. verſ. 9. Vaſthi diuiſo Palatij loco Sympoſium, at ſolis mulieribus obtulit: Putat noſter Sanchez num. 23. qui de fœminarum diuerſis ædibus, quibus gynæcei nomen in cap. 3. Tobiæ num. 20. de eodem Serarius quæſtiuncula octaua in cap. 2. Eſther: Delrius in floridis, lectione ſacra de timore Dei 34. Quare, quod & Regum 3. cap. 7. verſ. 8. Salomon domum quoque feciſſe perhibetur filiæ Pharaonis: non ſeparatam baſilicam, ſed regiarum ædium membrum, quod Regina ipſa per ſe occuparet, indicatum à Pineda lib. 5. de Salomone cap. 6. num. 1. Sanchez in cap. 7. Reg. 3. num. 1. Saliano tom. 3. anno Mundi 3030. num. 48. hoc illud de Pſalmo 44. verſ. 14. *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus:* Commendatur pudicæ vxoris ſilentium, in latere domus cum filiabus & ancillis habitantis: vt dicitur Pſalm. 127. verſ. 3. Eugubinus, Lorinus, Agellius, Pineda lib. 5. de Salomone cap. 4. Quin & ſi quando in publicum omnibus promiſcuè excundum fuiſſet, ſiue ſacrificiorum causâ, ſeu ob communem lætitiam: Separatos tamen virorum ordines, à mulierum, puerorúmque claſſibus ſecundum Iudæorum normam Baronius atteſtatur tom. 1. anno Dominico 33. num. 10. Sed cùm priuatis tectorum mœnibus non ſatis fiderent: loco intra Hieroſolymorum templum Virginibus deſtinato claudebantur vſque ad nubiles annos: Vt præter validiſſimi ædificij robuſtos aggeres & valla, pietas, quæ maior in adytis ſacris, frænaret licentiam omnem; quâ de Traditione locupletiſſima teſtium meſſis: numerabo ex Recentioribus, à quibus Patrum dicta mutuari lector poterit: Caniſ. lib. 1. de Deipara cap. 12. Baronius, tom. 1. Apparatus numero 50. Suarez tom. 2. in 3. part. diſputatione Præfatiuncula: Chriſtophorus de Caſtro, Hiſtoria Mariana, c. 3. num. 14. Delrius ſpeculi Mariani lectione 1. Serarius, Harmoniæ Machabæorum, tertiæ Partis prima particula: Sanctius in 2. Machab. cap. 3. num. 16. Mendoza, tom. 1. in 1. Regum ad v. 22. cap. 2. num. 27. Salianus tom. 3. anno Mundi 300. num. 10. Bullingerus Diatriba 3. in Cauſabonum ad cap. 25. Quæ tam longa & diuturna aſſeueratio

Vitruu. Iul. Pollux. Plutarch. Statius. Ioſeph. Nazianz. Paul. Diac. Gen. 24. 28. De Lyra. Thom. Angl. Toſtat. Caietan. Pererius. Delrio. A Lapide. Bonfrer. Salian. Eſther. 1. 3. Reg. 7. Pineda. Sanchez. Pſal. 44. 14. Eugubin. Lorin. Agell. Pineda. *Etiam cùm in publicum prodirent mulieres, à viris ſeparatæ incedebant.* Baron. *Domus Virginum in Templo.* Caniſ. Baron. Suarez. Chr. à Caſtr. Delrius. Serar. Sanctius. Mendoza. Salian. Bulling.

etſi rem ipſam ſic ſtabiliat, vt aleæ ſubiaceat nullo modo, tamen quod de Virginibus in omnium ore eſt, ex Scripturæ medullis probari ſatis cuperemus, alioquin traditioni fides tantùm ceſſerit: ac ſi quid ſtrenuum eſt, verba ſunt ex Machabæorum lib. 2. cap. 3. de Virginibus, quæ clauſtro emerſerant ob publicam turbationem: Sed quàm non prorſus faueat locus, docebit noſter Sanctius.

Machab. 3.
Sanct.

25\. *Et apud Afros & Græcos idẽ mos de mulierum à viris ſeiunctione.*

Cæterùm & ad Africanos, & ad Græcos penetrauit idem mos: Nam Punicâ ſanè linguâ, authore Hieronymo lib. 3. in Iſaiam, in illud c. 14. *Propterea dabit Dominus*, &c. *Propriè Virgo Alma dicitur, id eſt non ſolùm Puella, vel Virgo, ſed cum* ἐπιτάσει *Virgo abſcondita & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magnâ Parentum diligentiâ cuſtodita ſit:* Illud quoque ab Hebræis Africæ mulieres acceptum referant, quod in vicos & forum proditurae vultus obtegerent: *Apud Iudæos* (inquit Tertullianus de Corona militis c. 4.) *tam ſollenne eſt fœminis eorum velamen capitis; vt inde noſcantur:* Quem vſum cùm ſuo faſtidirent æuo patriæ fœminæ, rigidè in illas ſtomachatus eſt libro de velandis Virginibus, alteróque de habitu muliebri tractatu, priori ex duobus: *Iudicabunt* (ait) *nos Arabiæ Ethnicæ fœminæ quæ non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ ſint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem proſtituere:* Qua de Arabum modeſtia Hieronymus etiam & ad Euſtochium, & ad Demetriadem ſcribens de ſeruanda Virginitate. Sed & de hodiernis Africanis mulieribus, *Caput obuelare panniculo nigro ac ſubtili, atque nonnihil hirſuto, ſub quo viros aſpicientes, ipſæ videri nequeant*, Ioannes Leo teſtatur, Africæ deſcriptionis lib. 8. Græcorum verò ædes, de Architectura 6. libro, cap. 10. Vitruuius ita componit, vt aliam tribuat Matribus familiarum cum omni muliebri caterua partem, quam vocat γυναικεῖον: aliam Marito & viris miniſtrantibus, dictam ἀνδρεῖον: Præſtat didiciſſe pariter ab Æmilio Probo, Præfatione ad Pomponium Atticum: *Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius Materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur? Quod multò fit aliter in Græcia: nam neque in conuiuium adhibetur, niſi Propinquorum: neque ſedet niſi in interiore parte ædium, quæ γυναικωνῖτις appellatur: quo nemo accedit niſi propinqua cognatione coniunctus:* Singulare eſt illud, quod in Barbaræ Martyris clariſſimæ Actis ex Metaphraſto Surius recenſet tom. 6. de Dioſcoro eius genitore loquutus cap. 1. *Eam, cùm vt quæ eſſet vultu admodum formoſa, & pulchritudine eximia, vellet conſeruare integram, & nulla labe pollutam; & ideò nec ſineret quidem aſpici ab eis, qui foris erant: excelsâ turre conſtructâ, & domo in ea artificiosè ædificatâ: ibi Beatam collocauit:* Sed & Parentibus ſomnum demere ſtudium intemeratæ Virginalis pudicitiæ Siracides affirmat cap. 42. verſ. 9. *Filia Patris abſcondita eſt, vigilia, & ſolicitudo eius aufert ſomnum; ne fortè in adoleſcentia ſua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat: ne quando polluatur in Virginitate ſua, & in paternis ſuis grauida inueniatur.* Fuit & ſurgentis Eccleſiæ laudatiſſimus vſus, qui hodie viget apud ſeuerioris diſciplinæ homines, vt in templis, ſiue dum orarent, ſeu dum exciperent ab alto clamantem verbi præconem; ſeorſim à virorum tumultibus fœminæ ſua haberent loca interdicta ſexui non ſuo: habetur in Clemente Romano lib. 2. Apoſtolicarum conſtitutionum, capite 57. *Ordinatur* (ait) *vt vbi ſacri Conuentus fiant: locus ſit viris ſeorſim, & mulieribus ſeorſim:* Probat variâ authoritate Baronius eminentiſſimus Cardinalis tom. 1. anno Chriſti 57. num. 123. Mendoza tom. 1. in 1. Regum ad verſ. 17. cap. 1. Annotat. 19. ſect. 1. num. 9. & 10.

Hieronym.
Tertull.
Idem.
Hieronym.
Ioan. Leo.
Æmil. Prob.
Surius.
Eccli. 42. 9.
Clemens Roman.
Baron.
Mendoza.

26\. Ex his demùm promptum eſt ſentire, quàm fuerit arguta vox, quâ, Hebræorum linguâ ſignificentur Virgines, עַלְמָה *hhalmah*, cùm præter intactum puellarem florem, indicarit quoque, eaſdem ſummâ cum Parentum diligentiâ penetralibus, & interiori domo cuſtoditas. Sed negat incorruptam Virginem eâ dictione repræſentari Caietanus: profert ex Salomone verſ. 18. & 19. cap. 30. Prouerbiorum: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia:* Scilicet in Hebræo eſt בְּעַלְמָה *Behhalmah*, cuius interpretatio idonea, *in adoleſcentula* magis quàm in *Adoleſcentia*: atqui in Iuuencula, quæ non ſit corrupta operoſum non eſt, viri notaſſe ſemitam, quod tamen in deflorata arduum eſt: corruptam igitur vox potiùs ſignificarit. Sed fuit vnus Caietanus, qui contra omnium iudicium in eam abierit cogitationem vt Ianſenius aduertit: neque enim moror declaratos Aduerſarios Hebræorum Magiſtellos, quam potuit certè Rabbinis Prouinciam reliquiſſe: At conſideratis iis, quæ à nobis probata ſunt, impensâ nimirum cuſtoditas diligentiâ Iudæorum Virgines, vt portenti inſtar fuerit acceſſum viris patêre tot præpedientibus obſtaculis; rectè equidem à Salomone propoſitum, quando ſanè excellenter arduum ſit, aut Aquilæ curſum elapſo volatu diuinare, aut ſerpentium ſubtiles mæandros, aut nauis ſulcos in vaſto æquore: tamen ſummam afferre admirationem, cùm omnes munitiones domus, omnium vigilarent lumina pro ſeruanda incolumi Virgine: viciſſe nihilominus procorum ſagaces artes, & oſtium viro adapertum, qui violarit & corruperit: hoc ſubindicare viſus ad verſ. 23. c. 1. Matthæi Ioannes Maldonatus: apertè declarauit Sanctius in cap. 7. Iſaiæ num. 31.

Caietan.
Salmeron.
Prouerb. 30. 18.
*Caietani refellitur opinio de* עלמה.
*Declaratur quomodo difficilis via viri in Adoleſcentula.*
Maldonat.
Sanctius.

27\. Atque hæc, quæ modò diluta eſt obiectio, nitebatur *Alma* incorruptam Puellam non ſignificare: verùm nec eâdem comprehendi dictione eam, quæ ἀπόκρυφος & abſcondita eſt, vt loquitur Hieronymus traditionibus Hebraicis in Geneſim, ciuſdem Geneſeos cap. 24. atteſtatur: quippè illic verſ. 43. Rebecca Virgo cùm dicatur: *Ecce ſto iuxta fontem aquæ: & Virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit à me*, &c. in Hebræo eſt עַלְמָה *hhalmah*: Sed quis Rebeccam abſconditam Virginem probet, quæ ſepto muliebri exierit, cum Abrahæ ſeruo confabulata ſit, receperit ab eo donaria? Reſpondeo cum Thoma Anglico; *Sub tali circumſtantia hoc factum, vt nullum eſſet periculum:* Scilicet egreſſa eſt veſpere, quo tempore rara eſt frequentia virorum in agris, quando tum & ipſæ caulas ſuas petunt capellæ nocte ingruente, vt canit Latinus Vates, Ecloga 10. Egreſſæ ſimul cum ea Puellarum turmæ, nec metus ſub tantis teſtibus: vtrumque hoc ex verſ. 11. *Cúmque Camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ, veſpere, tempore quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam:* Et quanquam Textus non exprimit, non tamen admiſſa à Virgine munera, priuſquam noſſet Auunculi ſui Abrahæ famulum eſſe; tanquàm verò ab affine receperit, Thomas idẽ docet Anglicus, Abulenſis, & recentium plerique: Cæterùm in gynæceo verſatam, ad quod recurrit poſt allocutum Paranymphum, monſtrauimus num. 24. Quid autem eius verecundiâ præſtantius, quæ & ad conſpectum deſponſi Iſaac, vultum compeſcuit? verſ. 65. Oportet audiamus Tertullianum libro de velandis Virginibus: *Et deſponſatæ* (inquit) *fœminæ habent exemplum Rebeccæ, quæ cùm ad ſponſum ignotum adhuc ignota perduceretur, ſimul ipſum cognouit eſſe, quem de longinquo perſpexerat: non ſuſtinuit dexteræ colluctationem, vel oſculi congreſſionem, nec ſalutationis communicationem; ſed confeſſa quod ſenſerat, id eſt, Spiritu nuptam: negauit Virginem velata.*

Hieronym.
Gen. 24. 43.
*Num* עלמה *Rebecca, quæ ad hauriendam aquam foras egreſſa?*
Th. Angl.
Virgil.
Gen. 24. 11.
Th. Angl.
Toſtat.
Tertullian.



28\. Hæc à nobis fuſiùs conſiderata, vt, quid vox Hebræa, quid Adoleſcentularum nomen germanè ſignificaret, indicaremus: Connectamus modò Literæ ſenſum. Vnguento autem ſymbolicè præclarum rumorem ex arcani ſermonis norma intelligi hunc ad verſum confirmant Genebrardus, Cyprianus Ciſtercienſis, Sotomaior, nec repetam collecta ab illis: ſanè apud Eccleſiaſticum, c. 49. verſ. 1. *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.* Igitur de Sponſo fama ſic percrebruit, vt etiam ad eas Virgines, quibus virorum notitia ſedulò prohibetur, intrauerit: atque illæ cum omnem ament modeſtiam, quæ rubore ſuffunduntur ad leuem virorum recordationem, audientes tamen in hoc Sponſo cum eximia corporis pulchritudine, certare Mentis formam, rarúmque eſſe decoris vtriuſque vinculum; nihil eius clementia mitius, magnanimitate fortius, æquitate integrius: pium in ſuperos, religioſum in maiores, fidelem in ſocios, erga ſubditos parentem, Ciuium amorem, exterorum deſiderium; hæc inquam percipientes, vel illa tam munita caſtitas, tam verecunda, non potuit non flammam prodere, & ardorem manifeſtare; dilexerunt igitur, & nuptias optarunt ob Olei profectò effuſionem, ob famæ præclariſſimam auram; Si igitur hoc Virgines illæ nobiliſſimi generis, quæ ob Parentum diuitias, ob inſignes opes, gynæceo clauduntur, ad omnem inſtruuntur modeſtiam à teneris vnguiculis: Quis mihi ſuccenſeat, idipſum quod ambiam, cùm tamen ob Patrimonij anguſtias, nulla mihi ſimilis conceſſa Pædagogia: montium, ſyluarúmque laxitas ſchola fuit: poſt hædos abiuimus ſæpè, nunc per depreſſas valles, nunc per ſurgentia Cacumina: ſubſtituit gynæceo ruris innocentia: ſuppleuit Artis ingenium fortior morum rectrix, ipſa ſuâ ſponte in verecundiam procliuis indoles: denique, niſi fuiſſes *vnguentum effuſum*, neque nos, tenues quanquam & deſpectæ, amaremus te, ſicut nec Gynæcitides illæ. Igitur ab incluſarum Virginum exemplo excuſat ſe Sponſa, quod oſculum oris deſiderauerit, nuptias ſcilicet ipſis primis Epithalamij verbis concupiuerit.

*Vnguenti fragrantia bonæ famæ ſymbolum.*
Genebrard.
Cyprianus Ciſterc.
Sotomaior.
Eccli. 49. 1.
*Sponſus ob bonum ſuũ nomen ab Adoleſcentulis dilectus.*
*Excuſatio Sponſæ.*

29\. Poteſt & ſuperioribus illa ſubaddi explanationibus, vt quaſi Triumphator Oleâ coronandus ſit Sponſus, à Sponſa equidem, & ab Adoleſcentularum cateruis. At quamobrem? qua in pugna victor euaſit? quem proſtrauit, & deiecerit? Indicauimus præcedenti nonnunquam tomo Sponſum hunc poſt Connubiorum promiſſionem apud Libanum ſub arbore Malo; Hieroſolymam dein profectum, tum vt in publicam nuptiarum lucem, quæ Principi neceſſaria eſſet, magnificam diſponeret ſupellectilem; tum imprimis, vt affinium & cognatorum implacatos ſedaret animos, qui violenter eſſent laturi, quod poſthabitis Optimatum filiabus, patriiſque tot Virginibus, quæ cùm & corporis & animæ cultioris excellerent ornamentis, his ſuperadderent auitam lineam per duces & Magiſtratus traductam plurimos, abundarent præterea opibus, & poſſeſſiones numerarent multas, Virginem duxiſſet iis omnibus carentem ſubſidiis; vicit in hac pugna, quæ metuenda fuit, conſtantia boni Principis: Agebatur autem eo in certamine Adoleſcentularum etiam res, quanquam Sponſæ cederent præcipua lucra: Nam certè innuptæ illæ Virgines, quæ Sponſæ famulabantur, quemadmodum aliàs inſinuauimus, cùm exemplo illius ſpem conciperent, futuros alios Dynaſtas, qui ipſas nobilitate, & diuitiis licet impares, ad thalamum admitterent, primóſque Reginarum honores: (neque enim impoſſibile iudicabant, quod Sponſæ contigiſſe apertè intuebantur;) recreabantur autem maximè Victoriæ memoriâ de conſanguineis reportatâ: nam & hoc etiam contingere poſſe ſimilem in modum arbitrabantur, quamuis affinium multitudo aſpera intentarent, vt in fide perſiſteret Heros: itaque ſiue ob commodum ſuum; ſeu vt Sponſæ comblandiantur, ſpondent, reuerſo ex Hieroſolymis nouo Marito obuiam proceſſuras cum frondibus Oleaginis, de quibus & Coronam nectere inſtituant, quam Triumphatoris imponant vertici, quâ ouationem concelebrent.

*Poſt victoriã de cognatis reportatam, conſtantia Sponſi folijs oleaginis coronatur ab Adoleſcentulis.*

30\. Sed nunquid ex Oliua triumphale ſertum? non Lauro potiùs redimiti Victores, aut Palmâ? Etiam Olea adhibita præſertim Græcorum in Republica, nam Lauro detulerunt Romani: à quibus & Oleæ plurimum aduectum honorem; quod partem aliquam in triumphis indulſerint, Plinius exiſtimauit, lib. 15. cap. 4. *Oleæ* (inquit) *honorem Romana Maieſtas magnum præbuit, turmas equitum Idibus Iulijs ex ea coronando: item minoribus triumphis ouantes: Athenæ quoque Victores Oleâ coronant, Græci verò Oleaſtro Olympiæ.* Sanè & victoriæ ſymbolum, Oleam eſſe, & ex ea triumphantibus erecta quondam trophæa perhibent Rhodiginius, lib. 12. cap. 19. Pierius lib. 53. Verùm auguſtiores proferamus teſtes: equidem Plutarchus in Alcibiade ex Poëta Euripide:

*Ramis Oliuæ bis coronatus, bis &*
*Es voce Præconis celebratus palàm.*

Dedimus ſuperiùs num. 11. Tertullianum de Corona militis, cap. 12. aientem, *Oleâ militiam coronari:* Sidonius Apollinaris Epithalamio Polemij, & Araneolæ, nubentibus coronam ex Olea nectit, Carmine 15. ad finem:

*Amborum tum Diua comas viridantis Oliuæ*
*Pace ligat, nectit dextras, ac fœdera mandat.*

Et in eius Hymenæi Præfatione, Carmine 14. idem Sidonius de oleagina fronde:

*Proſper Connubio dies coruſcat,*
*Quem Clotho niueis benigna penſis,*
*Albus, quem picei lapillus Indi,*
*Quem Pacis, ſimul arbor & iuuentæ*
*Æternúmque virens Oliua ſignet.*

Iam & in Chriſtiana gratulatione Oliuæ quoque vſus: percipiamus ab Anaſtaſio Bibliothecario, quo pompæ vultu Carolus Magnus Francorum Rex in vrbem aduentans, receptus fuerit: is in vita Hadriani primi ſic eloquutus: *Et dum appropinquaſſet ferè vno milliario à Romana vrbe: direxit vniuerſos Scholæ militiæ vna cùm Patronis, ſimúlque Pueris, qui ad diſcendum litteras pergebant, deportantes omnes ramos palmarum, atque oliuarum: laudéſque omnes canentes cum acclamationum earum-*

*Apud Græcos, & interdum Romanos, Coronæ triumphales ex Olea, Victoriæ ſymbolo.*
Plinius.
Rhodigin.
Pierius.
Plutarch.
Euripid.
Tertullian.
Sidon. Apoll.
Idem.
Anaſtaſ. Biblioth.
*Caroli Magni pompoſus in Vrbem Romam ingreſſus.*

*dem laudum vocibus, ipſum Francorum ſuſceperunt Regem: obuiam illi eius Sanctitas dirigens venerandas Cruces, id eſt, ſigna, ſicut mos eſt ad Patritium, aut Exarcham ſuſcipiendum.*

31. Admonet nos hic progredientium ordo cum ramis Palmæ & Oliuarum, de Hebræorum ritu in publica lætitia, quotieſque Victoribus applauderent: huiuſmodi magnæ exultationis dies, qui Tabernaculorum dicebantur, alio nomine σκηνοπηγία à figendis nimirum tabernaculis: celebritas ſub exitum Autumni menſe ſeptimo, noſtro reſpondente Septembri, à quinto decimo die

*Feſtiua in Scenopegijs Oleagiaæ frondes.*

Menſis, Leuit. cap. 23. verſ. 34. cùm ergo tum in conuiuiis, & ludis ſeptem agerent dies, choreas ducentes, & manibus portabant, & tentoriis ſuſpendebant, ianuis, feneſtris, cùm aliorum lignorum frondes, tum in primis palmæ, oliuarúmque: perſuadet locus de Eſdræ 2. cap. 8. verſ. 15. (2. Eſdr. 8. 15.) *Egredimini in montem, & afferte frondes Oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt:* Nimirum ita ſcriptum Leuitici capite præfato 23. verſ. 40. Fateor ibi nullam de Oliuis memorationem expreſſam; ſed quod eo loci prætermiſſum, hîc ab Eſdra inſertum: ídque non raro contingere, vt quod vnus ſacer tacuerit ſcriptor, alter prodat, oſtendimus tom. 1. Anteloquio 3. num. 85. quanquam Leuitici verbis aſſignato verſu 40. nomine *ligni denſarum frondium*, licèt vagata Interpretatio Myrtum intelligat, comprehendi Oliuam Hugo exiſtimauit Cardinalis (Hugo Card.): ſed nodus tamen: quoniam Eſdræ ſermo frondes collectas ſignificat, non vt portarentur manibus, verùm ad fabricam Tabernaculorum: At fieri ita impoſſibile, cùm multitudini Tentoriorum, quæ propè infinita erat, omnes Palæſtinæ Syluæ non ſatis fœcunda materia, quæ paucis abſumerentur annis: quare, quod ex iis conflari ramis dicantur, de ornatu concipiendum, ſparſis huc illúcque frondibus, quæ tripudium indicarent: Sic manifeſtè Toſtatus quæſtione 28. in cap. 23. Leuitici: Lorinus in idem caput: Ribera de Templo, & ad illud ſpectantibus lib. 5. capite 13. Sanctius in cap. 8. lib. 2. Eſdræ numero 8. Azor. tom. 1. libro 6. cap. 38. (Toſtat. Lorin. Ribera. Sanct. Azor.) Quicquid tamen de hoc placito, cui multum repugnant Eſdræ verba, Nemo à me lectus, qui negarit, manibus geſtatas frondes: aſſerunt Petrus Comeſtor (P. Comeſt.) cap. 47. in librum Numerorum: omnes, quos infrà citauero, cùm de voce *Hoſanna* & Chriſti Hieroſolymitano triumpho, dixero: nuper allegati Sanchez, Ribera, Toſtatus, qui nominata quæſt. 28. affirmat ſaltationibus adminiculo fuiſſe ramos illos: ſubſcribit Cornelius ad verſ. 40. cap. 23. Leuitici: Barradas tom. 3. Harmoniæ Euangelicæ, lib. 7. cap. 6. (Cornel. Barrad. Ioſeph.) deſumpsére ex Ioſepho lib. 3. Antiq. cap. 10. Vbi φέροντας ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην, μυρσίνης, καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος πεποιημένην τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος: Quæ Sigiſmundus Gelenius (Gelenius.) vertit: *Manibus interim geſtantes ramos myrti, ſalicis, & palmæ, ex quibus mala Perſica dependeant:* Caſtigant eius tranſlationem Ribera vbi ſuprà: Bonfrerius (Ribera. Bonfrer.) ad verſ. 40. cap. 23. Leuitici, qua non immoror, quoniam nihil immutandum eo, quo nobis fauet, videlicet manibus portatos eiuſcemodi ramos.

32. At quid iuuat oſtendiſſe Tabernaculorum lætiſſimis diebus prægeſtatas Oleæ frondes? de triumphis inquiſitio eſt, num ſcilicet Victorialis Nota Oliua extiterit? Verùm hæc vt roboremus, propterea Scenopegicæ meminimus feſtiui-

*Scenopegia quando celebrata?*

tatis: nam & illa Ramorum eleuatio inter ſaltationes, & Muſica, & voces exultabundæ Triumphum referebant: huius namque feſtiuitatis inceptio vindemiâ peragratâ, collectíſque annuis frugibus menſe Tizri, qui ſeptimus, & in noſtrum, vt monui, Septembrem incidens: Quoniam igitur tum Ruris cultores quaſi reportaſſe Victoriam de Anni periculis, quæ fructibus Agrorum inſidiantur, videbantur, occaſione celebritatis Tabernaculorum, canebant Deo gratias per Epinicia, & hymnos Victoriales quales multi putant eſſe ex Dauidicis Pſalmum octauum, 80. & 83. qui idcirco *pro torcularibus* inſcribuntur.

*Quidam pro torcularibus inſcripti Pſalmi, quia poſt vindemiam pro gratijs canebantur.*

Sed concipiamus quid Theophylactus (Theophyl.) aſſerat capite 7. in Ioannem: ἡ ἑορτὴ ἦν εὐχαριστήριον ἐπὶ τῇ συγκομιδῇ τῶν καρπῶν κατὰ τὸν σεπτέμβριον παρὰ Ῥωμαίοις μῆνα. τότε γὰρ δὴ εὐχαριστοῦσι τῷ Κυρίῳ, ὡς πάντας τοὺς καρποὺς συγκομισάμενοι. διόπερ σκηνὰς ἤτοι καλύβας ἐπήγνυον, καὶ ὡς ἐν ἀγροῖς διάγοντες, ηὐφραίνοντο. ὅθεν καὶ ψαλμοὺς τινὰς Δαυιδικοὺς ἐπιγραφὴν ἔχοντας ὑπὲρ τῶν ληνῶν φασί τινες, εἰς ταύτην τὴν ἑορτὴν συντεθῆναι ὑπὸ τοῦ Δαυίδ. τότε γὰρ δὴ τοὺς ληνοὺς αὐτῶν ἐπλήρουν, τρυγῶντες δηλαδὴ καὶ ἐπὶ τούτοις εὐχαριστοῦντες καὶ ψαλμοῖς ἐχρῶντο, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πρὸς εὐχαριστίαν οἷός ἐστιν ὁ ὄγδοος ψαλμός, &c. *Quod celebrabant in gratiarum actionem, propter conuectas fruges menſe Septembri Romanorum: tunc enim gratias agebant Domino conuectis frugibus: quare etiam tabernacula fiebant, & velut in agris læti degebant: vnde Pſalmos quoſdam Dauidicos, quorum inſcriptio eſt, pro Torcularibus, aiunt nonnulli in huius feſti honorem compoſitos à Dauide: tunc enim Torcularia ſua implebant, & vuas premebant, & eo nomine gratias agebant, & Pſalmis atque alijs in gratiarum actionem vtebantur: talis eſt Pſalmus octauus,* &c. Celeuma cantaſſe Ieremias innuit cap. 25. verſ. 30. (*Celeuma quid?* Ierem. 25. 30.) *Celeuma quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ:* ibi Hugo Carenſis (Hugo Carenſ.): *Mos erat in Palæſtina quod Paterfamilias poſtquam collegerat totam vindemiam in cellarium ſuum, familiæ & omnibus vindemiatoribus ſuis faciebat magnum conuiuium, & poſt prandium de abundanti collectione frugum cantabant, & cantilenæ illæ dicebantur celeuma:* Quare idem Propheta cap. 48. verſ. 33. (Ierem. 48. 33.) *Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit:* Propriè nauticus clamor & ingens quidem, oſtendit Raderus (Rader.) ad Martialem lib. 3. Epigrammate 52. Eruditè Sauaro (Sauarus.) in epiſtolam 10. lib. 2. Sidonij Apollinaris, inde tranſlatus vſus ad vindemiam; ad bellum quoque vt obſeruat Delrius Adagio 719. Roa parte 2. Singularium lib. 4. capite 8. (Delrius. Roa. De Lyra.) Quare Nicolaus de Lyra in cap. 25. Ieremiæ: *Celeuma* (ait) *eſt cantus vindemiatorum in fine vindemiæ, quando habetur abundanter vinum: & in hoc deſignatur exultatio bellatorum in effuſione ſanguinis deuictorum & multitudine ſpoliorum:* id quod & Ieremiæ prædictio ſignificat cap. 51. verſ. 14. (Ierem. 51. 14.) nam de Hoſtili impetu: *Quoniam replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te celeuma cantabitur:* Cùm igitur & Victores celeuma intonarent, etiam victoriali ceciniſſe metro viſi, qui ſub vindemiæ exitum, in feſto Tabernaculorum, celeumate hilares conclamarent, Deôque gratias perſoluerent.

Quæ ſi inefficacia argumenta æſtimentur, robur adiiciet Chriſti ſuper aſellum equitantis Hieroſolymitana ouatio: Nam fuiſſe illam Victoriæ ſimilitudinem omnes conſentiunt Interpretes; ſerta, acclamationes proteſtantur: Maldonatus (Maldonat.) noſter ad verſ. 9. cap. 21. Matthæi. *Quod ergo turba clamat Hoſanna, perinde eſt, ac ſi dicat: viuat*



*Et in Triumpho Chriſti Ieroſolymitano Oliuarum rami,*

*viuat Rex: quod autem ramos præfert, conſuetudine gaudentium, ac Triumphantium videtur facere:* Qualis igitur hic cumque Ouationis apparatus, deſumptus eſt à Tabernaculorum lætitiâ: nam certè vtrobique palmarum frondes cum ramis olearum: de Scenopegia oſtendi num. 31. de Chriſti vectatione Oratio, qua frondes Dominicâ benedicuntur in Palmis, Ordo Eccleſiaſtici officij Romani, Bibliotheca veterum Patrum, Guilielmus Durantus Rationali diuinorum officiorum lib. 6. cap. 67. num. 9. Ianſenius Concordiæ c. 110. in illud *Abierunt autem*, &c. Salmeron tom. 6. tract. 47. Lucas Brugenſis ad verſ. 9. cap. 21. Matthæi (Offic. Eccl. Biblioth. Patr. Durandus. Ianſen. Salmeron. Luc. Brugenſ.): vtrobique etiam הוֹשִׁיעָה־נָּא *Hoſchiahh-nà:* vel contractiùs prout ab Euangeliſtis immutatâ ſignificatione הוֹשַׁעְנָא *Hoſannà:* cuius verbi genuina interpretatio prodita à Hieronymo ſcribente ad Damaſum epiſtola 145. (Hieronym. *Quid Hoſanna?*) *Obſecro ſaluum fac:* ac ſi benè precetur nouo Regi plebs: *Viuat Rex: ſaluum cum fac Domine, proſpera illum:* ac tale illud, vt à quibuſdam animaduerſum, quale apud Græcos, vel Romanos: *Io Pæan; Io triumphe,* quibus vocibus ſalutabatur Triumphans: Sed parem in modum conclamatum *Hoſanna* in feſto Tabernaculorum præter nuncupatos modò tres Doctores, Ianſenium, Salmeronem, Brugenſem Lucam, docent Mariana in cap. 21. Matthæi; ibidem Claudius Guilliaudus: Angelus Caninius (Mariana. Claudius Guilliaudus. Angelus Caninius. Arias Mont.) licet aliter exponens vocem *Hoſanna*, de locis Hebraicis cap. 4. Arias Montanus in cap. Marci 11. in illud: *Multi veſtimenta*, &c. cuius ſententia: *Cerimonia erat eorum, qui Regem aliquem ſuſciperent. Ramorum ſtramen publicam lætitiam, & feſtum diem ſignificabat more antiquo: nam per dies expiationum, & Tabernaculorum feſto, ſinguli ramos myrti, ſalicis, palmæque cum citro geſtabant, ſalutis Authorem Deum huiuſmodi voce Hoſiagna appellantes, vt eſt in lib. Miſnaioth, & Aruch,* &c.

34. Si tamen non adeò ſpecioſus hic Triumphantis geſtus, cerne Chriſti reſurgentis incomparandum honorem: ibi plena ſpolia; ſed ibi quoque à Tabernaculorum plauſibus tranſlata cum læto ornatu ſimul encomia: certè tantæ dicatus Victoriæ nobiliſſimus Pſalmus 117. ex trita veterum, Iuniorúmque explanatione, cuius verſum 24. in gratiam Anaſtaſis crebrò ingeminat Mater Eccleſia: *Hæc eſt dies, quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea:* Quid verò continuò ſubnectit Vates? *O Domine ſaluum me fac, ô Domine benè proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini:* Ecce habemus *Hoſanna*, quod *ſaluum fac obſecro; proſperare:* interpretati ſumus numero antecedenti; & Hebræam vocem recognoſcunt Pſalmorum enodatores, & qui de triumpho Saluatoris Hieroſolymitano in Euangeliis diffuſiùs tractant: At deſunt frondes; Coronæ & ſerta requiruntur, quibus aut Ouantis cingantur tempora, aut comitantium, quæ & in manibus portentur: verùm citò Propheta verſ. 27. (Ibid.) *Conſtituite diem ſollennem in condenſis vſque ad cornu altaris:* hoc eſt, viridantibus ramis ſic contegantur ſacra, prophana, vt ſylua condenſa intuëntibus appareat, ita ex doctioribus ſcholia non pauca, quæ adiuuat Paraphraſtes, inquiens: *Colligite ſub diem feſtum ramos, & templum ornate vſque ad cornu altaris:* Et quanquam ad Euangelia plerique referant, quæ etiam nobis princeps cogitatio: tamen quod etiam Genebrardus (Genebrard.) monet conſiderandum: *Alluditur* (ait) *ad feſtum Scenopegiæ, ſiue Tabernaculorum, in quo etiam Iudæi Hoſanna canebant.* Folengius (Folengius.) in verſ. 24. *O Domine ſaluum me fac,* &c. *Neque eſt, quod nos moueat Euangeliſtas parùm ſecùs atque habeat Pſalmus, citaſſe litteram: ea quippè memorant quæ tunc in vſu erant in ore populi, qui ex Patrum ritu conſueuerat in die octaua feſti Tabernaculorum, in qua de more ramos, frondiúmque faſciculos geſtare iuſſus per vrbem, ita precabatur: propter te Deus Deorum ſalua nos: propter te Domine Dominorum ſalua nos,* &c.

*In Reſurrectionis Chriſti glorioſa Ouatione, Hoſanna cātatum, & de lætis arborum ramis ſerta, & Coronæ, ex Propheta Pſalmographo.* Pſalm. 117.

35. His ſatis compertum vt ſuſpicor, fuiſſe triumphalis lætitiæ indicem apud Iudæos Oleam: vera fuerint iſta, & eſto, concedamus inſuper Oleo non tantum ſignificari pinguedinem, extendi ad lignum quoque, vti Myrrhæ & Thuris vocabulo indicatur non modò gutta, ſed arbor etiam: coronetur planè Oleâ Sponſus ob ſuperatas Affinium, & cognatorum minas: quid tamen portendat, quòd Olea hæc effuſa, nimirum protenſa in ſertum Victoriale, nomen Sponſi eſſe dicatur? *Oleum* (inquit) *effuſum nomen tuum?* Fuit quibuſdam Imperatoribus mos, vt cùm ſtrenuè in pugna ſe gerentes Coronis decorarent, ipſa in Corolla præclarum cuiuſque facinus depingerent: docet Zonaras in Camillo, quem mihi ſuggeſſit noſter Bullingerus tom. 2. Opuſculorum libro vnico de triumphis, cap. 13. (Bullinger. Zonaras.) καὶ στεφάνους τοῖς μὲν χρυσοῦς, τοῖς δ' ἀργυροῦς ἐδίδου. εἰ γὰρ τεῖχός τις πρῶτος ἐπέβη, καὶ τεῖχος ὁ στέφανος εἶδος ἐφέρετο, εἰ δὲ καὶ ἐξεπολιόρκησέ τι, καὶ τοῦτο κἀκεῖνος εἰκόνι συνεκεκράτηκε τις, ναυσὶν ὁ στέφανος ἐκεκόσμητο· ἱπποκράτησέ τις, ἱππικόν τι ἐξετετύπωτο· ὁ δὲ πολίτην τινὰ ἐκ μάχης ἢ ἑτέρου κινδύνου, ἢ ἐκ πολιορκίας σώσας, μέγιστόν τε εἶχε τὸν ἔπαινον, καὶ ἐλάμβανε στέφανον γενόμενον ἐκ δρυός, ὃς πολυτιμότερον καὶ τῶν ἀργυρῶν, καὶ τῶν χρυσῶν ὡς ἐντιμότερος προετετίμητο. Quæ ille transfert: *Coronas Imperator alijs aureas, alijs dabat argenteas. Si quis enim primus mœnia hoſtium tranſcendiſſet, Corona muri forma impreſſa: Si oppidum, aut Caſtellum expugnaſſet, eius imago inſculpta: Si nauali prælio vicerat, nauis: Si equo, equi, aut rei alicuius equeſtris: qui Ciuem è pugna, obſidione, aliòve periculo ſeruarat, maximâ laude, tum verò quernâ Coronâ, quæ aureis, & argenteis dignior fuit, & honoratior donatus eſt.* Anne huiuſmodi aliquid fortaſſe lamina ea aurea, quam in fronte ſummus Hebræorum Pontifex geſtabat, & in ea ſculptum Dei ſanctiſſimum nomen? Exod. cap. 28. verſ. 36. (Exod. 28.) nam in modum Coronæ formata, cùm bonam capitis ambiret regionem producta ab aure ad aurem, quare & eo vocabulo inſignitur à Ioſepho ſæpè, præſertim lib. 3. Antiquit. cap. 8. lib. etiam 8. capite 2. (Ioſeph.) ὁ δὲ στέφανος εἰς ὃν Μωυσῆς τὸν θεὸν ἔγραψε, μία ἦν, καὶ διέμεινεν ἄχρι τῆσδε τῆς ἡμέρας: *Corona, in qua Moyſes nomen Dei inſcripſit vnica fuit, quæ vſque in præſens tempus remanſit:* appellat & Coronam Ioſepho antiquior Philo lib. 3. de Moyſis vita non longè ab exordio, aſſerens *auream laminam inſtar Coronæ feciſſe:* Acquieſcunt Ianſenius ad v. 14. c. 45. Eccleſiaſtici: Bonfrerius ad verſ. 36. cap. 28. Leuit. Petrus Faber, ſemeſtrium lib. 3. cap. 25. Torniellus, tom. 1. anno Mundi 2544. num. 90. & qui accuratiùs expendit Salianus tom. 2. anno Mundi eodem: num. 562. denique Eccleſiaſtici dicto verſu: *Corona aurea ſuper mitram eius expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris;* &c. (Philo. *Lamina aurea Aaronis inſtar Coronæ cui nomē Dei inſcriptum, & quare.* Ianſen. Bonfrer. Petr. Faber. Torniell. Salian. Eccli. 45. 14.) Quando igitur Corona illa & fronti appenſa, opportunè quod Dei nomen ferat, nempè vt cauſam titulus innuat, ob quam Antiſtes coronetur: quoniam ſcilicet de Creatore optimè meritus ſacris operando: aut certè, quod velut de Numine triumpharit, quoties eius victum precibus iram iuſtiſſimam moderatur: Tale & in Apocalypſi (Apocal. 14.) quid-

piam

*Corona Sponſi Oleagina nomen ipſius impreſſum.*

*In coronis olim triumphalibus præclara cuiuſque depicta facinora.*

piam de centum quadraginta quatuor millibus, in quorum frontibus Agni nomen ſcriptum, & Patris eius c.14.v.1. nimirum primitiuæ Eccleſiæ

Alcazar.

florés Martyrum, vt velit Alcazarius in Commentario, qui fortiſſimè torti, Chriſtum tamen, eiúſque genitorem perpetuò confeſſi: cùm ergo ob teſtatam Patris, gnatíque diuinitatem de vexamentis omnibus triumphaſſent: vt quam ob cauſam viciſſent, palàm innoteſceret, inſcripta temporibus, Patris, Filiíque nomina.

36.

*In corona Sponſi Oleagina intertextum impléxúmque nomen Salomonis ſeu Pacifici, quòd è pugna Pacē reportaſſet.*

Ergo quam Sponſo præparant Coronam, Adoleſcentulæ nomen ipſius graphicè elaboratum oſtendit: Siquidem decertationis ſcopus, Pax matrimonialis, & ne cum noua diuortium fieret Nupta: cùm igitur pugnæ ſimul & Victoriæ merces Pax, quando pro concordia bellatum, & ipſa, non aliud, altercationibus recuperata, pro vſu quidem caſtrorum, quale id fuit quod certamine partum eſt, tale Coronam præmonſtrare decebat: at Pacis fuit acquiſitio, pro hac moles pugnæ, hanc Sponſus vindicauit: Pacem itaque vt Corona indicaſſet, neceſſum erat: Sed quo id pacto? certè inter frondium labyrinthos effigiaro Sponſi nomine: Huius namque appellatio cùm *Salomon* eſſet, quod *Pacificum* interpretati fuimus: quonam venuſtiori Symbolo adeptæ Pacis encomium ſignificari poſſit? Salomon igitur per ſerta oleagina effuſus, de Pace Victorem inclamabat: Tum verò diademati quàm germana materia Oliuæ arbor? nam & ipſam concordiæ pignus eſſe monſtrauimus in tranſactis, numero vndecimo: denique & Connubialem ex Oleæ frondibus contextam Coronam, Sidonio adiuuante Apollinari docuimus num. 30. Cæterùm, quamobrem Adoleſcentulæ ſpeciatim ſibi id muneris aſſumant, vt coronent Sponſum, declaratum numero 29. Sortiatur hæc explanatio, quam voluerit lector, gratiam: A nobis poſtremo loco idcirco producta eſt, quoniam cum antecedentibus vincire labor erit, & noua ſanè inchoanda ſententia ſit: Sed nec vocum ipſa conſtructio incoacta: præterire tamen noluimus; tum quia ſingularis eſt, & intrita: tum quoniam impulit: vt conſtabiliremus ex ſacro imprimis inſtrumento, quod à paucis firmatum eſt, Oleæ frõdibus Victores coronatos, portaſſe Oliuæ ſurculos qui Triumphanti plauderent: tum denique, vt anſam præberemus non indoctæ Allegoriæ: præclarum eſt enim opinari, & quod ad ſudores perferendos non parum vrget, ſi Coronæ noſtræ decus & venuſtas, hoc ipſum, quod vicimus, quod debellauimus: Paupertate impetitus ſuperaſti? Paupertas ornabit diadema, inſcribetur Coronæ: vt ſi in bello ſeculi Caſtellum expugnatum, Caſtellum referebat Corona.

37.

*Oleum effuſũ poteſt intelligi de Spõſi Eloquentia ſuaui & mellita.*

Poſtremò, intimandum, ſi cui voluptas eſt, eam quam vtrâque præcedenti clauſulâ, ſuggeſſimus explanationem, hoc loco continuare, de Sponſi eloquentia, vt qui ſermonem funderet omni fragrantiorem Amomo, omni dulciorem ſucco, per nos id licere quidem: nam planè ſubſidio eſt *vnguentum effuſum*: dixit verſu qui immediatè præceſſit, cordis ſedem, vbera námque, repleta eſſe aromatibus incomparandè olentibus, quæ & vini halitus nobilioris ſuperarent: indicauit autem mentem eloquentiæ ſuauiſſimæ cuiuſdam grauidam eſſe fœtibus, quemadmodum Veſtigatione 2.n.18. edoctum: modò ſubinfert, ex abundantia cordis os effundere, ſed non niſi vnguenta ſanè, quibus refertum ſit Cor, tantámque eſſe in dicendo cum melle copiam, vt in poſterum non alio compellandus ſit nomine, quàm eius, qui aromata ſtillet, qui Verborum mulcedine deliniat, capiátque animos: atque hinc proculdubio factum, vt ſubditis omnibus, & magno in palatio famulantibus tam charus ſit: *ideò Adoleſcentulæ dilexerunt eum*: Nihil enim ſeruorum ſic conciliat fidem erga Heros, amorem, viſcera; quàm ſi eius Oratio modeſta ſit, ſi blandè alloquatur, ſi quando vel obiurgare neceſſum, etiam tum dictio comis & verecunda appareat: Quare Annæus Seneca lib.1. de ira c.5. *Legum* (inquit) *Præſidem, Ciuitatiſque Rectorem decet, quamdiu poteſt, verbis & his mollioribus, ingenia curare; vt facienda ſuadeat, cupiditatémque honeſti, & æqui conciliet Animis, faciátque vitiorum odium, pretium virtutum.* Idémque epiſtola 47. *Viue cum ſeruo clementer: comiter quoque & in ſermonem admitte, & in conſilium, & in conuictum.* Sed de his, quo ſolet nitore, Ambroſ. Officiorum lib.2. capite 7. *Popularis enim, & grata eſt omnibus bonitas* (inquit:) *nihilque, quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus: ea ſi manſuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate ſermonis, verborum honore, patienti quoque ſermonum vice, modeſtiæque adiunetur gratia: incredibile quantùm procedit ad cumulum dilectionis: legimus enim non ſolùm in priuatis, ſed etiam in ipſis Regibus, quantùm facilitas blandæ affabilitatis profecerit: aut ſuperbia, verborúmque obfuerit tumor: vt regna ipſa labefactaret, & poteſtatem ſolueret*: Confirmat deinde Moyſis optimi Principis & Legiſlatoris ſummi exemplo: *Quàm miti* (ait) *ſermone poſt iniurias appellabat populum, conſolabatur in laboribus, delinibat oraculis, fouebat operibus? & cùm Deo conſtanter loqueretur, homines tamen humili, & gratâ appellatione affari ſolebat: meritò æſtimatus eſt ſupra homines, & vt vultui eius non poſſent intendere, & ſepulturam eius non repertam crederent: quia ſic ſibi totius plebis mentes deuinxerat: vt plus eum pro manſuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.* Concinnè animaduerſum à Chryſoſtomo, in ſcripturis Prophetarum inuectiuas, Cantici ſpecioſo & mulcenti inſignitas titulo: qui tom.1. in illud cap.5. Iſaiæ: *Cantabo Dilecto Canticum dilecti mei*, &c. *Qua igitur de cauſa* (inquit) *criminum obiectiones eiuſmodi deſcribunt ſub Cantici nomine? Nimirum, quia vſu ſpiritalis ſapientiæ didiciſſent, & cuperent multùm inferre emolumenti animabus Auditorum: Nam quando aliud nihil eſt tam frugiferum & vtile adeò, vt eſt eorum iugiter meminiſſe, quæ nequiter commiſeris; eam autem memoriam nihil ita ſtabilem, ac firmam reddit, vt melodia: hinc ne per acrimoniam obiurgationum vehementiorem iſti effecti cunctatiores, renuerent audire; vitauit illam continentem memoriam peccatorum, modulatione Cantici tegens interim, & ſuffurans à memoria metum infamiæ*, &c. Sed quantùm Regibus præſtat, vti mites & affabiles ſint, oſtendimus largè ſuperiùs numero 19. Quibus addimus ſolùm, quod de Aureliano Imperatore Flauius Vopiſcus: *Aurelianum quidem* (ait) *multi neque inter bonos, neque inter malos Principes ponunt: idcircò, quòd ei Clementia Imperatorum Dos prima defuerit.* Rectè igitur, quod Regem, geſtu, moribus, alloquio iucundum, Adoleſcentulæ, hoc eſt ſubditorum mentes dilexiſſe aſſerantur.

*Quantùm deceat Prælatos, Magnatéſque ſermo blandus ac mitis.*

Seneca.

Idem.

Ambroſ.

*Moyſis manſuetudo plebē ſibi deuinxerat.*

*Prophetarum Inuectiuæ Canticum dictæ, & quare?*

Iſai. 5.

Chryſoſt.

Vopiſcus.

Explanatio



# Explanatio in eundem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto & Eccleſia.*

### *Textus*: Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. *cap.*1. *verſ.*2.

*Circumciſio gratiæ quamobrem non cauſatiua? Deus in Eccleſiam Catholicam impigrè liberalis: Iudæi ingrati: Gentiliſmi Conuerſio, laborum Chriſti merces: Theologica de optione gaudiorum, vel Crucis factâ Chriſto: Iſaiæ detecta mens: Pauli ſemel atque iterum: Rapina quid? Miſſilium ſparſio in publicis ludis.*

## Sectio I.

38.

*Sacramenta Synagogæ infirma, nõ enim cauſabant gratiam, neque phyſicè neque moraliter.*

PERSTAT Sponſa in præferendâ Euangelij gratiâ Synagogæ oneribus: elapſo verſu expendit, quemadmodum Moyſis graue erat iugum, Chriſti leuis ſarcina, & facilè portabilis: Moyſis aſſeclæ timidi & pauentes ſeruorum in modum; Ieſu cultores formidine vacui, quoniam ſilij, & amoris enutriti ſcholâ: Nunc oſtendit parca, & auara fuiſſe ſubſidia, cùm Euangelij plena, & copioſa ſit vbertas. Sed habuit Sacramenta Iudæorum Eccleſia: eſto habuerit, nam & hoc ſub lite, vnam ſi demas Circumciſionem; Verùm & hoc Paruulorum remedium, quemadmodum cætera remedia fuerunt, qualia

Galat. 4. 9.

Paulus ea nominat ad Galat. 4. verſ. 9. *Infirma & egena elementa*: Vide mendicitatem: rurſúmque

ad Hebr. 7. 18.

idem met ad Hebræos cap. 7. verſ. 18. *Reprobatio quidem ſit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Quænam hæc inualetudo? nimirum, quòd Sacramenta illa gratiam non cauſarent neque phyſicè, neque moraliter, ne Circumciſio quidem ex opere operato, tantùm demonſtrabant præſentem, & vel in hoc ſola efficax Circumciſio: ita quidem Paulum ex Scholaſticis declararunt

Suarez. Valentia.

Suarius tom.3. in 3. part. diſputatione 10. ſect.3. concluſione 1. Valentia tom.4. diſput.3. quæſt.3.

Bellarmin. Conink. Io. Præpoſit.

punct.3. Bellarminus lib.2. de Sacramentis c. 14. Coningus quæſtione 62. 3. Partis, art. 1. dub. 1. numero 16. Ioannes Præpoſitus eadem quæſtione art.4. dub.1. numero 76. Ex Biblicis enarratoribus

Salmeron.

Salmeron diſputatione 29. in 4. ad Galat. & in 7. ad Hebr. diſputatione 16. in idem cap. ad Hebr.

Ribera. Tena. A Lapide. Iuſtinian.

verſ. 18. Ribera: Tena difficultate 7. numero 4. Cornelius ad verſ.9. cap. 4. ad Galatas; & v.18. cap.7. Hebræorum: ibidémque exactâ quidem diligentiâ, & coaceruatis Patrum locis Iuſtinianus: Quamobrem benè Euſebius, aliis cognomento Emiſſenus, nobis Gallicanus potiùs, homilia de Transfiguratione in Sabbatum hebdomadæ 1.

Euſeb. Emiſſ.

Quadrageſimalis: *Non enim Sacramenta Eccleſiæ, ſicut Sacramenta Synagogæ medicinam docent, & oſtendunt: Sed ipſa potiùs ſunt medicina & remiſſio peccatorum*, ſcilicet quia primam gratiam ex opere operato eorum conferunt nonnulla: Nec Auguſtini celebre negligendum effatum libro 19. contra Fauſtum, cap. 13. *Proinde prima Sacramenta, quæ obſeruabantur, & celebrabantur ex lege; prænunciatiua erant Chriſti venturi: quæ cùm ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt; & alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, iugo ſeruitutis ablato, quod duro, & Carni dedito populo congruebat.*

Auguſt.

Ac ſanè cùm poſitâ Circumciſione daretur infallibiliter gratia, cur non eiuſcemodi effectus cauſa exiſtimetur, moralis ſaltem, non dexterè omnes expediunt: Dicam incidenter, breuiſſimè tamen definiuero, quod olim putabamus: Ergo qui baptizat quidem, exempli causâ, Chriſti nomine baptizat, Chriſti eſt actio illa, cuius legatus Miniſter ablutionis; cùm autem Deus complaceret in tali actione quaſi in obiecto mouente diuinam voluntatem ratione ſummæ eius bonitatis, & ob hanc complacentiam produceret in anima gratiam ſanctificantem: ideo talis actio cenſetur cauſa moralis: eſt enim talis propriè cauſa, quæ ob ſui bonitatem excitat diuinam complacentiam, & mouet Deum ad conferendum quidpiam intuitu illius: At verò actio circumcidentis non erat Chriſti actio, ſed Synagogæ tantùm, vel miniſtri particularis, à qua non mouebatur diuina voluntas ad gratiam creandam, licèt eâ poſitâ mundaretur infans: equidem in liberâ Chriſti (vt à Deo præuiſi eum in morem quo à nobis declaratum eſt Veſtigatione 1. num. 73.) erat poteſtate, & actionem Miniſtrorum Synagogæ ſuam facere; noluit, Eccleſiæ perfectiori gloriam reſeruans: Noluiſſe autem elicimus ex Scripturarum verbis appellantium *egena elementa, & infirma remedia*: ex Conciliis Florentino imprimis, & Tridenti Synodo, ex Patrum vnanimi conteſtatione, docentium, non dediſſe ſanctificationem, & ob hoc præcipuè, inferiora eſſe Legis, Gratiæ Sacramentis: quæ firma eſſe non poſſint, ſi æquè operaretur Chriſtus in Synagogæ, & Eccleſiæ Miniſtris, eiúſque nomine vtrique agerent: Quare Paulus, cap.7. ab Hebræos ſublimi Spiritu pronunciauit; vnum eſſe Chriſti Sacerdotium, cùm plures eſſent Aaronici Sacerdotes; quæ huc commodari valeant, quatenus in Sacramentis Eccleſiæ Orthodoxæ vna quædam relucet ratio communis, vt Chriſtus ſit, qui principaliter agat; Chriſtus, qui Baptizet, qui Vngat, qui Confirmet, &c. Cuius organa, Myſtæ ex hominibus vice illius fungentes: porrò & Synodos & Patres ita docere monſtrabunt Authores citati numero antecedenti: & illa vetera

39.

*Gratia in Circumciſione data ipſa Circumciſio non erat cauſa, nec moralis quidem, quia non erat Chriſti actio, ſed Synagogæ tantùm; ſecus in noſtris Sacramentis.*

D. Paulus.

Sacramenta

Sacramenta Deus etiam inſtituerat; Sed non diuinæ alicuius Perſonæ,cuiúſque actio infiniti eſſet valoris, Miniſter operabatur: nec prohibemus aliquo modo,quin gratia quæ conferebatur ad ſignaculi Circumciſionis præſentiam, ſiue eſſet neceſſitatis vt internus fidei actus comitaretur,ſiue non; ex Chriſti meritis daretur; adſtruimus tamen,quatenus Deus reſpiciebat actionem Circumciſionis formaliter & intrinſecè, Chriſtum non fuiſſe obiectum volitum; & mouens, quod refunderet bonitatem in Circumciſionem, ſed fuiſſe obiectum cognitum: Eam in formam, quâ accidit in virtute Religionis & Charitatis comparata diuina excellentia: licet enim Deus honoretur à Religione propter eius excellentiam, ametur à Charitate: diuerſo tamen modo debeat intelligi ly *propter*,in Religione nimirum propter excellentiam cognitam; in Charitate propter excellentiam amatam: Sed hæc ſatis; neque locus ſpatiari ſinit.

40\.
*Habuerit Synagoga Oleũ ſed non effuſũ vt Eccleſia.*

Habuerit igitur Synagoga oleum, quale explanauimus; at mediusfidiùs exploratum eſt oleum non fuiſſe, quod Sponſa ſibi donatum gloriatur, effuſum nempè; hoc eſt, quod exundet, exuberétque: Non equidem eiuſmodi vnguenta, de quibus Apoſtolorum Dux Petrus copiam admiratus Actor. cap. 2. verſ. 17.

Act.2.17.
Ioël.2.28.

*Et erit in nouiſſimis diebus (dicit Dominus) effundam de Spiritu meo ſuper omnem Carnem: & prophetabunt filij veſtri,& filiæ veſtræ: & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt: & quidem ſuper ſeruos meos,& ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo & prophetabunt*, &c. Quæ ſunt deſumpta verba ex Ioële Propheta,capite 2. verſ. 28. intelligi autem oportere de Eccleſiæ Catholicæ fortunato exordio ex Patrum locupletiſſimâ manu, ex Rabbinorum emunctioribus commonſtrant pleniſſimè Ribera num. 54. Sanctius num.89. Cornelius ad verſum Ioëlis allegatum, & imprimis Chriſtophorus Caſtrenſis num.20. Expendunt ſingulariter, quid vox *effundam* denotet: nimirum vt ſumpta fuerit Metaphora ab Aquarum illuuione, cùm ſuperatis ripis,effractis repagulis, euagantur,& accuſant anguſta ſpatia: Iam verò illud; quod hæc effuſió omnem comprehendat Carnem, iidem Patres & Catholici Interpretes exponunt patefactum oſtium omnium Prouinciarum hominibus; *Vtique non ſolùm ſuper eos* (ait Cyrillus in Ioëlem ex noſtri Pontani verſione) *qui ex Circumciſione crediderunt; ſed ſuper omnes ſimpliciter per fidem vocatos, ſeu paruos ſeu magnos,ſeruos & liberos, barbaros & Scythas.* Sed illud quàm pulchrum eſt, quod hæc Pentecoſtis adimpleri cœpta feſto,id eſt,nuptiarum auſpicatiſſimâ luce? Tùm enim fœdere coniunctam Eccleſiam coniugali cum Sponſo dulciſſimo Chriſto oſtendimus Tom. 1. Anteloquio 3.num.118. ille verò pro Connubiorum ritu dona ea nuptialia, de quibus fusè loquuti ſumus huius initio Veſtigationis, de quibúſque hanc Epithalamij Periodum ſecundùm Hiſtoriam enarrauimus, diſpertiri aggreſſus; parùm munificum ſe ratus,ſi in Sponſam ſolùm, & nobilium Coronam diues extitiſſet; etiam & famulos & ancillas ſupra modum locupletauit; certè Ioël idcirco: *Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo & prophetabunt*, &c.Eiuſmodi autem Seruorum, Ancillarúmque nominibus Gentilium populos,qui Euangelio colla ſubmiſerunt, Cyrillus Alexandrinus, Rupertus Tutienſis, & alij non pauci intellexerunt: atque hoc cum noſtro quadrat Textu: Nam Adoleſcentulas, quas obſequi, & famulari Sponſæ perhibuimus, proinde ancillas vocauimus: imò quidem & Ancillarum famulas, nam parere ſolitas Concubinis, quæ ſecundariæ erant vxores,indicauimus, cùm tamen Concubinæ ipſæ ſeruiles eſſent, vt ſcripſimus num.6. has inquam Adoleſcentulas Animas ſiue à Iudaïſmo, ſiue à Paganiſmo conuerſas,& lauacro Baptiſmi Chriſto adiunctas explanant ad præſentem Canticorum ſententiam Beda, Apponius,Gregorius Papa,Philo Carpathius, Iuſtus Orgelitanus, VVilleramus Abbas, & Ambroſius lib.de Iſaac & anima,cap.3. Ac de Euangelij differentiâ à lege Naturæ & Scriprâ, Andronicus Cõſtantinopolitanus Dialogo cõtra Iudęos,c.48. *Naturali lege quaſi quodam domeſtico igne aliquantiſper colluſtrabantur. Deinde edita Scripta eſt, quæ vmbra quædam, atque exemplum eſſet ſpiritalis Lunæ comparata lumini: cœleſtis autem illa & ſpiritalis, atque à vero iuſtitiæ Sole profecta, ſuprà Solem effulſit, & hominum mentes quadam tanquam Luce & iubare perfudit, ad viámque veritatis deduxit.* Eadémque Solis ac Lunæ comparatione vtitur Petrus Alphonſus, Dialogo contra Iudæos, titulo 9. propè finem.

Ribera.
Sanchez.
A Lapide.
Chr.Caſtr.
*Quid vox Effundere?*
Cyrill.
*Pentecoſte, dies Nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ.*
Andronic.
Conſtant.
P.Alphonſ.
Ioël.2.
*Quænam hic Adoleſcentulæ?*
Cyrill.Alex.
Rupert. Tut.
Beda.
Aponius.
Gregor.
Philo Carp.
Orgelit.
VVilleram.
Ambroſ.

41\.
*Euangelij differentia à lege Naturæ & Scriptâ.*

Quid ergo hæc Eccleſia ex gentibus Adoleſcentularum vocabulo ſignificata,hæc quæ ignobilis & ſeruilis quondam, dum thura & victimas offerret Satanæ? iſta quidem Sponſi erga ſe inauditam munificentiam conſiderans,cœpit eum diligere: proh! quantùm dilexit, pro cuius amore Martyrum formoſa examina ſanguinem poſt enormes Cruciatus effuderunt? Acris ſanè obiurgatio Synagogæ, quod Adoleſcentulæ Sponſum ſic deperéant: quippè Iudæis quaſi innatum Vitium Ingratitudo: Sed vide vt conferat Paganorum fidem atque obedientiam cum Hebræorum inflexili pertinacia Chryſoſtom. tom.3. homilia 4. de laudibus Pauli: *Quoties autem Iudæi vocem audiêre de cœlo, in nouo, & veteri teſtamento; nec tamen facti ſunt idcircò meliores? Nam in veteri Iudæi poſt mille miracula, pro Deo, vitulum, quem fecerant, adorauerunt: At verò Hierichontina meretrix, quæ nihil omninò ex mirabilibus viderat; oſtendit tamen fidem in exploratorum ſuſceptione mirabilem: Interea quoque repromiſſionis Iudæi ſigna cernentes, permanebant lapidibus duriores: Niniuitæ verò Ionam ſolùm videntes crediderunt, & egerunt pœnitentiam: in nouo etiam Teſtamento ſub præſentia ipſius Chriſti, latro quidem,cùm Crucifixum cerneret, adorauit: Iudæi verò,qui eum ſpectauerant mortuos ſuſcitantem,& vinxerunt, & affixerunt Cruci:* Quamobrem rectè de eis prophetauit Iſaias capite 1. verſ.3. *Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit:* cuius Interpres verſus Hieronymus lib.1. in Iſaiam: *Et eſt ſenſus* (inquit) *perſpicuus: Ego eos adoptaui in filios, & feci populum peculiarem, & partem meam, ac funiculum hæreditatis meæ, appellauique eos Primogenitos: illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt Animalia, vt beneficijs vincerentur & intelligerent Paſtorem, ac nutritium ſuum: Nec comparauit eos canibus, quod ſagaciſſimum genus Animantium eſt, & pro paruo cibo Dominorum tecta defendit; ſed ſtolidioris ſenſus Boui & Aſino:* & tamen Syrophœniſſa, quæ de Ethniciſmo erat, Canibus adæquatur, Matth. cap.15. verſ.25. nam ex gentilitate conuerſa Eccleſia,memor beneficiorum & grata eſt. Sed ad hunc Iſaiæ locum ponamus Nicetæ

Chryſoſtom.
*Iudæorum durities & ingratitudo.*
Iſai.1.3.
Hieronym.
*Iudæi bobus & aſinis ſtolidiores.*





Nicetas.

aliqua verba de ſcholiis in orationẽ 38. Nazianzeni: *Deus enim*(ait) *per Prophetam Iſraëliticum populum & ingratum,& vecordem acriter obiurgans ait: Cognouit Bos poſſeſſorem ſuũ,& Aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit: quibus verbis Iudæos mutis animantibus propemodum ſtupidiores extitiſſe ait: atque omnibus iniquè:& ingratè erga Deũ affectis hæc oratio congruit.* Inuectiuarum plena ſunt Vatum oracula contra perfidam nationem: ex nouo vnum illud Lucæ ſatis inſtrumento c.17. decem nempe leproſis priſtinæ reſtitutis integritati: *Non eſt inuentus*(ait Saluator v.18.)*qui rediret,& daret gloriam Deo,niſi hic alienigena:* ibi, capite tamen ſuæ Partitionis 60. Euthymius: *Hic oſtendit quod magis grati ſunt gentiles, quàm Iudæi: hi enim Beneficium continuò obliuioni tradentes, ingrati & erga Patrem: & erga filium apparebant.* Titus Boſtrorum Epiſcopus in idem Lucæ caput: *Vnus autem ſolus, & ille quidem Alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit: promptiores namque propenſioréſque fuerunt hi ſemper ad fidem amplectendam, quàm ingrati Iudæi.* Probè igitur Sponſa, poſtquam docuit, vnguentum effuſum eſſe, datáque à Sponſo Σπορόεντα, ſubiunxit: ideò *Adoleſcentulæ dilexerunt te:* Nam quanquam Amor excellentiſſimus quidem, is ſit, qui in Dilectum tendit gratiâ ipſius ſolum, & quia amare delectat: bonus tamen Amor ille quoque eſt, qui propter eius beneficia in Creatorem fertur: Iudæos autem nec immenſa Numinis perfectio, nec collata frequentiſſima dona ad gratitudinem compellere valuerunt; quod eis tacitè Sponſa exprobrat.

Luc.17.18.
*E decem Leproſis mundatis ſolus vnus non Iudæus, gratias agit.*
Euthym.
Tit.Boſtr.

42\.
*Hebræi aliquando pro re ſignificata, Nominis vocabulum ſumunt.*
Ribera.
A Lapide.

Vt aliam cum laude aliqua tentemus explanationem duo præſtruenda: Primum, ex Hebræa Dialecto nonnunquam pro re ſignificata, Nominis vocabulum ſumi: Oſtendit Ribera in capite 2. Apocal. numero 4. & ad capitis 3. verſum 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis*,&c. Vbi Cornelius etiam & plerique Interpretum: igitur hoc loco: *Oleum effuſum nomen tuum:* id eſt, fuiſti ipſe Tu inſtar olei, quod effunditur, aut vt maluerint plures, *exinanitur, euacuatur, exhauritur.* LXX. ἐκκενωθὲν ab ἐκκενόω, quod *exinaniri:* quare ad Philip. cap.2. verſ.7. quod in Græco eſt ἐκένωσε, vulgatus tranſtulit *exinaniuit:* quodque hîc de Hebræo eſt תורק *Turac*, LXX. Pſalm.34. verſ.3. eandem vertêre dictionem per ἔκχεον: vulgatus autem: *Effunde frameam:* Sed placuiſſe antiquis etiam Doctoribus lectionem monſtraui ſuperiùs numero 3.

LXX.

*Chriſtus in Paſſione Oleũ effuſum, ſeu exinanitum.*
Iſai.53. v.3.10.

Secundò, ad Paſſionem Chriſti referendam hanc exinanitionem: tum planè omni gloria euacuatus, quando vt Propheta exclamat, viderat illum *deſpectum, & nouiſſimum virorum,quando Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Iſaiæ cap. 53.verſ.3. & 10. Sic Philo Carpathius: *Tunc enim verè effuſum cùm pro nobis mori vel crudeliſſimè non recuſauit: Hoc eſt nomen illud effuſum, ſumma Charitas, ardentiſſimus amor Creatoris ad creaturam: mortuus eſt ſemel, ne nos in perpetuum moreremur: deſcendit ad ima, vt nos tolleret ad ſuperna: exinanitus eſt Dominus, vt excellentiſſimè dominaretur & ſeruus.* De Crucis etiam Theodoritus ignominiâ exponit, cuius tamen dictionem omitto, quoniam præfixam nobis metam non omninò iuuat: Quod ſi cui libeat nomen nõ figuratè de perſona intellexiſſe,ſed ipsâ de appellatione: diximus ſanè eâ loquutione exprimi Chriſtum, Vnctum, hoc eſt Regem per eminentiam quandam vocatum in præcedentibus nu. 8. certè Chriſtus & *Rex Regum, & Dominus Dominantium* apud Ioannem, Apoc.cap.19.ver. 16. nec moror, an quà homo,an quà Deus,etiam temporalis Rex vniuerſitatis, dixero ſectione ventura: Quicquid fuerit, profectò eiuſcemodi titulus à militibus prætorianis,& à Iudæorum fęce deſpectus atque irriſus: & nonnè ſatis euacuatus atque exhauſtus cui Diadema gloriæ in ſpineta conuerſum eſt? Matth.cap.27.ver.29.

Philo Carp.
Theodorit.
*Et nomen vncti ſeu Regis in Paſſione etiam euacuatum.*
Apocal.19.



43\.
*De Chriſti Sponſi crudeliſſima nece dolores ſuos acerbos lenit Eccleſia Sponſa, ex recordatione diuerſorum fructuum inde naſcentium.*

Ergo quæ per mortem Seruatoris,quaſi vidua relicta eſt noua Eccleſia, víxque coniuncta, cùm protinùs viro orbata ſimul, in triduo illo abſentis Sponſi; quo poteſt modo infandæ & triſtiſſimæ necis acerbam memoriam lenit recordatione colligendorum fructuum, ſubſequuturæ exaltationis. O certè exinanite formoſiſſime Adoleſcẽs Ieſu Nazarene! O planè effractum & conculcatum Nomen tuum! heu facinus indignum! ô lamentandum malum! Quis dabit capiti meo fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte ſcelus populi ingrati? Verumtamen conuertere in requiem Anima mea, & conſidera; Quoniam ſi de Torrente in via bibit Dilectus tuus, propterea exaltabit caput: Quomodo exaltabit caput? Equidem *Adoleſcentulæ dilexerunt eum:* Nationes & cultæ pariter,& immanitate feræ, poſthabitâ Deorum veneratione, venient & adorabunt eum: ipſe poſtulauit gentes, & accepit eos hæreditatem ſuam: itaque gentium fide, atque obedientiâ velut compenſatos dilecti labores æſtimat; proinde æquo animo ferendum,quod ſit exinanitus: equidem Adoleſcentulas ſignificare mentes, quæ Baptiſmum ſuſcepêre, quod proprium eſt Eccleſiæ Catholicæ, & de gentibus conuocatæ,monſtrauimus num. 40. vtitur autem Præterito,loco Futuri ad maiorem firmitatem,vt quamuis adhuc lateat euentus, tam ſit nihilominus certus ac ſi iam tranſactus, qui mos eſt loquendi Prophetarum frequens. Sed quamobrem, cùm hæc ſit Oratio Sponſæ ad comparem, cui proponit ſudorum ampliſſimam remunerationem, quo generent obliuionem opprobrij antiqui & contemptionis, & lethi crudelis; non potiùs ſuggerit quæ ad Chriſtum ipſum ſpectent bona, Reſurrectionem nempè, dotes corporis immortalis, aſcenſum in cœleſtia triumphalem, conſeſſum ad dexteram Patris, Angelorum tripudia & feſtiuas voces, poteſtatem iudicis ſub finem ſeculorum? Nihílne Chriſto tam iucundum atque Nationum conuerſio, vt hanc præcipuè obtenderit Sponſa? prudenter quidem illa: Nam primaria intentio aduentus Chriſtus fuit hominum Redemptio & ſalus,vt benè Vaſquezius expendit tom. 1. in 3. partem diſputatione 79. numero 7. alioqui ſi potior ei cura pro ſua gloria, feſtiuè ſubinfert apud eundem Cyrillus Alexandrinus lib. 3.Theſauri capite 2. *Pro ſe magis incarnatus fuiſſet, quàm pro hominibus:* igitur non aliud Sponſa pro exinanito nomine, quàm quòd Adoleſcentulæ Ieſum diligerent, ad eum conuerterentur ſuperſtitionibus occæcatæ Prouinciæ: Ducem & præceptorem habere vellent,dæmonum ſpretâ tyrannide: ſufficit Ieſu meo iſtud: date ei animas peccatrices, & putarit continuò, quanquàm exinanitus fuerit vſque ad mortem Crucis, modicum tamen ſe laboraſſe.

*Præteritum pro Futuro frequenter vſurpant Prophetæ.*
*Non de multa ipſius gloria ſed de Adoleſcentularum .i. Nationum Conuerſione Sponſo gratatur Eccleſia, quippe quâ ei nihil erat antiquius.*
Vaſquez.
Cyrill.Alex.

44\.
Iſai.53.10.

Vultíſne intueri? producite Iſaiam: *Si poſuerit*(inquit)*pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* At quo pacto animam dare oportebat pro Tranſgreſſoribus? nimirũ per exinanitionem

*Chriſto data optio carnis aſſumendæ paſſibilis, ſiue impaſſibilis, ita tamen vt homines redimendi non forent niſi per crucem.*

quidem: nam qualiter inanitus proculdubio, atque exhauſtus, *qui attritus eſt propter ſcelera noſtra nouiſſimus virorum factus, cui non erat ſpecies, neque decor?* ſed eo Euangelici Prophetæ loco, ex c.53. verſ.10. innui à Patre, filio datam optionem Carnis ſiue paſſibilis, ſiue impaſſibilis, ſic vt quod vellet expeditum fuiſſet, genus viuendi elegiſſe, ſeu quidem infinitâ cum iucunditate, cum pompa & honore immarceſſibili; ſeu morti, acerbitatibus & contemptui obnoxium, noſter Velaſquius eleganti diſcurſu contendit tom.1. in ep. ad Phillipp. Annot.1. ad verſ.7. cap.2. eâ tamen modificatione, vt ſi genus humanum redimendum fuiſſet, nonniſi per Crucis id vexamenta & torturas: Quod ſi quidem pœnas ſubire ob liberandos mortales infelici vitiatos gulâ placuiſſet; tum viſurum quidem ſemen longæuum; hoc eſt, vt interpretatur Hieronymus lib.14. in Iſaiam, *Videbit Eccleſias in toto orbe conſurgere, & earum ſaturabitur fide:* hac pollicitatione recreatus filius propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem. O quantùm dilexit, pro quibus talia, tantáque repudiauit; parum hoc ſi non & malorum Iliadem ſubiturus! ô nimiùm Seruatori chara pignora, pro quibus tam beatam dimiſit fortunam, pro quibus tam dira tolerauit! Meritò non aliud pretium exinanito Sponſo Eccleſia intimauit, quàm diligendum ab Adoleſcentularum conuentibus. Sed & videns Pater quantùm hac ſponſione delectaretur, ingeminat iterum pacta verſ.12. *Ideo diſpertiam ei plurimos & fortium diuidet ſpolia pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam:* Quinam hi fortes? ſanè Dux ille Tartareus cum legionibus ſuis, de quo apud Euangeliſtam: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet*, &c. Luc. c.11. verſ.21. huius igitur ſub iugo impiè poſitas nationes Pater Gnato reſtituat expolians poteſtates tenebrarum: Ita Leo Caſtrius Auguſtinum allegans de conſenſu Euangeliſtarum lib.1. c.31. cuius verba: *Nempè iam in hæreditate poſſidet multos, & fortium partitur ſpolia: cùm ea, quæ Diabolus, & dæmones poſſidebant per Eccleſiarum ſuarum fabricas, & quoſlibet neceſſarios vſus, illis expulſis, perditiſque diſtribuit.* Aſſentiuntur, atque probant validè noſtri Sanctius num.67. Gabriel Aluarez num.176.

Velaſquez.
Hieronym.
Iſai 53.12.
Luc.11.21.
Leo Caſtr.
Sanchez.
Gabr. Aluarez.

45.
*In illa optione vitæ in carne immortalis, ſeu mortalis, cùm Chriſtus propter hominẽ, paſſibilẽ elegiſſet, inde Sponſa eum ad nuptias in ſanguine ſuo ſolicitat.*

Et quoniam mirificè extollitur Chriſti in humanam plaſten charitas, ſi modò genuinus ſenſus Iſaiæ eam permittat explanationem, quæ à nobis indicata ſit, vt Chriſtus ob dilectionem fragilis luti, reiectarit vitam delectationibus longè optimis affluentem, & vndequaque vallatam amœnitatibus. Age, tentemus experiri ſi lectori affectibus vacuo probare valeamus: erit enim fortaſsè, vt hac noſtrâ induſtriâ Scholaſticæ diatribæ nonnihil iuuentur: nec ab inſtituto aliena Prouincia: Quippe Sponſa noſtri Hymenæi, quæ Eccleſia eſt à thure Deorum & idololatriâ vocata, cùm verbis illis initialibus, *Oſculetur me oſculo oris ſui* nuptias cum Dei filio ambiuerit, (vti à nobis corroboratum in antecedentibus,) ſubnectit, quamobrem homo ille Deus precibus auſcultare debeat: *Quia* (inquit) *cùm meliora eſſent vbera tua vino*, hoc eſt, cùm omnem Carnis voluptatem, vt quæ citò pereat atque marceſcat, illa ſuperarent oblectamenta, quorum tibi à genitore tuo facta gratia, vitæ ſcilicet gaudiorum, quæ mœroris & curarum formidinem reſpuunt, ob mei tamen amorem, quo nimirùm *Adoleſcentulæ diligerent te*, id eſt, & Paganiſmi & vitiorum ſordes contemnerent homines idolis ſeruientes, ſpreuiſti amplam quietem, volens magis exinaniri: Quamobrem *Oleum*, id eſt conſolationes omnes, ſic euacuatæ, atque exhauſtæ fuerunt, vt non ſis veritus fateri, triſtatam vſque ad mortem Animam tuam, imò & palàm teſtari, quoniam à genitore velut derelictus ſis: ſed idcirco hæc à te patrata, vt ſanguine deſponſares tibi Eccleſiam non habentem rugam, neque maculam: Iure igitur oſculum oris tui, videlicet fœdus connubiale ambiam: vt quid enim tot expenſæ? tot coniunctionis pignora, ſi non ſequatur Matrimonium? Quo ſanè in verborum illigamento nihil hiſpidum, aut contortum, nihil magni Epithalamij arcanis indignum quanquàm ſacratiſſimis.

46.

Igitur conditionale illud: *ſi poſuerit*, pactum denotare abſolutè loquendo, & ſanè ex conditione onerosâ, Suarius docuit tom. 1. in 3. partem diſput.4. ſect. 5. §. *Ex his ergo*, &c. Velaſquius nominatâ Annotatione numero ſuperiùs 44. auarè loquuntur alij duo ex noſtris, neque enim ore pleno dicunt pactionem, ſed fortaſsè cum ſenſu, *quaſi pactum*: nempe Valentia tom. 4. diſput.1. quæſt.22. puncto 1. §. *Porrò verò*, &c. Gabriel Aluarez in cap. 53. Iſaiæ num.141. & ſanè inter Patrem, gnatúmque conuentionem: At quonam more iſta bene cohærêre valeant, quando Chriſto impoſitum fuerit ab eodem genitore præceptum, vt pro hominibus animam poneret, hoc eſt moreretur? nam de morte præceptum extitit. Sed eo intimato præcepto Chriſto liberum non erat *non ponere animam*; etſi mortem ſubire propter has vel illas circumſtantias, ſcilicet in vno vel altero inſtanti, cum maiori, minorîve conatu & intenſione, ob hoc illúdve potiùs motiuum aut fortitudinis, aut obedientiæ, aut miſericordiæ, eſto, expeditum fuerit; & hoc quod Vazquezius rectè tradit tomo 1. in 3. partem diſput.74. num. 29. Chriſtum non fuiſſe indifferentem ad faciendum opus præcepti, & omittendum, vniuerſim conſideratum, ſed ad opus ſingulare, quo obſeruauit præceptum, videlicet ad obſeruantiam ex affectu huius, illiúſve virtutis: Quare ſanè cùm adhibito præcepto non poſſit non animam pro mortali creatura humana Seruator exponere; equidem non fuit pacti & conuentionis ratio ſequuta ad præceptum: Quis enim paciſcitur eâ pro re, quam neceſſum eſt fieri, & non magis quæ in alieno arbitrio comprehenſa, à quo vt extorqueat, Sponſio introducitur? Quidnam igitur aſſeuerandum? Nam præceptum ſi quod intimatum eſt, id ſtatim à primo Animationis inſtanti: ſed non potuit feſtinantior de pacto eſſe ſermocinatio: ergóne ableganda omnis præcepti vis, quæ à Patre dimanarit? ſed neque ſanè vt aliâ aliquâ lege etiam naturalis iuris ex charitatis ortâ viſceribus Chriſtus adſtrictus fuerit? Certè opinio eſt, quæ præter Dionyſium Carthuſienſem, Petrum de Palude, quos allegat Suarez tom.1. in 3. part. diſp. 43. ſect. 3. Patronum etiam nacta ſit Franciſcum de Victoria, Bartholomæo de Medina fideiuſſore in 3. part. quæſt.37. §. *de hac quæſtione*, &c. eam latè, multâque cum diligentia propugnauit, Patrum fulciuit authoritate, atque Scripturæ Petrus de Lorca tom.1. in 3. partem diſp.73. à n.7. indéque modus, vt potuerit ex rigore iuſtitiæ ſatisfacere Deo Chriſtus, cùm per conuentionem creditoris dominium acquiſierit: potuit enim

pro

Suarez.
Velaſquez.
Valentia.
Gabr. Aluarez.

*Quomodo cũ Patris præcepto de ſubeunda pro hominibus morte, cohæreat Chriſti electio circa vitam paſſibilem?*

Vazquez.

*Quandonam datum Chriſto hoc præceptum?*

Dionyſ. Carthuſ.
Petr. de Pal.
Suarez.
Fr. de Victor.
Medina.
Petr. de Lorca.



pro libito mori vel non mori citra cuiuſquam iniuriam. His acquieuerit, quicumque Præceptum reſpuat, niſi quem delectat aſſeruiſſe, Præceptum ſanè impoſitum, ſed cum hypotheſi: nimirum: Pater gnati ſubiecit conſilio, vtrùm vellet experiri labores, an gaudiis perfrui; quibus & animâ & corpore Beati depaſcuntur: Cæterùm, electione ſemel factâ vitæ paſſibilis, Crucis tormenta ex præcepto ſubeunda ei fore: quare ſimul ac vitam ærumnoſam optauit magis, hoc ipſo intellectus ſit præcepto vinciri de patibulo aſcendendo: pro hac planè ſententia P. de Cabrera tom.1. in 3. part. diſp.4. §.3. n.116. nam adſtruit Chriſtum præcepto ligatum, ipſius tamen fuiſſe in poteſtate præcepto vt ſubiaceret, eò ſcilicet, quòd ſponte ſuâ vitam eligeret mortalitati obnoxiam, cùm ex Patris arbitrio, ab ea declinare poſſit, quam ſi fugiſſet vt agere valebat, lex & præceptũ irrita fuiſſent.

Cabrera.

47.
*Quando data Chriſto hæc optio?*
Velaſquez.

Sed præcepti inueſtigatâ concordiâ, requiritur etiam doceamus, quando hæc inita pacta? quando conceſſa optio Chriſto ſiue beatæ, ſeu irrequietæ vitæ? Velaſquius tom.1. in ep. ad Philipp. Literali expoſitione, v.7. c.2. n.15. ad primum vel ſubſequens retulit inſtans, quo Filius Dei in Sacratiſſima Virginis aula commorari cœpit: Si tamen aliud in Dei mente non concipiatur aliquod ſignum, difficile eſt vt cogitemus Virginem exiſtere priuſquam hæc optio facta ſit: equidem ab huius optionis determinatione pẽdebat, vt Chriſtus mori vellet: non fuit igitur præuiſa mors Chriſti antè hanc optionem: diſquiro igitur de Virgine quæ ante optionem & iam mater erat Filij Dei, & liberata ab immunditiis originariæ labis, num meritis Chriſti Crucis tam magna conſequuta ſit? quis inficiari tentet? Atqui nondũ apud Numen decretum erat vt Chriſtus pateretur, neque enim hoc decernendum erat, antequam Chriſtus definiret, in quam optionis diuerteret partem: Quamobrem dicimus nos ſecundum ea, quæ præiecimus fundamenta Veſtigatione 1. num.73. cùm Prædeſtinatorum ſeriem texeret diuina mens, inceptaſſe à Chriſto, cuius exiſtentiâ abſolutâ, & efficaci intentione prædefiniuit: Cæterùm, quemadmodum tunc, vt eo loco ſentiebamus, pro eo intentionis ordine nihil ſtatutum à Deo, à quo determinato agente produceretur Chriſtus, quôve indiuiduo tempore, aut loco, ſic nec præſcriptum ab eodem, an cum paſſibili, vel impaſſibili carne in auras prodiret: itaque illud ſignum complectebatur Chriſtum ſecundum ſe & exiſtentiam illius, præſcindendo ab accidentibus paſſibilitatis, vel impaſſibilitatis: ex vi huius efficacis & abſoluti decreti cùm eſſet determinata Chriſti exiſtentia: facta eſt illi à genitore optio quam vellet traducere vitam, admonuit tamen niſi per eius Cruoris pretium non eſſe redimendum humanum genus: Filius miſeratus humanæ conditionis infelicitatem, quod Patri videret gratiſſimum fore, pro tranſgreſſoribus animam ponere ſpopondit: tum decretum vt paſſibilis & mortalis homo naſceretur, quanquam adhuc nihil deliberatum an ex fœminea vulua gignendi modus: vnde potuit, ídque Paſſionis intuitu, & Matrem næuo communi eximere, & gratiam eidem promereri, quâ in genitricem eius euaſit. Qua de re diligenter inferiùs, Veſtigatione 10. num.29.

*Ordo dictæ Optionis & præcepti in decretis Diuinis.*

48.
*Prædictus Ordo confirmatur ex D. Paulo & Dauide.*

Hæc vt ſic accidiſſe vti à nobis delineata ſunt, nemo inſolentiùs obſtupeſcat: Recentiores Theologi magnis ſanè ingenij dotibus præditi, & longæ exercitationis præſidiis inſtructi, hac in Salmanticenſi ſchola cùm prælegerent, ex Paulo, cùm Dauidem is interpretaretur, communire adniſi ſunt: Verba autem ex cap. 10. illius, quæ ad Hebræos miſſa eſt epiſt. deſumpta: verſ.5. *Ideò ingrediens in mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: Corpus autem aptaſti mihi: holocauſtomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi; Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: vt faciam Deus voluntatem tuam:* Pſalmus autem Dauidicus 39. v.7. *Sacrificium, & oblationem noluiſti: aures autem perfeciſti mihi: holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi; ecce venio; in capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei:* exiſtimabant igitur Dialogiſmum eſſe recens Incarnati Verbi, & ipſo quidem primo Conceptionis inſtanti, ſuo cum genitore, hoc enim illa ſignificent: *Ingrediens in hunc mundum:* Quo more declarant Salmeron, Ribera, Cornelius, Iuſtinianus, Tena: cernens autem Chriſtus legis ſacrificia & victimas ad placandum iratum Numen, condignámque ſatisfactionem, inidoneas, nec in puris Creaturis ſoluẽdo pares, quanquam illum iuſſa paterna non vrgerent, ſed liberam facerent copiam aut lętitiarũ, aut mœroris, amplexatus eſt duriora, voluítque obedire vſque ad mortem in ligno: quare hoc arrepto propoſito, genitori intimat, ſe expeditũ ad tolerandas pro hominibus acerbitates, licêre vt veterum deinceps ſacrificiorum Memoria deleatur: *Tunc dixi: ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt*, &c. hanc ad normam ex illis graui Commentario Velaſquius tom.1. in ep. ad Philip. Annot.1. in verſ.7. cap.2. n.2. Eam cogitationem olim laudauit, cùm nobis de Incarnatione Dominica prælegeret præſtans admodum Theologus, nupérque eulgauit typis P. Ioannes de Lugo, diſput.3. de Incarnat. ſect.1. n.14. Verùm, ſi qui huius ſenſus Architecti ſic æſtimauerint, vt cũ diuinis hæc obiicerentur cogitationibus; tum præuiſus ſit à Deo Chriſtus vt Matris aluo iam recubans, ex eiúſque viſceribus pro ſtatuta temporis differentia conceptus; quamobrem ab ipſis diſcrepare neceſſum ducamus, oſtendimus Numero antecedenti: quare aliter à nobis conſtruendus Apoſtolus: quod vt peragamus, meminiſſe oportet, hâc ipſâ ad Hebræos chartâ Paulum docêre, quàm primùm Seruator hominum Virgineo concèptus ſit clauſtro, iuſſos à Patre Angelicos Spiritus vti adorarent, *& cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ eſt multorum explanatio Patrum apud Tenam in præfata verba, cap.1. difficultate 12. ſectione 1. numero 4. Perpendens itaque Chriſtus, quàm erga eum Pater officioſus eſſet, gratiarum actionem relaturus velut dixerit: Tu mihi procumbere alatas iuſſeris mentes, & quanquam natura minorem conſiderat ab humana forma, colere nihilominus ſubmiſſo poplite: ego tibi homo quidem, ſed Deus ſimul paruero: illi miniſtrant, ſed vexari nequeunt: ego tibi per flagella & Cruces obediuero: agedum, pereant ſacrificiorum antiqui ritus, nihil enim ad perfectum adduxit lex: ecce *corpus mihi aptaſti*, quod pati valeat, & occidi: Cùm placuerit harum victimarum, quæ Iudaicæ ſunt, abradi characteres, quod inſtituto corporis mei Sacramento ſubinde fieri incipiat: Tunc dicam vndique irruentibus periculis: *Ecce venio:* nulla erit mora, nimirum adimplenda illa ſunt, quæ *in capite libri* ſcripta ſunt de me: Hoc iam loco declaratur pactum genitoris cum Redemptore hominum,

Ad Hebr. 10.5.
Pſalm.39.7.
Salmeron.
Ribera.
A Lapide.
Iuſtinian.
Tena.
Velaſq.
De Lugo.

*Alia D. Pauli Expoſitio ſecundum Auctoris mentem.*

Ad Hebr. 1.6.
Tena.

*Chriſti prompta & fortis obedientia.*



 optióque

optióque data Christo: ſed vereor, vt hoc etiam loco: nempè, volumen iſtud, liber vitæ eſt, & Prædeſtinationis ſanctorum, in qua cùm principem ordinem Christus teneat (ipſe enim Prædeſtinatorum Apex) meritò in capite libri ſcripta eſſe referuntur, quæ de illo dicuntur: Libri initium tale Ludouico de Molina in 1. part. quæſt. 24. diſput. vnica. Ianſenio ad verſ. 9. Pſal. 39. Agellio ibidem: Iuſtinian. in verſ. 7. c. 10. ad Hebræos. At quid in hoc exaratum codice? *vt faciam Deus voluntatem tuam:* Quænam hæc voluntas? an præcepto inſinuata? an Chriſti permiſſa electioni? equidem Apoſtolus non manifeſtat: neque ex hoc eius diſcurſu, quæ probent Chriſti relictam arbitrio, vt quam vitæ conditionem exoptaſſet magis, gaudioſam & cruciari neſciam, vel languoribus obnoxiam, diuideret ipſe ſibi: ſi quid iuuat, id eſt quod in Pſalmo: *aures autem perfeciſti mihi:* eſt autem in Hebræo כָּרִיתָ *karita,* vertunt plures, *fodiſti, aut perforaſti:* alludi autem iis vocabulis ad Hebræorum vſum, quibus mandatum vt ſeruum libertate donarent ſeptimo anno ſiue is ſeptimus in ſeruitute ipſa annus, ſiue quem ſabbaticum vocabant: nolens autem Herili iugo exonerari, eius auris ſubulâ perforabatur, Exod. c. 21. verſ. 6. id verò in perpetui notam mancipatûs, ſi Theodoreto & Gloſſæ ordinariæ in eum locum credamus, ſentiúntque multi; Quanquam Iubilæi ſi incideret annus rurſus laxandum ſunt qui velint: alludi itaque hanc ad conſuetudinem putant, ad Pauli verba Salmeron, Ribera, Cornelius, Iuſtinianus, Tena: ad Pſalmi clauſulam Lorinus, Ianſenius, Agellius: Hoc igitur ſimili indicatur; Chriſtum ſub initio conceſſum vt vel pareret genitori obediens factus vſque ad mortem Crucis: vel dotibus frueretur corporis glorificati: & cùm tormenta elegiſſet præ iucunditate; exindè quaſi perforatam eius aurem; & deinceps ærumnis deſtinatum.

Molina. Ianſen. Agell. Iuſtinian.

Pſalm. 39.

*Seruorum qui liberi eſſe nolebant aures ſubulâ perforata.*

Exod. 21. Theodoret. Gloſſ.

Salmeron. Ribera. A Lapide. Iuſtinian. Tena.

49. Ex eadem tamen Epiſtolâ alia depromunt arma, & meherclè robuſta: nam cap. 12. verſ. 2. iubemur enim *in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum aſpicere, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contemptâ:* cuius ſententiæ medullam egregiè, vt putant quidam, Gregorius expreſſit Theologus apud OEcumenium: *Cui cum liberum fuiſſet* (inquit) *manere in propria gloria, & diuinitate, non ſolùm exinaniuit ſemetipſum vſque ad formam ſerui, ſed & Crucem ſuſtinuit ignominiâ contemptâ:* ſed hæc licet egregia, quoniam à Nazianzeno, non tamen nobis vſquequaque opportuna: denotant enim potuiſſe Verbum non induiſſe Carnem: at non de hoc diſquiſitio, ſed an ipſa Caro illa paſſibilis foret, num impaſſibilis: quare aptiùs multo Chryſoſtomus: *licebat illi nihil pati ſi voluiſſet, non enim peccatum fuit, nec inuentus eſt dolus in ore eius: erat ergo ei promptum ſi voluiſſet non venire ad Crucem:* ſic orat. 28. in ep. ad Hebræos, cuius mentem breuiter collegerunt pro ſtylo ſuo Theodoretus, OEcumenius, Theophylactus; quibus ſcopum fuiſſe aſſerere noſter Cornelius tradit: cùm poſſit Chriſtus ſtatim gloriam & beatitudinem animæ ſuæ in corpus transfundere, illúdque immortalitate donare, & gaudio impleuiſſe: noluit tamen facere, potior namque fuit Crucis amor: ſubiungit Rupertum, qui manifeſtè pronunciarit, in primo incarnationis inſtanti ab æterno Patre Chriſto optionem factam, vt ſi vellet, poſſit gaudens, delicians & triumphans ſalutem afferre mundo: Chriſtum verò præ hoc ſibi propoſito gaudio amplexatum fuiſſe Crucem. Ribera: *propoſito gaudio: hoc eſt, cùm poſſit non mori, atque incolumitate, & immortalitate corporis gaudere: voluit tamen mori.* Tena iiſdem verbis difficult. 1. ſect. 2. num. 6. penè iiſdem Iuſtinianus: *cùm videlicet poſſet non mori, & incolumitate corporis frui, aliâque ratione humanæ ſaluti proſpicere: maluit ſubire Crucem.* Salmeron diſp. 22. *propoſuit illi Deus gaudium ſi mallet illud, ipſe autem loco eius potiùs maluit Crucem.* P. Vazquez germaniorem ſenſum nominans tom. 1. in 3. part. diſp. 73. num. 28. *Aut ita vt loquatur Paulus de gaudio, quo Chriſtus ſecundum corpus ſuum in beatitudine frui poterat, in hunc ſenſum: Qui cùm poſſet frui delitijs æterni Patris abſque vlla mentis & corporis triſtitiâ; elegit pro nobis pati, non tamen relictâ viſione clarâ Dei.* Petrus de Lorca clarè omninò tom. 1. in 3. part. diſp. 73. num. 25. Pater Velazquius copioſè tom. 1. in epiſt. ad Philippenſ. in Commentario Literæ verſ. 7. cap. 2. num. 17. & Annot. 1. num. 7. Igitur ex tam multis magníſque teſtibus, & de Paulo interpretando præclariſſimum encomium meritis, indicarit ille, etiam in ſenſu compoſito incarnationis, hoc eſt, Verbo corpus circumamicto, liberum fuiſſe Suppoſito diuinam, humanámque naturam includenti, vel reſpuere mortem, vel admittere: At niſi à Patre optio ſit Chriſto facta pro ſigno aliquo, eiúſque arbitrio conceſſum, vt vel mori poſſet, vel lethum non experiri: quo pacto verum fuerit potuiſſe non mori? Neque dico, quod non liberè moreretur Chriſtus etiam factâ ſuppoſitione decreti efficacis & abſoluti in Deo de ſaluandis hominibus per filij necem, factâque ſimul præcepti eadem de re ſuppoſitione: ſed aliud eſt liberè & meritoriè pati: aliud nullatenus pati: hoc ſanè ſtare nequeat, niſi eâ quam depinximus admiſſâ optione quæ præuiſa fuerit à Deo pro ſigno aliquo Rationis antequam intelligatur in eodem decretum efficax & abſolutum de ſaluando homine per ſanguinem filij eius.

Ad Hebr. 12. 2. Nazianzen. Chryſoſtom. Theodoret. OEcumen. Theophyl. A Lapide. Rupert.

*Chriſtus prætulit Crucem gloriæ corporis ſui.* Ribera. Tena. Iuſtinian. Salmeron. Vazquez. Lorca. Velazquez.

*Verbo etiam incarnato liberum fuit mortem vel admittere vel reſpuere, in aliquo rationis ſigno.*

Cogit nos olei exinanitio (nam oleum exinanitum, exhauſtum, euacuatum legi poſſe monſtrauimus,) ne tam citò à Paulo diſtrahamur: quem à Salomonis mutuatum exemplari Ludouicus aduertit de Sotomaior, probat ad hanc Epithalamij Periodum: ex Origene, Athanaſio, Epiphanio, Bernardo munit. Quid enim Salomon? commendauit priùs Verbi ſummam maieſtatem & potentiam, inquiens: *Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis:* vel vt legunt LXX. *odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata:* Quæ oratio ſimilis eſt alteri apud eius Patrem Dauidem Pſalm. 44. verſ. 8. *propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis:* hîc *præ participibus:* ibi; *odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata:* Quodnam hoc vnguentum, quod tam longo ſuperat interuallo omnem & Angelorum & hominum gratiam: eſt enim ſanctitatis vnctio ſymbolum? planè ideò Ieſus tantò cæteris excellentior, quia in eo habitat omnis ipſa plenitudo diuinitatis: itaque ſanctus eſt per infinitam diuinæ Hypoſtaſis ſanctitatem: hoc oleum lætitiæ, quo delibutus eſt, quæ Græcorum, Latinorúmque Patrum trita expoſitio apud Vazquez tomo 3. part. 1. diſputat. 41. num. 19. apud Lorinum ad verſ. 8. Pſalm. 44. Quid inde? equidem ſi per diuinitatem ſanctus Chriſtus, & Deus ſit ipſe neceſſum eſt: Deus verò, propterea & æqualis 50.

Sotomaior. Origen. Athanaſ. Epiphan. Bernard. LXX. Pſalm. 44. 8.

*Oleo, Chriſti diuinitas adumbrata.* Vazquez. Lorin.

quà





quà Deus certè, cum Patre, maieſtatis, potentiæ, diuturnitatis, omnia replens, omnia gubernans, ſummè metuendus, ante quem tremiſcunt columnæ cœli: Hic igitur tam magnificus & potens Dominator, principium rerum, virtus eminentiſſima, ſic ob paternum beneplacitum demiſit ſe, vt oleum quaſi euacuaſſe videretur, cùm in mortalia deſcendit, factus opprobrium hominum & abiectio plebis: dixi non abſque aduertentia, quaſi *euacuaſſe*, neque enim diuinitatem aliquo modo exuere, quam oleo ſignificauimus, non ſeparare poterat. Sed operiebatur latens ſplendor ſerui formâ, quam aſſumpſerat: ex Scripturæ autem more id inane & vacuum nominatur, quod celatur & tegitur, quare ſub mundani opificij dixerim vagitu primo, quia tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, Terra quæ abſcondebatur dicta eſt ſiue inuiſibilis, ſeu inanis, Geneſ. cap. 1. verſ. 2. Siquidem vulgatus Interpres: *Terra* (inquit) *erat inanis & vacua:* LXX. verò: *Terra erat ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, inuiſibilis, & incompoſita:* vel certè, quemadmodum Terra licet nihil tunc amiſerit, quoniam tamen debitis fructibus, & ornatu carebat, vacua & inanis reputata eſt: ſic cùm Perſonæ, quæ Deus erat, quem honorem concedere debuerant, mortales negarent: ita deſpecta diuinitas exinanita apparebat.

*Quid ſit Terra inanis & vacua.* Geneſ. 1. 2. LXX.

51. Hæc eſt igitur Chriſti admiranda humilitas, qui, cùm Patre nihilo inferior eſſet, quà Deus exiſtebat, cùm probè exploratum iſtud haberet, nec ingenita eũ lateret nobilitas, quam nõ aduentitiã ſciret, ſubiecerit ſe tamen & infrà homines ipſos: Hoc Paulus in Salomonem intendens, ad Philip. cap. 2. v. 6. *Qui cùm in forma Dei eſſet,* id eſt, eiuſdem cum Patre diuinitatis & naturæ: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo:* in eo exiſtens ſempiternæ Maieſtatis & gloriæ culmine, hoc attentè perpendit, non ex rapina, ab extrinſeco nempe, vel fortuito euentu ad apicem euectum incomparandæ adorationis genitori vt pariaretur, ei fuiſſet æqualis; ſed quoniam eiuſdem cum illo eſſentiæ, ideò ſubſtantialiter potens & honorus. Poſtquàm igitur conſiderauit non per rapinam acquiſitam cum Patre æqualitatem omnimodam; tum demum, *Humiliauit ſemetipſum, & oleum exinaniuit,* formam ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem Crucis: itaque, quod Apoſtolus præmiſerit, quaſi reflexâ quadam cogitatione defixum Chriſtum in ſuæ diuinitatis contemplandis ſplendoribus fecit, vt extolleret & commendaret infinitæ humilitatis vim maximam: cuius moris egregium ſpecimen Ioan. Euangelio c. 13. verſ. 3. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua,* &c. Quorſum ſub hoc Paſſionis articulo tantæ gloriæ recordatio? cur ſublimibus diſtenta mens? Quæ hæc occaſio eſt ſuggerendæ authoritatis ſtatim conculcandus, ſtatim proſcindendus? ideò ſanè, vt humilis ſummè appareat qui tam excelſus videbatur: percipiamus ab Auguſtino tract. 55. in Ioannem ſub fine: *Debemus chariſſimi ſenſum Euangeliſtæ diligenter attendere: locuturus quippè de tanta Domini humilitate, priùs celſitudinem eius voluit commendare: ad hoc pertinet, quod ait: Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exijt, & ad Deum vadit:* Pulcherrimè autem, quod idem continuò Doctor ad hæc Pauli verba recurrat velut cognata ſermonibus Euangeliſtæ, vt non fruſtrà in confirmationem dogmatum, ea nos adhibuerimus: *Quid autem mirum* (ſubiungit) *ſi ſurrexit à cœna, & poſuit veſtimenta ſua, qui cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit? Et quid mirum ſi præcinxit ſe linteo, qui formam ſerui accipiens habitu inuentus eſt vt homo? Vt autem formam ſerui acciperet, quando ſemetipſum exinaniuit; non quod habebat depoſuit, ſed quod non habebat, accepit.*

*Chriſtus in ſua celſitudine exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, vt inde profundior humilitas, quò maior gloria.* Ad Philipp. 2. 6. Ioan. 13. 3. Auguſt. Idem.

52. Scio nouâ, & diſertâ ſanè exponendi Methodo vſum noſtrum Velaſquium tom. 1. in epiſtolam ad Philipp. Annot. 3. in v. 6. c. 2. Putat enim Græcam vocem ibi ἅρπαγμα, pro qua noſter vertit Interpres *Rapinam:* vtramque quinimò dictionem non ſolùm denotare rem furtiuè ablatam ídque quadam cum violentiâ, & poſſeſſore inuito: Sed etiam propriè quandoque, innuere, quod cum bona gratia Dominorum acquiritur nullo penè labore tantùm extensâ manu ad ea, quæ ſponte in ſinus volitant: ita nimirum contingebat in Amphitheatro, in Circenſibus ſpectaculis, cùm inter ludorum alias recreationes Miſſilia ſpargebantur in populum, xeniorúmque variis teſſeris pluentibus, quod quiſque poterat, occupabat: ergo Chriſtus Ieſus, non putauit externam nominis famam, ſupremúmque cultum & ab Angelorum cohortibus, & ab humano genere, quo latè patet orbis, deferendum: (hoc, eſſe æqualem Patri) quaſi rapinam, ſiue lucrum, aut prædam ſolâ manuum iniectione, abſque laſſamento & defatigatu parabilem; quin ſudoribus multis, effusóque cruore, ipsâ demum vitâ exhauſtâ, acquirendum. Placet & Græci & Latini verbi accommodatio, pro iis quæ ſpargebantur in theatro donis, quæque diripiebantur à circumfuſo vulgo. Ita Xiphilin. Epitomaſtes Dionis Cocciani in Nerone. σφαιρία γὰρ μικρὰ γεγραμμένα ὡς ἕκαστα αὐτῶν ἔχοντα εἰς ὅμιλον ἐρρίπτει, καὶ ἐδίδοτο ὅ, τι τίς δι᾽ ἐκείνων ἥρπασεν: *Orbiculos enim quoſdam, quibus ſingulis aliquid inſcriptum erat, in cœtum proiecit, & cuique id, quod eâ teſſerâ, quã rapuerat, continebatur, datum:* iterum de ſimili largitione ſcribens in Veſpaſiano, eodem verbo ἥρπασεν ad rapinam indicandam vſus: eſt verò ſparſio illa Neroniana, de qua Tranquill. vt reor, in Nerone cap. 11. *Sparſa & populo Miſſilia omnium rerum per omnes dies, ſingula quotidie millia:* Verùm de Rapina Martialis lib. 8. epigr. 78. de ludis Stellæ:

*Omnis habet ſua dona dies, nec linea diues*
*Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.*
*Nunc veniunt ſubitis laſciua numiſmata nimbis,*
*Nunc dat ſpectatas teſſera larga feras.*
*Nunc implere ſinus ſecuros gaudet, & abſens*
*Sortitur Dominos, nec laceratur auis.*
*Quid numerem currus, ter denáque præmia palmæ*
*Quæ dare non ſemper Conſul vterque ſolet?*

Déque eâdem Suetonius in Auguſto c. 98. *Iiſdem etiam epulum in conſpectu ſuo præbuit permiſsâ, imò exactâ iocandi licentiâ, diripiendique pomorum, & obſoniorum, rerúmque miſſilium:* in quo rapinarum genere conſiderandum, quoniam nobis vſui futura animaduerſio poſtea, quod hoc potiùs quàm illud quiſpiam apprehenderat, præter opinionem contigiſſe; non enim in certas perſonas iaculabatur aliquid, ſed abſque conſilio & ordine nimbi in morem ſuper pauperum tabernis, regúmque turribus æquè pluentis: quare Papinius lib. 1. Syluarum, Carmine vltimo, imbribus comparauit; inquiens:

*Ducat nubila Iupiter per orbem*
*Et latis pluuias minetur agris:*
*Dum noſtri Iouis hi ferantur imbres.*

Niuibus immiſſis Corrippus Africanus Poëta comparauit, initio libri 4. de Iuſtino Imperatore:

Velaſquez. *Rapina non ſolùm dicit rem vi ablatam inuito poſſeſſore; ſed etiam cum bona Domini gratia acquiſitam.*

*Dicitur Rapina de ijs quæ in theatro ſpargebãtur donis.* Xiphilin. Tranquill. Suetonius. Statius.

M 3 Diuitias

Corrippus.

*Diuitias vulgo ſollenni munere donans*
*More niuis ſparſurus erat.*

Ob hæc fortuitum erat, & vltra ſpem,quod inſignis precij,magis quàm vulgaris contigiſſet aliquid.

53. At in has rapinas,id, quo potiſſimum fulcitur noua Explanatio, minimùm quadrare videatur, videlicet,quod afferebant emolumentum, id abſque vulneribus,abſque fatigamento,pacatâ comparatum diligentiâ : ſanè, & litigia & percuſſiones, & nonnunquam cædes: Libanius in deſcriptione Kalendar.Ianuarij quibus dabantur Strenæ : τῷ ᾗ θεράποντες ἕπον) διασπείροντες εἰς τ ὄχλον ἀργύριον· ἢ τὸ δέξασθαι φερόμενον παρωσάντα τ πέλας, ἡδύ γε. ἢ χαίρουσι ἐνταῦθα καταπατούμενοι : *Miniſtri equitem ſequuntur ſpargentes argentum in vulgus : & certè res grata eſt excipere pecuniam,quæ ſpargitur , & propellere proximum : quinimo lætatur pedibus eo loco conculcari :* Quare & Dio & Xiphilinus in Adriano memorant ob vitanda indecora ; teſſeras in circo viris ſeparatim , & ſeparatim mulieribus quoque diſtributas:Sed locuples Narrator Seneca Philoſophus , qui ob frequentes lacerationes, & iniurias , cùm inſtaret Miſſilium ſparſio , prudentiores quoſque theatro exceſſiſſe refert,ep.74. *Hanc imaginem animo tuo propone , ludos facere fortunam ; & in hunc mortalium cœtum,honores,diuitias, gratiam excutere : quorum alia inter diripientium manus ſciſſa ſunt,alia infidâ Societate diuiſa , alia magno detrimento eorum, in quos deuenerant prenſa:ex quibus quædam aliud agentibus inciderunt ; quædam, quia nimis captabantur,amiſſa , & dum auidè rapiuntur excuſſa ſunt : Nulli verò,etiam cui Rapina feliciter ceſſit, gaudium rapti durauit in poſterum : itaque prudentiſſimus quiſque cùm primùm induci videt munuſcula , à theatro fugit,& ſcit magno parua conſtare : nemo manum conſerit cum excedente : nemo exeuntem ferit: circa primum rixa eſt : idem in his euenit , quæ fortuna deſuper iactat.* Quamobrem ſi in hiſce theatralibus rapinis,vel parua magno conſtant , vt loquitur Seneca , in quibus plagæ interueniunt , & prout ſtrenuus eſt vnuſquiſque,diteſcit; non video vt facilè trahi poſſint ea ad ſignificanda, quæ cùm habeant momentum, & pretium ; aut nullo penè labore , aut leui & exiguo adipiſci valeant. Ergo per rapinam acquiſita felicitas deſpectos olim fuiſſe poſſeſſores inclamat , nec eſſe glorioſam Maieſtatem , cuius initia obſcura extitêre: aut per gladium,& violentiam Imperatores euaſêre plebeia capita:aut ſicut in Amphitheatro extra ſpem opulenta munera in eum iactata ſunt, cui in arca vix obolus,cùm tenuia proiici poſſint, quæ tamen poſt caſum robuſtè occupauit ; ita ex armentario quiſquam Saul, aut de poſt fœtantes oues Dauid aliquis in ſolium tranſlatus : denique & adoptati nonnulli , quorum ſub contemptu exordia. Nobiliſſimus ille eſt,quem genitura talem fecit,cui non adſcititius & emendicatus fulgor,ſed transfuſus à Parentibus: Chriſtus itaque, ait luculentè Maldonatus ad verſ.11.cap.27.Matthæi eam particulam : *Tu dixiſti*,&c.*Propterea habet in veſtimento , & in femore ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium, Apoc. cap. 19. verſ. 16. vt oſtendat ſe non vi , non tyrannide, non electione , non adoptione , ſed naturâ , quæ per femur ſignificatur, Regem eſſe : quia naturâ , & non rapinam, arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo. Philip.cap. 2. verſ.6.* Talis,tantúſque Monarcha ob Patris obſeruantiam, ob hominum charitatem,oleum exinaniuit, formam ſerui accipiens.

Libanius. *In rapinis ſeu donis in vulgum iactatis excipiendis, litigia,percuſſiones & cædes.*
Dio.
Xiphilin.

Seneca. *Inſtante Miſſilium ſparſione prudentiores è theatro diſcedebant.*

Maldonat.
Apocal.19.]

---

*Chriſtus , an habuerit temporale ius & Dominium Regnorum orbis per ſe , & directum? Nomen Tetragrammaton Iehoua, an idem quod Ieſus? huius Etymon numquid à medendo? Iehouah quare ineffabile vocabulum? Adonai quid? primi Chriſtiani Therapeutæ quamobrem nuncupati?*

## SECTIO II.

Didicimus , quemadmodum oblatâ ſibi corporis immortalitate Chriſtus Ieſus, cùm 54.
Patri ſciret placere , vt homo redimeretur per Crucem , repudiatis gaudiis glorificatæ Carnis, patibulum,& verbera prætulerit : certè nec contĕtus genitoris præcepto voto ſe ad redimendos Adæ nepotes ſacrauit, vt piè autumat Suarez tom.2.in 3.part.diſputatione 28.ſectione 2. §.*Ex quo aliqui*,&c.Sed num circumſcripta,atque præiudicata paterna liberalitas ſolius vitæ impaſſibilis oblatu? Equidem poſtquam Gnatus fortiter accinctus ad currendam viam ſuam,vt de torrente in ea biberet , & Torcular calcaret lauans in ſanguine vuæ Stolam;Genitor rurſum eum clarificauit , Regem & Induperatorem conſtituens, non tantùm ſuper ſanctam Sion, vt præcepta vitæ & leges ferret , quibus animæ veherentur in æternæ Stationem tranquillitatis; ſed Dominum nuncupans temporalem regnorum omnium , in quæ haberet ius per ſe & directum iuxta normam Ciuilem & politicam , vti habent cæteri Monarchæ , quibus purpuræ & Diadematis honor:Ac ſanè Regem ſpiritalem omnes agnoſcunt, concedúntque eam ob cauſam in temporalia indirectam poteſtatem, quatenus ad finem ſpiritalem ſecularium ordinatio conducere valeat. Videndus Suarezius tom. 1. in 3. part. diſputat.47. ſectione 1. Sed num habuerit ius atque Dominium per ſe & directum in Nationes vniuerſas, ídque quà homo quidem? nam de hoc tota altercatio ; dubitatum à non paucis , quos enumerat noſter Mendoza tom.1. in 1. Regum Annotatione 15.ad verſ.10.cap.2.ſectione 3. num.3. quibus adiunge Becanum de Incarnatione , capite 24. numero 5. Tannerum tom. 4.diſput. 1. quæſt.7. dub.4. num.71. Cæterùm modò aduerſans placitum à nobis ſufficienter poſſit fulciri , quantum id luminis allaturum ſit Explanationi , quam ſequuti ſimus,facilè quilibet iudicauerit , ſi conſideret,eam à nobis prælatam cogitationem , dum Literæ inſtabamus,quæ Nomen Chriſti , quin & humani Sponſi,(cuius thalamus Chriſtum adumbrat,)à Chriſmate,quo vnguntur Reges,proinde & à regali deriuatum gloriâ , coniectabatur: itaque ab *Oleo* Epitheton , nomenclatura Regis eſt. At quomodo hoc effuſum in Chriſto , euacuatum , exinanitum? Præclariſſimè imprimis : Nam quanquam habuit ius Regnorum , ſed vſum non habuit : nec enim cùm poſſet,Monarchiam exercuit. Quamobrem? vt Paupertatis , omníſque abdicationis dignus videretur Præco , qui Imperatoriam Maieſtatem occultaret , qui faſtui , opibus, delitiis renunciaſſet : qui , vt Paſſioni locum daret , excubias armatorum & præſidiarias cohortes noluit ; Nec fuit exempli vis abſque lucro : propterea *Adoleſcentulæ dilexerunt :* Illa certè prima Eccleſia Hieroſolymitana recens à Iudaiſmo conuerſo in

*Chriſtus voto ſe ad redimĕdum hominĕ ſacrauit.*

Suarez.

*Chriſtum Regem etiam temporalem rerum omniŭ conſtituit Pater æternus.*

Suarez.

Mendoza.

Becanus.
Tannerus.

*Chriſtus* Oleum *quia Rex,ſed* effuſum *&* exinanitum, *quia Regni vſui, delitijs, opibus renunciauit, vt Paſſioni locŭ daret.*



in qua etiam & de vanâ Deorum ſuperſtione Animæ non paucæ ex his , qui Ieſum crucifixerunt : aſpicientes in illum , qui cùm diues eſſet, egenus factus eſt, *poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant,& diuidebant illa omnibus,prout cuique opus erat,* Actor.c.2.verſ.45. Verùm,quid ipſi ſentiamus de temporali Chriſti Dominio, properemus lectori breui oſtendere oratione.

Actor.2.45.

55. Putamus igitur,Chriſtum in omnia mundana regna temporalem poteſtatem directam , & per ſe acquiſiuiſſe : Quare potuit , ſi vellet , ex titulo merè ciuili, & politico , qualem habent , qui legitimè orbi præſident , ſuo pro nutu vniuerſitatem Creaturarum gubernare , præcepta dare & hominibus & Angelis, vti rebus ad placitum,cui vt homini , tanquam Imperatori ſuo vero atque germano deberet vtraque rationalis Creatura obedire. Pro hoc axiomate noſter Mendoza allegatâ nuper ſect. n.22. præter vetuſtiorum quoſdam citat Nauarrum, Petrum de Aragon , Molinam , Suarez , Vazquez , Salazar : ipſius approbat calculus : & ab eo recenſitis Nos adiungimus Henriquez de vltimo fine c.25.num 1. & diſtinctius in gloſſemate, littera X. Azor tom.1. lib.2. c.15. ſub initio. Raguſa in 3.part. tom.2. diſp.25. §.1.ibidem Ioannem Præpoſitum quæſt.22. art.6. dubio.2. Lorcam , tom.1. diſp.83. memb.3. Cabreram tom.2. q.22. art.1. diſput. vnica.§.6. Lorinum ad verſ.6. Pſalm.2. Iuſtinianum in ep.1. Petri c.2. ad verſ.25. num.26. Auguſtinum Quiros in c.1. ep.ad Epheſios , num.84. & in Iudæ ep. num.65. non tam latè vagatur, cohibet enim regnandi ius intra fines Iudaici ſceptri , cuius proximum Herodem Chriſtum fuiſſe adſtruunt Antonius Perez de authentica quattuor Euangeliſtarum fide, Controu.1. cap.23. num.178. Tena in cap.1.ep.ad Hebr.difficultate 3.ſect.4.num.26. quanquam non moris humani fuiſſe imperium dicat,nihilominus Chriſtum quatenus hominem affirmat habuiſſe Dominium vniuerſale diuinum & excellens ſupra omnes res creatas temporales; quin & ſupra Spiritales : ergo Chriſtus poteſtatem habuit ſanè ; non exercuit magnas ob cauſas. Quid? nonnè hoc palam Angelicus Doctor 3. part. quæſt.58. art.4. ad 1. *Dicendum , quod ſicut dictum eſt , iudiciaria poteſtas conſequitur regiam dignitatem : Chriſtus autem , quamuis eſſet rex conſtitus à Deo : non tamen in terris viuens , terrenum Regnum temporaliter adminiſtrare voluit : vnde ipſe dicit,Ioan.* 18.*Regnum meum non eſt de hoc mundo : ſimiliter etiam iudiciariam poteſtatem exercere noluit ſuper res temporales , quia venerat homines ad diuina transferre.*

*Chriſtus habuit quà homo,ius & dominium per ſe & directum in nationes omnes.*

Mendoza.

Nauarr.
Petr. de Arag.
Molina.
Suarez.
Vazquez.
Salazar.
Henriquez.
Azor.
Raguſa.
Ioan.Præpoſ.
Lorca.
Cabrera.
Lorin.
Iuſtinian.
Quiros.

Perez.

Tena.

*Poteſtatem ſuam Chriſtus non exercuit magnas ob cauſas.*
S.Thom.

56. Hoc Ioannes indicauerit , Apoc. c.1. verſ.5. *Principem Regum terræ* Chriſtum nuncupans : iterúmque c.19. verſ.16. *Et habet in veſtimento , & in femore ſuo ſcriptum : Rex regum & Dominus Dominantium :* Atqui iſta nequeant de ſpiritali imperio conſtrui niſi per accommodationem & metaphoram , vti animaduerſum rectè ab Alphonſo de Mendoza , Relectione de vniuerſali Chriſti Regno & Dominio, num.13. Non enim ſacra Iuriſdictio Regis vocabulo quaſi natiuo conſueuit exprimi , ſed aut Pontificis , aut Sacerdotis , aut eius formæ dictionibus & certè de Chriſto, quoad homo eſt , Ioannem intellexit Gregorius Romanus, hom.13.in Ezechielem : quò igitur ſcripturæ phraſis genuinè, atque propriè explicetur, de temporali Dominatu erit concipienda. Apud Matthæum etiam cap.28. verſ.19. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo , & in terra :* Si omnis quidem poteſtas : ergo & temporale ius regnorum, modò hoc tribui non repugnet : alioqui , ſi poſſibile conceſſum , cur diminuenda ſignificatio vniuerſalis notæ? Paulus quoque ad Hebræos cap.2. verſ.8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius : in eo enim, quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei:* quibus cognata profatus eſt 1. Corinth. c.15.v.27. *Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius : Cùm autem dicat : Omnia ſubiecta ſunt ei ; ſine dubio præter eum,qui ſubiecit ei omnia:* Et ipſe apud Ioan.cap.13. v.3.*Sciens,quia omnia dedit ei Pater in manus.* Porrò de Chriſto vt homine Apoſtolum loquutum , & contextus indicat colligatio,& Interpretes libenter innuunt : Quando igitur tantus in extollendâ Chriſti Dominatione Gentium Magiſter,eiúſque nihil exemptum imperio dicat præter Deum, qui vniuerſa ſubiectarat, quamobrem negaturi ſimus his vocibus expreſſum ius temporale Regnorum, quando hoc reiectato non tam fuerit plena Dominatio , quantam Paulus aſſeuerat? Quare mediusfidius non ita verum quod Vazquez autumat , tom.1. in 3. part. diſp.87. num.13. leniter hæc ex Bibliis fulciri : ex quibus & illud demum poſteriori ad Corinth.c.8. v.9. *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti , quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet Diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis :* vbi Caietanus aptè : *Cùm eſſet diues,vtpote Dominus omnium diuitiarum mundi : noluit Ieſus vti dominio , quod habebat ſuper omnes diuitias: ſed aſſumpſit ſtatum pauperem,*&c. Firmius eſt, quod idem Vazquez nuncupatæ diſputationis cap.3. adſtruit , ſubobſcurè declaratum à Patribus temporale regnorum ius , quod habuerit Chriſtus: non quod ij aduerſentur his , quæ nos producimus:ſed cùm cernerent terreſtres Iudæorum animos in vanam opum ſpem procliues , (exiſtimabant enim venturum Meſſiam, qui Dauidem, Salomonem & retroacta imperia omnia diuitiarum gloriâ ſuperaret , Lege Abulenſem tom.1. in Matth. quæſt.43. in c.1.) hunc vt conuellerent errorem Patres , equidem aſſerebant quod certiſſimum eſt , & nos comprimis amplexamur , à temporalis gubernationis vſu Seruatorem abſtinuiſſe , ab iis, quibus vulgus internoſcit Reges, domo ampliſſimâ, comitatu , vectigalibus , luxu epularum,& veſtium. Cæterum in Ioannis verba ex c.18.v.36.*Regnum meum non eſt de hoc mundo*,&c. tacitè quidem Regem ſe indicare ; at non eſſe inferioris mundi,ſed Olympi pariter rectorem : nec datam ab hominibus , ſed genitori acceptam referre imperij poteſtatem , Chryſoſtomus ſignificat hom.82. in Ioannem ; Theophylactus , quem & Catena S. Thomæ, & Gloſſa auctior allegant, Rupertus lib.13. in Ioannem , Laurentius Iuſtinianus ſerm. de Dominica palmarum : Animaduertit acutè Caietanus , ſubiunxiſſe ſtatim Chriſtum : *Nunc autem Regnum meum non eſt hinc :* velut dixerit : ego quidem & in huius Orbis ſceptra habeo ius : At non hæc occaſio demonſtrandæ authoritatis ; ſiquidem nunc vita ærumnoſa & paſſibilis eſt,quando oporteat fulgores ſupprimere:veniet hora cùm in Maieſtate apparuero : Citatus Author : *& eſt ſenſus : dixit , Regnum meum non eſt de hoc mundo:non eſt nunc in præſenti tempore paſſibilitatis & mortalitatis meæ.*

Apocal.1.5.
Et c.19.v.16.

Mendoza.
*Iuriſdictio ſacra ſeu ſpiritalis, Pontificis aut Sacerdotis vocabulo ſolet exprimi , non Regis.*

Matth. 28. 19.

*Probatur ...*
Ad Hebr.2. 8.
1 Cor.15. 27.

Ioann.13.3.

Vazquez.

2.Corinth. 8.9.

Vazquez.

Toſtat.

*Regnum meŭ non eſt de hoc mundo , quo ſenſu?*
Ioann.18.35.

Chryſoſt.
Theophylact.
Gloſſ.
Caten.S.Th.
Rupert.
Laur.Iuſtin.
Caietan.

Probant communiter huius opinionis Tutelares : Quoniam ob gratiam vnionis , quæ infinitæ magnitudinis erat , debetur Animæ Chriſti quicquid in ſingularem eius laudationem commodum eſſe valeat , quicquid honorem & gloriam afferre poſſit : de hoc nemini Controuerſia: 57.

*Chriſti Regnum Rationibus aſſeritur.*

Atqui ius & poteſtas in vniuerſa mundi regna, totúmque id,quod extra Deum ſit, Chriſti encomium & famam multiplicat. Probo hoc:Nam imprimis hinc, quod Chriſtus quatenus homo (de illo enim ſic concepto ſermocinamur) Angelorum ordinibus præſtantior ſit, quo argumento vtitur Paulus cap.2.ad Hebr. verſ.8. neque enim ex ſpiritibus alicui vnquã conceſſum,vt dominaretur vniuerſis,ſolo Numine excepto:quanta autem ſublimatio eſt hominem Angelicis mentibus antiſtare? Deinde,quale meretur præconium, quàm immortale illud, cùm ſe tam potens Monarcha ita demiſerit,vt etiam ſtipem emendicare non erubuerit,cuius erat pulchritudo agri, & iumenta in montibus & boues? Oſtendit Suarez tom. 2. in 3. part. diſputatione 28. ſectione 2. §.*Tandem ſolet*: Sed de Chriſti inſigni paupertate ad longum & doctè Dermicius Thadæi in Nitela Franciſcanæ Religionis; Concertatione ſingulari de paupertate Chriſti & Apoſtolorum,pagina 201. Quid,ſi non iſtud, celebre & admirandum? Verùm ſi cui diſplicet, quod vnionis gratiam hæc conſecuta ſit poteſtas regij ſpſendoris in actu quidem primo & radice,quod ius ad Coronam dicitur: perlegat à nobis diſſerta ſuperiùs à numero 47. & inueniet, quibus fundamentis ſtatuimus ex liberalitate paternâ Chriſto optionẽ conceſſam, an vellet animæ gloriam in Corpus tranſilire, an magis paſſioni obnoxiam portare Carnem; iiſdem vallari poſſe ex dono genitoris accepiſſe poteſtatem in regna orbis: niſi illud fortaſſe arrideat: expectaſſe Patrem, vt Chriſtus eligeret ex gaudioſis vel triſtibus: poſtquàm autem Cruci ſe deuouit, & Parenti ſubiturum ſe ſpopondit lignum ferale in eum quidem diem, hoc cùm promeruerit actu alia innumera: tum etiam temporariam hanc poteſtatem generalem, ſuperexcedentem: Annon hoc Bernard. lib.3.de conſideratione ad Eugenium cap. 1. *Non tu ille,de quo Propheta: & erit omnis terra poſſeſſio eius: Chriſtus hic eſt,qui poſſeſſionem ſibi vendicat & iure Creationis,& merito Redemptionis, & dono Patris:cui enim alteri dictum eſt: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ? poſſeſſionem & dominia cede huic,tu curam illius habe: pars tua hæc,vltrà ne extendas manum.*

Ad Hebr. 2.
Suarez.
Derm. Thad.
*Quomodo Chriſtus temporalem ſuam generalem promeruerit Poteſtatem?*
Bernard.

58\.
*Duo Obijciuntur, 1. Poteſtatis otioſitas. 2. Diſſidiū hinc inter perſonas diuerſis naturis vnitas poſſibile.*

Obiicias duo: Nam cùm poteſtas illa nunquàm reduceretur ad actum,otioſa & ſuperuacanea fuiſſet: Deinde: poſſint omnes Diuinæ perſonæ vniri vel naturæ Angelicæ, vel humanæ:aut Pater Angelicæ ſubſtantiæ,cùm Filius Hominem aſſumpſerit: Tum vnitis tribus perſonis diuerſis naturis in ſpecie,vel in indiuiduo,haberet & homo & Angelus poteſtatem temporalem in omnem creaturam, quando hoc ad vnionem hypoſtaticam conſequitur: atqui inde fieret poſſe ab vna perſona licitè ſtatui quidquam, alterius placitis contrarium: eſſet igitur iuſtum diſſidium inter Reges,quod tantâ gubernatione non ſatis dignum videatur.Reſpondeo: Quando paſſo habenti qualitatem, ſeu velut qualitatem ex carentia operationis non reſultat commodum aliquod ſpectabile,& aliunde qualitas nunquam agit,planè inutilem fore eam qualitatem: Nos verò cauſam aut quaſi cauſam adſtruimus, quæ etſi ab agendo ceſſet, hoc ipſum vtiliſſimum eſt:Chriſto enim gloriam conciliat, & laudem ſummam, vt monſtrabamus elapſo numero. Ad alterum illud: Omnes comprehendere: Nam quis eſt, qui neget Chriſto vniuerſale dominium in ſpiritalibus quocum in ſecularia quoque annexum ius indirectum? Ergóne ſi Pater,aut Spiritus æterni Amoris hypoſtaticè vnirentur, diuerſa haberent placita quoad ſpiritale moderamen? num leges conderent oppoſitas? nequaquàm ſanè: Ad Dei prouidentiam tam grandia producere volentis ſpectaret concordia Animorum,atque vt vna eſſet vbique Reipublicæ ordinatiſſima facies:Quapropter quanquàm eſſent plures voluntates Regentium,quando ipſæ perſonæ multiplicarentur, ſed indiſcrepans eſſet ſententia omnium; eſſétque vocanda merito adminiſtratio Monarchica, quoniam quod in Monarchia excellentiſſimum eſt, id haberet: Alios prætermitto ſcrupulos, nam enodant multi, quos allegaui numero 55.

*Obiectionum ſolutio.*

59\.
*Cur Oleo ſignificatum Ieſu Nomen?*

Iam quorſum impulſi ſint non pauci, vt crederent Oleo exinanito IESV denotatum nomen breuiter expediamus: percrebruit enim vulgo ea exiſtimatio, neque ex doctiſſimis aliqui reſpuerunt. Nempè hîc ſermo eſt de quadrilitterio Dei nomine יהוה *Iehouah* quod Tetragrammaton celebri appellatione vocatum: Innuit autem Salomon ex quo Incarnatus ſit Deus, pronunciabilem factam eam dictionem. Bernardus ſerm. 15. in Cantica: *Quale erat* (inquam) *nomen,quod ſciſcitanti Moyſi primò reſponſum eſt: Ego ſum,qui ſum, & qui eſt, miſit me ad vos? Neſcio,an vel ipſe Moyſes caperet ſic, ſi non videlicet effunderetur: Sed fuſum eſt, & captum eſt: Nec modò fuſum, ſed effuſum: nam infuſum iam erat: iam cœli habebant illud, iam Angelis innotuerat: eſt autem foris miſſum: & quod Angelis ita erat infuſum, vt eſſet & priuatum,effuſum & in homines eſt, ita vt iam tunc meritò clamaretur de terra, Oleum effuſum nomen tuum, ſi non ingratæ plebis exoſa peruicacia obſtitiſſet.* Certè cùm eo de nomine loquatur, quod illis verbis ſignificatum: *Ego ſum,qui ſum*; planè nomen Tetragrammaton innuit, illud namque in Hebræo eo reperitur loci, quemadmodum Interpretes vno ore proclamant ad cap. 3. Exod. verſ.14. Lyra, Caietanus, Eugubinus,Lippamus,A Lapide,Bonfrerius, Pererius diſputatione 12.Oleaſter: Alcazarius, notatione 3. ad verſ.4. cap.1. Apocalyp. Iuſtinianus ad verſ. 10.cap.2.ad Philip. num. 5. Alphonſus de Mendoza quæſt.10. Expoſitiua, numero 5. Tena difficultate 4.in cap.2. ad Hebr. ſectione 4. Hoc igitur nomen ante Incarnationem, Angeli, qui beati & cœleſtes,norant efferre; id humanæ ruditati inconceſſum.Verùm poſt editum Saluatorem, quod antè quaſi vaſe incluſum erat, effuſum eſt, & publici iuris factum: Sed hoc ita factum eſt, quia nomen illud imperuium commutatum eſt in IESV dulciſſimum vocabulum, ídque manifeſtè Bernardus adſtruit: igitur cùm *Oleum*, quod *effuſum* ſit, nihil aliud intelligatur, quàm quod in IESV nomen,Tetragrammaton illud tranſierit, erit vt per Olei euacuationem rectè intelligatur Ieſu nominatio. Confirmo iſtamet: Nam Ioannes Rheuclinus lib. 3. de verbo mirifico, quem citat Alphonſus de Mendoza nuper memoratâ diſceptatione num. 4. affirmat, ex additione Literæ *Schin* ש compactum de vocabulo IEHOVAH, Sacroſanctum IESV nomen: benè autem interiectam eam Literam, nam lampadis, quâ *Oleum* ardet formam refert; quare ad miraculum quadrare in nomen Ieſu, quod *Oleum effuſum* vocetur, quando eius interpoſitione Literæ,quæ Olei Lampadem oſtendit, ex *Iehoua* conſurrexerit *Ieſus*: quin & ab eiuſmodi Litera inchoat vox, qua inter Hebræos *Oleum* deſignatur: nam שמן *Schemen* Oleum eſt. Deni-que

Bernard.
*Illud Nomen Iehouah olim ineffabile,poſt Incarnationẽ effuſum eſt, i. omnibus permiſſum, iam in nomen Ieſu mutatum fuerit.*
Exod. 3. 14.
De Lyra.
Caietan.
Eugubin.
Lipp.
A Lapide.
Bonfrerius.
Pererius.
Oleaſter.
Alcazar.
Iuſtinian.
Alphonſus Mendoza.
Tena.
Io. Rheuclin.
Mendoza.
*De nomine* Iehouah *nomen* Ieſu *concinnatum, ſecundum aliquos.*



que lamina illa aurea, quæ ab Aaronici Sacerdotis pendebat cidari, quod ferebat Sanctum Domini Nomen, non aliud fuiſſe, quam יהוה *Iehouah* vocabulum ex multis corroborant teſtibus Bonfrerius ad verſ.36.cap.28. Exodi, Alcazar notatione,quam diximus ad verſ. 4. cap.1. Apoc. in qua Hieronymus claſſe epiſtolâ ad Fabiolam de veſte Sacerdotali: ſed Hieronymus in eiuſdem epiſtolæ calce: *Quod olim* (ait) *in lamina monſtrabatur, nunc in ſigno oſtenditur Crucis*: Verùm,quod modò in Crucis monſtratur titulo nomen Ieſu eſt: igitur ſi tum in lamina id,quod nunc in Crucis apice, Ieſu erat nomen, quod à Sacerdote portabatur: quare demum ſi olei ad inſtar propalatum eſt nomen *Iehouah*, Ieſu etiam nomen erit *Oleum effuſum*.

Bonfrer.
Alcazar.
Hieronym.

60\.
Alcazar.
Tena.
Bonfrer.
*Nomen Iehouah Iudæis prohibitum.*

His vt ordine ſatisfaciamus: Dico cum Alcazario notatione 3.in verſ. 4. cap.1. Apocalyp. ſectione 5. atque Tena difficultate 4. in cap.2. ad Hebræos ſectione 4.numero 21. & Bonfrerio ad verſ.3. cap. 6. Exodi, non ideo vocatum nomen ineffabile, quia pronunciationis incapax, ſed quoniam Religione quadam Synagogæ Antiſtites vetuerunt, ne ore aſſumerent Iudæi: atque ob ſimilem cauſam ab iiſdem interdictum inſinuauimus Tomo 1. Anteloquio 7.numero 52. ne quis donec trigeſimum attigiſſet annum Canticorum volumen perlegeret, ſicut neque abſtruſiora quædam Ezechielis capita, aut initium Geneſeos: itaque erant huiuſmodi non raro prohibitiones ob illius populi aut inſolentiam, aut ruditatem: tum ne etiam paterent gentibus arcana legis grauiora: Nam certè ab Alcazar peritè animaduerſum,introductum apud Hebræos, ne labiis vſurparent nomen Tetragrammaton poſtquam LXX. duo ſeniores Biblia Græcè loqui fecerunt:ſub nouo autem fœdere ſicut gratia copioſior, ita & libertas maior: Quamobrem Paulus ardens Amator in non plurimis Epiſtolis quingenties Ieſum nominauit, vt monet ex aliorum teſtimoniis Serarius noſter quæſtione 17. in cap. 2. Ioſuë: Quid enim miſeris nobis fiat, ſi non Ieſum crebrò proferamus? *An non toties confortaris* (exclamat Bernardus ſermone quem allegauimus 15. in Cantica,) *quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat bonos mores,atque honeſtos, caſtas fouet affectiones? Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum: ſi diſputes, aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus: Ieſus mel in ore, in aure melos; in corde iubilus*: Neque Bernardus cùm eiuſmodi eſſe nomen ſignificauit, quod capi non poſſet, de nudo vocabulo pronunciauit, ſed de re ſignificata per nomen, Dei nimirum eſſentiâ, quem niſi ſub velamento Carnis latitantem mortalis imbecillitas ſufferre non poſſet,non enim Deum videbit homo, & viuet. Quam interpretationem mutuatus ab Origine hom.1. ex quatuor. *Niſi enim* (ait) *exinaniſſet vnguentum,hoc eſt,plenitudinem diuini Spiritus,& humiliaſſet ſe vſque ad formam ſerui, capere eum nullus in illa diuinitatis plenitudine potuiſſet, niſi ſola fortaſſis Sponſa, pro eo, quod videtur indicare, quia vnguentum iſtud exinanitum non ſibi, ſed Adoleſcentulis Dilectionis dederit cauſam.* Illud ex Rheuclino de Cabaliſtarum ſomniis eſt, nec acuta fabella:Dentibus potiùs aſſimilatur Litera ש *Schin*, quàm lampadi; diceret igitur ſignificari magis nomen Ieſu verbis illis ex cap. 4. Cantic. verſ.2. *Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro*; quo nihil mage ridiculum.Tandem Hieronymus myſticè loquitur, & ſignificat ſolùm Crucis typum fuiſſe frontis Sacerdotalis notam eam,quòd frontem Chriſtiani frequentiùs ſalutifero muniant charactere: alioquin ſi ex Cauillo agendum, ſequatur & in Pontificis vertice reliqua præter Ieſu nomen fulſiſſe, quæ Crucis apice ſculpta, ſcilicet & *Nazarenum* fuiſſe & *Regem Iudæorum*: Quare à nomine *Iehoua* petita argumentatio infirma eſt, cùm & ſignificatione & Literis diſtet *à Ieſu* vocabulo: namque יהוה *Iehoua* ſcribitur per quatuor Literas *iod* י, *he* ה, *vav* ו, *he* ה: at vero *Iehoſchua* יהושע, vnde Ieſus, quanquàm alij immediatiùs à contractiori vocabulo Ieſus ישוע deducunt,quatuor item Literis conſtat, ſed diuerſis, nempe *iod* י, *ſchin* ש, *vau* ו, *hain* ע: ſignificatio quoque diſcrepans eſt: nam ſiue Iehoua יהוה trahatur à radice היה *haiah* quæ vox ſignificat *eſſe*, ſeu ſit ipſum primitiuum verbum,& deriuationem ignoret, vt placet Alcazario præfata notatione ſectione 4. conueniunt Authores,quos numero antecedenti ſuper verſum 14. cap. 3. Exodi: *Ego ſum, qui ſum*, allegaui, denotare eſſentiam Dei: Ieſu nomen oritur à verbo *Iaſchah* ישע, quod ſaluare innuit, Hebræis namque id vocabuli ſalutem ſonat, vt monet Genebrardus ad verſum 16. Pſalm. 131. Lorinus ad verſ.16.Pſalm.9.Gueuara atque Ribera ad verſ.18. cap.3. Habacuc,vbi cùm in Originalibus ſit ישעי *Iiſchehi*, quo ſalus indicatur; quare Vatablus & Sanctes verterunt; *Lætabor in Deo ſalute mea*:Ordinarius tamen interpres *Ieſum* tranſtulit,dicens: *& exultabo in Deo Ieſu meo.*

Alcazar.
*Nomen Ieſu in Epiſtolis D. Pauli frequens.*
Serar.
Bernard.
Origen.
Rheuclin.
Cantic. 4. 2.
Hieronym.
*Longè diſtat à nomine Iehoua, nomen Ieſu.*
Alcazar.
Exod. 3. 14.
Genebrard.
Lorin.
Gueuara.
Ribera.
Vatabl.
Sanct.

61\.
*In Scriptura Synecdoche ſeu pars pro toto.*

Quod ſi eâ nitamur figurâ, quæ parti accommodat nomen totius, & Synecdochæ membrum eſt, à quo Tropi genere Scripturam non abhorrêre euincunt Cantapretenſis lib.9. Hypotyp. Regula 7. Galarza Euangelicarum inſtitut. lib.2. cap.20. ſanè ita, vt *Ieſus* & *Iehoua* idem eſſe cenſeantur,non denegaturi fuerimus: etenim Ieſus qui populum ſuum ſaluum facere venit,non qualemcumque ei peperit ſanitatem, ſed eam quâ animæ reſtaurantur,peccatum exuitur, cum Deo conciliamur: eruere autem à peccatis non potuit Creatura aliqua niſi adiunctam haberet diuinitatem, quamobrem Ieſus is eſt, qui ſimul & Deus & homo ſit: quod vt innuerent LXX. Prophetico quidem Spiritu arbitratur Genebrardus ad verſ.12.Pſalm.13. commotos,vt cùm Saluatorem exprimerent ſuâ in verſione, non vocarent nomine ſubſtantiuo σωτηρία, ſed ex conſilio vſos adiectiuo neutro appellantes τὸ σωτήριον: nam termini adiectiuales concretionem innuunt,vt non ſit homo ſolus,Deúſve tantùm,at vtrumque claudat: Quando igitur Chriſtus & diuinâ & humanâ naturâ polleat, certè quà Deus eſt, *Iehoua* eſt, ſiquidem Dei hoc Sacroſanctum vocabulum eſt: *Ieſus* itaque latiùs patet quàm *Iehoua*, à quo differt ſicut totum à parte, vel includens ab incluſo: hac autem ratione de *Ieſu* dici valeat quod ſit *Iehouah*: quídni verò? Nam pro *Iehouah* vulgatus,Exod.cap.6.verſ.3. *Adonai* poſuit, *& nomen meum Adonai non indicaui eis*: Quæ vox generaliter interpretatur *Dominus* authore Hieronymo epiſtola 136. ad Marcellam: quam eſſe manifeſtam illius ſignificationem dicit Alcazar repetitâ à nobis eius Notat. ſectione 15. & rectè quidem: nam cùm eſſe Dei, quod nomen Tetragrammaton denotat ſit independens à quouis alio, & omnia à Numine dependeant, ipſe quidem Dominus pleniſſimè: quare & LXX. dictis Exodi verbis Κύριος reddunt: atqui & pro Ieſu

Cantapret.
Galarza.
LXX.
Genebrard.
*Nomen Ieſu latiùs patet quàm Iehoua, & ambo per Dominū efferuntur.*
Exod. 6. 3.
Hieronym.
Alcazar.
LXX.

Iudæ v.5.

Ieſu etiam Κύριος, quod Dominus eſt, ponitur: nam Iudæ epiſtola, verſ. 5. *Scientes ſemel omnia, quoniam Ieſus populum de terra Ægypti ſaluans:* Græca habent: Εἰδότας ὑμᾶς ἅπαξ τοῦτο, ὅτι ὁ κύριος λαὸν ἐκ γῆς αἰγύπτου σώσας: vbi Κύριος pro *Ieſu* poſitum agnoſcunt eum ad locum noſtri Iuſtinianus, Cornelius, Quiros: probántque benè non eſſe de Ioſuë Duce ſermonem, ſed de Chriſto, neque enim hic populum de Ægypto tranſtulit, ſed Moyſes: Si igitur & *Ieſus* & *Iehoua* pariter non incongruè vertuntur Κύριος, ſeu *Dominus*; non erit vſque adeò alienum, quod *Iehoua* cenſeatur eſſe *Ieſus* atque è diuerſo etiam *Ieſus* dicatur *Iehoua*: Quare ſanè, cùm oleum effuſum propterea à nobis Chriſtum dictum eſſe, ſubſcriptum ſit, quod vnctus ſit: Rex námque & Dominus vniuerſorum & quà Deus & quà homo; equidem haud fuerit abs re, ſi ſtatuamus his verbis alluſionem fieri ad nomina & *Iehoua* & *Ieſu*, quibus importatur Dominium Chriſti: Strictiori tamen Vocabulo eiuſmodi regia poteſtas ipsâ Chriſti dictione repræſentatur, cùm *Chriſtus* idem ſit quod Rex ex conſuetudine Hebræi idiomatis, quoniam Regnaturi vngebantur, quâ de materiâ in tranſactis, num. 16. Opportunè autem contigit in laudem nominis Ieſu, quod poſtquam inſertum eſt ei nomen *Iehoua*, quo Deus exprimitur: hoc certè nomen, quod priùs latebat quaſi Oleum vaſe incluſum intra Iudææ anguſtias, (*Notus* enim *in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius*) per Chriſtum effuſum ſit, eius in omnem terram delato rumore per Euangelij propagationem: id quod Origen. hom. 1. ex duabus, Theodoretus & alij Patres ădnotarunt hunc ad locum: Cæterùm, quemadmodum Ieſu vocabulum, & quam attulit redemptionem, ſalutémque hominibus, vt ſuperiùs dicebamus, hominem Deúmque pariter innuat, cùm niſi homo, pati non poſſet; niſi Deus, ad æqualitatem Patri ſatisfacere: Vtque nomen Tetragrammaton, quo Dei eſſentia exprimitur, vincat quodammodo, intueatur Curioſus apud Abulenſem quæſt. 7. in capite 20. Exodi.

Iuſtinian. A Lapide. Quiros. Pſalm. 75. Origen. Theodoret. Toſtat.

62. *Olei etiam vulgaris virtus medica.*

Fortaſſe etiam mouit, vt ſignificatum Oleo Nomen Ieſu intelligerent, quoniam medicinale eſt: nam ſanè de vnguentorum vſu, & quemadmodum ſaluti opitularentur, diſputauimus Veſtigat. 2. à num. 1. Nec vulgari oleo negata virtus: nam Iſaiæ cap. 1. verſ. 6. de plaga enormi, nempè à planta pedis vſque ad verticem: *Non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Et Samarita à latronibus vulnerato Oleum & vinum applicat. Luc. cap. 10. verſ. 34. Cùm igitur Ieſu nomen à ſalute, quæ medicinæ effectus eſt, Oleum autem Medicum ſit, & valetudinem procurans, rectè oleo deſignatum Ieſu nomen, atque eò ſanè magis, quo non corporum ille diuinus tantùm Æſculapius, ſed Animabus eam præſtiterit nitelam, quam ne Angelorum, aut hominum aliquis poſſit: atque cum hoc quidem ſenſu Epiphanius Hæreſi 29. *Ieſus* (ait) *in Hebraica lingua Curator appellatur aut Medicus, aut Saluator.* θεραπευτὴς ἤτοι ἰατρὸς, καὶ σωτὴρ: Cyrillus vero Hieroſolymitanus Catech. 10. *Ieſus appellatur vero nomine, à ſalutari medicina habens appellationem.* Rursúmque: *Ieſum apud Hebræos ſignificare Saluatorem, linguâ verò Græcâ Medicum ſonare quandoquidem & corporum Medicus eſt, & animorum Curator.* Verùm Epiphanius eodemmet loco priuſquam Chriſtiani dicerentur legem Euangelicam obſeruantes Ieſſæos propterea nuncupatos aſſeuerat, ob nominis Chriſti etymologiam, quam, vt perſpeximus, à curando is deduxerat: atque fuiſſe illos, in quorum Commendationem Philo Stylum elegantiſſimè exercuit, libro, quem de vita Theoretica intitulauit: equidem eo Volumine, quos *Eſſenos* celebriori vocabulo appellauit, quæ vox etiam à medendo apud Serarium Trihæreſij lib. 3. cap. 1. ſcilicet *à Iaſcha* יָשַׁע, quod valet ſanare, & medicinam attuliſſe, eoſdem θεραπευτὰς indigetat, cuius vocis ſignificationem exordio Narrationis præſtat, inquiens: *Vocantur enim Therapeutæ, Therapeutridéſque hoc eſt, Curatores & Curatrices, ſiue cultores & cultrices vero nomine: vel quia profitentur medicinam præſtantiorem iſtâ vulgatâ per oppida omnia, hæc enim medetur ſolis corporibus: illa & animas liberat morbis grauibus, & aduersùs medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiſcentiæ, dolores, timores, auaritiæ, inſipientiæ, iniuſtitiæ & cæteræ perturbationes, vitiorúmque agmen innumerabile: vel quia didicerunt à natura & ſacris legibus colere illud ens Bono meliùs, & vno ſincerius, & vnitate in generando antiquius, atque vt ita dicam principalius: horum pietati, quos tandem meritò comparabimus?* Euſebius autem confirmans hanc Philonis ſcripturam lib. 2. Hiſtoriæ, cap. 17. *Sed primò omnium* (inquit) *viros ipſos Cultores; & fæminas cum ipſis* (ait) *Cultrices appellari: cauſam verò huius vocabuli, vel ex eo deductam, quod conuenientium ad ſe animas, tanquàm rudes & agreſtes excolerent: vel quod erga Dei cultum, purâ & integrâ conſcientiâ perdurarent: Quod nomen ſiue ipſe impoſuit primus illis, ex ipſorum actibus colligens: ſiue verè in initijs ita appellabantur, qui ſecundum Euangelium viuebant, antequàm Chriſtianorum appellatio per omnem locum diffunderetur; nihil intereſt, dummodò ex ipſis rebus Nomen ad quos pertineat, comprobetur.* Ab hac igitur medendi poteſtate, quoniam in Oleo etiam refulget, arbitrati fuerint vnguento exinanito repræſentatum Nomen Ieſu: quæ ſanè mens eius ſententiæ clariſſimo patrono Bernardo ſerm. 15. in Cantica: *Cui* (inquit) *in aduerſis diffidenti, iam iámque deficienti: ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi & languores animæ iſti ſunt, illud medicina:* Idem verò argumentum fuſiùs proſequutus eſt ſermone 6. in vigilia Natalis Domini: adſtipulatur Philippus Abbas lib. 1. in Cantica, capite 9. *Cuius tactu medico* (ait) *tumores noxij detumeſcunt, reprimuntur aculei, dolores vulnerum manſueſcunt: inſtar fumi ſuperbarum mentium vanitas euaneſcit, pulſo morbo rediuiua ſanitas inualeſcit.*

Iſai. 1. 6. Luc. 10. *Oleo Medico Nomen Ieſu ſignificatum.* Epiphan. Cyrillus Ieroſol. *Ieſus Curator, Medicus. Chriſtiani olim Ieſſæi dicti.* *Eſſeni vnde dicti.* Serarius. *Chriſtiani Therapeutæ.* Philo. Euſebius. Philipp. Abb.

Explanatio



# Explanatio in eundem Verſum Didaſcalica,

*Pro morum eruditione.*

*Textus:* Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. *cap.*1. *verſ.*2.

*Maria diuinæ munificentiæ organum eximium: mite quaſſatorum leuamen: tota blandiens, & ſuauis.*

## SECTIO I.

63. *Maria, Oleū, à Miſericordiâ, dulcedine, medelâ, &c.* Halgrin.

AD Deiparæ miſericordiarum pleniſſima, & imcomparandæ dulcedinis viſcera transferunt Oleum, eiuſque effuſionem, Halgrinius Cardinalis: *Nam ſicut Oleum* (ait) *cæterum liquorem ſupernatat: Sic nomen eius & inuocatio nominis eius omnium ſanctorum nomina, & inuocationes nominum ſuperexcellit, & ſuperat in efficacia ſubuentionis, & obtentu diuinæ gratiæ & dæmonum fugâ.* Richardus à Sancto Laurentio libro 4. de laudibus Virginis, pagina 192. *Item, in ratione miſericordiæ eius dicitur ei, Cantic. 1. Oleum effuſum Nomen tuum: quod nomen effuſum ſi quis voluerit colligere, palato ſuo ſaporem, vulneribus ſuis medicinam, lucem tenebris ſuis poterit inuenire: Nunquid mater miſericordiæ, quæ plena eſt gratiâ, nomen ſuum cordis præcordijs inuocantem poterit deſpicere?*

Richard. à S. Laurent.

Illa & prudens & formoſa Regina Eſther, cùm apud Aſſuerum gratiam reperiſſet, non fuit vulgaris regia in eam liberalitas: *Quid vis* (inquit) *Eſther Regina? quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi:* Eſth. capite 5. verſ. 3. Putáſne erga Sponſam ſuam Deiparam immaculatam non æquè profuſum Numen, non erga Matrem Verbum, quod Carnem geſtauit? Quibus igitur limitibus circumſcriptum Dei Imperium? Dauid Pſalm. 61. verſ. 12. *Duo hæc audiui* (ait) *quia Poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia:* Igitur vel innoteſcit per beneficia Creator, cùm ſubuenit, cùm miſeretur: vel per ſupplicia quando terret, & caſtigat: Quod ſi cum Virgine beata hoc diuiſit Imperium, eíque dimidiam conceſſit Regnorum partem, dubitabimus aliâ donatam parte, quàm Clementiæ? Sed hauriamus iſtamet à Gerſone Cancellario Pariſienſi, tract. 4. ſuper Magnificat. *Magnificata eſt hodie Beata Virgo, vt Regina cœli, imò & Mundi iure vocetur, habens præeminentiam, & virtutem influxiuam ſuper omnes: principatum habet dimidij Regni Dei, ſi ſic dici poteſt ſub typo Heſther & Aſſueri: Regnum quippè Dei conſiſtit in Poteſtate, & Miſericordia: ſemel locutus eſt Deus, duo hæc audiui; quia Poteſtas Dei eſt, & tibi Domine Miſericordia: Poteſtate Domino remanente, ceſſit quodammodò Miſericordiæ pars Chriſti Matri, Sponſæque regnanti; hinc ab Eccleſiâ totâ Regina Miſericordiæ ſalutatur.*

Eſth. 5. 3. *Vt Eſtherem Aſſuerus, ſic Mariā Deus dimidio Regni ſui, nempe Miſericordiæ Imperio præfecit.* Gerſon.

64. *Impetratio apud Mariā, vtpote Clementiæ Reginam facilior, quàm apud Filium Iuſtū Iudicem.* Anſelm.

Atque ſanè bellè conſideratum ab Anſelmo: Filio genitricem honorare volente, factum, vt ad Matrem afflictorum maior confugiat numerus, quàm ad Gnatum, citiúſque Mater occurrat precantium votis, quàm Filius: *Quare ergo* (loquitur ille libro de excellentia Virginis, capite 6.) *propitior ſalus in recordatione eius, quàm filij ſui ſæpè percipitur?* Verùm ex præiactis nuper fundamentis, quæ à Gerſone mutuati ſumus, non erit difficile vt reſpondeamus: Námque pronunciabamus, cùm Dei imperium duobus potiſſimum niteretur fulcris: altero benignitatis & clementiæ, altero iudiciariæ authoritatis: Verbum quaſi abdicaſſe ſe, vt in Matrem transferret, Clementiæ Attributo; proin deinceps Iudicis functum vice: Quamobrem inuocatus, ad iuſtitiæ trutinam merita expendit dolentium, ideò vel non indulget poſtulatibus; vel tardior & lentus procedit: Deipara autem cùm Regnum acceperit, quod totum in manſuetudine eſt, non tam expendit frequenter, quid promereantur qui rogant, quàm quid ipſius ſummam deceat benignitatem, propterea velox atque feſtina eſt in liberandis ægrotantibus: Conſentit Anſelmus, *Dicam, quid ſentio: Filius eius Dominus eſt, & Iudex omnium, diſcernens merita ſingulorum: Dum igitur ipſe à quouis ſuo nomine inuocatus, non ſtatim exaudit, profectò iuſtè facit: inuocato autem nomine Matris, etſi merita inuocantis non merentur, merita Matris intercedunt, vt exaudiatur.* Suggeram aliud: fuêre ex Imperatoribus (vti Patrum noſtrorum æuo Inuictiſſimus & ter Auguſtus Cæſar Carolus Quintus,) qui ſponte ipſi ſe deſpoliauerint imperij inſignibus, & traditâ filiis Poteſtate ſtupendo exemplo, ſibi potiùs, quàm diffuſis Nationibus, in quas ius exercerent, viuere optauerint: Sanè tum, quanquam Nemo vel leuiter Philoſophus, cui non magis beata ſors Imperatoris, qui tumultibus liber: etſi eius quoque adhuc in Regnis pollens authoritas: Proculdubio tamen frequentior confluentium turba ad filij limina, quoniam quidem is moderabatur imperij habenas; apud eum, quâ ſe Parens abdicarat, poteſtas ſuprema. Ergo cùm Verbum (ita concipiamus, vt effatur Gerſon,) quaſi abdicauerit ſe Regnorum parte illâ, quam Miſericordia adminiſtrabat, cùm ad Matrem tranſierit; inde eſt, quod Genitricis fauorem plures ambiant, quàm Filij. Tertiò affirmemus: Quicquid cœleſtium donorum, eorum, quæ ad vitam æternam conducunt, largitus eſt hominibus Creator Deus, totum contulit ob Chriſti vulnera & Paſſionem: Iam Chriſtus pretium Redemptionis ſuæ Mariæ Virginis diſpenſationi ſubiecit: docet Bernardus ſermone de Aquæductu in eius Natiuitate: *Intuêre ô homo conſilium Dei: Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit:*

Anſelm. *Carolus V. Imperium filio relegauit.* *Chriſtus Miſericordiæ ſuum regnum in Mariam quaſi tranſmiſit, eiuſque diſpenſationi Redemptionis noſtræ pretiū ſubiecit.* Bernard.

*inſudit : Redempturus genus humanum , pretium vniuerſum contulit in Mariam :* Ergo certè Chriſtus hominum quaſi æmulatus mores , quemadmodum ipſi non niſi parcè & minutatim illa diſtribuunt , quæ per agonem , & labores conſequuti ſunt , ita hominum Seruator in diſpertiendis gratiis & cautior & cunctantior ; At velut iidem homines non ignauè abſumunt , quæ abſque ſudoribus & laſſamento compararunt,quorum alij onus tulerint : Sic Virgo Beata (craſsè dicamus) pretium Redemptionis,quod abſque perpeſſis in ligno vulneribus acceperit , faciliùs communicat : ac quando ita quidem monitore Bernardo quid ceſſamus peccatores ? quæ tam ſupina eſt noſtra inertia ? *Totis igitur medullis cordium , totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam veneremur : quia ſic eſt voluntas eius , qui totum nos voluit habere per Mariam.*

Idem.

*Spiritus ſanctus Mariæ velut Maritus in Verbi Incarnatione.*

65. Experiamur,num ab his lux aliqua ei affulgeat Nodo , quo nonnulli torquentur,dum veſtigant, cur ſingulariter aſſeratur Filius Dei conceptus eſſe de Spiritu ſancto , cùm tamen ad operationes ad extrà, omnes Trinitatis perſonæ concurrant indiuiſim ? Quem vt diſſoluamus , Statuamus quaſi Mariti vice functum tunc diuinum Pneuma : non reiectat phraſim Salmeron tom.3. in Euang. tract.8. §.*Dicitur autem,*&c. *Mihi verò* (ait) *inter cæteros ſenſus magis placet per virtutem Altiſſimi intelligamus Spiritum ſanctum, qui ſanctè præſtitit officium Mariti in præparanda Virgine , & Chriſti conceptione : Vnde illi tribuitur conceptio vt Artifici :* Illud autem exploratum eſt , virtute imbutos quoſque ſoceros, & filiabus eum deſpondêre Maritum , cuius educatio atque indoles ſimillimæ Virginis moribus : ruſúmque Puellam deligere in ea procliuem , quæ Adoleſcens amat. Subiiciamus exemplum:Erat Abraham omnium virtutum encomio præclariſſimus , exerebat tamen caput Hoſpitalitas : à genitore manauit in prolem Iſaac affectio : ablegatur in Meſopotamiam ſeruus,qui inde vxorem reducat : Sed quæ notæ,quinam deſponſandæ Virginis characteres? Certè, quæ adeò liberalis compareat , vt & irrationalibus potum ſubminiſtret : *igitur Puella , cui ego dixero : inclina hydriam tuam , vt bibam : & illa reſponderit ; Bibe , quin & Camelis tuis dabo potum, ipſa eſt , quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac :* Geneſ. cap.24.verſ.14.cur in Rebeccâ deſiderata hoſpitalitas ? nimirum,quia futurus Iſaac Maritus hoſpitalis erat , & decebat Virginem illi coniungi, quæ non diſcreparet à viri moribus , quæ & ipſa miſericors eſſet velut Maritus. Declarat egregiè Chryſoſtomus homil. 48. in Geneſim : *Nam,quia ſciuit Patriarchæ hoſpitalitatem , & quia Virginem inde deducendam congruebat iiſdem eſſe præditam moribus , quibus Iuſtus , nullam aliam coniecturam inquirit , ſed characterem Virginalis animi hoſpitalitate colligere vult , & inquit : Si quando ego aquam ab ea petiuero , dicens : inclina mihi hydriam : & non ſolùm faciet quod petiui ; ſed & candorem , & liberalitatem mentis ſuæ declarabit , & dicet : etiam Camelos tuos aquabo , morum ſuorum mititatem ſatis ex aquarum præbitione oſtendendo.* Sanè Abrahamum atque hac ipſa in re ſingillatim æterni genitoris typum ſuſtinuiſſe Auguſtino placère viſum , ſermone 71.de Tempore,Rupert. lib.6. in Geneſim, cap. 38. Pater igitur Spiritui ſancto , nexui & Amori ſuo daturus Sponſam ; quam daret , niſi eam , in qua Sponſi elucerent mores ? quid verò de Sancto flamine quotidie Eccleſia ? *Veni* (ait) *Pater Pauperum , veni dator munerum ! Conſolator optime , in labore requies , in fletu ſolatium !* Annon animæ deſperanti chariſſima nomina hæc omnia ? Sed fortaſſe non huius genij Deipara ? *Si criminum immanitate turbaris* (exclamat Bernardus hom.2.ſuper Miſſus eſt) *conſcientiæ fœditate confuſus , iudicij horrore perterritus , barathro incipias abſorberi triſtitiæ , deſperationis abyſſo , cogita Mariam ; in periculis,in anguſtijs , in rebus dubijs , cogita Mariam.* Ergo Virgini tam prolixè miſericordi, cùm è diuinis Perſonis Mariti officia quaſi ſuppleret ex ſpeciali appropiatione vna ; illa fuit adiungenda , cui miſericordem eſſe ſingulariter conuenit , & propterea Charitas appelletur, donorum , gratiarúmque largitor. Et quoniam à Rebecca deſumpſimus comparationem , annectamus quæ Bernardus Virgini applicat,ſermone de verbis Apocal.cap.12. Signum magnum apparuit,&c. *Ciba hodie Pauperes tuos Domina, nec puero Abrahæ tantùm , ſed & Camelis potum tribue de ſuperfluenti hydria tua ; quia tu verè Puella es prælecta,ac præparata altiſſimo Filio tuo.*

Salmeron.

*Sicut Iſaaco ſimilem in moribus vxorem quærit Abrahamus, ſic Spiritui S. Diuino Amori,dulciſſimo, liberaliſſimo, clementiſſimo,ſimilis genij Sponſam, Mariam nẽpe , prouidit Pater æternus.*

Gen.24.14.

Chryſoſt.

Auguſtin. Rupert.

Miſſale Roman.

Bernard.

Idem.

*Maria Ianua cœleſtis Beneficij ; Per illam ad Deũ introducimur.*

66. Dum conuiuio accumberet Ieſus in Cana Galilææ , vino deficiente feſtinauit ad miraculum Genitrix,& Gnato ſuggerit : Cur aliàs nunquam? & nónne certè cùm offerebantur grabato affixi, cùm à dæmone vexati , cùm vitâ carentes , tum potior interpellandi occaſio ? Equidem illud fuit *initium ſignorum* vt loquitur Ioannes cap.2. v.11. Vt igitur Deipara ianua eſſe miraculorum Chriſti intelligeretur , & per hoc limen eſſe ingrediendum cupientibus Redemptoris gratiam extorquere , idcirco his potiſſimum circunſtantiis ſemet ingerit. Rupertus lib.2. in Ioannem : *Optabat Beata Dei genitrix conuiuantibus fieri ianua cœleſtis beneficij , ne illorum deuotio , qui ſe inuitauerant , fructu ſuo careret :* Concinnè vocauit *ianuam cœleſtis Beneficij :* Equidem in eum diem latuerat Ieſus quaſi ſibi vacans tantùm , exemplúmque præbens illis , qui propriæ vacant perfectioni, nec Proximorum vtilitatibus diſtrahuntur:Nunc in apertum vadit , incipítque aliis ſalutaris eſſe, non tantùm per doctrinarum lucem , ſed per oſtenta, & miracula : Mater igitur videns,quemadmodum filius ſe effundit in commoda aliena, vt ſignificet per genitricem quaſi per oſtium ad filium introducendos quotquot eius ambiunt beneuolentiam , vota interſerit , atque eâ Mediatrice Aqua in vinum tranſmutatur : Sed cur repugnantior filius , vt qui Matrem velut increpet? *Quid mihi,& tibi eſt mulier ? nondum venit hora mea:* Piè ita coniectemur : Norat Chriſtus Genitricis eximiam clementiam , norat viſcera dulciſſima: Quod ſi quidem Mortalibus innoteſceret , quicquid Mater à gnato poſtularet ſine repulſa adipiſcendum iri , abuſuros quodammodò nimiâ benignitate homines , vt qui delictis ſuperaddere atrocia non vererentur ſcelera, ſiſi Deiparæ ſuauitate maxima : proinde vt frænum audaciæ poneret,Matris preces aſperiùs excepiſſe viſus.

Rupert.

*Pia & pulcra ratio , Cur Chriſtus in Cana Matrẽ increpare viſus?*

67. Neque inuenuſtè pro Virginis manſuetudine Sedulij Carmen vulgare exponas , ex lib. 2. operis Paſchalis :

Sedul.

*Ac veluti è ſpinis mollis Roſa ſurgit acutis*
*Nil quod lædat habens , matrémque obſcurat honore ;*
*Sic Eua de ſtirpe ſacrâ veniente Mariâ,*&c.

Ergo progenitores eius , quà homines ſpinæ, quæ interdum pungunt & lacerant , ipſa Roſarum inſtar læuis , blanda , affabilitas tota, *nil quod lædat habens* , gnatum & in hoc referens ſingulariter , de quo cum indicio Tertullianus

*Maria Roſa è Spinis nata.*



Tertull.

*Maria Nubecula leuis, pura,dulcis, è mari amaro, ſalſo,craſſo aſcendens.*

3.Reg.18. 44.

Ioan.Ieroſol.

Tertull.de Patientia : *Mira æquanimitatis fides:qui in hominis figura propoſuerat latère,nihil de impatiẽtia hominis imitatus eſt.* Sed ob parem cauſam Author Tract.de Inſtitut.Monachorum cum Io.Hieroſolymitani nomine, Nubeculæ comparauit, de qua Reg.3.c.18.v.44.*Quæ parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de Mari :* inquit c.32.*Licet námque Nubecula illa eſſet originaliter eiuſdem naturæ cum mari; alterius tamen fuit qualitatis,alteriúſque proprietatis: mare quippè ponderoſum eſt,& amarum,ſed Nubecula illa leuis fuit,& dulcis.* Igitur mare quidẽ ſalſum eſt atque mordicans,graue inſuper atque oneroſum; Maria quanquam de æquore prognata,nihil contraxit acerbitatis æquoreæ:nihil in ea quod vulneret,quod amaritudines pariat.Quamobrẽ præclariſſimè Bern.in huiuſmodi intuens, ſerm.1. de Natiuitate Mariæ : *Reuolue diligentiùs Euangelicæ Hiſtoriæ ſeriem vniuerſam, & ſi quid fortè increpatorium,ſi quid durum , ſi quod denique ſignum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria : de cætero ſuſpectam habeas,& accedere verearis.*

Bernard.

Abſolutâ Chriſti generatione Matth.c.1.v.18.
68. ſubnectit : *Cùm eſſet deſponſata Mater eius Maria Ioſeph,antequã conuenirent,inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto:*Cur genitricẽ dicit antequã prolẽ edat ? Chryſolog.ſerm.146. *Cùm deſponſata eſſet Mater eius Maria:ſuffecerat dixiſſe; Cùm deſponſata eſſet Maria:quid ſibi vult Spõſa Mater?Si Mater,nõ Sponſa:ſi Sponſa,non adhuc Mater?Virginitate Spõſa, fœcunditate Mater: Aut quomodo non ante conceptum Mater,quæ poſt partũ Virgo Mater?aut genitrix quãdo non,quæ ſeculorũ generauit authorem? Maria mater vocatur,& quando non Maria mater ?* Quid dixti ô Chryſologe?Siccine interrogaſſe deceat?*Et quãdo non Maria mater?*nẽpè per ipſos annos quindecim priuſquã Mũdi Redemptionẽ enixa fuiſſet:neque enim mater abſque prole,ſobolẽ autẽ non habuit niſi quindennis ex vulgari calculamẽto:Sed nunquid ab origine Mũdi plures tranſierãt ætates, in quibus tamẽ Maria genitrix ignorabatur?Subtiliter tamẽ aſſeuerauit P.Rauennas Mariã nunquam nõ *Matrem* extitiſſe:quippè Maternũ vocabulũ ſi quod aliud,pietatẽ ſonat,miſericordiã, cõpaſſionẽ:nihil in genitrice auſterum,etiã quæ videntur iræ blanditiarũ haud expertes:igitur, vt negemus Deiparæ alia Epitheta,atque Nomina, ſed Matrẽ omni tempore non vocaſſe,piaculum fuerit;parũ dixi,ab exordio mundani opificij Matrem reputatam,vel ante ſecula quoque,tum quãdo Dominus eam poſſedit *initio viarum ſuarum , antequàm quidquam faceret à principio:*nam ſimul atque prædeſtinata eſt in Matrem, vnà etiam in afflictorum remedium,ex tunc præordinauit, vt totum haberemus per Mariam, proindè ſi quid ſpei in nobis eſt,ſi quid gratiæ,ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare:non incongruè igitur Euangeliſta adhuc deſponſam tantùm vt ex Patribus nonnulli autumant , Matrem appellauit, quoniam ſi non pariendo genitrix tunc ( quanquam & Scripturæ mos , Nomen adhibere rei, quæ citò exequenda ſit,) Mater tamen ob pietatem,& ab incunabulis.

Matth. 1.19.

Chryſolog.

*Maria nunquam non Mater, etiam ante partum, quia Matris nomen pietatem,miſericordiam,compaſſionem ſonat,*&c.

Prouerb.8. 22.

*Iniuriam clementer remiſiſſe , Diuinitatis quoddam indicium eſt.*

SECTIO II.

69. QVod Chriſtus carnẽ aſſumpſerit paſſibilẽ,& mori voluerit inimicos redempturus, propterea *Oleum effuſum*,ſiue *exinanitum* dictũ meritò putauit Philo Carpathiorum Antiſtes:*Dicens autem diuina Scriptura,vnguentum effuſum nomen tuum, Chriſtum Ieſum appellat humanitate veſtitum:dñi enim vnguentũ effuſum vocat nomen Ieſu Chriſti,immenſam ipſius miſericordiam,atque pietatem erga nos oſtendit: tunc enim verè effuſum,cùm ſeſe noſtrâ mortalitate cõtexit,vt nos ſua immortalitate donaret : tunc ſeſe totum nobis per viſcera ſuæ pietatis effudit,cùm pro nobis mori vel crudeliſſimè non recuſauit:*At certè niſi tã impẽsè ſibi contumacem humanam naturã adamaſſet, vix ſatis Deũ quodãmodo nobis ſe probaſſet:hauriamus à Tertull.lib.de Reſurrect.Carnis,c.9.*Diliget Carnem tot modis ſibi proximam:etſi infirmã, ſed virtus in infirmitate perficitur : etſi imbecillã,ſed Medicum non deſiderant niſi malè habentes:etſi inhoneſtã, ſed inhoneſtioribus maiorem circumdamus honorem:etſi perditam,ſed ego,inquit,veni,vt quod perijt ſaluum faciam : etſi peccatricem , ſed malo mihi , inquit, ſalutem peccatoris , quàm mortem : Quid ea exprobras Carni, quæ Deum expectant,quæ in Deum ſperant, quæ honorãtur ab illo,quibus ſubuenit? Auſim dicere:Si hæc Carni non accidiſſent : Benignitas,gratia, miſericordia,omnis vis Dei benefica vacuiſſet:*Quæ poſteriora ſic interpretor;id eſt,ſi Numen,huiuſmodi Naturę humanæ , quæ per Adæ tranſgreſſum infecta eſt , quæ multiplicauit deinceps ſcelera,quæ vindictã prouocauit Creatoris;non ſubueniſſet miſericors,iniuriarũ memoriam obliterans,haud eluxiſſet Muniſicentia,quæ Deo digna fuiſſet,& vt Tertullianicâ dictione loquar:*Omnis vis Dei benefica vacuiſſet.*Sed concedamus irreparabili caſu deperditum genus humanũ,neque eius cauſâ Verbũ in puellare Clauſtrum dilapſum,annon adhuc patentia diuinæ largitatis monumenta ? Quis potuit terram ſuper ſtabilitatem ſuam,niſi ille,qui ſolus potens eſt,fundare?quis maria amplificare?Quis tempora diſponere, elementa regere ne ſe mutuò diſſipẽt? iam ordo inconcuſſus rerum per tot annorũ myriades,& Olympi facies aſtrifera, & Angelorum, hominúmque molimen : denique beatiſſima illa ſtatio gaudentiũ cũ Deo:hæccine fortaſsè ab alia quã ab infinita virtute ? quid igitur adſtruit Tertullianus niſi homini inimico parceretur,nõ eſſe, vt diuina ſplenderet clementia,nec ſuppetere argumẽta veſtigandæ ſummæ eſſentiæ?Anne illud, quod alibi putauerit idem diuinam Naturã ipſam eſſe Patientiam ? Sic enim Tractatu de Patientia effatur : *Talia,tantáque documenta,quorum Magnitudo penès Nationes quidem detractio fidei eſt , penès nos verò ratio & ſtructio , ſatis apertè non ſermonibus modò in præcipiendo,ſed etiam paſſionibus Domini ſuſtinendo ; probant his,quibus credere datum eſt; Patientiam Dei eſſe naturam effectam , & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis:*Scio actus diuinæ mentis , quibus vult ſufferre humanam ingratitudinem non formaliter, ſed identicè diuinam conflare naturam:morem tamen geramus Tertulliano : Quod ſi certè iuxtà eius placitum : Patientia Dei natura effecta eſt;equidem,cùm Patientiæ vis non in benefaciendo vtcumque ſita ſit , ſed cùm Bonum reddimus eis , qui nobiſcum hoſtiliter egerunt,à quibus laceſſiti ſimus, cõſequenter idẽ affirmauit,non tam ex iis Beneficiis,quæ etiam in probos cadunt,Dei inueſtigandã liberalitatẽ, Dei vtiq; cuius Natura Patiẽtia;quàm ex illis quę inimicis cõtulit,Carnis aſsũptione & morte Crucis,

Philo Carp.

*Niſi Deus inimicos homines amaſſet, vix ſatis Deum quodammodò ſe nobis probaſſet.*

Tertullian.

*Diuina Natura ipſa eſt Patientia.*

Tertullian.

Sed ventilandum , quod Tertullianus ſcribat: 70.
*Patientiam non tantùm diuinam Naturam eſſe effectam; Verùm,& præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis :* Quid hac phraſi denotatum?Sanè,cùm fides Catholica doceat Triados diuinas Perſonas eſſe omninò æquales , neque alterâ quampiã maiorem, digniorémve ; tamen fuère inter Hæreticos,

Tertull.

cos, qui verbum Creaturam facerent Arriani, qui Spiritum ſanctum eâdem labe aſpergerent Macedoniani, de quibus Caſtro de Hæreſibus lib. 4. verbo *Deus*, Hæreſi 6. itémque decimâ: fortaſſe cùm intelligerent Deum nominari Ens à ſe, Creaturam Ens ab alio, & per participationem; ſcientes Verbum à Patre gigni, Spiritum ſanctum etiam principium agnoſcere, à quo proceſſerit, inducti ſunt, ſtolidè licet, vt ſolum Patrem, qui à nulla dimanat Perſona Deum opinarentur: itaque ſi quid eſt in Diuinitate quod ne ab Hæreticorum cauillis & inſcitiâ offendiculum paſſum ſit, Genitoris Notio eſt; & quia Pater improductus, Theologi dum Notiones aſſignant, quibus Perſonas Trinitatis diſtinguant, Patrem ingenitum appellant, ex Auguſtino, quinto de Trinitate, cap. 3. igitur ingeniti proprietas ea eſt, quæ quanquam ipſa ex ſana doctrina non ſit diuinior aliarum Perſonarum proprietatibus; tamen hoc aſſecuta, vt cùm aliarum perſonarum Notiones diuinitatem indicare veſani homines negarint; genitoris hanc proprietatem diuinam eſſe nullus inficiatus ſit, niſi qui omne Numen ſuſtulerit Atheiſta. Ergo aſſerit Tertullianus, tam diuinam eſſe Patientiam, qua tolerantur iniuriæ, quæ ingratitudinem non modò ſuſtinet, fouet quoque; vt quod in diuinitate tam patens eſt, vt ne hæretica temeritas labefactare auſa fuerit, videlicet, Ingeniti Notionem, hoc Patientia ſit; quæ non vtcumque diuina ſit: at ſortitâ præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis.

Caſtro.

*Patientia ingenita cuiuſdam eſt proprietatis, & inde Diuina.*

Auguſtin.

71. Seceſſit Iezabelis furentis Reginæ iras declinans Helias; dúmque interiori deſerto in ſpelunca lateret, blandè cum eo ſermocinatus Dominus: *Quid hîc*, (inquit) *agis Elia?* Reg. 3. c. 19. v. 9. Quamobrem nunc viſitat Numen? ſcilicet Propheta modò ſibi tantùm vacat, non fame depopulatur oppida, non falſos vaticinantes mactat, non vindictam exercet aliquam: vbi autem clementia eſt, & ab iniuriarum vltione requies; ibi citò adeſt Diuinitas: ſed intuere qualiter Prophetam continuò docet diuinitatem non reperiri niſi vbi lenitas regnet, Patientia & manſuetudo dominentur; Eductum igitur de cauea in monte iuſſit ſtare, vt tranſeuntem Dominum cerneret; exordium à ſpiritu grandi, & forti ſubuertente montes, & conterente petras: & poſt Spiritum commotio: Nunquid in violentiis Dominus, & ſaxorum diuiſione? haudquaquam ſanè: euomuntur poſt commotionem hanc ignes, flamma ſuccreſcit, ardet Vulcanus: An in vaſtante incendio Deus? minimè gentium; itaque his diſſipatis terroribus placantur elementa, conticeſcit eremus, ſyluæ obmutuêre, nihil de tumultu, nihil de ſtrepitu, tantùm lenis auræ murmur dulciſonum, & ſibilus mulcens, tenuíſque: ſed cum tali comitatu Maieſtas Creatoris. O certè ibi diuinitas vbi nihil irarum, nulla confractio: diſce vates parcere; diuinitas cum tolerãtia eſt: iterùm ſuccurrat Tertulliani ſtylus præfato de Patientia opere: *Sedet enim in throno* (loquitur de Patientia:) *ſpiritus eius mitiſſimi, & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus, & ſimplex, quẽ tertiò vidit Helias: Nam vbi Deus, ibidem & Alumna eius, Patiẽtia ſcilicet: Cùm igitur ſpiritus Dei deſcendit, indiuidua Patientia comitatur eum.*

3. Reg. 19. 9. *Eliam nõ terrores fulminantem ſed in deſerto mitem viſitat Dominus, docétque ſe non in commotione, non in flamma, ſed in aura leui.*

Tertullian.

72. Iobus ille Magnus Agoniſta proh quanta ſuſtinuit! irruêre Sabæi in armenta; è Chaldæa venientes camelos tulerunt: cur non qui conſolatum venerant tres Amicos, homines potentes in vltionem concitat? de cœlo contra eum ignibus dimicatum; Venti filios ruinâ ſuppreſſerunt: non lingua malediceret elementis inhumanis? nihil ſub tantis cladibus niſi vox conſentiens, *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit Nomen Domini benedictum*: Iob c. 1. verſ. 11. Putas & tantam ſuſtinentiam non ſupra hominem quidquam innuere? conſidera initialia verba: *vir erat in terra Hus, nomine Iob*: Sed quale in his myſterium? nam hominem eſſe oportebat quem infirmitates laſſarunt, neque enim capaces Angeli dolorum, atque miſeriarum ex naturæ ſuæ plaſte; tantùm abeſt, vt Deus intelligendus fuerit: aliquid tamen arcani in ea loquutione; Cur enim non ſufficiebat dixiſſe: Iob regnabat in terra Hus, velut cùm Tobiæ Acta enarrantur, ſtatim à principio: Tobias ex tribu & ciuitate Nephthali, cùm captus eſſet in diebus Salmanaſar, &c. Nunquid indicatum, Iobi tantam fuiſſe iniuriarum tolerantiam, tam inſignem Animi quietiſſimi moderantiam, vt niſi tantæ Hiſtoriæ grauiſſima fides atteſtaretur, hominem difficillimè crederemus, Numen ſuſpicaremur: itáne autumauit Chryſoſtomus hom. 2. de Patientia Iobi, tom. primo? *Quoniam quidem vitam narraturus erat virtuoſam, noſtrámque vim ſupra modum vincentem: ne quis ad agonis ſublimitatem reſpiciens, putaret non humanam, ſed peregrinam eſſe naturam, deſcribit naturam, vt propoſitionem admirêris: quod homo exiſtens ſupra hominem viuendo conuerſatus ſit; & communi quidem naturâ omnibus communicans: animam verò in ſublimi ſuperiorem adducens.* Sed num ſegnis aliquis Athleta Iob? Exiguæ viſæ ab aliis intruſæ contumeliæ, ipſe ſibi carnifex etiam & tortor: adhibeo Polychronij ex Græca catena grandia verba: *Tantúmque de Aduerſario laborauit, vt ſua ſponte aſperrimam Paupertatem complexus ſit, ac teſtâ viſcerum ſaniem detergens, tolerantiam exercuerit, in quo cruciamentorum ſuorum morſus acriores efficiebat: & cùm leniendi morbum nullam rationem ducit, inuidum Hoſtem deſperatione frangit.* Nouum fortaſſe cuipiam videbitur, quod voluntariam Polychronius dicat Iobi nuditatem, quando omni ſupellectile diſtractâ, non habuerit, quibus egeſtatem diuerteret: ſed conſiderent, tres eius ex veteri Amicitiâ ſodales, qui conſolatum venerant, Reges extitiſſe ex Tobiæ libro, c. 2. verſ. 15. At non illi fidiſſimo comiti opem tuliſſent, niſi ipſemet prohibuiſſet? ſpontaneum igitur fuit, quod in miſeriis iacuiſſet: verùm pro noſtro ſcopo maximè poſtrema clauſula ex Polychronio: *& cùm leniendi morbum nullam rationem ducit, inuidum hoſtem deſperatione frangit*: ſed quare in deſperationẽ velut prolapſus Satan? Anne reuelatum ei Iobum in gratia confirmatũ eſſe, vt vinci poſſe diffideret? Arbitrabimúrne tantâ iniuriarum ſufferentiâ perterritum, quaſi æſtimaſſe non cum homine ſibi certamen eſſe, neque enim in tanta parem Naturæ humanæ fragilitatem, proinde vt qui cum Deo quodammodò pugnam inierit, fractum cogitatione, omnem ſpem adipiſcendæ victoriæ animò depoſuiſſe?

Iob 1. 11. *Iobum quaſi Deum à magnâ ipſius patientiâ, Satan deſperans ſuſpicit.*

Chryſoſtom.

Polychron.

*Tres Iobi Amici, Reges.*

Peccauit Dauid numerando populum, & iratũ Numen ſupplicio deſtinat; non vna tamen pœna, ſed quam de tribus velit eligere Rex, ſcilicet aut famem, aut hoſtẽ victorem, aut Angelum percutientem tribus diebus; ille verò: *Melius eſt mihi* (ait) *vt incidam in manus Domini, quia multæ ſunt miſerationes eius, quàm in manus hominum*, Paral. lib. 1. c. 21. v. 13. At cur non magis de primis duobus elegit, quãdo Creaturas tãtùm Aduerſarios experiretur, quàm hoc poſtremum; nimirum, cùm terribile ſit incidere in manus Dei viuentis? Animaduerte optimi 73.

1. Paral. 21. 13.



optimi Principis ſpecimen, vt cui ſubditorum incolumitate non ſua etiam vita charior ſit, & communium particeps eſſe velit miſeriarum. Nempè, ſi fames placuiſſet: (ſic enim emendati Sixti & Clementis habent codices, quanquàm & Vetuſtiorem lectionem, quæ Peſtilentiam retinet benè conciliat Toſtatus quæſt. 29. in hoc caput:) Vulgo miſerrimo pereunte præſertim ſi duraret ſeptennio, quemadmodum Regum lib. 2. innuit c. 24. v. 13. Regi tamen nunquam defuiſſent eſcæ: viueret itaque malorum expers: idipſum quoque eueniſſet, inimico ſtragem exercente, nam procumberent milites Rege incolumi ſeruato: Sed contagione liberari tam ſubitaneâ & diuinitus immiſsâ Angeli miniſterio, niſi fortunâ quadam non poterat, quod reliquorum vnicuique etiam contingere poterat; itaque in morbis æqua eſt conditio vniuerſorum: quo igitur ſolatium haberent ſubditi, & mala eò lubentiùs perferrẽt, quòd viderent Rectorem ſuum communibus damnis irretiri, nec voluptati, aut otio indulgentem, cùm cæteri perpeterentur, eſt enim hoc ſubditis acerbiſſimum, elegit ex infauſtis, in quo omnes æquè comprehenderentur. Gloſſæ Author, *Si famem eligeret, contra alios facere videretur, quia habens multa frumenta, inopiam cum alijs non pateretur: Si vinci ab hoſtibus per tres menſes eligeret, habens ipſe circa ſe viros fortiſſimos, nihil metueret cùm exercitus neci ſubiaceret: Communem ergo ſibi & alijs Paſſionem elegit, in qua timor omnibus eſſet æqualis:* Verùm non pro noſtro inſtituto hoc quanquam ſalubre documentũ: Certè (inquit) de iniuria ſumenda vltio eſt: Nũ homini fidam? Sed homo homini lupus: Eia recurramus ad Deum: Deitatis character eſt cum hoſte diſſimulaſſe: & negabit ſe fortaſſe Numẽ, vt velit mortem peccatoris? Miſerebitur proculdubio; ad ipſum conuolemus: ceſsítque Regi electio feliciter, neque enim adimpletæ minæ; percipiamus ex Ambr. elucidatione in Pſ. 37. *Elegit non quod à flagello eſſet immune, ſed quod moderatius indicauit, vt Dei lenitati magis, qui noſcet ignoſcere, quàm hominum ſe committeret poteſtati, qui menſuram vltionis frequenter excederent: miſeretur itaque qui neſcit errare: non miſeretur qui erroris eſt particeps: Nec fefellit Sanctum Dauid fides ſua, ſed in ipſa quoque offenſione gratiam diuinæ miſerationis emeruit: Nam, qui propoſuerat mortem triduo exercere in terra, ne vnum quidem diem paſſus eſt præterire, ſed ad horam prandij libenter indulſit, & vt verbo Scripturæ vtar; habuit pœnitentiam ſuper malitiam.*

2. Reg. *Mauult Dauid ſe Deo, quàm hominibus puniendum committere, quippe cui ſumma Dei nota erat & tolerantia & lenitas.*

Author Gloſſ.

Ambroſ.

74. Sedenti in Conualle Mambre Abrahæ tres viri apparuerunt, quos hoſpitio excepit, è quibus poſtea didicit de Gomorrhæ, Sodomorúmque excidio, Gen. c. 18. Sodomã tantùm duo intrarunt: *Veneruntque duo Angelici Sodomam veſpere*, Gen. c. 19. v. 1. cur diuiſus ab eis tertius ſodalis? Si liberalitas inuitat, etiã Lot quoque hoſpitalis eſt; ſin vrbs à paucioribus deſtruẽda, & multorum ſuperuacua auxilia, è tribus vnus ſuffeciſſet: cur duo ſingillatim? Equidẽ Deus & vnus eſt, & trinus pariter, ſubſtãtiâ naturę vnus, perſonalitate trinus: iſtorũ Numerorũ Deitati nullus repugnat, ſecùs de binario: Ergo certè in Sodomã is deſtinetur Numerus, qui Deũ ſignificare non valeat: Abrahæ tamẽ ſubeant tecta, qui Trinitatẽ repræſentant; nam eâ Angelorũ claſſe ternariâ qui ſub corporibus apparuerãt, Eccleſiaſtici Doctores Triados adumbratũ myſteriũ adſtruunt. Vide in Lippomanica Catena: nẽpè Deitati natiuũ eſt benefacere, ſeruare, protegere; ab ea tanquã alienum, iniurias vindictâ proſequi: benè itaque Deitatẽ qui repræſentant Angeli, ſeu quà Deus eſt, & proinde vnus, ſeu quà in perſonis trinus, Abrahæ Lares ingreſſi, quãdo ibi exercẽda munificentia, & pollicendus magnæ ſpei hæres Iſaac: Qui verò diuinitati ſignificãdæ propter binariũ numerum inidonei ſunt miniſtri, ad vleiſcendũ mittantur, ad Ciuitatum conflagrationem: Orig. hom. 4. in Geneſim: *Primò tamen obſerua, quòd Abraham cum duobus Angelis etiam Dominus affuit, ad Loth verò duo tantummodò Angeli pergunt; & quid dicunt? miſit nos Dominus conterere Ciuitatem, & perdere eam: ille ergo ſuſcepit eos, qui perditum darent, non ſuſcepit eum, qui ſaluaret: Abraham verò ſuſcepit & eum, qui ſaluat, & eos qui perdunt.*

Geneſ. 19. 1. *Moralis ratio cur Abrahæ tres apparuerint Angeli, duo verò tantùm Sodomam intrarint.*

Origen.



---

### *Deus excellens Paterfamilias, qui non contentus dediſſe neceſſaria: etiam vſque ad voluptatem ſubminiſtrat.*

### SECTIO III.

OStendimus in præactis n. 40. Olei effuſione indicatam vbertatem maximam, copiámque bonorum ſummam: indicant verò iſta Dei ſummã in Creaturas liberalitatem. O Numinis ineffandam miſericordiã: merebamur Tartaro deuoueri, & alit & ſuſtentat etiã vſque ad luxum! cui maria gignunt tot in Piſcibus illecebras? cui ſyluæ alitum differentias, montes pecudum & ferarũ greges? cur amborum rami nimio ſub pondere ingemiſcunt? cur tellus bis parturit? foras meſſibus genitrix, intus fœcunda ab auri, argentíque venis? quid opus, ſi non ad oblectamenta, Sardonyce, margaritis, elephantorũ dentibus? proh famulos ingratiſſimos ſub tanta licentia! Sed magnus Dominus & laudabilis nimis, cuius eſt tãta benignitas. Vexabatur Syrophœniſſæ gnata à Dæmone, & pro filia genitrix ſupplicabat, ſed flecti neſcius Saluator etiam Interceſſoribus Apoſtolis: tandẽ, vbi de Pane ſermo incidit, & micæ, quæ de menſis Dominorum cadunt, auribus obiectæ, indulſit votis; ſed quantâ largitate, perſpice: *ô Mulier* (inquit) *magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis*, Matth. c. 15. v. 28. Quid illud *ſicut vis*? hoc eſt ad omne libitum tuum, ſine circumſcriptione, abſque termino: Sed quomodo tam prodigè liberalis, qui paulò antea tenacior, & ne aliquid cedens? Quæ tã diuerſa mutatio? Equidem Chriſtus nihil ſi cõferret, cauſas facti habiturus fuiſſet æquas: cùm autẽ Deus extitiſſet, vt daret, ſecundum Dei normã, liberalẽ eſſe oportebat; diuinæ autem munificentiæ eſt ſuppeditare non ſolùm quantùm neceſſum, ſed cum exuberantia vt profluat, & redundet: benè igitur poſtquam Syrophœniſſæ miſereri decreuit, abundanter largitus eſt, vt non eſſet, quod deſiderium concupiret, cuius non copiam fecerit; idcirco: *Fiat tibi* (ait) *ſicut vis*: Cui expoſitioni fauet Baſilius Seleucienſis, orat. 20. *O mulier magna eſt fides tua! ideò tibi gratificari diſtuli, vt fidem tuam in exemplum proponerem: totam tibi Curationis menſam explico; non vt Cani micas, ſed vt filiæ totum Panem largior*: Vah, quàm diues redit, quæ Analecta & micas ambiebat! 75.

75. *Olei effuſione ſumma Dei in creaturas liberalitas adumbrata.*

*Chananæa micas ſolùm petenti, panis abundè & pro libito ſubminiſtratur.* Matth. 15. 28.

Baſil. Seleuc.

His affine illud de Pſal. 146. v. 9. *Qui dat iumentis eſcam ipſorum: & Pullis Coruorum inuocantibus eũ*: modò de Coruorum alumnis tãtùm: Senſus verò, deſtitui à Parentibus inſidis auiculas implumes, quas fame tabeſcere ſinant: Sed etiam Nutritor ſit Deus ipſe, quarum prouidẽtiam ſumit: ac ſanè impiam volucrẽ inhumaniorem erga pullos etiã prophani agnoſcunt ſcriptores, Ariſtoteles lib. 6. Hiſtor. Animantium cap. 6. Plinius lib. 10. cap. 12. 76.

Pſal. 146. 9. *Coruorum pullos à parẽtibus neglectos, quàm prouidè paſcat Deus!* Ariſtotel. Plinius.



Verùm

Caſſiodor.

Verùm quemadmodum Numen paſcit diſcamus ex Caſſiodori in locum Pſalmi enarratione:*Pulli* (inquit) *Coruorum, vt Phyſiologi volunt, cæleſti rore veſcuntur, & adhuc paternas eſcas, id eſt, cadauerum fœtores, beneficio ætatis ignorant:* ſimilia Hieronymi cum nomine commentarius: *Pulli enim coruorum dicuntur de rore viuere: ſic enim Philoſophi dicunt, quod de rore viuant pulli coruorum:* Sed amabo, nunquid non vtilius carnibus aſſueuiſſe, quando hoc grandioris ætatis nutrimentum? Verùm deglutiendis carnibus nondum idonei ob teneritudinem; at ſanguinem, quem haurirent, & lamberent, apponi quidnam vetuerit? Nam & Aquilæ ſic educant pullos ſuo, Iobo teſte cap.39. verſ.33. *Pulli eius lambent ſanguinem, & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt:* Cruore igitur ſaginanda erat auis ſanguinea, non rore dulci & ſuauiſſimo de æthere miſſo: vt quid perditio iſta? Si & cœleſtia conferenda ſint dona in pennatorum genera, nutriantur delicatè vel Phœnix ob ſingularitatem: vel ob Muſicam Philomela. Fateor ſanè tam ſubtili eſcarum paramento Coruum vtique indignum, ſed animaduerte bonam eius fortunam, nempè Deum alitorem nactus eſt: Quid igitur Numen præberet? ſanguinem vel carnes? at vulgare obſonium hoc eſt, & quod neceſſaria alimenta non ſupergreditur: Abſit à Deo Procuratore, vt contentus fuerit ſubminiſtraſſe ſolùm vel Coruis quanquàm, quibus indigent: auaritiæ quaſi ſpecies hæc eſt: Deum ſuggerere conuenit & ad oblectamenta, & ad delicias: igitur quoniam Patrisfamilias loco dextero ſidere Coruis Deus obtigit, quaſi craſſiores terreni deſpiciantur cibi: pluant cœleſtia rorem, quo nihil vel ſuauius, vel iucundius, vt non tantùm comedant, ſed voluptuosè inſuper: Quid? ſatíſne Deo tam opipare & lautè coruorum excepiſſe pullos? etiam & vltorem ſe præbet, vindictámque ſumit de genitoribus; nam immundos reputat, iíſque veſci prohibet, Leuit. cap.11. verſ.14. *Aquilam, & gryphem, & Haliæetum, & miluum, ac vulturem iuxta genus ſuum, & omne Coruini generis in ſimilitudinem ſuam:* Quanquàm in hoc mandato alia excelſior cauſa, quæ Dei ſummum affectum erga humanum genus commendat: Nam cùm & terram, & maria, atque ætherem, ſeu volatilibus, ſeu quadrupedibus, ſeu reptilibus impleſſet in hominis ciboria, vltrà progreditur, & Medicus potens anteuertit damna; propterea, quæ valetudinem affligere poſſint, ſeparat, noxia à profuturis diuidens: religiosè exclamat Oleaſter. *Vnde quæſo ô homo talem meruiſti Medicum habere, qui tam curiosè, & ambitiosè requireret, quid tibi comedendum, & à quibus abſtinendum eſſet? Nunquid aliquando Angelorum ſuorum ſe medicum exhibuit, quemadmodum tuũ? & qui vix tui memorari deberet, curam egit valetudinis tuæ.*

Iob 39.33.

*Coruos tenellos viles certè alumnos non ad ſufficientiam modò, ſed & ad voluptatem nutrit Deus, bonus profectò ſeu Procurator, ſeu Paterfamilias.*

Leuit.11.14.

*Ad hominum valetudinem cibos quoſdã prohibuit Deus vt immundos, quia noxios.*

Oleaſter.

77\. Sed abeant hæc, vt quæ leuiora, perſpiciamus quid de Patrisfamilias huius inenarrandâ diligentiâ Dauidis accinat Lyra, Pſalm.90. verſ.11. *Quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum:* vbi grauidæ Sacramentis, & in amorem ſtimulantes omnes ſyllabæ: peregregiè Bernardus ſerm.12. in Pſalmum: *Qui habitat*, &c. *Mira dignatio, & verè magna Dilectio Charitatis: Studiosè conſideremus fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum:* verè mandatum grande, cùm Deus ſit, qui præcipiat: gaudioſæ curiæ optimates, qui obediant; homo vanitati ſimilis, & natus ad miſeriam pro quo Decreta: Sed qualia Angeli accipiunt monita? *Quid putas mandauit de te ô homo?* (iterum ſuauiſſimè Bernardus) *Numquid ſcripſit contra te amaritudines? Numquid vt contra folium, quod vento rapitur, oſtendant potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſequantur? Nunquid vt tollant impium, ne videat gloriam Dei?* hæc quidem imperia tuæ debebantur contumaciæ. Sed nihil tamen ſeueritatis aduerſum te; indulgentia autem, quanta ne in cor hominis aſcenderet: nempè, vt *cuſtodiant te in hominibus vijs tuis: quorſumnam?* vt ab incendio liberent, à præcipitio, à ſuffocatu? Num vt corporis regalia protegant membra, cor vitæ ſcrinium, vultum pulchritudinis indicem, oculos, dulciſſimam tenerrimámque fabricæ totius partem? nihil iſtorum; *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum:* atqui ſufficiat in hoc lapides de via ſuſtuliſſe, cæteróſque obices: quin ad tam vile miniſterium mancipia deſtinanda, & fæx ſeruorum: ſiccine illi, qui vident faciem Patris in cœlo, domus æternæ gloria, Spiritus principales adhoc miſſi, ne *tu ad lapidem offendas pedem* qui putredo & vermis es? nec ſufficit, niſi vt manibus etiam tollant, ne lædaris? Solent Prouinciarum Dynaſtæ Regum filios, cùm paruuli & lactentes ſunt, vlnis ad breuem moram circumferre: patitur ætas, & natura Puſionum, ne quid ſuâ authoritate indignum perpetraſſe videantur: itane, cùm excreuêre, non tantùm brachiis portent, ſed cùm itinera faciunt, laborent impeditura amouere? apage: Mulionum erit ſemitas ſternere, ne mediocris Nobilitas ad tam abiecta deſcendat; Iam illud, quod etiam fœminea cohors, cuius tota meditatio in corpuſculi munditiis, tamen cùm peregrinatur, & in longinquum abit, oculos, faciémque velat, ne Sol, ne ventus adurat, ne puluis attenuet formam, ne pluuiæ, ne hyems noceat: pedum, aut nulla, aut remiſſa cura eſt; ſed apud Creatorem tamen pedum veſtigiis parantur Angelorum manus: ô fulcrum molle ſed robuſtum tamen!

Pſalm.90.11.

Bernard.

*Quanta in homines Dei humanitas quorum in miniſterium Angelos delegarit, & hos vel ad pedum curam demiſerit.*

Idem.

78\. Pertæſus manna populus ſtultus, in carnes æſtuabat; promiſit Dominus: Sed Moyſes vulgi infinitam contemplatus multitudinem: *Sexcenta* (inquit) *millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis: Dabo eis eſum Carnium menſe integro? Numquid ouium, & Boum multitudo cædetur, vt poſſint ſufficere ad cibum? vel omnes Piſces maris in vnum congregabuntur, vt eos ſatient?* Numerorum c.11. verſ.21. O Moyſes: certè neque oues mactabuntur, non tauri procumbent ab ictu carnificis: non æquora vaſtabuntur piſcibus deſpoliata, & tamen comedet in ſaturitate populus tuus: Doce tu qui gubernator es, vt Dominum timeant, & mandata eius obſeruent; ſuppeditabit alimenta, qualia numquam rebaris: Quis crederet trans mare aduehendas eſcas? ſic tamen actitatum: *Nam ventus egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra:* Cur è diſtanti climate? vt confidant ſuperiores, & norint curam eſſe Numini de ſuis, auxiliúmque in die malo laturos eos, de quibus ne vnquam ſuſpicio fuit, opitulaturos eos: Author de mirabilibus ſacræ Scripturæ, c.27. *Et idcirco, vt nihil de eis, quæ Moyſi mens fragilis, vt potè humana, arripuit, in paſtum populi cederet; ventus à Domino egrediens, arreptas trans mare coturnices ad caſtrorum loca detulit:* Pro meta tamen, in quam hactenus collimauimus, equidem Moyſes impotens erat nouo Ciborum genere, quod appetiuerant, tantas alere Cateruas virorum, fœminarúmque: igitur in Numen delatum onus: Deus itaque quanquam tot, tantíſque

Numer.11.21.

*Populo Hebræo prouidet carnes Deus, non quidem oues aut boues, ſed coturnices, & ad ſatietatem, & trans mare vtpote raras aduehit.*

Ibid.v.31.

Author mirab. S.Script.



legionibus communia præberet, oues, & boues, & ſub vndis natantia? Si quando Mundi præſes cibat, etiam ad delicias ſuppeditat; ideo Coturnices largitur ex cupediis conuiuiorum nimirum: Sed num id vel parcè, aut timidè? Equidem ad faſtidioſam ſatietatem. Verùm, quare trans Oceanum allatæ? Scilicet, quò longius diſtat quidpiam, eò maiori in pretio: vltramarina rara habentur ſemper: quo igitur maiorem afferrent voluptatem, quo gratiores forent palato, cùm poſſet ſubitò iiſdem in nemoribus creare, de finibus terrarum attulit.

79\. Aſcendit in templum oraturus Phariſæus: & tamen fuit ei oratio in peccatum: quamobrem? Num quia recenſuit quæ ab eo præclarè geſta fuerant? dicebat enim, *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo: non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri*, Luc.c.18. verſ. 10. Sed quale hoc piaculum, quando non ſibi Bonum adſcribit, ſed Deo, à quo eſt omne datum optimum? nam exordia precum: *Deus gratias tibi ago:* Videlicet; A te eſt quicquid ſum, tuo beneficio euaſi ſcelera, abſtineo in Sabbatis, decimas pendo: Nonne ſi quæ hæc culpa eſt, ea in Dauidis, in Prophetarum voluminibus, in Pauli ſcriptis ſæpenumerò bene actorum recenſio? Quamobrem probè Maldonatus ad eum locum: *Non dubium, quin Chriſtus ſuperbiam in his verbis magnam eſſe iudicet, ſed qua in re ea conſiſtat, incertum: Nec enim gratias Deo agere ſuperbia videtur eſſe, nec ſuas etiam, modò non tibi, ſed Deo tribuas, agnoſcere virtutes, præſertim ſi ob eas à Deo acceptas, gratias illi agas, quod Phariſæus ille faciebat:* Variè exponunt multi ſuperbiæ ſpeciem: Mihi nunc illi placent, qui iniurium fuiſſe erga Proximos autumant, cùm vitiis infectum omne genus humanum ſe tantùm excepto cogitarit, nam reliquos imaginatus, aut rapinis, vel adulteriis, aut iniuſtitiâ conſpurcatos: Addo tamen & iniurium illum quoque erga Creatorem, non qua generali ratione omnes, qui exorbitant, ſed peculiari modo: Nam certè cùm ad eam penuriam Eccleſiam Sanctorum redigat, in qua præter ipſum, alius nõ ſit Religioſus cultor, contumelia hæc eſt aduerſũ Dei prouidentiam: neque enim hæc, ſicuti hactenus monſtrauimus, contenta eſt neceſſaria ſubminiſtraſſe tantùm, verùm abundanter ſuppeditat, etiam ad iucunditatem: quonam igitur modo ſuſtineat patienter vno tantùm Phariſæo dẽpto, non ſupereſſe, qui virtutem adoret, qui ad cœleſtia adſpiret? acutè, in illud Pſalm.49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, &c. Auguſt. *Nec ille laudat, qui cùm ſciat ſe, quod benè viuat, accepiſſe à Deo: tamen vſque ad ſe vult diuitem eſſe Deũ:* Præclarè quidẽ locuples, ſi omnis gaza, vnius Phariſæi tumens iuſtitia.

Luc.18.10.

*Phariſæi Oratio Deo exoſa quia in Prouidentiam Diuinam iniuria. quod nempè nullum præter ſe ſanctum in Eccleſia agnoſcebat.*

Maldonat.

Auguſtin.

80\. Verùm inquias: ſi tã effuſum in donis Numen, cur egeſtas tam latè dominatur, & mortaliũ facultatibus beata eſt minor portio? Sanè Deus, ſi qua in re Patremfamilias ſe amantiſſimum perhibet, maximè hac in re: nec auaritiam arguit, ſed curam de ſubditis: Putáſne tu, genitor ille duorũ gnatorum, quorũ alius frugalis, alius diſſipator; de illiberalitate taxandus, quoniam nõ ſponte, & genio ſuo abdicauit ſe magnis poſſeſſionibus præoccupans filij expoſtulationem, ſed tum, cùm acceſsêre gnati preces? aut arrogantia potiùs, nam audacia fuit in iuniore Adoleſcente, Primogenito tacẽte, os aperuiſſe, dixit tamẽ: *Pater, da mihi portionẽ ſubſtantiæ, quæ me contingit.* Luc.c.15.v.12. Quid tũ genitor? Num vultum contraxit? num filium ſeuerè admonuit? num fraudẽ machinatus eſt, & abſcondit pecuniam? certè vno tantùm expoſcente, diuiſit ambobus ſubſtantiam: Sed quamobrem non hoc ipſum anteà quàm rogaretur, quia ſic maior gratia fuiſſet? Erat multi conſilij homo, & norat iuuentutis lubricam fidem: timuerat id quod euenit, ne diuitiis turgidus & intumeſcens gnatus per omnium libidinum tranſiret voluptates, crapulâ, ludo, ſcortationibus ſe fœdaret miſerè; retinuit igitur ſibi tantiſper diuitias, quo Adoleſcentis proſpiceret emolumento, non ob cupiditatem, aut auaritiam: Chryſologus ſerm.1. de duobus filiis: *Petente vno* (inquit) *ambobus totam ſubſtantiam mox diuiſit; vt ſcirent filij, quod anteà tenebat Pater, non fuiſſe auaritiæ, ſed amoris: prouidentiâ, non inuidentiâ non dediſſe:* Quæ ſanè Parabola medicina eſſe valeat quoque iis apud quos nonnunquam de ſpiritali egeſtate querimoniæ: triſtantur enim, & altiùs gemunt, quod neque ingenio, neque eloquentiâ, neque aliis exquiſitis polleant dotibus: lætari tamen eos magis oportebat & gaudêre: animaduertere enim debeant, Numen ſuâ illâ incomprehensâ cognitione, qua non ſolùm poſſibilia, & extitura aliquando attingit, ſed certò & infallibiliter ſcit etiam, quid liberum arbitrium in his illíſve Circumſtantiis operaretur ex hypotheſi: hoc cùm diſtinctè & in particulari videat, intuetur ſi Petrum his illíſve talentis ornaret, abuſurum illis, quibus non ſalutem conciliaret ſibi, aliíſve, ſed perpetuos damnatorum cruciatus ob voluntatis liberæ prauitatem: Annon igitur præ mœrore gratiæ magis perſoluendæ infinitæ, quod dona ſubtraxerit? licet iis conceſſis, non dona fuiſſent lapſus cauſa, quæ in ſalutem data ſunt, ſed perditio voluntatis ex ipſa, quæ potuit facere, ne Deus præuideret caſuram eam.

*Quod Deus in elargiendis diuitijs erga multos ſit parcus, id ſummæ eſſe & optimæ Prouidentiæ opus, oſtenditur ab exemplo Patris filij Prodigi.*

Luc.15.12.

Chryſolog.

---

*Animarum aliarum ſic ordinandus profectus, vt quam eis procuramus iuſtitiam, nobis non deſit.*

## Sectio IV.

81\. MAgna planè res eſt, vt *Oleum effuſum* quiſpiam nominetur; denotat namque eundem & Saluatorem & Medicum eſſe, qui aliena curet vulnera, ſauciis incolumitatem afferat, eóque ſublimius miniſterium, quòd non tam ſubueniat Corporibus, quàm animabus. Sed ne contingat, vt dum aliis opitulatur, ipſe reprobus fiat; moderantia adhibenda eſt etiam in optimâ re, & præcauendum, vt non minor diligentia ſit de Olei infuſi vtiliſſimo titulo quàm de ſpecioſa illa Olei effuſi appellatione, hoc eſt, vt dum aliorum culturæ inuigilat, ſibi proſpiciat vnà, & qui ardet vt cæteri perfectiſſimi euadant, magis nitatur vt ipſe excultiſſimus prodeat, nec ſtultè in lucris ſpiritalibus liberalis ſit, dans aliis quæ ſibi non retineat. Adhibebo longiorem horum Verborum commentationem ex Bernardi ſermone 18. in Cantica: *Quicumque munere gratiæ exterioris perfuſum ſe ſentit, quo & ipſe alijs refundere poſſit; etiam huic dicere eſt: Oleum effuſum nomen tuum: Sed ſanè cauendum in his aut dare, quod non accepimus: aut quid erogandum accepimus, retinere: Rem profectò Proximi retines tibi, ſi (verbi causâ) plenus virtutibus cùm ſis, foríſque nihilominus donis ſcientiæ, & eloquentiæ adornatus; metu fortè, aut ſegnitie, aut minùs diſcretâ humilitate, Verbum bonum, quod poſſet prodeſſe multis, inutili, imò & damnabili ligas ſilentio; certè maledictus,*

*Sic eſto Oleũ effuſum doceas alios, vt prius diuina gratia, virtutúmque Oleo ſis perfuſus.*

Bernard.

*quod frumenta abſcondis in populis: Rurſum, quod tuum eſt ſpargis, & perdis, ſi priuſquam infundaris tu, totus ſemiplenus feſtines effundere contra legem arans in primogenito Bouis, & ouis Primogenitum tondens: nimirum vitâ, atque ſalute, quam alteri das, te fraudas: Quamobrem ſi ſapis; concham te exhibebis, & non canalem: hic ſiquidem penè ſimul & recepit, & refundit: illa verò, donec impleatur expectat: & ſic, quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat: ſciens maledictum, qui partem ſuam facit deteriorem.*

*Eſto Concha non Canalis.*

82\.

*Qui alios inſtruunt de Moyſis ſpiritu priùs inſtructi ſint.*

Numer. 11. 16.

Grauabatur Moyſes, quòd ſolus innumerabilem populum, eúmque ſanè frequenter contumacem regeret: conqueſtus apud Dominum, & exauditæ preces eius: *Congrega mihi,* (inquit,) *ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint, ac magiſtri; & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi; & auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſôlus graueris*: Numer. c. 11. verſ. 16. Ac quanquam verborum ſonus indicare videatur diminutum Moyſis Spiritum, neque mirandum eſſet decurtatum fuiſſe, cùm deinceps leuius incumberet onus: vires autem ſubminiſtrantur à Deo pro enormitate oneris: cæterùm, quemadmodum non ita conſtruenda ſint, licet ex ſuperficie appareat, vt diuiſionem admiſerit legiſlatoris donum, illîque parte derelictâ, idem numero Spiritus in alios translatus ſit, hoc enim eſſet, actum intellectus Moyſis, aut ſi fortè Prophetiæ detur habitus, alterius vniti intellectui, quod vel de potentiâ abſolutâ in quorundam ſententia implicet: ſic nec intelligenda eadem verba, vt ſignificent minorem redditam vaticinandi in Moyſe gratiam: ſed hac abſque detrimento remanente, conſimili in ſpecie gratiâ affectos ſeniores, licet non ſe extenderet ad tanta neque ad tam abſtruſa in vnoquoque eorum: imò omnium collectiuè dona adæquabat vnus Moyſes. Exponunt ſecundum hanc normam Toſtatus ad finem quæſt. 53. in præfatum caput Numerorum: Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 23. citans Auguſtinum quæſt. 18. in librum Numerorum; Salianus tom. 2. anno Mundi 2545. num. 150. & fuit vetuſtiſſima Adamantij opinio hom. 6. in Numeros: *Non intelligendum eſt quaſi materialem, & corpoream ſubſtantiam in ſeptuaginta portiones ſecuerit, & vnicuique particulam dederit: impium enim eſt intelligere hoc de natura Spiritus ſancti: ſed Moyſes, & ſpiritus, qui erat in eo quaſi clariſſimi luminis lucerna fuit, ex qua ſeptuaginta Deus accendit, ad quos principalis luminis ſplendor aduenit: & origo ipſius nihil damni ex deriuatione accepit.*

*Quomodo Moſis ſpiritus in ſeptuaginta ſenes deriuatus?*

Toſtat.

Bellarmin.

Auguſtin.

Salian.

Origen.

*Alios illumina vt lampas.*

Ecce tibi quales eſſe debent, qui Proximorum ſpiritali ſaluti incumbunt; nimirum Moyſis ad inſtar, vt cùm de eorum plenitudine multi accipiant, ipſi tamen affluant, nec in eorum damnum aliorum incrementa cedant O certè tales quicumque felices animorum Miniſtri! Et animaduerte quàm pulchrum à lucerna exemplum Origenes deſumpſerit: nimirum lampas vna ardorem ſubminiſtrat, flammámque aliis infinitis emortuis lychnis: proh! quanta ſoboles, quàm radioſa & fulgida ab vna lampade! & tamen illa non idcircò diſpendium paſſa, clara emicat, niténſque euomit diem ſicut à principio: eum in morem, qui lux gentium ſunt Animarum reformatores, diſpellant quidem tenebras, & immane chaos: at ipſi nihil de ſplendore amittant, dum alios lucere faciunt.

83\.

*Generet ſobolem eruditam Doctor, more Patris æterni, qui Verbum ſuum lumen producit, abſque vlla ſplendoris ſui diminutione.*

Vocat me luminis recordatio ad filij diuini æternam, inexhauſtámque generationem: procedit ille ex Patre vt lumen de lumine, quoniam omnem Patris ebibit Scientiam, quia vt verbum procedit, atque per intellectũ. Heu! quis enarrare valeat, quanta ſit illa lux, quàm magna, quàm inſolita? nec Angeli, nec beatæ mentes comprehendunt: omnis creatus ſplendor illi comparatus velut non lux fuerit: Denique infinita eſt claritas ea, & omnia peruadens, omnibúſque modis cuncta pertingens. At fortaſſe ideo minor Scientia in genitore, quàm in filio? Num quia pleniſſimè ſe effuderit in gnatum, egentior factus? Abſit: omnia quæ nouit filius, ea nouit & Pater: rursúmque omne quod cognoſcit genitor, filio apertum eſt. Imitare ô homo, Deum: ſi non ob vtilitatem tuam, ſaltem ob gloriæ incomparandæ ambitionem, vt refulgeat in te quædam Triados æmulatio bona? Inſtrue, doce, perfice eos, qui ignorant: genera ſobolem eruditam, atque luminoſam, ſed Patris more æterni, vt apud te maneant communicata aliis. Bernardus ad opera Trinitatis ad extrà retulit: ſanè in Creaturis, in homine præſertim & Angelo non obſcura diuinarum Perſonarum veſtigia: pollent memoriâ, pollent intellectu, & voluntate: ſed num qui hominem intelligere fecit Deus, ipſe etiam non intelligat? quantò præſtantiùs! Sus ad Mineruam vel etiam Angelorum ſupremus cum Deo intelligente comparatus; ita ſibi ſemper excellentiſſimè reſeruat magnum illud numen, quod in alios effundit: *Diſce & Tu* (loquitur Bernardus nominato iam ſerm. 18. in Cantica) *non niſi de pleno effundere, nec Deo largior eſſe velis: concha imitetur fontem: non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur donec ſuis ſatietur aquis: non pudeat concham non eſſe ſuo fonte pleniorem: denique ipſe fons vitæ plenus in ſeipſo, & plenus ſeipſo; nónne primùm quidem ebulliens, & ſaliens in proxima ſecreta cælorum, omnia impleuit bonitate, & tunc demum impletis ſecretioribus, ſuperioribúſque partibus, erupit ad terras, ac de ſuperfluo homines, & iumenta ſaluauit, quemadmodum multiplicauit miſericordiam ſuam Deus? priùs interna repleuit, & ſic exundans in multis miſerationibus ſuis, viſitauit terram, & inebriauit eam, multiplicauit locupletare eam: ergo & Tu fac ſimiliter: implêre priùs, & ſic curato effundere.*

*Non niſi de pleno effundendum, ad inſtar Fontis.*

Bernard.

84\.

*Si deuotionis pinguedo deſerenda eſt, ne alijs imperes. Hoc ab olea documentum cape.*

Fuit cùm de formanda Monarchia ligna tractarunt; poſt conſultationem de Rege, qui imperij habenas moderaretur, placuit dare ſceptra Pacis arbori Oliuæ: recuſauit faſces Olea: inquiens: *Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, quâ & Dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear?* itum poſtea ad Vitem & ficum, atque ob ſimilem cauſam principatui renunciarunt. Sed cur in ſyluas regnatum contemnunt? Nónne pulchrum dominari in omne nemus, cui ſubmittant capita Laurus, Cypreſſus, Palmæ, & quicquid fragrans Arabum horti producunt? ſed percipe, quid Oliua dicat: *Nunquid* (ait) *poſſum deſerere pinguedinem meam?* ergo amittendus ſuccus, ſi diadema arrideat, ô arborem prouidè ſagacẽ! Minus putat regno caruiſſe quàm pinguedine. Quid autẽ pinguedo ſpiritaliter niſi mentis deuotio, atque virtus? at ſi hæc deſerenda ſit, ſi proiicienda, quid prodeſt homini vniuerſum mundum lucrari, Animæ ſi detrimentum patiatur? Abeant imperia, abeant faſces & Purpura, ſi neceſſum ſit propter iſta pinguedine Oliuam euacuari. Bene noſter Serarius q. 26. in c. 9. Iudicum.

Iudic. 9. 8.

Serarius.

*Videamus, an fieri poſſit, vt & noſtrorum in illis Animorum ſalutem, perfectionem reperiamus, & alijs proſimus: ſi fieri poſſit, nulla ſuppetit ratio, cur aliorum ſeruire vtilitati non debeamus: ſi fieri non poteſt (vt ſæpiſſimè certè ob varias, quæ ratione Perſonarum, vitioſitatum, imbecillitatũ, conſuetudinum, temporum, locorum, ſimiliúmve Circumſtantiarum incidunt cauſas, omnino fieri non poteſt) tum cum laudatis arboribus recuſemus: melius enim ſpiritalem noſtram retinere pinguedinem, atque dulcedinem, quàm amiſſâ eâ longè, latéque dominari.*



85\.

Apoc. 4. 7.

*Non ſolùm extrinſecùs luceat vir Apoſtolicus ſiue Antiſtes, ſed & intus plenus ſit oculis, ſimilis 4. Animalibus Apocalypſeos.*

Mira illa forma Animantium, Ioannis Apoc. cap. 4. verſ. 7. *Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor Animalia plena oculis antè, & retrò: & quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas, & in circuitu, & intus plena ſunt oculis*: Quinam his ſignificati Animantibus? Sanè viri Apoſtolici, myſtæ & Sacerdotes Dei, qui lucem attulêre nationibus iacentibus in vmbra mortis, in loco tenebroſo & horrido. Ergóne, cùm tot luminibus prædita deſcribantur, indicatur nobis, Sacerdotem tanto doctrinarum iubare ſplendeſcere, vt nihil in eo contueri poſſibile ſit, quod non ſapiens & eruditum reputetur? Ita memini exigere Hieronymum ſcribentem ad Fabiolam de veſte Sacerdotali, propterea, quod Antiſtitis tunica deorſum tintinnabulis multis ſtreperet: *Tanta* (inquit) *debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei, vt & egreſſus eius, & motus, & vniuerſa vocalia ſint: Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet: vt quicquid agat, quicquid loquitur, ſit doctrina populorum: abſque tintinnabulis enim, & diuerſis coloribus, & gemmis, floribúſque virtutum, nec Sancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.* Sed eſto, luminoſum eſſe conueniat virum Apoſtolicum: annon ſufficiat deforis tot ornatum facibus, vt quid etiam intùs affigantur oculi? Sapientiſſima quidem viri ſpiritalis effigies, eiúſque imprimis, cui Animarum ſalus incumbit: ſit ille ita vigilans, vt nihil, quoad fieri valeat, eius lateat prouidentiam, circumſpiciat ſedulò, & quâque verſus lumina protendat: nulla erit tam magna attentio, quâ non ſit opus, modò ſuo optimè fungi munere velit: Sed videat etiam atque etiam, ne aliorum propter vtilitates dum expergiſcuntur, ſibimetipſis dormiant: itaque neceſſum eſt intus quoque multioculum eſſe, vt quam in excolendis proximis diligentiam ponit, eandem ſibi ſollicitiùs accommodet: benè igitur, quod Animalia, quibus idea virorum Apoſtolicorum exhibetur, non tantùm extrinſecùs luminoſa appareant, ſed etiam internè æquè oculata, quia proximis ſic attendere debeant, vt ſemetipſos non negligant: quæ videatur Anſelmi expoſitio in hunc Ioannis locum, quanquam breuiſſimis verbis: *In circuitu* (inquit) *vt alijs bono exemplo lucerent, & intùs quantùm ad ſeipſos:* alioqui prorſus miſerandum fuiſſet, animarum de faucibus Tartari ereptarum ſpoliis glorioſum, ipſum ſuppliciis addici interminandis, quod erga ſe oculos non habuerit.

Hieronym.

Anſelm.

86\.

Bernard.

*Alios munda, non vt Aqua, quæ quas eluit ſordes, contrahit; ſed vt Solis radius, qui fœtores abſumit ſemper purus, ſemper lucidus.*

Bernardus eximiis comparationibus inſtruit, quemadmodum ſe gerere debeant, qui id officij aſſumpſerunt, alios vt in viam reducant, mundent, purificent: ſermone ad Milites Templi, cap. 10. *Quid enim* (ait) *erubeſceret, qui ita nos lauit à peccatis, non quidem vt aqua diluens, & retinens ſordes: ſed veluti ſolis radius, deſiccans, & retinens puritatem?* Ah conditionem aquarum infelicem prorſus! Itur ad marginem fluminis: deferuntur linteamina, quæ vel cruore ſordidata, vel atramentò intincta, vel aliis conſpurcata modis: detergunt lymphæ, priſtino Candori reſtituunt; ſed quæ linea dealbauerunt, ipſæ manent vel ſanguineæ à cruoribus, vel nocturnæ ab atramento, denique eiuſmodi, quas non tantùm homines oderint, ſed & iumenta, & camporum pecora, nec enim de talibus potare velint. Non ita Phœbus auricomus, ſidus illuſtre, meritò decus aſtrorum, per lutoſa tranſit, per ſterquilinia, per cloacas: abſumit deſiccans fœtores, contagium amouet, nunquam radioſior; præclarus benefaciendi Artifex, nitêre faciens alia, & ipſe tum plus micans. Solem itaque Animarum Procuratores imitentur, non aquarum fatuam liberalitatem: maculas deleant, labes auferant, ſed non ipſi ſordes contrahant. Quænam ea charitas eſt tam ſtulta, nec ſibi volens tantùm, quantùm alienis? Sed habent Emphaſim verba illa Bernardi: *Quid enim erubeſceret, qui ita nos lauit à peccatis*, &c. Nam ſi aliis acquiſitâ incolumitate, ipſe periiſſet, verecundia eſſet, pudor, & ignominia. Vis noſſe manifeſtè? Putáſne fuit aliquid maioris contumeliæ, & dedecoris, quod non Iudæorum venenata rabies meditaretur contra Redemptorem quando à ſtipite crucifixus pendebat? Quid tum inter Blaſphemiarum aeſtuos, quod magis pungere poſſe arbitrarentur, Quid exprobrabant vehementius? *Alios* (inquit) *ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere*; Matth. c. 27. verſ. 42. & fuit tam enorme conuitium hoc, vt Diabolicum magis quàm humanum æſtimarit Bernardus ſermone 1. in Sancto die Paſchæ: *hæc planè* (inquit) *ſerpentis aſtutia, hæc adinuentio nequitiæ ſpiritalis.* Atque illi ſtupidiſſimi non intelligebant, qui Deum negabant, id quod eodem loco doctè Mellifluus aduertit Abbas, Chriſtum ſaluatione non egere ſibi, quando eſſet ipſamet ſalus: at verò exiſtimantes eum hominem eſſe de more cæterorum, ſalutíſque verbo craſsè vtentes pro vita corporea, concipiebant non poſſe ab eis quidpiam obiectari, quod morderet acriùs, quàm ſi illo conciliante medelam aliis, ſemet liberare non valeret. Sed, annon & ipſe Ieſus pro hoc ſuffragatur? Pergebat in Caluariæ locum arbore graui onuſtus, compatiebantur fœminæ deuotæ, & illachrymabant, quas vt reſpexit: *Filiæ* (inquit) *Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*: Luc. cap. 23. verſ. 28. O Ieſu bone, permitte hoc modicum ſolatij angoribus tuis, vt ſint quæ contriſtentur pro eis. O formoſiſſime Adoleſcens, cur fletibus obſtas, earum quæ te diligunt, quando vel Hyrcanæ Tigres ad tale ſpectaculum lamenta coercere non valerent? pro qua re plorandum ſi non tui gratiâ? Tu omnibus charior pignoribus, tu humani generis delicium, tu Angelorum recreamen, in te domus omnis inclinata recumbit Adæ luctuoſi; ſine per ora cadant vndarum riui. Sed contemplare, vt fortè non tam vetat ſingultus, quàm admonet ſibi lacrymas quoque impendere; *Flete* (ait) *ſuper vos*: Bonus eſt planctus alienarum ærumnarũ, ſed domeſticæ interim non obliuiſcendæ: & quidem ſuper filios lugere etiam docet, nam gnatorum mala Parentes miſerrimè vexant; at ſecundas in luctu partes (quanquam filij dulciſſimæ illecebræ ſint) monet tribuendas; primas rapiant ſibi qui genuêre, tantùm abeſt velit pro ſobole omnem impendi luctum: *Ordinem diligenter attende* (ait Bernardus ſermone 2. de Reſurrectione) *ſuper vos* (inquit) *primò, deinde ſuper filios veſtros.*

*Nihil acrius à Iudæis Chriſto in Cruce obiectum, quàm, quod alios ſaluos feciſſet, ſeipſum ſaluare non poſſet.*

Matth. 27. 42.

Bernard.

Luc. 23. 28.

*Filias Ieruſalem ſuper ſeipſas priùs, poſtea ſuper filios earum Chriſtus flere monet.*

Bernard.

*Peccatum, quos inficit, & deturpat; ex ingenuis, liberíſque Mancipia continuò reddit.*

## Sectio V.

87.
*Chriſtiana Eccleſia ex Gentiliſmo congregata priùs erat vilis, abiecta, ſerua à peccato.*

DVm Hiſtoriæ texeremus Narrationem, patefecimus quemadmodum ex Ancilla, huius Carminis Sponſa, nobilis facta ſit, atque ingenua, Mariti ad eam tranſlato nomine: Retulimus ad Chriſtum, à cuius appellatione Eccleſiam Chriſtianam vocatam probauimus: Certè & hanc Eccleſiam, quam ex gentibus congregatam ſæpe teſtati ſumus, antequàm Redemptori deſponderetur, vilem fuiſſe, abiectam, & de vltima ſeruorum fæce non ſemel docuimus. Verùm tam indigna captiuitas vndenam infauſtæ? Equidem à peccato: Idololatria, crudelitas, luxuria, ambitio, crapulæ, Dæmonibus ſeruire fecerunt: tranſcribamus Gregorij Theologi verba ex oratione 16. *Saluator omnium & Dominus, non ſolùm ſe vſque ad ſerui formam humiliauit: neque faciem ſputis exponere, ac cum iniquis reputari erubuit, ille, inquam, qui à peccatis mundum purgauit: ſed & diſcipulorum pedes in ſeruili forma lauit:* Qui ſi debitè conſtruatur ſermo gradationem innuit, ſensúſque videatur: plus fuiſſe, quod Apoſtolorum veſtigia Chriſtus deterſerit, quàm quod ſputa vultu honeſtiſſimo exceperit, cum Malefactoribus coæquatus ſit: Verùm difficile quidem Pronunciatum: nónne enim quod toleretur mage arduum, conſpui in faciem, homicidam iudicari, qui nempè eaſdem pœnas luat, quas patiantur latrones, vulnerari, mortem ipſam oppetere; quàm deiici ad plantas, eas abluere, non dicam amantiſſimorum pignorum, quales erant Apoſtoli, ſed alienorum etiam, & quibuſcum nulla Societas, pone & de infimo eſſe vulgo? At tu conſidera & lintei præcinctionem, & miniſterium lotionis, præſertim cum abſtergendæ fuiſſent pedum maculæ, notas fuiſſe ſeruorum: oſtendimus breuiſſimè in ſuperioribus, numero 51. & omnes aſſentiuntur Interpretes vulgatim ad cap. 13. Euangelij Ioannis: Quid tum? horrebat Chriſtus ſeruus apparere? Equidem ſupra modum, & plus quodammodò Paſſionis acerbitatibus, plus quàm ſi cònſpueretur, quàm ſi cum iniquis ſodalis computaretur latronibus. Quamobrem? videlicet ſeruitus peccati ſoboles fuit, per illud námque introducta: Chryſoſtomus homilia 29. in Geneſim, loquens de Cham filio Noë cui ob impudentiam maledixit genitor, & ſeruum futurum vaticinauit: *Ecce enim fratrem* (ait) *eadem natum Puerperâ, eodem egreſſum vtero, vt ſibi vindicauit peccatum, ſeruum fecit & ablatâ libertate ſubiectionem illi iniunxit, vnde poſtea ſeruitus ſumpſit originem: peccatum vbi intrauit, libertatem perdidit, ſeruitutémque introduxit.* Iam verò exploratum eſt, Chriſtum Dominum nihil ita deteſtari, quemadmodum peccatum, cùm nihil puriſſimæ illi innocentiæ, quam ſanctitas infinita commendat, magis opponatur: Quoniam igitur ex ſerui forma argumentum depromi valeat, peccatorem eum videri, qui ſeruus appareat, nam ex peccato generata ſeruitus: verbera autem, claui, mors cum ſceleratis, non idem perſuadent, cùm non rarò contingat cum innocentibus luere inſontes, iuſtum malitiâ circumueniri: idcircò Nazianzenus inſinuauit, duriorem fuiſſe Chriſto ſeruilem habitum, quòd vernulæ in morem pedibus abiiceretur, quàm quòd vel ſputa pertulerit: vel facinoroſorum pœnas ſubierit.

Nazianzen. *Plus horrere videtur Chriſtus Apoſtolicorum pedum lotionem, quàm Iudæorum ſputa, quia nempe pedum lotio ſeruitutem, ſignat, peccati ſobolem.*

Chryſoſtom.

88.

Auſus ipſum Chriſtum tentare Satan, neque ſemel, bíſve, ſed terriò etiam; at primâ, ſecundâque vice molliter exceptus, ad tertium conflictum, cùm diceret, Regnorum demonſtratâ gloriâ; *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me,* Matth. cap. 4. verſ. 9. exaſperatus Seruator, increpauit eum quaſi nimiùm petulantem, & vltra omnem moderantiam progreſſum: *Vade Satana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Animaduerſum ab Euthymio: *Conſidera verò, quod in prioribus quidem tentationibus patienter reſponderit: vbi autem vidit ipſum impudenter Dei ad ſe adorationem attrahere, diuinúmque expetere honorem, tunc ipſum increpauit dicens: Abi Satana, hoc eſt, recede Aduerſarie.* Eodem more incertus Chryſoſtomus homilia 5. in Matthæum: *Adhuc vide, cùm Chriſtus in prima tentatione paſſus fuiſſet tentationis iniuriam, non eſt exaſperatus, nec in increpationem, vel abiectionem eius eſt excitatus, ſed ſuſtinuit, & mitis permanſit: ſimiliter & in ſecunda, quamuis eſſet iniuriatus: Nunc autem, quando Diabolus Dei ſibi præſumpſit honorem, dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi procidens adoraueris me; & hoc quæſiuit fieri ſibi à Chriſto, quod ſoli Deo fieri debebat: exaſperatus eſt, & iratus eſt, & increpauit eum, & repulit dicens: Vade retrò Satana.* Sed quid diſplicuit tantoperè in hoc vltimo Dæmonis irritamento? Equidem licet his, quæ primò, atque ſecundò Aduerſarius poſtulauerat, Chriſtus indulſiſſet, nihil Maieſtate Filij Dei feciſſet indignum, miraculis enim clareret inſignibus; ſiue, cùm lapidum ſubſtantiam in Panis alimenta commutaret; ſeu cùm ex alto deſcenderet illæſus, & Angelorum pennis ſuffultus: At verò vltimum concedens, Dei Patris degenerem ſe monſtrabat ſobolem: arguebatur námque de Peccatorum maſſa eſſe. Quomodo id? nempè ſeruitutem peccati indicium eſſe, vt quæ per ipſum intrauerit in orbem terrarum, Chryſoſtomo Aſſertore oſtendimus: genu autem Satanæ flectere, quid hoc aliud quàm ſubiici, & Mancipium dici? Seruorum enim eſt poplitem flectere ante Heros, neque alia potior ſubmiſſionis nota. Chriſtus igitur inclinans ſe Dæmoni, ſeruum eius ſe probaret, ex conſequentia verò & peccatorem. Egregiè igitur ſtatim atque in ſummam temeritatem prolabi communem hoſtem animaduertit, & peccati labem aſpergere ei, qui à natura ſua delictorum incapax fuerit, cùm ſeruum facere conaretur, non ſuſtinuit vlteriùs, ſed increpauit, & abegit.

Matth. 4. 9.

Euthym.

Chryſoſtom. *Ad primam & 2. Dæmonis tentationẽ patienter reſpondet Chriſtus, ad tertiã verò aſperiùs, quia ſeruitutis opus ab eo flagitabat Dæmon, eúmque quaſi in peccatorũ maſſam refundebat.*

89.

Succurramus enodatione, Bernardi verbis ſermone 3. de Circumciſione, Chriſtum reſpectans ille Miniſtros Circumciſionis alloquitur. *Quid facitis circumcidentes eum? poteſt obliuiſci Pater Filij vteri ſui? aut non cognoſcet eum, niſi ſignum Circumciſionis haberet? imò verò, ſi quomodo poſſet non agnoſcere filium, in quo ei benè complacuit, ex hoc maximè ſigno potuit ignorare eum, inuentâ in eo Circumciſione.* Loquitur de æterno Patre: Sed quamobrem propter Circumciſionẽ ignorandum à genitore gnatum aſſerat? num ob plagam & ſanguinis profluuionem? At miſit in Carnem paſſibilem, quò vulnera ſuſtineret? imò certè quonam pacto agnoſceret ſuum niſi circumciſum? naſciturum quippe Meſſiam ex Abrahæ ſemine decreuit, ipſe verò iuſſit, Abrahæ vti nepotes circumciderentur: Sanè id compertum eſt, ſtigmata Corporibus impreſſa, ſeruitutis emblemata fuiſſe: Sic in militia Imperatoris ſui quiſque ferebat characteres, & in magna familia ſerui: Vtrumque complexa Ambroſij ſententia, oratione de obitu Valentiniani: *Charactere Domini inſcribuntur, & ſeruuli, & nomine Imperatoris ſignantur milites:* Qua de materia ſatis apud Nouarinum Sacrorum Electorum lib. 3. cap. 14. & 15. De hoc notarum genere Circumciſio, vt peculiarem Dei, ſequeſtratámque familiam à Nationibus diſtingueret cæcitate laborantibus. Hieronymus lib. 1. Commentariorum ad Galatas, in ea verba cap. 3. *Cognoſcitis ergo, quia qui ex fide, &c. Quia enim ex ſemine eius erat Chriſtus oriundus (in quo vniuerſarum gentium fuerat benedictio repromiſſa, & ab Abraham vſque ad Chriſtum multa erant tempora tranſitura,) prouidens Deus, ne ſoboles dilecti Abrahæ, cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia eius fieret incerta: gregem Iſraëliticum quodam Circumciſionis cauterio denotauit.* Igitur eius per ſignaculi infixionem Chriſtus in ſeruorum tranſibat numerum: atqui ſeruus factus, iam & delinquentis teſſeram portabat, ſeruitus enim ex peccato: Quod ſi quidem cum peccatoris larua, *ſi quo modo eum Pater æternus poſſet,* (vt aiebat Bernardus) *non agnoſcere filium, in quo ei benè complacuit, ex hoc maximè ſigno potuit ignorare eum:* Quonam enim pacto tanto genitore dignus filius, in quo notæ peccatrices? Cæterùm & in hoc ſe demiſit benigniſſimus Saluator ob nimiam erga humanum genus charitatem: inciſione autem illâ Carnis præputij, non tantùm ſeruorum adumbratã conditionem, ſed fugitiuorum quidem, qui latrones computantur, Bern. memorato loco innuit, dolens, quàm eo ſignaculo profundè ſe abiecerit Rex ſeculorum: *Iam minoratus eſt* (inquit) *multò minùs Angelis, qui non ſolùm formam hominis, ſed formam habet peccatoris: infigitur velut quodam cauterio latronis.*

Bernard. *Mira Chriſti Humilitas in Circumciſione, vtpote ſeruili Peccatoris ſtigmate, quo iniuſtũ Filiũ, ſi poſſet id fieri, non agnoſceret Pater.*



Ambroſ.

Nouarin.

Hieronym.

Bernard.

*Circumciſio, ſerui, imò fugitiui & latronis Nota.*

Idem.

90.

Grauem Creaturarum querimoniam, cui nec temporis longitudo, quæ etiam doloribus maximis finem ponere conſueuit, medelam afferre potuerit, Paulus octauo ad Romanos capite indicat, verſ. 21. *Scimus enim quod omnis Creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc?* Qualis labor, quem parturientium vexamento comparare Apoſtolus non dubitauerit: Vnde tam immanes triſtandi cauſæ? quibus affectæ iniuriis? quæ detrimenta paſſæ? Chryſoſtomus, propterea Creaturas ingemere adſtruit, quod hominum ſiue neceſſariis vſibus, ſeu oblectamento deſeruire cogantur: ita enim ratiocinatur ab huius ipſius octaui capitis verba ea: *Vanitati Creatura ſubiacet,* &c. & homil. 14. *Quid hoc ſibi vult? Vanitati Creatura ſubiacet? corruptibilis effecta eſt, quo nomine? & quamobrem? propter te hominem? quandoquidem enim corpus accepiſti mortale, & patibile; idcircò & Terra execrationem accepit, & ſpinas tulit, ac tribulos:* Sed cur reluctantur homini obſequi? nonne in hoc conditæ? Annon ipſe Rex conſtitutus, quando illi dictum: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini Piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Geneſ. capite 1. verſ. 28. quare detrectant imperium? quæ rebellionis auiditas? Sanè homo, quoad innocentiæ permanſit felix ſtatus, liber erat, ingenuus, nobiliſſimæ conditionis; tum parebant ei gaudenter Creaturæ, digna enim fuerat tum hominis ſpecies imperio: At verò cùm deliquit, & à peccato ſuperatus eſt; in mancipium tranſiit, quippè comparatus eſt iumentis inſipientibus, quorum eſt onera ferre, & verberari mancipiorum inſtar: Videntes igitur Creaturæ degeneraſſe hominem ab antiqua nobilitate, & factum ſicut vnum ex ipſis, ſeruum vtique, ferebant ægrè tam deſpecto ſubdi capiti: regi ab ingenuo & libero, id honorum ducerent, alacres obedirent: Sed quod ſeruus dominaretur eis, tolerare vix poſſunt, quamobrem vt animi diſplicentiam teſtentur, ingemiſcunt, ſuſpirant, querulantur: Hanc, quâ ſuffundebantur, Creaturarum erubeſcentiam, & inde prognatum mœrorem Anſelmus graphicè deſcribit libro de excellentia B. Virginis, cap. 10. *In eo itaque, quod lumine cœli & ſiderum motu in ſuis vſibus homo reus potiebatur, idem cœlum, & ſidera ipſa magni honoris detrimenta patiebantur: nempè illi ſeruiebant, propter quem ſe nequaquàm inſtituta ſciebant: ad obſequium quippe, ſiue ſeruitium iuſti hominis, non iniuſti, qui tunc erat, condita fuerunt: Hoc ipſum de aëre, de terra, & quæ profert, de mari & omnibus aquis, ac de his, quæ continent, licet dicere, & ſentire: Omnes igitur rerum formæ, informi quadam & contumelioſâ obfuſcatione tegebantur; eò, quòd ipſi, qui Deum ſuum inceſſanter offenderat, miniſtrari, ac ſubdi ſine intermiſſione cogebantur.*

Ad Rom. 8. 21. *Omnes creaturæ huiuſce mundi ingemiſcunt, quod Hominis per peccatũ mancipio ſeruæ ſint.*

Chryſoſt.

Gen. 1. 28.

Anſelm.

91.

Virginem Deum parituram ſalutat Gabriel, eámque affatur, inquiens: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium,* &c. Luc. cap. 1. verſ. 31. Quid eſt *ne timeas Maria?* hoc eſt, ne verearis, ne trepides tu quæ Domina: Maria enim Domina interpretatur: Sed quibus imperauit Deipara? quas rexerit nationes? Vbi coronata? Semper exiguis contenta duxit in paupertate annos. Num idcircò Domina, quia Regina? Regina autem, quoniam ius haberet ad Iſraëliticum ſceptrum? Videri poſſit Chryſologi eſſe cogitatio ſerm. 142. *Antè cauſam dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo ſermone, Latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominam, vt dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis: quam naſci & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit authoritas:* At germinis authoritas quid aliud fuerit, quàm ipſa Puellæ naſcentia, cùm primùm data eſt in auras? Accepit autem ex natiuitate & proſapiâ, de Dauidis vtique ſtirpe deſcendens, ius hæreditarium, quod ab illa in Chriſtum Dominum tranſmiſſum eſt, ad infulas Iſraëliticæ Maieſtatis: Verùm hæc exiſtimatio communiter exploditur à Theologis: Conſulendi Vazquez tom. 1. in 3. part. diſputatione 87. cap. 1. Suarius tom. 1. in eandem 3. part. diſputatione 48. ſectione 1. Deinde, vt habuerint ad Regnum Iudaicum titulum quaſi in actu primo, Virgo, eiúſque proles, tamen omnes conſpirant de facto neque Matrem, neque Gnatum imperatoriæ vſos potentiæ vel authoritate, vel commodis, quare de facto Virgo neque Regina extitit, neque Dominatrix: ſublimius igitur quidpiam ſuperni Nuncij elogium indicauerit, quàm quod temporali ſignificetur Regnatu: Perſto igitur nunc in eo, quod aliàs tradidi horum Verborum interpretamento, vt germinationis dictione Animatio B. Virginis, eiúſque prima conceptio repræſentetur: igitur huius germinationis causâ ore pleno Domina: quid enim? quippe in luce gratiæ ſanctificantis concepta Deipara, quemadmodum noxam originariam declinauit, ita, quæ ex illa tanquam ſementina naſcuntur, velútque ex radice pullulant culpæ actuales, ſiue mortiferæ, ſeu veniales Virginem non contami

Luc. 1. 31. *Maria verè Domina & Regina, quia in Conceptione immaculata, ſerua à peccato nunquam fuit.*

Chryſolog.

Vazquez. Suarius.

contaminarunt: ergo cùm omni delicto liberata, ſerua eſſe non potuit, cùm ſeruitus à peccato; proinde itaque Domina ſalutata: quomodo enim non Domina, quæ vti labem ignorans, ſic & de labe ortam ſeruitutem?

92. Peccauerat Ozias Sacerdotali fungi volens officio, & incenſum adolere: reſtitit egregius Myſta Azarias, nec dubitauit quanquàm purpurâ formidabilem increpare: *Non eſt tui officij Ozia* (inquit) *vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium*, Paral.2.cap.26. verſ.18. Eſto reprehendat, nam æquum eſt & Principum exceſſus corripere, ſed cur non vocat Regem, cùm Monarcha eſſet? Sanè Regius titulus liberum eſſe quempiam prædicat, alienis non ſubditum imperiis, qui potiùs dominatum in alios exerceat: atqui Ozias ſtatim vt peccauit, hæc omnia amiſerat, nam exindè factus eſt ſeruus, opponitur verò libertati ſeruitus: auſcultemus Chryſoſtomo tom.1. hom.5. in verba Iſaiæ: *Vidi Dominum*, &c. *Ingreſſus eſt templum Domini, ingreſſus eſt & Azarias Sacerdos poſt eum: non temerè dicebam Sacerdotem Rege maiorem eſſe: neque enim vt Regem eiecturus, ſed vt profugum & ingratum famulum expulſurus, cum auſteritate ingreſſus eſt:* Verùm cur famulum dicit? neque enim ab hoſtibus victus eſt, vt captiuitatis duras experiretur leges, & mancipium fieret: non ipſe ſe obligauit alicui Domino: Sic quidem fuerit, ſed peccauit tamen, ex quo autem maculatus eſt Numinis prouocans iram, ſeruorum gregibus deinceps annumeratus, demit enim libertatem peccatum, quare ibidem Chryſoſtomus: *Nam qui peccatum committit, ſeruus eſt peccati, etiamſi decem millia Coronarum habeat in capite: Quid igitur dicit Sacerdos? Non licet tibi Ozia adolere incenſum Domino: non appellauit eum Regem, neque titulo principatus appellauit, propterea, quod ipſe preueniens ſeſe dignitate deiecerat:* Affine huic, quod de Heli Pontifice Sanctus Gregorius annotauit: Nam cùm de gnatorum ſceleribus plurimis inaudiiſſet ſenex, *Nolite* (ait) *filij mei, non enim eſt bona fama, quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum Domini:* Reg.1. capite 2. verſ. 24. Putat igitur Beatus Doctor ſubiratum Antiſtiti Deum, quod filios vocarit: Sed quo alio nomine afficeret, quos ipſe produxerat? Cuinam filiorum voces adaptandæ, ſi non iis, quorum per generationem quiſpiam author? quod igitur in hac phraſi piaculum? quis reatus? Scilicet, filiorum dictio, nomen eſt libertatem innuens, nam à famulis differunt gnati, quanquàm omnes obſecundant Patrisfamilias nutui, quod filij liberâ conditione pollent, famuli ſub iugo ſunt: cùm igitur propter delictorum enormitatem, quod libertatis erat, Heli procreata ſoboles deperdiderit, mancipium verè facta; offendit genitor titulo afficiens, qui libertatem indicaret: *Sed qui inſequi eas, quas expoſuit, culpas debuit,* (ait citatus Pater lib.2. expoſitionis in 1. Reg. in morali elucidatione) *per ſubſequentia verba leuigauit, dicens: nolite filij: in qua nimirum propinquitatis appellatione, quantùm à Domini voluntate diſſentiat, liquet quia illos filios appellauit, quos diuinus ſermo ſuprà, Belial, id eſt, Spiritus nequam filios eſſe perhibuit, dicens: porrò filij Heli, filij Belial.*

2.Paralip. 26.18. *Corripiens Oziam Regem Pontifex Azarias, non nominat eum Regem, quaſi regnum per peccatū amiſiſſet ſeruus factus.*

Chryſoſtom.

Idem.

Gregor. 1.Reg.2.24. *Subiratus Deus Heli Pontifici, quod ſobolem ſuam filios vocaſſet poſt eorum peccatum.*

Gregor.

*Chriſti imitatoribus nulla fixa patria: ibi domicilium, vbi maius Dei obſequium affulget.*

## Sectio VI.

93. VErbi, poſtquàm induit Carnem, duo præſtantiſſima nomina, Chriſti videlicet, & Ieſu, Oleo ſignificari effuſo, multis communiuimus: at quare vtrumque hoc nomen *Vnguentum effuſum?* Orig. hom. 1. ex duabus: *Quomodo vnguentum, quod effuſione ſuâ odorem longè, latéque diſpergit, ſic Chriſti nomen effuſum eſt: in vniuerſa terra Chriſtus nominatur, in omni mundo prædicatur Dominus: vnguentum enim effuſum nomen eius:* Sed quonam more horum nominum in omnes vbique oras delata fama? nimirum, quoniam Apoſtoli, diſcipuli & ſectatores eius, ſpretâ natiuâ regione, cùm Euangelio pertinaciter contradiceret, eam patriam reputarunt chariorem, vbi copioſior animarum ſeges, vbi in Deum maior fides, ardentior pietas: quamobrem & tranarunt maria, & adierunt fines mundi, & perluſtrarunt gentes ſemotiſſimas; & cùm nihil certum poſſiderent, omnia ſubiugarunt tamen. Subiugatam Chananæorum ditionem Ioſuë Imperator tribubus Hebræorum diuiſit, ſibi ne vno terrarum angulo relicto: itaque fixa adeptis loca cæteris, vnus Dux vagabatur nihil habens ſtabile: quamobrem? Annon primum conſilium debuerit eſſe eius de baſilica & poſſeſſionibus, qui ius dicturus erat, quem regere oportebat? Certè antequàm Saülem Monarcham vngeret Samuel, populum admonuit, tollendos ab eo agros, & vineas, & oliueta optima, Reg.1. cap. 8. verſ. 14. Quin & in prima molitione rerum Creator documentum præbuit, homini ſpecialis gratiæ habitationem deputans, locum voluptatis nempè, quoniam creabatur in Regem aliorum Animatorum, quo de ædificio eleganter Damaſcenus lib.2. de fide Orthod. cap.11. *Quia Deus ex viſibili, & inuiſibili creatura hominem plaſmaturus erat ad ſuam imaginem, & ſimilitudinem tanquam quendam Regem & principem vniuerſæ terræ, & eorum, quæ in ea ſunt; præſtruxit ei quandam veluti Regiam, in qua beatam duceret vitam, & ipſe eſt diuinus Paradiſus Dei manibus in Eden plantatus, voluptatis promptuarium:* Cur igitur domo vacuus, fundo, poſſeſſionibus Imperator? quo pacto Regia maieſtas enituerit tantâ cum egeſtate rerum? ô Principem verè, quem ſubiectorum lucra tantùm ſolicitant! ô quos dabimus inter Regum amicos, qui bono publico proſpiciant ſolùm, ipſi nihil ad ſe artrahant! Sed age, perſequamur incepta: Certè Dux ille, cùm Ieſu nomen ſortitus fuerit, ſpecialiter ipſum deſignabat. Vt igitur doceret Ieſu Chriſti Euangelicos ſectatores tales eſſe debere, quibus nulli certi lares, nulla fixa regio, verùm illuc continuò properent, vbi meſſis animarum abundantior, quò gloriæ Dei cumulatior ſpes inuitat, noluit in partitione vberrimæ glebæ ſibi quidpiam reſeruare: ita quæſtione 17. in Ioſuë, aut proximè ad hæc Theodoretus: *Quare* (inquit) *Ioſuë, cùm alijs terram diſpertiret, ſibi non diſtribuit aliquam portionem? imitatus eſt in eo modeſtiam Domini: extremam itaque expertus eſt inopiam, ita vt ne domum quidem haberet, vbi reclinaret caput ſuum: docuit item eos, qui in aliquo Magiſtratu ſunt conſtituti, non ſuis commodis, ſed vtilitati ſubditorum inſeruire debere:* Atqui etiam dicas hæreditate locupletatum

*Oleū, Chriſti nomen, in omnes terras effuſi effuderūt Apoſtoli.*
Origen.

*Ioſuë terram promiſſionis populo diuidens nullam eius partem ſibi retinuit.*

1.Reg.8.

Damaſcen. *Paradiſus terreſtris Regia Hominis innocentis.*

*Ioſuë, nomen & figura Domini Ieſu.*

Theodoret.



pletatum quoque Imperatorem hunc: nam c.19. verſ.49. dediſſe leguntur filij Iſraël poſſeſſionem Ioſuë in medio ſui: Habuit igitur conſtans & ſtabile aliquid. Cedo quidem, ſed animaduerte, ab Hebræis collatum munus, non id ſibi Ducem aſſumpſiſſe: quoad licuit Ioſuë, & quando penès eum diuiſio, abſtinuit ab omnibus: id, quod Origenes annotauit hom.24. in Ioſuë: *Declarat Textus, quantam manſuetudinem habeat Ieſus qui dignus erat ferre nomen Domini Ieſu Chriſti, & Saluatoris noſtri: ipſe eſt, qui dedit hæreditatem omnibus filijs Iuda, & nec ipſe hæreditatem ſorte præſumpſit, ſed à populo accepit: Vide ergo quomodo Dux erat populi; ipſe, qui eos introduxerat in terram ſanctam, in terram repromiſſionis: ipſe erat ſucceſſor Moyſi: & non ipſe ſibi permittit ſumere ſortem terræ, ſed expectat, vt accipiat portiunculam à populo populi Dux.*

*Habuit quidē Ioſuë hæreditatem ſed à populo ſibi datam.*

Origen.

94. Iuſſus Abraham paternam domum relinquere, natiuitatis ſolum: *Egredere* (ait Dominus) *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi*, Geneſ. cap.12. verſ.2. Quænam hæc terra, quam oſtenſurus ſit ei? Vbi ſita? quo climate? quantâ fertilitate? Quid ſi amandet in glacialia, ſi in torrida, ſi vbi ferarum immanium terror, vel vbi ſæuiores beſtiis homines? Præclara eſt de hoc Numinis mandato Auguſtini oratio, ſermone 68. de tempore: *Nouum probationis genus, habenti propria, exilia indicere peregrina, ingerere laborem itineris quieſcenti, imperare penuriam poſſidenti, & tantarum facultatum Domino neceſſitatem imponere peregrinandi: Cui non eſt magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina; & voluntaria caſa, quàm digeſta prætoria? Exi* (ait) *de terra tua: Quis hoc ſine fidei viribus libenter audiret? Leuius probaretur, ſi vel nomen loci, quò perrexiſſet, audiret.* Benè appellauit *nouum probationis genus:* Cui enim ſimilis indictus receſſus? Iacobum etiam peregrinari mater Rebecca compulit, ſed quò pergeret, intimauit, ſcilicet in fratris ſui Laban domum: Sed conſidera Abrahamum inter Patriarchas nominatum Patrem multarum gentium, Geneſ. cap.17. verſ.9. *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium conſtitui te:* Quos autem illa nominatio ſignificauit niſi viros Apoſtolicos, quorum ſonus in omnem terram exit, ac proinde plurimarum nationum genitores ſunt in Chriſto Ieſu? In horum igitur typum dictum eſt Abrahæ, vti certa & poſſeſſa pro ignotis commutaret: nec aliam ſe habere patriam arbitraretur, quàm vbi refulgeret maior Dei gloria, vbique diuinum grandius obſequium: Inſuper, cùm ex Abram dictus eſt longiori vocabulo Abraham, demptam Literam ex nomine Dei ineffabili, quod Tetragrammaton Hebræos dicere refert Hieronymus in Traditionibus ſuper Geneſim: porrò illud nomen Iehouah idem eſſe cum Ieſu nomine, vt ſuſtineri valeat oſtendimus numero 61. Igitur cùm ex Ieſu nomine Abrahæ inſerta appellationi Litera: monet Ieſu Chriſti ſectatoribus exilia eſſe ſubeunda animarum gratiâ, Domeſticorúmque memoriam exuendam, nec certis affixos ſedibus eſſe debere.

Geneſ. 12. 2. *E patria ſua Deus amandat Abrahamum viri Apoſtolici typum.*

Auguſtin.

Gen.17.9.

Hieronym.

95. Huiuſmodi magnus ille Franciſcus decus plurium ſæculorum, Xauerius noſtræ militiæ Signifer, Orientis Apoſtolus: cuinam aſſimilauero incomparandum Heroëm? Vix in corporeis, tanti quod viri magnitudinem exponat: recurram ad ſpiritalia: Audiamus quid de humano animo ſcribens in Pſalm. 129. Zeno Veronenſis: *Ergo ad imaginem Dei homo interior effectus eſt, rationabilis, nobilis, citus, incorporeus, ſubtilis, æternus: quantùm in ſe eſt ſpeciem naturæ principalis imitatur, dum tranſcurrit, dum circumuolat, & dicto citiùs nunc vltrà Oceanum eſt, nunc in cœlos euolat, nunc in abyſſis eſt, nunc Orientem, Occidentémque perluſtrat: Sed Anima humana ſecundum hæc ad imaginem Dei facta eſt, dum naturam Dei mobilitas animæ perennis imitatur.* Ad viuum Franciſcus in iſtis omnibus: illîne patria dulcis, & certi lares adamati? Nec ſalutare voluit, cùm facilè poſſit, nunquam viſurus iterum: Sed annon peregrinatus eſt? momento ex Roma in Luſitaniam, ex Portugallia in Goam plagam ſuperatis Oceani fluctibus: Quid? ibíne hæret vno detentus loco? nunc Goano in tractu, nunc apud Commorinum, nunc in Iaponiam, nunc in Sinenſe Regnum: benè igitur, *quod dicto citiùs, modò vltrà Oceanum eſt, modo in abyſſis, modò Orientem, Occidentémque perluſtrat.* Vnde tam agiles Animæ? nimirum, quia Dei imago; ad eius ſimilitudinem conditæ: Quicumque igitur Chriſtum, qui Deus etiam eſt, referre cupiunt, eius videri imitatores, Animarum inſtar, huc illuc peruolent, ſic viros Apoſtolicos decet tranſcurrere vbicumque maiora fidei incrementa futura expectentur: Sed cur Deo comparata mentium velocitas? non ſufficeret Angelis aſſimilaſſe? nam & ipſi quoque ictu oculi in longinqua feruntur: Num Xauerij mei tantus volatus, qualis vix Angelicus quodammodò? & non niſi diuinis adhibitis exemplis ſatis exprimatur?

*S. Franciſcus Xauerius inſtar Animæ huc illuc piè vagatur.*

Zeno Veron.

96. Intuere quàm in pulchros amnes diſtendatur fluuius ille, qui de Paradiſo egrediebatur: nam & quidam eorum ſubminiſtrant, quod in metallis excellit, aurum: alij gemmas Matronarum delicias ſuggerunt, omnes cum fructu, vt facile ſit diuinaſſe loco voluptatis ortos fuiſſe: attende tamen, cùm in cæteris Moyſes, quos alluant terminos, quas in Prouincias dirigantur, exprimat, de vno nihil aſſerere Euphrate: eius omnia verba: *Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrates*, Gen. cap.2. verſ.14. Notarunt Ambroſius ſtatim promendus, Iſidorus Hiſpalenſis, & Interlinearis: Cur harum vndarum curſus inexpreſſi? Putarim, ſicut Paradiſo, Dei Eccleſia myſticè velata: Sic fluminibus Paradiſiacis varios præmonſtratos commorantium in illa ſtatus: habet Antiſtites Epiſcopali gloriâ conſpicuos, ſed horum limites cogniti, videlicet Eccleſiæ particulares concreditæ illis: habet Monachorum Sanctiſſimos greges, ſed in his quanquam aurum & lapides precioſi innumeri, ſtatio tamen eis certa, eremus Beata, in qua dies noctéſque ſuauiſſimam hymnodiam Creatori modulantur: habet denique Mendicantium Ordines, florentiſſimas Auguſtini, Dominici, Franciſci Turmas, aliáſque multas, de quibus & noſtra minima Societas: Hi ſunt Euphrates Amnis ille peregrinans, nullíque adſtrictus regioni, quoniam hi fortiſſimi ſemper in procinctu eſſe debeant Milites, vt quò vocent fidei incrementa, quò Eccleſiæ neceſſitas, properent feſtinanter, charam patriam obliti, cognatos, reuerentiam populorum, commoda ſalutis: Sed proferamus Ambroſium, qui Euphratem delineet libro de Paradiſo, cap. 3. *Quartus eſt fluuius Euphrates, qui Latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam ininſigne iuſtitiæ, quæ omnem paſcit animam: nullos enim abundantiores videtur habere fructus virtus,* quàm

*Religioſi Mēdicantium Ordines Euphrati fluuio comparantur, cuius Mæandri in Scriptura non expreſſi.*

Geneſ.2.14. Ambroſ. Iſid. Hiſpal. Interlin.

Ambroſ. *Euphrates .i. fœcunditas, & abundantia fructuum.*

*quàm æquitas, atque iuſtitia, quæ magis alijs, quam ſibi prodeſt, vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens: Plerique Euphratem ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεως dictum putant, hoc eſt, à lætando, eò quòd hominum genus nullo magis, quàm iuſtitia, & æquitate lætetur. Cauſam autem, cur, cæteri quà commeant fluuij, deſcribuntur Regiones locorum: quà Euphrates commeat, non deſcribatur, illam accipimus, quia aqua eius vitalis aſſeritur, & quæ foueat atque augeat: vnde Auxen cum Hebræorum & Aſſyriorum prudentes dixerunt:* Quam eius de Cardinali virtute Iuſtitia Allegoriam aptare præfatis virorum ſtatibus poſſumus: Nam quidem ſi Euphrates idem quod fœcunditas, nulli hominum generi conueniat plus nomen, ipſi enim Verbum Dei ſeminando omnes nationes fœcundant: Si Euphrates iuſtitiæ virtus, eo quod præ aliorum lucro ſua deſpicit emolumenta: hoc illi faciunt, dum ad Indos pergunt, loca Hæreſi infeſta, & crudelitatibus inſignia, intrant: denique, cùm inſtituti eorum ſcopus ſit vitam reſtituere emortuis animabus, peccatum abolere, atque hoc vt agant, per orbis climata diſcurrunt incertis itinerum ambagibus, rectè per Euphratem denotantur, qui vitalis amnis eſt, & quò tendat, ignoretur.

97. Hanc certè velut peculiarem quandam laudem noui inſtrumenti & fœderis, Ezechielis illa repræſentant verba: *Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Iſraël, & loqueris verba mea ad eos: Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, quorum non poſſis audire ſermones*, cap. 3. verſ. 4. Magnus Iſaias, magnúſque Ezechiel, & cæteræ Dei vaticinales tubæ, verùm, niſi Ionas quiſquam reluctans, & fugitiuus; aliis cum ſuis datum commorari ſiue apud Babylonem, ſeu in Iudæa: nemo ad occidua littora penetrauit, nemo ignotos orbes quæſiturus in Europam, Africámque progreſſus, quid dicam his vlteriores metas? Sed Euangelicis miniſtris ea reſeruabatur gloria, qui ad exemplar Apoſtolorum, verſùm omnes mundi fines pergerent: quocumque dictabat Spiritus ſanctus eundum, illuc gradiebantur, ad extrema ſanè terrarum, ad populum terribilem, ad idiomata varia, horrida, diſcrepantia: *Oſtendit* (ait Theodoretus) *diſcrimen inter Apoſtolos, & propheticos labores: illis enim vnius tantùm gentis, ex qua oriundi erant, cuiúſque natiuam linguam habebant, cura commiſſa fuit: Apoſtolis verò cunctus orbis terrarum & omnes gentes commendatæ ſunt ſecundum Domini iuſſum: Euntes docete omnes gentes, quæ infinitas habebant, & diuerſas linguas, moréſque varios, & contrarias leges:* Deinde & proſequitur oſtendens Synagogæ pervicaciam, quam tales legati frugem reddere non valuerunt, cùm tamen tot nationum formæ Chriſto ſubdiderint colla: Sed ad egregios Indorum operarios hodiernæ meſſis verba retulit noſter Sanctius vtiliter, imprimiſque ad magnum Xauerium: *Quare* (ſubinfert) *qui illarum gentium conuerſioni Apoſtolicam nauant operam: rem ſanè ſuſcipiunt multò magis arduam, quàm quæ olim à Deo Prophetis eſt iniuncta.* O ſi quis noſſe poſſet, quantam laborum Ætnam in his vtiliſſimis Miſſionibus felices illi prædicatores ſuſtinent! quos epotant ſalſi maris decumanos fluctus! Spiritus verò conſolatione abundat.

Ezechiel. 3. 4.

*Iudaicis Prophetis in ſua cuique manere patriâ datum: Apoſtolici & Euangelici Miniſtri totũ Orbem diſcurrendum ſuſcepêre.*

Theodoret.

Sanchez.

*Franciſcus Xauerius quàm ſtrenuè Animarum ſalutem procurarit, vt verum Ieſu famulum ſe probaret.*

## Sectio VII.

98. Nihil tam illuſtre Explanatio noſtra ſacratior, & Myſtica attulit, quàm quod patefecerit Chriſto Domino optionem à Genitore factam vitæ ſeu immortalis, & glorioſæ: ſiue paſſibilis & infirmæ: Deinde, & ius directum temporale in omnia Mundi regna habuiſſe eundem monſtrauimus: renunciaſſe tamen omnibus Animarum ſaluandarum cauſâ, & maluiſſe in paupertate atque deſpectu annos traducere: Vltimùm & mortem per varia tormentorum genera, per Contumelias experiri. O inauditæ charitatis vim, ſolatia cuncta reſpuentis & in Hoſtium fauorem! Quiſquámne talia imitari vtcumque auſus? certè non pauci. Doctor gentium & Commilitonum eius manus: Epiſcopi Sanctiſſimi; de Presbyterorum cœtu multi: Religioſorum innumeri penè. Deligamus exempli cauſâ ex coniunctis nobis formidandum Tartareis Legionibus nomen, Franciſcum illum, qui fidem apud Luſitanorum Indos propagauit mirificè duobus luſtris vno adiecto anno: Deum immortalem, quæ non tædia deuorauit? quos non exanthauit labores? quæ non ſubiit pericula? Fames, nuditas, Perſequutio, Comites aſſidui: in mortibus frequenter, neque mari ſecurus, neque in terris. O virum planè de Chriſti electis Ducibus! Miſerunt Gabaonitæ ſuppetias petitum legatos ad Ioſue: adfuit opportunus amicis, & pugnauit aduersùm Reges quinque indefeſſo Marte; cúmque metueret, ne requiem prælliantibus Noctis inuolucra afferrent, ſtare iuſſit Phœbum, diémque vnum in binos protelauit: Sic enim de eo Siracides pronunciauit, Eccleſiaſtici cap. 46. verſ. 5. *Annon in iracundia eius impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo?* Quid agis Ioſue? Tibíne excidit compaſſio omnis fatigatorum militum? Vides tota die nullâ recreatos alimoniâ, puluere & ſudoribus laſſos, & lucem protendis, ne tantillum feriari poſſint? Vtinam non & ipsâ naturâ immitior dicare? quippe illa voluit ſplendoribus ſuccedere tenebras, quo interdiu laborando fractos artus nocturna otia reficerent: Tu diei diem ſurrogando curas & faſtidia ingeminas? Eia agito Dux fortiſſime, quoad deleantur Amorrhæi omnes: Tûne, qui Ieſu inſignitus charactere, Magni illius Xauerij Symbolum, eius qui ſomni oblitus, qui veſtimenti, qui ciborum, qui hominem ſe neſciebat eſſe, donec poneret inimicos ſcabellum pedum ſuorum, & Idololatriam Oriente expelleret? Colligamus de ſpinoſo Tertulliano Codice aduerſus Pſychicos roſaceum aliquid; capite decimo ait: *Ieſum Naue debellantem Amorrhæos prandiſſe illâ die exiſtimamus, qua ipſis elementis ſtationem imperauit? Stetit Sol in Gabaon, & Luna in Aialon, donec vltus eſt populus de inimicis ſuis, & ſtetit Sol in medio cœlo, & non accedebat ad occaſum:* Sanè huius diei protenſionem Origenes allegoricè ad Gentiliſmi ſubuerſionem, hom. 11. in Ioſue traducit: *Ex quo aduenit Saluator, finis erat mundi: denique ipſe dicebat: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum: Sed retinuit, & repreſſit diem conſummationis, & adeſſe prohibuit: videns enim Deus*

*Aſſidui S. Xauerij pro animarum ſalute labores.*

Eccli. 46. 1.

*Vt indefeſſus in expugnandis Amorrhæis Ioſue diem vnum in duos produxit, ita irrequieto motu Xauerius in extirpandâ idololatriâ totus.*

Tertull.

Origen.





*Pater ſalutem gentium per ipſum ſolum poſſe conſtare, dicit ad eum: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: donec ergo paterna pollicitatio compleatur, & Eccleſiæ ex diuerſis nationibus creſcant: dies producitur, differtur occaſus:* Sed quomodo longa dies Franciſco, cui potius breuiſſima extitit, rapto eo ad meliora, cùm tertij luſtri premeret limen? Equidem fuêre, qui dicerent quanquam de errore, ſed dixerunt tamen, quorum meminit Serarius noſter parte 2. Commentariorum in Ioſue q. 13. in c. 10. diem illum notiſſimum Ioſuanæ pugnæ haud productum reipſa, neque mutatas rerum vices, ſed iis computatis, quæ tam breui interuallo geſta ſunt, non poſſe non longum æſtimari diem, in quo tam grandia, támque varia perpetrata ſint, quibus ne plures luces ſufficere videantur: Certè Periodus vitæ Xauerij, vndecim quippè annorum poſtquam ad Indos tranſmeauit, ſatis enana: Verùm, ſi præclariſſimorum facinorum multitudo conſideretur, longitudine admodum ſpectabilis.

Serar.

99. Verba illa de Iſaiæ cap. 18. v. 2. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius*, &c. Pleróſque nouorum Interpretum, de recentium Indiarum Conuerſione intelligere docuimus Volumine 1. Anteloq. 3. n. 136. qua de cauſa Angeli, & imprimis ipſe Coryphæus Xauerius? Scilicet Angeli non dormiunt, non comedunt, non veſtiunt: iam & momento longiſſima ſpatia percurrunt, adſunt his, illis veloces, omnia in temporis puncto abſoluunt: talis depingitur à Chryſoſtomo vas electionis Paulus tom. 3. hom. 2. eius de laudibus: *Siquidem Paulus in terra gradiens, ſic ſe agebat in cunctis, quaſi Angelorum Societate frueretur: nam paſſibili adhuc colligatus corpore, illorum perfectione gaudebat, tantiſq; fragilitatibus ſubditus, in nullo inferior ſupernis virtutibus apparêre certabat: Nã & tanquã pennatus totũ docendo peruolauit orbẽ, & velut incorporeus, labores omnes, periculáque contempſit: & quaſi iam cœlum poſſidens, cuncta prorsùs terrena deſpexit, & tanquam cum ipſis iã incorporeus, ita iugi mentis intentione vigilabat:* Quę ſingula ad amuſſim Beatiſſimo Xauerio quadrant: Nonne enim *quaſi pennatus docendo peruolauit orbem*, qui annis decem & vno, Leucarum totidem millia peragrauit? qui ab Vlyſſipona excurrit in Goam, ab hac in Cammorinum, ab iſtis ad Iaponiam, à Iaponenſibus in Sinarum oras prohibitas exteris? Nonne *velut incorporeus pericula, laboréſque contempſit*, quem naufragum maria littoribus expoſuerunt ſæpè, qui telis barbarorũ petitus frequenter, cui parata Venena, à quo fugerat ſomnus, qui penè neque bibens neque comedens, cui aduersùs temporum acerbitatem munimenta nulla? Nonne *quaſi cœlum iam poſſidens cuncta terrena deſpiciebat*, cui nec calceamentum, neque galerus, non lacerna, niſi de attritis & foraminatis inter gazam Oriẽtis multiplicem, & illecebroſam? Non demum *tanquam cum ipſis iã incorporeus, velut de illo* voluptatis torrente ebrius, inclamabat: *Satis eſt Domine?* Sed nũ Angelis fortior Xauerius etſi feliciores illi, quando & Chryſoſt. ratiocinabatur, *paſſibili adhuc alligatus corpori, illorũ perfectione gaudebat, tantiſque fragilitatibus ſubditus, in nullo inferior ſupernis virtutibus apparebat?* Certè Bern. epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem Archiepiſcopum de humana Caſtitate Angelicæ comparatâ: *differunt quidem inter ſe homo pudicus & Angelus, ſed felicitate, non virtute: Sed etſi illius Caſtitas felicior, huius tamen fortior eſſe cognoſcitur*; Verùm, quare robuſtior humana Caſtitas? nempè, quòd difficilius ſit infirmitatibus circumdatum, & lapſui obnoxium ſuperare: ergo & fortior quodammodo Xauerij virtus Angelicâ impaſſibilitate, cùm quod ipſi Spiritu muniti: hoc ille tantis fragilitatibus ſubditus.

Iſai. 18. 2.

*S. Xauerius in ſua mira velocitate quâ tot regiones peragrauit pro animarũ conuerſione, verè Angelus.*

Chryſoſtom.

*Laborioſa Xauerij tolerantia.*

Bernard.

100. Ingreſſus domum Simonis Chriſtus, *vidit*, ait Matth. c. 8. v. 14. *Socrũ eius iacentẽ, & febricitantẽ, & tetigit manũ eius, & dimiſit eam febris:* Animaduerte illa: *Vidit ſocrũ eius iacentem:* Nihílne aliud præterea? Nõne vocatus ad epulas Seruator? Cur igitur nõ dicitur intuitus fuiſſe abacũ, vaſa Conuiualia, Sympoſij apparatũ, miniſtrantiũ veſtes, totius denique domus lætã & genialem faciem? tantúmne defixus in ægrotæ remedia? omninò quidem: Cur ita? nimirũ Ieſus erat, qui interpretatur Saluator: cætera igitur deſpiciens vno ſanitatis afferendæ rapiebatur œſtro: Fruãtur alij, quibus velint deliciis, Ieſu voluptas eſt in ſaluando, in amoliẽda febri: Chryſolog. ſerm. 18. *Ingreſſus in domum Petri Chriſtus, ad quod venerat, vidit: non aſpexit qualitatẽ domus, non occurrentiũ turbas, non ſalutantiũ pompam, non familiæ concurſum, certè non ipſum præparationis ornatũ: Sed inſpexit gemitum languentis, vidit periculũ deſperatæ; & ſtatim manus ad opus ſuæ Deitatis extendit:* Quænã Xauerij oculos in feliciſſima Oriẽtis plaga diuerterant? An Margaritorum pretia exquiſita? num gemmarũ aliarũ diuerſitas? numquid auri, argentíque ſplendor? aulæa tamen & ingenij laboribus, & colorũ intertextu peregrina? vel quę Sinenſes admirandæ iucunditatis neuêre byſſina? tandémve vnguentorum, aromatúmque copia, in quæ luxuriant ſyluæ? Nihil iſtorũ cõſiderauit, cui ne ad tegumentum neceſſaria: Solam febrim contemplatus ſolicitè: Quidnã febris? Ambroſ. hunc ipſum locum de Simonis Petri ſocrus febricitatione expendens lib. 4. in Lucam: *Nec minorem febrem Amoris eſſe dixerim, quam caloris: itaque illa animum febris, hæc corpus inflammat: febris enim noſtra auaritia eſt, febris noſtra libido eſt, eò quod ignitæ ſint cupiditates: febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt, febris noſtra iracundia eſt:* in hunc igitur febrium diluuionem aciem omnem intenderat Xauerius, quò ſublatis iis Chriſtianorum refloreſceret deuotio; Pagani faciles manus darent fidei illuminationibus: haud quidem Saluatorem aliter ſe probaſſet, & de Ieſu ſchola, niſi in medicandis febribus curam, atque induſtriam omnem poſuiſſet: febrim igitur tantùm conſiderauit inter diuitiarum tot lenocinia.

Matth. 8. 14.

Chryſolog.

*Vt Chriſtus ſolam Petri Socrus febrẽ, ſic Xauerius in Sinis ſolos Animarum morbos attentus cõſiderat.*

Ambroſ.

101. Cùm tres pueros in fornacẽ proiici ardentem Nabuchodonoſor inhumano præcepiſſet edicto, oblata eidẽ quarta iuuenis ſpecies, & quidẽ ſimilis Filio Dei: *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei:* Danielis cap. 3. v. 92. Quæ ad verba Hieronym. *Speciẽ quarti, quem ſimilẽ dicit Filio Dei, vel Angelũ debemus accipere, ſicut ſeptuaginta tranſtulerunt: vel certè, vt plerique arbitrantur, Dominum Saluatorem:* Cùm igitur vulgata opinatio ſecundum Hieronym. quartum illum de ſodalibus, Chriſtũ Ieſum fuiſſe perhibeat, vndenã id homo idololatra, tardi ingenij, nulliſque fidei pręſidiis cõmunitus Nabuchodonoſor intelligere valuit? quẽ certè vetuſtiſſimus Martyr Hipolyt. allocutus orat. de conſummatione Mundi: *Dic mihi* (inquit) *Nabuchodonoſor, quando & vbi vidiſti Filiũ Dei, vt hunc Dei Filium confitereris? Quis Cor tuum pupugit, vt hoc verbum poſſes edere? quibus oculis potuiſti tantas has diuitias velut in ſpeculo proſpicere?* Paríque ſtupore defixus Rupert. Tut. Abb. lib. 6. de Victoria Verbi Dei: *Quis dignè* (ait) *ſufficit admirari,*

Daniel. 3. 92.

Hieronym.

*Cur Nabuchodonoſor quartum Iuuenem in fornace viſum ſuſpicatur eſſe Filiũ Dei?*

Hippolyt. Mart.

Rupert. Tut. *vbinam viderit Rex ille Filium Dei, vt in medio ignis ſimilitudinem eius agnoſcere poſſit? Nunquam viderat Filium Dei, ſed nec vnquam legendo, vel audiendo didicerat, quis, aut qualis eſſet Filius Dei: Nonne ergo mente non ſuâ loquutus eſt? Nonne in magno exceſſu, & ſtupore ſic affectus eſt?* Sed & cap. 22. idem adſignificare viſus, à nemine Prophetarum expreſſum Seruatoris vocabulum:

Idem. *Quis enim ſaltem ex omnibus Prophetis tam apertè nomen iſtud exprimit, Filium Dei?* Pererius lib. 3. in Danielem in illud:

Pererius. *ait Rex: ecce ego video*, &c. Monarcham hunc arbitratur ex Danielis inſtructione de Incarnatione Filij Dei edoctum: Sed præbeamus contigiſſe ita, quod tamen difficile idemmet in ſequẽtibus Pererius æſtimauit, cùm & Angeli non rarò humanam induerentur ſpeciem ſubaſſumptis corporibus, neque horum Spirituum vires tranſcenderet flammam illam temperare; quamobrem inductus eſt, vt ipſum Dei Verbum cum hominis repręſentatione magis crederet, quàm Angelũ? Sanè videbat quartũ illum Adoleſcentem laborantibus ſub ardore & flammis ſalutem afferre cumulatiſſimã: eo tamen more vtilis fuerat Pueris, vt non recuſaret eadem ſubire pericula, iiſdẽ innecti laqueis; quare & fornacem ipſe ingreſſus eſt etiam: igitur, cùm Ieſu germanum ſit ſaluare nec vtcumque opem afferre, ſed dura patiendo, benè ſubintulit, Mundi Saluatorem eſſe illum, qui Pueris ſemet adiunxerat, quos liberauerat, ignem vnà intrando: in hæc propenſus Rupertus:

Rupert. *Illud quoque non prætereundum, viſionem illius quarti deſcendentis in fornacem ad illos tres iuuenes liberandos, ſignum fuiſſe eius, quod facturus erat Filius Dei in Eccleſia ſua:* Quando enim non affuit Dei Filius agonizantibus ſeruis ſuis propter ipſum? Sanè & à Paganorum Pſeudo-myſtis ad Xauerium miſſos legatos

Ioan. Euſeb. *Diuinitatem ſibi à Paganorum Myſtis oblatam recuſat Xauerius.*

noſter recenſet Ioan. Euſebius Nierembergius in vita B. Patris Ignatij Hiſpanicæ Phraſis, c. 36. qui Numinis inſtar habituros ſe eum offerent, vt qui Diis prognatum crederent, Dei eſſe ſobolem ſtatuiſſent: Vndenam his cogitatio de natura humana excelſiori in Xauerio? Viderant quidem lõga emenſum terrarum ſpatia, vaſti æquoris tumentes fluctus, tantorũ itinerum ſcopum vnum, vt mederetur vulneribus Nationis, quacum neque Amicitiæ, neque emolumenti, neque cognationis vinculum interceſſit: Viderunt in aſſiduo conflictu eſſe hanc vnam ob cauſam: Vt erant igitur faciles ad nouos procreandos Deos: putarunt humano plus aliquid in eo eſſe, qui poſthaberet aliorum commodis propria omnia emolumenta, proinde neque veriti ſunt Nuncios deſtinare, qui in Diuorum album, ſi placuiſſet, referrent: Sed ſpreuit ementitæ diuinitatis inſignia, qui Dei veri nonniſi inutilem ſeruum reputabat ſe.

102.

Matth. 24. 37

*Bellè comparat ſe Chriſtus Gallinæ, in Animalibus pullorum amantioris & ſolicitioris.*

Quàm dulcis illa vox Chriſti ad infidam Metropolim, ſupérque ſilices duram! *Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat Pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Matth. cap. 24. verſ. 37. cur huic ſe volucri potiſſimum comparat? nimirum, Ieſus vocatus eſt, atque ideò, quoniam populum ſuum ſaluum faceret: huius autẽ Medicinæ nulla tam ſpirans Idea, quantum gallina: Paſchaſius Abbas in dictum

Paſchaſ. Matthæi caput: *Nullum Animal eo infirmatur modo, quemadmodum gallina in fouendo, & nutriendo pullos ſuos: Siquidem tota infirmatur, totáque fit hiſpida & rauca:*

Strabus. Strabus in gloſſa ſua: *Hoc animal magnum affectum habet in filios: ita vt eorum infirmitate affecta infirmetur: & eos alis protegens contra miluum pugnet:* Quoniam igitur Chriſtus propter ſcelera populi ſui vulneratus & attritus eſt, quoniam infirmitatem expertus, nam languores noſtros ipſe tulit, quoniam denique vitã ipſam profudit, rectè gallinæ aſſimilatus eſt, quæ debilitatur, & cum vulturibus congreditur pro incolumitate Pullorum: Tu ſolus medicina, Ieſu, Animarũ, corporúmque ſalus: nihil tale nouerunt Hippocratis Aphoriſmi: Quiſquámne de Æſculapij ſecta ſic indoluit, vt in ſe transferret ægroti tabẽ? Quiſquámne vitę prodigus in ſolatium decũbentis? tua ſchola tantùm nouit eiuſcemodi producere Curatores: habuiſti infinitam ſummam talium Medicorum; atque de egregiis mehercle Xauerius: Nam quas ille inualetudines corporis pro corporibus, animabúſque reſtituendis paſſus? quoties vitã dubiæ ſubiecit ſpei? quo afficiebatur, eóque mœrore inconſolabili? Omninò alter gentiũ Magiſter Paulus, de quo Chryſoſtom. hom. 2. eius de encomiis: *In Paulo & Xauerio Animarum zelus.*

*In mœrore enim maximo ille verſabatur, propter quod dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? nullus ſiquidem tanto affectu mala propria, quàm ille deflebat aliena: Quemadmodum enim illum opinaris afflictum cùm perditionem Iudæorum dolet, qui vt ſalui fierent, ſeipſum à cœlorum gloria cupiebat excludi? Et vnum hoc manifeſtum eſt, quia ſcilicet non ſaluari acerbiùs æſtuabat, quàm ſeipſum perire: aut ſi non acerbius, nunquàm aliud optaſſet, quod vtique quaſi tolerabilius elegit.* Chryſoſtom.

---

*Ieſu nomen perſequutiones deſpondêre eius cultoribus.*

## Sectio VIII.

Quomodo ſi Oleum nomen Ieſu effuſum, tamen dicatur, quod contemptionis vocabulum eſt, atque non potiùs exaltatum? Sanè & exaltatũ quoque, nam ipſum eſt nomen ſuper omne nomen, ad cuius tinnitũ omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum; ſed antequàm ita ſublimatum, priùs exinanitum, atque euacuatum fuit per opprobria multa, per Iudæorũ blaſphemias: Quid mirum cùm de eius authore prophetatum à Simeone futurum ſignum, cui cõtradiceretur? Luc. cap. 2. v. 32. Quem in locum noſter Maldonat. *Signum igitur hoc loco, vt quod res eſt, breuiter dicam, accipitur pro eo ſigno, in quod ſolent ſagittarij collimare, quem σκοπὸν Græci vocant*, vt Thren. 3. v. 12. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam: itaque ſenſus eſt: Chriſtum poſitum eſſe in ſignum, in quod omnes ferè Iudæi non ſolùm linguâ, ſed etiam manu tela ſua coniecerent: non enim contenti ſæpè blaſphemaſſe etiam crucifixerunt:* Quia igitur eiuſmodi ſignum Ieſus, benè de eius nomine, quod Oleum effuſum perhibeatur: Quę exponens verba Bern. ſerm. 15. in Cantic. *Quàm carum* (ait) *quàm vile: vile, ſed ſalubre: ſi vile non eſſet, non mihi effunderetur: ſi ſalubre non eſſet, non me lucraretur: & quid mirum, ſi Sponſi effuſum eſt nomen, cùm ipſe quoque effuſus ſit? nam ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens: denique ait: Sicut aqua effuſus ſum.* Cùm de Hebręorum ſecunda in bellis aleâ, déque robore multo pariter inaudiſſent Gabaonitæ, fœdera extorſerũt callidis artibus: Sed ecce quamprimùm in Ioſue amicitias tranſierũt, acris plurimorũ aduersùs eos Regũ coniuratio: Pugnæ incitator Ieroſolymorũ Rex, qui cõiunctis aliis quatuor: *Ad me* (inquit) *aſcendite, & ferte præſidiũ, vt expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Ioſue, & ad filios Iſraël.* Ioſue cap. 10. v. 4. Vides non aliud opponi, quàm quòd in Ioſue partes

103. *Ieſu*, Oleum *per opprobria multa* effuſum.

Luc. 2.

Maldonat.

Thren. 3. 12.

*Ieſus, Scopus in quem collimant impij.*

Bernard.

Ioſue 10. 4.



partes conceſſerint. Sed quantum hoc piaculum? Nõne ipſis hoc potiùs vtile futurum? nam ſi Gabaonitæ ex Ioſue amicis, fortaſsè propter ſodalitatis nexũ, impetrabunt ab illo, ne cum Ieroſolymorũ Rege, eiúſque auxiliaribus immitiùs agat: Sed in Gabaonitis pręſignificabantur, qui veri Ieſu poſt Euangelium enunciatũ, fidem, cultúmque profeſſuri, in quos certè non ob aliã cauſam, quã hanc ſolum, Tyrannorũ debacchatura erat ſæuities: Quibus enim ſceleribus Nerònis irã Chriſtiani prouocauerunt? quæ per illos homicidia? quæ rapinæ aut incendia? cuius torum violarunt? cuius inſidiati ſunt honori? parum, quod à malis abſtinerent, niſi & benefacerent plurimùm Reipublicæ: itaque odiorum fomes omnis, quoniam Ieſu Chriſti inſtitutis addicti: percipiamus allegorizantem Origen. hom. 11. in Ioſue: *Cùm anima humana Verbo Dei ſe ſociauerit, dubitare non debet ſtatim ſe inimicos habituram, & eos, quos habuerat antè amicos, in aduerſarios eſſe vertendos; & ita fit, vt qui amicitias expetit Ieſu, multorum ſibi ſciat inimicitias tolerandas: Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur: oppugnantur ergo etiam nunc Gabaonitæ cuiuſcumque modi ſint propter amicitias cum Ieſu: & ligni licet ſint cæſores, & aquæ geſtatores; id eſt, licet vltimi meriti ſis in Eccleſia; tamen hoc ipſo, quia ad Ieſum pertines, impugnaberis à quinque Regibus.*

*Vt Gabaonitis bellum indicitur, eò quòd fœdus cum Ieſu Naue pepigiſſent, ita Chriſtianis, quod vere Ieſu ſociati ſint.*

Origen.

104. *Ieſus in patriâ ſuâ omnino deſpectus.*

Adiit Ieſus quondam patrios fines, & cùm mirandorum eius operum fama apud ſuos quoque increbruiſſet, quid arbitramini fecerunt? Nũquid fortaſsè in exitus viarũ proceſſerunt arborum decuſſuri ramos, Hoſanna acclamaturi, patriæ ornamentum & decus immortale vocantes? Numquid de eius in foro ponendâ ſtatuâ conſiliũ inierunt? an minimo honore aliquo proſequuti ſunt? certè vix vllibi deſpectus magis: *Vnde huic ſapientia* (inquiunt) *& virtutes? nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioſeph, & Simon & Iudas? & ſorores eius nonne apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta?* Matth. c. 13. v. 55. Sed inquies, meliora eſſe vulnera diligentis, quàm oſcula blandientis: Ciues igitur illius, quia benè cuperent ei, timentes, ne quid ſubeſſe fraudis poſſit aut doctrinæ, aut miraculis, vexant & exagitant: At cur non etiam talibus experimentis tentati veterum Patriarcharum illi, qui prodigiis fulſerunt, qui doctrinâ? Sanè Moyſes percunctatus, vt quid ſe iudicem faceret? nec abſque cauſa omninò, quando Magiſtratu tum non fungeretur: at cùm eruditus eſſet omni ſapientiâ Ægyptiorum, cùm imperaſſet elementis, & Pharaonem in mirabilibus flagellaret, nullæ quæſtiones ſuper eius doctrinâ, nullæ de ſtupendis operibus. Quàm inauditæ potentiæ Elias? nec tamen cùm afflictaret nationes examinata eius virtus, non diſcipuli illius Eliſei: Solus Ieſus, cuius in beneficium poteſtas, qui hominum nemini irrogauit pœnam, traducitur quaſi nouorum dogmatum non ſanus inuentor: quod liceat cunctis, vni Ieſu denegatur. O certè natum in aduerſa Ieſum, quando & in ſuſpicionem vocantur facta, quorum luce meridianâ euidentior ſynceritas: ſic tamen contingit, vt quoquo modo ſe res habeant, Ieſum non niſi difficilia maneant. Audet námque liuor etiã in apertiſſima, & quanquam propterea aut ſtolidus habendus, aut vecorditer malitioſus: tamẽ de nihilo erubeſcit dũmodò contrà Ieſum inſaniã exerceat: Chryſolog. ſerm. 48. in illud: *Vnde huic ſapientia & virtus? Virtutem, quæ dat oculos, quos natura non dedit, quæ auditum reddit debilitate concluſum, quæ in mutis ſui ſoluit vincula ſermonis, quæ claudos reducit ad curſum, quæ animas apud inferos deuinctas propria redire cogit ad corpora; à Deo eſſe niſi ſalutis inuidus non negaret: at Iudæi ſciebant Chriſti opera diuinæ eſſe virtutis, non eſſe poſſibilitatis humanæ: Sed liuoris nubilum, malitiæ fumus, viſum ſpectantibus caligabant, ne lumen Chriſti peruiderent:* Verùm, quemadmodũ Ieſu quaſi fatale ſit, vt ſuper eius dictis, factiſque peculiariter ſcrupuli moueantur, ediſſertat ſerm. 49. idẽ Rauennatum Præſul: *Moyſes ſigna fecerat multa: Elias maxima monſtrauerat documenta virtutum; nec diſſimilia opera fecerat Eliſeus: cur nemo perſonã diſcutit: cur nemo ſtatus cõmouet quæſtionem? cur nemo, vnde eſſent, quive eſſent, vnde iſta, & per quẽ facerent, curioſitate ſic requiſiuit ingratus? Sed iudicatur hic ſolus, qui ſolus iudicare noluit, ne puniret: improbâ ſeueritate diſcutitur, qui vt largiretur veniam, nil quæſiuit.*

Matth. 13. 55.

*Nec Moſis, nec Eliæ ſeueriſſimi, nec Eliſei virtus examinatur; ſolus Ieſus quanquam mitiſſimus æquiſſimúſque, diſcuſſus malitioſè exploditur.*

Chryſolog.

Chryſolog.

Paulus, vt in aliarum rerum gloria vinci à cõmilitonibus patiatur, laborum tamen ſufferentiâ reliquis antecellere viſus ſignificaſſe, neque ſubobſcurâ phraſi ep. ad Corinth. priori cap. 15. v. 10. *Gratia autem Dei ſum id, quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui:* Quæ vt ſonant intelligenda eſſe verba Hieron. ad Paulinum ſcribens ep. 13. innuit: *Paulus Apoſtolus de perſecutione mutatus, nouiſſimus in ordine, primus in meritis eſt, quia extremus licet, plus omnibus laborauit.* Atque manifeſtiùs Nicolaus de Lyra in epiſtolæ allegatæ verſum: *Nullus enim aliorũ legitur tot terris prædicaſſe, nec pro ſuo victu ſic proprijs manibus laboraſſe, nec tot tribulationes in terra, & mari ſuſtinuiſſe.* Verùm dixerit quiſpiam, vt Pauli fuerint grauia Certamina, ſed etiam modum penè ſupergreſſas Conſolationes eius, quando vſque in tertiũ cœlũ raptatus ſit, vbi audiuit arcana, quæ non liceat homini loqui, & Deum beatificè intuitum fuiſſe, quanquam ad breue interuallum non pauci opinati ſint. Duriores igitur fuerunt pugnæ ſodalium, quibus tam inſolita non intermixta gaudia: Imò vel Conſolationes ipſæ in maius Apoſtoli cruciamentum. Noſtis Chriſtum paulò antequàm in Crucem ageretur triumphali ouatione vectũ, ſummâ populorũ lætitiâ exceptũ: Quò ſpectarunt illa tripudia? num in acerbiſſimi doloris lenimen? Vt plus ſanè augeretur; notatum à Bern. ſerm. 2. in ramis Palmarum: *Sed quid fuit, quod Proceſſionem habere voluit, qui mox futuram nouerat Paſſionem? Fortè, vt amarior eſſet Paſſio, quàm proceſſio præceſſiſſet:* Certè Paulum idcircò raptum ad Empyreum cœlum, quo Beatorum ſtatio eſt, vt antè martyrium honoraretur Cyrillus aduertit Hieroſolym. Catech. 14. *Deſcendit Paulus iterum, non quod dignus non eſſet Conuerſatione cœleſti; ſed vt guſtatis ſupercœleſtibus honoratus, deſcendens Chriſtum prædicaret, & pro ipſo moriens coronâ martyrij potiretur.* Si igitur quæ Paſſionem antecedunt gloriæ ipſam reddunt acerbiorem, vti Chriſti exemplo præmonſtrauimus; quod Paulus ciuibus fortunatiſſimis ad tẽpus ſocius extiterit, non hæc eſt imminutio laborũ, ſed cumulus tormentorum: Ergo Paulus conquaſſatus magis prę ſodalibus, deuorauit aſperiora: in eum velut agmine facto irruerunt dẽſæ malorum cateruæ, quales in alium neminem: Cur ita? Equidem Paulus iam tum ab incunabulis melioris vitæ deſtinatus, vt Chriſti Ieſu nomen *portaret coram gentibus, & Regibus, & filijs Iſraël*, Actor. c. 9. v. 15. atqui hoc nomen quemadmodum ipſum poſitum fuit, in ſignum cui contradiceretur, ſic & eius geſtatores vexari, idque omniũ Perſequutionum formis oporteat: hinc igitur eſt, quod Paulus tam dira perpeſſus ſit, quoniam vas electionis creatus eſt, quo portaretur Nomen Ieſu: Sed nonne

105. *D. Paulus reliquos Apoſtolos laborũ tolerantiâ antecellere viſus.*

1. Corinth. 15. 10.

Hieronym.

De Lyra.

*Ipſæ etiam Conſolationes in maius Pauli cruciamentum.*

Bernard.

Cyrill. Ieroſ.

Act. 9. 15.

*Act.5.41. Nullus Apoſtolorum tot peragrauit regna, quot Paulus; inde Doctor gentium dictus.*

nonne etiam cæteri Apoſtoli idem deportarunt nomen & coram Iudæis, & coram Nationibus? *Nonne ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati?* Actor.c.5.verſ.41. Cur igitur ob hoc,quod commune fuit Apoſtolo cum ſociorum manu,dixerimus maiores toleraſſe agones? Fateor Apoſtolos vniuerſos nomen Ieſu per terrarum ambitū portaſſe,& idcirco venit ſuper eos tempeſtas plurima:Sed nullus tot peragrauit regna,quanta Paulus,propterea ſingulariter vocatus, gentium inſtructor: Vnde cùm non ſolum diuexandi ſint, qui nomen Ieſu portaturi fuerint, ſed quò plus quiſpiam geſtauerit,eò diriora certamina,& multitudine plura laturus ſit:Cùm vltrà commilitones Apoſtolus portauerit,ideo illius maiora fuerunt tentamenta,& inde,quod aſſeuerat ipſe:*Sed abundantiùs illis omnibus laboraui.*

1.Corinth. 15.

106. Chriſto in Thaboris vertice,nouis fulgoribus, incomparandíſque illuſtrato,Simon Petrus gaudiorum plenus exclamauit ſupplicans: *Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe:& faciamus tria tabernacula,vnū tibi,& vnum Moyſi,& vnum Eliæ:*Luc.c.9.v.33.Sed cum errore loquutum eſſe religioſo quanquàm, idem ſtatim Euangeliſta commonuit: *Neſciens* (ait)*quid diceret:* Quibuſnam errauit in articulis? Hieronym.in cap.17. Matthæi:*Erras Petre,ſicut & alius Euangeliſta teſtatur: neſcis quid dicas: noli tria tabernacula quærere,cùm vnum ſit tabernaculum Euāgelij,in quo lex & Prophetæ recapitulanda ſunt:* Toſtatus q.64.in idem Matthæi caput:*Sed dicendum, quod Petrus inconſideratè dixit hunc ſermonem,quia ſi tabernaculum aliquod conſtruendum eſſet, vnum eſſet futurum pro omnibus:*Et ſimilia iterum q.71.Quare autē vno eodémque tabernaculo iungendi Chriſtus, Moyſes, atque Elias? nonne & potentiam, & maieſtatem commendaret potiùs habuiſſe ſeparatas domos? Sed nota Moyſen etiam cùm benefaceret Hebræorum populo,ab eo plurimis inſectatum conuitiis,cui & prætulerunt Vitulinum Deum, quòd longiùs moraretur in ſeceſſu: Elias quoque diuexatus ab impia Iezabele, vt coactus fuerit in ſolatium mortem inuocare: neque externis contenti afflictamentis, ipſi ſecum auſteri: Moyſes ieiunator inſignis quadraginta dierum: Elias famen induxit ſuper Iſraël per annos,non ignorans,fore, vt quoque ipſi quærendi fuiſſent cibi: & ſanè quia rigidæ abſtinentiæ viros, proptereа ex iuſtorum cœtu delectos à Chriſto Trāſfigurationis ſocios Tertullianus putauit libro aduersùs Pſychicos: *Meritò etiam in carne Dominus ei* (Moyſi nempè)*oſtendit collegæ ieiuniorum ſuorum; non minùs & Eliæ: nam & Elias hoc primùm, quod famem fuerat imprecatus, ſatis iam ſe ieiunijs vouerat: Viuit,inquit,Dominus, cui aſſiſto in conſpectu eius,ſi erit ros iſtis annis, & imber:*Igitur cùm Ieſu indiuidui commilitones ſint tam auſteritas, quàm perſequutio, has vtpote ſignificatas Moyſe & Elia,voluiſſe ab illo ſeparare, & putaſſe tabernaculum condendum, quod his excluſis ſolum Ieſum reciperet, error fuit. Sed alia pariter errandi occaſio fuit, quam Abulenſis inſinuat quæſt. 72.in cap.17.Matth. *Secundò errauit* (dicit) *quia putauit beatitudinem eſſe in terra: nam ideò petiuit manere ibi, quia credidit illic futuram eſſe felicitatem:* Quæ ſic ego interpretor: Ieſus quidem etſi Beatorum voluptas, verùm in cœlis id: aſt velle Ieſu in terris comitem eſſe, & diu lætitiam protrahere, inſcientia eſt: ſi quæ ſunt gaudia à Ieſu ſub huius exilij ſpatio,momentò tranſeunt; hîc longa mora eſt dolorum, vexillantibus ſub Ieſu lætitiæ fugaces ſunt, quare moram in gaudendo Petrus exoptare non debuit.

Hieronym.

Toſtat. *In quo Petrus errauit tria in Thabore meditans tabernacula?*

Tertull. *In vno ſolo Tabernaculo degant cum Chriſto Moyſes & Elias viri fortes & Paſſionum Chriſti commilitones.*

Toſtat. *Errat qui beatitudinem in terris locat.*

107. Equidem Ieſus quod tranſeat ex hoc mundo contemptus & repudiatus, qualíſque apud Zachariam depingitur cap.3. verſ.3. *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli:* Sed quomodo ſordidatus Ieſus, quem Pater ſanctificauit,& cuius in ore non eſt inuentus dolus,ille Sole & Luna formoſior, & quocum cœli cœlorum comparati non ſunt mundi?Nonne certè hic eſt ille,de quo ſenex Iſaac in typo, vt ſenſit veſtimentorū fragrantiam,*Benedicens ait: Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni?* Geneſ. c.27. v.27. Nonne,de quo cecinit Rex: *Myrrha,& gutta, & caſia à veſtimentis tuis,à domibus eburneis; ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo?* Pſalm.44. verſ.9. Nonne denique,cui,de huius Epithalamij Sponſæ teſtimonio, *caput Aurum optimum, manus plenæ hyacinthis, venter,* (hoc eſt thorax) *eburneus, diſtinctus Sapphiris?* Cantic.c.5.qualia igitur ſordida illa,& deformia indumenta, quæ Zacharias contemplatus eſt? Sed conſidera Ieſum vel in terris, vel in cœlo: quoad exulat Ieſus, & viam huius mortalitatis ſuperat gradiendo vſque ad mortem Crucis, omnis decor eius, quo humani percelluntur oculi, inglorius eſt: & publicanorum ſocius nominatur,& dæmonium habens, & de Conuiciis taxatur,& quod Sabbata violet;nec genus ſupprimitur,fabri vtique ſoboles;denique conſpuitur, verberatur, trabi affigitur: annon vulgaria hæc omnia & ſordida? At qui Ieſum ſectantur, his cognoſcendi inſignibus, quandiu peregrinantur à Domino: venient alia tempora, in quibus & Ieſus & comites eius pulcherrimi appareant in ſtola ſua, tinctis veſtibus de Boſra: interim, donec in via fuerint, de torrente bibent ſalſiſſimo: Status igitur viæ fuit, pro quo ſordidi amictus illi: Cùm pingitur byſſinus & deauratus atque ſpirans ſuauiter ab vnguentis, immortalis intelligitur. Et quanquàm Allegoria durior eſt, neque enim id denegari valeat, cùm & iniquitatem & Sordes Ieſu tribuat, vtcumque liceat conſtruxiſſe; tamen quoniam illam de Patribus multi proſequuti ſunt, ſuppeditemus lectori quid inter eos vetuſtiſſimus Author Tertullianus ſcribat lib. 3. contra Marcionem: *Pater poſtquàm diminuit eum modicum quid citra Angelos, gloriâ & honore coronabit illum, & ſubyciet omnia pedibus eius: Sic apud Zachariam in perſona Ieſu, imò & in ipſo nominis Sacramento verus ſummus Sacerdos Patris Chriſtus Ieſus duplici habitu in duos aduentus delineatur: Primò ſordidis indutus, id eſt, carnis paſſibilis, & mortalis indignitate, cùm & Diabolus indignabatur ei, author ſcillicet Iudæ Traditoris, ne dicam etiam poſt baptiſma tentator: dehinc deſpoliatus priſtinas ſordes, & exornatus podêre & mitra, & cidari munda, id eſt, ſecundi aduentus gloria & honore.*

Zachar.3.3. *Quo ſenſu Ieſus indutus veſtibus ſordidis?*

Gen.27.27.

Pſalm. 44.9.

Cantic.5.11.

Tertullian.

---

*Quàm non debeat eſſe vulgaris eorum Perfectio,quibus Animarum eſſe Saluatores conceſſum ſit.*

## SECTIO IX.

108. OLeo, quod ſaluat, & opitulatur vulneribus medendo ſignificatum Chriſti nomen, quod à ſaluando eſt, Ieſum nempe, ſtatuimus: hoc ille communicauit nomē in re ipſa illis vniuerſis, quibus curæ eſt ægrotantibus animabus

auxilium



auxilium oportunum ferre, quorum ſtudia in Proximorum vtilitates diriguntur:Verùm quare huiuſcemodi iuuenculæ eſſe perhibentur? Nam ſubdit continuò; *ideò adoleſcentulæ dilexerunt te:* Annon maior prudentia in ſeris annis? cur non adultis potiùs communicatum nomen? Equidem vigor ille floreſcentis ætatis,ipsáque & frontis,& vultus integra pulchritudo abſque rugarum ſulcis,& inclinatæ vitæ morbis;denotat,Spiritu robuſtos oportere eſſe illos,quíque Animorum perfectâ quadam eniteant compoſitione, quibus eſſe contigit Saluatores mentium: itaque vt in aliis permittantur obſcuriores notæ, & de fragilitate nonnihil:in his debere cuncta illuſtria eſſe, ſtrenua,elaborata: indicauit Origen. hom.1. ex quatuor: *Sed nunc, vbi nomen tuum factum eſt vnguentum exinanitum,dilexerunt te,non illæ vetulæ, ac veterem hominem indutæ animæ,neque rugas habentes, neque maculas: Sed Adoleſcentulæ in augmento ſcilicet ætatis,& pulchritudinis poſitæ animæ, quæ ſemper innouantur, & de die in diem renouantur, nouum ſe hominem induentes,qui ſecundum Deum creatus eſt.* Arbitror his connumerari poſſe Aod illum,*qui vtrâque manu pro dextera vtebatur,*Iudic.c.3.v.15.manibus operà myſticè adumbrata:nihil in Aod operibus remiſſum, vbi nihil læuum: Sed quale illud eſt,quod verſu ſequenti annectitur? *Qui fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus,& accinctus eſt eo ſubter ſagum in dextra femore:* benè quidem in femore, ſed cur in dextro? non vſus bellatorum eſt: quid? adhuc ignorat Aod,quonam more accingi debeat? præclarus ſanè liberator populi, Caſtrorum Imperator,qui necdum probè norit aptare gladium. Sed parcite iudicare de Aod non rectè, fallar ſi non totum in eo dextrum eſt:non ſicut alij homines ex parte ſiniſter eſt, totum vindicauit ſibi dextera,quia in eo totum robur. Quare talis Aod? intuêre quid ſcriptum dicto iam v. 15. *Et poſtea clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem vocabulo Aod,filium Gera:* Ergo quidem Aod Saluator?Iam percipio,quamobrē in eo nihil læuum: nam quod ſiniſtrum eſt, infirmum & debile eſt, nec fauſti ominis:Saluatores autem fortiſſimi eſſe debeant,quibus culpa eſt,ſi de læuo & infortunato aliquid appareat. Adamantius hom. 3.*Ecce qualis iſte,qui ſuſcitatur ad ſaluandum Iſraël, nihil habet in ſe ſiniſtrum, ſed vtramque manum dexteram habet, hoc eſt enim,quod dicitur ambidexter: dignus verò populi princeps & Eccleſiæ Iudex, qui nihil agat ſiniſtrum:in vtraque parte dexter eſt, in fide dexter, in actibus dexter,nihil habet de illis, qui collocantur à ſiniſtris,quibus dicitur:diſcedite à me operarij iniquitatis,neſcio vos:Vides, quia dextrum eſt omne, quod agit Aioth hic ambidexter:& manibus dexter eſt, & in pedibus dexter eſt: in femore enim dextro gladium portat,vt veniat ad regem,& interficiat eum.*

*Nomen Saluatoris Adoleſcentulis communicatum. i. animabus in augmento ætatis vegetis & robuſtis, quæ de die in diem renouantur.*

Origen.

Iudic.3.16. *Aod Ambidexter bonus Saluator, in quo nil læuū, nil ſiniſtrum, nil debile.*

Ibid.v.15.

Origen.

109. Pendente in ligno Chriſto, Principes Sacerdotum cum Scribis, & ſenioribus credituros ſemet in illum ſpondent, modò trabe illâ liberaretur:*Si Rex eſt Iſraël*(inquiunt)*deſcendat nunc de cruce,& credimus ei:*Matth. c.27.v.42. Quare,non indulſit poſtulatis?Nam certè quem in ſcopum tot, támque admiranda facinora eum vſque in diem, niſi vt illi crederent,oues ſcilicet domus Iſraël,ad quas deſtinatus eſt? quin & in hunc finem quæ ſub ipſa Paſſionis hora & in cœlo, & in terris prodigia:iam verò opus ipſum Chriſto nō arduū aliquo modo,neque enim difficilius manus Crucis antennę vinctas ſoluere,quàm de ſepulcro rediuiuum emergere:Sed conſid[...] Redemptionem humanâ morte conſummandā fuiſſe,ſic enim Pater decreuit,Chriſtúſque acceptauit: Ieſus igitur inchoatū agonem mitigans,videri poſſit,quod aſſumpſerat,imperfectū deſeruiſſe, quod viriū ſatis non eſſet ad perſeuerandum: itaque remiſſum ſe mōnſtraſſet,vt qui ad vmbilicū perducere nō valeret,qui ſtadio recederet corde fractus, animóq; deiectus:At cū hac infirmitate tanta quonā modo Ieſus,hoc eſt Saluator dici poſſet?Saluatorū enim eſt ſtrenuè pergere donec metā occupent, nō conſternari mente,non cedere periculis,nō retrogredi,ſed obfirmare vultū aduersùs mala:Noluit igitur,qui Saluator videri cupierat, ab incepto deſiſtere,ſciens inimici dolos eſſe,qui perſuadebat,vt Saluatorem crederent deſcendentē,cùm potiùs ſi quod eſſet argumentū,vt Saluatorem minimè eſſe reputarēt,hoc eſſet;neque enim Saluator haberetur à rectè intelligentibus, qui remiſsè agens, & velut territus pondere martyriorū, ſtadio diſceſſiſſet:Bern.ſerm.1.de Reſurrectione:*Imò verò ſi deſcenderit,neminem ſaluum faciet:Cùm enim ſaluus eſſe non poſſit niſi qui perſeuerauerit vſque in finem, quantò minùs poterit eſſe Saluator?Operatur ſalutem noſtram, nec caudam deeſſe patitur ſacrificio veſpertino hoſtiæ ſalutaris; nouit,inique,quid cogites:non tibi dabit occaſionem ſurripiendæ nobis perſeuerantiæ, quæ ſola coronatur:* & inferiùs paululum: *eò quippe tendebat malitioſa ſuaſio,non vt ipſi crederent, ſed noſtra quoque ſi qua erat fides in eum, omnimodò deperiret:legentes enim, Dei perfecta ſunt opera, quando fateremur Deum,qui ſalutis opus reliquiſſet imperfectum?*

Matth.27.42. *Noluit Chriſtus ad Scribarum ſuaſionem deſcendere de Cruce, ne opus ſaluandi imperfectum relinqueret, ne fractus animo, ne remiſſus Saluator videretur.*

Bernard.

110. Hebræorū miſeratus Deus Gedeonem Ducem fortiſſimū excitauit,qui ſolatiū ferret,& captiuos eximeret ſeruitute: *Dixitque Gedeon ad Deū:ſi ſaluum facis per manum meā Iſraël ſicut locutus es,ponam hoc vellus lanæ in area:ſi ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas,ſciam, quod per manum meam ſicut locutus es,liberabis.*Iud.c.6.v.36.quę huius poſtulādi ſigni ratio?nimirū Saluator Hebræorum à Deo conſtitutus eſt:quid namque aliud:*Si ſaluum facis per manum meam Iſraël ſicut locutus es,* &c. Saluum enim facere ad Saluatorem ſpectat: voluit igitur cœleſti prodigio conſtare an Saluator futurus eſſet:Ita in vita S.Arnulphi Metēſis Epiſcopi apud Surium tom.4. *Nec diſſimiliter Pater hic Venerabilis,quàm olim Gedeon ille ſignum à Domino popoſcit:ille etenim indicium per vellus in area poſitum capere voluit,vtrùm in bello victoriam de inimicis habere potuiſſet:iſte annulum in profundiſſimum fluminis gurgitem proyciens,experiri cupit, vtrùm de inimicis iam victoriam cepiſſet:*At quo pacto nouiſſe potuit ex vellere madefacto, num Saluatoris titulum dignè ſuſtineret?Scilicet areæ circumambientis ſpatio,quod poſtea humefactum eſt quoque, ſubditi deſignabantur milites:vellus autem Imperatorē declarabat,qui ſaluaturus erat:igitur collectæ in vnū vellus pluuiæ, quibus & Animi & corporis eximiæ dotes ſubindicantur,docent,in Saluatore tam cumulatam eſſe debere virtutem,támque præminētem,vt ſi cum ea, inferiorum comparentur dona, non tam videantur fœcundi eſſe aliqua ex parte, quàm arentes, ſicci, ſteriles. Verùm & perfuſa eſt rore quoque Area: cedo, ſed in vno vellere tantùm de ſtillicidio, quantùm ſolum madefacere valeret circumiectum velleri, vt ſaltem moneatur liberator populorum,quem Saluatoris inſignit nomen, tantam oportêre ſolius eius vbertatem eſſe,quanta ſit multitudinis; quo equidem ſenſu applicatum hoc B. Virgini pronunciatum à Bernardo ſermone de Aquæductu in eius Natiuitate: *Intuêre ô homo conſilium Dei, agno-*

Iudic.6.36. *Quàm abundare debeat virtutibus is qui animarū ſalutem procurat, oſtenditur ex Gedeonis vellere.*

Surius.

*Maria vellus Gedeonis.*

Bernard.

*ſce conſilium Sapientiæ, conſilium pietatis: Cœleſti rore aream rigaturus totum vellus priùs infudit: Redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam:* hoc eſt, quas patiendo gratias reliquis ſanctorum collectiuè adunatis promeritus, eas vni Deiparæ promeruit, vt quod in omnibus diſperſum inueniebatur: in vna reperiretur coaceruatum: Talem igitur Saluatorem & ducem, qui ad liberandum mittatur, eſſe conueniat, tantis communitum virtutum inſtrumentis, vt in ſolius eius perfectione reſplendeat, quod diuagetur in ſubditorum plurimis.

111. Pugnatum à Ioſuë pro Gabaonitis aduerſum quinque Reges, & produxit certandi metas, vetans ne occumberet Solis rota: ergo fuit longa certè pugna & contrà plurimos: Eſto, Victoriâ potitus ſit Ioſuë, at non fuit incruenta: quomodo enim tot repugnantibus tam diu, non vtrinque vulnerati multi? tamen de Ioſuanis commilitonibus Textus ſacer Iudic.cap.10. verſ.21. *Reuerſúſque eſt omnis exercitus ad Ioſuë in Maceda, vbi tunc erant Caſtra, ſani, & integro numero.* Vide prodigium: neque imminutus eſt numerus, nec ſauciatus quiſpiam. O planè ſub Ioſuë Aquilis fortunatam militiam! Nec quando ipſe Ieſus, hoc eſt Saluator ſit, non eſſe poſſit Saluatorum manus, ei famulantes: Sed conſiderent quicumque Saluatores fuerint, quàm eſſe in pugnando ſtrenuos oporteat: Alij quidem & præclarè rem geſſerint, ſi quanquam ipſi vulnerati ab Aduerſariis, demum tamen profligarint hoſtes, & cum triumpho redierint: Saluatoribus tamen exiguum hoc, niſi cùm & deleuerint inimicos, ipſi quoque illæſi tranſeant. O quis eſt ille ter Beatus, qui dimicans ad longum cum hoſte non effœminato, vtique, cum nequitiis ſpiritalibus, tartareâque legione, ſic ſpicula direxit, vt in ipſum nunquam retorquerentur, nunquàm prolapſus ſit, nunquam à contrario deuictus? Elegans eſt ſuper his verbis Adamantij exhortatio hom. 12. in Ioſuë: *Qui enim pugnat ſub Ieſu duce aduerſum contrarias poteſtates, debet etiam illud promereri, quod de prioribus bellatoribus ſcribitur: & reuerſus eſt*, inquit, *vniuerſus populus ad Ieſum incolumis: Vides ergo, quia qui ſub Ieſu militat, incolumis debet redire de prælio, nec vſquam debet ex iaculis maligni ignitis vulnus accipere; non in corde pollui, non in cogitatione maculari; non per iram, non per cupiditatem, non per aliam quamlibet occaſionem dæmoniacis vulneribus locum dare:* Credo, fortaſsè milites iſti ſunt, de quibus Pſalm. 90. Vates, verſ.7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.* Tantùm non læſuri, ſed nec propiùs accedere audebunt. Equidem de ſimili Triumpho, Moyſe qui fuit Ieſu præceptor, ductore, vt intelligamus quàm ſimilis euaſerit Magiſtro diſcipulus, Nicolaus Lyrenſis interpretatur: *Ad te autem non appropinquabit, ſcilicet gladius Aduerſariorum ad nocendum tibi: Hoc fuit impletum, Num. cap. 31. verſ. 49. vbi dicitur, quod debellatis Madianitis, principes exercitus Iſraël, tribuni, & Centuriones dixerunt ad Moyſen: Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne vnus quidem defuit*, Cernis quàm feliciter, cùm ne vnus deſideratus fuerit? Bernardus ad calcem ſermonis in hunc Pſalmum 7. de ſubmerſo Pharaone, incolumi euadente Iſraële, explanat: Bruno Carthuſianus myſticè de inclyta iuſtorum Victoria: *Mille interiores hoſtes ſuborientes à latere tuo ſiniſtro, id eſt, multæ occultæ tentationes, cadent, hoc eſt, deuincentur ab oratione tua: dico cadent non vtcumque, ſed ſic cadent, quod nulla illarum mille cogitationum appropinquabit ad te, ſcilicet in conſenſum, vt aliquo modo tibi præualeat:* Sed nonne vulnerari in bello martyres quos feræ dilaniarunt, gladius diuiſit, equulei fregerunt? Verùm non fuerunt ictus iſti, à quibus fides nihil paſſa eſt: Auguſtinus Concione 1. in hunc Pſalmum: *Quomodo ergo non appropinquabit? Cur ſic torti ſunt? propinquauit Carni tormentum, ſed non peruenit ad locum fidei: itaque longè erat fides ipſorum à terrore torquentium: torquebantur, nec appropinquauit terror: torqueant, ſed irridebunt tormentum, præſumentes in illo, qui prior vicit, vt cæteri vincerent.*

Iudic. 10.22. *Qui Saluatores ſunt profligare debent hoſtes ſine vlla ſui læſione, exẽplo Ioſuani exercitus.*

Origen.

Pſalm. 90.7. *Moyſi, debellatis Madianitis ne vnus quidem è ſuis defuit.*

De Lyra.

Num. 31.

Bernard.

Bruno Carth. *Illæſus pugnet Chriſtianus.*

*Martyres illæſi.* Auguſt.

112. Arcam conſtruere iuſſus à Deo Noë: *Fac tibi* (ait) *arcam de lignis læuigatis, & bitumine linies intrinſecùs, & extrinſecùs*, Gen. cap. 6. verſ. 14. qua de cauſa bituminata deforis intúſque pariter? neque enim videbatur neceſſarium intus liniſſe, cùm, ſi latera quæ tundentur à fluctibus ſalua remanerent, in tuto fuiſſent reliqua, ſcopus quippe eſt ab aquarum violentiâ defendere: at ſufficiebat in hoc externa linitio. Origenes hom. 2. in Geneſim non malè allegorizat, monitos nos, ne ex hypocriſi appareamus tantùm modeſti, fronte quidem caſtigatâ, animo autem licentioſo: *Vult enim te Architectus Eccleſiæ Chriſtus non eſſe talem, quales ſunt illi, qui de foris quidem apparent hominibus iuſti, de intus autem ſunt ſepulcrum mortuorum: Sed vult te eſſe & corpore extrinſecùs ſanctum, & corde intrinſecùs purum: hoc eſt intus & foris bitumine eſſe oblitum.* Ego pro inſtituti noſtri proportione dicam ſanè longè diuerſam fuiſſe hanc nauem ab aliis: quippè cæterarum finis eſt Mercatorum lucris inſeruire, proinde cùm vela expandunt flatibus ventorum, aut eunt quæſitum precioſa, aut nacta domum referunt: Huius autem magnæ Onerariæ ſcopus fuit orbem ab interitu vindicare, reſeruatis quaſi in ſemen futuræ reſtaurationis, hominum, animaliúmque quibuſdam: itaque certè hæc Arca Saluatrix fuit; illæ negociatrices Puppes: Quando igitur oſtenderimus, qui in Saluatores deſignantur, eos robore præſtare oportere, & aſſurgere multùm ſupra aliorum perfectionem, quorum geminata debeat eſſe virtus: Equidem decens fuit, vt quàm multa eſſent præſidia Nauis ſaluatricis: quamobrem ſuffecerit quidem aliis puppibus ſi de foris oblinniantur, quoniam vulgares ipſæ ſunt, & earum iactura paucorum diſcrimine conſtat: Sed arca, à qua mundi vniuerſalis dependet ſalus, quæ tota ſpes eſt renaſcituri ſeculi, non ſolùm liniatur de foris, ſed cauitates etiam fortiſſimè muniantur: periculoſum namque eſt in eiuſcemodi nauibus ſi non cuncta ſarta tecta ſint ad amuſſim: neque enim certamen ei futurum cum Oceani furore communi, ſed dimicandum aduerſum vndas, quæ omnia peſſundant.

Geneſ. 6.14. *Cur bitumine intus etiam illita Arca Noë? Ratio moralis.*

Origen.

*Quàm magna debuit eſſe de Naui Saluatrice cura.*

---

*In Ieſum eſſe transferendam omnem laudem, noſtrâ, ſi quæ potuit eſſe, occultatâ gloriâ.*

## Sectio X.

113. QVod in Literæ præcipuè agitatum eſt tractatione id fuit, vt demonſtraremus Sponſam Mariti inſignitam nomine: Num ob hoc diſpendiũ paſſa, quod vſque ad vocabula à viro mutuaretur,

*Quicquid habet boni Spõſa in Sponſi nomen refundit.*



tuaretur, ne vel appellationis ſibi encomio reſeruato? certè commoda retulit magna, nempè idcirco de ancilla in Dominam, de famula in Reginam transformata: memini primo volumine hoc ipſum à nobis adaptatum B. Parenti Ignatio eiúſque militiæ, quæ maluit Ieſu charactere fulgere, quàm propriis & ſingularibus titulis: conſpirat nobiſcum Bernardus, ſed aliter explanat, quo more in Ieſum reiectandæ ſint laudes: putat námque de Sponſa conſtruendum antecedentem verſum: *Quia meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis:* Cùm igitur famulantium Puellarum Cateruæ aut aliæ Heroïnæ ex ſociarum numero ſtuperent, ſiue ad vnguentorum copiam, ſeu ad naturam, quod primi eſſent odoris, ac proinde felicem reputarent Sponſam: illa vt à ſe honorem remoueret, & in Maritum transferret, ait: quicquid illud eſt ſeu de Pigmentariorum ingenio, ſeu de Arabum ſyluis, Principi acceptum eſſe referendum, à cuius effuſa munificentiâ dimanarit: loquitur Sanctus Abbas ſub finem ſermonis 13. in Cantica: *Non recordamini in Sponſæ vberibus extremam commendatam eſſe ſuaueolentiam vnguentorum? Quid ergo conſequentius, quàm vt eandem fragrantiam Sponſa, ne ſibi arrogare putetur, de Sponſi beneficio recognoſcat? Quòd vbera inquit mea ſic redolent, & ſic placent, nec ſtudijs, nec meritis adſcribo meis; ſed tuæ, ô Sponſe, tribuo largitati; de Oleo vtique effuſo nomine tuo:* Hoc pro litteræ conſequentia: ſtatímque ab Hiſtoriæ cortice ad nucleum ſpiritus calamo auolante ſubnectit: *Nunc hoc ſolum admonitos vos eſſe ſufficiat: ſi Sponſa vtique de omni virtute ſua, vel gratiâ, minimè audet ſibi quidpiam arrogare; quantò minus Adoleſcentulæ fortè quæ nos ſumus? dicamus proinde & nos Sponſæ veſtigia inſectantes, dicamus: Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Bernard.

Bernard.

114. Quanta huius virtutis documenta in Virgine Beata Dei genitrice? Ab Angelo ſalutata, cùm ſponderet Deum eſſe parituram, aliáque polliceretur nulli vnquam puræ Creaturæ conceſſa, rependit illa: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*, Luc. 1. verſ. 38. Quare Ancilla, quæ ſpirituum cœleſtium, hominúmque Regina? Quoniam vocabulum eſt *Ancilla* Domini eſſe totum denotans, quod captiuæ & famulantis: vt igitur omnem à ſe pompam alienaret, & ad Herum ſpectare innueret, cuius eſt quod mancipium acquiſierit, Ancillæ vſurpauit nomen: Bernardus hom. 4. ſuper Miſſus eſt: *Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, inſoleſcere gloriâ neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat! non mediocris reuerà humilitatis inſigne, nec (oblatâ tantâ gloriâ) obliuiſci humilitatem.* Iterum colloquitur Elizabethæ, quæ cùm Mariam profuſè laudauiſſet, non ſuſtinuit manere apud ſe gloriam, intonuit: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, eodem Lucæ capite, verſ. 47. vbi ſuccinctè Nicolaus de Lyra: *O Elizabeth tu me magnificas: ſed ego totum Deo attribuens ipſum magnifico in hoc carmine.* Sed quamobrem Beata Virgo tam intenta & vigilans, vix vt laudata ſit cùm ſubitò in Creatoris encomia prorumpit, cui adſcribi cupiat decus & honorem, Andreas Cretenſis indicaturus orat. de illius Annunciatione, ſingulariter cogitauit, inquiens: *Veroſimile eſt ipſam, & de clara ſtirpe natam, & Dauidis filiam, haud ignaram diuinorum, quæ in ſcripturis habentur, oraculorum fuiſſe: vt cogitationes ſuas ſtatim conuerterit ad primæ Parentis lapſum:* At quare tum coniectarit mentis lumina in antiquam ruinam nouorum hominum? nempè meditabatur ſecum, quanti aſſequuti dona primi homines, quibus locupletati modis, ſeu animi, ſeu corporis dotes conſiderentur: iam & ſequeſtratus habitandi locus inter Paradiſi æternùm vernatura, & imperium in animalia, & vita ſine grauaminibus: ſed intuebatur: cùm Hagiographus alia minutatim deſcribat, nũllum verbum facere de gratiarum actione quas retulerint largitori, non de hymnis, quos cantauerint, non de ſacrificio quod obtulerint: ergóne hæc ingrata taciturnitas initium malorum? Sic opinatum à Ruperto lib. 2. in Geneſim c. 39. *Animaduertendum eſt, quàm pertinaciter primus homo terrenus à Creatoris laude mutus perſtitit: quàm obſtinatis labijs ab omni gratiarum genere abſtinuit, & ingratum Domino Deo ſilentium dedit, formante Deo, & inſpirante ſpiraculum vitæ accepta in plaſtæ ſuæ faciem, vt adoraret, & eum glorificaret: qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum, quod adhoc vt peccaret, & omnia bona amitteret, deueniſſet:* quâ in ſententiâ lib. 6. Commentariorum in Ioannem: Igitur, quòd Virgo immaculata dicatur reſpexiſſe ad occaſum primi hominis à Ieroſolymorum Antiſtite Andrea, taléne aliquid? nempe ſub corde ſecum ipſa loquuta: Per me reſtaurandum genus mortale ob prolem quam editura ſum, ita placuit ſupremo rerum Artifici: cauendum in operis reformatione à Scylla in quam impegerunt ſub prima molitione Adam, eiúſque conſors: certè ingrati fuerunt, lingua adhæſit faucibus eorum, nec Deo gratias præſtiterunt: abſit deforme vitium: aſſumat in matrem me qualemcumque Verbum, ego me Ancillam tantùm ſemper reputauero: agnoſco, fecit mihi magna qui potens, ſed propterea nullo vnquam tempore conticebo ab eius encomiis: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Nec ab his longè diſcrepans Beda: in illud Cantici Mariani: *Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ*, &c. *Decebat enim, vt ſicut per ſuperbiam primæ noſtræ Parentis, mors in mundum intrauit: ita denuò per humilitatem Mariæ, vitæ introitus panderetur: intelligo autem de humilitate gratitudinis ſobole, cùm omni ſe gloriâ exueret Deipara, & transferret in Authorem Deum laudem vniuerſam.*

Luc. 1.38.

*Maria ſe dicit Dei Ancillam, vt totum quod habet in Deum referat Dominum ſuũ.*

Bernard.

Luc. 1.47.

De Lyra.

Andr. Cret.

*Ingratitudo primorum parentum, initium malorum omnium: non enim leguntur retuliſſe Deo gratias pro tot beneficijs.*

Rupert.

*Intenta ad Protoparentis ingrati caſum Maria ſtatim Deo grates agit, per eam namque genus humanum reſtaurandum erat.*

Beda.

Magnis impendiis, ſubactus Ager, produxit inopinatos fœtus, zizania nempè: ſtupuêre ad inſolitum partum operariorum manus, Patrémque familias alloquuti dixerunt: *Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* Matthæi c. 13. verſ. 27. At nonne ipſi mandarunt terris ſemina vtpotè famuli neque aut ſocordes, aut infidi? Cur apud villicum niſi vt exonerent, illôque cum vxore & filiis captante ſolatium, fatigentur illi? ſi igitur ab eis proiecta in foſſas camporum ſemina, cur Herum ſic alloquuntur, vt ſeminandi Author ipſe fuiſſe videatur: *Domine*, inquiunt, *nonne bonum ſemen ſeminaſti?* Num monere velit familiarum Rectores, vti animaduertant, quàm cautè procedant, quibúſque modis domum ordinent, quoniam ſi quid vel filij perpetrauerint, vel ſerui, Hero imputabitur, qui ob aliorum etiam facta in quæſtionem vocandus ſit, cùm ad iudicandum progrediatur Omnipotens? Equidem puto, ſi non bonum fuiſſet ſemen illud quod glebæ mandatum fuerat, non dicturos fuiſſe optimos ſeruos ab Hero proiectum fuiſſe; Quod enim diſtortum fuiſſet, & in vitium declinans, ſuæ tribuiſſent inertiæ: Quoniam autem ſciunt, bonum extitiſſe ſemen illud, 115.

Matth. 13.27. *Bonum ſemen Domino adſcribunt famuli qui ſeuerant.*

 ne

ne quid de bono ſibi attribuiſſe videantur, cùm omnem à ſe dimouere laudem cupiant & in Herum traiicere, licet ipſi fuerint ſanè, qui melioris naturæ ſemina terris commiſerint; non ſibi tamen id, quia glorioſum eſt, adſcribi patiuntur; Dominum ſuum magis Authorem nominant; Domino eſſe conferenda encomia: Chryſologus ſermone 97. *Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Seminaſti; non ſeminauimus: Nos, quod per te facimus, tibi ſemper noſtro aſſignamus Authori: nos præter tuam gratiam nihil habemus, per quam ſtamus, viuimus, mouemur, & ſumus: ſine qua iacemus, deficimus, & perimus:* Ita & omnis Euangelici verbi Sator, ſi quid in animabus ſeuit, quod bonum & laudabile appareat, vnde fideles recreentur: Deo vt omnis tribuatur honor, cuius fuit donum, ſtudere ſollicitè debeat: Certè hac animi conſtanti gratitudine aſſequatur, vt ſi contingat inimici fraudibus zizania aſſurgere inter tritica, quæ laborem agricolationis eluſura videbantur; diuina ſic opituletur prouidentia, vt zizania illa nihil niſi exitium ſibi pepererint, cùm in ignem odioſis proiectis faſciculis, triticum ſeparetur, horreóque condatur, triumphans de hoſte.

Chryſolog.

116. Seraphin Dei thronum circumambiunt apud Iſaiam cap. 6. verſ. 2. *Sex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius:* Deînè vultum, an ipſorum? planè ambiguum: diſce ex Bernardo ſermone 4. de verbis Iſaiæ: *Teſtatur autem interpres noſter* (inquit) *in Hebræo verbum eſſe commune, quod interpretari poſſit, eius & ſuam: vt Seraphin iuxtà Hebræi ſermonis ambiguitatem, vel faciem, pedéſque Dei: vel ſuam faciem, & pedes operire dicantur:* L X X. neque vnum, aliúdve expreſſerunt; ſed tantùm: *Et duabus quidem operiebant faciem, duabus autem operiebant pedes:* Pagninus atque Vatablus de Angelorum vultibus: *duabus* (aiunt) *vnuſquiſque faciem ſuam:* Quæ lectio Recentioribus non diſplicet; modò adhæreamus illi: Cur igitur Seraphin ora pulcherrima obtegunt? Quæ ſuppudendi occaſio ſpirituum beatiſſimorum apicibus? Annon iſti ſunt, qui Deo odas canunt, triſagio mulcent fortunatam Vrbem? Annon in Deum æſtuantes, idcirco & ab Amoris incendio, quibúſque modis alios etiam ardere faciunt, Seraphim nominati Dionyſio teſte, quos inflammatores, & incendentes vocat? de cœleſti Hierarchia cap. 7. Annon, à quibus illuminationes tranſuehantur ad alias Angelorum claſſes, cùm ipſos tantùm Deus illuminet, vt perhibet Angelicus Doctor? 1. parte quæſtione 112. artic. 2. Tantos igitur ob titulos conſpicui, quid verentur faciem oſtendere? Sanè, vel idcirco, quod ob tam multas cauſas gloriam mereantur, & Angelorum, hominúmque encomia; quippè ex faciei notis plerúmque mortales diſtinguuntur: frons, oráque diſcernendi indices: Volunt igitur Seraphin latêre, nec cognoſci ab aliquibus, cùm vultum abſtrahunt. Sed quem in finem occluſio iſta? nimirum vt in vnum Deum congerantur laudes omnes: itaque eorum demoriatur fama, obnubilentur ora, nec ſit qui recogitet; tantùm Dei vigeat recordatio, illum ſolum vniuerſi extollant: hoc exoptant Seraphin, hoc vouent: Bernardus nominato ſermone: *Velat itaque Seraphin caput ſuum duabus pennis, ſi & veraciter cognouerit, humiliter taceatur, quia miſericordia eum ſola præuenerit:* Scilicet agnoſcit prudens, quòd tantâ ferueat dilectione: quòd Hierarchiæ culmen occupat, quòd triſagium intonet, Dei eſſe munera omnia, eius acceptum miſerationibus, proinde iniquum eſſe, ſi non vero largitori decus & honorem adſcribat.

Iſai. 6.

Bernard.

L X X.
Pagnin.
Vatabl.
*Seraphim tot nominibus celebrandi, vultum obnubilant, vt ijs prætermiſſis, in vnum Deum laudes omnes congerantur.*

S. Thom.

Bernard.

Vtilis fuit gratiſſimæ hæc teſtatio mentis: Nam *volauit ad Prophetam vnus de Seraphin, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os* eius: Iſaiæ capite 6. verſ. 6. Sed cur Seraphin miſſum fuiſſe narrat, cùm de hoc Angelorum ordine, qui Hierarchiarum Corona eſt, mitti non conſueuerint legati? prout teſtatur Sanctus Thomas loco ſuperiori numero allegato, Dionyſium ſequutus de cœleſti Hierarchia capite 13. non ergo erat Spiritus ille de claſſe Seraphica; quamobrem itaque Seraph vocatus eſt? Equidem contemplatus eſt ipſos Seraphin, cùm à Deo accepiſſent largiter, noluiſſe tamen ſibi adiudicari quidpiam, ſed omnem in Creatorem transferri honorem: atque hac de cauſa ſua velaſſe ora, ne cognoſcerentur: hanc igitur egregiam mentis ſignificationem imitari cupiens, hoc ipſe cum Seraph, facere tentauit, quod ille cum Deo egerat: nempè illuminatus fuit à Seraphin, nam ab his ad cæteros Spiritus legationes, reuelandáque; ipſi fons, atque origo, à quibus poſt Deum ad alios ſcaturiunt aquæ ſanctarum illuſtrationum: quando igitur Seraph potiſſimus author quòd doceretur Propheta, quòd eius abſtergerentur labia; Spiritus qui hoc exequutus eſt, vt in præcipuam cauſam encomia tranſirent, ſuæ functionis ſuppreſſo germano vocabulo, nomen induit eius, à quo recepit, vt inſtrueret, purgarétque; atque ideo Seraphin nomine tenus dictus, qui eſſentiâ non erat eiuſmodi: hoc apertè Sanctus Thomas dictâ quæſt. 112. 1. Partis art. 2. ad ſecundum, mutuatus id ab Areopagita: *Dicendum ſecundum Dionyſium, quod ille Angelus, qui miſſus eſt ad purgandum labia Prophetæ, fuit de inferioribus Angelis: Sed dictus eſt Seraphin, id eſt, incendens æquiuocè propter hoc, quod venerat ad incendendum labia Prophetæ: vel dicendum, quod ſuperiores Angeli communicant propria dona à quibus denominantur, mediantibus inferioribus Angelis: Sic igitur vnus de Seraphin dictus eſt purgaſſe incendio labia Prophetæ: non quia hoc ipſe immediatè fecerit, ſed quia inferior Angelus virtute eius hoc fecit.* 117.

S. Thom.
Dionyſ.
*Angeli, qui Iſaiæ labia mundauit, nomen ſupprimitur, & dicitur Seraph quamuis non ſit, vt ad eum à quo legationem receperat, debita tranſeant encomia.*

S. Thom.

Fuit memoranda, ſi qua vnquam, Victoria Ioſue, quando Solem ſtare coëgerat: nam cùm reges in aduerſum quinque, diéſque productus certamen moraretur, ne vnus tamen de Ioſuanis militibus occubuit: Quamobrem, quod ea de luce prædicatum ſit, Ioſue cap. 10. verſ. 14. non fuit antea, nec poſtea tam longa dies, Arias Montanus non ſolùm ad horarum ſpatia retulit, ſed ad facinorum quoque magnitudinem, atque præſtantiam: Sed videamus, quid conſequuto triumpho idem ſubdat caput decimum, verſ. 21. ex tranſlatione ſanè L X X. Seniorum, nam & interpres ordinarius, & Vatabli atque Sanctis verſiones longè aliter: *Et reuerſus eſt omnis populus ad Ieſum in Maceda ſani: & non mutiuit quiſquam de filijs Iſraël linguâ ſuâ:* Igitur tacuerunt Hebræi, poſt adeptam Victoriam? Sed nonne Victoriales hymnos, non Pæana cecinerunt? non feſtis clamoribus reſonarunt montium iuga, vallium profunda? non tibia luſit, & choreas duxerunt virorum, fœminarúmque greges? in tanto igitur ſtrepitu quænam 118.

Ioſue 10.

Arias Mont

Vatabl.
Pagnin.
L X X.
Ioſue 10. 21.
*Poſt inſignem victoriam Ioſuanus ſilet exercitus, quippe non ſua miles iactat facinora, ſed omnem Duci Ioſue addicit certaminis gloriâ.*



nam fuit illa tam pertinax taciturnitas, vt ne hiſcere quidem, aut obmutire quiſpiam auderet? Credo hoc ſilentium fuiſſe, quod cùm multi præclariſſimi Duces ſub Ieſu illo die, robore, & militari ſtratagemate excelluiſſent, nemo de ſuis facinoribus gloriatus ſit, Nemo in ſe partem aliquam gloriæ ex debellato Aduerſario tranſtulerit; ſed Ioſuanæ fortunæ, prudentiæ, Marti omnem addixérint laudem: dignus planè exercitus victoria incomparabili, & quem vniuerſæ Prouinciæ formident, qui tam moderatus poſt abſolutam pugnam, vt nihil ſibi honoris vendicet, ſolum Ieſum collaudari deſideret. Origenes homil. 12. in Ieſum Naue: *Quod autem addidit, quia nullus mutiuit in lingua ſua, hoc mihi videtur oſtendi, quia de victoria nemo ſe iactat, nemo ſuæ virtuti, quia ſuperauit, adſcribit: ſed ſcientes, quia Ieſus eſt qui victoriam tribuit, ipſi in lingua ſua non mutiunt: Quod benè intelligens Apoſtolus Paulus: non autem ego, ſed gratia Dei, quæ in me eſt: Puto autem quia ad hoc reſpicit & illud Domini mandatum, quo ait: Cùm autem feceritis omnia hæc, dicite quia ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Origenes.

---

*Euchariſtiam, alimoniam eſſe, quæ immortalitatem conferat manducantibus.*

## Sectio XI.

119. Nihil homini tam deſiderabile, quàm vita: ſed vita caduca eſt, quam humana ſuſtentant alimenta; vita vera eſt, mortis nimirum expers, quam cœlo demiſſus Panis ſuppeditat: *Qui manducat meam Carnem* (inquit Dei filius Ioan. cap. 6. verſ. 54.) *& bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:* ſuper quibus verbis rectè Auguſtinus tract. 26. in Ioan. *Cùm enim cibo, & potu id appetant homines, vt neque eſuriant, neque ſitiant, hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus, & potus, qui eos, à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit.* Ergóne ob hanc cauſam Menſam hanc vnguentum effuſum nominabimus? Nam de vnguentorum effectibus præcipuus ille, per quem abigitur Putredo, & emortua in longum durant corpora: certè præclarum vnguentum Chriſti caro incorruptos reddens dignè epulantes. Mira dignatio Creatoris cum populo Hebræorum: quadraginta annis eremo vagatus, non conſenuit amictus, non inueterauêre calceamenta, Deuter. cap. 8. verſ. 4. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt:* quin & cum incremento humanæ ſtaturæ adauctas Puerulis, cùm adoleſcerent, veſtes Toſtatus dicit quæſt. 1. in nominatum Deuteronomij locum, quod ſatis veroſimile: ſed cur hoc vſum prodigio Numen? Nónne enim, quemadmodum deficientibus eſcis, nunc has, nunc illas ſubminiſtrauit, ſic quo veſtimento cooperiebantur eo exhauſto, ſubſtitui aliud poſſit, ſiue ex patenti miraculo, ſeu ex occulta prouidentia naturam excitante, quæ ſubueniret? Verùm certè non abſque Sacramenti indiciis, quod eadem conſeruaſſe indumenta, quæ immortalitatis documenta præberent, lubitum fuit: quippè pluit illis de ſuperna altitudine Manna beatiſſimum Panem: figurabatur autem ad viuum in oblectante eo edulio Euchariſtiæ Conuiuium: ergo vt doceret in typo, quod vocis poſtea oraculo ſignificauit, allegato Ioannis cap. 6. vitam habituros immortalem qui de eius Carne manducarent, de ſanguine biberent; rectè, quod illis, quibus conceſſit vt de Manna ederent; tribuit quoque, ne quod paterentur ſenium aut tunicæ, aut calceamenta eorum, cùm tamen aliter ſuccurrere potuiſſet, nouis ſubſtitutis amictibus pro iis, qui inueterauerant.

Ioan 6. 54.

Auguſtin.
*Euchariſtia vnguentum effuſum, arcens putredinem & corruptionem.*

Deuter. 8. 4.

Toſtat.

*Dum manna Euchariſtiæ ſymbolo veſcebatur Hebræus, non ſeneſcebat indumentũ, non veteraſcebat calceus, imò cum corpore creſcebat.*

Reuertebatur gaudens inſigni potitâ victoriâ Abraham, & ecce prodit in occurſum Melchiſedech Rex Salem *proferens panem & vinum*, Geneſ. cap. 14. verſ. 18. Iam anteriori Volumine demiratus ſum quale hoc donum à Rege præſertim, cùm nihil obſoniorum exceptis Cerere & Baccho? ne mediocriter diues tam pauca obtuliſſet: ſed quæ tum neceſſitas? nam inter hoſtium ſpolia & ciborum copia. Dices, non tam fuiſſe munus illud in corporum ſubleuamen, quàm vt mentes erigeret, ſacratum enim quidpiam erat & myſticum: fuerit quidem ità: at cur non antè pugnam magis, quàm ſuperato hoſte? tum animi trepidabant ad tubæ ſonitum, obque incertos Bellorum euentus: ſi igitur Panis ille ſpiritus addere valens, opportunè antequam manus conſererent, porrexiſſet Ieroſolymorum Rex. Puto ego vtramque Eccleſiam, eam quæ militat, & adhuc palæſtrat; eámque in lætitia exultantem poſt ſuperatos inimicos militiâ, delineatam: aut cùm hæc pugnat, altercatur, vapulat: aut cùm ſubacto hoſte otia agit, & lauro coronata vehitur per oppida triumphans: iam & ille Melchiſedecis panis Euchariſtiæ notiſſimum ſymbolum fuit, Quòd igitur poſt concluſam pugnam his qui venerunt ex certamine offertur, indicatum Euchariſtiam ſingulariter Panem Beatorum eſſe; ipſi enim ſunt, qui poſt debellatos hoſtes reuincti tempora lemniſcis per Empyrea fora & plateas ouantes ducuntur; docuit in Pſychomachiæ Præfatione Aurelius Prudentius, nam recenſitâ Melchiſedecis oblatione ad Chriſtum verum Sacerdotem referens, accinit: 120.

Gen. 14. 18.
*Per Melchiſedecis oblationem figuratur Euchariſtia, Panis nempe Beatorum poſt adeptã è Mundi huius certamine victoriam.*

*Mox ipſe Chriſtus, qui Sacerdos verus eſt,*
*Parente natus, alto & ineffabili;*
*Cibum beatis offerens victoribus,*
*Paruam pudici cordis intrabit caſam.*

Prudent.

Nam cùm victores beatos memorat, eos ſubinnuit, qui cum Deo in æterna admiſſi tabernacula gaudent perenniter: ſed quare horum cibus? nimirùm, quod in illa ſtatione vndequaque iucundâ & vernantiſſimâ maximè conſpicuum, eſt ipſa Ciuium immortalitas; cùm iam propulſato interitu, luctibus, ægritudinibus, de corruptelis nulla in poſterum formido: vt itaque demonſtret hanc eſſe alimoniam, quæ immortalitatem conciliat; congruè Beatorum Nutrimentum dixit; rectéque Melchiſedech id vt confirmaret non ad pugnam euntibus Panem, vinúmque obtulit, ſed reuertentibus in lætitia cum triumpho.

121. Vidit animas Martyrum Ioannes ſubtus altare, Apocalypſ. cap. 6. verſ. 9. cur non ſupra altare vbi conſpici poſſint? fortiſſimi illi Athletæ quamobrem abſconduntur? angulos atque latebras petant confuſi, imbelles, qui terga verterunt inimico turpiſſimâ fugâ; robuſtus miles qui glorioſè decertauit, os, vultúmque prodat: Quamobrem non in circuitu Throni gloriæ tam magni Heroës ſicut viginti quattuor Seniores illi circumamicti ſtolis albis & in capitibus eorum coronæ aureæ? Apocalypſ. cap. 4. verſ. 4. Sed intelligamus

Apocal. 6.
*Animæ Martyrum ſub altari Euchariſtico, corporis ſui immortalitatem bene precantur.*
Apocal. 4.

telligamus æſtuaſſe hos martyres ingentibus deſideriis gloriæ ſecundæ, quæ eſt corporum, Beatorum, ac ob idipſum Iudicij Vniuerſalis expetiuiſſe diem; ſic communiter antiqui, recentéſque interpretes Gregorio Romano præeunte lib. 4. Moralium cap. 4. *Quid* (ait) *eſt animas vindictæ petitionem dicere; niſi diem extremum iudicij, & reſurrectionem extinctorum corporum deſiderare?* hoc igitur clamoſæ voces illæ, quas Ioannes loco memorato ſubdit: *Vſquequo Domine (ſanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs, qui habitant in terra?* Igitur vt huius immortalitatis (dicamus ad hominum morem) quaſi certo quodam pignore accepto, deſideria bono ſolatio fruantur, ſub altari collocantur: Verùm, quale illis pignus de altari? nempè eiuſmodi. Altare illud, ſuper quo Chriſti caro reponatur: Suggerit Auguſtinus ſermone 11. de Sanctis: *Rectè ſub altari animæ iuſtorum requieſcunt, quia ſuper altare Corpus Domini offertur: Nec immeritò illic iuſti vindictam ſanguinis poſtulant vbi etiam pro peccatoribus Chriſti ſanguis effunditur: conuenienter igitur & quaſi pro quodam conſortio, ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, vbi mors Domini quotidie celebratur:* Sed docuimus, Euchariſtiam incorruptionem, immortalitatémque parere: rectè igitur, cùm ab Euchariſtia incorruptio immortalitatis, iuxta corpus Domini hanc qui ambiunt Animæ, proinde ſubtus altare locantur: idcirco non Agnum ſectantur velut aliæ animæ, non prope ſedentem in throno ſedent quoque, non in equis feruntur: ſed cùm Reſurrectionem corporum concupiuerint, illa adamarunt loca quæ cum immortalitate germanitatem habent; talia ſunt Altariorum penetralia, quando in ipſis conſecratur Domini corpus, quod incorruptionem præſtat: Sed cur adproperare generalem Comitiorum diem moliuntur? Annõn ſciunt immotam eſſe decretorum rationem in Deo, & reuocari non poſſe quod ſemel abſolutâ & efficaci voluntate ſtatutum eſt? Theologicè quidem hæc concipienda ſunt, quæ ſecundum præuiſionem diuinæ cognitionis & præſtructionem ſignorum in Deo, decretum anteceſſerint, ideóque Numen ob orationes Martyrum abbreuiarit fines ſeculorum; Sed concionatoriè dixerimus: Animas illas, quod ſub altari, eſſe velut putaſſe, de immortalitate ſpeciale quidpiam illis debitum: igitur aliæ quidem Mentes, quoniam in gloriam Spiritus, corporíſque ius habent tantùm ob vitæ ſancta merita, expectent vſque ad nouiſſima tempora: quibus vltra hoc accreuit Titulus propter Chriſti corpus, quid ſupereſt niſi vt moræ interrumpantur?

Gregor.

Apocal. 6. 10.

Auguſtin.

122. Pro Abelis morte ſtupòrem Creaturarum venuſtè depingit Zeno Veronenſis ſermone de Patientia: *Miratur orbis vacuus ſe duobus anguſtum, mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad imaginem, & ſimilitudinem Dei poſſe iugulari & hoc à fratre: erubeſcit rudis terra pio ſanguine impiata: Solus Cain exultat infelix:* In quo ſermone particula illa difficilis: *Mirantur elementa hominem, qui factus ſit ad ſimilitudinem Dei, poſſe iugulari:* Sed vt tribuamus elementis intellectum aliquem per figuram; quæ nouitas eſt hominem tum poſſe occidi? Fateor ſub ſtatu innocentiæ immortalem futurum ſiue ex prouidentia externâ Creatoris, ſiue alias ob cauſas; at peccatum Adæ conſequuta eſt mors, quæ in nepotes deriuata eſt quoque, porrò cum ſublatus eſt Abel, iam antea deliquerat Protoplaſtus; non igitur erat ob quod elementa ſtupeſcerent, de nece: Sed perpende Zenonem aſſeuerare propterea admiratione affecta elementa, quod homo licet Dei Imago, atque ſimilitudo eſſet, Mortis tamen ſubiaceret inuidiæ: Porrò homo etiam poſt noxam Dei imaginem retinuit: Scio Magiſtrum ſententiarum nonnullos ex veteribus Doctores ſequutum, opinari in 2. diſtinct. 16. abolitam in homine ex peccato ſimilitudinis diuinæ rationem, quam putat in ſanctitate & iuſtitia conſiſtere, ſed hac conceſsâ vocabulorum diuerſitate, quando Abel non ſolùm rationalis, vnde imaginis nomen, ſed pius, iuſtúſque etiam, à quibus ſimilitudo, idcirco & imaginem & ſimilitudinem pariter Dei conſeruabat: Sed ob hanc ſiue Imaginem, ſeu ſimilitudinem, quare eximendus, ne interiret? Sanè Imaginis Epitheton neceſſitudinem & cognationem cum eo, cuius eſt quiſpiam imago, probat, arctámque illam: Certè ſi abſoluta, perfectáque imaginis ratio ſit, etiam identitatem ſignificare Angelicus perhibet Aquinas 1. part. quæſtione 93. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod primogenitus omnis Creaturæ eſt imago Dei perfecta, perfectè implens illud, cuius eſt imago, & ideò dicitur imago, & nunquam ad imaginem: homo verò & propter ſimilitudinem dicitur imago: & propter imperfectionem ſimilitudinis, dicitur ad imaginem: & quia ſimilitudo perfecta Dei non poteſt eſſe niſi in identitate naturæ; imago Dei eſt in filio ſuo primogenito, ſicut imago Regis in filio ſibi connaturali: in homine autem ſicut in aliena natura, ſicut imago Regis in nummo argenteo, vt patet per Auguſt. in libro de decem chordis:* Ergo ſtupeſcunt elementa, tantam fuiſſe peccati malitiam, quæ ad tam grauem iram Numen incitaret, vt etiam cognatione ſibi iunctum hominem quòd eius imaginem, & ſimilitudinem portaret, à corruptione non vindicaret, ſed in fauillam & puluerem conuerti ſuſtineret. Iam in fauorem noſtri propoſiti: Si ob cognationem cum Deo propter imaginem & repræſentationem, quam vel mali participant, occumbere potuiſſe hominem elementa expaueſcunt, quo attonita raperentur ſtupore ſi mortem ſæuire intuerentur poſt inſtitutum vitæ pabulum, quando Deus ipſe ob hoc manet in nobis, & Chriſtus nobis concorporeus efficitur? Quid dixi ad Sacramenti conſpectum abactam Mortem, vel ad eius memoriale? Debacchabatur in Dauidis ſubditos ob numeratum populum ab illo, & cùm præſtituti eſſent tres dies mactationi, Reg. 2. cap. 24. verſ. 13. ceſſauit ad horam prandij ex tribus primâ luce: Sic Theodoretus expreſsè quæſtione 37. docuêre Origenes homilia 16. in Numeros, Ambroſius in Pſalm. 37. Cur hac hora, aut, vt alij maluêre, ſub veſperam cùm cœnandum eſſet? Scilicet; adfuit ſub figura tempus, quæ Euchariſtiam notaret: exhorruit ad ſola lineamenta Mors, ocyúſque diſceſſit: Cyrillus in Collectaneis: *A mane igitur, hoc eſt à primis huius ſæculi temporibus Mors depaſta eſt eos qui in terra erant vſque ad horam prandij, hoc eſt, vſque ad menſæ tempus: vbi enim aduenit nobis ſanctæ Menſæ tempus, nimirum illius in Chriſto, ac myſticæ, in qua pane veſcimur illo cælitus dato, quæ priùs terribilis erat, mors ceſſauit.*

*Ob mortem Abelis, quia ad imaginem Dei facti, ſtupent elemẽta.*

*Similitudo Dei in homine per peccatum abolita ex ſententia P. Lombardi.* Magiſt. Sent.

*Chriſtus eſt Imago Dei perfecta: Homo verò non imago ſed ad imaginẽ Dei dicitur.* D. Thom.

*Si ſtupendum, Hominem ad imaginem Dei creatum mori: quid iã per Euchariſtiam concorporeum?*

Theodoret. Origen. Ambroſ.

*Ceſſat peſtis Dauidica hora Cœnæ, morte vel ad ſolam Euchariſtiæ vmbram exhorreſcente.* Cyrill.

123. Vbi noſter Interpres, Exod. c. 16. verſ. 33. legit de Moyſe ad Aaronem loquente: *Sume vas vnum,*

Exod. 16. 33.



*& mitte ibi Man, quantùm poteſt capere gomor*, cui omnes ferè verſiones conſentiunt, L X X. aliter: *Accipe vas aureum vnum, & inijce in illud, plenum gomor Man:* quam lectionem amplexatur, Cyrillus lib. 3. in Ioannem, cap. 34. *Audis, quomodo vas aureum per Aaron impletur Manna: pia enim, ſanctáque anima, quæ Chriſti fidem concepit, quæ totum in ſeipſa cœleſtem theſaurum condidit, pretioſum, atque aureum vas eſt.* Sed quare de auro potiùs quàm de ebore, argento, aut odorato ligno Phiala illa Manna ſeruatura? Certè Thronum illum magnificum, cui ſimile opus non eſt factum in vniuerſis regnis, de ebore eum Salomon fecit, Reg. 3. cap. 10. verſ. 19. non ex ſolida auri materia; Equidem auri dos præſtantiſſima, (qua ſiue metallis præſtat, ſiue lapidibus, oſſibus, arboribus,) fortiſſimum eſſe aduerſum ætatum iniurias; quin & omnium penè rerum domitrices flammæ vincuntur ab auro, è quibus gratioſius prodit; diſcamus à Plinio lib. 33. c. 3. *Nec pondere, aut facilitate materiæ prælatum eſt cæteris metallis, cùm cedat per vtrumque plumbo, ſed quia rerum vni nihil igne deperit, tutò etiam in incendijs, rogíſque durante materia, quinimo quò ſæpè arſit, proficit ad bonitatem: Altera cauſa pretij maior, quàm minimum vſu deteri, cùm argento, ære, plumbo lineæ ducantur, manúſque ſordeſcant decidua materia: ſuper cætera non rubigo vlla, non ærugo, non aliud ex ipſo, quod conſumat bonitatem, minuátve pondus:* Quid reſtat igitur niſi vt immortalitatis quadam æmulatione aurum frui cenſeamus? Ob hanc igitur eius naturam, delectum, quo Manna reconderetur: Quippe perquàm vulgare eſt Mannâ deſignatam Euchariſtiam, docétque loco ſuperius memorato Cyrillus: Quoniam igitur huius Sacramenti efficacia quædam eſt, corruptionem abigere, mortem longiùs propulſare; rectè ſanè, quod Manna eius manifeſtior repræſentatio, quaſi immortali quodam incluſorio ſepeliatur, ſcilicet metallo illo, quod præcipuam inde mutuatur laudem, quia cætera cùm ſeu vi, ſeu tormentis quibuſdam, ſeu annorum ſerie imminuantur, aurum tamen, quemadmodum ex Plinio atteſtabamur, cum æternitate quaſi certamen ineat: ideò & argentum & ebur & ligna ſpirantia, & onychines ipſi reiectati.

L X X.

Cyrill.

*Manna Euchariſtiæ figura, in Auro incluſa.*

3. Reg. 10.

Plinius.

*Aurum æternitatis ſymbolum, quod in tempora fortiſſimum, quod è flammis purius exeat, quod longo attritu parum minuatur, æruginis & rubiginis expers.*

VESTIGA

# VESTIGATIO IV.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, In primum Hemiſtichium Verſus tertij ex Capite primo Canticorum.

*Textus :* Trahe me : poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Cap.*1. *verſ.*3.

*Viro abſente, indecorum ſi vxor componatur, & in delicijs agat : ex Paulo, & Regum 2. congratulationes in ſecunda fortuna : dona à confœderatis, ab affinibus, à cognatis : Biblicæ plures coaceruatæ ſententiæ: At in nuptijs ſingulariter : exemplum de Pſalmo 44. Tractio abſque violentia: Vxor ſine Mariti licentia foras non prodeat.*

### SECTIO I.

I.
*Hemiſtichij huius cum præcedentibus nexus.*

MISIT ad Sponſam Dilectus eius copiam Vnguentorum, quod ſciret nouæ Nuptæ in primis deliciis eſſe; miſit affatim, vt & haberet quod Puellarum mandris non ſegni manu diſtribueret; demirata illa cum famulabus aromatum ingentem profuſionem, *Oleum effuſum,* ſiue *exinanitum* compellauêre : Sed quemadmodum aliàs aduertimus, dum hæc gererentur, ſubſiſtebat Libani Sponſa eremo: Sponſum Hieroſolymorum Metropolis, & Aula potentiſſimi Monarchæ retinebat : igitur modò vſum aliquem tantorum Pigmentorum eſſe cupiat, Dilectum Sponſa monet, vt Ieroſolymam abſens pignus transferat cum ancillaribus turmis : *Trahe me :* ibimus quæſitum te, Ego & Pediſſequæ, tuôque gauiſæ aſpectu, cùm viderimus vnguentis delibutum, componemus & nos vultum, adhibebimus cuti ſuaueolentia, tuo nempe ſtimulatæ exemplo, *curremus in odorem vnguentorum tuorum :* alioqui, ſi Libani vaſtitate remanere iuſſeris, nec aut ipſe venire properes, neque nobis veniam facias pergendi ad te, viduos & incomptos traducemus menſes te deficiente : Quid enim? ornaremur ſanè, & ab oleo hilareſceret vultus te remoto? Non tales ſumus: Marito ſolùm componimur; eo peregrinante charæ fuerint ſordes & neglectus; quæ vel pudicitiam commendent : vel animo conceptum mœrorem pro viro ablegato teſtentur: huiuſmodi affectus amantium coniugum ſæpè inter Poëtarum monumenta: Naſo epiſt. 13. Laodameiæ Proteſilao :

*Pudicarum mulierū cultus neglectus mœſtúſque abſente Marito.*

Ouid.

*Nec mihi pectendos cura eſt præbere capillos:*
*Nec libet auratâ corpora veſte tegi.*
*Conueniunt matres Philaceides, & mihi clamant:*
*Indue regales Laodemeia ſinus.*
*Scilicet, ipſa geram ſaturatas murice veſtes?*
*Bella ſub Iliacis mœnibus ille gerat?*
*Ipſa comas pectam? galeâ caput ille prematur?*
*Ipſa nouas veſtes, dura vir arma ferat?*
*Qua poſſum, ſqualore tuos imitata labores*
*Dicar, & hæc belli tempora triſtis agam.*

Sed cùm Serenæ laudes Reginæ cantaret altiori verſu Claudianus, hinc encomiorum mutuatus partem, modulatur :

Claudian.

*Non illo nitidos vnquam bellante capillos*
*Comere : non ſolitos gemmarum ſumere cultus:*
*Numinibus, votiſque vacas, & ſupplice crine*
*Verris humum : tegitur neglectæ gratia formæ*
*Cum proprio reditura viro.*

In Paſtorum amoribus & talia multa apud Bucolici Carminis Authores : è quibus Titus Calphurnius, Ecloga 3.

T. Calphurn.

*Te ſine, væ miſero mihi, lilia nigra videntur,*
*Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti:*
*At tu ſi venias, & candida lilia fient,*
*Et ſapient fontes, & dulcia vina bibentur.*

Poſtremò de anima ſancta ſub huius vitæ amaritudinibus atque exilio Venantius Fortunatus Chriſtiano Metro lib. 3. ſub finem :

Ven. Fortun.

*Sponſo abſente manens tam dura cubilia ſeruo,*
*Nec mea quem cupiunt membra tenere queunt.*
*Nunc ſine te fuſcis grauiter Nox occupat alis,*
*Ipsáque ſole micans eſt mihi cæca dies.*
*Lilia, narciſſus, violæ, roſa, nardus, Amomum,*
*Oblectant animos germina nulla meos.*

Nam certè Paulus Corinth. 1. cap. 7. verſ. 34. *Quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro :* Quod ſi quidem viro tantùm placendum eſt, ídque Matrimonij ſinceræ exigunt leges, quamobrem huius ſub abſentia mulier ſe componat? quare memorabile illud eſt, quod de Caio Sulpitio Gallo, Valerius refert lib. 6. cap. 3. n. 10. Nam vxorem repudiauit, quod foras aperto capite verſatam intellexerit : *Lex enim, inquit, tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus formam approbes.* Quam in normam Hieronymus ad Saluinam ſcribens, quod iam viro carere noſſet : *Audiant hæc mulieres, quæ ſollicitæ ſunt, quomodo placeant viris : Tu verò, quæ in tumulo Mariti ſepeliſti*

1. Corinth. 7. 14.

Valer. Max.

Hieronym.
*Vxoris viduæ Mœror.*



*omnes pariter voluptates, quæ litam purpuriſſo & ceruſſâ faciem ſuper feretrum eius lachrymis diluiſti, quæ pullam tunicam, nigróſque calceolos, candidæ veſtis, & aurati ſocci depoſitione, ſumpſiſti; nihil habes neceſſe aliud, niſi perſeuerare in ieiunio : pallor & ſordes gemmæ tuæ ſint :* Quibuſcum ſororia apud Fulgentium epiſtola 2. cap. 11. neque mirum in fœmina id, cuius pectus molle, amor ſuauis : laudandum in viro ſi quid æmulum; qualis Vrias Hethæus, cuius vox illa egregio Bellatore digna, Reg. 2. cap. 11. verſ. 11. *Arca Dei, & Iſraël, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent : & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam cum vxore mea?*

Fulgent.

2. Reg. 11. 11.

2.
*Amicorum & propinquorum gratulationes in bonis ſucceſſibus olim frequentes.*

Sin aliam conſtructionem meditari iuuat, didiciſſe oporteat, veterem fuiſſe morem, quem etiamnum pleræque obſeruant nationes; Vt ſi quid fauſtum vel Amicis, vel cognatis, ſeu neceſſitudine quacumque deuinctis, contigiſſet, puta ſi Victores ex bellis rediiſſent, ſi Magiſtratu donati; in Matrimoniis, in filiorum natalitiis, in Regnorum inauguratione, gratulatum ire, applaudere, ſalutare conſueuerint, quin & munera, ſæpè & opulenta illa ſanè detulerint: Plutarchus in Pompeio, cùm ex morbo graui reſurgeret : *Obuiam vndique procedentes nullus capiebat locus, ſed viæ, vici, porticus epulantibus, & ſacra facientibus erant referti : multi etiam coronati cum facibus excipiebant eum, atque in deducendo floribus conſpergebant.* Arrianus in ſermonibus Epict. libro 1. cap. 19. *Tribunatum aliquis adeptus eſt? omnes obuij gratulantur, alius oculos, alius colla oſculatur, ſerui manus :* Nicetas de Alexio Manuelis filio : ἐπειδὴ ἡ κυρία τῆς ἀνόδου ἐνεστήκει, ὁπόσοι τῇ τέλει, καὶ ὅσοι τοῦ βήματος, τοῦ καλοῦ ἐπεστρεφον ἔρωτα, καὶ ὁ τῆς πόλεως ἅπας δῆμος εἰς τὸ ἱερὸν φροντιστήριον συνδραμόντες, λαμπροτάτην ἐκείνῳ συντελοῦσι τὴν πρόοδον μύροις τὰς ἀγυιὰς τέγγοντες, καὶ τοῖς ἰνδικοῖς ξύλοις, καὶ καρυκευτοῖς ἀρώμασι τὸν ἀέρα θυμιάζοντες : *Reditus appropinquante die, omnes Magiſtratus, omnes Sacerdotes honeſtatem amantes, & tota ciuitatis multitudo, concurſu ad cœnobium facto progreſſio à ciuibus ſplendidiſſima facta eſt : Vici vnguentis perfuſi : ex lignis Indicis, & aromatibus facti ſuffitus.* Septima Synodus Actione 1. §. Sanctæ & Vniuerſali Synodo, &c. *Si enim Regum Laureata, & icones miſſas ad ciuitates, vel regiones, obuij adeunt Populi cum cereis & incenſis,* &c. Inſuper de oblatis muneribus vnus Curtij locus ſub initio lib. 5. *Magna pars Babyloniorum cōſtiterat in muris auida cognoſcendi nouum Regem: plures obuiam egreſſi ſunt, inter quos Bagiſtanes arcis, & regiæ pecuniæ cuſtos, ne ſtudio à Mazæo vinceretur; totum iter floribus, coroniſque conſtrauerat, argenteis altaribus ab vtroque latere diſpoſitis; quæ non thure modò, ſed omnibus odoribus cumulauerat : eum dona ſequebantur, greges pecorum, equorúmque, leones quoque, & Pardales caueis præferebantur.* At frequentiſſimè his germana ſacratis in Codicibus : Iudicum cap. 11. verſ. 34. *Reuertente cum triumphis Iephte, occurrit ei vnigenita filia ſua cum tympanis, & choris, non enim habebat alios liberos.* Ruth. cap. 4. verſ. 17. *Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes, natus eſt filius Noëmi, vocauerunt nomen eius Obed.* Reg. 1. c. 18. verſ. 6. *Porrò cùm reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, & ferret caput eius in Ieruſalem, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, canentes, chorósque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & ſiſtris.* Tob. cap. 11. verſ. 20. *Veneruntque*

Plutarch.

Arrian.

Nicetas.

7. Synod.

Curtius.
*Variæ in rebus proſperis gratulationes varia donaria; etiam in ſacris Literis.*

Iudic. 11. 34.

Ruth. 4. 17.

1. Reg. 18. 6.

Tob. 11. 20.



*Achior & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus.* Iudith cap. 15. verſ. 9. *Ioachim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam, vt videret Iudith :* Fuit & legatio gratulatoria pro initâ Monarchiâ illa Hirami Regis Tyriorum ad Salomonem, Reg. 3. c. 5. num. 1. id quod Ioſephus teſtatur lib. 8. Antiq. capite 2. *Porrò Tyriorum rex Iramus, audito, quod Salomon Patri in regnum ſucceſſiſſet, vehementer eſt gauiſus; & per Legatos ſalutato gratulatus eſt.* Subſcribunt in nominatum locum ex Regibus, Serarius & Gaſpar Sanctius : feciſſe idipſum pariter Ægyptiis tum imperantem Vaphrem, ex lib. Euſebij nono de Præparatione, cap. vltimo, deduxêre Pineda lib. 5. de Salomone, cap. 1. n. 3. Salianus tom. 3. anno Mundi 3022. numero 34. Sed in nouo fœdere, Præcurſore in lucem edito : *Audierunt vicini, & cognati eius,* Eliſabeth nimirùm, *quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei,* Luc. cap. 1. verſ. 58. Ille quoque fidelis de Euangelio Pater, *veniens domum, conuocat amicos, & vicinos, dicens illis; congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat,* Luc. cap. 15. verſ. 6. Verùm & de muneribus : nam qui Iobo reducem bonam fortunam congratulati ſunt, *dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Iob. c. 42. verſ. 11. Hemath autem dynaſta Thou percuſſo à Dauide Adarezer, miſit Adoram filium ſuum ad Regem Dauid, *vt ſalutaret eum congratulans, & gratias ageret : & in manu eius,* (ſcilicet Adorami legationem obeuntis, vt exponunt Nicolaus, Abulenſis quæſt. 13. Sanctius n. 15. Salianus tom. 3. anno Mundi 2995. num. 15.) *erant vaſa aurea, & argentea, & vaſa ærea :* Huius & generis id, quod de Melchiſedecho, Geneſ. cap. 14. verſ. 18. nam quòd Abram cum victoria reuerſo occurrerit, gratulandi causâ feciſſe planè ſignificant Philo lib. de Abraham, & Ioſephus, Antiq. lib. 1. cap. 11. Sed non vacuus acceſſit, nam quanquam Deo ſacrificauit ex pane & vino in actionem gratiarum pro deuictis ab Abrahamo hoſtibus, at præterea Ouantibus epulum inſtruxiſſe religioſum de benedicto calice & panibus veri cum ſimilitudine putarunt Torniellus anno Mundi 2118. num. 10. Salianus tom. 1. Mundi anno eodem met, num. 32. Bonfrerius ad verſ. 18. cap. 14. Geneſeos : denique cum Beati illi Chaldæorum Principes Sideris inſtinctu clariſſimi, Meſſiam ſalutatum veniſſent, non tamen abſque donis, nam aurum, thus, & myrrham obtulêre, Matth. cap. 2. verſ. 11.

Iudith 15. 9.

3 Reg. 5.
Ioſeph.

Serar.
Sanchez.
Euſeb.

Pineda.
Salian.

Luc. 1. 58.

Luc. 15. 6.

Iob. 42. 11.

1. Paral. 18.

De Lyra.
Toſtat.
Sanchez.
Salian.
Geneſ. 14.

Philo.
Ioſeph.

Torniell.
Salian.
Bonfrer.

Matth. 2.

3.
*In nuptijs honor gratulatorius.*

Prodeat de geniali congratulatione, déque teſſera nuptiali, & collatis ab Amicorum turba donis, ab affinitate & cognatis : Suggerant, qui Epithalamicis luſerunt Metris : de Pelei, & Thetidos nuptiis Catullus:

Catull.

*———domum conuentu tota frequentat*
*Theſſalia, oppletur lætanti Regia cœtu.*
*Dona ferunt, præ ſe declarant gaudia vultu.*

Verùm de ſalutantium eximiâ hilaritate atque quemadmodum omnes coïerint ordines, Papinius lib. 2. Syluarum in Epithalamio Stellæ & Volantillæ:

Statius.

*Omnis honos, cuncti veniunt ad limina faſces,*
*Omnis plebeio teritur prætexta tumultu,*
*Hic eques, hic iuuenum queſtus, ſtola mixta laborat,*
*Felices vtroſque vocat.*

At in hac argumenti idea nemo Claudianum ſuperauerit, qui epiſt. ad Serenam de Orphei Vatis connubio & thalamis pangit :

Claudian. *Orphea cùm primæ ſociarent lumina tædæ,*
*Ruráque compleret Thracia feſtus Hymen.*
*Certauêre feræ, picturatæque volucres,*
*Dona ſuo vati, quæ potiora darent.*
*Caucaſeo cryſtalla ferunt de vertice lynces,*
*Gryphes Hyperborei pondera fulua ſoli.*

Deinde ad longum enumeratis Alitum plurimis ſpeciebus, narratôque quid quæque obtulerit, ſubnectit:

Idem. *Nulla auium, pecudúmque fuit, quæ ferre negaret*
*Vectigal meritæ connubiale Lyræ.*

Atque idem de plauſibus & lætitia geſtientium populorum in Epithalamio Palladij & Serenæ.

Idem. *Cùm ſubitò varius vicina clamor ab vrbe,*
*Et fauſti iuuenum plauſus, miſtæque choreæ,*
*Auditæ per rura lyræ: Celerina per omnes*
*Italiæ canitur montes, omniſque Maritum*
*Palladium reſonabat ager.*

Sed de muneribus in ſacra etiam Dauidis odâ
Pſal.44.11. geniali, ex Pſal.44. verſ.11. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis,* quod fortaſſe ad literam de Sponſa huius carminis, vti aliàs diximus ſuperiori volumine, quando & indicauerimus Tyro aut Sidone ortam, cui proinde ciues inſperatam connubij fortunam comprecati ſint, animi & iucunditatem donis commonſtrauerint.

4. *Cùm multos ad Sponſum gratulationis causâ cõfluere ſciret Sponſa, precatur vt ſibi etiam liberum ſit & adoleſcentulis ſuis, ad illum currere.*

Ergo ad ſenſum noſtri Textus: Cùm percepiſſet Sponſa Hieroſolymam, vbi reſidebat nouus Vir, confluere plurimos Mortalium inuiſendi illius ſtudio, dona portare, congratulari de nuptiis; conqueritur Libano ſe derelinqui, nec copiam fieri, vt in Metropolim vnà cum Pediſſequarum turma pergat ſalutatura Principem. O quando omnes conuolant ordines ex tota Iudæa, & congaudent & offerunt tributum, cur ego ſola domo mœrens ſubſtitero? Iube ad tuos affatus veniam: *trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* At quonam modo Puellæ delicatæ, & teneræ ſic properabunt vt & currant, ſi tamen per ſaxoſa fortaſſe gradiendum, per indirecta, per iuga montium? ſcilicet, *in odore vnguentorum tuorum*, nam ſi fatigari contingat, beneficio olei & vnguentorum refouebunt laſſatos artus, adiicientur ab aromatibus, quæ Sponſus miſerat, vires, ſi deficere & animo frangi accidat. Verùm quorſum trahenda Sponſa? itáne ambulare non ipſa valeat? languétne & infirmata eſt ab amore, cui lecticæ vſus neceſſarius fuerit? papæ languet. An magis *trahendi* vocabulum, incitatum aliquid, & rapidum denotat, ipſôque velocius curſu, vt cùm famulæ currant, tardum

*Plus eſt trahi quàm currere.*

vel hoc Sponſæ appareat, & violentius conetur aliquid, vt trahatur nimirum? quippè trahimur, non cùm inuiti ducimur, ſed cùm ſponte imus, ita tamen pergimus, vt quoniam in proficiſcendo voluptas eſt ingentiſſima, deſideriúmque immane, ferimur & ſagittâ & Euro velociores, quamobrem multò plus eſt, quod trahendi dictio ſignificat, quàm curſu denotari valeat, quare perbellè Auguſtinus ſerm.2. de verbis Domi-
Auguſtin. ni: *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum: non dixit, duxerit, ſed traxerit: iſta violentia cordi fit, non carni: quid ergo miraris? crede, & venis; ama & traheris; ne arbitreris iſtam aſperam, moleſtámque violentiam: dulcis eſt, ſuauis eſt; ipſa ſuauitas te trahat.* At ſi Mariti vultus tantoperè deſiderat noua Coniux, quamobrem expectat, vti à Sponſo trahatur? leuis ardor eſt, quem compelli neceſſum ſit: Verùm pudica Virgo, & abſque Mariti bonâ licentiâ foràs pererrare, itinera moliri non audet, nec vt cum ipſo cordis ſolatio moretur: rectè Plutarchus in con-

*Plutarch. Pudicæ vxori, abſque Mariti licentiâ, domo exire, nefas.*

iugalibus Præceptis: *Lunam videmus, cùm longè à Sole diſtat, illuſtrem eſſe, ac lucidam, obſcuram autem cùm ei appropinquat: contra pudica mulier maximè cerni debet cum ſuo Marito: eo autem abſente, domi ſe continere, & abſcondi*: quare de Vlyſſis conſorte Statius ad Claudiam vxorem lib.3. ſyluarum:

*Iſſet ad Iliacas (quid enim deterret amantes?)* Statius.
*Penelope gauiſa domos, ſi paſſus Vlyſſes:*
*Queſta eſt Ægiale, queſta eſt Melibœa relinqui.*

Concinnè à Poëta additum, *ſi paſſus Vlyſſes*: Nam ex communiori prophanæ eruditionis ſententiâ, Penelope caſtarum Matronarum exemplar: eiuſcemodi verò fœminam decebat non niſi ex Mariti iuſſu, domo pedem efferre: cæterùm ille permitteret, vt eſt caſtus amor in amando verax atque fidelis, ſic in pericula liberalis, præ viro facilè ardua quæque proterens; Silius Italicus lib.3. de Hannibalis coniuge:

*Méne oblite tuâ noſtram pendêre ſalutem* Sil.Ital.
*Abnuis inceptis comitem? ſic fœdera nota*
*Primitiæque tori? gelidóſne ſcandere tecum*
*Deficiam montes coniux tua? crede vigori*
*Fœmineo, caſtum haud ſuperat labor vllus amorem,*
*Sin ſolo aſpicimur ſexu, ſexúmque relinquis,*
*Cedo equidem, &c.*

Præclarè loquuta, laribus velle contineri, non quod Bellorum ſæua vereatur diſcrimina, ſed quod indecorum ſit honeſtam in caſtris verſari fœminam.

---

*Deſponſæ Virgines, Sponſo, vt cuſtodirentur, traditæ apud Hebræos: Victimæ & ſacrificia pro ſuperatis periculis, pro lætis euentibus, ſub nuptiarum ingreſſu: Regum & Prouerbiorum verba: Hoſtia pacifica quid? an ſolo in templo Ieroſolymitano Iudæi ſacrificarent? Synagogæ quorſum? iugum impoſitum Nubentibus, pallâ & vittis obumbrati: Ezechielis, Ruth, Oſeæ Pſalm. 44 Iſaiæ locus: cantilenis victores celebrati à fœminea turba; ex ſcriptura probatum; textus & verſionum diuerſitas.*

## SECTIO II.

5. *Deſponſarum ſuarũ cuſtodes Sponſi apud Orientales.*

ORientalium is fuiſſe videtur mos, vt quas deſpondebant Virgines, eas cuſtodiendas traderent in diem vſque connubiorum, & duraturi fœderis, nouo Marito, quarum tamen pudicitiam violaſſe ſubinde irrelligio erat: te-
Chryſoſt. ſtis Chryſoſtomus homil.43. in Geneſim: *Mos* (ait) *ille veteribus erat antè multum tempus ſponſalia facere: ſæpe item & cohabitare deſponſatis, & ſimul cum Parentibus conuerſari: id quod & nunc multis in locis fieri ſolet.* Atque idem Chryſoſtomus in c.1. Matth. homil.4. *Hunc quippè morem plerumque tenebat antiquitas, vt Sponſæ in Sponſórum domibus haberentur, quod nunc quoque fieri interdum videmus: ſed & generi Loth apud ſocerum leguntur habitaſſe cum ſponſis nondum ſibi copulatis lege coniugij*, Geneſ. cap.19. ſic habitabat etiam Maria cum Sponſo.
Bernard. cui adſtipulatur Bernardus homil.2. ſuper Miſſus eſt: *Mos ſiquidem Iudæorum erat, vt à die Deſponſationis ſuæ vſque ad tempus nuptiarum, Sponſis Sponſæ traderentur cuſtodiendæ: quatenus earum ipſi eò ſibi pudicitiam curioſiùs ſeruarent, quò ſibi ipſi fideliores exiſterent.* Quamobrem Eſther quidem in aula verſabatur



verſabatur Aſſueri gynæcitide recluſa & efformans ſe per annum, quo elapſo nuptiæ inſtitutæ cum epulatione magnifica cap.2. verſ.18. nempe quamprimùm ſublata eſt in regios penates, deſponſata fuit Monarchæ, ideò eadem commorabatur auguſtâ Baſilicâ, ſed ante connubiale fœdus ad regios thalamos non eſt introducta, quoniam nondum vxor, ſed ſponſata: qua de cauſa nec à

*Cur apud Pharaonem illibatus Saræ honos?* De Lyra.

Pharaone quanquam laſciuienti Principe violatum fuiſſe Saræ honorem exiſtimauit Nicolaus Lyrenſis ad c.12. Geneſeos, qui de Abram ſermocinatus; *Periculum* (inquit) *caſtitatis ſuæ, vxori non erat ita propinquum: Sciebat enim, quod tempore illo Reges non accedebant ad vxores ſuas de nouo acceptas niſi poſt anni circulum, quia ſicut habetur in lib. Eſther cap.2. primis ſex menſibus vngebantur oleo myrrhino, & poſtea ſex alijs menſibus, quibuſdam vnguentis, & varijs pigmentis vtebantur, & poſtea ad Regis cubiculum tranſibant: & infrà tantum tempus ſperabat de Dei adiutorio, ſibi, vxori, & familiæ, affuturo.* Ergóne in Sponſi ſocietatem, atque præſentiam æſtuans Virgo, piè incuſat, quod patriarum legum du-

*Queritur Sponſa ſe in Sponſi domũ non aduectã, pro regionis more.*

rus effractor ſit? Quamdiu ego cum Puellis meis in hac Libani verſabimur eremo? iam Sponſa ſum, ſub arbore Malo ſuſcitaſti me, pollicitus es de nuptiis, vt quid non ſubuehis in domum tuam pro vſu regionis? Eia iube hinc diſcedamus: Trahe me; ibimus celeres, curremus poſt te in odorem vnguentorum tuorum: Nec tamen Sponſo culpæ vertendum, quod ſecum non duxerit continuò: nam cùm longè impar diuitiarum ſplendore, & nobilitatis gloriâ Virgo, cæteroquin moribus & vultu admiranda; erant cognatorum emollienda corda priùs, quàm Puellam cernerent, ne grauatè ferrent, & meretricios amores putarent, quos ſola virtus & probitas conciliabant.

6. *Antiquorum pro incolumitate, pro ſuperatis periculis, pro lætis euentibus, hoſtia, donaria, gratiarũ actiones.*

Fuit & illud omnibus temporibus ſollenne etiam apud vanorum Numinum adoratores, ſi quando periculo erepti, pro recuperata valetudine, pro beneficiis quibuſque, aut vota ſuperis perſoluere, aut ſacrificiis, thure, odoribus, ſæpè donariis exquiſitis animi gratam demonſtrare indolem, referre pro acceptis Euchariſti-
Plutarch. cum monimentum: Plutarchus in Pompeio de Mithridatis obitu: *Inde exercitus haud immeritò, quaſi in Mithridatis corpore ſexcentis extinctis hoſtibus, ouans conuertit ſe ad ſacrificandum, & conuiuia:*
Tacitus. Tacitus Annalium 2. capite 13. *Dein Piſo abire Suriâ ſtatuit; mox aduerſâ Germanici valetudine detentus, vbi recreatum accepit, & vota pro incolumitate eius ſoluebantur; admotas hoſtias, ſacrificalem apparatum, feſtam Antiochienſium plebem, per lictorem proturbat.* Iuuenalis ad longum Satyra duodecima de variâ in ſodalium reditu, iucunditate:

Iuuenal. *Si res ampla domi, ſimiliſque affectibus eſſet,*
*Pinguior Hiſpulla traheretur Taurus, & ipſa*
*Mole piger, nec finitima nutritus in herba,*
*Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſanguis*
*Iret, & à grandi ceruix ferienda miniſtro,*
*Ob reditum trepidantis adhuc, horrendáque paſſi*
*Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.*

Et plurima in eundem ſcopum toto illo ſermone, quibus cognata Tibullus in Catalectis:

Tibull. *Non ego thure modò, aut pictâ tua templa tabellâ*
*Ornabo, & puris ſerta feram manibus.*

Martialis itidem lib.9. epigrammate 43. ad Apollinem de promiſſo ſuo:

*Felix nunc ego, debitórque voti,*
*Caſurum tibi ruſticas ad aras*



*Ducam cornibus aureis iuuencum.*
*Nata eſt hoſtia, Phœbe, quid moràris?*

Ælian. De Phalari Agrigentinorum tyranno Ælianus var. Hiſtor. lib.2. cap.20. τρίποδας δελφικοὺς, καὶ στεφάνους χρυσοῦς, καὶ ἄλλα πολυτελῆ χαριστήρια τῆς σωτηρίας: *Tripodas delphicos, & coronas ex auro, aliáque multa pretioſa munera in gratiarum actionem pro ſalute conſequuta*: Ioſephus lib.19. Antiquitatum, cap.5.
Ioſeph. de Agrippa Rege per Claudium Cæſarem antiquæ fortunæ reſtituto: *At ille, vt re benè geſtâ, magna celeritate reuerſus eſt, & quamprimùm peruenit Hieroſolymam, votiua ſacrificia perſoluit, nihil omittens, eorum, quæ lege præſcripta ſunt, vnde & multos Nazaræos tonderi mandauit: & Catenam auream à Caio donatam, pondere parem illi ferreæ, quæ regias manus vinxerat; monumentum aduerſæ fortunæ mutatæ in proſperam ſuſpendit in Sacrario ſuprà gazophylacium.* De huiuſmodi, garrula illa, & vaga fœmina
Prou.7.13. apud Parœmiaſten cap.7. verſ.13. *Apprehenſámque deoſculatur iuuenem & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro ſalute tua deuoui, hodie reddidi vota mea: idcircò egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre, & reperi*: De Chriſtianis vſibus

*Idem Chriſtianorũ mos ſites.*

ſuperfluum eſt narrare, quando lumina quotidie contemplantur, & appenſa imprimis Beatiſſimæ Dei-Genitricis altaribus dona infinita loquantur; vnum tamen aliquid placuit excerpere, quod memorabilis ſit pietatis ex Niceta in Ioanne Comneno, capite 5. Sacram nempe de-
Nicetas. ſcribens ſupplicationem, inquit; *Quadriga à quatuor equis niue candidioribus trahebantur: Imperator verò non conſcendit, ſed Dei genitricis imaginem in ea collocauit; ob quam lætitiâ exultabat, & animo penè liquebatur: cui Victorias vt Collegæ Imperij inuictæ acceptas ferebat: habenas viris potentiſſimis moderandas, & cognatis ſuis currum curandum dedit: ipſe Crucem manu geſtans pedes anteceſſit, & Dei Sapientiæ templum ingreſſus, atque in conſpectu omnis populi ob ſucceſſus Deo gratijs actis, in Palatium abijt.*

*Præclarus Io. Comneni Imperat. in Deiparam pijſſimi Triũphus.*

Hoc argumenti ſplendidè atque eruditè pertractatum à D. Antonio Cabreros
D. Anton. Cabreros. Auendaño in Methodica delineatione de Metu, lib.2. cap.21, num.11.

7. *Triplex Sacrificij genus apud Iudæos.*

Sed cùm triplex Sacrificiorum genus fuerit ſub Inſtrumento veteri poſt ſcriptam legem, Holocauſtum, Sacrificium, & Hoſtia pro peccato, vt memorat S. Thomas 1.2. quæſtione 102. art. 3. ad octauum: ſanè Hoſtia Pacifica eodem aſſer-
S.Thom. tore, *Offerebatur Deo vel pro gratiarum actione, vel pro ſalute, & proſperitate offerentium ex debito Beneficij vel accipiendi, vel accepti*: Vertit autem rectè interpres *Pacificorum Hoſtiam*, quoniam in
Leuit.3. Hebræo eſt, Leuit. capite 3. שָׁלֵם *Schalam* quod *Pacem* denotat, quo tamen vocabulo ex vſu ſacræ phraſeos multa ſignificantur; animi, corporis, ſubſtãtiæ incolumitas, quicquídque eſt læti euentus atque felicis, pro quibus mortales gratias

*Hoſtia Pacifica pro gratiarũ actione.*

L X X. referre ſoleant: à L X X. communiori vocabulo θυσία σωτηρίου, videlicet *Hoſtia ſalutaris* appellatur,
Philo. quo pacto & Philo nuncupat non longè ab initio
Ioſeph. libri de victimis, à Ioſepho tertio Antiquitatum, cap.10. dicitur, χαριστήριος θυσία, hoc eſt, *Victima actionis gratiarum*; id palàm conſtat ex Leuit.c.7.
Toſtat. v.12. & agnoſcunt Toſtatus quæſt.1. Nicolaus ibi:
De Lyra. Dionyſ. & Hugo Carenſis ad verſum vltimum
Dionyſ. c.11. lib.1. Reg. Bonfrerius ad verſ.3. cap.1. Leuit.
Hugo Car. Bonfrer. Azor tom.1. Moral. Inſtit. lib.6. c.25. Ribera lib.4.
Azor. de Templo, qui de ſacrificiis, c.4. Mendoza tom.1.
Ribera. in Reg.1. expoſitione Literali v.4. c.1. n.7. Sponſus
Mendoza. igitur ex Libano Hieroſolymam profectus, grauem habuit altercationem cum multis Affinium,

atque veterum de nobilitate ſodaliū, quòd Puellam duxiſſet alienigenam, deſpectæ natiuitatis, pauperiſque cenſus, penè in contemptum Iudaicarum Virginum, & imprimis ad inuidiam aulicæ formæ: tentarunt itaque modis vniuerſis ab incepto reuocare, & vt nouam Coniugem dimitteret, non defuturos in Libano rurali in multitudine, quos, eius demulceret pulchritudo, talibus aptam amplexibus, non regio thalamo: Atqui ſtetit ille fortiſſimus, amabat enim caſtè propter eximias iuuenculæ dotes tum faciei, tum cordis maximè; atque ſeu blanditiis, ſeu vi potentis eloquentiæ, ſeu adhibito terrore nonnunquam vbi alia non prodeſſent, leniuit iratos Conſanguineorum Spiritus, Amicos conciliauit, lætúſque de concupito triumpho, vt Deo Bonorum vberrimo Authori gratias rependeret, Ieroſolimitano in templo, quod recens extructum erat, ſacrificia obtulit Pacifica nimirum, qualia in gratiarum compenſationem pro Beneficiis offerre mos erat.

*Sponſus poſt victoriam de aſſinibus reportatam, Sacrificium Pacificum obtulit in Templo.*

8. At de hoc victimarum genere id notandum, quod Abulenſis ſuggerit quæſt. 17. in cap. 6. Numerorum: *Adhuc autem alia eſt cauſa, quare offerat Nazaræus hoſtias pacificas, ſcilicet propter gaudium completi voti: Nam hoſtia pacifica cedebat pro maiori parte offerentibus; cùm Deo ſolùm prouenirent adipes, & ſanguis, vt patet* Leuit. cap. 3. *Sacerdotibus autem de iſtis hoſtijs proueniebat pectuſculum & armus dexter, vt patet* Leuit. cap. 7. *cæteræ autem carnes offerentibus proueniebant: victimæ ergo pacificæ erant ad gaudium ipſorum offerentium, quia comedebant partes earum; holocauſtum verò, & hoſtia pro peccato totaliter proueniebat Deo, & Sacerdotibus, offerentibus autem nihil: & de his hoſtijs Pacificis comedebant offerentes intra ſanctuarium in atrio eius, & lætabantur coram Domino, vt patet, Deuter. 12. & 16. Ioſue* cap. 8. *poterant etiam conuocare omnes Amicos ſuos ad comedendum de ijs victimis, dum tamen eſſent mundi, qui poſſent intrare in ſanctuarium, quod patet Deuteron. cap. 12. vbi, qui offerunt hoſtias pacificas conuocant filios, & ancillas, ſeruos domus ſuæ, peregrinos, & aduenas, & pauperes Leuitas ad comedendum de illis:* Ergo prandentibus omnibus Amicis & conſanguineis apud Sponſum, quin & exterorum multis, vultis non doleat Sponſa, ſe interim cum Puellarum turmis deſtitutam? conqueritur itaque, & iubet vt ſe attrahat, ituram cum Virginibus ſuis celeri greſſu, *in odorem vtique vnguentorum.* Nimirum in conuiuiis vnguentorum magnæ profuſiones, Athenæus Dipnoſoph. lib. 15. ex Hiſtoriarum Poſſidonij lib. 28. *Syros in epulis Regum, vbi datæ coronæ ſunt conuiuij, ingredi quoſdam cum vtriculis vnguenti Babylonij, qui procul Menſam circumeuntes, accumbentium coronas eo irrorant:* & de Alexandro Macedone lib. 12. *Rigabat etiam pauimentum exquiſitiſſimis vnguentis fragrantîque vnguento, vrebatúrque illi Myrrha cum alijs ſuffituum generibus:* Num Puellarum id munus? Sanè idemmet Author lib. 4. de nuptiali ſympoſio, quod à Carano datum quopiam: *Cantus* (inquit) *illæ, modóſque exorſæ, confeſtim abierunt; móxque aliæ ſucceſſerunt, vnguentaria vaſcula ferentes, vnaquæque duo, aureâ faſciâ colligata; alterum aureum, alterum argenteum:* certè Sponſa paulò inferiùs, dum Maritus epularetur, Nardino ipſa vnguento perfudit accumbentem: igitur, vt & illa poſſit, eiúſque famulæ Hoſpitibus miniſtrare, Sponſi ſaltem irrorare capillos & verticem pretioſioribus vnguentis, rogat, vt vocet ad ſe Maritus. Sed in-

Toſtat.

Leuit. 3.

*Hoſtiæ Pacificæ maior pars cedebat offerentibus.*

*Tota familia ad Hoſtiarū pacificarum epulum conuocata.*

Athenæus. Poſſidon.

*In conuiuijs vnguentorum profuſiones: puellarum munus.*

Idem.

quis, longiùs aberat, Sponſum Ieroſolyma tenebat, vxor Libano morabatur: Verùm ad genialem Menſam, & qui diſtabant inuitabantur: Ambroſius ſerm. 6. *Vnum ſcio, quod ſi quis illa die honoratus, & diues ob natalem filij ſui ad decimum vſque milliarium, ad prandium rogauiſſet; propter accuratas eius epulas, & inæquales menſuras, abſque dubio vos ituros eſſe.*

*Etiam procul abſentes, ad genialē Menſam inuitati.* Ambroſ.

9. Verùm, cur in hunc locum epulum ſacrificale reiectamus? Equidem in nuptiis ſacrificium vel inter Paganos. Tacitus lib. 11. c. 9. *audiſſe Auſpicum verba, ſubiſſe, ſacrificaſſe apud Deos.* Maximus Monachus in ſcholiis ad ep. 8. Dionyſij Areopagitæ de nuptiali feſtiuitate: *Nullì per eos dies licebat geſtitare quicquam lugubre, ſed ſpectacula ſacrificiáque in dies ſingulos celebrantur.* Apuleius Myleſiarum 4. *Ad nuptias officio frequenti cognatorum, & affinium ſtipatus, templis, & ædibus publicis victimas immolabat.* Tritum illud ex Valerij Flacci lib. 8. Argonaut.

*Inde vbi ſacrificas cum coniuge venit ad aras,*
*Auſonides, vndique adeunt, pariterque precari*
*Incipiunt.*

Tacitus.

*Sacrificia in nuptijs.*

Maximus Monach.

Valer. Flac.

At ſacrificia Iudæorum de hoſtiis Pacificis, tum quia in rebus lætis vſus talium victimarum, vt docebat nos Toſtatus numero elapſo, quare 1. Regum c. 11. verſ. 15. auſpicia Monarchatus Saülis talibus celebrata hoſtiis, nam *immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino; & lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël nimis:* tum, quia licebat offerentibus conuocare Socios, & epulas inſtruere, quòd potiores Hoſtiæ partes ipſiſmet cederent, atque vt erant guloſi Hebræi, hunc ob finem frequentiſſimè eas ſiſtebant victimas altaribus: *omnes autem communiter* (ait Toſtatus quæſt. 8. in cap. 1. lib. 1. Regum) *hoſtias pacificas offerebant, quia de iſtis offerentes accipiebant partem quandam: vnde non ſolum ad honorem Dei, ſed etiam ad iucunditatem, & epulas ſuas Iudæi hoſtias pacificas offerebant; & ob hoc plures de eis offerebant hoſtias pacificas, quàm holocauſta, quia de holocauſtis nihil percepturi erant, cùm omnia cremarentur.* Iam verò illud percipiendum eſt, Iudæis nunquam licuiſſe ſacrificare alio loco, quàm vbi vel tabernaculum, vel arca commoraretur, quanquàm de Hoſtiis ſpontaneæ religionis Hebræorum Rabbinos quoſdam ſequutus Nicolaus aliter opinetur ad c. 12. Deuteronomij, quem refutat Abulenſis q. 4. in id capitis: At conſentiunt vterque Templo Hieroſolymitano fabricato, niſi cum diſpenſatione Numinis, illicitum fuiſſe altero ſacrificaſſe loco: Sequuntur Oleaſter, atque Bonfrerius ibi, ipſeque Textus manifeſtat: Ribera itidem lib. 4. de Templo cap. 2. Azorius tom. 1. Moral. Inſtitut. lib. 6. cap. 52. habebant quidem in vrbibus aliis, in oppidis, atque pagis Synagogas, ſed quem in vſum, Abulenſis patefacit tom. 6. in Matthæum, quæſt. 14. in c. 23. *Pro quo ſciendum, quod in terra Iudæorum erat vnicus locus Templi, in quo fiebant ſacrificia, & cæteræ cærimoniæ diuini cultus, vt dicitur Leuit. 17. & Deuter. 12. & ſi quis alibi templum conſtitueret, vel ſacrificia faceret, nefas erat; ſic innuitur Leuit. 17. & Ioſue 22. & Deuter. 12. & ad hunc locum veniebant omnes Iudæi maſculi ter in anno ad tres ſollennitates, Exodi 13. & 34. & ibi offerebant ſacrificia ſua & munera: per ſingula autem loca Iudæorum terræ, erant domus quædam deputatæ ad orationem omnium, qui in loco erant, quas Synagogas vocabant; & in his non fiebant ſacrificia aliqua, neque oblationes, aut cærimoniæ diuini cultus, ſed ſolum conueniebant omnes ad orationem diebus Sabbatorum, & alijs feſtiuitatibus,* &

1. Reg. 11. 15

*Hoſtiæ Pacificæ in rebus lætis, eaque Iudæis frequentes, quia ex eis epulum ſocijs ſibique parabant.* Toſtat.

*In ſolo Templo ſacrificabāt Iudæi, nec alibi licebat, niſi cum diſpenſatione diuina.* De Lyra. Toſtat.

Oleaſter. Bonfrer. Ribera. Azor.

Toſtat.

*Quid Iudæorum Synagogæ, & in quē vſum?*



*& proponebatur ibi verbum Dei ab eis, qui periti erant, Actor. 13. & 15. Si autem prædicare quis vellet in templo Domini, accipiebat poteſtatem ab eo, qui præerat templo: ſi autem in Synagoga aliqua, accipiebat poteſtatem ab eo, qui Synagogæ præerat,* &c. Cùm igitur eum deſcribat Principem noſtrū Epithalamium, qui præter alias Animi egregias dotes, inſigniter pius ſit; certè omittere non potuimus, quin ſignificaremus, ab eo cumulatas gratias Deo relatas ob felix, & optatiſſimum Matrimonium, gratiæ autem offerebantur per victimas pacificas in ſacrificiis: Quando igitur Hoſtias immolaſſe affirmaremus? reliquo nempè decurſu Epithalamij? Atqui eum ſemper Libanus tenuit ab illis verbis huius primi capitis: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te,* &c. quæ propediem inſtant, vſque ad exitum Carminis: Libano autem ſacrificare non potuit, cùm nec alicubi extra Hieroſolymitanum templum, vt perſpeximus: probè igitur Sacrificale epulum in ea temporis ſpatia conuertimus, quibus Metropoli verſatus eſt: illa autem fuerunt, cùm ea prolata ſunt, quæ primum hoc caput per octo priores verſus complectitur, in quibus verſibus hic aptior locus vt inſeratur.

10. Inter nuptiales ritus ab aliquibus numeratum, vt iugo ſubmitterent colla, ferréntque tantiſper Nubentes: probat Noſter Delrius in Senecam Tragœdum, ad verſum 361. Troados, ex Iſidoro Hiſpalenſi, & Seruio Grammatico: admittunt Alexander ab Alexandro lib. 2. Genialium cap. 5. Pontanus ad verſum 15. Æneid. 4. Certè nihil frequentius in Poëtarum Muſis iugo maritali, citat multa Ludouicus Dorleans ad lib. 11. Annalium Taciti, pag. 599. deſpicit Zerda abſurdiorem cærimoniam, neque ſi vſpiam, nonniſi inter Barbaros, quare in dictū ex 4. Æneidos verſum 15. metaphoricè ſcriptum augurat de iugo quod ſit pronunciatum, certè & ad Hieroglyphicū refert Pierius Valerianus lib. 48. de concordia & pace, de æqualitate coniugum, de fœderis indiſſolubili vinculo, de onerum communi tolerantia. Agnoſcit verò Zerda Nubentes vittâ contegi ſolitos ſuper vtroque expanſâ, quaſi innecti videantur, quo pacto Boum ceruicibus iuga loris aptantur: equidem Iunonis peplo apud Ethnicos, quæ Dea coniugiorum Præſes, cooperiebantur in Matrimonia coeuntes: Propertius lib. 4. eleg. 4. eius Diuæ verbis:

*Commiſſas acies ego poſſum ſoluere, nuptæ*
*Vos medium pallâ fœdus inite mea.*

*Iugum Nubentibus olim impoſitum.*

Delrius. Iſidor. Seruius. Alexand. ab Alex. Pontan. Dorleans. Cerda.

Pierius.

*Vittâ ſeu peplo obumbrati Nubentes.*

Propert.

Apud Hebræos Vir nouæ Sponſæ caput pallij extremo abſcondebat, hoc illud Ezechielis c. 16. verſ. 8. *Et expandi amictum meum ſuper te;* ita exponit noſter Sanctius, & morem Hieronymi atque Lyræ teſtimoniis corroborat, quam & hodiernam Iudæorum eſſe conſuetudinem aſſeuerat: vtrumque & Serarius dicit quæſt. 7. in c. 3. Ruth, num. 2. nempè Rutham Booz nuptias expetiſſe, cùm eius capitis verſ. 9. ait: *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es:* poſtremò & in Catholica Eccleſia, vt aduertit Bellarminus de Matrimonio capite vltimo, velamine obnubuntur vxor atque Maritus, & vittâ partim candidâ partim purpureâ ſimul iunguntur: ſanè de velamine Ambroſius ep. 70. ad Vigilium, quæ eſt 1. lib. 9. *Nam, cùm ipſum coniugium velamine Sacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat,* &c. Ergo nuptialem diem implorat, dum trahi cupiat, nempè, vt vel iugum ſubeat, aut vittas accipiat, quæ catenarum inſtar vinciant, & rapiant, ferántque cunctantem: equidem iugo ſup-

Ezech. 16. 8. Sanchez. Hieronym. De Lyra.

Serarius.

Ruth 3. 4.

Bellarm.

Ambroſ.

*Nuptiarum velamen in Eccleſia antiquum.*



poſiti Tauri impoſitos trahunt, ſed & ipſi trahuntur per habenas, per lora; quare Oſeæ c. 11. v. 4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis,* ſed continuò poſt tractum & vincula, iugationis meminit: *Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum.* Verùm, quomodo à Sponſo poſtulat, vt trahatur, cùm idem cum eo iugum portet, & paribus ferantur veſtigiis? Fortaſſe oratio eſt ad Sponſi genitorem, vt ille iugum imponat, connubio nimirum iungat; quem inuocat, vt nurum agnoſcere neque deſpiciat, nec recuſet: Sanè & prima illa huius capitis verba: *Oſculetur me oſculo oris ſui;* Sponſæ eſſe preces ad Patrem Sponſi, Origenis eſt cogitatio hom. 1. ex quattuor in Cantica: quâ admiſsâ conſtructione, Pediſſequarum erunt ſequentia verba: *poſt te curremus in odorem vnguentorum,* vt ſpes ſit eis, quando Sponſa Regina effecta ſit, & primaria vxor, illæ ſecundariæ fiant: quo pacto & in Pſalmo 44. huic cognatum v. 15. *Adducentur Regi Virgines poſt eam: Proximæ eius afferentur tibi: afferentur in lætitia & exultatione:* itaque & iugum Maritale famulæ inter Concubinas numeratæ, ſubituræ: ſed quo pacto current iugo oneratæ? nempe ab Vnguentis & Oleo emollietur iugi durities, ſic enim apud Iſaiam cap. 10. verſ. 22. *Computreſcet iugum à facie olei,* hoc eſt, vt exponit Sanctius, *Iugum, quod propter pondus, & duritiem videri poſſit ferreum: ſed ego contrà parabo oleum, quo illud tanquam fictile vas ſoluatur & putreſcat.*

Oſee 11. 4.

*Hemiſtichij huius altera expoſitio.*

Origen.

Pſal. 44. 15.

Iſai. 10. 22. Sanctius.

11. Quod ſi cui demum arrideat Explanatio ſuperioris verſus illa, qua oſtendimus coronandum Sponſum oleagino ſerto, ob triumphum quem reportarat de Affinium atque Amicorum ea parte, quæ repugnabat Matrimonio cum ruſtica Sponſa; nunc pollicetur Virgo, ipſam cum Puellis ſuis victoriam celebraturas; ſiue, quod ſuffitus & vnguenta ſpargerent in viis, qua de re in aduentu Imperatorum, publicíſque ouationibus Bullingerus lib. 3. de Imperatore Romano c. 8. ſiue quod cantu & Muſicâ proſequerentur: Id enim & Virginibus permiſſum: nam Regum 1. c. 18. verſ. 6. *Porrò, cùm reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, & ferret caput eius in Hieruſalem, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël, cantantes, choróſque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris, & præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia.* Seneca ep. 29. *Cæterùm, ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi; ſi intrante te, plauſus, & Pantomimica ornamenta ſtrepuerint; ſi tota ciuitate fœminæ, Puerique laudauerint.* Silius Italicus de Magone cum Triumphi nuntio Carthaginem intrante, lib. 11.

*Alia item Expoſitio.*

Bullinger.

1. Reg. 18. 6.

*Puellæ, pueri, ſeneſque olim cantibus victores excipiebant.*

Seneca.

Sil. Ital.

*——illum vndique Matres,*
*Illum turba minor, moniti laudare nepotes,*
*Et ſenior manus, & iuxta populúſque, Patréſque.*

Quin & verecundiores, & quibus erubeſcentia in publicum exiſſe, tamen ſub magna lætitia, qualis triumphorum, clauſtra deſerunt: in tertio Honorij Conſulatu Claudianus:

*Quanti tunc iuuenes, quantæ ſpreuêre pudorem*
*Spectandi ſtudio Matres, puerique ſeueri*
*Certauêre ſenes.*

Claudian.

Sic in Lycurgo Plutarchus: *Sequebantur, hinc grex iuuenum collaudantium eum & extollentium: hinc Caterua mulierum, Carmine virtutem celebrantium, & vitam eius in cœlum ferentium:* Et quàm vulgare inter Hebræos, vt fœminæ cantarent ſiue in luctibus, ſiue in proſpera fortuna; monſtrauimus Tomo 1. Anteloquio quinto, ſect. 3.

Plutarch.

12. *Variæ huius verſus lectiones, varij ſenſus.*

Varietas & in Textu, & in lectionibus hoc loco: Nam Hebræa Originalia *In odorem vnguentorum tuorum*, non habent, quæ à L X X. adiuncta ſunt claritatis gratiâ & inſtar Paraphraſis, quem illis eſſe morem nonnunquam Volumine 1. aduerti, Anteloquio 7. numero 2. vidit Bon-

Bonfrer.

frerius Præloquiis in totam Scripturam, cap. 16. ſectione 6. Mirum tamen quorſum Ambroſius

Ambroſ.

lib. de iis qui initiantur Myſteriis, cap. 6. *In odorem veſtimentorum tuorum*, contra omnes tranſlationes, quarum nobis relicta veſtigia, poſuerit, niſi in librarios referamus, ſi fortè pro vnguentis veſtimenta repoſuerint: At celebris verſio à noſtro diſcrepans Interprete illa eſt L X X. Senio-

LXX.

rum: *Traxerunt te: poſt te Curremus*, &c. Sequuntur ex Græcis Origenes homilia 1. ex duabus, & ex quatuor, Niſſenus primâ itidem homiliâ, Euſebius Pamphyli apud Merſium, Theodoritus, Philo Carpathienſis, Matthæus Cantacuzenus. Ambroſius, etſi libro de Iſaac & Anima cap. 3. ſubiicit, *attrahe nos*, ſed tamen loco ſuperiùs nominato cum hac lectione copulat illam Græcorum: *attraxerunt te*, quo pacto Origenes effert quoque, niſi quod declarat magis, inquiens: *Attraxerunt te poſt ſe:* Senſus eſſe valeat, vt quàm ſi nobilior Sponſi Amor iuuencularum affectu, innoteſcat: nimirum, ob munera, ſcilicet propter vnguenta, quæ Sponſus copioſè indulſit, illæ commotæ ſunt: *Oleum* (ait) *effuſum nomen tuum, ideò Adoleſcentulæ dilexerunt te:* Sponſus vero illas adamat, non quòd ab eis quidquam Beneficiorum retulerit, ſed quia dilexerunt eum: amat propter amorem, non propter dona: *Adoleſcentulæ* (inquit) *dilexerunt te:* Statímque ſubnectit; *traxerunt te:* hoc eſt, idcircò traxerunt, quia amauerunt, neque enim te tam clarum & generoſum Principem præter Amorem aliud incitaret: Spiritaliori ſenſu benè exponit Vincentius Vinc. Riccar.

Origen. Greg Niſſ. Euſeb. Theodoret. Philo Carp. Cantacuz. Ambroſ.

Riccardus Notis ad Cantacuzenum. Cæterùm Ordinarij Interpretis lectio antecellit, probat namque Sponſam ingenuè diligentem: quippè de Pigmentis, quæ diſtributa ſunt Principis iuſſu inter Puellarum cohortes, cùm dixiſſet, aiens: *Oleum effuſum nomen tuum*, ſubiunxit, ob hanc munificentiam ſtimulatas, vt amarent: *ideò Adoleſcentulæ dilexerunt te*, id eſt, ob hoc potiſſimum, primóque loco: ego etiam propter Beneficia adamare cupiam, id quoque decorum, at primariò dilexero te propter te: Igitur illas dona traxerint: Tu me trahe: & cùm ob te primùm traxeris, ſecundò trahe ob munera, nam & illæ, & ego pariter *curremus in odorem Vnguentorum tuorum poſt te.*

# Explanatio in eundem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto, & Eccleſia.*

*Textus:* Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. *cap.*1 *verſ.*3.

*Chriſto in limbum deſcendenti congratulationes ob victoriam per crucem: Ioannes cap. 12. alludens ad Salomonis verba: Synagoga in credendo ſegnis, & moroſa; Eccleſia Catholica feſtina: trahi à diuina gratia, quid, ex vera ſignificatione? Caluinus refutatus.*

### Sectio Vnica.

13. QVOD in Explanatione Hiſtorica aſſeueratum eſt à nobis, Sponſum Hieroſolymitano in templo gratias religioſas exhibuiſſe Numini, pro Victoria, quam de iis conſequutus ſit, qui Matrimonio obſtabant; Quódque diximus eidem grandi cum lætitiâ omnes ordines congratulatos fuiſſe: ad Chriſti ſepulcrale triduum (quæ eſt hactenus tradita Myſtica enodatio,) referri valeant: Nam & tum ad limbum eius Sanctiſſima deſcendens Anima, cùm ſtiparent vnà cum glorificatis Iuſtorum mentibus ab Empyreis ſedibus lapſi Angelici Spiritus, vniuerſi cum eo communes gratias egerunt Deo, quod deleſſet Chirographum mortis, & Principatus atque Poteſtates ſpoliaſſet: Sed

*Gratulationes, gratiarúmque actiones, in triduo mortis, Chriſto, à SS. Patribus, Angeliſque exhibita.*

& congratulati ipſi ſunt ſubmiſſi atque venerabundi: qua de re Suarius tom. 2, in 3. part. Com- Suarius.

mentario in art. 2. quæſtione 52. Quantò veriùs ei dicerent antiqui progenitores eius ex ſtirpe Abraham, quod Ioachimus ſummus Pontifex, poſt decollatum Holofernem Iudithæ, capite 15. verſ. 11. *Tu gloria Hieruſalem, Tu lætitia Iſraël, Tu* Iudith. 15. 11.

*honorificentia populi noſtri*, quin & terrarum cunctarum, & Olympi ſimul ſupremum faſtigiū. Quid igitur Sponſa? Velítne his intereſſe gaudiis? Certè quidem: At non videt mortuum eſſe Dilectum, iacère exanimum corpus ſub frigido marmore: cupiátne & per mortem comitari, & in Inferorum loca deſcēdere? Sed quid ei mors aut vita pręMariti Societate? *Trahe me*, inquit, etiam *in odorem vnguentorum tuorum:* quorumnam? an aromatum illorum, quibus illitum eſt Cadauer? ergo mori non renuat atque ſepeliri quò cum Dilecto coniungatur? Mortémne arbitramini timuerit? Quid ergo ſeparauerit eam à charitate eius quem deperit Chriſti Ieſu? *An tribulatio? an anguſtia?* Rom. 8. 36.

*Animoſus amor Sponſæ totus in dilectum anhelans.*

*an fames? an nuditas? an periculum? an Perſecutio? an gladius? Sed neque mors neque vita:* Rom. cap. 8. verſ. 36. Pudeat intellexiſſe non ardentiores eſſe eius flammas prophani incendij Vulcano, & tamen de Pagana vxore, Statius Syluar. libro 5. Carmine 1.

*Parua loquor; tecum gelidas comes illa per Arctos,* Statius.
*Sarmaticáſque hyemes Iſtrúmque, & pallida Rheni*
*Frigora, tecum omnes animo durata per æſtus;*





*Et ſi caſtra darent, vellet geſtare pharetras,*
*Vellet Amazoniâ latus intercludere peltâ.*

Eidem & facilè adaptari valeat, quod de humana Sponſa docuimus, mœſtam, & incomptam domi iacère, quoad vir eius ſit abſens, nam tota in amaritudinibus erat Eccleſia ſancta illud per triduum: illud inſuper, quod ſit conqueſta de Marito, derelictam ſe ab illo, cùm tamen de Sponſaliorum legibus eſſet, vt ab ipſa Sponſionis die Virgines iiſdem cuſtodiendæ traderentur, quibuſcum nuptialia fœdera iniuerant, & à quibus pollicitationes acceperant fidas de ſequuturo Connubio.

14. *Hic Cantici locus bene conuenit cum v. 24. & 32. c. 12. Ioann.*

Sed vt hunc locum venuſtè pertractemus, meminiſſe oportet illorum, quæ Veſtigatione antecedenti, à numero 44. diſſeruimus, de optione Chriſto Domino factâ à genitore ſiue paſſibilis, & ærumnoſæ vitæ, ſeu impaſſibilis, honoræ, iucundiſſimæque; at verò, vt cuperet ſaluum fieri genus humanum, neque ſolum Iſraël, ſed populos gentium, Crucem ei ſubeundam fuiſſe, humiliandúmque formâ ſerui admiſsâ: hæc elapſi verſus indicare ſenſum, vt propterea *Oleum exinanitum dictum* ſit Nomen illius, quia ſe demiſerit vſque ad inferiora terræ, & attritus atque vulneratus eſt propter ſcelera noſtra: at momentaneum & leue fuiſſe ei tribulationis pondus, quod noſſet, diligendum ſe ab Adoleſcentularum infinitâ multitudine, hoc eſt, à nationibus, quæ Dæmoni ſacrificabant. Verùm hoc, quod ſignificatum dictis Canticorum verbis expreſsúmque aliis Bibliorum Phraſibus, de quibus citatâ egimus Veſtigatione, Ioannis cap. 12. ſemel, atque iterum egregiè manifeſtatum: nimirum illâ clau-

Ioan. 12. 24. ſulâ verſ. 24. *Amen, amen, dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert:* de optione Chriſto Seruatori facta expo-

Gab. Aluar. nunt noſtri Gabriel Aluarez ad verſ. 10. cap. 53. Iſaiæ, fusè quidem à num. 147. Ioannes Antonius

Velaſquez. Velaſquez tom. 1. in epiſt. ad Philipp. Annotatione 1. ad verſ. 7. cap. 2. num. 1. Cæterùm, quicquid de optione Chriſto facta; nomine fructus multi, atque copioſi, gentium quoque Vocationem agnoſcunt libenter Interpretes: paulò verò in-

Ioan. 12. 32. feriùs verſ. 32. iterum Redemptoris voce: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum (hoc autem dicebat ſignificans, qua morte eſſet moriturus.)* Omnia ſanè, ne intelligeret ſuperbiens Hebræus, ſaluandos tantùm, qui erant de ſemine

Maldonat. Abraham, vt Patrum allatâ Cateruâ Maldonatus demonſtrat: cur autem Trahendi vſus dictione? Vt denotaret etiam reluctante Aduerſario, & fremente Tartaro, erepturum ſe homines de poteſtate tenebrarum: igitur præclarè Sponſa, quæ Paſſione functum, & mortuum alloquebatur, ait: Trahe me, ſcilicet Eccleſiam conflatam de gentibus, nam iam extincta eſt Synagoga, periêre legalia illa, magnum Iſraëlis onus: Geni-

Pſalm. 2. 8. tor pollicitus eſt per os Dauidis, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſal. 2. v. 8. Vtique ſpopondit, modò animam poneres pro iniquis: Ecce iam ſublatus es, iacet in ſarcophago Cadauer, vitam dediſti pro malefactoribus, Oleum euacuatum nomen tuum, quia humiliatus es vſque ad mortem, Trahe igitur me, quoniam ſi exaltatus fueris, omnia ad teipſum trahes: itaque reſpondet hic Canticorum locus, *Trahe me*, illis ex Ioanne verbis: *Omnia traham ad me ipſum.*

15. Animaduertenda autem hîc magna differentia inter fidem Iudæorum, & eius populi, qui ab idololatria conuerſus eſt poſt Euangelium publicatum: Nam hîc Sponſa ſub voce Conuerſorum ex gentibus: *Curremus* (ait) *poſt te in odorem vnguentorum tuorum:* Certè imitationem vitæ Chriſti ſpōdet; hoc illud, *poſt te:* Sed quantis hæc impedita ſcopulis, præſertim in renunciantibus ſeculo? Quàm laxa autem Hebræorum diſciplina, oſtenſum Volumine noſtro 1. Anteloq. 7. ſect. 12. tamen per ardua & implanata currit Eccleſia poſterior: lenta prior illa atque moroſa, quanquam offendiculo ſemitæ carerent: hinc illi Seruatoris gemitus Matthæi capite 11. verſ. 21. *Væ tibi Corozain,* Matth. 11. 21.

*Currit è gentibus Eccleſia in odorem vnguentorum Chriſti: lenti verò, ſegnéſque ſemper Synagogæ greſſus.*

*væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent:* Senſus eſt: nouiſſe Chriſtum per ſcientiam conditionatam, quâ futura libera contingentia ex Hypotheſi certò & infallibiliter immediatè in ipſamet eorum veritate pertingebat, vrbes illas Tyriorum, Sidoniorúmque, quanquàm à Paganis incolerentur, atque Ciues, propter & delicias locorum, & cum opibus aduectas omnes voluptates, (celeberrima námque erant emporia,) per vitiorum cunctas irent formas, tamen ſi æqualibus auxiliis internis, externíſque donati fuiſſent, acturos delictorum enormem pœnitentiam, in cilicio, námque & cinere; Verùm pro noſtro ſcopo, Emphaſis eſt in dictione, *Olim*, hoc eſt, vti eleganter Maldonatus: *Iamdiu, non expectaſſent tamdiu,* Maldonat.

*quàm vos, non tot exhortationes, non tot miracula deſideraſſent:* Id enim eſt, quod Sponſam exprobrare aſſirmamus, in credendo tædia & longitudinem ſummam: quare & idem Dominus Chriſtus rurſum increpat ab Ethnicis mutuato exemplo, Matth. cap. 12. verſ. 41. *Viri Niniuitæ ſurgent in* Matth. 12. 41.

*indicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce pluſquam Ionas hîc:* Quamobrem Luc. c. 24. verſ. 25. Redemptor proficiſcentibus in Em- Luc. 24. 25.

maus: *O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ:* Sed ab antiquo per Ezechielem capite 3. verſ. 4. *Et dixit ad me,* Ezech. 3. 4.

*fili hominis, vade ad domum Iſraël, & loquêris verba mea ad eos: Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris ad domum Iſraël: neque ad populos multos profundi ſermonis, & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermones, & ſi ad illos mitterêris, ipſi audirent te: domus autem Iſraël nolunt audire te, quia nolunt audire me: Omnis quippè domus Iſraël attritâ fronte eſt, & duro corde:* Nempè, ſi ad prædicandum nationibus mitteretur, qui ſunt illi populi ignotæ linguæ, vt horum verborum Interpretes concedunt, citò colla ſubdidiſſent; aſt Iudæi contumaces, &

*Domus Iſraël dura & contumax.*

vt credant tandem, ſerò id, atque ſpatiosè: vt non malè comparauerit Iſidorus Hiſpalenſis Iſidor. Hiſp.

impio Caino, cuius inter ſacrificij næuos, quod procraſtinauerit, notatum à Philone, atque Ambroſio, textúſque ſacer indicat palàm, Geneſ. capite 4. verſ. 3. *Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino:* Sed populus nationum eſt iunior filius Abel ſincerus, de cuius in credendo obedientiâ feſtinâ

Philo. Ambroſ. Geneſ. 4. 3. *Lentus Cain, Synagoga: feſtinus Abel, Eccleſia.*

ſtupefactus Iſaias capite 66. verſ. 8. *Quis audiuit* Iſai. 66. 8.

*vnquam tale? aut quis vidit huic ſimile? numquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul, quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?* de qua vaticinatione Euſebius à Leone Caſtrenſi productus, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 1. cap. 4. Leo Caſtr.

*Prædicitur hoc loco* (inquit) *illud, quod admiratione* Euſeb.

*non ſolùm orbis terrarum proſequutus eſt ; verùm etiam ipſe Propheta Eſaias dum narrat, videtur non ſatis poſſe admirari, poſt Chriſti Crucem, intra breuiſſimum tempus, natum populum illum nouum præſignificatum à Prophetis ; non in vno aliquo obſcuro terræ loco, ſed qui ſe fuderit toto orbe terrarum, omnes nationes occupauerit, qui à Chriſto nomen acceperit, Chriſtianúſque appellatus ſit, & temporis momento in lucem ſit editus.*

16.
*Malè Hæretici abutuntur Trahendi vocabulo.*
Chryſoſtom.

Monendus Catholicus Lector, Trahendi vocabulo abuſos & veteres, & nouos Hæreticos, quo tolli liberum arbitrium, & neceſſitatem fatalem quandam imponi contendebant : Sic olim Manichæi, vt Chryſoſtomus homilia 45. in Ioannem teſtatur ; & recenter impius Caluinus, cuius à Stapletonio dicta proferuntur Antidotis in Euangelia contra horum temporum Hæreſes ad verſum 37. capite 6. Ioannis:

Caluinus ex Stapleton.

*Omne, quod dat mihi Pater*, &c. *Falſum* (ait) *ac prophanum eſt homines volentes trahi : Chriſtus enim pronunciauit ita efficacem eſſe Spiritus ſancti gratiam, quâ trahuntur, vt neceſſariò credant :* Verùm, vt grammaticè cauillari pergant indoctiſſimi ſectarij, tamen negare non poſſunt, quin à Latiniſſimis eo cum ſignificato vſurpetur, quod reſpuat coactionem, violentiam, neceſſitatem: nam Marcus Tullius in loquendo Princeps, libris Officiorum ſcribit : *Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem :* Atque oratione pro Archia : *Trahimur omnes ſtudio laudis, & optimus quiſque maximè gloriâ ducitur :* Verùm, neque doctrinarum, neque Encomiorum, & famæ magni nominis ſitis inuitos nos agit, vllámve ſuperinducit neceſſitatem, à quibus declinaremus, cùm tamen impetu & gaudio Spontaneo quidem feramur poſt cognitionis pulchritudinem, poſt rumoris celebritatem : Sic & Plinius lib.26. cap. 3. cùm ineſcatos ab Aſclepiade Medico ſuauiſſimè animos, atque commotos vt eius ducatum libentiſſimè ſequerentur, indicaret : *Trahebat* (ait) *præterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo ægris, dandóque tempeſtiuè :* Sed quantùm poſſit delectatio, & vt fortiter impellat, liberè tamen & cum hilaritate agitatos, Latinus Poëta celebri illo Adagiali Hemiſtichio de Ecloga 2. *Trahit ſua quemque voluptas*, expreſſit : cuius loci Commentarium cùm de noſtris eruditiſſimus vir, déque Græcis Literis atque Latinis præclarè meritus Iacobus Pontanus formaret, prudentiſſimo conſilio, non aliam exhibuit, quâ trahendi vocem declararet, emendationem, quàm de Auguſtini in Ioannem lucubrationibus, mutuatam, vt quem ſciret Oratorem in paucis egregium, ſcholæ autem Theologicæ Coryphæum ; is Tractatu 26. in Ioannem: *Trahitur animus & amore : nec timêre debemus, ne ab hominibus qui verba perpendunt, & à rebus maximè diuinis intelligendis remoti ſunt, in hoc Scripturarum ſanctarum Euangelico verbo forſitan reprehendamur, & dicatur nobis : Quomodo voluntate credo, ſi trahor ? Ego dico, parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris : Quid eſt trahi voluptate ? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: Eſt quædam voluptas cordis, cui panis dulcis eſt ille cœleſtis : Porrò, ſi Poëtæ dicere licuit, trahit ſua quemque voluptas ; non neceſſitas, ſed voluptas : Non obligatio, ſed delectatio : Quantò fortius nos dicere debemus, trahi hominem ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur Beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum Chriſtus eſt ? An verò habent corporis ſenſus voluptates ſuas, & animus deſeritur à voluptatibus ſuis ?*

Trahere *non ſemper dicit coactionem ſeu neceſſitatem.*
Cicero.
Plinius.
Virgil.
Iac. Pontan.
Auguſtin.
*Pulcher Auguſtini Tractus.*

17.
*Quid, Trahi à Deo, in Scriptura?*

Igitur Trahendi vox, cùm à Scripturis voluntati adhibetur Deo conſentienti ; omnem neceſſitatem antecedentem, quâ liberæ facultatis indifferentia obruatur, excludit : Monet autem tantam eſſe diuinæ ſuauitatis in alliciendo vim, vt præ obediendi ſtudio, ſummo niſu & alacritate feratur voluntas, raptari quodammodò & ex metaphora videatur, nunquàm tamen in parendo liberior, nunquam magis ſui iuris : atque cœleſtium illuſtrationum potentem hanc virtutem, ſi quæ Bibliorum declarat ſententia, hæc, quæ præ manibus de Salomonis Garmine: Quid enim vnguenta pollicentur niſi iucunditatem ? Delectatio verò ita vt feſtinent, mouet, quibus ambulare pigrum eſt ; currunt & abeunt veloces, & ob properandi lætitiam, tractus vocatur curſus ipſe : Huius fautores pronunciati de Cantici Enarratoribus Bernardus ſermone 21. *Quid ? Sponsáne ergo neceſſe habet trahi, & hoc poſt Sponſum ? Quaſi verò inuita eum, & non libens ſequatur : Sed non omnis qui trahitur, inuitus trahitur.* Philippus Abbas lib. 1. cap.13. *Trahatur inquam, non violentiâ, non moleſtiâ, non timore, non tracti, vel trahentis odio, ſed amore ; tractu illo, quo Alumnus trahitur poſt nutricem, quo vel Patrem filius, vel filia ſequitur genitricem : Imò tractu, quo diligens in Dilectum, eò gratiùs, quò ſuauiùs defatiſcit, dum obtinere deſiderat, & deſiderare inſatiabiliter concupiſcit.* Commentarius, qui anno 1634. Lutetiæ prodiit cum opuſculis S.Thomæ, & memoratur eſſe, quem in Monaſterio Foſſæ Nouæ dictauit morti proximus : *Notandum autem* (inquit) *quod cùm Sponſa dicit ſe curſuram ad tractum Chriſti, confitetur eius tractum non eſſe violentum, ſed ſuauem, nam currere eſt voluntate moueri : rurſum confitetur talem tractum eſſe fortem, quia in curſu notatur velocitas motus, quæ ſine magna virtute eſſe non poteſt.* VVolbero Abbas S. Benedicti, qui anno 1150. fertur claruiſſe : *Talis ſanè Tractio fit hoc benigno Patre intendente, vt faciat voluntarios, non ſaluet inuitos, quatenus dum de malo mutat in bonum, voluntatem transferat, non auferat libertatem : Trahi ergo ad Deum anima optat, non ſicut inuitus aliquis trahitur, ſed quemadmodum cæcus, aut feſſus cùm trahitur, non contriſtatur ; imò potiùs trahenti, quaſi ſe ſubleuanti, & adiuuanti gratias agit*, &c. De Recentioribus Ludouicus de Sotomaior pagina 86. columna 2. *Quamuis enim anima hominis, cùm à Deo Sponſo cœleſti trahitur, efficaciter & fortiter trahatur, agatur, ſeu moueatur in his omnibus rebus, quæ ad ſalutem & pietatem pertinent ; tamen, nihilominus ſuaniter trahitur, & agitur, nec vllam violentiam patitur, ſed ſaluâ ſuâ ſponte, & libertate agitur, atque agit ita vt poſſit etiam diſſentire, ſi velit, Deo excitanti, atque vocanti, ſicut definitum eſt*, in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtificatione. Cantic.4. Titelmannus : *Niſi enim crederet Sponſa ſe ſimul cum Sponſi tractu poſſe cooperari, non ſe curſuram diceret ad tractum Sponſi :* Et cognata ferè Hieronymus Almonacirius.

Bernard.
Philipp. Abb
S.Thom.
VVolbero.
*Tractio Diuina non officit Libertati.*
Sotomaior.
Titelman.
Almonacir.

18.

At eundem Canticorum Verſum, de efficacitate diuinæ perſuaſionis, per media, quibus nouit condelectandam voluntatem, quæ propterea dexterrimè impellant, Auguſtinus interpretatus eſt, quo dixi tract. 26. in Ioannem: *Da amantem, & ſentit quod dico, da deſiderantem, da eſurientem, da in iſta ſolitudine peregrinantem, atque ſitientem, & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem ; da talem, & ſcit quid dicam : Si autem frigido loquor, neſcit quid loquor : Tales erant iſti, qui inuicem murmurabant : Pater, inquit, quem traxerit, venit ad me : Quid eſt autem, Pater quem traxerit, cùm ipſe Chriſtus trahat ? Quare voluit dicere, Pater quem traxerit ? Si trahendi ſumus, ab illo trahamur, cui dicit quædam, quæ diligit : Poſt odorem vnguentorum tuorum curremus.* Et S.Thomas in cap.6. Ioannis, lectione 5. *Si ergo trahantur à Patre, ſuâ Maieſtate allecti ; trahuntur à filio admirabili delectatione, & amore veritatis, quæ eſt ipſe filius ; Si enim, vt dicit Auguſtinus, trahit ſua quemque voluptas ; quantò fortiùs debet homo trahi ad Chriſtum, ſi delectatur veritate, Beatitudine, iuſtitiâ, ſempiternâ vitâ, quod totum eſt Chriſtus ? ab iſto ergo trahendi ſumus : trahamur per dilectionem veritatis ſecundum illud Pſ. 36. Delectare in Domino*, &c. *Hinc Sponſa dicebat Cantic.1. Trahe me poſt te*, &c. At mirifica ſunt verba Concilij Prouincialis Senonenſis Decreto 15. *Nec denique tale ſit* (inquit) *huiuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit : Fruſtra certè Stephanus Iudæos duræ ceruicis & incircumciſi cordis argueret, quòd ſemper Spiritui ſancto reſiſterent ; fruſtra Paulus Theſſalonicenſes admoneret, Spiritum ne extinguerent, ſi diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur : Trahit quidem Deus ; ſed in eius odorem currimus : non vi, non vnco raptamur :* Pro eodem interpretamenti genere, de noſtris, Maldonatus ad verſ.44. cap.6. Ioan. Pererius diſputatione 20. in idem caput, à num. 61. Suarius in Opuſculis, lib.3. de auxiliis diuinæ gratiæ, c.11. n.7. Didacus Ruizius de Montoia, de Prædeſtin. diſp.28. ſect.9. Benè autẽ obſeruat Suarez probátque ex Ioannis duodecimi capitis verbis : *Ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, quando non omnes pro quibus Seruator paſſus eſt, ſalui facti ſint, idcircò tractu vniuerſim non denotari efficacem vocationem, & quæ reipſa effectum ſortiatur, ſed nonnunquam ſolam indicare ſufficientiam, & vim quandam excellentem ad perſuadendum hominibus, qui tamen declinant ob duritiem Animi : idémque Bellarminus adſtruit lib. 2. de gratia, & libero Arbitrio, c.8. §. *Reſpondeo, falſa eſt*, &c. Gabriel Pẽnottus palàm fatetur lib.7. Propugnaculi humanæ libertatis, c.22. n.1. Ceterùm, quemadmodum eiuſmodi tractus neque in phyſicam, neque in moralem aliquam Prædeterminationem quadrent, oſtendunt abundè allegati noſtri Doctores ; modò cum Catholica ſchola aliqua nobis haud dimicandum ; tantùm de Caluini errore commonefacere voluimus, quòd trahi neminem poſſe effutiret liberè conſentientem, planè contra Auguſtinum, cuius illa lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ſub finem, cap.19. *Trahitur ergo miris modis vt velit ab illo, qui nouit intus in ipſis cordibus hominum operari ; non, vt homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed vt volentes ex nolentibus ſiant.* Itáne Caluinus fœdiſſimis ſceleribus obrutus homuncio, altiſſimum Tractionis myſterium caperet, quod ipſimet Auguſtino perplexum viſum ? *Quomodo enim attrahit* (inquit lib.2. contra Literas Petiliani Donatiſtæ, cap.84.) *ſi dimittit, vt quis quod voluerit, eligat ? & tamen vtrumque verum eſt ; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Notauit Caluini temeritatem Thomas Stapletonus in feriam ſextam primæ quadrageſimalis hebdomadæ, n.7. exponens de Ioan. cap.6. illud : *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum : iam verò hoc Donum Patris* (inquit) *quod ad Chriſtum trahimur, non eſt efficax à ſeipſa gratia, vt Caluinus dicit ; ſed eſt efficax, ſuúmque effectum ſortitur, non ſecus à libera voluntatis cooperatione, quàm ab ipſa Dei operatione, tractu & dono : hoc, niſi ipſe Auguſtinus doceat, vincat Caluinus cum ſua efficaci gratia, & liberum tollatur arbitrium : Sin verò hoc ille clariſſimus Doctor apertè doceat : Impudentiæ & mendacij conuincatur Caluinus, & omnes ſequaces eius, qui cùm Auguſtino in hac cauſa ſeſe conuenire, & hanc eſſe efficacem à ſeipſa gratiam, ab Auguſtino doceri affirmant* ; Hæc ille intelligens de Gratia ſicut à Caluino exponebatur tantùm.

Auguſtin. *Quidam de efficaci gratia exponunt hunc verſũ.*
S.Thom.
Concil. Senon.
Maldonat.
Pererius.
Suarez.
De Montoia.
Bellarmin.
Pennottus.
Auguſtin. *Caluinus in errore temerarius.*
Auguſtin.
Stapleton.



# Expoſitio Didaſcalica pro morum eruditione in eundem Verſum.

## *Textus :* Trahe me : poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum. *Cap.1. verſ.3.*

*Deipara Virgo, vt fida laborum Chriſti in terris ſocia : ita, in Aſſumptione, gloriæ conſors.*

### Sectio I.

19.
Guillelm.
Alanus.
Honorius Auguſtod.
Halgrinius.

RETVLERE ad honores Aſſumptæ genitricis Dei verba, Guillielmus, Alanus, Honorius Auguſtodunenſis, Halgrinius Cardinalis, inquiens : *Et dirigit Beata Virgo ſermonem ad filium, dicens : Trahe me poſt te, ac ſi diceret : Tu aſſumptus es ad Patris dexteram : aſſume Matrem ad gloriam :* Sed Bernardus ſermone 21. in Cantica, Tractu deſignari agones contendit ; curſu atque vnguentis iucunditatem : *Trahimur* (ait) *cùm tentationibus, & tribulationibus exercemur : Currimus, cùm internis conſolationibus, & inſpirationibus viſitati, tanquàm in ſuaueolentibus vnguentis reſpiramus :* Igitur Virgo Beata, quæ dolores, atque ærumnas vnà cum filio paſſa eſt, & diſcedentibus aliis Cruci adhæſit fortis, æquum eſt vt Regnanti aſſideat, à dexteris eius in Veſtitu deaurato : propè hunc ſenſum Richardus à S.Laurentio, lib.12. de laudibus Mariæ, titulo, *verſus ſeptimus. Propter hoc etiam videtur ipſa dixiſſe filio aſcendenti illud Cant.1. Trahe me poſt te : quaſi toto deſiderio ipſum proſequens*

*Hic B. Virgo filium alloquitur in cœlos aſcendentem.*
Bernard.
Riccard. Victor.

*proſequens Aſcendentem: Si enim ſpeciali doloris affectu comitata creditur patientem, & cum ignominia diſcedentem de mundo; cum quanto putas deſiderio proſecuta eſt aſcendentem de mundo cum gloria?*

Ioſue 10.13. *Cur cum Sole etiam Lunã ſtare iubet Ioſue?*

Ioſue dimicando aduerſum quinque Reges pro Gabaonitis, iuſſit Solem, & Lunam ſtare; ſteterúntque Sol, & Luna, *donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*, Ioſue cap.10.verſ.13. Cur noctis Præſidem Lunam ſiſtere, atque morari iuſſit? quippè Ducis ſcopus, ne præliantes tenebræ occuparent: Verùm ad hoc Phœbum radiare, ſatis, quin eo ſplendente ſororis fulgores promicare non valebant: ergóne ſuperuacuum imperium Lunæ motus cohibentis? nequaquam: rigidè & ſecundum Literam reſpondet Author de Mirabilibus ſacræ Scripturæ lib.2. cap.4. nempè, *ne cœlorum concentus perturbaretur: Non enim*(ait)*quod ad belli illuminationem Luna tunc in præſentia Solis proficeret, ſtare imperauit: Sed, ne quid incongruo luminarium meatu, per vnius quietem, & alterius curſum, deſtrueretur:* Nos myſticè dicamus, quando in Allegoria verſamur: inter Lunam Solémque diſpertitæ temporum vices, labórque & dierum & menſiũ, & annorum; illa per opacum bigas agit, hic fugat obſcura diem gubernans: aliter & diſtribuit Anaſtaſius Sinaïta, æſtatis calida & vaporantia Soli concedens, hyemis lacrymoſa in Lunam transferens: *Dicunt enim* (pronunciat lib.4. Hexameri) *qui res Solis, & Lunæ diligenter inuenerunt, quod ab his duobus luminaribus, adminiſtratur, & gubernatur, ac dependet vniuerſa, quæ eſt ſub cœlis creatura, tam animatorum, quàm inanimatorum Corporum; Sole quidem dominante æſtati, vt qui ſit elementum ſiccum: Lunâ verò habente gubernationem, & adminiſtrationem authoritatis aquæ.* Iam illud conſiderandum, quòd ſteterint aſtra egregia, velut conceſſas fuiſſe eis quieſcendi inducias, cùm vt à motu ceſſarent, intimatum: igitúrne otia captante Phœbo, non etiam Luna feriaretur? æquúmne, vt Diana oneris medium portet, noctem, brumámque regens, & à Sabbatiſmo excludatur? rectè itaque Luna ſimul ſtare iuſſa, quoniam licet ad claritatem id non neceſſarium, ad decorem tamen, ne Soli vituperium fuiſſet, Lunam velle comitem habere motus & laborum; non autẽ feriationis, & iucundioris otij: Sed quinam Sol, & Luna ſecundum arcana niſi Chriſtus, atq; Maria? Satis vulgare, eſt eiuſmodi Symbolis indicatos, & Richard. à S.Laurent.lib.7.de laudibus Virginis, pag.455. hunc Ioſue pertractans locum aſſerit: Hic ergo Sol iuſtitiæ quando requieuit? tum ſanè, quando ſuper cœlorum conuexa Triumphator aſcendit: non itaque Matrem, quæ cum eo laborauit & ſuſtinuit dum peregrinabatur in terris, ſimili proſequeretur honore? non corpore & animo in Olympum ferret ærumnarum ſociam? Rogat Dauid Pſalm. 131. verſ. 8. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ:* quæ ad verba nominatus modò Author lib.10.pagina 543. *Ideò dicit Chriſto Propheta, Surge Domine in requiem tuam,* &c. *Tu priùs, Arca id eſt Maria poſterius: hinc conijcitur, quia aſſumpta ſit ſimul cum corpore: dicitur ergo, Surge Domine in requiem tuam, poſt laborem Paſſionis, tu per Aſcenſionem, & Arca ſanctificationis tuæ per Aſſumptionem: hæc enim Arca, quando aſſumpta eſt, ſurrexit in requiem Domini, & impletum eſt illud Geneſ.8. requieuit arca ſuper montes Armeniæ.*

Author Mirabil.

Anaſtaſ. Sin.

Richard. à S. Laur. *Æquum fuit* Lunam, *Deiparam, quæ cum* Sole, *Chriſto laborauerat, cum eadem quieſcere.*

Pſal.131.8.

Richard.

Matth.25.1.

20. Decem Virgines memorat Euangeliſta, *quæ accipientes lampades ſuas exierunt obuiam Sponſo, & Sponſæ.* Matth.cap.25.verſ.1. Cur ſimul prodeunt vir, atque mulier? Nam Orientalium fuiſſe morem ſæpe indicauimus, vt à virorum diuerſoriis ſeparatas habitationes fœminæ haberent: Verùm, inquis, ob lætitiam genialem permiſſa licentia: atqui vel tum quoque ſeorſim à viris mulieres gaudia celebrare poterant, nam & exhilarandi occaſio ingens demerſo Pharaone in mari rubro, qui inſectabatur populum Hebræorum: ad ripam tamen vt peruentum, cecinêre odas Epinicias Moyſes, eiúſque Maria ſoror: verùm diſiunctim tamẽ, comitantibus Legiſlatorem maſculis; poſt germanam illius *egreſſæ ſunt omnes mulieres cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens, Cantemus Domino,* &c. Exod.cap.15. verſ.20. quare non ſic & in nuptiis? cum viris Maritus, cum Puellis Sponſa? cur indiuiſa gaudia amborum? Sanè vxor in viri adiutorium conceſſa: eo itaque foras agente, variíſque diſtracto curis; illa interim domi reſidens non ſtertit, aut accubat, ſed vel operatur lanam & linum, vel diſtribuit cibaria ancillis, vel parat Marito obſonia, denique otij impatiens, accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum: igitur quando vxor in ferendis laboribus à Marito non diuellitur, conſentaneum eſt curarum participem plauſibus frui & voluptatibus itidem: idcirco eædem quæ Sponſo obuiam proceſſiſſe referuntur Virgines, nouæ etiam Nuptæ occurriſſe dicuntur. Sponſum Chriſtum eſſe Dominum tritum multorum effatum: Quænam Sponſa? Num Deipara? Sed Mater eſt: Vxorem tamen facere ſpiritali nexu vt pote, Guerricus non recuſat Abbas, ſermone 3. de Aſſumptione: *Perge Maria, perge ſecura: in bonis filij tui fiducialiter age, tanquam Regina, Mater Regis, & Sponſa:* Certè vxor fida comes in aduerſis: Quiſnam de filij amaritudinibus guſtauit ſicut immaculata genitrix? ergo ſi filius aſcendit in ſublimia corpore, & animo fulgentiſſimus & immortalis, ſi tum Angelici ordines plauſerunt venienti alacriter; & Mater etiam corpore conſociato ſpiritui efferatur in ſuperna, eámque recipiant, quæ filio obuiam proceſsêre Mentes pennigeræ: idemmet ſtatim Author: *Indiuiduum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne tua, & vno Spiritu indiuiſum fuit Pietatis, & vnitatis myſterium; dum ſcilicet ſaluo honore naturæ, geminato munere gratiæ, iuncta eſt Mater in matrimonium.*

*Vt Prudentes Virgines exiêre obuiã Sponſo & Spõſæ, Ita Chriſto & Mariæ Mentes Angelicæ.*

Exod.15.20.

Guerric. Abb.

Idem.

21. Præliatum à Dauide, & cùm de hoſtibus erepta ſpolia diuidenda eſſent, qui Bello intererant, omnem inter ſe diſtribui prædam vociferabantur: *Non ſic facietis fratres mei* (inquit ille Reg.1. cap.30.verſ.23.) *de his, quæ tradidit nobis Dominus, nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc: æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident:* Quid? Virgo Beata, num pugnæ molem cum filio ſuſtinuit? Certè Animo paſſa eſt, & ſi corporis victimatione vel humana indigeret ſalus, vel gnatus pateretur in ſolatium, vulneribus Carnem obtuliſſet: *Nimirum in tabernaculo illo* (ait Arnoldus Carnotenſis in illud, *Mulier, ecce filius tuus*) *duo videres Altaria: aliud in pectore Mariæ; aliud in corpore Chriſti: Chriſtus carnem, Maria immolabat animam: optabat quidem ipſa, ad ſanguinem Animæ, & Carnis ſuæ addere ſanguinem; & eleuatis in Cruce manibus celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Ieſu corporali morte, Redemptionis noſtræ conſummare myſterium; Sed hoc ſolius ſummi Sacerdotis priuilegium erat, vt de ſanguine munus intra ſancta inferret; Nec poterat ei conſors eſſe hæc cum aliquo*

*dignitas:*

1.Reg.30.23.

*B.Virgo Animam pro ſalute humana ſuam immolauit, corpus quoque mactandum vltrò datura, ſi Deus annuiſſet.*

Arnold. Carnot.



*dignitas: & in Reparatione hominis, nulli Angelo, nulli homini cum eo fuit, aut eſſe potuit communis authoritas: cooperabatur tamen plurimùm ſecundum modum ſuum, ad propitiandum Deum ille Matris affectus:* Amedæus quoque Epiſcopus Lauſanenſis hom.5. de martyrio Beatiſſimæ Virginis: *Pallidus vultus Ieſu exanguem reddidit vultum genitricis: Ille Carne, illa corde paſſa eſt; Mors Domini illi amarior morte fuit.* Igitur, ſi Mater non quidem ad ſarcinas ſubſliterat, ſed & paſſa eſt, & tolerauit duriſſima, gladius námque doloris pertranſiuit animam eius, diuidat cum ea filius de Triumphis: & ſicut ipſemet Carnis circumamictus glorioſo exuuio, inter Beatarum animarum, fauſtáſque Angelorum voces aſcendit ouans tinctis veſtibus de Boſra: ita faciat genitricem aſſumi nec patiatur eius carnem videre corruptionem: debetur hoc Mariæ, quippe ipſa vt loquitur citatus Amedæus; cucurrit poſt Ieſum, non tantùm in odore vnguentorum, ſed in multitudine dolorum; non ſolùm in gaudio Conſolationum, verùm in abundantia Paſſionum: alioqui, ſi non præmiorum genitrix particeps, quomodo adimplebitur lex à Dauide lata in Iſraël, vt æqua ſit pars deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, quantò magis pugnantis, & nimium vexatæ?

Amed. Lauſ.

*Diuidat ſpolia Mater cũ Filio, quæ cũ eo pugnauit.*

22. Vix Salomon Monarcha defuncto genitore renunciatus, cùm Matre eius Bethſabæâ intrante, vt pro Adonia loqueretur, *ſurrexit Rex in occurſum eius, adorauitque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſitúſque eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius:* Cur tam officioſus erga genitricem? an quia Mater? Verùm, etſi religio in Patentes omnem exigat obſequentiam, parúmque eſt totum, quod eis defertur, tamen aliud eſt priuatè filium eſſe, aliud Magiſtratu publicè fungi, quantò potiùs Regnorum habenas moderari? dexterum igitur latus concedere quanquàm genitrici Salomonem, non erat neceſſum: Sanè legõ, quo hæc recenſentur cap. 2. ex Regum 3. cùm de medio tolli quoſdam ſcelerum reos nouus præcepiſſet Monarcha, tamen Abiathari condonatum ab illo; *Sed hodie* (ait) *te non interficiam, quia ſuſtinuiſti laborem in omnibus, in quibus laborauit Pater meus*; ergo Sacerdos hic, quoniam ærumnarum, quas ſuſtinuit Dauid, comes fuit, morte vindicatur: Atqui Bethſabæa triſtata eſt, & indoluit ob iniquam Salomonis fortunam, quippè meditabatur Adonias regnum illi ereptum in ſe transferre: tunc autem diligens Mater Bethſabæa impigrè laborauit, tandémque & regnum Salomoni conſtabiliuit: horum igitur memor Salomon præcepit thronum genitrici apponi, in qua & ipſa maieſtate verenda, conſideret, æquum reputans gloriâ condecorare eâdem mœroris quondam ſociam, & aduerſarum rerum: commune eſt hæc Virginis Beatæ Aſſumptioni accommodaſſe. Richardus à S. Laurentio lib.6. de laudibus Mariæ, pag.416. *Vnde, à dextris tuis, id eſt, in potioribus bonis tuis; qui videlicet conſeſſus deſignatur, 3.Reg.2. vbi dicitur, quod Berſabeæ poſitus eſt thronus regius, & ſedit ad dexteram Regis Salomonis*; Equidem tantus honor ob maternam dignitatem; ſed tamen illi conceſſam genitrici, quæ dolorum filij conſors extitit, quæ cum eo perpeſſa eſt tum, quando Regem nolebant impij Iudæi: & quidem Dauid, vt perſpeximus numero antecedenti, æquam eſſe voluit partem manentium ad ſarcinas, & deſcendentium in prælium; noſter verò Pacificus Salomon, Ieſus, ſupra ſe, quæ illi compaſſa fuerat, Matrem euehit, nam à dextris ſedère compulit; ſupra ſe quidem ex humana conſideratione dexteræ meliora tribuentis vt de filio in conſimilibus Maldonatus, ad verſ.1. Pſalm.109. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: Quocirca* (ait) *ſedere ad dexteram non ſolùm ſignificat Chriſtum eſſe æqualem Patri, ſed etiam maiorem: non quidem reipſa, ſed quod attinet ad nos ex functione officij & adminiſtratione Eccleſiæ: neque enim iuxta Ioannem cap. 5. Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio:* At filium, & iudicium & miſericordiam, & vniuerſa tribuiſſe Deiparæ Bernardus velit, ſermone de Aquæductu: *Totis ergo medullis cordium, totis ergo præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur; quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos voluit habere per Mariam*; Sic igitur & ipſi Adminiſtratio Eccleſiæ à Gnato conceſſa.

3.Reg.2.19. *Vt ad Regios Matrem euehit honores Salomon, aduerſæ quondã fortunæ ſociam; Sic ad ſuos Genitricem ſuam Chriſtus aſſumit triumphos.*

Ibid.v.26.

Richard. à S. Laurent.

Maldonat. Pſalm.109.

Bernard.

---

*Spiritalium exercitiorum ſignatas Periodos non eſſe abbreuiandas ob negotioſa: non eſſe perturbandum ordinem.*

## SECTIO II.

23. FErtur quodammodò præceps Sponſa: annon raptari videatur, quæ trahitur? Certè, vt minimùm, currit: cuius tanta eſt feſtinantia, qualis eſſe poſſit ordo? quonam modo ſibi conſtans, quæ volat penè? Num in tantâ properantiâ obſeruatura ſit, an præcedat Sponſum, an eum ſequatur? ipſe curſus excuſabit ſi in anteuertendo deliquerit: Felix mulier, quam non feſtinatio cogit præſtituti ordinis tranſilire metas; currat licet, ſed poſt Sponſum, non ante eum; non confundit loca, non tempora, non perſonas: Cur tam lentus in mundani opificij fabrica Creator? non potuit vnâ die, non breuiſſimo interuallo produxiſſe vniuerſa? cur igitur ſex diebus laborauit? Annon gloria artificis ſumma velociter conſummaſſe, præſertim ſi exigui temporis opus tale euaſerit, quod cuncti infinitè demirentur, quo neque firmitate, neque mole, neque partium æqualitate quidquam præcellentius conſpiciatur? Equidem docendi erant homines illâ Dei ſtructurâ: Nam repræſentabat tum Numen eos, quibus curæ & multæ & grauiſſimæ incumbunt: Quantæ enim conſiderationis tot formaſſe elementa, & inimicæ naturæ inter ſe confœderaſſe? Quid cœlorum ornatus? quid terrarum venuſtas? quid Oceani latitudo? Quid, in homine conſociandi materia & Spiritus? O negotiorum aceruos! Ne igitur homo putaret: cùm aliæ atque aliæ vrgent curæ, licere tempora abbreuiare, & paucis, quibus immorandum erat, concludere; qui poterat momento egregiè cuncta diſponere, ſex dies operando conſumit, modò luci producendæ vacans, modò animantibus ex terra, modò aquatilibus. In hunc ſcopum Ambroſius lib.2. de Cain, & Abel, cap.6. *Námque mundus ipſe legitur factus, cùm eſſet antea incompoſita pars eius, quia terra erat inuiſibilis & incompoſita: nempe lux primùm facta eſt, & vocauit Deus lucem, & ſeparauit Deus inter lucem, & tenebras, & vocata ſunt tenebræ Nox: & per ordinem ſingula, quod facta ſint, legimus, cœlum, terra, ligna fructifera, animalia diuerſa: diſtributa autem ſunt leuiora ſuperioribus, vt aër, & ignis: & grauiora inferioribus, hoc eſt, terra & aqua. Vtique ſimul*

*Sponſa etſi feſtina, ordinem tamen ſeruat.*

*Deus in negotioſo variòque Mundi opificio, etſi momento cũcta perficere poſſet, ſingula tamen ſuo format & ordine & tempore.*

Ambroſ.

*ſimul omnia fieri iubere poterat Deus ; ſed diſtinctionem ſeruare maluit ; quam nos in omnibus imitaremur negotijs.*

24. Dum per Geraſenorum arua tranſiret Chriſtus, occurrerunt ei à Satana poſſeſſi, & quanquam aliis formidabiles, Redemptorem tamen comiter alloquuti : *Quid nobis & tibi Ieſu Fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos*, Matth. cap. 8. verſ. 29. Excepit cum ſeueritate dæmonem, cui inquit : *Exi Spiritus immunde ab homine*, Marc. cap. 5. verſ. 8. cur his circumſtantiis immundum appellat? increpatorium námque verbum eſt : quid Aduerſarius commiſit? Annon laudauit? Annon Filium Dei confeſſus eſt? certè teſtimonium ab hoſte in deſiderio conſueuit eſſe ; nempe, quod ſola veritas extorquere ſciat: Inimico igitur pro diuinitate teſtimonium ferente cur excandeſcit Seruator, & immundum nuncupat? Aliqui opinati ſubiratum propterea, quia ad torquendum veniſſe dixerat, cùm aduentus Chriſti potiùs fuerit miſerorum leuamen, lege Tertullianum lib. 4. contra Marcionem. At verò Chryſologus offenſum ſubinnuit, quòd veniſſe ante tempus aſſeuerauerint : *Authori temporum* (ait ſermone 16.) *tempus opponunt, veniſti ante tempus torquere nos?* Scilicet à Patre definitæ erant temporum metæ, quibus ad homines deſcenderet, & medelam ferret ægrotis: has igitur ſignatas vices accelerandi ſtudio à Redemptore anticipatas Inimicus impudenter mentiebatur, proinde & commutatum ordinem, quem Genitor præfixerat : Quanquàm igitur diuinitatem illius faterentur, idque æſtimatione aliqua dignum appareret, quod ab hoſte declarato procederet : quia autem his coniungere non eſt veritus, eiuſmodi fuiſſe Seruatorem, qui temporum inſtitutos limites non obſeruaret, ſed feſtinandi ardore præoccuparet, contumeliam increpatione repreſſit, immundum vocans : Fuítque ſpiſſæ audaciæ temeritas, quippè, ſi quis eius reus criminis, maximè dæmon ipſe : nam iura naturæ præſcribunt, tum foſſæ, & ſepulcris mandandos homines, cùm vitæ emenſo ſtadio Anima veterem ſocium deſerit, corpus vtique : At dæmones hi, qui Chriſto obiectabant violatas ab eo temporum leges, homines monumentis intruſerant priuſquam è viuis exceſſerant, nam tum è defunctorum cauernis proſilierant : quare dæmonum eſt anteuertere debitas temporum moras, non Seruatoris : rectè iterum Petrus Rauennas : *Tempus abſcindit, præuenit mortem, ſepelit viros crudelitas immatura, & de tempore queritur ; de tempore cauſatur nequitia ſæculi indurata.*

Matth. 8. 29.

Marc. 5. 8. *Satanam duriùs increpat Chriſtus, quod ei præproperum in terras aduentum falsò obiectaſſet.*

Tertullian. Chryſolog.

*Ipſe Dæmon tempora malè anteuertebat.*

Chryſolog.

25. Vocati ad nuptias, quæ factæ in Cana Galilææ, Ieſus & diſcipuli eius ; erat & ibi Mater Ieſu : deficiente autem Lyæo, ſuggeſſit pia genitrix gnato : *Vinum non habent* : Ioan. cap. 2. verſ. 3. non ſuſtulit mitis, ſed etiam inter conuiuij gaudia frontem quaſi contrahere viſus, ſtomachantis in morem, ait : *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Certè reprehenſionis ſpecies in verbis : at cur reprehendere viſus? Quòd miraculum fieri poſtularit? Verùm Matri cur id Chriſtus deneget, tantùm abeſt, reprehendat? Nonne ſæpe etiam ad peccatorum voces miranda operatus ſit? Annon & Spontaneus ſalutem non rogantibus obtulerit? Quod igitur extraneis conceſſum, Mater non obtinebit abſque reprehenſione? Sed animaduerte, quæ ſtatim ſubiunxit Chriſtus : *Nondum venit hora mea* : cuius ſententiæ cùm ſit nodoſus ſenſus, meliores tamen interpretes explanant, cùm Mater filio intimarat, nondum expleta fuiſſe tempora, quæ Pater filio præſcripſerat, quibus per miracula innoteſceret : At genitrix, vt culpâ omni vacabat, ſic verè à gnato increpata non eſt ; ſimulata reprehenſio tantùm : cur id? Videbatur filium rogaſſe, vt definita temporum ſpatia præoccuparet, ne obſeruaret quodammodò à Patre ſtatuta interualla faciendorum mirabilium: Vt igitur, inſinuaret, nos eſſe debere tales, quos ſi vel mortalium chariſſimi, etiam genitrix, inducere cupiant, vt anteuertamus tempora, decurtemus horas Religioſis exercitationibus præſtitutas, repellere & cum iracundia ſciamus tanquam venenatum dogma propinantes : ipſe Matrem innocuam velut increpare viſus, tum, quando apparebat incitare voluiſſe, vt præmeditatam horam accelerandi œſtro anticiparet ; pro his Irenæus lib. 3. aduersùm Hæreſes, cap. 18. *Præcognita enim ſunt hæc omnia à Patre ; perficiuntur autem à filio, ſicut congruum, & conſequens eſt apto tempore : propter hoc, properante Maria ad admirabile vini ſignum, & ante tempus volente participare compendij poculum, Dominus repellens eius intempeſtiuam feſtinationem, dixit : Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea ; expectans eam horam, quæ eſt à Patre præcognita.*

Ioan. 2. 3. *Simulata Chriſti in Matrem innocuam Reprehenſio, quod temporum ſpatia præoccupare videretur: noſtrum eſt Documentũ.*

Irenæus.

26. Pendente in ligno Seruatore Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus credere ſe velle ſpondent, modò Patibulum deſtituat: *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei*, Matth. cap. 17. verſ. 42. Cur non acquieuit precibus? an quidquam optabilius Chriſto illorum fide? propter hoc tamdiu apud eos manſit, ſanauit ægrotos, defunctos reſtituit, obſeſſos dæmone liberauit, exhortatus eſt diuinâ eloquentiâ priuatim, publicè : at certè, & quod poſtulabatur non inſuaue erat, Crucem nimirum deſerere, vitâ vlteriùs frui ; quamobrem itaque renuit obſecundare? Bernardus planè Tartareum fuiſſe conſilium hoc adſtruit ſermone 1. in die Sancto Paſchæ : *Hæc* (inquit) *ſerpentis aſtutia, hæc adinuentio nequitiæ ſpiritalis* : Sed quomodo ab inferis, quod fidem polliceretur? imò fidem omnem ſuſtollere conabantur ſimulata promiſſa illa : quid enim volebant? nempè à genitore præceptum Chriſtus acceperat, vt in ligno perſeueraret, quoaduſque Spiritum exhalaret : cupientes igitur Scribæ, & Seniores vt hæc anticiparet tempora, neque à Patre præſignatis ſpatiis attenderet, ſed compendiaret interualla, innuebant, vt Patri inobediens foret : id verò ſi contigiſſet, quonam modo nos crederemus Deo Authore ſatum, Patris eſtringentem mandata, tempora anteuertentem, Mortis acerbiſſima declinantem? Non eſt Deo creti opus, horæ ſubducere quidpiam prædefinitæ ; id qui perſuaſerit dæmonem linguæ adminiſtrum habet : *Eò quippè tendebat malitioſa ſuaſio, non vt ipſi crederent, ſed noſtra quoque ſi qua erat fides in eum, omnimodis deperiret : Legentes enim Dei perfecta ſunt opera, quando fateremur Deum, qui ſalutis opus reliquiſſet imperfectum?* Proh, ſi non liceat etiam in Crucis diſtento cataſtâ, tot modis plagato, inter immania cruciamenta, horarum tædioſas moras circumcidere, quid illi Miſſarum reſpondebunt epitomiſtæ, quibus ſeſquihora æuum penè eſt? Quid in publicis Eccleſiaſtici cantus officiis properantes in contemptum verendæ Maieſtatis templi Dei viui, atque metuendi? Quid in ſacra exhortatione ſomnolenti? aut ſi vigilant, quòd tardior procedat, accuſantes?

Matth. 17. 42. *Ad Temporis anticipationẽ hortabantur Chriſtum in Cruce, Scribæ Tartareâ ſuaſione, quò fidem in eum minuerent credentium.*

Bernard.

Idem.

Verùm,



27. Verùm, quantùm diſcriminis in horarum impatientiâ, atque indebitis compendiis, Saülis commonſtrabit exemplum dictu ſanè formidabile: Offerebat victimam holocauſti, víxque ſacrificij vltima, cùm ſuperueniens Propheta Samuel terribili voce loquutus : *Stultè* (inquit) *egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi : Quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum, ſed nequaquàm regnum tuum vltrà conſurget.* Quid animaduertit Vates in Saüle tantâ comminatione dignum? Annon potiùs laudem promerebatur diuinis intentus, & victimas ſacrificans Numini? Sunt qui putant offendiſſe, quòd ſacra laicus præſumpſerit, hoſtiam mactans ipſemet, quod Sacerdotum munus erat : At commune iudicium omnium bonorum ferè interpretum culpam inobedientiæ fuiſſe, quod decreta à Samuële ſpatia anteoccupauit, nam hebdomadam expectare iuſſus, accelerauit : Vide quos citant Mendoza tom. 3. in 1. Regum, expoſit. verſ. 8. cap. 1. num. 2. Salianus tom. 3. anno Mundi 2964. num. 21. Sed cùm egregium ſupplicium appareat Regnum nepotibus ademptum fuiſſe, explorare neceſſum eſt, quàm ſupinum fuerit Saülis delictum. Equidem, cùm definitum ſpatium fuerit ſeptidui, tamen Regem vſque in vltimum diem ſubſtitiſſe, quoad Samuel adueniret vulgata Authorum conſpiratio; Lyranum tamen ſequuti acres interpretes, ex quibus duo nuper allegati Salianus, atque Mendoza, putarunt extremo die poſt meridiem, paucularum horarum interuallo antequàm occumberet lux, ſacrificatum à Rege : itaque quod tempori præſtituto ſuffuratus eſt, modicum fuit : his addenda, quæ piaculum minuere valeant, tantâ Vatis procraſtinatione afflictatum, quòd cerneret propter moras, vt arbitrabatur, dilabi populum, hoſtium metum increſcere, quòd viribus maiores eſſent, denique Regibus amplior conceſſa licentia ; & tamen tot confluentibus, quæ tenuare poſſent culpam, ob anticipata tempora, ob hebdomadæ integræ ereptas pauculas quaſdam horas, Princeps infelix, Regnum ne in poſteros tranſcurreret, occaſio fuit : Sic Ignatius teſtatur Martyr epiſt. ad Magneſianos, Theodoretus quæſt. 29. Procopius, Angelomus: at quia magno conſtant pondere Gregorij Romani dicta, quanquam in præteritis à nobis data, iterum repetenda iudicauimus, *Trementi corde* (ait) *conſiderandum eſt, quàm breuiſſimâ temporis expectatione neglectâ, repulſus ſit : Si enim ſolo temporis breuiſſimo interuallo expectaret, quo obtulit holocauſtum, ſecurus iam Regni ſui robur obtinere potuiſſet.* Huic quàm ſimilis euentui caſus ille eſt, Exod. cap. 32. Nam morarum impatientes Hebræi, quod Moyſes diutiùs cum Deo colloqueretur in vilẽ idololatriæ ſpeciem prolapſi ſunt : Nam Rabbi Salomon apud Nicolaum, & Abulenſem q. 2. in nominatum caput, aſſerit expectaſſe Iſraëlitas in triginta & octo dies & biduo antequàm deſcenderet Legiſlator, tædio affectos de conflatili Deo cõſilium iniiſſe: refutantur huius Magiſtelli commenta à Saliano tom. 2. anno Mundi 2544. à numero 585. ipſe tamen fatetur accidiſſe vigeſimo, aut fortaſſe quoque trigeſimo die poſt Ducis abſentiam; ita dum tempora compendiare non verentur, & horas decurtant propheticæ allocutionis cum Deo, in tantam abiêre dementiam, quanta ne barbariſſimæ alicuius Nationis maior eſſe poſſit: paucis Oleaſter: *Si autem legas ; quod moram faceret de monte deſcendere; diſce ex loco, quàm bona ſit patientia in expectando:* At, num ipſi cum Deo colloquebantur? Non interim Caſtrorum ambitu & choreas ducere, & pangere, & Conuiuia inſtaurare poterant? quibus tanta licentia, cur ægrè ferunt, quòd Moyſes prolixiores cum Deo ſermones terat? Sed tanta eſt hominum ſæpè corruptela, vt cùm ipſa diuina & penitiora vix lambant, tamen moleſtè patiantur, quòd in virtutem diſtorto ſint affectu, ſi alios intueantur cum Deo longiùs verſantes; ſic iſti tumultuantur, non quia ipſi orare cogantur ; ſed quod Moyſem orantem conſpiciant.

1. Reg. 13. 13. *Vel modica præſcripti temporis anticipatio, Saülem è throno deijcit.*

Mendoza. Salianus.

De Lyra.

Ignat. Mart. Theodoret.

Procopius. Angelom.

Gregor.

Exod. 32.

Rab. Salom. De Lyra. Toſtat.

Salian. *Ob leuis moræ impatientiam Vitulo procumbunt Hebræi idololatræ.*

Oleaſter.



---

### *Viri magnâ præditi mente, ipſo laborum perpeſſu, ſatis compenſari ſuos putant ſudores.*

## SECTIO III.

28. ET laborem, & iucunditatem hâc comprehendi ſententiâ Bernardus cogitarat, ſed Sponsã ſibi quod oneroſum eſt, aſſumere, tractum nimirùm : Puellis, quod amœnum eſt, vnguentorum ſcilicet odorem concedere : *Sed oritur quæſtio* (inquit ſerm. 21. in Cantica) *cur ſimiliter cùm ſe petijt trahi, etiam Adoleſcentulas non adiunxit, & non trahe me, ſed trahe nos diceret? Quid enim? fortène Sponſa indiget trahi, & Adoleſcentulæ non indigent? O pulchra, ô felix, ô Beata, ediſſere nobis huius diſtinctionis rationem : trahe me, ais : quare me, & non nos? charitas, inquit, ita poſtulabat : Trahimur cùm tentationibus, & tribulationibus exercemur : currimus, cùm internis conſolationibus, & inſpirationibus viſitati, tanquam in ſuaucolentibus vnguentis reſpiramus : Ergo quod auſterum, & durum videtur, retineo mihi tanquàm forti, tanquam ſanæ, tanquam perfectæ, & dico ſingulariter, trahe me : Quod ſuaue, & dulce, tibi tanquam infirmo communico, & dico, curremus : Noui ego Adoleſcentulas delicatas & teneras eſſe, & minùs idoneas ſufferre tentationes; & propterea, mecum volo vt currant, ſed non vt mecum trahantur: volo habere ſocias conſolationis, non autem laboris.* Pulchra ſanè electio, & Antiſtite digniſſima! quàm rara Auis, in ſe transferre onera, ſubditis velle pacata, atque facilia! O inauditam Sponſæ voluptatem ex malorum patientiâ! Quid hoc eſt, vt ſibi nihil concupiſcat præter ipſum trahi, præter ipſum vexari, & grande hoc reputet, ſi laſſetur? O virtutis ſtupendam excellentiam! quando abolitâ præmiorum memoriâ, iam Animus verè beatus in ipſomet labore conquieſcit & delectatur, ſufficit illi pro Deo fatigari, Deo cordis ſui : nos infauſtum genus! quos, ne æternum gloriæ pondus negligentes & deſides ſufficiat ſtimulare, vt leue, & momentaneum tribulationis perferamus.

*Sponſa Tractũ ſibi laborioſum aſſumit, conceſsâ adoleſcentul. odorum iucũditate.* Bernard.

29. Iuſti apud Dauidem cantant hilares, Pſalm. 89. verſ. 15. *Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti : annis, quibus vidimus mala* : de quibus gaudent? num, quod ex tempeſtuoſo æquore in portum tranſlati duraturæ felicitatis? an quia palmæ victrices in manibus eorum, & coronatus vertex ſit de lapide pretioſo? cur nihil de copioſa remuneratione in cœleſtibus, ſed omne tripudium pro annis ærumnoſis, in quibus humiliauerunt eos in compedibus, ferrum pertranſiit animam eorum, ſecti ſunt, lapidati ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis? Videlicet, ſatis præmiorum illis in ipſamet tolerãtia Malorum: pro Deo tentati ſunt, hoc ſufficiens, idcirco tantùm annos

Pſal. 89. 15. *Pro annis malis & ærũnoſis lætantur in cœlo Iuſti*

Q    duræ

duræ ſeruitutis memorant. Putas, & non hoc ſublime, atque admirandum ſit? Certè niſi hoc cantarent Metrum filij afflictorum, vix quodammodò plena reſonaret laus in atriis Domini: Quid enim nouerunt Angeli dicere? gratiarum quidem actiones referre pro beneficiis, ſed annos malos non viderunt, non potuerunt vociferari, quis me liberabit de corpore mortis huius? non bonorum rapinam perpeſſi ſunt, non in frigore, non in nuditate, non in carceribus abundanter: ô certè ſi quidquam hominibus inuidêre poſſint omnis liuoris expertes, annos quidem malos potiſſimùm inuiderent: non credet Homo Carnis, ſed tamen illi norunt, quantus theſaurus in annis malis lateat. Aſt, cur malos dicimus annos candido notandos lapillo? percipiamus à Bernardo ſerm.68. in Cantica: *Tu putas, Deum noſtrum totam habiturum ſuæ gloriæ laudem, donec veniant, qui in conſpectu Angelorum pſallant tibi? Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala: Hoc genus lætitiæ cœli neſcierunt niſi per Eccleſiæ filios: hoc nemo vnquam lætatur, qui nunquam non lætatur:* vbi intuêris abſque hoc concentu mancam futuram patriæ ſuauiſſimam harmoniam: illúdque extremum ſingulare eſt plurimùm, & acutum æquè; *hoc nemo vnquam lætatur, qui nunquam non lætatur*, vt cùm alij intermixtâ dolore fruantur hilaritate, puram ebibant illi conſolationem, qui lætantur ob annos, in quibus humiliati ſunt: Nam, ſi qua de cauſa contriſtari poſſint, ob aduerſitates & damna id quidem, hoc enim ſolum potuit eſſe mœroris ſeminarium: Verùm, non ſicut aliis Mortalibus angorem afferunt iniucunda, ſic illis, tum imprimis exultant; hac igitur ſublatâ dolendi occaſione, nihil eſt, quod eis luctum coaceruare valeat, proinde benè dictum, *nunquam non lætantur.*

*Inuiderēt hominibus annos malos, labores, ærumnas, Angeli, ſi quid poſſent inuidere.*

Bernard.

*Manca foret cœleſtis harmonia, abſque laborum piè perpeſſorum concentu.*

30. Miſit in vineam per diuerſa horarum interualla operarios Paterfamilias, ſub lucis occaſu Mercedem pendi imperat; acceperunt ſingulos denarios vniuerſi, & qui primâ horâ venerunt, & qui vndecimâ: ſed ecce querelæ ſubitò, & murmura eorum, qui ſummo manè perrexêre ad opus, quòd æquales facti ſint ij, qui ſole inclinante venientes, modicum laborarunt: At, non eorum iuſti conqueſtus? Tulêre pondus diei atque æſtus, ſub puluere, atque Phœbo radiante ſudarunt, nec tamen ditantur magis quàm quibus contigit in vmbra verſari? in quadruplum ferè potiora illorum merita, cur non & præmia? peccarunt tamen, primùm; quoniam vt Textus Matthæi cap. 20. verſ.13. egregiè aduertit, cùm accepiſſent id, pro quo conuenerant, nulla eis in retribuendo facta eſt iniuria: denarius eis promiſſus fuit quanquam ab aurora in veſperam fatigarentur, hoc conceſſo, iuſtitiæ ſatisfactum eſt, neque enim plus obligabat; Quod ſi vineæ poſſeſſor voluit erga iuniores operarios indulgens eſſe, & vltra meritum compenſare, moleſtè id ferre veterani non debuerant. Secundò, quoniam ampliora conſequuti ſunt, quibus plus laboraſſe accidit: ſed quænam illa? nam Euangeliſta denarij ſolùm meminit: nimirum, hoc ipſum fuit maiora accepiſſe, quod eis conceſſum fatigari ſupra ſocios. O nouum ſapientiæ dogma! præmium eſt labor ipſe: ergo, quòd ſeniores illi lamentant, infeliciores ſe reliquis factos, quoniam pondus diei, atque æſtus ſuſtinuerunt, error eſt, nam Beneficij loco reponere debuerant maximi, quod in maiores agones deſtinati ſint: imò ſi ſaperent atque intelligerent, gloriarentur potiùs, quàm miſerè deflerent; neque enim præſtantius aliquid contingere illis potuit, quàm quod pares non haberent alios in laborum patientia: Nicetas Scholio ad orationem Nazianzeni in ſanctum Baptiſma: *Mitto enim dicere, quod homini non omninò turpi, & ſordido, verùm aliquâ magnifici animi laude prædito, id quoque ipſum, nempe ampliùs laborare, vberioris mercedis, & quæſtus loco habendum eſt.*

Matth.20.

*Non fuit iuſta de æquali inæqualis laboris mercede operariorum querela, ſiquidem & quod pactum fuit aſſequuti ſunt, & inſuper amplius aliquid, quod nempe ſupra ſocios fatigavi fuerit eis conceſſum.*

Nicetas.

31. Reuertenti ex bello Abrahæ occurrit Sodomorum Rex, quámque ab hoſtibus direptam illius ſupellectilem recuperauit, vt ſibi reſeruaret deprecatus eſt, eâ liberalitate memorem Beneficij animum ſignificaturus, tantùm vindicatas ab inimicis perſonas concederet: *Da mihi* (ait) *animas, cætera tolle tibi*, Geneſ. cap.14.verſ.21. Sed nec minimam aliquam bonorum partem apud ſe remanêre Patriarcha ſuſtinuit: *Leuo* (inquit) *manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cœli & terræ, quod à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt, ne dicas, ego ditaui Abraham.* Cur nihil admittere velit? imò certè non iam præliando acquiſita ad regem Sodomorum ſpectabant, ſed ad Abraham & Commilitones, quare excipit eam ſpoliorum portionem, quæ ad viros attinebat, qui ſub illo dimicauerunt, iure enim Belli comprehenſa in eorum tranſiêre poteſtatem: atqui iſtiuſmodi ſudorum emolumenta ſunt, quamobrem igitur præmia reiectat? Erat generoſæ & excelſæ mentis inclytus Patriarcha: Dei & charitatis in proximum gratiâ, adortus eſt periculum ingens dubij Martis; talibus ſtimulatus incitamentis, ſatis illi ſtipendiorum pro Deo laboraſſe: ſcit bene facere pugnæ ſodales, aſportando veſtem pretioſam, aurea, argentea vaſa dehoſtium extracta manibus, ſed nouo & inſolito victoribus more, ipſo de labore coronam texit, nihil vltrà deſideraturus: valeant gemmæ, aulæa, monilia; Abrahæ mercedis loco ampliſſimæ quòd pro ſalute Proximorum diſcrimini vitam ſuppoſuerit. Chryſoſtomus hom.35. in Geneſim: *Magna Patriarchæ in contemnendis diuitijs virtus: Ne igitur* (ait Regi Sodomorum) *expectes me permiſſurum, vt mihi des quidpiam: neque enim Mercedis gratiâ vindictam feci; ſed primùm, ob Amoris affectum, quem erga fratris mei filium gero; deinde & propter ipſius iuſtitiæ officium; vt è Barbarorum manibus eriperem iniuſtè abductos.* Abulenſis verò in nominatum Geneſeos caput: *Nolebat ergo, quòd laus, quæ Deo attribui debebat de multiplicatione bonorum Abrahæ, reduceretur ad Regem Sodomorum: & quantum ad hoc valde bonus erat zelans totis viribus honorem Dei.*

Geneſ.14.21.

*Spolia deuictis hoſtibus parta, ſibique à Sodomorum Rege oblata, reiectat generosè victor Abraham, ſolâ laborum ſuorum coronâ contentus.*

Chryſoſt.

Toſtat.

32. Danielem, vt commoueret Baltaſſar Rex ad ignotæ ſcripturæ verba enodanda, quæ in pariete exarata ſunt ille dum epularet, purpuram ſpondet, atque torquem auream, cui Propheta: *Munera tua ſint tibi, dona domus tuæ alteri da: ſcripturam autem legam tibi Rex, & interpretationem eius oſtendam tibi*, Danielis c.5.v.17. Cur exul à patriæ finibus ablegatus regiam beneficentiam contemnit, Purpuræ deſpicit claritudinem? Num timet ab aulæ fraudibus? ſed puto Danieli ſatis præmiorum eſt, quod in veritate reſeranda deſudauerit, ſufficit occulta demonſtraſſe, ipsâ veri indagatione compenſata eſt induſtria: Chryſoſtomus propè finem expoſitionis in Pſalm.95. *At beatus, & admirabilis ille, pro nihilo ducens hominum munera, ſed ſuper omnia veritatem honorans, ait: Rex munera tua alteri da viro; ego tamen ſcripturã enarrabo; Et quod erit interpretationis præmium? A Deo merces veniet: quin potiùs hoc ipſum mihi veritatis præmium erit, interpretari veritatem, ac pietatem, quæ infamatur vindicare.* Hoc Spiritu vtique impulſus noſtræ familiæ ſanctiſſimus conditor, quanquàm non ignoraret & optimè agere illos, qui ob docendum, aliáve, quæ Proximorum cauſâ exercent munia, ſtipendium admittunt; noluit tamen ſuæ adſcriptos militiæ ſiue ob lectiones publicas, ſeu ob verbi prædicationem, alióſve labores Animarum gratiâ ſuſceptos, mercede compenſari temporaneâ, ſed nec domeſticis affici vel priuilegiis, vel exemtionibus: Quodnam igitur erit tantarum vigiliarum ſolatium? Nihilne recipient? Scilicet, vti loquebatur Chryſoſtomus: *A Deo merces veniet; quin potiùs hoc ipſum veritatis præmium erit, interpretari veritatem.* O eſto tu laborum recreatio, & ſubſidium, Trinitas beata: Da ſeruulo tuo Spiritum, vt nihil præter te ambiat, nihil concupiſcat. O quidem infelices lucubrationes, ſi non tu ſpes ſtudiorum! nam ab homine quid expectemus, niſi vt calamum quaſſatum confringat, conturbet profundum maris, & ſuper vulnerum dolorem addat? Tu etiam vexas, trahis namque Sponſam tuam; ſed mox ſequuntur vnguenta, quorum vegetata odore, currit inſegnis & feſtina per viam mandatorum tuorum.

Daniel.5.17.

*Pro ſomnij interpretatione oblata à Baltaſſare munera reſpuit Daniel, cui ipſa veritatis indagatio præmium.*

Chryſoſt.



*Nullam Societati ſuæ pro labore ſpirituali temporaneam mercedem permittit S. Ignatius, à Deo ſolo premiandæ.*

Chryſoſtom.

33. Primam Mundi hebdomadam, dum Allegoriæ accommodat Rupertus libro 2. in Geneſim, c.13. Septimam equidem Lucem, in qua Creator ab omni vacauit opere, atque feriatus eſt, Verbum arbitratur, ſiue antequam humanæ ſociaretur naturæ, ſeu poſt vinculum: porrò in hoc idcirco requieuiſſe, quod propter filium diuinum exerceri, & laborare, nunquam ei fuerit neceſſum; Angelus, homo, reliquæ Creaturæ moleſtiam attulerint; ſed quoniam fusè argumentum pertractat, aliquid tranſcribamus ex decimo ſeptimo capite: *Nam expende dies omnes ſuprà ſcriptos, & præter duo, ſcilicet hominem, & Angelum, nihil eſt, quod in ſeipſo nouerit parare locum Deo: & in iſtis quidem inhabitat Deus, ſed oportet vt priùs ſibimet in illis manſionem paret in brachio ſuæ fortitudinis: operatur itaque in illis, & antequam domus, vel manſio ſua perficiatur, quaſi laborat, vnde & laſſabundus querelam depromit: laboraui* (inquit) *ſuſtinens: At verò ſolus hic dies, id eſt, vnicus filius ſuus eſt, in quo iuſtificando, nihil omninò laborauit: ad creandos homines & Angelos Sapientiæ ſuæ impenſas contulit, & propter Saluandos, ſiue diſcernendos, miſericordiam & iudicium hinc & inde magnis impendijs ædificauit: in iſto ſolo nihil vnquam fuit, quod reſiſteret ei; ſiue ille in ſinu eius pauſauit; ſiue militaturus iuſſu ipſius, naturam noſtræ Carnis induit.* Igitur ſecundum Ruperti Allegoriam, propterea in filio requieſcit Deus, quia pro filio nihil laborauit. Verùm ſi dixiſſet, propterea ſuper filium recubare, otia captantem, quod in filio pax illa ſit exuberans omnem ſenſum, gaudiorum plenitudo, locus conſummatæ voluptatis, id peridoneum ſanè; at quoniam pro illo nihil ſubiit moleſtiarum; imò, ſi quo modo non debuiſſet in filio requieſcere, ob hoc vtique non debuiſſet: nam quæ ratio eſt, velle fructus colligere, vbi non ſeminauimus; de vinea paſci, quam non coluimus? hoc autem eſt requieſcere vbi non ſit laboratum: Cur igitur, non magis requieſcat Numen in homine, aut Angelo, aliâve creaturâ, quâcum laborauit? Equidem ſi in Creaturis requieſceret, videbatur laborum ab eis mercedem, & compenſationem aliquam exigere; nam quies ſudorum præmium eſt; quieſcendo itaque apud Creaturam, hoſpitium & accubatio illa præmium cenſeretur eius quam ſubiit fatigationis ex noſtro concipiendi more, dum conderet Orbem, & varia formaret Animantia: At verò hoc diuinæ mentis ſummâ altitudine quaſi indignum apparebat: quippe ingentes animi eâ ſunt magnitudine, quibus præmiorũ vice ipſi ſufficiant labores: Quoniam ergo quieſcendo in rationali creatura, aut quouis etiam modo in alia aliqua, ſuſpicio enaſceretur, velle Deum repetere mercedem pro laborum impendiis; in filio autem quieſcendo nulla fuiſſet anſa talium opinionum, quoniam pro filio non laborauit; ideo repudiatis Creaturis ad filium diuertit, apud filium commoratur. O mite Numen, & indulgens! ſibi laborem vult integrè, homini otium & iucunditatem; ne ei tantillum oneroſus ſit manendo apud illum poſtquam laborauit, ad filium digreditur: planè noſtræ Sponſæ Vir iſte eſt: Quid enim ipſam feciſſe docuimus ad ſectionis huius exordium? quod à Marito didicit Sancto Creatore rerum: nam ſibi tantùm vult, *trahe me*, hoc eſt, vexari & affligi in tribulationibus multis: Sed quamprimùm vnguenta redolere incipiunt, & quod ſuaue & conſolatorium fragrat, vocat continuò Adoleſcentulas, *curremus* (inquit) *in odorem vnguentorum tuorum:* ita Deus, pro homine laborare vult; ſed ei quaqua viâ moleſtus eſſe, hoſpitium exigendo & quietem, recuſat.

Rupert.

*In die ſeptima.j. in Verbo ſuo Creator requieſcit, In Creaturis verò laborat, nec ei in illis requies, ne fortè ea videatur laborum aliqua compenſatio.*



---

*Diſcretâ Antiſtitis lenitate, ſubditos mirum in modum excitari, atque proficere.*

## SECTIO IV.

34. PIgram & moroſam fuiſſe in plurimis Synagogam, cùm tamen Eccleſia Catholica exultauerit vt gigas ad currendum poſt Dilectum, oſtendimus numero 15. ac licet horum potiſſima cauſa ignauæ mentis torpor, ſed tamen etiam in iis, in quibus beneplacitum eſt Deo, diſpar fuit alacritas ſub vtroque fœdere; concedite tamen primi illius Inſtrumenti veniam aliquam mortalibus; quippè erat tunc Deus abſconditus, Rector Mundi, ſi quando apparebat, ignis ante eum, & in circuitu illius tempeſtas valida: verebantur igitur timendæ Maieſtatis ſeueros vultus, & hebetudo mentis greſſus retardabat. Agnouit terrore ſtupefactos Genitor cœlorum, & miſſurus in terras Verbum, vnxit eum oleo lætitiæ pro conſortibus eius, tantáque fuit copia, vt deſcenderet è capite in barbam, neque in oram veſtimenti tantùm, ſed omnem amictum perfudit Myrrha & gutta, & caſia à domibus eburneis; quam fragrantiam vnguentorum ſentientes Adoleſcentulæ, tanto ad eum ſtudio properarent, vt Virginalis penè modeſtiæ oblitæ, ſapienter tamen, currerent. Bern. ſerm.22. in Cantica: *Ex his, inquam, quatuor præmiſſis vnguentis pretioſiſſimis ſuper montes aromatum de cœleſtibus ſpeciebus confectis, tantùm Eccleſiæ nares odoris ſuauitas repleuit, vt mox à quatuor Mundi partibus excitata illa dulcedine, ſupernum properaret ad Sponſum, tanquam verè illa Regina Auſtri feſtinans à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, opinionis ſiquidem odore prouocata: Sanè & Eccleſia non antè currere valuit in odore ſui Salomonis, quouſque is, qui ab æterno ex Patre Sapientia erat, factus eſt ei in tempore à Patre Sapientia,*

*Excuſatio aliqualis Synagogæ, petita ex eo quod Deus ſe erga illam ſeuerum & terribilem oſtenderit: Secus, circa Eccleſiam.*

Bernard.

*quo ipſius odorem percipere poſſit.* Duo genera venationis columbarum, earum quæ ſaltu & montibus delectantur; Alterum tormentarij pulueris fragore; capiuntur ſic, aut magis enecantur; ſed paucæ, nam ſonitu vehementiore attonitæ, fugâ ſibi conſulunt, trans maria feruntur, quò venator accedere nequeat. Alterum per vnguenta, quo de venandi aſtu ſcribit Magnus Baſilius epiſt. 175. ad Iulittam: *Ars quædam eſt* (inquit) *aucupandi Columbas, videlicet talis: vbi vnam ceperunt, qui capiendis illis ſtudent, cicurem illam reddunt, & ad humanum conuictum aſſuefaciunt; deinde vnguento alas illius perungunt, ſinúntque coniungi agreſtibus; illa verò per vnguenti fragrantiam, agreſtem illum, ac liberi paſtus gregem ad poſſeſſionem transfert eius, cuius ipſa eſt domeſtica; benè olentem namque ſequuntur & reliquæ, atque ita in poteſtatem columbarij veniunt.* Hoc certè modo id Auceps conſequitur, vt cùm vix ipſe laborarit, prædæ tamen multitudinem vix cellæ capiant, ſed & ipſæ columbæ tantâ voluptate adproperant, vt cicurem & odoratam, quæ præeat, ductéque, anteuertere contendunt. Vides, quanta ſit vnguentorum & lenitatis poteſtas? Cernens igitur Numen, Maieſtate & terroribus ſub Lege, venationis exilia fuiſſe lucra, depoſuit ſeueritatis inſignia; laqueis deinceps in venando vſus, quà circumueniret prædam, non abigeret, at vnguentis liniuit, nam trahebat in funiculis Adam, in vinculis charitatis: non reſpuit à venatione ductum exemplum Theodotus Ancyræ Epiſcopus homil. de Natiuitate Saluatoris, quam cum Actis Concilij Epheſini Binnius ſuppeditat Tom. 1. Conciliorum: *Propterea* (ait) *non venit cum imperiali faſtigio, nec ſatellitium induxit Angelorum, non mouit Angelorum exercitus; non enim volebat terrêre fugitiuum ſuarum legum; ſed venit omnium Dominus in ſerui forma, paupertatem circumamictus, vt prædam non abſterreret, vt ſine ſtrepitu, ad ſalutem, hominem venaretur.*

*Paucas palumbes tormentario puluere, eáſque enectas obtinet Auceps: multas verò per ſuaues odores, eáſque viuas capit.*
Baſil.
*Datus Venator.*
Binnius.
Theodot.

35. Videamus, ſi iuxta hæc Irenæo lucem afferre poſſimus lib. 4. contra Hæreſes, cap. 27. *Etenim lex* (ait;) *quippè ſeruis poſita, per ea, quæ foris erant, corporalia, animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, vti diſceret homo adſeruire Deo: Verbum autem liberans animam, & per ipſam corpus voluntariè emundari* * *docuit; quo facto neceſſe quidem fuit auferri vincula ſeruitutis, quibus iam homo aſſueuerat, & ſine vinculis ſequi Deum; ſuperextendi verò decreta libertatis, & augeri ſubiectionem, quæ eſt ad Regem:* Qua ex oratione facilè percipio veteris illius Inſtrumenti innumeras fuiſſe obſeruantias atque mandata à quibus liberata ſit poſterior Eccleſia: Deinde cùm ob timorem obedirent antiqui illi, Spiritum ſeruitutis habuiſſe, ideo & vinculis conſtrictos mancipiali vſu: cæterùm Chriſti edicta libertatis fuiſſe legem: Atqui hoc cùm ſtatuerit Irenæus, cur in gratiæ lege adauctam ſeruitutem monet; *ſuperextendi* (inquit) *decreta libertatis & augeri ſubiectionem?* nonne aperta in his contradicentia? ſi enim ampliata eſt libertas, igitur ſubiectio imminuta eſt, nam quò vnuſquiſque liberior, eò minus ſubiectus. Verùm conſiderandæ ſubiectionis duæ ſpecies: altera coacta eſt, & tenitens; altera ſpontanea & aſſumpta: prior libertati opponitur, ſecunda ex libertatis viſceribus generatur: ergo ſub veteri lege cùm ex ſeueritate agebatur, cùm fulminabat Omnipotens, cùm multiplicabantur præcepta, ſubiectio quidem erat, ſed cùm hæc violenta eſſet, recalcitrabant facilè, & opera manum ſuarum colebant à Deo viuo & vero abalienati: Chriſto autem veniente cum manſuetudine, & abrogante præceptorum multitudinem, tantùm abeſt vt propter conceſſam libertatẽ, eius ſubtrahi obedientiæ ſubditi cogitarint, vt nunquam ad auſcultandum tam fuerint idonei. Vtinam intelligerent ſuperiorum multi, non in legum, aut præceptorum coaceruatione ſitam eſſe Reipublicæ medicinam; ſed vt vel ipſi faſtum deponerent, vel iram coërcerent, vel frænarent deſpoticæ voluntatis nimiam licentiã; aut ſi etiam ſpiritaliter agere velint & reliqua ſincera ſint, tamen ex ſua perfectione inferiores metiri non debent, cum hominibus ſe agere norint, quorum eſt multa inualetudo, atque infirmitas; ſobriè igitur & amanter duri ſint.

Irenæus.
*Synagogæ ſubiectio coacta & violenta: Eccleſiæ verò ſpontanea, libera, ingenua.*
*Aduertant Superiores.*

36. Sed mollis eſt atque effœminata lenitas, & diſciplinam laxans: compara mihi Bellatores duos, quorum vnum rigor armauit ad prælium; alterum manſuetudo: prioris figura Aod, nam fecit ſibi gladium ancipitem, Iudic. cap. 3. verſ. 16. ipſe autem cùm vtraque manu pro dextera vteretur, tam gnarus Artifex magnam edebat ſtragem & hoſtium confodiebat plurimos: poſterioris typus Samgar, quippe vomere inſtructus Pacis nimirum Symbolo, ſed hoc tam miti armorum genere, an non Aodi gloriam æmulatus, quando de Philiſtiim ſexcentos viros percuſſit vomere? *& ipſe quoque defendit Iſraël* eodem 3. Iudicum capite, verſ. 31. ergo non in rigore, & vehementia, Belli totus neruus; nam ſi quis lenitatis armis vti ſciat, æquales reportabit triumphos, dulciores proculdubio; quoniam ſi gladio ancipiti metuendus & fortis Aod, etiam vomere Samgar terrorem incutit, aduerſarios profligat. Origenem adhibeamus, qui dictis fidem conciliet hom. 4. in Iudices: *Quid ergo dicitur de Semegad? Percuſſit, inquit, Allophylos in ſexcentis viris, in ſtiua, vel pede aratri: aliud genus laudis in Semegad video: iſte in aratro pugnat; Aioth pugnabat in gladio, iſte in aratro vincit, vincit tamen & hic, & ſuperat, & proſternit Allophylos: Poteſt ergo fieri, vt Eccleſiæ iudex non ſemper gladium proferat; id eſt non ſemper authoritate verbi, & acumine correptionis vtatur; ſed aliquando etiam imitetur Agricolam, & velut aratro ſulcans animæ terram, ac ſæpiùs eam clementi commonitione reſcindens; aptam eam ſuſcipiendis ſeminibus paret:* ſed quid dixi, vt pares in dimicando fecerim Aioth, & Samgar? nam vt egregiâ interfectione claruerint, ſed nonne plus multò eſt vomere occidiſſe, quàm gladio, eôque ancipiti? glorioſior igitur triumphus eſt Manſuetudinis atque Pacis, quàm Rigoris. Confirmat Dauidis Pſalmus 54. verſ. 22. *Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula:* Quid oleo ſuauius? & tamen in verbis tanta eſt lenitudo, vt etiam ſuper oleum ſuaues laudentur: at ſi tam mollia verba, quomodo eadem ſagittæ, iacula? num mites ſagittæ? crudeles nimium, quæ corpus transfuerberant, & vſque ad ſpiritus diuiſionem pertingunt, vitæ auferentes ſolatium dulciſſimum: Equidem in ſcriptura per iacula & ſagittas denotantur Prædicatores, quorum in ſermone eſt admiranda quædam efficacia, vt nullum ſit cor ita adamantinum, quod non edomare queant, quare & de ipſomet Chriſto Seruatore Iſaias c. 49. v. 2. *Et poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me;* quo de ſymbolo Auguſtinus in illud Pſalm. 126. ſicut ſagittæ in manu potentis, &c. Hieronymus ad Principiã exponens de Pſalm. 44. *Sagittæ tuæ acuta, &c. His ſagittis* (ait) *totus orbis*

Iudic. 3.
*Rigoris Typus Aod: Manſuetudinis Samgar.*
Origen.
*Gladium non ſemper proferat Præſul .j. acumen correctionis.*
Pſal. 54. 22.
*Concionatores, ſagittæ in Scriptura.*
Iſai. 49. 2.
Auguſtin.



*orbis vulneratus & captus eſt: Paulus ſagitta fuit Domini, qui poſtquam ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum miſſus arcu Domini, huc, illúcque volitauit, ad Hiſpanias ire feſtinat; vt velox ſagitta ſub pedibus Domini ſui, Orientem, Occidentémque proſternat:* Vt igitur, quanta ſit lenis increpationis virtus demonſtretur, qui vocantur ſermones emolliti ſuper Oleum, iidem dicuntur aut ſagittæ, aut iacula: quare eleganter Auguſtinus: *Molliti* (ait) *non virtutem amiſerunt, ſed in iacula ſunt conuerſi: molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi molliti ſermones, ipſi ſunt iacula:* Nec obſtupendum, quod pacatæ, & lenis orationis tanta ſit poteſtas, nam iacula amorem excitant. Auguſtinus in Pſalm. 44. *Sagittæ tuæ acutæ, potentiſſime; verba cor transfigentia, amorem excitãtia, vnde dicitur in Canticis Canticorũ; Quia vulnerata charitate Ego ſum; dicit enim vulneratam ſe eſſe charitate, id eſt, amare ſe dicit, æſtuare ſe dicit, ſuſpirare Sponſo, vnde accepit ſagittam verbi:* Et in Pſal. 119. in illud: *Sagittæ potentis acutæ, &c. Sagittæ potentis acutæ, verba Dei ſunt: Ecce iaciuntur & transfigunt corda: Sed cùm transfixa fuerint corda ſagittis Verbi Dei; amor excitatur, non interitus comparatur: Sagittat cor amantis, vt adiuuet Amantem, ſagittat vt faciat Amantem:* Si igitur mollis reprehenſionis effectus Amor, poſtquam ſubditus amare inceperit, poſtquam Antiſtitem dilexerit, quídnam ei toleratu graue futurum ſit? nam Amanti nihil oneroſum eſt, quanquam deinceps ſuperior imponat Pelion Oſſæ, molémque & montes inſuper. O ſacrum & verè diuinum lenitatis remedium ſi à perito chirurgo tractetur; tantùm non degeneret in remiſſionem; omnia ſalua ſunt: & ſicut blandæ correctionis generoſa ſoboles eſt charitas & dilectio; ita rigoris exceſcentis & nimij, partus conſueuit eſſe timor ſeruilis, atque repugnans; à quo nobile aliquid, atque præclarum expectaſſe quid iuuat?

Hieronym.
*Lenis increpatio dicitur ſagitta, aut iaculum, ob efficaciam.*
Auguſtin.
Auguſtin.
*Sagitta charitatis quàm potens.*
Idem.

37. Cùm, Goliatho efferæ magnitudinis Aduerſario proſtrato, Dauid amputatum eius caput ferret in Ieruſalem, egreſſæ de vniuerſis vrbibus Iſraël fœminæ in occurſum Saul cantantes, choróſque ducentes in tympanis lætitiæ, & ſiſtris præcinebant: quidnam illud? quæ verſus materia? *Percuſſit* (inquiunt) *Saul mille, & Dauid decem millia.* Reg. 1. cap. 18. verſ. 7. Cùm neque Saul, neque Dauid de hoſtibus tot interfecerint, cur à mulieribus ita decantatum? an ex poëticâ Hyperbole? Vide Hiſtoricum ſenſum apud Toſtatum q. 14. in nominatum modò caput; myſtica nobis conſideratio talis: Dauid, atque Saul vterque cùm regnarint, gubernatores deſignant: at Saul in choleram procliuis, melancholico Spiritu ſæpè correptus, incitatus & vehemens, Prælatos refert, quorum dura eſt frons & ſubtriſtior, qui in ſeueritatem declinant, metas iuſti vigoris nonnunquam prætergredientes: Dauid autem manſuetiſſimus virorum, erga iuratos etiam inimicos ſerenus, & blandus Pater, ſuperiores exprimit, quorum vultus hilarior abſque grauitatis detrimento, verba amica, cor ſuauiſſimum: Vt igitur denotet inter hos Paſtores quantum ſit diſcrimen, quibúſque modis excellat lenitate fundatum imperium, aſſerit decies præclariorem eam quam Dauid conſequutus ſit Victoriam; tantúmque abeſſe, vt lenitas, quæ ob mollitiem effœminata videbatur, ad Bella ineptior cenſeatur, vt huius multò fortior ſit virtus: & cùm aſperitate vincantur mille hoſtes ſolùm, lenitudine ſuperentur decem millia: Ambroſius in illud Pſalm. 43. *In te inimicos noſtros ventilabimus, &c. Ideò Saul in millibus, Dauid in decem millibus: quia durus in paucis, manſuetus in pluribus.*

1. Reg. 18. 7.
Toſtat.
*Saul Prælatũ ſeuerum ſubtriſtem, durũ: Dauid mitem refert.*
Ambroſ.

38. Talis Meſſiæ principatus ſub typo Ioſeph à Moyſe delineatus, Deuter. cap. 33. verſ. 17. *Quaſi primogeniti Tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius, in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ:* Tertullianus libro aduerſus Iudæos ſequutus L X X. Seniores, qui μονοκέρωτα vertunt, *Vnicornem dixit*, quæ multis placuit lectio, ex iis Toſtatus quæſt. 5. in hoc Deuteronomij caput, ac ſunt qui putant vnum idémque eſſe Animal, quod vtroque indicatur vocabulo, contraria fortaſſe verior opinio, ſed modò non refert; illud diſcutiendum potiùs, cur à Tauro deſumpto comparationis initio, cùm & polleat cornibus, non hæc Chriſto tribuerit? nempè Taurorum Cornua, cùm beneficâ nullâ præſtẽt virtute, damna tamen afferunt, non ſic de Vnicornium cornibus, nam aduerſus aconîtum poteſtatem habere multa docet experientia, docet Pierius ſub finem libri 2. Hieroglyphicorum: cæterùm Rhinoceros quanquàm eo armatus à natura præſidio, ſed cornu non lædere Marcus Polus Hiſtoriæ ſuæ lib. 2. cap. 43. ſcribere aſſeritur à noſtro Lorino ad v. 22. Pſalmi 21. Igitur, cùm in Tauro, quod iucundum & elegans eſt, formam ſcilicet, atque proportionem Redemptori accommodaſſet, abſtinuit continuare ſimilitudinem in Cornibus, ea magis coaptans, quæ vel non dilacerant & impetunt; vel Antidoto ſunt aduersùm venenata, quò ſic Chriſtum vndequáque mitem, placabilem, ſalutarem effingeret: quem in ſcopum tanta diligentiâ eius clementiam probare conatus fuerit? nempè, ſubillaturus erat ſtatim: *In ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ;* quâ loquutione adumbratam Nationum conuerſionem, quà latè patet Orbis, cùm abiuratâ idololatriâ Ieſu Chriſti fidem admitterent, Tertullianus memorato ſuperiùs Codice exponit; Quo igitur nemini mirabile foret, potuiſſe Chriſtum ſubiugare non longo tempore, tot támque indomitos populos, quorum ſumma contumacia fuit; ſubindicat egregiè mitem & gratioſum extitiſſe, vt qui de Tauri ferocia nihil aſſumpſerit: cornua habuerit quidem, ſed medicinalia, qualia Vnicornibus: ſed ferire neſcia aut lædere, qualia Rhinocerotis: nihil tam rebelle, quod non manſuetudine cicuretur; Vicit, attraxit lenitate Euangelij Ieſus Prouincias omnis humanitatis expertes, dilatauit imperij fines vſque ad extremum terræ; iam in omnibus gentibus magnum nomen eius, & ſacrificatur ei à ſolis ortũ vſque ad occaſum; cùm tamen antea, quoad ſeuerus & percutiens, notus in Iudæa eſſet, nec ſequeretur tamen vel vnus ille populus conſtanter, Diis Ethnicorum non rarò thura offerens.

Deut. 32. 17
Tertullian.
L X X.
Toſtat.
*Rhinoceros cornu non lædit, aliàs in venena ſaluberrimo.*
Pierius.
Marc. Pol.
Lorin.
*Chriſti clementia fortis, Tauro expreſſa, cornua Rhinocerotis habente.*
Tertull.

# VESTIGATIO V.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, In ſecundam Periodum Verſus tertij ex Capite primo Canticorum.

*Textus*: Introduxit me Rex in Cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: Recti diligunt te. *Cap.* 1. *verſ.* 3.

*Maritus Rex, vxor Regina dicti, ex Pſ. 44. probatum; Dominus quoque, & Domina: Regna Vini quænam cenſeantur? Triclinij Præfectus, & eius munera: Eſtheris locus, alter Eccleſiaſtici detenebratus: ſedendi locus in epulis; ex Geneſi explicatum; Architriclinus apud Hebræos qualis? de Ioannis Textu: annulus quamobrem nouæ nuptæ conceſſus? Iſaias & Deuteronomium interpretata; Cellarium multiplex: obſignata annulo vtenſilia à Matrefamilias.*

### SECTIO I.

1\. *Quauis Familia, Regnũ, cuius Rex Maritus, & Regina vxor.*

SPONSVM eſſe, à quo in Cellaria admiſſam ſe, Virginibus narrauerit, peruulgata ſententia eſt, quanquàm diſcordia aliqua propter vocabulum: nam cur Regem dicat? An blanditiarũ gratiâ? an ob trabeam & Diadema, reliquúmque Imperatorium faſtum, quibus excellebat? Habet vtrumque effatum Tutelares: propior vero, quæ explanatio ſentit Coniugatos omnes Regum, Reginarúmque titulis demonſtratos, vt Rex idem ſit, quod Maritus; Regina id, quod vxor: Certè Philoſophus lib. 1. de Republica, cap. 1. omnem familiam quaſi Regnum eſſe pronunciauit; quâ ex opinione Chryſoſtomus in Pſalm. 3. *Quoniam ergo Dauid mulierem, quæ erat in Mariti poteſtate, tanquam alienum Regnum occupauerat (cuilibet enim viro regnum eſt concors coniux:) propterea, qui ex vxore natus ei erat filius, inſurrexit tyrannus volens arripere regnum Patris:* Sed expreſſit Chriſtiano verſu Prudentius aduerſus Marcionitas:

Ariſtot. Chryſoſtom.

*Quid, quod & ipſe caput muliebris corporis, & Rex*
*Qui regit inualidam propriâ de carne reſectam*
*Particulam; qui vas tenerum ditione gubernat:*
*Soluitur in luxum.*

Prudent.

Quamobrem Hebræam vocem שגל *Schegal* cùm Pſalm. 44. verſ. 10. *Reginam* LXX. verterint Seniores, Theodotion, & ſexta editio: Hieronymus qui idipſum præſtitit 2. Eſdræ cap. 2. verſ. 6. tamen ad Principiam ſcribens, & Pſalmi allegati verſum declarans, coniugem interpretatus eſt, quo more & Pagnini Tranſlatio: ac eſſe genuinam vocis primitiuæ ſignificationem, quæ Contoralem dicit, agnoſcunt in Pſalmos ſcribentes Genebrardus atque Lorinus: Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 4. ad verſ. 10. Pſalm. 44. Sanctius Prolegom. 6. in Canticum Salomonis, numero 25. Equidem in more fuiſſe, vt Domini nominibus atque Dominæ quiuis ſignificarentur coniugati, tale illud Catulli Epithalamio Iuliæ & Manlij:

LXX. Theodotion. Hieronym.

Pagnin. Genebrard. Lorinus. Pineda. Sanctius. *Maritus, Dominus: vxor, Domina.*

*Ac domum Dominam voca*
*Coniugis cupidam noui.*

Catull.

Pluribus confirmat Tiraquellus lege 1. Connubiali, num. 14. & lege 5. numero 13. Marcellus Donatus Pontani Comes ſcholiis ad Hiſtoricos Latinos, in Liuij illa ex lib. 39. *Vtique Fecenniæ Hiſpalæ*, &c. Et tamen quondam ea nomina Imperatorum & Auguſtæ propria, vt docet noſter Bullingerus lib. 1. de Imperatore Romano, c. 32. Sed Dominus, Réxque apud Martialem ſæpè pro iiſdem, lib. 1. Epigrammate 113. in Priſcum:

Tiraquell. Donat. Bullinger.

*Cùm te non noſſem, Dominum, Regémque vocabam,*
*Cùm benè te noui, iam mihi Priſcus eris.*

Martial.

Ergo quemadmodum Dominus & Domina, ſic & Rex, atque Regina idem quod Maritus, vxórque illius, quare rectè Sponſa Virum ſuum Regem appellauit.

2\. *Conuiuij Regem luſu ſortiebantur veteres, Sympoſiarcham, Magiſtrum, Patrémque Cœnæ dictũ.*

Rectè ſanè ita ſtatuunt, commodántque Textum, quibus cogitatio Sponſum adfuiſſe, qui nouam nuptam intromitteret: mihi tamen aſſeueranti diſtaſſe coniuges, Sponſo Ieroſolymis commorante, Sponſam tenente Libano; alia, eáque multùm diuerſa ineunda eſt via. Ergo, quod ſtrictim proſequutus ſum Tomo Præludiali, Anteloquio 5. ſect. 3. ſubſect. 2. de Rege Conuiuiorum, quem Modiimperatorem aliqui, Sympoſiarcham alij, Magiſtrum, & Patrem cœnæ vocant nonnulli, modò, quoniam opportunior locus, altiùs repetendum. Fuit igitur veterum vſus, quoties publicas celebrarent epulas, præſertim omni lætitiæ conſecratis Saturnaliorum diebus, Ianuariis Kalendis, talorum iactu Regem ſympoſiorum creare, de quo Principatu Horatius Carminum lib. 1. Oda. 4.

*Et domus exilis Plutonia, quò ſimul mearis,*
*Nec regna vini ſortiere talis.*

Horat.

Rectè teſſeræ & Aſtragalorum Luſui ſortem aptauit: Quid enim ibi non præter ſpem, & conſiderationem? Marcus Tullius libro 2. de diuina



diuinatione: *Quid enim* (ait) *eſt ſors? idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras: quibus in rebus caſus, & temeritas, non ratio & conſilium valet.* Sed rurſum idem Poëta lib. 2. oda 7.

Cicero.

*——quem Venus Arbitrum*
*Dicet bibendi?*

Horat.

Nam omnium fortunatiſſimus iactus talorum, cui Venus inſcriptio, vnde Propertius lib. 4. elegia 9.

*Fortunatior olim talorum iactus, Venus: vt Canicula damnoſior.*

*Me quoque per talos Venerem quærente ſecundos,*
*Semper damnoſi ſubſiliêre canes.*

Eâ de re ſatis apud noſtrum Bullingerum libro ſingulari de ludis veterum, cap. 58. Qui Rex euadebat, poteſtatem nanciſcebatur in conuiuas ſummam, vt eius pro arbitratu, ſederent, biberent, abſtinerent, canerent, nec ſi indecora præcepiſſet, ſubterfugere licebat: quare Tacitus lib. 13. Annal. cap. 3. *Feſtis Saturno diebus inter alia æqualium ludicra, regnum luſu ſortientium, euenerat ea ſors Neroni: igitur cæteris diuerſa iubet, nec ruborem illatura; vbi Britannico iuſſit, exurgeret, progreſſúſque in medium cantum aliquem inciperet, irriſum ex eo ſperans pueri ſobrios quoque conuictus, nedum temulentos ignorantis, ille conſtanter exorſus eſt Carmen:* ex Arriano, & Luciani Dialogis alia ſuppeditabit fulcimenta Lipſius Notis ad Tacitum, Bullingerus de Conuiuiis lib. 1. cap. 40. Cogebantur autem imprimis', quoad epularum Præpoſito vrgere placebat, vinum compotare, quem in ſenſum ab eruditis Magiſtri vocabulum conuerſum ex Lampridij Heliogabalo: *Præfectum Vrbicum ſæpe poſt cœnam ad potandum vocabat, adhibitis Præfectis Prætorij; ita vt, ſi recuſarent, Magiſtri eos cogerent.* Erat autem lex, quemadmodum Cicero Actione 3. in Verrem refert, vt aut biberent, aut diſcederent, idque ex Græcorum norma; Laërtius verò in Empedocle; vinum in eius, qui recuſaſſet bibere, caput, infuſum ſcribit: quin & vigiles adhibiti, qui num hauſiſſent, referrent: Seneca lib. 2. de ira, cap. 33. de Equite Romano à Cæſare ad cœnam vocato: *Propinauit illi Cæſar heminam, & poſuit illi cuſtodem: vnguentum, & coronas miſit, & obſeruare iuſſit, an ſumeret.* Prohibitus hic abuſus, vt qui Epiſcopali Menſâ indigniſſimus: Binnius parte 1. tom. 1. Conciliorum, in Euſebij Papæ Actis: *Oportet Epiſcopum* (ait) *moderatis epulis contentum eſſe: ſuóſque conuiuas ad comedendum, & bibendum non vrgere: quin potiùs ſobrietatis præbeat exemplum.* Atque hinc facula Eſtheris c. 1. verſ. 8. *Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut Rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet:* nam Græcorum more coactos à ſympoſiarchis, vellent, nollent bibere, oſtendimus: eam, quæ apud Perſas inualuit, ceſſare iuſſam regio edicto conſuetudinem mirando illo ſympoſio, atque vt pro arbitratu quiſque appoſitis frueretur, Ioſephus adſtruit lib. Antiquit. 11. cap. 6. προσέταξε τοῖς διακόνοις, μὴ βιάζεσθαι πίνειν τὸ ποτὸν αὐτοῖς συνεχῶς προσφέροντας, ὡς καὶ παρὰ Πέρσαις γίνεται, ἀλλ' ἐπιτρέπειν αὐτοῖς καὶ πρὸς ὃ βούλεται τῶν κατακειμένων ἕκαστος φιλοφρονεῖσθαι: Porrò id fortaſsè à Monarcha propterea factum, vt confluentium Hoſpitum quàm maxima eſſet pompa, cùm enim non pauci eſſent ſobrij; veriti, ne ſi ad conuiuium accederent cogerentur Temperantiæ limites prætergredi, ſympoſio abſtinuiſſent: volens igitur de multitudine commendari epulas; quæ retardare poſſent obſtacula, ſuſtulit.

Bullinger. *Epularũ Regi omninò parendum erat, ſummè imperanti.* Tacitus. *Nero Conuiuij Imperator.* Lipſius. Bullinger. *Aut potandum, dum Conuiuij Rex iubebat, aut abeundum.* Lamprid. Cicero. Laërt. *Potantibus vigiles adhibiti.* Seneca. Binnius. Eſth. 1. 8. *Coactio ad bibendum antiqua.* Ioſeph. *Cur in Aſſueri conuiuio libera cuique potatio?*

3\. An verò huiuſmodi aliquid in Hebræorum alacrioribus gaudiis, definire non auſim, præſertim de regno talorum iactibus occupato: Plutarchus ſympoſiacωn lib. 1. quæſt. 4. & coronæ impoſitione Conuiuiorum creatum Magiſtrum aſſerit: ad aliquam tamen electionem genialis iucunditatis reſpicere videatur Eccleſiaſtici caput 32. verſ. 1. *Rectorem te poſuerunt? noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*: nam hæc verba ſummam illam poteſtatem arguere quiſpiam cogitet, qua Triclinij Magiſter deſpotico iure conuiuis imperare valeat, quod lubitum eſt, quâ ne abutatur authoritate, conſilium datum, ſic enim promerebitur beneuolentiam Hoſpitum, qui nonnunquam illâ ablatâ Imperij laruâ, cuius breuis vita, nimiam licentiam vlciſci conſueuerunt: ita, qui in Saturnalibus ex Mancipiorum numero Reges Hilariorum deſtinabantur, procaciùs agentes, depoſitâ Hiſtrionicâ maieſtate, vapulabant à Dominis, vti ſubinnuit Themiſtius oratione vltima: τοῦτον βασιλέα οὐκ αἱροῦντες ἄνθρωποι ἐν συμποσίῳ ἐν μέθῃ καὶ πλησμονῆς ἀτέχνως, ἐπιδείπνιόν τινα βασιλέα, οὐκ εἰς μακρὸν οἰμωξόμενον μετὰ τὴν κραιπάλην, ὥσπερ ἐν Κρονίοις. *Hunc igitur, cùm homines regem in conuiuio per ebrietatem, & comeſſationem elegiſſent ſimpliciter; Regem quendam conuiuij, qui breui pœnas erat daturus poſt crapulam, vt in Saturnalibus.* Cæterùm de ludicro illo Magiſtratu, vbicumque eius vſus, non omittendus Ælius Spartianus in Seuero: *In prima Pueritia* (ait) *priuſquàm Latinis, Græcíſque literis imbueretur, quibus eruditiſſimus fuit: nullum alium inter pueros ludum niſi ad iudices, exercuit; cùm ipſe prælatis faſcibus, ac ſecuribus, ordine Puerorum circumſtante, ſederet, ac iudicaret:* Trebellius item Pollio in Galienis: *Cúmque ludibrijs, & helluationi vacaret, neque aliter Rempublicam regeret, quàm cùm Pueri fingunt per ludibria poteſtates; Galli, quibus inſitum eſt*, &c. Ac quanquam Regnorum hæ repræſentationes voluptatis potiſſimùm causâ inuentæ, nec in cuiuſquam inuidiam, aut acerbiorem contumeliam; nonnunquam ad opprobrium conflatæ & moleſtiam, & in reorum ſummum deſpectum: ſic in Agrippæ ruborem ab Alexandrinenſibus Carabæ cuidam ex furioſis hominibus Philo Iudæus libro in Flaccum propè initium teſtatur: *Mox capiti* (inquit) *diadema imponunt papyraceum: pro paludamento corpori ſtoream induunt, pro ſceptro fruſtum arundinis humi ſublatum quidam dedit ei in manum: ſic ornatum regijs inſignijs, & in Regem transformatum more hiſtrionico, Adoleſcentes perticas in humeros geſtantes ſtipabant pro ſatellitio: tum alij ſalutatum accedebant, alij ſibi reddi iura petebant, alij conſulebant eum de Republica: poſthæc acclamatum eſt à circumſtantibus, magnâ voce* Marim *appellantibus, quod nomen Syris ſignificat Dominum: Norant enim Agrippam Syrum genere, & regnare in bona parte Syriæ.* Sed huius Tragœdiæ lamentabile ſpectaculum fuit, quod inaudito feritatis genere cum Redemptore hominum, Dei Optimi Maximi ſobole perpetratum, cuius verticem non papyraceæ ambierunt Corollæ, ſed proh dolor! ſpinæ horrentes vulnerarunt. O militum execrandam inſaniam, qui non ſunt reueriti vultum illum, in quem deſiderant Angeli proſpicere; *ſed veniebant ad eum & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas*, Ioan. cap. 19. verſ. 3. ante hæc purpurâ indutum rhamno coronarunt.

Plutarch. Eccli. 32. 1. *Rex conuiuij ſuâ depoſitâ Maieſtate ſæpe de ſuis imperijs punitus.* Ælius Spart. *Ad Iudices ludus.* Trebell. Poll. *Hæc luſoria regna in alicuius aliquãdo contumeliam & opprobrium.* Philo. *Hoc irriſorio Regno Chriſto illuſum.* Ioan. 19. 3.

4\. Ergóne, qui Sponſam in cellaria intromiſit, huiuſmodi ludicer compotantium Rex? Nequaquàm: Nam & ſeriò res quoque tractabatur: Quamobrem in Nobiliorum ædibus, inter aulæ officia Magiſter erat Triclinij, qui & hoſpites inuitabat, & loca in conuiuio diſtribuebat &

*In Nobiliorũ ædibus, non iam ioco, ſed ſeriò inſtituebatur Magiſter aliquis Triclinij.*

quid vnicuique apponendum ; denique ciborum
& miniſtrationis Regulas ferebat ; de quo Iuue-
nalis Satyra 5.
Iuuenal. *Structorem interea, ne qua indignatio deſit,*
*Saltantem ſpectes, & Chironomonta volanti*
*Cultello ; donec peragat dictata Magiſtri*
*Omnia ; nec minimo ſanè diſcrimine reffert*
*Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.*
*Architriclini munus : & qualis debuit eſſe.* Et quemadmodum in ferculorum partitione,
inque occupando loco celſiori diſcubitus leges
ſeruatæ, commonſtraui Anteloquiorum quin-
to, Beati Euangeliſtæ Lucæ, atque Athenæi pro-
ductis teſtimoniis ; Nunc ſubit illud de antiquiſ-
ſima modeſtia Romanæ iuuentutis apud Vale-
Valer.Max. rium Maximum lib.2. cap. 1. num. 6. *Inuitati ad*
*cœnam diligenter quærebant, quinam ei conuiuio eſ-*
*ſent interfuturi, ne Senioris aduentum diſcubitu præ-*
*currerent.* Sed morem fuiſſe vetuſtiſſimum pro-
bat Geneſ. cap. 43. Nam Ioſepho quaſi hono-
ratiori appoſita Menſa ſeorſim ; Deinde hoſpi-
Geneſ.43. tes *Sederunt coram eo, primogenitus iuxtà primo-*
*genita ſua, & minimus iuxtà ætatem ſuam:* Et ad
Benjamin delata, quinque partibus ſupera-
runt aliis appoſita fratribus. Et quanquam in-
ter Conuiuas Modimperator connumerari ſo-
litus, vnde Auſonij vulgatum in Ephemeride
Auſon. dictum : *Sex enim Conuiuium cum Rege iuſtum* : At
non ſedebat cum primis epulantibus, indicat pa-
Eccli.32.2. làm Eccleſiaſticus cap. 32. verſ.2. *Curam illorum*
*habe ; & ſic conſide, & omni curâ tuâ explicitâ recum-*
*be*, hoc eſt, poſtquàm epulati fuerint qui aduene-
runt hoſpites, tum enim, neque antea omni curâ
liberatur ; idem fortaſsè verba Macrobij reſpe-
Macrob. xerint ex 1. Satur. cap.7. *Hîc video, excepto Rege*
*Conuiuij, tot nos eſſe, quot ſunt Muſæ* : neque enim
Præpoſitus obſoniorum conſiderat pariter: meri-
tò ita prouiſum ; ſobrium enim atque tempera-
tum eſſe oportebat, cui ſub tumultu, qualis eſſe
in genialibus ſoleat, adminiſtratio gerendorum
commiſſa : quare relatus nuper Macrobius lib.2.
Macrob. Satur. cap. 1. *Nam ipſe Rex Menſæ nec in moribus*
*Socrate minor, & in Republica Philoſopho efficacior,*
&c. Et egregiè Chryſoſtomus hom.21. in Ioan-
Chryſoſtom. nem : *Etenim nemo ignorat huiuſmodi in Conuiuijs*
*Architriclinius ſobrius, & apud Iudæos de ordine Sacerdotali.* *munera* (loquitur de Architriclino) *maximè ſobrijs,*
*& temperantibus demandari ; quorum ſolum officium*
*eſt, vt debito ordine & apparatu omnia diſpenſentur:*
quin & in nuptiis præſertim apud Iudæos eo
functos munere, qui eſſent de Sacerdotali ordi-
Alcuin. ne, Alcuinus in Catena S.Thomæ, & Nicolaus de
De Lyra. Lyra, dum quis fuerit, qui apud Ioannem cap.2.
verſ.8. Architriclinus nominatur, ediſſerunt, ſub-
ſcripsêre ; placuit & Gaudentio Brixienſi Anti-
Gaudent. ſtiti Tractat. 9. *Nuptiæ* (inquit) *apud Iudæos cùm*
*fierent, vnus (quantum traditione comperimus) daba-*
*tur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legi-*
*timæ gubernabat, pudoriſque curam gereret coniuga-*
*lis : ſimul etiam Conuiuiorum apparatui Miniſtros, at-*
*que ordinem diſpenſaret : & pro hoc officio Architri-*
*clinus, hoc eſt, Triclinij Præpoſitus dicebatur.* Certè
ſpectaſſe ad eum omnem epularum diligentiam,
quicquid de Sacerdotali eminentiâ, agnoſcit
Chryſoſtom. prolatus iam Chryſoſtomus, Euthymius, Theo-
Euthym. phylactus, Rupertus lib.2. in Ioannem, Caietanus
Rupert. Caietan. in eius c.2. Maldonatus, Ianſenius : ſed vocabulo
Maldonat. noſtræ meræ opportuno Regem appellauit Pru-
Ianſen. dentius, hymno intitulato pro omni hora :
Prudent. *Cantharis infuſa lympha*
*Fit Falernum nobile :*
*Nunciat vinum miniſter*
*Eſſe promptum ex hydria :*
*Ipſe Rex ſapore tinctis*
*Obſtupeſcit poculis.*
Sic & dictus ab Apollinari Sidonio lib.9. ep. 13. Sidon.Apoll.
Tonantio ſuo : *Dum Rex Conuiuij circa ordinandum*
*moras nectit Oxygarum* : Et vocarunt eodem no-
mine multi iam allegati ſcriptores.
Cùm igitur geniale Epulum, quod permagni- 5.
ficum futurum erat, neque vnum illud, ſed mul- *Conuiuiorum*
ta, & opulenta Conuiuia, hæc autem celebranda *genialium in*
eſſent, vbi Sponſa commorabatur, Libano nem- *Libano cele-*
pe, comparatis apud Metropolim, quæ in tantos *brandorum*
ſumptus neceſſaria erant, dulciariis, vnguentis, *apparatus dines.*
exquiſitiſſimis quibuſque eſcis ab omni ferè ele-
mento mendicatis, Menſis tricliniaribus operoſæ
materiæ, & ingenij politioris monumentis, au-
læis Babylonicis : quibus addebantur precij ſum-
mi res aliæ plurimæ, quoniam oportebat in ho-
ſpites munera diſtribui ſingularis elegantiæ eum
valore pariter : dixi quidpiam Anteloquiorum
tertio, num. 120. Subaddo ex Athenæi Dipno- *Munera in*
ſoph. libro duodecimo, Antiochum Regem, cui *hoſpites di-*
cognomen Gryphus, *Conuiuis coronas aureas dediſ-* *ſtribuenda.* Athenæus.
*ſe, argentea vaſa multa, ſeruitia, equos, Camelos, &*
*eum, qui ſingulis adſtabat Puerum* : déque Ægyptio-
rum Regina Cleopatra, idem lib.4. memorat, iis,
*qui dignitate antecellerent lecticas cum lecticarijs con-* Idem.
*ceſſas, plurimis equos argenteis phaleris decoros, omni-*
*bus Æthiopicos Pueros, qui facibus prælucerent.* Plu-
tarchus autem in Alexandro meminit, cùm ſuas
Amicorúmque nuptias celebraſſet, *hoſpitum cui-* Plutarch.
*que, quorum fuit numerus nouem millium, auream*
*phialam ad libandum donaſſe* : quare Ambroſius ex-
hortatione ad Virgines : *Qui ad Conuiuium* (ait) Ambroſ.
*magnum vocantur apophoreta ſecum referre conſueue-*
*rant.* Hâc igitur onuſtum ſupellectile variâ atque
locuplete, epulis tamen deſtinata Vniuerſa, Tri-
clinij Præfectum antè ſe in Libanum Sponſus
miſerat : qui vt promptuariis recluſit, ſingulis *Sponſa ab*
per loca apta diſtributis, nouam ad contemplan- *Architriclino*
dum vocauit Sponſam : vel, quod ſciret mulie- *(qui Rex nominatur hic)*
brem animum talibus oblectari ſpectaculis : vel *à Sponſo ad*
ex iuſſu Principis cupientis lenire ſuam propter *parandam*
abſentiam Virginis mœrorem ; quæ cùm cerne- *nuptiarum*
ret in promptu eſſe totum nuptialis cœnæ appa- *pompam in*
ratum ; colligeret, non poſſe in longum differri *Libanū miſſo,*
genialem gloriam, atque ideò vires reſumeret, & *introducitur*
deſineret lugêre : Hic igitur Rex eſt, nempè Epu- *in cellaria.*
larum Magiſter, & OEconomus, quem Regem
nominatum ſatis euicimus, à quo Sponſa intro-
ductam ſe in Cellaria affirmat, non autem ab
ipſomet Sponſo eius.
Scio Origenem hom.1. ex duabus, & ex qua- 6.
tuor etiam Cellaria dicere, in quibus Regum ga- Origen.
zæ coaceruantur perilluſtres ; quem ſectatur
Philippus Abbas lib.1. in Cantica, cap.14. Nos Philipp.Abb.
verò ciborum apothecas facimus : Verùm vt age-
remus, noſtram cauſam iuuaret Philo Carpathius Philo Carpathius.
de Euchariſtia exponens ; itémque Ambroſius Ambroſius.
lib.5. de Sacramentis, cap.2. Sed eadem ſentimus, *Quænam hic*
nam ab Architriclino præter obſonia allatam *Cellaria ?*
fuiſſe diuitem ſupellectilem variarum mercium *quid in illis*
confeſſi ſumus ; quæ diſtributa ab eo per varias *aſſeruatum?*
cellas, vt haberent quædam cubicula veſtem, alia
vinum & eſcas ; aliis aſſeruata aromata, aliis gem-
mæ, tapetia, murrhina, quæ vel promptuaria, vel
horrea, vel Cellaria rectè nominentur ; de qui-
bus ſermone 23. in Cantica aptè Bernardus : *Ve-* Bernard.
*rùm de Cellarijs his quid ſentiendum putemus? Cogite-*
*mus ea interim loca quædam redolentia penès Spon-*
*ſum, plena odoramentis, referta delicijs : in iſtiuſmodi*
*nempè officina potiora quæque ex horto, ſiue ex agro*
*ſeruanda*



*ſeruanda reperiuntur* : De penore ſiue Cellario eru-
Vinc.Riccar. ditè in hunc Epithalamij locum Vincentius Ric-
cardus Notis in Matthæi Cantacuzeni explana-
tionem in Cantica, non grauabimur ab eo præ-
termiſſum Columellæ locum tranſcribere, vt no-
rit Lector, quàm diuerſæ Cellariorum eſſent
manſiunculæ ; libro duodecimo de re Ruſtica,
cap.3. *Ac primùm, ea ſecreuimus, quibus ad res di-*
Columell. *uinas vti ſolemus : poſtea mundum muliebrem, qui ad*
*dies feſtos comparatur ; deinde ad virilem, item die-*
*rum ſollennium ornatum, nec minus calceamenta vtri-*
*que ſexui conuenientia : tum etiam ſeorſim arma, ac*
*tela ſeponebantur, & in alterâ parte inſtrumenta, qui-*
*bus ad ſacrificia vtuntur : poſt quæ ad cibum conficien-*
*dum vaſa (vt aſſolent) conſtituebantur : inde quæ ad*
*lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad menſam*
*quotidianam, atque epulationem pertinerent, expone-*
*bantur* : de horreo Apuleius libro, tertio Mileſ.
Apuleius. propè finem : *Tunc horreum quoddam ſatis validis*
*clauſtris obſeptum, obſeratúmque, quod medijs ædibus*
*conſtitutum, gazis Milonis fuerat refertum, ſecuribus*
*validis aggreſſi diffindunt ; quo paſſim recluſo totas*
*opes vehunt* ; & alia apud Barnabam Briſſonium
lib.4. Antiquitatum ſelectarum ex iure ciuili,
cap.18. Denique huiuſmodi Receptacula illa, de
Briſſon. quibus Iſaiæ, cap.39. verſ.2. *Lætatus eſt autem ſuper*
Iſai. 39. 2. *eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum, & ar-*
*genti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi,*
*& omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa, quæ*
*inuenta ſunt in theſauris eius.*
7. Sed cur introducta ſit à Modimperatore in
*Annulus futuri Coniugij pignus Sponſæ datus à Spōſo.* cellaria, aliam reperiemus cauſam, ſi modò ſta-
tuamus ſub Sponſaliorum fœdere Annulum à
Sponſo nuptæ traditum nouæ, velut arrhabo-
nem, & pignus ſequuturi Connubij, oſtendi Præ-
Iudiali opere, Anteloquio 4. ſectione 6. num.44.
de Tertulliani Apologetici cap. 6. ex Hiſpalenſi
Iſidoro, Etymolog. lib.20. Sed idem lib. quoque 2.
Tertullian. de diuinis officiis, cap. 15. *Quod in primis nuptijs*
Iſidor. Hiſp. *annulus Sponſæ à Sponſo datur, ſit propter id, vt eo-*
*dem pignore eorum corda iungantur.* Petrus Rauen-
Chryſolog. nas ſermone 5. de duobus filiis ; in illud : *Poſuit*
*annulum in manu eius*, &c. *Annulum honoris, ti-*
*tulum libertatis, arrham cœleſtium nuptiarum.* Iuue-
nalis Satyra 6.
Iuuenal. *Conuentum tamen, & pactum, & Sponſalia, noſtra*
*Tempeſtate paras, iámque à tonſore Magiſtro*
*Pecteris, & digito pignus fortaſſe dediſti.*
*Annulo domeſtica ſupellex omnis obſignata.* Vtique annulum, quem Puellæ inſeruit digito
fideiuſſorem Connubiorum : Porrò Annulorum
munus, obſignare omnem domeſticam ſupellecti-
lem contra rapinas : Subminiſtrabunt teſtimonia
plurima ad cap. 2. lib. 2. Annalium Taciti, Li-
Lipſius. pſius, & Dorleans : Marcellus Donatus Scholiis
D'Orleans. ad Hiſtoricos Latinos ad cap.73. Suetonij in Ti-
Donat. berio : noſter Sanchez in cap.9. Iob. numero 17.
Sueton. Aloiſius Nouarinus cumulatiſſimè Sacrorum
Sanchez. Electorum libro tertio ; cuius ſignificationis
Nouarin. Deuteronomij verſus 34. ex capite 32. *Nónne hæc*
Deuteron. 32 34. *condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?*
Verùm, cuiuſnam Annulus ille recluſorius,
Clem. Alex. Mariti, an Vxoris ? Certè Mulieris, imò propter
hoc à Sponſo datus : Clem. Alex. Pædagog. lib.3.
cap.11. δίδωσιν οὖν αὐταῖς δακτύλιον χρυσοῦν, οὐδὲ τοῦ-
τον εἰς κόσμον, ἀλλ' εἰς τὸ ἀποσημαίνεσθαι τὰ οἴκοι φυλα-
κῆς ἄξια διὰ τὴν ἐπιμέλειαν τῆς οἰκουρίας : *Dat ergo annulum*
*aureum* (fœminæ ſcilicet vir qui Pædagogus il-
lius,) *nec eum quidem ad ornatum, ſed vt ea obſignet,*
*quæ domi digna ſunt, vt cuſtodiantur, propterea quod*
*ſeruandæ domus ad eam cura pertinet* : Cicero ad
Cicero. Tironem lib.16. epiſt.26. *Sicut olim Matrem no-*
*ſtram facere memini, quæ lagenas etiam inanes ob-*
*ſignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuiſſe, quæ fur-*
*tim eſſent exſiccatæ.* Plauti in Caſina Actu 2. Sce-
na 1. loquitur Cleoſtrata Materfamilias cum
ancilla: Plautus.
*Obſignate cellas, referte annulum ad me,*
*Ego huc tranſeo in proxumum ad meam viciñā,* &c.
Hieronymus epiſtola 47. de vitando ſuſpecto
contubernio, in amaſio iuuene reprehendit,
quòd domi ea gerat, quæ muliebris officij ſunt:
*Qui ipſe* (inquit) *ſacculum ſignet, textrinum teneat,* Hieronym.
*penſa diſtribuat, regat familiam.* Igitur ſi Sponſæ
dabatur Annulus, erántque hoc ſigillo munien-
dæ Res omnes domeſticæ ; dicemus propterea
à Conuiuiorum Præpoſito introductam eam in
Cellaria, vt annulo eo, quem à viro acceperat,
cùm ſub arbore Malo nuptias pollicitus eſt ;
quam ex Ieroſolymis attulerat ſecum multipli-
cem, & pretioſam Tricliniorum gazam, illa ſi-
gnaret ; ne domeſticorum fraude clanculùm ali-
quid diſtraheretur, culpa autem verteretur in
OEconomum, cuius videlicet ob negligentiam
aut ſupinam, aut tacitam res deperditæ fuiſſent.

---

*Imitatio Pſalm. 44. Iuſtitia ſocianda Cle-*
*mentiæ, Regibus : Nuptialium Hilariorum*
*Virgines præcipua inſtrumenta : Natura*
*præſtantior opifex, quàm Ars : Matthæus*
*enodatus : vnguentorum præcipua laus,*
*odor : domus animæ quid Hebræis? Geneſis*
*ſententia ; mulierum ambitioſa & ſuper-*
*ba frequenter conditio.*

## SECTIO II.

POſtquam introducta in apothecas Sponſa, 8.
contemplata eſt qualia, quantáque præpa- *Expoſitio Literæ.*
raſſet Dilectus eius in pompæ genialis celebri-
tatem, non potuit non incredibili voluptate af-
fici ; magníſque incenſa Amoris æſtibus, con-
uerſa ad Virginum, quæ famulabantur, cateruas
alacres pro Dominæ ſumma lætitia, Sponſa Bo-
norum Authorem alloquuta abſentem quan-
quàm : *Exultabimus* (ait) *& lætabimur in te memo-*
*res vberum tuorum ſuper vinum* : Magna quidem
ſunt hæc, & incomparabilia tua dona Sponſe
mi, verùm nos quæ ſyncerè amamus te, abſit vt
propter munera iucundemur : in te exultabimus,
non in donis tuis, vtique memores vberum tuo-
rum, hoc eſt, charitatis tuæ erga immeritas ; mo-
uet Amor vt diligamus pluſquàm vinum, id eſt,
magis quàm quicquid eſt in vita humana de-
lectabile, ſeu opes, ſeu deliciæ, ſeu hono-
res : fortior vniuerſis Amor tuus, in quo ſolo re-
quieſcimus. Hæc Ambroſij interpretatio libro
de Iſaac & Anima, cap.3. *Non enim in diuitijs auri,* Ambroſ.
*argentique theſauris, non in poſſeſſionum fructibus,*
*non in poteſtatibus, non in conuiuijs, ſed in ſolo Deo*
*exultat, dicens ad eum : diligamus vbera tua ſuper*
*vinum* : Porrò veſtigatione 2. ſectione 2. oſtendi- *Sponſa purus*
mus & vberibus ſignificari congruè Amores, & *Amor iuſtuſque.*
vino, gaudioſa omnia : At ne quis ſuſpicetur, cùm
obaudit Sponſam aſſeuerantem affectum omnem
in Dilectum ferri, non in eius facultates, & diui-
tias, quaſi formam eius tantùm diligat, & Car-
nis pruritum eſſe, ſubiungit egregiè eum à ſe
adamari virum, quem probi omnes & ſanæ Men-
tis homines depereant vnà ; qua ex re peritè col-
ligunt cuncti ferè iuniores Epithalamij huius
interpre

interpretes, quàm ſit caſtus Amor, quem Salomonis concelebrat Muſa: Sed iidem obſeruarunt ex Hebræo in abſtracto legi poſſe: *Rectitudo, vel æquitas dilexit te*, quo pacto

LXX.

L X X. expreſſerunt & Græci Patres: pro vulgata tranſlatione

Anſelm.

Anſelmus: *Scilicet, debemus in te exultare, & te diligere; quia omnes, qui recti ſunt, hoc faciunt, quare niſi hoc fecerimus, recti eſſe non poſſumus*: Sed Origenes Septuaginta ſequutus, æquitatis nomine virtutum & gratiarum intellexit chorum, quo more & in Theologorum ſchola iuſtitiæ vſurpatur vocabulum, pro omni virtute generatim: *Poſſumus autem etiam ſic accipere* (inquit Adaman-

Origenes.

tius ad finem homiliæ 1. ex quatuor) *vt videatur ſimile eſſe, quod dixit; æquitas dilexit te, ac ſi dixiſſet: iuſtitia dilexit te, & veritas, & ſapientia, & pudicitia, & ſingulæ quæque virtutes*: ait igitur Virgo, propterea ſe Sponſum impensè diligere, quòd in eum omnes confluant gratiæ, quòd nulla ſit virtus, quæ ab eius abeſſe excellentiſſimo animo patiatur: non igitur impurè diligit ea, quam virtus ad amandum ſtimulat; quam pectoris, non faciei ornamenta concitant.

9.

*Sponſus vt Clemens ſic Iuſtus.*

At ſi bene animaduertimus, hucuſque Sponſa ſuauiſſimos Dilecti mores, & benigniſſimam indolem miris euexit encomiis: itaque indulgentiam ſonant & vbera quæ tribuit, & odor vnguentorum, poſt quem curſura ſit, denique & Pacem, manſuetudinem, dulcedinem ipſam nomen eius eſſe dixit, cùm *Oleum effuſum* appellauit: modò annectit, cum quem hactenus mitem deſcripſerit, eundem placidè ſeuerum eſſe, neque minus iuſtitiâ conſpicuum, quàm clementiâ; quare & æquitatem pariter nomen illi eſſe: Origenes hom. 1. ex duabus, licet aliter formet Dialogiſmum putans cum Sponſa loquutas Adole-

Origen.

ſcentulas: *Laudant* (ait) *Sponſam, nomen illi æquitatis à proprijs virtutibus imponentes; æquitas dilexit te*: Sic & in Pſalm. 44. cuius eſſe germanam Odam hanc nuptialis hymni ſæpiùs monuimus, cùm diffuſam in labiis gratiam ſignificaſſet, & oleo delibutum præ conſortibus, quibus pacem commendauit; ſubiunxit iuſtitiæ ornamentum: *Sagittæ* (inquit) *tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda*

Pſalm. 44.

*Clementia & Æquitas Sociæ vnanimes.*

*inimicorum Regis: virga directionis, virga regni tui*: Præclarè id quidem Sponſa: primùm, quoniam ſociæ vnanimes Clementia & Æquitas, vt apud Stobæum de Pythagoricis vnus loquitur ſermo-

Stobæus.

ne 147. vocans *Comites, atque Contubernales iuſtitiæ æquitatem, atque clementiam, ſiue ad ignoſcendum propenſionem; quarum iſta præſcriptam pœnæ duritiam emolliat; hæc delinquentibus veniam aliquatenus indulgeat*: Deinde, quoniam illaudata eſt ipſa manſuetudo, ſi Iuſtitiæ abſit vigor; Seneca lib. 1. de Clementia, cap. 2. *Nec promiſcuam habere*

Seneca.

*clementiam oportet, nec abſciſſam: nam, tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt, quàm nulli.* Ambroſius de obitu Theodoſij elegantiſſimè: *Neque iuſtitia*

Ambroſ.

(ait) *ſine miſeratione eſt, nec ſine iuſtitia miſeratio, quia ſcriptum eſt: noli eſſe nimiùm iuſtus: non impedit tamen iuſtitia miſericordiam, quia miſericordia ipſa iuſtitia eſt.* Gregorius Romanus 2. part. Paſto-

Gregor.

ralis, cap. 11. *Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſuauitate: faciendum quoddam temperamentum ex vtroque; vt neque multâ aſperitate exulcerentur ſubditi; neque nimiâ benignitate ſoluantur.* Et alludens ad Samaritani doctam medelam, Luc. cap. 10. verſ. 34. Ber-

Bernard.

nardus ſermone 44. in Cantica: *habens itaque ex fraterno oleum manſuetudinis, & ex diuino amore vinum æmulationis, ſecurus accede ad ſananda vulnera illius, qui incidit in latrones, piiſſimi Samaritani optimus imitator.* Arnoldus Carnotenſis tractatu vl-

Arnold. Carnot.

timo de verbis Domini in Cruce propè finem: *oportet quippè, vt omnia, quæ agit moderatrix Ratio, ſic diſponat, & ſic ſuis locis aptet miſericordiam, & iudicium: vt cùm iudicat, Seueritas non excludat Clementiam; & cùm miſeretur, Iuſtitiam Pietas non relinquat.* Verùm quid Philo Hebræus de Cle-

Philo.

*Nimia benignitas nocet & Principi & ſubditis.*

mentia ſentiat, quam iuſtitia deſerit, eius promamus ex libro, qui de Agricultura eſt: *Benignitas enim res eſt contemptibilis; vtriſque tum principibus, tum ſubditis noxia: illis, dum contempti, nec priuatim, nec publicè valent aliquid rectè conſtituere, interdum etiam principatu ſe abdicare coguntur: his verò, dum ex continuo Magiſtratuum contemptu, negligentiores facti, magnum morbum, arrogantiam ſibi contrahunt.* Venuſtè Græcus Epigrammatarius lib. 4. ἀνθολογίας.

Antholog. lib. 4 c. 4. 18.

Μίξον μειλιχίῃ βαιὸν φόβον, ὅπι καὶ αὐτὴ
Βομβεῦσα μέλισσα κορύσσεται ὀξέϊ κέντρῳ.
Οὐ γὰρ ἄτερ μάστιγος ἰθύνεται ἵππος ἀγήνωρ,
Οὐδὲ συῶν ἀγέλη ἐπιπείθεται ἀνδρὶ νομῆϊ
Πρὶν καὶ ἐριγδούποιο καλαύροπος ἦχον ἀκούσῃ.
*Miſce cum lenitate nonnihil timorem: nam & ipſa*
*Apis bombulans armatur acuto aculeo:*
*Neque equus quanquam generoſus abſque flagello*
*regitur:*
*Neque grex porcinus ſuo obtemperat paſtori*
*Priuſquam grauem flagri perceperit ſtrepitum.*

Denique & Maximus gubernator Deus hoc admonet, de quo affabrè Tertullianus lib. 2. contra

Tertull.

Marcionem, cap. 12. *A primordio* (inquit) *Creator tam bonus, quàm & iuſtus; pariter vtrumque proceſſit: bonitas eius operata eſt mundum: iuſtitia modulata eſt*: quamobrem Geneſ. cap. 1. verſ. 1. in Hebræo quod reperitur verbum אֱלֹהִים *Elohim*, pro quo vulgatus *Deum* tranſtulit, *Iudicem* etiam denotat, nempe, vt non ſolùm à bonitate proceſſiſſe Orbem, ſed ab æquitate ſimul intelligeremus, vt docebat Tertullianus: & quem ob ingentia beneficia amabilem cognoſcebamus: eundem propter iudicium metueremus: *ſcilicet*, (vt effatur

Saluian.

Saluianus ad calcem lib. 1. de Prouidentia) *quia plenus & iuſtitiâ, & miſericordiâ Dominus; & pietati ſuæ multa donat per indulgentiam; & ſeueritati per diſciplinam*: Rectè igitur Sponſa, non ob clementiam ſolam, neque ob cenſuram Dilectum extulit, ſed ob vtriuſque vinculum.

10.

*Expoſitio, nexúſque Literæ.*

Inſtemus rurſum verbis illis: *Exultabimus, & lætabimur in te.* Quando certè tu, ô Sponſe, tantis cum ſumptibus genialem nuptiarum lucem celebrare cupias, & OEconomum ex Ieroſolymorum vrbe ampliſſimâ in Libanum cum pretioſarum mercium infinitâ vbertate præmiſeris; æquum eſt vt & ego, atque Puellæ, meditemur, quid ipſæ conferre valeamus, quod exhilarare valeat, quibus Connubialium ſympoſiorum dies iucundiſſimi reddantur: ludos itaque inueniemus, choreas, acroamata, & paululum laxatis habenis Modeſtiæ Virginalis, ob tui ſanè gratiam *Exultabimus & lætabimur*: Certè Virgines nuptialium gaudiorum præcipua fuiſſe inſtrumenta, oſtendimus ad longum in Anteloquiis, quinti Præludij ſectio-

*Præcipua Nuptiarum gaudia à Puellis.*

Statius.

ne 3. quare Papinius Syluarum lib. 1. Epithalamio Stellæ, & Violantillæ has producit ipſo ſtatim Carminis veſtibulo:

*——procul ecce canoro*
*Demigrant Helicone deæ.*

Sidonius quoque Apollinaris in Epithalamij Dicti & Hiberiæ, Diuas introducit, quæ Nubentibus adſint, & gratiſſima munera genialibus tripudiis, flores, fructúſque varios adferant,



rant, quibus ſerta texantur, Aula & Triclinium redoleat ſuauiſſimè:

Sidon. Apoll.

*Hîc triplex vno comitatur Gratia nexu,*
*Hîc redolet patulo Fortunæ copia cornu,*
*Hîc ſpargit calathis, ſed flores Flora perennes,*
*Hîc Cererem Siculam Pharius comitatur Oſiris,*
*Hîc grauidos Pomona ſinus pro tempore portat,*
*Hîc Pallas madidis venit inter prœla Trapetis.*

Offic. Eccleſ.

De Acromatis Eccleſiaſtica Antiphona: *Ante torum huius Virginis frequentate nobis dulcia Cantica Dramatis*: Intelligi autem Canticum Canticorum Salomonis docui Anteloquio 1. num. 29. & 40. de Venationum ſpectaculis oſtendi ex Theocrito, paulò antea memorato, Anteloo. 5. n. 27. id & in hoc elucere hymenæo: de chorea & ſaltationibus idemmet Theocritus Idyllio 18. quod titulatum Helenes Epithalamium:

Theocrit.

*——huc viridi bis ſex in veſte Puellæ,*
*Delectæ numero ex omni, quas illa tenebant*
*Mœnia, progreſſæ feſtas duxêre choreas*
*Ante recens pictum thalamum.*

Qualem verò choreæ nouam imaginem, Caſtrenſes referentem abſque vulneribus & ſanguine cruentos impetus efformarint huius Metri Virgines, diſcet ab Alcazario noſtro Curioſus tom. 2. lib. 3. in Canticum Canticorum, capite 7. ſectione 1. in Commentario: huius igitur generis ſunt oblectamenta, quibus recreare nuptias

Alcazar.

ſpondent, cùm dicunt: *Exultabimus & lætabimur in te.*

11.

*Vnguenta in Epithalamio præcipuè commendata.*

Sed vt ſequentia Verba, quàm fieri poſſit, Hiſtoricè interpretemur iuxta ſonum, tropo reiecto, Hebræi ij fuiſſe videntur, qui in Epithalamij Muſa, cùm multa laudarint, tum vnguentorum ſpecialem habuerint rationem; quod in hoc contingit Hymenæo cap. 3. verſ. 6. & c. 4. verſ. 10. atque 11. Simili altero Metro Pſal. 44. commendatum in Sponſo, quod Myrrha, gutta, & caſia à veſtimentis eius: Cùm autem vndique delibuti eſſent, & capilli imprimis rórarent, tamen pectori admouebant, atque inter mammas locabant pretioſiores ſuccos, quod crederent vitæ, atque adeò præcipuam animæ Regiam ibi reſidêre, Cor nimirum, quare pixides vberibus adfixas, quæ ordinarius interpres Iſaiæ cap. 3. verſ. 19. *Olfactoriola* vertit, ſecundum Hebrææ dictionis vim

Domus animæ, quid?

בָּתֵּי הַנֶּפֶשׁ *Vatte hannepheſch*, *domum vel pectoris, vel animæ* dici poſſe docti multi obſeruant, quòd nimirum pendula illa vaſa aromatifera ad vitales confortandos Spiritus deſeruirent: igitur, cùm pronunciant: *Memores vberum tuorum ſuper vinum*, ad has vnguentarias capſulas reſpiciunt, ob quarum odorem, dictum ſuperiùs à Sponſa verſ. 1. fragrare vnguentis optimis vbera viri ſui, ſignificant autem laudibus proſequuturas vnguentorum gratiã. Quid autem celebraturæ? Certè odorem: hæc enim aromatum vnica dos, vnde

*Odor, Aromatum dos vnica.*

inferiùs cap. 3. verſ. 10. *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* At cur non & hoc loco idem pollicentur, ſcilicet prælaturas ſe omni penitus Arabiæ? quæ gloria eſt vinum odore ſuperaſſe? Verũ recordemur, quid ſenex Pater Iſaac, vt ſenſit fragrantiam veſtimentorum filij ſui, eloquutus ſit: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui*

Gen. 27. 27.

*benedixit Dominus*, Geneſ. cap. 27. verſ. 27. Cur non à ſuffitu aliquo comparationem mutuatus eſt, cuius eſſet incomparanda odoris ſuauitas? Equi-

Perer.

dem noſter Pererius diſputatione 6. num. 67. perbellè cum odore florum, quos terra parturit aut etiam cum ipſius terræ fragrantia contuliſſe arbitratur, quòd terræ halitum nihil ſuperare va-

Bonfrer.

leat, placuit etiam Bonfrerio; & ab vtroque allegatus Plinius, cuius illud effatum ſingulare

Plinius.

lib. 17. cap. 5. *Cicero lux doctrinarum altera: Meliora* (inquit) *vnguenta ſunt, quæ terram ſapiunt, quàm quæ Crocum: hoc enim maluit dixiſſe, quàm redolent: ita eſt profectò: illa erit optima terra, quæ vnguenta ſapiet: quod ſi admonendi ſumus, qualis ſit terræ odor ille, qui quæritur; contingit ſæpe etiam quieſcenti ea ſub occaſum ſolis, in quo loco Arcus cœleſtis deiecerit capita ſua: & cùm à ſiccitate continua immaduit imbre: Tunc emittit illum ſuum halitum diuinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuauitas nulla poſſit.* Igitur Iſaac cùm

*Ars imitatur Naturam non adæquat.*

filij veſtimentorum fragrantiam ſummè commendare vellet, illam artificialem, nempè pigmentariorum induſtriâ coagmentatam, natiuis ſpiramentis adæquauit, ratus ſi Naturæ labor ingenij ſuppar iudicaretur, nihil quod Artem eueheret, maius cogitari poſſe: Sic & apud Mat-

Matth. 6. 28.

thæum cap. 6. verſ. 28. *Conſiderate lilia agri: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis*; Quod ſcilicet quantumcumque Ars conaretur, Naturam tamen adæquare non poſſet, vt ex Chryſoſtomo homi-

Chryſoſtom. Hieronym. Toſtat.

lia 22. in Matthæum, & Hieronymi Commentario rectè Toſtatus colligit quæſt. 182. *Quia tinctores* (ait) *& pictores non poſſunt ita puros, & viuos colores conficere, & rebus dare ſicut natura dat: Sed imitantur aliqualiter naturam, vt poſſunt, multùm tamen imperfectè*: Ergo Adoleſcentulæ, factitium Sponſi vnguentorum odorem cùm vini naturalem halitum vincere poſſe autumant, nulla vehementior poſſit exaggeratio, cùm ſi quid Ars valeat, id ſit, vt ad naturam quàm proximè accedere queat, & ſenſibus illudere, vt non ingenij partum credant, ſed naturæ: hoc igitur ſignificare potuerint, dicentes; memores futuras vberum Sponſi, hoc eſt vnguentorum, quibus delibutus ſit, ſuaueolentiæ ſuper vinum.

12.

Quod ſi quiſpiam nitatur, non à Sponſa prolata verba: *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum*, ſed eſſe Iuuencularum, quæ cum Sponſa loquantur poſtquam Apothecis exierat, non me habebit Aduerſarium, præſertim,

Origen. Niſſen. Theodoret. Bernard.

cùm ſciam magnis Authoribus placuiſſe, Origeni hom. 1. ex duabus, Niſſeno hom. 1. Theodoreto, Bernardo ſermone 23. in Cantica, neque in ſenſu connectendo multa difficultas. Nam quòd Sponſo pollicitas fuiſſe diximus, vt choreis, venationibus, ſpectaculorum generibus variis exhilararent genialem pompam; in Sponſam eadem venuſtè quadrarint omnia: Certè apud Theocritum in Epithalamio Helenæ, Idyllio 18. cum Sponſa eſt Puellarum colloquutio, cui offerunt ſerta ex lectiſſimis Agrorum floribus, quos ipſæ & decerpant, & componant; inquiunt:

Theocrit.

*Nos curſum ſolitum, & campeſtria prata petentes*
*Inter odoriferas folijs criſpantibus herbas*
*Dulcia ſpirantes, vario de flore corollas*
*Texemus tibi*, &c.

Hæc autem eò lubentius facturæ, quòd Dominam nactæ ſint, atque Reginam, cui vbera magis quàm vina arrideant; hoc eſt, quæ non tetrica ſit, ſuperciliosa, tumens; ſed affabilis, blanda,

*Muliebris ſexus ambitioſus.*

modeſta: Quod cùm vniuerſim in fœmineo ſexu rarum ſit, eſt enim genus ambitioſum, & excellentiæ præter menſuram cupidum, niſi diuinæ

Tacit.

gratiæ vis frænum apponat: *Non imbecillem tantùm & imparem laboribus ſexum*, dixit Seuerus Cæcinna apud Tacitum lib. 3. Annalium; *Sed ſi licentia adſit, ſæuum, ambitioſum, poteſtatis auidum*:

Chryſol.

Chryſoſtomus enarratione in cap. 3. Iſaiæ. *Mulier*

enim

*enim mirè turget redundanti faſtu, atque pertinacia: Siquidem ſuapte natura leuior eſt viro, & minus, quàm vir, habet rationis: quare leui ex cauſa vacillat, & in errorem inducitur, ſubmergitur, ac patitur naufragium, inſtigante quouis maligno Spiritu; nempè faſtu, ſuperbiâve eam demergente:* tamen hæc vitia frequentiora in eis, quæ ex loco obſcuro in Maieſtatis faſtigium emerſerunt: Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum propè finem: *Marcus Cato Cenſorius* (inquit) *habuit vxorem Actoriam Paulam, humili loco natam; vinolentam, impotentem; & quod nemo poſſit credere Catoni ſuperbam:* At non talis huius Sponſa Carminis, ſed quò ſublimior, eò demiſſior; quo potentior, eò benignior: ob hoc famulæ: *Exultabimus, & lætabimur, memores vberum tuorum ſuper vinum.*

*Catonis vxor peſſima.*

13. *Colloquium Sponſæ cum Rege Conuiuij, & inde apta conſtructio verſus.*

Ac cùm à Triclinij OEconomo, qui eam in Cellaria introduxit, percunctata eſſet, qui eſſent rumores inter Aulæ ſiue proceres, ſeu commune vulgus de inſperato Connubio, quando prætermiſsâ nobilitate, patriis contemptis Virginibus, ex Libani vaſtâ opacitate Puellam Princeps adduceret, neque eloquio, vtpote agreſtem, neque Religione, cùm idola coluerit, neque opibus, aut maiorum dignitate conſpicuam: ille quidem reſpondit pleríſque mortalium diſplicuiſſe factum; ſed qui ſapientiores eſſent, cùm perpenderent, Adoleſcentem prudentiæ, & inculpatæ indolis laudibus inſignem, ob raras Animæ dotes peregrinæ Virginis imprimis ſtimulatum, virtutem diuitiis, & nobilitati prætuliſſe, approbaſſe quod ab eo actitatum fuiſſet; hæc illa percipiens, velut Sponſum habeat præſentem, quem deſideret conſolari: *Recti* (ait) *diligunt te:* Satis eſt quod à bonis ameris: hoc plenum encomium, faueant prudentes, oderint cæteri. Bernardus quanquàm non Sponſo applicat ſermone 24. in Cantica, ſed in ſcopum etiam noſtrum commodè: *Non tibi ſit, inquiunt, cura de iniqua reprehenſione blaſphemarum harum, cùm conſtat, quia recti diligunt te: Omninò ſufficit aduersùs os loquentium iniqua, opinio bonorum cum teſtimonio conſcientiæ: in Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur: Manſueti, inquit, lætentur: manſuetis placeam, & æquanimiter audio quicquid in me iactare voluerit liuor perditarum.* Ergo in hoc ſenſu puto appoſitum, *Recti diligunt te:* Hæc monêre voluimus, quoniam ad ſequentis verſus conſtructionem nobis penè neceſſaria.

Bernard. *Rectorum .j. bonorum æſtimatio ſufficit in detractores iniquos.*

# Explanatio in eamdem periodum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Introduxit me Rex in Cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: Recti diligunt te. *Cap.*1. *verſ.*3.

*Scriptura Theſaurus, nutrimentum: feſti Chriſtianorum dies: in Sanctorum memoriys concurſus, vota, flores, vnguenta, lampades, Conuiuium: Reſurrectionis Chriſti antiquiſsima celebritas: quàm læta fidelibus lux? ex Pſalm. 117. mutuata clauſula: Eccleſiæ natales: candida in Baptiſmo veſtis.*

### Sectio Vnica.

14. Cellaria, *Scripturas ſacras intelligunt,* Origen. Theodoret. Cantacuzen. Rupert. Ambroſ. Iuſt. Orgel. Philipp. Abb. Honor. Aug. Gregor.

CELLARIA, quæ Sponſa viderit, ſacram Scripturam exponunt, Origen. hom. 1. ex quatuor, Theodoretus, Matthæus Cantacuzenus: inter Latinos, Gregorius Romanus, Rupertus, Ambroſius ſerm. 1. in Pſal. 118. ad verſ. 7. Iuſtus Orgelitanus, Philippus Abbas cap. 14. Honorius Auguſtodunenſis: Gregorij verba: *Quid per huius Sponſi, qui Rex eſt, Cellaria intelligimus niſi ſanctæ Scripturæ arcana, quæ rimamur; quorum delicijs ſi reficimur, mox conualeſcimus.* Appellat & Cellarium Beatus Pater Auguſtinus ſermone 38. ad fratres in Eremo: *Scientia* (inquit) *ſcientiarum, Angelorum ferculum, Archangelorum pulmentum, Monachorum refectio, Apoſtolorum gloria, Prophetarum opes, Patriarcharum fiducia, Epiſcoporum vocatio.* Rectè quidem Cellarium, Dei ſacrum Verbum: nam ſiue Apotheca eſt obſoniorum, & vini; in Scriptura cibi, de qua idemmet Auguſtinus ſermone 112. de tempore: *Sicut ex carnalibus eſcis alitur Caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutritur, & paſcitur, ſicut Pſalmiſta ait: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* Siue locus eſt, vbi pretioſiores obſignantur gazę; in Scripturis & Theſauri ſunt: Origenes, quem allegaui ſuprà: *Cùm igitur Chriſtus animam in intelligentiam ſui ſenſus inducit, in cubiculum Regis introducta ducitur; in quo ſunt theſauri Sapientiæ, ac ſcientiæ eius abſconditi.* Chryſoſtomus verò homil. 3. in Geneſim: *Meritò* (ait) *theſauro confertur diuinarum Literarum lectio: nam in ſacra Scriptura indicibiles diuitias inuenire licet.* Ergo mœrentem, & afflictatam in triduo mortis Chriſti Eccleſiam conſolari volens diuinus Spiritus, in Scripturarum Cellaria intromiſit: Ambroſius, eodem quo ſuperiùs loco: *Introduxit eam Rex in omnia interiora myſteria, dedit ei claues, vt aperiret ſibi theſauros ſcientiæ Sacramentorum, clauſas antea fores panderet; cognoſceret quieſcentis gratiam, defuncti ſomnum, virtutem Reſurrectionis:* Sed quænam inde conſolatio? vehemens & incredibilis: Nam euoluens Prophetarum vaticinationes, comperit Sponſi abſentiæ breuem futuram moram, qui poſt triduum

Auguſtin.

Idem. *Scriptura alimentum, Theſaurus.*

Origen.

Chryſoſtom. *Expoſitio textus Myſtica. Eccleſia ex Scripturis conſolatio.*

Ambroſ.



reuerteretur: Quid hoc optatius nuncio, amanti fœminæ? Sed vidit reducem prædictum cum ſpoliis opimis: ad hæc nominis exaltatio ſuper omne nomen, quod tremerent cæleſtia, terrena, infera: deinde cultus vſque ad fines terrarum conuerſis nationibus, dæmonum aris dirutis, obmuteſcentibus oraculis: poſtremò Sacramentorum ordo, fructus, excellentiæ; Hierarchiæ diſpoſiti gradus, Romani Antiſtitis ſuprema Authoritas: Hæc in Spiritu edocta intra Cellarium ſupra omnem cogitationem lætabatur: Annon enim gauderet, prænoſcens, quia Pater Sponſi non permiſſurus erat, vt videret eius Caro corruptionem, ſed faceret ſepulcrum illius glorioſum pro eo, quod modicum laborauit Anima illius, & ſublimaret cornu Chriſti ſui vſque ad altitudinem nubium: ipſam verò & ob Dilecti gratiam poneneret in ſuperbiam ſæculorum, quam adorarent Principes, & lactarent mamillis ſuis?

15. Exultabimus & lætabimur .j. *feſta Deo Sanctiſque celebrabimus.*

At pro tantis beneficiis, quas gratiarum actiones Sponſa referet? *Exultabimus* (inquit) *& lætabimur in te:* Certè dies feſtos inſtituemus tibi, tuiſque fortiſſimis Athletis, Genitrici imprimis, incomparabili virtutis prodigio; Vexillifero Baptiſtæ, Apoſtolis, Vatibus, Martyrum victorialibus turmis, Confeſſoribus, Virginibus; quâ poterimus & animorum & corporum ſobriâ atque honeſtâ iucunditate, in Canticis & hymnis, in vnguentis, in floribus, in lampadibus, in Conuiuiis, & diem, & noctem teremus: Venientes à longè populi, quos vix terra capere poſſit, ad tuorum ſacratiſſimorum pugilum cineres & buſta prouoluti, vota ſoluent. Equidem & adimpleuit Sponſa hoc quod promiſit: Sanè exultatio apud Chryſologum ſermone 129. in S. Cyprianum: *Quoniam hodie Deo in natali ſancti Cypriani Martyris conuenimus, in quo miro certamine de Diabolo triumphauit; ideo exultare nos conuenit, & lætari.* Ex Athanaſij vita apud Lipomanum de Babyla Martyre: *Igitur Eccleſia vniuerſa conueniens, matres & viri, Virgines, iuuenéſque, immensâ exultatione ſuccincti: trahebant longo agmine arcam Martyris, pſallentes ſummis clamoribus, & cum exultatione dicentes: Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui confidunt in ſimulacris ſuis: Hæc in auribus prophani Principis per ſex millia paſſuum tantâ exultatione pſallebat omnis Eccleſia, vt cœlum clamoribus reſultaret.* Sed confluentium populorum quàm magnæ eſſent inundationes Niſſenus Gregorius, ſermonis de 40. Martyribus exordio, declarat: *Meminiſtis prorſus, in qua parte orationis hærebamus, cùm optatus ille, & iucundus nobis ex multitudine congregatorum tumultus confundebat eorum, quæ dicebantur, auſcultationem: cùm animatum illud Eccleſiæ mare aliorum ſuper alios confluentium, & ingruentium inundans, ad impetum, & impulſionem eorum, qui ſemper, vt irrumperent, fluctuaret, & æſtuaret, ſonitu quoque ipſo verum imitans mare, veluti rupibus littoralibus, auribus noſtris vndarum ſtrepitus infringens, & illidens.* Theophanes oratione in Reliquias S. Nicephori apud Surium tom. 2. die 13. Martij: *in biuijs enim & porticibus premebantur, & vbique per vim ſibi exitum parabant:* Paulinus Nolanus Natali. 6. ſancti Felicis:

Chryſolog. *Exultatio in feſtis.*

Greg. Niſſ. *Quanta in feſtis populi affluentia.*

Surius.
Paul. Nolan.

*Quiſque alium premere, & propior conſiſtere certat*
*Relliquijs, corpúſque manu contingere gaudet;*
*Nec ſatis eſt vidiſſe ſemel, iuuat vſque morari.*

Aurelius Prudētius in Hippol. Martyris paſſione:

Prudent.

*Manè ſalutatum concurritur: omnis adorat*
*Pubis, eunt, redeunt ſolis ad vſque obitum.*
*Conglobat in cuneos Larios, ſimul ac peregrinos*
*Permixtim populos Relligionis amor.*



*Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,*
*Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.*

Rectè poſtremū hoc de Balſami pretioſis vnguētis; quibus enim poterāt modis Animorū erga ſacra corpora puros affectus demōſtrabant, & erga Reliquiarū genera omnia, ſeu eſſēt de amictibus, ſeu de lignis, quibus affixi ſint, ſeu imagines: ita de Seruatoris Chriſti nō manu facto icone cùm Bizantiū deportaretur Simeō Metaphraſtes: *Deinde ingreſſi ciuitatē cū pſalmodijs, & hymnis ſublimibus, & Cāticis ſpiritalibus, & infinito lumine lampadū publicā celebrantes deductionē, iter faciebant per mediam ciuitatē, ſanctificationis & roboris per hoc eſſe participē ciuitatē credentes.* Idémq; oratione, Deiparæ ad obitū vſque Acta complectente, de eius beata veſte: *Cùm in eo certè ſacrum illū theſaurum poſuiſſent, omne ſtatim ſtudium adhibuerunt, vt in templo eſſet perpetua hymnodia, perpetuus odor aromatū, & aſſiduus ſplendor luminū.* De exportatione verò dexteræ Præcurſogis ex Antiochia Metaphraſtes quoque: *Fidelis Imperator eos, qui hoc ſanctum cū hymnis, lampadibus, & vnguētis eſſent ſuſcepturi, & ad ipſum allaturi, emiſit.* De inuentione Reliquiarum Stephani Protomartyris, Nicetæ Philoſophi inter Metaphraſtis opera Narratio: *Cùm itaque protinus Pontifex Hieroſolymitanus vnà cum duobus alijs, quos illic eſſe contigerat Epiſcopis, & toto Clero acceſſiſſet; & omnis etiam multitudo fidelium concurrentes in lætitia, & gaudio ſpiritali, & illud venerabile, & ſanctum corpus adorantes cum luminibus, hymnis, & ſuffitibus, & cum ea, quâ par eſt, glorificatione, & lætitia in ſanctam deduxiſſent ciuitatem.* Paulinus Natali tertio S. Felicis, & iterum 6. Natali:

*In Chriſtianorum feſtis & in Sanctorum honorem, Aromata:*

Metaphraſt. *Hymni: Lampades:*

Idem. *Odores: Lumina:*

Idem.

Nicetas.

Paulin. *Donaria: Vela picturata:*

*Cedo, alij pretioſa ferant donaria, méque*
*Officij ſumptu ſuperent, qui pulchra tegendis*
*Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino*
*Siue coloratis textum fucata figuris.*
*Hi læues titulos lento poliant argento,*
*Sanctáque præfixis obducant limina lamnis:*
*Aſt alij pictis accendant lumina ceris,*
*Multiforéſque cauis lychnos laquearibus aptent.*

*Cerei: Lychni:*

Hæc vtrobique, ſed tertio illo Natali, quod non omittendum, de choreis, & floribus, ne quid ad plenam hilaritatem defuiſſe videatur:

Idem. *Choreæ:* *Flores:*

*Ferte Deo pueri laudem, pia ſoluite vota*
*Et pariter caſtis date Carmina feſta choreis*
*Spargite flore ſolum, prætexite limina ſertis,*
*Purpureum ver ſpiret hyems, ſit florens annus*
*Ante diem, ſancto cedat Natura diei,*
*Martyris ad tumulum debes & terra coronas.*

De conuiuio in Martyrū Natalitio aliquid, Veſtigat. 1. n. 40. modò Ruffin. lib. 10. Hiſtoriæ Eccleſ. c. 14. *Tempore, quo apud Alexandriam Petri Martyris diē Alexander Epiſcopus agebat; cùm poſt expleta ſollennia conuenturos ad conuiuiū ſuos clericos expectaret in loco vicino mari, videt. &c.* Ambroſ. exhortat. ad Virgines: *Ergo ad Bononienſe inuitatus cōuiuiū, vbi S. Martyris* (Agricolæ videlicet) *celebrata trāſlatio eſt: apophoreta vobis plena ſanctitatis, & gratiæ reſeruaui.*

*Conuiuia.* Ruffinus.

Ambroſ.

59. *Vbera, Eccleſia: Vinum, Synagoga.* Cantacuzen.

Sic igitur & Sponſa Eccleſia cooperabatur geniali pompę, cum fida Puellarū famulantiū manu, in variis oblectamentis cum timore Domini, & Religione peractis: & cauſam ſubindicans: *Memores* (ait) *vberum tuorum ſuper vinū:* quæ explanans Matth. Cantacuzen. *Vbera tua, nouam videlicet diſcipulorum Eccleſiam: ſuper vineæ fructum, antiquam nimirum Synagogam:* Quoniam ſi imperfecta illa Congregatio dies ſollēnes, in quibus ab operibus ſeruitutis vacabat, obſeruare conſueuerit; quantò magis Eccleſia Catholica? quare Auguſtinus ſermone 241. de tempore: *Sciendū eſt fratres chariſſimi,*

*Cur & quomodo feriandum in feſtis?*

*quod ideo à Sanctis Patribus noſtris conſtitutum eſt Chriſtianis, & mandatum, vt in ſollemnitatibus Sanctorum, & maximè in Dominicis diebus, otium haberent, & à terreno negotio vacarent; vt paratiores, & promptiores eſſent ad diuinum cultum, cùm non haberent, quod eos inde retardaret incommodum, relinquerentque eo tempore terrenam ſollicitudinem quo faciliùs poſſent Dei intendere voluntatem; inde ipſe Dominus per Prophetam dicit: Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus.* Imò, quemadmodum alia veteribus illis contingebant in figura, ita in feſtorum dierum typum Sabbatum, cuius obſeruantiam ab ipſis Mundi crepundiis deducere quibuſdam placuit, nec incongruè fortaſsè: Auguſtinus diei ſancti Paſchæ ſpeciatim fuiſſe vmbram aſſeuerat ſerm. 136. de tempore: *Dies me deficiet, ſi voluero omne diei iſtius exponere Sacramentum: hoc tantùm dico, quod vniuerſa Sabbati gratia, & antiqua illa feſtiuitas populi Iudæorum, diei iſtius ſollemnitate mutata eſt:* vbi idem ſanctus Doctor, ſeu quis alius eius Tractatus Author, declarat, quemadmodum longè ſubtiliùs, ſpiritus nempe potiſſimum feriatione veri Chriſtiani, feſta colant; quàm Iudæi illi Carnalibus nimiùm addicti, & ventris curam magnam habentes, obſeruare ſoliti fuiſſent.

*Sabbatum feſtorum noſtrorum typus.*

Auguſtin.

17. Sed cùm Sponſæ ſub triduo illo tota defixa fuerit cogitatio in Reſurrectionem Dominicam, introducta in ſcripturarum cellaria, in Dauidis Pſalmum incidit 117. ibi cùm Prophetam geſtientem totis viribus contemplata eſſet: *Hæc dies* (inquit verſ.24.) *quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea;* periodum ſubſumpſit vltimam, dicens; *Exultabimus & lætabimur in te:* Neque immeritò, quod exultationis, & lætitiæ diem nuncupauerimus feſtam Reſurrectionis lucem: ſuffragatur Auguſtinus ſerm. 136. de Tempore: *Videtur hæc dies cæteris diebus eſſe lucidior, Sol mundo clarior illuxiſſe, aſtra quoque omnia vel elementa lætari. Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea: Quomodo Maria Virgo Mater Domini inter omnes mulieres principatum tenet: ita & inter cæteros dies hæc omnium dierum Mater eſt.* Annuit Chryſoſtomus tom.3. hom.5. de Reſurrect. *Fratres, quàm pretioſa, & grata hodie Eccleſia nobis inclaruit, & totius Anni diebus alacrior dies hodierna refulſit? non de vſitatis Solis curriculis illuminata præclariùs, ſed de lumine Agni reſurgentis illuſtrata ſublimiùs; & ideo pulſemus citharam Dauid, canentis: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & iucundemur in eo.* Gregorius Nyſſenus orat.3. de Reſurrect. *Hæc igitur eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea: mare hodie à nautis & vectoribus deſertum: viæ publicæ viatoribus carent: Agricola aratro & ligone proiecto, in habitum feriantis compoſitus, & exornatus eſt: cauponæ à quæſtu vacant; ſtrepitus tanquam hyems appetente vere ceſſant: tumultus, turbæ, vitæ procellæ, Paci, & quieti diei feſtæ deceſſerunt; pauper vt diues exornatur; diues ſolito ſplendidior conſpicitur: ſenex perinde ac iuuenis accurrit, vt particeps lætitiæ fiat: puellus infans mutatione veſtis ſenſu externo feſtum colit, quandoquidem interiori Animi ſenſu nondum poteſt: Materfamilias cum toto grege domus, nemine familiarium, atque domeſticorum abſente feſtum celebrans lætatur: nunc enim ipſa, atque Maritus, & liberi, & ſerui, omnéſque domeſtici lætantur:* ſed abeſſe non patiamur ſuauem Venantij Fortunati cantilenam ex tertio libro:

Pſal.117.24.

*Reſurrectionis dies, dies eſt exultationis, cæteris lucidior.*

Chryſoſt.

Gregor.Niſſ.

*Paſchalis ſolemnitatis deſcriptio.*

Venant.Fort.

*Salue feſta dies, toto venerabilis æuo,*
*Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.*
*Nobilitas anni, menſûm decus, alma dierum;*
*Horarum ſplendor, ſcriptula, puncta fouens.*
*Hinc tibi ſilua comis plaudit, hinc campus ariſtis,*
*Hinc grates tacito palmite vitis agit.*

Et quemadmodum ſacram Paſchatis noctem veteres Chriſtiani inſomnem traducerent, relictíſque priuatis ædibus, Templis aſſiſterent, quæ infinitis luminaribus arderent, Oſtendi ex Aurelio Prudentio ſuperiori tomo, Anteloquio 5. n.38. quamobrem Chryſoſtomus allegata iam homil. *Nox* (inquit) *planè hæc cœlum luminaribus imitatur: imò verò hac ipſa nocte, cœlum, terráque collætantur.*

Chryſoſt.

18. Verùm, quod Eccleſiæ chariſſima Anaſtaſis Domini, num ideo pariter, quia tum eius celebrentur Natales? Quanquam enim non tum exorta ſit, verùm ex latere dormientis in Cruce Seruatoris prodierit, vt commonſtraui in Anteloquiis, Iſagoga 5. num.111. tamen, quia læta poſtulat tempora Natalitij concelebratio, in Paſchatum dies lætitiæ, & exultationis fuit transferenda, quo more Auguſtinus locutus, eo quem iam allegaui ſermone 136. de tempore, diem eſſe nuncupat, quo nata ſit Eccleſia: Equidem Baptiſmus Sacramentum eſt, quo naſcebantur Eccleſiæ filij: ibi ſollennis Chriſtianorum ortus, ex quibus Eccleſia conflatur: hoc autem Sacramentum antiquitùs veſtis candidæ ſignificatum nitoribus, non niſi per Paſcha, aut in Pentecoſte, quæ conſummatio eſt Paſchalium dierum, conferebatur; quamobrem Venantius Fortunatus Carmine de Reſurrectione:

*Natiuitas Eccleſiæ celebratur in Paſchatis feſto.*

Auguſtin.

*In Baptiſmo Chriſtianorũ ortu candidæ veſtis.*

Venant.Fort.

*Rex ſacer, ecce tui radiat pars magna triumphi,*
*Cùm puras animas ſacra lauacra beant.*
*Candidus egreditur nitidis exercitus vndis*
*Atque vetus vitium purgat in amne nouo.*
*Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat,*
*Et grege de niueo gaudia paſtor habet.*

Lege Bellarminium tom.2. de Sacramento Baptiſmi, cap.26. Suarium tom.3. in 3. partem diſput.31. ſect.2. Quicquid id ſit, certè Reſurrectionis diem, nobiliſſimi gaudij arrham, (Nam Sponſum attulit triſti & fatigatæ clariſſimis triũphis decorum,) vnicè adamauit Eccleſia: quare eius in honorem, Dominicum ſanxerunt diem Apoſtoli, quia in eo Redemptor noſter à mortuis reſurrexit, vt ſcribit Auguſtinus ſerm. 241. de tempore, & lib.22. de Ciuitate, cap.30. nec diſtulit, ſed ab initio ſtatim colendum propoſuit, vt in illud Apoc. cap.1. verſ.10. *fui in ſpiritu die Dominica,* eruditè comprobant Ribera n.68. Viegas Comment.1. ſect.22. & Ioannis id conſtabilire verba arbitratur Pererius diſput.13.num.52. Cornelius; Bellarminus tom.1. lib.3. de cultu Sanctorum, c.11. Baronius tom.1. Anno Chriſti 34.n.181. Et cùm intelligerent Pagani Reſurrectionis tanto æſtuare affectu, abolere memoriam conati ſunt, vnà fidem conſepelire putantes: nam, vt Hieronymus teſtatur ep.13. ad Paulinum de Inſtitutione Monachi: *Ab Hadriani temporibus vſque ad Imperium Conſtantini, per annos circiter centum octoginta in loco Reſurrectionis ſimulacrum Iouis; in Crucis rupe, ſtatua ex marmore Veneris à Gentibus poſita, colebatur: exiſtimantibus Perſecutionis Authoribus, quòd tollerent nobis fidem Reſurrectionis, & Crucis, ſi loca ſancta per idola polluiſſent.*

Bellarmin.
Suarez.

*Dies Dominica in honorem Reſurrectionis Chriſti inſtituta ab Apoſtolis.*

Auguſtin.

Apocal.1.10.
Ribera.
Viegas.

Perer.
Cornel.
Bellarmin.
Baron.

Hieronym.

*Pagani Reſurrectionem Chriſti abolere conati ſunt.*

19. Iam illa verba: *Recti diligunt te,* licet cõſtrui poſſint præſertim iuxta lectionem Septuaginta Interpretum: *Æquitas, ſeu Rectitudo dilexit te,* vt ſignificent eum quem hactenus depinxit mitiſſimum, vbera habentem, cum vnguentis, cuius ipſummet Oleum Nomen, ſic eſſe lenem quidem, vt ſeuerus eſſe non deſinat, vtique ſuperbis grauem; pacatis benignum:

LXX.

Recti diligunt te: *Conſtructio Myſtica.*





benignum: Quanquàm inſuper & de virtutibus omnibus intelligi poſſint, nam fuiſſe, qui collectionem virtutum denotare aſſererent, oſtendimus; tamen genuinus ſenſus, vt Sponſa occurrat Iudæorum maledicentiæ & Conuitiis: mortuo etiam inſultabant Principes Sacerdotum, & Phariſæi, dicentes Pilato: *Domine, recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſurgam; iube ergo cuſtodiri ſepulchrum,* &c. Matth. c.27.v.63. penetrabant hæ blaſphemiæ viſcera & Animam Sponſæ, dolebat enim iniuſtiſſimo ſermone lacerari famam Dilecti; ſed recreata eſt, cùm perpendit, mortalium nequiſſimos eſſe qui conuiciarentur Sponſo: Si quis eſſet tanto in populo rigidus iuſtitiæ cultor, qualis Ioſephus ab Arimathia, ſi quis bonus Nicodemus, hos fauêre Sponſi partibus, eius adhærere diſcipulis, condire aromatibus, ſyndone inuoluere diuinos artus; Quando igitur recti impensè diligant, abundare ad laudem, & ſolatium.

Matth.27.63.

# Explanatio Didaſcalica, & pro morum cultura in eundem Verſum.

*Textus:* Introduxit me Rex in Cellaria ſua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum: Recti diligunt te. *Cap.1. verſ.3.*

*Scripturarum ſtudium ſolatio eſſe rebus triſtibus, & deploratis.*

## Sectio I.

20. SCRIPTVRARVM promptuaria Cellariis indicari ex Patribus monſtraui num.14. in hæc intromiſſam Sanctam Eccleſiam, vt quem de Spõſi abſceſſu conceperat mœrorem, leniret vtcumque piâ Contemplatione. O dulce lugentis animæ ſolatium! ô vitæ aduerſitatum ſacram medelam. Magnus Ambroſius, cùm in difficillima incidiſſet tempora, puto noſtris hiſce cognata, quibus dominantur bella, contagia, ſterilitas agrorum, gauiſus eſt oblatam occaſionẽ ſcribendi de Noë Patriarchæ Actis; ludit autem religiosè in Nominis etymo, quod requiẽ ſignificat, ac ſanè inuentam à ſe, qualẽ hæc vita ſuppeditare valeat eius in geſtorum ſpeculatione; prodeat B. Antiſtes, & nos etiã lætitiæ indigos, refocillet atque excitet, nam & diuini Codicis ſtudio aliquo ducimur: *Noë ſancti adorimur vitam* (inquit lib. de Noë, & Arca, c.1.) *mores, geſta, altitudinẽ quoque mentis explanare, ſi poſſumus: Etenim, quem Dominus Deus ad renouandũ ſemen hominum reſeruauit, vt eſſet iuſtitiæ ſeminarium; dignum eſt, vt nos quoque deſcribamus eum ad imitationem omnium, & requieſcamus in eo ab omni iſtius Mundi ſollicitudine, quam quotidie diuerſis exagitationibus ſuſtinemus: pudet filijs ſuperuiuere, tædet cùm tot aduerſa audiamus chariſſimorum, lucẽ hanc carpere: ipſarum Eccleſiarum diuerſos fluctus, tempeſtatéſque vel præſentes ſubire, vel animo recipere: Quis tam fortis, vt patienter ferat? & ideo nobis quoque affectanda hæc requies fuit, vt dum Noë ſanctum maiore intentione conſideramus; reficiamus nos, ſicut omne genus in illo requieuit ab operibus ſuis, atque triſtitia; vnde & Noë dicitur, quod Latinè dicitur, iuſtus, vel Requies: denique & Parentes eius dixerunt: quia hic faciet nos requieſcere ab operibus, & à triſtitia, & terra, cui maledixit Dominus Deus.*

*Noë. j. requies.*

Ambroſ.

*E ſacris Noë actis conſolationem elicit D. Ambroſius.*

21. Deflebat amiſſam genitricem multis diebus Iſaac, atque vt mentis ægritudinẽ temperaret, ſolitus quandoque ſub Veſperam Agrum petere, vt quam afferre non poterant hominum confabulationes malorũ obliuionem, Ruris cõciliarent deliciæ, ſiue dũ in campeſtribus Agniculi laſciuiũt, ſeu dũ è frondoſo cacumine doctior volucris modulatur, ſeu Paſtorũ aliquis fiſtulã perflat: ſed nihil opitulari vulneris magnitudini poterat, donec tãdẽ conſpecta eſt à longè Rebecca, quæ vt appropinquauit, integrè hilarem reddidit; *Et in tantùm dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte Matris eius acciderat, temperaret,* Gen.c.24.v.67. Quiſnam Iſaac, cui pedes, manúſque vinculis nectantur, credo & oculorum lumen, cùm Pater machæram vibraret, ſacrificaturus Deo? Equidem Religioſi expreſſus typus, qui quotidie immolatur Deo, hoſtia ſancta, cui & manus & pedes vincti, ne quid abſque obedientiæ iuſſibus moliatur, ob eandémque cauſam & oculi velati ſint: Quæ verò illa pudica Virgo Rebecca, quæ vultũ operit, niſi ſancta Scriptura, quæ propter ænigmatũ multitudinem clauſa eſt? Cũ igitur antiquæ Matris ſuggerit obitũ Aduerſarius Dæmon Cœnobitæ, & humanum aliquid patitur, quòd ſeculi voluptates (nam genitrix illa Mundus eſt, cui abiurauit) penitus interdictę ſint: ſi fortè triſtetur, quia Caro fragilis eſt; vt ſapere velit, Rebeccæ amplexus concupiſcat: fiet enim, ſi Scripturarum ſtudiis oblectari velit, vt omnem mœrorẽ breui, animo deponat, nec tantùm veteris obliuiſcatur genitricis, imò Nouercæ peſſimæ, ſed Cane peius & angue horreat mendacem fœminam: Sic, ſic illa præfulgida ſanctorũ Patrum examina, qui diu noctúque in lege Dei meditari cõſueuerant, Mundũ omni cũ vaniſſimo apparatu contempſerunt. Libet Aelredi ſuauiſſima Verba tranſcribere ex Tilmanni Allegoriis in hunc ipſũ Geneſeos locũ: *Dico vobis fratres, nil poterit aduerſi contingere, nihil tam triſte, vel amarum emergere, quod non mox vt pagina nos ſacra exceperit, aut euaneſcat citiùs, aut faciliùs toleretur: Hic eſt Ager, in quẽ ſanctus Iſaac inclinatâ iã die pergit ad meditandũ; vbi ei occurrens Rebecca, illum, qui acciderat, ſua lenit ſuauitate dolorẽ: Quoties mihi, Ieſu bone, dies vergit in Veſperam?*

*Ruris deliciæ.*

Gen. 24. 67.

*Iſaac Religioſi viri typus, viſâ Reboccâ, ſacræ Scripturæ ſymbolo, mœrorem de matris morte acerbũ lenit.*

*Mundus vetula Religioſi Nouerca.*

Aelredus.

*Scriptura, Ager ille delicioſus in quem Iſaac ſecedit ad meditandum.*

*quoties paruæ alicui Conſolationi quaſi diuinæ luci intolerabilis dolor velut nocturna caligo ſuccedit? vertuntur in faſtidium onera, oneri ſunt cuncta, quæ video: ſi quis loquitur, vix audio, vix ſentio, in modum ſilicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena ſiccatur: quid tunc? Exeo certè ad meditandum in agrum, ſacrum reuoluo codicem; cùm ſubitò mihi occurrens Rebecca, ſcilicet tua gratia, Ieſu bone, ſua luce tenebras diſcutit, pellit faſtidium, duritatem frangit: non ſuſpirijs cedunt lachrymæ, & lachrymas cœleſte gaudium comitatur: infelices! quos cùm triſtitia quæque perturbat, non hunc agrum ingrediuntur, vt gaudeant.*

22\. Dauid ſub vltima vitæ periodo, graui admodum conflictatus morbo, nam ſic friguerat, *vt cùm operiretur veſtibus, non calefieret*, Reg.3.c.1.v.1. proinde quærenda fuerit Adoleſcentula, quæ dormiret cum Rege, & calefaceret eum: coniectatur cum veri aliqua ſimilitudine Salianus tom. 3. anno Mundi 3019. num. 3. ex mœrore, quem plurimæ res aduerſæ attulerant, & cumulatiſſima ærumnarum ſeges, morbum creatum illum: certè Chryſoſtomus ab eo productus lib. 3. de Prouidentia, eius de calamitatibus: *Denique ipſius aduerſos omnes caſus, mœroriſque cauſas diligentius enumerare, poſſibile non eſt, neque enim omnes conſcriptæ ſunt: verùm ex ipſius lamentis, & gemitibus poſſumus conijcere calamitatum quoque omiſſarum magnitudinem, vtque iuſtus ille nunquam plangere, ac dolêre deſierit:* Igitur Dauid ſub his tantis malis eius imaginem exprimit, quem triſtia & infortunata vrgent, cuius eſt vitæ conditio in amaritudinibus, quæ luctibus deuota ſit: Nulláne erunt, quæ laborantem animam erigere, & recreare valeant? certè nihil, ſi non in omnibus finibus reperiatur Adoleſcentula ſpecioſa in paucis, Abiſag Sunamitis. Perſonabat aula Cantu, aderant ciborum lenocinia omnia, non ludi, non ſpectacula abfuerant, ſed quicquid Ceres, quicquid Babylonij texere nouerant, quicquid & Memphis, in ſtratum congerebantur regium: non ſpiritus, non calor, non vita niſi à Sunamitide Abiſag? *Quæ eſt igitur iſta Sunamitis* (inquit Hieronymus ſcribens ad Nepotianum) *Vxor, & Virgo; tam feruens vt frigidum calefaceret, tam ſancta, vt calentem ad libidinem non prouocaret? exponat Sapientiſſimus Salomon Patris ſui delicias, & Pacificus bellatoris viri narret amplexus: Poſſide ſapientiam, poſſide intelligentiam: ne obliuiſcaris, & ne declinaueris à verbis oris mei; neque derelinquas illam, & apprehendet te; ama illam & ſeruabit te: principium Sapientiæ, poſſide ſapientiam, & in omni poſſeſſione tua poſſide intelligentiam: circumda illam, & exaltabit te; honora illam, & amplexabitur te, vt det capiti tuo coronam gratiarum: Corona quoque deliciarum protegat te.* Igitur, ſi quis contriſtatur, quem morbi, & grauedo affligunt, is Sapientiæ diuinæ quidem & ſacratioris, quæ in Bibliorum voluminibus abſcondita eſt, delectetur amplexibus, diffugient celerrimè mentis Nubila.

3.Reg.1.1.

Salian.

Chryſoſt.

*A mœrore, tótque calamitatibus priſtinis agrotũ Dauidem ſenem, ſola calefacit recreátque Abiſag, Scripturæ ſacræ typus.*

Hieron.

23\. Sed quanta ſit magnitudo gaudij, quam huiuſcemodi cogitationes pariunt, idem Dauid Pſal. 118. verſ. 162. teſtatus eſt: *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa:* quænam hæc ſint eloquia Ambroſius declarat ſerm. 21. in eundem Pſalm. *Meritò ergo exulto, ſicut qui inuenit ſpolia multa: ſine labore meo inueni ſpolia, quæ non habebam: inueni Heptatheucum, inueni Regnorum libros, inueni Prophetarum ſcripta.* Alluſio eſt ad partum triumphum: *Sic lætabor* (inquit Genebrardus) *eloquijs tuis, ac ſi eximia ſpolia per victoriam reportarem:* quem lateat, quanta ſiant tripudia victorialis exercitus? ſed eſt tamen in ipſa victoria conſiderandum aliquid: nam contingit ſæpe nihil diuitiarum referri, dimicatum pro gloria, & quanquam multis vulneribus adeptus triumphus, lætitia tamen eſt ingens: Nonnunquam tamen ſic vlciſcuntur de hoſtibus, qui pugnant, vt præter militarem famam, aurum quoque, argentum, purpuram, ſerica inueniant apud hoſtem, tum omnium militum quanta ſit alacritas; ſermonem penè ſuperat; quamobrem de incomparabili exultatione Iſaias cap. 9. verſu 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt ſpolia:* Ergo Propheta monet, ex diuinorum voluminum ſtudio ſe non minùs hilarem factum, quàm redduntur alacres legionarij tum, cùm præter hoſtis confractionem, prædam reportant inſignem; hoc illud; *ſicut, qui inuenit ſpolia multa:* poſsítne tantâ iucunditate eſſe maius quidquam? ſic credo lætabatur maximus ille ſcripturarum Clauiger Hieronymus ſcribens ad Damaſum: *Neque verò vllam, puto* (ait) *digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore; quàm ſi de ſcripturis ſermocinaremur inter nos; id eſt, vt ego interrogem, tu reſpondeas: quâ vitâ nihil puto in hac luce iucundius; quo Animæ pabulo omnia mella ſuperantur.*

Pſalm. 118. 162.

Ambroſ.

Genebrard.

*Gaudiũ quod in Scripturæ lectione percipitur, ſimile eſt tripudio victoris exercitus ſpolia multa & pretioſa diuidentis.*

Iſai. 9. 3.

Hieron.

24\. Miſit ad Spartiatas, Literas, quibus antiquam renouari Amicitiam Ionathas cupiebat, & cùm à veteribus initum fœdus temporibus, Oniâ Iudæorum moderante Rempublicam, indicaſſet, atque medio interuallo quaſſatæ fuiſſent Hebræorum vires externo tumultu, quin & domeſtico etiam, tamen ſuppetias noluiſſe petere, non ſocietatem implorare: ſic Machab. 1. cap. 12. Verùm, quid ſit conſilij, non tum potiſſimum germanitatem profiteri, cùm pugnæ, & clades ingruerent? quorſum fœdera, niſi propter ſociale auxilium? Aduerſitas Commilitones probat, ridens fortuna ſodales non eligit, ſed allicit: quæ eſt ergo Hebræorum Natura hæc, cùm Pax & tranquillitas eſt, fœdus expetere; Amicitiis nolle vti Hoſte opprimente latera? *Nos* (inquiunt) *cùm nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris* Quinam iſti ſancti libri? Bibliorum ſacra volumina, vt noſter Sanctius aduertit numero 5. Igitur, quanquam illa Bellorum tempora calamitoſa eſſent, & vbique pauor, vbique luctus, tamen Iudæi ſcripturas habentes, alacritate fruebantur & gaudio: nominatus modò Author: *Cùm fratres agnouerint Lacedæmones, & liberales, ac beneuolos; tamen in laboribus, quos pertulerunt graues, & aſſiduos, illorum auxilium tam humaniter oblatum, numquam implorarunt: illa verò ratio eſt; quia ex ſacris libris, quos præ manibus habent, paratum à Deo norunt auxilium, ſi ipſi à diuina voluntate non recedant; quod eſſe certum experimento longo didicerunt.* O quoties ſeculares Animæ putant Monachorum vitam luctuoſam eſſe, intuentur enim veris Monachis negata omnia, Carnis impura oblectamenta, & miſeros reputant, quibus contigit his carêre: ſed non conſiderant cæci homunciones aperiri illis à Patrefamiliàs ſcripturarum penora, in quibus exultant, & tripudiant, videntes, funes cecidiſſe eis in præclaris, & quoniam Pauperum eſt regnum cœlorum, & quia complacuit Patri puſillis dare regnum: his recreati, & ſimilibus multis, exultat Cor & Caro eorum in Deum viuum, & canunt in gaudio: *Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia.*

1 Machab. 12.

*Confœderatorum Spartiatarum auxilio nõ egent Hebræi periculoſo bello impediti, ſolatio nimirũ habentes ſacros libros.*

Sanchez.

*Monachorum conſolatio in Scripturis.*

Pſal. 83. 11.

25\. Rectè Iacob filio imprecatus ſenior Pater Iſaac: *Frumento* (ait) *& vino ſtabilini eum, & tibi*

Geneſ. 27. 57.





*poſt hæc, fili mi, vltrà quid faciam?* Gen. cap. 27. v. 57. Quid eſt frumentum? Senſus arcanus, atque myſticus ſcripturarũ: ita Gregorij Romani Prologus in Cantica: *Sicut enim palea frumentum, ſic & Litera tegit Spiritum: ſed quia iumentorum eſt, paleis; hominũ, frumentis veſci; qui humanâ ratione vtitur, paleas abijciat, frumenta Spiritus edere diſponat:* Cur verò dignam Iacob benedictionẽ nuncupauimus? nimirũ quia ſapientiæ cultor extitit, Academias ſequutus ab ineunte ætate: ita Geneſeos illa c. 25. v. 27. *Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis*, ex Hebræorum traditione Abulenſis exponit inquiens: *Vel vt volunt Hebræi, tabernacula hîc vocantur ſcholarum loca, in quibus manebat Iacob addiſcens ſapientiam, & Dei timorem: erat autem vnum tabernaculum Melchiſedech, qui erat ſapiens, & Sacerdos Dei excelſi: erat aliud tabernaculum Heber, qui Propheta erat, & docebat de rebus diuinis: vnde volunt Hebræi, quod Iacob quatuordecim annis habitauit in tabernaculo Heber.* Cùm igitur tamdiu in gymnaſio verſatus Iacob, aptè quod eius typum referat, cui de frumentis benedictiones, hoc eſt, quem Numen ſacrarum Literarum cognitione imbuerit: At cur Bacchus adiungitur, inimicum ingeniis caput? Muſas vinũ abigit: Sed id notum eſt, quod Pſalmodus aſſerit: *Vinum lætificat Cor hominis*, Pſal. 103. verſ. 15. ergo quoniam frumentum aſſequutus, hoc eſt, Scripturarum medullam, is non poſſit non ſummo affici gaudio, vini benedictionem appoſuit; eſt enim Bacchus eius iucunditatis emblema, quam Bibliorum ſenſa intelligentibus ſubminiſtrant, Authore Chryſoſtomo hom. 22. ad populum: *Verſare* (inquit) *ſemper in diuinis Scripturis: Sicut enim vinum dum bibitur, triſtitiam ſedat, & Cor commutat in lætitiam: Sic & ſpiritale vinum dum bibitur, in lætitiam conuertit Animam tuam.* Certè mœſti erant diſcipuli, qui proficiſcebantur in Emmaus. *Qui ſunt hi ſermones* (inquit Ieſus, Luc. cap. 24. verſ. 17.) *quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Sed conſolauit eos Chriſtus: Nonne quidem exhilarauit, qui abeuntem ſic deprecati ſunt, ne diſcederet: *Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit & inclinata eſt iam dies?* O mane voluptas vnica, quoniam te deſerente, horridior Nox incumbet pectoribus noſtris, quàm ſit opaca hæc, terras quæ velat! Aſt vndenam conſolati ſunt? Quid fecit? quid denunciauit? Scilicet, ipſe, qui eſt Clauis Dauid, recondita Prophetarum Vaticinia aperuit, *Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant:* hoc nectare Spiritum recuperarunt, & quod præ mœrore, antequam Seruator arcana Bibliorum reſeraret, frigidum & exangue illis erat Cor, incaluit, ita vt demirarentur ipſi, & ſtupentes exclamarent: *Nonne Cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?*

*Frumentum, ſenſus Scripturæ myſticus*

Gregor.

Gen. 25. 27. *Iacob habitabat in Tabernaculis, j. in Academijs literarijs.*

Toſtat.

Pſal. 103. 15. *Vinum lætitiæ ſymbolum frumento iũgitur, Scripturarum medullæ, in benedictione Iacob.*

Chryſoſtom.

Luc. 24. 17.

*Ardebat cor duorum Diſcipulorum ex interpretatione Scripturarum.*

---

*Optimi eſſe Gubernatoris, in ſe transferre quod durum ſit; quæ placida ſunt velle ſubditis.*

## SECTIO II.

26\. PErpendit Origenes acutè hom. 1. ex quatuor propè finem, cur pollicentibus ſociabus Virginibus curſuras ſe poſt Sponſum in odorem ſuauitatis, vna tamen Regina ipſa fuerit, quæ in Cellaria introducta ſit; quæ certè metum incutere valeant, cùm properantibus tot, in gaudium Domini vna tantùm ſit intromiſſa, vt quàm verum ſit, multos eſſe vocatos, paucos autem electos, neque omnes, qui contendunt in agone, brauium conſequi: *Veruntamen currunt omnes* (inquit) *ſed vna eſt Perfecta, quæ cucurrit ſic, vt perueniret, & ſola acciperet palmam: ſola enim eſt, quæ dicit: introduxit me Rex in cubiculum ſuum; cùm priùs non de ſola, ſed de pluribus dixiſſet; quia poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus:* Sed mihi alia eſt conſideratio: certè quicquid Adoleſcentulæ hæ, totum eſt voluptuoſum atque amœnum: Nam, quem non delectet in odorem vnguentorum currere? iucundiſſima quoque illa: *Exultabimus, & lætabimur in te:* At non talis Sponſa, ſub laboribus eſt, quippe Cellaria obſignare debeat, & totius ſupellectilis vigil eſſe Cuſtos, vt docuimus, n. 7. Monet igitur Heram, & Antiſtitem omnem, oportêre, quæ moleſta ſunt, in ſe deriuare; ſubditis autem optare, quę tranquilliora ſunt. E clauſo monumento rediuiuus prodiit Seruator, nam poſtquam reliquit ſepulcrale marmor, *Angelus deſcendit de cœlo, & accedens, reuoluit lapidem.* Matth. cap. 28. verſ. 2. Verùm non ſic liberauit Inferi viſceribus detentas animas, ex Pſalm. 106. verſ. 16. *Qui contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit:* cur in fruſta comminutæ ianuæ? cur vectes diſcerpti? non ſufficiebat aperuiſſe valuas? Num vt liberior ſit exeundi copia Animabus, quaſi ſtantibus oſtiis difficilis ſit futura egreſſio: taléne aliquid Bernardus innuerit ſerm. 1. in die ſancto Paſchæ? *Conſtat proinde clauſo exiſſe tumulo rediuiuum corpus* (inquit) *quod clauſo Virginis vtero natum proceſſit in vitam, & ad diſcipulos clauſis introiuit ianuis in Conclaui: Sed eſt locus, vnde clauſis noluit procedere ianuis, Carcer vtique gehennalis; confregit ſiquidem vectes ferreos, repagula vniuerſa contriuit, vt liberè ſuos educeret, quos redemerat de manu inimici, ac plenis egrederentur portis agmina ſanctorum:* Verùm, quæ neceſſitas confringendi portas, quando iis clauſis Animæ mole corporis vacuæ, egredi poſſint? Spiritus curſum non parietes, non muri præpediũt: quod ſi id honoris quidem gratiâ, cur non & eam ſibi gloriam acquiſiuit, atque priuſquam ſuſcitaretur, ſuperimpoſitũ marmor amotum fuerat? Sanè, nec Redẽptori, neque animabus opus, vt vel lapis amoueretur, vel portæ confringerentur, ſed tamen humanæ ſe ruditati accõmodauit Ieſus: ſic enim nos concipimus, difficiles eſſe egreſſus, quando oſtia occluſa ſunt, vel cùm ianuę ſpatia anguſta ſunt; Cùm autem laxantur valuæ, immoleſtos eſſe exitus: Chriſtus igitur ſibi tantùm aſſumpſit id quod graue, & perarduum videbatur, videlicet, clauſo prodire monumento, quia nimirum Dux, & Rector eſſet, quem deceret laborioſiorem ſubire Prouinciam: Quoniam verò ſubditorum partes, Animæ repræſentabant Limbo concluſæ, his, quod facile, & voluptuoſum eſſet, reliquit, portis nimirum vt egrederentur plenis, quemadmodum inquiebat Bernardus.

*Et Adoleſcẽtulæ ſe curſuras promittũt, vna tamen in cellarium introducitur Sponſa.*

Origen.

*Laborat Sponſa, Adoleſcentulæ delectantur.*

Matth. 28. 2.

Pſal. 106. 16.

Bernard.

*E monumẽto clauſo rediuiuus exit Seruator, qui tamen Limborum portas in egreſſum Animarum confregit, ſibi laborem totũ aſſumens.*

27\. Primum vt condidit hominem Deus, formatâ dein muliere, leges connubiales addidit: *Quamobrem* (ait) *relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adhærebit vxori ſuæ*, Geneſ. cap. 2. verſ. 24. grande ſanè mandatum lares deſtituiſſe paternos, dulcia natiuitatis loca: Cur viro id præſcriptum? Vir quidem caput mulieris eſt, vt ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. cap. 11. verſ. 3. ad quæ alludens Chryſoſtomus homil. 12. in ep. ad Coloſſenſes: *Propterea, hæc quidem* (inquit) *Diſcipuli, ille verò locum tenet Magiſtri: ille quidem Principis, hæc verò eius qui paret principi:* Si igitur Maritus,

Gen. 2. 24.

1. Corinth. 11. 3.

Chryſoſtom.

*Quod in Coniugio onerosſum eſt, viro imponitur vt Principi, non autem fœminæ ſubditæ.*

& Magiſter & Princeps, vxor autem inferior, diſcentis inſtar atque ſubditi; rectè quòd viro, quod onerosſum eſt, imponatur, vt Patrem, Matrémque deſerat, non autem fœminæ: quoniam eum qui præeſt, moleſta ſufferre expedit, ſubditum verò liberari. Sed quod de fœmina, atque viro prolatum eſt, Sacramentum eſſe magnum in Chriſto, & Eccleſia Paulus adſtruit, ad Epheſ. c. 5.

Epheſ. 5. verſ. 31. *Atque ſanè & ipſe* (quemadmodum Chryſoſtomus expendit hom. 20. in dictam Epiſtolam)

Chryſoſt. *derelicto Patre deſcendit, & ad Sponſam venit, & factus eſt in ſpiritum vnum*; At, num & legem obſeruauit eam, quæ caput, & Rectorem ardua deuorare iubet, ſubditis mitia quærere? planè quidem: nam egenus factus eſt, vt nos diuites eſſemus, & languores noſtros ipſe portauit: Bernard. ſerm. 3.

Bernard. in Circumciſ. Domini: *Dolet caput, & in brachio fit coctura, dolent renes, & fit in tibia: ita hodie pro totius putredine cauterium quoddam infixum eſt in capite: denique, quid mirum eſt, ſi pro nobis dignatus eſt circumcidi, pro quibus dignatus eſt mori? totus ſiquidem mihi datus eſt, & totus in meos vſus expenſus eſt:* quare præclarè Apoſtolus memorato Epheſiorum capite, verſ. 25. *Viri* (inquit) *diligite vxores, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam:* Vides, quàm bonus Princeps & Maritus Ieſus: ſibi cupit ignominiam, & Crucem; vxori Eccleſiæ, quæ ſubdita eſt, vt ſit glorioſa: quare Chryſoſtomus homil. de laude Maximini, & quales ducendæ ſint vxores: *Itaque, ſi mori pro vxore oporteat* (ait) *nequaquam tergiuerſaberis. Nam, ſi Dominus ſeruam ita dilexit, vt ſemetipſum pro ea traderet, multò magis conſeruam oportet ſic diligi.*

*Bonus Maritus Ieſus, Eccleſiæ ſuæ gloriam, ſibi crucem eligit.*

Epheſ. 5. 25.

Chryſoſt.

28. Pergebat in Ægyptum Moyſes, cúmque eſſet *in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum:* Exod. cap. 4. verſ. 24. quæ interficiendi Legati cauſa Numini? Num, quia vxore & filiis comitatus? & quaſi inidoneus ad magna gerenda futurus, tali præpeditus onere? Cælibem deſiderant egregia facta, & ſæcularibus omnibus curis liberum: qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt de iis, quæ mundi ſunt: placuit Auguſtino ſerm. 86. de tempore: *Forſitan ex hoc loco poſſumus intelligere, quod diſplicuerit Deo, quod Moyſes tanta facturus mirabilia, vxoris impedimentum ſecum ducere voluerit in Ægyptum.* An certè ideò, quòd cùm legiſlator timeret Regem Ægyptiorum, Deus ſignificare voluerit, plus multò eſſe timendam diuinam iracundiam, atque eſſe meritò poſtponendos humanos timores cœleſtibus? ſic Theodoretus: *Moyſes quippe (cæteroquin vir magnus, metuebat Pharaonem, vt indicant eius verba illa: Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem Regem Ægypti? minabatur igitur illi pœnam mortis Angelus, metum minorem videlicet maiori metu repellens, perinde ac ſi per enſem illum nudatum dixiſſet ei: ſi Pharaonem timuiſti, me multò magis timebis, qui modo inuiſibili te vulnerare poſſum:* Sed quam plerique Doctorum germanam cauſam putauêre, ea eſt, quod filium ſuum non circumcidiſſet, quare Sephora vxor eius tulit continuò acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, quo perpetrato liberũ dimiſit Moyſen qui vulnus intentabat. Erat Circumciſionis ſtigma toleratu acerbum: diximus autem oportêre Gubernatorem, quæ inſuauia & amara ſunt ſuos trãsferre in humeros, ſubditos quoad fieri poſſet, exonerare; Atqui in Moyſe è diametro contingebat, Nam deſtinatus Hebræorum Ductor, cùm Abrahæ datum Circumciſionis ſignaculum ex lege ſancire deberet, quod omnes admitterẽt; tamen inflicturus plaga communem multitudinem, vulnere enim afficiendi cùm circumciderentur, Imperatoris filius ſubtrahebatur dolori: itaque aliter quàm decebat, vniuerſa accidebant, nempe ſubditi perpetiebantur, Principem luctuoſa nulla tangebant: monetur igitur, vt ſi minùs fieri poſſit, quin populus circumcidatur, tamen à Principis domo iudicium incipiat; quoniã ſi labore eximendi fuiſſent aliqui, feriari ſubditos, non Antiſtitem operæ fuiſſet precium. *Nam prouidens Deus* (inquit Tertullianus lib. contra Iudæos) *quod hanc Circumciſionem, in ſignum, non in ſalutem daturus eſſet populo Iſraël; idcirco filium Moyſis Ducis futuri inſtigat circumcidi; vt cum cœpiſſet per eum populo dari præceptum Circumciſionis; non aſpernaretur populus, videns exemplum in iudicis filio iam celebratum:* licet enim ſubditi interdum cernant Præpoſitum ante alios verſari in arduis, vix tamen adducuntur, vt imitentur: quid, ſi norint moleſta fugere, otium ſectari? proin rectè Tertullianus aſſeruit, non aſpernaturum populum Circumciſionem, modò videret in Iudicis filio iam celebratum.

Exod. 4. 24. *Cur Dominus volebat occidere Moyſen pergentem in Ægyptum?*

Auguſtin.

Theodoret.

*Periclitatur Moyſes quod filium nõ circumcidiſſet, indecẽs quippe erat Imperatoris filium cõmuni ſubtrahi dolori quem alijs edicebat.*

Tertullian.

29. Notum Ozæ ſupplicium; ſubitaneâ morte extinctus: nam extendit manum ad Arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam, Reg. 2. c. 6. v. 6. verùm nonne potiùs laudem promerebatur? quod pœnæ fundamentum? Toſtatus q. 9. *Hebræi autem dicunt, quod peccauit Oza, eò quòd voluit tenêre Arcam: quia in hoc innuebat, quod Arca poſſit cadere, & quod indigeret ſuſtentari ab aliquo: quia ipſa à nullo indiget teneri, ſed potiùs illa portabat portitores ſuos:* ſed quonam pacto vera hæc, vti ſonant? nam & Arca, cùm de lignis eſſet, vt portaretur indigebat; neque boues, à quibus trahebatur, ipſa portabat: igitur ſpiritaliter capiẽda de æterno Numine, quod Arca illa repræſentabat, de quo Apoſtolus ad Hebr. c. 1. v. 3. inſtruit *portare omnia verbo virtutis ſuæ:* Quid igitur Numen offendit ſecundum hanc cõſiderationem? Nempè, ipſe ſupremus Rector eſt Creaturarum omnium, & quanquam nihil in portando laborat, tamen ſe accommodat humanis cogitationibus: putant verò Mortales fatigari illos, quibus portare aliquid incumbit, ac laborioſum eſſe miniſterium, ne dicam ſeruile pariter: Quoniam igitur Deus Dominus ſit Dominantium, repudiat portari ab Oza, quin magis ipſe omnia portaturus ſit verbo virtutis ſuæ, docens, vt ſi quem expediat ab onere liberari, ſubditus is futurus ſit, non Promachus: hoc igitur eſt, quod Arca non debeat ſuſtentari ab aliquo, nam Antiſtites adumbrat; ſed potiùs *illa portabat portitores ſuos*, iugo liberans ſubditos. Numquid & his affine illud apud Matthæum cap. 4. Nam, cùm ſecundò oppugnaſſet Chriſtum Aduerſarius, ſugillauit audaciam, vt qui non veritus fuiſſet etiam Creatorem rerum tentare: *Non tentabis* (inquit) *Dominum Deum tuum:* Cur non ſic alloquutus ad primam congreſſionem? An, quia inſolentior fuiſſet dæmon, cùm iterauit pugnam? ſed quid commentus eſt? *Angelis ſuis* (inquit) *mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum:* Quid tamen in his inuerecundum, & procax? Cui enim par eſt Angelos famulari niſi filio Altiſſimi? Vt dicebamus de Arca per metaphoram, hîc quoque: Homines enim qui præſunt docturus filius Dei; innuit, neceſſum eſſe, vt intelligant, qui Magiſtratu funguntur, baiulos illos eſſe, qui onera multa ferre debeant, non autem grauia in ſubditorum humeros transferre, quæ ipſi ne tangant: proinde nolit audire ipſum

2. Reg. 6. 6.

Toſtat. *Portabat Arca portitores ſuos, vnde occiſus eſt Oza quod eam tenere voluiſſet.*

Hebr. 1. 3.

Matth. 4. 6. *Increpatur Dæmon quod Angelos Chriſtum portaturos dixiſſet.*

vt



vt Angeli manibus ſubuehant: vnde Imperfectus Chryſoſtomus hom. 5. in Matthæum: *Nam, & verè Filius Dei Angelorum manibus non portatur, ſed ipſe magis Angelos portat: Nec enim Creatura portat Creatorem, ſed Creator Creaturam.*

Chryſoſt.

30. Salomonis in templo mare æreum fabricatum, quod boues duodecim ſupportabant, Reg. 3. cap. 7. verſ. 25. fuit & in Moſaico tabernaculo labrum æneum, in quo miſsâ aquâ *lauabant Aaron & filij eius manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri erant tabernaculum teſtimonij, & quando acceſſuri ad altare*, Exod. cap. 30. verſ. 19. Cur non vectores de Aquilarum genere? aut ſi terreſtria magis placebant Animantia, vel gryphes, vel leones? nimirum indicat Mare illud principatum: quoniam verò Magiſtratus non tam honor eſt, quàm onus, rectè portitores de Bobus, cùm Animal ſit ad labores propè natum: aut enim triturat ſemper, vel arat, vel ſub plauſtro ingemiſcit. Nilus in Aſcetico: *Boues ſub pelui, declarant eos, qui ſubeunt onus Rectorum, nihil reſpuere, aut auerſari debere; ſed onera, & ſordes inferiorum perferre, quoad ſine periculo fieri poſſit.* O ſi ambitioſi conſiderent, qui Magiſtratum obeat ex norma, tùm demum Gubernatoris nomine dignum, cùm Boum laboribus paria laſſamenta pertulerit! Sed pro noſtri ſcopo inſtituti premamus locum. Certè ita contingebat, dum ſe abluerent ſacrorum æditui; penès illos quidem munditia & venuſtas: penès æneam peluem ſordes, & inquinamenta: proh latices omni deſtitutos ſolatio! non apti ſitim extinguere, non cibos coquere, non veſtem abſtergere: at docent iſta qualis ſit conditio Antiſtitum, qualis inferiorum: nihil enim ad labrum ſpectat, quo deſignantur Præpoſiti, quàm ſordes: Quod decorum & perpolitum, id ſortiuntur, qui lauantur, quibus ſubditos intelligimus: hoc eſt Præfectura; Quod vile & abiectum eſt, ſibi retinere; quod ſpecioſum eſt, & delicatum in alios effundere: mirabile eſt tot eſſe, quos honorum ſitis vexat, cùm ſi quid præclarè acturi ſint, ſordium tantùm collectores futuri.

3. Reg. 7.

Exod. 30. 19. *Boues ſub mari æneo laborioſos Rectores indicant.*

Nilus.

*Labrum æneũ Præfecturam ſignat, quæ quod vile & abiectum eſt, ſibi retinens, quod ſpecioſũ & delicatum in alios debet effundere.*

31. Vidit in ſomnis Iacob ſcalam ſtantem ſuper terram, & Dominum innixum ſcalæ, Geneſ. c. 28. verſ. 12. Quanquàm verò communi Authorum iudicio Numen concipiatur ſuperiori, qui cœlos tangebat, ſcalarum apici, incubuiſſe: at noſtro Alcazario probatum, dici poſſe, non in ſumma, ſed in ima ſcalæ parte conſtitiſſe, à quo ſubſtentabatur omnis gradalis machina, ita Notatione 1. ad verſ. 1. capitis 4. Apocal. ſect. 1. Sed cur non magis Angeli ſcalam firmant? Scilicet Dominus erat omnipotens; Rectores autem inſtruere volebat: ergo quoniam horum officium, ſubditi vt requieſcant quantùm miniſteria permittant; ipſi autem pondus ferant; idcirco à nemine fulciri Numen ſuſtinet, ſed & Angelos & ſcalam, & vniuerſa ipſemet portat. An his proxima cogitarit Anſelmus, cùm in illud Luc. cap. 3. *Factum eſt, cùm baptizaretur omnis populus*, &c. paulò poſt medium, loquutus? *Lapis* (inquit) *lapidi ſuppoſitus, & velut fundamentum ſcalæ factus Chriſtus eſt; qui ſeipſum humiliauit, vt omnes ſuos exaltaret: Qui ſicut fundamentum, omnes portat, & à nemine portatur.* O quæ Regio in terris eiuſmodi producit Monarchas, qui omnes ſubleuare malint, qui nulli graues eſſe cupiant, *Omnes portat, & à nemine portatur:* Vbicumque talis Rex, eius de Republica prædicabitur, quod à Iacob dictum: *Non eſt hîc aliud niſi domus Dei!*

Gen. 28. 12.

Alcazar. *In ima Iacobææ ſcalæ parte conſtitit Dominus, totum ſcalæ pondus ſuſtinens: Rectorũ documentum.*

Luc 3.

Anſelm.

*Diuinæ gratiæ fauores, & prærogatiuas maximo ſtudio occultare Perfecti nituntur viri.*

## Sectio III.

32. Ecce foràs vagatur Adoleſcentularum multitudo, ſola Sponſa eſt quæ ſe abſcondit in promptuariis: curni & illæ? nimirum Iuuenculæ nouitias repræſentant Animas, quæ vt bibunt de muſto diuinarum Conſolationum, ſtatim loquaces fiunt, continere ſe non poſſunt, quin & vicis & plateis vociferentur, quàm bonus ſit Deus, quanta Animæ earum fecerit; quanquam non malo id fine, imprudenti id quidem, Nam theſaurum occludi conueniens eſt; conſideratè enim Magnus Gregorius hom. 11. in Euangelia: *In præſenti etenim vita, quaſi in via ſumus quâ ad patriam pergimus: maligni autem Spiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident: deprædari ergo deſiderat qui theſaurum publicè portat in via.* Idcircò Sponſa ex perfectorum typo ſecretum petit, vitat frequentias populorum, id quod Origenes animaduertit homil. 1. ex quatuor: *Sed & illud etiam in hoc aduertere debemus; quod ſicut Rex habet cubiculum quoddam, in quod Reginam, ſiue Sponſam introducit: ita habet & Sponſa ſuum cubiculum, in quod monetur per Verbum Dei claudere oſtium, & ita concluſis illis omnibus diuitijs ſuis intra illud cubiculum orare eum, qui videt in abſcondito, & perſpicit, quantas opes, Animi ſcilicet virtutes, intra cubiculum ſuum Sponſa condiderit, vt videns eius diuitias det ei petitiones ſuas; Omni enim habenti dabitur.* Certè ſuſpecta eſt ſanctitas, quæ garrula eſt, & inquieta, & vel reuelationes, vel ſingularem in victu & veſtitu morem in hominum ſpargi rumores optat. Palæſtram intrare coactus Iacob, nam vir luctabatur cum eo vſque manè, Geneſ. cap. 32. verſ. 24. certè noctu fuit dimicatio, nam cùm appareret clarum manè, diſceſſit qui prouocauit ad certamen: *dimitte me* (inquit) *iam enim aſcendit Aurora.* Sed cur ſub tenebris gymnici ludi? quæ noua palæſtrandi forma? Primùm, ſunt qui autument Angelum bonum Dei nomine concertatorem fuiſſe, quem ideo Iacob ſuperaſſe dictus ſit, quòd orationibus & lacrymis dona conſecutus ſit maxima: pro his Chryſologus ſermone 131. *Sic Iacob vianti comiator occurrit: & ita ſe humano Collegio ſocium præbet; vt prouocanti homini Deus totus in luctam inſeratur: & tunc videbitur neruis, aut lacertis vincere; quando victor cœleſtia dat dona, munera dat diuina.* Igitur ſi pugillatûs finis, Iacob vt diuinis afficiatur honoribus, gratiâ cumuletur cœleſti, luculentè, quod noctu Duellum ſit, in quo diuina conferuntur beneficia; eiuſmodi namque fauores ſedulò obtegendi ſunt, eſt autem latendo Nox ſatis opportuna. Cæterùm Origenes libro 3. Periarchon non fuiſſe corpoream luctam, ſed ſpiritalem cum Angelo malo iudicauit, inquiens: *Denique Paulus dixit, nobis eſſe luctamen aduerſus Principatus, & Poteſtates: Vnde & ſi Iacob luctatus eſt, ſine dubio in aliquam harum virtutum luctatus eſt, quas humano generi, & ſanctis præcipuè aduerſari, & mouere certamina Paulus affirmat*; quem ſectatus eſt Hieronymus Explanatione in caput 6. ad Epheſios, in illud: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus Carnem & ſanguinem, &c. Et ſimul, vide, ne fortè ridiculi ſint, qui arbitrantur in ritum luctantium, totâ*

*Sponſa perfecta recondit ſe in Cellarijs, non itẽ Adoleſcentulæ, Animæ Nouitiæ.*

Gregor.

Origen.

*Garrula & inquieta Sãctitas, ſuſpecta eſt.*

Gen. 32. 26. *Cum quonam Iacob luctatus.*

Chryſolog.

*Lucta Iacob nocturna, in qua diuina conferebãtur beneficia, ſed celanda.*

Origen.

Hieronym.

 nocte

*nocte Iacob eſſe luctatum: Quid enim grande, ſi vt illi aiunt, luctans aut ſuperauit, aut victus ſit? Sed iuxta rationabilem, & conuenientem Patriarchæ luctam, talem illi colluctationem fuiſſe credendum eſt, qualem hi habent qui poſſint dicere: Non eſt nobis colluctatio aduersùs Carnem, & ſanguinem,*&c. Ergo ſi lucta hæc fuit ſpiritalis, ſapienter quod noctu accidiſſe referatur, præſertim Aduerſario ſuperato: exerceantur quidem interdiu corporalia illa, quæ parum proſunt, quorum caduca vel emolumenta, vel damna: Sed ſpiritalis lucta, in qua intercedunt gemitus, orationes, vigiliæ, macerationes Carnis, hæc omnia velanda ſunt, quibus ſatis eſt ſpectatores adſtare Deum, & Sanctorum agmina, quorum luminibus etiam nocturna, & clauſa apparent: fortaſsè, ſi non iſta noctu peragerentur, Angelus non vinceretur à Iacob, qui tamen ſuperatus eſt. Sed firmior Opinio & plurium Authorum, Bonum fuiſſe Angelum, quocum Patriarcha ſit colluctatus, qui & in aſſumpto corpore viſus ſit: cur os aureum monſtrante Phœbo præuiâ aurorâ fugam capeſſit? cur lucem veritatis Miniſter auerſatur? Verùm talis erat, cuius nomen erat mirabile: ſcilicet, eorum figura, in quibus Deus ſtupenda quædam, & præter ſolitum gratiæ ordinem, ad oſtenſionem potentiæ ſuæ operatur: ectaſim patiuntur, colloquijs Beatorum Ciuium fruuntur, ventura annunciant, naturæ imperant in ſignis, & prodigiis: huiuſmodi igitur, qui in veris Mirabilibus ad laudem Creatoris ambulant, fugiendam eſſe Auroram, hoc eſt, populares applauſus, famæ & nominis curam, inſinuat: *Præcipuè autem* (ait noſter Pererius diſputatione 4. in nominatum Geneſeos caput, num.39.) *Nolebat Angelus videri ab alijs, qui illuceſcente die venturi erant ad Iacob: huiuſcemodi enim myſteria, non ſunt publicanda, & inuulganda: Sed idoneis tantùm, digniſque ſecretò tradenda.*

*Spiritalis lucta velanda, ſoli Cælo aperta.*

Pererius.

33. Iudic.14.6.

Quanta autem debeat eſſe taciturnitas hiſce de rebus, Samſonis egregium facinus monet; *Occurrit ei Catulus Leonis ſæuus, & rugiens*, vt inquit Iudicum Textus, capite 14.verſ.6.& inermis quanquam, abſque ſociis, fugam haud meditatus Adoleſcens, non latebras petiuit, non ora pallor obduxit; quaſi hœdum in fruſta diſcerpſit: Atque ille, cùm beſtiarum fortiſſimam interemerit nouo & ſingulari roboris auſu, non de victoria intumeſcit, non in ſpem Triumphi exuuiis induitur, ſicut Gentium ille Hercules; plus omnibus his, nec Patri, neque Matri, à quibus diuerterat, indicare voluit: demiratus ſilentium magis quàm ipſam fortitudinem noſter Seratius quæſt.9. num. 6. exclamat! *O Samſon! Leonem, eiúmque naturâ, ac ætate ferocem, ac ſæuum, horribili in te impetu irruentem, immanéque rugientem, tuis prehendiſti animosè manibus, prehenſum tenuiſti valentiſſimè, tentum diſtendiſti, ac diſcerpſiſti lacertoſiſſimè: & tamen, ne tuis quidem in via iſta comitibus, te paulò poſt accedentibus, tecum euntibus & fabulantibus, indicare hoc voluiſti: pudeat nos noſtræ Vanitatis, cenodoxiæ, iactantiæ:* Sed cur tantoperè celare ſtuduit? Saltem genitoribus aperiret? minimè quidem, imò priùs exteris: eſt enim in Parentibus incredibilis ambitus pro gloria filiorum: Ergo illi tacuiſſent memorandi facti ſtupendas circumſtantias? Samſon igitur, qui laudes Mortalium declinare ſtatuerat, abſtinuit præcipuè vt Parentes noſſent. Verùm præbeamus nihil fidentius eſſe genitoris, aut Matris ſecreto, ſed docendi eramus pro magnitudine rerum ſilentium eſſe debere; itaque, vt mediocria propalare nonnullis, fas ſit, magna pauciſſimis quibuſdam; ſed cùm omninò inuſitata ſunt, quæ tamen certò Dei eſſe beneficia, ab eo deriuari conſtet, pectore eâ condantur; & alta premat taciturnitas.

Seratius.

*Leonem à ſe in fruſta diſcerptum, nec Patri nec Matri indicat Samſon diuinum prudenter celans beneficium.*

34. Habeo tamen, quam penè Samſoni anteferam Iſaaco deſponſatam Rebeccam: Nam ſi multum eſt, negaſſe Parentibus; maius eſt, ne Sponſo aperuiſſe, cùm propter Maritum iubeatur Virgo apud Dauidem, obliuiſci populum ſuum, & domũ Patris ſui: Aduehebatur illa ex paternis laribus, cùm propiùs adeſſet, vidit Iſaacum, nam progreſſus erat ſub veſperam in agrum ad meditandum; vt conſpexit, atque à puero didicit, promiſſum ſibi iuuenem eſſe, tollens citò pallium ſuum operuit ſe, Geneſ.cap.24.verſ.65.Sed, vt in Virgine commendandum ſit, ſurripuiſſe virorum aſpectibus vultus lineamenta, Marito etiam faciem denegaſſe, quis approbet? non laborat ſub coniuge Pudicitia, Dominus eſt vir fœminei corporis, Dominus faciei, Matrimonium ſanctos fecit intuitus: ergóne & Sacramentum in his aliquod? Chriſtianam in Rebecca Sapientiam agnouit Rupertus: hanc autem à prophana, verecundiâ maximè diſtare arbitratur; nempe illa ſecularis gaudet acclamationibus, venatur populorum rumores, conſpici delectat; hæc Chriſto genita, & in Chriſtum ferens, ſubmiſſa eſt & humilis, latêre ſtudet: itáne pateret etiam luminibus peregrinis, cùm vel ad Mariti aſpectum contremiſcat? Ideo viſo Iſaac vel poſt Connubiale pactum Rebecca theriſtro abſconditur. *Sic profectò* (inquit memoratus Abbas lib. 6. in Geneſim, cap.4.) *Sana omnis doctrina, & Euangelica Religio pudicè ambulat, & ſub honeſto, & humili Sacramentorum velamine, Chriſti Amatoris ſui ſeſe obſequio præſentat: Filiæ verò fallacis gratiæ, & vanæ pulchritudinis, id eſt, cunctæ Hæreſes ambulant extento collo, & nutibus oculorum eunt, & plaudunt, & tanquam importunæ Meretriculæ, videri & appeti ambiunt; de quibus Iſaias Spiritu prophetico vaticinans: Pro eo, inquit, quod eleuatæ ſunt, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant*, &c. Nos prophanam ſcientiam diximus, non quòd Hæreſim iiſdem ſcatêre vitiis, non arbitremur; ſed potiùs quia vtraque germanæ: quare & ad Ethnicas diſciplinas ſimilem Allegoriam de Ranarum loquacitate idem retulit Tutienſis Abbas libro 1. Commentariorum in Exodum, capite 32. & Auguſtinus aſſociauit, libro de conuenientia decem Præceptorum cum decem plagis Ægypti.

*Vel coram Sponſo velatur Rebecca, Chriſtianæ Sapientia; longè aliter Hæreſis.*

Rupert.Tut.

Auguſtin.

35. Iuſſus, vt in Ægyptum deſcenderet Moyſes, bonâ cum ſoceri veniâ pergere volebat: Iethronem itaque alloquutus: *Vadam* (inquit) *& reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam ſi adhuc viuant.* Exod.cap.4. verſ. 18. Itáne ſcopus peregrinationis hic, aut certè non inſuper alius, íſque potiſſimus, vti per te Ægyptus flagelletur in mirabilibus? Nonne Pharaonis Deus conſtitutus es? Nonne Virga tibi conceſſa eſt, quæ elementis imperet? Cur non ſocero iſtamet recenſes? O ſanctorum piam aſtutiam! in hoc tantùm callidi, ne quis exiſtimet eos aliquid eſſe ſuprà quàm videat: peccata & defectus exaggerant, præclarè geſta extenuant quibus poſſunt modis. In Ægyptum proficiſcitur portentis futurus clariſſimus: nihil tamen iactat, nihil blatterat; Quod vulgare eſt, & commune, aperit, fratrum nempe ſe tangi amore, & optare illos cernere poſt longam

Exod.4.18.

*Nec prudenti ſocero ſummã à Deo acceptam poteſtatem declarat Moſes in Ægyptum profecturus.*



longam abſentiam: Quod ſupra humanam poteſtatem eſt, quo Natura ſuperatur, id arcano pectoris receſſu condit; ne ſocero quidem, cùm & vir prudens eſſet, declarat. Subiiciamus ſalubre monitum Toſtati ſuper his verbis, quæſtione 8. *Et licet Moyſes iſtam cauſam expreſſerit, aliam ſubticuit, quæ magis vrgebat, ſcilicet, diuina Miſſio & apparitio; & in hoc apparet Moyſis nobilitas, qui noluit gloriari apud homines, declarando, ſibi Deum apparuiſſe, niſi illis, quibus Deus declarar ari mandauerat; in quo inſtruuntur viri Contemplatiui, qui interdum à Deo recipiunt viſiones, & admirabiles conſolationes, quaſi incipientes deguſtare, quàm dulcis eſt Dominus: quia hæc non cuilibet patefacere debeant, niſi cum magna difficultate, & vbi multùm prodeſſe ſenſerint; aſpicientes tamen, ne diuina beneficia ſpecialia contemnantur, ſi ea quibuſcumque Vulgaribus, & imperfectis viris exponant; vel niſi ex ſpeciali Dei mandato: quia quendam laudis appetitum proteſtatur, velle de ſe talem magnitudinem omnibus propalare.*

Toſtat.

36. Sidus illud, quod Magos ductarat, vt peruentum in Bethleem, ſtetiſſe ſuprà vbi erat Puer Matthæus affirmat cap. 2. verſ. 9. Quamobrem non diſparuit ſimul atque oppidum demonſtrauit? Chryſoſtomus hom.6. in Matthæum: *Et quidnam opus erat, inquis, hoc ſidere, cùm certè iam vicus ille fuiſſet repertus? abſque dubio, vt videretur Puer: neque enim præterea quidquam erat, quod illum poſſit oſtendere, cùm nec eſſet ipſa domus conſpicua, nec Mater quaſi clara quædam celebraretur, ac nobilis: opus igitur erat ſtella, quæ ſuper ipſum prorſus tugurij culmen inſiſteret.* Sed ego conceſſerim, neque domus, neque Matris celebrem fuiſſe famam, atqui Bethleemiticum oppidum exiguum erat, & non multorum incolarum; in tanta igitur paucitate commorantium, licet deſpecti cenſus, nulliúſque pompæ Mater Seruatoris, indagari tamen poterat breui diligentiâ; itaque ſuperuacanei erant ſideris illi criniti fulgores. Sed intuêre Iuſtorum nimium vt lateant ſtudium, iam tum ab ipſo capite Chriſto exordiens: etiam vbi deliteſcere, & abſcondi propè videbatur impoſſibile ob anguſtias locorum; Sic tamen occultatur, vt ſtellâ proditrice opus ſit: imò certè, plurimum eſt, quod vel ſtellæ aſſenſerint Magi; quanquàm & Angelus de cœlo laberetur: quem enim longo terrarum tractu quæſitum venerant? Regem planè Iudæorum: *Quid facitis, ô Magi* (ait Bernardus ſermone 1. de Epiphania) *quid facitis? lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Quid facitis, quod & aurum offertis? ergo Rex eſt ipſe? Et vbi aula regia, vbi curiæ regalis frequentia? Numquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curiæ frequentia, Ioſeph & Maria? quomodo ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes, vt adorent paruulum deſpicabilem tam ſuâ ætate, quàm paupertate ſuorum? Sed profectò, qui illos adduxit, ipſe & inſtruxit; & qui per ſtellam foris admonuit, ipſe & in occulto cordis edocuit:* Sed qui regium declinauit faſtum ſub naſcendi auſpiciis, perſeuerauerit & ſub vitæ exitu gloriam ſubterfugere. Nam cùm maledictis, & conuitiis proſcinderent illum, qui necem ei parabant, inter ſcommata & fœdas irriſiones obmuteſcebat ſicut ouis coram tondente: Atqui ſciſcitante eum Præſide, num Rex eſſet Iudæorum, os tum aperiens: *Regnum* (inquit) *meum, non eſt de hoc mundo*: Ioan.cap.18. verſ.36. Ad quæ initio homil.83. Chryſoſtomus: *dicentibus maleficum eſſe, neque quo eum arguerent habentibus, tacuit tamen: Cùm de Regno interrogatus eſt, tunc locutus eſt ad Pilatum, erudiens eum, & ad altiora erigens.* De quibus intenderat docere illum? nempè quod illius Regnum non eſſet ex hoc mundo; quibus non eſt inficiatus ſe Regem eſſe orbis terrarum, vt idem Chryſoſtomus homilia 82. rectè animaduertit, ſed alium eſſe modum imperandi ſeculi poteſtatibus, quàm ſit Chriſto: Nam quidem illi licet boni, qualis fuit Dauid, qualis multo tempore eius filius Salomon; tamen conatum omnem adhibent, vt Prouinciæ intelligant Vniuerſæ, quanta ſit Maieſtas Aulæ regiæ, quàm ſtrenuus, quàm copioſus miles ſub illis, quàm latè pateant Monarchiæ fines, quàm clara oppida quàm fertiles agri, quales oræ maritimæ, denique nihil omittunt, quod Nominis & famæ ſplendorem iuuare poſſit: Chriſtus autem ex oppoſito, cùm & ſuperna, & terrena, atque infera dominatu regeret potentiſſimo, haberétque ſcriptum in femore, Rex regum; tamen ſedulò procurauit, vt gloriæ indicia compeſceret, propterea neque ſatellitibus ſtipatus, neque coronam cinctus, neque regiis aliquibus ornamentis, ne habens, vbi caput reclinaret, ac proinde non de hoc mundo principatus ipſius.

Math.2.9.

Chryſoſtom.

*Sic occultatur Chriſtus recens natus, vt opus fuerit Magis Stellâ ad eum prodendum.*

Bernard.

*Irriſus Chriſtus quod ſicut Ouis corã tondente obmuteſceret.*

Ioan.18.36.

Chryſoſtom.

---

*Obligatorium, Eccleſiæ fruenti reditibus, Pauperum eſſe ſubuentorem: ex occaſione diſquiſitum ſuper numero conuiuarum, & difficilis Eccleſiaſtæ nodus excuſſus.*

## Sectio IV.

37. INtroducitur ſola Sponſa in Apothecas, nec tamen Adoleſcentulæ immurmurant, quod à foris relinquantur, & in vnam congerantur diuitiæ omnes; congratulantur potiùs, & iucundis vocibus intonant, *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum:* At curni illæ certè exhilarentur ſub tali Hera, quæ & Ancillis ſuis cibaria diſtribuere, & manum inopi nouit aperire? Eius eſt adminiſtratio & cura Penoris; vtilitas, Adoleſcentularum, ſciunt enim tali ſub Magiſtra, imò genitrice non nuditatem, non famem paſſuras. Eximiè Bernard.ſerm.23.in Cantica: *Introduxit me Rex in Cellaria; Putate, & vos pariter introductas: Sola introducta videor, ſed ſoli non proderit: veſtrum omnium eſt meus omnis profectus: vobis proficio, vobiſcum partibor quicquid plus fortè vobis meruero: Vis indubitanter ſcire, quia in hoc ſenſu & affectu loquuta ſit? Audi, quid illæ reſpondeant: Exultabimus, & lætabimur in te, & addunt, memores vberum tuorum: hoc eſt, æquanimiter ſuſtinemus dum venias, ſcientes te plenis ad nos reuerſuram vberibus.* Sed quænam hæc Sponſa, niſi inſignis alicuius Eccleſiarum Antiſtitis perfecta Anima, cuius gaudium & Corona Pauperes Chriſti: certè eo in Eccleſiaſtica promptuaria introducto, vt det menſuram tritici in tempore ſuo; non minùs exultat, atque tripudiat puſillus Miſerorum grex, quàm ſi ipſimet introducantur: Non in cognatos aurum diſtribuit, non in Paraſitos, & calamiſtratos iuuenes, non in comeſſationibus & ebrietatibus conſumit; Pauperis eſt totum, quod illius ſit: ſub eiuſmodi OEconomo vis vt non lætentur? quare iterum Bernardus: *Nunc verò vides, quomodo de Matre præſumant, quomodo eius lucra & gaudia, ſua reputant, propriæ repulſæ iniuriam illius introductione conſolantes: minimè ita confiderent, niſi Matrem agnoſcerent: Audite hæc Prælati*, &c.

*Sponſa, boni Præſulis figurâ, in Cellariũ introducta, exultãt Adoleſcentulæ, pauperes nẽpe, ſcientes omnia inde ſibi fore ſubminiſtranda.*

Bernard.

Idem.

38. Michas, cùm vanorum Numinum Flaminem gnatum feciſſet, peculiari vſus locutione Iudicum liber.c.17.v.5. *Impleuitque vnius filiorũ ſuorum manum,*

Iudic.17.5.

*manum,& factus eſt ei Sacerdos:* Quamobrem initiandorum manus impleri dicantur, referunt ad victimam, cuius litatione manus cùm occuparentur, eius apprehenſione Sacerdotiũ conferebatur, Lyra ita in dictum ex Iudicibus, caput, Bonfrerius ad v.41.c.28. Exodi: addunt inſuper oleo conſecratiuo adimpletas palmas Abulenſis ad finem q.12.in memoratum Iudicum caput, Caietanus ibidem, Serarius q.7.Salianus tom.2. anno Mundi 2622. n.9. diuerſâ cogitatione noſter Sanctius in c.43.Ezechielis, n.68. monet, ex vſu Scripturæ plenum id dici, quod perfectum; *ita*(inquit)*vt nihil amplius ad perfectionem accedere poſſe videatur; vnde ſancti habuiſſe dicuntur dies plenos, & religiosè tranſactos:* Ergóne inſtruimur, qui ad Sacerdotium accedunt, iis debere vitæ fulgêre ſplendoribus, quibus ne mediocris aliqua ſufficiat virtus, perfectos & conſummatos viros eſſe oportêre, nam ex plenis conuenit eos eſſe? Heu! ſi tales initiandorum claſſes, quàm læta Epiſcopis dies! Nã reddituri ſunt proculdubiò de his, quibus manus impoſuerunt, exactiſſimam rationem? Sed noſtro ſcopo aptior communis opinio. Igitur, pudeat Sacerdotum vacuas cerni manus; hoc ipſa vetat initiatio; habeat plenas manus, quas in Pauperum effundat ſinus, quibus occurrat non habentibus vel panem, vel indumentum, tum demum ſe presbyterum norit, & altaribus dicatum miniſtrum: ſubeat oleo refertas palmas cùm à ſecularibus curis auulſus eſt, & in Dei tranſcriptus partem: meminerit ſymbolum eſſe Miſericordiæ, vt proinde Sacerdos factus ſit, quo miſericors euaderet, & ſubſtantiam Eccleſiarum fidelis ſeruus & prudens in cibos pauperum diſpertiret. Si Magnus Antiſtes ſit, caueat, vt Michæ huius veſtigia ſequens, iniuſtus diuiſor Beneficiorum euadat Eccleſiaſticorum: Viros ſolicitè exquirat conſilio, pietate, doctrinâ ornatiſſimos, his & reditus & Eccleſias cõmittat diligentibus Paſtoribus, & non quemadmodum iſte, vel nepotibus, vel clientelæ, niſi fortè & inter hos, qui cum egeſtate laborent, diſciplinarum tamen, & probitatis laude niteant: filium enim ſacris præfecit, cùm deberet ex filiis Aaron aliquem conſecraſſe ſecundum Lyrã: quod an omninò verum, Abulenſis docebit, q.13. in Iudic.c.17. Nunc in tropologiæ gratiam conniucamus, Nicolai verba ſuggerentes: *Quia talis*(loquitur de malo Antiſtite) *non dat aliquid, niſi nepotibus & conſanguineis, in vita, ac ſcientia defectuoſis, quibus dat præbendas, ſi ſit Epiſcopus, & bona Eccleſiæ, ſi ſit inferioris gradus; & parum, aut nihil dat Pauperibus.*

*Cur Michas Sacerdotem conſecrans, manum eius impleuit?*
De Lyra,
Bonfrer.
Toſtar.
Caietan.
Serar.
Salian.
Sanchez.
*Illud plenum, quod perfectum.*
*Plenæ ſint Sacerdotum manus.*
Toſtat.
De Lyra.

39\. Filiorum Heli, qui Sacerdotali fungebãtur miniſterio, cùm alia multa fuerint vitia, tum illud præcipuum, quod ex hoſtiarum partibus priuſquàm coquerentur, demerent Carnes, etiam antequàm adolerent adipẽ, veniebat Puer Sacerdotis, & dicebat immolanti, *da mihi Carnem, vt coquam Sacerdoti, non enim accipiam à te Carnem coctam, ſed crudam.* Reg.1.c.2.v.15. At quare coctam recuſabat? Toſtat.q.8. *Hoc autem erat, quia volebant Sacerdotes delicioſiùs epulari: ideò accipiebant Carnem crudam, vt poſſent aliter vt vellent apparare, quod in iam cocta facere non poterant:* Sed præter gulæ irritamẽta, aliud inſuper quæſitum fortaſſe, vt marſupium augerent; ſubinnuit Hugo de Foiletto in Tilmani Allegoriis: *Carnem crudam idcircò deſiderant, vt quod, & quomodo, & quantùm velint, ſibi coquant:* Equidem ſi coctæ fuiſſent Carnes, quod reſiduũ fuiſſet, cùm vendi difficulter poſſit, in Pauperes eſſet diſtribuendum; Ne igitur remaneat aliquid, quod vel nolentes adigat, egenis vt dilargiantur, crudas procurant eſcas. O Sacerdotij vituperia, peſſimos Myſtas! non mirum deliciis & ingluuie fractos, Pauperum oſores, luxuriæ inquinamentis fœdatos, nam & dormiebant cũ mulieribus quæ obſeruabant ad oſtiũ tabernaculi. In huiuſmodi ſtomachatur monſtra Iſaias c.1. v.22. *Vinum tuum miſtum eſt aquâ:* aliter LXX. quanquam in eundem omnino ſenſum: *Caupones tui miſcent aquam vino:* Qua tranſlatione vtitur Ambr. ad v.85. Pſal.118. *Narrauerũt mihi iniqui fabulationes,*&c. Verùm pro noſtro inſtituto conuenientiùs ſerm.78 *Non enim de ijs Cauponibus Iſaias ſanctus loquitur, qui publicis miniſterijs ſeruientes, meram vini ſpeciem fraudulentâ aquæ colluuione permiſcent, ſed de illis vtique Cauponibus loquitur, qui præſunt Eccleſijs, non tabernis: iſtos ergo Caupones Propheta arguit, & obiurgat, & queritur eos vino Aquæ ſpeciem permiſcêre: Hoc increpat in eis; cùm functionum diuinarum eſſent Præſules, ſectatores rerum facti ſunt humanarum: quiſquis enim Sacerdos relicto Pontificatus officio, mundi oblectationibus delectatur; hic aquam vino permiſcet, hoc eſt, rebus ſanctis, & feruidis inſerit res viles, ac frigidas.* Certè mẽtiuntur Caupones quæſtus vnius gratiâ, & liquorem merum adulterant aquâ diluentes; cupiditas & lucrum fictionem docuère, vt in ſimili propè causâ à Lactantio optimè pronunciatum lib.1.diuinar. Inſtitutionum c.4. *Voluntas fingendi, ac mentiendi eorum eſt, qui opes appetunt, qui lucra deſiderãt.* Norunt Eccleſiaſticorum plerique, quid multa, florénſque pars ſcholæ & Theologorum, & Canoniſtarum definiat; nempe obligatos ex iuſtitia eam fructuum portionem, quæ ſuperfluit conueniẽti ſuſtentationi, piè diſtribuere; alij, quanquàm ex iuſtitia adſtrictos nõ putent, arbitrantur tamen mortiferè delinquere, ſi in opera pia non expendant. Legantur Valentia tom.3.diſp.10.q.5. Puncto 7. Leſſius lib.2.c.4.dubitat.6.num.43. Puente Hurtado tom.2.in 2.2.diſput.160. ſubſect. 6. Sed cùm non ſufficiant aliquibus in prophanas voluptates, ad faſtum, & ſuperbiam, ad nepotes locupletandos, quæ congruæ ſuſtentationi adiudicantur; Cauponantur, & congruæ ſuſtentationis vocabulo obpalliant Conuiuia, ſupellectilis luxum, ſpectacula quin etiam & ludos, velut qui Aquam vini coloribus tingit: Quantumcumque familiares & Amici deuorent, totum neceſſitas eſt: timeant, ne fortè audituri ſint in tremẽdo iudicio, Eſuriui & non dediſtis mihi manducare; nudus eram, & non me cooperuiſtis; Ite maledicti in ignem æternum. *Timeant Clerici,*(ait Bern.ſerm.in hunc, quem explanamus ex Canticis verſ.23.)*Timeant Miniſtri Eccleſiæ, qui in terris ſanctorum, quas poſſident, tam iniqua gerunt, vt ſtipendijs, quæ ſufficere debeant minimè contenti; ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè, ſacrilegéque ſibi retineãt: & in vſus ſuæ ſuperbiæ, atque luxuriæ victum Pauperum conſumere non vereantur; duplici profectò iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & ſacris, in ſuis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.*

*Cur carnes coctas recuſabant filij Heli?*
1.Reg.2.15.
Toſtat.
Tilman.
*Crudas carnes volunt impij Myſtæ, ne pauperibus ſuperſit aliquid.*
Iſai.1.22.
LXX.
Ambroſ.
*Eccleſiaſtici Caupones, aquam vino malè miſcẽt.*
Lactant.
*Tenentur ſuperflua pauperibus erogare Eccleſiaſtici.*
Valentia.
Leſſius.
Hurtado.
Bernard.

40\. Horum expreſſa imago Giezi ille, inſequutus abeuntem Naamanum Principem militiæ Regis Syriæ: *Dominus meus* (inquit) *miſit me ad te dicens: modò venerunt ad me duo Adoleſcentes de monte Ephraim ex filijs Prophetarum; da eis talentum argenti & veſtes mutatorias duplices,* Reg.4.c.5.v.22. Itáne Giezi, filij Prophetarum, quibus Melota tegumẽtum, in veſtibus pompoſis, quales mutatoriæ? At diſtracturus eſt amictus illos feſtorum dierum in vſus filiorum Prophetalium; quibus alimenta cõparabit ex conquiſitis denariis. O quantùm diligit filios Prophetarum, pro quibus in viam ſe dat, Naamanum vel currendo aſſequuturus! Leuis eſt ei fatigatio, miſeretur ſcilicet filiorum Prophetarum pro quibus dulces ei labores qualeſcumque; verè ſupra Magiſtrum diſcipulus hic eſt; nec enim exorari potuit Eliſeus, vt quidquam admitteret, cùm tamen ad eum ſpectaret, filiis Prophetarum de victu, de veſtitu prouidere: Vtinam, vel in hoc ſaperet infelix, vt filiis Prophetarum conquiſiuiſſet, credo Eliſeus non excandeſceret vſque ad lepræ maledictum; fortaſsè & nihil doleret: Sed plurimùm diſtat cordis intentio à ſpecioſis verbis: certè Animæ ſecreta penetrauit Eliſeus, & vidit auaritiâ ebullientem Spiritum: *Nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes, vt emas olineta, & vineas, & oues, & boues, & ſeruos, & ancillas.* Hæccine illa pia mentis compaſſio ob inopiam filiorum prophetantium? In hoc congeſti theſauri, & raptatæ pecuniæ? Quis videns de Eccleſiaſticis Prælatis aliquem coaceruantem, auri, argentíque pondera, refarciri nummis arcas, non honeſtè iudicet reſeruari pecuniã vt vel Cœnobium, vel Templum, vel Xenodochium & fabricet, & dotet; aut in Pauperum ſubſidia, cùm ſterilitas vrget? Eheu, coëmuntur olineta, vineæ, prata, vt inter Nobilium cateruas triumphet ſororis filius, heri de poſt fœtantes oues aſſumptus: At non impunitus Giezi: & quanquam ſimoniacæ perfidiæ luiſſe pœnas communiter Doctores adſtruunt, tamen inſigniter mentitum fuiſſe, adeò, vt & Ananiam & Sapphiram in fallendo vicerit, Toſtatus arbitratur q.36. in dictum ex Regibus: Si tamen ad pios vſus, & ſubleuamen propheticorum Alumnorum poſtulaſſet, & cum Præceptore egiſſet candidè, iram declinaturum Eliſei, Sanctus aſſeuerat P. Damianus, cuius ex fide, quæ à nobis ſuperiùs prolata ſunt eiuſdem ſenſus: *Giezi ſanè Puer Eliſei*(inquit epiſt.32.lib.6.)*Si Prophetarum filijs, vt mentitus eſt, argenti talenta ſuſcipiendo, conſuluiſſet; nequaquam ſubeundæ lepræ ſententiam pertuliſſet: Nam idcircò plagâ percuſſus eſt, quam dator amiſerat: quia non ad hoc aliena ſuſcepit, vt in opus pietatis expenderet; ſed, vt ſuæ concupiſcentiæ ſatisfaciens, proprij iuris poſſideret peculium:* arguit, & quod in peculiares ſuos vſus conuertere tentauerit, Caſſianus Monaſticarum Inſtitut.lib.7.cap.14.

*4.Reg 5 22. Non pro filijs Prophetarum vt mentiebatur, ſed in ſuos vſus profanos, pecunias & põpoſas veſtes à Naamo emẽdicat Simoniacus Giezi, ſed non impunè: Malè diuitis Eccleſiaſtici Imago.*



Toſtat.
P.Damian.
Caſſian.

41\. Quàm dignum viro Eccleſiaſtico, quàm imitandum id, quod in Patre ſuo, cùm Antiſtes eſſet, commendat Nazianzenus Gregorius oratione de illius obitu, quæ ſexta: *Pauperum inopiam quàm maximè poterat ſubleuans, partémque dans, non ſeptem duntaxat, velut Salomonis lex præſcribit: Verùm, ſi octauus etiam accederet, libentiùs ſua profundens, quàm alij acquirant:* Innuit verſ.2. ex cap. 11. Eccleſiaſtæ, cui vtinam lucem aliquam poſſemus afferre, eſt enim totius codicis penè difficilior nodus; rectè autem noſter aduertit Lorinus germaniſſimum eſſe ſenſum, qui de Eleemoſyna facienda ſit: ac ſanè Conuiuarum numerus apud veteres ſeptenarius fuiſſe appareat ex trito Auſonij adagio in Ephemer.

——*ſex enim Conuiuium*
*Cum Rege iuſtum eſt; ſi ſuper, conuicium.*

*S. Gregorij Nazianzeni Pater, qui ipſe Antiſtes, liberalitatis in pauperes, Prælatis exẽplum eſto.*
Nazian.
Eccli.11.2.
*Locus Eccleſiaſtæ difficillimus.*
Lorin.
Auſon.

Eius ſententiæ Fuluius Vrſinus in Appendice ad Triclinium Romanum Petri Ciacconi: Quod eſſe verum, ſi tamen excipiatur ipſe ſympoſij Dominus, familiæque Rector, Lorinus arbitratur vbi iam citaui: Ioannes Sauarus ex Macrobij lib. 1. Saturnal.cap.7. *Hic video excepto Rege Conuiuij, tot nos eſſe quot ſunt Muſæ;* probat ad ep.11. lib.1. Sidonij Apollinaris: Indicat diſtichon Epigrammatarij in Apophoretis de ſigmatis,

*Accipe lunatâ ſcriptum teſtudine ſigma:*
*Octo capit; veniat quiſquis Amicus erit.*

Corroborat Iulij Capitolini dictum in Vero Imperatore: *Et notiſſimum eius quidem fertur tale Conuiuium, in quo primùm duodecim accubuiſſe dicitur, cùm ſit notiſſimum dictum de numero Conuiuarum: Septem Conuiuium, nouem verò Conuicium:* Non autem octo dixit eſſe Conuitium; nimirum, de externis ſeptem erant Hoſpites, quibus adiungebatur ipſemet, qui inuitabat; nec tamen vniuerſim obſeruata huiuſcemodi lex, ſed in familiaribus epulis; quemadmodum enim vulgari & conſueto vſu, & luctibus, & genialibus Menſis ſeptem aſſignati dies, in clarorum autem virorum vel funere, vel coniugio producebatur tempus, vti monſtrauimus tom. 1. Anteloquio num. 87. ita putandum de accumbentium Numero: quare Alexander Macedo ſuas, Amicorúmque nuptias eodem in loco celebrauit thalamis nonaginta duobus ſtructis, vt perhibet Athenæus lib. 12. Dipnoſoph. Ergo certè illa, quæ in Conuiuas & Hoſpites erogamus ſignificare valeant, quæ apud nos ſuperfluunt & abundant; Nemo enim Epulas inſtaurat cui Res familiaris exigua & tenuis ſit, & anguſtè ſufficiens in ſuorum alimenta: Cæterùm, quod Patriſamilias reſeruatur, id neceſſariam ſuſtentationem denotare poſſit: Quis enim non computet inter neceſſarium victum, quod erga domus Rectorem impenditur ſub prandio & cœna? Igitur docet Eccleſiaſtes, tum demum præclarè acturos viros conſecratos Deo, & qui de altari comedunt; cùm non ſolùm de abundanti & ſuperfluo, hoc enim obligatorium, Pauperibus diſtribuerint, verùm ſupergreſſi iſta, ſibi de neceſſãriis dempſerint, vt in miſeros conferant. Sanè coniunctio *Et* ſæpe in Scripturis, non tam copulandi nota eſt, quàm exceſſus cuiuſdam, vti Pſalm.124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu Populi;* id eſt, defendunt quidem montes, atque vallant; ſed multò magis auxilium ſupernum à rerum Domino protegit: cum in morem hoc loco *τὸ Et*, exaggerandi ſignum fuerit; tanquam dicat: effunde ædepol in Medicos quod abundat, & ſupereſt, nimirum partem eam, quam aſſignabas epulantibus apud te ſeptem Conuiuis; verùm his non contentus aſſurge ad maiora, & partem etiam deſtinatam Patrifamilias, quanquàm hoc non de ſuperfluo, ſed de neceſſariis quodãmodò, largire iiſdem. Quoties beati Eccleſiarum Antiſtites ſtragula; quin & amictus ſuos egenis diuiſerunt? tales S.Borromæus, B.Villanoua Hierarcha Valentinorum, noſter plurimùm venerandus Bellarminus: id in ſuo Parente, cùm eſſet Epiſcopus, meritò Nazianzenus collaudat.

*Conuiuarum numerus apud veteres.*
Ful Vrſin.
Sauarus.
Martial.
Iul. Capitol.
*Septem accumbebant externi cum Hoſpite.*
Athenæus.
*Prædictus Eccleſiaſtæ locus enodatur.*
Pſalm.124.

VESTIGA

# VESTIGATIO VI.

## Explanatio Grammaticalis, & Humana, In Verſum quartum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus*: Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. *Cap.1. verſ.4.*

*Cedareni vbi? quinam? vitæ exercitamenta, ſupellex: plures Scripturarum intertextæ ſententiæ: Madianitæ quales? Æthiopia duplex: An nigri Orientales? quæ cauſæ atri coloris? Cedaris noua intellectio de vrbe, non de Regione.*

### Sectio I.

1. *Arabia triplex.* Gen. 25. 13. *Cedareni, Agareni, Saraceni, Arabes quinam?*

TRIPLEX Arabia eſt; Deſerta, Felix, & Petræa: vltimam delegit ſecundus Iſmaëlis filius, de quo Geneſ. cap. 25. verſ. 13. Cedar nomine, ab eo nepotes Cedareni appellari, generaliori vocabulo Iſmaëlitæ dicti à primo inchoatore, Agareni etiam ab Agar Iſmaëlis genitrice, ſed cum puderet ex ancilla ſtirpém deriuare, ementito titulo Saraceni nuncupati, tanquàm à Sara, primariâ & liberâ Abrahæ contorali, Arabes quoque à regione, quam inhabitarent: ſagittis in bello vſi, quare apud Iſaiam c. 21.
Iſai. 21. 17. *Horum quæ exercitia?* verſ. 17. *Et reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filÿs Cedar imminuentur*: per deſertum vagari in tentoriis, nullis certis laribus apud eundem
Iſai. 42. 11. cap. 42. verſ. 11. *In domibus habitabit Cedar: Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.* Diuitiæ in pecoribus, propterea idem c. 60.
Iſai. 60. 7. verſ. 7. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi.* Ezechielis capite 27.
Ezechiel. 27. 21. verſ. 21. *Arabia, & vniuerſi Principes Cedar, ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te Negotiatores tui.* Totum quod de paſtoritia vita, complexus Ieremias cap. 49.
Ierem. 49. 29. verſ. 29. *Surgite, & aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios Orientis: tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vaſa eorum tollent ſibi.* Ad hæc feri, ſilueſtres; inſidi, rapinæ, & latro-
Pſal. 119. 5. ciniis addicti, Pſalm. 119. verſ. 5. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar. Cum his, qui oderunt pacem, eram Pacificus.* Ita expoſitores paſſim tum veteres, tum recentes cùm in ea Bibliorum incidunt loca, quæ ſuggeſſimus: videndi ſpeciatim Benedictus
Pererius. Pineda. A Caſtro. Pererius ad verſum 12. cap. 16. Geneſ. Pineda ad verſ. 1. cap. 1. Iob. num. 28. Chriſtophorus de Caſtro ad cap. 49. Ieremiæ, num. 31. nam producunt, quæ à nobis dicta corroborent ex Hieronymo in vita Malchi Monachi, Ioſepho Flauio Antiq. lib. 1. cap. 13. Strabone lib. 16. Plinio lib. 6. cap. 28. Ammiano Marcellino lib. 14.

2. *Arabes omnes Paſtores.* Philo.

Ab illis prætermiſſum damus Philonem, lib. 1. de vita Moyſis, aliquantum ab initio: *Arabes exercent pecuariam, paſcúntque greges promiſcuè, viri, mulieres, Virgines, iuuenéſque, non plebeÿ ſolùm, ſed & nobiles.* Sed quàm ſit regio ipſa infelix Dionis Caſſij narratio teſtabitur, qui in Nerua Tra-
Dio. *Arabiæ ſterilitas, & infelicitas.* iano: *Mox Arabiam petÿt, Agarenóſque rebellantes adortus eſt: erat illorum ciuitas parua, neque admodum copioſa: vicina omnis Regio ſterilis & deſerta propter aquæ penuriam manebat; & ſi quid liquoris ex ea terra ſcatet, minimè potui gratus habetur; pabuli indiga, ligna non fert; quare eam multitudine militum obſideri, aut expugnari facile non erat; defendebatur etiam ardore ſolis cui expoſita eſt: ergo neque Traianus in præſens, neque poſtea Seuerus Agarenos expugnare potuerunt:* Sed quàm non ſit diſſimilis hodiernus conuictus barbariſſimæ gentis, antiquis illis ſordibus, Ioannes Leo Africanus lib. 1. deſcriptionis Africæ commonſtrat, inquiens:
Ioan Leo. *Barbari Arabum mores, victus, ingenium.* *Omnis eorum vita in venationibus, ac rapinis tranſigitur, in hoc enim totis brachÿs incumbunt vt hoſtium Camelos abigant: nec vltrà triduum eundem locum occupant, non enim diutiùs poſſunt paſcua eorum ſufficere Camelis: Lecti vice ſtibadÿs, ſeu ſtoreis ex iunco conſitis vtuntur: tentoria ferè ex vndulato, aut ex aſpera quadam lana conficiuntur, quæ intra dactylorum racemos reperiri ſolet: quod ad victum attinet, non dictu facile, quàm ſit ea gens famis, inediæque patientiſſima; neque pane veſcuntur, neque cibo aliquo quocumque modo cocto: ſolo Camelorum lacte contenti: nil præterea deliciarum ambiunt: pro ientaculo ingentem lactis tepentis cyathum epotant: in cœnam nonnullæ Carnes ſiccæ, lacte & butyro condiri ſolent: & quamuis nullam habeant Ciuilitatis rationem, nullúmque vitæ inſtitutum præſcriptum; illis tamen Dux quidam, ſiue Princeps præſidet, cui ceu Regi & obediunt, & debitos honores tribuunt: non Literarum modò, ac diſciplinarum rudiſſimi perhibentur, verùm etiam & virtutum ſummus apud illos eſt neglectus.*

3. *An fuerint Cedareni Diuites, & qua ratione?*

Diſpiciendum, num Cedareni iſti ſpecioſiores aliquas gazas poſſederint; gemmas, argenti, auríque metalla, purpuram, byſſina? Nam multi huius Cantici enarratores extremam egeſtatem tribuunt viliſſimis Mortalibus, putauêre enim ex diametro oppoſitas Salomonis pelles cum Tentoriis Nomadum, vt in illis gloriæ, opúmque ſummum conſideretur culmen, in iſtis quod in mendicitate contemptiſſimum eſt: & hæc



hæc quanta ſint quæ perſuadeant? nihil ſolo ſterilius, nullæ poſſeſſiones, nulla Ars, nihil quod locupletare poſſit. Verùm potuiſſe inueniri apud eos optima quæque melioris ſupellectilis, ſunt quæ perſuadeant. Primùm, quoniam latrocinia exercebant: prædâ igitur ditari poterant. Secũdò, quoniam, vt ex Ezechiele intuebamur, num. 1. ad celeberrimas Tyri nundinas pecora deferebant: Quid autem deliciarum & luxus non in illo emporio? Quare Ioan. Leo lib. 1. deſcriptionis Africę
Ioan. Leo. de illis: *Aliàs, me illorum tentoria inuiſiſſe memini, nec id meo quidem incommodo; vbi & maiorem panni, æris, ferri, atque aurichalci copiam inueniri; quàm, quis apud ditiſſimos quarundam vrbium Ciues, ſe inuenturum cre-*
*Madianitæ Arabiam Deſertam incolebant.* *dat, vidi.* Tertiò, quoniam Madianitę alteram Arabiæ partem, cui Deſertæ nomen, coluiſſe videntur, nihilo vberiorem Petreâ illâ Arabiâ, quam Cedareni occupabant: certè Hieronymus de locis
Hieronym. Hebraicis: *Madian, vrbs ab vno filiorum Abrahã ex Cethura ſic vocata: eſt autem trans Arabiam ad meridiem in deſerto Saracenorum contra Orientem maris rubri, vnde vocantur Madianæi, & Madianæa Regio.* his cognata illa de fuga Moyſis in Madienam
Ioſeph. apud Ioſephum lib. 2. Antiq. lib. 2. cap. 5. *Et cùm vias obſeruari intelligeret, per ſolitudines fugam arripuit, quà euaſurum inimici minimè ſuſpicabantur; & quamuis alimenta nuſquam inueniret, inediam patientia ſuperabat, cúmque ad vrbem Madienam perueniſſet, in rubri maris littore ſitam, denominatam ab vno ex Abrahami & Cethuræ filÿs.* Quid verò ſolitudo tam inhoſpitalis, vbi nullæ alimoniæ, niſi deſer-
Genebrard. tam Arabiam indicet? idem ſignificauêre Genebrardus ad verſum 11. Pſalm. 71. & ad verſum 10.
Bellarm. Salian. Hieronym. *Duplex Madian.* eiuſdem Pſalm. Bellarminus: Salianus tom. 2. anno Mundi 2503. num. 20. idem ſanè Hieronymus in illud Iſaiæ, c. 60. *Dromedarÿ Madian & Epha: omnes de Saba venient*, &c. viſus Madianitidem quemadmodum & Epha Arabiæ felicis Prouincias facere: Sed intelligendus eſt de altera Madian diſtincta ab illa, de qua hucuſque ſermocinati ſumus, id quod in Hebraicis locis ſuggerit,
Salian. & à Saliano eſt animaduerſum allegato Mundi anno, num. 21. Iam igitur cùm Madianitæ in eremo habitarent, erant tamen eis de pretioſioribus inſigniora; arguit victoria Gedeonis: nam vide
Iudic. 8. 25. quid de ſpoliis, Iudicum cap. 8. verſ. 25. *Expandentéſque ſuper terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: & fuit pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis & monilibus, & veſte purpurea, quibus Reges Madian vti ſoliti erant, & præter torques aureas Camelorum:* Er-
*Madian adiacet Æthiopiæ Felici.* go, quemadmodum apud hos oſtrum monilia, torques copioſè mediusfidius, cùm & equitatum veſtirent; curnon & de Saracenis aliquid ſimile coniectari licuerit? quæ enim differentia vtriuſque gentis? nam de Madian Hieronymus initio lib. 8. in Ezechielem, ad illud cap. 25. *Et factus eſt ſermo Domini*, &c. *Nullique dubium eſt Madianitas, & totam Eremi vaſtitatem adiacere terræ Arabiæ, qui habent Camelorum greges, ouiúmque, & caprarum mul-*
*Duplex Arabia Felix & Deſerta.* *titudines, & his opibus victitant:* quod verò adiacêre Arabiæ memorat, ſcopus non eſt ipſius Arabiæ latiſſimè ſumptæ negare eſſe partem, ſed Arabiam ſtrictè ſumit pro ea, quæ dicitur Beata & felix Arabia, cui adiacebat deſerta Arabia, qua Paſtoritiam vitam in tentoriis Madianitæ exercebant, vti Cedareni in Arabia Petræ.

4. Qualis autem fuerit Cedarenis vultus color negligendus non eſt: Subobſcurum fuiſſe, atque atratum, vocabuli imprimis Etymologia comprobat: Cedar enim nigredinem interpretantur ad verſ. 5. Pſalm. 119. Genebrardus, Ianſenius, Lorinus, éſtque vulgatiſſima cogitatio: quare & Hebræi vaſa culinaria, quibus cibi coquuntur à fuſcitie קְדֵירָה *Chedera* appellant, nos craſſiori vo- *Cedareni nigri: Cedar nigredinem ſignificat.*
cabulo Caldariam nuncupamus. Deinde, alterius Eremi, quæ Deſerta appellata eſt, nempè Madianitæ nocturno fuerunt colore, igitur & Cedareni vaſtitatis etiam Petreæ incolæ: De Madianitis autem idcircò remur, quoniam Æthiopes cognominati ſunt, quamobrem & Sepphora Moyſis vxor, quam conſtat Madienam fuiſſe, Numerorũ capite duodecimo, Æthiopiſſa dicta eſt, propterea, Numer. 12. *Madianitæ Æthiopes.*
quod ea ex Regione eſſet, quam Æthiopes Aſiani, qui & Orientales vocantur ob Heſperiorũ diſcrimen Æthiopum Africano commorantiũ tractu poſſiderent; quæ enim de Æthiopũ Regis filia Tharbi, quã in matrimoniũ duxerit Moyſes ex Ioſephi lib. 2. Antiq. c. 5. comminiſcuntur aliqui, fabulas eſſe periti iudicant, vti & ex Rabbinorũ ſcriniis deprompta alia: & quoniam hebetare calamum nollemus tranſcribendo aliorũ lucubrationes, quanquam ex luculentis ſcriptoribus non pauci repetunt eadẽ, adeat ſtudioſus Pererium in *Æthiopes, alÿ Aſiani ſiue Orientales. Alÿ Africani ſiue Occidentales.* Perer.
Geneſim lib. 3. c. 2. v. 13. n. 114. & diſp. 13. in cap. 2.
Exodi, n. 73. Sanctium in c. 19. lib. 4. Regum n. 9. Sanchez.
& in cap. 3. Habacuc, n. 82. Auguſtinum citantem Auguſtin.
q. 20. in cap. 12. Numerorum: Antonium Fernan- Fernand.
dez de viſionibus veteris teſtamenti, Præfatione
viſionis 6. num. 8. Bonfrerium ad v. 10. c. 2. Gene- Bonfrer.
ſeos, §. *Denique ſexto*, &c. atque ad v. 1. c. 12. Nume-
rorum Salianus tom. 1. anno Mundi 1. die 3. n. 65. Salian.
allegantem Lippomanum, Eugubinum, Delrium, Lippoman. Eugubin. Delrio.
Cornelium à Lapide. Quanquam non de Madia- A Lapide.
nitis aliquid, ſed tamen præter Africanã Æthiopiam, Aſiaticam aliam conſtituit Toſtat. q. 10. in Toſtat.
c. 19. lib. 4. Regum: aſſignatam ſuperiùs partitionem firmat Torniellus tom. 1. anno Mundi 1931. Torniell.
num. 25. & tom. 2. anno 3093. num. 2. Gueuara in Gueuara.
cap. 3. Habacuc, num. 75. Vincentius Riccardus Vincentius Riccard.
Notis ad Matthæum Cantacuzenum in hunc Canticorum verſum. Quando itaque Madianitas Æthiopas fuiſſe probatum ſit, ex hoc ſtabiliamus nigri fuiſſe coloris; ex nominis & Græci & Hebræi interpretatione deducit loco nuper memorato Vincent. Riccard. Pro colore, quanquàm non *Æthiopes nigri.*
rectè de Æthiopum patria, verſus Ezechieli antiqui Poëtæ, cuius Euſebius, & Clemens Alexandrinus meminêre: Ezechielus.

Λιβύη μὲν ἡ γῆ πᾶσα κλήζεται ξένε
Οἰκοῦσι δ' αὐτὴν φῦλα παντοίων γενῶν
Αἰθίοπες ἄνδρες μέλανες.
*Omnis quidem terra, ô hoſpes appellatur*
*Libya; eamque ex varÿs generibus tribus colunt*
*Æthiopes homines atri.*

Suadet Ieremiæ locus cap. 13. v. 23. *Si mutare poteſt* Ierem. 13. 23.
*Æthiops pellem ſuã, aut Pardus varietates ſuas.* Ori- Origen.
genes hom. 2. ex 4. in Cantica: *Ita denique & apud illam omnem gentem Æthiopum ferunt, cui iam naturalis quædam ineſt in ſeminis carnalis ſucceſſione nigredo; quod in illis locis ſol radÿs acrioribus ferueat & aduſta iam ſemel, atque infuſcata corpora genuini vitÿ ſucceſſione permaneant.* Sed abſtineamus à teſtibus, quãdo in Prouerbio verſetur de re quæ ſit impoſ- *Vnde Æthiopum nigredo?*
ſibilis, *Æthiopẽ dealbare:* Deniq; hoc ipſa Paſtoralis cura ſub ardẽtiſſimo ſole, nã ſunt illarum Regionũ incendia maxima, quamobrem Orientales populos ſemper antiquitas nigros reputauit hanc ob cauſã, arbitrabãtur enim ſolaribus radiis penè aduri: Vidimus nuperrimè ex Adamãt. Claudian. inter adynata, quod frigora Indorum experiantur populi, nã in Cõſulatu Probini & Olybrij fratrũ:

Claud.

*Antè dabunt hyemes Nilum, per flumina Damæ*
*Errabunt, glaciéque niger damnabitur Indus.*

*Ægyptij in mari rubro ſepulti, nigri.* Prudent.

Nigros Ægyptios, quos cum Pharaone duce Erythræi maris cooperuêre fluctus Prudentius refert Hymno, quem fecit, dicendo ante cibum:

*Currus tunc, & equos, teláque naufraga,*
*Ipſos & proceres, & vaga corpora*
*Nigrorum videas nare ſatellitum.*

Originem verò trahi infauſti coloris à torrido climate Tibullus cecinit lib.2. Elegia ſexta:

Tibull.

*Illi ſint comites fuſci, quos India torret*
*Solis, & admotis inficit ignis equis.*

Lucanus autem lib.10. Pharſal. de Æthiopibus loquutus, ſed tamen de Occidentalibus, qui Africam tenent:

Lucan.

*Vana fides veterum; Nilo, quod creſcat in arua*
*Æthiopum prodeſſe niues; non Arctos in illis*
*Montibus, aut Boreas: teſtis tibi ſole peruſti*
*Ipſe color populi.*

Plin.

Plinius vniuerſim ſermocinatus de variarum nationum in humanis corporibus diuerſo colore lib.2. cap.78. *Namque Æthiopas vicini ſideris vapore torreri, aduſtiſque ſimiles gigni, barbâ & capillo vibrato, non eſt dubium: & aduerſâ plagâ Mundi, atque glaciali, candidâ cute eſſe gentes, flauis promiſſas crinibus, truces verò ex cœli rigore.*

5. Quanquàm igitur Cedarenorum Tabernacula venuſtæ admodum, & ſpecioſæ contemplationis fuiſſent, ſiue ob ſupellectilem regiæ penè amplitudinis iuxta ſuperiùs numero 3. propoſita, ſiue ob tegumenta, quæ aulæa eſſent vt ſignificat in hunc locum Matthæus Cantacuzenus; tamen nigroris ſimilitudo deſumi poſſit ab inhabitantibus, videlicet Cedarenis, vti nominatus modò Cantacuzenus facit, ſequutus Origenem hom.1. ex duabus, & Niſſenum hom.2. in Cantica: nigrum enim dicunt ſicut Tabernacula Cedar propter Agarenorum Principem, quem tentoria includerent; atque hanc ob cauſam quod nigram appellari intuerentur, moti ſunt, vt ſuſpicarentur de filia Pharaonis mentionem eſſe (ſunt enim Ægyptij atrati,) Ludouicus de Sotomaior Commentario in hunc verſum, pagina 140. Vincentius Riccardus Notis ad Matthæum Cantacuzenum num.25. & illi catholicè imprimis in Chriſtum referentes & Eccleſiam, humanum Connubium. Impiè verò Theodorus Mopſuaſtenus datus à nobis primo volumine, Anteloquio 7. numero 36. aſſerebat, totam huius Epithalamij muſam, nihil eſſe aliud, quàm prophanum quoddam Apologeticum pro forma filiæ Pharaonis à laſciuiente ingenio compoſitum; Verùm, licet ſubſequentia, nimirum: *filij Matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis,* ſatis commonſtrent haud eſſe ſermonem de ſuperba Regis filiâ, vti probè conſideratum à noſtro Alcazario tom. 2. lib.3. in Canticum Canticorum, in propugnatione Acoluthiæ; tamen oſtendamus, quanquam fateremur Sponſam huius Carminis Ægyptiam fuiſſe, aut ex Æthiopibus, vt Franciſcus Moncæus lucubrationibus ſuis in Cantica æſtimauit, Reginam Sabæorum putans, tamen firmum inde capi non poſſe argumentum, vt nigra extiterit; ſed nec valida eſſe, quæ de Cedarenorum fuſcitie aſſeuerata ſunt, quorum cum vultus coloribus fortaſſe Sponſa non ſit comparata.

Cantacuzen. Origen. Niſſen. Sotomaior. Vinc. Riccard. Mopſueſt. *Theodori Mopſueſtæ error de ſenſu Cantici huius.* Alcazar. Moncæus. *Quidã Sponſam Cantici, Reginam Saba, Æthiopiſſam putãt.*

6. *In eodem Climate & nigri & candidi naſcuntur homines.*

Quid igitur compellat ſentire, omnes eiuſdem Regionis accolas nigros futuros? Climatis alicuius nimij æſtus, quibus cùm & ſemen & ſanguis adurantur, procedit atra cutis? putat noſter Salianus tom.1. anno Mundi 1931. num.47. idcirco & Æthiopas, & Indos, & Ægyptios nocturnæ eſſe fuliginis: ſed bene obſeruat Torniellus tom. 1. anno eodem Mundi, num.26. ex Abrahamo Ortelio in Coſmographicis tabulis, in calidioribus Prouinciis ſub eodem penitus climate, quandoque naſci homines candida facie, quandoque nigricante: citat & Poſſeuinum lib.15. ſelectæ Bibliothecæ cap.15. Addo noſtros Conimbricenſes ad cap.14. lib.2. Ariſtot. de cœlo quæſt. 1. art.3. §. *Vbi etiam,* &c. in eundémque ſententiam pertrahi valeat noſter Ioſephus de Acoſta lib.2. de natura noui orbis, cap.3. nam ſub eodem climate monſtruoſiores produci effectus ob diſſimilitudinem influxus cœli oſtendit, quàm ſit in eadem ſpecie variari colores aut vultuum, aut totius cutis: ſanè demiratum Cæſarem inter Ægyptios reperiri, qui rufo eſſent capillo, cùm apud Cleopatram magnifico exceptus fuiſſet epulo, Pharſalic. libro 10. modulatus eſt Lucanus:

Salian. Torniell. Ortelius. Poſſeuin. Conimbricenſes. Acoſta. Lucan.

*Tum famulæ numerus turbæ, populúſque miniſter,*
*Diſcolor hos ſanguis, alios diſcriminat ætas,*
*Hæc Libycos, pars tam flauos gerit altera crines,*
*Vt nullas Cæſar Rheni ſe dicat in aruis*
*Tam rutilas vidiſſe comas: pars ſanguinis vſti*
*Torta caput, refugóſque gerens à fronte capillos.*

Déque iiſdem Ægyptiorum populis loquens Ioannes Leo Africanus lib.8. deſcriptionis Africæ: *Ruſtici* (inquit) *potiori ex parte fuſcum referunt colorem: ciuitatum incolæ candidum.* Neque id ſuſtineri poteſt, Parentibus inſitam vim producendi ſimilis coloris fœtus, nam experientia aduerſatur plurima, atque æſtimant Torniellus & Salianus loco recenſito, Chus Æthiopum Protogenitorem albo fuiſſe colore, taléſque procreaſſe filios aliquos, aliòs ſubnigræ cutis: fateor imaginationem Maternam ſub Conceptionis tempore, occultæ & raræ, certæ tamen eſſe efficaciæ ad imprimendum ſoboli colorem mediis ſpiritibus, qui in conceptionis feruntur locum, quibúſque phantaſia dominatur: probat fusè Pererius ad verſ.37. cap.30. Geneſeos diſp.3. & 4. Bonfrerius ibid. Conimbricenſes ad c.4. lib.1. Ariſtotelici de Generat. & corrupt. q.30. art.2. ſubſcribunt Torniellus anno quem dixi, num.27. Cœlius Rhodig. lib.20. cap.15. ſed hoc qualecumque naturæ miraculum pro nobis eſt; ſuggerit enim quanquam Natio vniuerſa coloris fuiſſet atrati, potuiſſe tamen ob Matris apprehenſionem album concipi fœtum; vti probant allegati ſcriptores contigiſſe, vt mater candidi coloris, Æthiopicam ederet ſobolem. Sed præbeamus (inquies) Cedarenos albos naſci, cùm tamen greges paſcerent quotidie ſub calidiſſima plaga, idque tam viri, quàm fœminæ, vt perſpeximus ex Philone, n.2. ſole adurebatur cutis ita vt ſubfuſci redderentur, quod intuemur contingere frequentiſſimè vel his in plagis moderatioribus: At oſtendi Veſtigat.3. n.25. ex probatis Authoribus ſolitas Arabiæ fœminas, è quibus Cedarenæ, vultum protegere aut ſuperinducto Theriſtro, aut alio velamine: quem & Iudæis mulieribus, & generatim Orientalibus omnibus conceſſi: neque ſupina earum diligentia, cùm vix oculorum vnus pateret, vt de huius Epithalamij Virgine etiam Sponſus memorat inferius cap.4. verſ.9. *in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui.*

Io. Leo. Torniell. Salian. *Matris Imaginatio quàm efficax in fœtum.* Pererius. Bonfrer. Conimbr. Torniell. Rhodigin. *Orientalium fœminarum in vultu velando cura.* Cant.4.9.

7. Neque mihi licuit, vel ex Patrum numero, vel ex Recentioribus perlegere quenquam aliter verſum hunc Canticorum interpretantem, quàm de Iſmaëlitarum eâ Deſerti Regione, quæ Cedar nuncupata ſit; aut certè ipſiſmet de Agarenis: nouâ tamen prorſus explanatione vſus Chriſtianus Adricho



Adrichom.

Adrichomius in Terræ ſanctæ theatro: Nam in Manaſſe num.35. Cedar dicit vrbem eſſe pulcherrimam in montanis Seir, ſiue Sanir, ad quam Salomon alluſerit: eodémque rurſum in Manaſſe, n.94. Tabernacula Cedar idcirco nominata fuiſſe ab Authore Cantici Cãticorum, quod inter Suetam, & Cedar vrbes, & montem Phialã, vberrima & amœniſſima ſint campeſtria, quæ læta pecoribus ſubminiſtrãt pabula; in quibus & olim & poſterioribus temporibus ſub æſtatem celeberrimæ viſuntur nundinæ; ad quas innumeri conuolant Mercatores è Syria, Palæſtina, Meſopotamia, Arabia, Ammonitide, Moabitide & Ægypto, cæteríſque Orientalibus regionibus: deferũt autẽ pecorum ingentem multitudinem qui ruri verſantur; inſtitores autem gazam, qualem Oriens ſuppeditat, iucundam, variam, diuitem: & quoniã in longos dies producitur concurſus, erigunt Tentoria, quorum cùm & vela & columnas pingant exquiſitiſſimâ arte, eóſque potiſſimum admoueant colores, qui intuentiũ oculos mirâ voluptate poſſint oblectare, fruuntur Cedaris vrbis, quæ in vicino poſita eſt, Ciues ſpectaculo, quo vix poſſit eſſe aliquid, quod plus recreare valeat: ob hunc igitur Tentoriorũ prope Cedar ſub æſtiuis nundinis apparatum politiſſimum, commendata à Salomone Cedarena Tabernacula. Ergóne & hæc ſolida fuerint? hauſit ſanè Adrichomius ex terræ ſanctæ delineatoribus, qui oculis Prouinciam luſtrarunt: eſt verò Epithalamij huius conſuetudo ſimilitudines mutuaſſe ab iis rebus, quæ intra Palęſtinæ, aut Syriæ ambitum reperiantur: vt quid itaque in Arabiã diuagetur & caulas Iſmaëlitarũ intret, Cedar iuxtà habens? quanquã non negarim viſa intra patrios circulos ab ea Cedarena plauſtra cũ Tabernaculis; nam ad Tyrũ veniebãt, (vbi Spõſa educata, vnde & generis trahebat originẽ, vt dixi in Anteloquiis,) nũdinationis gratiâ, Ezechiele teſte Propheta c.27. At cur non ipſa tabernacula habens, quæ ad Cedar pertineant? demus enim non eſſe ad nundinas profectam pudicitiæ conſulentem, & virorum declinantẽ congreſſus: quid vetat tamen eam quæ Paſtrix fuerat, & hœdos ſeruabat, Tabernacula fixiſſe aut in campeſtribus, aut in montanis Sanir, vbi Cedaris vrbs? Nam illa per Libani ferebatur ſolitudines, modò in Galaad, modò in Hermon, modò in Sanir, quæ membra vaſtiſſimi Collis, è quibus & euocatur c.4. v.8. *Veni de Libano Sponſa mea; coronaberis de capite Amana, de Vertice Sanir, & Hermon.*

*Quidam dicunt Cedar vrbem eſſe pulcherrimã in Sanir.* *Tentoria prope Cedar vrbem formoſiſſima.* *Sponſa in Tyro educata.* Cant.4.8.

---

*Arca fœderis num velata pellibus? An Salomon donarit aliquas? Regibus veſtes de Animantium exuuijs: etiámne Salomoni? pelles, caſtrenſia tentoria: Viatoria Tabernacula inſignis pretij: Thalamus genialis Nubentium Tabernaculum referens: explicatum Deuteronomium, illuſtratus Dauid.*

## Sectio II.

8. *Salomonis Pelles quæ?*

QVænam hæ Pelles Salomonis, neſcio vt promptè expedire valeamus: Orig. hom.1. ex duabus: Specioſa, vt pelles Salomonis, quas eo tempore in Tabernaculi ornamento compoſuit, quando templum ſummo ſtudio, & labore fabricatus eſt: & hom.2. ex quatuor ſub initio: *Sed & pellibus Salomonis comparatis me, quæ non aliæ ſunt, quàm pelles tabernaculi Dei; & tamen miror vos, ô filiæ Hieruſalem, mihi coloris velle exprobrare nigredinem:* Apponius in eandem ſententiam: *Et licet mortuorum animalium exuuiæ ſint pelles Salomonis; attamen magnam (vt dictum eſt) contegunt ab æſtu, & pluuia Arcam, altare, & omnia Vtenſilia Tabernaculi, ſancta ſanctorum.* Adhæret Commentarius cum ſancti Thomæ nomine, Halgrinius Cardinalis, Nicolaus de Lyra: Sed vt probè animaduerſum eſt à Vincentio Riccardo Notis ad Matthæi Cantacuzeni Explanationem in Cantica, n. 23. Templo incomparabilis gloriæ à Salomone extructo, qualis deinceps pellium vſus, quæ idcirco Moſaïcum operiebant Tabernaculum, quoniam ſub Dio ageret, ne læderent imbres, ne aut puluis, aut æſtus? idémque Ludouicus de Sotomaior doctè admonuit Commentario huius verſus pagina 162. quare ab eiuſmodi cogitatione Neoterici ferè omnes diſcedunt, qui diligentiùs interpretantur: At certè Dauid Arcam Domini ſuâ collocauit in Regiâ, loco non tantùm à pluuiis munito, omnîque temporum iniuriâ, ſed auguſto, & magnificentiſſimè decoro: Id ex 2. Reg. cap.6. verſ.17. & imprimis conſtat ex Paralip.1. cap.15. verſ.1. vbi Toſtatus quæſt.1. & fuſiùs 3. aſſerens fuiſſe *Quoddam palatium magnum, in quo repoſita fuit Arca, vbi miniſtrabant Leuitæ, & Sacerdotes coram ea, & hoc palatium erat in domo Dauid:* & quæſtione 29. in cap.17. eiuſdem libri: *Erat autem arca Domini in domo Dauid, in quodam palatio à reliqua domo, & nunquam illuc introibat Dauid, niſi quando ibat ad orandum:* idem Sanctius in lib.3. Reg. capite 8. num.5. Salianus tom.3. anno Mundi 2990. num. 8. & tamen nouo constructo ei tabernaculo pellibus velauit: vnde Reg. 2. c.7. verſ.2. *Vidéſne, quòd ego habitem in domo Cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium?* & Paralip.1. cap.17. verſ.1. *Ecce ego habito in domo Cedrina: arca autem fœderis Domini ſub pellibus eſt.* Erant verò illæ pelles, quoniam non ad arcendos imbres paratæ, & pretio & ſpecie eximiæ, quas hyacinthinas fuiſſe Abulenſis iudicauit q.3. in cap.15. lib.1. Paralipomenon, & quæſt.7. in cap.17. Salianus loco iam recenſito; Sanchez honoras & exquiſitas fuiſſe ad cap.6. lib. 2. Regum, num.54. affirmat. Igitur, ſicut Dauid, quanquàm in loco affabro & eleganti Arcam depoſuerat; non tamen indicauit alienum eſſe, ſi pellibus contegeret variegatis, mollibus, ſuaueolentibus: cur peregrinum æſtimaturi ſimus abſolutâ templi maieſtate à Salomone conquiſitas raræ pulchritudinis exuuias Animalium, quibus Arcam operiret etiam in Sancto ſanctorum? Scio repugnare manifeſtè Abulenſem q 9. in c.17. lib.1. Paralip. nec fuiſſe in Oraculo, quibus velaretur Arca præter tectum & parietes de laminis aureis: eſt & profundũ ſilentium apud Templi Salomonici deſcriptores: quænam igitur pelles, quas & Arcam contexiſſe, & Salomonis fuiſſe nominati Patres memorant?

Origen. Aponius. S.Thom. Halgrin. Lyra. Vincentius Riccard. *Templo extructo, nullus fortè iam pellium Tabernaculi vſus.* Sotomaior. *Arca Baſilica.* Toſtat. Sanchez. Salianus. 2.Reg.2.7. 1.Paralip. 17.1. *Quæ tegebant Arcam Pelles pulcherrimæ & pretioſiſſimæ.*

9. *Num nouum Arcæ Tabernaculum à Salomone poſt mortem Dauidis conſtructum?*

Dicemúſne, ſublato Dauide, interim, quoad Templi perficeretur ædificatio; conſtructum in Dauidis Regia, vbi Arca colebatur, à Salomone nouũ Tabernaculum, genitoris ad normã de pellibus etiam, ſed quæ pretio atque elegantia vincerent, quaſi parum ratus Baſilicã perſtruere, niſi & Tabernaculum quanquã ad breues annos erigeret? erat enim profuſæ tũ benignitatis erga diuina: atque hoc Adamãtius ſignificarit hom.1. ex duabus cùm dixerit, pelles eo tempore in Tabernaculi ornamentũ, cõpoſuiſſe, quando templum ſummo ſtudio, & labore fabricatus eſt: Sentiat ita qui velit, at videat quo fundamento: Equidẽ cùm Arca in templum deportata eſt, ſublatum fuiſſe quod

Origen.

quod gazophylacio reſeruaretur pariter Tabernaculum, ex Regum 3. cap.8. verſ.3. certum; inquit enim: *veneríntque cuncti Senes de Iſraël, & tulerunt Arcam Sacerdotes, & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa tabernaculi, quæ erant in tabernaculo*; vbi quæſtio, illud quodnam eſſet Tabernaculum? Moſaïcum fuiſſe, quod ab aliquibus temporibus in Gabaon remanſerat eo loci Nicolaus aſſeuerat, Sanctius multos alios citans: Dauidicum fuiſſe de quo loquuti fuimus Numero antecedenti Salianus arbitratur cum noſtro Emanuele Sa tom.3. anno Mundi 3030. numero 11. nec aliquis meminit Tabernaculi conſtructi à Salomone, de quo Controuerſiam mouiſſent, ſi crederent vnquam extitiſſe. Res hæc tota in ancipiti eſt: optimè tamen à Toſtato animaduerſum eâ Dedicationis Salomonici Templi pompâ, quæ celeberrima fuit, Arcam cùm traduceretur *obuelatam fuiſſe pallijs quibuſdam* (vt ille ait quæſt.4.in cap.8.lib.3. Regum) *alioquin totus populus, qui videbat eam moreretur, vt contigit Bethſamitis, ex quibus ceciderunt quinquaginta mille*, Reg.2. cap.6. *etiam Leuitæ non poterant intueri Arcam nudam, vel tangere eam; alioquin morerentur*: Igitur pro eius diei gloria, à Salomone pellibus quibuſdam inuoluta, quorum odor & proſpectus admirabilis: ac fuerint hæ ſacræ pelles, ad quas præſens alludat verſus: neque his obſtat tempus, quo liber conſcriptus eſt à Salomone: fuiſſe enim meditatum poſtquam ædificia ad vmbilicum perduxit, quin & tum geſta quæ Hymenæus complectitur, docuimus tomo 1. Anteloquio 1. ſectione octaua.

3.Reg 8.3. — Lyra. Sanchez. Salian. — Sa. — *Arca, cùm portaretur velata.* Toſtat. — *Quando hoc Canticum à Salomone ſcriptum?*

10\. Feramur ad alias coniecturas. Theodoretus veſtes fuiſſe quæ Salomonis dicuntur pelles: *Ita facta ſum formoſa* (ait ſub Sponſæ nomine) *quales Salomonis ſunt pelles; qualia nimirum ſunt Salomonis veſtimenta, de quibus Dominus ait: neque Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut vnum ex iſtis.* Abulenſis quidem quæſt. 26. in cap.29. lib.1. Paralipomenon, contendit ſuperatos vniuerſos terrarum Monarchas veſtium ſplendore, pretio, elegantiâ à Salomone: eſt verò tantæ gloriæ pars crebrò mutaſſe & materiam, & figuræ aliquid, nec eſſe tam peregrinum quidquam, quod non ad ornatum & compoſitionem aſſumatur; quare & inter alia dona ab exteris allata ad Salomonem, veſtes numerantur, Reg.3. cap.10. verſ.25. Num & pellicei allati amictus? Quid vetat affirmaſſe? nam inter regia veſtimenta noſter connumerat Bullingerus lib.2. de Romano Imperatore, cap.4. Hieronymus inter luxus irritamenta lib.2. contra Iouinianum: *Odores* (inquit) *& diuerſa thymiamata, & amomum, & muſcus & peregrini muris pellicula; quod diſſolutis, & amatoribus conueniant; nemo niſi diſſolutus negat.* Sanctus quoque Petrus Damianus lib.2. epiſt.2. *Cùm domeſtici murices noſtris aſpectibus ſordeant; tranſmarinorum pelles, quia magno pretio coëmuntur, oblectant: ouium itaque & Agnorum exuuiæ deſpiciuntur; Ermelini, Gebellini, martores exquirantur, & vulpes:* Cæterùm, fuerit quidem, vt chlamydi, aut manicis aliquas aptauerit pelles Salomon, tamen integrè ex ferarum ſpoliis coopertum non acquieſco, erat enim delicatus, neque ſufferre horridiorem amictum nimia poterat teneritudo viri, Aulæ ſpectaculis atque Conuiuiis magis quàm bello aſſueti: ſic barbarorum Reges Scythiæ, & Getarum veſtiantur feri Monarchæ, de quibus Proſper Aquitanicus de Prouidentia:

Theodoret. *An pelles hæ, Salomonis fuerint indumenta?* — Toſtat. — Bullinger. — *An Salomon veſtitus pellibus?* Hieronym. — Damian.

*Quod ſi fortè lupos, lyncáſque, vrſóſque creatos*
*Diſplicet; ad Scythiæ proceres, Regéſque Getarum*
*Reſpice; queis oſtro contempto, & vellere Serum*
*Eximius decor eſt tergis horrêre ferarum.*

Proſper. *Veſtimenta pellicea bellatores & feros homines decent.*

Tales & militari ſpiritu imbutas fœminas Latinus Poëta cecinit: ex quibus Camilla, Æneid.11.

*Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ*
*Tigridis exuuiæ per dorſum à vertice pendent.*

Virgil.

Quamobrem Samſon ille Mortalium robuſtiſſimus, cùm Leonem interemiſſet, noluit tamen eius condecoratum exuuiis ad Sponſam procedere; quoniam eiuſmodi ornamenta Caſtrenſibus potiora terroribus, quàm paci & iucunditati pompæ genialis: id quod præclarè Ambroſius indicarat epiſt.70. ad Vigilium: *Itaque apud dilectiſſimam ſibi Sponſam exuuias feræ credidit ſine momento futuras: cùm talium rerum tempora non terribilibus ſpolijs; ſed mitibus gaudijs, & feſtâ fronde fiant venuſtiora:* At, vt hoc genus veſtis concedere non grauemur, Sponſa tamen proculdubio id conſideraſſe videatur, quod in Salomonis veſtuario ſpecioſiſſimum apparebat: palmam verò tulerunt floridæ veſtes, non pelliceæ; ac proinde Matthæi 6. Lilia notauit Chriſtus, à quibus Salomon in omni gloria ſua victus fuerit: ſiue, quòd amictuũ pictura certaret cum aut liliorum, aut Roſarum, aliorúmque florum coloribus; ſeu quòd ipſos flores deſcriptos ferrent, quo de argumento luculentè Pineda lib.6. de Rebus Salomonis, cap.5. neque mirum eſt procliuem in Amores ſic condelectatum floribus, quos ne à veſtibus pateretur abeſſe: Nam Plato in Amoris ſympoſio; *tale eſſe eius ingenium affirmat; vt aſſiduè & libenter inter flores habitet; atque verſetur; & in eo, quod floribus careat, vel marcuerit, non reſideat.* Athenæus vero Dipnoſoph.15. libro; *illis* (dicit) *qui amant, nulli curioſius corporis elegantiam, & ornatum, pulchritudinémque affectant:* Denique ſignificatas pelles, non de quibus veſtes conficiantur, ſed quæ aulæa & ſiparia fiant, Hebreæ vocis poteſtas denotat יריעות *Ieribboth*; vertunt enim multi vel *Cortinas*, vel *Tentoria*: ſi quem tamen delectat, de candido Salomonis indumento ſermonem, optimè Sponſæ fortaſſe conſuluerit, cuius niuea pulchritudo genarum & lacteæ ceruicis, Salomonis exprimatur pellibus.

Ambroſ. — *Veſtimenta Salomonis florida.* — Pineda. — Plato. — Athenæus.

11\. Ac ſanè de Caſtrenſi habitaculo Bernardus expoſuit initio ſermonis in Cantica 28. excepêre cum plauſu docti Recentiores: nihil dubij ſub pellibus egiſſe militaturos, quæ hyeme imprimis gratiſſima aſyla: Tacitus lib.13. Annalium, cap.8. de ſeueriſſima veterum Imperatorum diſciplina: *Retentúſque omnis exercitus ſub pellibus, quamuis hyeme ſæua adeò, vt obducta glacie niſi effoſſa humus tentorijs locum non præberet:* idem libro quinto cap.5. *prima cædes aſtu adiuta, inciſis Tabernaculorum funibus, ſuiſmet corijs coopertos trucidabant.* Reponit in Stiliconis laudibus Claudianus lib.1.

*D.Bernard. Pelles has de tentorijs Caſtrenſibus exponit.* — Tacitus. — Claudian.

*——quoties ſub pellibus egit*
*Aedonas hyemes, & tardi flabra Bootæ*
*Sub diuo Riphæa tulit.*

De Paulo gentium Magiſtro, quem pellium & tentoriorum opificẽ agnoſcunt ad verſum 3. cap. 18. Actor. Lorinus, Cornelius, Sanchez, Baronius, tom. 1. anno Chriſti 52. Poëta Chriſtianus Arator in metrica eorundem Actorum Paraphraſi,

*B. Paulus Tentoriorum opifex, ſecundum aliquos.* — Lorinus. A Lapide. Sanchez. Baron. Arator.

*——tentoria quippe*
*Fortia mobilibus fabricabat in aggere textis;*
*Longiùs hæc abiens peregrinus vbique viator*
*Erigit, atque hyemes ſoléſque in pellibus arcet.*

Quare



Quare & munimentum Aratoribus contra frigorum vim opportunum Columella dixit lib.2. de re Ruſtica, cap. 8. *Cultam, veſtitámque familiam magis viriliter, quàm delicatè habeat, munitámque diligenter à vento, pluuiâque: quæ cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel ſagis cucullis.* Sed quo pacto in Salomonem quadrent pelles, quo viros ad duritiem propè natos requirant Authore Tertulliano libro ad Martyres? *Nemo Miles ad bellum cum delicijs venit, de cubiculo ad aciem procedit, ſed de Papilionibus expeditis, & ſubſtrictis; vbi omnis duritia, & inbonitas, & inſuauitas conſiſtit: etiam in pace, labore, & incommodis, bellum pati ediſcunt.* Itáne ſub pellibus voluptatum ſollicitus indagator? Verùm nec cauſæ Salomoni, cuius fuerunt quietiſſima tempora, vt in aciem prodiret, tabernacula figeret: quamobrem expoſitionis Bernardus inuentor ſubdubius eſt, & diuinat tantùm: *Si quando* (ait) *in tentorijs habitare liberet; quas vtique pelles (ſi quæ tamen fuerunt) obſcuras ſine dubio, & tetras eſſe, neceſſe fuit, tanquam quæ quotidiano forent expoſitæ ſoli, & frequenter iniurijs pluuiarum.* Suſceptam Belli expeditionem aliquam à Salomone docuimus Tom.1. Anteloq.5. numero 80. At fuiſſe etiam inter armorum horrores regium præſertim Tentorium, quod & deliciis ſuperflueret, & materiâ atque arte emineret, quid aſſeueraſſe prohibeat? Plutarchus in Pompeio: *Siquidem tabernacula erant myrto omnia redimita, & ſtragulis pictis exornata*; Et in Alexandro, de eo ingreſſo Darij Tabernaculum, *Vt conſpexit vniuerſa magnifica eſſe, nihilque prætermiſſum quod vel faceret ad maieſtatem vel ad luxum, luminibus ad Amicos conuerſus: Hoc* (inquit) *erat regnare*; atque in Bruto vel militibus arma fuiſſe aurea ſuggerit: Antiochi Syriæ Regis exercitus teſte Valerio Maximo lib. 9. cap. 1. numero 4. *Magna ex parte aureos clauos crepidis ſubiectos habuit; argenteáque vaſa ad vſum Culinæ comparauit, & tabernacula textilibus ſigillis adornata ſtatuit:* Certè ad Holofernis tabernaculum allata Iudith cap. 10. Sed quantæ illud ſuperbiæ? *Videns itaque Iudith Holofernem ſedentem in Conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & ſmaragdo, & lapidibus precioſis intextum, adorauit eum*, &c. Itaque nihil vetat Salomonis Caſtrenſem domum eiuſmodi fuiſſe, quo vix quidquam pulchrius eſſe poſſit.

Columell. — *Quomodo pelles Caſtrẽſes Salomoni conueniunt.* Tertullian. — Bernard. — *Tabernacula in bello pretioſa & delicioſa.* — Plutarch. — Valer.Max. — Iudith 10.

12\. Eius tamen cùm bella atque pugnæ omninò incertæ fuerint, præſertim, quibus ipſe interfuerit, Tabernaculis nihilominus vſus fuerit, ſiue cũ Venatum procederet, ſiue cũ Ruris eum aliquando cepit amor, & deſertâ Metropoli eremo verſatus eſt, ſeu quando vt meminit Paralip.2.cap.8. v.17. *Abijt in Aſion-gaber, & in Ailath, ad oram maris rubri, quæ eſt in terra Edom:* Sepè & in horto Regio, in domatibus & mœnianis Tabernacula veteres illi Conuiuiorum gratiâ tetenderant, quin & in puppibus cùm nauigarent, nec in viã ex potentioribus ſe dare quiſpiam ſolitus abſque papilionibus & Conopeis, quorũ ingentia fuêre pretia ob Artis, & materiæ excellentiam. Audiamus à Plutarcho de Marco Antonio Triumuiro: *Mordebant enim homines* (ait) *poculorum aureorum in peregrinationibus eius, tanquã in triumphali pompa translatorum ſpectacula; erectiones in itinere Tentoriorum: prandiorum apud lucos & flumina exquiſitorum apparatus:* Sed de eius Amaſia Cleopatra Regina ſuperbiſſima, qualia ſunt quæ enarrat? *Vehebatur* (inquit) *Cydno fluuio in nauigio aurata puppi, velis paſſis purpureis, remigio argenteis ducto remis, ad tibiarum, fiſtularum, & cithararum modos: recumbebat illa ſub Tabernaculo auro intexto, elegãter exculta, vt pingitur Venus: pueri pictis Cupidinibus aſſimiles hinc inde ſtabant, & ventulum ei faciebãt: ancillæ itidem, quæ formâ præcellebãt, Nereidum & gratiarum modo amictæ partim aſſiſtebant gubernaculis, partim rudentibus: cõplebant ripam odores ex ſuffituũ copia fragrantiſſimi.* Sed harũ merciũ locupletiſſimus Promus, Athenæus, qui libro Dipnoſ. duodecimo loquens de Alexandro Macedone: *Lectos enim centum capiebat eius Tabernaculum, aureis columnis octo ſuſtinebatur: Lacunaria in ſummo protenſa, aurata; magnifica varietate quædam eminebant:* Et multa alia admirãdi ſtuporis eo loco. Quoniam verò de pellibus nobis ſermo eſt, quemadmodũ Tabernacula adornarent, idẽ lib.13. Ptolomæi Philadelphi Tentoriũ delineãs ſuggerit: *Interior eius ſtationis pars Phœnicibus Tapetibus circumuelabatur: interuallo medio, quod hunc locum à Tentorio ſeparabat, Animantium pelles incredibilis varietatis, & magnitudinis pendebant; quod autẽ ſubdiale ſpatium complectebatur, myrtus, laurus, & aliæ conuenientes frondes ſpiſſæ opacabant; totum verò ſolum floribus omnifarijs conſperſum erat.* De his Flauius Vopiſcus in Aureliano Imperatore: *Habuit enim in animo, vt aurum, neque in cameras, neque in tunicas, neque in pelles, neque in argentũ mitteretur:* de hoc ipſo idẽ in Tacito Imperatore: Author Aureliano fuiſſe perhibetur, *Vt aurum à veſtibus, & Cameris, & pellibus ſubmoueret:* Verùm qualia ea Tabernacula, ſic Ioſephus appellat lib. Antiq.11.c.6. de quibus Eſtheris Codex c.1.v.6. *Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris, & carbaſini, ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur*, &c. Fuerunt igitur Salomoni pelles atque Tabernacula ad Ruſticationes, ad epulas, cùm itinera ſuſciperet, quę rariſſima fuerunt; Sed cùm ille ſub pluuioſo cœlo non moueretur, (neque enim erat quod ad tãta incõmoda vrgeret,) nõ video quamobrem eius Tabernaculis conceſſuri ſimus, vt vel ab æſtu, vel à puluere atque imbribus ſubfuſcarẽtur: quin *elegantiarum cùm Amator eſſet*, cum vt vocat Ioſephus lib.8. Antiq.c.2. credo non paſſuros miniſtros eius ſordes vt contraherẽt vel extrema pellium tegumenta; quæ vel Arte quapiam defenderent ab iniuriis; vel ſimul ac intuerentur ſubobſcurari, continuò mutarent: quare meo iudicio non admodum ſolidè aſſerunt, qui vt Sponſæ nigredinem declarent; ſimilitudinem mutuantur à Salomonis pellibus, cùm in his nihil ingorioſum aut vulgare quouis modo eluxerit.

*Tabernacula ruralia, venatoria, viatoria, eáque ingentis pretij.* — 2. Paralip. 8.17. — Plutarch. *M. Antonij & Cleopatræ luxus.* — *Tabernaculũ Cleopatræ.* — Athenæus. *Alexandri.* — *Ptolomæi Philadelphi.* Idem. — Vopiſcus. — Ioſeph. Eſth.1.6. — Ioſeph.

13\. Monuit me Seruius in illud Virgil. Æneid.1.

*Quum venit, Aulæis iam ſe Regina ſuperbis*, &c.

Thalamum nuptialem Tabernaculi in normam conſtructum: eius verba: *Ideò etiam in domibus tendebantur aulæa, vt imitatio Tentariorum fieret, ſub quibus bellantes ſemper habitauêre Maiores; vt & in thalamis hoc fieri hodie conſpicimus:* Quamobrem ductâ comparatione à nuptiis, vtrumque bellè coniunxit Dauidis Muſa Pſalm. 18. verſ.6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.* Sed quanta genialis thalami maieſtas, quæ diuitiarum copia, ſi Nubentes de optimatibus erant, Claudianus Epithalamio Honorii & Mariæ, pangit:

Virgil. Seruius. *Thalamus nuptialis in Tabernaculi formam conſtructus.* — Pſalm. 18.6. *Quanta nuptialis Tabernaculi Maieſtas.* — Claudian.

*Aſt alij thalamum docto componite textu:*
*Ædificetur Apex, qualem non Lydia diues*
*Erexit Pelopi, nec quem ſtruxêre Lyæo*
*Indorum ſpolijs, & opaco palmite Bacchæ:*
*Illic exuuias omnes cumulate Parentum:*





Quicquid

*Quicquid auus ſenior Mauro, vel Saxone victo,*
*Quicquid ab innumeris ſocio Stilicone tremendus*
*Quæſiuit genitor bellis: quodcumque Gelonus*
*Armeniuſve dedit: quantùm crinita ſagittis*
*Attulit extremo Meroë circumflua Nilo:*
*Nobilibus gazis, opibúſque cubilia ſurgant*
*Barbaricis, omnes thalamo conferte triumphos.*

*Templum Salomonis Thalamo Nuptiali cōparatum ob miram pulchritudinem.*
Deuteron. 33.12.

Atque certè à Salomone extructum Templum, cùm tam pulchrum fuerit, tam opulentum nihil vt in vtroque genere ſuprà reperiri poſſit, præſertim intima Oraculi atque religioſior pars, in quo aſſeruabatur Arca fœderis, venuſtiſſimè Moyſes thalamo vtique geniali contulit, inquiens, Deuteronomij cap. 33. verſ. 12. *Et Beniamin ait: amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet*: nam de Templo Hieroſolymitano Vaticinium eſſe communiſſima opinatio eſt, rectè autem noſter Bonfrerius ſenſit, non de Beniamino conſtruendum, *quaſi in thalamo tota die morabitur*, ſed de Creatore Deo, cuius ſpecialem aſſiſtentiam Arca repræſentabat: igitur quemadmodum multorum placitum fuit, Sponſam inferiùs cap. 3. verſ. 10. Salomonis lecticæ incomparabili aſſimilatam, & hoc capite, verſ. 8. illius equitatui: ita putabunt fortaſſe comparatam thalamo nobiliſſimo, quem extruxit cùm nuptias celebraret filiæ Pharaonis Ægyptiorum Regis.

Bonfrer.

---

*Sponſa Canticorum nec leuiter nigra: Macula quid ex Hebræa phraſi? Pulchritudo ſtrictè quænam? Mariam originariâ labe fœdatam Canticorum Textus non permittit: Detractio, Iudæorum vitium: Nigri ob veſtem Pauperes: filius & filia quamobrem ex vſu Hebræorum ab ædificando dicti?*

## SECTIO III.

14.
*Sponſa non à natura nigra: nec eius pulcritudo à Sole in vllo vitiata.*
Genebrard. Titelman. Nannius. Guidacer. Hortulan. Cypr. Ciſt. Sotomaior. Legionenſ. Ghiſler. Nigidius. Oſor. Nep.

NIgra quanquàm Sponſa dicatur, non tamen à Natura ipſa obfuſcam, quemadmodum ſunt Æthiopes ſaltem Africani, quos Guineos appellamus, ſed euentu decolorem redditam à ſolis vehementiori radio omnes quos viderim Interpretes ſubſentiunt, dum proxima explicant illa verba: *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol*: Sunt autem non pauci illi, nimirum Genebrardus, Titelmannus, Nannius, Guidacerius, Hortulanus, Cyprianus Ciſtercienſis, Sotomaior, Legionenſis, Giſlerius, Placidus Nigidius, Oſorius Nepos, Almonacyrius, Vincentius Riccardus; & de noſtris, Mariana, Delrio, Sanctius, Alcazarius, Ludouicus de la Puente, Cachius, Menochius, Tyrinus: At quin, nec à Phœbo ita repercuſſam, nigra vt potuerit dici, imò, vt fuerit vitium aliquod leuiſſimum comptiſſimæ faciei, plura ſunt, quæ ſi diceretur cogant affirmare. Hoc ipſo capite 1. verſ. 9. *genæ* dicuntur *pulchræ ſicut turturis*: Significari autem ruborem Malarum, qui maximè venuſtat, & qui niſi in candida non eminet cute, notarunt ex veteribus, Origenes homilia 2. ex quatuor, Bernardus ſermone 40. in Cantica; de Recentioribus Sotomaior, Placidus Nigidius, Giſlerius, Sanctius: denotari autem apertiſſimè eandem genarum purpuram cap. 4. verſ. 3. *Sicut fragmen Mali Punici, ita genæ tuæ*, fatentur Genebrardus, Nannius, Hortulanus, Ciſtercienſis, Sotomaior, Luiſius de Leon, Almonacyrius, Nigidius, Vincentius Riccardus, Mariana, Alcazar, Delrio, Ludouicus de la Puente, Sanchez: iidem, & in hoc adiuncto Giſlerio, comæ rutilum colorem indicari aſſerunt cap. 7. verſ. 5. *Et comæ capitis ſicut purpura Regis vincta Canalibus*. Iam, quale illud eſt, quod Sponſus loquitur cap. 2. verſ. 2. *Sicut lilium inter ſpinas; ſic Amica mea inter filias*: quo loco omnium Commentarij adſtruunt, alias Virgines quánquàm in paucis formoſas, Sponſæ tamen comparatas, non modò non apparere decoras, horridas videri, quales ſi liliis ſpinæ adæquentur: tantùm videlicet ſuperauerit illa, quæ nigra ſit, vultus fœminarum candidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo? Atque ſic aduſta fuerit, vt noctem penè imitarit, cuius ceruix propter niueam cutem c. 7. verſ. 3. eburnea Turris dicta ſit omnium conſpiratione Interpretum? Sic, quæ vultum diligentiſſimè obtexerit, etiam in Libani vaſtitate, vix vt lumen vnum, vnus crinis per colla vagatus conſpici potuerit, à qua tamen exigua pulchritudinis rima ſauciatus Sponſus cap. 4. verſ. 9. *Vulneraſti Cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti Cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.*

Almonacyr. Vincentius Riccard. Mariana. Delrio. Sanchez. La Puente. Alcazar. Cachius. Menochius. Tirinus. Origen. Bernard. Luiſ. de Leon.

Cant. 4.9.

15. Eſto, nihil probauerint iſta, quid dicturi ſimus, auditâ encomiorum ſummâ, cap. 4. verſ. 7. *Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te.* Et fuerit quidem verum id, quod in eius verſus Hiſtoricâ Expoſitione animaduertit Michaël Giſlerius, & ante illum, hac Canticorum producta ſententia, noſter Ribera lib. 4. de Templo capite 2. nempe maculam, quæ Hebraicè מום *mum*, ſeptuaginta μῶμον vertunt, non indicare coloris aliquem næuum, ſed partium, aut membrorum mutilationem; quare Leuit. capite 21. verſ. 17. *Loquere ad Aaron; Homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo*: Quid illud maculæ ſit, ſtatim declaratur; *Si cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede*, &c. Subſcribunt Pererius diſputatione 5. in capite 12. Exodi, numero 29. Bonfrerius ad verſum 3. capite 1. Leuitici: itaque propter hæc, nihil de colore perſuaſerint illa, *& macula non eſt*, neque enim immaculatum eſſe aliud eſt, quàm ſine macula eſſe, at LXX. cùm ἄμωμον hoc eſt *irreprehenſibilem & immaculatam* Hoſtiam transferunt, innuunt partium atque Membrorum integritatem, non autem & coloris notas ſimul complectuntur: attamen pro colore faciei, & reliquæ cutis ſunt priora verba, ſcilicet: *Tota pulchra es*: Nam exacta pulchritudo non in ſolâ membrorum coaptatione, corúmque ſimul integritate conſiſtit, verùm & in coloris quadam venùſtate, id quod ex Philoſopho obſeruat Dionyſius Richelius in hunc Canticorum locum art. 15. ibidémque ex Plotino confirmat Ludouicus de Sotomaior; Conimbricenſes aſſerunt traditâ pulchritudinis ſtrictâ definitione in capite 8. lib. 2. Ariſt. de generatione & corruptione, quæſtione 3. art. 3. Igitur, ſi pulchra vndequaque Sponſa, non ſolùm lineamentis, & membris integra, ſed decora etiam vultus colore; quamobrem de ea præclariſſimè Ambroſius lib. 1. de Virginibus: *Hæc profectò vera pulchritudo eſt, cui nihil deeſt, quæ ſola meretur audire à Domino: Tota es formoſa Proxima mea, & reprehenſio non eſt in te:*

Cant. 4.7.
Ghiſler. Ribera. LXX.
*Quid* Macula *apud Hebræos?*
Leuit. 21.17.
Pererius. Bonfrer.
LXX.
*In quo Pulchritudo conſiſtat.*
Dionyſius Richel. Sotomaior. Conimbric.
Ambroſ.

16. Hunc eſſe genuinum ſenſum, conſiderata humana Sponſa, duæ Myſticæ Sponſæ, de quibus



*Et Humanæ, & Myſticæ Cantici Sponſa pulcherrima & perfectiſſima.*

celebratiſſimæ explanationes, vt dicamus, inſtigant. Prima eſt Eccleſia triumphans, quæ his verbis mirificè delineatur, tantùm concedamus iiſdemmet eam ſpeciei perfectionem denotatam, quæ ne læuiſſimum aliquem næuum ſuſtineat, talem enim decorem ſuperna requirunt: ita ſunt interpretati Auguſtinus, Hieronymus, Niſſenus, Beda, Rupertus, Bernardus, Hugo Victorinus citati à Giſlerio in Appendice, quibus ipſe conſentit, expoſitione de Eccleſia: poſſunt annecti ex veterioribus Gillebertus ſerm. 29. in Cantica, Amedæus Epiſcopus Lauſanenſis hom. 7. quæ de obitu Beatæ Virginis; de Epithalamij Commentatoribus recentibus Genebrardus, Titelmannus, Hortulanus, Almonacyrius, Delrio: Altera Sponſa eſt Maria ſanctiſſima, de qua rectè ſenſit Ioannes Viguerius Dominicanus in Inſtitutionibus ſuis cap. de peccato originali, eius ab originariæ culpæ fœdâ maculâ, hac ſingulariter comprobari ſententiâ indemnitatem: Granado noſter opere de Virginis conceptione, diſput. 3. cap. 5. n. 5. cæteris illuſtrius teſtimonium appellat; Ioannes Baptiſta Lezana Carmelitanus, Apologetico pro immuni ab originis noxa Virgine, cap. 9. §. *iam capitis*, &c. vnum hunc ſufficere abundantiſſimè locum, quanquam alia defuiſſent Scripturarum præſidia: neque inſcienter illi mehercle: præbeamus enim, hunc de Chriſti Matre ſenſum non eſſe litteralem, quod tamen neſcio quo bono fundamento dici queat; fuerit myſticus, Hiſtorico, quaſi baſi conſtructus, verùm oſtendimus 1. volumine Antel. 10. num. 21. ſi quidem de germano Myſtico ſenſu conſtiterit, non minùs efficacem eum ad argumentandum, quàm ſit Literæ ſenſus: atqui in hunc ex Canticis verſum omnia quadrant, quæ germaniſſimum ſenſum myſt cum indicant: Nam ſi talis ſenſus potiſſima demonſtratio, quod ipſum inter atque Hiſtoricum affinitas ſit maxima, penè vt abſque labore aliquo Hiſtoriâ leuiter ſolùm inſpectâ, ipſa ſe prodat ſtatim Allegoria, & tantùm non indiligentibus oculis ſe inſerat; Quid tam cumulatum in hoc genere eſſe poſſit; quàm, vt ſi humanæ Sponſæ corporea talis ſit pulchritudo, in qua ne minima aliqua labes emineat, ne quidem in vultus colore nigritiei veſtigium? hac tam abſoluta ſpecie Deiparæ ſignificetur ſpiritalis decor mentis beatiſſimæ, quæ non originali contaminata ſit vitio, non actuali peccato mortifero aut veniali: Iam, ſi ad myſtici firmitudinem ſenſus grauiſſima aliqua deſideretur Authoritas virorum omni doctrina excellentium, & Orthodoxorum quædam acclamatio, rectè ſuggeſſit noſter Perlinus Apologiâ ſcholaſticâ pro magnæ Matris immunitate, diſtinctione 5. cap. 3. num. 1. *Nihil tam in omnium ore in publicis ſacris concionibus, in libris editis, in elogijs Deiparæ, in illius imaginibus, quibus aliqua ſententia ſubſcribitur, in communi Chriſtiani populi ſenſu, quàm iſta magnæ matris propria dici, explicari de illa, commentari*: quæ explorata ſunt; & quoniam in recenſendis Authoribus deſudarunt multi, quorum lucubrationes obuiæ, ſuperſedemus oneri: prætermiſſum tamen ab vniuerſis hactenus, quod eius copiam nacti non fuerint, dabo Græcorum & pietate & ſapientiæ laude præſtantiſſimum Regem, qui tribus abhinc ſæculis floruit Matthæum Cantacuzenum, qui in hunc locum κατανοήσας δ' αὐτὴν τῆς παγκοσμίου σωτηρίας ὑπεράμωμον Θεοτόκον, ὡς αἰτίαν γεγενημένην, πρὸς αὐτὴν διαπυρσίως ἐβόησεν· ὅλη καλὴ ἡ πλησίον μου, καὶ μῶμος οὐκ ἔστιν ἐν σοί: quæ ſic habent ex tranſlatione Vincentij Riccardi Clerici Regularis: *Conſiderans autem ipſam totius prorſus labis expertem Deiparam, totius orbis cauſam fuiſſe ſalutis, ad ipſam diuino ſuccenſus ſpiritu, exclamauit dicens: En tota pulchra es Proxima mea, & macula non eſt in te*: Huic adiungo, quem à nullo animaduerti allegatum, Ioannem Picum antiquum ordine ex Carthuſienſi ſcriptorem; qui cap. 12. in Cantica fol. 91. *Et vt ſemel finiam; Tota pulchra es in omni re, tempore, & loco; quia contracti originalis, aut commiſſi vel lethalis, vel venialis, cogitationis, locutionis, operis, & omiſſionis macula non eſt in te*: Dionyſium ex eodem cœtu notiſſimum interpretem, Iacobum de Valentia, Genebrardum, Delrium, Giſlerium alij iam produxerunt; ſuperaddo duos noſtros Gaſparem Sanctium, & Ludouicum de la Puente tom. 2. in Cantica, lib. 7. exhortatione 20. §. 3.

Auguſtin. Hieron. Niſſenus. Beda. Rupert. Bernard. Hugo Vict. Giſlerius. Amed. Lauſan. Genebrard. Titelman. Hortulan. Almonacyr. Delrio. Viguerius. Granado.
Lezana.
*Hinc elucet Immaculata Deiparæ Conceptio.*
Perlinus.
Cantacuzen.
Ioan. Picus.
Dionyſ. Carthuſ. Iacob. de Valent. Genebrard. Delrio. Giſler. Sanchez. De la Puente.

17. Sanè egregium ſcholarum ornamentum Diuus Aquinas, vt colophonem adderet multis argumentis, quibus Virginem Beatam in hac vita mortali nunquam peccaſſe contendit, inquit vltimò: *Et ideò ſimpliciter fatendum eſt, quod Beata Virgo nullum actuale peccatum commiſit, nec mortale, nec veniale, vt ſic in ea impleatur quod dicitur Cantic. 4. Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te*; quo ex diſcurſu nec originali notatam ſtigmate Deiparam ſolidè inferunt Ambroſius Catharinus lib. 3. pro immaculata conceptione, §. *Octaua Perſuaſio*, Salmeron diſput. 52. in epiſt. ad Rom. §. *Secunda ſit*. Caniſius lib. 1. Mariano, cap. 6. §. *Age vero*. Salazar de Conceptione cap. 26. §. 4. num. 15. Nam ſi oportebat Dei Matrem eâ nitere munditiâ, quæ ne veniale admitteret delictum, quò in eam quadrarent verba Salomonis; quantò magis conueniens eſt originis caruiſſe tetrâ labe? Quin ex Hebræorum traditione, Rabbi Simeone Interprete, ob hæc Canticorum verba, Meſſiæ genitricem communi exemptam, quod omne genus humanum inuaſit, contagio, Galatinus præmonſtrat lib. 7. de Arcanis, cap. 4. Galatinum perſtringit Ludouicus de Sotomaior ad cap. 4. Canticorum in nominati verſus expoſitione, quaſi nimium ſuperſtitioſum in Rabbinorum dogmatum, eâque violentâ nonnunquam diſquiſitione, nihil enim minus veniſſe Hebræorum Rabbinis in mentem, quàm de genitricis Meſſiæ ab originis noxa, exceptione; Verùm quæ ſuperſtitio eſt, quæ durities, vt Rabbini, cùm eos non lateret Meſſiæ aduentus, quem Deum ſimúlque hominem noſſe poterant ex ſcripturis, eius Matrem communibus liberarint ſordibus, qui etiam norant per Adamum transfuſam in nepotes peccati tabem? Itáne de futuro Redemptore tam abiectè ſenſiſſent, quem ſuſtinêre potuiſſe crederent, genitrix vt deturpata fuiſſet, quam ſeruare potuerit ne inquinaretur? Ne vereatur Sotomaior Rabbinis tantùm lucis & ingenij tribuiſſe hoc vt aſſequerentur, quando & Mahumetani in Alcorano ſuo ne ita quidem obtenebrati ſunt, vt Meſſiæ genitricem culpæ arguerint alicuius, quorum ex cap. 5. ea recenſet verba noſter Caniſius lib. 1. de Deipara, cap. 10. §. *Quid verò*, &c. *Nullus* (inquiunt) *naſcitur de filijs Adam, quem non tangat Satan, præter Mariam, & filium*: atque hanc ſanè, vt piiſſimam opinionem ſtabiliremus, conati ſumus tantâ diligentiâ vindicare Sponſam à nigredine, ne ſi aliquando fuſcam extitiſſe concederemus, & poſtea inter mulieres pulcherrimam, cauillaret aliquis idem & contigiſſe Deiparæ, quam illa repræſentabat, vt quanquam in tota vita non deliquerit, cùm tamen conciperetur, denigrata fuerit.

D. Thom.
*Deiparæ puritas omnimoda.*
Catharin. Salmeron. Caniſius.
Salazar.
Rab. Simeon.
Galatin. Sotomaior.
*Etiam Rabbini immaculatam Deiparæ conceptionē adſtruunt, imò & Mahumetani.*
Caniſius.

18\. Quomodo igitur Sponſa nigra ſit, aut cur talem ſe illa ipſamet dicat? Ex aliorum errore, atque mendacio, vt probè animaduerſum à Genebrardo, atque Giſlerio in verſus ſequentis: *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim*, &c. Expoſitione. Dolebant Ieroſolymitanæ Virgines deſpectas ſe, & alienigenæ Puellæ, cuius infima vitæ conditio, quæ nullis clara natalibus, poſthabitas, quæ maiorum gloriæ, opibúſque florerent: quare, cùm nihil reliquum videretur, cuius gratiâ Sponſus concupiſcat, niſi ob eximium formæ decorem (neque enim de internis Animi virtutibus cogitabant, quæ inuidiâ agebantur) in huius diminutionem conuerſæ, cùm inaudiſſent Libani ſolitudinibus cum Paſtoribus verſatam, hœdos ſeruaſſe & minora pecora, ſparsêre in populum, non quod aliquam veri poſſit referre ſimilitudinem, Eremi iniuriis attenuatam vultus pulchritudinem, ſed penitus obfuſcatam, vt maior in Cedarenis atror non appareat. Itaque totum hoc mendacium eſt detrahentis linguæ, quod Origenis inſinuat Commentarius initio hom. 2. ex quatuor: *Quomodo non meminiſtis, quod in lege veſtra ſcriptum eſt, quid paſſa ſit Maria, quæ derogauit Moyſi, cùm Æthiopiſſam nigram accepiſſet vxorem?* Ruperti quoque myſtica de Virgine Beata Interpretatio ſignificat; ait enim voces eſſe arbitrantium malè caſtam, quam prægnantem intuerentur. Equidem Cantapretenſis lib. 9. Hipotyp. Regula 1. vbi variarum nationum mores tangit, ex Cyrillo aduertit lib. 4. in Ioan. c. 3. *Quaſi paternam hæreditatem, murmurationem de rebus bonis ad Iudæos deſcendiſſe*; Certè inuidiæ afflatos peſte, Parabola duorum fratrum Lucæ capite 15. verſ. 29. indicat ſecundum vulgare Patrum iudicium: Sed huius morbi in fœmineo ſexu impotentior vis, quamobrem murmurantibus Aaron & Mariâ de vxore Moyſis, Numerorum cap. 12. tamen lepræ ſupplicio liberatus eſt Sacerdos, tum ob alias cauſas, tum quod in detrahendo fœmina potiores haberet partes, vt viſum Toſtato quæſtione 65. *Secundò* (ait) *quia etiamſi non eſſet differentia ſtatus inter Mariam, & Aaron, fortè ſufficeret iſta pœna in Aaron, quia peccatum eius fuit valdè minus, quàm peccatum Mariæ, quia contentio iſta ſolùm erat inter Mariam & vxorem Moyſis, ideò Maria principaliter murmurauit, Aaron autem ſolùm fuit, vt fauens Mariæ in aliquo, & ſic peccatum eius valdè fuit paruum, vnde pœna debebat eſſe minor.* Quare appoſitè Hymenæi concinnator filias Ieruſalem eſſe dixit, quæ Sponſæ improperabant: iam verò quis ignoret à ſimilibus monſtra confingi, & de mure elephantem, ex feſtuca trabem confici? tale quid exploratores illi Numerorum cap. 13. verſ. 34. *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo; quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur*: Vbi inſignem hyperbolem Interpretes agnoſcunt, ac dicebantur ab eis, qui terræ detrahebant, quam inſpexerant: erga Sponſam itaque malè affectæ, cùm intelligerent ex officio Paſtricem, quam vt ſummum, formæ aliquid ob ſolis radios, & vitæ ſeueriorem diſciplinam, amiſiſſe cogitare poterant, nigram omninò ſtatuêre: Sed bellè Sponſa Amicas ſuas, & circumſtantes alloquuta famulas, iocatur de Sionidum craſſa ignorantia: itáne (inquit) certè Nigra quæ pulchra ſim ad inſtar Tabernaculorum eorum, quæ in nundinis Cedar conſpiciuntur quibus nihil fuiſſe iucundius oſtendimus num. 7. quæ certare poſſim cum Salomonis pellibus, quarum gratia incomparabilis: Aut vt alij diſtingunt, obfuſca in morem tentoriorum, quibus Arabiæ Petreæ vtuntur incolæ Cedareni, & tamen decora ſicut Salomon in omni gloria ſua: hæc (amabo) quonam pacto maritari atque connecti valeant? Vos quarum mecum pars à primis infantiæ rudimentis, quæ intus & in cute noſtis, ſpecioſam dicitis, adeò nec me formoſiores Salomonis arbitramini pelles: Sionides, quæ nunquam contemplatæ ſunt vultum noſtrum, nigram proſcribunt, & cum Agarenis deformi plebe connumerant: cuinam potior fides habenda, vobíſne, an illis? puto Ieroſolymitanas nurus deſideraturas eo modo nigras eſſe, quo nos ſumus, à quibus nihil plus diſtat nigredine.

*Genebrard. Giſlerius. Ex aliorum verbis erroneis ſe nigram dicit Sponſa, talem namque ſibi fingebat eam Ieroſolymitanarum inuidia. — Origen. — Rupert. — Cantapretẽſ. — Cyrill. — Luc. 15. Fœmina inuida. — Numer. 12. — Toſtat. — Ex Inuidia & prauâ affectione, Mus creſcit in Elephantem. — Numer. 13. 34. — Conſtructio Verſus.*

19\. Quod ſi Nigredo cum ratione aliqua Metaphoræ concipiatur, id ſignificare poſſit, quod abiecti ſit ſtatus, quod plebeium ſit, atque egeſtate oppreſſum, quamobrem in ſpectaculis olim, cùm potentiores, & generis claritate illuſtres candidis vterentur amictibus, quorum erat tenuis cenſus pullas induebant veſtes: Plinius iunior lib. 7. epiſt. 17. *Nonne, cùm ſurgis ad agendum, tum maximè tibi ipſe diffidis? Vtique, ſi latior ſcena, & Corona diffuſior: nam illos quoque ſordidos, pullatóſque reueremur*: Idem & in templis confluente plurimâ multitudine: Titus Calphurnius Ecloga 7.

*Venimus ad ſedes, vbi pullâ ſordida veſte*
*Inter fœmineas ſpectabat turba cathedras;*
*Nam quæcumque patent ſub aperto libera cœlo*
*Aut eques, aut niuei loca denſauêre tribuni.*

Atque Paſtor ſub fine Eclogæ conqueritur, quod ob pulla veſtimenta, quæ ſordidæ conditionis arguebant, negatum ſit ei numen plenius intueri:

*O vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet*
*Vidiſſem propiùs mea numina; ſed mihi ſordes*
*Pulláque paupertas, & adunco fibula morſu*
*Obfuerant; vtcumque tamen conſpeximus ipſum*
*Longius*, &c.

Sic igitur intelligere valeamus, cùm Sponſæ obiectum ſit, nigram eam ſicut Tabernacula Cedar, indicari vitæ ignobiliora exercitamenta, nempe aut in campeſtribus aut in montanis, gregibus præfuiſſe, cum quibus vagè huc illuc papiliones mutaret, vt faciunt Iſmaëlitæ qui Cedar deſerti Petræ Regionem habitant: aut certè propè Cedar vrbem in Libani iugo, cui Sanir titulus iuxta diſputata in antecedentibus num. 7. itaque pudendum fuiſſe Sponſo, viro ex optimatibus, eam delegiſſe toro ſociam, quam nulla commendarent ornamenta clarioris aut proſapiæ, aut officij, quæ vndequaque proletaria eſſet: de ignobilitate expoſuit Origenes exordio hom. 2. ex quatuor: *Iſtæ ſunt filiæ Ieruſalem ciuitatis terrenæ, quæ videntes Eccleſiam ex gentibus, quamuis pro eo ignobilem, quod generoſitatem ſibi Abraham, & Iſaac, & Iacob non poſſit adſcribere; obliuiſcentem tamen populum ſuum, & domum Patris ſui, atque ad Chriſtum venientem; ſpernunt eam, & pro ignobilitate generis offuſcant*: Verùm celſi Animi Puella, non ob hoc ſtomachatur in detractrices, non maledicta rependit: planè fatetur, atque ſe hoc pacto nigram agnoſcit, ſed annectit, ex tanta miſeria in ſummum honoris tranſlatam culmen, cuius certè thalamus nuptialis talis ſit pompæ, qui ipſo cum ſupremi Monarchæ eo, quem filiæ Pharaonis Ægyptiorum Regis, præparauerat, certare poſſit: Quid autem tacitè ſubinnuit hæc memorans? equidem eius cùm Sponſus, præter ſummam generis claritudinem, infinitáſque opes,

*Nigredine ſtatus abiectus ſignatur. — Plin. iunior. — Calphurn. Qui genere illuſtres, candidis; qui verò obſcuri, nigris vtebantur olim veſtibus. — Idem. — Ignobilitas Sponſæ obiicitur. — Origen. — Obiectioni ſatisfacit Sponſa.*



conſilio polleat, virtutibus excellat; niſi in ipſa demiratus fuiſſet raras quaſdam Mentis perfectioris dotes; non commiſſurum vnquam, nec ſuâ dignum prudentiâ iudicaturum, vt cùm nobilitate & diuitiis parem Virginem fœderare ſibi poſſit, ex mapalibus, & à mulgendis hœdis potiùs inconditam & agreſtem Sponſam vocaret: itaque nec probro, neque dedecori eſſe quod Ieroſolymitanæ opponerent nurus, ſed infinito encomio apud bona ingenia. Hebræa dictio נָאוָה *Navah*, quam vulgatus formoſam declarauit, alij vertunt *optabilem*, & *expetitam*, videlicet, quam non Sponſus vtcumque ad contubernia admiſerit, ſed eius nuptias ſtudioſè ambierit, optarit, ardenter expetierit: Aliam horum Verborum explanationem de gentiliſmi, deorúmque cultus imputatâ Sponſæ notâ ad longum proſequuti fuimus tom. 1. Anteloq. 1. num. 101. quibus nunc addimus ſolùm, cùm hæc diceret Sponſa, Cathecumenam fuiſſe, nam inſtruebatur in lege Moyſis, cuius publicam atteſtationem factura erat ſub ipſa nuptiarum pompa, Sponſo ex Hieroſolymis reuerſo: certè Origenes hom. 1. ex duabus de illis exponit, qui Baptiſmo nomina dederunt, necdum tamen abluti ſint: Quòd verò Iudaïſmum non profeſſa, formoſam tamen ſe dicat ſicut pelles Salomonis, de Tabernaculi vtenſilibus intelligens, iuxta ſuperiùs expoſita, quæ illa in poſterum non ſecus atque Iudæi ipſi veneratura ſit, loquitur ex vſu Scripturarum, quę interdum citò peragenda velut iam facta reputat, quemadmodum ex Auguſtino epiſtol. 57. probat Martinez Hypoth. lib. 5. cap. 3. §. *Eſt alia*, &c. Sin verò putauerimus iam cùm hæc dicerentur, adſcriptam illam Hebræorum Catalogo quoad ſacra, tum quod adhuc nigram ſe vocat, eâ factum ratione iudicabimus, qua ſæpe ex Bibliorum vſu antiquum nomen retinetur poſt tranſactam nominis cauſam; Exempla ſuppeditabunt idem Martinez lib. 9. Regula 11. Sanchez ad cap. 19. lib. 4. Regul. numero 12. Ribera ad caput 18. Apoc. numero 11. in Ioëlis caput 1. numero 23.

*Sponſa Cathecumena inſtruebatur in lege Moſis ante nuptias. — Origen. — Regula. In Scriptura citò peragenda velut iam facta reputantur. — Auguſtin. Martinez. Sanchez. Ribera.*

20\. Porrò, quanquàm cum filiabus Ieruſalem ſit Sponſæ Oratio, non tamen præſentes habuit illas; ſed OEconomus, & rerum domeſticarum Procurator, quem Veſtigatione ſuperiori ex Metropoli aduentaſſe aſſeruimus, de rumoribus populi, atque his quæ ſpargebantur inter Ciues de Nubentibus, docuerat, quos illa fabulas & Commenta eſſe demonſtrans, inter ſermones, quos cum familiaribus miſcebat, direxit apoſtrophen ad abſentes famæ & pulchritudinis iniuſtas Aduerſarias: vocat autem Ieroſolymitanas nurus, filias ipſius vrbis, quo pacto & nominat Iſaias capite 3. numero 17. *Decaluauit Dominus verticem filiarum Sion*, &c. Neque improprio ſanè vocabulo; quippè filiorum, filiarúmque procreatio, quâ genitorum nomen perennat, præſtructionis quædam æmulatio eſt, vnde concinnè idemmet Iſaias capite 51. verſ. 1. *Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis.* Atque cùm videretur ædificium aliquod fuiſſe alloquutus, quod cautibus acceptum referret initiamentum, ſubdit: *Attendite ad Abraham Patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos*; quare in Hebræo בַּת *bath* filia eſt, בֵּן *ben* filius, & vtriuſque origo à verbo בָּנָה *banah*, quod ædificare denotat: idcirco, vbi eiuſmodi vox elucet, Geneſ. cap. 2. verſ. 22. legitur: *Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem*: Eiuſdémque libri cap. 16. vbi textus noſter verſ. 2. *Ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*; Hieronymus in Traditionibus: *diligenter* (ait) *nota quod procreatio filiorum in Hebræo, ædificatio ſcripta eſt: legitur enim inibi; ingredere ad Ancillam meam, ſi quomodo ædificer ex ea: & vide, ne fortè hoc ſit, quod in Exodo dicitur: Benedixit Deus obſtetricibus, & ædificauerunt ſibi domos.* Eâ de phraſi ex ſacris & prophanis apud Mendoçã tom. 1. in 1. Regum, ad verſ. 35. capitis 2. in Literæ expoſitione num. 15. pertractant & doctè Pererius in cap. 2. Exodi, diſputatione 10. Sanchez in cap. 51. Iſaiæ, numero 4. & in caput 4. Ruth. num. 19. Gabriel Aluarez ad verſ. 8. cap. 1. Iſaiæ, num. 176. Bonfrerius Præloquiis in Scripturam ad finem, in Regulis, Canone 46. num. 14. Igitur à quibus Ciuitas ædificata eſt, habitatores illius, qui & antiquam fabricam conſeruant, & nouam in dies addunt, rectè filiæ dicuntur. Vbi verò gentium conſtructa, & quàm ad miraculum inſignis extiterit ſacra Ieroſolymorum vrbs, docebit ad amuſſim Chriſtianus Adrichomius in Theatro ſuo, peculiari magnificentiſſimæ Ciuitatis deſcriptione, à quo pauca tantùm hæc mutuabimur: *Ieruſalem* (inquit) *Ciuitas à Deo electa, loci eminentiâ, ſoli, cœlique fertilitate, cunctas mundi vrbes ſuperans; in totius orbis, & Iudææ medio ceu centrum, & vmbilicus ſita; & tanquam Regia inter omnes accolas, velut caput in corpore eminet; ſplendidiſque ædificijs ſicut ſol præ cæteris lucet.* Ac ſanè, non ſolùm comparatione vnius Iudææ, de quo vix poſſit eſſe concertatio, ſed omnium in terrarum vniuerſo orbe Ciuitatum antonomaſticè Vrbem, vt Roma, vocata eſt, ob ſummam pulchritudinem, ob maieſtatem, & diuitias, nuncupatam probare conatus noſter Sanchez in cap. 2. Habacuc, num. 53. De eiuſdem Vrbis omnibus partibus ad longum Tena Iſagogæ ſacræ Scripturæ lib. 3. difficult. 17. ſect. 3. circa vocis Etymologiam, quæ grauiora eſſe putamus, indicauimus tom. 1. Anteloq. 5. num. 129.

*Apoſtrophe Sponſæ ad filias Ieruſalẽ abſentes. — Iſai. 3. 17. — Iſai. 51. 1. — Ibid. Procreatio filiorum, dicitur ædificatio Hebræis. — Geneſ. 2. 22. — Geneſ. 16. 2. — Hieronym. — Mendoça. — Pererius. Sanchez. Aluarez. Bonfrer. — Adrichom. Ieruſalem Sol vrbium; vrbs per Antonomaſiam. — Sanchez.*

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus :* Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. *Cap.*1. *verſ.*4.

*Apoſtoli Sanctis noui, & priſci fœderis clariores : Hebræi quonam in deſerto verſati, & quamdiu? Pſalmus* 119. *quid tractet? Sponſa Canticorum an Pagana? inter Paganos veri numinis fidi cultores : Deum quonam modo cognouerunt ? Philoſophorum vita doctrinæ infenſa : imitati eos Hæretici : Synagogæ quàm ſtulta gloriatio ?*

### SECTIO VNICA.

21.

NIGRAM vocatam humanam Sponſam ex mendacio, atque inuidia maximâ quadam, ſtabiliuimus; idem Eccleſiæ contigit, nimirum paucis illis, qui ſub triduo mortis Chriſti, eius ſe diſcipulos, atque ſectatores profiteri, auſi fuerant : ob hoc enim à Iudæis nigri non vtcumque, ſed inſtar tentoriorum Cedar reputati, id eſt, pro ſceleratis, & peccatoribus egregiis connumerati, ſiue quidem fuſcitie & tenebris Agarenorum peccati opacas vmbras deſignari cupiamus, qua de figura ad caput 9. Amos, Ribera, num. 18. & cap. 2. Sophoniæ, numero 60. Romani quoque atros nominabant improbos, ex Horatiano illo, Sermon, libto 1. Satyra 4.

*Nigri dicebantur improbi.*

Ribera.

——*Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.*

Horat.
Pierius.

Probat Valerianus Pierius Hieroglyphicorum lib. 28. pag. 265. Nam cùm latrocinia atque rapinas exercerent, nullúmque apud eos ius; legum diuinarum, humanarúmque perfractores idoneè repræſentare valeant : Certè Iudæi Chriſtum peccatorem arbitrati ſunt, nam Ioan. cap. 9. v. 16. *Non eſt hic homo à Deo qui Sabbatum non cuſtodit*; alij autem dicebant : *quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere*, & v. 24. *Da gloriam Deo, nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt :* Cúmque à Deo profectum, qui lumen receperat, conteſtaretur, dixerunt ei : *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* Reſpondet igitur Eccleſia illa, quæ de Apoſtolis & Matre Domini potiſſimum conflabatur, non eſſe ſe nigram velut Tabernacula Cedar, neque peccatis obrutam, ſed formoſam ſicut pelles Salomonis : dixi verò in præteritis, quemadmodum ex Patribus multi de loco intellexerint, quo Arca fœderis recludebatur, déque ipſius Arcæ integumento, vide numero 8. Porrò locus ille Sanctum appellabatur ſanctorum, quod & Moſaïci Tabernaculi, & Salomonis Baſilicæ cæteris eſſet religioſior locis, & primam occuparet dignitatem: tales igitur fuerunt Apoſtoli, qui poſt Chriſtum & genitricem eius, eam adepti ſunt, quam nemo alius vnquam, ſanctitudinem in Eccleſia Catholica, in qua præcellentiſſimi, minores fuerunt omnibus Apoſtolis; ad quem apicem licet illi ſubuecti fuerint poſt illapſum Paracliti, tamen nunc tales nominantur, quòd, vt num. 19. monui, ex more ſacri idiomatis, quæ citò perficienda ſint, velut iam peracta cenſeantur; non multùm verò temporis effluxit à triduo mortis Chriſti ad Pentecoſten.

Ioan. 9. 16.

*Conſtructio Textus Myſtica.*

22.

Quod autem inter vniuerſos eminuerint Apoſtoli, Paulus egregiè ſignificauit, ad Romanos capite 8. verſ. 23. *Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus habentes*, &c. Quæ ad verba antiquiſſimus Interpres Adamantius lib. 7. *Dona ergo diuerſa Spiritus, à Paulo multi Spiritus appellantur; horum autem multorum donorum quicquid eſt ſummum, & magnum ſine dubio Apoſtoli conſecuti ſunt, vt idonei eſſent (ſicut & ipſe Paulus dicit,) miniſtri noui teſtamenti, & replere poſſint Euangelio ab Hieruſalem in circuitu vſque ad Illyricum : hoc, quod in eos præ cæteris ſublimius, & præclarius collatum eſt ſancti Spiritus donum, meritò primitias ſancti Spiritus appellauit.* Sequuntur vterque Anſelmus, Cantuarienſis, & Laudunenſis, Gloſſæ Interlinearis Compactor, Lyra, Caietanus, ſed D. Thomæ non omittenda verba : *Ex quo patet* (inquit) *quod Apoſtoli ſint omnibus alijs ſanctis quacunque prærogatiuâ præfulgeant, ſiue Virginitatis, ſiue Martyrij, ſiue doctrinæ præferendi, tanquàm abundantiùs Spiritum ſanctum habentes.* At dubitari quamobrem poſſit, num fortaſſe & ipſe Baptiſta Præcurſor ſanctitate Apoſtolis minor extiterit, P. Suarez commonſtrat tom. 2. in 3. part. diſput. 14. ſect. 3. §. *Deinde ex vi*, &c. Cæterùm Baptiſtam neque ad nouam neque ad veterem legem pertinuiſſe ſunt qui putant, ſed inter medios cleros, in vtriuſque limite poſitum : Verùm his, qui ad Synagogam integrè pertinuerunt ſiue etiam Dauid, ſiue Moyſes, ſiue Abraham interponatur, præcelluiſſe, non intueor vt in controuerſiam proferri debeat; neque ſatis mirari valeam fuiſſe qui cogitaret Heliam vel adæquandum, vel, quod abſurdius, etiam anteponendum : idem namque Suarez rectiſſimè iudicauit præfato tomo, diſputatione 8. ſectione 1. §. *In contrarium*, &c. certum apparêre, miniſteria legis gratiæ attigiſſe ſupremum gradum perfectionis, & dignitatis, quod tamen de antiquo Inſtrumento vt intelligamus Apoſtolus prohibet, *Elementa* appellans fœdus illud, & cultores *paruulos* vocans ad Galat. cap. 4. verſ. 3. nihil ad perfectum adduxiſſe innuens ad Hebr. cap. 7. verſ. 19. ibidémque nuncupans cap. 10. verſ. 1. vmbram futurorum bonorum : conſulat Lector quæ nos ad longum tomo ſuperiori, Anteloquio 7. ſectione 12. Quod ſi æqua eſt vtriuſque conditio, Synagogæ, & Eccleſiæ

Rom. 8. 23.

Origen.
*Apoſtolorum eminens præ cæteris ſanctitas.*

Anſelmus vterque.

Gloſſ. interl.
Lyra.
Caietan.
S. Thom.

Suarez.

*Eliam nimis extollit, qui Apoſtolis æquat.*

Galat. 4.
Hebr. 7.



ſiæ Catholicæ, quid Euangelio conſequuti ſumus? quid Chriſti diſciplinatu? Sin autem veriſſimum ſit Eccleſiam antiquam nunquam eam conſequutam gratiam in miniſtris ſuis, quam noua adepta ſit collectione Perſonarum conſideratâ; quemadmodum in his Dynaſtæ fuerant Apoſtoli, ita veteris & nouæ legis Sanctis præcelluerunt : quod ad locum Pauli ad Romanos, cuius causâ hæc dicta, Author Commentariorum inter Hieronymi opera, quanquam Pelagianiſmi à doctis accuſatus, tamen non concedere erubuit : *Diſcipuli autem Chriſti primitias dicuntur habere Spiritus, id eſt prima & præclara chariſmata, per quæ ditauerunt omnem terram : non enim tanta fuit gratia ante legem, & in lege Moyſi: & quòd priores ſint diſcipuli Chriſti, Hebræis ſcribens docet : Sed & hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente.* Aſſentit Bruno Carthuſianus: *Nos dico habentes primitias Spiritus, quia in primitiua Eccleſia priùs omnibus, & abundantiùs Spiritum ſanctum accepimus, abundantiùs etiam prophetis, qui præceſſerunt :* de hoc argumento noſtri Ioannes Fernandez in Theſauro ſacræ Scripturæ, verbo *Apoſtolus :* Pererius ad cap. 8. epiſtolæ ad Romanos, diſputatione 15. numero 78. interpretes ferè omnes ad caput 21. Apocalypſ. v. 14. ergo mendacium fuit, quod primos Chriſtianitatis profeſſores, Iudæi, peccatores, atque Deo inuiſos putarent, naſcentémque Eccleſiam fuſcam nominarent.

Auctor Commentar.

Bruno.

Io. Fernand.
Pererius.

23.

Sed iiſdem verbis Sponſæ obiectatum diximus, quod egens & deſpecta eſſet, quod ignota in populis, nullâ commendabilis pompâ, proinde nigra, vt ſunt, qui Arabum in deſertis habitant, Cedareni, quorum omnis ſupellex anguſta : Nec quidem eo ſe modo nigram diſſitetur Eccleſia : Quid enim ſub illis inchoamentis non vile & abiectum? grex puſillus & de tenuioribus ciuibus, qui retia complicabant, plerique haud nobiliores, & Ducē paulò antea amiſerat breuis exercitus, quem hoſtes ligno affixêre, itaque certè nigri, quorum exordia abſque honore & cenſu, mortalium iudicio : Verùm labores ſuos conſolatur, non alio, ipſius quàm Synagogæ exemplo : Mementote (inquit) vt & vos quondam nigri ſicut Tabernacula Cedar, in magnitudinem poſtea excreuiſtis, quantam Salomonis pelles, hoc eſt magnificentiſſimi Templi conſtructio demonſtrat vniuerſis gentibus, quibus inuidiæ eſtis ob incomparandam gloriæ celſitudinem : Sic & mihi continget: quam nūc intuemini deſpectam, & proculcatam; erit quando caput ſuſtulero, & dominabor à mari vſque ad mare, & vſque ad vltimos terrarū fines. Verùm, quid Hebræis cum Cedar? Equidem Iſraëlitæ ſecundo poſt diſceſſum ab Ægypto anno peruenerunt in Cadesbarne, qui locus deſerti eſt Pharan in Arabiæ Petreæ vaſtiſſimâ eremo, iuxta Adrichomium in Pharan num. 24. Torniellum tom. 1. anno Mundi 2545. num. 62. Salianum tom. 2. anno Mundi eodem, num. 198. quem Andreas Maſius ad ver. 41. c. 10. Ioſue confinem eſſe prodit nobiliſſimæ vrbi Petræ, à qua Regioni nomen : Maſio adhæret Gueuara in c. 3. Habacuc num. 32. Cùm autem reuerſis exploratoribus diffideret populus & immurmuraret, (nam ab hoc eos dimiſerant loco, vbi perſeueratum, quoad remenſi ſunt,) iratum Numen iuſſit vt in eandem reuerterentur ſolitudinem, qua de tota Hiſtoria Numerorum cap. 13. & 14. ibi commorati ſunt per annos triginta & octo, ſuffragante Deuteronomio, cap. 2. verſ 14. *Tempus autem, quo ambulauimus in Cadesbarne vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit*; quod Annorum interuallum computant Adrichomius in Pharan, num. 1. Barradas itinerarij lib. 7. c. 6. n. 5. A Lapide ad verſ. 12. cap. 10. Numerorum, Bonfrerius ad verſ. 1. cap. 13. eiuſdem libri; additis verò duobus annis, vel decem & ſeptem menſibus, quos abſumpſerunt ab exitu Ægypti donec exploratum miſerant terram Chanaan, quadraginta annos conficiunt, quibus peregrinati fuiſſe dicuntur, antequam optatis ſedibus reſtituerentur, quemadmodum memorato iam anno Torniellus aduertit num. 66. eodemmétque anno Salianus num. 233. Bonfrerius ad verſ. 14. cap. 2. Deuteron. Ergo ad Cedarenos reflectamus, quorum causâ hæc inueſtigatio ſuſcepta eſt, Illi cùm in Arabia Petræa ſedes fixiſſent, vt notat Adrichomius in Manaſſe num. 19. Deſerti Pharan partem ſelegerunt, quæ fundatoris cum nomine permanſit, Authore eodem in Pharan, num. 27. atque eremum vniuerſam è Saracenis inhabitatam Hugo & Richelius affirmant ad cap. 13. Numerorum, poſterioribus nimirum ſæculis; iam præter incolarum ſummam inhumanitatem ſolitudo ipſa talis ab Adrichomio depingitur, qua non poſſit eſſe magis damnatus & infelix terrarum aliquis Angulus.

*Eccleſia in inchoamentis ſuis nigra, vt pote grex puſillus, & obſcurus, ſine honore & cenſu, Dux crucifixus, &c.*

*Vbi Cadeſbarne?*

Adrichom.
Torniell.
Salianus.
Maſius.

Gueuara.

*Quantum tēporis Iſraël moratus eſt in Cades.*

Numer. 13. & 14.
Deuteron. 2. 14.
Adrichom.
Barrad.
Cornel.
Bonfrer.

Torniell.
Salian.
Bonfrer.

*Cedareni in Pharan habitauêre.*

Hugo.
Richel.

24.

His adiunxiſſe oporteat Pſalmum 119. qui eſt primus ex Canticis graduum decantatorum à Muſicis, cùm abſolutâ Templi fabricâ Salomon Dedicationem celebraret in plures dies, & quidem in ipſis templi gradibus, vt voluêre Pineda de rebus Salomonis lib. 5. cap. 5. num. 159. quos quindecim fuiſſe aſſerit pro numero Odarum; idem Salianus tom. 3. anno Mundi 3030. num. 18. Lorinus in argumento Pſalm. 119. Villalpandus tom. 2. part. 2. lib. 3. cap. 34. Sed eius cum reliquis Pſalmis, qualis ſcopus, quæve materia? Villalpandus atque Pineda liberationem de Ægypti ærumnis feſtâ voce modulatam putant : Sed curni & labores in eremo ſuſcepti recenſeantur? Sanè Genebrardus in ſynopſi ad Pſalmum 119. Eccleſiam petere, vt à Mahumetanis & Sarracenis vindicetur affirmat : planè hymnus memoriam ſuggerit Arabum qui deſertum illud inhabitarunt, in quo malorum Iliadem perpeſſi ſunt Hebræi : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea :* itaque commemorant qualis fuerit Eccleſia eorum cùm inter Cedarenos in ſolitudine Pharan commorabantur, quàm triſtis rerum facies! quàm obſcura gloria! Gaudent, papiliones in quibus Arca protegebatur ab imbribus, à puluere, tranſlatos in Baſilicam planè auguſtam, orbis ſtuporem: proh! quantum in ſplendorem euaſit quondam oppreſſa Synagoga! quàm fortunata modò ſub pacifico Monarcha Salomone, quæ tunc dilacerata ab innumeris hoſtibus! At quem in finem hæc recordari Synagogam velit Eccleſia ex gentibus? nempe vt deſinat improperare ſordidioris conditionis puſilla initia, cùm debeat cogitaſſe ſimilia ipſimet fuiſſe principia; emerſit tamen Deo propitio ex infimo gradu ad ſupremum penè magnitudinis humanæ faſtigium; poſſe & contingere aliis paria. Quod ſi certè Creator tam profuſus erga veterem coniugem, cuius ſæpè cultores maximâ ex parte, ingratiſſimi fuêre, & tandem è patibulo ſuſpenderunt Dominum Ieſum, quid de noua

*Pſalmi Graduales vnde? quis ſcopus? quæ materia?*
Pineda.

Salian.
Lorin.
Villalpand.

Genebrard.

Pſalm. 119.

*Non eſt quod vilem Eccleſiæ ortum obijciat Synagoga, cuius initia non fuêre nobiliora.*
*Eccleſiæ ſuprà Synagogā exaltatio.*

vxore,

vxore, quæ illi produxit innumeros Anachoretas, Virginum, Confeſſorum turmas, & ſanguinis prodigas Martyrum legiones? Videbit, videbit iſta ſemen longæuum, lactabitur mamillâ Regum, & ponetur in ſuperbiam ſeculorum, quanquàm nunc paupercula & quaſſata, & ob id nigra quaſi tabernacula Cedar: poſſidebit Romanas arces, & vbicumque prædicatum fuerit Euangelium, erit magnum nomen eius in gentibus & inſulis; purpura, & byſſus indumentum eius, & in vertice illius mitra ter coronata ex gemmis ſplendentibus: itaque vos, ſi poteſtis, adæquate Salomonis gloriam, erit hæc fœmina pluſquâm Salomon.

25\. Nulla horum verborum, quæ vel plures, vel grauiores numeret Patronos Explanatio, quàm quæ affirmat, Synagogam, Eccleſiæ gentium opponere Dæmonum cultum, & ſpiſſam idololatriæ caliginem: protuli loco animaduerſo ſub finem num. 19. Origenem, Auguſtinum, Hieronymum, Athanaſium, Theodoretum, & eius inſertos Commentario tres Patres, Anaſtaſium Sinaitam, Petrum Damiani; ſubaddo Apponium, qui filiabus Ieruſalem, ait, *Significatos Principes, vel Sacerdotes Iudæorum*; Cedar autem, quemadmodum & allegati Patres affirmarunt, indicari Eccleſiam vocatam ex nationibus, *quæ nigram ſe confitetur* (inquit) *eò quòd in tenebroſo erroris cubili, prophano idololatriæ ſanguine ebria, multos filios compreſſit in mortem æternam*: in eadē ſententia eſt Philo Carpathiorum Epiſcopus: *Cedar* (ait) *quos ex gentibus collegit, aſſimilat*: Cur autem per Cedar voluerint Gentiles repræſentari magis quàm per alias multas nationes Deorum ſuperſtitionibus infectas? fortaſſe ideò, quod inter Cedarenos diu commorati in deſerto Pharan ipſis triginta & octo annis, vt monſtrauimus numero 23. & ob longam familiaritatem nomen commune pluribus, vnius Prouinciæ hominibus accommodauerint, vti ſequutis temporibus ob ſocietatem cum Græcis, diſtractáſque in eorum Regiones Iudæorum colonias, Ethnicos omnes Græcorum vocabulo complectebantur, & propterea Apoſtolus ad Rom. cap. 1. verſ. 16. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco*, hoc eſt, poſt Iſraël gentilitati, ex vulgata conſtructione interpretum. Eâ de re monuêre ad verſ. 22. cap. 15. Matth. Maldonatus, & ad verſ. 1. cap. 6. Actorum, Cornelius à Lapide: quæ niſi Lectori placeat ratio, aduertat à Iudæis Peccatorum vocabulo abſolutè ſumpto deſignatos Paganos; ob id Chriſtum, Matth. cap. 26. verſ. 45. dixiſſe, *ſe in manus peccatorum* eſſe tradendum, quòd à gentilibus eſſet crucifigendus, aſſerit Maldonatus ad verſ. 7. cap. 19. Lucæ, quòd arbitrarentur, nullam virtutis apud eos fuiſſe gratiam, qui Dæmonibus parerent: cùm itaque Cedareni palmaris eſſent audaciæ peccatores, apud quos neque diuina, neque politica diſciplina, qui ex homicidiis & rapinâ viuerent, his putarunt ſanè gentilitatem delineari poſſe germaniſſimè; Ethniciſmum igitur ſugillantes, rectè Cedarenis adæquarunt, quos non ob cutis vitium, ſed ob denſiſſimas Animarum tenebras, nigros appellent. Sed dices: In Eccleſia ad Chriſtum ſpectante ſub triduo mortis eius, nulli cernebantur gentiles ex conuerſis, nondum enim admittebantur, ac proinde Iuſtus Orgelitanus hîc filias Ieruſalem nominatas æſtimat *quia ex Ieruſalem illa primitiuorum Eccleſia nata eſt*. Eſto, nondum acceſſerint de Paganis, ſed erat tamen Eccleſia gentium in radice & fundatoribus ſuis, nempe Apoſtolis; Scripturæ autem mos eſt, aliquando diſcipulorum infirmitates præceptoribus tribuere, vt monſtrat Cantapreten. lib. 10. Hypotyp. cap. 2. notus etiam eſt Tyconij vulgaris Canon, de quo eodemmet libro Martinez Regula 39. ex Domino Chriſto & eius corpore Eccleſia, vnum conflari iuxta tritum de Actis Apoſt. cap. 9. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* cùm Eccleſiam vexaret. Itaque Magiſtris & inchoatoribus aptantur, quæ poſtea conueniant diſcentibus: benè Matthæus Cantacuzenus: *Veluti ex perſona nouæ Diſcipulorum Eccleſiæ ſermocinatur cum Ieruſalem, & loquens cum filiabus eius & Synagogis, contentâ, feruentique voce dicit; O filiæ Ieruſalem, pulchra ſum:* Ac quando per mortem Chriſti repudiata fuerit Synagoga, túmque proceſſerit de latere dormientis in Cruce, vt latè monſtrauimus tom. 1. Anteloq. 3. num. 112. introducitur eleganter ex fœminei ingenij naturâ, quaſi inuidiâ tabeſcens, & quicquid irarum poſſit, euomens in eam, quæ adoptata eſt, nouam vxorem; nam ob ſimilem cauſam motas aduerſum humanam Sponſam Ieroſolymitanas Puellas cenſuimus; quia ipſis deſpectis peregrinam antepoſuerit Virginem Sponſus, quæ non tantùm pauper & ingloria; ſed inſuper coluerit idola.

Origen. Auguſtin. Hieronym. Athanaſ. Theodoret. Aponius. *Per Cedar Eccleſiam intelligunt aliqui.*

Philo Carpath.

*Ethnici omnes, Græcorū vocabulo expreſſi, vt & Peccatorum nomine.*

Rom. 1. 16.

Maldonat. À Lapide.

Matth. 26. 45.

Iuſt. Orgel.

*Scriptura, Diſcipulorum infirmitates quandoque Præceptoribus tribuit.*

Cantapret. Tycon. Martinez. Act. 9.

Cantacuzen.

26\. Ac quidem nigram ſe fuiſſe Eccleſia non denegat, commutatas autem veteres in clariſſimam Lucem tenebras, atque ita fuſcam olim velut Cedar, nunc de pulchritudine & venuſtate cum Salomonis pellibus certamen inire poſſe: exponunt autem ſecundum diuerſos Eccleſiæ ſtatus, ex Patribus Origenes hom. 2. ex quatuor, Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 11. Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium, Niſſenus hom. 2. in Cantica, Bernardus ſermone 25. & alij frequenter; vt quidem denigrata apparuerit tum, cùm inferni poteſtatibus victimas mactaret, ſuffitus incenderet, templa conderet: formoſa autem commendata ſit, poſtquàm ad Chriſtum tranſiit, & ſalutari baptiſmo abluta eſt, Euangelio iam promulgato: Sed mihi liceat hoc loco fuſiùs proſequi, quod Veſtigatione 1. perſtrinxi breuiter num. 53. nempe, in medio Gentilitatis, antequam de Euangelio verbum aliquod, Eccleſiam fulſiſſe iuſtorum, qui vel explicitam de venturo Mediatore, vel implicitam haberent fidem; ex quibus Melchiſedechus ille Dei veri Sacerdos de quo Geneſeos cap. 14. quem Dionyſius Areopagita de cæleſti Hierarchia ad finem cap. 9. ab Angelis edoctum ſentit, qui cùm etiam fuerit Rex, credibile eſt ſub eo viguiſſe non paucos, qui certum & incommutabile adorarent numen, quæ fuit Areopagitæ ibidem opinio: *Vt credentibus* (inquit) *aperte ſignarent, quod non ſolùm ipſe ad verum Deum erat conuerſus; ſed & alijs tanquam Hierarcha ducatum præbebat, reducendo eos ad veram, & ſolam principalem diuinitatem:* Eorum quoque de numero Abimelech Geraritarum Toparcha, de quo Geneſ. cap. 20. id, quod Ambroſium lib. 1. de Abraham, cap. 7. ſequuti, credidêre Pererius diſputatione 1. num. 7. Bonfrerius ad verſ. 3. dicti capitis, Salianus tom. 1. anno Mundi 2138. num. 94. illo autem imperante profeſſos ſubditos eandem religionem, verba innuunt verſ. 11. *Cogitaui mecum dicens: forſitan non eſt timor Dei in loco iſto, & interficient me propter vxorem meam:* LXX. autem pro timore Dei poſuêre θεοσέβειαν, quâ *Dei cultus* ſignificatur: Secum igitur penſitabat Abraham, num Prouincia illa

*Nigram ſe ante Conuerſionē è gentibus Eccleſia fatetur.*

Origen. Ambroſ. Hieronym. Niſſen. Bernard.

*Etiam Eccleſia fidelis inter gentes ante Euangelium.*

Dionyſ. Areop.

Ambroſ. Pererius. Bonfrer. Salian.

Gen. 20. 11.

LXX.





æternum rerum Creatorem veneraretur, quod vt reſciuit, timêre deſiit: alia expendit Pineda, quæ his firmiora ſunt multò, ad v. 1. c. 1. Iob: Imò iſta, quæ aliquibus robuſta viſa ſunt, dubitationem potiùs generant: cur enim Patriarcha anxius ſi Deum verum tota colebat Prouincia? talem nihilominus fuiſſe regionem illam, quæ idololatriam deteſtaretur præter relatum Pinedam noſter quoque à Lapide indicauit ad finem allegati capitis Geneſ. 20. eximiè ſanctum fuiſſe Abimelechum Iacobus aſſerit Boulduc de Eccleſia ante legem lib. 3. c. 4. propè finem: de Iobo clariſſimè Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 47. cuius verba, quoniam vniuersè id, quod conamur, atteſtantur, apponere libuit: *Homines autem quoſdam non terrenâ ſed cæleſti ſocietate ad veros Iſraëlitas ſupernæ ciues patriæ pertinentes, etiam in alijs gentilibus fuiſſe negare non poſſunt; quia ſi negant, facillimè conuincuntur de ſancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proſelytus, id eſt, aduena populi Iſraël fuit, ſed ex gente Idumæa genus ducens:* idem S. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 7. ad 3. & plurimi apud Salianum tom. 1. anno Mundi 2319. num. 7. Iethronem Moyſis ſocerum veri Dei fuiſſe inter Madianitas Sacerdotem, quemadmodum inter Chananæos Melchiſedech, putant Salianus tom. 2. anno Mundi 1504. numero 14. Bonfrerius ad verſ. 16. cap. 2. Exodi; Denique Cornelium Centurionem, quem omnes gentilem fatentur, priuſquàm ad eum mitteretur Simon Apoſtolorum Coryphæus, & ante Euangelij notitiam, pium, iuſtúmque extitiſſe, Magiſter affirmat ſententiarum in 3. diſt. 25. S. Thomas 2. 2. quæſt. 10. ad 4. Bañez 2. 2. ad art. 8. quæſt. 7. in fine Commentarij. Lorca alios plures citans eodem loco diſputatione 22. membro 5. ad cap. 10. Act. verſum 2. Lorinus, & Cornelius à Lapide: déque theſi generatim Baronius in Apparatu tom. 1. num. 18. Suarez tom. 1. in 3. part. diſput. 1. ſect. 3. §. *Tertium teſtimonium*, Thomas Bozius tom. 1. de ſignis Eccleſiæ, lib. 1. cap. 9. Pererius in cap. 2. ad Rom. diſp. 15. num. 96.

Pineda.

Cornel.

Bolduc.

Auguſtin.

S. Thom. Salian. *Iethro veri Dei inter Madianitas Sacerdos, vt inter Chananæos Melchiſedech.*

Bonfrer. *Cornelius Centurio iuſtus etſi gentilis.*

P. Lombard. S. Thom. Bañez. Lorca. Lorin. Cornel. Baron. Suarez. Bozius. Perer.

27\. Vnde autem cognitio gentibus? Primùm ab authore humani generis Protoplaſto, à quo ſanè notitiam remedij Paruulorum ex fide Parentum traductam ad Poſteros Angelicus refert Doctor 3. part. q. 70. art. 2. ad 1. à Maioribus etiam hauſiſſe de Stella apparitura Magos prodit Chryſologus ſermone 157. habuêre etiam fœminas veræ Prophetiæ Spiritu imbutas, quæ multâ cum diſtinctione de Chriſto naſcituro vaticinatæ ſunt, quæ Sibyllæ dictæ, quarum prædictionibus multum tribuit, & ab eis adiutas nationes vt Deum noſſent, futurúmque Redemptorem adſtruit S. Aquinas & cum eo Bañeſius locis numero præcedenti allegatis ex 2. 2. Baronius vbi citatus ibidem, Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ, verbo, Sibyllæ; Salmeron tom. 2. in Euang. tract. 19. Ribera in c. 2. Aggæi, num. 33. fuêre ſubſidio præter hæc Iudæorum in exteras regiones delata examina, quod multitudinem tantam Iudææ anguſti circuitus capere non poſſint, vti referunt ex domeſticis eorum Scriptoribus Philo libro contra Flaccum, alteróque de legatione ad Caium libro, Ioſephus 14. Antiq. cap. 2. à quibus peregrinæ nationes de vero Deo poterant inſtrui, quin & ſollicitos eos fuiſſe, vt ſuam ad Religionem pertraherent Gentiles Matthæus innuit cap. 23. verſ. 15. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum Proſelytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos:* Itaque nec qui Iudæos ritus obſeruarent ex ipſis Paganis deerant, qualem fuiſſe Eunuchum illum, cui Æthiopum Reginæ Candacis gazæ creditæ, de quo Actor. cap. 8. verſ. 27. quem Iudæa ſacra amplexatum, atque vt ſacrificaret Hieroſolymitano in templo, vbi tantùm circumciſis victimas offerre licitum, ex patriis aduentaſſe finibus cenſent Baronius tom. 1 anno Chriſti 35. num. 27. Cornelius ad verſ. 27. cap. 8. Apoſtolicorum Actuum: quin & ex gentium populis multos, Salomone præſertim gubernante Hieroſolymam profectos, & ex ſapientibus aliquos longè poſteriùs in Ægyptum delatos, vt Hebræorum arcana pernoſcerent, de quorum fontibus in ſuas deriuarunt lucubrationes quicquid in eis refulget ſacratioris notitiæ, fusè monſtrauimus tom. 1. Anteloq. 9. ſect. 2. At caruiſſent his omnibus adiumentis: tamen poſſit homo qualiſcumque abſque auxilio interno ſupernaturali, per ea quæ extrinſecus, & per naturæ prouidentiam ſubminiſtrantur decernere quod bonū appareret ſequi, vitare malum quantū per ea liceret auxilia; facienti autem ita quod in ſe eſt, Deus non denegaret auxilium ſupernaturale; Quod effatum, quàm à Semi-Pelagianorum diſtet errore P. Suarez oſtendit opuſculorum lib. 3. c. 2. ſub finem; neque enim poſitiuæ diſpoſitionis intelligitur aliquid, quo moueatur Deus ad gratiam primam conferendum, ſed remouens prohibens ſignificatur tantùm, quoniā non ponenti obicem per id quod ex ſe facere quiſque valeat, Deus ex liberalitate, non propter hominis meritum, gratiam conferat; quem fuiſſe ſcholæ omni tempore ſenſum præclarè ſuadet Leſſius opere de gratiâ efficaci, c. 10. & in eius capitis mantiſſa; verùm quonam id modo contingeret, oporteet addiſcamus ab Angelico Doctore q. 14. de veritate, art. 11. ad 1. *Si aliquis* (inquit) *nutritus in ſiluis ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali; certiſſimè tenendum eſt, quod ei Deus per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt credenda; vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* At de hoc fuſiùs Veſtigatione ex ſequuturis 22. n. 13. vbi ex particulari opinione aliquid.

*Vnde veri Dei cognitio Gentilibus?*

S. Thom. Chryſolog.

Bañeſ.

Salmeron. Ribera. *Gentiles à Iudæis edocti.*

Philo.

Ioſeph.

Matth. 23. 15.

Actor 8.

Baron.

*In Iudæam profecti Gentiles vt Hebræorum arcana diſcerēt.*

Suarez. *Facienti quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam.*

Leſſius.

S. Thom.

28\. Sed quid diuexamur in perſcrutanda Origine notitiæ eius, quam de Numine habuerint gentes? Heu! in quibus cognitio abundauit, in iis & ſuperabundauit delictum: *quia cùm cognouiſſent, non ſicut Deū glorificauerunt* (inquit Apoſtolus ad Rom. c. 1. v. 21.) *aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens Cor eorum:* Quid maius habuit Ethnica Sapiētia Triſmegiſto, Platone, Socrate, Ariſtotele, Marco Tullio, Lucio Annæo Seneca: at horū vel quàm fuerint corrupti mores aut in quos prolapſi ſint errores, qui noſſe deſiderat, legat Origenē lib. 6. contra Celſum, & hom. 4. ſuper Exodū, Iuſtinianū in colloquio aduersùs Triphonē, Theodoret. lib. 2. Græcarū affectionū, Nazianzen. orat. de moderatione in diſputationibus habēda, & orat. 1. de Theologia, Euſebiū de Præparat. Euangelica lib. 13. c. 8. & 11. Niſſenum lib. de Prouidentia, Athenagorā legatione pro Chriſtianis: ex Latinis Tertull. in Apologetico, Arnobiū lib. 2. contra gentes, Lactantiū lib. 3. diuinarū Inſtitutionū, Auguſtinū lib. 5. de Ciuit. c. 9. & lib. 6. c. 10. Ambroſ. lib. 1. de officiis, c. 13. ex Neotericis Canū lib. 10. de locis, c. 5. Pererium in c. 1. ad Rom. diſp. 18. n. 90. & in c. 2. diſp. 11. n. 74. Poſſeuinum in Bibliotheca ſelecta, lib. 12. tom. 2. tract. 2. c. 13. & tract. 3. c. 12. Raynaudū vberrimè de vitiis & virtutibus lib. 1. ſect. 1. c. 2. num. 84. & de Morali diſciplina diſt. 1. q. 3. art. 9. num. 192.

Rom. 1. 21. *Sapientum Ethnicorum mores corrupti.*

Origen. Iuſtin. Theodoret. Nazianzen. Euſeb. Niſſen. Athenagor.

Tertull. Arnob. Lactant. Auguſtin. Ambroſ. Canus. Pererius. Poſſeuin. Raynaud.

Auguſtin.

quamobrem Auguſtinus lib. 1. Retractationum ſub finem rectè ſatis: *Laus quoque ipſa, qua Platonem, vel Platonicos, ſeu Academicos Philoſophos tantùm extuli, quantùm impios homines non oportuit, non immeritò mihi diſplicuit: præſertim, quorum contra errores magnos defendenda eſt Chriſtiana doctrina:* Quos Tertullianus ſcitiſſimo nomine ſcribens aduerſus Hermogenem, *Hæreticorum Patriarchas* vocauit; tales enim ſectarij omnino, quales depingit Philoſophos Minutius Felix in Octauio: *Philoſophorum* (ait) *ſupercilia contemminus, quos corruptores, & adulteros nouimus, & tyrannos, & ſemper aduerſùs ſua vitia facundos*; de quibus non incongruè Nilus Abbas, Aſcetici initio; *nihil ferè ſibi homines ſtulti proponunt, niſi oſtentationem, & inanes rumuſculos, miſeriæ ſuæ vilem, & inutilem mercedem:* Itaque abſoluamus, definientes Numinis cognitione præditos Gẽtiles, quâ licet ſapientiæ laudibus inflati doctiores abuterentur; alij tamen eius conſentaneum vſum habuerunt, vitam ſobriè moderantes, æternámque conſecuti ſalutem.

Tertullian.

Minut. Fel.

Nilus Abb.

29\.

*Quomodo Eccleſia ante Conuerſionẽ nigra & formoſa?*

Quæ vt Sponſæ accommodemus; in hoc enim Vniuerſa collimant; reſpondet quidem; ne tum, quando Euangelij nulla memoria, ita ſe denigratam, vt fuſca eſſet penitus, quippe & habuiſſe iuſtorum quoque familiam, quando inter gentes inueniretur, qui Deum verum religiosè colerent: igitur nigra velut tabernacula Cedar propter idololatras: formoſa ſicut pelles Salomonis ob iuſtos. At quorſum gentibus Synagoga ea imputet vitia, à quibus non ſit ipſa libera?

*Turpe eſt doctori, cùm culpa redarguit ipſum:* Habuit ſanè illa iuſtos multos, ſed ex eius gremio plurimi & ſæpè ementitis Numinibus genua inflexerunt: clamant Scripturæ paſſim: oſtendimus nos tomo 1. Anteloq. 5. n. 71. & credo, fœdior culpa Iſraël, cui lex, cui Prophetæ, cui tabernaculum: Verùm paulìſper cedamus Hieronymi ſtilo, & intueamur vt pro gentibus decertet aduerſum Hebræos nimiũ gloriãtes: eius hæc oratio de epiſtola ad Theraſium pro vera Circumciſione; poſtquam Iobum gentilem fuiſſe demonſtrauit, exclamat: *Vbi es in ſola carne circumciſa Iudæa? confer cum hoc viro pedem, & contende gloriâ, attolle te maiorum ſuperba virtutibus, latúſque tuum benedictis nobilium Patriarcharum circumcinge nominibus, vt in te iuſtificationum vetus illa virtus, & auorũ ſplendor appareat: Iob aduerſum te procedit in medium, ſanguinis Authores non erubeſcens: Exſpoliatus Iob bonis omnibus nihil requirit; Tu Ægyptum in eremo poſt manna delicioſa ſuſpiras: Illum ab ſpe in Deo poſitâ tot malorum tentamenta non auocant; Te ad eam ſpem bonorum omnium blandimenta non prouocant: Ille manũ Domini ſentiens, benedicit in vulnere; Tu virtutibus de Pharaonis iugo exuta, non ſubiaces: Hinc illi & pro Circumciſis veniã poſtulare conceditur; Tibi velut incircumciſæ Amorrhæus pater, & mater ingeritur eſſe Cethæa: vt manifeſtè liqueat, & illum per virtutes operum, non obſeruantiam Circumciſionis, benedictionem ſibi reſtauraſſe quam Proauus amiſit: & te per iactantiam Circumciſionis, virtutes negligentem, eam benedictionem, quam Iacob ſolâ ſubtilitate acquiſierat, perdidiſſe.*

*Synagogæ gloriatio reprimitur comparatione Iobi.*
Hieronym.

# Explanatio Didaſcalica pro morum inſtructione in eumdem Verſum.

## *Textus*: Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis. *Cap.*1. *verſ.*4.

*Nominis bonæ famæ proſpiciendum eſſe, eámque vindicandam ab obtrectantibus.*

### Sectio I.

30\. STATVIMVS ex maledicentiâ, atque inuidiâ obiectatam Sponſæ nigritiẽ ſiue faciei, ſiue morum: igitur taceret, & cum ſilentio conuitiũ pateretur? Sed vt hæc ſit aliis iniuriarum ſpeciebus bona Medicina, nomini atque exiſtimationi fortaſſe non rarò noceat: *Curam habe de bono nomine*, inquit Siracides c.41.v.15. *Non eſſe negligendam famã*, Philo admonet lib. de Migratione Abrahami: *Res enim* (ait) *in omni vita vtiliſſima eſt.* Nec morã intercedere Chryſoſt. ſuſtinet adhortãs lib. 5. de Sacerdotio: *Oportet* (dicens) *ſuſpiciones prauas ſtatim atque exortæ fuerint, intercidere, ac nihil prorſus omittere rerum earum, quæ prauam de te opinionem delêre poſſint:* Quod cùm omnes homines facere ęquũ ſit, tamen potiſſimũ expedit fieri ab eis, qui Auditores, quos inſtruant, atque doceãt, nacti ſunt, qui ſi de Magiſtro ſemel prauè opinari cœperint, eius omnis inſtructio vana deinceps futura ſit: Quamobrẽ Sponſa hæc, quæ Adoleſcentularũ Magiſtra ſit, quas hoc Canticũ ſæpè memorat, nõ putauit ſui eſſe officij tacere, cùm & Animæ, corporíſque pulchritudinem iniuſto penitus rumore lacerarent Ieroſolymitanæ aut Matres, aut Virgines: Quis enim nõ ſubiraſceretur Spõſo, viro eius, Principi rectiſſimo, ſi modò eam duxiſſet coniugem, quam & vultus, & pectoris deturparẽt næui? ac non dolerẽt æquiſſimè Nurus Ieroſolymitanæ prælatam ipſiſmet fœminam vndequaque illaudabilem? Hanc itaque vt auertat notã à moribus, quanquam modeſtiſſima Puella, defenſionem parat, & quàm fallantur enormiter Sionides, aperit: id, quod obſeruatum initio hom. 2. ex quatuor ab Origene, & dilucidiùs à Gregorio Romano ſic aiente: *Ne verò proximi in eius nigredinem intendentes, minùs exempla bonorum eius ad imitationem diligant, turpitudinis cauſam ſatisfaciens oſtendit; dum ab admiratione ſua filias Hieruſalem repellit, dicens; Nolite conſiderare quod fuſca ſim*, &c.

Eccli. 41.15.

Philo.

Chryſoſtom.

*Iis maximè qui alios inſtruũt de bono nomine cura ſit.*

*Sponſa Adoleſcentularũ Magiſtra famam ſuam à Ieroſolymitanis obſcuratam defendit.*
Origen.
Gregor.

Quem Iobo adæquabimus, ſi iniuriarũ patientia à nobis cõſideranda ſit? Quas nõ expertus clades? quibus non vexatus modis? vidit breuiſſimo interuallo conſũptas opes, extincta gnatorũ chara 31.



pignora, ne corpori ſanè parcitum; Et in tantis ærumnis, *in omnibus his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt*, Iob c.1. v.22. Tandem de Amicis vnus Eliphaz Themanites famam obſcurare auſus eſt; nimirum, idcirco à Numine grauiſſimè percuſſum, quòd ſcelera promererentur, neque enim ſubiraſci Deum niſi aduerſum procaces & malos: quin id etiam non veritus condemnare quod in Iobo præcipuè eluxerat, ipſam Animi conſtantiſſimam vim: *Nunc autẽ* (inquit c.4.v.5.) *venit ſuper te plaga, & defeciſti: tetigit te, & conturbatus es: vbi eſt timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* O cæcos mortalium oculos! nihil euidentius ſtrenuiſſimi Athletæ patientiâ, & tamen ne hæc cõceditur ei! Numquid ad famæ proſciſſionem adhuc & obmuteſcens Iobus? certè locutus eſt: *Reſpondens autem Iob* (c.6.v.1.) dixit; *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui*, &c. igitur qui ſubſtantiæ, & corporis damna ſuſtinuit, famam vulnerari non eſt paſſus: prębeamus aures Gregorio lib. 7. Moralium, c.1. *Vnde Beato Iob, ne deeſſe Tentatio vlla potuiſſet, non ſolùm hunc flagella deſuper feriunt, ſed grauiora plagis Amicorum colloquia affligunt, vt ſancti viri anima hinc, inde pulſata, ad motum iracundiæ, & elationis erumperet, & quicquid mundè vixerat, per contumaciam ſuperbæ locutionis inquinaret: Sed tactus plagis gratias retulit; laceſſitus verbis recta reſpondit; & percuſſus innoteſcit, quàm pro minimo ſalutem Carnis habuerit; loquens quoque indicat, quàm ſapiens tacebat.* Quoniam verò, duo ſint ſcopuli, in quos ſoleant impingere illi, qui famam propugnant; alter, vt nimium à ſe geſta præclarè extollant; alter vt hoſtem acerbiùs feriant, mutuemur vtriuſque documenta ab eodem Iobo: Nonne igitur plurimus in laudibus ſuis Beatiſſimus vir? cap. 29. v. 15. *Oculus fui cæco, & pes claudo; Pater eram pauperũ*, &c. At his propemodũ cognata, quæ Phariſæus apud Luc. c. 18. v. 11. *quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri:* cur abſoluitur Iobus, condẽnatur iſte, niſi quod famæ iuſta munitio patrocinabatur encomia referenti? viſum Iſid. Peluſiotæ lib. 3. ep. 278. *Phariſæus ille, quia nemine concitante, & ſtimulante magnifica de ſe prædicabat; altiúſque, quàm vniuerſus terrarum orbis, de ſe ſentiebat, meritò in Dei offenſionem incidit, ſiquidem ſuperbiæ morbo laborabat: At qui in gloria & ſplendore eſt, virtutes ſuas occultat; cùm autem maledictis inceſſitur vt illatas Criminationes propulſet, commemorat; quemadmodum clarus ille, atque omni laude præſtantior Iobus fecit; ab omni culpa remotus eſt:* itaque licet tum abſque Verborum iactantiis quæ ſpecioſa videntur, cõmemorare: iam quod ad phraſis modeſtiam ſpectat, quanquàm ſermo eiuſmodi eſſe debeat, qui veritatem, non autem perturbatos Animi affectus demonſtret; tamen non omnis vehementia ſtyli ſtatim deteſtanda eſt, nam ſæpè rei atrocitas, vt exacuatur, poſtulat: Nam & in Iobo, ſi ad externum dictionis ſonum attendamus, cæteris prętermiſſis, reperiri, quæ tantillum diſpliceant, animaduertit loco iam memorato Gregor. Papa: *Sed quædam eius verbis admixta ſunt* (ait) *quæ apud humana iudicia, patientiæ limitem tranſire videantur: quæ nos verè intelligimus, ſi ſuperni ſententiam iudicis in eorum examinatione penſemus: ipſe enim beatum Iob & priùs contra Aduerſarium prætulit, dicens; vidiſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ſimilis ei ſuper terram: ipſe poſt probationem Amicos eius redarguit, dicens: Non enim locuti eſtis ad me rectum, ſicut ſeruus meus Iob: reſtat ergo, vt cùm mens in beati Iob ſermonibus fluctuat, eorum pondus ex eiuſdem Hiſtoriæ initio, ac*

Iob 1.22.

*Famam ſuã in calumniãtes defendit Iobus alioqui patientiſſimus.*

Iob 4.5.

Iob 6.1.

Gregor.

*Duo ſcopuli in defenſione famæ vitãdi.*

Iob 29.15.

Luc. 18.11.

*Cur abſoluitur Iobus probitatem ſuam commendans: Phariſæus verò damnatur?*

Peluſiota.

Gregor.



*fine perpendat: ab æterno enim iudice nec caſurus laudari potuit, nec lapſus præferri.*

Cùm moreretur Dauid, præcepit Salomoni, vti ipſo ſublato, Ioabum militiæ Ducem interficeret: *Tu quoque noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſraël, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Iether:* Reg. 3. c. 2. v. 5. interpretes ſolliciti pro noxa aduerſus ipſum Dauidẽ cõmiſsâ à Ioabo: Lyrenſis ſequutus Rabbi Salomonẽ, putat Literas ab eo miſſas, quibus Vriæ cædes cõtinebatur, quas ſolus legere debuerat, aliis aperuiſſe, quo facto cùm regia fama grauiter læderetur, nec etiam in morte abſtinuit à famæ vindicta: refutat Nicolaũ Toſtatus, q. 7. Caietanus verò arbitratur eandem fuiſſe culpam, quæ contra Regem aduerſúſque Principes; quare idipſum eſſe, quę fecerit mihi, & quæ fecerit duobus Principibus exercitus Iſraël: At ſi à Dauide eiuſmodi proponendum fuit ſcelus Ioabi, quod contra Regem meritò diceretur perpetratum; qua de cauſa ſubticuit necem Abſalonis filij dilectiſſimi, cuius interfectionis Ioabus Author? Equidem tum dici poſſit rectiſſimè, *quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ*; nam & gnatus & genitor propter communionem ſubſtantiæ, vnum cenſentur, caro vtique filius de carne Parentis: cur igitur non potiùs ob interemptum Abſalonem iuſſit trucidari Ioab, quàm propter deletos exteros Principes? Equidem Abſalone occiſo, quanquam putarent multi, quos latuêre Patris monita ad Ioabum, genitoris interfectum imperiis: nemo tamen ob hoc condemnaret Regem, neque infamiæ notaret quin potiùs eueherent Animi conſtantiam ne filio parcentis, quando procax Adoleſcens, humana, diuináque violarit iura: in nece autem Principũ exercitus, regia patiebatur fama; nã vt benè obſeruarat noſter Sanctius in 3. Reg. c. 2. n. 10. *Tam Abnerẽ, quàm Amaſam ad ſeipſum aduocarat Dauid, & cùm priùs contrarijs ſtuderent partibus, interpoſitis promiſſis & regiâ fide ſibi conciliarat: quare, qui noſſent, quomodo eſſent excepti priùs à Rege & deinde callidè, & perfidiosè occiſos audiſſent; violatam exiſtimarent fidem regiam neque Dauidi vlterius quicquam eſſe credendum: Hæc autem regij nominis grauis iniuria fuit:* Sic ille: igitur, vt moneret, famæ eſſe iuſtâ punitione vindicandam iniuriam, neque eſſe diſſimulandum præſertim ab hominibus, quorum eſt authoritas publica, atque communis; filij amantiſſimi cædem, quòd cum Regis infamia non eſſet coniuncta, velut condonat: principum verò exercitus necem ſupplicio vlciſcendam iubet, quò tali acerbitate inuſtam Regiæ fidelitati maculam expiaret: atque declararet, quòd pœnas ſumere diſtulerit, temporum fuiſſe iniquitati tribuendum, quæ opportunitatem non ſuggeſſerant, non autem, quia violatæ fidei & promiſſionis, cauſa ipſe aliquo modo extitiſſet.

32\.

3. Reg. 2. 5.

Lyra.
R. Salom.

Toſtat.
Caietan.

*Diſſimulatâ filij nece, Regij nominis famã vlciſci vult in Ioabo Dauid morti proximus.*

Sanchez.

Pulchrum ſanè Chriſti Apologeticũ, Matthæi c. 12. in cauſa diſcipulorũ, Phariſæorum inuidiam ſubeuntiũ, quòd dũ per ſata tranſirent in Sabbato ſpicas vellere cœpiſſent: atq; agit multis argumẽtis Saluator: cur nõ tacuerit? cur ora ſoluit modò Patientiæ Dominus? fortè, ſi Apoſtoli verberibus cæſi fuiſſent, ſilẽtio Res triſtes comprimeret, ſed famæ pertractatur cauſa. Arguuntur impietatis quorum nullũ eſſet ſcelus, nam culpâ vacare teſtatus eſt, verſ. 7. *Si autem ſciretis, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes*; non igitur iudicauit innocentiam apertiſſimâ calumniâ opprimendam: benè Euthymius: *Hanc verò Hiſtoriam Chriſtus Phariſæis obiecit* 33.

Matth. 12.7.

Euthym.

*in patrocinium ſuorum diſcipulorum, oſtendens quod veniâ digni eſſent propter famem, propter quam ipſe quoque Dauid famatiſſimus ſoluit legem panum propoſitionis:* quare autem non liberauit Diſcipulos ſigno aliquo edito, quo compungerentur Hoſtes? Abulenſis q. 10. ad eorum confuſionem aſſerit maluiſſe ex ſcripturis arma depromere, alioquin legē pro ſe ſtare gloriarentur, quæ vetaret in Sabbatis laborem omnem: An illud ſignificatum, non eſſe expectandum, vt miraculis redimatur innocentia, cùm vindicari argumentis poſſit? vſum verò Chriſtū probatione multiplici aduertit Chryſoſtom. hom. 40. in Matthæum: *Perpendis* (ait) *quot argumenta induxit? Locum, quia in templo: Perſonam, quia ſacerdotes; Tempus, quia in Sabbato; Rem ipſam, quia violant:* cur tāta congeries? vt diſcamus in famæ tutela impigrè deſudandum, atque alia atque alia præſidia adhibenda: denique nec ſubuerendā in dicendo vniuerſim acrimoniam, neque perpetuò abſtinendùm ab iis, quæ modo quoquā pungere valeāt, ſubindicat Toſtat. nominata q. 10. *Et etiam modus allegandi Chriſti* (inquit) *contra eos, eſt mordax & increpatorius; ſcilicet, non legiſtis quid fecerit Dauid, quaſi dicat; vel nunquam legiſtis, vel non intelligitis: & quod magis eſt, dixit, quod non intelligebant ſcripturas, ſcilicet, ſi ſciretis, quod miſericordiā volo, & non ſacrificium, nunquam condemnauiſſetis innocentes, id eſt, ſi intelligeretis ſcripturas, nō diceretis hoc; ſed quia nihil intelligitis, inſipienter loquimini: & iſta erat magna confuſio pro illis; quia putabant ſe eſſe in lege doctiſſimos, & magnæ opinionis erant apud plebem; & taliter ſolet Chriſtus eos tanquā inſipientes arguere.*

Toſtat. *Suorum Diſcipulorum famam in Phariſæos tutatur Chriſtus validis argumentis, iiſque acribus & increpatoriis.*

Chryſoſtom.

Toſtat.

34\. Gen. 22. 12.

Angelus de cœlo vociferatus, iuſſit, vt à mactatione Iſaaci Patriarcha abſtineret: *Nunc cognoui* (inquit) *quod times Deum, & non peperciſti Vnigenito filio tuo propter me*, Geneſ. c. 22. v. 12. quæ ſignificatio verborum? Chryſoſt. hom. 47. *Nunc omnibus declaraſti, quomodo ſincero timore Deum colas; innotuiſti nunc omnibus quod timeas Deum:* interpretes vulgatè: *Nunc cognoui; id eſt, alios cognoſcere feci:* fuiſſe totius ſcenæ ſcopum, Orbi toti vt manifeſtaretur, Author de Mirabilibus ſacræ Scripturæ aſſerit lib. 1. c. 14. *Vt autem appareret etiam hominibus, quàm fidelis in Dei amicitia permaneret Abraham; filiū ſuum Iſaac, cùm iam eſſet adultus, offerri ſibi in holocauſtum, ſuper vnum montium, Deus præcepit:* Quid iuuat Mūdū hoc percepiſſe vniuerſum? nonne magis præclara facinora occultanda ſunt, ita vt etiam ſiniſtra ignoret quid conſors dextera factura ſit? An non iubemur, ne faciamus iuſtitiam noſtram coram hominibus? quare igitur diuulgandū in Prouinciis rariſſimum Deo famulantis Abrahæ obſequium? Eſt Deus cōmunis vniuerſitatis mundanæ Pater, ipſius genus ſunt homines cuncti: ſed inter gnatorum maximam turbam Abrahamum ſingulari proſequebatur beneuolentiâ, & quaſi eius tātùm Rector fuiſſet, *Deus Abraham*, ſpeciali vocabulo nominabatur: Quis verò neſciat, quoties genitor filiorum alicui plus indulget, conuerti iras fratrum & in eum, qui diligitur, & in Amatorem, obmurmurare continuò, næuos, quos valeant, impingere, & vt à cæteris abſtineant, ſugillare tamē, quod præter genitoris normam, affectum diuidat? Famam igitur vt vindicet Numen, hominúmque iniuſtis querelis occurrat, quanquàm aliàs ſolitus præcipere, bona vt obtegerentur opera, hoc Abrahæ factum innoteſcere cupit: Nam cùm viderint mortales iugulare paratum Dei causâ ſpem domus, decumbentis ætatis ſolatium, omnem in vno Iſaaco ſacrificari iucunditatem; tum demum concipient, quàm iuſtè cæteris prætulerit, quem ſingularibus Amoris notis proſequeretur, ac ſi quid de Numine non rectū conceperant, emendabunt: igitur, quanquam egregia facinora velare religioſum ſit; tamen, quoniam famæ patrocinium exigit, vt manifeſtentur: in publicum exeant, atque omnium per ora volitent.

Chryſoſtom.

Author mirabil. *Iſaacū Abrahamo mactādum præcipit Deus vt eius per vniuerſā orbem euulgatâ forti obedientiâ quàm iuſtè eum cæteris præferat Deus, iudicet Mundus & ſic Numinis fama à calūniis vindicetur.*

Quoniam autem, vt Diſſertationis initio monebam, maximè cauendum, ne vel noſtra extollamus præter menſuram, vel Modeſtiæ prætergrediamur cancellos in aliorum reprehenſione, à Paulo diſcamus egregio Doctore: ergo ille Pſeudo-Apoſtolos confutare renuit? At Corinthior. 2. c. 11. longam defenſionem inſtruxit: quantus in recenſendis laudibus ſuis? *Ecce honorem pro vtilitate Audientium quærens* (ait Gregor. Moral. lib. 19. c. 14.) *falſis Apoſtolis vitæ ſuæ merita ſuperponit: egit quippè Doctor egregius, vt dum ipſe qualis eſſet agnoſcitur; & vita, & lingua malè prædicantium, eius comparatione vileſceret: illos videlicet commendaret, ſi ſe abſconderet, cúmque ſe non oſtenderet, errori locum dediſſet:* Secundum Gregorij mentem Explanatores ferè omnes, Chryſoſtomus imprimis ſub finem hom. 24. atque Anſelmus: difficilius multò eſt, in increpando modum ſeruaſſe: perſcrutemur, quid de hoc eodem Apoſtolo Gregorius homil. 11. in Ezechielem: *Verecundæ etenim Mentes* (inquit) *ſi quas fortaſſe culpas admiſerint, leniter arguendæ ſunt; quia ſi aſperiùs increpentur; franguntur potiùs, quàm erudiuntur: At contrà, Mentes aſperæ, atque impudentes, ſi increpatæ leniter fuerint, ad maiores culpas ipsâ lenitate prouocantur: Quod bene in eodem egregio Prædicatore diſcimus: qui cùm Corinthios cognoſceret pro amore Perſonarum in ſchiſma diuiſos, eorum verecundiæ conſulens; locutionē ſuam eis à gratiarum actione & laudibus cœpit, dicens: Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu; quia in omnibus diuites facti eſtis in illo: Videamus tamen hunc ipſum, qui tantâ modeſtiâ, atque manſuetudine ad corripiendos Corinthios ducitur, qualiter contra Galatas, qui à fide diſceſſerant, erigitur? Nulla enim modeſtia in inuehēdo, Exordio redarguit; nam prætermiſſâ ſalutatione ſic cœpit: Miror, quòd ſic tam citò tranſferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti: quibus etiam in apertâ increpatione poſt cætera ſubiungit: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit? Mentes enim duræ, niſi apertà eſſent increpatione percuſſæ, nullo modo Malum cognoſcerēt, quod egiſſent.*

35\. *Se, in Audientium vtilitatem commendat D. Paulus.*

Gregor.

Chryſoſtom. Anſelm.

Gregor. *Verecundæ mentes leniter: Impudentes aſperiùs increpandæ ſunt.*

---

*Difficilium toleratu, & Mortificatione, adeptam iri Sapientiam.*

## Sectio II.

PLanè ſicut Tabernacula Cedar, qui magnis greſſibus ad Perfectionis faſtigium contendunt: quàm dura vitæ ratio ſub tot Malorū perpeſſu! in ieiuniis multis, in frigore, in nuditate, in plagis ſupra modum: nigri mehercle qui peripſema Mundi: Sed quonam modo in Salomonis tranſmutati pelles atrati illi, atque deſpecti? cur non aliorum Regum tentoriis aſſimilati? Salomon quidem ſapientiâ omnes Monarchas longo ſuperauit interuallo, Salomon doctrinarum lumen clariſſimum; vt igitur ſuggerat labore & Mortificatione conſequendas ſcientias, Salomonis Tabernaculis denigratos vtiliter comparauit: *Non planè contemnenda in ſanctis* (ait Bernardus ſermone 25. in Cantica) *iſta nigredo exterior, quæ candorem operatur internum, & ſedem proinde præparat ſapientiæ: candor enim eſt vitæ æternæ ſapientia, vt ſapiens definit & candidam oportet eſſe Animam, in qua ipſa ſedem elegerit: candida Pauli Anima erat, & ſapientia ſedebat in ea, ita vt ſapientiam loqueretur inter perfectos: porrò hunc in eo ſapientiæ, iuſtitiæque candorem, Nigredo illa exterior, de præſentia corporis infirma, de laboribus plurimis, de ieiuniis, ac vigiliis multis, aut operabatur, aut promerebatur:* Cur prioris Eccleſiæ, quæ Synagoga fuit, Doctrina, vnius Iudææ concluſa lateribus? cur orbi terrarum dominata non eſt? cur Hæreſum non probata conflictibus? An quoniam imbecilla & iners? Verùm, quænam infirmitatis ratio? Quid Eccleſiæ Catholicæ ſcientiam iuuarunt, quibus ſic adaucta eſt; vt nihil pulchrius videri queat? Certè illi per quos trāſmiſſa eſt lex ad Chriſtianos, vincula experti, atque tyrannicam rabiem, demum Cruorem profuderunt alacres; non ſic Moyſes, qui cum vxore & liberis, pace vitam finiuit, Imperator fuit & diues: quare Tertull. de Præſcriptione aduersùs Hæreticos: *Felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: vbi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioānis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioānes, poſteaquam in oleum igneum demerſus, nihil paſſus eſt, in Inſulā relegatur:* Sed lex illa vetus propè atque in auras emiſſa, naufragium ſuſtinuit, nam portitor ad radices Montis confregit tabulas, Exod. c. 32. Quæ reuerentia hæc eſt decretorū? aut quæ tam immanis Ductoris Moyſis ira? Scilicet, reperit Hebræorum vulgus ludo & comeſſationibus diſſolutū: itáne percepiſſent doctrinam ebriones, aut voluptuarij? aut quam legi ipſi ſponderet firmitatē, quæ ſub tripudio & ingluuie orta fuiſſet? animaduertit Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum: *Moyſes quadrāginta diebus & noctibus ieiunus in monte cum Domino loquitur; populus autem ſatur, idola fabricatur: ille vacuo ventre legem accepit ſcriptam digito Dei; iſte manducans & bibens, conſurgénſque ludere, aurum conflat in vitulum, & Ægyptium bouem præfert Domini Maieſtati: tot dierum labor vnius diei ſaturitate perit: frangit audacter Moyſes tabulas: ſciebat enim Domini ſermonem non poſſe audire temulentos.*

36\. *Laborum Nigredo aſſequitur Pelles Salomonis Sapientiſſimi Monarchæ.*

Bernard.

*Eccleſiæ ſublimis Doctrina, laborioſa, auſtera, cruenta: Synagogæ verò, mollis, voluptuoſa, infirma.*

Tertullian.

Hieronym.

Maledixit ſerpenti Numē; & ſuppliciorū pars, vt ſuper pectus graderetur: quę huius Dānationis Ratio? ſanè eodē Geneſ. c. 3. quo pœna delinquentis, traditur fuiſſe callidior cunctis Animantibus terræ: nec mirêre ſapientiam beſtiæ tribui, quādo ſub tortuoſa figura latebat Dæmon vt multis placet ſcriptoribus: iam verò pectus doctrinę ſcriniū eſt Authore Ambroſ. cùm de hoc ſerpente diſſerit lib. de Paradiſo, c. 15. *Pectus enim frequenter receſſus quidam accipitur ſapientiæ; & ideò Apoſtolus ſuprà pectus Chriſti reclinat caput;* Igitur ſi pectore proſcriptus dæmon, ſapientiâ vtique mulctatus eſt, ab aſtuto nimirum, & ſagaci in fatuum tranſiēs, Ruperto interprete lib. 3. de Trinit. & oper. eius, c. 18. *Ergo illius Maledictionis hic eſt intellectus: ſicut hoc reptile, cuius calliditate abuſus es, ſuper pectus ſuū graditur & ſeipſum in terram premit: ſic tu, cùm ſis rationalis Spiritus, rationem tuam ſēper graui fatuitate onerabis;* Nonne certè fatuus, & quaſi de ſtultiſſimis vnus, qui eſurientem Seruatorem per lapides vincere conatus ſit? cui probè inſultat P. Rauennas ſerm. 11. *Miſer, malus vis eſſe, ſed non potes; cupis tentare, ſed neſcis: eſurienti tenera offerre, non dura debuiſti, famem non aſperis palpare, ſed blandis:* Sed cur ſcientiæ ſpeciatim quaſi inflictū vulnus? Mos eſt Deo, quibus peccauit homo, ab iiſdem ſupplicia expoſcere: ergo, quoniam in tentanda fœmina ſapientiâ abuſus fuit dæmon, ſapientiæ velut diſpendiis puniendus fuerat: Sed qui fuerunt illius errores? duo nominatim: primus: velle docuiſſe, potuiſſe Creaturam ad diuinæ ſcientiæ incōprehenſam perfectionē ſcandere: Secundus, qui noſtro ſcopo fauet; vt ab hominibus inexhauſtę notitiæ profunditas conſequi valeat, putauerit tamen hanc abſque labore & induſtria aliqua, ſolius pomi eſu adipiſcendam: neque enim arbori illi, quemadmodum Theologorū vulgato conſtat placito vis inerat exacuendi ingenium: imprudētiſſimè omnino, quod ſicut Deos futuros pollicitus ſit Boni, Malíque cognitione: Sed & ſtultiſſimum pariter, quod ſuadere non ſit veritus tantam ſapientiæ gloriam comparari potuiſſe, non curâ, non vigiliis, non magnis ſudoribus, ſed inter voluptatum illecebras, inter fœminea blandimenta, dum pomi coloribus mulcentur oculi, morſu ſaginatur ingluuies.

37\. *Fatuitatis pœnâ punitur aſtutus in Serpente Dæmon, quòd Euæ malè ſuaſiſſet Sapientiam eſu pomi ſine labore comparandam.*

Ambroſ.

Rupert.

Chryſolog.



Neque heſternum in peſſimo Cacodæmone vitium: quondam & diuinam concupiſcere auſus ſcientiam: *Aſcendam* (inquit apud Iſaiam cap. 14. v. 14.) *ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo;* quibus affectaſſe diuinæ intelligentiæ ſplendidiſſimum lumen fuêre qui ſentirent; ad quam ſuperbiſſimæ Mentis ambitionē reſpicere Paulum 2. ad Philipp. v. 6. *Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, noſtri Salmeron atque Iuſtinianus, Gloſſæ Magnæ Authorem ſequuti, arbitrauêre: Verùm quicquid de huius opinionis ſolidiori Theologiâ, quoniā in Allegoria verſamur, ſufficiat ab eruditis non vſquequaque contemptam: At conſideremus, quibus viis ampliſſimam conſequi ſcientiam ſtuduerit? *Sedebo* (ait) *in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis:* Stomachatur ob hoc plurimùm Bernardus, & meritò auſis excidiſſe decernit, qui ſedendo ſcientiā adipiſci poſſe cogitarit: ſerm. 3. de verbis Iſaiæ: *Tu ſedere tentaſti, ô impie, propterea tui moti ſunt pedes, & effuſi ſunt greſſus tui:* ſerm. 5. de iiſdem verbis: *Solus ſedere valens, tanquam fulgur cecidiſti de cœlo.* Verùm quid refert ſeu ſtare tentaſſet, ſeu magis ſedere; cùm ſiue hoc, ſiue illo modo diuinam ſcientiam adipiſci impoſſibile fuerit? ita quidem eſt, ſed cùm ſibi propoſuerit quanquam ex fallaci ludibrio, vt ſcientiam illam Dei conſequeretur, præſtituto fini conſentanea media debuit adhibere: nihil autem mage inidoneum ſedentis geſtu: vt quid ita? nimirum, ex Scripturarum metaphora illi dicuntur ſedere, qui in otia atque mollitiem diſſoluuntur: Stare autem nonniſi Bellatorum eſt, qui decertare, qui in arenam prodire valeant, qui dura omnia ſufferre: quare Gregorius Papa lib. 1. in Iob, cap. 26. *Sedere* (inquit) *quieſcentis eſt; aſſurgere decertantis:* igitur malè ſani Spiritus eadem fuit dementia, qua & vſus eſt in decipiendis primis hominibus; cū non ſolum eam ſcientiam affectarit, quæ in creaturam nullo pacto cadere poſſit, diuinā vtpote, ſed nouo cumulato errore cogitarit ſedendo diſcere, hoc eſt, per quietē, atque indulgentiam: falleris, ô procax, ô inertiſſime, anguſta eſt via, & difficilis permeatu, qua ad ſapientiam pergitur: Nonne vides illos tuos olim ſodales, qui cùm in veritate permanſiſſent, Deo licet adhærentes, tamen ſtant coram ſedente in ſolio excelſo & eleuato? Iſaiæ, c. 6. verſ. 1. Nec certè pennarum ſubſidiis deſtituti, (pennæ autem doctrinæ ſymbola reputantur,) nam ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: Sub tantis adiumentis adhuc ſtant atque decertant: *Stant planè Seraphin* (inquit Bernardus loco ſuperiùs memorato,) *ſtant attoniti & ſuſpenſi in contemplatione ſedentis in throno: Tu ſedere tentaſti, ô impie.*

38\.

Iſai. 14. 14.

Ad Philipp. 2. 6.

Salmeron. Iuſtinian.

Bernard. *Diuinam Scientiam ſedendo malè ambit ſtultiſſimus Dæmon, cùm ſtet it ſi Seraphim, ſenis quanquam Doctrinarum alis inſtructi.*

*In Scriptura, ſedet otioſus, ſtat Bellator.* Gregor.

Bernard.

Vtinam non reperiantur huius ſerpentis imitatores; placet ſcientiarum fama celebris, placet nomen illuſtre, vellent orbis Magiſtri haberi, interim ſtertunt in clarum manè, confabulantur, ludunt, ventrem onerant: & tamen Beatiſſimi Eccleſiæ Patres, ſummi illi Doctores ſcholarum, cùm ingenio eſſent admirabili, cùm à natura, à gratia vberrimè inſtructi; oratione, macerationibus, ſtudio plurimo, breuiſſimo ſomno aſſequutos ſe proteſtati ſunt, eam, quam ætates omnes demiratæ ſunt Rerum humanarum, diuinarúmque cognitionem.

39. A Paradiſi ſeptis primo relegato homine, poſitus de ſupernis Miniſtris Cherub, qui lignum vitæ cuſtodiret: cur ex nouem Hierarchiis hic ordo potiſſimum delectus? percipiamus à Ioanne, quæ vitæ ratio ſit, etiam perfectiſſimæ illius, quæ finem habere neſcit: *Hæc eſt autem vita æterna,* (inquit cap. 17. verſ. 3.) *Vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum:* ergo vita in cognitione, atque notitia eſt: bene itaque quod lignum vitæ Cherub protegat, nam ſcientiæ Angelus eſt, quando & nomen plenitudinem ſcientiæ reſonat: Sed cur flammeo armatur gladio? Geneſ. cap. 3. verſ. 24. Nimirum duo ſunt, quorum furor, atque indignatio immaniſſima eſt; flamma videlicet conſumens & vorax, nunquámque hoſtis ſatiata cruore machæra: Quem igitur ſcientiarum ardor mouet, norit, per enſes, per incendia tranſeundum: ne terreat malorum facies animos egregios, Omnia cedunt virtuti atque diligentiæ; dignum eſt tantis periculis vitæ lignum: Galfridus in Catena Tilmanni ad cap. 3. Prouerb. *Si lignum vitæ eſt, qualiter apprehenditur, cùm Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem collocauerit Dominus ad cuſtodiendam viam ligni vitæ? Non deſperationem inferat, ſed deſiderium magis ingerat, conſilium ſuggerat hæc cuſtodia: opus eſt diligentiâ, opus eſt prudentiâ: nemo ſimulatoriè, nemo temerè accedat ad lignum quod à Cherubin cuſtoditur, in quibus eſt plenitudo ſcientiæ: opus eſt temperantiâ, quia gladius imminet, qui ſuperflua reſecet vniuerſa: Sed nec tepidè accedendum: magnanimitate opus eſt, & feruore, quia gladius etiam flammeus perhibetur; nihilominus ſectanda eſt iuſtitia; quia gladius verſatilis nihil diſſimulat, nihil intactum pertranſit; & nunc ſi ſic apprehenditur ſapientia; in ea viuitur, & ex ea.*

Ioan. 17. 3. *Qui ad ſcientia (in qua vita æterna) lignum vult accedere, vel in flammeum Cherub Cuſtodis gladiũ audeat.*

Galfridus apud Tilman.

40. Thronus ille Salomonis, cui nullum ſimile opus factum, de quo Reg. 3. cap. 10. verſ. 18. Iudicantis fuit Cathedra ſecundum vulgatam opinionem Explanatorum; vt concedamus, potuit tamen ſapientiæ character eſſe, nam in iudicando ſapientiæ clariſſimum enituit documentum, cùm eluſit falſæ genitricis dolos, eiuſdem tertij libri cap. 3. verſ. 27. Adhæreamus modo iudicio illorum, qui cathedram docentis in gymnaſio fuiſſe autumant; nam prælegiſſe ipſum in ſchola Ieroſolymitana oſtendimus tom. 1. Anteloq. 9. numero 21. fortaſſe autem, quanquam ebur ſatis pretioſa materia eſſet, idcirco obtexerat auro, quod nominatiſſimi Magiſtri ex aurea cathedra prælegerent; & in hunc ſenſum apud Hieronymum epiſt. 13. ad Paulinum: *Apollonius ſiue ille Magus, vt vulgus loquitur; ſiue Philoſophus, vt Pythagorici tradunt, intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas, opulentiſſima Indiæ regna penetrauit; & ad extremum, latiſſimo Phiſon amne tranſmiſſo peruenit ad Brachmanas; vt Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de Natura, de motibus ſiderum, ac dierum curſu audiret docentem.* Quorſum igitur per ſingulos huius Throni gradus hinc atque inde Leones excubias agunt? Sanè veteres illi cùm fabularentur apud Eoam plagam montes conſpici aureos, vt ſignificarent difficillimum eſſe acceſſum, ſimul comminiſcebantur à Leonibus cuſtodiri; meminit fictionis Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum: *Ganges* (inquit) *fluuius, quem Phiſon ſancta Scriptura commemorat, qui circuit totam terram Euilath, & multa genera pigmentorum de Paradiſi dicitur fonte deuehere; vbi naſcitur Carbunculus, & ſmaragdus, & Margarita candentia, & vniones, quibus nobilium fœminarum ardet ambitio: montéſque aurei, quos adire propter gryphes, & dracones, & immenſorum corporum monſtra, hominibus impoſſibile eſt; vt oſtendatur nobis, quales cuſtodes habeat Auaritia:* ergo vt doceamur, nonniſi per ingentes labores ad famam ſapientiæ inſignis, qualem repræſentat Salomon, perueniri poſſe; rectè Leonibus circumquaque munitur cathedra docentis. LXX. ſeniorum verſio Boues, aut vitulos adiunctos Leonibus indicat: *Sex gradus* (inquiunt) *throno, & prominentiæ vitulorum ipſi throno ex poſterioribus eius: & manus hinc, & hinc ſuper locum Cathedræ: & duo Leones ſtantes iuxta manus:* Societatem hanc duorum Animalium Pineda non reiectat lib. 6. de rebus Salomonis, cap. 1. numero 8. fuerint & ſimul picti boues, noſtram iuuabunt cogitationem: nam cùm ex terreſtribus Animal patientiſſimum laboris, atque onerum, quod doctrinæ ſupponatur ſolio, confirmabit opus eſſe ſapientiæ candidatis, ſi modò velint eruditione pollêre, vt vituli, atque Bouis in morem, ad difficiliora ſuſtinenda alacres atque prompti accingantur.

*Thronus Salomonis Sapientiæ ſymbolum, bobus ſecundum LXX. fulciebatur, Laborũ Hieroglyphico.*

Hieronym. *Aurea docẽtium Cathedra.*

Hieronym.

LXX.

Pineda.

Prodeant Verba Tertulliani ex libro de Patientia, arguentis pro Chriſti diuinitate contra Iudæos: nam eius recenſitâ plenâ ærumnarum vitâ à primis incunabulis, ſubinfert: *Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam huiuſmodi nemo hominum perpetraret: talia, tantáque documenta ſatis apertè probant, patientiam Dei eſſe naturam effectam, & præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis:* Pace tamen Africani Doctoris, eius non ſatis robuſta diſputatio; quid enim? ex Malorum perpeſſu velit colligamus diuinitatem: imò ſi paſſibilis Deus, quonam modo, qui ſolus habet immortalitatem, nam præter Deum cætera in nihilum redire poſſint? Eſto autem probauerint iſta quidpiam, cur validiſſimum fulcrum appellet? *Hinc vel maximè* (inquit) *Phariſæi, Dominum agnoſcere debuiſtis;* quod maximum, idem & robuſtiſſimum eſt; at non Deum fortiùs probauerit de Mundo prouidentia, cùm ſine infinito Rectore tamdiu ſtare pulcherrimam machinam impoſſibile videatur? vel cauſarum proceſſus in infinitum? Dices, ſic argumentandum, modò cum Paganis eſſet quæſtio, cum Phariſæis autem altercaturus, qui Scripturas admittebant, rectè ex principiis reuelatis ſyllogizaſſe, fides autem monet Deum paſſibilem factum: Arbitror Tertullianum non tam laboraſſe, vt Deum generaliter monſtraret, quàm vt probaret ex diuinarum Perſonarum numero ſecundam fuiſſe, quæ hominum gratiâ mortales induerit artus, quæ tot modis vexata ſit: Suadet particula illa; *Et præſtantiam ingenitæ cuiuſdam proprietatis:* nam Theologi cùm per notiones Triados perſonas ſecernant, Patrem *ingenitum* dici adſtruunt, Auguſtinum ſequuti lib. 5. de Trinitate, cap. 3. in quo autem reſplendet formaliter

41.

Tertullian.

*Ex laboribus & ærumnis ſcientiæ connexis, probat Tertullianus Chriſtum eſſe Deum, Patriſque ingeniti Verbum, Sapientiam ſcilicet increatam.*

Auguſtin.

&



& ex vi proceſſionis præſtantia ſeu dignitas genitoris, hoc eſt ipſa eius natura; filius eſt, cui germanum, eſſe originem viuentis à viuente in ſimilitudinem Naturæ; dicens itaque, eum qui talia paſſus ſit, eſſe, in quo ingenitæ proprietatis refulgeat præſtantia, ſecundam inter diuinas ſubindicat Perſonas: Sed quare hæc ſingulariter eſſe debeat, quam proclament flagella, alapæ, ſputa, cruciamenta? nempe ſecunda Perſona eſt, quæ per intellectum procedit, proinde, vt Verbum & Dictio, quæ ad ſcientiam pertinent nomina: Atqui laborum tolerantiæ cognata eſt ſapientia, quæ velut Merces quædam egregiæ patientiæ & Mortificationis: commodè igitur poſtquam diuinam eſſe Perſonam ſubintulit, non niſi ſecundam eſſe potuiſſe deduxit; nam cum ærumnis connexa eſt ſcientia; ea igitur, quæ moleſtabatur, Perſona eſſe debuit, quæ ratione ſuæ emanationis vt Verbum & Dictio procedit, cui ob idipſum peculiari iure communicati ſunt diuinæ ſcientiæ theſauri: huiuſmodi verò Perſona eſt ſecunda de tribus æternis.

---

*Non eſſe tam ſanctum aliquem cœtum ſub mortali exilio, in quo non bonis permixtus Malorum quiſpiam.*

## Sectio III.

42. QVid Salomonis pellibus gratiâ comparandum, dicantur Tentoria, ſeu veſtes, ſeu thalamus? quàm nobile opus, quàm decorum! Quod ſi his dignæ conferri ob raras virtutes familiæ perfectiſſimæ, in quibus viget ſeuerioris diſciplinæ ardor, cur nigræ referuntur, quæ tam ſpecioſæ? num propter impiorum conſortia? planè vel ab vno eorum. Quàm pulcher cœtus ille virorum Apoſtolicorum ſub Ieſu Magiſtro! quid illo conuentu ſublimius? niger tamen erat ob Iudam Proditorem: vis intelligere quemadmodum tenebroſus fuerit? Eiecto Iſcariota de concilio illo inclamat Saluator: *Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.* Ioan. c. 13. verſ. 31. quomodo clarificatus, ſi nondum caligo abceſſerat? nam eodem loco monuit notanter Euangeliſta: *erat autem Nox?* indepulsâ igitur nocte vndenam progreſſa eſt claritas? Verùm congregationem illam non obſcurabat Nox materialis hæc, fulget enim & inter denſiſſimas tenebras Virtus, ſed Iudæ peccatoris Societas, quare illo exterminato lux plena reſplenduit: Auguſtinus Tract. 62. in Ioannem ſub fine: *Erat autem Nox; & ipſe, qui exiuit erat Nox; cùm ergo exiſſet Nox, ait Ieſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis:* iterum ſequenti Tractatu: *Video hìc aliquid, quod præfiguret magnum aliquid: Exijt Iudas, & clarificatus eſt Ieſus; exijt filius perditionis, & clarificatus eſt filius hominis; ille quippe exierat, propter quem dictum erat eis; & vos mundi eſtis, ſed non omnes: exeunte itaque immundo, omnes mundi remanſerunt, & cum ſuo Mundatore manſerunt, tale aliquid erit, cùm victus à Chriſto tranſierit hic Mundus, & nemo in populo Chriſti remanebit immundus, cùm zizanijs à tritico ſeparatis, iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno Patris eorum;* Si igitur nec in illa paucorum diſcipulorum fortunatiſſima ſchola defuit bipedum nequiſſimus Vnus ſub tali Antiſtite; Quis gloriabitur cœtum ſe habere, in quo nemo filius iniquitatis? Beatus cui cœli Rector ita indulſerit; ſin verò oppoſitum contingat, vt ſæpiſſimè euenit, meminerit nec Chriſti obfuiſſe gymnaſio malitiam ſcelerati furis; ſed & Sponſam formoſiſſimam dici, nempè, cuius pulchritudo æmula venuſtatis pellium Salomonis: Nec tamen propterea Nigra eſſe deſinit, quoniam in area eſt adhuc, & frumento commixta eſt palea. Idemmet Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 32. *Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum, fuſca ſum, vt Tabernacula Cedar; ſpecioſa ſum, vt pelles Salomonis: Non enim ait; fuſca fui, vt Tabernacula Cedar, & ſpecioſa fui vt pelles Salomonis; ſed vtrumque ſe eſſe dixit propter temporalem vnitatem intra vna retia piſcium bonorum & malorum.* Ita viuendum eſt ſub huius incolatus tempore: ſcitè Petrus Bleſſenſis epiſt. 45. *In terra Solymitis habitat Iebuſæus: in grege Iacob animalia alba & nigra: in horto Patrisfamilias ſimul ſunt Abies, vrtica, & Myrtus; in area Domini granum cum palea: in cella Chriſti vinum cum azymis, oleum cum amurca.*

*Vt in pellibus Salomonis tã ſpecioſis, aliquid nigredinis; ſic vel Chriſti cãdidiſſimũ Collegium obſcurat vnus Iudas, quo abeunte clarificatur filius hominis.*

Ioan. 13. 31.

Auguſtin.

Auguſtin.

Petr. Bleſſ.

43. Ex Aquarum materia productæ volucres, formati & piſces; diſpar habitatio: Alites nobiliſſimam ætheris ſortiti Regionem liberâ fruuntur aurâ, & Olympo penè ſe inſerere volatu anhelant: piſces vndarum lacrymoſo ergaſtulo concluſi tantùm non inferna penetrant: cecinit eleganter Ambroſianus Hymnus Eccleſiaſticis notiſſimus:

*Magnæ Deus potentiæ,*
*Qui ex aquis ortum genus*
*Partim remittis gurgiti,*
*Partim leuas in aera:*
*Demerſa lymphis imprimens,*
*Subuecta cœlis erigens,*
*Vt ſtirpe vna prædita*
*Diuerſa rapiant loca.*

Spiritalem intellectum ſubminiſtrat Hugo Victorinus in Catena Tilmanni ad cap. 2. Geneſeos: *Duo ſunt genera Animantium, quæ ex vna origine prodeunt, ſed non vnam manſionem ſortiuntur: piſces in originali ſede permanent; volatilia ſurſum tolluntur quaſi ſupra id, quod facta ſunt: ſic de vna maſſa corruptibilis naturæ vniuerſa generis humani propago trahitur; ſed alijs deorſum in ea, in qua nati ſunt, corruptione iuſtè relictis: alij ſeorſum dono gratiæ ad ſortem cœleſtis patriæ eleuantur.* O deplorandam acerbitatem! Eiuſdem in Eccleſiæ Catholicæ gremio nati, iiſdem roborati Sacramentis, certè quòd ad Matrem dulciſſimam ſpectat, & tamen hæc pars ſuper aſtra volitat, illa in Tartarum deſcendit, & ſtirpe vnâ prædita diuerſa rapiunt loca: Heu! ſi & in loco ſanctorum, inter eos qui pennis aſſumptis à ſæculo elongauerunt ſe, & facti ſunt velut oues occiſionis ob militiæ, cui ſe adſcripſerunt onera grauia omni habenti Carnis ſenſum, & Iudæ deliteſcat aliquis infelix ſocius! quem non reuocare à malitia valeant exempla fratrum, non domus Religio, non hortamenta plurima, non timor gehennæ! Siccine exordiri placeat in hoc Mundo Stygis labores, cùm in Monaſterio præter animæ ſaturitatem, cætera dolor atque tormentum, quia de ſæculo nihil eſt?

*Ex aquis & volucres & piſces creati; in aquis immerſi remanent piſces; in cœlum eleuantur volucres: Sic ex eadem maſſa homines educti quàm diſſimiles induunt mores.* Ambroſ.

Hugo Victor. Tilman.

Sæpè dum hæc perpendunt viri ſpiritalium diuitiarum, contremiſcunt totis artubus, videntes nullam penè ſufficere diligentiam, vt non perrumpat Satan in Caſtella etiam munitiſſima, & diſſipet aliquid: verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Cùm diluuio orbem purgare ſtatuiſſet Deus ſuperuicturum Noë Arcam ingredi iuſſit cum vxore, tribúſque filiis, & illo- 44.

Geneſ.7.
*Adulti omnes qui diluuio extincti fuêre, peccatores erant.*
Pererius.

rum contoralibus, Geneſ.c.7.verſ.7. quamobrem non de cognatis & affinibus Noë alios excepit, qui ſeruarentur etiam? Annon habuit alios multos ſanguine connexos? cur non eius in gratiam ſeruati? nempè ſcelerati erant, nam fuiſſe peccatores adultos omnes, quos vndæ cooperuerunt, oſtendit Pererius lib.9. in Geneſ. cap.6. diſput.3. num.63. ſed eſto fuiſſent impij, quamobrem eis iuſti Religio non profuit? ſolet enim Deus malis, Sanctorum ob merita condonare: Equidem voluit Deus Mundum innocentiæ reſtituere, in quo deinceps pietas vigeret: ne igitur derelictâ aliquâ ſcabioſâ oue grex totus contaminaretur, impiam omnem progeniem deleuit. Vide quantùm procuret Numen, vt fundamenta noui orbis eiuſmodi ſint, quæ egregij ædificij molem promittere valeant, in quo habitatura ſit iuſtitia & pax! At qualis euentus rerum? donec quidem Arcæ latera fluctus decumani verberabant, & Mors ſæuam exercebat ſtragem, gnati omnes modeſti, & in Parentem officioſi: vbi periculo liberati, factus eſt ſcurra, & venerandi ſenis irriſor nequiſſimus Pater Chanaan: exin in diem hanc commiſtio Malorum Bonorúmque: *Hac fuit prima gens* (ait Lactantius lib.2.diuinar.Inſtitut.cap.14.)*quæ Deum ignorauit, quoniam Princeps eius, & conditor, cultum Dei non accepit, maledictus à Patre: itaque ignorantiam Diuinitatis Minoribus ſuis reliquit:* Heu! quoties his ſimilia contingunt viris, in quibus eſt zelus Dei! offendicula remouent, euellunt ſentes, campum purgant, luxuriantia amputant, vt dicere poſſint, quid vltrà facere potui vineæ meæ? cúmque ſe habere filios dilectionis arbitrabantur, cœtum fidelem, & impollutum; de inſperato lepra appareret, proſilit homo ſceleſtus aliquis & coguntur patienter ferre, abyſſum diuinorum iudiciorum venerati.

*Statim à diluuio Cham peſſimus, impollutum hominum cœtum leprâ infecit contagioſa.*
Lactant.

45. Matth.13.25.
*Poſt omnem ſeruorum diligentiā, poſt vigilem Heri curam, apparent tamen zizania in medio tritici.*

Nihil tam mirabile atque illud, de Matthæi Euangelio cap.13. verſ.25. *Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo:* at vide, quid paulò inferiùs ſubdat: *cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania:* demirantur plurimùm cultores agrorum, & exclamant attoniti; *Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti?* Annon hic campus ille tantâ diligentiâ à nobis ſubactus, tanto renouatus ſtudio? Nonne, cùm grana frumenti proiiceremus in ſulcos, conati ſumus pro virili, ne adulterinum aliquid commiſceretur? *vnde ergo habet zizania?* certè Paterfamilias vt ſeruorum probet induſtriam, & timore exſoluat, reſpondet: *Inimicus homo hoc fecit:* vos famuli operam nauaſtis egregiam, vos omnem adhibuiſtis prouidentiam, nihil à vobis prætermiſſum, quod benefacere poſſit, & Agricolæ ſpem alere: nihilominus, ecce zizania repleuerunt ſegetem: dæmon hoc fecit acerbiſſimus virtutis hoſtis: cernis, vt poſt adhibitam omnem penè curam notha ſynceris iunguntur? Expendit fusè Chryſologus ſerm.96. in hanc parabolam: *Et quia longum eſt* (ait) *ire per ſingula, vel paucis aperire compellimur; inimicus qualiter bonis mala, virtutibus vitia, vitalibus mortalia noſtram ſemper ſuperſeuerit ad ruinam:* Aſſerat tamen quiſpiam deſidiâ contigiſſe, vt Aduerſarius noxia bonis ſeminibus intermiſcuerit, nam *cùm dormirent homines, venit, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici:* vbi ſomnus, ibi pigrities: ipſorum igitur tribuendum negligentiæ, quod in vtramque aurem ſterterent latrone aduentante; verùm dormierint famuli, at Herus vigilabat, Herus ille, cuius lumina claudi nequeant, cuius nihil latêre comprehenſionem valeat: *Sed quis fecerit* (inquiunt ſerui apud Chryſologum ſerm.97.) *qui ſolus non dormis, nobis dormientibus tu vidiſti:* vidit certè, atque permiſit, qui præpedire poterat: habeant iuſti conſolationem, non permittit mala Numen, niſi vt bona eueniant: proſequuntur famuli interrogantes apud Chryſologum: *Et tu, quare hoc cùm videres Domine permiſiſti? quare? quia timere fraudes non poteſt, cui nihil poteſt deperire: & quia plus eſt myſtica diſcernere, quàm prohibêre myſterium: maius eſt reparare perdita, quàm illæſa reſeruare: ſimul, quia oportet Zizania eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.*

Chryſolog.

Chryſolog.
*De zizanijs ſcit Deus bona elicere.*

46. Verùm, quouſque ſimul triticum, & zizania? ſanè, vſque in Meſſis tempora, iudicium ſcilicet Dei, vt Patres vulgatè exponunt, quoad ſæculum finiatur. Intuêris vt Creator ſub æui initio diuiſerit aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum? Geneſ. cap.1. v.7. cur non ſtatim ac produxit, ſeparauit etiam? aut quare intermiſtas eſſe tam citò doluit? nempè coniunctarum aquarum prima illa tempora ſubindicant vitæ huius curriculum, in quo pretioſa vilibus aſſociantur: veniet examinis periodus, cùm de laticibus alij ſuper æthera transferantur, vbi nulla corruptio, inquinamentum nullum; alij deorſum mittantur in loca cœnoſa & fœtida: auſcultemus Anaſt.Sinaitæ alia multa producenti exempla mundanæ conditionis lib. 2. Hexam. *Si autē non veriſimilis videatur oratio, oſtendo tibi in ſingulis ſex dierum Deum feciſſe aliquam huiuſmodi ſeparationem, exemplorū multitudine fortè te liberaturus ab incredulitate: primo ergo die facta eſt ſeparatio lucis à tenebris: ſecundo die facta eſt ſeparatio aquæ ab aquis; tertio, ſeparatio terræ ab aquis: quarto, ſeparatio luminariū inter diem, & noctem: ſexto die, diſtinctio & diuiſio hominum, & volucrum: quòd ſi non facilè admittas per omnia ſignificari diuiſionem Eccleſiæ ab errore, & incredulitate: dic mihi, quanam de cauſa, aut quid opus erat Deo res coniungere, & deinde eas à ſe, inter ſe ſeparare ſecundo ordine? hoc enim eſt ſignum Artificis minimè ingenioſi:* Cùm verò Eccleſiam liberandam affirmat iis, qui vel in errore, aut incredulitate verſantur, intelligit de Eccleſia electorum, quæ nullam vel rugam, vel maculam ſuſtinet; hîc interim agendum cum incredulis & errantibus: ſic expedire famulis Dominus memoratâ nuper zizaniorum parabolâ ſignificauit, cùm properantes vt zizania euellerent, prohibuit, & iuſſit vt in tempus meſſis ſinerent creſcere vtraque: mutuemur quoque exemplorum aliam partem à Drogone libello de Sacramento Paſſionis: *Quid enim Columbæ, & Coruo? quid candido & nigro? quid Iudæ, & Ioanni? quid Chriſto, & Belial? & tamen Chriſtus inter Iudam, & Ioannem medius ſedet; inter electum, & reprobum latronem medius, & Noë inter Coruum & Columbam;* vtique ob Corui ſodalitium Arca Noë, quæ Eccleſiam repræſentat iuxta noſtrum Carmen, nigra velut Tabernacula Cedar: ob Columbæ argentatas pennas, eadem formoſa ſicut pelles Salomonis.

Geneſ.1.
*Zizania tritico, vile pretioſo ſociatur in hac vita, vſque in diē Iudicij.*

Anaſt.Sinaït.

Drogo.
*Chriſtus ipſe inter Ioānem & Iudam: in Cruce inter electum & reprobum.*

*Iuſtorum emolumentis etiam inimicos famulari euentus: vel ex peccatis lucra conſurgere.*

## SECTIO IV.

RArum hoc, & in fœmina præſertim, vt non vereccundetur pro nigredine, glorietur quodammodò:



47. dammodò: ô ſortem Iuſtorum beatiſſimam, quibus etiam Hoſtilia ſubminiſtrant in bonum! An non gloriari Ioſephum in ſeruitute, in exilio, in ſqualore Carceris æquum ſit, ſine quibus potens non fuiſſet, & Ægyptiorum Regi chariſſimus? quæ deturpatura videbantur, formoſum reddiderunt; fames, ægritudo, bonorum deſpoliationes, verbera, conuitia, hominibus ſæculi nigredo ſunt, & putant deformes Animos his vexatos malis; nec tamen ſtultiſſimi percipiunt, ne in corporalibus omnem nigredinem vitioſam iudicari: Bernardus ſerm. 25. in Cantica: *Non omne denique quod nigrum eſt, continuò deforme eſt: nigredo (verbi cauſâ) in pupilla non dedecet; & nigri quidam lapilli in ornamentis placent; & nigri capilli candidis vultibus etiam decorem augent, & gratiam: ſic tibi quoque facile eſt aduertere in rebus innumeris:* & fortaſſe ſpiritui non licebit, quod corpori conceditur? At pœnæ damna iuuerint; quid, inquies, facturum ſit culpæ Malum? ſcilicet, cùm vel Petrus negauit Magiſtrum, aut Thomas incredulus extitit? Hinc quoque enata commoda maxima; nam & cautiores redditi, qui corruerunt; & ſuperbiæ, ſi quis ſuperſtes halitus, extinctus; & tepor lentæ Mentis ſuffugatus: denique de Thoma celebre eſt Gregorij Romani effatum, aſſerentis hom.26.in Euang. *Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium diſcipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, noſtra Mens omni dubitatione poſtpoſitâ, in fide ſolidatur:* ita igitur vel ruinâ meliores euadunt iuſti; quare Bernardus memorato iam ſerm. quod & in nigredine complaceat Sponſa intuens, videlicet in humilitate, & tribulationibus, inque ſequutis ex peccato vtilitatibus: *At non in ſolo fortaſſe candore* (inquit) *interno, ſed in exteriori etiam nigredine gloriandum; ne quid omnino ſanctis depereat, ſed omnia cooperentur in bonum.*

*Eſt aliqua etiam nigredo decora.*

Bernard.

*E peccato quoque eruitur cautela maior, humilitas profundior, diligentia vigilantior, inſtructio plenior.*

Gregor.

Bernard.

48. Geneſ.1.5.
*Vt in Geneſi ex veſpere & manè ſit dies; ſic lucido Iuſtorum diei veſpertinæ deſeruiunt vmbræ.*

Moyſes temporum exordia delineans: *appellauit* (dicit Geneſ. cap.1. verſ.5.) *lucem diem, & tenebras noctem, factúmque eſt veſpere & manè dies vnus:* ſed cùm ex claritate diem nuncuparit, quamobrem ex veſpera conflatum aſſerat? nam de manè id quidem rectè, ſplendoris enim fons eſt; veſpera autem tenebras arceſſit; cur non igitur ad noctem potius veſperam retulit, quando obſcuritati præcurrit, ſicut Aurora luci? Anne hic iuſtorum myſticè dies? certè & ipſi crepuſculum habent, denoctantur aliquando à peccatorum caligine, vincuntur, ruunt, maculantur, & tamen ad diem etiam veſpertinæ deſeruiunt vmbræ: non ex Aurora tantùm dies, ſed pariter ex veſpera; poſtquam ceciderunt, fulgent illuſtriùs, vt non tam reperiſſe offendiculum in via cogites, quàm ſtimulos ad currendum fortiùs, & velociùs: Stephanus Cantuar.in Tilmanni catena ad cap.1. Geneſ. *Quando iuſtus errat, cadit, & eſt veſper gratiæ; quando reſurgit, manè: Nec fit mentio de nocte: quia, ſi fueris iuſtus, & cadas, & reſurgas, Deus ex veſpere & manè vnum diem reputat, non noctem mortalis peccati computat iuxta promiſſionem ſuam; quacumque horâ ingemuerit peccator,* &c. ſed quorſum à veſpera auſpicatur diem? *factum eſt* (ait) *veſpere, & manè dies vnus:* Annon principium diei Aurora in omni gente & natione, quæ ſub cœlo eſt? variis modis Literæ nodum Patres, atque Theologi diſſoluunt apud Pererium lib.1. in Geneſ. ad verſum 5. num.18. ad ſpiritalis diei ſignificationem aptiſſimè. Habent iuſti ſuos dies, habent & peccatores; ſed Malorum dies à luce & pulchritudine auſpicantur, deſinunt in tenebras, eorum dies ordinarius hic eſt, à manè inceptans, cuius finis veſpera: quid enim dum ſalute fruuntur in eorum tabernaculis non ſplendidum, non voluptuoſum, non titillans? excipiunt formoſa hæc turpiſſimi exitus: Apud iuſtos initium eſt ſubobſcurum, in laboribus hominum ſunt & flagellantur, incubant tenebræ & horror, ſed lux interminabilis eſt, vtpote clarum manè pariens ſub extrema periodo, idcirco de tali die Moyſes, *factum eſt veſpere & manè dies vnus:* omnino ad ſimilitudinem huius diei Sponſa, & ipſa à tenebroſis inchoauit: non enim priùs formoſa vt pelles Salomonis: ſed poſtquam nigram ſe pronunciauit velut Tabernacula Cedar, tum de pulchritudine ſubiunxit, quaſi poſt veſperam manè inferens.

Steph. Cant.
Tilman.

Pererius.
*Malorū dies à manè inceptus in noctem præcipitatur: contrà, Iuſtorū dies, à veſpera ducitur in clarum manè.*

Adhortatus ad patientiam iuſtos Seruator, Matth. cap.5.verſ.39. *Si quis* (inquit) *te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram:* qualem alteram? num dexteram ſecundam aliquam genarum? ita Caſſianus collat.16. cap.22. *Siquidem Dominus noſter, atque Saluator ad profundam nos inſtruens Patientiæ, lenitatiſque virtutem; id eſt, non vt labijs eam tantummodò præferamus, ſed vt intimis Animæ noſtræ abditis recondamus; iſtam nobis perfectionis Euangelicæ formulam dedit, dicens: ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, ſubauditur ſine dubio* [*dexteram*]*:* At in homine, num præter duas maxillas, alia? ſed harum, vna eſt ſiniſtra, altera dextera: vbinam igitur binæ maxillæ dexteræ? eas tamen Caſſianus ſubdiuidit, quarum aliam corporis facit, alteram Mentis; docet autem ferendas iniurias non tantùm externâ patientiâ abſtinentes ab ictibus, & conuitiis, ſed corde euomendum omnem rancorem: Multi enim deforis verecundiam ſimulant, quorum præcordia felle abundant: *Quæ alia dextera* (proſequitur ille) *niſi interioris hominis, vt ita dixerim, facies poteſt accipi? per hoc omnem penitùs iracundiæ fomitem, & de profundis cupiens Animæ penetralibus extirpare; id eſt, vt ſi exterior dextera tua impetum ferientis exceperit; interior quoque homo per humilitatis aſſenſum dexteram ſuam præbeat verberandam, compatiens exterioris hominis Paſſioni, & quodammodò ſuccumbens; atque ſubijciens ſuum corpus ferientis iniuriæ, ne exterioris hominis cæde vel tacitus intrà moueatur interior:* Verùm nobis commodior Hieronymi explanatio, iuſto ſpiritaliter omnem prorſus neganti ſiniſtram maxillam: *Secundum myſticos intellectus* (ait ad cap.5. Matthæi) *percuſsâ dexterâ noſtrâ, non iubemur ſiniſtram præbêre; ſed alteram; hoc eſt, alteram dexteram; iuſtus enim ſiniſtram non habet;* Sed vt iuxta Allegoriam interpretemur, quo pacto nihil læuum in iuſto, cùm nonnunquam mortifero contaminetur næuo? Annon ſiniſtri aliquid Malorum diluuia, cùm perſequutio inſtat, cùm mors, cùm infamia? Verùm ſanctis hæc funeſta non ſunt, proinde nec læua, quia tandem in bonum vniuerſa conuertuntur, bonum illis de nuditate, bonum de ignominiis, bonum de vulneribus, bonum vel ex ipſo peccato: hoc eſt, nihil in eis ſiniſtri eſſe, ſed cuncta dextera.

49. Matth.5.39

Caſſian.
*Iuſtus in dextera maxilla percuſſus, debet de Chriſti conſilio dexterā alteram præbere: non læuam, quippe cui nihil ſit læuum, cùm omnia in bonum conuertat.*

Caſſian.

Hieron.

Quàm graui plagâ ictus Dauid, cùm ex viro ſecundum cor Dei, factus eſt ſimul homicida atque Adulter? Num ex præcipitio fructus aliquis? cumulatiſſimus profectò: ſitiebat optimus Princeps, & concitante ardore prorupit in vocem: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxta portam!* delati ad eum concupiti latices; at ille noluit bibere, ſed libauit Domino, 50.

2.Reg.13.16.
*Dauid ex adulterio ita ſit cautus, vt vel frigidæ aquæ delitias in ſiti reſpuat.*

Reg.2.

Reg.2. cap.23. verſ.16. cur ſitim non extinguit? fortaſsè amaræ, aut turbidæ erant lymphæ? nihil eis ſplendidius, nihil ſuauius: vide prioris lapſus commoda: recordabatur, grauiſſimè quondam ſauciatum ſe ab Aduerſario, quòd negligentior extitiſſet in coërcendis ſenſibus: vt igitur cautiorem ex ruina factum intelligeremus, tantùm abeſt imbecilliorem reddiderit, modò ne licita quidem admittit; ſic quibus Hoſtis proſternere nitebatur, euehit, & quæ exitium allatura videbantur, iuſtorum proficit incrementis: Chryſoſtomus in Pſalmum 50. *Vides, quomodo à priore concupiſcentia eruditus prudentior in poſterum factus ſit? Nam, qui corporum cupiditate priùs flagrauerat, aquam iam minimè appetebat: imò appetebat quidem, ſed appetitionem frangebat: neque enim hoc dico, quòd à concupiſcentia alienus fuerit; ſed quòd ſapientiæ ope, concupiſcentiâ ſuperiorem ſe præbuerit, nec Aquam eam deguſtarit:* Concinnè dixerat: *à priore concupiſcentia eruditum*; quoniam enim de Electorum numero erat, quod paſſus eſt tentamenti, adeò non læſit, vt Pædagogus illi factum ſit, & illuminauerit in poſterum: Verùm ſi tam cautus, vt non ſolùm fœminarum amore deinceps non arſerit, ſed vndarum expauerit deſiderium, quamobrem ſub vitæ extrema Periodo torum conſcendere permiſerit Abiſag Sunamitidem, quâ nulla comptior Virgo in toto Iſraël? Reg.3. cap.1. verſ.3. Fœdum, in ſene præſertim, iuuenculam deperire: At certè hinc maximè commendatur Rex ille; nam cùm vxorem duxiſſet ſeu fuerit primaria, ſiue de Concubinarum multitudine, cùm vnà dormiret, quod poterat ſine crimine, ad eam non acceſſit, vnde Textus verſ.4. *Erat autem Puella pulchra nimis, dormiebátque cum Rege, & miniſtrabat ei, Rex verò non cognouit eam:* non forma allexerat, non obſequia delinierant, non vicit familiaritas. Cernis, quàm fortis in ſenili ætate, qui in medio vitæ curſu tam imbecillis extitit, vt viſam Bethſabæam concupierit impotens? forſan ideò nunc tam validus, quia diſcretum fecerat culpæ verecundia, quia egregiè feruidum, & in ſe piè iraſcentem: ita iuſtis ſuis attemperat euentus Pater cœleſtis, vt nihil ſit, quod non proſit, & quæ nocitura videbantur, mirabiles afferant prouentus: Bachiarius libro de Recipiendis lapſis, aliàs ep. *David, cùm in adoleſcentia ſua cum Adultera deprehenſus ſit, in ſenectute cum Virgine inuenitur: vt intelligamus, quòd poſt peccatum longa caſtitas imitatrix eſt Virginitatis.*

Chryſoſtom.

*Qui alienam vxorem corruperat, nec ſuam poſtea ſecum dormientē, eámque pulcherrimam cognoſcit Dauid.*

3.Reg.1.14.

Bachiar.

51. Alloquitur Michæas captiuos Hieroſolymitanos Ciues, cap.4. verſ.10. *Dole & ſatage filia Sion quaſi parturiens: quia nunc egredieris de Ciuitate, & habitabis in regione & venies vſque ad Babylonem; ibi liberaberis; ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum:* Emphaſim habent illa verba: *ibi liberaberis, ibi redimet te:* hoc eſt, cùm omni ope deſtituta viderêre Sion, eò quod vndique cingerent inimici, quorum vires ingentes; tum adero propitius, & vindicabo: potui ſanè facere, ne Aſſyrij tranſportarent, ne ſub iugum mitterent, ſed non adeò glorioſa tu euaſiſſes, niſi Mala comprehenderent: nempe Ciuitas ſancta, proinde electorum meorum, quos permitto interdum ſuperari à dæmone, typus: Quid verò in his illuſtre? nempe, vt cùm depreſſi videbantur, caput erigant; cùm abſumpti, incolumes appareant; O certè niſi in Babylonem veniſſent, ſpe quadam ſuæ iuſtitiæ deluſi, ſuperbirent, & diuites ſe putarent qui miſeri eſſent; ob hoc igitur, vel quoniam tepidi ſunt, & dormitant, nonnunquam ſino in peccatum cadere; ſed quoniam iuſti mei ſunt, quos prædeſtinaui, non eſt ad condemnationem ruina; eruo illos in mirabilibus: ô Sacramenti ingens pondus! vt Babylon libertatem pariat, quæ ablatura videbatur; & niſi in Voraginem ſcelerum prolapſi fuiſſent, fortaſſe præclarâ ſanctitudine nunquam fulſiſſent: quo verò id pacto contingat, declarat Gregorius Papa, memoratum verſum Prophetæ exponens hom.10. in Ezechielem propè medium: *Sæpè enim quis* (inquit) *poſtquam in confuſionem vitiorum ceciderit, erubeſcens mala quæ perpetrauit, ad pœnitentiam redit, séque à ſuis lapſibus bene viuendo erigit: in Babylonem itaque veniens, liberatus eſt, qui per diuinam gratiam oſtenditur etiam de confuſione ſaluatus.*

Mich. 4.10. *Sionitas cùm maximè depreſſi videbātur, erigit Deus; ſic electos ſuos vel ex ſcelerum voragine eruit in mirabilibus.*

Gregor.

52. Poſt ſacrificium Animalium, volucrúmque, cùm ſopor occuparet Abram dictum ad eum: *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubijcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis,* Geneſ.cap.15. v.13. O longam planè captiuitatem: Hi ſunt filij Iſraël, quos Pharao in Ægypto vexauit: proh! qualia paſſi, quibus ne paleæ dabantur! Sed quoniam populus erant fidelis, gens veri Numinis adoratrix, apud quos iuſtitia, cedunt demum vniuerſa in commodum, quare ſubannexum protinus: *Verumtamen gentem, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo; & poſthæc egredientur cum magna ſubſtantia,* nimirum auri, argentíque ſupellectile, & veſte pretioſâ onerati; atque iſtud ſanè in temporalibus, & perituris bonis: referamus ad ſpiritalem intelligentiam. Iſraëlitæ virtutum Amatores ſunt: Hi aliquando vel ob faſtum, vel ob teporem, aut propter ingratitudinem in peccata horrida labuntur, ſed qui electorum gregis portio ſunt, reſipiſcunt tandem ad vocem compellantis Dei & obloquentis nunc in ſonitu formidinis, nunc in Spiritu lenitatis: At quomodo locuplete euadunt ex naufragio, nam aſcendunt de Abyſſi profundo magna cum ſubſtantia: Orant nunc crebriùs, ieiunant fortiùs, vigilant longiùs, caſtigant corpus ſuum & redigunt in ſeruitutem Mentis, verecundi ſunt, mites, pauperes, poſtremò de cœlo omnis eorum conuerſatio: medius fidiùs rectiſſimè inter Prædeſtinationis effectus peccati enumeratur permiſſio à bonis Theologis: ô præclarum Artificem Deum, qui gratiæ ſubtractionem ad ipſius gratiæ & perſeuerantiam, & auctuarium deſeruire cogat: egregiè Auguſtinus lib.14. de Ciuit.cap.13. ad finem: *Et ideò audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile, cadere in aliquod apertum, manifeſtúmque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo, ceciderant: ſalubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit, quàm ſibi placuit, quando præſumpſit; Hoc dicit & ſacer Pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: id eſt, vt Tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerunt, quærendo ſuum:* Verùm quo pacto allata Geneſeos verba declaret Richardus Victorinus Tractatu de ſacrificio Abrahæ percipiamus: *Per ſemen Abrahæ, intellige ipſas virtutes, vel virtutum æmulatores: Nonne virtutes ipſæ Pharaoni deſeruiunt, quando ſiniſtrâ intentione fiunt, & per hypocriſim deprauatæ nil niſi mortis lucra conquirunt? Nonne ſemen Abrahæ Pharaoni in luto, & latere ſeruit, quando quilibet fortis æmulator virtutum in modum Dauid, in aliquod flagitium cadit? Valdè ſiquidem eſt rarum, & verè paucorum magna agere, nec ſe magnum putare; multis præminere, neminem*

Gen 15.13.

*E captiuitate Ægypti locupletior educitur Iſraël.*

*Superbis quomodo vtile ſit cadere?*

Auguſtin.

Riccard. Victor.



*neminem deſpicere: vaſa itaque miſericordiæ cùm incipiunt de ſuis meritis intumeſcere; piâ diſpenſatione cadere permittuntur, vt diſcant humiliter ſapere, & de ſua infirmitate vera ſentire: & eouſque oportet te, Pharaoni, Ægyptiiſque ſubeſſe, vitijs, vitiorúmque incentoribus deſeruire; donec plena experientiæ Magiſterio docearis in cauendis, vel corrigendis malis, in obtinendis, vel conſeruandis bonis, nil omnino de tua virtute præſumere.*

53. Deſcendebat in Ægyptum Abraham, & veritus gentem ſcortationibus & adulteriis aſſuetam, cùm eſſet in comitatu, tori conſors Sara, cuius formæ excellens pulchritudo, rogauit, vt eius ſe nominaret ſororem, ne ſi vxor intelligeretur eſſe, mortem ei intentarent, Geneſ. cap.12. verſ.12. tanto autem perculſum timore Rabbini comminiſcuntur apud Lyranum, vt dicant; *quòd Abraham nihil omittens de his quæ poterat facere ad conſeruandam Caſtitatem vxoris ſuæ, incluſerat eam intra vnam Arcam, ne videretur ab Ægyptijs, quos ſciebat eſſe luxurioſos: ſed cùm perueniſſent ad quoddam Paſſagium, vbi ſcrutabantur ea, quæ ferebantur, cuſtodes paſſagij aperuerunt Arcam illam, & viderunt quod illa mulier eſſet apta coniugio Regis propter ſuam pulchritudinem; & ideo ſubditur, & nunciauerunt Principes Pharaoni, id eſt, prædicti cuſtodes Paſſagij Regi Ægypti:* ſed rerum exitus qualis ſub tantâ trepidatione? *Abraham verò* (inquit Textus) *benè vſi ſunt propter illam.* O conuerſionem Abrahæ debitam iuſtitiæ! ob Saram metuebat interfici; & propter Saram non incolumitatem modò, ſed & diuitias conſequitur multas, *nam fuerunt ei oues, & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ & cameli.* Conſideras, vti Numen pro iuſtis inuigilat, & quæ necem Malorum vltimum cauſatura videbantur, vnà cum ſalute iucunditatem afferant? quin & Pharao ſuperbus Monarcha, cùm aduerſùm Patriarcham concitari poſſe videretur, quod ab eo deluſum ſe putaret, cùm eam quæ vxor fuerat, ſororem docuiſſet; tamen, ne tum etiam potentiâ vti in ſæuitiam auſus fuit, Deo protegente ſeruum fidelem; qui tyrannum impulit, vt poſtquam nouerat id, quod maximè latêre Abraham ſtuduerat, Saram nempè vxorem eius eſſe, quam morti occaſionem futuram ſuſpicabatur, ſed non tantùm ſaluam atque illæſam dimiſerit, quæ acceperat dona, ſecum ferre permiſit.

*Vnde ſibi mortem metuebat Abraham: inde ſalutem, iucunditatem, diuitias elicit.*

Rabbin. apud Lyranum.

## *Qui aliorum mores correcturus ſit, expedit ipſum ab omni culpâ liberum eſſe.*

## SECTIO V.

54. Ex Authoribus, qui Nigredinem Sponſæ etiam pellibus Salomonis adumbratam cogitarunt, quod extimam partem, temporum iniuriæ nitore omni deſpoliaſſent, Origenes vnus eſt hom.2. ex quattuor ſub initio; quo loci atrorem eum, nouæ Nuptæ idololatriam interpretatur, vt quæ ementitam diuinitatem olim coluerit: & quanquàm id quidem vituperio digniſſimum; iniuſtas tamen accuſatrices Hieroſolymitanas eſſe fœminas, cùm de Iſraëlitis quoque multi ſæpius ad ſuperſtitiones deflexerint, tum in Ægypto, tum in eremo, tum denique & in ipſa Palæſtina: *Sed & pelles Salomonis* (inquit Adamantius) *nigræ ſunt; nec tamen ob hoc, tanto Regi in omni gloria ſua, pellium viſa eſt indecora nigredo: Non ergo mihi ô filiæ Hieruſalem, exprobretis culpam coloris:* meritò quidem expoſtulat: nam qui aliorum Admonitor futurus ſit, eodem comprehendi ſcelere non debet, ſed in eodem volutabantur cœno Hebræi, cùm & ficta quondam adorauerint Numina. Moyſes cùm de monte deſcenderat, radiabat vultu, Exod. cap. 34. verſ. 29. Quid illi fulgores portenderint? Lyra: *hoc factum eſt, vt populus, qui per idololatriam peccauerat, magis eum timeret, & haberet in reuerentia:* equidem ob claritatem hanc faciei ſic ſtupefactus eſt populus, vt penè diuini inſtar Numinis Moyſen veneraretur, quamobrem Ambroſius lib. 2. officiorum, cap.7. *Meritò æſtimatus eſt ſupra homines, vt & vultui eius non poſſent intendere, & ſepulturam eius non repertam crederent:* cur autem prouidit Deus, vt ſupra creaturam quodammodò eſſe famulum eius Iſraëlitæ putarent? Nempè, Deus eſt, in quem culpa non cadit, qui defectuum expers, impollutus, ſegregatus à peccatoribus: huiuſmodi igitur æſtimari ſic dicamus, Moyſem volebat tum imprimis cùm de monte deſcenderet; nam mittebatur cum lege, quam obſeruaturi eſſent Hebræi, mittebat, qui delicta caſtigaret, qui errantes corriperet, qui eſſet norma omnis diſciplinæ: quò igitur inſtructio non grauis fuiſſet ſubditis, Deitatis quibuſdam velut notis inſigniuit. Auguſtinus Quæſtionibus in nouum & vetus teſtamentum: *Vt quid Moyſes deſcendens de monte cum tabulis vultum ſplendidum habuit & intolerabilem? Acceptâ poteſtate in peccatores cum honorificentia deſcendit de monte, facie glorioſâ: lex enim contra peccatores data eſt: Moyſes ergo quia non peccauerat,, glorioſus apparuit, & in tantùm, vt à peccatoribus videri non poſſet:* Quoniam igitur cum poteſtate venerat contra peccatores, oportebat eiuſmodi geſtare inſignia, quæ ipſum peccatorum numero excluderent, nam ſi & in peccatis fuiſſet, quaſi inidoneus haberetur, qui delinquentes puniret, ſupplicio æquè obnoxius: ideò cum iubare; nam *quia non peccauit* (inquit Auguſtinus) *glorioſus apparuit.* Extincto Moyſe eius ſepulchrum à nemine cognitum Deuteronomij capite vltimo proditur, verſ.5. quare eius ſuppreſſum buſtum? Author de Mirabilibus ſacræ ſcripturæ ad finem lib.1. cap.35. *quatenùs illam faciem, quæ conſortio Sermonis Domini rutilauerat, mortis mœrore repreſſam, nullus videret:* Quid ſi vidiſſent quidem? crederent tum mortalem, eâdem circumuolutum imbecillitate, quâ cæteri homines: At verò, qui alios moderatur & corrigit, talem eſſe conuenit, quem ſupra humanam conditionem quodam more ſubditi putent, in quo nulla reluceant veſtigia fragilitatis, ac corruptelæ, ſi fieri poſſit: cùm enim intellexerint parem cæteris fore, deſpicient facilè authoritatem eius, qui iiſdem ſubiaceat caſibus.

*Malè idololatriâ Sponſæ obiectabant Ieroſolymitanæ, cùm ſæpius Iſraël ipſe idola coluiſſet.*

Origen.

Lyra.

Ambroſ.

*Radiat nitida Moyſis facies, quaſi aliquid diuinum, cùm de monte deſcenderet correcturus populum.*

Auguſtin.

Author mirab.

*Cur ſepulcrum Moyſis ignotum?*

55. Dauid in planctu ſuo Numen alloquutus: *Tibi ſoli peccaui,* (ait Pſalm.50. verſ.6.) *& malum coram te feci:* verùm ſi de Perſonis ſermo, nonne contra Vriam Hethæum deliquit, cuius torum violauit, cui mortem præſtruxit? ſin de ſceleris fama; omnium quoque aures inuaſit: quo pacto itaque ſolum Deum offenderat? nempe, is tantùm, qui corripere debeat: nam in Admonitore deſideratur, vt immunis ſit à noxa, neque argui poſſit de quibus reum condemnat; Deus autem eſt, cuius naturæ ſordes repugnant, ille igitur optimus Corrector: Auguſtinus in præfatum Pſalmum: *Tibi ſoli peccaui quid eſt hoc? coram hominibus enim non erat adulterata vxor aliena, & Maritus occiſus? Nonne omnes nouerunt quod Dauid fecerat? quid eſt, tibi ſoli peccauit? quia tu ſolus ſine peccato:*

Pſal.50.6. *Deo ſoli peccauerat Dauid, quia ille ſolus corrigere debebat, qui eſt ab omni noxa immunis.*

Auguſtin.

*peccato: ille iuſtus punitor, qui non habet, quod in illo puniatur: ille iuſtus reprehenſor, qui non habet, quod in illo reprehendatur:* atque in hæc proſpectans Iobus, ad obiurgatores conuerſus ait: *quare me perſequimini ſicut Deus, & carnibus meis ſaturamini?*

Iob 19.22. *Queritur Iob de nimiùs exactâ perſecutorum ſuorum in eum inquiſitione, cùm & ipſi peccatores eſſent, ſolius verò Dei ſit ſic corrigere.*

cap.19. verſ.22. nam ſi moderata fuiſſet increpatio eorum, vt qui agnoſcerent nec ſe culpâ vacuos,& habere, quod emendare valeant, tolerandum id quidem: ſed in vniuerſa inquirere,ad nihil conniuere; id Deo liceat, non hominibus; cùm Deus ſicut omnis erroris incapax eſt, ſic dignus ſit vnicè, qui de omnibus cenſuram ferat: ſecundum hæc Gregorius Romanus lib. 14. in Iob. cap. 24. *Tantò enim omnipotens Deus iuſtiùs aliena vitia percutit, quantò in ſemetipſo nihil habet vitiorum: homines verò cùm per diſciplinam alios feriunt, ſic alienam infirmitatem debent percutere; vt etiam ad ſuam nouerint oculos reuocare; vt ex ſeipſis conſiderent, quantùm alijs feriendo parcant, cùm ſe quoque ipſos dignos percuſſionibus non ignorant; itaque nunc dicitur: quare me perſequimini ſicut Deus? ac ſi apertè diceretur: ita me ex infirmitatibus meis affligitis, ac ſi ipſi more Dei de infirmitate nihil habeatis:*

Gregor.

*Audiat Superior.*

Videant multi Prælatorum, ne fortè iuſtè conqueratur de eis ſubditus, cùm exclamare cogatur: *Quare me perſequimini ſicut Deus?* Nec loquor de viris egregiis, in quibus eſt zelus diſciplinæ: nam prima illis cura, ne quid in ipſorum moribus diſpliceat, deinde quanquam pro legum obſeruantia fortes & inconcuſſi, paternè tamen agunt, ſcientes ſe cum eis agere, à quibus humani aliquid non eſt alienum dum viuitur ſub cœlo; ſed contra illos ſermonis ſcopus,qui cùm ipſimet infirmi ſunt, & peccatores; abutantur potentiâ, vt inopem & pauperem trucident, à quo ſe læſos aliquando putant, quòd ambitioni eorum conſcientiâ tactus reſtiterit; exigunt ab aliis ſtrictiſſimè obſeruari ſtatuta,quæ ipſi ne mediocriter colunt.

56. Cùm Threnum Sauli & Ionathæ caneret Dauid, vetuit, ne de eorum funere in Alienigenarum Prouinciis rumor ſpargeretur: *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſtijm,ne exultent filiæ incircumciſorum*, Reg.2.cap.1. verſ.20. Benè percunctatur Abulenſis quæſt.14.cùm hæc apud Philiſtinos diuulgata eſſent; imò, quæ ne celari vllo modo poterant, cur Dauid præcipit, ne annuncientur? *Reſpondendum eſt* (ait) *quod Dauid ſatis ſciebat impoſſibile eſſe celari Philiſtinis; nec dicebat iſta vt iubens,vel conſulens, ſed ſolùm loquebatur ex affectione,ſcilicet: Nolite annunciare in Geth: id eſt, ô vtinam nunquam annunciaretur calamitas noſtra in Geth,nec in alys Philiſtinorum vrbibus, ne gauderent ſuper malo Iudæorum*; Sed quamobrem tantoperè Dauid exoptat occultari illatam Hebræis cladem, quã neſcire cupiat incircumciſos homines?Sanè, cùm Pagani ſuperſtitionibus dediti, de Animi cultura parum laborarent, reprehendebantur à Iudæis ob crebra peccata eorum, nam ſtudebant ad veri Dei Religionem pertrahere:porrò iidemmet Ethnici cogitabant mala à ſupremo rerum gubernatore nonniſi ob ſcelera immitti, neque enim altioris doctrinæ, quæ inſinuat ad patientiam exerceri iuſtos, capaces erant; quare, cùm intelligerent fugatos Hebræos, principes obiiſſe in prælio, iratum contra eos Numen propter delicta ipſorum inferebant; hæ tripudij cauſæ: Verùm,quæ inde lætandi anſa? nimirum, putabant ſatis excuſatas in poſterum noxas ſuas, cùm & præceptores eorum, certè qui reprehendere conſueuerant, ſub delicto eſſent: nam cùm iiſdem ſubiacerent malis, quâ verecundiâ corrigere auderent? ſine correctoribus autem impunè ſceleſti eſſe poterant; gaudebant itaque correptoribus per lapſum ablatam monendi authoritatem, quæ nequit vigêre abſque Mentis iuſtitia & integritate. Bachiarius epiſt.ad Ianuarium de lapſis admittendis luculentè, incircumciſorum nomine, laicam ſubintelligit turbam, quæ cùm intueatur Eccleſiaſticos prolabi in atrocitatem aliquam, cùm deberet plangere, ridet atque exhilareſcit, putans deinceps laxatos ad peccandum cancellos, cùm delinquant quæ peccantem argituræ erant diuinis initiatæ Animæ: *Ecce prohibetur, ne in terminis Geth, neque in finibus Aſcalonis, hoc eſt, in notitiam ſæcularium, ſiue hominum mundanorum, caſus fratris, vel ruina ſeminetur: Hi enim exhilarantur, cùm audiunt ruinam militis Chriſti, vel ex illius conſolantur opere, dicentes: ecce qui nobis exprobratur à cæteris, ad cuius exemplum cogebamur viuere*, &c. Pulchrè diuidit ab incircumciſis Hebræorum vrbes; nam quod Iſraëlitæ ſciant de Antiſtitis caſu, damnum non affert, ipſis deſignantur quicumque in Congregatione ferentes; hi autem ſeruiunt non ob metum, ſed propter Amorem atque reuerentiam: incircumciſæ autem Mentes, quæ ſuperflua non amputant & immortificatæ ſunt, cùm ex timore obediant, quâ poſſunt diligentiâ odorantur, vt valeant imminuere poteſtatem Magiſtratus; ſciunt autem hanc vacillare, quamprimùm Gubernator remittit de virtutum ſtudio: quem enim zelum habebit peccato irretitus? indulgebit facilè, ne ſi aduerſus alios ſeuerior,eius proferantur quoque delicta: ô ſpurios incircumciſorum Animos, quibus non ſufficit impios eſſe, niſi & de aliena congaudeant ruinâ!

1.Reg. 1.20.

Toſtat.

*Cauet Dauid ne Iſraëlis clades innoteſcat incircumciſis, ne cùm ipſi ſciuerint caſus à Deo propter eorum ſcelera Iudæos,horum vileſcant poſtea,irrideantúrque ab illis, correctiones.*

Bachiar.

57. Peccante homine vapulat terra: *Quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Geneſ.cap.3. verſ. 17. quare non & pœnarum ſociæ vndæ factæ? ſcilicet, non peccauerant; ſed neque terra aliquid deliquit: Quod ſi hominis cauſa quæ innocua erant, ſupplicia tulerunt elementa, cur non caſtigatæ pariter lymphæ? nimirum decreuerat Numen futuras Aquas, quæ per baptiſmum, & ablutionem labem abſterſuræ erant,quam Adam ad poſteros tranſmiſit; quoniam verò Maledictum, peccati indicium eſt, ſi maledicerentur fluenta, ſuſpicio eſſet in ipſis aliquid eſſe contagionis: atqui id indecorum videbatur; nam qui alios mundaturus ſit, ipſum purum eſſe conueniat: Aquæ ergo quoniam peccato liberaturæ erant, nihil de maledicto habeant; ne ſi maledictæ, non ſatis idoneæ, per quas iniquitas deleatur: Alcuinus in Lippomani catena ad cap. 3. Geneſ. *Terra maledicitur, non Aquis; quia homo de fructu Terræ contra vetitum manducauit, non de aquis bibit; & in aquis erat peccatum abluendum de fructu terræ contractum:* Sed in Aquas & Chriſtus, vt nobis exemplo præiret, cùm non indigeret, deſcendere voluit, & à Præcurſore ablui: *Ioannes autem* (inquit Matthæus cap.3. verſ.14.) *prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quid Baptiſtam impulit, vt reniteretur? An conſiderabat id quod teſtatus eſt de Seruatore, Agnum eſſe qui venerat,vt Mundi peccata tolleret? cùm igitur ab Alto deſcenderit, vt ægrotis opem ferret,ipſum non debuiſſe remedio

Gen.3 17. *In odium primi peccati maledicit Deus Terræ, non verò Aquis, quia ipſa cùm mũdaturæ forent & abſterſuræ per Baptiſmũ peccati ſordes, debuerunt eſſe puræ.*

Alcuin.

Matth. 3.14. *Nolebat Ioãnes Chriſtum baptizare, cùm eum eſſe mundiſſimum ſciret, qui alios eſſet mundaturus.*

vti,



vti; validum enim eſſe præſtat, & Medicinæ non indigũ,qui alios ſanaturus ſit.Chromatius Aquileienſis Epiſcopus tom.2. Biblioth. Veterum Patrum: *Sed Ioannes Deum ſuum per Spiritum ſanctum recognoſcens, cuius ne calceamenta quidem dignum ſe fuiſſe portare, profeſſus: implêre quod iubebatur, excuſat: quia non credebat ei neceſſarium Baptiſmum eſſe, quem ſciret ad hoc veniſſe, vt Baptiſmo ſuo Mundi peccata deleret:* Verùm ceſſit Præcurſor, quia intelligebat Chriſtum voluiſſe, non quod opus haberet Baptiſmate, ſed vt omnem iuſtitiam ſic adimpleret, ſimul & ſanctificaret ipſo ſuo deſcenſu Aquas.

Chromat.

58. Detruditur in Carcerem Ioſeph ob laſciuientis Dominæ calumniam, ſed gratioſus cùm eſſet Ergaſtuli Magiſtro, *tradidit in manu illius vniuerſos vinctos,qui in cuſtodia tenebantur, & quicquid fiebat, ſub ipſo erat; nec nouerat aliquid cunctis ei creditis*, Geneſ.c.39. v.22.Fuit autem Ioſepho tam ampla poteſtas,vt nomen ſolum, ſpeciémque officij haberet cuſtodiæ Præfectus, vt Philo aduertit libro de Ioſeph,& verba relata ſatis indicant: vbi cogitandum primò eodem cum Philone, quanta virtutis ſit potentia,quæ & apud inimicos honorem inuenit plurimum: Deinde quàm fidelis remunerator Deus ſit: nam hunc ne offenderet Ioſephus,valedixit Heræ beneuolentiæ, per quam beatus eſſe poſſit,liber,delicioſus; ſed omnia rurſum inuenit,vbi amiſſurus in perpetum videbatur: Ambroſ.lib.de Ioſeph.c.5.*Quò non penetrat diuina miſericordia? inuenit Ioſeph huiuſmodi gratiam, vt qui fuerat clauſus in Carcere, ipſe potiùs Carceris clauſtra ſeruaret:cederet munere Clauicularius, & incluſos omnes in poteſtatem eius committeret: itaque Ioſeph non ſolùm Carcerem non ſentiebat; ſed alios quoque Carceris leuabat ærumnis.* Victu etiam commodiore donatum memorat Flauius lib.2.Antiq. Iudaic. cap. 3. At pro noſtri inſtituti propoſito: Quamobrem Numen volens tandem liberare Ioſephum, non ſtatim à principio, ſomniorum vſus ſit prouidentiâ,& Pharaonem ſtimularit qui eductum è cauea tenebroſa ad gloriæ incomparandæ eueheret culmen? aut alio modo compedibus exemerit,aut vincula ſoluerit:permiſerit verò magis facinoroſis præeſſe, quos regeret, & coërceret?Deus quidem intendebat, vt innocentem eſſe Ioſephum omnibus pateret,atque ex inuidia accuſatum, & ſceleratorum pœnis affectum; nam de ſeruorum bonâ famâ egregia ei eſt cura:Huic autem fini non ſatis idoneum quod Regis iuſſu ſpeluncâ extraheretur, nam propter vaticinandi ſcientiam Rex id feciſſet, licet crimini obnoxius eſſet, condonaret, ſimúlque extolleret: At, quòd claues loci, quo recludebantur rei, illi concreditæ eſſent; à culpa immunem eſſe palàm ſignificabat: ita enim comparatum eſt, vt qui alios correcturus ſit, vt ex more atque norma aliquid faciat, labis in eo nihil ſit grauioris, alioqui cæteros languidè corripiet: igitur poteſtate in cæteros vinctos tranſlatâ in Ioſephum, indicabatur, non de ſociorum numero eſſe, quos vera dehoneſtabant ſcelera, ſed fâlsò accuſatum. Breuiſſimis verbis ſuggeſſit Cyprianus lib. de Bono Pudicitiæ: *Et nocentes* (ait) *dantur in manus eius, quia innocens fuerat*: Philo autem Hebræus ob egregiam Adoleſcentis virtutem commotum arbitratus eſt Carceris Præfectum, nam ſimul atque hanc conſiderauit, ſpem concepit fore, vt ſub tali Rectore licet iniquiſſimi Mortalium, humanitatem ediſcerent: nihil enim eſt, quod vel efferatiſſimos animos ſic emolliat, & in viam perducat, quàm ſi Magiſtratus omnino incorrupta ſit vita, & ab illecebris aliena, à quibus reuocat alios: Sed vt Præfecti votis reſponderit de Ioſepho expectatio; cupio Philo recenſeat, libro de eodem Ioſepho: *At enimuerò cuſtos Carceris, in quo innocens Ioſeph deiectus fuerat, honeſtiſſimâ indole Adoleſcentis mitigatus; non ſolùm ſecuritatem, & otium ei præſtitit, ſed etiam vinctis omnibus eum præfecit, ita vt penès ipſum ſpecies, noménque Cuſtodis eſſet; rem autem & officium Adoleſcenti cederet: id autem non parum Carcere incluſis profuit; deinceps enim locus ille, non tam Carcer, quàm diſciplinæ Mediatorium fuit; omiſſis enim tormentis, quibus antea diu, noctúque cruciari ſolebant varÿs malis obruti; admonebantur,atque erudiebantur ſermonibus, & præceptis philoſophicis; ſed maximè ipſius Doctoris exemplis vtiliſſimis.*

Gen. 39. 22.

Philo.

Ambroſ.

Ioſeph.

*Ideo Nocentes in carcere regit & corrigit Ioſeph, quia ipſe erat Innocens.*

Cyprian. *Egregia Ioſephi virtus poteſtatem in alios incarceratos promeruit.*

Philo.



---

*Virginis Beatæ, Chriſto dilectiſſimo filio patiente, quàm fuerit dolor vehemens.*

## SECTIO VI.

59. NIhil de culpæ nigritudine vnquam in genitrice immaculata; nigram tamen à gladio doloris, quem eius tranſuerberaturum ſanctiſſimam Animam olim Simeon prophetauit, quidni fateamur? certè ipſa Luna eſt,eius natus, iuſtitiæ Sol: Atqui diſceſſit micantiſſimus ille Sol, cùm extremum halitum in Cruce profudit: Sole autem extincto quonam pacto Luna ſplenderet? Accipit illa fulgores ab aſtro lucidiſſimo Planetarum Rege:hoc igitur deficiente, Lunæ argentata facies in luridam,atque tenebroſam conuerſa eſt: quamobrem, quæ nunc ſe nigram agnoſcit ſicut Tabernacula Cedar;protinùs in ſolé refert, quòd nocturna incedat:*Nolite conſiderare, quia decolorauit me ſol:*Halgrinius Cardinalis:*Nunc B.Virgo loquitur de dolore,quem habuit tempore Paſſionis filij ſui, & conuertit ſermonem ſuum ad Adoleſcentulas,dicens; Nigra ſum, Animi mœrore confecta:vel ſic:Nigra ſum, deſpecta,obfuſcata,obſcurata,decolorata,quia decolorauit me ſol moriens; decolorem me fecit ſol obſcuratus, & obfuſcatus,de qua ſolis obfuſcatione, & obſcuratione dicit Eſaias; loquens de Chriſti Paſſione: Non eſt ſpecies,neque decor; & vidimus eum, & non erat aſpectus; deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum: ipſo igitur ſic deſpecto deſpecta eſt & Mater: ipſo ſic obfuſcato,obfuſcata,eſt & Mater.*

*B.Virgo pulchra vt Luna, à mœrore nigreſcit & obſcuratur, dum Chriſtus Sol Iuſtitiæ in morte extinctus eſt.*

Halgrin.

60. Vultis noſſe,quantus fœminæ huius ſingularis mœror? perpendite, quàm ſublimis fuerit gloria eius: penè filij quodammodò honoribus æmula. nam & ipſa corpore & animâ in cœlos aſſumpta, omnem ſupergreſſa Creaturam, Regina Angelorum,hominum,rerum ſub vniuerſitate cunctarum nuncupata,denique & in filio etiam ſublimata,cùm eadem vtriuſque eſſet Caro,& per affectum vna vtriuſque Anima;quas ob cauſas parẽ vtriuſque gloriam non veritus eſt aſſerere Arnoldus Carnotenſis hom.de laudibus Virginis: *Vna eſt Mariæ*(inquit)*ac Chriſti caro,vnus Spiritus, vna charitas: Vnitas diuiſionem non recipit,nec ſecatur in partes:& licet ex duobus factum ſit vnum, illud tamen vltrà ſcindi non poteſt;atque adeò filij gloriam cum matre,non tam communem iudico,quàm eandem.*Ergo ſi æqualis glorificatio Matris,atque ſobolis quacũque tandẽ ratione verum fuerit Arnoldi pronũciatũ,erit quoq;velut par dolor vtriuſque:quippè Numen ſic vices rerum attemperat,vt ſecundum

*Tantus fuit Virginis dolor,quanta eſt eius gloria.*

Arnold. Carnot.

laborum menſuram quies ſit & delectatio, reſpondeat mœrori gaudium, vnde Pſalm. 93. verſ. 19. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt Animam meam:* quod ſi par doloribus gnati, Matris triſtitia, quid acerbius concipi valeat? Si tamen non metaphorica & exaggeratiua ſit locutio Arnoldi, ex ſcholæ Theologicæ rigore, neque genitrix tantùm paſſa, quantùm filius, neque glorificata ſicut ille: Verùm eius nihilominus gloria ſuper omnem puram creaturam, & vt docti nonnulli ſentiunt, hominum, Angelorúmque præmia collectiuè ſumpta excedens; Quod ſi, vt aſſerebamus, gloriæ eſt ratio ex pondere tribulationis; quantùm Virginis ſuperauerit honor aliorum cunctorum decora; tantò fuerit maior eius afflictio, quàm cæterorum omnes Tribulationes.

Pſal.93.19.

61\. Sed denigratam hanc Matrem in filij obitu, & omnium Martyrum ſuperaſſe agones hoc ipſum venuſtè cantat Epithalamium, c. 3. verſ.6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Certè fumi atratus color; quæ igitur fumo comparatur, vt quid vereamur nigram æſtimaſſe? Doloris itaque magnitudo primum colligenda ex ærumnarum numero: non enim vides omnia pigmenta in huius virgulæ fabricam conſpirare, atque hæc contuſa & in puluerem redacta? pulueres illi Martyrum ſunt tormenta, ſed nemo vnus omnem expertus immanitatẽ, alter Cruce, alter ignibus, alter equuleo, alter gladio, alter beſtiis, alter aquâ triumphat: ſola hęc Virgo eſt, in qua mirabili quodam modo coadunantur, quæ in cæteros vniuerſos diſperſa ſunt; ideò ſola potior Martyr, quàm omnes collectim Martyres: P.Damianus ſerm. de Virginis Aſſumpt. *Species quidem integræ odorem reddunt, ſed non tantùm, quantùm confractæ: crebris enim tunſionibus ſupertritæ remotiorem etiam locum odoriferâ conſperſione refundunt: ſic & virtutes in pace quidem fortiter redolent, ſed fortiùs in tribulatione: vniuerſus ergo puluis pigmentarius in Virgine coniectus eſt; quia in ea virtutum conuentus reuerendum ſibi thalamum conſecrauit; & ſi cæteris per partes Spiritus affuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ ſuperuenit: nec integræ fuerunt in ea ſpecies, ſed in ſubtiliſſimum comminutæ; quia ipſa eſt, quæ fortioribus tribulationum malleis ſuperoppreſſa, vidit ſuum, & Dei filium affigi Cruci, militari lanceâ vulnerari, & inter duos latrones poſitum expirare.* Secundò, eiuſdem doloris cumulum demonſtrat locus aſcenſionis huius Virgæ, *per deſertum* nempè, hoc eſt, in Regione omni ſolario deſtitutâ, patiebatur enim in aliis Martyribus Caro, ſed Spiritus in tantùm confortabatur, vt gauderent in vexamentis, imò vix tormentorum ſenſus aliquis propter ſupernæ dulcedinis exceſſum: Sed Genitrix hæc mœroris vndique afflictabatur; nec erat qui conſolaretur eam; pro his Richardus à S.Laurentio lib. 3. de laudibus Virginis: *Alij enim Martyres etſi tormenta ſentiebant in corpore; interiori tamen conſolatione refrigerabantur in mente: & ſi eorum corpora pertranſibat gladius tormentorum pro Chriſto, tamen Animæ eorum recreabantur in Chriſto: filius etiam ſimul fruebatur & patiebatur, quia fuit in via comprehenſor, vnde dicit Pſalm. 15. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper: ſed Anima Matris torquebatur in Chriſto, & totam eius Animam vehementia doloris poſſidebat:* Dices, commendatam Virginem ſanctiſſimam è Cruce Apoſtolo, quem diligebat Ieſus, proinde nec caruiſſe aliquo ſolatio! ô certè egregium ſolatium, cùm pro filio Dei naturali, filius adoptiuus ſubrogatur, pro diuinis humana ſit commutatio! quin ex Cruciamentis fuiſſe hoc inſigne quoddam, Bernard. putauit ſerm. in verba Apoc. *Signum magnum apparuit,* &c. *Annon tibi* (ait Virgini) *pluſquàm gladius fuit ſermo ille: mulier ecce filius tuus? ô cõmutationem! filius Zebedæi pro filio Dei, ſeruus pro Domino, homo purus pro Deo vero traditur.*

Canticc.3.6.

*Omniũ Martyrum cruciatus in Maria collecti.*

P.Damian.

*Puluis pigmentarius in Virgine quid ſignificet?*

*Patitur Virgo per deſertum. i. abſque ſolatio.*

Richard. à S.Laurent.

*Etiam Ioannes ſubrogatus Mariæ filius, eius mœrorem auget.* Bernard.

62\. Iam verò concipiamus, Mariã generis humani quoddam velut fuiſſe caput, quare totius humanę naturæ voce conſenſiſſe Angelo, Sanctus affirmat Thomas 3. part. q. 30. art. 1. *Congruum fuit B. Virgini annunciari, quod eſſet Chriſtum conceptura, vt oſtenderetur eſſe quoddam ſpirituale Matrimonium inter filium Dei, & humanam naturam; & ideò per Annunciationem expectabatur conſenſus Virginis loco totius humanæ naturæ:* Si igitur Virgo totam humanam repræſentat naturam, quali iudices ſagittâ transfixam, cùm ſolus homo, quam illa ſpecialiter repræſentabat, neque filij, neque Matris acerbitatibus compateretur! quali rubore perfuſam, cùm inſenſibilem Creaturam triſtari cerneret; ad ſingultus autem non commoueri illam, pro qua ipſa Gabrieli ſuperno legato ſpopondit? addebat igitur cæteris luctibus nouum hunc dolorem, vt ingemiſceret pro iis, quos repræſentabat, & accerſebat mœrorem, qui vices ageret illius, quem habuiſſe mortale genus decebat. Certè, Luna, quæ cœlo per noctem præſidet, cùm defectum patitur, & fulgoris diſpendia; tanquam ſi condoleant, quę eius beneficum experiuntur influxũ, edunt quædam mœroris teſtimonia; obaudiamus quæ referat Anaſtaſius Sinaita lib. 4. Hexam. *Nam & defectui eius compatiuntur elementa; & proceſſu eius, quæ fuerint exinanita, cumulantur, vt Animantium cerebra, & maritimorum humida: Siquidem pleniores oſtreæ reperiri feruntur, multáque alia, cùm globus lunaris adoleſcit: De arborum quoque internis, idem allegant, qui hoc vſu proprio compererunt:* Ipſi & feri maris fluctus non tamen ita crudeles, vt ſenſum omnem exuerint; proſequitur Sinaita: *Sanè Euripi, cùm exundant vndique ſecundum reliquas ſpecies lunæ, & acceptos fluctus refundant, vel etiam ipſi magno ferantur impetu: in ortu tamen eius ſtant placidi, quoadusque Luna ſine lumine eſt:* Atqui per Mariam, quæ Luna quoque eſt, hominibus delata pax, iuſtificatio, libertas: ipſa eſt per quam filius vniuerſa nos habere decreuit, ipſa quæ protegit, quæ conciliat, quæ ditat: cur igitur obnubilato venuſtiſſimo ſidere, non pallent, non marceſcunt vultus humani, & reſoluuntur in lacrymas obſcuratæ oculorum faces? ô certè magna eſt velut mare contritio tua, fœminarum pulcherrima: Conuertere ſuper nos Regina clementiſſima, & aufer lapideum Cor iſtud: Nam ſi in die Terroris, Maledictorum portio erunt, & ignibus addicti ſempiternis, qui eſurientes & ſitientes non refocillarunt, qui ergaſtulos clauſos non viſitarunt; quale erit iudicium contra eos, qui neque Chriſto tuo, nec tibi compaſſi ſunt?

S.Thom. *Maria generis humani quaſi Caput, pro toto corpore dolet.*

Anaſt.Sinait. *Lunæ, in ſuo defectu condolent Elementa: quanto æquiùs Mariæ compati debemus.*

63\. At tentemus inueſtigare, ſi fortè tu patiendo ipſius filij tui cruciatus horribiles quodammodò ſuperaueris: diſputãt ex amicis tuis aliqui, vtrùm, cùm mortem ſubterfugere poſſit Iſaac, ſacrificiũ illud vndequaque voluntarium, plus conduxerit genitori ad meritũ, an gnato? Verùm, quis dubitet pro filio tuliſſe ſententiam? moriebatur in ætatis flore ſuauiſſimæ indolis iuuenis, qui nihil ſcelerati commiſerat, nullum offenderat, & mactabatur Patris enſe de genitore egregiè meritus: quænam in Parente his æmula? Sanè, quod Parens ſit; cumulentur licet multa pro Iſaac, ſuper

*In Iſaaci oblatione plus meruit Abraham quàm Iſaac.*



ſupereminet tantis paterna charitas: Toſtatus in illud cap. 22. Geneſ. *Cúmque colligaſſet Iſaac,* &c. *Abraham autem maiorem feruorem in obediendo Deo, & exequendo iſta habuit: ita enim tenerrimè diligebat filium ſuum Iſaac, quod mors eius erat eì durior morte propria: elegiſſet enim magis Abraham mori, quàm filium manu ſuâ occidere; quod tamen erat paratiſſimus facere, vt Dei mandato obediret:* Quod ſi tanta vis eſt dilectionis paternæ, tamen paterno amore indulgentior eſt Matris affectus: quæ verò vnquam genitrix tali arſit incendio erga prolem, ac Tu, quæ ſine Patre Mater Adoleſcentis ſpecioſi præ filiis hominum: Sed Abraham tandem fortunatiſſimus, nam quanquam animo occidit, gladio non peremit; vetuit de cœlo exclamans Angelus: Chryſologus ſermone 108. *Deus fidem non mortem quærit, votum non ſanguinem ſitit, placatur voluntate, non nece: Hoc probat Deus ad hoſtiam Abrahæ ſancti, filium cùm popoſcit: Numquid aliud Abraham quàm corpus ſuum immolabat in filio? quid aliud Deus, quàm fidem requirebat in Patre, qui filium ſicut offerri iuſſit, ſic non permiſit occidi?* Heu Domina! ſi fidem Numen deſiderat, an tibi fides defuit, de qua ſancta Præcurſoris genitrix, *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino?* Luc. capite 1. verſ. 45. Cur igitur non, tuâ fide contentus Rector mundi, incolumem filium reſtituit?

Toſtat.

*Quantùm in filij ſacrificio ſupereminet Abrahamo Maria.*

Chryſolog.

64\. Quod ſi oratoriâ licentiâ maiores facere tuas plagas cupiamus filij calamitatibus, præter materna viſcera, quibus grauiores eſſe conſueuêre filiorum ærumnæ quàm ipſiſmet filiis; inde etiam ſuppetiæ, quod ſolo corde paſſa fueris, cùm interim ſacratiſſima Caro illæſa abiret: At non grauius ſit Mente & corpore ſimul affligi, quàm ſolo Animo? fateor multiplicantur vulnera, ſed eſt neſcio quantùm ſolatij comites laborum nanciſci; quamobrem, ne tum quidem, cùm nulli inſiſterent hoſtes, hoc defuit gnato fomentum, ſcilicet cùm in Viridario preces ad genitorem funderet; triſtis reddita eſt Anima ſanctiſſima vſque ad mortem; At non ſuſtinuit Caro Spiritus ſocia, quin ærumnarum partem ſubiret, aperuit igitur ſanguini rimas, cuius guttæ in terram vſque deciderunt; Tu neque vulnerata à militibus, neque deliquium paſſa, non ſudore cruento perfuſa, non exclamans & vociferans; Omnia cogebatur Anima ſuſtinere: Norunt, qui profundiſſimè triſtantur, quàm difficile ſit non laxare habenas etiam inconditis gemitibus; nonnunquam & doloris acerbitate tundunt pectora, in capillos, in genas, in veſtem crudeles ſunt, éſtque in tantâ crudelitate anguſtiarum lenimen, eſt medicina eius, quo diſcerpuntur, vulneris interioris: Denique & piiſſimus Bernardus in Amantiſſimi Gerardi fratris tumulo: *At ſuppreſſus dolor* (inquit ſermone 26. in Cantica) *introrſum radicauit; eò (vt ſentio) acerbior factus, quòd non eſt exire permiſſus; fateor, victus ſum; exeat, neceſſe eſt foràs, quod intùs patior; exeat ſanè ad oculos filiorum: qui ſcientes incommodum planctum, humaniùs æſtiment, dulciùs conſolentur;* hac igitur vexamenti formâ cruciabatur, quæ ſuſpiria ſuffocabat, & inconſolabiles Animi motus; lacrymabatur autem cum ſilentio, & ebullientis ſalſuginis reprimebat impetum: Deſcribit copioſâ eloquentiâ Arnoldus Carnotenſis in illud verbum: Mulier ecce filius tuus, &c. *Suſpirat intrinſecus, & erumpentes reuocat lacrymas, & eò ampliùs anxietas intumeſcit, quò prohibetur egredi, & per luctus, lamentáque diſſolui; emergebant quidem aliquando gemitus, ſed increpati reprimebantur, reuertebantúrque in ſinum Mentis de quo prodibant, & collidebant ſe ad inuicem introrsùs, erátque in Anima illa tempeſtas valida, occurrentibus ſibi procellis, & quaſi in ſartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines, quas excoquebat, & coagulabat exacerbatio perſeuerans; & (quod difficillimum erat) moriebatur, & mori non poterat; & clauſo tanti doloris tormento intrinſecùs alium vultum palàm exhibebat:* Demum, huius patientiæ tanta magnitudo, vt quanquam huius Beatiſſimæ Virginis prorſus ſtupenda fortitudo, quæ fugientibus aliis ad Iudaïcam rabiem non contremuit, neque à ligno diſceſſit, admonendam tamen per os Simeonis iuſti longiſſimo antea tempore cenſuerit Spiritus ſanctus, cùm vaticinatus eſt: *Et tuam ipſius Animam pertranſibit gladius:* Luc. cap. 2. verſ. 35. ne ſi quaſi imparatam occupaſſet ſæuiſſimæ procellæ vis, obruiſſet quodammodò: Nec mirum, cùm & filij tormentum ſuperaſſe hanc ob cauſam aliquo pacto videri poſſit, ſi Martyrum agones ludicra penè fuiſſe certamina penſitemus, de quibus Ildephonſus ſermone 2. de Aſſumptione Virginis: *Etſi corpora Martyrum pro Domino ſupplicia pertulerunt; nihilominùs hæc admirabilis Virgo in anima paſſa, teſte Domino comprobatur: ait enim Simeon: & tuam ipſius animam pertranſibit gladius: quod ſi gladius vſque ad animam peruenit, quando ad Crucem ſtetit fugientibus Apoſtolis, cùm videret Dominum pendentem, etiam pluſquàm Martyr fuit; quia in animo non minùs Amoris, quàm mœroris eſt intùs gladio vulnerata.*

*Anima Chriſti ſocium habuit in doloribus corpus, non item Anima Mariæ.*

*Quàm difficile in maximo dolore, non laxare habenas gemitibus.*

Bernard.

Arnoldus Carnot. *Virginis in acerbiſſimo mœrore conſtantia ingens.*

Luc.2.35.

Ildephonſ.

# VESTIGATIO VII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, In Verſum quintum Capitis primi Canticorum.

*Textus :* Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol : filij Matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me Cuſtodem in Vineis; Vineam meam non cuſtodiui. *Cap.* 1. *v.* 5.

*Vitibus quæ aptæ ſedes? Priſcorum ſtudium in Vinearum cultura : Pulchritudo inter ruſticana opera, conſeruata : Verſionum conciliatio: Hebræi omnes ingenui ſub Monarchia Salomonis: fratrum inſignis amor: vinearum prouentus : Sponſæ vndenam vinea? Num in lege naturæ, aut ſcriptâ de immobili ſubſtantia filiabus conceſſa portio, ſuperuiuentibus fratribus? Alienigena in Scripturis quid? An Sponſa Philiſtæa & Gentilis? Variæ Bibliorum colluſtratæ ſententiæ.*

### SECTIO I.

1. *Conſtructio Verſus.*

ANTERIORI Veſtigatione commonſtratum à nobis ſatis, haudquaquam reipſa nigram extitiſſe huius Dramatis Sponſam, ſed ex inuidia aſperſam colori labem; illa eadem modò ex abundanti diſſerrat, atque pulchritudinis hoſtes affata : Quanquam noſtri vultus, non eſſent iucundi aſpectus ob vitium cutis, tamen ſi in vobis conſiderantia aliqua eſſet, conniuêre debuiſſetis; Non enim, quemadmodum vos, gynæcio recluſa in vrbibus degeram, nec faciei pigmentis medicata ſum, ſed frontem, oráque Phœbus inclementior aduſſit; quippe fratrum tanta erga me inhumanitas, vt cùm ruſticana non ſubterfugerem opera; ea tamen mihi iniunxerit officia, quæ ſolem ardentiſſimum experiuntur; nam vineis excubias agere coacta ſum, & barbarâ penè ſæuitiâ, cùm ne hoc exercitamentum declinarem, ſolatij quod habere aliquid potui in Malis, vt eius, quæ ad me pertinebat vineæ, indulgerem culturæ, hoc denegatum eſt Puellarum infeliciſſimæ. Rectè ſubindicauit in Vinearum cuſtodiâ toleranda maxima Phœbi incendia,

*Vites in montibus Soli oppoſitæ.*

nam quod laudatiſſimum eſt vitis genus, iis in montibus, & collibus ſeritur, quos plenis radiis ſol illuſtrat, in quos ignes ſuos euomit quo poteſt conatu: Ieremiæ c. 31. v. 5. *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ; plantabunt plantantes,* &c. (Ierem. 31. 5.) Latinus quoque Poëta Georgic. 2.

*Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni*
*Naſcuntur ſteriles, ſaxoſis montibus orni,*
*Littora myrtetis lætiſſima, denique apertos*
*Bacchus amat Colles, Aquilonem & frigora Taxi.* (Virgil.)

Et ex Catone Plinius lib. 14. cap. 4. vino locum optimum aſſignat, qui ſolibus ſit oſtentus. (Plinius.) Lib. 1. vitæ Moyſis apud Philonem pag. 494. exploratores ex terra Chanaan reuerſi, declarant, (Philo.) *montana eius vitibus & frutetis eſſe conſita*, quibus abundabant, ὀρεινὰ δ᾽ ἐκ ἐλάττων ἀμπέλων καὶ στελεχῶν ἄλλων κατάπλεως. Columella libro ſingulari de Arboribus, cap. 3. (Columell.) *Montibus, cliuiſque difficulter vineæ conualeſcunt; ſed firmum, probúmque ſaporem vini præbent : humidis & planis locis robuſtiſſimæ; ſed infimi ſaporis vinum, nec perenne faciunt*; quod verò de ſole eſt præceptum apud Maronem, Georg. dicto libro :

*Neve tibi ad ſolem vergant vineta cadentem.* (Virgil.)

Idem amplexatur capite 4. inquiens : (Columell.) *Vitem, quam ponis, fac vt ad Orientem ſpectet adminiculo religata.*

2. Plerique Interpretum hæc ſic exponunt Verba, vt fratres in Sponſam immites fuiſſe, quíque omnem pietatis ſenſum exuiſſent, arbitrentur, quod eius non proſpexerint formæ; tentemus, ſi fortè germanos excuſare valeamus, & demonſtrare ſororis tactos curâ. Statuiſſe autem iuuat, Vineæ non tantùm culturæ, ſed & cuſtodiæ magno incubuiſſe ſtudio Orientales, præſertim Syriæ & Palæſtinæ habitatores : parum enim, murato circumdediſſe Vallo, niſi & Turrim fabricarent, vnde ſpecularentur Vigiles, & arcerent vitibus inimicum genus : teſtis locuples Iſaias cap. 5. verſ. 2.

*De Vineis maxima Orientalium, Syrorum præſertim, & Palæſtinorum cura.*

*Vinea facta eſt Dilecto meo in Cornu filij olei : & ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit Turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea*; (Iſai. 5. 2.) quibus cognata apud Matthæum cap. 21. verſ. 33. (Matth. 21.) An de Turri Auguſtinus intelligendus ad principium Pſalm. 126. dum aſſerit : (Auguſtin.) *Quomodo enim Vinitori altior ſit locus ad cuſtodiendum Vineam, ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt.* Adhibitos etiam Canes, qui Vineas ſeruarent Anaſtaſius prodit Sinaita lib. 6. Hexam.

*Canes in vinearum cuſtodia.*
Anaſt. Sinair.

*Hoc tibi perſuadeat & Canis, qui fideliter gregem ſeruat, domum cuſtodit, & eſt Vineæ præſidio,* &c. dum autem inſtarent operi maiores natu, & qui viribus pollerent, tũ Pueris, aut Virginibus cõmendatũ, vt vel paſſerculos, vel mures, quos Hoſtes agnoſcit Columel. lib. de Arboribus, cap. 15.



cap. 15. aut Herinaceum Botris ſæuum aduerſarium apud S. Petrum Damianum, epiſt. 18. ad Deſiderium ex lib. 2. epiſtolarum, vel callidè inſidiantes Vulpeculas profligarent; de quibus huius Epithalamij cap. 2. verſ. 15. & lepidè Theocritus Idyllio primo, quod inſcribitur Thirſis:

*Nec procul ante plagas piſcantis in æquore Cani* (Theocrit.)
*Prægrauida expreſſa eſt maturis vinea Botris,*
*Quam iuxtà ſedet, & munitam ſepibus altis*
*Cuſtodit Puer : at geminæ per proxima Vulpes*
*Adrepunt loca; maturas hæc palmitis vuas*
*Prærodit; ſtruit illa dolos, peræque propinquat*
*Haud Puerum miſſura priùs, quàm munere caſſum*
*Deſtituat*, &c.

*Vinea in delicijs.*

Fortaſſe autem aliter quàm apud nos res gerantur, idcirco Vinearum tam diligens procuratio, quod gleba non ſolos palmites ferret, ſed arborum pulcherrimæ admiſcerentur: Nam Salomon dum ſuas recenſet delicias, Vinearum meminit, Eccleſiaſtæ cap. 2. verſ. 4. Iobi etiam perſuadet locus, cap. 24. verſ. 18. (Ecclis. 2. Iob 24. 18.) *Maledicta ſit pars eius in terra, nec ambulet per viam Vinearum :* hoc eſt; ſint eiuſmodi homines, quibus contingat ſolum aridum, infelix, ſterile : neque vnquam premant veſtigiis tellurem amœniſſimam, illam videlicet, quæ propè vineas ſita eſt, in quibus naſcuntur intermiſtæ ſtirpes ſublimitate, odore, fructibus, perpetuâ iuuentâ, incredibile prætereuntibus oblectamentum ingerentes, vt tali deambulatione nihil charius ſit voluptatum Amatoribus. Sed de vitis, viníque cum moderatione epotati laude & commodis, Ambroſ. lib. 3. Hexam. cap. 12. Antonius Mizaldus in Medicis Artificiis cap. 10. & 11. Ioannes Buſtamante de Animantibus ſacræ Scripturæ lib. 1. capite 13. num. 248. & cap. 15. n. 287. Quomodo autem earum ſtudium nec Reges potentiſſimi aſpernati ſunt, non ſolùm ob voluptatem, ſed propter emolumenta ſimul, affabrè noſter diſputat Pineda in verſ. 4. cap. 2. Eccleſiaſtæ, à num. 7. (Ambroſ. Mizald. Buſtamant. Pineda.)

3. Quoniam itaque fratres intuebantur Sponſam egregiâ præditam formâ, & venuſtiſſimâ oris picturâ, hanc ei commendabant Prouinciam, quoniam ex more familiæ in agreſtibus exerceri neceſſum erat : Verùm cùm in vineis conſtructæ eſſent Turres, poterat vultus nitorem ſartum tectum defendere; atque vt teneros annos ſegnes ad vtilia aucupio quodam in rectum pertraherent, cùm exoſas haberet Vineas Puella; contendebant, vt cætera deſpiceret, ſuam ne penitus contemneret vineam, ſaltem cuſtodiret ſibi debitam; & cum bonis verbis exorare non poſſint, tanto flagraſſe œſtro, ne ſororis defœdaretur vultus, vt cùm ſalutaria reſpueret monita, ad litem, & rixas ventum ſit; Hæc illa bella, de quibus : *filij Matris pugnauerunt contra me,* &c. id eſt; omni mecum niſu agebant, vt faciei conſulerem, ne vagarer in ſyluis & campeſtribus, ſed me continerem ædificio ſuburbano: quare Oratio eſt tota, quæ laudem conciliat fratribus, non quæ vituperium arceſſat.

*Sponſa pulchritudo eximia quomodo ruri conſeruata?*

Sed quem in finem Sponſa memorat Pueritiæ leuitatem, neque fateri veretur, quàm fuerit olim inobediens fratribus, quibus obtemperare debuerat? Nimirum; erat huius Puellæ oris tanta gratia, quam ne ipſa temporum ſæuitia, non dicam funditus euertere, at ne leuiter ſubobſcurare poterat : hoc igitur Solymitanas noſſe cupiat: Vos me Nigram ſicut Tabernacula Cedar fingitis : Dicam ſanè, quanquam confundar aliquid, antiquam imbecillioris ætatis leuem amentiam: fratres, & neceſſitudine vincti, cùm mihi à Natura formæ quidpiam donatum reputarent, quoniam ruri exercebamur, vſque ad contentionem vti abſconderer, vrgebant, proinde Vineas aſſignabant, quas cuſtodirem : ego autem, quæ tum non ſatis mei compos ob ætatis infantiam, neque cõſiliis, neque precibus flecti poteram, quin & territamenta deſpexi etiam; nec deſtiti inceptis, quoad liberiori aurâ frui conceſſum importuniſſimæ: itaque vagata ſum modò in planitie, modò in collibus, ſolem excipiebam, & imbres. Sed cùm tantis periculis circumambita fuerit, ſi quæ eſt, vultus pulchritudo, nihil detrimenti ſuſtinuit, viget adhuc, non emarcuit quanquam laceſſita, neque iſthæc incredibilia ſunt; Nam & Dauid oues in deſerto & montibus paſcebat, vbi nulla munimenta aduersùs ſolem vel pluuiam, niſi quę excauati lapidis ſinus præbebãt, aut exæſæ viſcera arboris; & tamen de illo, Regum 1. c. 16. verſ. 12.

*Dauidis, Rachelis, Rebeccæ, Paſtorum Pulchritudo.*

*Erat autem rufus & pulcher aſpectu, decorâque facie.* (1. Reg. 12. 16.) Rachel etiam Paſtrix, de qua Geneſ. c. 29. v. 9. (Geneſ. 29. 9.) *Et ecce Rachel veniebat cum ouibus Patris ſui; nam gregem ipſa paſcebat*; de cuius venuſtate Ioſeph. lib. 1. Antiquit. c. 19. (Ioſeph.) *Iacobus verò, non tam cognatione, aut huius affectu, quam inſigni Puellæ formâ captus, obſtupuit; vt qui perpaucas viderat, pulchritudine huic conferendas :* obſeruat autem Abulenſis non incomitatam in ſyluis verſari ſolitam tanto cumulatam decore Virginem : (Toſtat.) *Ipſa gregem paſcebat* (inquit) *non ſola, ſed fratribus minoribus ſociata, qui ad eius honeſtatem multùm faciebant*: taléſque inducuntur noſtro Hymenęo, quæ puellari & verecundię & formæ proſpicientes, cupiunt magis ſuburbanâ vinearum turri clauſam, quàm foràs prodeuntem. Verùm nec ſeruili abſtinebat miniſterio Rebecca, quæ hydriam in ſcapula ferebat, vt aquam ex fonte domum reportaret, quæ deſcribitur, Geneſ. c. 24. v. 16. (Gen. 24. 16.) *Puella decora nimis, Virgóque pulcherrima:* Sara autẽ viri ſui teſtimonio, cùm à Pharaone Ægyptiorum Rege ſublata eſt in aulã, pulchra nominatur, Geneſ. c. 12. v. 12. (Et 12. 12.) quæ tamen ſeptuaginta explenerat ætatis annos : ruſúmque eadem cùm ſupra nonagenariã eſſet, adamata eſt, quemadmodũ plerique ſentiunt ob formæ elegantiam, à Geraritarũ Principe Abimelecho, Geneſ. c. 20. (Geneſ. 20.) neque ex miraculo factum, vt tum vultu decentiſſima appareret, commonſtrat Pererius diſp. 1. in id capitis n. 5. (Pererius.) Quod ſi ne florem pulchritudinis Saræ decuſſit ætatis plenitudo, non tot peregrinando ſuſcepti labores cũ Abrahamo; ſi cõpta imprimis Rachel, quæ ouibus aduigilabat; nihil mirum eſt, Sponſam aſſeuerare, poſt ſolis exceptos radios, illæſã cutis gloriã: proinde hallucinatas Sionides, quæ Nigrã velut Tabernacula Cedar cogitabant.

*Sara ſeptuagenaria, & nonagenaria forma elegans.*

4. Lectionum plurima varietas ob Hebrææ vocis ambiguitatem, Nam שֶׁזָּפַתְנִי *Schezaphatni* L X X. verterunt: *Deſpexit me*, quorum Origen. ſectator hom. 1. ex duabus, & 2. ex quatuor; Ambroſius legit: *Non eſt me intuitus*, lib. de Iſaac, c. 4. eadémque normâ Matthæus Cantacuzenus: Pagninus, atque Vatablus *quia aſpexit me ſol :* proximè ad vulgati interpretis animum, Aquila συνέκαυσέ με *combuſſit me*; Theodotionis quoque idipſum codex περιέφρυξέν με, *torrefecit me:* Ac licet in Tranſlationibus ſumma reluceat oppoſitio, nã altera propoſitio affirmat, inquiens: *Aſpexit me*; altera negat, dicens : *Non eſt me intuitus*; tamen ſi placeret confugere ad Allegorias, non multi laboris extitiſſet, Amicitiæ reperiſſe viam, & Origenem hortatorem nacti eſſemus homilia 2. ex 4. vbi diſſerit : *Ex eo* (inquit) *quia ſol deſpexit me*; in

*Variæ verſiones.* L X X. Origen. Ambroſ. Cantacuz. Pagnin. Vatabl. Aquila. Theodotion.

Origen.

*in quo oſtendit, non de nigredine corporis fieri ſermonem, quod vtique ſol obſcurare & denigrare ſolet, cùm reſpicit, magis quàm cùm deſpicit: contrarij verò ordinis eſt Animæ nigredo: nam neque aſpectu, ſed deſpectu ſolis inuritur:* quibus verbis Adamantius ſubindicat eandem eſſe verſionem; *quia deſpexit me ſol*, cum illa: *Non eſt me intuitus ſol*, quam vtramque lectionem omnes illi amplexantur, qui L X X. Seniorum veſtigiis inhærent. Sed probemus, quanquam ad Animæ non referamus nigrorem, in Hiſtoria autem verſemur, & de corpore intelligamus, ſi fortè conglutinare valeamus: Equidem ſententiæ ſcopus eſt, aduſtam à

*Verſionum concordia.*

Phœbo Sponſam, cùm eius pateret iubari: cæterùm mos eſt hominibus ob effectuum aliquam analogiam, iram, vel clementiam tribuiſſe rebus, quibus reipſa non conueniunt: ita mare, ventóſque placidos nominamus, cùm ſecundâ afflant aurâ Nauigantibus: ſin puppem atrociùs verberent, ſubiratos arbitramur: Deúſque ipſe iræ incapax, cùm tamen affligit atque exercet, iraſci dicitur frequentiſſimo Bibliorum ſermone: Quòd igitur in Sponſam ſæuiret, quoniam acriùs ſol adurebat, indignatione commotum dixerimus: cui pronunciato fauet egregiè Symmachi

Symmach.

lectio, περιέβλεψέ με, *torvè inſpexit me*, hoc eſt, indignanter; ſic verò contuitus fuiſſe dicitur, quoniam non miti & temperatâ flammâ calefecit, ſed vehementiùs incendit, vt qui penè in fauillas redigere tentaret; atque hic ſenſus facilè capitur ex iis Verſionibus, quæ aſſerunt, ſolem aſpexiſſe, combuſſiſſe, decoloraſſe: idipſum tamen ſignificat Tranſlatio inquiens: *Non eſt me intuitus, non me aſpexit* cum metaphora quidem; Nam ex Scripturarum vſu, oculorum & luminum auerſio iracundiæ nota eſt: Iob capite 13.

*In Scriptura, oculorũ conuerſio, beneuolentiæ nota: auerſio verò, iracundia.*

Iob 13.24. Iſai. 54.8.

verſ. 24. *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Iſaiæ 54. verſ. 8. *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te:* & Ioſephus comminatus fratribus, Geneſ. c. 44. verſ. 23.

Gen. 44. 23.

*Niſi venerit frater veſter minimus, non videbitis ampliùs faciem meam.* E contrà verò, vultus manifeſtatio Beneuolentiæ pignus, vt inde propterea enaſcatur iucunditas, Pſal. 15. verſ. 10. *Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo;*

Pſal. 15. 10. Et 44. 13.

Pſalm. 44. verſ. 13. *Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur:* Vt igitur denotaret quanquàm ſol verè circumfulſerit ipſi; immitem tamen fuiſſe aſpectum, iram planetæ ſubinnuit per ea, quibus indignationem homines conteſtari ſolent, vultus nimirum declinatione; itaque, *Non eſt me intuitus*, idem cum Symmachi loquutione, *torvè inſpexit me* hoc eſt, licet viderit, ſed ita, vt qui intueri recuſant, quoniam ſtomachantur: hoc omnino altera docet verſio L X X. *deſpexit me:* nam qui deſpiciunt, & faciem contemptus causâ negant, dorſum vertentes: Ieremiæ

Ierem. 32. 33.

cap. 32. verſ. 33. *Et verterunt ad me terga, & non facies, cùm docerem eos diluculo, & erudirem*, & c. 18.

Et 18. 17. Ezechiel. 8.

verſ. 17. Deus conterret inquiens: *dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum:* Ezechielis cap. 8. verſ. 16. idololatræ ſolis adoratores in opprobrium Templo dorſum vertunt.

5\.

*Sponſa ideo nigra auditur, quia plebeia, & ignobilis.*

Quoniam verò in ea eſt ſententia communis exiſtimatio, vt putet Sponſam grauiter de fratribus conqueſtam, quò fulcire valeamus iudicium iſtorum, ſuggerimus, docuiſſe nos ſuperiori Veſtigatione ex ſpecioſa coniectura, nigram idcircò vocatam ab inuidentibus Puellam, quòd plebeia & ignobilis fuiſſet, iiſque prognata maioribus, qui ſemper latuerint in ſordibus; adeò & comprobare vitæ exercitamenta generis obſcuritatem: nam ruris operibus intenta, vel gregem ductabat, aut in vineis excubias agebat; quæ tam ſeruilia miniſteria non ſolùm vilem commonefaciebant, ſed infidelium ex Prouinciis eſſe demonſtrabant: quippe huius Epithalamij, vt ſæpe aduerti, in Salomonis regnatum Acta inciderunt: quoniam verò Reipublicæ florentiſſimus erat tum vultus, tranſierunt in nobilium, atque ingenuorum claſſem vniuerſi Iſraëlitæ, quippe de illis

*Iſraëlitæ omnes ingenui Salomone regnante.*

3.Reg. 9.22.

Regum 3. cap. 9. verſ. 22. *De filijs autem Iſraël non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum, & equorum.* Idem 2. Paralip. cap. 8.

2\. Paralip. 8.

verſ. 9. ac quanquam dubium num tributa etiam Hebræis impoſuerit Salomon, ſítque veriſimile non niſi ſub extremâ ætate feciſſe, cùm luxuriæ ne tam magnæ opes ſufficerent, vt expendit To-

Toſtat.

ſtatus quæſtione 11. in cap. 9. lib. 3. Regum; tamen exceptis quibuſdam, quos Religionis amor adegit vt ipſi ſponte ſua, templi ſubſeruirent operibus, ſtatuit agrorum culturæ, vel aliis mechanicis nequaquã addictos Artibus, quibus deſtinabantur Proſelyti ex nationibus ad Iudaïſmum conuerſi: ſubſcribunt Pineda lib. 5. de Re-

Pineda.

bus Salomonis cap. 5. ſectione 2. numero 15. & lib. 6. cap. 2. num. 6. Sanctius in cap. 9. lib. 3. Re-

Sanctius.

gum num. 16. de his Ioſeph. lib. 8. Antiq. cap. 2.

Ioſeph.

*Salomon autem Rex reliquias Chananæorum, quæ Libanum montem vſque ad vrbem Amathen colebant, & imperium eius detrectabant, ſub ditionem ſuam reductas tributa pendere coëgit, & per ſingulos annos certum numerum ſeruorum, & colonorum qui per agros diſtribuerentur, exegit: Hebræorum enim nemo ad ſeruiles operas adigebatur; nec erat æquum, vt cùm tam multas gentes Deus ſub eorum imperium ſubdidiſſet, ex his potiùs, quàm de victis eiuſmodi conditionis homines cenſerentur; ſed omnes arma, & currus atque equos, & rem militarem tractare malebant: Chananæis verò, quos ad ſeruitutem abduxit, ſexcentos Præfectos præpoſuit*, &c. Credibile igitur eſt Iu-

*Chananæi à Iudæis deſpecti.*

dæos ob res ſecundas faſtu multo elatos, tum ob odium inueteratum in Chananæos, quaſi communia totius Prouinciæ mancipia, ſummo contemptui habuiſſe: quare, vt nouerant Sponſam de Chananæorum ſtirpe eſſe, continuò deſpexerunt; nigrámque ob id vocarunt, hoc eſt, quæ ancilla nata eſſet, & ad ſeruilia, infimáque opera.

6\.

*Non omnes Chananæi ignobiles.*

Si autem ita res habuêre, & gentis vitium fuerit, quòd ſerua naſceretur, quamobrem in germanos culpam, vt qui ignobilitatis inſtrumenta fuiſſent, verrit? Equidem non omnes Chananæi ignobiles erant, nam etiam poſtquam ſubiugauerat illos Salomon, Dynaſtas & Satrapas habebant: Ioſephus teſtatur delectos ſolùm quoſ-

Ioſeph.

dam ad agrorum culturam: Regum liber tantùm aſſerit impoſita eis Vectigalia; non autem genus omne tributorũ, nobilitatis deſpoliat ornamentis; nam quanquam de tempore non ſatis conſtat,

*Non ab omni tributo Nobilitas vileſcit.*

tamẽ vel ipſos Hebræos tributis nõ modicis oneratos à Salomone Authores recognouêre, aliàs non dixiſſent Roboamo: *Pater tuus duriſſimum iu-*

3\.Reg. 12. 4.

*gum impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum*, &c. Reg. 3. cap. 12. verſ. 4. nihilominus ingenui & liberi cenſebantur omnes, viri vtique bellatores, & miniſtri regij: neque vnquam ita ſubacta natio aliqua, vt non derelinquantur ex nobilitate quidam: Cùm igitur apud Chananæos Nobilium & ingenuorum reperirentur familiæ; ſubinnuit Sponſa, ſe quidem ex nobilitate eſſe; quod verò proletaria cenſeretur,

*Sponſa nobilis Chananæa, à fratribus vili addicitur operi.*

atque



atque ex hominum fæce, germanis crimini tribuendum, qui ſeruilibus addixerint operibus, & iuſſerint ea obire munera, quæ niſi de mancipiorum genere, alius nemo aggrederetur, illo præſertim fortunato Salomonis imperio, vineas nimirum ſeruare: Habent verò emphaſim omnia penè verba: Neque enim à quibuſcumque atroces illatas iniurias, ſed ab iis, qui ſummam impertiri gratiam debuiſſent, fratribus ſcilicet, eſt enim vel ſola fraterna appellatio, fidei, ſynceritatis, Reconciliationis obſes: *Certè quoties blan-*

Quintilian.

*diri volumus*, (ait Quintilianus Declamat. 321.) *his, qui & Amici eſſe videntur, nulla Adulatio præcedere poteſt, quàm vt fratres vocemus:* ſed cùm fratrum germanitas conſueuerit eſſe maxima, qui tamen ex eadem prodiêre vuluâ, arctiori vinculantur amore: ob hoc Ioſephus in Conuiuio pluribus dilectionis notis Benjaminum, vterinum nimirum fratrem, Geneſ. cap. 43. proſequutus eſt ex communi Interpretum placito; ab huiuſmodi tamen Sponſa paſſa, idcirco filios Matris ſuæ nominat, vt ex eodem progreſſos vtero doceat: quin & Iacob Patriarcha, cùm remiſſior eſſet in vindicando Dinæ honore, fratres tam lentas moras exoſi, grauiſſimas inſidias Adoleſcenti præmoliti ſunt, Geneſ. cap. 34. adeò pro ſororculis maius quodammodò fratrum ſtudium, quàm ſit ipſis progenitoribus: ſed omnia violarunt iura Sponſæ germani: neque in iracundia modus, aut lenimen aliquod: pro illis enim: *pugnauerunt contra me*, Hebræa verti poſſunt, *ardore exarſerunt in me*; eam eſſe vim dictionis נִחֲרוּ־בִי *nicharu-vi* peritis viſum Expoſitoribus; ardore autem ſuccendi, eſt vehementiſſimè ſubiraſci: denique nec ſaltem deploratæ Virgini conceſſum, vt cùm ſeruandæ fuiſſent vineæ, eam cuſtodiret quam ipſamet poſſideret, quæ omnibus titulis ad ipſam ſpectaret: nam peculiare ius Sponſæ in illam vineam Tranſlatio Pagnini, atque Vatabli, indicat, legunt: *Vineam meam, quæ erat mihi, non cuſtodiui:* Quanquam fortaſsè aptius ſit intelligere, fraternâ violentiâ ereptam penitus miſeræ hanc vineam; quàm quòd denegatum fuerit, vt cuſtodiret; vt duo mala intulerint peruerſiſſimi homines: cùm nobilis atque libera eſſet, mancipiorum catalogo adſcripſerint, dum cogunt ex ſeruorum norma Vineis attendere: inſuper patrimoniali vineâ, quæ & in dotem futura erat creſcenti, atque nubili, deſpoliarint.

*Arcto fratres ſociãtur vinculo.*

Geneſ. 43.

*Fratrum in Sponſam inhumanitas.*

Pagnin. Vatabl.

7\.

At quomodo hanc Puellam vel nobilem aſſentimur, vel poſſediſſe Vineam affirmamus, cùm elapſo Anteloquiorum opere frequenter ſtatuerimus, eâ prognatam genitrice, quæ cùm apud ipſos agreſtes modici fuiſſet nominis, coacta ſit ob egeſtatis extremum, ſub pomiferæ Arboris tegumento natam parere? Equidem Vinearum vberrimos eſſe prouentus, & qui familiam alere integram poſſint, Columella demonſtrat, lib. 3. de re Ruſtica, cap. 3. & in Palæſtina præcipuæ fuiſſe diuitiæ videantur: nam & de aureo Salomonis ſæculo, Reg. 3. cap. 4. verſ. 25. *Habitabántque Iuda, & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan vſque Berſabee cunctis diebus Salomonis:* ficus autem continebantur intra vineta, Luc. cap. 13. verſ. 6. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua*, &c. Omiſsâ reliquâ ſupellectile vel illis tam lætis temporibus, de vinea ſolum memoratio; exploratores etiam, vt quaſi ex vngue leonem noſcant Hebræi, vuam cum palmite ſuo reportandum maximè iudicarunt, Numerorum, cap. 13. verſ. 24. &

*Quantus vinearum prouentus.*

Columell.

3\.Reg. 4. 25.

*Ficus in vineis.*

Luc. 13. 6.

Numer. 13.

apud Oſeam, quæ virum deſtituerat fornicatrix, præcipuâ afficitur plagâ, cùm vir antiquus minatur, cap. 2. verſ. 12. *Et corrumpam vineam eius, &* Oſeæ 2. 12.

*ficum eius, de quibus dixit: mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi Amatores mei:* Cùm igitur vinearum tam locuples, atque ampla eſſet poſſeſſio, vndenam Sponſæ? Prudenter vidit Ludouicus de Sotomaior doctiſſimus ſanè Interpres, & Sotomaior.

indefeſſæ lectionis, ſub his verbis aliquid latitare ignotæ Hiſtoriæ, aut certè Parabolæ, eius quæ *Vndenã Sponſæ vineæ*

contingere potuerit rei, quæ niſi aperiatur, ſubobſcura manſura ſit Explanatio qualiſcumque: ea de re noſtram diuinationem benigni lectoris oculis ſubmittere non veriti ſumus, quoad meliora publicentur ab excellenti aliquo ingenio.

8\.

*Sponſa à Patre nobilis.*

Quod igitur in hunc verſum eiuſdem Sotomaior Commentarius proſpexit nobili ſatam ſtirpe Sponſam hanc; id nos de genitore libenter ſumus amplexati in præcedenti volumine, Anteloq. 5. num. 84. Nam Matrem, (cùm id vulgata referat ſententia ad verſum 5. cap. 8. Canticorum, Cant. 8. 5.

*ſub arbore malo ſuſcitaui te, ibi corrupta eſt mater tua ibi violata eſt genitrix tua*, &c.) pauperem atque egeſtuoſam fecimus ſemper: Nam à Sponſo, ne inſperati connubij gloriâ ſuperbiret Virgo, reuocata ei in memoriam Natalium obſcura initia Trium Patrum explanatio perhibet, quibuſcum Coſmas Damianus, Hortulanus, Sotomaior, Delrius, Mariana, Sanctius, Arnoldus Cathius, nempè, quod ſit coacta genitrix in ſyluas progredi, quia & Mapali careret, vbi editam recliuaret, niſi enim paupertati tribuamus, quod nemore ſpatiantem genitricem inſperati partus agones impulerint frondoſo accubare lecto, probroſum non eſt: nihil autem in ortu contigiſſe dedecoris vt adſtruamus, Patrum vetat authoritas, qui Naturæ humanæ ſugillari putant originariæ labis pudendam maculam. Dicebamus autem memorato loco ſecundum coniecturam de Patre eius, natione Hebræum fuiſſe, & de regiis Præfectis vnum, proin virum de nobilitate, quem rebamur iuuenili ardore vim intuliſſe Sponſæ Matri, eiuſque Virgineam ſoluiſſe zonam, nam Vulgati ſententia oppreſſam innuit: *Ibi* (inquit) *corrupta eſt Mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Cantic. cap. 8. verſ. 5. neque enim violatam dicimus Puellam cum qua Maritus concubuit; neque ſi vxorem duxiſſet, vel ſecundariam quidem, in Libani reliquiſſet deſerto rure, aut Matrem, aut filiam, ſed in Metropolim ſecum aduceheret, vbi gnatæ neque hœdi fuiſſent vlli, quos paſcere, neque vineæ, in quibus inſomnes noctes excubans traduceret: Cæterùm, vbi reſciuit genitor infantulam editam eſſe, quam formæ rara quædam pulchritudo commendaret; quanquàm, vt in aliquot lateret annos ſub genitricis diſciplina, iudicauit; vt ſunt euenta humana incerta, ne morte præoccuparetur, priúſquam ſuam eſſe filiam publicaret, vineam conceſſit, dotem maturæ & nubili futuram, quam interim Mater coleret, & mediocri ſaltem pompâ gnatam educare poſſit: poſt amiſſum Virginitatis florem coniuncta eſt Sponſæ genitrix viro de ruſtica multitudine, cui maſculam peperit ſobolem variam: creſcentibus filiis, cùm animaduerterent in ſororculam propenſiorem Matris affectum, quam Ruris ſubtraheret operibus, delicatè enutriret, & ferè oppidanarum in morem: inuidiâ ſuccenſi ob impares honores, volente nolente genitrice, quæ Virginis originem ſemper occultabat, eadem ſubire onera cogebant, agnos ad paſtum ducere,

Coſm. Damian. Hortulan. Sotomaior. Delrius. Mariana. Sanchez. Arn. Cathius.

*Sponſæ Matri adhuc Virgini vim intulit in Libano Maritus.*

Cant. 8. 5.

*A Patre vineam accepit in dotẽ Sponſa.*

 vigilare

vigilare in ſepibus vinearum, alias obire ſeruiles operas, æquam in omnibus experiri fortunam: & quoniam poſſeſſiones ad viros deferebantur iure hæreditario, non ad fœmineum ſexum: cùm obloqui non auderet Mater, Vineæ quâ alebatur familia, & quæ ad Sponſam pertinebat, ſe Dominos ſuperbè gloriabantur, fructibus pro lubito vtebantur.

9.
*Ex ſuprà dictis patet ſenſus Literalis.*

His recenſitis, ſeu ex veritate Hiſtoriæ, ſiue ex Parabolarum copioſiori licentia, apparet, quinam eſſent filij Matris, de quibus Sponſa conqueſta eſt, & quibus ex fundamentis ingemuit, quænam Vinea ea, quam omiſerit cuſtodire, & Vineam vt habere potuerit in maximâ nata Paupertate, quam tamen adſcribunt Sotomaior, Placidus Nigidius, Sanchez ad hæc verba: Conſtat etiam deceptas Hieroſolymitanas nurus, cùm plebeiam, & vulgo progenitam reputarent, Patrem namque habebat de Abrahæ trunco, & Præfecturâ, & opibus & Maiorum ſtemmate inſignem: Quod autem vitæ exercitamenta, è ſeruili claſſe indicarent, mancipiorum enim officium erat, camporum atque vinearum induſtria ſub Monarcha Salomone, vt aſſerebamus numero 5. fratrum accidiſſe maleuolentiâ, qui Matre renitente compulerint Vineis excubias agere; itaque, vt de rureſtri videretur turba, quia & latêre per tempus aliquod operæprecium, propter genitoris imperium, & fratres obſtiterant genitrici, cùm ciuilem in modum educare tentaret; tamen ſub agreſti integumento condi nobilitatem, cùm Pater equeſtris eſſet dignitatis, diuitias occultari, cùm Vineam poſſideret; mores, ingenium, formam, eloquentiam, cùm hæ dotes Sponſum ſtimularint, vt præferret Hieroſolymitanis Virginibus.

Sotomaior.
Nigidius.
Sanchez.

*Educatio Sponſæ ciuilis & ingenua.*

10.
*Qualis Sponſæ Pater, incertum.*

Verùm, cùm Sponſæ genitorem ex Hebræorum nobilitare faciamus, quonam more licuit Vineam filiæ donaſſe? Quippè Iudaicis legibus ſancitum erat, vt bona immobilia, quales fundi, & Agrorum quælibet poſſeſſiones ad maſculam prolem tranſirent: is refertur Canon Numerorum cap. 27. verſ. 8. declarat prolixè Toſtatus quæſtione 22. tangunt Bonfrerius ad nominatum verſum. Torniellus tom. 1. anno mundi. 2583. num. 22. Reſpondeo imprimis; non eſſe certum, vt citato Anteloquio 5. prioris Voluminis numero 84. dixi, an Paganus aliquis Dynaſta, an de Hebræorum optimatibus quiſpiam Sponſæ fuerit Pater: Quod ſi ex gentibus fuit qui progenuit, dicemus, alium fuiſſe morem, quàm inter Hebræos, & permiſſum vt ex immobili etiam ſubſtantia filiabus portio concederetur: Repugnare tamen videtur Geneſis locus cap. 38. verſ. 8. *dixit ergo Iudas ad Onan filium ſuum; ingredere ad vxorem fratris tui, & ſociare illi, vt ſuſcites ſemen fratri tuo:* quibus ſimilia cùm legantur inter Decreta Moſaïca Deuteron. cap. 25. verſ. 5. & datum ſit eiuſcemodi præceptum, ne tribuum & familiarum memoria aboleretur delatis poſſeſſionibus ad fœminas, rectè animaduerterunt Interpretes in lege naturæ, ac proinde inter gentes viguiſſe ſeu ex Traditione Maiorum, ſiue ex conſuetudine Nationum, quod legiſlator poſtea mandauit; quæ eſt opinio Nicolai, Abulenſis, Caietani, Pererij, Bonfrerij, Tornielli tom. 1. anno mundi 2312. num. 2. Saliani tom. 1. anno mundi 2324. num. 1. Serarij in cap. 4. Ruth. quæſtione 6. numero 2. nihil autem prodeſſet ſub legis Naturæ temporibus ita cautum eſſe, nempe vt eiuſdem cognationis hominibus fœminæ nuberent, niſi ſcopus fuiſſet idem qui Moyſi, auitæ ſcilicet memoriæ continuatio: proinde ſicut ob hunc finem in lege Moyſis vſitatum, ne fundi aut poſſeſſiones ad mulieres deuoluerentur niſi ex virorum defectu, idem conſuetudine introductum fuerit in lege naturæ: Quamobrem, quod Iobi capite vltimo verſ. 15. dicatur, genitorem tribus filiabus hæreditatem in medio fratrum tribuiſſe, licet gentiles eſſent, de Idumæa nimirum, atque Naturæ regerentur lumine, præter morem tamen actum à Iobo noſter affirmat Sanchez num. 28. certè & Pharao Rex Ægypti, cùm Salomoni potentiſſimo Monarchæ filiam traderet, dotémque pendere vellet, nihil de Maiorum Patrimonio imminuit, verùm patriis relictis ſedibus cum Bellatorum manu *aſcendit, & cepit Gazer, ſuccenditque eam igni; & Chananæum, qui habitabat in Ciuitate interfecit, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis*, Reg. 3. cap. 9. verſ. 16. neque ab immobili ſubſtantia ſolæ gnatæ excluſæ, inſuper & filiorum pars, quæ de Concubina Matre, & ſecundaria vxore, vt probè adnotatum à Serario, loco paulò antea citato; eâque de cauſa de Abrahamo, Geneſ. cap. 25. verſ. 5. *deditque Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac: filijs autem Concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo:* donorum autem vocabulo ſubſtantiam mobilem expoſuêre Toſtatus, Bonfrerius, Pereira num. 27. Torniellus tom. 1. anno mundi 2179. num. 5. Salianus tom. 1. anno mundi 2201. num. 3. ac quanquam Iſaaco ſupellectilis etiam florentiſſima pars ceſſit, verùm de hac inter filios Concubinarum diſtributum; cùm immobilia vniuerſa, Nemus ſcilicet, quod in Berſabee plantauerat, Geneſis cap. 21. verſ. 33. & ager in Hebron cum ſpelunca duplici, ſolus accepiſſet, quoniam ex Sara, quæ libera erat, & primaria coniux ſatus fuiſſet Iſaac.

Numer. 27.
Toſtat.
Bonfrer.
Torniell.

Geneſ. 38. 8.

Deuter. 25.
*Quæ filiarum in hæreditate olim portio?*

Lyra.
Toſtat.
Caietan.
Perer.
Bonfrer.
Torniell.
Salian.
Serar.

Iob 42.

Sanchez.

3. Reg. 9. 16.

Geneſ. 25. 5.

Toſtat.
Bonfrer.
Perer.
Torniell.
Salian.

11.

Dicemúſne, omni quidem licuiſſe ætate, ſeu naturæ vigeret lex, ſeu ſcripta, de immobili ſubſtantia filiabus impertiri, vt cogerentur tamen eiuſdem tribus, & familiæ viris nubere; atque ſecundum hæc Agrum à Calebo Axæ filiæ datum, Ioſue cap. 15. verſ. 18. & Iudicum 1. verſ. 14. ita in Ioſue Andreas Maſius; in Iudices Serarius §. *An rectè*, & Magallanius in expoſitione Literæ: Nam quod Arias Montanus in verſ. 15. Ioſue affirmarit, Calebo non fuiſſe maſculam prolem, ſed domus ſobolem vnam Axam, Salianus tom. 2. anno mundi 2604. num. 6. refutat, cùm Paralip. 1. cap. 4. verſ. 15. dicantur tres ex Calebo geniti filij, Hir, Ela, & Naham, de quibus Toſtatus quæſt. 10. At neſcio, quàm ſit germana hæc doctrina Numerorum cap. 27. verſ. 8. vbi ferens legem, inquit: *Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas:* Vtique & priuſquam vitâ excederet, vt in Calebi geſto oſtenſum: Imò & Parente defuncto antequam Moyſes iſtamet declararet, dubium fuiſſe videatur, num omni prole maſculâ ſublatâ gnatorum vice filiæ ſubrogari poſſint, quoniam ſi id ſub lite non fuiſſet, ſuper ea re filiæ Salphaad neque Moyſem, neque Eleazarum adiiſſent, cuius fuiſſe cogitationis omninò Toſtatum appareat quæſt. 22. in prædictum Numerorum caput: *Dicitur* (ait) *quod cùm aliquis moritur ſine filijs, hæreditas tranſit ad filias, quaſi dicat, ſi haberet filios, nihil ſuccederent filiæ, & hoc erat ſpeciale in veteri Teſtamento, quod nunc non eſt, nam nunc filij & filiæ æqualiter ſuccedunt, tunc autem ſoli filij ſuccedebant; ideò ſi vnicus filius eſſet; etiamſi eſſent decem filiæ, filius ſuccedebat vniuerſaliter; antè hoc autem filiæ nunquam habebant ius ſuccedendi, nec indirectè, nec in defectum filiorum; quod patet ex petitione filiarum Salphaad: nam ſi in defectum filiorum fuiſſet ius filiabus ſuccedere; non dicerent, quod nomen Patris ſui tollebatur de familia ſua: quia ipſæ ſucceſſuræ erant non exiſtentibus filijs maſculis; nec petiuiſſent hoc:* igitur contrà fas egerit Calebus? nullo modo: Quemadmodum enim Abulenſis, quanquam putarit Othonielem & Calebum fuiſſe, exiſtimarítque, Leuit. cap. 18. prohibita Connubia inter Patruum, atque neptim; reſoluit tamen quæſt. 7. in cap. 15. Ioſue, licitè initum Matrimonium ob Numinis diſpenſationem, de qua etſi Scriptura taceat, fidem tamen facit vtriuſque fratris commendata ſacris in voluminibus ſanctitas: ita proculdubio aſſeueraret ex Dei permiſſu, contra legum iuſſa, filiæ Agrorum partem contributam.

Ioſue 15.
Iudic. 1.
Maſius.
Serarius.
Magallan.
Arias Mont.

Paralip. 4.

Toſtat.

Numer. 27. 8.

*Filiarum in hæreditatem paternam quæ ſucceſſio.*

Toſtat.



12.

Hæc tamen cuncta propoſitæ à nobis de Sponſæ vinea Aſſertioni non officiunt: Nam euincunt tantùm, quam ex ſortitione tribuum vnuſquiſque Hæreditatem capeſſerat, non potuiſſe niſi omni extinctâ maſcula prole ad gnatas deriuari: Cæterùm, quam Pater Sponſæ vineam filiæ donauerat, ad tribus eius fundos non ſpectabat: Nam vel ſita erat propè Tyrum, atque Sidonem cui regioni Iramus dominabatur Ethnicus Toparcha: vel in Libani montanis, quæ iuga Chananæi poſſidebant; itaque in gentilium poteſtate locata Agrorum ſpatia filiabus genitores coëmere poterant, neque enim tribuum inde ſequebatur aliqua confuſio, cùm illæ Poſſeſſiones nunquam ad tribum aliquam ſpectarint. Hoc igitur Sponſæ Pater egerat; cùm filiam educari voluerit vel in Tyriorum Prouincia, aut in Libani excelſis Cacuminibus iuxta ea, quæ fuſiùs à nobis diſceptata Præludiali opere, Anteloq. 5. n. 81. ibi vineam à Paganis, argento acceptam tribuit: fortaſſe & ipſe rebelles Chananæos ſub Dauide, aut Salomone tributarios fecit, óbque res in bello præclarè geſtas, ab Imperatore remuneratus eſt parte deuictarum gentium, quas in eos quos vellet vſus diſtrahere poterat, vt eiuſdem Anteloquij num. 134. oſtendebamus: denique quod ibidem inſinuauimus, poterat quóque ad tribum & familiam pertinens Ager vſque in annum Iubilei abalienari: vineam igitur Sponſæ genitor filiæ vt in perpetuum non donarit, tamen vſque in quinquageſimum dederit annum, quæ non ſpernenda Virgini dos, præſertim ſi ſpatioſa eſſet, & pingui, atque vberi ſolo plantata: atque his ſatisfactum, quamobrem licet Sponſa humili eſſet loco nata, & de genitrice, cuius eſſet penè inſuperanda egeſtas, Vineæ tamen Domina fuiſſet.

*Sponſæ vinea vbi ſita?*

*Alicuius Tribus Ager vſque in annum Iubilæi poterat abalienari.*

13.

Suboritur ex præiactis fundamentis altera Quæſtio: ſæpè in antecedentibus Sponſam huius Epithalamij Alienigenam vocauimus, quod indidit Epitheton Theodoretus ad verſum præcedentem: *Exprobrant ei* (inquit) *non ſolùm quod Alienigena ſit, & peregrina; verùm etiam, quod Dæmones antea miſerè coluerit:* Verùm, quonam pacto Alienigena, cui genitorem de Hebræorum linea aſſignamus? Nam quòd extra Palæſtinam in Libani vaſtitate natale habeat ſolum, inſufficiens eſt, cùm Paulus Tarſenſem ſe fateatur, & Ciliciam Patriam agnoſcat, Actor. cap. 22. verſ. 3. ibidem autem virum Iudæum ſe appellat: neque ſatis ementita coluiſſe Numina, cùm & ipſi Hebræi ſæpe à vero Deo receſſerint. Vt hæc enodemus, quibus modis ea in ſcripturis accipiatur vox, diſcamus à Toſtato quæſt. 28. in c. 16. Numerorum. *Dicendum* (ait) *quòd quicumque Alienigena prohibetur ab aliquo actu in lege Moſaïca, opus reſpici, vtrùm ille actus pertineat ad totum populum, vel Leuitas, vel ſacerdotes: ſi ad totum populum, vocabuntur Alienigenæ gentiles, vt patet* Leuit. cap. 22. *ſcilicet, de manu Alienigenæ non offeretis panes Dominò Deo veſtro: aliquando tamen vocatur Alienigena reſpectu omnium, qui ſunt de ſemine Iacob; & tunc non ſolùm gentiles ſunt Alienigenæ, ſed etiam Gentiles conuerſi ad Iudaiſmum, & filij conuerſorum: ſic accipitur* Leuit. cap. 25. *vbi agitur de priuilegio Iubilæi, & anni Remiſſionis, quod non conueniebat Alienigenis, id eſt conuerſis: ſi verò actus conueniat Leuitis, vocabuntur Alienigenæ, vel extranei omnes duodecim tribus; ſic patet ſuprà cap. 1. ſi autem ſit actus Sacerdotalis, dicuntur Alienigenæ omnes, qui non de ſemine Aaron, licet ſint de Leuitis: ſic patet ſuprà cap. 3. & hîc, & infrà cap.* 18. Alienigenarum nomine comprehendi nonnunquam ad Iudaiſmum conuerſos Salianus admittit tom. 2. anno Mundi 2544. num. 689. eodem vocabulo ſubintelligi interdum reliquos Hebræorum exceptâ aut Leuiticâ turbâ, vel ortis ex Aaron, Bonfrerius adſtruit ad v. 33. cap. 29. Exodi, & ad verſ. 10. cap. 22. Leuitici: Nicolaus ad verſ. 43. cap. 12. Exodi, Alienigenam preſſiùs definit cum Rabbi Salomone, *Omnem eum, qui eſt extra ritum Iudæorum, ſiue ſit Gentilis, ſiue Iudæus baptizatus.* Toſtatus ibi clariùs quæſt. 56. *Vocatur autem Alienigena, id eſt extraneus à cultu Dei: vel quia gentilis eſt, vel quia Iudæus erat, qui conuerteretur ad Gentilitatem: nunc autem ipſi Alienigenas vocant Iudæos ad Chriſtianitatem conuerſos.* Bonfrerius eo loci requiri ad vocis ſynceram affirmat ſignificationem, vt alienus ſit & à gente, & à Religione Iudaïcâ: Hoc vltimum præ cæteris arridet, iuxtà quem ſenſum verba conſtruenda ex Reg. 3. cap. 8. verſ. 41. *Inſuper & Alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſraël, cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum, (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum vbique:) cùm venerit ergo & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus inuocauerit te Alienigena; vt diſcant vniuerſi populi terrarum nomen tuum timere.* Eodémque modo intelligenda de Actorum cap. 10. verſ. 28. *Vos ſcitis, quomodo abominandum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad Alienigenam; ſed mihi oſtendit Deus neminem communem, aut immundum dicere hominem.*

Theodoret.

*Quinam apud Hebræos Alienigenæ?*
Toſtat.

Salian.

Bonfrer.

Lyra.

Toſtat.

Bonfrer.

3. Reg. 8. 41.

Actor. 10. 28.

14.
*Quo ſenſu Sponſa Alienigena?*

Atqui Sponſa huius Carminis, quam omni cum rigore Alienigenam dictam ſentimus, primùm vt auſpicemur à gente; ex ea fuit natione, quæ ſpeciali vocabulo in Biblica Hiſtoria Allophyla, ſeu alienigena dicta eſt, quod peregrè venerit, ij vero Palæſtini ſeu Philiſtini ſunt, de quibus Hieronymus in cap. 2. Ieremiæ, ad illud; *quia repleti ſunt olim*, &c. *Pro Philiſtijm ſemper* LXX. *Alienigenas interpretati ſunt, id eſt* τὰς ἀλλοφύλους, *nomen commune pro proprio, quæ eſt hodie gens Palæſtinorum, quaſi Philiſtinorum, quia P literam ſermo Hebraicus non habet, ſed pro* P, φ *Græco vtitur: vnde & illud, quod in Pſalmis dicitur cum enumeratione gentium cæterarum: mihi Alienigenæ ſubditi ſunt; non omnes exteras nationes, ſed propriè Palæſtinos ſignificat:* Hieronymum ſectantur Genebrardus & Folengius ad verſ. 7. Pſalm. 82. Ribera in Abdiam, numero 90. & in cap. 2. Sophoniæ, num. 23. Lorinus ad titulum Pſalm. 55. Mendoza tom. 2. in lib. 1. Regum ad verſ. 1. cap. 4. num. 14. Adrichomius in Dan numero 42. Sa, Mariana, Agellius ad verſum 7. Pſalm. 82. Habitabant in quinque

Hieronym.
*Philiſtijm ſeu Palæſtini propriè Alienigenæ.*

Genebrard.
Foleng.
Ribera.
Lorinus.
Mendoça.
Adrichom.
Sà.
Mariana.
Agell.

Prouincias

Prouincias diſtincti,Ioſue c.13.verſ. 3.&Reg.1. cap. 6. verſ.5. prope Mediterranei oſtia maris Ezechiel.25. 17. Ezechiele teſte; *Ecce ego extendam manum meam ſuper Palæſtinos, & interficiam interfectores & perdam Reliquias maritimæ Regionis*, cap.25. verſ. 17. Sophon.2.5. atque Sophoniæ cap.2. verſ.5. *Verbum Domini ſuper vos Chanaan terra Philiſtinorum, & diſperdam te, ita vt non ſit inhabitator; & erit funiculus maris requies Paſtorum, & caulæ pecorum*; quo modo A Caſtro. A Lapide. Sanchez. explanat vatis oraculum Caſtro, à Lapide, Ribera num. 12. Sanchez num. 15. Prado ad citatum Ezechielis locum, vbi etiam dicit Phœniciæ partem, quam Philiſtæi incolerent; Adrichomius Prado. Galarça. dicto numero, Galarça Euangelicarum Inſtitutionum lib.6.cap.4. Sed optimè à Ribera & Sanctio animaduerſum peculiariter reſtrictum Chanaræorum nomen ad Philiſtæos, quod maritimam oram tenentes ita ſpeciatim vocarentur, id *Philiſtæi ſpeciatim Chananæi.* quod à nobis oſtenſum eſt priori Volumine Anteloquio 5. num. 86. vbi produximus ſcriptores, quibus Phœniciæ adlegere Palæſtinorum Satrapias viſum: certè Ioſue cap.13.verſ.3. Ioſue 13.3. *Terra Chanaan* (inquit) *quæ in quinque Regulos Philiſtijm diuiditur, Gazæos & Azotios*, &c. atque id imprimis Maſius. Andreas Maſius contendit ad verſum 1. cap. 5. Ioſue. Iam igitur cùm oſtenderimus memorato Anteloquio 5. ſectione 5. ſubſectione 1. & 2. Sponſam ex Phœnicum ſtirpe, atque ex Chanaræorum, quibus preſsè competit vocabulum, *Sponſa Philiſtæa.* numero, inter Philiſtæas computare valeamus: Quòd ſi Philiſtæa quidem, & Alienigena pariter, cùm ſecundum Hieronymum eiúſque ſententiæ cultores plurimos, Philiſtini ſingulariter Allophyli dicantur, & Alienigenæ: ſin autem Philiſtæam concedere renuamus, exteræ tamen gentis Virginem oportet ſupponamus: Nam, vt Lyra. Lyranus optimè aduertit, *vineas cuſtodire* ſeruilium operarum membrum eſt; ab his autem liberatos Hebræos vniuerſos ſub Monarchia Salomonis numero 5. patefecimus; incidit autem huius Puellæ ætas in Regnatũ Salomonis, vt ſæpius à nobis firmatum eſt: Hebræa itaque non potuit eſſe, ſaltem talis haberi quæ mancipiorum fungebatur officiis; ergo prima conditio, qua Alienigenæ conſtituuntur, externi nempè ſolo, in eam quadrat: id quod ad hunc locum perſpexit noſter Sanctius, qui ex famularum miniſterio rectè Alienigenam iudicauit.

15. *Solem adorauerat Sponſa.* Alterum autem requiſitum de falſorum Numinum cultu frequenter conſtabilitum eſt: ex Anteloquiis quinto, num.85. & 101. atque ſuperiori Veſtigatione num.25. Sed nullibi crebriùs, quàm ad hæc ipſa verba; nam dici ab Eccleſia gentium, quæ dæmones venerata eſt, affirmat Origen. Euſeb. Philo Carp. Appon. Hortulan. Sanchez. Theodoret. Origenes hom.2. ex quatuor: Euſebij Pamphili breuiſſimus Commentarius, Philo Carpathiorum Antiſtes, Apponius, Tres Patres apud Theodoretum, quos ſequuti ex Recentioribus Hortulanus in Paraphraſi, & Gaſpar Sanctius numero 36. Theodoretus autem quæ adorauerit Numina manifeſtat, inquiens: *Denigrata ſum, quod Creaturas adoro, omiſſo Creatore, & ſolem hunc aſpectabilem colo pro Sole iuſtitiæ: Verùm, quæ ſit inter hunc, atque illum differentia animaduertens, relictâ Creaturâ ad Creatorem adorandum me contuli.* De Synagoga, quod Soli atque Lunæ diuinitatem tribuerit Ægyptiorum deluſa ſuperſtitionibus, Hebræorum Doctorum opinio fuit, quam Paraphr. Chald. apertè docet ſententiam Paraphraſis Chaldaica, aſſerens: *Nolite me deſpicere, dixit Cœtus Iſraël coram populis, eò quòd nigrior vobis ſum, & quia feci iuxta opera veſtra, & adoraui Solem, & Lunam, quia Prophetæ falſi fuerunt cauſa, vt deuolueretur ira furoris Domini ſuper me, & docuerunt me, vt ſeruirem idolis veſtris, & ambularem in inſtitutis veſtris*: amplexati hanc cogitationem Agathius Guidacerius, & Cyprianus Ciſtercienſis, qui fuſiùs explicat: probabilem iudicauit Almonacyrius: commendauit Sotomaior & in longo interpretamento, & in Notis breuioribus: igitur licet genitor Sponſæ Hebræus fuerit, ſed quia extra Iudæam inter Paganos nata, inter quos & creuit, eoſdémque bibit errores falſæ Religionis; propterea Alienigena omni cum rigore vocabuli, cenſenda eſt. Guidacer. Cypr.Ciſt. Almonacyr. Sotomaior.

---

*Idololatriæ num dari valeat inuincibilis Ignorantia? Gentiliſmi ſupina malitia: Philoſophi peruerſi duces? Num ex ſimulatione thura obtuliſſe Idolis aliquo euentu licitum? Num ſaltem ex ignorantia inuincibili id iuſtum cenſeri potuerit? An fana adire, & ritibus intereſſe nefarium?*

## SECTIO II.

Paganiſmi infectam erroribus Sponſam his inſinuari verbis nuperrimè oſtendimus, ex 16. profeſſo autem Canticorum Iſagogâ, Anteloq.5. ſectione 5. ſubſectione 2. & duabus ſequentibus, atque certè obiectatam infidelitatem ſuperioribus verbis: *Nigra ſum, ſed formoſa*, &c. ſedulò monuimus: Sed quemadmodum ab aliis ſe Conuitiis purgauerat eâdem phraſi ſignificatis, vti hactenus demonſtratum eſt; ita & quam poſſit excuſationem præparat, ſi quo modo Ethnicam non fuiſſe, corroborare valeat; aut vt gentiles coluerit ritus, cum excuſatione egerit: Vndenam igitur mutuabimur Patrocinium? Scio commune his temporibus ſcholarum placitum, omnium Myſteriorum, quæ ex Dei Reuelatione pendent, proinde ad fidem ſpectant, & niſi eius adminiculis cognoſci non poſſint, inuincibilem dari potuiſſe ignorantiam; Eius fautores opinionis *Myſteriorum fidei, quæ ex Dei reuelatione pendent inuincibilis dari potuit ignorantia.* denſum Neotericorum agmen, Azorius tom. 1. lib.1. cap.13. Quæſito 1. Sanchez de Præceptis lib.1. cap.16. num.33. Salas de peccatis quæſt.76. tract.13. diſputatione 8. ſectione 4. numero 18. Azor. Sanchez. Salas. Suarez de fide, diſputatione 17. ſectione 1. & 2. Vaſquez 1.2. diſputatione 120. cap.3. num. 7. Valentia tom. 2. diſputatione 6. quæſt. 6. punct. 1. § *Tertiò ſequitur.* Conink diſputatione 18. de fide dub.2. num.12. Tannerus de fide, diſputatione 1. quæſt.8. dub.1. num.14. P. Puente Hurtado tom.1. in 2.2. diſputat. 65. ſectione 2. Filiucius tom. 2. tract.22. cap.4. num.109. P. Ferdinandus de Caſtro tom.1. operis Moralis, tract.4, diſputatione 2. Suarez. Vaſquez. Valentia. Conink. Tanner. Hurtado. Filiuccius. De Caſtro. Puncto 2. Granados tom. 3. tract.15. diſputat. 1. num. 5. At non de hac fidei carentia inculpatâ Diſceptatio, verùm de Idolorum cultu; Num interim quoad Reuelatorum nulla affulget lux, ementitis Numinibus thura offerre, delubra conſtruere, victimas mactare, ob ignorantiam inuincibilem, culpâ liberandum? Id rudioribus aliquibus ad breue interuallum contingere potuiſſe, quorum ſit craſſiſſima Mens, neque his ipſis niſi ex rariſſimo euentu inter nominatos ſuperiùs Authores ſenſêre Valentia vbi ſuprà, §. *Reliqua verò*, &c. Salas citato loco, Corollario 2. Suarez Granad. *An Ignorantia inuincibilis excuſare potuerit falſorum Deorũ cultores.*



tom.1. de Relig. Tract.3. lib.2. de ſuperſtit. cap.6. num.2. licet enim ex prænominatis Doctoribus plerique ſubſcribant, non tantùm iuris diuini poſitiui, & myſteriorum fidei dari poſſe ignorantiam inuincibilem, ſed inſuper & iuris naturæ, nihilominus iidem peritè aduertunt cum Sancto Thoma 1.2. quæſt.94. art.6. in corpore quæ- S.Thom. dam eſſe Naturæ principia tam manifeſta, quæ ne hebetes quidem latêre valeant, ex quibus eſt vnum eſſe Deum colendum, & non multa Numina: vt enim eiuſdem eſt ex ipſius Naturæ Magiſterio, vnum eſſe ſupremum Rerum Gubernatorem, ſic euidens, non niſi huic vni, eam, quæ diuina eſt, adhibendam venerationem: igitur Idololatriæ nequeat eſſe ignorantia, niſi homines aliquos comminiſcamur, in quibus Rationis omne iubar penè extinctum cenſeatur.

17. *Idololatrarũ excuſatio, ab eorum Præceptoribus.* Sed eſto, Naturæ inſtinctu induci potuerint, vt ſectas deteſtarentur, potuerunt tamen excuſari ob præceptores, quos nacti fuerant: videbant namque & Philoſophos etiam, & ſapientiores quoſque muta venerantes ſimulachra, qui ſeriò docerent plebem, Deorum colendam multitudinem: atque à ſcientiarum præcipuis illorum temporum Oraculis, in quibus etiam & virtutum externæ Notæ, ad vulgi deceptionem actitatum quod memorauimus, ex Patrum teſtimoniis com- Suarez. Pererius. monſtrat Suarius cit. lib. 2. de ſuperſtitione c.6. num.5. Pererius in cap.1. ad Romanos, diſp.18. eôque capite omnes & antiqui & noui Explanatores: atque ipſe Apoſtolus indicat clariſſimè Ad Rom.1. 23. verſ.23. *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis Hominis, & quadrupedum, & ſerpentium. Coluerunt & ſeruierunt* verſ.25. *Creaturæ, potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſæcula*: Cur igitur non prudenter adhæſiſſe ſuæ dixerimus ſectæ, cùm tot, taléſque admonerent optimè facere? certè de infidelibus loquutus Pa- Vazquez. ter Vazquez 1.2. diſp.120. cap.3. num. 9. *Præterea, ſi alicui circa fidem, & Religionem, quam ipſe profitetur, dubitatio aliqua ſubrepat; ſuæ Conſcientiæ ſatisfeciſſe videbitur, ſi Maiores, quos peritiores iudicat, adierit, & conſuluerit: illi autem in ſuo errore illum confirmabunt*, &c. Ergo Pagani dubitantes *Non peccabant Pagani in ſuis dubijs acquieſcentes Maiorum iudicio.* de ſacrorum ſuorum ritibus, rectè faciebant acquieſcentes ſeu Maiorum iudicio, ſiue ſapientium: Deinde peruagata Theologorum Doctrina eſt, ſatis eſſe Pueris, atque rudioribus ſi ex Maiorum, aut Parentum inſtitutione credant, & amplexentur fidei arcana, neque neceſſariam aliam validiorem atteſtationem à diuerſis petitam adminiculis, quales requirunt probationes ingenio pollentes: Eius ſententiæ fautor Ange- S.Thom. Suarez. Valentia. Hurtado. Torres. Conink. Tanner. Granad. licus Doctor 2.2. quæſt.2. art.6. ad 3. Suar. diſp.4. de fide, ſect.5. num.7. & 8. Valentia quæſt.1. punct. 4. §.3. in fine. Puente Hurtado diſp. 14. ſect.9. §. 60. Torres diſp.3. dub.3. ſub calce. Conink diſp. 10. dub.4. num.76. Tannerus diſp.1. quæſt.1. dub.5. num.132. Granados tract.2. diſp.3. ſect.4. n.14. igitur quemadmodum ſatis eſt vt aſſentiantur difficillimis fidei arcanis, quod cernant Parentes & Magiſtros approbare; ita fuerit ſatis vt inculpatè intelligant Diis thura offerri potuiſſe, quod intueantur eoſdem conſtanter aſſeuerare. Quin & iiſdem locis horum Theologorum maior factio notat ſiue ex malitia, ſeu ob errorem à Parocho, à Magiſtris, à Concionatore, vel Parentibus quaſi à Deo reuelatum proponi aliquid poſſe, quòd nunquam ſit reuelatum, nec reuelari queat etiam; quibus in euentibns licet aſſenſus circa reuelationem exiſtimatam futurus ſit, non diuinæ, ſed humanæ fidei, quoniam ſpecificatiuum formale eſſentiale fidei diuinæ non eſt Reuelatio qualiſcumque, ſed quæ à Deo verè progrediatur; vti ſpecificatiuum formale eſſentiale oculi corporei eſt lux materialis & corporea, ac proinde nequeat attolli ad videndam lucem ſpiritalem & incorpoream; tamen prudentiſſimè ſe gerere Puerum, aut Ruſticum aſſentiendo; volúntque nonnulli voluntatem credendi ſub iis circumſtantiis fore ſupernaturalem & meritoriam: Quare Puente Hurtado ob hanc *Poteſt aliquis inter hæreticos inculpatè errare in articulo fidei.* cauſam diſp.65. ſect.2.§.10. ſtatuit; poſſe quempiam inter Hæreticos errare inculpatè in aliquo articulo fidei, & Granados idipſum Tract.2. diſp. 3. ſect.3. num.12. igitur & inter infideles quoque ob pares rationes à culpa liberari poterunt oberrantes.

Num itaque hoc præmuniti clypeo Sponſæ 18. ſubſidiamur, & idola veneratam fuiſſe ſine crimine profitebimur? Equidem ingenio eminebat, & intueri poterat facilè, imponi mortalibus, quòd mendaces Deos colere iuberentur; ſed in veri cognitionem properantem Animi conatum re- *Non excuſatur à peccato, Sponſæ idololatria.* tardabat fratrum authoritas, qui pugnabant contra illam, Vniuerſa Reipublicæ facies, quam ſeductam non opinabatur, & imprimis Philoſophorum gymnaſia & Porticus, quæ pro Numinum latria decertabant. Aſſero tamen hac ex parte minimè vindicari Sponſam à piaculo, ſed nec hebetiores quoſque: licet enim breui aliquo tempore deludi poterant ab exemplis doctiorum, animaduertere tamen poterant mediocri adhibitâ diligentiâ, quòd ſimulachra honoribus proſequerentur, non ob Diuinitatis feciſſe aliquem ſenſum, ſed vt ſuis patrocinarentur vitiis, prauis indulgerent affectibus: De Cicerone Lactantius Firmianus lib.2. diuinar. Inſtit. c.3. Lactant. *Gētium Philoſophi in erroribus ſuis inexcuſabiles, & quare.* *Quid ei facies, qui cùm errare ſe ſentiat, vltrò ipſe in lapides impingat, vt populus omnis offendat? ipſe ſibi oculos eruat, vt omnes cæci ſint? qui nec de alijs bene mereatur, quos patitur errare, nec de ſeipſo, qui alienis accedit erroribus? nec vtitur tandem ſapientiæ ſuæ bono, vt factis impleat, quod mente percepit, ſed prudens & ſciens pedem laqueo inſerit, vt ſimul cum cæteris, quos liberare vt prudentior debuit, & ipſe capiatur?* De Seneca verò Auguſtinus lib.6. de ci- Auguſtin. uitate, cap.10. *colebat, quod reprehendebat, agebat quod arguebat; quod culpabat, adorabat*: ac fuiſſe pleroſque veterum ſapientum Dei vnius imbutos notitiâ noſter demonſtrat Gillius in 1. par- Gillius. tem lib.2. Tract.3. cap.6. à num.5. Numinum quoque vanorum irriſores egregios extitiſſe multos Gueuara oſtendit in cap.2. Habacuc, num.343. ſed Gueuar. quod Animæ ſcrinio latebat, foràs promere noluerunt, vel ob malitiam, vel ob ignauiam & metum; quare meritò Apoſtolus, cap.1. ad Roma- Rom.1. nos, peſſimos hos Nationum Magiſtros, inexcuſabiles dixit. Iam de vulgo ipſo Lactantius Inſtitut. lib.2. cap.1. quemadmodum non ex inſcientia, ſed ex prauitate plures confinxerit orbis terrarum Rectores: Lactant. *Sapientibus Ethnicis aliud in corde, aliud in ore.* *Et tamen huic impietati hominum poſſet venia concedi, ſi omninò ab ignorantia diuini nominis veniret hic error. Cum verò ipſos Deorum cultores ſæpe videamus Deum ſummum & confiteri & prædicare, quam ſibi veniam ſperare poſſint impietatis ſuæ?* Quamobrem, quod in furtis, adulteriis, promiſcuis Coniugiis, homicidiis accidiſſe apud gentes quaſdam rectè obſeruarat Azorius tom.1. Azor. lib.1 cap.13. quæſt.1. impunita nimirum tam ferocia ſcelera, non quia honeſta reputarent, ſed

quod

quòd vitiis ſuis conniuerent, atque blandirentur; itidem & Deorum ſuperſtitionibus contigit; atque eam ob cauſam, quod intùs pectore geratur, vbi veritatis nequeat eſſt diſſimulatio, Tertullianus Apolog. cap. 10. obiectat: *Appellamus, & prouocamus à vobis ad conſcientiam veſtram; illa nos iudicet, illa nos damnet, ſi poterit negare omnes iſtos Deos veſtros homines fuiſſe:* & cap. 11. criminoſiſſimos quoſque ab illis Apotheoſi honoratos aduertit; nempe, quid vitiis demergi timerent, quos cœlum expectaret poſt obitum, cùm inter Diuos reponerentur ſceleſtiſſima Mortalium capita? idcirco Donato ſcribens Cyprianus: *Exprimunt* (inquit) *impudicam Venerem, adulterum Martem, Iouem illum ſuum, non magis Regno, quàm vitijs principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumas Oloris albeſcere, nunc aureo imbre defluere, nunc in Puerorum pubeſcentium raptus miniſtris auibus proſilire: quære iam nunc, an poſſit eſſe qui ſpectat, integer, vel pudicus: Deos ſuos, quos venerantur, imitantur; fiunt miſeris & Religioſa delicta:* Denique tantam fuiſſe hanc amentiam, qua in deorum abſurdiſſimam Venerationem contra aſſiduos naturalis luminis clamores itum eſt pertinaci impetu, vt iure rudiſſimæ infantium ætati Sapientiæ Author compararit cap. 12. verſ. 24. *Etenim in erroris via diutius errauerunt, Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, infantium inſenſatorum more viuentes. Propter hoc tanquam Pueris inſenſatis, iudicium in deriſum dediſti:* igitur in tam ſupina negligentia, ob quam ne Pueris inſenſatis venia concedi poterat, quodammodò nullus locus ignorantiæ, quæ culpam excludere valeat.

Tertullian.

*In Deorum ſuorum vitijs vitia ſua honeſtabant Pagani.*

Cyprian.

Sap.12.24.

19. Aliud meditari poſſimus: non quidem exhibitum cultum ſimulacris ob aliquam Diuinitatis opinionem, ſed cùm probè calleret Sponſa, vacua eſſe Numina, & mendacia, vnúmque tantùm eſſe Mundi fabricatorem, cùm internè non adoraret, ſimulaſſe tamen latriam externâ Veneratione, terrore fratrum, & cognatorum impulſam: Sanè Antiſtitem ſacrorum Priapi, cui in Vineis altaria atque effigies, factam oſtendimus, Præludiorum Volumine, Anteloquio 5. numero. 109. Non denegat illa in Vineis ſe poſitam, vt præeſſet ritibus Priapæis; Suggerit tamen coactam minis, & incuſſo à fratribus metu. *Filij Matris meæ pugnauerunt contrà me, poſuerunt me cuſtodem in Vineis.* At num ob hæc excuſandam duxerimus? Diſtinguendæ ſanè actiones multæ. Templum ingredi, & Declamationibus intereſſe à culpa illi liberare debeant, qui ſentiunt abſque piaculo à Catholicis Hæreticorum audiri poſſe Conciones ob bonos fines: Thomas Sanchez lib. 2. de Decalogo cap. 4. num. 26. cum Valentia & Azor, quos allegat. Tannerus quæſtione 7. dub. 5. numero 123. Coning diſputatione 15. dub. 3. numero 59. Puente Hurtado diſputatione 48. ſectione 5. §. 68. Puteanus tom. 1. quæſt. 1. 2. 2. art. 3. dubitatione 2. Bonacina tom. 2. circa 1. Decalogi præceptum, diſputatione 3. quæſt. 2. Punct. 3. numero 21. Filiucius tom. 2. tract. 22. cap. 3. num. 86. Laiman tract. 1. de fide cap. 11. num. 5. Ferdinandus de Caſtro tom. 1. diſputatione 1. Punct. 17. num. 11. Cæterum, iidem Doctores penè omnes ſapienter aduertunt, ſicubi contingeret id, quod in noſtra Hibernia, atque in Anglia potiſſimùm accidit, Eccleſiarum ingreſſum, virtualem Catholicæ profeſſionis abnegationem fore, & in Romanæ fidei odium à Monarcha imperatum, communìque Prouinciæ iudicio deteſtatæ veræ Religionis argumentum, ne ob mortem ipſam vitandam licêre aliquo pacto: cum nominatis ſuperiùs, Granados tract. 11. diſputatione 3. ſectione 3. & qui vberrimè diſputat, & Pontificium exhibet Diploma Sanctiſſimi Domini Pauli V. Pater Suarez defenſionis lib. 6. cap. 9. à num. 16. Quo loco ex verbis illis: *Cogimur monere vos, atque obteſtari, vt nullo pacto ad Hæreticorum templa accedatis, aut eorum Conciones audiatis, vel cum ipſis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis; non enim licet vobis hæc facere ſine detrimento diuini cultus ac veſtræ ſalutis*, colligi rectè arbitratur; non eſſe hanc prohibitionem poſitiuam ſeu humanam, ratione cuius illi reddantur mali actus; ſed eſſe legem declaratiuam malitiæ & turpitudinis exiſtentis in ipſis actibus, cuius gratiâ prohibentur, quia mali: Quod ſi equidem audire Hæreticorum Conciones, malum, non quia prohibitum, ſed è diuerſo, idcirco prohibitum, quia malum; ac propterea intrinſecè malum: non video, vt liceat etiam extra Angliam alio quouis Regno intereſſe Concionibus eiuſcemodi: Sicut quia intrinſecè malum eſt, Cœnam, quam Domini vocant ſectarij, participare in Conuentibus Hæreticorum; Omnes Catholici Scriptores affirmant, nullo caſu permitti Catholico Homini vt de tali cœna manducet, niſi in apertam Hæreſis fortaſſe deriſionem: Sed demum ſcopus eſt aſſeueraſſe, quod hac in parte liceat, ſub Paganiſmo licuiſſe; nam vel ſcandali, vel periculi eadem vtrobique fundamenta.

*Forte Sponſa propter fratrũ minas, Idolorum cultum ſimulauit, cùm eſſet ipſa ſacrorũ Priapi Antiſtes in vineis.*

*Num Paganorum ſiue Hæreticorum templis, & concionibus intereſſe, licitum?*

Th. Sanch.
Valentia.
Azor.
Tanner.
Conink.
Hurtado.
Puteanus.
Bonacina.
Filiuccius.
Laiman.
De Caſtro.

Granad.

Suarez
Paul. V.

20. Sin autem neque ad preces fundendas, neque ad auſcultandam Verbi nefarij expoſitionem, neque ad participium Cærimoniarum, & Rituum, Templa ingredi oporteat; verùm ciuilis alicuius obſequij ſcopo, id neque peccatum, nec ſcandalum fuerit: Huiuſce Pronunciati ſtabilimentum ex Reg. 4. cap. 5. vbi Naamanus Princeps militiæ Regis Syriæ, veri Numinis cognitione imbutus, ex miraculo & Eliſei colloquio, Prophetam interrogat; num, quando procederet Monarcha ad fana Deorum, & procumberet ante ſtatuas, quoniam aliter ſuſtinêre Regem non valeret, niſi ſimul cum eo genua curuando, id officij, quod in Aula præſtare ſolitus eſſet, inter ſacra exhibêre poſſet ſine crimine? Reſpondit autem Vates: *Vade in Pace:* quo innuit ſermone abſque detrimento Conſcientiæ poſſe eam in normam Regi aſſiſtere; non quod putaret illicitam actionem, & diſpenſaret cum Naamano, vti Hugo Carenſis indicat; Sed quod ſcrupuli non eſſe cauſam ſignificaret, cùm, poſteaquam de Naamani ſincera Religione Circumſtantibus innotuit; facilè tamen animaduertere, nequaquam eâ corporis inclinatione, ad veteres, quas deſeruerat, reuerſum ſuperſtitiones, poterant quidem, quoniam ex ciuili & politico obſequio tantùm Regi famulabatur; qui, ſi ad fabuloſam Diuinitatem adorandam compellere niteretur, nequaquam ſimultaneâ illâ incuruatione fuiſſe cõtentus; cogeret de more reliquæ multitudinis, vti Naamanus à Rege ſequeſtratus poplitem flecteret: Quæ ſanè Explanatio arriſit Biblicis Interpretibus, in quibus Lyra, Abulenſis quæſt. 25. Caietanus, Thoringus, Nicolai Propugnator contra Burgenſem Replicâ ad ſecundam Additionem, Serarius preſsè ex ſcholarum vſu, Gaſpar Sanctius numero 13. Salianus tom. 4. anno Mundi 3150. numero 33. Ex Scholaſticis aut Moralium rerum Tractatoribus Suarez de fide, diſputatione 14. ſectione 4. num. 8. Sanchez in Decalogum lib. 2. cap. 4.

4. Reg. 5.
*Paganorum, Hæreticorũ ve ritibus adeſſe, ciuilis alicuius obſequij causâ, peccatum non eſſe, Naamani exemplum indicat.*

Hugo Carenſis.

Lyra.
Toſtat.
Caietan.
Thoring.
Serarius.
Sanct.
Salian.
Suarez.
Sanchez.



cap. 4. num. 27. Coning diſputatione 15. dub. 3. num. 46. Tannerus diſp. 1. quæſt. 7. dub. 5. n. 102. Puente Hurtado diſputatione 48. ſect. 4. §. 59. Granados tract. 11. diſputatione 3. ſect. 2. num. 13. Laiman. tract. 1. de fide cap. 11. num. 3. Ferdinandus de Caſtro tom. 1. tract. 4. diſputatione 1. Punct. 16. numero 4. Secundum hanc doctrinam, Sponſæ vt contingeret eſſe ex famulabus Reginæ alicuius de Ethniciſmo, quæ vel defluentis cycladis extrema colligeret; vel cui inniteretur Hera, vt proditum de Eſther cap. 15. verſ. 6. potuiſſet intra Delubrum abominandæ ſectæ, id officij exhibere genus; quod palàm monuêre Lyra, atque Toſtatus ad citatum ex Regum 4. Volumine, caput.

Conink.
Tanner.
Hurtado.

Granad.
Laiman.
De Caſtro.

21. Pergamus ad Controuerſiæ arcem: Num vtique ob vitam ſaltem protegendam potuerit Sponſa ſimulare Idololatriam? itaque licet Animi cogitatio in nullam ementitam Diuinitatem tenderet, imò ſciret mera eſſe figmenta, quæ de Diis, atque Deabus ſtolida ſomniaret Gentilitas, exteriùs tamen eoſdemmet perficeret ritus, quos multitudo ſuperſtitionibus deluſa? Nego ſub talibus Circumſtantiis licuiſſe vnquam: Neque enim fidem verbis negare licitum aliquando fuiſſe ab aliquo Catholico Doctore conceſſum; igitur neque vt factis eadem denegetur, verbi causâ, offerendo thus idolo: Conſequentiæ inde robur; Quod paris malitiæ vnum ſit atque alterum: Hoc demonſtrauero: Sicut enim verba ex primariâ ſui impoſitione denotant fidei abnegationem, quoniam hic eſt primarius ſcopus ſignificationis eorum; ita actio thurificandi ex ſe & primariò deſtinata eſt ad innuendum cultum vanorum numinum: Deinde ſicut inimicis Religionis ſufficit externa illa per voces abnegatio, cordis quanquam diuerſa ſit affectio; ſic iiſdem ſatis eſt confeſſio per externa ſigna thurificationis, neque ſi hoc illis præbeatur, de verbis curent quidpiam: igitur æqualis enormitatis cùm ſit vtraque fidei negatio, ſiue quæ fit verbis, ſeu quæ factis ordinatis per ſe & vnicè ad falſum indicandum cultum, æquè fuerit deteſtanda vna, atque altera. Confirmo: vti numero 19. perſpeximus, in Anglia illicitum eſt Hæreticorum intereſſe Concionibus, atque id licet Catholici ſeriò proteſtarentur coram Romanæ fidei profeſſoribus ad ſcandalum ſubmouendum, ſe Eccleſias adire ſectariorum, ſimulationis tantùm causâ: ergo & multò magis vetitum fuerit Idolis thura obtuliſſe: quid enim tam contrarium veritati Chriſtianæ atque huiuſmodi fictio? Quamobrem pro hoc placito neminem allegare volui; quoniam vt à nobis delineata eſt opinio, omnes Orthodoxos fautores habitura ſit: Si quem tamen iuuat quæſtionem ad longum pertractatã euoluere, præter hucuſque allegatos pro reliquis aſſertionibus videat Salas de legibus tract. 14. diſputatione 23. Vaſquez diſputatione 82. in 1. 2. cap. 5. Malderum. 2. 2. quæſt. 3. art. 2. Becanum cap. 9. quæſt. 5. num. 11. Gaſparem de Hurtado diſput. 9. difficultate 6. Quare hac ex parte minimè excuſanda Sponſa, licet mortem intentarent fratres, niſi incenſa offerret idolis.

*Neque ob tuendam vitam, fidẽ aut verbis, aut factis negare licet.*

*In Anglia, Hæreticorum adeſſe concionibus, omninò illicitum.*

Salas.
Vaſquez.
Malderus.
Becanus.
G. Hurtado.

22. At num dari potuerit inter Gentiles ignorantia inuincibilis Malitiæ in hoc genere ſimulationis repertæ, vt quanquàm non ignorarent Naturæ diſciplinâ manuducti prauam eſſe exteriorem Idololatriam, putarent tamen ob honorem, ob bona temporalia, ob vitam tuendam diſſimulari poſſe exterius, ſatiſque eſſe corde Numen verum adorare? Huius Quæſiti excipe fundamentum: Sicut optimè aduertit Suarius tom. 1. de Religione lib. 2. de ſuperſtitione cap. 6. numero 6. propterea externæ Idololatriæ actus eſt intrinſecè malus; quia eſt mendacium pernicioſum, nimirum & aduersùs Deum iniurium, & hominibus ſummi ſcandali: atqui vniuerſim de mendacio & periurio doctiſſimi affirmant Theologi, inter Paganos datam ignorantiam inuincibilem, quod putarent inculpatè ob honorem & magna commoda, licêre: ita Vaſquez 1. 2. diſputatione 122. cap. 2. Azor tom. 1. inſtitution. mor. lib. 1. cap. 13. quæſito 1. Salas de peccatis quæſtione 76. diſputatione 8. ſectione 4. numero 18. Sanchez lib. 1. in Decalogum cap. 16. numero 33. Confirmo: Idcircò mouentur præfati Authores, vt conſentiant Mendacij enormitatem non potuiſſe abſque ſolerti diligentia veſtigari à Paganis, ac proinde eius ignorantiam cadere potuiſſe in mediocria ingenia; quia etiam inter Philoſophos diuinus nuncupatus Plato in eo verſatus eſt errore, libro 3. de Republica: ex Chriſtianis autem eâdem laborarunt inſcitiâ maximi viri, Origenes videlicet & Caſſianus, quos citant Azorius & Salas, vbi ſuprà; Sed etiam licitam eſſe ſimulationem in materia Religionis, & legalia propterea obſeruata ab Apoſtolis poſtquàm mortifera eſſe cœperant, & non malè à Iehu Rege confictum quaſi idola coluiſſe voluerit, Reg. 4. cap. 10. à Hieronymo doctum lib. 1. in epiſt. ad Galatas in illud cap. 2. *Cùm autem veniſſet*, &c. Quam eius fuiſſe ſententiam D. Thomas aſſirmat 1. 2. quæſtione 103. ad 1. Quam ita intellectam; vt in caſu talis ſimulationis, neque inſtet præceptum confitendæ fidei, & abſit ſcandalum. (Quod vtrumque gentilibus multis contingere potuit, conſcij enim erant alij ſolùm Pagani, quibus exterior Idololatria minimè diſplicebat, nec in quæſtionem vocabantur de fide ſua, ſed ne traherentur ad examen, ſimulabant communes Ethnicorum ritus:) amplexatus eſt Adrianus in 4. ſentent. quæſtione 1. de Baptiſmo in reſponſione ad quintum argumentum: non improbabilem indicauit Valentia tom. 3. diſputatione 1. quæſtione 3. Puncto 2. §. *Hæc ſententia*, &c. Lorca diſputatione 35. de legibus, Membro 2. igitur inuincibiliter ignorare poterant Gentilium aliqui, an malum eſſet fingere ſe exterius Idololatram ob vitæ, honoris, aut fortunarum patrocinium: Quod, ſi quâ viâ excuſari valeat Sponſa huius Epithalamij propter obſeruantiam erga mendaces Deos, hæc illa eſt; (modò ſuſtinêre opinionem ſuadeant præfata,) quam ignorantia inuincibilis de malitia ſimulationis ſubminiſtrat. Rectè tamen Azorius notat, apud Chriſtianos ob magnitudinem lucis Euangelicæ rariſſimos inueniri, quos lateat Mendacium ex ſua natura prauum eſſe in re graui: quanquam Sanchez loco ſuperiùs animaduerſo, diuerſæ opinationis ſit; nam multos reperiri aſſeuerat, inuincibiliter ignorantes eſſe peccatum periurium ob vitam, vel honorem propriam, vel alienam tuendam.

*Gentilium in exteriori idolorum cultu ſimulatio ad honorem, bona, vitam cõſeruandam, poteſt excuſari ab ignorantia inuincibili.*
Suarez.

Vaſquez.
Azor.

Salas.

Sanchez.
*Mendacij & Periurij ignorantia inuincibilis.*

Plato.

4. Reg. 10.
Hieronym.

S. Thom.

Adrian.

Valentia.
Lorca.
*Hinc Sponſa excuſatio.*

Azor.

*Num vnum Gentiles venerati Numen ſub varijs Deorum figmẽtis? Caluinus in antiquis ſcriptoribus legendis nihil verſatus: Romanorum Imperatorum ſtultæ Apotheoſes. Philoſopherum vita diſpar monitis; Deum Hebræorum ſimul cum Idolis aliqui coluerunt: Duo ſchiſmatica Templa ſub Iudaiſmo: Idololatria ex quibus vitijs enata.*

## SECTIO III.

23\. AGe, quoniam ſemel Sponſæ patrocinia ſuſcepimus, exploremus, quemadmodum ab Idololatria poſſimus vindicare, quòd ſtatuis, atque ſimulachris thura, atque ſuffitus obtulerit. Primum illud ſe offert, vt dicamus vnum, cúmque *Verus Deus ſub varijs & formis & nominibus à Paganis adoratus.* verum Creatorem ſub variis formis, & nominibus à Paganis adoratum; itaque ſiue audiatur Iupiter, ſeu Mercurius, vel Apollo, aut Saturnus, idem Numen omnes demonſtrauerint appellationes illæ: ac ſanè, quemadmodum habitus Charitatis, cuius formale obiectum Deus propter ſeipſum adamatus perhibetur, mediis ſuis actibus aliquando diuinitatem cum omnibus ſuis perfectionibus attingit, aliquando vnum, vel duo attributa ſolùm; éſtque amor charitatis, qui vel in ſolam iuſtitiam, aut miſericordiam, vel omnipotentiam ſeorſim fertur, aut qui ſimul *Charitatis, vt & Religionis habitus diuerſimodè, in vnũ tamen Deum fertur pro varijs eius effectibus.* complectitur; ita & Religio, quin Deum partiatur & diuidat, modò colit in ordine ad hos effectus, modò ad illos, & cùm Apollinem delineat, eius ſcientiam veneratur; cùm Martem, illius proteſtatur iuſtitiam, & pari more de aliis diuinam eſſentiam diſtinctione aut rationis, aut virtuali ſubſecutis: Quod ſi vnam verámque Deitatem cognouiſſe fateamur Ethnicos, cur hoc adoraſſe pacto renuamus? Atqui oſtendimus vnum ſempiternúmque Mundi fabricatorem cognouiſſe peritiores ex Gentilitate, numero 18. quo de argumento facundè atque eruditè noſter Ranaudus in Theologia naturali diſt.7. quæſt.1. art.1. *Ranaud.* diſſertat ad longum; Minutius Felix in Octauio *Minutius.* paulò poſt medium, tandémque aptiſſimo epilogo ſubdit: *Expoſui opiniones omnium fermè Philoſophorum, quibus illuſtrior gloria eſt Deum vnum multis licet deſignaſſe nominibus; vt quiuis arbitretur, aut nunc Chriſtianos Philoſophos eſſe, aut Philoſophos fuiſſe iam tunc Chriſtianos:* Atque hæc eſt Ara illa, quam Athenienſes conſtruxerant *Ignoto Deo*; de *Act.17 23.* qua Act.c.17.v.23. quemadmodum Clemens Ale*Clem. Alex.*xandrinus enarrat lib.1. Stromatum cap. 9. & S. Auguſtinus lib.1. contra Creſcon. cap.29. id, *Auguſtin. A Lapide. Baron. Lorin.* quod probabilius noſter cenſet Alapide cum Baronio, atque Lorino, qui probè aduertit, ipſius ex Diſcurſu Apoſtoli colligi, cùm viſâ inſcriptione, ſubiunxit ſtatim: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*; annunciabat autem de vno, veróque Deo, quem aſſerit eos veneratos fuiſſe in communi, & genericè; & quoniam ſingulares Diuinitatis non fuerant aſſequuti Notas, idcirco Ignorum intitulaſſe Deum.

24\. *Nullam adoraſſe creaturam Gentiles ſed ſolum verum Deum in ſtatuis & ſimulachris ſuis, vnius Caluini error eſt impudentiſſimus.* Equidem, hæc ſi Cogitatio vniuerſim de Gentiliſmo adſtruat, non niſi verum Deum in ſtatuis, atque ſimulachris adoraſſe; atque à Creaturarum abſtinuiſſe cultu, tam enormiter mendax eſt, quæ, niſi Caluinum, Patronum habere non mereatur; nam ſic ille, cùm debaccharetur in Sacrarum imaginum veneratione, effutiuit improbè lib.1.Inſtitut.c.11.§.9. & 10. vt hoc præiacto fundamento liceret ſubinferre; Iudæis atque Paganis infenſum Deum, non propter Adorationis terminum, cùm eſſet verum Numen, ſed quia ſub ſtatuis & ſimulachris colerent: refutauit egregio calamo Bellarminus lib.2.de Imaginibus c.13. De *Bellarmin.* omiſſis ab illo ſubiungamus quidpiam: de Scripturis pauca iſta ſuffecerint, Sap.c.13.v.2. *Sed aut* *Sapient.13.2.* *ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, Rectores orbis terrarum Deos putauerunt:* Nihil de ſimulachris vel imaginibus, ſed quod Diuinitatem Creaturæ tribuerent, c.14. v.15. *Acerbo enim luctu* *Et 14. 15.* *dolens Pater, cito ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat; nunc, tanquam Deũ colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia.* Quid manifeſtius hac impiæ Apotheoſis reprehenſione? verſu autem 21. *Et hæc fuit vitæ hu-* *v.21.* *manæ deceptio: quoniam aut affectui, aut Regibus deſeruientes homines; incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt:* Paulus quoque ad Rom. c.1. *Rom.1.25.* verſ.25. *Qui commutauerunt veritatem Dei in men-* *Caluinus refutatur ex Scriptura & Patribus.* *dacium; & coluerunt, & ſeruierunt Creaturæ potiùs, quàm Creatori.* Annectamus Patrum teſtimonia, & inter hos recenſeamus Ethniciſmum profeſſos aliquando, Quos certè viros ſagaci intellectu præditos latêre non potuit, quid Pagani in Deorum ſculptilibus adorare niterentur: Ex his Mi- *Minut.* nutius Felix: *Similiter ac verò erga Deos quoque Maiores noſtri improuidi, creduli, rudi ſimplicitate crediderunt; dum Reges colunt religiosè, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere; ſacra facta ſunt, quæ fuerant aſſumpta ſolatia:* præclariùs autem multò non longe à fine: *Ægyptij ſanè hominem ſibi, quem colant, eligunt, illum vnum propitiant, illum de omnibus conſulunt, illi victimas cædunt, & ille qui cæteris Deus, ſibi certè homo eſt, velit nolit; nec enim conſcientiam ſuam decipit, ſi fallit alienam: etiam principibus & Regibus, non vt magnis, & electis viris, ſicut fas eſt, ſed vt Deis turpiter Adulatio falſa blanditur; cùm & præclaro viro honor veriùs, & optimo Amor dulciùs præbeatur: ſic eorum Numen vocant, ad imagines ſupplicant, Genium, id eſt, Dæmonem eius implorant: & eſt eis tutius per Iouis genium peierare, quàm Regis.* Fuit & Arnobius Senior olim de Paganiſ- *Arnob. Senior.* mi colluuie; eius Oratio ex lib.1. contra Gentes: *Quid enim? vos hominem nullum colitis natum? Non vnum, & alium? non innumeros alios? quinimò non omnes, quos iam templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cœlo, ſideribúſque donaſtis? ſi enim fortè vos fugit ſortis eos humanæ, & conditionis fuiſſe communis: replicate antiquiſſimas literas, & eorum ſcripta percurrite, qui vetuſtati vicini ſine vllis aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodierunt: iam profectò diſcetis, quibus ſinguli Patribus, quibus Matribus fuerint procreati, qua innati Regione, qua gente.* Huius quondam Ethnicæ in ſcholæ gymnaſio Auditor Lactantius Firmianus lib1. Inſtitut. *Lactant.* cap.15. *Quibus ex rebus cùm conſtet illos homines fuiſſe, non eſt obſcurum qua ratione Dij cœperint nominari: ſi enim nulli Reges ante Saturnum, vel Vranum fuerint propter hominum raritatem, qui agreſtem vitam ſine vllo Rectore viuebant; non eſt dubium, quin illis temporibus homines Regem ipſum, totámque gentem ſummis laudibus iactare cœperint, vt etiam Deos appellarent, ſiue ob miraculum virtutis (hoc verè putabant adhuc rudes, & ſimplices:) ſiue, vt fieri ſolet, in adulationem præſentis potentiæ: ſiue ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compoſiti.* Cæcilius quoque Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes, cùm poſt derelicta idola, eorum ſcriberet de Vanitate, ſic inquit: *Deos*





*Cyprian. Carthag.* *Deos non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt: Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos, poſtmodum etiam in morte cœperunt; inde illis inſtituta templa; inde ad Defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulachra: & immolabant Hoſtias, & dies feſtos dando honores celebrabant: inde poſteris facta ſunt ſacra quæ primis fuerunt aſſumpta ſolatia:* Longum eſſet vniuerſas Periodos tranſcribere, tantùm aperiat Lector Volumina, & offendet ſtatim huiuſce *Auguſtin.* generis plurima apud Auguſtinum libris de Ci- *Tertull.* uitate Dei, Tertullianum de ſpectaculis, atque *Cyrill. Alex.* Idololatria, & in Apologetico, Cyrillum Alexanbrinum Diſſertationibus contra Iulianum, Cle- *Clem. Alex.* mentem Stromatæum in Protrepticis, Athena- *Athenagor.* goram legatione pro Chriſtianis, Athanaſium *Athanaſ.* oratione contra Idola, Theodoretum de affectio- *Theodoret.* nibus Græcorum, lib.3. præſertim, Tatianum Aſ- *Tatian.* ſyrium oratione contra Græcos, Iuſtinum Marty- *Iuſtin. Mart.* rem in Apologetico, Theophilum Patriarcham *Theophil.* Antiochenum contra Calumniatores Chriſtianæ Religionis ad Autolycum, Euſebium Cæſarien- *Euſeb. Cæſar.* ſem libris de Præparatione Euangelij, 7. imprimis: Nazianzenum orat. 39. Chryſoſtomum orat. 66. *Nazianzen.* ad Populum Antiochenſem, Cyrillum Hieroſo- *Chryſoſtom.* lymitanum Catechesi 6. Palladium Lauſiacę Hi- *Cyrill. Ieroſ.* *Pallad.* ſtoriæ c.52. neque abnuit inter Paganos ipſos excelſius aliquod ingenium, quale Marci Tullij, qui lib.2. de Natura Deorum, in hunc modum: *Multæ* *Cicero.* *naturæ Deorum ex magnis Beneficijs eorum non ſine cauſa & à Græcis Sapientibus, & à Maioribus noſtris conſtitutæ, nominatæque ſunt: Quicquid enim magnam vtilitatem generi afferret humano, id non ſine diuina bonitate erga homines fieri arbitrabantur: itaque, tum illud, quod erat à Deo natum, nomine ipſius Dei nuncupabant; vt cùm fruges Cererem appellamus, Vinum autem Liberum: tum autem Res ipſa, in qua eſt vis maior aliqua ſic appellatur, vt ea ipſa vis nominetur Deus, vt Fides, vt Mens, quas Capitolio dedicatas videmus proximè à M. Æmilio Scauro,* &c. atque ob hæc & ſimilia effata, fuiſſe inter Romanos, qui Senatui inſinuarent de medio tollendas Ciceronis ſuper Deorum Natura lucubrationes Arnobius atteſtatur lib. 3. aduerſus Gentes; quos ita alloquitur: *Quinimò, ſi ſiditis exploratum* *Arnob.* *vos dicere quidquam de Dijs veſtris, erroris conuincite Ciceronem, temeraria & impia dicta refellitote, redarguite, reprobate: nam intercipere ſcripta, & publicam velle ſubmergere lectionem; non eſt Deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timêre.*

25\. *Deos creabãt Imperatores Romani.* Quid referam, in tantam ſuperbiam Romanorum progreſſos Imperatores vt & Deos ſe poſſe facere cenſerent ſtolidiſſimè? de Traiano ſic Plinius iunior in Panegyrico: *Plin. iun.* *Quem tu lachrymis primùm ita vt filium decuit, mox templis honeſtaſti, non imitatus illos qui hoc idem, ſed aliâ mente fecerunt: dicauit cœlo Tiberius Auguſtum, ſed vt maieſtatis numen induceret; Claudium Nero, ſed vt irrideret; Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum, ſed ille vt Dei filius, hic vt frater videretur: Tu ſyderibus Patrem intuliſti, non ad metum Ciuium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis:* auſi & Concubinos ſuos in luxuriam æſtuantes ſuperis interſerere, vt de Adriano cecinit Prudentius libro priore aduerſus Symmachum:

*Prudent.*

*Quid loquar Antinoum cœleſti in ſede locatum*
*Illum delicias nunc Diui Principis, illum*
*Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili*
*Adrianique Dei Ganymedem, non cyathos Dijs*
*Porgere, ſed medio recubantem cum Ioue fulcro?*
*Nectaris Ambroſij ſacrum potare Lyæum*
*Cúmque ſuo in templis vota exaudire marito?*



Ac de Imperatorum ſiue Apotheoſi, ſiue Conſecratione poſt mortem, qui diffuſiùs noſſe deſideret, Cardinalem adeat Baronium tom. 2. an- *Baron.* no 213. num.5. Alexandrum Neapolitanum cum *Alex. ab Alex.* Tiraquello lib.6. Genial. dierum cap. 4. Thomam *Tiraquell.* Dempſterum ad cap.18. lib.3. Antiq. Roſini, Pe- *Th Dẽpſter.* trum Fabrum Semeſtrium lib. 3. cap. 1. & qui *Petr Faber.* vberrimè tractat, noſtrum Bullingerum de Impe- *Bullinger.* ratore Romano lib.1. à cap.5. ad vndecimum; Et quod omnem vincit temeritatem, etiam, dum inter viuos connumerarentur, diuinos affectarunt honores: Tacitus libro 4. cap. 4. *Ob quam* *Tacit.* *Imperatores aliqui, etiam dum viuerẽt, Diuinos ambiebant honores.* *vltionem decreuêre Aſiæ vrbes templum Tiberio, Matrique eius:* Et cap.8. *Per idem tempus Hiſpania vlterior miſſis ad ſenatum legatis, orauit vt exemplo Aſiæ, delubrum Tiberio, matrique eius extrueret:* hac de materia dignus qui legatur Philo Hebræus, nam Caij Principis amentiam ſummam legatione ad eundem prolixè enarrat, qui vnus omnium Deorum formas inducere non eſt veritus: auſus & Iudæorum plebem compellere, vt Ieroſolymitani in adytis Templi Coloſſum fabricarent Iouis ſub titulo: *Nec erat paruum, quod mouebatur* (inquit Philo) *ſed omnium longè* *Philo.* *maximum, hominem natum mortalem, in ſpeciem ingeniti, immortaliſque Dei refingere, quâ impietate nihil cogitari poteſt magis impium:* quem morem ipſo naturæ lumine ſatis execrabilem, non niſi Chriſtiana fides tandem abroganit: nam hac ſuſceptus Religioſiſſimus Imperator Conſtantinus abominatus eſt priſcum vſum, Iuuenco teſte ſub finem Euangelicæ Muſæ:

*Iuuenc.*

*Qui ſolus Regnm ſacri ſibi nominis horret*
*Imponi pondus, vt iuſtis dignior actis*
*Æternam capiat diuina in ſæcula vitam.*

Quanquam nec penès ſolos Imperatores antiquitus magna illa poteſtas creandorum Deorum: Nam, vt ſcribit Tertullianus Apolog. cap.5. *Vetus* *Tertullian.* *Qui Deos cõſecrabat Senatus, Chriſtum non probauit.* *erat Decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à ſenatu probaretur:* nec tamen ampliſſimus ille cœtus cùm ſæpe ſceleratiſſimos Homunciones æris & ſimulachro donaret, æquum reputauit Chriſtum Seruatorem inter Numina computare: refert Chryſoſtomus hom. 66. ad Populum An- *Chryſoſtom.* tiochenum ex his, quæ tom.5. florilegio leguntur: *Ita tertiumdecimum Deum putauit Alexandrum Romanorum ſenatus: Hinc enim hanc habebat poteſtatem creandi Deos & decernendi: Cùm igitur ei omnia Chriſti opera renunciata fuiſſent, miſit gentis Princeps interrogatum, an eis videretur & ipſe Deus decernendus; illi verò non annuerunt, indignantes, & ægrè ferentes, quod antè decretum & ſententiam ſuam effulgens Crucifixi virtus, omnem terrarum orbem, in ſui traxiſſet venerationem: Hoc autem & ipſis nolentibus diſpenſatum eſt, ne mortali decreto Chriſti prædicaretur diuinitas; nec vnus de multis putaretur, qui ab eis fuerant inſtituti: nam & Pugiles Deos eſſe putauerunt, & exoletum Adriani; vnde & Ciuitas Antinous dicitur:* Quæ eadem habet ſub finem Homiliæ 26. in cap. 12. epiſt. ad Corinthios poſterioris. Vides igitur lector, quàm ſupinè errauerit Caluinus: quem aut in nullo Scriptorum genere verſatum fuiſſe, neceſſum eſt fateri: aut ſi modò legit quæ de idolis tradide- *Caluinus, Idolum.* rint, Idolum factum ipſummet, vt qui cum illis, oculos habens, non viderit, auribus præditus, non audierit; aut denique, vt intellexerit quidpiam, voluiſſe mentiri palàm; ne ſi hoc erubeſceret, ſectarium eſſe negaret.

26. *Philoſophorũ alia dicta, alia facta.* Minut.

Iam verò, quòd ſuperiùs ex Minutio proponebatur, agnitum vnum, ſempiternúmque Numen à Philoſophis; non recuſo: eodem tamen fideiuſſore dixero; alia fuiſſe Academicorum verba, alia facta, nam & Diis ipſi quoque ſacrificabant, quamobrem de illis non inſcitè idem: *Philoſophorum ſupercilia contemnimus, quos corruptores, & adulteros nouimus, & tyrannos, & ſemper aduerſus ſua vitia facundos: nos non habitu ſapientiam ſed mente præferimus; non eloquimur magna, ſed viuimus:* de quibus Euſebius lib.4. Præparationis Euang. cap.2. ſub calcem: *Cultus enim idolorum quaſi peſtis omnia contagione ſua inuaſerat; quæ ipſos quoque Philoſophos moribus ciuitatum, ac legibus ſacrificantes ſubmerſerat;* quare de Orpheo Theophilus Antiochenus lib.3. ad Autolycum, ſub initio: *Quæ vtilitas manauit ad Orpheum ex eo, quod trecentos & ſexaginta Deos confeſſus eſt, quos tandem reiecit in teſtamento ſuo cùm obiret mortem, aſſerens vnum eſſe Deum?* At nec in mundi vnico aſſerendo Rectore aliquo modo fuère conſtantes; Nam, vt lucubrationum parte quadam ita docerent, fluctuabundi rurſum in Deorum congeriem incidebant, vel tales de Numine opinationes ſpargebant, quæ abſurditatis pleniſſimæ eſſent: quod argumentum eo loci idem fusè proſequitur Theophilus; & poſt recenſita falſa multa dogmata: *Hoc quidem* (ait) *enumeramus, vt demonſtremus, & quaſi ob oculos ponamus, impias & inutiles eorum eſſe ſententias; nec ipſi veritatem aſſequuti ſunt, nec alios ad veritatem cohortati ſunt: nam ex ſuis ipſorum, dum contraria ſibi proferunt, ſcriptis, mendacij arguuntur:* cuius generis non pauca nuper memoratus Euſebius Pamphili ſuppeditabit lib.13. de Præparat. Euang. c.8. & 11. & lib.14. cap.3. & 6. Lactantius lib.2. Inſtitut. cap.3. & lib.7. cap.7. vbi certè veritati plurimùm obfuiſſe, quod nunc quandoque etiam in ſcholarum diſſertationibus, impedimento eſt, definit his verbis: *Quare, incredibilis eſt error eorum, qui, cùm aliquam ſectam probauerint, eique ſe addixerint, cæteras damnant tanquam falſas & inanes, armántque ſe ad præliandum; nec quid defendere debeant, ſcientes, nec quid refutare; incurſántque paſſim ſine delectu omnia, quæ afferunt, quicumque diſſentiunt: ob has eorum pertinaciſſimas Contentiones, nulla extitit Philoſophia, quæ ad verum propiùs accederet:* tandem, quid de antiqua cenſendum Philoſophia Chryſoſtomus proloquatur ad finem Hom.65. in Euangelium Ioannis: *Fatuis vtuntur Magiſtris, qui neque de Deo, neque de Creatura firmum aliquid, & ſolidum inuenire potuerunt; ſed quæ apud nos vidua mulier nouit, ea Pythagoras ignorauit, qui dixit Animam fruticem, & piſcem, & Carnem fieri; hiſne opera danda eſt? Magni ſunt in Ciuitate, pulchros nutriunt capillos, & pallijs induuntur: Quos, ſi intrinſecùs inſpexeris, puluis ſunt & cinis, in quibus nihil ſani, ſed ſepulchrum patens guttur eorum, plenum immunditiâ, & ſordidum, & præcepta omnia vermium: Primus eorum, Aquam, Deum eſſe dixit; qui ſecutus eſt, ignem; alius, aërem, & ad corpora delati ſunt: Hos, quæſo, admirandos ducis, qui nullam inuiſibilis Dei cognitionem habuerunt? Quod, ſi quam perceperunt, id euenit, ex quo in Ægypto cum noſtris verſati ſunt.*

*Euſeb.* — *Deos 360. colebat Orpheus.* Theophil. Antioch. — *Ethnica Philoſophia inconſtantia.* Idem. — Euſeb. — Lactant. — *Apud Gentiles Philoſophos, nil firmum, nil ſtabile, vana omnia.* Chryſoſt.

27. Ac fuerint quidem Athenienſes veri Numinis cognitionem adepti, ſed vnà cum vero Deo, falſa colebant etiam portenta, ob quod idololatræ; vnde Apoſtolus allegato ſuperiùs Actorum cap.17. verſ.23. *Præteriens enim, & videns ſimulachra veſtra, inueni & aram in qua ſcriptum erat: Ignoto Deo:* In hunc modum ex Cuthæis in Samariam tranſlata colonia, de qua Reg.4.c.17. cùm ob Leonum armatam in eos ſæuitiam, Hebræorum ſacra complexa fuiſſet, ſaltem quod ad vnius Mundi Rectoris venerationem attinebat: tamen, *Cùm Dominum colèrent* (vt Textus aſſeuerat v.33.) *Dijs quoque ſeruiebant iuxtà conſuetudinem gentium, de quibus tranſlati fuerant Samariam:* atque hanc ob cauſam, à Iudæis non minùs, quàm cæteræ nationes, quæ Diis ſacrificabant deſpecti, quos ex æquo reputabant Ethnicos, vt obſeruarunt Ianſenius Concordiæ cap.23. in illud, *quomodo tu Iudæus,* &c. Maldonatus ad v.4.c.4. Ioann. Torniellus tom.2. anno Mundi 3315.n.2. Gaſpar Sanchez in dictum ex Regibus cap. n.18. Ad inuidiam verò Hieroſolymitani templi à Manaſſe Iaddi Pontificis fratre, inſtigante eum Sanaballete Cuthæo ſocero illius fabricatum eſt templum Hieroſolymitano ſimile in monte Garizim, qui imminet Samariæ, reliquis excelſior iugis, quo de fano Ioſephus lib. Antiq.11.c.8. & lib.13. cap.6. & de eo Ioannem loquutum, c.4.v.20. cùm Samaritanam loquentem producit: *Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Maldonatus & Ianſenius aſſerunt, Torniellus anno Mundi 3721.n.2. In hoc templo Antiochus Rex, Iouis Hoſpitalis collocari ſimulachrum, & ab eo deinceps cognominari iuſſit, quemadmodum templum Ieroſolymitanum ab Olympio Ioue nominari præcepit; verùm Hebræi docti ab incunabulis, vnum, cúmque ſolum rerum omnium factorem venerari Deum, Tyranno fortiter reſtiterunt: Samaritæ autem, quod conſueuiſſent alia venerari etiam numina, obſequentes ſe præbuerunt impiiſſimis mandatis: id Machabæorum volumen non refert, vbi de Iouis Hoſpitalis aſſumendo titulo memorat, lib.2. c.6. v.2. Ioſephus tamen ex profeſſo narrat lib.12. Antiq. cap.7. *Samaritæ autem videntes in tali calamitate conſtitutos Iudæos, non ampliùs profitebantur ſe cognatos eorum, neque Garizitanum templum Dei maximi, nihil abſonum facientes à ſuo ingenio:* neque in his diſplicet Saliano tom.6. anno Mundi 3887. n.15. Idem etiam Ioſephus lib.13. Antiq. cap.6. alterius ſuggerit Templi fabricam ad imitationem Hieroſolymitani, quod in Ægypto, Hieropolitano in Tractu ſub Ptolomæo Philometore Oniâ Pontificis Oniæ filio, ita procurante conſtructum ſit: cuius delubri, quod ſchiſmaticum erat, cùm per Moyſis legem vnam tantùm haberi ſacrorum Baſilicam liceret, Solymorũ vrbs deſignata ſedes, mentio apud S. Hieronymum ad c.19. Iſaiæ, & ad c.11. Danielis: de illo Serarius in c.10. lib.1. Machab. ſub initio, Sanctius ad c.11. Eſter; cæteris luculentiùs Salian. tom.6. anno Mundi 3889. n.50. nos eius propterea recordati ſumus, quod ſuſpicaremur, ne fortaſſe idem contingeret Pſeudo-Eccleſiæ, quod Samaritanorum fano, vt in illo ſimul adoleretur incenſum & Hebræorum Numini & diis gentium; quanquam potiùs in huius abuſus aliquam medicinam ſubſtructum innuat Ioſephus, inquiens ſub nomine Oniæ ad Ægyptiorum Regem: *Animaduerti apud Caleſyriam & Phœnicen, & Leontopolim, quæ eſt in Præfectura Heliopolitana, aliiſque in locis Iudæos præter decorum habere templa, & ideo malè inter eos conuenire; quod & Ægyptijs vſu venit propter multitudinem templorum, & diuerſitatem Religionum:* Cæterùm & ſub finem eiuſdem c.6. monet Flauius Gentilium plurimos Reges vnà cum ſuis Numinibus Hieroſolimitano templo veneratũ Deum coluiſſe; *idcirco ab omnibus Aſiæ Regibus maieſtatem eius loci honoratam donarijs;*

4.Reg.17.33. *Cum vero Deo, falſos quoque colebant Nationes.* — Ianſen. Maldonat. Torniell. Sanchez. — Ioſeph. — Ioan.4.20. *Rex Antiochus in Templo Garizitano Iouis Hoſpitalis ſimulacrum ſtatuit.* — Ioſeph. — Salian. — *Templum in Ægypto ad imitationem Ieroſolymitani conſtructum.* — Hieron. Serar. Sanchez. — *In Samaritano Templo cũ vero Deo Idola colebantur.* Ioſeph. — Idem.

quibus



quibus conſonat Machabæorum lib.2. cap.3. v.2. *Fiebat vt ipſi Reges & Principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent, ita, vt Seleucus Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes:* Atque ex ſimilibus argumentis vnà cum ſuis idolis Deum Iſraëlis veneratione proſequutos fuiſſe Ethnicos multos eruditè Mendoça illuſtrat tom.2. in lib.1. Regum, ad verſ.9. cap.4. in Literæ expoſitione, num.2. & 3.

2.Machab.3.2. — Mendoça.

28. *Vnde tanta inter gentes Idololatria?*

Ex hactenus præfatis demum conſtat, vt Numen Vnicum, atque ſyncerum Iudæi oblatis incenſis, altaribus conſtructis, plurimâ Animalium victimatione coluerint, atque idem fecerint ſub naturæ lege, qui floruerant iuſti ſub Melchiſedecho, Iobo, aliiſque quibus Dei præſtantior affulſit cognitio vel per miniſteria Angelorum, ſeu ex prędicatione aliqua, vel à Maioribus deriuatâ traditione; tamen hominum maximam partem caligaſſe, & ſummo errore in Creaturam diuinos tranſtuliſſe honores; cuius miſerandæ infirmitatis cauſas Euſebius aſſecutus lib.7. Præparat. Euang. c.1. in hanc effatur normam, *Cæteri enim homines, cæteræque gentes vniuerſæ* (exceptis nimirum Hebræis) *nihil ferè de immortalitate Animæ ſentientes, nec aliud quid præter hæc viſibilia cogitantes, corporum voluptate felicitatem terminarunt: Quare alij Solem & Lunam, & reliquas ſtellas à quibus hanc vitam dari putabant; alij terræ fruges & reliquas Mundi partes, vnde non paruam ſe voluptatem capere videbant, Deos & Authores omnium rerum eſſe prædicabant; Alij non veriti ſunt Titillationem ſenſuum, Cupidinem & Venerem non ſibi ſolùm, verùm etiam reliquis præpoſuiſſe Dijs: alij Principes & tyrannos, qui eis voluptati fuerunt, & viuos adorarunt, & poſt mortem in cælum aſcendiſſe crediderunt: alij malignos quoſdam Spiritus, qui Cupiditates eorum incendebant, & culti voluptatibus explebant.* Quibus illa ſororia, quæ apud Athanaſium principio Orationis contra Idola: *Ita olim ſtolidi homines demerſi in Carnales libidines, & imaginationes, obliti earum rationum, dogmatúmque, quibus Deus intelligitur, obſcurâ cordis ratiocinatione, vel potiùs irrationali vecordiâ vſi, Rem viſibilem Deum eſſe finxerunt.* Sed contenderit quiſpiam homines eximiâ ſanctitudine præditos fuiſſe, quorum finxerint imagines, quibus Templorum moles ſuberexerint, quibus preces fuderint ſuas, dies ſignauerint iucundiores atque feſtiuos: Horum autem nihil illicitum, neque de Idololatriæ cloaca: At ſanè conſiderandum eſt imprimis, num qui hac vtatur argumentatione, vniuerſo Deorum cultui patrocinari cupiat: id enim ſi concipiat, toto penitus aberrat cœlo: docent namque Patres quotquot aduerſùm gentes ſcripſerunt, præter homines, in Deorum cenſum alias etiam relatas Creaturas, eáſque de abiectiſſimis ordinibus: Sæpè quoque exclamant Superum donatos albo ſceleſtiſſimos mortalium: paucis ſuper hac re ero contentus, quod eius nimiâ ſit euidentia. Rectè generatim Nazianzenus Gregorius oratione 39. *Non magis ea numina per ſe ipſos honorantes, quàm ipſi per ea dedecus & infamiam ſibi ipſis inurentes; execrabiles quidem illi ob errorem, execrabiliores autem ob eorum, quæ venerantur, atque adorant vilitatem, ita vt ijs etiam, quæ colunt ſtupidiores ſe præbeant, tantâque dementia & ſtoliditate ſuperent, quantùm ab ijs, quæ adorant vilitate ſuperantur.* Clemens Alexandrinus in Proptreptico: *Impios autem, & ſine Deo iure voco, qui eum, qui eſt verè Deus, ignorauerunt: Puerum autem, qui diſcerpitur à Titanibus, & lugentem mulierculam, & partes reuerâ præ pudore minimè dicendas impudenter colunt.* Tatianus Aſſyrius oratione contra Græcos: *Apud quos ſunt nuptiæ, & pueri violantur, adulteria committuntur, riſus & ira, fuga, vulnera deprehenduntur, quomodo non mortales ſint?* Athenagoras legatione pro Chriſtianis: *Quod ſi reprobi etiam, & Deo inuiſi homines in Deorum numerum relati ſunt; & Dercêtus filia Semiramis libidinoſa & ſanguinaria mulier, Syriæ Deæ nomine culta eſt; quid mirum, ſi imperio & tyrannide florentes à ſubditis Deorum nomine nuncupati ſunt?* Minutius Felix in Octauio: *Sic nata Romana ſuperſtitio, quorum ritus ſi percenſeas, ridenda quàm multa, multa etiam miſeranda ſunt:* Arnobius lib.1. contra Gentes: *In ciuitatibus maximis Templa Felibus, Scarabeis, & Buculis, ſublimibus ſunt elata faſtigijs:* Sed huius generis ſexcenta in Patrum Voluminibus occurrunt; miſſa propterea faciamus.

Euſeb. — *Idololatria ab Ignorantia, & voluptate.* — Athanaſ. — *Et nequiſſimi homines inter Deos relati, & abiectiſſimis creaturis diuini honores impenſi.* — Nazianzen. — Clem. Alex. — Tatianus. — Athenagor. — Minut. Fel. — Arnob. *O præclara Numina!*



---

*An ſanctorum virorum memorijs delati honores ſub lege Naturæ? in eorum venerandis Reliquijs quantam diligentiam Synagoga poſuerit? Relati inter aſtra homines à Gentilitate: quam de Angelis notitiam Pagani conſequuti? Quis apud eos Genius? Num bonis ſpiritibus aliquando Templa ædificauerint?*

## SECTIO IV.

29. *An lex Naturæ, ſiue Moyſis Iuſtos coluerit in vita, vel poſt mortem?*

SVbtilior altera Diſquiſitio, & non ingrata omni futura lectori; Num quidem ſub lege Naturæ aut in Hebræorum ſacra Republica, vſus extiterit aliquis colendi, aut in vita, vel poſt mortem, homines, in quibus rariſſima quædam effulſit virtus, quorum intaminati mores, exitus felix atque beatus; vt his quidem defunctis imprimis ſtatuas poſuerint, Templa atque altaria fabricarint, opem eorum rebus in dubiis implorarint, diem obitus memorialem quotannis cum gaudio & exultatione populorum celebrarint? qua in re, nihil ſtabile definiendum erit à nobis, quoniam certi aliquid non ſupperit, quod afferamus; proponemus, quæ ſubſidio eſſe poſſint, integrùm cuique iudicium relinquentes. Incipiamus verò à lege Naturæ: Quemadmodum igitur ſub eo ſtatuo ſiue ex Naturæ inſtinctu, vt docet S.Thomas 2.2. q.85. art.1. ſeu ex doctrina Maiorum, huic ſuperaddita lumina, & à Protoplaſto ad nepotes tranſlata, vt Hugo Victorinus in Geneſim ſtatuit, nouerant Deum non ſolùm mente colendum eſſe, ſed etiam externis obſequiis; cur non etiam iiſdem ex fontibus hauſerint, vt ſanctos Dei fidiſſimos Amicos, honorarint mediâ quadam obſeruãtiâ, hoc eſt, quæ vinceret adorationem humanæ debitam politiæ, atque ciuili Maieſtati; inferior autẽ eſſet Rerum ſupremo Gubernatori exhibitæ Reuerentiæ? Sed ſpecimen horum nonne? quippe de Enos Geneſ. c.4. v.26. *Iſte cœpit inuocare nomen Domini:* quæ verba aliter Aquilæ Tranſlatio apud Theodoretum quæſtione 47. in Geneſim, τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου: *tunc cœptum eſt vocari in nomine Domini:* quam Verſionem eodem loco Theodoretus ſic explanat: *Subindicat* (ait) *ſermo ille, quòd propter pietatem primus hic diuinam appellationem ſortitus eſt, & à cognatis vocatus eſt Deus, vnde & qui ex eo nati ſunt, vocati ſunt filij Dei, quemadmodum & nos à cognomine Chriſti Domini noſtri nuncupamur Chriſtiani:* Theo-

S.Thom. — Hugo Vict. — Gen.4.26. Aquila apud Theodoret. *In lege Naturæ honor Enos viro ſancto exhibitus.*



doretum

Procop. Chryſoſtom. Cyrill. Alex.

doretum,vt aſſolet,Procopius ſequutus;& eadem in ſententia eſt Ioannes Chryſoſtomus hom.22. in Geneſim, in illud, *vt viderunt Filij Dei*,&c. ſed quoniam diſtinctius cæteris profatur Cyrillus Alexandrinus lib.9. contra Iulianum, eius paucula ſubiiciam verba: *Hic Enos cœpit inuocare nomen Domini Dei: Nam, quoniam ſummâ virtute præditus erat, meritò laudabatur, & vocabulo Dei ab ijs, qui tunc erant, honoratus eſt: nominatus eſt enim Deus omnis iuſtitiæ, & virtutis exiſtens ſtudioſus:* Si igitur in vita ob morum ſingularem præſtantiam talibus encomiis Enos proſecuti ſunt eius temporis mortales, quid arbitramur memoriæ eius detuliſſe, poſtquam ex conſortio hominum ablatus eſt, præſertim, ſi qualem qualem vitæ Religioſæ ideam compoſuit, & ſectatores reliquit? vti VValdenſis memorat lib.3.Doctrinalis fidei cap.1.num.1.cui adſtipulatur Boulduc lib.1. de Eccleſia ante legem cap.11. nam Parentis celebrari nomen filij procuraſſent.

Vualdenſ. Bolduc.

Alterum obſeruantiæ erga pietate claros viros argumentum, quod Adæ, quaſi ſacras Reliquias, oſſa, tanquam præſidium aduerſus tumentes fluctus in Arcam transferenda, opportunum duxerit Noë: Aſſertor Moyſes Barcepha tom.1. Biblioth. veter. patrum, tertiæ editionis, qui Commentariis de Paradiſi authoritate Iacobi Edeſſeni, ſcriptoris inter Syros famæ celebrioris, & Magni Ephrem quondam Præceptoris,parte 1.cap.14. ſic inquit: *Certum eſt autem Iebus eſſe Ieruſalem: & verò Dominus Iacobus Orrobaïta* (qui eſt Ediſſenus ille, quem diximus) *tradit etiam Noam illic habitaſſe, atque in Regione Sodomorum plantaſſe illas Cedros, ex quibus Arcam conſtruxit, quam Arcam cùm eſſet vnà cum liberis ſuis conſcenſurus,impendente Diluuio,ſecum in eã intuliſſe oſſa Adami:eáque deinceps poſt Diluuiũ Arcâ egreſſum,ſuis filijs diſtribuiſſe,prout orbem terarum inter illos habitandum partiebatur:verbi gratiâ,Caluariam Adami dediſſe Primogenito ſuo Sem*,&c.

*Adæ oſſa vt ſacræ Reliquiæ in Arcã trãſtulit Noë; præſidium aduerſus tumẽtes fluctus.*

Moyſ. Barcepha.

Ac ſanè,qui hinc ſacrarum Reliquiarum venerationem corroborat Andreas Maſius ad verſum 32. cap. vltimi Ioſue ſub finem, aſſerit Iacobum Ediſſenum ex priſca Traditione Syrorum accepiſſe:Præſidij verò cauſâ vſum beato pignore Noë rectè aduertit noſter Mendoça tom.2. in lib.1. Regum ad verſ.11. cap.4. Annotat. circa literam, ſect.1. num.4. Rem autem ipſammet probabilem cenſent Salianus tom.1. anno Mundi 930. num.10. Boulduc lib.3. de Eccleſia ante legem cap.3. in fine: ſicut igitur Reliquiarum Adami tanta fuit Cura ingruente orbis clade, fortaſſe ante Diluuium, eius memoria eo concelebrata cultu fuit, quoad Templa, inuocationem, imagines, feſtâ luce, quo nunc Sanctorum colitur Recordario: omitto referre de exhibitis poſt mortem cumulatis honoribus ex quadam velut Apotheoſi,ipſi, qui hæc Adami veneratus eſt oſſa, Aquarum Triumphatori Noë, propterea, quod alium teſtem nanciſci non licuit præter Apocryphum Ioannis Annij Beroſum.

Maſius. Mendoça. Salian. Bolduc. Io. Annius.

Cæterùm de Abrahæ, atque aliorum Patriarcharum monimentis aliquid inferius num. 31. Iobi celebratum ſepulchrum ex Niceta refert Pineda ſub finem Commentariorum in caput vltimum eius: teſtatur Abulenſis quæſt.12,in cap. Numerorum 14.déque hoc Argumento toto luculentè doctiſſimus Antiſtes Giennenſis Sanctius Dauila vernaculo Idiomate lib.1. de veneratione Sanctarum Reliquiarum.

*Tumulus Iobi honoratus.* Nicetas. Pineda. Toſtat. Sanctius Dauila.

30. Fœcundior probatio ſub lege ſcripta: Quidni verò, cùm Deus ipſe per Eccleſiaſticum, cap.44. & ſequentibus, tot de veteris Inſtrumenti iuſtos Canonizauerit, vt inquit Bellarminus lib.1. de Sanctorum Beatitud. cap.7.Quos autem canonizauit, eoſdem & ab hominibus coli magnificentiſſimè voluit; vndè per Siracidem dicti capitis introitu: *Laudemus viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua: &* verſ.14. rurſum exhortatus: *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia:* quamobrem & Dauidis Muſa de iis pronuncians, & in elapſa etiam tempora reſpectans, Pſalm.138. verſ.17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt Amici tui Deus; nimis confortatus eſt principatus eorum.*

Bellarm. *Sanctorum cultus in Lege Moſaïca.* Eccli.44. Pſalm.138. 17.

Hoc in Ioſepho effulſit, cùm eius veneranda oſſa ex Ægypto Moyſes aſportauit, Peregrinationis ſolatium, Exod.c.13. verſ.19.quæ poſtea in Sichem aſſeruata fuiſſe Ioſue memorat volumen capite vltimo verſ.32. ac quidem indè plurimus Defuncto ſplendor, cùm veram eius de Reliquiarũ tranſlatione prædictionem, euentus teſtaretur; idcircò ab Eccleſiaſtico pronunciatum cap.49. verſ.18. *Et oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetauerunt*, hunc verò delatum honorem Cineribus ob incomparabilem viri erga Deum pietatem meritò exiſtimatum à Vaſquecio tom.1.in 3.part.diſp.112.cap.2. à Suarez in eadem Part. primo etiam Tomo diſp. 55. ſect.1. Bellarmino lib.2. de imaginibus Sanctor. cap.3.

*Ioſephi oſſa ab Ægypto aſportata, & honorata.* Exod.13. Ioſue 24. Eccli.49. 18. Vazquez. Suarez. Bellarm.

Cùm autem egregius Propheta Moyſes diem obiiſſet,(quod de Sancta Catharina poſt natum Euangelium, eius prodit Hiſtoria, ) legiſlator conſecutus eſt, Cadauer vt Angeli tumularent; quam pompam ſanctis exhibitam membris, ſe ex traditione didiciſſe Beatus affirmat Epiphanius, Hæreſi 9. & 64. OEcumenius ad verſ.9. epiſt. Iudæ Apoſtoli, cœleſtis militiæ Ducem Michaëlem eius præfuiſſe affirmat funeri: Abulenſis ad caput vltimum Deuteronomij, Deum, ait, paraſſe *locum honorabilem pro legiſlatore ſuo, atque Miniſtro, quem ad tantam anteà dignitatem eleuauerat:*eum in locum,quod de Angelis Libitinis aſſeueratum eſt, agnoſcunt Lyra, Caietanus, Lorin. à Lapide, Bonfrer. ad v.6. c. vlt. Deuter. atque ad v.9. epiſt. Iudæ, Lorinus & Cornelius, Quiros num.138. Serarius lib.1. in Ioſue, c.10. quæſt.6.Salianus tom.2.anno Mundi 2583.n.328. Alphonſus de Mendoça quæſt. 5. Scholaſtica num.7. Ioannes Marquez in Gubernatore Chriſtiano lib.1. cap.31. Sanctius Dauila de veneratione ſacrarum Reliquiarum lib.2. cap.2. num.4. Suarez tom.2. in 3. part. diſp.32. ſect.2.

*Moyſes ab Angelis tumulatus.* Epiphan. OEcumen. Iud. v.9. Toſtat. Lyra. Caietan. Lorinus. A Lapide. Bonfrer. Quiros. Serar. Salian. Mendoça. Marquez. S.Dauila. Suarez.

Denique, ne Creaturâ maius aliquid eſſe ſuſpicarentur Iudæi,propterea ab oculis Mortalium eius abſtractum tumulum vulgata Patrum, atque Recentiorum æſtimatio; Quanquam Genebrardo viſum lib.1. Chronographiæ, idcirco hominibus ſurreptum vt quàm eſſet ſupra cæteros homines, noſſent, qui hominum communi buſto non eſt donatus: Serarius autem in epiſt. Iudæ, non inconcinnè iudicauit, ideo cum Michaële Diabolum altercatum & contendiſſe, vt in terram Promiſſionis eius deportaretur corpus; nè, ſi extra hanc in Moabo,Regione nimirum Ethniciſmum profitente, ſepeliretur; ob ſanctas Reliquias aut Dæmones obmuteſcerent, aut eorum confringerentur ſimulachra.

Genebrard. *Cur de Moyſis corpore à Michaële cũ Diabolo altercatum?*

31. Iam de Miraculis poſt mortem operatis Nicolaus Lyra ad c.49. Eccleſiaſtici; in illud: *& duodecim Prophetarum*, &c. *Tum quia ſepulti fuerant* (ait) *honorificè ad prolongationem bonæ memoriæ; tum, quia veriſimile, quod ad ſepulchra eorum, ſaltem aliquorum,fiebant miracula:* Bellarminus lib.2. de

Lyra. *Miracula è Prophetarum cadaueribus.*



de imaginibus Sanctor. cap.4. ex Hieronymo atque Epiphanio contendit poſt captiuitatem Babylonicam edita prodigia multa per cineres Iſaiæ, Ezechielis,Ieremiæ,Eliſei, Abdiæ,& aliorum, ideóque crebrò viſitata eorum ſepulchra ab hominibus; De mortuo cadauere, quod vita iam functus Eliſeus reuiuiſcere iterum fecerit,exploratum Reg. 4. cap. 13. verſ. 22. Quàm verò fuerint benefica Ieremiæ vatis oſſa his apud quos ſepultus ſit Ægyptiis, atque vt Alexandro Macedonum Rege, qui Magnus nuncupatus, eius in Alexandriam tranſportatæ fuerint Reliquiæ,declarant Epiphanius libro de vita & obitu Prophetarum: Iſidorus de vita atque obitu ſanctorum, Dorotheus in ſynopſi,Chronicon Alexandrinum, Ioannes Moſcus in Prato ſpiritali cap.27. Abulenſis quæſtione 91. in cap. 2. Matthæi: Quæ Recentiores ſine faſtidio excipiunt, Sanctius Giennenſis Epiſcopus de Veneratione ſacrarum Reliquiarum lib.2.cap.6.numero 4. Salianus tom.4. anno Mundi 3448.num.32.Gaſpar Sanchez Prolog. 6. in Ieremiam: & iidem cognata iſtiſmet de Ezechiele ex nominatis Scriptoribus, imprimis Epiphanio,Dorotheo,atque Iſidoro: ſimiliáque de Abdia ex minoribus Prophetis, Hieronymi teſtimonio ducti, principio Commentariorum in Abdiam, atque epiſt. 27. quod eſt Epitaphium Paulæ ad Euſtochium.

4.Reg.13. Epiphan. Iſidor. Doroth. Io.Moſcus. Toſtat. Sanctius. Salian. Sanchez. Hieronym.

De ſepulchro Dauidis mira quædam Ioſephus enarrat lib. 16. Antiq. cap. 11. Sed & Benjamin Iudæus, qui poſt Chriſtum ſæculo duodecimo vixit, quem Arias Montanus Latinum reddidit, in ſuo Itinerario ſingularia quædam recenſet: At Ioſephus eo loci diſſentit ab his, quæ tradiderat lib.7. Antiq.cap.12. Benjaminus autem de more Rabbinorum Commentis fidem eleuat Rerum, de quibus agit: illud verò minimè prætereundum, vota ſua nuncupare ſolitos Hebræos, & loca adire, in quibus tegebantur ſancta Corpora: ſecundum quam normam loquutus Abſalom Reg.2. cap.15. verſ.8. *Vadam,& reddam vota mea, quæ voui Domino,in Hebron:* Mirum, quod non in Ieruſalem,vbi Arca aſſeruabatur, vel in Gabaon, vbi Tabernaculum conſiſtebat,profectus: vt quid in Hebron? Nicolaus: *Locus enim ille* (dicit) *ſanctus reputabatur, eò quod quatuor Patriarchæ principales ſint ibi ſepulti cum ſuis coniugibus ſcilicet Adam, & Eua; Abraham & Sara; Iſaac & Rebecca; Iacob & Lia,ſicut dictum fuit, Geneſ. cap. 23. & ideo Abſalom fingebat illuc ire ex deuotione:* quæ eadem ſententia in Toſtato quæſtione 14.ac Salianus quidem tom.3. anno Mundi 3009. num.5. hæc perpendens: *Quod* (inquit) *apertè oſtendit, etiam Dauidis tempore, religioſè coli ſolita monumenta ſanctorum, votáque Deo ſub eorum patrocinio facta fuiſſe, ac perſoluta.*

Ioſeph. *Cur Abſalom vadit in Hebron, vota redditurus,nõ in Ieruſalem?* 2 Reg. 15 8. Lyra. Salian.

Verùm,cur non eis dicata Templa aliqua? Docui in præcedentibus vnum ſolum Templum extitiſſe Ieroſolymitanum in tota Iudæa: cæteris in vrbibus & Pagis Synagogas tantùm: Si qua veritas Benjamin Hebræi Itinerario, cuius paulò antea mentionem fecimus, ibi proditum,Samuelis Prophetæ corpus in Ramatha,in Synagoga cuſtoditum: ac tamen ſepulchra nominari poſſe Templa ex Maronis Carminibus illis, de Buſto Mariti Reginæ Carthaginenſis,lib.4.Æneid.

*Sepulchra Tẽpla dicta.*

*Præterea,fuit in tectis de marmore templum*
*Coniugis antiqui,miro,quod honore colebat.*

Virgil.

Certè Hebræorum Mauſolæa eiuſmodi fuêre, quæ & magnitudine & capacitate, & Artis ingenio cum Delubris meritò comparari poſſent: tale,quod Simon Machabæus Patris atque fratrum ædificauit honori,Machab.1. cap.13.v.17. Quod Ioſephus plurimùm commendat lib. 13. Antiq. cap.11. atque ob ſanctitatis gloriam fabricata tam egregia opera ſignificat idem, lib.9. Antiq. cap.9. nam de Eliſeo: *Sepulchro etiam honoratus eſt* (inquit) *magnifico, quale decuit hominem Numini diuino acceptiſſimum:* de qua tam ſumptuoſa mole Chriſtus,Luc. c.11.verſ.47. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem veſtri occiderunt illos:* Quæ Inuectiua, quemadmodum non ſit deteſtatio Sepulchrorum,ſed Hypocriſis Phariſaïcæ docebit Vaſquez tom.3. in 3. part. diſputatione 112. cap. 3.

*Inſignes Hebræorum Tumuli.* Ioſeph. Luc.11.47. Vaſquez.

An vero defunctis erigerentur ſtatuæ aliquæ,aut eorum quouis more pingerentur vultus, incertum mihi eſt: ſunt, qui putent vniuerſim prohibitum Iudæis humana effingere lineamenta: Quam propugnat acriter Theſim modò allegatus Vaſqueſius citato Volumine,diſputatione 114.Contrariæ adhærent factioni Bellarminus de imaginibus Sanct. lib. 2. cap.7.Suarez tom.1.in 3,part.diſputatione 54.ſectione 2. ſub finem: & defenſione contra Regem Angliæ,lib.2.cap.12.num.4.

Bellarmin. Suarez.

Obieceris, priſci fœderis iuſtos Beatitudine & clara Dei viſione non fuiſſe donatos, quoad reſerauit cœlos Chriſtus: non igitur licebat eo proſequi cultu, quo ſanctos cum Deo regnantes veneramur: Quod ſi licebant cætera, cur non & vſus inualuit Inuocationis eorum: neque enim tum homines ſoliti inclamare: Sancte Abraham, vel,Sancte Moyſes ora pro me, ſed Deum ipſum obteſtabantur, & allegabant merita ſanctorum, qui vita exceſſerant, Numen vt mouerent. 32.

*Non inuocabantur directè Sancti veteris Teſtamenti ante Chriſti Aſcenſionem, quia cùm intuitiuâ Dei viſione nondum fruerentur, preces clientum cognoſcere non poterant, niſi ex ſpeciali priuilegio.*

Reſpondeo, vt eius ex Eccleſiæ, quæ tum vigebat, facultate, potuerint exhiberi demortuis quos aſſignabamus, honores, ſatis fuiſſe, vt de eximia ſanctitudine, qua vitæ clauſulam poſuerunt, conſtaret; neque arceri à Diuinitatis intuitiuo conſpectu ob noxas, quæ expiandæ eſſent, ſed quoniam per Chriſti ingreſſum in cœlos, Empyreæ ianuæ aperiendæ fuerant: Siquidem & modò Elias fortaſſe etiam in Viatorum, hoc eſt, merendi ſtatu ſit, certè præter dubium ad videndam intuitiuè diuinam eſſentiam nequaquam admiſſus; & tamen Kalendario Romano inter Sanctos repoſitus, & Templis & Eccleſiaſticis officiis, qui eius ſe Aſſeclas nominant, Carmelitæ præſertim, venerantur: ab aliis quoque fabricatas ei Baſilicas, atque propè ſub naſcentis fidei exordiis, Baronius memorat Notis ad Martyrologium, in Iulij vigeſimum diem:

*Elias Deum, intuitiuè nedum videt.* Baron.

Equidem orabant & tunc Sanctorum Animæ pro viuis, vt ex Ieremiæ cap.1. verſ. 1. conſtat; Ezechielis cap. 24. verſ. 20. & imprimis Machab. lib.2. cap.15.verſ.14. at fideles ſub veteri inſtrumento non dirigebant preces ad ipſos immediatè, ſed ad Deum,quem volebant ex illorum meritis flectere ſub ea quidem formula, qua apud Baruch cap. 3. verſ.4. *Domine Omnipotens, Deus Iſraël, audi nunc orationem mortuorum Iſraël;* quoniam ſanè, cùm Dei intuitione non fruerentur, non poterant ordinariè viuentium orationes cognoſcere, cùm ratione felicitatis ſtatus Beatitudinis cognoſcantur, cui id coniunctum, ſed quæ nouerant, ex ſpeciali ſciebant priuilegio; atque in hunc modum Bellarminum lib.1. de Sanct. Beatitudine, cap. 19 Suarez defenſione fidei Catholicæ lib.2. cap.9. numero 7. Becanus Analogiæ cap. 3. quæſtione 6. inuocabant tamen immediatè Angelos,quorum implo-

Baruch 3 4. Bellarmin. Suarez. Becanus.

rabant opem, quod noſſent facie ad faciem, Deum eos contemplari.

38. *Bona in Sanctos olim viros obſeruantia, in ſuperſtitionẽ poſtea & idololatriã degenerauit.*

Quando igitur à nobis declaratum ſit, celebratam Reuerentiæ excellentioris multis teſtimoniis Virorum memoriam, in quibus probatæ fulſit ſanctitudinis ratio, oportet intelligamus, non ſtatim idolis omnem veterum erga defunctos homines obſeruantiam tribuendam, quam vel ſtatuæ denotarent, vel magnifica ædificia ſepulchrorum, vel feſtorum dierum gaudia, vel Cantus, vel ſuffimenta, & tabellis declarata vota: Quæ tamen fuerunt optima Pietatis exordia, Mortalium vel craſſis erroribus, vel exaggeratâ ſuperſtitione, in idololatriam apertam tandem degenerarunt, vt non immeritò dixerit Plinius lib. 26. cap. 4. Magiam perſtringens:

Plin.

*Mirum eſſet profectò, hucuſque prouectam credulitatem Antiquorum, ſaluberrimis ortam initijs, ſi in vlla re modum humana ingenia nouiſſent; atque non hanc ipſam Medicinam ab Aſclepiade repertam, ſuo loco probaturi ſumus euectam vltra Magos etiam; Sed hæc eſt omni in re Animorum conditio, vt à neceſſarijs orſa primò, cuncta peruenerint ad nimium.*

*Ioſeph Patriarcha ab Ægyptijs in Deorum numerum relatus.*

Itaque contigit, vt Ioſephum Patriarcham Ægyptij in Deorum referrent claſſem, quem vel Serapidem intelligebant, vel Nili cum ſimulachro confundebant vt commonſtrauimus Anteloquio 5. num. 97. Moyſen verò Arabiæ Petreæ habitatores Mercurium exiſtimauerunt, aut Ægyptiorum Deum Thoth, vt Artapanus docet apud Euſebium lib. 9. Præparat. Epiphanius Hæreſi 55. & Cyrillus Alexandr. lib. 1. contra Iulianum. Heliæ verò raptum ad Solis aurigationem & Currus tranſlatum memorato nuper Anteloquio oſtendimus, num. 94.

Euſeb. Epiphan. Cyrill. Alex.

*Serpens æneus vt Numen habitus, inde ab Ezechia confractus.*

Denique cùm ſerpentem æneum ob ea præſtita Beneficia, de quibus Numerorum cap. 21. Religioſiores Hebræi tanquam venerandum Antiquitatis pignus aſſeruarent, factum eſt ſubſequutis temporibus, vt potentiores Iudæi tanquam Numen colerent, vt propterea Ezechias confringendum putauerit, Reg. 4. cap. 18. verſ. 4. vbi planè agnoſcunt, id quod nos proponebamus accidiſſe, nempè, ex bonis progreſſa initiis, tandem in Gentiliſmum degeneraſſe, Sanctius ad præcitatum caput, num. 5. Torniellus tom. 2. anno Mundi 3315. num. 8. Salianus tom. 4. anno Mundi 3309. num. 27. licet autem ſtatuas fabricarent hominibus, & Delubris icones reponerent, eoſdem tamen vltimùm & inter ſidera referebant: Suetonius in Iulio cap. 88. *Stella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa vndecimam Horam, creditúmque eſt Animam Cæſaris eſſe in cœlum recepti; & hac de cauſa ſimulachro eius in vertice additur ſtella:* Hanc vero Cæſaris conſecrationem deſcribens Naſo lib. 15. Metamorph. ſub finem, inquit:

4. Reg. 18. Sanchez. Torniell. Salian. Sueton.

*Cæſar inter Deos relatus.*

Ouid.

*Conſtitit alma Venus nulli cernenda, ſuíque*
*Cæſaris eripuit membris, nec in aëra ſolui*
*Paſſa recentem animam, cœleſtibus intulit Aſtris*
*Dúmque tulit, numen capere, atque igneſcere ſenſit,*
*Emerſitque ſimul, ſimul altiùs euolat illa,*
*Flammiferámque trahens ſpatioſo limite Crinem*
*Stella micat.*

Plin.

Plinius in Traiani encomio: *Tu ſyderibus Patrem intuliſti, non ad metum Ciuium, non in contumeliam Numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis:* Hanc ob cauſam dixi priori Volumine ſectione 5. ſubſectione 3. qui ſubtilius de gentium Diis inter ipſoſmet Paganos ſenſerunt, Solis, Lunæ, Aſtrorum nomine omnia comprehendiſſe numina; quoniam vel his cœlorum claris luminaribus diuinitatem tribuebant: vel horum in numerum referebant aut homines, aut fruges, aut Animantia, quibus ſimulachra in Templorum adytis attollebant: atque ob hoc ibidem notaui num. 93. Scripturam Hebræis præcipuè obiectare, quod Apollinem, Dianam, omnémque ætheris militiam, quibus ſtellæ deſignantur, impenſiùs colerent: Sed quod in ſtatuarum frontibus appingerentur aſtra, Seruius monet ad verſ. 681. lib. 8. Æneid. *Per triduum ſtella apparuit in Septentrione, quod ſidus Cæſaris putatum eſt Auguſto perſuadente: nam ideo Auguſtus omnibus ſtatuis, quas ob diuinitatem Cæſari ſtatuit, hanc ſtellam adiecit:* quem ad morem Lucani reſpexère verſus lib. 7.

*Solis, Lunæ, Aſtrorum nomine, omnia comprehendebant Numina Ethnici.*

Seruius.

Lucan.

*Bella pares ſuperis facient ciuilia Diuos,*
*Fulminibus manes, radiiſque ornabit & aſtris.*

Quæ adnotare placuit, ſi fortè lectori videatur, vt commodum aliquod afferre poſſit verbis Amos c. 5. v. 26. *Et portaſtis Tabernaculum Moloc veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis*; nempè, eius idoli in vertice affixam ſtellam, qua ſignificabatur eum, quem ſtatua repræſentabat, loco donatum in cœleſtibus inter aſtra.

Amos 5. 26.

34. *Dæmones olim aliqui latebant ſub ſtatuis, & Paganorum ritibus.*

Quod ſi nos percunctari quiſpiam tentet, quid de Spiritibus ſentiamus, quibus etiam fana, altaria, ſimulachra erecta, boni illi, an mali eſſent? Reſponſuri ſimus imprimis, nullũm eſſe dubium ſub ſtatuis plurimos latuiſſe Dæmonas, infandos Spiritus; de illis Minutius in Octauio: *Iſti igitur impuri Spiritus Dæmones, ſub ſtatuis & imaginibus conſecratis deliteſcunt, & afflatu ſuo authoritatem quaſi præſentis Numinis conſequuntur: dum inſpirant interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, auium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt falſis pluribus inuoluta, nam & falluntur, & fallunt, vt & neſcientes ſinceram veritatem, & quam ſciunt, in perditionem ſui non confitentes.* Iiſdem penè dictionibus Cyprianus de Vanitate Idolorum, Tertullianus, Lactantius, & alij apud noſtrum Bubalum de Angelis, quæſtione 51. art. 2. difficultate vltima, §. 1. Dæmones quoque fuiſſe conſtat, quòd Chriſto ingrediente Ægyptum eorum ſtatuæ demolitæ fuerint, ex antiquiſſima Patrum traditione, quos agglomerant Baronius anno 1. Chriſti, num. 43. Leo Caſtrenſis ad verſ. 1. cap. 19. Iſaiæ, atque vberrimè Chriſtophorus de Caſtro, Hiſtoriâ Deiparæ cap. 10. num. 6 & quia etiam ad nominis Ieſu inuocationem, vel Crucis & ſacrarum Rerum conſpectum obmuteſcebant, vnde Lactantius lib. 4. Inſtit. cap 27. *Nam cùm dijs ſuis immolant, ſi aſſiſtat aliquis ſignatam frontem gerens, ſacra nullo modo litant;*

Cyprian. Tertullian. Lactant. Bubal.

Baron. Leo Caſtr. De Caſtro.

*Ad nomen Ieſu, & ad Crucis ſignũ muta Idola.*

Lactant.

*Nec Reſponſa poteſt conſultus reddere Vates;*

*Et hæc ſæpè cauſa præcipua inſtitiam perſequendi, malis Regibus fuit.* Paria in Apotheoſi Prudentius, & multis confirmat Gretſerus tom. 1. de Cruce, libro 4. capite 36. Denique immanis eorum ſæuitia, & turpiſſima dogmata, non niſi ex inferno potuiſſe eſſe monſtra, comprobabant manifeſtè: Quare Minutius Felix vbi ſuprà: *Sic è cœlo deorſum grauant, & à Deo vero ad materias auocant, vitam turbant, omnes inquietant, irrepentes etiam corporibus occultè, vt Spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, & ad cultum ſui cogunt, vt nidore Altarium, vel Hoſtijs Pecudum ſaginati, remiſſiùs quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur.* De iis Prudentius in Vincentio Martyre:

Prudent. Gretſer.

*Malorum Spirituum infeſtationes.*

Minut.

*Adſunt*



Prudent.

*Adſunt & illic Spiritus,*
*Sunt & Magiſtri criminum,*
*Veſtræ & ſalutis aucupes;*
*Vagi, impotentes, ſordidi;*
*Qui vos latenter incitos*
*In omne compellunt ſcelus.*

*Ethnicorum Philoſophi Pædicones: inde Antinous puer ab Adriano in Deum conſecratus.*

Hieronym.

De ſæuitia egimus Anteloquio ſuperioris Voluminis quinto, num. 106. Turpitudo autem fuit tanta, vt ne etiam Philoſophi ſe intra officium aliquod continerent, diſce ex Hieronymo de omnium deteſtandâ luxuriâ ad caput ſecundum Iſaiæ, ad illud: *Et pueris alienis adhæſerunt*, &c. *In tantùm autem Græci & Romani hoc quondam vitio laborauerunt, vt & clariſſimi Philoſophorum Græciæ haberent publicè Concubinos; & Hadrianus Philoſophiæ artibus eruditus, Antinoum conſecrarit in Deum, Templúmque ei, & Victimas, & Sacerdotes inſtituerit, & ex eo Ægypti Ciuitas ac Regio nomen acceperit: inter ſcorta quoque in fornicibus ſpectaculorum Pueri ſteterunt publicæ libidini expoſiti; donec ſub Conſtantino Imperatore Chriſti Euangelio coruſcante; & infidelitas Vniuerſarum gentium, & turpitudo deleta eſt.*

35. *Bonus Paganorum Genius noſtrum bonum Angelum planè refert.*

Bubal. Vazconcel. Suarez.

Suggeras: Angeli dexteri, atque felicis notitiam habuiſſe Paganos, quem Genium dicebant: Primùm, quoniam huius eſt non ſolùm Hominum Cuſtodiæ aduigilare, ſed etiam Prouinciarum, vrbium, quin & ſpeciebus Rerum Naturalium: comprobant noſtri Bubalus de Angelis quæſtione 50. art. 3. difficultate 2. §. 1. P. Antonius Vazconcelos tom. 1. de Angelo Cuſtode, Luſitano idiomate lib. 2. cap. 10. parte 4. Suarez lib. 6. de Angelis cap. 17. num. 26. Atqui etiam Gentiles nõ ſolùm Hominis cuiuſque tutelæ Genios aſſignabant, ſed aliis etiam naturis Rerum, Regionibus quoque, oppidis, domibus: Prudentius diſputatione poſteriori contra Symmachum:

Prudent. *Quàm multi Romæ Genij.*

*Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis vnum,*
*Cùm portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis,*
*Adſignare ſuos Genios, pérque omnia membra*
*Vrbis, pérque locos, Geniorum millia multa*
*Fingere, ne propriâ vacet Angulus vllus ab vmbra.*

Cenſorin.

Secundò, quoniam & Bonum dicunt, & noſtro deputatum Patrocinio: Cenſorius de die Natali cap. 3. *Genius autem ita nobis aſſiduus obſeruator appoſitus eſt, vt ne puncto quidem temporis longiùs abſcedat, ſed ab vtero Matris exceptos ad extremum vitæ diem comitetur:* Ammianus Marcellinus lib. 21. *Ferunt enim Theologi* (inquit) *in lucem editis hominibus cunctis, ſaluâ firmitate fatali, huiuſmodi quædam velut actus rectura Numina ſociari; admodum tamen pauciſſimis viſa, quos multiplices auxère virtutes: idque & oracula, & Authores docuère præclari, inter quos eſt etiam Menander Comicus, apud quem hi ſenarij duo leguntur:*

Ammian. Marc.

Menand.

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ τῷ γινομένῳ
Ἅπαντος ἐστὶ μυσταγωγὸς τοῦ βίου.

*Omni homini naſcenti Genius eſt myſticus Præſul totius vitæ.* Heſiodi etiam ea feruntur Carmina quibus Bonos denotat Genios:

Heſiod.

Τοὶ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς,
Ἐσθλοί, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Apuleius. *Angelos Cuſtodes ſingulis hominibus datos credidit Plato.*

*Illi quidem ſunt Dæmones Boni, magni Iouis arbitratu in terra verſantes ad Mortalium cuſtodiam.* Quid autem Plato ſentiret, Apuleius in Deo Socratis teſtatus eſt, inquiens: *Ex hac ergo ſublimiore Dæmonum copiâ, Plato autumat ſingulis hominibus in vita agenda teſtes, & cuſtodes ſingulos additos, qui nemini conſpicui ſemper adſint, omnium non modò Actorum teſtes, verùm etiam cogitatorum: ac vbi vitâ editâ remeandum eſt, eundem illum, qui nobis prædictus fuit, raptare illico & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad iudicium, atque illic in cauſa dicenda aſſiſtere: ſi qua commentiatur, redarguere; ſi qua vera dicat; aſſeuerare; prorſus illius teſtimonio ferri ſententiam:* Déque eodem Philoſopho Clemens Alexandrinus Stromat. 5. cap. 6. *Paruorum Angelos, quin etiam noſtri curationem & viſitationem, quæ ad nos venit, per Angelos, qui nobis præſunt, indicans Plato non veretur ſcribere: Poſtquam omnes Animæ vitam elegiſſent, ita vt ſortitæ erant, ordine accedere ad Lacheſim: illam autem eum, quem vnuſquiſque elegerit Dæmonem, cum eo mittere vitæ cuſtodem, & vt adimpleat ea, quæ elegerit:* Verùm quod ex Patrum quorumdam doctrina noſter commonſtrat Bubalus ſuperiùs allegatâ quæſtione, & Articulo, difficult. 3. §. 2. Hominibus à natiuitate duos aſſiſtere Angelos, ex bonis vnum, de Malis alterum, Seruius aſſequutus eſſe videatur, qui in illud ex Æneid. 6. *Quiſque ſuos patitur manes*, &c. *Cùm naſcimur* (ait) *duos Genios ſortimur: vnus eſt, qui hortatur ad bona: alter, qui deprauat ad mala: quibus aſſiſtentibus poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam; aut condemnamur in deteriorem:* Abſtineo à longiori diſcurſu; quoniam à variis iſtiuſmodi de Genio repetita ſunt, cum ſacrificiorum & cultus norma, Alexander Neapolitanus, & eius Annotiſta, Tiraquellus lib. 6. Genialium dierum cap. 4. Lilius Gregorius Giraldus ſyntagmate 15. ſub initio, Natalis Comes Mytholog. lib. 4. c. 3. ex noſtris Martinus Delrius tom. 2. in Senecam Tragœdum ad verſ. 1. Actus 1. Medeæ, Martiſius de Roa de die Natali ſacro & prophano; cap. 11. Iulius Cæſar Bullingerus tom. 1. Opuſculor. lib. 1. de licita, & vetita Magia cap. 25. Stephanus Bubalus de Angelis, nuperrimè citata difficultate tertia.

Clem. Alex.

Bubalus.

Seruius.

Alex. ab Alex. Tiraquell. Girald. Natal. Com. Delrio. De Roa. Bulling. Ranaud. Suarez.

36. *Bonorum Angelorum, malorúmque aliqualis apud Gentiles cognitio, ſed multis obſcurata erroribus.*

Cedo cum noſtro Ranaudo in Theologia Naturali, diſtinctione 3. quæſtione 2. art. 4. ab Ethnicis cognitos Angelos ſalutares etiam; ſiue ea Notitia deriuata ſit ex Maiorum traditione, vt Suarez autumat de Angelis lib. 7. cap. 1. num. 7. Siue quòd in Hebræorum ſacra & libros irrepſerint diligentiores, quemadmodum Bubalo viſum quæſtione 50. art. 3. difficultate 1. §. 1. Fuit tamen illa cognitio erroribus multis reſperſa, eóque peruentum vt quicquid illud eſſet, quod Genium ſeu commodum, ſeu infeſtum nominarent, Deum tamen crederent; itaque metas prætergreſſi eius Adorationis, quæ creatæ excellentiæ in Iuſtitia & Religione fundatæ debita ſit, Numini coæquare non ſunt veriti: Cenſorinus libro de die Natali capite 3. *Genius eſt Deus, in cuius tutela, vt quiſque natus eſt, viuit:* Feſtus lib. 7. *Genium appellabant Deum, qui vim obtineret omnium rerum gerendarum.* Horat. lib. 2. ep. 2.

Cenſorin. Feſtus.

Horat.

*Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum,*
*Naturæ Deus Humanæ.*

Seneca.

Seneca epiſt. 110. *Vnicuique noſtrum Pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ouidius ait de plebe Deos: ita tamen hoc ſupponas volo, vt memineris Maiores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe: ſingulis enim & Genium & Iunonem dederant:* Quòd verò Seneca Deos non primi ordinis reputet, ideo eſt; quoniam Genios Priſci, quos Dæmonum nomine intelligebãt, (hoc enim vocabulum poſterioribus temporibus apud Eccleſiaſticos Scriptores in malam tantùm partem acceptum pro infeſtis Angelis, nam vox aut Peritos, aut intelligentes denotat) Semideos faciebant, vti Plutarchus libro de Oracul. defect. τὸ τῶν δαιμόνων γένος ἐν μέσῳ θεῶν καὶ ἀνθρώπων:

*Priſcorum Genij, Semi-Dei.*

Plutarch.

*ἀνθρώπων : Dæmones medij ſunt inter Deos & homines* : de iiſdem Martianus Capella libro 2. *Sed ſuperior portio eos , ſicut conſpicis , claudit, quos ἡμιθέους dicunt quoque Latinè Semones , aut Semideos , conuenit memorare : Hi animas cœleſtes gerunt , ſacráſque mentes , atque ſub humana effigie in totius Mundi commoda procreantur.* Plato libro quarto de legibus , tres Deorum claſſes proponit : Primam eorum, quos Deos abſolutè vocat; Secundam Dæmonum : Tertiam Heroum : cuius ex eodem partitionis meminit Apuleius libro de Deo Socratis : Græcorum eam fuiſſe diuiſionem Euſebius affirmat lib.4.Præpar. Euangelicæ : Denique,quod niſi & in Deum conuenit , ſacrificiis honoratos Genios Plautus in Captiu. ſignificat :

Capella. Plato. *Tres Deorum claſſes apud Platonem.* Apulei. Euſeb. Plaut.

*Genio ſuo vbi quando ſacrificat*
*Ad rem diuinam , quibus opus eſt,*
*Samijs vaſis vtitur , ne ipſe Genius ſurripiat.*

Atque in hanc Diuinitatis abuſionem non minùs quàm in cætera Gentilitatis portenta Doctores inuehuntur antiqui ; Arnobius libro 1. contra Gentes , Athenagoras legatione pro Chriſtianis , & ad longum Prudentius libro poſteriori contra Symmachum : quanquàm Lactantius in ea ſententia eſt , vt nunquam Bonum Genium veneratos fuiſſe arbitretur : perſpicuum , qui intra ſtatuas apparebant, qui vaticinabantur flexuoſis oraculis , qui deludebant Nationes variis Præſtigiarum dolis , ex Tartareis fuiſſe ſpelæis : ſed audiendus idemmet Author libro 2. Inſtitutionum cap. 15. *Hi , vt dico Spiritus contaminati , ac perditi per omnem terram vagantur , & ſolatium perditionis ſuæ perdendis hominibus operantur : itaque omnia inſidijs , fraudibus, dolis , erroribus complent : Adhærent enim ſingulis hominibus, & omnes oſtiatim domos occupant ; ac ſibi Geniorum nomen aſſumunt ; ſic enim Latino ſermone Dæmonas interpretantur : Hos in ſuis penetralibus conſecrant ; his quotidie merum profundunt, & ſcientes , Dæmonas venerantur , quaſi terreſtres Deos , & quaſi depulſores Malorum , quæ ipſi faciunt, & irrogant.*

Arnob. Athenagor. Prudent. *Paganorum Genij , Cacodæmones.* Lactant.

37. Nec verò impoſſibile eſt , vt ob diuini Conſilij ſpeciales aliquos fines , etiam Idololatriæ ſubmerſis volutabro , Angelorum apparitiones aliquæ factæ ſint , quorum illi cùm vel poteſtatem , vel nomina , vel ignorarent ipſam naturam ; cœleſte tamen quidpiam eſſe conciperent , & admirandæ virtutis, pro Deorum creandorum facilitate , ſub ignoti titulo Numinis, Templa dicarint : certè , eiuſmodi cauſam inſinuaſſe viſus OEcumenius in cap. 17. Actor. quamobrem Athenienſes *Ignoto Deo* aram conſtruxerint ; ſed memorabilis eſt Simeonis Metaphraſtæ Hiſtoria in Michaele Archangelo ; quam ex eo noſter Bullingerus libro 1. de licita , & vetita Magia , cap. 22. his recenſet verbis : *Quando Argonautæ , Græciâ florente , longinquâ nauigatione ad eum locum , qui dicitur Anaplus , vt portum inirent , in eo tractu bello laceſſiti ſunt ab Amyco Rege , & metuentes hominis robur , in ſinum quemdam nemoroſum , denſum , & agreſtem refugerunt ; vbi viſum eis obiectum eſt, & virtus quædam de cœlo delapſa Hominis terrifici , qui alas Aquilæ in humeris gereret : is velut ex oraculo prædixit eis Amycum debellatum iri ; cui gratiam reponentes , eo loci vbi viſum viderant , ſacrum ſimulachrum virtutis illius ſtatuerunt, & locum Soſthenem vocarunt quia eò confugientes ſeruati erant : Hoc ſimulachro viſo Conſtantinus virtute Dei Auguſtus , cùm Imperij domicilium Bizantij fixiſſet ; ſuos monuit , ſimulachrum hoc Angeli eſſe , qui Chriſtianis in cultu , & honore eſt : & attonitus facie loci , & fani , precibus ſe dedit , & de nocte quaſi per viſum vocem humanâ maiorem audiuit , dicentem : Ego ſum Michaël Princeps militiæ Domini exercituum : Cùm euigilaſſet Imperator , ornauit locum , & ad Orientem Altare exſtruxit , fanúmque nomini Diui Michaëlis honeſtauit , vbi quotannis populi Conuentus haberetur : Templum Archangeli Michaëlis in Anaplo indigitatur :* quam narrationem Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Nicephorus inſeruit Calixtus libro 7. cap.50. Num tamen hæc fidem promereantur , & nihil de Apocrypho oleant , alij expenderint. Sanè , cùm Argonautarum illa, non ſacra aliqua fuerit expeditio , ſed naualem exercuerint artem Prædationis gratiâ , quemadmodum Nicephorus eodem loco teſtatur, Natalis Comes Mytholog. lib. 6. cap.8. ſub finem ; non video quorſum aſſentiamur de cœleſti Hierarchia Spirituum fuiſſe , qui apparuerit : Singulare tamen eſt quod Metaphraſtes in vita Procopij Martyris , quæ Surij 4. legitur tomo, refert ab Argonautis conditum templum Virgini Deiparæ ob oraculum Apollinis Delphici de naſcituro Verbo cum carne, ex Virgine intemerata : Sic in eius vitæ cap. 23. ad diem Iulij 8. Sic à nonnullis creditum , Genium , quem familiarem habebat Socrates , de quo Tractatu integro Apuleius, Angelum eius Cuſtodem extitiſſe , quocum ſermones crebrò miſcebat : Sed eum , cùm Idololatram nobis pingant Tertullianus Apologer.c.14.& 45.propè initium, Euſebius lib.13.Præpar.Euang.c.8.& 11.Chryſoſt. hom.3. ſuper Epiſtolam ad Romanos, Lactantius diuinar. Inſtitut.lib.3.cap.20.perſuadêre mihi non poſſum cum aliquo bonorum Angelorum vnquam familiaritatem conſequutum : ea de re noſter Ranaudus peritè in Theologia Naturali diſtinct. 3. quæſt.2. art.4.num.131.

*Bonos aliquos Angelos Ethnicis quandoque apparuiſſe ob occultũ aliquem finẽ, non eſt impoſſibile.* OEcumen. Metaphraſt. Bullinger. *Michaëlem Archangelũ Argonautis ad Anaplum apparuiſſe narrat Metaphraſtes.* *Templum Deiparæ ab Argonautis extructum.* Metaphraſt. apud Suriũ. *Familiarem Genium habuit Socrates.* Tertull. Euſeb. Chryſoſtom. Lactant. Ranaud.





# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus :* Nolite me conſiderare , quod fuſca ſim , quia decolorauit me ſol : filij Matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me Cuſtodem in Vineis; Vineam meam non cuſtodiui. *Cap.1.v.5.*

*Idololatriæ inchoamenta cur à ſimulachris, & cuius illa formæ ? Quis publicauit Mortalium primus ? Reges Perſarum Solis cognati : quo pacto omnia Antiquorum Numina vnus Sol ? Lucis atque Nemoribus , cur Dijs gentium fana conſtructa ?*

### Sectio I.

38. Ethnicismvm improperatum à Synagoga Eccleſiæ ex Gentibus conuocatæ, ſæpè in Antecedentibus ſubindicatum à nobis , & huius ſpeciatim Veſtigationis numero 15. Quod his verbis refutari Conuitium ibidem monuimus , certè rationes proferri aliquas, crimen quæ attenuent : Sed antequam has cauſas proferamus , neceſſum eſt priùs exquiramus : quamobrem Eccleſia hæc,cùm ante Seruatorem agnitum , eiúſque amplexatam fidem, Deorum præ multitudine confuſum numerum coluerit, vnius Solis tamen mentionem faciat, atque hunc eſſe , à quo deluſa ſit , ſeriò proteſtetur ? Dici igitur valeat ; Eſto, apud Gentilitatem Deorum myriades extiterint , Verùm , Idolomaniæ originem , à Sole, Lunâ , Stellis deſumptum, proinde conqueri de his tanquam de ſigniferis; ſic enim ſolemus in primos malorum Architectos potiſſimùm inuehi : Quod autem Polytheiſmi initia ducta ſint à Planetarum , cœlíque adoratione , Euſebius id Cæſarienſis palàm teſtatur lib. 1. Præparat. cap. 6. & 7. lib. 2. cap. 4. lib.3.cap.3. Theodoretus de Græcarum affectionum curatione ſub libri tertij initio, ex Diodoro Siculo , atque Platone commonſtrat : cui Pronunciato Clemens Alexandrinus in Protreptico fauet , quemadmodum & Nazianzenus Gregorius oratione 2.de Theologia , Lactantius lib. 2. Inſtitut.cap.5. Tertullianus de Idololatria cap.4. Nam cùm Vaticinationem Enoch de Idololatriæ referret principiis , prædixiſſe affirmat : *Omnia elementa,omnem Mundi ſenſum , quæ cœlo,quæ mari, quæ terrâ continentur , in Idololatriam verſuros Dæmonas.* Ioannes etiam Caſſianus , homines , qui ante Diluuium à vero Numine receſſerant , conuerſos aſſerit ; Collatione 8. cap. 21. *Vt vel elementa hæc , vel ignem , vel aëreos Dæmones venerarentur.* Ac in eadem prorsùs ſententia fuit Hugo Victorinus Annotationibus in Geneſim qui de Nemrodo : *Mole* (inquit) *Corporis, ac viribus alios ſuperans , Dominium cœpit exercere per violentiam, & induxit homines ad Idololatriam ; vt ignem, ac ſolem, qui igneus eſt , quaſi Deum colerent ; quem errorem poſtea Chaldæi ſecuti ſunt.* Ex Recentioribus ſubſcripsêre huic opinioni , Genebrardus lib. 1. Chronologiæ in Profanis , quæ temporibus Aod contigêre : Suarius veriſimile iudicauit tom. 1. de Religione lib.2.de ſuperſtit.cap.5.numero 13. abſolutè profeſſi ſunt Torniellus tom. 1. anno Mundi 236.num.2.Boulduc lib.2.de Eccleſia ante legem,cap.11.Raphaël de Torres tom.2.de Religione ad art.4.quæſt.94.2.2.pag.119.

*Idololatriæ Origo à Sole, Luna, Stellis.* Euſeb Cęſar. Theodoret. Clem.Alex. Nazianzen. Lactant. Tertullian. Caſſian. Hugo Vict. Genebrard. Suarez. Torniell. Bolduc. Torres.

Monueris : hunc contradicere diſcurſum libri Sapientiæ verbis cap.14. verſ. 12. vbi Idololatriæ initium ab imaginibus exortum , memoratur; nempè : *Acerbo luctu dolens Pater citò rapti ſibi filij fecit imaginem : & illum,qui tunc quaſi homo mortuus fuerat , nunc tanquam Deum colere cœpit,& conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacriſicia.* Reſpondent inter citatos Neotericos aliqui , diſtinguendum eſſe inter priuatum, & publicum atque ſolennem cultum : Scilicet particularem illam abſque ſimulachris fuiſſe , cùm Aſtrorum ignes venerarentur : Sapientiæ verò Authorem de publico & generali Prouinciarum Cultu loquutum eſſe: Certè Epiphanius initio Panarij & Damaſcenus, qui eum tranſcripſit , de Hæreſibus ſub principio , dicunt apertè,Idololatriâ naſcente , pingere cœpiſſe homines , & coloribus adumbrare ; exin ad ſtatuas tranſiiſſe. Verùm , quoniam Sponſam multi putauerint alludere ad publica Idololatriæ exordia , ſubducamus quænam hæc, & an noſtræ benigna Diſceptationi. Celeberrima plurimorum Cogitatio eſt , Nemrodum de quo Geneſ. cap. 10. verſ.10. qui primus in Babylone regnauit , idémque ſit cum eo , quem exteri Scriptores Belum nominant , poſtquam defunctus eſt, à Nino eius filio , & Dominatûs Hærede ſolemni pompa Apotheoſi donatum , inter Deos numerari cœpiſſe , cui & Flamines & templum, & ſtatuam imprimis erexit : Hoc fundamentum publicæ, & à Nationibus proclamatæ ſuperſtitionis , omnes quos recitabo fatentur Doctores: plerique eorum omninò Idololatriæ inchoamentum fuiſſe perhibent ; maiórque factio arbitrata eſt,ad hoc Nini facinus reſpicere Sapientiæ Codicem loco ſuperiùs allegato ; Nam quanquam memoret genitorem potiùs filio iconem poſuiſſe , tamen ſcopo orationis deſeruire æquè à filio mutuatum exemplum memoriæ erga Parentem; intentio enim demonſtraſſe ab inordinatæ Pietatis affectu profectum , vt ſiue Pater gnato , ſeu genitori filius ſimulachra dicauerint : ex Patribus ſenſêre Hieronymus lib 7.in Ezechielem, in illud cap.23. *Quod cùm vidiſſet ſoror eius,* &c. Et in cap.1. 39.

Sap 14.12. Epiphan. Damaſcen. *Nemrod , qui & Belus , à Nino filio poſt mortem inter Deos relatus : Idololatriæ origo.* Hieronym.

Cyrill. Lactant. Iſidor. S.Thom. Comeſtor. Guliel.Par. Holcot. Ianſen. A Caſtro. A Lapide. Delrio. Perer. Bellarmin. Gretſer. Galatin. Soto. Suarez. Torrez. Valentia. Leſſius. Raynaud. Tena. Eſcalante. Torniell. Salian. Turſelin. Bolduc.

cap.2. Oſeæ in illud, *Et hæc neſciuit*, &c. vbi Belum Deum eundem eſſe ſtatuit, qui in Scripturis Baal, aut Bel nominatur, Aſſyriorum quidem Numen: Cyrillus lib.3. in Iulianum, propè finem; Lactantius lib.1.Inſtitut. qui de falſa Religione, cap. 23. Author Commentariorum in epiſt. ad Romanos inter Ambroſiana opera; Iſidorus Etymologiar.lib.8. cap.11. S. Thomas 2.2. quæſtione 94.art.4. in ſecundo Argumento, Hiſtoria Scholaſtica, Petrus Comeſtor in Geneſim: & recentiorum temporum Magiſtri, Guilielmus Pariſienſis de legibus, cap. 23. Robertus Holcot in cap. Sapientiæ 14. lectione 163. in eiuſdem cap.verſ.15. Ianſenius, & Chriſtophorus de Caſtro: ad cap.10.Geneſ.verſum 10.Cornelius à Lapide; in idem caput Delrio numero 25.Pererius, lib.15.diſputatione 3. num.67. & diſputatione 5. num.80. Bellarminus lib.1.de Verbo Dei,cap.13. ſub finem; Gretſerus eius in capitis defenſione tom.1. Pag. 257. Petrus Galatinus, de Arcanis lib.4.cap.20. Dominicus Soto in cap. 1. ad Rom. in illud: *Et mercedem, quam oportuit:* Suarez tom.1. de Religione, lib.2.de ſuperſtitione cap.5.num.4. Raphaël de Torres tom.2.de Religione ad art.4. quæſtionis 94.S.Thom. pag.119.Valentia tom.3. diſputatione 6.quæſtione 11.Puncto 2.Leſſius de iuſtitia,& iure, lib. 2. cap.43. dubitatione 3.numero duodecimo, Raynaudus in Theologia naturali, diſtinction. quæſt. 1. art.2. num.38. Tena, Iſagogâ in Scripturam lib. 2. difficultate 9. ſectione 2. Ferdinandus de Eſcalante in clypeo Concionatorum lib.8.cap.30. Torniellus tom.1. Anno Mundi 1997.num.2.Salianus tom.1. Anno Mundi 2000. n. 5. Turſelinus in Epitome Hiſtoriarum lib.1.in Nembrotho: Boulduc de Eccleſia ante legem lib.2.cap.vndecimo.

40.
*A Zoroaſtro (qui & Chus Chami filius) edocti Chaldæi, Perſæ, Aſſyrij, Solem & Ignem vt Deos ſuos coluêre.*
Clem. Rom. Gregor. Turon. Mar. Victor.

Iam verò Chaldæi, Perſæ, Aſſyrij, præcipua Numina Solem habuêre & Ignem, quorum edocti cultum à Magiæ primo Inuentore Zoroaſtre, ſiue hic Cham Primogenitus Chus, quo ſatus Nemrod, vt Clemens ſubinnuit Recognitionum 4. manifeſtè prodit Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtoriæ Franc. cap.5. Marius Victorius lib. 3. in Geneſim ſentire viſus:

*——Cham ſeruo è ſemine natus*
*Mole & mente gigas Babylonia Regna gubernans,*
*Perſarum hic animos capiens Venator iniquus*
*A veris Domini ſacris traduxit ad Ignem.*

Licet quod ex ſemine Cham eſſe dicat, intelligi valeat de Nembrotho, cuius Auus cùm fuerit Cham, rectè quod illius de ſemine aſſeratur, ac tum Marius conſtruendus, vt Nembrothum fuiſſe arbitretur, qui ignem vt colerent, perſuaſus fuerit, quem à Græcis exiſtimatum eundem fuiſſe cum Zoroaſtre initio Panarij Epiphanius refert; Certè Solem adorandum à Babyloniis procuraſſe eum ſuprà ex Hugone Victorino perſpeximus: vtcumque ſiuè Zoroaſtre altero à Nembrotho ſeu ipſo inſtigante, Chaldæi Solem atque Ignem ſupremas Diuinitatis poteſtates venerati ſunt: id nos multis probauimus Anteloquio 5. à num. 89. quem & per Belum, quem in antecedentibus cum Nembrotho eundem fuiſſe monuimus, ſignificatum variis oſtendimus argumentis: Hunc igitur cùm Diuinitate Ninus illius filius donandũ putaret, certè alium cùm nõ agnoſceret Deum præter Solem aut ignem, qui de Sole profluit: Nam vt Iuſtinus lib.1.ſcripſerit; *Solem vnum Deum Perſæ eſſe credunt, & equos eidem Deo ſacratos ferunt*; in hunc neceſſum fuit; vt tranſmigraret Nembrothus, ſiue Belus, quò

Epiphan.

*Belus idem cum Nembroto.*

Iuſtin.

Diuinitatem aſſequeretur: Quamobrem, quod Maiores ſuos Solis induiſſe formam Perſarum crederent Reges, modò Auos ſuos nuncupabant, modò fratres, modò cognatos; facundus eius rei teſtis Sidonius Apollinaris: nam de Perſarum Imperatore lib.7.epiſt.9.ad Lampridium:

*Solis ſe propinquos dicũt Perſarum Reges.*

Sidon. Apollin.

*Qui cognata licet ſibi aſtra fingens,*
*Phœbeâ tumeat propinquitate,*
*Mortalem hîc tamen implet obſecrando.*

Quos ad verſus Ioannes Sauaro Ammiani Marcellini ex lib. 17. inſcriptionem præfert Regis Perſarum ad Conſtantium Imperatorem: *Rex Regum* (inquit) *Sapor particeps ſiderum, frater Solis, & Lunæ, Conſtantio Cæſari fratri meo ſalutem:* Quam eandem ſententiam penè ob ſimilem cauſam noſter Sanchez tranſcripſit ad caput 10. Eſther.num. 12. Sed Marcellinus etiam libro 23. *Deinde* (ait) *ad id tempus Reges eiuſdem gentis prætumidi, appellari ſe patiuntur fratres Solis & Lunæ:* Verùm Sidonius iterùm Carmine 2.quod eſt Panegyricus dictus Anthemio:

Sauaro apud Ammian.

Sanchez. Marcellin.

Sidon. Apollin.

*Hic Diuos teſtatus auos Chaldæus, in extis*
*Pontificum de more ſenex arcana peregit*
*Murmura.*

Et Carmine nono ad Magnum Felicem de Perſarum Rege Dario ab Alexandro deuicto:

Idem.

*Mox ipſum ſolio Patrum ſuperbum*
*Cognatóſque ſibi Deos crepantem*
*Captis coniuge, liberis, Parente,*
*In caſus hominis redire iuſſum.*

Atque ex his omnibus demum ſatis conſtat; Nembrothum, ſiue Belum, Solis in fulgentiſſimum Planetam tranſlatum, ex Nini, & Babyloniorum Apotheoſi: nunc perſcrutemur de imagine, ſiue ſtatua, quam filius Parenti conſecrarit.

41.
*Quale Solis Idolum apud Perſas, Mithra dictum.*
Luctat.

Equidem, ſub Mithræ titulo Solem venerabantur; quibus autem modis Papinij Commentator Luctatius depingit, ad verſum vltimum lib.1. Thebaidos: *Perſæ*(inquit)*in ſpelæis Solem colunt, & hic Sol proprio nomine vocatur Mithra: eſt autem ipſe Sol leonis vultu, cum thiara, Perſico habitu, & vtriſque manibus Bouis Cornua comprimens; quæ interpretatio ad Lunam dicitur; quæ indignata fratrem ſequi, occurrit illi, & lucem ei obſcurat:* Quod ſi cui hæc videatur relati inter Diuos Beli horridior imago, ipſiúſque Solis non admodum compta effigies; norit, quod ſuprà de Romanorum Imperatoribus numero 33. ſtatuimus, in eam progreſſos ſuperbiam, vt & ſibiipſis diuinos aſſumerent honores, & quos vellent, ſeu defunctos, ſeu viuentes Aſtris collocarent, hoc barbaræ ſtoliditatis inuentum à Perſis initia hauſiſſe, vt probat ex multis noſter Serarius ad cap. 3. Eſther, quæſtiuncula 3.§. *Quia tamen*, &c. Et Sanctius ad idem Eſtheris caput num.7.vnde Martialis lib.10.epigr.72. quod Adulatorium intitulatur:

Serar. Sanchez.

*Fruſtra blanditiæ venitis ad me*
*Attritis miſerabiles labellis,*
*Dicturus Dominum, Deúmque non ſum;*
*Iam non eſt locus hac in vrbe vobis;*
*Ad Parthos procul ite pileatos,*
*Et turpes, humiléſque, ſupplicéſque*
*Pictorum ſola baſiate Regum.*

Sanchez.
*Perſarum Reges Solis in ſe fulgores mentiebantur, hinc ignis ante ipſos deferebatur, extinguebatúrque in eorum morte.*

Sed probè quidem idem Sanctius adnotat in caput 19. Eſtheris numero 13. Perſarum Monarchas vt diuinitatem repræſentarent, Solis decora in ſe effingere conatos, proinde coronâ accinctos tempora procedere ſolitos, quæ ob radiorum fulgores, Solis auricomos vultus referret,



referret, ad quam imitationem Romani poſtea, vt de eis Lucanus 7.Pharſal.

Lucan.

*Luminibus Manes, radiiſque ornabit & aſtris:*

Hinc fortaſſe, quod ante Perſarũ tyrannos ignis præferebatur, vt Curtius meminit lib.4.Quẽ extingui in Regis obitu mos fuit, Diodoro teſte, libro 17.vtpote Sole deficiente, æquum erat ignem pariter mortẽ pati, quem Sol conſeruat; certè & Xenophon lib.8.Cyropæd. prodit, cùm Reges in publicum progrederentur, eos anteire ſolitũ currum album coronatũ, Soli ſacrum; ſed de Perſarũ Regibus meliùs cæteris P.Rauennas ſerm.120.in verba Apoſtoli: *Nolite configurari*,&c. *Néve ſimus* (ait)*vt Perſarum Reges, qui ſubiectâ nunc pedibus ſuis Sphærâ, vt polum ſe calcare, vices mentiuntur: nunc radiato capite, ne ſint homines, Solis reſident in figura; nũc impoſitis ſibi cornibus quaſi viros ſe eſſe doleant, effœminantur in Lunam: nunc varias velut ſiderum ſumunt formas, vt hominis perdant figuram:* Igitur in hunc morem Beli dolatum ſimulachrum Solem referebat, in quem fuiſſe tranſmutatũ credebant: atque adeò ex præfatis omnibus conſtat; quanquam admittamus Idololatriæ exortum à Nembrothi, ſeu Beli ſumptum Apotheoſi, quemadmodum tamen conſtet ſimul, & à ſtatuis & à Sole duci Idolòmaniæ exordia: à Sole quidem, quoniam in hunc conuerſum primũ Deorum putarunt, Belũ videlicet: à ſtatuis, quia Ninus ſimulacrũ erexit paternam Deitatem, quod repræſentaret, Solis habens lineamenta ob ſphæram, quam calcabat, & ob iubar radiorum micantis Coronæ quæ idoli tempora ambiebat, conquiſitis ad hoc vt veriſimile eſt præter Auri metallum, inſuper lapillis, quibus vis eſſet ſplendendi diu, noctúque.

Curtius. Diodor. Xenophon. Chryſolog.

*Beli Idolum Solem referebat.*

42.
*Numina omnia maſculina, Solis nomine variè comprehenſa.*

Altera verò cauſa eſt, ob quã vnius ſub nomine Solis omnẽ complectitur Gentiliſmũ; quoniã vt in primo Tomo, Anteloq.5.ſect.5.ſubſect.3.oſtẽdimus, omnia Paganitatis Numina, præſertim quę maſculini habebãtur ſexus, non niſi vnũ eſſe Solẽ diuerſis cũ Epithetis cenſebantur, iuxta quẽ ſenſum de Phœbo Nonnus in Dionyſiac. pag. 684.

Nonnus.

Βῆλος Ἐὐφρήταο, Λίβυς κεκλημένος Ἄμμων,
Ἆπις ἔφυς Νειλῶος, Ἄραψ Κρόνος, Ἀσσύριος Ζεύς,
Ἤτε Σέραπις ἔφυς Αἰγύπτιος, ἀννέφελος Ζεύς,
Εἴ Κρόνος, ἤ Φαέθων πολυώνυμος, εἴτε σὺ Μίθρας.

*Es Belus apud Euphratem, Ammõ diceris in Lybia*
*Apis apud Nilũ, Saturnus Arabs, Iuppiter Aſſyrius,*
*Ægyptius Serapis, Iuppiter nebulas diſcutiens,*
*Saturnus, Phaëton multinomius Mithra.*

Lactant.
*Solem Orbis Rectorẽ, Animámque mũdi arbitrabantur Gentiles.*

Nam cùm Solem orbis Rectorẽ arbitrarentur ſupremũ, ſimul cogitabant, vt Lactantius ſuggerit lib.7.Inſtitut.c.3. Animam eſſe Mundi, ac proinde quemadmodum Spiritus omnes Corporis Regiones peruadit, atque vegetat, ſic Gubernatorem orbis cuncta penetrare, iuxta Maronis placitum ex ſcholis Philoſophorum hauſtum, Æneid.6.

Virgil.

*——totámque infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*

Atque diſtinctiùs paulò idemmet Poëta altero loco huius eiuſdem ex doctrinæ fontibus:

Idem.

*——Deum námque ire per omnes*
*Terráſque, Tractúſque maris, cœlúmque profundum,*
*Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum*
*Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.*

Cuius abſurdiſſimi Commenti & Varronẽ deceptũ ludibrio, Auguſtinus memorat lib.7.de Ciuit. c.7.Hoc igitur modo difficile nõ eſt intellectu, vt idẽ eſſet Numen in omnibus rebus: Scio neque in hac ipſa fabula conſtantes vagos illorũ Temporũ Animos ſeu Poëtarum ſeu Philoſophantũ: veriſſimè de illis Auguſtinus eodem lib.c.17. *Non explicant, ſed potiùs implicant; ſicut impetus errabundæ opinionis impulerit, ita huc, atque illuc, hinc atque illinc inſiliunt, & reſiliunt*; ſed tamen huius cogitationis multi extitêre Patroni; quos nominati ſuperiùs Anteloquij ſectione, nos in medium attulimus.



Auguſtin.

43.
*Conſtructio Verſus Myſtica.*

His itaque peroratis de Solis adoratione apud Gentes, & quam ob cauſam generale haberetur Numen, Spõſæ decurrit ſermo: Nolite exprobrare mihi, quia decolorauit me Sol, quod in Ethniciſmũ delapſa ſim: hoc eſt, nolite vos quidẽ Iſraëlitides id mihi Crimini vertere; Rogo enim vos perpendere, quemadmodũ & ipſæ aliquãdo Deorũ coluiſtis miſerè portenta: Sed quãtò maior veſtra culpa, quàm fuerit mea? Certè habuiſtis præclariſſimos fidei veſtrę Magiſtros, Vates nimirum per quorũ ora Spiritus ſanctus loquutus: quoties illi monita dederunt, quin & ſignis comprobarũt legationem, hortantes opportunè, importunè, ne opera manibus hominũ fabricata, Deos putaretis? Num auſcultaſtis? num in vera Religione permanſiſtis? imò quem Prophetarum non occidiſtis? Ego quoque Numina ementita ſũ venerata; fateor; ſed heu! deceperunt me Præceptores: & vos quidem ad Idolomaniam prouocarunt aliqui, ſed fuerũt exteri vel Moabitæ, vel Ægyptij, vel Chaldæi, vel alij ſimiles: qui erant de eadem genitrice ſati, filij Matris veſtræ, eiuſdẽ Synagogæ enutriti ſinu, pro vobis erant, non cõtra vos: aduersùm me ſteterunt, & pugnauerunt non incogniti aliqui, & peregrini, verùm qui de eadem Gentilitate, Academiarum Oracula, Philoſophi nationum: Nec tamen recuſo, quin mea fuerit ſupina ignorantia, Deúmque inuenire potui modò Naturæ clamoribus vel tantillùm attenderem: fuit tamen magna infelicitatis pars, quod Præceptores nacta fuerim, qui veritatem ſummâ occultarent cum malitiâ: ac mihi quanquàm id præſidio eſſe non valeat; vos tamen debeat mouêre; vt cùm haberetis Magiſtros in paucis eximios, ſi tamen ab idololatrando non abſtinuiſtis; Veniam aliquam mihi concedatis quæ Doctoribus carui, quos ſi adepta fuiſſem idoneos omninò; tum demùm omni fuiſſem digna execratione, ſi Numini ſempiterno verterem terga. Quòd autem à Philoſophis maximè decepta ſit Gentilitas, frequenter in antecedentibus à nobis præmonſtratum eſt.

44.
*Per Vineas ſignificantur Horti, & frondoſa omnia: Luci, Syluæ, nemora.*
Sanchez.

Quid eſt autẽ, quod in vineis Cuſtodẽ ſe poſitam adſtruat? Puto Vinearum ſignificari nomine Hortos & frondoſa omnia: & certè כֶּרֶם *Cherem*, qua dictione apud Hebræos *Vinea*, ſignificatur, ad præfata etiam denotanda extendi noſter probat Sanctius, hæc ipſa ad Canticorum verba, n.39. Si autem Natura vocis ita non pateretur; tamen ſpeciem pro generibus poni intelligi valeat, vt ſtabiliuimus productis aliquot exemplis; Anteloq.5. n. 45. Per vineas igitur hîc ſyluæ concipiantur, luci, nemora: Quoniam igitur de Idololatria ſermo eſt, rectè Gentilitas ſyluarum, atque lucorum meminit, quoniam in his oraculorum ambigua dabantur Reſponſa, ibi Victimationes, Templa, Flamines, Deorum ſtatuæ. Statius Theb.lib.3.

Stat.

*——Non Cyrrha Deum promiſerit antro*
*Certius aut frondes, Lucis quas fama Moloſſis*
*Chaonias ſonuiſſe tibi.*

*In Lucis & Nemoribus, Oracula, Templa, Flamines, Deorum ſtatuæ.*

Strabo: Κολοφὼν πόλις Ἰωνική, καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος ἐν ᾧ μαντεῖον ἦν ποτε παλαιόν: *Colophon vrbs Ionica, antequam ſaltus Clarij Apollinis, in quo oraculum olim vetuſtum erat.* Valerius Flaccus Argonaut.lib.5.

*————an Martia Templa*
*Intemeranda minùs, tacitus mihi lucus & agger*

*Quod rudis, & ſola colimur frigentibus vmbra.*

Tacit. Tacitus lib. 1. Annal. cap. 13. *Lucis propinquis barbaræ Aræ, apud quas Tribunos, ac primorum ordinum Centuriones mactauerant*; cap. 16. *Spectandas etiam Religiones ſociorum, qui ſacra, & Lucos, & Aras patrijs Amnibus dicauerint*: libro autem 14. cap. 11. *Excisique Luci ſæuis ſuperſtitionibus ſacri: nam Cruore captiuo adolêre Aras, & hominum fibris conſulere Deos fas habebant.* Seneca in Hercule OEtæo:

Seneca.
——————*quercus hanc ſortem mihi*
*Fatidica quondam dederat, & Parnaſſio*
*Cyrrhea quatiens Templa, mugitu nemus.*

Plin. Et vniuerſim de arborum omni ſylua Plinius lib. 12. cap. 1. *Hæc fuêre Numinum Templa, priſcôque ritu ſimplicia Rura, etiam nunc Deo præcellentem Arborem dicant: nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulachra, quàm Lucos, & in ijs ſilentia ipſa adoramus*: Quamobrem per Legiſlatorem Deus

Deuter. 12. 2. præcipit Hebræis, Deuteron. cap. 12. verſ. 2. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes Deos ſuos ſuper montes excelſos & colles, & ſubter omne lignum frondoſum: diſſipate Aras eorum, & confringite ſtatuas, Lucos igne comburite, & idola comminuite*: Quibus iuſſis quoniam parêre noluerunt, ex-

Ierem. 2. 20. probrat per Ieremiam eis, cap. 2. verſ. 20. *In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris Meretrix*: hac de materia Ribera in

Ribera. Sanchez. cap. 4. Oſeæ num. 24. Sanchez num. 67. vbi peritè aduertit, idcirco Dæmonem latebroſa hæc atque opaca ſacra cultoribus inſtigaſſe, vt minori verecundiâ per omnes irent libidines, quibus faueret penè Nox, in lucis nimirùm, ſic vocatis, quod minimè vtpotè lucerent: Quare de Libano, quæ Sponſæ Patriam claudebat Zozimus

*Luci obſcuri ad obſcœnitatem.*

Zozim. lib. 1. *Ibidem erat Lucus, & fanum extra viam publicam, & triuia in Cacumine Libani, vbi omnis impudicitiæ, ac libidinis exercitatio fuit & ſchola*: & in ſimilia alludens Prudent. Hymno de Romano Martyre:

Prudent.
*An ad Cybelis ibo lucum pineum?*
*Puer ſed obſtat Gallus ob libidinem*
*Per triſte vulnus, pérque ſectum dedecus*
*Ab impudicæ tutus amplexu Deæ.*

Sed harum turpitudinũ pleniſſima argumenta ex

4. Reg. 23. 7. lib. 4. Reg. c. 23. Nam ibi v. 7. *Deſtruxit quoque ædiculas effeminatorũ, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quaſi Domunculas Luci*; paulò ante de ipſo dixerat Luco, quem Ioſias comburi

Lyra. fecerat: Nicolaus autem de Lyra putat ædiculas illas Tabernacula fuiſſe, in quibus proſtituebantur fœminæ: communior verò ſententia greges exoletorum arbitratur, quibuſcum nefandè peccabant Deorũ ſacrificuli; eius tamen culpę enormitate tactos, Luci non contentos obſcuris vmbris, adieciſſe Domunculas: iudicatum ita per Toſtatum q. 14. Caietanum, Serarium, Sanchez n. 6. Torniell. tom. 2. anno Mundi 3338. n. 1. Salianum tom. 4. anno Mundi 3406. n. 5. Has igitur dum obſeruat vineas; ſuam neglexit, hoc eſt Mentis culturam, quæ vineæ deſignatur metaphorâ apud Iſaiam cap. 5. Quæ eſt Trium Patrum Explanatio apud Theodoretum.

Toſtat. Caietan. Serar. Sanchez. Torniell. Salian.

*Idololatria an peccatorum maximum? Num ante Diluuium? eius vindicta, quorum Criminum permiſſio? Deus quemadmodum aut excæcat, aut indurat Corda Malorum?*

## Sectio II.

45. Aſſeruimus Nigram vocari Sponſam, Gentilitatem nempe, ſicut Tabernacula Cedar verſu præcedenti ob ſcelerum & peccatorũ magnitudinem: atque illa iam ſui compos, poſtquam à Christo ſanata eſt, fatetur ingemiſcens verum fuiſſe, ſed exorat vt conſiderent in Idololatriam prolapſam illam fuiſſe: O filiæ Ieruſalem nolite contemnere me, ſed condolete infelicitati meæ; idcircò tam fuſca, quia decolorauit me Sol; receſſi à Deo meo, vt ſtipites & ligna adorarem: venerunt ob hoc ſuper me mala, quorum non eſt numerus, multiplicatæ ſunt iniquitates ſuper capillos capitis mei: Verè ita eſt, vix aliquod comparabile malum Polytheiſmo: ac ſanè inter peccata maximum à D. Aquinate iudicatũ 2. 2. q. 94. art. 4. in Corpore, aliqui eius Diſcipuli cogitarũt: certè, huic affinia Pronunciato Moyſis verba, Exod. c. 32. v. 31. *Obſecro, peccauit populus iſte peccatum maximum, fecerúntque ſibi Deos aureos*: Angelicũ Thomam exponit P. Suarius tom. 1. de Relig. lib. 2. de ſuperſtitione cap. 6. n. 16. vt ſit inter peccata ſummum, non quoad intentionem, ſed quoad extenſionem ex coniunctione vitiorum: eſt enim radix & ſentina deteſtandorum omniũ, quod Athanaſius eloquentiſſimè demonſtrat orat. contra Idola; Cyprianus ep. ad Donatum; atque inde Tertullianus de ſpectaculis ſub initio: *Quid erit ſummũ, in quo Diabolus, & pompæ & Angeli eius cenſeantur, quàm Idololatria? ex qua omnis immundus, & nequam Spiritus (vt ita dixerim,) quia nec diutiùs de hoc*: Quare neutiquã demiror, ſatis difficile viſum quibuſdam viris probè doctis, vt antè Diluuium non fuerit Idololatria: eſt enim inſanæ cuiuſdã malitiæ & quæ omnes laxauit habenas effræniſſimæ impietati indiuiduus Comes vel Idololatria, vel Hæreſis: atqui tum, ſi vnquam, ad ſummum vſque Irreligio excreuit: itáne fideles vniuerſi ſub tanta licentia, atque impunitate? & neque contemptus diuinitatis, nec Dæmonum Artes, nec libido peccandi ſectas adinuexerit impias? Satis equidem probabile quod in patrocinium Idololatriæ ſub prima Mundi ætate ſcripsêre Alphonſus de Mendoça, qui nonnullos graues allegat opinionis duces, q. 7. expoſitiua num. 3. Torniellus tom. 1. anno Mundi 236. num. 3. At certè peior Gentilitate quodammodò Hæreſis: Nam vt Author Commentariorum in ep. ad Romanos apud Ambroſium, non ineruditè quidem inquit ad c. 1. *Pagani Deum incurioſum colentes, atque per hoc negligendum; magis hebetati ſunt, atque ad omnia mala admittenda facti promptiores*: Itaque illi cum Numina comminiſcerentur, quibus aut de humanis Rebus non eſſet vigilantia, aut vitia in ſemetipſis Dij ſacrarent, iracundi, pathici, Helluones; ſtupendum non eſt, quòd nequiſſimi euaſerint: Verùm ſectarij præſertim noſtræ ætatis cùm Deum colant in omnia attentum & diligentem, quem vitia odiſſe, præmia reſeruare ſanctiſſimis moribus perampla affirment: cùm putent erraſſe hucuſque genus humanum, & quintum buccinent Euangelium, quid eſt quod ſcelerum atrocitate retroacta, vincunt ætates vniuerſas? niſi fortaſſe, quia Numen in ore ſolùm ferunt, in Cordibus autem ſuis dicunt cum inſipiente: *Non eſt Deus.*

*Nigra Gentilitas ob ſcelerum enormitatem.*

S. Thom.

Exod. 32. 31.

Suarez. *Idololatria Peccatorum maximum extenſiuè, non intenſiuè.*

Athanaſ. Cyprian. Tertull.

*Ante diluuiũ Idololatria.*

Mendoça. Torniell. *Hæreſis Gentilitate peior.*

Ambroſ.

Quibus verò punita ſit modis obaudiamus referentem: *Filij Matris meæ pugnauerunt contra me*: quæ hæc progenies Bellatrix? Ambroſius libro de Iſaac & Anima ſub principio: *Filij Matris meæ pugnauerunt aduerſùm me, hoc eſt impugnauerunt me corporis Paſſiones, Carnis illecebræ decolorauerunt me; ideò mihi Sol iuſtitiæ non refulſit.* Verùm qualis exitus tantarum moleſtiarum? *Poſuerunt me cuſtodem in vineis*: Has vineas omnium malarũ voluptatum 46.

Ambroſ.

impuras



impuras illecebras Gregorius declarat Niſſenus hom. 2. in Cantica. *Licet autem in hodiernum vſque diem* (inquit) *videre multos homines Curatores, & Cuſtodes eiuſmodi vinearum; qui diligenter in ſe ſua vitia cuſtodiunt; perinde ac ſi timeant, ne malum perdant.* Sed ô ſumme Pater! Tu potens cœlorum Rector, cur non in gentem inimicam fulmina vibras? cur non immittis contagia? quare non Terra ſinus aperit, & nocte claudit æternâ? vbi fames? vbi ſterilitas? vbi gladius? vbi morſus ferarum? Hoccine eſt affligi, vitiis quæ dilexerunt, relinqui? ô noua ſupplicij genera! ô Dei nimiùm extimeſcendam indignationem! Certè ab his miſerè vapulauerunt Gentes, vt ſcribit Apoſtolus ad Rom. c. 1. v. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis: Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam: Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem; maſculi in maſculos turpitudinem operantes: & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes*: Ab his igitur duriſſimis hoſtibus oppugnata Sponſa Vineam ſuam non cuſtodiuit: proh qualem exercuêre ſtragem! & vt intelligat Lector, quanta ſit huius cladis magnitudo: Sciat vnicum hoc eſſe offendiculum & Hæreticorum & Mahumetiſmi, & Infidelium: malunt enim ſe Tartaro deuouêre, quàm vitiorum ſuorum delicias interrumpere: hunc vt obpallient furorem, veritatem mendaciis obſcurare nituntur, ob hæc Catholici eſſe recuſant, ne illicita cogantur deſerere ſolatia, vti Tertullianus diſertè animaduertit de ſpectaculis cap. 1. *Quàm ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, præſertim, cùm aliquid eiuſmodi de gaudijs, & de fructibus ſæculi metuit amittere? plures denique inuenias, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ euocet ab hac ſecta: Nam mortem etiam ſtultus, vt debitam non extimeſcit: voluptatem etiam ſapiens vt tantam non contemnit; cùm alia non ſit & ſtulto, & ſapienti vitæ gratia, niſi voluptas.*

Niſſen.

*Idololatræ ſuis vitijs paſſionibúſque impuris relicti, puniti sũt.*

Rom. 1. 24.

Tertullian.

47. Ac quidem facilè eſt intelligere, quonam pacto denigrata fuerit, ſi nomine Solis Idololatria concipiatur ob rationes ſuprà allegatas; Verùm continuò, ídque tota Cohors Interpretum ad Deum referunt, Chriſtúmque diuinâ quatenus præditum Naturâ, vocántque iuſtitiæ Solem: hoc autem more explanatâ eâ dictione, vnde fiat vt hic Sol Sponſam aſſeratur decoloraſſe? Nonne certè vitia & corruptelæ illam deformarunt? atqui Deus Author culpæ non eſt: Cur igitur, in Deum Crimen reiectat? Equi ſé Deum, licet phyſicam peccatorum cauſam nominare aliqui non vereantur, nam eâ dicendi locutione ſignificant tantùm phyſicè illum influere eâdẽ quâ voluntas actione influit in omnem phyſicam entitatẽ peccati quod illum facere exploratum eſt: tamen ſecundum moralem cõſiderationem, à qua deſumitur malitia aut Bonitas humanarum Actuum; Catholicè affirmãt, nequaquam Deũ ex proprietate Terminorum, quibus cauſæ certa, veráque ratio indicatur, appellandum cauſam non ſolùm peccati ſed neque aut excæcationis, aut indurationis Peccatorum: indigitatur tamen cauſa aut permiſſiua, aut negatiua, aut per accidens, quod eſt eſſe impropriè cauſam: Permittit Deus peccatum volitione illa, quâ ſubtrahit auxilia, cũ quibus præſciebat bene eſſe operaturam voluntatem, quæ talibus deſtituta præſidiis, & cum auxilio tantùm ſufficienti, lapſura eſt infallibiliter, ob culpam tamen ſuam omnino, quoniam neceſſariis ad benè operandum ex parte actus primi, atque potentiæ proximæ & completæ non caruerat: Huiuſmodi permiſſio frequentiſſimè accidit in vindictã pręcedentium ſcelerum, & tum Deus peccatis nouis vetera caſtigare aſſeritur; non quod ipſa offenſa quæ committitur propriè ſit vocanda pœna, cùm non ſit à Deo puniente intenta, ſed quia eius permiſſio ſit à Deo volita in præcedentium delictorum vltionem, ex qua permiſſione per accidens noua ſequuntur peccata; quorum Deus per accidens & impropriè nominatur cauſa; neque enim veræ cauſalitatis ratio eſſe potuit, quando, vt quidẽ non impedierit, minimè impedire aliquo modo obligatus fuiſſet: & hæc eſt Dei aduersùm peccatores, quemadmodum iuſtiſſima, horribilis planè ira; quam Sponſa hîc amariſſimè deplorat: æquiſſimè enim ſecundum hanc normam Iuſtitiæ eam decolorauit Sol: quin & excæcauit quidem: Nam excæcatio duo importat, *ſubtractionem diuinæ illuſtrationis*, quâ ablatâ, Menti nulla diuina ſapiunt; *Et poſitiuam iudicij peruerſionem*, qua diſtorctè apprehendit materias ad ſalutem conducentes, & veris falſa anteponit, medicinalibus noxia, lucidis tenebroſa: Huius quantùm ad carentiam & priuationẽ diuini, ſanctíque iubaris, Deus cauſa efficiens eſt, qui radios ſuos cohibet ob hominum impietatem: Quantùm verò ad peruerſionem iudicij, homo ipſe in cauſa eſt, atque Diabolus maximè, qui hominis damnum per ſe intendit: Deus autem vel negatiua cauſa, quatenus auxilia non impertit, quibus homini claritas affulgeret: vel permiſſiua, quatenus Diabolo laxat habenas, permittendo, vt per ſe, ſuáque membra homines in fraudem inducat: atque hanc occæcationem facilè ſequitur induratio cordis, vt nulla ſint monita, quæ ſaxeam voluntatem emollire queant: & quanquam his ad conuertendum Deus auxilia non deneget ex vera Theologia; ſunt tamen eius infirmitatis, vt moraliter loquendo, iiſcum nunquam ſint conuertendi. Hac etiam ſe inflictatam plagâ miſerrimâ, dolet vehementer Sponſa, atque hoc eſt, quod pari oblatâ occaſione Apoſtolus ad Rom. cap. 1. verſ. 24. dixerat: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis*; quæ ex Sanctorum Patrum doctrina, atque ex Angelico ſpeciatim Doctore 1. 2. quæſt. 79. art. 3. eodem fermè modo, quo nos hæc Canticorum verba, Pererius exponit diſp. 20. à n. 103. Videndus quoque Leonardus Leſſius de diuinis Perfectionibus lib. 11. c. 6. & lib. 13. cap. 14. Salas cum pluribus aduocatis tom. 2. in 1. 2. q. 79. tract. 13. diſput. 10. ſect. 2. num. 43.

*Quo ſenſu Deus Phyſica peccati cauſa ab aliquibus dicatur.*

*Permiſſio peccati, in peccatorum præcedentium vindictam.*

*Sponſam quo pacto Iuſtitiæ Sol decolorauit.*

*Quomodo Deus dicitur excæcare & indurare Cor?*

Rom. 1. 24.

Perer. Leſſius. Salas.

Tertia de Nigredine Sponſæ declaratio verſus præcedentis, *Nigra ſum, ſed formoſa*, &c. fuit, quòd Paupertatem æmulæ obiicerent, & velut extremam quandam Rerum neceſſariarum indigentiã: erat enim primus ille Chriſti Diſcipulatus diuitiarum adminiculis deſtitutus, puſillus & humilis: talia Chriſtianitatis fundamenta: Nec tamen ſubuerecundatur Sponſa, de egeſtate gloriatur magis: O Sionides, ne deſpiciatis & inhonoram arbitremini, quod opibus carere videar: hæc quæ appareat abiectio, mihi autem ſummus ſplendor, à Solis iuſtitiæ exemplo ad me defluxit: ille tenuem elegit Matrem, in pręſepio reclinari voluit, non habuit vbi caput reclinaret; Non vultis vt Sponſi dulciſſimi veſtigia ſequar? itaque, vt nigra ſim, decolorauit me: quondam dulcis audiebatur Cantilena per vicos, & plateas Ieruſalem: 48.

*Sponſa Nigra ab egeſtate Chriſtiana, de qua tamen gloriatur.*

Pſal.143.13. *Promptuaria eorum plena*(Pſalm.143.v.13.) *eructantia ex hoc in illud; oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, Boues eorum craſſa; Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt:* Sed nunc poſt Euangelium alius eſt hymnus: modulantur cum Tripudio: *Ecce nos reliquimus omnia:* Sed præſtat ex Bernardo, vnam, alterámve tranſcribere ſententiam, declamatione 1.in hæc ipſa verba: *Antiquorum ſanè Patrum diebus, donec in terris videretur,& conuerſaretur inter homines Dominus Maieſtatis, non erat Euangelicæ forma Perfectionis, ſed Spiritum Domini ſolo interim Spiritu ſequebantur: At vbi verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis; iam nobis in eo tradita eſt imago vitæ & Conuerſationis exemplar, quod oporteat etiam corporaliter imitari, vt vtroque ſequentes veſtigio, non vlteriùs cum Patriarcha Iacob, altero femore claudicemus: vbi enim audiuimus, quia dictum ſit antiquis: niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus?*&c. Et multa in hunc ſcopum congeſſimus tom.1. Anteloq.7. ſectione duodecima, ſubſectione 1. (Bernard.)

49. *Cùm ad Eccleſiam tranſire debuiſſet Synagoga, in eam irruit maleuola.* Debuit quidem Synagoga Chriſto auſcultaſſe, repudiatíſque Moſaïcis Ritibus, quoniam abolêre has eidem placuit, placidiſſimis Euangelij legibus humeros ſupponere: debuit tranſire ad nouam, quam fabricauit Eccleſiam, Templúmque cũ omnibus Donariis obtuliſſe: Quę ſi feciſſet, haberent ſtatim ab initio Apoſtoli vbi ſumma cum pópa Numen colerent. At non ita ex ſæua genitrice fratres, (nam Synagogam Eccleſiæ primitiuæ nominari Matrem, & qua id de cauſa, oſtendimus Veſtigat.1.n.54.) immanes Tempeſtatum procellas concitarunt, flagellatu, exiliis, Bonorum direptionibus mulctarunt; nihil omiſerunt infandæ crudelitatis: Sic igitur laceſſita primordialis Eccleſia videns quod Iudæa Verbum non admitteret Dei, ad gentes conuolauit: & ſanè illam ſuam vineam non cuſtodiuit, hoc eſt, deſeruit quidem ob infinitam illius contumaciam; nam ſua ſpecialiter vinea Iſraël, quoniam de Hebræis primi ferè omnes credentes: Verùm pro vna, quã perdiderat vinea, plures, eáſque florentiſſimas ſortita eſt; & vſque in hodiernum diem pro diſpendiis cumulatiſſima fœnora: abſorpta eſt penè Anglia, Scotia, Germaniæ Pars; quantæ pro his Nationes apud Occiduos Indos, apud Orientales? Bern.ſerm.30. in Cantica: *Poſuerunt me Cuſtodem in vineis: Qui? tuine illi oppugnatores, quos proximè memoraſti? Audite, & videte, ſi non ſe ab illis fatetur iſta promotam, à quibus & paſſam: in tantùm denique ſe profeciſſe ex eis, quæ ab æmulis paſſa eſt, gloriatur; vt pro vna vinea, quam ſibi abſtuliſſe viſi ſunt, ſuper multas ſe gaudeat conſtitutam: hoc mihi, inquit, præſtitêre pugnando contra me, & contra vineam meam, vt vnam pluribus commutarim: Hoc quippè eſt, quod infert: Vineam meam non cuſtodiui; tanquam cauſam ſubiungens, vnde hoc illi contigerit, vt non in vna iam, ſed in pluribus cuſtos poſita ſit:* Et in eundem ſenſum denſior Patrum Cuneus apud Giſlerium in Appendice, quibus iungendi Philippus Abbas lib.1. in Cantica, cap.22. VVolbero Abbas Sancti Pantaleonis ad verſ. 5. cap.1. Canticorum; Alanus quoque in Delrij mixta Explanatione.

*Iſraëlem, vineam ſuam non cuſtodiuit Eccleſia.*
Bernard.
Giſler.
Philipp.Abb.
VVolbero.
Alan.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus:* Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: filij Matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me Cuſtodem in Vineis; Vineam meam non cuſtodiui. *Cap.1.v.5.*

*Quòd ſub Panis,& Vini Accidentibus, Chriſtus in Euchariſtia latêre voluerit; glorioſum id, & perhonorificum.*

### SECTIO I.

50. HÆRESIS, nimirum Ambitionis ſuperba Proles, ſemper faſtuoſis gaudet, idcirco patienter ferre nequeat, vt Chriſtus Ieſus verè, atque ſubſtantialiter, Accidentium dicatur celari inuolucris; Sed facilè ipſi produnt, quàm dementes ſint, quibus hæc ſtulta computantur,& idcircò ſacræ immurmurant Hoſtiæ, *fuſcam* appellantes, *Nigram*, hoc eſt vilem,& contemptam, Deique ſummâ indignam Maieſtate, atque potentiâ: præceſſiſſe typum in Dauide, quando Achis tyranni diſſimulauit in aula, Auguſtinus memorat Concione 1. in Pſal. 33. *Quaſi furor iſte,& inſania videbatur* (inquit) *dare Carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem: ideò quaſi inſanus putatus eſt Dauid, quando dixit ipſi Achis: arreptitium hunc mihi adduxiſtis: Nonne videtur inſania: manducate Carnem meam, & bibite ſanguinem meum: quaſi inſanire videbatur: Sed Regi Achis inſanire videbatur, id eſt, ſtultis & ignorantibus:* Tales Hęreticorũ ingrata fæx; Quando certè, vt fieri poſſit, Chriſtum inſaniæ aliquam præferre ſpeciem; vel ea de cauſa potiſſimum adamandus eſſet; qui ne ob hominum gratiam velut demens quodãmodò cẽſeri renuerit: nã quò vilior, eò charior: quare Drogo Hoſtiẽſis libello de Sacramẽto Paſſionis: *Pallium tuum*(ait)*Caro tua eſt, qua veſtitus ad nos proceſſiſti: ſub hoc pallio abſcondita eſt maxima fortitudo tua, ô fortiſſime Samſon; quam etiam Dilectæ, & non diligenti te ad vltimum non celaſti, vt inimicam verteres in Amicam: in tantùm amaſti mulierẽ non amantem te, ſed proſequentem; vt propter Amorem eius, Sapientia tua ſtulteſceret, & fortitudo tua infirmaretur:* At non ſic eſt profectò, vt mentita eſt iniquitas ſibi: Non vile & contemnendum

Auguſtin.
*Quod in Chriſto ſub Euchariſticis ſpeciebus latenti, vile cauillantur Hæretici, id nobis & pretioſius & charius eſſe debet.*
Drogo.

quod





quod ſub accidentibus Panis Dominicum lateat Corpus, quanquam iam glorioſum; quin verò inde ſumma Decertatio, propterea ſubſtantia illa beata ad lippientem turbam: *Nolite me conſiderare* hoc eſt deſpicere, *quod fuſca ſim; quia decolorauit me Sol Iuſtitiæ;* dum hoc abiecto humanis luminibus integumento, abſcondi voluit; neque enim vituperio id eſt, ſed maximo honori.

51. Pſal.109.7. *Torrens, Paſſio Chriſti.* Loquutus de exaltatione Chriſti Pſalm. 109. Dauid, verſ.7. *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput:* ac ſanè Torrentis vocabulo acerbæ Paſſionis decumanos fluctus commune declarat interpretamentum, ob quos Nominis exaltationem promeruit Seruator: Verùm ſingulari ductus cogitatione Richardus Victorinus Beatificæ viſionis pleniſſimam dulcedinem, quam alio quoque loco Pſalmodus Torrentis expreſſit ſymbolo ob gaudiorum inundationes, Pſalmo nimirũ 35. v.9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos;* hoc intelligi Pſalmo arbitratus eſt; ac proinde innuit viſione Beatâ ſolum Chriſtum in hac donatum vita, niſi fortaſſe ſignificauerit, id quod veriſſimum eſt de Virgine præſertim intemerata, alios quidem vidiſſe Deum ad breue ſolum interuallum: Torrentem ipſum, hoc eſt, continuatam & perennem gaudiorum copiam vni conceſſam Redemptori; ſed eius hæc ſunt verba lib.2. de Emanuele, part.1.c.23. *De hoc Torrente & cæteri potantur, & ſatiantur; ſed in Patria: iſte hoc ipſo potatus eſt etiam in Peregrinatione ſua: De Torrente in via bibet, propterea exaltabit caput: Sed, vt adhuc mirêris ampliùs; iſte Paruulus, qui nobis datus eſt, melleâ quadam,& ſupercœleſti dulcedine, priùs eſt cibatus, quàm natus: certè ex quo cœpit eſſe homo: ab ipſa hora Conceptionis ſuæ, repletus eſt totius dulcedinis, totius ſuauitatis plenitudine:* Eſto, viderit ſemper Dei eſſentiam intuitiuè, ſed quomodo hoc ad meriti contulit rationem, cùm qui Deum beatificè intuentur, extra merendi cancellos ſint? Equidem, Viſio illa debebat in corpus refundi, illúdque immortale,& impaſſibile reddere: Chriſtus autem vt mori poſſet pro homine, vt eum redimeret, vt contẽneretur; cohibuit ne Animæ gloria in Corpus tranſiliret; ob hanc igitur egregiam oblationem, qua mortem ſuſtinuit,& vituperia, Pater nobilitauit famam eius, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Hoc igitur pacto exaltatus eſt, quòd de torrente in via biberit: adeò, quoniam gloriam ſuppreſſit in ſimilitudinem factus aliorum hominum, cuius Anima Dei continuâ fruebatur viſione; non amiſit honorem: Hanc porrò in normam, Cùm Euchariſtiæ conderet Sacramentum Dominus Ieſus, vidit ſanè, modò proponeret ad Myſtæ conſecrantis vocem, è cœlorum deſcendere apicibus; futuros, qui glorioſiſſimum deſpicerent corpus; propterea, quòd ſub accidentibus lateret, pudendíſque afficerent opprobriis: Sed cùm dilexiſſet ſuos, qui erant in hoc Mundo; poſthabuit eorum Commodis & Amori peculiaria emolumenta; quare maluit ſuſtinêre conuitia, & ignominiam, quàm ab hoc inſtituendo Sacramento deſiſtere: tantúmque Deo placuit inſignis Humitas feruentiſſimi deſiderij; vt decreuerit, inter omnem Seruatoris memoriã hanc ſollenniſſimè feſtiuitatẽ celebrandam: Sic igitur, vbi ſe minorauit Chriſtus, exaltatus eſt ſingulariter, cũ huius diei Pompa apud Chriſtianos planè admiranda ſit.

Pſalm. 35.9.
*Torrens, continua & perennis gaudiorum Chriſti copia.*
Richard. Victor.
*Sicut quia de Torrente Paſſionis bibit Chriſtus, propterea exaltauit caput: Ita quòd ſe propter nos ſub ſpecies Euchariſticas abiecerit, in ſolemniſſima Corporis ſui pompa mirè celebratur.*

52. 1.Corinth. 11.20. Expendamus Apoſtoli Inuectiuam aduersùm Corinthios epiſtolæ prioris c.11.v.20. *Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare: vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum; & alius quidem eſurit, alius ebrius eſt:* At nonne Corpus Chriſti legitimè conſecratum porrigebatur illis? Cur igitur Paulus Dominicam non fuiſſe cœnam proteſtatur: diceret quidem abſque debita Animi reuerentia auſos accumbere; Verùm Domini fuiſſe corpus quamobrem denegarit? Audiamus parumper quid D. Thomas ſuggerat lect. 4. in præfatum caput: *In primitiua* (ait) *Eccleſia fideles Panem, & vinum offerebant, quæ conſecrabantur in Corpus, & ſanguinem Chriſti: quibus iam conſecratis Diuites, qui multa obtulerant, eadem ſibi repetebant; & ſic ipſi abundanter ſumebant, Pauperibus nihil ſumentibus, qui nihil obtulerant: De hac ergo culpa Apoſtolus eos hîc reprehendit, dicens: Conuenientibus vobis in vnum,* &c. Erat autem Chriſtianorum vſus communem inſtituere cœnam, cùm de cœleſti participare vellẽt edulio, ad quam promiſcuè ſederent omnium ordinum homines, charitate eos coniungente, quos vel Magiſtratus vel nobilitas, vel diuitiæ, aliæve Dotes, inæquales fecerant: Sed cùm ex pauperum ſodalitate opulenti ſuam obſcurari gloriam arbitrarentur, excluſerant vulgarem turbam, atque id eſt, quod Apoſtolus taxat eodem teſte Aquinate: fateor equidem dignum increpatione; Sed quod ab epulis miſerorum extruſa ſint agmina, quare proinde Domini non cœna? Nempe in ipſo Sacramento relucet eximia ſummæ & Maieſtatis, & Paupertatis copula: Quid enim tam ſublime, tam nobile, tam magnificum, atque is, qui ſacrâ Hoſtiâ continetur, quem illa velat, & mortalium oculis ſubducit? Certè, in cuius femore ſcriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium: quid verò contemptibilius accidentibus Panis, atque Vini? quid magè vacuum? Nec tamen qui tam potens ſuâ, indignum ratus authoritate talibus aſſociari inuolucris; imò quidem ſummè id glorioſum reputat: Hoc igitur quod imitari recuſarent Diuites, & iniuriam fieri gloriæ ſuæ cogitarent, Pauperum vt admitterent Contubernium propterea aſſeruit Dominicam non manducauiſſe cœnam: Quoniam hanc ſi imitari cœnam voluiſſent, facile animaduertere poterant, ſummis ima connecti, ſub obſcuro amictu latêre nobilitatem, opes, honores; neq; ex tali vinculo probroſum aliquid ſequutum, ſed cumulatiſſimi ſplendoris fructus, euecto Chriſti ob hæc nomine ſuper aſtra.

S Thom.
*Dominicam cœnam Corinthios diuites non manducare dicit S. Paulus, quòd à ſe pauperes arcerent in hoc Sacramento, vbi ſimul Maieſtas & Paupertas eximiè ſociantur.*

Sed quàm proſperè acciderit, quòd Accidentium ſipario quodam obduci Chriſtus paſſus ſit, Zachariæ pangit vaticinatio c.9.v.17. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum,& vinum germinans Virgines?* Verùm, cùm tam multa habeat Deus & vtilia,& formoſa, cur vnius meminit Boni atque Pulchri? nimirum, & Bonum & Pulchrum illud inſinuat, quod tale eſt per Antonomaſiam, velut dicat: Quodnam eſſe poſſit inter Dei Beneficia, quod excellentiſſimam ſibi laudem vindicet, niſi Sanguinis & Corporis eius Sacramentum? de quo Prophetæ verba exponunt Hieronymus, Lyra, Strabus, Paſchaſius libro de Chriſti corpore, c.21. Sanchez num. 92. Ribera n.64. cuius illa non prætereunda ſententia: *id eſt* (ait) *ſi quid Boni Deus habet, hoc profectò eſt, quod eis dat; & cum plurimùm habeat Boni, imò in eo ſit omne Bonum; nihil habet melius, aut pretioſius eo, quod nobis dat in ſanctiſſima Euchariſtia.* Vides, quanta ſit excellentia! Miror tamen, Zachariam quid compulerit, vt hoc quod eſt gloriæ,& decoris, frumento & vino tribuerit: Nonne, quod amplum atque ſpecioſum, id à Chriſto, 53.

Zachar.9.17.
*Quod bonum, quod pulcrum eſt Dei, id nobis in Euchariſtia offertur.*
Hieronym.
Lyra.
Strabus.
Paſchaſ.
Sanchez.
Ribera.



quem

quem ſi Panis, & vini non clauderent accidentia; & Boni perparum, & Pulchri exiguum fuiſſet? Proculdubio à Chriſto omnis honos: Sed Chriſtus ipſe idcircò ſingulariter mirabilis, quod Accidentibus ſubſtare non contempſerit: itaque non confuſionem, non verecundiam aliquam peperêre Accidentia, ſed encomij nouam, illuſtrémque ſegetem; ſiue dum ſtupeſcunt Mortales ad Bonitatem, quæ dignata ſit ita condeſcendere: ſiue ad potentiam, per quam abſque ſubiecto accidentia conſiſtunt: commodè igitur, quod pulchrum, & bonum eſt, Accidentibus attribuit.

54. *Abſconſio Maieſtatem probat.* Exod. 7.1.

Quin verò niſi ita ſe abſconderet, non ſatis quodammodò Deum ſe probaret, adeò Maieſtatem, eámque infinitam abſconſio probat: Ad Moyſen Exod. cap. 7. verſ. 1. Sic Numen effatur: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus: tu loquêris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem:* Sed ipſe legiſlator quamobrem non Regem alloquuturus ſit? Nam, vt ambo Ægyptiaco polleant idiomate, verùm Moyſes aulicè confabulari norit, nimirum apud Pharaonis educatus filiam inter Regiæ proceres: operæpretium autem eſt, vt qui cum Monarcha ſermocinaturus ſit, aulicè pronunciare valeat: certè Legatorum nullus Interpretis ſubſidia implorat, niſi loquendi ignarum eſſe contingit: atqui Moyſes ignorare non potuit, qui præter eloquentiam, Ægyptiorum cæteras percalluit diſciplinas: Attende Exodi nominato loco conſtitutum Moyſen à Creatore omnium, Pharaonis Deum: Quando igitur in Deum tranſierit, Dei obſeruare grauitatem debuit: ad hanc autem ſpectat, non ſe hominibus obiectare, quos immediatè alloquatur niſi rarò admodum; cæterùm, ex lege ordinaria Angelorum miniſteriis perficit, quæ operanda ſint: ob hanc itaque cauſam, Moyſen docet, ne ipſe cum Pharaone ſermocinetur, ſed Aaronem mittat, qui alloquatur, Rupertus lib. 1. in Exodum cap. 26. *Tu Deus Pharaonis conſtitutus, non dignaberis multa loqui, vel orationem protelare cum Rege Ægypti; vel faciem tuam aperire popularibus ineruditis; ſed loquêris Propheta tuo Aaron & contrà Pharaonem, & ad populum; exemplo mei, qui nec verborum indicijs ago cum Principe tenebrarum, nec paſſim viſibiliter appareo mortalibus filijs hominum; ſed per Prophetas meos mando, quæ illi audire emerentur:* Si igitur in diuinitatem quadrat lucem inhabitare inacceſſibilem, neque vt eam ſub aſſumpta etiam forma niſi pauci aliqui aſpiciant: rectè, cùm ob dilectionem erga homines, inter illos manêre Chriſtus ſtatuerit, quanquam in cœlos ſublatus; vt non hominem tantùm, ſed Deum quoque eſſe crederent, velauit lineamenta glorioſi corporis Accidentium integumentis. Non igitur vulgare Aliquid accidentia innuunt, ſed inter cuncta nobiliſſimum, ſcilicet diuinitatem.

*Moyſes Deus Pharaonis conſtitutus, per Aaronem Prophetam ſuum Regem alloquitur, grauitatem Dei ſeruans.*

Rupert.

55. Act. 1.10. *Chriſtus in cœlum aſcendens, nube circumamictus è Mortalium oculis ſe eripit, Diuina grauis Maieſtate.*

Aſcendebat ſuper Olympi conuexa Chriſtus; dúmque attentâ acie proſequeretur abeuntem chariſſima Diſcipulorum portio, *Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum,* Actor. cap. 1. verſ. 10. Cur non igneâ raptatus quadrigâ? aut ſicut olim cùm in terras delapſus, tanquam Sponſus procedens de thalamo, in Sole poſuit Tabernaculum ſuum: ita & nunc eiuſdem Solis auricomis ſubuectatur radiis? quid Angelorum ceſſant pennæ? his omnibus an potior Nubes? fortaſſe quidem ad illius ſpeciatim dici gloriam: Nam cùm omnium Triumphorum nobiliſſimus eſſet, oportebat ea comparari ornamenta, quæ Pompam maximè venuſtare poſſent: nihil verò tam mirabile, quàm quòd Nube circumamictus homo Dei filius ouans per aëra feratur: Nam, ſi aurum indueret, ſi gemmas, ſi bis tinctam purpuram, ſtupor fuiſſet exiguus; quem enim moueat, tam diuitem Monarcham talibus veſtiri modis? imò verò, quòd his repudiatis Maieſtate tam potens, cùm gaza oſtentanda eſſet ad Victoriæ magnificentiam, Nubis cooperiri leuiſſimo integumento ſuſtinuerit, hoc demum incomparabile eſt, hoc ſpectatores vnicè extollunt: quippe auro, ſmaragdis, byſſo relucêre, omnium Triumphatorum eſt: At ſobrietatem amplecti, mediocribus contentum eſſe, quando ad faſtigia ventum eſt excelſarum Rerum, & ſuprema arridet felicitas, Chriſti ea eſt tam cumulata gloria: Sed imprimis, noſſe oportebat, illum non humanum fuiſſe Triumphatorem, diuinum quidem ſine controuerſia: quæ autem Diuinitatis præberet argumenta? nimirum abſconderet ſe ab oculis mortalium, eóſque per Caducearios alloqueretur; nam eſſe ex diuinitatis more oſtendimus Numero antecedenti: igitur vt Deum ſe eſſe indicaret, nubem interpoſuit quæ eripit viſibus intuentium, & deinceps non per ſeipſum, ſed per Angelos cum illis ſermocinatus; *Viri Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cœlum?* &c. ab his non alienus Chryſoſtomus hom. 2. in cap. 1. Actorum: *Quamobrem Nubes ſuſcepit eum? & hoc ſignum erat illum in cœlum aſcendere: Non ignis, neque currus igneus, quemadmodum factum eſt in Helia; Sed Nubes eum ſuſcepit, quod erat cœli Symbolum, quemadmodum dicit Propheta, qui poſuit in Nube aſcenſum ſuum: Quanquam hoc & de Spiritu dictum eſt: ideóque dicit, in Nube, declarans quod in ipſo ſigno diuinæ Potentiæ aſcenderet; nec enim alia virtus vlla videtur in Nube:* Cùm igitur diuinæ Potentiæ ſignum Nubem Chryſoſtomus vocet: Quòd Accidentibus, quaſi Nube in Euchariſtia tegi Chriſtus voluerit, non humanæ infirmitatis teſtatio eſt, ſed diuinæ cuiuſdam Magnitudinis enarratio.

Chryſoſtom.

---

*Quæ praui deſiderij chariſſima fuêre pignora; in Dei iudicio hoſtiliter accuſabunt.*

## Sectio II.

56. *De fratribus ſuis queritur laceſſita Spōſa, quibus tamen nil charius, nil dulcius habuit.* Bernard.

QVis credat ab iis potiſſimùm laceſſitam, quibus nihil dulcius fuit, fratribus vtique, & in quos Amor vehementiùs incumbit, vterinis ſcilicet? *Sed attende* (inquit Bernardus ſerm. 29. in Cantica) *quomodo nominatim filios Matris ſuæ, & ſolos incuſat, quaſi ſoli in culpa ſint: Quanta ab exteris paſſa eſt, iuxta illud apud Prophetam: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea; &, Supra dorſum meum fabricauerunt Peccatores: Quid ergo ſingulariter filios Matris tuæ cauſaris?* De his tamen querelæ & Murmura vniuerſa: non enim vociferandum miſeræ, dum recordatur lugubris, quantùm pro honoribus ſuſtinuit, quantùm pro luxuria, quantùm pro diuitiis? Heu! quis enarret quos exantlauit labores, quæ ſubiit vexamenta! erant cordis intimæ deliciæ, Amorum flos, deſiderij ſpiramen: Nunc verò cùm protrahitur in iudicium, examinatur vitæ longa ſeries, quæ poriſſimùm accuſant, hæc ipſa ſunt quæ fuerant maxima oblectamenta commorantis in terris: Non igitur



igitur exclamet ad tantum ſcelus! ô vitæ mortalis ludibria! ô inſidas Amicitias! Noſtis, quantâ inſaniâ in Vituli diuinitatem exarſerunt Iudæi: Conatus verbis placare amentiam Pontifex Aaron, cùm laboraſſet abſque fructu, inaures fœminarum popoſcit, Exod. cap. 32. verſ. 2. Cur non ſupellectilis alia ornamenta? nempè, quod aurium illud decoramentum præ reliquo muliebri mundo charius, & putauit fœmineum non poſſe induci Animum, vt ablegaret à ſe, vt Theodoretus animaduertit quæſtione 66. Sed fortiores in amando vitulino Numine: itaque proiecerunt feſtinanter. Conſideras quàm impensè vitulum diligebant? Adeſt tandem Moyſes, exacerbatur, arripiénſque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contriuit vſque ad puluerem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſraël: Quem in ſcopum hæc? Sanè vt exploret quinam delicto comprehendantur iniquæ Adorationis, & trucidet ſacrilegos: Sed num ad hoc à vitulo opem expoſcat? Non intuetur Amicos ipſius eſſe qui præuaricati ſunt? Non perpendit quibus illis vinculis obſtrictus ſit, quem auro & deliciis capitis prætulerint? inutilis prorſus Index eſt vitulus, nam ſodalium dilectiſſimorum cauſæ fauebit memor veterum Beneficiorum: Age, age pergat Moyſes, vitulum liquandum tradat Malefactoribus: ille manifeſtabit latentes dolos: Nonne inſtat iudicium? Nonne mors pulſat ad ianuam? quid moraris vitule? accuſa illas tuas dulciſſimas quondam Amicitias: indue hoſtilem animum, & neminem crudeliorem experiantur vltorem: Sic factum: *Tradunt Hebræi, quod filij Iſraël bibentes aquam vituli* (inquit Gloſſa) *puluere infectam; qui commiſerunt Idololatriam, in barbis puluerem auri præferebant; quo etiam ſigno Rei, vel immunes ſceleris apparebant, & Rei interficiebantur:* ô hominum genus! nunquámne ſapiendum? Annon perpenditis, auri muliebris Helluo malus vitulus, quem vel diuinis honoribus proſequuti ſunt, qualia retribuit? vt prodat ſontes internecioni?

Exod. 32.2.

Theodoret. *Quē & amauerāt & adorauerant filij Iſraël Vitulū, ille idē poſtea amatores cultoréſque ſuos ad punitionem prodit.*

Gloſſa.

57. Adamus poſtquam de vetito pomo guſtauit, cùm audiret vocem Dei perambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, cum vxore abſcondit ſe à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi, Geneſ. cap. 3. verſ. 8. demiratus ſtupiditatem Chryſoſtomus, quaſi vlli receſſus Dei oculis impernij: *Animaduerte obſecro* (inquit hom. 17. in Geneſim) *quàm inſipienter agit nunc, qui antea tantâ pollebat ſapientiâ: Quantæ hoc eſt inſipientiæ, vt à Deo, qui vbique præſens eſt, qui abſcondita ſcit, qui finxit ſigillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui ſcrutatur Corda, & Renes, qui etiam ipſos Cordis motus cognoſcit, abſcondere ſe tentant?* Ac licet hanc ob cauſam communis ſententia ſtultum reputarit Adamum, ego etiam aliam ob cauſam penè vecordem arbitrer, nempe, quòd Dei fugere vultum cùm decreuiſſet, tamen in ſyluam Paradiſi ſe abdiderit, potiùs quàm in planitie, aut Montium vel excauatis, vel ſummitatibus: Verùm, quæ huius noſtri effati Ratio, percunctabere? Nam qui ſe abſcondunt, latebras & vmbroſa petunt, vt nox condenſæ opacitatis ſubſidio eſſe valeat latêre cupienti: hæc autem ſubminiſtrant conglomeratæ arbores, quales in ſyluis & nemoribus; non tamen vel montium Cacumina, vel camporum ſpatioſa: prudenter itaque, magis quàm ſtultè Adamus, quòd in lucos ſe contulerit, potiùs quàm apertiora loca. Sed cogita, ſyluam illam fuiſſe, cuius ob fructus Protoplaſtus non eſt veritus amœnitate excidere incredibili: proh! quantùm amauit eius poma, cùm ob vnius cupidinem tam magna contempſerit! igitur concepiſſe debuit fugæ minimè aptam illam ſtationem: Nam ita comparatum eſt, vt quæ malè dileximus dum pace frueremur, & ſecundi afflarent venti; eametipſa cum deiectis & vulneratis ſæuiſſimas gerant inimicitias: Silua igitur illa, quæ nimium adamata eſt à Protohomine illuſura erat cadenti, & proditura iudici ad pœnas requirenti: debebat ergo vt ſecundum prudentiam ageret, montium, aut camporum potiùs ſe fidei credere, quàm eius Nemoris, quod malè quondam deperierat.

Geneſ. 3. Chryſoſtom. *Quæ Adamo fuerat in delicijs Arbor vetita, eadem hunc Deo peccatorem ſiſtit.*

58. Eſcarum dulcium ille Vorator, cuius ad limen fame Lazarus tabeſcebat, cùm deſcendiſſet in Tartara, ſitim ferre non valens, Abrahamum imprecabatur: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma,* Luc. cap. 16. verſ. 24. Certè nonne & totum ambierunt flammæ, cur reliqui non meminit corporis? Nonne, & plantæ aduruntur & manus, & torrentur viſcera, & ſub incendiis eſt vniuerſa ſubſtantia? refrigerabunt calentia membra ſuperinfuſi vndarum latices; vt quid deſpiciuntur membra cætera, & vnius linguæ prouidentia ſollicitat? aut ſanè cur ipſamet lingua plus modò vexat? quamobrem de huius ſingulariter tortura conqueritur? equidem amauit impensè totam corporis fabricam Diues ille, idcircò & ſuauiſſimè fouebat, cùm non niſi mollia ſerum vellera in Byſſum formata indueret admiſta Purpuræ gloria, ſed præ cætero corpore vnicè adamata lingua: huius gratiâ ebrietates & compotationes antelucanæ, exquiſitæ ferculorum varietates, opum profuſiones immenſæ, cùm ne in remotiſſimis Oceani inſulis aliquid eſſet tam peregrinum, quod pecuniæ non acquiſiuiſſent, ne momento à deliciis lingua abſtineret: Hæc igitur particula corporis quæ cæteris præpoſita inſtrumentis vel aurium, vel oculorum, vel pectoris ipſius, cùm ad iudicij deuenitur Trutinam, plus ſæuit: & dolorem quoque cætera afferunt, ſed mitis eſt crudelitas ſi cum linguæ comparetur tyrannide: Hinc tantæ dilectionis nouercales fructus? Sic compenſat lingua exceſſum Amoris? & quæ miſero patrocinari maximè debuit ob fœderis arctiora vincula antiqui, ſtragem exercet immaniorem? Sic eſt omnino: Lingua ſola eſt quæ exuſtulatum Diuitem mugire faciat: Chryſologus ſermone 122. *Hæc præcedit ad iudicium: hæc antea deguſtat & patitur cruciatus, hæc de toto corpore prima ſentit ardorem; quæ prima varios deliciarum cibos, & odorata deguſtarat pocula:* Quare aſſeueratur *præcedere ad iudicium?* quia ſanè non eſt contenta accuſare vtcumque, niſi & Accuſantium Dux, atque ſignifera euadat: illa, illa nominatim ductat accuſatricem turmam, quam plus dilexit locuples, atque ob id rectè, quod ad iudicium præcedere dicatur.

Luc 16.24. *Diuitis Epulonis Lingua maximè torquetur, quæ deliciarum præcipuum fuerat Inſtrumentum.*

Chryſolog.

59. Illa quondam Babylon à ſtuprationibus, à luxu, & voluptatum nouarum illecebris famoſa, cùm Regum potentiſſimis amore copulata eſt fornicario: Quid non illicitum, cùm in libidinem æſtuarent, pro Meretricis gratiâ facere parati? etiamſi dimidium Regnorum illa petiſſet, vllam pateretur repulſam: Non ſi longa imponeret itinera, non ſi maria tranare iuberet, non ſi per ſtrictos ingredi enſes, cunctarentur: Tandem cecidit Babylon illa magna Dei experta vindictam

*Chariores Babylonis Amatores, ſiunt tandem ſæuiores eius hoſtes à quibus diſcerpitur.*

vindictam : tum in eam ſæuire multi, qui fortu-
næ meliori blandiebantur : Quid ſub illa Rerum
facie chariſſimi Dynaſtæ, cum quibus fornicata
eſt? num vt aliam non ferre poſſent opem, ſaltem
lachrymis proſecuti ſunt? Ecce, vt vidêre lapſam,
hi omnium crudelitatum Anteſignani : ſed quan-
Apoc.17.16. ta fuerit rabies Ioannes teſtatur Apoc. cap.17.
verſ.16. *Et decem cornua, quæ vidiſti in Beſtia; hi
odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nu-
dam, & Carnes eius manducabunt, & ipſam igni con-
cremabunt* : Quis immanior vnquam Buſiris, &
tamen ſunt illi, quibuſcum arctiſſimæ Amicitiæ
dum vita perſiſteret; modò laniant, & diſcerpunt:
Rupert. Rupertum audiamus lib.10. in Apocal. *Quomodo
Reges, qui per Cornua deſignantur, fornicariam ſuam
odiſſe dicuntur, cum qua ipſi fornicantur? ipſi namque
& alij ſunt Reges, de quibus ſuprà, cùm dixiſſet : ve-
ni, oſtendam tibi damnationem Meretricis magnæ
quæ ſedet ſuper aquas multas; addidit; cum qua forni-
cati ſunt Reges terræ : ipſi ergo, qui cum illa fornican-
tur; illam odiſſe, & deſolatam, nudámque facere, &
Carnes eius manducare, & ipſam concremare dicun-
tur*: *Mirum hoc, attamen verum eſt* : Deinde ſpiritu
ſuo dignâ Apoſtrophâ ſæculares alloquitur Ani-
mas, omnémque gentem peccatricem, cuius Baby-
lon figura : *ô igitur miſerabilis conditio Babylonis
terrenæ ciuitatis, quæ adeò fornicatur cum Amatori-
Idem. bus : quia non ſaltem fornicatur cum Amatoribus, ſed
cum Hoſtibus : quorum etſi quis Amor eſt, tanta fel-
lis amaritudine permiſcetur; vt ipſam hoſtiliter dila-
nient, cum qua fornicantur.*

Cur tamdiu ergaſtulo immoratur Ioſephus Pa-
60. triarcha, qui ſuppliciis dignum nihil commiſe-
rat? Cur in longum innocentiæ prolata victoria?
ſcilicet, Pincernam Pharaonis, cui feliciter præ-
ſagiuit, obteſtatus eſt, vt cùm apud Monarcham
priſtinam repetiſſet gratiam, ſui reminiſceretur,
& quoniam carcere detinebatur abſque commiſ-
ſis ſceleribus, libertatem procuraret : ita Chry-
Chryſoſtom. ſoſtomus hom.6.in cap.3. epiſt. ad Titum : *Ioſeph*
*Pharaonis Pincerna cõfiſus Ioſeph, diutius in carcere detinetur.*
(ait) *cùm iam Carcerem egredi properaret; tunc ma-
ximè illic immorari permiſſus eſt : Audi namque ipſum
dicentem : & ego furto ſublatus ſum de terra Hebræo-
rum; Memento mei apud Regem : Meritò & ipſe
hoc paſſus exiſtimatur, quoniam dixit : Memento
mei, vt diſceret hominibus non eſſe fidendum, ſed ſpem
omnem in Deum dirigendam* : Quamobrem verò
ob hoc meritò detentum aſſerit Chryſoſtomus?
Nam ſi Beneficio affecit maximo Pincernam, cui
quod in vita, optatiſſimum illi fuerat, pronun-
ciauit Regis poſtliminio reſtituendum gratiæ,
atque id priuſquam multi abirent dies; qua de
cauſa, quem ſic obſtrinxerat, non rogaret, vt
apud Regem pro eo intercederet? At certè op-
timus Adoleſcens Ioſephus conſiderare debuit;
Humanæ quanta ſit Amicitiæ fragilitas, & in-
conſtantia : quid dixi? imò, quàm ſit enormis in-
gratitudo, in Malis vtique, quorum ille regij præ-
guſtator Calicis, homo nimirum, ſuperſtitioni-
bus falſorum irretitus Numinum typus : his
enim ſollenniſſimum pro Beneficiis, cædem at-
que inſidias reddere, conuerti hoſtiliter aduer-
sùm illos, quibus chariſſimi fuêre : Quoniam
igitur ad hæc quaſi minùs attentus Ioſeph, ſpem
in eo poſuit Redemptionis, quem potiùs capita-
lem futurum inimicum ſubuereri potuit; idcircò
diutiùs clauſus manere permiſſus eſt.

Quid itaque faciendum? Chriſtus præmon-
61. ſtrat, Lucæ cap.16. verſ.9. *Et ego vobis dico : facite*
Luc.16.9. *vobis Amicos de Mammona iniquitatis : vt cùm de-
feceritis, recipiant vos in æterna Tabernacula* : Au-
guſtinus in Pſalm.48. Diuitias interpretatur per
malitiam acquiſitas : Porro tum deficere homi-
nes Euthymius exponit, cùm Mortis inſtat Perio-
dus; alij referunt ad ſtrictum Dei iudicium : ſed
quomodo tunc Amicæ malè partæ opes, quas ho-
mines in vita adorant, pro quibus dies noctéſque
laſſantur, quæ ſunt dimidium ſpiritus, in quas
Amoris terminatur melior portio? Non diximus
hactenus, huiuſmodi eſſe, à quibus ſtrangulantur
*Bona terrena ſi dilexeris, eæ te in morte cruciabunt; ſi piè neglexeris, multùm proderunt.*
Animæ, cùm impendet Dei cenſura, cùm vale-
dicendum eſt Rebus humanis, atque Mors in-
ſtat? quo igitur pacto Euangelium nunc docet
fore quaſi ianitrices Regni cœlorum opes etiam
malignas? Perpendite, quid Seruator de ſubſtan-
tia huius Mundi apud eundem Euangeliſtam ſu-
periùs, cap.2. verſ.33. *Vendite quæ poſſidetis, &* Luc.12.33.
*date eleemoſynam : facite vobis ſacculos, qui non ve-
teraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis : quò
fur non appropiat, neque tinea corrumpit* : Mandat
itaque Bellum geri cum ſupellectile donec huius
vitæ tempus ſit, & quaſi inimicam & nocentem
expelli à nobis : quid verò iſtâ ſequatur ex Hoſti-
litate? vt cùm in alium tranſmigrauerimus or-
bem, Amici & ſodales nobis fiant, atque nos in
Tabernacula admittant æterna : cogita diligen-
tiùs naturam humanorum bonorum : ſi hac exi-
ſtens vitâ, Diuitias perditè amaueris, atque earum
gratiâ, non ſolùm corpus labore opprimas, ine-
diâ, ſordibus, ſed Animam ſimul flocci feceris,
Auaritiæ abreptus ſtudio : tum ſanè continget,
vt cùm Mortis aduenerit hora; nullos experiaris
ſæuiores hoſtes illis ipſis opibus, quas præter
modum adamaſti, nam ita comparatum eſt, vt
aduersùm Dilectores ſuos tùm conuertantur po-
tiſſimùm; cùm ſuppetias ferre debuiſſent : ſin
autem euenerit, vt non amentur opes antequam
vitâ fungamur (& quod de opibus, id de pulchri-
tudine, ſcientiâ, & aliis,) ſed piæ inimicitiæ cum
eis gerantur, atque à nobis velut contagioſæ pro-
pellantur; tum fiet, vt quibuſcum in vita geſſi-
mus pugnam, in morte habeamus propugnatri-
ces : præſtat igitur odiſſe in hac vita, quàm amaſ-
ſe; cùm ſi diligantur, inimicæ euadunt poſt mor-
tem; ſi repudientur hoſtiliter, in Tabernacula
intromittant æterna. Rectè igitur Chriſtus, vt ſer-
uentur, diſperdi monet Theſauros; inimicos
priùs habêre, vt in Amicorum tranſeant claſſes:
*Videtis* (ait Chryſologus ſerm. 25.) *Quia Pater,* Chryſolog.
*ditare vult filios, non nudare; facite vobis ſacculos,
qui non veteraſcunt : nouo modo, imò cæleſti modo, qui
hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando;
dùm amittit, acquirit.*

---

*In Republica, aut Congregatione modò Pax
vigeat domeſtica : vix nocere
poterunt externæ Pugnæ.*

## SECTIO III.

HOc pulchrè argumentum Bernardus per- 62.
tractat ſerm. in Cantica.29. primùm de Ec- Bernard.
cleſia vniuerſali mœſtuoſo conquerente luctu de
ciuili filiorum diſcordia : *Sola exprimitur Perſecu-
tio à Domeſticis, & tacentur tot, & tam grauia, quæ
vbique terrarum nihilominus, ex omni natione, quæ
ſub cœlo eſt, ab infidelibus, ab Hæreticis, & ſchiſma-
ticis pertuliſſe cognoſcitur : Noui Sponſæ prudentiam,
nec putarim, caſu hæc illam, aut quaſi immemorem præ-
teriſſe : ſed profectò id expreſſius plangit, quod &
ſentit differentiùs, quódque vigilantiùs nobis cauendum
eſſe*
*Queritur Sponſa de domeſtica fratrum pugna.*



*eſſe exiſtimat : quidnam hoc? Malum vtique inteſti-
num atque domeſticum!* ô vtinam non hoc nimiùm
vera eſſent! Heu quantùm demolita eſt ciuilis
Diſcordia! Sed pergit ad ſingulares Congrega-
tiones mellitus Abbas ſtatim : *Ante mihi contin-
gat mori* (quàm benè precabatur nouellæ ſuæ Plan-
tæ, & admonebat vnà cœtus Religioſorum vni-
Bernard. uerſos) *quàm audire in vobis quempiam iuſtè cla-
mantem : filij Matris meæ pugnauerunt contra me:
Nonne præſentis Congregationis tanquam vnius Ma-
tris filij omnes vos eſtis, ſinguli alterutrum fratres?
Quid ergo foris vos conturbare, aut contriſtare poſſit,
ſi intus benè eſtis, & fraternâ pace gaudetis?* Et propè
eundem ſenſum Bella filiorum Matris ſuæ, pro
quibus ingemiſcit Sponſa, myſticè enarrant
Philipp. Præm. Philippus Præmonſtratenſis lib. 1. in Cantic.
Vvolbero. cap. vigeſimo primo : Vvolbero Abbas. Lubet
ſimilitudine arborum declaraſſe : Si quando ani-
*Vel ab vno vermiculo domeſtico hoſte cadit arbor languida: cùm nec venti, nec imbres alteram in media ſtantem planitie poſſint deijcere,*
maduerſum à te ſub inclementiori Bruma, ven-
torum præliis quaſſari omnia, terrâ, maríque:
attollit in nubes comam apertâ planitie generoſi
ligni truncus : contra hunc coniurauêre Noti,
verberant latera omnia, ingeminant vires, oppu-
gnant fortiſſimè : ſed ridet ventorum flatus, tan-
démque pudefacti in cauernas ſe abſcondunt:
ſtat altera Arbos loco ſepibus munito, in quam
ſedula coloni excubat Ars, non cœlum aduer-
ſatur, non grando, non imbres, non venti laceſ-
ſunt, nihil deforis inimicatur; cadit tamen ſine
impulſu, ſine violentia externa : Cur tam fortis
illa, hæc tam imbecilla? nempe, prior ſylua in-
tus robuſta erat, fibræ atque medulla vegetæ &
conſtantes, à foris ſolùm pugnæ, ſub intimis ſe-
dibus nullus Hoſtis : poſterior domeſticum ale-
bat inimicum, aut putorem, aut corrodentem
vermem : Quis credat, in ruinam vnum fuiſſe
potentiorem Vermiculum, quàm ventorum cru-
deles iras, & ſæuæ Tempeſtatis rabiem vniuer-
ſam? hortatur ſeuerè Chryſoſtomus hom.27. in
Chryſoſtom. cap.12. epiſt. ad Corinth. 2. *Excitemur igitur ali-
quando, vigilemus : Non timeo externum bellum,
quantùm pugnam domeſticam : Quoniam & Radix,
quando benè compacta fuerit in terra; nihil à ventis
patietur, licet concutiatur : ſi autem illam intus vermes
deuorent, etiam nullo turbante cadit.*

Admiranda interna Pax Arcæ illius, quam
63. Noë fabricarat : quæ non ibi monſtra Diſcordia-
rum? ſed remiſſæ veteres iniuriæ omnes, atque
Origen. ibi ſchema vaticinationis Iſaiæ, vt notauit Ori-
genes hom.2. in Geneſim, cùm loquitur, cap.11.
verſ.6. *Habitabit Lupus cum Agno : & Pardus cum
Hœdo accubabit : vitulus & leo, & ouis ſimul mora-
buntur, & Puer paruulus minabit eos : vitulus &
vrſus paſcentur : ſimul requieſcent catuli eorum : &
Leo quaſi Bos comedet paleas* : interim dum in pene-
*Stat medijs in fluctibus furentibus vndique fruſtra elemẽtis, Arca Noë, ſecura ab interna Animalium omniũ pace.*
tralibus alta Tranquillitas, armantur contra pup-
pim elementa : denſatur in caliginem Olympus,
ventis habenæ laxantur, in montes vndæ tranſ-
mutantur; ſub tantis periculis ſecura graditur:
Quod ſi certè intus & tigris, & vrſus, & leo de-
certaſſent; fortaſſe, quamuis Alcyoniis diebus
nauigaſſet Oneraria, demerſiſſent illam Aquarum
vortices. O certè illa qualiſcumque Congregatio
beata ſatis, vbi neque à lupo Agnus extimeſcit,
nec vitulus ab vrſo, vbi ludunt Aquilæ cum Paſ-
ſeribus, atque vt palàm dicamus; vbi neque
ſtemmate, neque doctrinâ, neque officiis præ-
ſtantes infirmiorem deuorant turmam; neque ipſi
inter ſe Magnates ambitioſè decertant, quò vel
inſigniores appareant, vel antiqua expleant odia,
vel Amicos aut cognatos euehant ad ſublimiora:
ſi quis talis eſt cœtus in Terris germinans germi-
nabit, & florebit ſicut lilium, creſcétque in mil-
libus, licet contra eam innumeræ ſtruantur inſi-
diæ; tantùm non intùs ſit bellum : multiplicen-
tur quamuis externi Hoſtes, cadent à latere mil-
le, & decem millia à dextris eius : & quod de
multorum Conuentibus hominum, id quoque
de ſingulari homine : fiat pax in interioribus,
edomentur Paſſiones, conſtringantur affectus, vt
*Interior homo ſit Pacificus ab exteriori nil timebit.*
vnius in morem habitent in domo Animæ : nul-
lum erit diſcrimen ab externis malis : quam ſpi-
ritalibus viris vtilem commonitionem volo Hu- Hugo Foil.
go Foilettus tradat qui in Tilmanni Allegoriis ad
cap.5. Geneſis : *Hic eſt Noë* (inquit) *qui conſtruit
Arcam, id eſt, ædificat Animam; qui irrationabilia
animalia in inferioribus ordinat; homines & volatilia
in ſuperiore parte locat : id eſt, motus carnales ſubijcit,
ſpirituales ſuperponit : ſi autem inundauerit diluuium
Carnis, tunc intrat Arcam mentis, & licet circum-
fluant Torrentes iracundiæ, fluenta luxuriæ, voragines
gulæ : licet ebulliant fontes delectationum, abyſſus cu-
piditatum, maria conturbationum : intrat tamen ſecu-
rus ad Arcam; id eſt, quietus animus clauſo à foris
ſilentij oſtio; poſſidet animam.*

Cùm Moyſes ægrè pateretur, quòd vnus pro- 64.
pè infinitam multitudinem, eámque regi diffici-
lem, moderari coactus eſſet; oneris miſeratum
Numen, iuſſit, vti ſeptuaginta viros congregaret
de ſenibus Iſraël, qui præeſſent Populo, & Magi-
ſtratu fungerentur; addit verò : *Duces eos ad* Num.11.16.
*oſtium Tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum,
vt deſcendam & loquar tibi : & auferam de ſpiritu
tuo, & tradam eis, vt ſuſtentent tecum onus Populi,
& non tu ſolus grauêris*; Num. cap.11.verſ.16. Cur
de ſpiritu Moyſis ablaturum ſe affirmat? Quæ
auaritia eſt liberaliſſimi Creatoris, vt non de
pleniſſimis Theſauris nouam proferat gratiam?
Cur vt locupletet ſeniores, Moyſem depauperat?
Dixi aliàs ſuper hac re, ſpiritum Moyſis cùm eſſet
indiuiſibilis haud paſſum ſectionem aliquam,
ſignificatum verò imbutos recens electos Magi-
ſtratus ſapientiâ ad gubernandum perſimili ei,
quæ in Moyſe reſidebat : vt quid autem neceſ-
ſum fuerit ſororium eſſe donum? nimirum, vti
Reipublicæ Iudices inter ſe conſentirent; nam
intellectu ad Concordiam redacto, voluntates
conglutinare facillimum erat; deſiderabat ita-
que Numen, vt vna Mens eſſet Gubernantium : ſic
P. Damian. intellexit in Catena Tilmani. *De ſpiri-* P.Damian.
*tu autem Moyſis viris dediſſe dicitur Dominus, vt or-
dinatores vnum debere ſpiritum habere, perſpicuum
doceatur; quatenus Rectores Eccleſiæ vnum omnes
concorditer doceant, atque in vnitate ſpiritus vnani-
miter viuant* : Ego quidem putarim propterea Nu-
men affectaſſe, vt ſumma eſſet Pax, atque Con-
cordia inter Reipublicæ Naucleros, vt eadem in
omnes inferiores populorum ordines redundaret
germanitas : nam quales eſſe conſueuêre Præpo-
ſitorum mores, tales & ſubiectorum : igitur cer-
tè Deus procurabat, vt in Hebræorum Republi-
ca, cùm Moyſes erat ſummus Imperator, admira-
bilis quædam reluceret Pax, atque Tranquillitas:
Quem in ſcopum? Num quia ſemper & vbique
glorioſa virtus Concordia? Non arbitrer ſanè
tum hoc ſpectatum : ſed conſidera, quando iſta
perpetrata ſunt, Iſraëlitas ab externis multis Ho-
ſtibus oppugnatos; modò Arabes impetebant,
modò vexabant Ammonitæ, modò perſequebatur
Moab & Amorrhæus : ſub tantis bellorum tu-
multibus Metus affligebat, & incerta Martis alea:
Deus itaque volens animos addere, iubet inter
ſe
*De ſpiritu Moſis impertitur Deus Septuaginta ſubpræfectis, vt vno eodémque ſpiritu adminiſtrata pacificè Hebræorũ Reſpublica, circumuallãtium impetus hoſtium ſtabilis irrideat.*

ſe concordes eſſe: velut dicat: ſint nullæ apud vos domeſticæ controuerſiæ; quod vt poſſitis conſequi, donaui Magiſtratus omnes cognati Spiritus beneficio; illis enim conſentientibus, Plebs facilè copulabitur; ſi autem nullæ apud vos ciuiles altercationes; ne terreamini ab Hoſtibus externis; non enim vobis peregrina violentia nocère poterit domi habentibus tranquillitatem; igitur tunc ſpeciatim ad concordiam propterea adhortatus eſt inter ciues ſuos, quòd bella paterentur externa multa: cùm ad hoſtes alienos vincendos, nulla potentiora arma reperiri poſſint, forti comprouincialium inter ſe Amore, atque concordia.

65. Mirum, cùm Ioannem Euangeliſtam tantoperè Chriſtus dilexerit; quamobrem non declarauerit Principem Apoſtolici Collegij, ſed eum in Simonem Petrum tranſtulit honorem: Aſſeras, non ſufficere vt meritis quiſpiam excellat, niſi etiam & competenti ætate præditus videatur, ideò poſtpoſitum Simoni Ioannem: Hildebertus Cænomanenſis Epiſcopus epiſtolâ duodecimâ Electo Andegauenſi: *In ſummis enim Sacerdotibus* (ait) *ætas integra poſtulatur, vnde nec periculum Religio metuat, nec reuerentiam dignitas amittat: Chriſtus Ioannem ſupra Petrum dilexit: Petro tamen, non Ioanni conceſſa eſt poteſtas ligandi, atque ſoluendi:* Sed aliam mox idem ſubnectit cauſam, ne quæ iurgiorum anſa præberetur. Quippe, cùm & meritis Ioanne Petrus nequaquam inferior eſſet, concipiuntur ad nos docendos, cætera Diſcipulorum manus quaſi indignè latura, quòd grandæuæ ætati præpoſita eſſet Adoleſcentia: inde, Contentiones, atque ſchiſmata; difficillimè námque ferunt antiquiores anni ſibi iuuenes adæquari, nedum proponi: ablaturus igitur Seruator vel minimam Diſcordiarum occaſionem, noluit præeſſet Ioannes Commilitonibus, quanquàm Diſcipulus eſſet, quem diligebat Ieſus: *Qui enim per Iſaiam dixit* (proſequitur Hildebertus) *auferte offendiculum de via populi mei, coram Diſcipulis offendiculum ponere noluit, nec Maioribus anteponere iuuenem, quamuis prærogatiua Caſtitatis ſibi fecerat præ cæteris familiarem: detulit igitur ætati, non meritis; nec prætulit coniugatum Virgini, ſed prouectiorem iuniori.* Sed quoniam grauis eſt hæc cogitatio, audiamus rurſum ex Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum: *Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat: ne Adoleſcens, & penè Puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur: & Magiſter bonus, qui occaſionem iurgij debuerat auferre Diſcipulis, & qui dixerat eis, Pacem meam do vobis: in Adoleſcente, quem dilexerat, cauſam præbêre videretur inuidiæ:* Sed cur tantus; tam diligens Ieſus in amouendis quibuſcumque Schiſmatis occaſionibus inter Diſcentes ſuos? Videbat, quantæ aduersùm nouam Eccleſiam, cuius illi baſes erant, & quàm immanes concitandæ eſſent procellæ, à Iudæis, à Paganiſmo, ab Hæreticis: Volebat igitur & ipſum Apoſtolorum manipulum præmunire contra horribiles fluctus; & normam etiam præſcribere venturis ſæculis, quemadmodum Hoſtes externos repellerent: Domi (ait) & intrà penates regnet Tranquillitas; Quod ad me ſpectat, id ſemper conatus ſum, cùm ne leuis aliqua Diſcordiarum præberetur vmbra, chariſſimum mihi iuuenem vobis præponere nolui: Si conſequuti fueritis, vt vna ſit omnium Mens, vnus conſenſus, ne timueritis Barathri omnia machinamenta: non vos proſternent Iudæorum minæ, non perſequutiones gentium, non Hæreſum crudelitates: tantùm apud vos non ſint lites; de peregrinis, atque externis Terroribus non eſt quod ſolliciti ſitis.

Hildebert.

*Prævidens Chriſtus immanes in Eccleſiam ſuam procellas, Petrum ei præfecit, non Ioannem præ cæteris dilectum; ne ſi Iunior hic præfectus eſſet, hinc oriretur aliqua inter ſuos diſcordia; exinde cauſâ maximè ſeditiones internas.*

Idem.

Hieronym.

66. Hinc percipe, quamobrem cùm in monte transfiguratus eſſet Ieſus, Petrus autem Viſionis captus ineffabili dulcedine, cùm in eremo permanere deinceps vellet, quod Chriſto, Moyſi, atque Eliæ Tabernacula fabricare meditaretur, ab Euangeliſta dictum ſit, neſcire eum quæ loqueretur, Luc. cap. 9. verſ. 33. Cur ita? fortaſſe idcirco, quod non vnum Tabernaculum in quibus ſimul commorarentur, ædificare ſtatuit, ſed tria, vnicuique ſeorſim proprium. Sed quid in hoc vel ignorantiæ, vel pij erroris? Certè, quoties mediocris faſtus homines Hoſpites excipimus, ſub eodem vel tecto vel cubili vt excipiantur, patimur facilè, eandémque vt ſedeant ad menſam: ſin autem Principes & Dynaſtæ in lares intrent, ob reuerentiam potentiæ & Magnitudinis, diuerſa cuique aſſignamus habitacula, diuerſa miniſteria, quare & apud Monarchas terrenos alteræ ſunt Regis epulæ, alia Reginæ fercula: cùm itaque Moyſen atque Eliam incomparabili gloriâ fulgentes Petrus intuitus fuiſſet, debuit quaſi Principibus non vnum conſtruere Tabernaculum, ſed vnicuique ſpeciale. Sed perpende Chriſto ſignificatum Euangelium, Moyſe Legem, Eliâ Prophetas: ab horum trium concordia dependet omne fidei Orthodoxæ firmamentum: Si enim diuerſum Meſſiam, diuerſa Sacramenta, diuerſam futurorum præmiorum ſpem, annunciarent vel Prophetæ, vel Lex in figuris ſuis, quàm Euangelium teſtatum ſit, actum eſſet de Religione Catholica penitus, déque Romana Eccleſia, viciſſent iam olim in Diſputationibus Iudæi, viciſſent Pagani, viciſſent quotidie Nouatores: Rectè igitur de Petro ſingillatim pronunciatum; neſciſſe eum, quid proloqueretur: nam cùm ipſe in Petram electus fuiſſet ſupra quam noua fuiſſet conſtruenda Eccleſia, ignorare tamen præferebat, quemadmodum hæc eadem Eccleſia triumphos ſuos multiplicatura erat: At te ô Petre ſpectant Lex, Prophetæ, Euangelium: Tu fidus cuſtos tanti depoſiti: domeſticum tuum hoc eſt robur: Vis noſſe, quonam more externos Aduerſarios, qui incredibili furore in tibi commiſſam arietabunt Eccleſiam, linguæ & calami maiore periculo quàm armorum ſuperaueris? Stude pro conſenſu Legis, Euangelij, Prophetarum: ab horum vnanimi nexu ſponde tibi Victoriam, inimicis confuſionem: Noli igitur de tribus ædificandis Tabernaculis cogitaſſe, ſed de vno: Si enim diuiſio ſit inter Moyſem, Heliam, & Ieſum qui tibi domeſtici & familiares ſunt, quo pacto Regnum in ſe diuiſum non deſolabitur? habe imprimis apud tuos pacem, vt alienos ſubiugare valeas: Gloſſa in cap. 9. Lucæ: *Sic errat, qui tria Tabernacula, Legi, & Prophetis, & Euangelio facere deſiderat, cùm hæc ab inuicem non diſcrepent: non tria, ſed vnum habentia Tabernaculum, id eſt, Eccleſiam Dei.*

*Neſcit quid dicat Petrus, dum tria Tabernacula Chriſto, Moyſi, & Eliæ, (hoc eſt, Euãgelio, Legi, & Prophetis) cõſtrui optat: Tria hæc enim in vnũ conuenire debent, vt Aduerſarios omnes à ſe longiùs propellant.*

Gloſſa.

67. Pharaonem Dei imperio ſuperare Moyſes aggreſſus, atque vt Iſraëlem dimitteret, conatus, primùm coram eo Virgam in ſerpentem conuertit, nec ſic tamen emollitus: Deinde & flumina in ſanguinem mutauit; pertinax tamen adhuc tyrannus: poſt hæc Ranas ebullire facit; atque tum, vocauit Pharao Moyſen & Aaron, & dixit eis: *Orate Dominum, vt auferat Ranas à me, & à populo meo: & dimittam populum, vt*

Exod. 8. 8.



*ſacrificet Domino*, Exod. cap. 8. verſ. 8. Cur nunc mitior ad Ranarum plagam? Equidem prima illa territamenta externa fuerunt, atque ſaluo manente palatio Regis cum ciuium domibus, forinſeca illa damna minùs vrgebant; Nam vt Lyra ait, deficientibus Lymphis ſubſtituebantur vina & alij liquores: At verò Ranæ paludibus & aquoſis locis egreſſæ intrabant cubilia Magnatum, ipſiúſque Regis: Quid ſi illud verum, quod ex Rabbinis Nicolaus prodit: *Dicunt* (inquit) *Hebræi, quod non ſolùm intrabant Ranæ loca Ægyptiorum, ſed etiam corpora eorum, vt per os, quando dormiebant ore aperto, & per alios meatus, per quos poterant introire:* quid hinc ſequutum? equidem, vt haberent bellum domeſticum Ægyptij: nam diu, noctúque pugnandum erat Ranarum cum importunitate: hinc contendentibus Ægyptiis propellere à thalamo & penetralibus loquax & ſordidum Animal, illinc vrgẽtibus Ranis, nullíque aut dominorum, aut ſeruorũ cedentibus diligentiæ: Siccine, domeſticis intricãtur litibus Ægyptij, & habent apud ſe quæ internã quietem dirumpant? Ne time Moyſes, vincetur Pharaonis duritia, ſecurè triumphabis: ecce quem externi timores non domuerant, ſtatim atque inteſtinæ vrgent diſcordiæ, remittit iras, obſequitur, & pollicetur, dimiſſurum ſe populum, vt ſacrificet Domino. His cognata accidêre in ſtupendæ Turris molitione; quam poſt diluuium vecordes homines in cœlum vſque attollere cogitarant: Quo enim medicamine vſus Creator, quo à cœptis inſanè deſiſterent? *Venite* (ait) *deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem Proximi ſui*, Geneſ. cap. 11. verſ. 7. Cur non de ſyluis vocauit aut Pantheras, aut vrſos, aut Leones, qui diſcerperent, aut laniarent? non mitteret de cœlo lapides magnos, quibus oſſa frangerentur? non aliis mille viis perterrefaceret? Noluit talibus pugnare modis Numen: quoniam cùm de externis eſſent Hoſtibus huiuſmodi copiæ, omnes fortaſſe ad retundendam contumaciam non ſatis idoneæ fuiſſent: volens itaque vt abſque mora, & reipſa à concepta amentia reuocarentur, idiomatum vſus eſt adminiculo: quorſum id? nimirum, ex non intellectis linguis ciuiles ſtatim inter eos Rixæ ſubnaſcerentur, *Quia quando vnus* (inquit Lyra) *petebat lapides, alter portabat cementum, vel aliquid ſimile; & ſic credebat vnus ſe derideri ab alio; propter quod mota eſt inter eos rixa & Contentio:* Quod ſi certè domeſticè ſemel pugnarent; non dubium tantæ Molis apparatus ipſe velut ſponte deflueret etiam nullo vrgente Hoſte; quare ceſſauerunt deinceps perpetuò ab ædificando: Hanc meritò Turrim Catholici Doctores Hæreſum figuram dixêre: nam hæc quemadmodum à veritatis ſcopo longiſſimè aberrat, ſic pugnas alit, & rixas innumerabiles inter Pſeudo-Magiſtellos iniquorum dogmatum, ac proindè celer eſt interitus. Vide Iſidorum Hiſpalenſem.

*Priora Moſaica Virgæ portenta, vt pote externa, neglexerat Pharao: Sed vbi Ranæ in penetralibus Regum ipſorum ebullière; Domeſticis Hoſtibus victus emollitur Ægyptius Monarcha.*

Lyra.

Geneſ. 11. 7.

*Obortâ, ex linguarũ confuſione, inter Turris Babylonicæ opifices diſcordiâ, cõcepti ædificij moles ſuperba ſtatim diruitur.*

Lyra.

---

*Quàm formidoloſum, ſub Deo Iudice vitæ humanæ examinari momenta! Mariæ auxilium tunc.*

## Sectio IV.

68. PVlchram ſe Sponſa dixerat, neque mediocriter formoſam quidem, ſed ſicut Pelles Salomonis; Eadem progreſſu Epithalamij reliquas Heroïnas ſuperare dicitur, quantùm lilia ſpinas vincunt: & ne quid deſideretur ad conſummatam gloriam, tandem Tota decens proclamatur, & abſque macula: Quam igitur tam excellens commendat pulchritudo, quî fit vt Nigra vocari poſſit? ſed attende, non fuſcam ſe agnoſcere abſolutè, verùm in conſpectu Creatoris; quia (inquit) *decolorauit me Sol.* O diuini intuitus vim! ô examinis potentiam! Quæ tam formoſa apparebat: in qua nullus cernebatur næuus, coram Deo apparens, obtenebratur quodammodò, & fatiſcit Candor antiquus. Bernardus ſub finem ſermonis 28. in Cantica: *Decolorauit me ſol, ſui nimirum comparatione ſplendoris, dum appropians illi, & ex eo me obſcuram deprehendo, nigram inuenio, fœdam deſpicio: cæterùm aliàs quidem formoſa ſum: quid fuſcam dicitis ſolius Solis pulchritudini ſuccumbentem?* Quod Protoplaſto creato finxerit Deus adiutorium ſimile illi, Euam nimirum ex Patribus multi ſæpè ad Chriſtum & Virginem Beatam referunt: ſed quæ Typi proprietas? nam comparatione Adæ rectè quidem Eua adiutorium, cùm non ex ſolo virili ſexu propagandum eſſet genus humanum; Chriſtus autem ad idem genus hominum reparandum, reconciliandúmque Deo, Virginis non egebat miniſterio; quando nec pura Creatura ſatisfacere poſſit Numini pro delictis Mortalium, atque vt poſſit, alterius coniunctionem ad ſatisfaciendum Chriſti ſuperabundans Meritum non requirebat: quare Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Sed Ieſus non egebat adiutore ad omnium Redemptionem, qui dixit: factus ſum ſicut homo ſine Adiutorio inter mortuos liber: Suſcepit quidem Matris affectum, ſed non quæſiuit hominis auxilium:* igitur non eſt quod congruenter dicere valeamus, in Chriſti adiutorium Mariam formatam: Verùm perpende Chriſtum non ſolùm hominem eſſe, ſed Deum quoque: hoc ſciens Creatura, fugeret à conſpectu eius, tremendum enim fragilem & luteam teſtam ad Deum appropinquare: quò igitur eius Solis ardores ſufferre poſſit, à quo vel ſe, & formoſiſſimam quanquam, Sponſa, decoloratam aſſirmat, atque combuſtam; Maria velut nubes interponenda erat; igitur ſi non Chriſto opportunum Virginis adiutorium, quæ tamen multis modis cum filio cooperabatur: nobis tamen planè neceſſarium, ne, ſi abſque hoc vmbraculo, Diuinitatis conſumeremur vehementioribus radiis: Bernardus exordio Sermonis de verbis Apocalypſis: *Sic nimirum, prudentiſſimus, & clementiſſimus Artifex quod quaſſatum fuerat, non confregit, ſed vtiliùs omnino refecit; vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, Euam transfunderet in Mariam: & quidem ſufficere poterat Chriſtus, ſiquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt; ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum: fidelis planè & potens Mediator Dei, & hominum Homo Chriſtus Ieſus: ſed diuinam in eo reuerentur homines Maieſtatem: Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, ſic pereat ipſe à facie Dei: iam itaque, ne ipſa mulier benedicta in mulieribus videbitur otioſa: inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione: opus eſt enim Mediatore ad Mediatorem illum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria: Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? nihil auſterum in ea, nihil terribile, tota ſuauis eſt,* &c.

*Quæ tamen formoſa eſt, & tota pulchra; ipſa coram Sole Iuſtiæ nigreſcit & decolorata Sponſa.*

Bernard.

Ambroſ.

*Factum eſt Chriſto adiutorium ſimile ſibi, Maria nempe, quæ velut Nubes reſcida, ardentiores, fulgentioréſque Solis Chriſti radios nobis attemperat.*

Bernard.

69. Quid maris tumore ſuperbius? Quid eius conſtantiâ fortius? audet contra pecora, contra homines, contra Prouincias integras, quas nationali diluuio aliquando abſorpſit: vallatur altiſſimis

mis ſcopulis, cum quibus irrequieta gerit bella: non timet duritiem, non molem, non ſaxa ingentia: Vis tamen hanc tam ſtrenuam, tam temerariam belluam trepidantem cernere? comitare Hebræorum Ducem Ioſuam cap.4. verſ.7. *Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cùm tranſiret eum:* Inſultat fugientibus lymphis Dauid, miratus conterreri Pſalm. 123. verſ. 5. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Quis tantum metum audaciſſimo impreſſit Elemento? nimirum Arca Domini pertranſibat: Heu! aliud eſt concertare cum hominibus, cum Leone & Tigride, cum ingentium ſcopulorum immanitate, atque Dei vultibus obiici: illi, illi ſoliti fluctus armatas Prouincias contemnere, Nemora cum ferarum crudeliſſimis ſorbêre, cum Acroceraunеis Rupibus dimicare pertinaciter, modò ad Creatoris conſpectum trementes & hæſitabundi latebras venantur. O diem illum, Mortales! cùm ante Tribunal magnum valentiſſimi Imperatores, ad quorum nomẽ Orbis ſtupebat terrarum, pauitabunt, & dicent montibus, operite nos. Sed quoniam Mariam in opem peccatoris Chriſto adiunctam numero antecedenti oſtendimus, ne miſellus deſperet ob maris trepidationem, videat & idem mare firmum conſiſtere ante præſentiam totius Trinitatis: quippè, cùm in Iordane lauaretur Chriſtus, aderat in ipſo Verbum, ſub Columbæ figura viſus eſt Spiritus ſanctus, & Pater voce intonuit: Quamobrem non & tum Iordanis fugerunt latices? Scilicet, Diuinitati copulata erat de Mariæ ſubſtantia formata Caro: hæc intercedebat pro mari, quo ſignificabatur Peccator, hæc Diuinitatis non ferendam Máieſtatem temperabat, vt ſufferri abſque fuga poſſet: propterea Iordanis requieſcebant vndæ: Cyrillus Ieroſolymitanus Cathech.12. *Ante Carnis aſſumptionem, Mare vidit, & fugit, Iordanus eſt conuerſus retrorſum: aſſumpſit corpus Dominus, vt mare videns ſuſtineret, & Iordanus ſine timore illum ſuſciperet.*

Ioſ.4.7.

Pſal.123.5. *Et Iordanis & Maris tumidi fluctus coram Arca Domini trementes deſiciunt: firmantur tamen poſtea coram tota Trinitate, vbi adeſt de Maria ſubſtantia formata Chriſti caro.*

Cyrill.Ieroſ.

70. Apparuit Moyſi in Rubo Dominus, & cùm vt diſtinctiùs contemplaretur, propiùs accederet, terruit clamantis vox, inquiens: *Ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. cap. 3. verſ. 5. Quid ſignificatum calceamentis, quæ exuere iubetur! Alij ſanè adumbrata peccata lethifera exiſtimant, idcircò, quod ex pellibus mortuorum, pedum illa fiant integumenta: Alij non ſolùm graues indicari expiandas culpas, ſed omnem qualemcumque Carnis deponendum affectum: bene vtrumque, & dignum ſanè, vt qui Deum conſpecturus ſit, omni abundet iuſtitiâ: At quidem Moyſes calceamenta reiecerat vir eximius factus, & virtutum ſtudioſus Cultor, quamobrem non admiſſus Numinis ad familiaritatem? iubetur etiam hoc perpetrato mandato procul ſtare, dicunt enim ei: *Ne appropies huc.* Aſſeras, ibi Deum Iudicis functum munere: Moyſen verò, licet ſibi nullius piaculi conſcius eſſet, veritum tamen iudiciariam poteſtatem: Verùm conſidera, quanquam Iudicem repræſentarit, ſed plenam miſericordiâ Actionem fuiſſe: percipe à Theodoto, cuius ſermones Acta Concilij Epheſini comitantur, hom.1. de Natiuitate: *Quare Rubus accenditur, ignis conſpicitur, & tamen quæ ignis natura fert, non operatur? illuminat, non conſumit, abſtergit, non incendit, beneficium impendit, pœnam non adfert: Nonne illius, qui ad nos venit, charitatem, humanitatémque in igne contuêris? Iudex inter Reos demoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur: Iudex præſto eſt, non iudicaturus, ſed iuſtificaturus:* Quid hac Iudicij formâ mitius eſſe valeat, in qua nihil metuendum, aut terrificum; vniuerſa blandiuntur? & tamen quia iudicium eſt, talis, tantúſque vir, qualis Moyſes, poſt exuta Calceamenta, hoc eſt, omnes Carnales affectus, adhuc contremiſcit, & pauet non auſus propè accedere, ſed à longè ſtans more Publicani.

Exod.3.5. *Moyſes ante Rubum ardentem, i. Deũ Iudicem ſed mitem tamẽ, etiam poſitis calceamentis, i. carnali omni affectu, cõtremiſcit, nec audet propiùs accedere.*

Theodot. in Concil. Epheſ.

Paulus, vt dignè mundati ad Chriſti ſanctiſſima Altaria eius de corpore participaturi accederent fideles, efficaciſſimum conſiderationi ſuppeditauit inſtrumentum: quale illud? *Quotieſcumque enim* (inquit) *manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis; mortem Domini annunciabitis donec veniat,* Corinth.1. cap.11. verſ.26. cuiuſnam meminit aduentus Apoſtolus? nouiſſimi, quando tubâ & in iuſſu Archangeli excitabuntur ad Comitia generalia omnes Mortales: ita Bruno Carthuſianus, Anſelmus, & Paſchaſius Rabderus lib.12. in Matth. *Donec veniat, inquit, non Mors, quæ annunciatur in hac immolatione, ſed ipſe vt veniat ad iudicium, quando vltrà non erunt hæc myſtica Sacramenta in fide, ſed ipſa veritas.* Volebat Doctor gentium exquiſitâ quadam nitelâ refulgêre Chriſtianas mentes cùm Dominicum manducarent corpus: hanc vt conſequerentur, nihil commodius arbitrabatur, quàm ſi præmitterent Iudicis Chriſti Meditationem: nam attenta Iudicij Recordatio, etiam eos, qui ſecundum exactas quaſdam iuſtitiæ Regulas, vitam ordinabant, horrere facit, & vel de ipſa ſua iuſtitia metuere: Sciunt enim cauſam agi coram illo, qui vel Hieruſalem ſcrutaturus ſit in lucernis, qui & ipſas iuſtitias iudicaturus ſit, ad cuius vultum contremiſcunt & columnæ cœli: Si igitur ante Euchariſtiam in his ſeriò expendendis occupetur Animus, quibus non ſcopis verretur cordis pauimentum, quando & poſt ſummam diligentiam omnis munditiei, pauor ſit, ne quod nos ſuis abſolutum numeris rebamur, curioſiſſimus Iudex imperfectum reputet? rectè itaque adhortatus eſt Paulus, Iudicij vterentur memoriâ fideles, vt purâ cum mente accederent ad ineffabile conuiuium: de qua Iudicij diſtrictiſſimi forma, vt cùm ſe collegerit Chriſtianus, habeat vberrimum Meditatio pabulum, libet Hildeberti Cænomanenſis Epiſcopi pauca quædam verba ſubiicere, qui epiſtola 15. *Intellige, quæ dico; magnæ memoriæ eſt iſte Creditor noſter: pœnaliter tui oblita es, ſi putes eum oblitum debiti ſui: nihil obliuiſcitur tempore, nihil occupatione; æquè recolit & quod hodie præſtat, & quod heri præſtitit: abeunt dies, & dies, & anni & anni, ſed mille dies, & mille anni ante oculos eius tanquam dies heſterna, quæ præterijt: Numquid ergo non numerabit quantum tibi præſtiterit, qui ſolus numerat arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi? Numquid non diuidet in minutias talenta tua, qui diuiſit aquas ab aquis in ſapientia ſua? fortaſſe autem trahes in ius Creditorem tuum, dum repetit à te commodatum ſuum? intellige, quæ dico: bonus Cauſidicus eſt, qui tecum rationem redditurus eſt: coram Angelis referet, veritati deferet.* 71.

1.Corinth. 11.26.

Bruno. Anſelm. Rabder.

*Iudicij extremi Meditatione ſummã ad Euchariſtiæ Sacramẽtum puritatem, à Corinthijs exigit Paulus.*

Hildebert.

*Iudicis ſummi exacta perſpicacia.*

Moyſi imperauit Deus, vt manum in ſinum mitteret; obtemperauit iuſſis: *Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam inſtar niuis,* Exod.cap.4. verſ.6. qua de cauſa lepræ plaga? Theodoretus quæſtione 10. *Simul etiam legiſlatorem admonuit, ne elatè de ſe ſentiret, ſed per leproſam manum Naturæ ſuæ imbecillitatem agnoſceret.* Quomodo autem hoc ex facto Animi diſceret moderationẽ? Prophera erat, atque norat arcanum latêre ſub illo ſymbolo: quippe per manus, opera deſignantur: Hæc autem opera ſinu condere, vbi mentem plures conſtituũnt, non aliud eſt, quàm ad trutinam & libram reuocare, eiuſque iudicij ideam ſibi proponere, quo incorruptus Arbiter Deus ſeuero examine & commata & apices notabit humanarum actionum. O ſi id faciant vel etiã Moyſi æquales, quàm timidè ſentirent ſuâ de rectitudine, de integritate, de iuſtitia! Sed qualia fuerant huius Legiſlatoris, non dicam progreſſu temporis, cùm Pharaonem flagellauit in mirabilibus, cùm ad Dei admiſſus colloquia intra nebulam, cùm legem publicauit, cùm Hoſtes obtriuit plurimos, ſed ante hanc manus lepram, opera? Annon hic ille, qui vt loquitur Apoſtolus ad Hebræos cap. 11. verſ.25. negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem? Annon qui in deſertum ſeceſſit, vbi inter ouium balatus, agnorúmque in pratis ludos, quos Paſtor obſeruabat, altiſſimæ deliciis Contemplationis Animus Curarum liber, fruebatur iugiter? Annõ, qui ob præclaræ Humilitatis ſtudium, legatione fungi detrectabat? Annon denique paulò antea Virgam in colubrum tranſmutatam, priſtinæ reſtituit formæ? proh quantæ iuſtitiæ, quanti ſtuporis opera hæc omnia? & tamen, poſtquam ſinu abſconduntur, poſtquam ad iudicij reuocantur cenſuram, leproſa quodammodò apparent. O plenam formidinis Rerum imaginem! Sed alia ſunt iudicia Dei, alia Mortalium: Secundũ hanc Ethologiã Stephanus Cantuarienſis in Tilmanni Catena ad cap.Exodi 4. *Vir iuſtus, manum ſuam, id eſt, actionem ſuam debet in ſinum reponere; & à ſinu retrahere; id eſt, in ſecreto cordis actionem ſuam diſcutere; & ſic illa actio, quam priùs exiſtimabat mundam, poſt diſcuſſionem apparebit immunda.* 72.

Exod.4.6.

Theodoret.

*Vel ipſius Moyſis pura manus, cùm in ſinum, i. in conſcientiam, ac Iudicij vltimi recordationem mittitur, leproſa apparet.*

Hebr. 11.25.

Steph. Cant. in Tilman.

73. De venerando illo Simeone, qui meruit Chriſtum vlnis conſtringere, Luc.c.2.v.25. *Et homo iſte iuſtus, & timoratus, & Spiritus ſanctus erat in eo:* rectè ſanè quod iuſtum appellet, cùm in eo Spiritus ſanctus reſideret, qui non hoſpitatur niſi apud mentes Dei imbutas gratiâ, quâ iuſtæ redduntur, ſed cur timoratũ dicit? Quid enim metuat, de quo exploratũ ſit, eum Dei filium adoptiuũ eſſe, cuius Cor Amor tuetur æternus? Verùm, longè diuerſæ cogitationes Sanctorũ, quàm hominum vulgares conceptus: Viri eximij, quò magis in iuſtitia creſcunt, plus timẽt: Nõ enim quantùm profecerint, expendunt, ſed cui ſint redditurí vitæ rationem: Sciunt enim, quia nõ aſtra mũda in cõſpectu eius, & quod virtutes cœlorum commouebuntur, cùm apparuerit ſignũ filij hominis: Deuotiſſimus autẽ ſenex Simeon ætate vrgebatur maturâ ſatis, & cũ mors pulſaret quotidie ad oſtiũ ob annorũ numerũ, recordabatur aſſiduâ ſpeculatione propinqui examinis: Quanquã igitur Spiritus ſãctus erat in eo, nulliq; remorſus Conſcientiã affligebant, Deũ tamen Iudicẽ habiturus, verebatur omnia opera ſua: Galfridus in Catena Tilmanni ad c. 28. Prouerb. paulò aliter declarat, de metu Amiſſionis gratiæ in Animabus puris: *Nunc autem* (ait) *interim time, ſi vis eſſe ſecurus: Simeon iuſtus & timoratus, & Spiritus ſanctus erat in eo: Ne mirêris, quod timuerit iuſtus, & in quo Spiritus ſanctus erat, non enim erat vacuus corã latrone viator; & quomodò non timeret? Theſaurum magnũ habebat in vaſe fictili, & timoratũ fuiſſe mirâris? Tua credo ſecuritas, aut de inopia, aut de ignorantia eſt: aut enim deeſt, quod poſſit auferri, aut deeſſe iam putas, qui poſſit auferre. Time igitur vel ob hoc ipſum, quod te inuenis non timentem.*

Luc.2.25.

*Simeon licet Iuſtus, timoratus tamen dicitur, quia morti vicinus, & imminentis poſt mortem examinis memor.*

Galfrid. apud Tilmann.

De rotis ſtupendæ illius apud Ezechielẽ quadrigæ, c.1.v.18. probatum, corpus fuiſſe illis plenũ oculis in circuitu: ac quanquam de Animalibus Propheta nõ expreſſit, num vndique luminoſa eſſent, Ioannes tamen, in circuitu & intus abũdaſſe oculis affirmat, c.4. Apoc.v.8. nam vtrobique eadẽ delineata Animalia ex Patribus demonſtrat Viegas ſect.12. in præfatum Apocalypſis locũ: Porrò Animalibus denotari beatos Spiritus, etiam ipſa Seraphin atque Cherubin, noſter oſtendit Antonius Fernandez in viſionibus, viſione 13. ſect.4. atque id ſatis conſentaneè ad Magni Areopagitæ Dionyſij iudicium, qui de cœleſti Hierarchia c.6. Cherubin & Seraphin multis oculis illuſtrata depingit, aliíque veterũ Doctorum ex optima claſſe apud Alcazarium Commentario ad v.6. c.4. Apoc. ſect.2. De Rotis autem idem Fernandius ſect. 10. autumat Creaturas Angelis inferiores denotare eas, quæ ad nutũ ſupremi Gubernatoris obſequũtur: Sed eſto, Creaturæ minus nobili (hominẽ aduerto,) opus ſit multitudine oculorum, quoniã in loco caliginoſo verſatur, eſt enim Mundus tenebris ignorantiæ obſitus, atque imprimis idcircò, quod laqueis vniuerſa referta ſint, & cautè neceſſum ſit ambulare, quid Seraphin tantis egeãt facibus? non ab inſidiis timor eis, non ab opacitate: intellige, cum qui Carrucâ illâ vectabatur Iudicem eſſe Chriſtum, cuius adſtabunt ad Tribunal omnes orbis habitatores: Comitiorum verò miniſtri Angeli ſunt: declarat nominatus Fernandez ſect.1. num.3. ſatíſque indicant circumſtans ignis, ſplendor in circuitu, & Nubes magna: ergo, quoniam Iudicem portarẽt, cernè & quàm vigiles ſint Angeli; à tergo, à lateribus, vbique oculorũ radij, ne quid incircumſpectum ſit; ô certè nos ſi iudicij extremi Terror occuparet, quàm redderet videntes! Tunc & nobis in manibus oculi fuiſſent, tunc & in auribus, tunc in dorſo, tunc in pedibus: quin & poſt tantam conſiderationem adhuc ſolliciti eſſemus de die illa, quoniam amara eſt valde: vbi me abſcondam, Ieſu bone, ab irâ tua iuſtiſſima? Quis me recipiet locus? conturbat oſſa memoria teporis vitæ meæ; & recordatio indignationis tuæ ebibit medullam Spiritus mei. 74.

Ezechiel 1.

Apocal.4. Viegas.

Anton. Fernand. Dionyſ. Areop.

Alcazar. *Cherubim circa currum Dei Iudicis adſtantes omnes ſunt oculis pleni, ad diuinæ perſpicaciæ in Iudicio exaggerationem.*

---

*Vera ſanctitas non exhorret, non deſpicit peccatores, ſed eis dulciter compatitur.*

## Sectio V.

Eſto, Sponſa hæc Idololatriæ ſubmerſa fuerit barathro, in omnia nequitiarum tranſcurrerit genera, & ob has antiquæ vitæ ſordes nigra vocari poſſit: Cur tamen veteres abominationes improperant ei filiæ Ieruſalem? Cur ob hoc deſpiciunt, cùm debuiſſent potiùs condolere? Sed priſcum hoc vitium eſt Iudaicæ ſuperbiæ de ſua iuſtitia nimiùm ſemper præſumentis: probè Gregorius Papa hom.34. in Euangelia: *Audiſtis fratres in lectione Euangelica, quia peccatores, & Publicani acceſſerunt ad Redemptorem noſtrum, & non ſolùm ad colloquendum, ſed etiam ad conueſcendum recepti ſunt: quod videntes Phariſæi dedignati ſunt: ex quare colligitur, quia vera iuſtitia compaſſionem habet, falſa verò dedignationem; nam qui de falſa iuſtitia ſuperbire ſolent, cæteros quoſque deſpiciunt, nullâ infirmantibus miſericordiâ condeſcendunt; de quorum profectò numero Phariſæi extiterunt, qui diiudicantes Dominum, quod peccatores ſuſciperet, arenti corde ipſum* 75.

*Sponſam olim Idololatram deſpiciunt filiæ Ieruſalem malè ſuperbæ, cui potiùs debuerant condolere.*

Gregor.

*fontem miſericordiæ reprehendebant:* An talis fortaſſe Paulus? Deliquerant Galatæ, ſidem atque ſponſionem datam melioris vitæ fregerunt: Num lapſos Apoſtolus contempſit? *Filioli* (ait) *mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*, cap. 4. verſ. 19. Certè, quæ nondum prolem enixa eſt fœmina, ſed parturiens eſt adhuc & grauida, ſub mœrore eſt grandi, nam mulier, quæ parit, triſtitiam habet: Parturientium igitur doloribus ſimilis, inconſolabilis Apoſtoli afflictio: perpende autem verborum emphaſim: *Donec* (inquit) *formetur Chriſtus in vobis:* Animam Chriſtus quando intrat, deletur peccatum, non enim coinquinatam Mentem adit: Paulus igitur dolens quoad formetur Chriſtus in Anima, tum vnicè contriſtatur, cùm ſub peccati iugo homo eſt, nam poſtquam Chriſtus formatur in cordibus, iam lætitiæ inenarrabilis occaſio eſt: quicumque igitur Apoſtolico ſpiritu pleniſſimè imbutus eſt, ſicut Doctor gentium, non ille peccatores ſpernit, non auerſatur torgidè; ſed luctu, & doloribus conſumitur, quoad videat Chriſtum efformari in eis: Chryſoſtomus tom. 1. hom. 1. de Pœnit. in illa verba ad Galatas: *Currebatis benè, &c. Vides, quantis in rebus illos excelluiſſe dicat! audi delicta: nunc Carne, inquit, conſummamini: Quid poſt iſta infert, vt locum det innouationi: filioli mei, inquit, quos iterum parturio: ſemel illos genuerat: at qui ſemel genuerat, non detrectat eos denuò ad ſalutem gignere.*

Galat. 4. 19.

*Mœror Pauli pro lapſis Galatis.*

Chryſoſt.

76. Aliquos è morte ad vitam reuocauit Chriſtus, Archiſynagogi filiam, Marc. cap. 5. Viduæ gnatum Luc. c. 7. non tum obnubilauit ſacri vultus lætitiam, non infremuit, non lachrymis humectauit genas decoras: in Lazari reſeruantur funus talia oſtentamenta, Ioan. c. 11. v. 33. qua de cauſa? Num quod Amicus Chriſti, quod hoſpitio excipere ſolitus? Sanè Caietanus propterea infremuiſſe arbitratur, vt ſignificaret, opus quod aggrediebatur plurimæ eſſe difficultatis, cùm iam defunctus ob quatridui moras fœteret: *Ecce* (ait ille) *fremendo inquirit de loco ſuſcitandi mortui, vt intelligamus ipſum fremere ad tam arduum opus reſuſcitandi Lazarum ſepultum:* verùm ſi de morte Carnis intelligẽda hæc ſint, leuia ſunt, neque enim difficilius Seruatori luci iterum reſtituere recens emortuos, quàm qui diu in ſepulchris iacuerint, vtrumque facturus, ſi quando conueniens, abſque moleſtia omni: alia igitur in Lazaro conſideranda Mors, ſpiritalis quidem, & Animam ipſam enecans ferali vulnere; peccatum videlicet: Quia autem ob fœtorem iuxta Patrum vulgatam cogitationem, Lazarus non qualeſcumque denotat Peccatores, ſed qui computruerunt in ſtercore ſuo, qui ad malitiæ ſummum peruenêre gradum; rectè ſanè, quòd fremitu indicarit Chriſtus, difficillimam eſſe talium Reſurrectionem ad gratiæ ſtatum, nam verè perardua eſt: Quid igitur, num indignatus eſt Redemptor ad tantæ nequitiæ ſpectaculum? Num, apage, dixit fœtenti? Num aſpernatus eſt ob tantam ſcelerum enormitatem? imò certè condoluit, quapropter & lacrymatus eſt, vt quem intus conceperat mœrorem Animi, exteriùs oborti fletùs teſtarentur: ob hoc & turbaſſe ſeipſum narratur ab Euangeliſta: *Turbari autem voluit* (inquit nominatus Cardinalis à Vio) *quia Triſtitia in turbatione cõſiſtit; ex hoc enim, quod delectatio quies eſt Animi; patet, quòd Triſtitia, inquietudo, quæ in turbatione conſiſtit, eſt animi:* Cæterùm, quod in ſuſcitandis aliis mortuis paria mœroris documenta non exhibuerit; culpæ, quam repreſentabant, fecit minor peſtis: Chriſtus enim atque eius imitatores pro delictorum acerbitate, plus, minúſve compatiuntur, cùm tamen nulla ſit infirmitas Animi, quæ ad compatiendum eos non moueat; Quamobrem egregiè Petrus Rauennas illum Chriſti mœrorem in Lazari caſu, ad omnes extendit peccatores, vt qui pro omnium lapſu ingemuerit, atque è peccati tumba erigi cunctos vellet: *Fremit ſpiritu* (ait ſerm. 64.) *& totâ ſe viſcerum commotione conturbat, qui adhuc ſolum Lazarum, & non iam omnes mortuos ſuſcitabat.*

*Lazari peccatoris à vitijs fœtidi ſymbolum, ſuſcitaturus, præ compaſſione gemit, triſtatur, turbat ſe Chriſtus.*

Caietan.

Chryſolog.

Chriſto reſurgente à mortuis, de Angelorum cohortibus Iuuenis coopertus ſtolâ candidâ, eius vtrique nomine per mulieres internuncias, ſalutem impertit Apoſtolis: percipe verò ipſius phraſis modum: *Ite, dicite Diſcipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis*, Marc. c. 16. v. 7. quare ſpeciatim nominatus, atque expreſſus Petrus? ſi honoris, ſi gratiæ causâ, nulli minùs debitum: Nam vt vacillarint aliquid Commilitones, cùm derelicto Præceptore, fugam capeſſerunt, ſed quid eorum timor cum Petri trinâ comparatus negatione? quin videbatur ex ſalutatione delẽdus ob culpæ atrocitatem. Equidẽ triſtabatur beata illa Diſcentium Chriſti manus optimi Magiſtri recordatione, & ſuppudebat eos, quòd non animoſos ſe oſtenderint ſub Paſſionis articulo, cùm fugam ſint meditati: ſed vt hæc fuerunt admodum leuia reſpectu ſceleris eius, quod à Petro cõmiſſum eſt; ita illorum triſtitiæ cum Petri mœroribus comparatæ, nullius erant grauedinis: Iam verò Chriſtus ob offenſas non inſultat, non aſpernatur ſontem Animam, ſed condolet languori, & pro Morbi qualitate, maior, minórve eſt cõpaſſio: Quia igitur Simon Petrus atrociùs prænaricatus eſt, quia plus ægrotauerat; ideò impertit ſalutem nominatim, ideò ſingulariter exprimit: *Negauerat Petrus Ieſum* (ait Caietanus) *& propterea Angelus neminem nominat niſi Petrum; tum, vt magnam Dei erga peccatores gratiam commendet: tum, vt Petrum auditâ ex ore mulierum Angelicâ voce, animæquior fiat.* 77.

Marc. 16. 7.

*Diſcipulos in Paſſione ſua vel infidos, vel ignauos non aſpernatur poſt Reſurrectionem Saluator, ſed eos per Angelum ſolatur, Petrum maximè, qui cæteris atrocius deliquerat.*

Caietan.

Quàm multa in filium diſſipatorem Pater ſuauiſſimus contulit beneficia? accurrit peregrè venienti, deoſculatus eſt eum, veſtiuit ſtolâ primâ, dedit annulum in manũ eius, calceamenta in pedum & munimen, & ornatum, occidit vitulũ ſaginatum, perſtrepuit Muſicâ domus: quid in his optatius? quid maioris gratiæ? proculdubio oſculũ: & idcirco cæteris omiſſis donis, in vnius oſculi ambitum noſtri anhelat Carminis Sponſa, ſtatim ſub ingreſſu vociferans ad Dilectum: *Oſculetur me oſculo oris ſui?* aliis, quæ velit, diſtribuat munera: meæ diuitiæ, mea omnis voluptas oſculum oris: Quando autem filium oſculo impertiuit genitor? certè fuit primum in muneribus, nam intra domum Amictus & Conuiuium: antequam verò lares intraret, *Cùm adhuc longè eſſe, vidit illum Pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Luc. c. 15. v. 20. Atqui mos eſt potiora dona in finem reſeruare, tum enim calet Amor magis, & beneficentior eſt: ita & hominũ Redẽptor Chriſtus, quòd in beneficiis optimum habuit, ſub exitu dierum, Euchariſtiam inſtituit: Quare ergo & oſculum non Pater nouiſſimo reſeruauit fauori? Animaduerte, vt Textus innuebat Euangeliſtæ, tunc parentem filium deoſculatum fuiſſe, *cùm adhuc longe eſſet*, Quiſnam ille ſtatus Rerum? Chryſologus ſerm. 3. de duobus filiis *Surgens venit ad Patrem ſuum: cùm autem longè eſſet: Quomodo longè eſt is, qui venit? quia nondum peruenit: iſte qui venit, venit ad pœnitentiam, ſed nondum peruenit ad gratiam:* 78.

Luc. 15. 20.

*Reuertenti Prodigo õnia ſynceri amoris ſigna exhibet pius Pater, oſculũmque cùm etiam adhuc longè eſſet, impertit, primũ, maximũque beneuolentiæ indicium.*

Chryſolog.





*venit ad domum Patris, ſed nondum peruenit ad gloriam priſtini, vel habitus, vel honoris:* igitur denotat peccatorẽ fuiſſe tum cùm longè aberat: vt itaque Deus innuat non eſſe aſpernandos ſuperbè, aut crudeliter peccatores, ſed eis eſſe compatiendum, potioribus externi Amoris filiũ proſequitur notis, plúſque ei blanditur, cùm à longè eſſet, ſcilicet in delictis adhuc, quàm cùm domo receptus inter iuſtos numeraretur, adeò non inhonorauit, non contempſit, non calcibus proiecit foras: *Sic Pater iudicat*, (eleganter eodem ſermone declamat Chryſologus) *ſic emendat, ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella: Rogo, quis hic deſperationis locus? niſi fortè timetur occurſus, terret oſculum, turbat amplexus: & capere ad vindictam, non recipere ad veniam Pater creditur, cùm filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis?*

Chryſolog.

79. Terribilis aduersùm peccatores excellens Propheta Elias, famem ſuper Iſraël induxit in ſcelerum vindictam: tandem & ipſe coactus communis plagæ experiri aliquid. Vt quid Domine & Vatem flagellas? tabeſcant egeſtate qui præuaricati ſunt populi; iuſtus in abundantia ſit: Sed Numinis piiſſima viſcera non potuerunt non condolêre peccatoribus. Quoniam autem non niſi ad ſerui orationem pluuiam ſitientibus aruis immittere decreuerat, quò compateretur delinquentibus, & imbres exoraret, paſſus eſt vt & fame tangeretur: Chryſoſt. tom. 1. ſerm. de Elia: *Et quid facit? Prophetam vnà cum populo punit, vt dum etiam ipſe famis ſupplicio comprehenditur; aliquid Miſericordiæ in relaxando ſententiæ ſuæ iuramento addiſcat:* Verùm, quòd eadem Homiliâ, eius de Raptu ſubdit, ingenioſum admodum eſt: *Quia peccatores* (introducit alloquentem Deum) *ob zeli nimietatem ferre non potes; aſcende quaſi in cœlum: nam ſi diu tibi manendũ in terris, propediem humanum genus, quod à te omnino plectitur, aboleretur; tranſi in cœlos: impeccabiles Contuberniones poſthæc habiturus es:* Concinnè quidem, quod vitâ non eſt functus ſanctus Propheta, ac proinde nec eius Reliquiæ apud Homines manſerint, ſed totus, totus in locum placidæ quietis Deo notum, raptatus ſit: Verùm, quid ſi eius oſſa & ſacri pulueres apud homines manerent? Sanè cõſuetum id eſt Reliquiis ſanctorum, vt quibus in vita claruêre prodigiis quorum illa ſunt beata pignora, eadem poſt obitum emineant poteſtate, atque ita alius in arreptitiis liberandis celebris eſt, alius in morborũ corporis curandorum gratiâ, alius in ſuſcitatione mortuorum, alius etiã in vlciſcẽdis Dei iniuriis: ac cùm in hoc vltimo præſtaret Elias, quoniam zelus Domini viſcera eius depaſcebatur, perſiſteret in eodem zelo vel poſt mortẽ, eiúſque ad buſtum penderent Malefacientes iuſta ſcelerum ſupplicia: Deus igitur volens & optimi Prophetæ zelum magnificentiori aliquo condecorare honore, & ſimul miſeris prouidêre peccatoribus, quibus compatiebatur, ſeruum benè merentem ex hominum tranſcripſit conſortio, quo neque viuo, neque extincto vſque in fines ſæculorum potirentur, & ideò nec Reliquiæ apud homines manſiſſe videantur.

*Eliam ſeueriſſimum, nimióque zelo in peccatores terribilem ex hoc mundo tollit Deus, ne ſi diutiùs manſiſſet, ſtrages neſcio quas in terris in puniendis peccatoribus ederet.*

Chryſoſtom.

*Varia è Sanctorum Reliquijs curationum genera.*

80. Eſt tamen, cùm zelus contra peccatores, nimiã parit indignationem, cuius vehementiſſimi ſpiritus Deus nullo modo eſt Author, ſed animi latens aliquis morbus, vt ſuperbia quædam ſecreta, aut affectatio nominis, aut gloriæ in hominum oculis ob reformandi ſtudium, vel quod ſecum ipſis rigidi & auſteri nonnulli cùm ſint, ex ſuo metiuntur genio aliorum debilitatem, aut quia demum Naturæ quadã procliuitate crudeles ſunt: Quicquid id demum vitij eſt, cùm ob huiuſmodi cauſas laxantur habenæ tyrannidi potiùs quàm vero zelo, & proculcantur miſeri peccatores, deſpectuíque habentur abſque vlla humanæ fragilitatis conſideratione; Dei iuſto conſilio accidit, vt huiuſcemodi indiſcretiſſimi Reformatores, ſi tamen tales dicendi, ac non magis ciuiles humani generis inimici, in multò fœdiora prolabãtur ſcelera, vt proprio edocti experimento norint ſemet homines eſſe, & mitiùs agendum eſſe cum delinquentibus, cùm Deus non velit mortẽ peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat: itaque puniendi illi quidem, ſed in ipſa vindicta reluceat dolor, & cõpaſſio: nam neque ab vlciſcendis hominum ſceleribus Deus abſtinuit, cùm diluuio orbẽ purgauit & tamen *tactus dolore cordis intrinſecus*, aiebat: *delebo hominem, quem creaui, à facie terræ.* Geneſ. c. 6. v. 7. Sed eius, quod proponebamus, videamus fundamenta: Violatâ à Sichem Dinâ Iacob filiâ, Patriarchæ ſtomachati ſunt fratres, & duces Leui atque Simeonem imitati, ſæuiſſimâ ſtrage iniuriã compenſauêre: non rectè, quod tanto de ſcelere vindictã ſumpsêre? numquid enim conniuendũ ad ſororis opprobriũ? deteſtatur tamen Iacob irã gnatorũ, & vide, vt exceſſum ſupplicij notet: *quia in furore ſuo* (inquit) *occiderunt virum.* Geneſ. c. 49. v. 6. delicta quidẽ plectenda, ſed nõ furore Animi, verùm cũ Tranquillitate, & ſenſu doloris in Iudice, eò quòd neceſſum ſit rigidioribus vti modis: *Maledictus* (addit) *furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura:* hic alius næuus, viſcera omnino crudelia habêre, nullâ tangi humanitate, nullius acquieſcere monitis, ſuo tantũ ferri iudicio: Quid itaque his tã ſeueris vltoribus contingit, quos neque miſeri Adoleſcentis preces mouerunt, non oblata munera, & reſarcita coniugio pudoris læſio, nõ proteſtatio nouæ Religionis per Circũciſionẽ? certè Ruben Patris fœdauit thalamum, alij fratrẽ egregię indolis Ephebũ Ioſephũ, vendidêre Iſmaëlitis Negotiatoribus cuius enormiſſimę impietatis Coryphæi ex Hebræorum ſentẽtia apud Toſtatũ q. 1. in Gen. c. 49. & apud Caietanũ, Simeõ atque Leui, qui nominatæ vindictæ ſigniferi extitêre: quæratur modò ab eis, nũ ita ſecum actum cuperent à Ioſepho ſummã poteſtatem obtinente inter Ægyptios, atque cũ Sichimitis illi fecerunt? Sed ideò præſeruatus Ioſeph, ne laberetur, quoniam ſciebat compati, & iudicium cum miſericordia facere: illi in deteriora peccata cadere permiſſi, vt noſſent condolêre: Lippomanus ad c. 34. Geneſis: *Filij Iacob acerrimi quidem inſiſtebant, ſed non ſine Dei offenſa; quam caſus maioris Criminis poſtea vindicauit, cùm eorum maior Patris cubile fœdauerat longè turpiori ſcelere, quàm Dina: Sinit enim iuſtitia Dei tam zeloſos in aliena peccata vindices, turpiùs nonnunquam peccare.*

*Zelus in peccatores ſæpe iram, ſuperbiam, crudelitatem redolet.*

*Zelatores illi ſæpe in fœdiora labãtur ſcelera iuſtè Deo id permittente.*

*Etiam Deus dolore cordis tangitur, cùm punit.*

Geneſ. 6. 7.

Geneſ. 49. 6.

Toſtat.

Caietan.

*Simeon & Leui zelatores ſæui in turpiora prolabuntur ſcelera: Ioſeph qui compati ſciebat, præſeruatur Innocens.*

Lippoman.

Aſſeras, laudatũ zelũ Simeonis & Leui, Iudith c. 9. v. 3. nã ipſum Deũ dediſſe eis gladiũ ſcribitur, eiúſque zelo accenſos: Reſpondet Nicolaus de Lyra: *Dicendum* (ait) *quod in facto illo, duo fuerunt, ſcilicet zelus vlciſcendi ſtuprum; & illud fuit licitum & iuſtum, quia non habebant iudicem, qui vellet factum punire, cuius author erat Princeps Ciuitatis, & populus eius fautor: & ſic loquitur hîc Iudith: Aliud, quod fuit ibi, fuit modus vlciſcendi, qui fuit proditorius & malus:* Reſoluunt ſimiliter Pererius in caput 49. Geneſ. num. 29. Serarius in c. 9. Iudith, quæſtiuncula 1. Sanchez num. 2. Non igitur negamus zelum ex obiecto conſideratum ſæpe commendabilem eſſe, ſed modus zeli diligentiſſimè cauendus eſt; nam hinc oriuntur paſſim infinita 81.

Lyra.

Perer.

Serar.

Sanchez.

*Ex incauto Zelo infinita ſcandala.*

ſcandala, maximè ſi contingat talem eſſe, qualis horum fratrum Zelus, qui furibundus, qui durus & pertinax extitit, tum ſanè omnia humana, diuináque peſſundant: Heu iudiciorum diuinorum arcana! & adhuc in tanta confuſione rerum, obſequium ſe præſtare Deo arbitrantur! verùm, quod de Peccatorum commiſeratione aſſirmabamus; ſunt qui exiſtiment, idcirco Dei permiſſu Apoſtolorum verticem Petrum deformi negatione in Magiſtrum peccaſſe, quod præferuidioris eſſet naturæ, & cohiberi tantam vehemētiam in eo maximè oportebat, cui ligandi, atque ſoluendi facultas conceſſa, cuius vultum peccatores deprecaturi erãt: Leo primus ſerm. 9. de Paſſione Domini: *Beatus Apoſtolus Petrus, cuius fides eâ deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus eſſet, & commori, Ancillâ Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum Negationis incurrit: ob hoc, ſicut apparet, hæſitare permiſſus, vt in Eccleſiæ Principe remedium Pœnitentiæ concederetur.*

*D. Petrus Chriſtum negare permittitur, vt inde feruidior, eius natura reprimatur.*

Leo.

82. Sancti autem viri ſic Proximorũ delictis compatiuntur, vt non ſolùm doleant tum, cùm ſub remedio peccatores adhuc, ſed quibus nulla Medicina vtilis eſt in inferno exiſtentibus, ſingultus & lacrymas intimo cum Animi mœrore præſtant. Ex infando illo Dauidis concubitu cum Vriæ Hethæi Coniuge prognatus infans, qui breui exceſſit: & quanquam ante Puſionis obitum contriſtabatur Rex; eo tamen ſublato alacris factus eſt: *Nunc autem quia mortuus eſt* (ait) *quare ieiunem? Numquid potero reuocare eum amplius?* Reg. 2. c. 12. verſ. 23. alium Belli Sors filium eripuit, atque illum ſanè, quo, ne inter declaratos inimicos, alium deteriorem hoſtem genitor expertus eſt: quibus non triſtitiæ iudiciis? quo non clamore proſequutus eſt amiſſam prolem? *Fili mi Abſalon* (vociferabatur dolentiſſimus) *Abſalon fili mi: Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te, Abſalon fili mi, fili mi Abſalon?* Reg. 2. c. 18. v. 33. Quid nunc deplorat, qui negauit infante extincto eſſe lacrymandum? ibi de noua & dilecta vxore primus fructus immaturè decerptus, nec ingemiſcit, nec triſtatur: modò in parricidalis filij nece, habenas laxat ſingultibus, nec eſt qui conſolari cũ valeat: verùm puſio ille Circũciſionis ictu, Originali emaculatus labe ibat ad ſtationẽ Tranquillæ Pacis, & quoniam peccato liberatus proficiſcebatur, Pater non putauit dolendum eſſe: Abſalom autem cum facinoribus plurimis mortuus, æterno pœnarum mancipabatur Carceri: genitor itaque in peccati tantam intuens ſtragem, cruciabatur vehementiſſimè. O virum præclarè ſanctum, qui ne crudeliſſimo Hoſti inſultandum arbitratus eſt; non deſpexit, non aliquid improperauit; cùm ſubuenire non poſſet; quantùm tamen condoleret lachrymarum obortis riuis teſtatus eſt: Ambroſius vtriuſque ſobolis complexus interitum Orat. de obitu Valentiniani Imperat. poſt medium: *Denique Dauid moriturum filium flebat, mortuum non dolebat: flebat, ne ſibi eriperetur, ſed flêre deſiuit ereptum, quem ſciebat eſſe cum Chriſto: ſed, vt ſcias, verum eſſe quod dico, inceſtum Ammon filium fleuit occiſum, parricidam Abſalon doluit interemptum, dicens: Abſalom filius meus, filius meus Abſalom: innocentem filium non putauit eſſe lugendum: quia illos ſibi perijſſe pro ſcelere, hunc pro innocentia credidit eſſe victurum.* Eodem pacto Nicolaus de Lyra ad c. 18. Reg. 2. *plangebat enim mortem eius ſpiritualem, quia mortuus erat in peccato mortali actualiter perſequẽdo Patrem.* Atque huius normæ eſt, quod aduerſus Diuitem epulonem non eſt commotus Abraham, cùm obteſtarètur, vt Lazarũ ad ſe mitteret, qui Aquæ ſtillâ recrearet ardentem linguã? non faciem auertit aut contẽptus, aut indignationis ergò: non obmuteſcere iuſſit, non conuitiis onerauit, ſed miſeratione commotus, quòd tantam cladẽ infauſto, vitæ peperiſsẽt iniquitates, cõpaſſionis voce vſus, filium appellauit, inquiens; *fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua:* Luc. cap. 16. v. 25. Chryſoſtomus hom. 2. de Lazaro: *Vide Philoſophiam: non dixit Inhumane, crudelis, ſceleratiſſime; cùm tam multa commiſeris in hominem, nunc mentionem nobis facis humanitatis, miſericordiæ, veniæ? Non pudet? non erubeſcis? ſed quid dicit? fili recepiſti bona in vita tua, &c. Nam Animæ, inquit, deiectæ non addas perturbationem; ſatis eſt illi Cruciatus ſuus; vt ne illius Calamitatibus inſultemus:* atque his cognata apud eundem Chryſoſtomum hom. 21. in c. 12. ep. ad ad Romanos, vbi perpendit vt contra Iudam proditorem Chriſtus ne verbo exaſperatus ſit, ſed plurimâ cum lenitate admonuit, quòd oſculo, Pacis teſſerâ abuteretur Magiſtrum tradens.

*Neque vel ipſis damnatis lachrymas negant Sancti viri.*

2. Reg. 12. 23.

2. Reg. 18. 33. *Mortuum Abſalonem filium impiũ & reprobum luget Dauid mœrore inconſolabili, qui tamen in alterius ſui Infantuli morte, quem ſaluum ſciebat, non eſt triſtatus.*

Ambroſ.

Lyra.

*Nec in Diuitem Epulonẽ miſerè dãnatum commouetur Abraham, ſed benignè filium etiam compellat.*

Luc. 16. 25.

Chryſoſtom.

*Subditorum næuos, quoad fieri valeat, à bono Antiſtite, eſſe occultandos.*

## SECTIO VI.

83. CErtè hæc Sponſa, vt fuerit quidẽ nigra ſicut Tabernacula, Cedar; ſed eadem tamen pariter formoſa, neque mediocri pulchritudinis gradu, ſed velut pelles Salomonis: Cur de tanto decore nihil filiæ Ieruſalem, ſed in nigredinem impingunt? quod vitioſum eſt, proclamant? quod excellens & venuſtũ eſt, ſubticent? tales ſemper quos liuor exedit mentes, quibus malus incubat genius: cõpoſitus verò Animus, & ſinplicitatis ſtudioſus, quod laude dignũ eſt, præconizat, fœda protegit, ne dignoſcantur: & quidem filiæ Ieruſalem, inuidiâ afflatæ, quod dedecoroſum eſt in Sponſa, ſeu verè aliquid fuerit tale, ſeu ipſæ finxerint, buccinent per forum, atque plateas: Sponſus autem, qui Virginis caput & ſuperior, eò quod Maritus, nunquam toto Epithalamio, niſi in eius prorumpat encomia: ſcit ille, prudẽs vtique Rector, quod verecundiam afferre poſſit, abſcondere: ea prima Dos cõſummati Antiſtitis, & quod incredibiliter commiſſi gregis Reuerentiam, Amorem Beneuolentiam conciliat. De centum ouibus aberrauit vna, per campos vagata, per nemorum opaca, per montium excelſorum iuga: cùm non eſſet Paſtori grex totus vnâ charior erraticâ, quęſiuit in planitie, in ſyluis, in collibus: reperit ſatis amiſſam diligens labor, & humeris impoſuit lætus ſub onere: ſed intuere quibus vtatur verbis Euangeliſta: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem,* &c. Luc. cap. 15. verſ. 4. Ergo Paſtor fuit, cuius negligentia ouis diſperiit: perdidit ille: ecquando irrepſit tanta ſocordia? Nonne huius in opilionis figuram Iacob aſſerebat; die, noctúque, æſtu vrebar, & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis, Geneſ. 31. v. 40. ſub talibus excubiis, quonam more Paſtoris ob vitium ouis perditio? Non perdidit ille, ſanè non perdidit, amabat tamen dulciſſimè, quam per fragoſa quæſiuit ſtudioſè, inuenit felix, reuexit gaudenter; & quoniã diligebat nimiùm, vt honori, & famæ proſpiciat, culpam velet, in ſe transfert Pecudis errorem: ponã ipsã ſententiã noſtri Salmeronis tom. 7. ſuper hac Parabola, n. 8. *Aduerte* (inquit) *quod etſi perdita ſit, non tamen ex negligentia vigilantiſſimi Paſtoris: non enim dormitabit, neque dormiet,* (Pſalm. 120.) *qui cuſtodit Iſraël; ſed ex culpa propria ouis perditio oritur, iuxta illud: Perditio tua Iſraël,* (Oſeæ c. 13.) *tantummodò in me auxilium tuum: & potiùs homo Deum amiſiſſe dici poteſt, cui infinitum eſt damnum: ille autem etſi nos omnes pereamus, nihil perdit: Paſtor tamen hic adeò bonus eſt, vt celet iniquitates ouis, & in ſe eius culpam transferat.*

*In formoſiſſimæ Sponſa etiam nigredinem criminantur filiæ Ieruſalem, hanc tamen Sponſus ſuperior ſuus, totam pulchrã vbique prædicat, occultatis, ſi qui ſunt, defectibus.*

Luc. 15. 4.

*Erraticæ Ouis repertæ culpam in ſe quaſi transfert bonus Paſtor, dicens quod ipſe eam perdiderat.*



84. Vis inſpicere in egregij Antiſtitis exemplar? De Dauide Regum Textus lib. 2. cap. 23. v. 8. *Sedens in Cathedra ſapiẽtiſſimus Princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu:* Lyranus in Morali Explanatione, bonum delineari Prælatum affirmat: Sed quæ vel tanta fortitudo, vt octingentos vno impetu interfecerit; vel tanta imbecillitas, vt vermiculo, quo nihil debilius, comparetur? Scitis, putrefieri à vermibus ligna robuſtiſſima: at mirũ accidit: Trabes inſolitę magnitudinis abſque foramine, abſque ſciſſura aliqua, leuiſſimo onerata pondere in partes diſſecta: quid fuit illud prodigij? intus corrodebat vermis, comedit robur eius, effracta eſt tanta moles abſque vi, abſque impetu: ô nouũ vincendi genus! intus morbi, deforis ſanitas: latebat inimicus, & quanquã viribus exiguus, tamen quoniã in ſecreto operabatur, nõ minora attulit damna, quàm ſi maſculo acta lacerto bipennis finderet: Non ſunt diſſimulanda peccata hominũ, nec æquum, vt impunita triumphet iniquitas: at verò Pręſes vermiculi in morẽ corrodat, & excruciet: intus agantur omnia, niſi ſcandali ratio, vel publicæ aliud expoſtulet bonũ punitionis: proſpiciatur ſubiectorum famæ, obtegatur culpa: Quid? vereatur fortaſſe, ne arma hæc inertia ſint? Sed perpende, quomodo octingentos vno impetu proſtrauit: Quando tam efficaces furor, & indignatio, & clamoſæ voces? Certè & hic Sapientiſſimus Princeps nominatur: meritò ſapiens: Nã alti conſilij inuentũ, quod & peſtẽ auertit, vitia interemit illæſo filiorũ honore: De hac quæ in ſecreto eſt aberrantiũ monitione, atque vt molliſſima cùm eſſe videatur, energię tamen ſit ſtupendæ cuiuſdam ad peruicaces domandos Animos, hunc interpretaſſe locum viſus in Catena Tilmanni Galfridus: *Sicut autem ligneũ robur ſine ferro, & oſſe tenerrimus penetrat vermiculus, & atterit: Sic doctrina ſacra, ſecretâ quadam virtute illabitur ſenſibus Auditorum, & rigida corda conterit; & confringit: quin etiam ſine violentia, & acerbitate tanquam vnctio docens de omnibus; in manſuetudine, & ſuauitate noxia omnia demolitur: Denique inermis iſte vermiculus nõ efficax fuit? Sequitur enim, quod vno impetu interfecerit octingentos; impetu vtique, & vehementiâ eius, quæ nunquam excidit Charitatis.*

2. Reg. 23. 8.

Lyra.

*Imitetur Dauidem Præſul, qui vt latens vermiculus arborẽ exteriùs illæſam & formoſam corrodit intus & deijcit.*

Galfrid. apud Tilmann.

85. Statim ſub primordio orbis, atra Caligo rerũ inuoluebat faciẽ: *nã tenebræ erant ſuper faciẽ abyſſi.* Geneſ. c. 1. v. 2. Non potuit affulgêre lux cũ natiuitate Mũdi? Nõ potuit eũ ſplendoribus exordiri fabricã Creator? Sed rectè, quòd tũ Nox incubaret: erat namque *Terra inanis & vacua,* ſiue vt alij legunt, *deſolata & incompoſita:* bene igitur, quod tenebrę dominẽtur inornato elemento; lucis publicitatẽ non merentur niſi quæ polita ſunt: Quænã verò hęc tã informis gleba, quam inanem & vacuã dicũt? *Sunt peccatores ſuis inuoluti peccatis,* (ait Oleaſter) *vani, inepti ad finem, ad quem creati ſunt, vt nihil in eis appareat, quod gloriæ aptum eſſe videatur: Sunt etiam vacui omnium virtutum, & bonorum, quorũ ſunt capaces: ſunt, inquam, terra informis, & quæ nullis vſibus apta eſſe videatur: Terra, inquam, qualis à principio fuit vana, vacua, aquiſque peccatorum operta:* Cõſidera itaque ſummã benigniſſimi Creatoris humanitatẽ: Videns Animã ob peccata deformem, & incompoſitã, noluit patefacere, occultauit ſollicitè, ideo tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: neque incaſſum ceſſit pia indulgentia, nam tantã bonitatẽ factoris demiráta Terra, illa quondã rudis, atque indigeſta moles, Mens inſigniter peccatrix in tãtam proceſſit amœnitatẽ, vt & in Paradiſum omnium deliciarum verſa ſit. Huiuſmodi olim Terra, Adoleſcens iunior filius, cùm ad Patrẽ reuerteretur: vacua prorſus & inanis, nam diſſipauit omnẽ ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè: cùm adhuc longè eſſet, vidit illũ Pater ipſius, & miſericordiâ motus, & accurrens cecidit ſuper collum eius: cur ceruici inclinat genitor? nudus eſt filius, omni gratiâ, omni virtute, omni honeſtate deſtitutus. Quoad igitur ſerui ſtolam primam producant, annulum afferant, & ſandalia; ne interim gnati appareat nuditas, atque erubeſcat & confundatur, Pater indumentum ſit, brachia diſtendat, & operiat: Chryſologus ſerm. 3. de duobus filiis: *Delicta non videt vis Amoris, & ideò Pater peccata filij redemit oſculo, clauſit amplexu: ne nudaret Pater filij crimina: Pater filium ne fœdaret.*

*Dum Terra eſt inanis & vacua.), deſolata & incõpoſita, Tenebræ ſunt ſuper faciẽ Abyſſi, quas, dũ perfecta eſt, amouet Deus.*

Oleaſter.

*Filij Prodigi nuditatem tegit ipſe ſuo amplexu Pater.*

Chryſolog.

86. Apud Iſaiam Seraphim diuinũ ambiunt ſolium: *Sex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius,* c. 6. v. 2. An Dei? Sic multis placuit: Numinis verò aciẽ omnia penetrantem, num quiſquam, ne etiã abditiſſima intueatur, facere valeat? minimè ædepol: Sed hac tamen demonſtrare rerum figurâ volũt Angeli, quid piè cupiãt, vt ſi fieri poſſit, ſcilicet Dei clauderent oculos: Quem in ſcopũ id conãtur beati Spiritus? nẽpè, eis cura mandata eſt de hominũ ſalute: Quoniã igitur fragilis, & miſera eſt humana Creatura, offendit cœleſtẽ Patrem: Hi autẽ eius tutores quidnam tum? nũ prodeunt ineptias? nũ ſpargunt in populũ? num vociferantur in cœlũ contra iniquã progeniem? certè velant delicta, vt emendẽt; vt quoniã Dei eſt vltionẽ ſumere, religioſo auſu pennas erigunt, vt ſi fieri poſſit, claudi neſcium oculum, ab hominũ conſiderandis ſceleribus auertant: Quemadmodũ nonnunquã in familia contingit, vt filiũ delinquentem Pater ad ſupplicium expoſcat: Subodoratur genitrix, & patrocinatura, aut Thalamo abſcõdit, vel chlamyde obtegit: Hinc igitur eſt, quod Dei vultum Angeli, intermediis pennis celant: Sed nonne hic vultus eſt, in quẽ auidiſſimè deſiderant proſpicere? cuius beatificantur contẽplatione? quonam ergo pacto induci poſſunt huius vt ſibi gaudioſam interdicant ſpeculationẽ? nam ſi interponant pennarum murũ; neceſſum eſt, ſequatur, vt & ipſis quoque ob impedimentũ Dei facies abſcondatur: Atqui hæc, vt fieri poſſent, hominũ gratiâ tolerаſſent, atque eorũ vt Crimina celarẽtur: Numquid enim tã ſublimium ſpirituum charitas Pauli minor affectu? Quid dicebat, vt Iudæi ſalui fierent? *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecũdũ Carnẽ.* Rom. c. 9. v. 3. Itane à Chriſto, Paule, quẽ Animâ plus diligis, qui eſt voluptas & deſiderium tuum? ob quem crucifixus es mũdo, qui vitæ tuæ ſpiraculum eſt, neque enim iam Tu viuis, ſed viuit in te Chriſtus: ab hoc diuelli? Verùm quid nõ charitas: *Optat ergo Paulus* (ait noſter Cornelius hũc exponens doctè locũ ex Patribus) *heroico quodam exceſſu quaſi cæcæ Charitatis, quæ abſtrahit, nec conſiderat, an Res ſit poſſibilis, an ſecundùm Dei ordinationem, necne: vel ſi non abſtrahit, optat ſub tacita conditione, ſi Deus vellet, & ſi fieri poſſit, optat inquam ſibi, anathema, id eſt, æternam ſeparationem, non à Charitate, ſed à Beatitudine,*

Iſai. 6. 2. *Si per impoſſibile Deum aliquid latere poſſet, vellent Cherubini hominũ (quorum curam gerunt) ſcelera tegere, aliiſque ſuis Diuinam faciem, ne ea videret, velare, licet inde Gloriæ diſpendium ipſi paterentur.*

Rom. 9. 3. *Quo ſenſu Paulus cupiat Anathema eſſe pro fratribus.*

A Lapide.

*& gloria futura Chriſto, vt Iudæi ſaluentur:* Quod igitur licuit Apoſtolo exoptaſſe; non licebit Angelis deſiderare, vt ſi hominum id exigat vtilitas, Dei gloriam quodammodò, non quidem ob culpam, ſibi ad tempus denegari cupiant?

87\. Accumbebat ad menſam Ieſus iam tradi proximus cum Diſcipulis, & edentibus illis dixit: *Amen dico vobis, quia vnus veſtrûm me traditurus eſt,* Matth. cap.26. verſ.21.

Matth.26.21.

Quamobrem non diſtinctè Proditorem nominauit? an verebatur, ſi palàm declaraſſet, ab Hoſpitibus dilaniandum, imprimis verò à Simone Petro, & noluit iræ præbere materiam?

Chryſoſtom.

Chryſoſtomus hom.71. in Ioannem: *Fortaſsè enim eum diſcerpſiſſent Apoſtoli, fortaſsè Petrus tunc interemiſſet; ideò nemo recumbentium nouit quis eſſet: numquid & Ioannes? neque ipſe: neque enim putauit diſcipulum in tantam proruptururum iniquitatem:* Sed animaduerte, Domine, vt ab hoc verbo tuo mœror Diſcipulorum repleuit viſcera: *& contriſtati valde* (ſubdit Euangeliſta) *cœperunt ſinguli dicere: Nunquid ego ſum Domine?* Chryſoſtomus hom.82. in Matthæum, quaſi ſemimortuos redditos à Seruatoris voce affirmat: Ad hoc Domine, vocaſti ad epulas, vt non certè extrema gaudij, ſed penè ingreſſum luctus occuparet? Maluit tamen contriſtari chariſſimam ſibi Apoſtolorum manum, quàm perditiſſimi licet, ſubditi enorme flagitium detegere, quoad aliqua manſit ſpes, vt hac compunctus benignitate, in ſe reuerteretur; poſthabuit multorum luctum vnius confuſioni:

*Mauult Chriſtus omnes contriſtari Apoſtolos, quàm vnius obſtinatiſſimi Iudæ ſcelus detegere, poſthabito multorum luctu, vnius confuſioni.*

Chryſoſtom.

bis iam memoratus Chryſoſtomus hom. 1. de Lazaro: *Suſtinuit omnes in angorem induci, ne vulgaret Proditorem, ac manifeſtâ redargutione redderet etiam impudentiorem: Nam vt intelligas, quod illis etiam angorem iniecerint Chriſti dicta, licet ſibi nullius mali conſcijs, audi quomodo quiſque anxius dicat: Num ego ſum Domine:* cuius in Doctoris oratione illa notanda ſpeciatim clauſula: *ac manifeſtâ redargutione redderet etiam impudentiorem:* ſi enim publicæ ſatisfactionis obligatio non compellat, tutiſſimum eſt ſecretis vti remediis: Nam ex manifeſto vituperio ſæpè ſtultiſſimè inferunt, cùm iam de eorum fama, atque honore actum ſit, non eſſe quod in poſterum timidè mali ſint, cùm iacturam fecerint exiſtimationis, qua à peccãdo deterrebantur: quare habenas omni laxant nequitiæ.

88\. Diffamatus, quòd heri bona plurima diſſipaſſet Villicus iniquitatis: *Quid hoc* (ait) *audio de te?* Luc.cap.16. verſ.2.

Luc.16.2.

ſed cùm per huius villici Herum Deus intelligatur, quamobrem audiſſe ſe dicat,

Chryſolog.

*Quaſi non præſcierit,* (inquit Chryſologus ſerm.125.) *quaſi non præuiderit, cui occulta nota ſunt, cuius oculis etiam illa nuda ſunt quæ teguntur?* auditus ex fide & relatione aliorum eſt, non ex viſu; qui non poterat non intueri, cur velut audiſſe tantùm ſe pronunciat? Sanè viderat Numen antè alios omnes? ſed cùm audiſſe innuit, idem eſt ac ſi dicat: Quanquam me non latebant ſcelera tua, ſed quoniam is ſum, qui filiorum culpas celare diligenter ſtudeam, eorum proſpiciens famæ atque ſolatio, ex mè nullus cognouiſſet, & nunc etiamnum intellige, quàm ſegnis & lentus ad credendum: quæ enim explorata habeo, adhuc quaſi in dubium voco: non ipſa manifeſtat loquela? *Quid audio de te?* hoc eſt, num ita Res ſe habet, vt per ora fertur variorum? Tu declara: Ego enim difficilis ſum qui inducar, vt de te ſiniſtrè opiner:

*Quam ipſe viderat Villici diſſipationem, diſſimulat Herus, donec publicus rumor ad eum defert, tuncque non credulus, lentúſque, reum interrogat antequã iudicet.*

Chryſolog.

Petrus Rauennas dicto ſerm. *Cognita velut audita imputat, quia in Reum non vult accelerare ſententiam; & conuictum penès ſe velut accuſatum conuenit, qui iudicium geſtit venia ſic praire:* ſed obſecro, huius plagiarij furta, quàm extitêre publica? *Clamabat* (ait Chryſologus) *Terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam tota ſæculi fama loquebatur:* ſub tantis vocibus quaſi adhuc cunctatur Numen, vt ſi quæ poſſit reperiri excuſatio culparum, inueniatur: ſed quamuis, tanquam ita procraſtinando Antiſtites admonêre voluit, quanta eſſe debeat cura de ſubditorum honore, tamen vbi perſpexit publicè enatum murmur, & totum conqueri populum, ad iudicium atque apertum examen proceſſit: Redde rationem Villicationis tuæ, hoc eſt, inquit Chryſologus: *Iam te apparitio ſuperna conſtringit, iam iudicium vocat.* Idem.

---

*Dei causâ vilem fieri, & conculcari; non pudor eſt, ſed ornamentum præcipuum.*

## Sectio VII.

89\. Fvſcam ſe eſſe non diffitetur Sponſa, ſed à quo proceſſerint tenebræ, monet filias Hieruſalem aduertere; Quia *decolorauit me Sol* ait: Ego nouiſſima fœminarum, ego omnium peripſema, ego tribulata atque afflicta à perſequentibus vitam, honorem, ſubſtantiam; ſed cùm Sol iuſtitiæ ita me aduſſerit, cùm eius propter nimiam charitatem ſic vilis ſiam, & contriſtata incedam die ac nocte, nolite ob hoc contemnere me:

*Gloriatur Sponſa ſe pro Chriſto nigram eſſe, ab afflictionibus, à contumelijs, à perſecutionibus.*

Bernard.

Bernardus ſerm.28. in Cantica: *Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol: hoc eſt, nolite me notare quaſi deformem, quia cernitis pro ingruente Perſecutione minùs florentem, minùs ſecundum gloriam ſæculi decoloratam: Quid exprobratis nigredinem, quam feruor Perſecutionis, non Conſeruationis pudor inuexit?* quin verò iſtæmet voces Sponſæ gloriantis ſunt: Quemadmodum lætantur filij ſeculi cùm ad ſplendidiora officia promouentur, ob honoris nouum cumulum: ita & hæc gaudet pro Deo affligi, & deſpici, quia illuminatos habens oculos, nouit decus eſſe ſummum, non autem vt mundani arbitrantur vituperium, aut ignominiam: quare idem rurſus Sanctus Abbas ſerm.29. ſub finem:

Idem.

*Erit ergo ſenſus, vt Eccleſia, ſeu ſtudioſa quæuis Anima id loquatur, non quaſi gemens aut conquerens: ſed quaſi gaudens, & gratias agens; inſuper & glorians quod pro nomine, & amore Chriſti, digna ſit fuſca, ſeu decolor eſſe, & dici.* Mordebantur à Serpentibus Iſraëlitæ, & cùm pro illis Moyſes deprecaretur, locutus Dominus ad eum: *fac* (ait) *Serpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet,* Numer. cap.21. verſ.8. Num.21.8.

Qua de cauſa non oſſa Ioſeph Patriarchæ, quæ Moyſes ſecum deferebat, vt ſcriptum Exod.cap.13. verſ.19. iuſſit Numen proponi ægrotantibus, cuius vel aſpectu, vel tactu incolumitatem conſequerentur? Exod.13.1.

Cur non inuocari nomina Patriarcharum cum adiunctione diuinæ Appellationis præcepit, vt ſi Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Iacob inclamarent? Erant Hebræi generatim, qui nihil in pretio haberent, niſi quod faſtum, & magnificentiam aliquam ſuboleret, inde tantus diuitiarum in eis amor, atque omnis externi ſplendoris, vt & Meſſiam temporaliter regnaturum crederent: ſi igitur ob inuocationem Patriarcharum, vel propter eorũ Reliquias ſalus conferenda eſſet, adhæſiſſent tenaciùs conceptæ opinioni, cùm viderent per eos ſanitatem condonari, qui opibus & poteſtate fulſerunt: Quare volens eos Deus ſenſim ad ſubtilioris doctrinæ cognitionẽ perducere, quâ inſtruerentur etiam per rerum contemptarũ inſpectionem, incolumitatem aipiſcendã; mandauit

*Non ab oſſibus Ioſephi neque ab Inuocatione Patriarcharum, ſed à Serpentis effigie ſanitatẽ conſequuntur Hebræi in deſerto; edocti à rebus etiam contemptibilibus ſalutem proficiſci.*



mandauit ignobile effigiari Animal, in quod intuentes à morte liberarentur: Germanus Antiſtes Conſtantinopolitanus Oratione in viuificam Crucem.

German. Conſtantinop.

*Prius quidem ſalus præfigurata fuit in vnigenito filio Abrahæ, in eo qui ex promiſſione, in illo benedicto: & rurſum in Ioſepho, illo formoſo in omnibus: Verùm, quia iſtæ figuræ illuſtres erant, inſigniáque ferebant benedictæ, & beatæ ſtirpis: non contentus fuit hac præſignificatione diuinus ſermo: Sed quia ſciebat Chriſtum cum iniquis reputatum iri, & inter maledictos numerandum propter Crucis ſupplicium; eam ob cauſam adſciſcit quoque effictam ſpeciem ſerpentis, tanquam nigri cuiuſdam coloris, qui maledictis & execrationi obnoxijs proprius eſt; tacitéque per ſerpentem Mundi ſalutem inſinuat:* Quibus in verbis illa noſtra Orationis ſcopo accommodata: *tanquam nigri cuiuſdam coloris:* Voluit indicare quod abiectum eſt, nam hoc atro colore ſignificatum, nos in antecedentibus docuimus: atque innuit à nigris quoque ſanitatem, quâ nihil optabilius in vita humana, proficiſci; vt propterea rectè Sponſa dixerit filiabus Ieruſalem; non ideò contemni eam debere, quòd ſubfuſca, & nigra ſit.

90\. Expendamus legem de iure Primogenituræ ex Deuteron. cap.21. verſ.15. *Si habuerit homo vxores duas, vnam Dilectam, & alteram Odioſam, genuerintque ex eo liberos; & fuerit filius Odioſæ Primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filium Dilectæ facere Primogenitum, & præferre filio Odioſæ:*

Deuteron. 21.15.

Verùm ſupponamus id, quod probat Toſtatus ſub finem Quæſtionis 3. in hoc Deuteronomij caput, licitum fuiſſe Hebræis Odioſam repudiare vxorem:

Toſtat.

*Odioſæ (.j. virtutis) Filius vilis (apud homines,) honoratur, præfertúrque filio Dilectæ .j. voluptatis.*

Cur non & eodem modo permiſſum, vt & geniti ex ea liberi à Primogenitura excluderentur? Deinde & ſecundariæ vxoris liberi, quoniam de Ancilla erant, Primogeniti non cenſebantur, ideò neque Iſmaël quamuis natu maior, Abrahæ Primogenitus, ſed Iſaac; Quamobrem ſicut Concubinarum filij Primogenituræ honoribus non fruebantur, non idem Odioſæ contingebat gnatis? Facilis enodatio eſt iuxta myſticum ſenſum: Aduerte autem priùs, Primogenituram inter Hebræos deſideratiſſimam, non ſolùm ob diuitiarum incrementa, ſed ob multa priuilegia, quæ ſummi erant apud eos honoris, ex quibus ſex enumerat Abulenſis initio Quæſtionis 5. in hunc Deuteronomij Canonem. Iam igitur, quænam hæc coniux odioſa niſi quicquid in virtutibus arduum eſt: Ieiunium, Caſtitas, voluntatis propriæ Abnegatio, Paupertas, Tribulatio, & imprimis Irriſio & deſpectus hominum & ſumma Obliuio pompæ atque magnitudinis? Quàm pauci, Ieſu bone! quibus iſta non diſplicent? Certè vxores odioſæ. O noſcant tamen quicumque ſapere ſtudeant, ab æterno & æquiſſimo Iudice, cùm ſederit in ſede Maieſtatis ſuæ, huius mulieris præferendos liberos. Tum certè, qui nunc per violentiam filium dilectæ, hoc eſt malarum voluptatum Primogenitum faciunt, & in odioſæ prolem ne adſpicere dignantur, videntes, præferri illos ab eo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ; *turbabuntur timore horribili, dicentes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.* Sapientiæ cap.5. verſ.3.

Sap.5.3.

equidem & filij, non vtcumque, ſed Primogeniti, & principes in fratribus ſuis. Vide iam num rectè glorietur Sponſa, quòd nigra & ſubfuſca ſit ob humilitatem, ob patientiam, ob nuditatem, ob famem propter Chriſtum, propter quem mortificatur tota die: Sed non omittenda Petri Damiani Allegoria ſuper duplici coniuge, atque earum liberis lib. 8. epiſt. 9. ad Bonifacium Cauſidicum: *Duæ ſcilicet hominis vxores, Virtus ſunt & Voluptas, liuoris & odij inter ſe inuicem velut quadam Zelotypiâ diſſidentes: & voluptas quidem ad hanc vitam, virtus ad æternam pertinet gloriam: illa planè dilecta eſt, quia virum ſuum, hoc eſt, fragilem cuiuſque Spiritum maleſuadâ iucunditate demulcet: iſta verò dicitur odioſa, quia per arctam, & anguſtam viam homines ire conſtituit, & aſpera ſemper, ac dura proponit: Sed filius odioſæ, nobis Primogenitus eſt; quia virtutem Conditor noſter nobis originaliter indidit: Voluptas verò, & qualibet carnalis illecebra ex vitio noſtræ prauitatis emerſit.* P.Damian.

Quamobrem de Præcurſoris Baptiſtæ infantia tacetur in Euangeliis, non ſic de ætatis Chriſti rudimentis? Num quia Ieſus etſi corpore puſio exiguus ſub vitæ initiis, tamen conſilio & ſcientiâ vir erat? nam in hunc modum, illud Ieremiæ cap.31. verſ.22. *Fœmina circumdabit virum;* expoſnit Bernardus hom.2. ſuper Miſſus eſt, inquiens: 91.

Bernard.

*Baptiſtæ ſiletur Infantia, quia neceſſaria; Chriſti celebrantur cunæ, quòd nempe eò ſe abiectionis volens demiſit Saluator.*

*Vir erat Ieſus necdum etiam natus, ſed ſapientiâ, non ætate; animi vigore, non viribus Corporis; maturitate ſenſuum, non corpulentiâ membrorum: neque enim minùs habuit ſapientiæ Ieſus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus:* Atqui & etiam huius ad ſimilitudinem conſiderationis vir fuit Ioannes, nam antequam prodiret ex vtero materno, per Mariæ Viſitationem, Rationis ſortitus eſt vſum: quare igitur velut ingloria quodammodò eius ſiletur infantia? Sanè quòd Baptiſta vir fuerit, hoc eſt, Rationis compos, & tamen diſſimularit per infantiæ deſpectam repræſentationem, laudem non merebatur, vt Theologicè loquamur, eò quòd infantiæ ætas Ioanni fuit neceſſaria, cùm ſuapte poteſtate, & niſi per Creatoris donum non poſſit non infans apparere: per ea verò quæ neceſſariò geruntur à nobis, laudem quæ præmij inſtar eſt, non aſſequimur: Chriſtus autem quemadmodum à primo Animationis inſtanti, pleniſſimè vir fuit ſecundum Mentis vigorem; ita & corpore vir potuit, & ſpecioſus quidem præ filiis hominum, apparêre: Voluntariè igitur infantiam aſſumpſit, ſcilicet vt genitori complaceret, vt Incarnationis OEconomiam perficeret, vt Angelos in ſtuporem raperet ob tantæ Humilitatis documenta: Eſto igitur, infantem neceſſariò fieri, encomium non promereatur: Sed in eam ſe demittere ruditatis formam, cùm declinare liberum eſſet, egregium atque percelebre eſt: idcirco narratâ Seruatoris infantiâ, de Ioannis tamen non fit ſermo: Hoc Ambroſius lib.2. in Lucam: *Non quenquam mouere debet* (ait) *quod altiori conſilio Ioannis infantiam diximus prætermiſſam, Chriſti verò oportere eſſe deſcriptam: Non enim omnium eſt dicere: factus ſum infirmus infirmis, vt infirmos lucrifaciam:* Nulli quidem tribuitur gloriæ, quod vel inediam, vel famem experiatur, qui ſubſtantiam ſuam diſſipauit cum Meretricibus: non etiam magnum ſit, vt ſi quem ſors natiuitatis ad Mapalis damnauit anguſta ſpatia, is cogatur poſtea vilibus exercitamentis, vitæ quæ ſunt neceſſaria prouidere: At verò, quem neque ſcelera, neque domeſtica Paupertas ad hæc adegerunt extrema; Quid glorioſius, quàm vt ipſe ſponte ſua ad vulgaria deſcendat, neque id ob famæ ambitum, quemadmodum veterum Philoſophorum aliqui; ſed vnius Chriſti amore

Ambroſ.

amore inſtincti ardentiſſimo: ab hoc decolorata Sponſa; ideò, ne contemnant, monet.

92. Cantat de fortunata gleba Dauid Pſalm. 84. *Benedixiſti Domine Terram tuam:* hoc initium Metri: Alij legunt: *Gratioſa fuit tibi Terra, bene voluiſti ei, dilexiſti, approbaſti:* Quænam hæc Terra? de qua primus Adam formatus eſt, an de qua ſecundus, qui eſt Chriſtus? Reſoluat Tutienſis Abbas lib. 1. de Operibus Spiritus ſancti, c. 11. *Hominem illum terrenum cum iſto cœleſti homine conferentes; hoc primùm in factura illius abeſſe perſpicimus; quod Terram ipſam, cuius de limo formaret eum, non benedixit Deus: ecce autem in iſta cœleſtis hominis factura noua Pſalmiſta ſuccinit: Benedixiſti Domine Terram tuam:* At protoplaſtum cùm formaret, cur non benedixit limo de quo effigiandus erat? Certè homo, cui materiam limus ſubminiſtrabat, cuius proinde limus ipſe portio, ad ſplendida, & magnifica producebatur: Si Palatium conſideres, nihil loco voluptatis anguſtius; ſi clientelam, omnia parebant Animantia; ſi imperium, totus ſub vno mundus: Chriſtus autem non ſtatim proceſſit in auras ſicut Adam, ſed ad plures menſes Virginis latuit cubili: ab hoc vt prodiit, non Tyrij murices, non Curiæ excepêre renidentes auro, atque ebore; non aula vagiit ſuperba: in medio Animalium natus eſt in diuerſorio: Vt igitur Deus ſignificet, gratiora ſibi huiuſmodi obſcura rerum initia in quibus refulget Paupertas; quàm honora illa, & ambitionis plena: ideò dicitur non benedixiſſe Terræ, de qua coagmentandus Adam, quæ in tam grandia præparabatur; ſed ei, è qua Chriſti formata ſit Caro, cui naſcenti Comites futuræ erant Humilitas, atque Egeſtas. His affine, quod Pſalm. 143. Beatum dixiſſe populum ferantur quidam; nempè, quod *Promptuaria eorum eſſent plena, eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ:* Sed harum rerum tam profuſi laudatores quinam extitêre? Equidem *filij alieni, quorum os locutum eſt vanitatem:* Ergo & ipſi de ſpuriorum numero; neque enim legitima ſoboles, ſed aliena: quare aliena? quoniam non Dei Filij, ſed ex Diabolo Patre, proinde & maledicti atque ituri in flammas æternas: hi ſunt qui beatificauerunt populum, quòd abundaret frumento & pecore & oleo, quòd ſubſtantiâ huius Mundi afflueret: Sed Dominus in cœlo irridebit eos, quoniam Vanum locutum eſt Cor eorum: Suggerat Auguſtinus ſermone 25. de Verbis Domini: *Cellaria eorum plena, boues eorum craſſæ, &c. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: Sed qui dixerunt? Filij alieni, alienigenæ, & non pertinentes ad ſemen Abrahæ: ipſi dixerunt populum beatum, cui hæc ſunt. Quid dixerunt? quorum os locutum eſt Vanitatem: ergo vanum eſt dicere, Beatos eſſe eos, quibus hæc ſunt; & tamen dicitur ab eis, quorum os locutum eſt Vanitatem: ab ipſis dicuntur iſta diuitiæ: Tu quid dicis? Reſpondet quaſi ſic interrogatus, & dicit: illi dicunt Diuites beatos: Ego dico: Beatus Populus, cuius eſt Dominus Deus eius: Audiſtis veras diuitias.*

Pſalm. 84.

Rupert. Tut. *Benedicitur Terra, de qua formandus erat Chriſtus; quem comitaturæ erant Humilitas, & Egeſtas: non item Limus de quo plaſmandus Adã, in Paradiſum terrenum transferendus, Mundi huiuſce Dominus.*

Pſalm. 143.

*Filij alieni. i. ſpurij & reprobi, beatum dixerunt populum terrenis bonis affluentem, quẽ Dominus irridet.*

93. De horum alienorum filiorum numero Pueri illi, qui Eliſeo illudebant, dicentes: *Aſcende Calue, aſcende Calue.* Reg. 4. cap. 2. verſ. 23. vix ad maledicendum Propheta os aperuit: egreſsíque ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos Pueros: Cur teneræ ætatis Vatem non mouit ignorantia? Quoniam illudebant Caluo, quod ne in pueris quidem ſuſtineri debeat: Sed quiſnam iſte Caluus qui conſcendit? Declarat egregiè Drogo Hoſtienſis libello de Sacramento Paſſionis Dominicæ. *Sed vbi crucifixerunt eum? in Caluariæ loco: Bona Caluities, quæ tali fronde veſtitur: ad hanc Caluitiem Eliſeus aſcendebat: aſcende Calue, aſcende Calue: Vide, ſi non Caluus eſt noſter Eliſeus: Filius hominis, inquit, non habet vbi caput reclinet: Ecce quàm Caluus eſt, qui non habet vbi caput reclinet: Caluus eſt, quia regnum eius non eſt de hoc mundo: Caluus eſt noſter Eliſeus, quia Diſcipuli eius eo relicto omnes fugerunt: quid enim Diſcipuli, niſi capilli capitis, qui omnes numerati ſunt?* Ergo Caluus certè Chriſtus in ſumma Paupertate, & quicumque eius ſequuti veſtigia, renunciant omnibus quæ poſſident: Caluus idem, cùm aſcenderet Caluariæ locum, irridendus, blaſphemandus, perforandus, cùm eum Amici nouiſſimum virorum reputarunt, virum dolorum, & tanquam leproſum: Quicumque igitur huiuſmodi Caluitiei velut contemnens illuſerit, Tartarei eum deuorabunt vrſi morſu amariſſimo: Norint omnes Mortales Caluitiem hanc, rem eſſe incomparabilis honoris, quam ideò Seruator amplexatus eſt, & docuit imitatores: non patietur aliquo modo deſpectui haberi, ne eam ob cauſam ab illius amore paruuli deterreantur: Bernardus ſermone ad milites Templi, cap. 10. cuius verba in Catena Tilmanni ad nominatum Regum caput, paulò aliter in hunc modum: *Mali Pueri, qui ſic ſacræ frontis Caluitiem obijciunt Eliſeo: aſcendit ſiquidem Crucem Caluus noſter, mundo pro mundo expoſitus, ac reuelatâ facie, ac diſcopertâ fronte purgationem faciens peccatorum: probroſæ, & auſteræ mortis ignominiam tam non erubuit, quàm nec pœnam exhorruit, vt nos opprobrio ſempiterno eriperet, & reſtitueret gloriæ: Boni pueri, quos per contrarium ad laudem exhortatur Pſalmiſta, dicens: Laudate pueri Dominum, &c.*

4 Reg. 2. 23.

Drogo. *A petulantibus Pueris, ſed non impunè, irridetur Caluus Eliſeus; Chriſti figura in Caluariam ignominiosè aſcendentis.*

Bernard.

---

*Quàm ſublime miniſterium eorum, qui Animabus conuertendis, excolendíſque vacant! quàm Deo charum, & homini vtile!*

## Sectio VIII.

Vinearum excubias agere Sponſa iuſſa: an magnum hoc aliquid? Nobiliſſimum ſanè ſi de Vinea Dei Sabaoth intelligatur, Animarum ſcilicet cultura: percipite à Chryſoſtomo homilia 3. in Geneſ. *Nihil* (inquit) *ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt Animarum ſalus, ſicut clamat Paulus dicens: Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem Veritatis venire: & vt ſciatis, quantum bonum ſit, cum ſalute noſtra & alios lucrari, audi Prophetam ex perſona Dei dicentem: Qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum erit: quid hoc? qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit vel à peccato ad virtutem Proximum induxerit; pro virili humano me imitatur: etenim ipſe cùm Deus ſit, propter nihil aliud noſtram induit Carnem, & omnia alia humana ſuſtinuit, & Crucem quoque ſuſcepit, niſi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret:* Hinc igitur eſt, quod in Spiritu exultationis Sponſa gratias agat, quòd à Rege vineis præpoſita ſit: imò quidem digniſſimâ hac mercede, quos in reſiſtendo filiis Matris ſuæ, qui pugnauerunt contra eam, labores perpeſſa eſt, ſatis compenſatos arbitratur: qualia ab illis ſuſtinuit mala quis enumeret? Sed quia ad Proximorum curam idcirco vocata; 94.

Chryſoſt. *Gratias agit Sponſa, quod in Vinea Domini Cuſtos poſita ſit, quæ eximia eſt Prærogatiua.*





momentaneum, & leue Tribulationis reputat pondus: loquatur parumper Bernardus ſermone 30. in Cantica ſub principio: *Quæ enim conuenientia Sponſis & Cuſtodiæ vinearum? Sed etſi conuenire putetur, vnde docebimus fuiſſe aliquando Eccleſiam iſtiuſmodi deputatam officio? Numquid de Vineis Cura eſt Deo? Si autem ſpirituali ſenſu Vineas, Eccleſias, id eſt, fideles interpretamur populos iuxtà Prophetæ ſenſum dicentis: Vinea Domini Sabaoth domus Iſraël eſt: incipiet fortaſſis elucere nobis, quomodo Sponſæ minimè indignum ſit fieri: puto quidem quod & non parua inſuper & in hoc ipſo apparebit Prærogatiua, ſi quis diligentiùs curet aduertere, quantùm vbique per orbem terrarum huiuſmodi Vineas dilatauerit:*

Bernard.

95. Paulus, cùm vitæ penè omnem ſeriem narraſſet epiſtola ad Corinthios poſteriori, capite 11. & 12. Vide pulchram Theophylacti annotationem: *Animaduerte* (inquit) *quemadmodum tot Rebus aduerſis connumeratis; numerum tamen eorum nullum expreſſerit, quos ad Chriſtum conuerterat:* Et ſatis hoc admirandum eſt, præſertim, cùm Paulus is fuerit, qui ob Meſſis abundantiſſimam copiam, quâ horrea Eccleſiæ repleuit, meruerit ſingulariter nominari Doctor gentium: iam cauſas ipſe Theophylactus ſuppeditet: *Quod eò fecit* (proſequitur) *vt partim humilitatem ſeruaret: partim commonefaceret; vel ſi aliud nihil inſudandi pro Chriſto, præmij obueniret; ſat tamen id fore mercedis.* O diuitem planè Venam, Animarum lucrum! cùm nulla ſint tam magna diſpendia ſeu valetudinis, ſeu fortunarum, ſeu honoris, cuius non ſufficiens compenſatio, Peccatorum Conuerſio: Alia virtutum opera mercedem expectant; Animarum agricultura, ipſa merces eſt; Sed modò conſideranda potiùs illa verba: *quod eò fecit, vt humilitatem ſeruaret:* Certè, ſi Humilitatis ſtudioſus adeò Apoſtolus; cur non ſolùm prolixè egerat de infinita Malorum Iliade in plagis, in Carceribus, in ieiuniis: ſed etiam ad raptus, ad viſiones ſtupendas deſcendit? Sin verò hæc Chriſtianæ modeſtiæ non aduerſabantur, quò legitima eſſent publicitatis occaſio; quamobrem non eadem ſuffeciſſet cauſa, ne arrogantiæ tribueretur, vt Prouincias recitaret, quas Euangelizandi gratiâ peragrauit, vt nationes referret, quas Chriſto peperit? Sanè, quamuis Apoſtolo viſum, ob proximorum vtilitatem, omnibus prodere, earum rerum multa, quæ celebritatem afferre poterant: tamen alia ſubticuit, quoniam ob magnitudinem ſuam tam erant eximia, vt ſubueritus ſit, ne ſi illa manifeſtaret, pluſquam humana Creatura exiſtimari poſſit; Sic enim illa denotant: *Parco autem, ne quis me exiſtimet ſuprà id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me:* Si igitur quædam celauit Apoſtolus, ne humilitatem offenderet, quòd tam ſublimia eſſent; quia tam ſublimia referri non poterant abſque Modeſtiæ aliqua læſione; tacuit autem Animas quas conuerterit iuxtà Theophylactum, *vt humilitatem ſeruaret*; equidem hæc Animarum Conuerſio, de nobiliſſimis illis materiis, quas ob nimium ſplendorem, etiam tum occultare iuuabat, quando & copia facta erat ob Proximorum ſalutem; vitæ pleraque excellentiora referre geſta: neque mirum, quòd raptui & viſionibus prætulerit animarum Conuerſionem, quando & mortuorum ſuſcitatione, quâ inter prodigia nihil illuſtrius, reputetur maius opus, vt ſtatim intuebimur.

Theophyl. *Cùm de ſuis & laboribus & virtutibus amplè ſatis gloriatur Paulus, Animarum quas conuerterat, numerum non recenſet, ob humilitatem, ne ſi id manifeſtaret, pluſquam homo exiſtimaretur.*

2. Corinth. 12. 6.

96. Nato Liæ ſexto filio, quem Zabulonem nuncupauit, exultabunda inquit: *Dotauit me Deus dote bona:* Septuaginta: *Donauit Deus mihi donum bonum nunc temporis.* Geneſ. cap. 30. verſ. 20. Paraphraſ. Chald. *Dedit mihi Deus optimam partem:* Sed an melior hucuſque natis filiis Zabulon, nimirum Ruben, Simeone, Leui, & imprimis, Iudâ, à quo oriundus Saluator orbis, cuius tribus fortiſſima, & regali honore ampliſſima? Cur igitur non hoc in lucem edito, potiùs quàm Zabulone enixo, gloriata eſt à Deo optimam partem conceſſam? Equidem Zabulonis ex nepotibus futuri erant, qui primi ad Chriſtum conuerterentur eius ob prædicationem, & ab hac tribu auſpicaturus erat Euangelij manifeſtationem: teſtis Matthæus cap. 4. verſ. 13. *Et relicta Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nepthalim, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabulon, & Terra Nepthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium, populus, qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & ſedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis: Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum:* Porrò ea vaticinatio Iſaiæ legitur veſtibulo cap. 9. quam de Euangelij demonſtratione Patres communiſſimè interpretati ſunt, quos allegat noſter Gabriel Aluarez, num. 3. Quando igitur in Zabulonis ſorte cœpit Ieſus, vt ait Euangeliſta, prædicare, & allicere ad pœnitentiam, præclarè ſatis in huius natiuitate Mater affirmat, optimam ſibi à Deo donatam partem: Quid enim præſtantius Euangelico miniſterio? Sed audiamus mirificè diſſerentem Richardum Victorinum lib. 1. Præparationis ad Contemplat. cap. 44. *Neſcio* (ait) *ſi poteſt homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere: ignoro, an poſſit hâc gratiâ interim maiorem aliquam Deus homini concedere; quàm, vt eius miniſterio peruerſi homines in melius mutentur, vt de filiis Diaboli filij Dei efficiantur: An fortè cuiquam magis videbitur mortuos ſuſcitare? ergóne maius erat reſtituere Carni bona tranſeuntia iterùm peritura; quàm Animæ reddere bona æterna in æternùm manſura? ô qualis dos, quanta dignitas, talem gratiam à Deo accipere! non debuit Dei Sponſa à ſponſo ſuo dotem aliam accipere: non decuit cæleſtem ſponſum ſponſæ ſuæ dotem aliam donare; quàm, vt per adoptionis gratiam, poſſit multos Deo filios gignere, & de filiis iræ regni cæleſtis heredes adſcribere; meritò ergo Zabulon nato exclamat mater eius Lia; dotauit me Deus dote bona.*

Geneſ. 30. 20.

Paraphraſ. Chald.

*Zabulon, dos optima, quod in eius tribu cœperit Ieſus prædicare.*

Matth. 4. 13.

Iſai. 9.

Gab. Aluar.

Richard. Victor. *Quàm præſtans Conuerſio ſit Animarum Miniſterium.*

Perpende, quàm diſpar titulus apud Matthæum, quàm apud Marcum: ille incipit: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham:* hic exorditur: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei:* Cur vnus tantùm humanæ proſapiæ meminit, auos atauóſque ſolùm memorans homines: alter verò, quaſi oblitus, an Carnem induiſſet Verbum, qua parte ex Deo eſt, ſuggerit? Matthæus ſanè congruenter: nam texebat humanam Chriſti generationem, quam ex hominibus deriuare oportebat: At verò Marcus cùm de ſempiterna non ageret emanatione, nec modum infinitæ generationis explicandum aſſumeret, quamobrem Dei filium tantùm appellauit, & non ſaltem adderet ex hominibus quoque procreatum, cùm ex ſemine Dauid fuiſſet? Marcus ſecùs atque alij egerunt Euangeliſtæ, ſtatim Narrationis principio docuit, quæ fuerunt Euangelicæ prædicationis fundamenta: quemadmodum gentes ad pœnitentiam cohortari cœperunt: Quoniam igitur hoc miniſterium ei quaſi tam ſublime videbatur, quòd humanum velut captum ſuperaret, & Deo ſolùm 97.

97. *Cur diſpar Matthæi & Marci Euangeliorum Titulus?*

dignum eſſet; idcirco acturus de tanto officio, prætermiſit, quod fragile & imbecillum cenſeri poſſit, de humana nimirum agere natura: Hæc Bedæ conciliatio ſcribentis in Marcum: *Aptè* (inquit, Matthæum intelligens) *qui humanam erat generationem deſcripturus, à filio hominis cœpit; Dauid videlicet, ſiue Abrahæ, de quorum ſtirpe ſubſtantiam Carnis aſſumpſit: aptè is* (Marcum ſignificans) *qui librum ſuum ab initio Euangelicæ prædicationis inchoabat; filium magis Dei appellare voluit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; quia nimirum, & humanæ erat naturæ, de progenie Patriarcharum, & Regum veritatem Carnis ſuſcipere: & diuinæ fuit potentiæ Euangelium Mundo prædicare.* His conſonant illa apud Matthæum cap. 16. verſ. 13. interrogante Chriſto Diſcipulos: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* mox autem ſpecialiter ad ipſos conuerſus: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Atqui, ſi quod ſentirent de eo homines iam indicatum, quid rurſum percunctatur Apoſtolos? annon & illi homines etiam? placet, quid Hieronymus ſentiat, intelligere: ad præfata verba inquit: *Prudens Lector attende; quòd ex conſequenti, textúque ſermonis, Apoſtoli nequaquam homines, ſed Dij appellantur: Cùm enim dixiſſet: quem dicunt homines eſſe filium hominis? ſubiecit; vos autem, quem me eſſe dicitis? illis, quia homines ſunt, humana opinantibus: vos quia Dij eſtis, quem me eſſe exiſtimatis?* atque eodem modo Prologus Richardi Sancti Victoris in Canticum Canticorum: Verùm, quare Apoſtoli pluſquam homines, & in diuinitatem quodammodò transformati? Hieronymus eo loci, *quia diuinitatem eius intelligunt, non homines, ſed Dij appellantur:* Pulchrum ſanè ſcholæ Theologicæ encomium, vt quæ ob diuinitatis cognitionẽ Creaturæ velut metas tranſcendat: Sed alia etiam de cauſa nuncupatos Deos putarim: Scilicet, electi ſunt ab eo, vt euntes in vniuerſum Mundum, Dæmoni & vitiis inimicitias proclamarent, Satanæ euerterent regnum, genus humanum Deo conciliarent; Atqui hæc eiuſmodi ſunt, quæ humanas excedant vires: bene itaque tanto deſtinati miniſterio, non homines reputantur, ſed Dij.

Beda.

Matth. 16. 13.

*Apoſtoli, non homines ſed velut Dij exiſtimantur à Chriſto.*

Hieronym.

Rich. Victor.

Hieronym.

98. Paulus raptus in Paradiſum, vt ipſe memorat epiſtola ad Corinth. 2. cap. 12. quam eius tranſlationem ſub Conuerſionis exordio accidiſſe nonnulli cogitarunt: ſingularem eius Rei cauſam Cyrillus ſcripſit Hieroſolymitanus Catech. 14. Illuminatorum: *Paulus autem & in Paradiſum raptus eſt, inquit: audiuit ſanè ineffabilia verba, quæ non licet hominibus loqui: Deſcendit autem Paulus rurſum; non quod dignus non eſſet conuerſatione tertij cœli: Sed vt guſtatis cœleſtibus, & honoratus deſcendens Chriſtum prædicaret:* Quæ vltima Periodus difficilis eſt: *Vt honoratus deſcendens prædicaret:* imò certè ad vulgandum Euangelium, nequaquam honoratos Chriſtus aſſumpſit, ideò nec Conſules nec Dynaſtas, non eloquio, aut Philoſophiâ nobiles Diſcipulos aggregauit, ſed Piſcatores & inopes, & in Academiis non verſatos, quò euidentiùs Crucifixi manifeſtaretur potentia: Quamobrem igitur Cyrillus Paulum honoratum dicit, vt Chriſtum prædicaret? Verùm eſt Chriſtum, humanæ reiectaſſe Nobilitatis vanos faſtus; at verò ſpiritalem nobilitatem tantùm abeſt contemnat, vt plurimùm magis deſideret, præſertim ſi functionis id requirat excellentia: nam quemadmodum in ſeculari Republica indecorum videretur ſi ad optimos Reipublicæ Magiſtratus, plebeij aſſumerentur homines; idem & in ſpiritalibus: Quia igitur nobiliſſimum munus erat prædicationis Euangelicæ, quâ Chriſti propagatur Imperium: huius antequam teſſeræ Dux nuncuparetur Apoſtolus, nobilitandus erat: ac propterea in cœlum tranſuectus; quò tantâ Creatoris indulgentiâ *honoratus*, vt inquiebat Cyrillus, Chriſtum pro dignitate annunciare poſſet & Regibus terræ, & filiis Iſraël. Quibus affinia illa in filium iuniorem collata beneficia: Nam reuertentem Pater ſtolâ primâ induit: rectè id quidem; nudus quippe veniebat, neceſſarius proinde amictus: addidit & Calceamenta: id quoque prudenter, ne offenderet ad lapidem pes eius, ne venenoſi morderent ſerpentes: Sed hæc cùm exigua apparerent: annulum addidit in digitos eius: Quis verò huius Doni ſcopus? Splendor ſolùm, atque authoritas, vt deinceps cum nobilium Corona agere poſſit: Nam Annulo diſtinctos equites à plebe ſæpe monuimus: ergo Annulum vt geſtaret non compulit neceſſitas, ſed Decoris ratio? imo Annulum habuiſſe omninò oportebat: Nam pedes nonne in præparationem Euangelij Pacis calceauit? hoc Calceamentum in Scripturis myſticè deſignat: miſſus igitur ad conuertendas nationes ex quo calceatus eſt, non potuit non tranſire in equeſtrem ordinem, & nobilis fieri: igitur, ſicut de Apoſtolo affirmabamus honoratum priùs à raptu in Paradiſum, quò Chriſtum annunciaret infidelibus & Iudæis, ita & iunior filius Calceamenta accepturus, quibus indicata facultas Euangelicæ prædicationis; accipit Annulum, quo non niſi honoratus id agere poſſit: Chryſologus ſermone 5. de duobus filiis: *Poſuit Annulum in manu eius: annulum honoris, titulum libertatis, inſigne pignus Spiritus: & calceamenta in pedibus eius; vt eſſent calceati pedes in prædicatione Euangelij: vt eſſent beati pedes Euangelizantium pacem.*

Cyrill. Ieroſolym.

*Paulus Gentium Doctor in tertium Cœlum rapitur, vt eo honore ſublimatus, Chriſtum pro dignitate annunciare poſſit.*

Cyrill.

*Annulo Nobilitatis ſymbolo Prodigũ reuerſum honorat Pater, calceaturus ſcilicet eum in præparationem Euangelij Pacis.*

Chryſolog.

---

*Regis digniſſima appellatio ab edomitis malarum Paſſionum affectionibus, à ſubiugatis vitijs.*

## Sectio IX.

99. QVod filij Matris eius aduersùs Sponſam compugnarint, Origenes in bonam transfert partem, (intelligit enim de Apoſtolis, qui prædicatione & miraculis contra gentilitatem pugnarunt,) quoad deteſtata priores vias ſuas plenas abominationibus, fœdus iniit cum Chriſto, vt deinceps non in comeſſationibus aut impudicitiis opera manuum ſuarum adorans ambularet, ſed in ſanctitate & iuſtitia: poſtquam autem viderunt eam de vitiis triumphantem in bonis abundare operibus, Reginam ſtatuerunt, Vineas gubernare in poſterum iuſſam: ipſe autem melius referat Adamantius hom. 2. ex quatuor: *Poſſumus ergo & Apoſtolos Chriſti accipere filios Matris Sponſæ, hoc eſt, Hieruſalem filios cœleſtis, qui pugnauerunt prius in iſta, quæ ex gentibus congregatur: pugnauerunt autem, vt vincerent in ea illos, quos priùs habuit infidelitatis, & inobedientiæ ſenſus, & omnem elationem extollentem ſe aduersùs ſcientiam Chriſti: pugnauerunt ergo non aduersùs eam, ſed in ea, hoc eſt, in ſenſibus, & corde eius, vt deſtruerent, & depellerent omnem infidelitatem, omne vitium, omnéſque doctrinas, quæ ei inter gentes poſitæ falſis ſophiſtarum aſſertionibus inoleuerant: Vbi ergo effugauerunt ab ea omnes ſenſus infidelitatis antiquæ; non eam relinquunt otioſam, ne fortè rursùs antiqua ſubrepant, & redeant quæ repulſa ſunt; Sed dant ei opus, quod agat; & conſignant ei vinearum cuſtodiam:* igitur Regina, quæ Virtutes acquiſiuit, quæ vitia extirpauit; atque ideò etiam à tali Regina Chriſtus libenter Rex: Quid enim ait Diſcipulis poſtquam reſurrexit à mortuis? *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes:* Matth. c. 28. verſ. 19. Quando conceſſa poteſtas? Scilicet poſt Crucis dolores, aut poſtquam rediuiuus factus? Atqui, nonne à primo Conceptionis inſtanti regiâ fulgens authoritate: cur igitur quaſi de nouo potentiæ incremento gloriatur? Puto, homines præcipuè reſpicere Chriſti orationem: erat tamen & horum Rex omni tempore; ſed quoniam homines Dæmonibus ſeruiebant, & omnibus commaculabantur inquinamentis, vileſcebat à peccatis eorum quodammodò regium nomen in Chriſto, neque enim talium Regem cenſeri, magnum videbatur: Quoniam autem poſt abſolutam Incarnationis legationem proxima erant Tempora, quibus mundi reſeruabatur Conuerſio; cùm ad hanc Diſcipulos incitaret, aiens, *Euntes ergo docete omnes gentes*, præuidens in Spiritu populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, ex hoc iam, inquit, Regiam vſurpo appellationem cupidus, ex quo imperaturus ſim amantibus ſanctitatem, vitia exhorrentibus: inſinuauit breuiter Hieronymi Commentarius: *In cœlo autem, & in terra poteſtas data eſt; vt qui antè regnabat in cœlo: per fidem Credentium regnet & in terris:* Sic igitur, poſtquàm gentilitas conuerſa eſt, atque iniquitates conſumptæ ſunt; & Sponſa Regina facta eſt vineis præfecta; & regius ornatus in Chriſto velut amplificatus eſt.

*Sponſa quod cum vitijs & proprijs affectibus pugnaſſet, victrixque fuiſſet; Regina dicitur.*

Origen.



*Rediuiuo Chriſto poſt paſſionis angores, Regnum de nouo confirmatur, Rexque potiſſimum dicitur, cùm iniquitates conſumpſerit huius mundi.*

Hieronym.

100. Cùm de quinque Panibus hordeaceis, & duobus Piſcibus, refeciſſet turbas Ieſus, voluerunt eum Regem creare: *Cùm autem cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus*; Ioan. cap. 6. verſ. 15. atque hic idem optimus hominum Seruator; regij faſtûs tantus oſor; cùm paulo antequam pateretur Ieroſolymam ouans intraſſet; de regio ſibi ſplendore applaudi ſuſtinuit: nam, & qui præibant, & qui ſequebantur, clamabant: *Hoſanna; benedictus, qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum Patris noſtri Dauid*, Marc. cap. 11. verſ. 10. Quæ faſtidiendi Dominatus cauſa olim, cùm magis repudiare debuerit turpiſſimæ condemnandus morti? Sanè illi, quos panibus ſaturauit, cum piſcibus, de temporali agebant poteſtate: hanc flocci pendit Chriſtus, tum ob caducam poſſeſſionem; tum quod eâ fungentes authoritate ſæpè & ipſi mali ſint, & peiores illi, quos dirigant; itaque in vitiis eſt tota Monarchia: Verùm, qui accinebant, quando Ieroſolymam Victor commouit; de ſpiritali congratulabantur præpoſitura; quoniam per vicinæ mortis opprobrium, debellaturus erat infernum, acquiſiturus plebem, ſanctam, iuſtam, fidelem, aboliturus Chirographum peccati: Quoniam igitur aſpiciebat totam de virtutibus eſſe poteſtatem; admiſit facilis, vt Rex nuncuparetur; neque enim Regis nomen Chriſto graue, niſi quando ſpurium eſſe contingat; quod tunc fit, cùm vitiis quiſquam ſeruit: hæc ſi extinguantur; regiæ nuncupationis præclarum eſt decus: ita cogitatum à Beda in ſupradictam Marci Euangeliſtæ ſententiam: *Legimus in Euangelio Ioannis, quod refecta quinque panibus turba, voluerunt rapere Ieſum, & conſtituere eum Regem: Nunc autem, vbi paſſurus Ieroſolymam venit, non refugit eos, qui ſe Regem faciunt: vt quid ergo hoc, quod priùs fugiendum declinauit, iam, iam exiturus per Paſſionem de mundo, non negauit ſuſcipere? Niſi, vt apertè doceret, quod non temporalis, & terreni, ſed æterni in cœlis Rex eſſet imperij: ad quod profectò Regnum, per contemptum mortis, gloriam Reſurrectionis, & triumphum Aſcenſionis perueniret.*

Ioan. 6. 15.

Marc. 11. 10.

*Chriſtus Regnum temporale ſibi oblatum reſpuit; ſpiritale verò admittit, quòd totum hoc in virtutibus ſit.*

Beda.

Vix Adam de limo effigiatus, & à ſpiraculo Creatoris vigoroſus, cùm idem qui formauit, regio & honeſtauit decore: *Replete* (ait) *Terram, & ſubijcite eam, & dominamini Piſcibus maris, & vniuerſis Animantibus, quæ mouentur ſuper terram.* Gen. cap. 1. verſ. 28. Conſiderauit Baſilius Seleucienſis oratione 2. *Vidit hominem immortali manu editum, & Dei digito ex tempore perfectum, abſolutúmque ſimulachrum: vidit ſimul fictum, ſimul Regem factum: nam præſit, inquit, piſcibus maris,* &c. Quare non diſtulit Regem facere, quoad genus humanum propagaretur? nam tum poterat ſollennis eſſe inauguratio ex gentium concurſu, atque tripudio: Verùm, cùm Protoplaſtum Deus conderet, in iuſtitia creabat originali: is autem ſecum afferebat ſtatus, vt Rationi appetitus ſubderetur: nullæ tum affectiones Animi mentem fatigabant: inter vtramque portionem ſuperiorem, inferiorémque ſancta quædam germanitas: Vt igitur, tum regiam imprimis eminere dignitatem Numen inſinuaret, cùm ſub fræno paſſiones ſunt, cùm rationi motus obediunt ſenſitiuæ partis; non putauit differendum Adamo Imperium, ſed continuò ac formauit, regiam accumulauit poteſtatem: Ac donec ille in iuſtitia, & æquitate perſtitit; regiam venerata eminentiam, Animalium ſæuiſſima famulabantur: continuò autem ac peccauit velut obedientiæ abſoluta Sacramento, quod regio cecidiſſet honore ob delictum, (eius enim dignitatis conſeruatrix eſt innocentia,) aduersùs hominem procacia eſſe cœperunt: Chryſoſtomus hom. 9. in Geneſ. *Oſtendit enim dictis illis, quod ab initio homo plenum, & perfectum ſuper beſtias principatum habuit: dominentur* (ait) *piſcibus maris, & volatilibus cœli, & feris, & reptilibus terræ: quod autem nunc terrori nobis ſint beſtiæ, & timeamus, & dominio exciderimus, neque ipſe contradico: Verùm hoc non arguit falſam Dei promiſſionem: nam ab initio res non ita ſe habebant; ſed timebant, & tremebant beſtiæ, & venerabantur Dominum: vbi autem per inobedientiam, fiduciam, & gratiam apud Deum amiſimus: etiam principatus noſter mutilatus eſt.* 101.

Geneſ. 1. 28.

Baſil. Seleuc.

*Adamus ſtatim vt formatus, Rex à Deo declaratus eſt, quòd tunc in iuſtitia originali, appetitus, motúſque ſenſitiui Rationi parerent.*

Chryſoſt.

Cùm de Chriſti mirandis operibus audiſſet Herodes, Antipas nimirum, illius filius, qui à maternis vberibus ſugentes paruulos occidit, putauit Ioannem Baptiſtam, quem trucidauit, iterum ad viuos remeaſſe: ſiue id, quod crederet Animas defunctas in alia poſtliminio redire corpora: ſiue Tyranni aſſiduus agitabat terror mentem, ob necem tanti Prophetæ, & metuebat ne conſurgeret iuſtas expoſtulaturus pœnas: quæcumque mouebant fundamenta, *Quem ego decollaui* (inquit) *Ioannem, hic à mortuis reſurrexit*, Marc. cap. 6. verſ. 16. At cur non & cauſam mortis prodit? Cur præmia iniuſta laſciuiæ occultat, & ne epulis quidem ſeruatam fidem, quorum pacem ſanguine commaculauit? modeſtiórne factus poſt mortem Præcurſoris, & vt fecerit malum, ſaltem non glorietur in malo? Verùm hic regiæ ambitionis non ſegnior Patre amator, qui ne amitteret ſceptra, infantes interemit: Sic iſte, 102.

Marc 6. 16.

*Cauſam cur Ioannem decollauerit celat Herodes, ne Regem ſe negaret, ſi impietatem fateretur ſuam.*

ne

ne ad ſpeciẽ Regno excidat, tacet immane facinus: Nam ſi in puellæ ſaltantis gratiam, vt luxuriæ obtemperaret, fateretur Ioannem à ſe decollatum; hoc ipſo negaret ſe Regem eſſe: non enim Rex cenſeri valeat, cui adulteria placeant, qui inter ebrietates cruorem fundat innoxium: hæc autem publicaſſe neceſſum erat, vt cauſam necis manifeſtaret: ne igitur ſe Regis occupare per violentiam titulum innuat, ſi vitia propalet; tacet callidus occaſionem illatæ mortis. Chryſologus ſermone 173. *Iſte Rex ſapiens, egregius Iudex, cenſor morum, Diſciplinæ cuſtos, vindex innocentiæ, criminum pœna; quòd decollauerit Ioannem dicit, quare decollauerit, tacet; ne poteſtatem regiam tanti facti confunderet turpitudo: Sed Euangeliſta prodit; vt interfectoris dedecus interfecti producat ad gloriam:* rectè illud atque ſignificanter, *ne poteſtatem regiam tanti facti confunderet turpitudo;* Quaſi enim verecundaretur & erubeſceret regia Maieſtas (quod eſt confundi eam,) ad ſonum tam execrandæ immanitatis.

Chryſolog.

103. Nitebatur ſenex Iſaac benedicere Eſau maiori natu filio, ſed Rebeccam diuina excitabat prouidentia vt Iacob benediceretur; quippe adimplenda erat, natiuitatem quæ præceſſerat, Vaticinatio; *Maior ſeruiet minori.* Geneſ. c.25. v.23. quare Hieronymus epiſtola 124. quæ eſt ad Damaſum: *Ego* (inquit) *puto diuinæ diſpenſationis fuiſſe, vt oculis cæcaretur Iſaac; & cùm ipſe diceret: Vox quidem, vox Iacob eſt, manus autem, manus ſunt Eſau; tamen non intelligeret minorem eſſe filium, qui ad benedictionem fratris præreptor adſtiterat:* Qua autem de cauſa ſolicitum Numen, vt præter vſum nihilominus iuniori filio impertiretur benedictio? certè is, cui benedixiſſet Iſaac è duobus fratribus Princeps & Rector euaſurus erat; nam eius benedictionis talis particula: *Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij Matris tuæ.* Geneſ. cap.27. verſ. 29. atqui Eſau principem conſtitui nullo modo expediens: quamobrem? Erat homo ferus, & tyrannicæ cuiuſdam ſuperbiæ, quibus alia accedebant vitia multa: tali regius titulus quadrare non poterat, qui non niſi virtute fundari non poteſt; quæ cùm in Iacob elucceret plurima, atque illuſtris; principatus diuino inſtinctu ei delatus eſt: Hæc pulchro diſcurſu proſequutus Ambroſius lib.2. de Iacob, & vita, ex cuius ſecundo capite pauca aliqua delibanda verba: *Eſau, vt benediceretur à Patre, cogendo elicuit, & impetrauit: Sed eam tamen benedictionem accepit, quæ cum ſuperiore congrueret & conueniret, vt ſeruiret fratri ſuo; etenim, qui imperare non poterat, & alterum regere, ſeruire debebat, vt à prudentiore regeretur: neque enim fuit Sancti Patriarchæ, vt filium ſuum degeneri conditioni ſeruitutis addiceret; ſed, vt bonus Pater, cùm duos haberet filios, vnum intemperantem; ſobrium, & prudentem alterum; vtrique conſuluit: intemperanti præfecit ſobrium; & prudenti inſipientem ſtatuit obedire; quia inſipiens non poteſt voluntarius eſſe virtutis diſcipulus, nec perſeuerare in ſtudio, quoniam ſtultus ſicut Luna mutatur; meritóque ei libertatem negauit proprij arbitrij, ne velut nauis in fluctibus ſine gubernatore fluctuaret; ſed ſubdidit eum fratri.* Eodem ſenſu Philo Hebræus, quem Ambroſius imitari ſolet, libro; *Quod omnis probus liber;* & magnus Baſilius lib. de Spiritu ſancto, cap.20. Quare certè venerandus Iſaac, licet ſeriùs ei diuini Conſilij innotuerit ordinatio, tamen vt huius affulſit notitia; nullo Eſau planctu induci potuit, vt retractaret datam benedictionem, quemadmodum obſeruauit Theodoretus ex quæſtionibus in Geneſim eâ, quæ eſt 79. Rupertus autem Tutienſis Abbas hoc admoneri facto docet, corrigendos ab Eccleſia ſpiritales Rectores, ſi quando in minùs dignos officia conferunt; *Cùm ergo audierit* (inquit) *quod Pontifex ſuus, cuiuſquam maligni delinitus obſequijs, eum promouêre, & meliori præferre voluerit; exemplo Rebeccæ debet vti; quæ & viri ſui placitum non reprehendit; & tamen egit prouidè, ne Pater maiorem, venationibus eius delectatus, præferret minori.*

Geneſ.25, 23.
Hieronym.

*Excluſo vitioſo Eſau, Primogenituræ Principatus per paternam benedictionem defertur Iacob iuniori, moderatiſſimo nẽpe ac prudentiſſimo.*

Ambroſ.

Philo.

Baſil.

Theodoret.

Rupert. Tut.

104. Atque hæc de Benedictione, quam aſſequutus eſt Iacob, videamus qualem ipſe moriturus, vni de gnatorum numero impertiit: *Aſer* (inquit) *pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*, Gen. cap. 49. verſ. 20. verterunt LXX. *dabit cibum Principibus:* eſto certè optimi fuerit Tritici gleba illa, quæ in ſortem contigit Aſſeritis, verùm nonne eâ in tribu pauperes aliqui, ad minùs vulgares & plebeij, quibus tamen de triticeo manducare pane interdictum non erat? Cur igitur Principum nominatur? Quod ſi quidem eum intelligamus panem, quem humanus ille denotabat, Euchariſtiæ nimirum ſuauiſſimam eſcam, quid portendat vocari Regum panem, vel cibum Principum, cùm ad tale pabulum maior vulgi, & egentiorum accedat numerus? An omnes qui tali paſcuntur nutrimento Reges cenſendi? Sed qua de cauſa? Equidem omnes Reges, modò cum ea accedant præparatione, quæ talis Conuiuij Hoſpites deceat; non dico de præparatione ſimpliciter requiſita, vt nulla ſit Conſcientia lethalis Animæ vulneris; ſed de illa, quam reuerentia Menſæ exigit, quæ certè tanta eſt, quanta mente cogitari valeat: ergo ibi virtutum omnis ornatus; ibi ſedatæ paſſiones, ibi odium vitiorum incredibile: Quicumque tales accedunt ſiue nobiles, ſiue proletarij, cuiuſcumque demum ordinis; cuncti Reges ſunt: nam virtus eſt quæ ſyncerè Regem eſſe faciat; proinde bene quidem iuxta hanc ſignificationem, quod panis pinguis Aſer non niſi in Regum delicias præbeatur: ita Eucherius Lippomani in Catena: *Aſer igitur, cuius nomen delicias, ſiue diuitias ſignificat, Chriſtus eſt cuius panis pinguis factus eſt, Caro ſcilicet eius, quæ eſt eſca Sancta Sanctorum, quam quiſquis manducat, viuet in æternum: iſte etiam præbet delicias ſapientiæ, gratiæ, virtutum, & verbi Dei Regibus, id eſt, qui ſenſus proprios benè regunt, qui dominantur vitiorum ſuorum, qui caſtigant corpora ſua, & animæ ſuæ in ſeruitute ſubijciunt.* Rupertus eodem loco: *Præbebit ergo delicias Regibus Aſer, id eſt, eis, qui ſemetipſos ſtudent regere, vt ſint digni menſâ regalis Cœnæ: delicias præbebit regalis alimoniæ, Euchariſtiam porrigendo.*

Gen.49 20.
LXX.

*Euchariſtiæ panis Regius, omnéſque ad eam dignè accedentes Reges.*

Eucher. apud Lippom.

Rupert.

---

*Maria, vt purificaretur, templum conſcendit; ne filium magis in ſpecioſis, quàm humilibus imitata videretur.*

## SECTIO X.

105. MAtrem Domini, cùm Templo ſiſtere filium, & pro eo Hoſtiam offerre viderent filiæ Ieruſalem, certè nigram æſtimarunt, hoc eſt, quaſi vnam de communi fœminarum turba, quæ in dolore peperit, & de viro concepit, latebat enim eas grande myſterium: cur igitur ſi non eius vulua aperta, neque de virili concepit ſemine, legi, quæ non obligabat, parêre voluit?

*Filiabus Ieruſalem nigra videtur B. Virgo, cùm in Templum vt purificaretur aſcendit, cùm tamen eſſet puriſſima; filiũ in hoc imitata circumciſum.*





nempè vt filij ſequeretur exempla, qui & ipſe ſiſti voluit Domino, cùm tamen ſupra legem eſſet; idcirco laborantes errore Sionides alloquuta Virgo: *Nolite* (ait) *conſiderare me, quia fuſca ſum,* non, vt vos arbitramini, lęſa eſt pudicitia, eò quòd Mater dicar: Spiritus ſanctus obumbrauit mihi, & genui Deum & hominẽ intactâ Virginitate, quare nec Moyſi decretis adſtringor: iuſſit enim ille ſcienter fœminam quæ ſuſcepto ſemine peperiſſet, comparêre ante Dominum, quali modo non ſum ego enixa ſobolem; ſed quod lege vt facerem non adigebar, filius coëgit: illo præeunte non ſequerer? Itaque ſi fuſca appareo, *decolorauit me Sol:* auſcultemus parumper Bernardo ſerm. 3. de Purificatione. *Putas ergo non poterat moueri Animus eius; & dicere, quid mihi opus eſt Purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu Templi, cuius vterus neſciens virum, templum factus eſt Spiritus ſancti? Cur non ingrediar Templum, quæ peperi Dominum Templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum; nimirùm, cùm proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum: Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato? Verè ô beata Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt Purificatione: Sed numquid filio tuo opus erat Circumciſione? eſto inter mulieres tanquam vna earum: nam & filius tuus ſic eſt in numero Puerorum.*

Bernard.

106. Pudebat hanc magnam genitricẽ in gaudioſis ſolùm filio adhæſiſſe, volebat & ſocia fieri ignominiarum: probatur in aduerſis magis charitas: Carpende, quid de Saüle & Ionatha in funereo Carmine accinat Dauidis Lyra: *Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua; in morte quoque nõ ſunt diuiſi:* Reg.2. c.1. v.23. Certè cùm viueret Saul fruebatur omnibus deliciis filiorũ hominum: & epulæ & Cãtus illi, & ſpectacula, & pretioſi ſtaminis veſtes, ſatellitũ infinitæ cateruæ; denique quicquid Mortaliũ opinione vel amœnum, vel ſplendidũ eſt, eo potiebatur Rex vtique: horũ omnium indiuiſo ſolatio gaudebat Ionathas: ergo qui proſperæ fortunæ comes extiterat, cũ volutata eſt Rota, & lætis triſtia ſucceſsêre; nõ paſſus eſt Ionathę fidelis Amor, quin in morte ſodalis eſſet, nec æquũ duxit ſuperuiuere genitori; itaq; occubuit ſimul in prælio, ne plus dilexiſſe videretur, opibus, & honore clarũ, quàm letho ſquallentem & miſerũ: idcircò Dauidis Muſa ſignanter: *In morte quoque nõ ſunt diuiſi:* Chryſoſtom. Commentariis in Paulum; *Quod, ait, neque in morte ſeparati ſunt, in ſolatium doloris: iam enim, inquit, non poteſt dici quod filius Orphanum ſe eſſe lugeat: neque quod propter orbitatem ſuam deploret: Verùm quòd nullis obtigit, illis contigit, videlicet vno, eodémque die è viuis eripi, neutro alteri ſuperſtite: exiſtimabat enim vitam iniucundam fore, ſi alter ab altero fuiſſet diuulſus:* Si igitur tam fidi Ionathas, atque Saul, vt communes reputarent proſperæ atque inimicæ fortunæ vices; Quid putabimus de Chriſto & Maria? in claris Rebus ſocij, ſed nõ minùs in funeſtis: Quamobrẽ, vt Chryſoſtomi effatum accommodemus: *Iam enim dici nõ poteſt, quod filius orphanum ſe eſſe lugeat, neque quod propter orbitatem ſuam deploret:* Si enim Templo ſiſtitur, ſi pretio redemptus, atque propter hęc putent Circumſtantes, non Deo ſatum eſſe purum hominem, & de reliquorum more: habet tam falſæ exiſtimationis Contubernalem Mariam: hanc enim & reputãt ſupra alias Coniugatas nihil habere; idcircò in Templum pergere, vt mundetur.

3 Reg. 1.23.

*Vt Saul & Ionathas nec in morte ſunt diuiſi, qui in delicijs fuerũt vniti: Sic Chriſtus & Maria.*

Chryſoſtom.

Chryſoſtom.

107. Verùm, quemadmodũ filij causâ operetur vniuerſa; age ex his ipſis potiſſimùm colligamus, quę Tẽplo perpetrata ſunt. Cùm igitur Leuitici c.12. vel Agnus præſcribitur offerendus aut hoc non reperto, ſiue vt reperiri poſſit, ob egeſtatem factâ Diſpenſatione, par Turturum, aut duo pulli Columbarum? quamobrẽ prætermiſſo Agno, Mater quod vilius erat, duos pullos Columbarũ obtulit? Nonne ſatius, vt qui venerat Agnus futurus, qui tolleret peccata Mundi, agno redimeretur: Sed dicunt, neque Ioſepho, neque Mariæ tantas fuiſſe opes, quibus Agnus coëmendus eſſet: At quid de Magorum donis pretioſarum mercium paucis antea diebus in ſtabulo receptis? Verùm & ipſa Res familiaris, num adeò atque penitùs exhauſta, vt ne Agni pretium reliquum eſſet, quod exiguum fuiſſet: denique, non erant de cognatorum numero, de Amicis, qui ſubuenirent, ne Dauidicâ ortus regali ſtirpe, Hoſtiam talem offerret, qualem in vulgo tenuiſſimi? Eſto non defuerint modi, quibus Agnum nanciſci Virgo poterat; altiori tamen ducebatur cogitatione, vt nõ niſi vel Turtures, vel pullos columbarum offerret, propterea, quod Hoſtiæ eſſent Pauperum, cùm Agnos offerre, ditiores conſueuerint: Nam ſtudebat Deipara in iis, quæ inhonora cenſebantur, filij ſedulò veſtigia ſectari: conſeruabat autem in pectore ſuo, quemadmodũ vix elapſis quadraginta diebus, cũ ſub auratis laquearibus naſci poſſet, inter procerũ famulitia, & Regum opulentas gazas; maluerit inter Animalium anhelitus loco deſpectiſſimo in auras prodire, atque hoc totum vnius Paupertatis ob gratiam: Memor igitur horũ genitrix quę propoſuerat filium diligentiùs ſociare in abiectioribus; quanquam non deeſſent viæ, quibus Agnum cõquirere potuiſſet; Turtures, vel Columbas, quo egens reputaretur, vt verè erat, obtulit. Beda in Lucam: *Dominus ergo Chriſtus Ieſus, cùm diues eſſet: pauper factus pro nobis, pauperem pro ſe hoſtiã voluit dari; vt videlicet ſuâ paupertate nos, & hîc diuites in fide, & illic faceret hæredes Regni, quod repromiſit diligentibus ſe.* Aliam quoque intellige cauſam; quamobrem reiectato Agno, Turtures, vel Columbæ magis electæ: Agnus, inſidus ſocius eſt; nam meminiſtis vti amœniori delectatus Paſcuorũ loco, eluſerit Paſtorem, quem per montes & ſaxa dura ſuſcipere coëgerit itinera, vt inueniret, Luc. c.15. itaque illi à Ductoris latere non abeunt, quoad læta gramina inueniunt: cæterùm, vbi in horridiora transfert loca, aufugiunt, quoniam non Paſtorẽ tam diligunt, quàm Paſcua: Non ita Turtur, non Columba: pudicitiã & fidem egregiam præſtant Maritis, in vtramque paratæ fortunã; atque eo ſuperſtite iucundiſſima vita eſt; cæterũ illo ſublato quouis caſu, teſtãtur vnà ſepulta omnia eorũ gaudia: quare ætatis reliquũ in mœroribus & gemitibus ducunt, defuncti noctẽ continuò imitãtes luctu, ſicut tradidêre Ælianus lib.3. de Animalium Hiſtoria, c.44. Plinius lib.10. c.34. Quoniam itaque Virgo immaculata probare filio voluit; quod rarum eſt inter Mortales; optare ſe, ne quid gnato cõtumelioſum accidiſſet, à qua illa ſe abſtraheret; & ſciebat in duris emicare potiùs amorẽ; non Agnũ offerre maluit, qui infidelitatis eſt ſymbolum; ſed aduerſis Mariti cõpatientes rebus, Turtures, vel Colũbas: Quæ vt certa eſſe demonſtret: cùm filius Moſaïcis exemptus ſtatutis, humilitatis in præclariſſimum documentũ, quaſi præ aliis non excelleret pueris, Rex tamen Dominantium, Templo ſiſti decreuerit: Mater quoque humiliari deſiderans & contemni, vt conformaretur gnato: ipſa etiam quanquam legibus non diſtingueretur, purificari non recuſauit.

Leuit.12.

*Maria, non Agnum, quod diuitum erat munus, cùm ipſa de Regia eſſet Dauidis ſtirpe, ſed par turturum aut Columbarum cum Pauperibus obtulit; memor filium in ſtabulo vilia inter animalia natũ.*

Beda.

Luc.15.

*Agnus, comes infidus, Columba ſeu Turtur ſocia vel in aduerſis fideliſſima.*

Ælian.
Plin.

108. Cùm mundarentur Hebræorum fœminæ per Templi introitum,tum ſolitę & Primogenitos redimere filios, quinque ſiclorum pecuniâ: Exodi c.13.id præſcriptum v.13.Tempus autem Redemptionis aſſignatum Numer.c.18.v.16.nempè poſt vnum menſem nam de Hominis Primogenito ſic intelligendum notauit Abulenſ.q.37.in c.4. Numerorum,Bonfrerius ad præfati c.18.verba:igitur ſi redemptus Chriſtus Virginis Primogenitus, vnigenitúſque pariter, certè captiui velut formam induit, nam hi ſunt qui redimuntur: vide igitur mirabilem ſubmiſſionem:qui ſolus de virili ſexu in hominum vniuerſa maſſa,& actuali & originali culpâ liber, captiuus & ſeruus apparere voluit, atque inter mancipialem connumerari turbam:Num in his cum genitrix ſequuta etiam? Non potuit hodie quidem purificanda, quoniam non pro Matre offerebantur ſicli, ſed pro vteri primogenito maſculino fructu: anticipauit autem ipſa quoque,cùm Domina eſſet,atque libera, vt ſerua & Ancilla videretur: Sanè & de culpa nihil illa contraxit vnquam nec originali, nec actuali, idcirco inter puros homines ſola, quæ captiuitatem non eſt experta,proinde & ſingulari modo libera,atque Domina illa ſola:non latebat Archangelum; ideò,in principio ſalutationis eo inſigniuit titulo: Ne timeas Maria,inquiens,&c. Quam ad ſententiam Chryſologus ſermone 141. *Ante cauſam dignitas Virginis annunciatur ex nomine: nam Maria Hebræo ſermone, Latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominam,vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis: quam naſci, & vocari Dominam, ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit authoritas:* Et quanquam Dominæ Gabriel ſuppreſſiſſet vocem,tamē ipſa legationis forma Dominam ſatis probabat: Quare enim de filij Incarnatione cum ſancta Puella conſilium initum? cur illâ vigilante atque attentâ Spiritus ſanctus operatus in ea? quorſum non & in eam ſoporem immiſit, ſicut ab antiquis in Adamum, cùm de eius latere formaretur mulier? certè nec cum ſeruis, nec cum plebeia turba tam officioſè nos gerimus, vt niſi per conſenſum, & quaſi eorum bonâ expectatâ veniâ, aliquid fieri cupiamus:iubemus imperioſè atque deſpoticè: cæterùm, vt de nobilium claſſe occurrat quiſpiam, qui liber & ingenuus eſt, precamur facultatem rerum gerendarum ab eo concedi: Ergo, quia Mater Eua, licet Domina creabatur & liberæ conditionis, gratiæ nimirum ipſa cum animatione,imbuta ſplendoribus: quia tamen hanc ingenuitatem per gulam & inobedientiam poſt breuia amiſit ſpatia Dæmoni ſubdita ob peccatum, ſicut & is,de qua producebatur; cùm formabatur, Adæ non eſt requiſitus conſenſus: Quoniam autem Mariæ nunquàm præuaricatum erat, nec poterat eius ſoboles contaminari;propterea quaſi nobilis honor factus eſt, vt priuſquam genitrix in vtero conciperet, Angelo aſſentiret: Eleganter Guilhelmus Paruus apud Delrium ad v.1.c.2. Canticorum, in mixta Interpretatione: *Quippe, nolebat Omnipotens ſuæ Incarnationis miraculum operari in ipſa,non cooperante ipſa,nec Carnem volebat ſumere ex ipſa,non dante ipſa: itaque non tantùm ex ipſa Carnem ſuſcipere volebat,ſed etiam ab ipſa: non ſic olim, non ſic,quando immiſit ſoporem in Adam,vt de corpore neſcientis tolleret,vnde illi mulierem formaret:*Tantis igitur de cauſis Maria Domina, ingenua, libera, & quia Mater Creatoris & quia immunis à peccato, reſpondet verbum infinitæ ſubmiſſionis: Ecce Ancilla Domini:*Quæ eſt hæc tam ſublimis Humilitas* (exclamat Bernardus hom.4. ſuper Miſſus eſt) *quæ cedere non nouit honoribus, inſoleſcere gloriâ neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat: Non mediocris reuera humilitatis inſigne, nec, oblatâ tantâ gloriâ,obliuiſci humilitatem:*Igitur,cùm Domina eſſet, ancillam ſe prædicabat: quamobrem? Vtique nouerat filium, quem eſſet paritura, cùm infinitis nominibus liber eſſet, quia tamen venturus eſſet in ſimilitudinem aliorum hominum, vt homines lucrifaceret, eas ſubiturum notas, quæ rem non ſatis intelligentibus perſuaderent captiuum eſſe, atque de maſſa peccatorum, ideò & circumciſum iri, & redimendum in Templo, & alias ſeruorum contumelias paſſurum:cupiens itaque & in his aſſimilari Dilecto, iiſdémque veſtiri inſignibus: tum maximè, quando ſeruitute eximebatur Mater Domini annunciata;famulam, atque ancillam ſe dicit.

Exod.13. Numer.18.

Toſtat. Bonfrer. *Vt Chriſtus inter ſeruos in Præſentatione ſua & quinq; ſiclorum ſolutione connumeratus: Sic Maria inter Ancillas ſe numerat dum ab Angelo ſalutatur.*

Chryſolog.

Delrio.

Bernard.

109. Iam verò Templum ingreſſæ occurrit Simeon, iuſtus & timoratus ſenex: Sed heu,quibus ſalutat Matrem! *Et tuam ipſius Animam*(inquit)*pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Luc. cap. 2. verſ.35. emphaticæ voces ſunt illæ: *tuam ipſius:* hoc eſt quanquam Mater ſis Chriſti huius vt exponit Chryſoſtomus oratione de occurſu Saluatoris: *Tu autem, ſubiungit porrò, quæ Mater haberis, nunquid non tentabere? ob idne forſitan, quod Pueri huius Matrem te profiteris, ab omni prorsùs tentatione immunis eris?* Certè quidem, eò quòd Domini genitrix futura erat hæc Virgo, ab originaria labe præſeruata eſt: Quod ſi hac contagione non eſt fœdata, vt quid experiretur tribulationem & dolores, quæ nec genus humanum comprehenderent, ſi Adam non peccaſſet? nonne ob hoc priuilegium, cùm pareret,cùm fœtum portaret, nihil afflictata eſt? cur igitur acerba vaticinatur Simeon? Dixerat ſanè de filio: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum, cui contradicetur*; nec tamen latebat ſenem, in quo erat Spiritus ſanctus, haud talibus pœnis obnoxium aliquo modo filium,& ſolâ charitate generis humani,accedente genitoris pręcepto voluiſſe Crucem perpeti: igitúrne Mater licet innocens,licèt non eſſet promerita,abſque Cruciamentis tranſiret? nequaquam ſanè: maximum ei futurum tormentum, ſi non dolente filio, lugeret quoque; ideò ſubintulit ſtatim: *Et tuam ipſius Animam pertranſibit gladius:* Atque Angelos ſtupore affectos, quod Virgo patiatur, ſubintroducit Guerricus Abbas ſerm. 2. de Aſſumptione Mariæ; quibus illa ſatisfacit filij prolato exemplo: nam de vltimo eius morbo, qui ab Amore planè, loquentes: *Languor enim, quem locum in Corpore tuo reperit, in quo ſalus mundi tamdiu habitauit? De corpore illius filij tui virtus exibat, & ſanabat omnes; adeò,vt etiam fimbria veſtimenti Hæmorrhoiſſam ſanauit:& Tu,quæ tamdiu ipſum in vtero,in ſinu,in gremio continuiſti, quomodo poſtea vlli infirmitati, aut languori vel acceſſibilis eſſe potuiſti? Non eſt, inquit, quod id miremini: Sed illud ipſum corpus filij quale aliquando fuerit, recordemini: ad extremum non ſine paſſione mea, ludibria, & ſupplicia Paſſionis, & Crucis adſpexi per ſingula diſcens, quàm verè de eo noſter Iſaias dixerit! verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: Cur ego doleam, non eum meo dediſſe corpori,quod ſuo non dedit? Non ſum ita delicata,aut ſuperba: vt quod ille dignatus eſt pati; ego quantulacumque ex parte pati non poſſim, aut nolim.*

Luc.2.35.

Chryſoſtom. *Dum Simeon Chriſtum poſitum in ſignū cui contradicetur prophetat:Etiā Mariæ pectus gladio tranſuerberandum vaticinatur.*

Guerric. Abb.

Et



110. Et vt percipias, quàm ad amuſſim filij in ſe transferre opprobria & dolores genitrix conata; conſidera quid illo patiente acciderit; nam tum Simeonis adimpletum oraculum de enſe perforaturo Animam illius:in laboribus Chriſtus ſemper;nam præter vitæ quotidiana grauamina,obuerſabatur menti Paſſionis tam dira imago, ne tum,quando transfiguratus, eſt obliuioni cōmiſſa,nam loquebantur de *exceſſu*, quo ſupplicium Crucis ſignificabatur. At Virgo nū ſemper in triſtitia?Equidem,cùm pareret;feriata eſt; nec enim moleſtiæ quidquam fuit:Quid igitur moliendū, ne aliquid in vitæ lineâ dolore vacuum appareat? nimirum, vt quæ ſubterfugerat cruciamenta in Bethleemitico ſtabulo,ea reperiret iuxta Crucem ſtans:quâ dicendi metaphorâ veterum non pauci vtuntur, cùm Martyrium Virginis explicant ob filij necem:Damaſcenus lib.4.de fide Orthodoxa c.15. *Ipſa Beata Maria, & ſuper naturam donorum digna effecta; dolores partûs,quos effugit pariens, illos tempore Paſſionis ſuſtinuit ex materna compaſſione.* Richardus à Sancto Laurentio lib. 3. de laudibus B.Virginis,pag.193. *Huius autem nouitas Martyrij oſtenſa eſt,*Iſaiæ 66.*Vnde admirans exclamat: antequàm parturiret,peperit,*&c. *Parturire propriè eſt ante partum,& in partu laborare; parere. fœtum proferre: Maria verò antequam parturiret, peperit; quia ſicut canit Eccleſia; Sine dolore peperit Saluatorem ſæculorum; ſed longè pòſt parturijt; quia in filij paſſione ſenſit dolores puerperæ:* Talibus igitur documentis Maria ſemper probauit, non minùs veram ſe filio comitem in aduerſis,quàm glorioſis; & vt beneficia amauerit cum gratitudine; dilexiſſe quoque tormenta.

*B.Virgo dolores quos effugit pariens, hos ſuſtinuit filio compatiens.*

Damaſcen.

Richard à S. Laurentio.

# VESTIGATIO VIII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum ſextum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus:* Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie,ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. *Cap.1. verſ. 6.*

*Veteres an ſederent,an accumberent in epulis? vter Mos Iudæis antiquior? Agnum Paſchalem an comederent ſtantes? Recubitus forma: Stragularum Triclinarium, & lectorum pretia; ex ſacris voluminibus multa enucleata: lotiones quotæ ſub Conuiuio? Vxor, filij, ſerui quemadmodum diſcumberent?*

### SECTIO I.

1. QVONIAM paulò aliter, quàm vulgata conſueuit interpretatio, hic à nobis exponendus locus, operæ fuerit pretium declarare, quem obſeruarent Ritum in epulando veteres, non ferculorum quidem,aut menſæ, ſed ipſo Corporis habitu: Sanè antiquiſſimis Heroum temporibus, morem extitiſſe, vt ſederent, vix quiſpiam recuſat:Quod ex Homero,Valerio Maximo,Iſidoro Hiſpalenſi,Seruio Grammatico demonſtrat Tiraquellus ad cap.21.lib.5. Alexandri Neapolitani: Iuſtus Lipſius Antiquarum lectionum 3.Petrus Ciacconus de Triclinio Romano; Ioannes Roſinus Antiq. Roman.lib.5.cap.28.Inde apud Naſonem lib.5.Faſtorum:

*Ante focos olim ſcamnis conſidere longis*
*Mos erat,& menſis credere adeſſe Deos.*

*Sedebant ad menſam veteres antiquiſſimis temporibus.*

Homer. Valer.Max. Iſidor. Hiſp. Seruius. Tiraquell. Alex. ab Alex. Lipſius. Ciaccon. Roſinus. Ouid.



Toro tamen decubuiſſe etiam ſub initio homines,cùm adhuc impolita eſſent ſæcula, Iuuenalis indicant verſus ſub initio Satyræ 6.

*Syluestrem montana torum cùm ſterneret vxor*
*Frondibus,& culmo,vicinarúmque ferarum*
*Pellibus.*

Veriſimilius tamen eſt priſcos Mortales,quos luxus non fregerat, ſediſſe ad menſam: paulatim voluptate honoris cum titulo,mentiente, factū, vt potentiores accubitu à minoribus diſtinguerentur, atque ideo lecto donatum Æneam inter epulandum Latinus introducit Poëta 8.Æneid.

*Hæc vbi dicta: dapes iubet,& ſublata reponi*
*Pocula; gramineóque viros locat ipſe ſedili:*
*Præcipuúmque toro,& villoſi pelle Leonis*
*Accipit Æneam.*

Veteris meminit conſuetudinis Athenæus Dipnoſoph.lib.1. ſimulque aduertit,fortibus ſolùm viris conceſſum,idque præmij loco,vt accumberent in ſympoſio:*Sedebant*(inquit)*in cœnis Heroës, non accumbebant: Hegeſander ſcribit apud Macedonas neminem in cœna accumbere ſolitum, qui aprum extra retia non interemiſſet; Verùm, in ſedilibus cœnaſſe quoad feram occidiſſent:*Quamobrem & poſterioribus etiam Temporibus, ne Principum quidem filiis indultum, vt lectulo iacerent, fortaſſe quod iuuentutem ſeuerioribus coerceri legibus, æquum ducerent Parentes:Tacitus lib.13. Annal. cap.4. *Mos habebatur, Principum liberos cum cæteris idem ætatis Nobilibus, ſedentes veſci in aſpectu propinquorum, propriâ, & parciore menſâ:* Iam

Iuuenal.

*Vt diſtinguerentur potentiores à minoribus,ad mēſam accubuêre.*

Virgil.

*Heroibus cōceſſum vt accumberent.* Athenæus.

*Nec Principū filijs conceſſa accubatio.*

Tacit.



ad

ad antiquiſſimum reditum vbiuis vſum: certè & S.Martini ætate, de quo, cùm à Maximini Imperatoris conſorte Regina exciperetur Conuiuio, Paulinus lib.4.

Paulin.

*Apponit menſam, ſellam locat, ingerit vltrò*
*Lintea ſiccandis manibus, Lymphíſque lauandis;*
*Eſcas perſpicuis properat deferre caniſtris.*

*Etiam nunc Orientales accumbunt.*

*Sellam* videlicet attulit, vt ſederet: Quanquàm & hodie quoque, Orientales ad menſam, non ſedêre, ſed accumbere conſueuerunt.

2.
*Quandonam apud Hebræos Conuiuialis accubationis exordium, & à quibus didicêre.*
Gen. 43.33. Philo. Perer. Bonfrer.

Quid autem de Hebræorum Republica Bibliorum Textus? Nam vt ſacro inſtrumento aliquam ſuggeramus lucem, profana coaceruamus. De Ioſepho, cùm fratres apud eum hilareſcerent, Gen. c.43.v.33. *Sederunt coram eo, Primogenitus iuxta Primogenita ſua, & minimus iuxta ætatem ſuam*: quibus conſideratis Philo Hebræus lib. de Ioſeph, planè adſtruit, nondum diſcumbendi modum introductum fuiſſe: eam in cogitationem vergit Pererius ad v.22. eius capitis, diſp.1.n.15. Bonfrerius, qui vſque ad Troiani belli ſæculum, quingentis & vltra annis Ioſepho minoribus, ignoratos lectorũ accubitus ab epulantibus, putat: atque præter litem omnem, antiquiorem fuiſſe accubitu ſeſſionem Pradus noſter affirmat ad v.41. cap.23. Ezechielis: ceterùm neque vſque ad Troiani Belli ætatem latuiſſe accubitus triclinares, vt cenſebat Bonfrerius, neque à Græcis eum mutuatos luxum Iudæos, ſed ab Ægyptiis noſter indicauit Sanctius in c.20. lib.1. Reg. n.20. ac propterea iuſſos Exodi c.12. vti Agnum ſtantes, calceati, atque præcincti comederent, quò mollem Ægyptiorum vſum in comedendo dediſcerent, nam illi iacebãt in culcitra & ſtragulis veſte fluxâ, ac deponebant ſoleas: At verò & de noſtris Fr. de Mendoça tom.3. in lib.1. Regum in Expoſitione Literæ ad v.24. c.9. n.4. arbitratur necdum ſub Prophetæ Samuëlis æuo accumbere ſolitos Iſraëlitas: Sanè, quod mea potiſſimum intereſt, Salomone regnante, cuius imperium hoc reſpicit geniale Carmen; accubitus notio fuit, conuiuialem ſignifico; nam de eo ex Prouerb.c.5 verſ.20. *Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & fouêris in ſinu alterius?* Delrius exponit Adagio 125. ad v.6.c.13. Deuteronomij: nos quoque epularem fuiſſe vſum, vt in Conuiuio, Amicorum ad pectora caput dilectiſſimi aduoluerent, oſtẽdimus Veſtig.2.n.16. quæ, vt vera eſſe admittantur, Salomonis longè vetuſtior Monarchiâ mos accubandi ad menſas extitit: Nam & præfato Deuteronomij loco ſimilia inueniuntur, & Reg.2.c.12. v.3. Si tamen his caruiſſemus argumentis; huius Epithalamij ſufficerent verba hoc 1.cap.v.11. *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorẽ ſuum*: nam eſſe ſermonẽ de Conuiuio, atque adeò de lectis triclinaribus, Recentiores, qui corticẽ Hiſtoriæ diligentiùs expenderunt, adſentiunt, Genebrardus, Titelmannus, Cyprianus Ciſt. Luiſius de Leon, Delrius, Almonacyrius, P.Nannius, Ghiſlerius, Sanchez, Placidus Nigidius, atque cæteris eruditiùs Ludouicus de Sotomaior vtroque Cõmentario, magno, atque breuiori; vbi tamẽ monet antiquiorem fuiſſe ſedendi morẽ accubationibus: Sed quanquã libenter & fateamur & velimus, ex toro, in quo iacerent epulãtes Hebræos Salomone iura dante; non tamen acquieſcimus vel Delrio, vel Placido Nigidio aſſerentibus ad præfatã Hymenæi ſententiam exoletum penitus vſum ſedendi poſtquã Imperij habenas Salomon acceperat; nã eo de mortalium cœtu ablato, Reg.3.c.13. v.20. *Cùmque ſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad Prophetam.* Ieremiæ autem c.16.v.9. *Et domum Conuiuij non ingrediaris, vt ſedeas cum eis, & comedas, & bibas*: Igitur, non ſtatim atque introducta eſt accubatio, extincta ſedendi memoria, ſed paulatim: Credo antè Euangelium, preſertim ex Grecorum nimia familiaritate ne veſtigium aliquod relictum ſedendi vsûs: quamobrem, cùm omnium ordinum ille eſſet mos epularũ, Chriſtus qui vitæ communis non aſpernabatur cærimonias, & decumbebat inuitatus ad menſam à Iudæis: Quod illum in domo Phariſæi, cùm mulier in Ciuitate peccatrix, capillis extersit pedes eius, Lucæ cap.7. v.38. feciſſe; eius loci interpretes concedunt ordinariè; ex hactenus nominatis Petrus Ciacconus, Prado, Sotomaior, Giſlerius, Nigidius, Laurentius Ramirecius in Pentecontarcho, cap.12. noſter Gretſerus in Pedilauio, cap.6. Quin & propterea, quod antiqui ritus generatim apud Hebræos in deſuetudinem abiiſſent, quo ſtatutum vti Agnum paſchalem ſtantes comederent, cùm non aliud in omni viſceratione ſeu legali, ſeu communi, quàm tori, & decubitus, Seruatoris tempeſtate, & ipſum cum Diſcipulis non ſtantem, ſed accumbentem, legalem Agni peregiſſe cœnam; Statuti autem voce intelligunt, non præceptum aliquod, neque enim tale Exodi cap.12. vbi ritus præſcribuntur, quos eſus requirat Agni; ſed quandam obſeruantiam primi moris, tum enim ſteterunt ob feſtinandi ſtudium: cui certè opinioni Euangeliſtarum fauet plurimùm Textus: nam diſertè tradunt diſcubuiſſe Matthæus cap.26. verſ.20. Lucas cap.22. verſ.14. Ioannes capite 13. verſ.4. narrat, ſurrexiſſe illum à cœna, non autem ſurgit, qui ſtat, verùm quod non ſederet, explicauit idem, verſ.12. inquiens: *Cùm recubuiſſet iterum, dixit eis*; quoniam nimirum & antequam ſurrexerat, recumbebat quoque; & huius Tutelares ſententiæ Baronius tom.1. anno Chriſti 34. numero 38. Pradus ad verſ.41. cap.23. Ezechielis, Pererius diſputatione 7. in cap.12. Exod. num.48. à quibus non diſſentit ad cap.13. Ioannis diſputatione 15. num.42. Torniellus tom.1. Anno mundi 2544. num.14. Si quid Salianus, & hoc etiam tom.6. Anno mundi 4086. num.28. Sed habet egregios fautores & oppoſita cogitatio, Maldonatum in c.13. Ioannis ad verſ.2. Serarium lib.4. Ioſue. cap.5. quæſtione 24. num.7. Gretſerum de Pedilauio c.8. Bonfrerium ad v.11.c.12. Exodi: At fuerit ita; omnes tamen conſpirant in communibus cœnis, toro, & ſtragulis decubuiſſe Hebræos, & fuiſſe morem totius Iudææ, à quo proinde Chriſtus non abhorruerit; legendus Pererius in cap.13. Ioannis à diſputatione 38. ad quadrageſimam ſecundam.

Prado. Sanchez. Exod.12. Mendoça. Prouerb.5.20. Delrio. 2.Reg.12. Cant.1.11.
Genebrard. Titelmann. Cypr.Ciſter. Legion. Delrius. Almonacir. Nannius. Ghiſler. Sanchez. Nigid. Sotomaior.
3.Reg.13.20. Ierem.16.9.

*Ante Euangelium nullus ad menſam ſedendi vſus apud Hebræos, vnde ipſe Chriſtus recubuit.*

Luc.7. Ciaccon. Prado. Ramirez. Gretſer.

*In Cœna recubuit Chriſtus.*

Matth.26.20. Luc.22.14. Ioan.13.4. Baron. Prado. Perer. Torniell. Salian. Maldonat. Serar. Gretſer. Bonfrer. Perer.

3.
*Conuiuialis Recubitus forma apud veteres.*

Iam verò Recubitus forma erat: Menſam, ſiue quadrã, vel ſemicircularem lecti ambibant vulgarim tres, inde τρίκλινον Tricliniũ, vt cõmune fert Etymon, vnâ tamen inuallatâ relictâ parte, vt & demi, & reponi à miniſtris fercula commodè poſſint; lecti altis ſuffulti pedibus: materiæ pretium Hoſpitis ſuppeditabat magnificentia, ex argento, ex ligno imputribili, & odorato, nec ebori, nec auro parcebatur; Stragulorum atque Tapetium æmula oſtentatio; & culcitræ, & puluinaria ingentis gloriæ: *Cœnæ initio* (ait ſuo Romano Triclinio Petrus Ciacconus,) *proni in ventrem decumbebant puluinis pectori appoſitis, quo vtraque manus ad veſcendum eſſet liberior: procedente autem Conuiuio, in cubitum ſe reponebant, aut ſi loqui nollent, ſupini iacebant.* Iconem Chriſti, cùm ad Phariſæum diuertit, & Magdalena peccatorum indulgentiam conſequuta eſt, eiuſdémque Paſcha

P.Ciaccon.

cum



cum Diſcipulis celebrante cum graphica delineatione, exhibuit noſter Prado ad ſæpiùs memoratum verſ.41. cap.23. Ezech. horum pleraque licet ſatis ſtabilita ab hactenus allegatis Authoribus, vti & ab Aldo Manutio Pauli filio, lib.1. de quæſitis per epiſtolam, ep.4. à Hieronymo Mercuriali Gymnaſticæ lib.1. cap.11. à Philandro ad cap.5. lib.6. Vitruuij, non deſinemus tamen aliquid proferre ex his, quæ nobis inter legendum occurrerunt: Statius 1.Theb. de Conuiuio Adraſti Regis:

Prado. Ald Manut. Mercurial. Philand.

Stat.
*Tricliniorum luxus.*

*——————vario ſtrepit icta tumultu*
*Regia; pars oſtro tenues, aurôque ſonantes*
*Emunire toros, altóſque inferre Tapetas.*

Clem. Alex.

Clemens Alexandrinus lib.2. Pædag. cap.3. *Ergóne etiam indignabitur Menſa, quæ eſt pedibus eburneis inſtructa, ſi panem vnius oboli portauerit? Ego autem dico vel humile grabatum nihilo meliorem præbêre accubitum, quàm lectum eburneum*: ad aliorum differentiam lectorum, benè Tacitus Annal. 14. cap.3. de funerali Agrippinæ pompa: *Cremata eſt eadem nocte conuiuali lecto, & exequijs vilibus.* Athenæus lib.12. Dipnoſoph. de Polycrate Tyranno: *Sumptuoſos lectos faciendos curauit, ac pocula; quæ vtenda dabat, ſi quis aut per nuptias epularetur, aut apparatu lautiore Amicos, vel Hoſpites inuitaret.* Philo Hebræus de vita contemplatiua: *Triclinia lectos habent eburnos, aut teſtudineos & pretioſioris materiæ, gemmatos pleróſque ſtratos auro intertextâ purpurâ, vel alijs floridis coloribus varijs oculos allicientibus.* Sed Triclinij vniuerſum apparatum elegantiſſimis verſibus Lucanus depinxit, ex quibus facientes ad præſens inſtitutum, paucos mutuabimur: Sic lib.10.

Tacit. Athenæus. Philo.

Lucan.

*Fulget gemma toris, & iaſpide fulua ſupellex;*
*Strata micant Tyrio: quorum pars maxima ſucco*
*Cocta diu virus non vno duxit aheno;*
*Pars auro plumata nitet, pars ignea Cocco*
*Vt mos eſt Pharijs miſcendi licia telis.*

Singularis ornatus ille eſt apud Aſterium Amaſeæ Epiſcopum hom. in Auaritiam, Diuitis & Pauperis expenſa fortuna: *Hic quidem in ſolo nudo* (ait) *procumbit: ille verò diuitijs laborans in lecto ſe reſupinat circumquaque fulgente, & argenteis ſphæris, atque catenis vice funium exornato*: An de hoc genere illud Parœmiaſtæ cap.25. verſ.11. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur Verbum in tempore ſuo?* Certè ob lectorum faſtum, munditiei plurima Cura: vnde Clemens Stromatæus lib.2. Pædag. cap.1. *Ab omni ergo ſeruili, & illiberali actione, & intemperantia abſtinendum eſt; quæ apponuntur, honeſtè tangendo; & manum, & lectum, & barbam ſeruando impollutam*: eam ob cauſam pedes calceis depoſitis abſtergebantur, & Veſtigiorum lotiones fiebant: conſule nominatos hucuſque Authores, & imprimis Gretſerum in Pedilauio: De puluinis Seneca ep.37. *Demens, quid intereſt, quam lecti premas partem? honeſtiorémne, aut turpiorem poteſt facere puluinus?* Chryſoſtom. tom.5. hom. *Quod nemo læditur niſi à ſeipſo. Illi namque qui tota die attritis & laceſſentibus cubitis recumbunt, & cœnas prandijs iungunt.* Martialis libro 3. Epigr.40. de Zoili Conuiuio:

Aſterius. Prouerb.25.11.
Clem. Alex.
*Vnde pedum lotio ante cœnam.*
Gretſer. Seneca. Chryſoſtom.

Martial.

*Iacet occupato galbanatus in lecto*
*Cubitiſque trudit hinc & inde Conuiuas*
*Effultus oſtro: ſericiſque puluinis.*

At num & harum Rerum probationes aliquæ per ſacrum diſperſæ inſtrumentum tantiſper & conſideremus etiam.

4.

Equidẽ de Triclinio & lectis admodum præ-



clarè Eſtheris Volumen c.1.v.6. *Lectuli quoque aurei, & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino, & Pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant.* Amos c.6. verſ.4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris*: (nam eſſe de ſympoſio orationem ſequentia indicant,) *qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armẽti.* De Conuiualibus ſtragulis idẽ Amos c.2. v.8. *Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxtà omne altare*: Oſtendit noſter Roa ſingularium lib.2. cap.10. de puluinis in gratiam epulantium factis mulierum ingenio fortaſſe intelligendus Ezechiel cap.13. verſ.18. *Væ, quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus; & faciunt Ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas.* De pedum ablutione non infrequens eſt ſermo, & maximè nobilis apud Ioannem, cùm Diſcipulorum plantas Seruator abſterſit linteo præcinctus, atque adhibitâ pelui, cap.13. verſ.4. Sed demiratur Origenes, quod cum Euangeliſta ſurrexiſſe à Cœna affirmet, vt diſcipulorum pedes lauaret: nonne enim priuſquam Conuiuæ decumbant, ablutio peragitur? Eius autem Verba hom.32. in Ioannem: *Quin Euangeliſta etiam videtur mihi, excitans mentem noſtram ad intelligentiam ſpiritualem præſentis loci, non obſeruaſſe hoc in loco corporalem lauandi conſequentiam, & ordinem: quandoquidem qui opus habent lauari, ante cœnam, antéque Cœnæ accubitum pedes lauant.* De corporali tamen lauacro Cardinalis exponit Baronius tom.1. anno Chriſti 34. num.38. quam duplicem fuiſſe putat, quemadmodum & Cœna fuit duplex; quare non mirum, quod Cœnâ factâ, hoc eſt primâ abſolutâ Cœnâ, antequam ad vulgarem accederet Chriſtus, & inſtitueret Euchariſtiam, dicatur voluiſſe Apoſtolorum lauare veſtigia: Sanè & meminit duplicis prãdij Athenæus lib.1. Dipnoſoph. & ante ſecundum ablutos pedes: *In Menelai* (inquit) *Conuiuio, peculiare eſt quod pranſi confabulantur, deinde lotis pedibus rursùm prandium inſtaurant*: Atqui ſi & pedes Simonis Petri anteà abluti, cùm ad cœnam legalem accumberent, cur dictum eidem: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus?* nam cur omiſſum vt pedes abluerentur, cùm id præcipuè in Conuiuiis obſeruatum? An ideò; quoniam non vnâ lotione ſatis deterguntur pedes, aliter de cætero corpore, quoniam ſordibus obnoxia magis veſtigia, atque ibi & ſudor & puluis denſantur? Equidem & crebram fuiſſe lotionem ſub eodem Conuiuio ſuggerit Clemens Alexandrinus, qui libro 4. Stromatum ait: *Erat mos Iudæorum, vt etiam ſæpè in lecto tingerentur*: Et hunc ob ſcopum in aula Conuiuij poſitas hydrias aquarum, vt de Canæ Galileæ nuptiis teſtatur Ioannes cap.2. verſ.6. affirmat Gaudentius Brixienſis tractatu 9. *Iudæi* (ait) *id moris habebant, vt priuſquàm Synagogam ingrederentur, & de publico regreſſi domum, priuſquàm pranderent, Cutem corporis ſui aquâ abluerent: erat autem menſura aquæ ad abluendum corpus, ſufficiens; vel duæ Metretæ, vel tres; id eſt amphoræ duæ, vel tres, pro quantitate ſcilicet magnitudinis corporum.* Et Haymo ſimilia in Ioannem.

Eſther 1.6. Amos 6.4.
*Tricliniorum lectuli & puluilli,*
Et 2.8. Roa. Ezechiel.13.18. Ioan.13. Origen. Baron.
*Duplex olim in Cœna lotio.*
Athenæus. Ioan.13.10.
*Crebra in eodem Conuiuio Iudæorum lotio.*
Clem. Alex.
*Vnde Hydriæ in Triclinijs.*
Ioan.2. Gaudentius Brix. Haymo.

5.
*Quo ordine Menſis accumbebant Veteres.*
Hier. Prado. Ezechiel.23.41.

Numquid verò ſtratis accumbere ſolitæ omnes Perſonæ indiſcriminatim, & vterque æquè ſexus? De mulieribus negat noſter Hieronymus Prado, in verſum 41. cap.23. Ezechielis: nam ibi de fœmina: *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te*: At fuit ille priſcus vſus, aut non ſemper obſeruatus: nam in Mariti recubuiſſe ſinu vxorem & apud Hebræos, & inter

Aa 3 alias

alias gentes docuimus Veſtigat.2.n.16.Scio Valerium Maximum lib.2.c.1.n.2. allegatum à Prado; nam inquit:*fœminæ cum viris cubantibus ſedentes cœnitabant:quæ conſuetudo ex hominum conuictu ad diuina penetrauit:nam Iouis epulo ipſe in lectulum; Iuno & Minerua in ſellas ad cœnam inuitantur.*Sed vt viguerit aliquando hic mos,poſtea abrogatus; ideò & cōtinuò ſubdit Valerius:*Quod genus ſeueritatis ætas noſtra diligentiùs in Capitolio, quàm in ſuis domibus ſeruat*; Significans nimirum in familiaribus epulis & diſcubuiſſe mulieres:Pueros, quanquàm eſſent Principum liberi,nō accubuiſſe,ſed è regione Parentum ſediſſe priuatam ad Menſem oſtendimus ſuperiùs n.1.famulos autem,cùm priſca regnaret ſimplicitas, ſolitos nonnunquam ad epulas cum Dominis vnà ſedere monſtrauimus Veſtigat. 1. n.51. Poſtea creſcente faſtu indigniſſimâ feritate coacti ſub menſis Herilis prandij analecta deuorare:Seneca eo,quo probauit tractatu,in ſapientē non cadere iniuriam c.14:*Non accipiat ergo ſapiens Contumeliam, ſi obſcœnorum vocibus improbis per forum agitetur? Si in Conuiuio Regis recumbere infra menſam,veſcique cum ſeruis ignominioſa officia ſortitis, iubebitur?*Sed de inhoneſtioribus id ſeruis; tamen & ipſi ſplendidiores ad fulcra & pedes lectorum ſtabant:Idem ep.27.de ſeruis Clauiſij Sabini: *habebat ad pedes hos,à quibus ſubinde,cùm peteret verſus: quos referret,ſæpè in medio verſu excidebat:*& lib.3.de Beneficiis,c.26.*Vt primùm diluxit,ſeruus qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixiſſet*: Quamobrem,cùm tandem manumiſſos libertate donarent, ad honoris cumulum ad Conuiuium admittebant: Tertull.de Reſurrect. Carnis,c.57.*Atquin,& veſtis albæ nitore,& aurei Annuli honore,& Patroni nomine,ac tribu, menſâque honoratur:*Atque hanc,vt imitaretur ſeruilis conditionis repræſentationem,plena delictorum Contritione Maria Magdalena, retrò pedes Chriſti ſtetit in domo Phariſæi,Luc.c.7.v.38.Quid enim, non poterat verticem contingere ſacrum? certè effracto alabaſtrite effudit vnguentum in caput recumbentis,Matth. c.26.v.7. vtique ſub Conuiuio, quod notarunt Maldonatus ibi, Pererius in c.13. Ioan.diſp.41. n.127. Sed mulier pudibunda ſcelerum, tum ſub initiis Pœnitentiæ, cùm arbitraretur filiorum eſſe ad verticem vſque contingere,inter ancillas connumerari voluit,quòd maiori ſe indignam gratiâ reputaret;planè quemadmodum inconſultus Iuuenis, poſtquam amentiæ eum tædêre cœpit, humilis proponebat dicere: *Pater,peccaui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de Mercenarijs tuis.* Luc.cap.15.verſ.19.

*Val.Max.*
*Vxor in Mariti ſinu accumbebat.*
*An Pueri & Famuli vnà cum Dominis ſederent?*
*Seneca.*
*Idem.*
*Liberti in Conuiuium admittebantur.*
*Tertull.*
*Luc.7.*
*Matth.26. Maldonat. Perer.*
*Luc.15.19.*

---

*Textus ſeriò diſcuſſus: quâ horâ ducendæ in Paſtum oues? Quanta affinitas Regiæ, & Armentariæ Gubernationis? Pecorum Magiſtri olim in honore:nuptiæ in domo Sponſæ: feſtinæ celebritates an noctu ſolum? varia ex Biblico penu, ex ſæculari vena: exteriores Tenebræ quænam? Prandio an abſtinerent Ethnici: De Chriſtianorum ieiunijs: Dilecti vocabulo cur ſignificatus Sponſus?Conuiuiorum ad amicitiam alendam introductio.*

## SECTIO. II.

6. *Paſtoritia hîc omnia.*

HActenus nos de politiſſimo Triclinio, de lautiſſimis Menſis: cui tanti paratura operis? Certè Magiſter Conuiuij, Paſtor: Hoſpites ouium,aut Caprarum greges: Cœnaculum,gramineus campus,aut Collium virides aſcenſus; & cùm Meridie pauſandum eſt, vel quercus frondoſæ longa & condenſa brachia; vel antiquæ depaſtæ Rupis viſcera. Equidem ſubintelligi hoc loco Opilionem cum gregibus ſuis, quos in prata ducat, ad vmbram requieſcere faciat; tantâ corroboratum eſt authoritate,quantam ſitientiſſimus teſtium deſiderare poſſit: Nam de ſenioribus tradidêre Auguſtinus libro ſingulari de Paſtoribus, cap.15. Origenes hom.2. ex quattuor; Nyſſenus hom.2. Caſſiodorus, Beda, Apponius, Theodoretus,& apud eum Tres Patres cum Pſello,Iſidorus Hiſpalenſis, Bernardus ſermone 32. Philippus Præmonſtratenſis lib. 1. in Cantica, cap. 23. Matthæus Cantacuzenus, Halgrinius Cardinalis, VVolbero Abbas, Thomas Ciſterclenſis: inter Hebræos Rabbi Salomon, Rabbi Abben Ezra,Rabbi innominatus: De Recentioribus autem quis non idipſum? Ioannes Picus Carthuſianus, Iacobus de Valencia, Guiddacerius,Hortulanus,Nannius, Genebrardus, Titelmannus,Cyprianus de la Huelga,Luiſius Legionenſis,Almonacir.Nigidius, Oſorius Nepos,Sotomaior,& in Notis breuioribus quoque, Giſlerius: noſtri Delrius,Alcazar, Sanchez, Ludouicus de la Puente tom.1.lib.3.initio tertiæ exhortationis,Arnoldus Cathius,Tirinus,Menochius. At quorſum fœmina tantoperè ardeat noſſe,vbinam Sponſus accubiturus ſit? Scilicet, mulieribus Cura impoſita de Paſtorum cibo: Quoniam verò per incerta loca palantes, modò in has,modò in illas declinabant partes, vbicumque lætiores herbæ; idcircò percunctatur, ſtabilem aſſignet regionem, vbi inuenire queat: talis vſus meminit Columella lib.2. cap.10. *Qui autem ſunt in ſaltibus, & ſilueſtribus locis paſcunt; & non in villa, ſed Caſis repentinis imbres vitant: his mulieres adiungere, quæ ſequantur greges, ac Cibaria Paſtoribus expediant, eáſque aſſiduiores faciant, vtile arbitrati multi: Sed eas mulieres eſſe oportet firmas, non turpes, quæ in opere, vt in multis Regionibus, non cedant viris; vt in Illyrico paſſim videre licet; quod vel paſcere pecus, vel ad focum afferre ligna, ac cibum coquere; vel ad caſas inſtrumentum ſeruare poſſunt.*

*Auguſtinus. Origen. Niſſen. Caſſiodor. Beda. Apponius. Theodoret. Pſellus. Iſidor. Bernard. Philippus Præmonſtr. Cantacuzen. Halgrin. VVolbero. Th. Ciſterc. R.Salom. R.Ab.Ezra. R.Innomin. Ioan. Picus. Valentia. Guidacer. Hortulan. Nannius. Genebrard. Titelmann. De la Huelga. Luiſ.Legion. Almonacir. Nigid. Oſor. Nep. Sotomaior. Giſlerius. Delrius. Alcazar. Sanchez. De la Puente. Cathius. Tirinus. Menoch. Columell.*

7. *Difficilis huius verſus cū cæteris nexus.*

Nec ego ſane demiror illos, qui impenſiori ſtudio Allegoriis ſuas referſerunt lucubrationes, quod Commentandi genus veteribus ſuauiſſimum fuit; vt quoniam ad has paſtoritia Ars fœcunda vena, cùm in ſequentibus Carminibus de grege legerent, de hœdis, de Tabernaculis Paſtorum, & hunc ad eadem referrent Verſum: Cæterùm, quando ex iunioribus non pauci ij fuerint,qui Literæ Corticem rodendum ſibi propoſuerint, & ſplendidâ pollicitatione nobis fidem interpoſuerint de connectendo huius Epithalamij filo, vt partes omnes inter ſe mirâ quadam eſſe conglutinatas Concordiâ, intelligeretur, nihílque huius ordine Codicis, & proportione venuſtius, quam obire inſigniter Prouinciam, cum omnibus penè diſciplinis ad amuſſim eſſent exculti, potuerunt,ſæpè & felici tentarunt auſu; quamobrem non in hoc etiam Verſu eorum deſudauit induſtria? Hucuſque Metrum omne ferè in exquiſitorum Vnguentorum profuſionibus, retrò quæ Adoleſcentularum cucurrêre mandræ,& madebat à copia Sponſi pectus; cúmque introducta eſt Sponſa à Rege in cellaria, demirata eſt, quàm diues atque opulentus eſſet vir



vir eius,cui tam ſtupendæ eſſent gazæ: Hic igitur qui tam potens in ſubſtantia, qui tam mollis ob vnguentorum pretia immenſa, vndenam ſubitò in Armentarium, & Bubulcum mutatus? Num de Attellanis fabulis ſacratiſſimus Hymenæus,vt modò ſubſidat Sponſus, & inter montium homunciones obſeruet pecora; modò verticem attollat,& veſtibus, luxu, ſatellitio Nobilitatis adæquet florem? quanam aduerſæ fortunæ coactus irâ,faſtigio diſceſſit gloriæ? ſaltem in his aliquid eiuſmodi produci debuerit, quod in vita hominum contingere ſolitum eſſet, quò ſeriam inſtitui Narrationem ſignificaretur. Deinde, omnes in eam conſpiraſſe ſententiam videantur, vt non ſeipſum Paſtor iſte, ſed oues pauiſſe ſupponatur: Atquin in meridie, cùm Sol vehementiùs adurit, non niſi ſtolidus Paſtor oues paſcere ſinat; tum feriandi tempora, tum capiuntur vmbræ. Marcus Varro lib. 2. de re ruſtica, cap.2. *Æſtate, primâ luce exeunt paſtum, propterea, quod tunc herba roſcida, meridianam, quæ eſt aridior, iucunditate præſtat: Sole exorto puto propellunt, vt redintegrantes rursùs ad paſtum alacriores faciant: circiter meridianos æſtus, dum deferueſcant, ſub vmbriferas rupes, & arbores patulas ſubijciunt, quoad refrigerato aëre veſpertino, rurſum paſcant ad Solis occaſum.* Titus Calphurnius Ecloga 5. cui titulus Mycon, egregiè deſcripſit:

*Quomodo Sponſus Rex in Paſtorem mutatus.*
*Meridies non eſt tēpus paſcendi, ſed feriandi.*
*Varro.*
*Calphurn.*
*Dies Paſtoralis pulcrè deſcribitur.*

*At, cùm longa dies ſitientes afferat æſtus,*
*Nec fuerit variante Deo mutabile cælum,*
*Iam ſyluis committe gregem, iam longiùs herbas*
*Quære: ſed ante diem pecus exeat,humida dulces*
*Efficit Aura cibos, quoties fugientibus Euris*
*Frigida nocturno tinguntur paſcua rore,*
*Et matutinæ lucent in gramine guttæ:*
*At ſimul argutæ nemus increpuêre Cicadæ*
*Ad fontem compelle greges; nec protinus herbas*
*Vel campos permitte ſequi; ſine protegat illos*
*Interea veteres quæ porrigit Eſculus vmbras:*
*Verùm vbi declini iam nona tepeſcere ſole*
*Incipiet, ſeræque videbitur hora merendæ:*
*Rurſus paſce greges, & opacos deſere lucos.*

Et his germana Plinius lib.18. c.33. Maro Georgicorum tertio: non igitur de ouium paſtu ſermo fuerit, ſed de hominum nutrimento, qui meridie veſcuntur.

*Plin. Virgil.*

8. *Sotomaior.*

Certè, vnus inter copioſam Interpretum multitudinem Ludouicus de Sotomaior, huius loci conſiderat attentè nodum; in quo ſanè Authore, vt ad lectionem propè infinitam, & acre indicium, par acceſſiſſet Methodus, non eò meliorem Explanatorem inter Iuniores hæc nacta fuiſſent Cantica: illo præeunte æquum eſt, vt communi ſubhæreamus ſententiæ. Probat igitur eruditè, ſummam eſſe quandam cognationem inter ouium, hominúmque gubernationem: Quod etiam argumentum noſter dexterè premit Mendoça tom.3. in lib.1. Regum ad verſ.3. cap.9. in Expoſitione Literæ num.2. In eum ſcopum Philo lib.1.de vita Moyſis: *Præfuit gregibus ad principatum ſe præparans: Nam paſtoralis Ars ad Regnum eſt præludium, hoc eſt, ad regimen hominum gregis manſuetiſſimi.* & libro de Ioſepho: *Et hoc eſt opinor, cur Poëtæ Reges vocant Paſtores populi: Nam, qui ſummus eſt in arte pecuaria, facilè bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpoſitus, approbatâ induſtriâ in minore negotio:* Scio noſtrum Salianum tom.2. anno Mundi 2514. à num.14. contra Philonem arietare: nam putat ad Regni adminiſtrationem Paſtoritiæ Artis cognitionem vix conferre poſſe: Neque ego id negauerim ſanè; niſi enim magnæ cuiuſdam Prouidentiæ dotibus inſtructus quiſpiam fuerit, vt conſenuerit in paſcendis ouibus, ad Magiſtratum & Regimen ineptus fuerit, quibus ſi fuerit inſtructus, ſatis erit aptus ad gubernandum, licet bubulcariam ignoret artem: animaduertit Gregorius Theologus, & propterea, inquiebat in 1. Apologetico: *Non idem eſt greges, ac homines moderari: illic enim quàm craſſiſſimas oues reddere ſufficit: quocirca irrigua, & compaſcua loca explorabit Paſtor; eò ducet, ac deducet oues; aliquando ſuo pedo, ſæpè verò & fiſtulâ: rarò autem & cum lupis pugnabit, & ægrotantes portabit humeris: cæterùm quercus ipſi, & vmbra, & fiſtulæ, curæ erunt: At verò homines regere homini longè difficiliùs:* Quod lato commonſtrat diſcurſu: ſed tamen inficiari nullus valeat, quaſi in typo & imagine quadam, Paſtoritiâ includi in Arte præſtantiſſima ad regendum documenta, ita vt ſi ſpiritaliter intellecta, ea ad hominum gubernationem referat, quæ in Animalium ducatu obuclantur, ne is proculdubio egregius euadat Imperator: Quamobrem & in prophana litteratura & multò frequentius in ſacra, vſitatiſſimum Regni ſymbolum, ſcientia bubulcaria eſt: conſulendus Lorinus in cap.20. Actorum, & in duas Petri epiſtolas,vbi memorat Chriſto ſummo Paſtore Animarum extincto,relatum in gentibus Pana Deum gregibus & armentis Numen morte conſumptum; Antonius Fernandez in viſionibus, ſextæ viſionis ſect. 2. à num. 3. Atque inde Pſalmo 2. verſ. 9. quod in Hebræo eſt תרעם *rakhah*, & ab Ordinario Interprete verſum: *Reges eos:* L X X. tranſtulêre ποιμανεῖς: *Paſces eos*, pro eo quod eſt paſtoraliter regere: & ſimiliter Pſalm.22. verſ.2. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*,&c. L X X. ποιμαίνει: *paſcit me:* qui Pſalmus penè totus eſt continuata Allegoria ducta à Paſtoribus in gratiam diuinæ gubernationis, quem ſingulariſſimè declarat Magnus Baſilius homil. 26. de Martyre Mammante, vbi venuſtiſſimum illud eius effatum: *Sorores quædam ſunt* (ait) *Paſtura, & Regni adminiſtratio.*

*Mendoça.*
*Philo.*
*Inter Ouium, Hominúmque Regimen cognatio.*
*Salian.*
*Nazianz.*
*Multa, eáque vtilia ad regendum documenta includit Ars Paſtoria.*
*Lorin.*
*Ant Fernād.*
*Pſalm.2.9.*
*L X X.*
*Pſalm.22.2.*
*Baſil.*

9. *Huius verſiculi cū præcedentibus nexus.*

Iam igitur, vt quænam ſit horum verborum cum antecedentibus cohærentia lectori appareat, eius ſubeat mentem, ſub exordio huius capitis primi ſtatim vt à deliquio conualuerat, Sponſam in Dilecti ſui laudes prorupiſſe, vt encomiorum eius recordatione leniret abſentiæ graue equidem vulnus amanti Puellæ: commendauit autem potiſſimùm ab iis virtutibus, quæ Regibus, è quibus ipſe, immortale pariunt decus; ſunt autem Clementia, & integritas Iuſtitiæ; quando nec ſeuerum eſſe abſque miſericordia, nec lenem ſine fortitudine, conueniat, Manſuetum ſubinnuit, cùm v.2. *Oleum effuſum* nominat, vt oſtendimus eius in explicatione verſus, Veſtigat. 3. num.19. Conſtantem prædicauit, cùm verſu 3. aſſeruit: *Recti diligunt te*, ſeu *Rectitudo, & æquitas dilexit te*, vt monſtrauimus Veſtigat.5.num.8. Dum in his verſabatur, ex Ieroſolymis de familiaribus Sponſi in Libanum delatus, quem Regem fuiſſe diximus, hoc eſt ſympoſiarcham; ſimul & introduxit in Cellaria,vt quantam opum vim attuliſſet, contemplaretur; & nunciauit de Inuidorum rumoribus in Metropoli contra eius & mores & formam, vt propterea Nigram, atque obfuſcatam dicerent, neque tanti Principis dignam thalamo: ergo in horum Mendaciorum confutatione paululùm immorata; nunc ſecundò regreditur ad eadem Principatus inſignia deprædicanda, Iuſtitiam nimirum, & Lenitatem:

*Paſtor, dicit Iuſtitiam, & Lenitatem, hanc tamen præcipuè.*

vtramque ſignificauit vt Paſtorem dixit: Nam hic & aliquando cum pecore iraſci debeat, ideóque pedum, vt errantes in viam reducat, portat: & certè Virgam atque baculum, de quibus Dauid Pſalm.22. verſ.6. plerique Enarratorum Diſciplinæ ſeueritatem cum Auguſtino exponunt; eius tamen prima Dos, Clementia eſt: quamobrem aduersùs Paſtores conqueritur grauiſſimè Dominus Ezechielis cap. 34. verſ. 2. *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Columella de re Ruſtica lib.7.cap.2. *Tum, qui ſequitur gregem, circumſpectus, ac vigilans magnâ clementiâ moderetur, idémque Duci propior, quàm Domino; & in cogendis, recipiendiſque ouibus, acclamatione, ac baculo minetur, nec vnquã telum emittat in eas:* Sed de boni Paſtoris onere multa noſter Gabriel Aluarez in cap. 40. Iſaiæ à num. 172.

Ezechiel.34. 2.

Columell.

Gab.Aluarez.

*Duæ cũ Sponſa Virginum turmæ.*

Cur verò Sponſa rurſum eaſdem iterat laudationes? Nimirum, duabus comitata Virginum turmis: Quædam erant à Sponſo ex Ieroſolymis miſſæ: quædam ex Libani agreſti vaſtitate, fortaſſe ex cognatarum numero: Priores illæ aulæ aſſuetæ moribus; ideò, vt intelligerent, Hieroglyphico vſa illis ſatis noto, vnguentorum ſcilicet; propterea, Sponſum, Oleum effuſum his nominauit, eius intelligens lenitatem ſummam: poſteriores vix aliud norant, quàm pecorum caulas quàm aut oues mulgêre, aut in paſtum ducere; inde factum, vt à paſtoritiâ arte ſimilitudinem mutuaretur, quo & Ruſticæ perciperent mentes.

10.

*Litera conſtructio.*

Vulgata quidem Interpretatio, de loco interrogari Sponſum denotat: *vbi paſcas? vbi cubes?* Audierat nempè Sponſa, feliciſſimam eam eſſe Regionem, & omnibus affluentem Commodis quam nouus regeret Maritus: Libani igitur pertæſa horrorem, & in amœnæ Prouinciæ æſtuans deſiderium; in eam vt transferatur, Sponſum dulciſſimè obſecrat. Quod autem in Hebræo eſt verbum איכה *Echah* plurimi non *vbi* vertunt, ſed *quomodo?* Velut Sponſa aſſerat: Amabo, quem diligit Anima mea, quemadmodum ſubditos, quemadmodum tantâ cum pietate, tantâ cum iuſtitiâ Regni modereris habenas: itaque eius fieri Diſcipula optat: qua de cauſa? nimirum, cùm ipſa Principis nobilior vxor; Regina & futura erat: ad eam tanquam ad aſylum confugituri ſubditi, quoties Regem placari cuperent; ideò in Pſalmo 44. de Sponſa ædepol verſ. 15. *Vultum tuum deprecabuntur omnes Diuites plebis:* Vt ergo noſcat ſic eſſe indulgens & miſericors, vt quoque iuſtitiæ, & æquitatis rationem habeat; poſtulat inſtrui à viro ſuo; cuius in pectore & Clementiam Rectitudo, & Rectitudinem Clementia deoſcularetur: Quod ſi Poëticæ licentiæ concedatur aliquid: quoniam planè in amatorio verſamur Carmine: Virgo, quæ ab exordio Epithalamij pro aduentu Sponſi vota fudit ſæpiùs, nunc eadem inſtaurat. O veni cordis noſtri ſolatium, & quam ego profeſſa ſum Artem ab infantia penè, vt hœdos paſcerem, cum Agnis & Matres in prata, ad vmbras ducerem, ne tu dedignare; Monarcha es ſcilicet, & de flore eximiorum: Sed conſidera, *vti ab initio huiuſmodi officium authoritatem obtinuit:* (Cyprianus ſermone de Natiuitate, ſi tamen genuinus fœtus:) *Abel Paſtor: Paſtores Abraham, Iſaac, & Iacob, viri Deo familiares: Paſtores Patriarchæ duodecim: Paſtor ipſe Moyſes, qui in eremi receſſu, dum ſequitur Pecudes, in Rubo conſpicit Deum; & poteſtate ſignorum collatâ, populi recipit principatum: Heliſæus de aratro Propheta conſtituitur: Dauid de poſt fœtantes accipitur, & in Regni ſolio collocatur.* De externis Marcus Varro lib. 2. de re Ruſtica cap.1. *De antiquis illuſtriſſimus quiſque Paſtor erat, vt oſtendit Græca, & Latina lingua, & veteres Poëtæ, qui alios vocant πολύαρνας alios πολυμήλους, alios πολύβουτας: qui ipſas Pecudes propter caritatem aureas habuiſſe pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quas ſibi Thyeſtem ſubduxiſſe queritur: vt in Colchide Æeta, ad cuius Arietis pellem profecti dicuntur Argonautæ: & quod æs antiquiſſimum, quod eſt conflatum pecore, pecore eſt notatum; & quod nomina multa habeamus ab vtroque Pecore, à maiore, & à minore, Porcius, Ouinius, Caprilius: Sic à maiore, Equicius, Taurus cognomina adſignificari; vt Annij Capræ, Statilij Tauri, Pomponij Vituli: Sic à Pecudibus alij multi.* Quando igitur regiâ non indigna Maieſtate, nec ſuperbis aut honorum, aut Nobilitatis titulis, ouium Cura; veni commorare mecum in ſyluis, in montibus: Quouſque Præſentiæ dilatas gaudia? Quouſque vrbanæ detinebunt voluptates? ita quidem ex vſu Bucolicæ Muſæ, qualem volunt Recentiores hoc eſſe Metrum.

Pſal.44 15.

*Poſtulat inſtrui Sponſa à Marito.*

*Votum Sponſæ ad Sponſum.*

Cyprian.

*Paſtores illuſtriſſimi.*

Varro.

*Clara à pecore nomina.*

11.

*Accubatio epularis.*

Sed quando vulgatam ſtabiliuimus Expoſitionem, quibus potuimus fulcris; Venia erit expetenda, vt in Circum prodire & intrita valeat cogitatio: Igitur, quando verba non definiant quinam illi, quos Sponſus vel paſcat, vel accubare faciat, & anteactâ ſectione latè docuerimus accubationem & in humanas quadrare epulas, quod toris Conuiuæ diſcumberent, vnde Marcus Tullius ſignificationis dictionum peritiſſimus libro de ſenectute: *Maiores noſtri* (inquit) *accubationem epularem Amicorum, quia vitæ coniunctionem haberet, Conuiuium nominarunt meliùs, quàm Græci, qui hoc idem Compotationem, tum Concœnationem, ſympoſium, ſyndipnon vocitarunt:* Opinari quiſpiam poſſit, Literæ nullam fieri violentiam, ſi de nuptiali accubatione conſtruatur: Nam paulo anteà quidem, introducta eſt Sponſa in Cellaria verſ.3. hoc eſt in Apothecas Rerum neceſſariorũ ad epulas geniales; miſſum enim cum apparatu ex Ieroſolymis in Libanum à Sponſo Triclinij Magiſtrum oſtendimus, cùm ea declararemus verba Veſtigatione 5. num.5. & vniuerſa fuiſſe Sponſæ obſignata annulo: Sed quoniam idem Cœnaculi Præfectus, vt monſtrauimus numero 13. ibidem, de Aulæ rumoribus interrogatus à Sponſa; ſignificauit eſſe, de vulgo præſertim, quibus noua diſplicerent Connubia: Ieroſolymitanas verò nurus inuidiâ accenſas, de forma Sponſæ, quin & de Mentis gratia, abiectiora quædam ſpargere; non putauit Virgo earum fabularum proclamandam dilutionem; Quare breui, ſed maſculo constructo Apologetico, vindicauit & ſuam & Mariti famam: Quoniam illum quidem Recti diligebant: ipſa autem nec vultu, nec corde eſſet ſubfuſca, ſed tota pulchra, & abſque macula omni: his ad modum Parentheſis Colloquio interiectis, cuius princeps ſcopus fuerat Tractatio de Menſa nuptiali cum famulantium Virginum turmis, & cum Architriclino; redit ad cœpti materiam Sermonis: Et quoniam Puellæ huius eò tendebant deſideria ſemper, vt ex Ieroſolymitana peregrinatione Sponſus feſtinus rediret, vt abbreuiaret abſentiam; tum ob Sponſæ amoris remedium, qui ob tædia cruciabatur: tum ne ſuperueniens Caſus aliquis promiſſa Connubia irrita feciſſet; captâ occaſione ab Apparatu nuptiali, quem Sponſus præmiſerat cum OEconomo:

Cicero.

*Senſus Literalis.*



nomo: Ecce, inquit, in promptu ſunt vniuerſa: quæ ratio moræ eſt? cur Prandium geniale differtur? redi, accelera, quem diligit Anima mea; nullus iam procraſtinandi titulus: tantùm de loco Conuiuiali dubium: non famulus, quem miſiſti, nouit; ignoramus & nos; exurge, propera, declara, vbi paſcas, vbi cubare facias in meridie? Interrogat autem de loco Sympoſij, quoniam fortaſſe ſub quæſtione, an in domo Sponſi, vel Parentum Sponſæ celebranda epulatio? concedamus tamen frequentiori vſu apud Sponſæ ædes inſtauratum Conuiuium, quem ex Scripturis probaui Anteloquio 5. num. 81. addo Ciceronem lib.2.epiſt.ad Quintum fratrem: *Ad VIII. Idus Apr. ſponſalia Craſſipedi præbui: huic Conuiuio Puer optimus Quintus tuus, meúſque, quòd perleuiter commotus fuerat, defuit.* Præbeo & Sidonium Auernum lib.1. epiſt.5. ſub finem: *Iam Virgo tradita eſt, iam coronâ Sponſus, iam palmatâ Conſularis, iam cyclade pronuba; iam togâ ſenator honoratur, iam penulam deponit inglorius: & nondum tamen cuncta thalamorum pompa deſremuit; quia necdum ad Mariti domum noua Nupta migrauit:* igitur, non in domo Mariti pompa, cùm in hanc migrandum eſſet abſolutâ pompâ: Nihilominus rectè Sponſa percunctatur de ſignandis Apparatui nuptiali ædibus: Nam ſæpe monuimus, domum, in qua ipſa morabatur, agreſtem caſulam fuiſſe, in qua certè ſpatium nullo modo tantis Hoſpitibus: Habebat autem Sponſus in Libano, qui Sponſæ patria, poſſeſſiones ampliſſimas, & domos voluptatis multas, quemadmodum aduertimus Anteloquio 5. num.131. Quoniam igitur in Virginis domuncula ob anguſtias tectorum, lætitia nuptialis concelebrari non poterat; vt tamen ad communem morem proximè accederet; quando in ædibus non valeret, in patria Sponſæ deſtinauit pompæ Connubiali locum: Quia verò multæ poterant eſſe ſedes vel tantæ magnitudini idoneæ: ſuggerit Sponſa, iam tempus eſſe, vt certam, fixámque metam præfiniat: ideò, quando attulerit Modimperator ex Ieroſolymis, quæ ad Triclinium ornandum deſiderabantur, ſtatuat, vbi Triclinium conſternatur. Hæc igitur interrogatio: *Vbi paſcas, vbi cubes in meridie?*

*Interrogat Sponſa de loco Conuiuij nuptialis.*

*In domibus Sponſarũ vt plurimũ Conuiuium.*

Cicero.

Sidon. Auern.

*In patria Spõſæ Conuiuij locus.*

12.

*Celebritates feſtiuæ in noctem tranſlata.*

At multa ſunt, inquias, quæ hanc labefactant Explanationem. Primùm, veteres illi generatim feſtiuitatem, & tripudia in Noctem transferebant: de meridie autem eſt ſermo in Sponſæ verbis: Deinde, vt alia gaudia lucem, & claritatem requirant; ſed nuptiarum ſpeciatim ſtrepitus non niſi per veſperam, & caliginem: Poſtremò, meridie non accumbebant priſci Mortales, neque enim apud eos Prandia fuerant, quod fuit inuentum gulæ iunioris ſæculi. Verùm hæc ſingula firmare operæpretium. Quod igitur noctu lætitiæ: Plutarchus monet in Conuiuio ſeptem: *Cùm ſacrificium tribus diebus exactis confeciſſemus, vltimámque ſollenniter vniuerſi noctem inſomnem ad littus cum chorea & ioco duceremus.* Statiúſque de feſto Natalitio Bacchi, lib.2. Thebaidos:

*Non prandebant olim veteres.*

*Feſtiuitates Nocturnæ, apud profanos.*

Statius.

*——Tyrijs ea cauſa colonis*
*Inſomnem ludo certatim ducere noctem,*
*Suaſerat; effuſi paſſim per tecta, per agros,*
*Serta inter, vacuóſque mero Crateras.*

Et Poëta rurſum de feſtiuis noctibus libro octauo Thebaïdos.

Idem.

*At non Sidoniam diuerſa in parte per vrbem*
*Nox eadem, vario producunt ſydera ludo*
*Ante domos, intráque; ipſæque ad mœnia marcent*
*Excubiæ; gemina æra ſonant, Idææque terga,*
*Et moderata ſonum vario ſpiramine Buxus:*
*Tunc dulces ſuperos, atque omni ex ordine Alumnum*
*Numen, vbique ſacri reſonant Pæanes, vbique*
*Serta, coronatúmque merum.*

Tacitus lib.1. cap.11. *Etenim attulerant Exploratores feſtam eam Germanis noctem, ac ſollennibus epulis ludicram.* Nec ſacra deeſt authoritas: Nam Baltaſſaris illud nominatiſſimum Conuiuium, de quo Danielis cap.5. noctu peractum, cùm verſu 5. dicantur apparuiſſe digiti quaſi manus hominis ſcribentis contra Candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ: ibi igitur lucernæ, quòd nox fuiſſet, & ſanè ex communi magnarum epularum vſu, vt putat Sanchez num.6. & num.26. vmbrarum fuiſſe tempus affirmant Mendoça tom.2. in lib.1. Regum, ad verſ.7. cap.7. in Expoſitione Literæ num. 2. Torniellus tom. 2. anno Mundi 3516. num.1. Salianus tomo 4. eodem Mundi anno num.24. & prophana conſpirat Hiſtoria: Herodotus libro 1. circa finem, & Xenophon lib.7. de Pædia Cyri circa medium, inquiens: *Cyrus verò, cùm audiſſet celebrari Babylone feſtum quendam eiuſmodi diem; quo Babylonij omnes nocte totâ potarent, & comeſſarentur.* Quamobrem Iob, cùm nocti malediceret; imprecatus eſt, ne qui lætantium clamores in ea exaudirentur c.3. verſ.7. *Sit Nox illa ſolitaria, nec laude digna*, vt bene obſeruatum à Pineda: quid autem manifeſtius Apoſtoli dicto. 1. ad Theſſal. cap.5. verſ.8. *Qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt: Nos autem, qui diei ſumus, ſobrij ſimus:* Quin & in Martyrum Chriſtianorum honorem ſimilia: Paulinus Nolanus in ſancti Felicis Natali tertio:

Tacit.

Daniel.5.

Sanchez.

Mendoça.

Torniell.

Salian.

Herodot.

Xenophon.

Iob 3.7.

Pineda.

1. Theſſal. 5.8.

Paulin. Nol.

*——diémque*
*Expectare piget: votis auidis mora Noctis*
*Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.*

Idémque Sanctus Epiſcopus eiuſdem Felicis Natali ſeptimo, de veteri Orthodoxorum more, adnuentantibus Martyrum faſtis:

Idem.

*——poſtquam data feſſis*
*Corporibus requies ſumptâ dape, cœpimus hymnis*
*Exultare Deo, & Pſalmis producere noctem.*

De peruigilio autem ſacratiſſimæ noctis, quâ Chriſtus Primogenitus mortuorum reſurrexit; Prudentius Hymno eâ de nocte, ſui ritum ſeculi memorat, canens:

*Noctis Paſchalis Peruigilium.*

Prudent.

*Nos feſtis trahimus per pia gaudia*
*Noctem conſilijs, votáque proſpera*
*Certatim vigili congerimus prece.*

13.

*Nuptialis põpa noctu celebrata.*

Iam verò ſpeciatim de Nuptiali Pompa, & nocte celebratam eam ſtatuunt Ioannes Roſinus lib.5. Antiq. Romanarum, cap.37. Dempſterus Paralipomenis ad idem caput, Ramirezius in Pentecontarcho, cap.14. nec ineruditè quidem; exactiùs cæteris Barnabas Briſſonius libro peculiari de Nuptiis; probant ex Sexto Pompeio lib. 14. Seruio in Ecclogam 8. Virgilij, in illud; *Mopſe nouas incide faces*, &c. Valerio Maximo lib.1. cap.15. Cornelio Tacito lib. Annal.11. ſolet ex Feſto citari: *Tres adhibebantur in nuptijs; vnus, qui facem præferret ex ſpina alba, quia noctu nubebant.* & vulgatiſſimum Catulli Metrum, *Veſper adeſt, iuuenes, conſurgite*, &c. Addamus Euſebium lib.6. Hiſtoriæ, cap.33. ἀπῄει δὲ ἑωχησόμενος γάμους, διαπαννυχίζειν γὰρ αὐτοῖς ἐν τοῖς τοιαύταις συνόδοις ἔθος. *Abierat enim ad nuptias lautè epulatum, quippè mos eſt in huiuſmodi Hominum conuentibus totam noctem in hilaritate & lætitia conſumere:* Claudianus in Epithalamio Palladij:

Roſinus.

Dempſter.

Ramirez.

B. Briſſon.

Sext. Pomp.

Val. Max.

Tacit.

Catull.

Euſeb.

Claudian.

*——marcentes cupio quaſſare coronas*
*Et vibrare faces, & noctem ducere ludo.*

Et

Et paria idem in Epithalamio Honorij: eiuſdem ſententiæ Bibliorum Interpretes: Abulenſis tom. 7. in Matthæum, quæſtione 5. & ſexta ad cap. 25. Ianſenius Concordiæ cap. 87. & cap. 125. Maldonatus ad cap. Lucæ 12. verſ. 36. Pineda ad verſ. 7. cap. 3. Iob: & de Rebus Salomonis lib. 4. cap. 3. numero 3. Sanctius in cap. 2. Canticorum num. 86. iuuat Lucas palàm memorato loco; nam iubentur famuli lucernas habere, vt redeuntem intempeſtâ nocte à nuptiis Herum expectent: iuuat Matthæi Parabola de nuptiis allegato capite; quoniam media nocte Sponſus cum lætitia proceſſit. Sed idem ſingulari innui modo exiſtimat Maldonatus, per tenebras nimirum exteriores, quarum ſæpè in Euangeliis memoratio: ac ſanè, qui ad nuptiale Conuiuium abſque cœnatoria veſte, acceſſit, tenebris adiudicatus eſt exterioribus, Matth. cap. 22. verſ. 13. Quas cùm interpretaretur allegatus ſcriptor ad verſ. 12. cap. 8. Matth. putauit deſumptam Metaphoram à gaudiis nuptialibus: *Solent* (ait) *conuiuiales Cœnæ, quia de nocte fiunt, copioſo tædarum lumine celebrari: itaque, qui in cœnaculo ſunt, in magno ſunt lumine; qui extrà, in magnis verſantur tenebris: ideò, qui ex regno cælorum extruduntur, in tenebras exteriores eijci dicuntur:* Elegans ſanè inueſtigatio, modò commodè exponi poſſint *fletus & ſtridor dentium*, quem reperiri Euangeliſtæ aſſerunt vbi exteriores dominantur tenebræ: nec video cauſas, niſi arbitremur conuolare ad feſta nuptialia, miſerrima Pauperum Agmina quæ domum ambiant, & cum ſub dio verſentur, in tenebris ſunt exterioribus; atque ob egeſtatis maximum tormentum, lugere coguntur, & dentibus ſtridere. Equidem ad eius locupletis ianuam, qui epulabatur quotidie ſplendidè, mendicus, atque vlceribus plenus iacebat Lazarus cap. 16. Luc. v. 20. A Carcerum opaco horrore mutuatam ſimilitudinem alij cogitarunt; videat Lector, quæ ſuggerant Toſtatus tom. 7. in Matth. quæſtione 557. in cap. 22. Sanctius noſter in cap. 38. Ieremiæ n. 4. Equidem, ſi conſtās fuiſſet, quod ab Aria Montano, & noſtro Lorino in cap. 12. Actorum, creditum; ergaſtula illa, in quæ detrudebantur illi, in quos lata eſt capitalis ſententia, fuiſſe extra vrbium muros, cùm aliæ mitiores reorum ſpeluncæ intra Ciuitatem eſſent, de exteriori cuſtodia tenebræ poſſint intelligi exteriores. Romanorum vſus fuit, vt teſtatur Ioannes Roſinus libro 10. cap. 117. eos, de quibus erant ſumendæ pœnæ, nobiles præſertim, ante confeſſionem, liberæ tradere Cuſtodiæ, videlicet, aut in ipſius Magiſtratus domo retinebantur, vel in priuatorum ædibus: poſt confeſſionem in publica coniiciebantur vincula: fuerintne igitur tenebræ exteriores publici Carceris ſquallor? talis planè habitatio, de qua Propheta Pſalm. 39. verſ. 3. *Et eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis;* propterea fletus ibi, & ſtridor dentium: Liuius de ſimili loco 4. Decad. lib. 8. in fine: *vt in Carcere inter fures nocturnos vir clariſſimus Scipio includatur; & in robore, & in tenebris expiret:* Hoc per occaſionem.

Toſtat. Ianſen. Maldonat. Pineda. Sanchez. Luc. 12. Matth. 25. Maldonat. Matth. 22. Maldonat.

*Quid ſit eijci in tenebras exteriores?*

Luc. 16. 20. Toſtat. Sanct. Arias Mont. Lorin. Roſin. Pſalm. 39. 3. T. Liuius.

14.

*Prandium neſciebant veteres.*

Seruius. Seneca. Iſidor. Hiſp. Caſſiodor. Boëtius. Saluian. Haymo.

Quod ſupereſt vltimum de Prandiis; Veterum Mortalium ſæculis ignorata illa, probant ex Seruio ad librum 4. Æneid. Senecâ epiſtola 112. Iſidoro Hiſpal. Etymologiarum lib. 2. cap. 20. Caſſiodoro, in Pſalm. 14. Boëtio, lib. 2. de Conſolatione Philoſoph. Metro. 5. Saluiano lib. 1. de Prouidentia, & Iudicio Dei, Haymone, Concione in Dominic. 2. poſt Trinit. Dempſterus Paralip. ad cap. 27. lib. 5. Ioannis Roſini: Ioannes Sauaro ad epiſtolam 12. lib. 6. Sidonij Apollinaris: noſter Bullingerus lib. 1. de Conuiuiis, cap. 5. Quare cùm perditos Romanorum mores ſuâ tempeſtate notaret Silius Italicus lib. 11. de meridiano ſymposio aduertit:

Dempſter. Roſin. Sauar. Sidon. Apoll. Bullinger. Sil. Ital.

*——medióque dierum*
*Regales epulæ, atque ortu Conuiuia Solis*
*Deprehenſa.*

Déque ſimili vitio Tacitus lib. 1. Annal. cap. 12. *Torpebat Vittellius, & fortunam Principatus, inerti luxu, ac prodigis epulis præſumebat, medio diei temulentus, & ſaginâ grauis.* His cognatæ minæ illæ apud Eccleſiaſten cap. 10. verſ. 16. *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt, & cuius principes manè comedunt: Beata Terra, cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam;* Atque Iſaiæ cap. 5. verſ. 11. *Væ qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis:* Atque hinc fortaſſè quiſpiam deriuatum opinabitur, vt veterum Chriſtianorum Ieiunia tam ſeueris continerentur legibus? Nam cùm horas ab ortu diei enumerarent, vſque in horam nonam, aliquibus in Prouinciis & ſeriùs, ab omni prorſus abſtinebant cibo, ſed nec potabant etiam: oſtendunt ex Patrum teſtimoniis Bellarminus lib. 2. de bonis operibus, cap. 2. Valentia tom. 3. diſputatione 9. quæſtione 2. Puncto 2. §. 2. Ioannes Sauaro aliquid ad epiſtolam 14 lib. 7. Sidonij, in illud: *ad prandendum non pudet præuenire*, &c. nos ſolùm Prudentij verſus aliquos, quibus vtrumque ille complexus eſt, Hymno Sanctorum Martyrum Fructuoſi, Augurij, & Eulogij, loquens de Fructuoſo:

Tacit.

*Prandere, olim vitium.*

Ecclis. 10. 16. Iſai. 5. 11.

*Veterū Chriſtianorum rigida ieiunia, à cibo & potu.*

Bellarmin. Valentia. Sauaro.

*Quoſdam de populo videt Sacerdos*
*Libandum ſibi poculum offerentes:*
*Ieiunamus, ait: recuſo potum:*
*Nondum nona diem reſignat hora.*

Prudent.

Sic igitur Orthodoxi ab omni, & potu atque eſu abſtinebant, Quoniam aliter vix maius aliquid præſtitiſſent, quàm facere ſoliti eſſent Paganæ Nationes: Prandio enim cùm non vterentur, interdiu ſolùm modicâ aliquâ guſtatione reficiebantur, & bibebant, quoties ſitis vrgebat: quo igitur Temperantiam Ethnicam Chriſtiana ſuperaret Abſtinentia: fideles vſque in veſcendi horam, quæ nona erat; & cibos vniuerſos, liquores quoque ipſos ſibi interdicebant.

15.

*In Nuptiali pompa Diei feſtiuo, quòd anguſtus eſſet ad ſolemnitatem, ſuccedebat Nox.*

Multa hæc ſunt Argumenta; accingamur ad reſpondendum: Concedo quidem ſub publica & ſollenni lætitia noctes traductas inſomnes: at nemo inde peritè intulerit ſub taciturnitate, & ingaudioſos fuiſſe dies, ſed tantam fuiſſe Alacritatis abundantiam, vt cùm lucis exigua viderentur ſpatia, conadditæ ſint noctes; Quod eſſe verum reperiet, qui diligentiùs ſcriptores peruolutauerit, quos obiectio ſibi fauentes allegabat: Hinc illa tot Poëtarum vota ad ſolem, vt micantior prodeat, vt fulgentiores emittat radios: cæterum procedente tempore eiuſmodi Vigiliæ, quæ vel in Sanctorum Martyrum fiebant honorem, omiſſæ ſunt, vt Bellarminus ſuggerit lib. 3. de Cultu Sanctorum, capite vltimo: & quod de celebritatibus vniuerſim aſſirmamus, idem de nuptialibus Hilariis; vt quidem inchoauerint ſub veſperam, aut mediâ nocte, protracta in diem ſequentem: vel vt à diei ſplendoribus exordia ſumpſerint, in noctem ſeram producta fuiſſe: quod ſatis indicaſſe viſus Abulenſis quæſtione 6. in cap. 25. Matth. Sanè Alexander Neapolitanus lib. 2. Genialium, cap. 5. ſub initio, aſſeuerat, primam & ſecundam diei horam (nempe

Bellarmin.

Toſtat. Alex. ab Alex.



poſt exortum ſolem,) olim ſponſalibus datam fuiſſe: Ante extinctam diurnam lucem, thalamo progreſſam Sponſam Catullus innuit in Iulij & Manliæ Epithalamio:

Catull.

*Clauſtra pandite ianuæ:*
*Virgo adeſt; viden' vt faces*
*Splendidas quatiunt Comas?*
*Sed moraris, abit dies*
*Prodeas noua Nupta.*

Quintilian.

Quintilianus Declamatione 306. *Aſpice illam Virginem, quam Pater tradidit, euntem die celebri, comitante populo:* Quod paulò antea dicebamus ſponſalium pompæ conceſſam diei infantiam, Papinius confirmat lib. 1. ſyluar. Epithalamio Stellæ, & Violantillæ:

Statius.

*Vix dum emiſſa dies, & iam ſocialia præſto*
*Omnia, iam feſtâ feruet domus vtraque pompâ;*
*Fronde virent poſtes, & feruent compita flammis*
*Et pars immenſæ gaudet celeberrima Romæ.*

*Pompa Genialis aliquādo in menſem totum continua, mediocris in ſeptiduum protracta.*

Sed quid in his moramur, cùm fusè oſtenderimus Anteloquio tertio, ſect. 3. ſubſect. 2. non vno abſolutum die genialem pompam? excurriſſe nonnunquam in Menſem; etiam mediocrem lætitiam ſeptiduo continuatam?

16.

Plutarch.

*Prandij Etymologia: Cibum meridianum dicit.*

Veniamus tandem ad Prandia, quibus cibum meridianū intelligimus: Plutarchus lib. 8. ſympoſ. cap. 6. Τὸ δ᾽ ἄριστον ἐκλήθη πράνδιον ἀπὸ τῆς ὥρας, ἔνδιον γὰρ τὸ δειλινὸν, καὶ τὴν μετ᾽ ἄριστον ἀνάπαυσιν ἐνδιάζειν, ἢ πρωινήν τινα σημαίνοντες ἐδωδὴν, ἢ τροφὴν, ᾗ χρῶνται πρὶν ἐνδεεῖς γένεσθαι: *Prandium autem Ariſton dicunt ab hora meridiana, quia* ἔνδιον *ſignificat meridianum Tempus; & meridiari, ſeu per meridiem dormire,* ἐνδιάζειν: *Aut cibum matutinum voluerunt notare, & nutrimentum, quo vterentur priuſquam indigerent.* Idem Plutarchus in Galba, de Vitellio: *Verùm, tunc aiunt eum, cùm eſſet vino, cibóque meridiano grauatus, recepiſſe nomen Germanici, quod ei impoſuerunt, Cæſaris reieciſſe.* Tacitus lib. 14. Annalium, cap. 1. *Tradit Cluuius, ardore retinendæ Agrippinam potentiæ, eoúſque prouectam, vt medio diei, cùm id temporis Nero per vinum, & epulas incaluiſſet; offerret ſe ſæpius temulento comptam, & inceſto paratam.* Suetonius in Auguſto, cap. 78. *Poſt cibum meridianum, ita vt veſtitus, calceatúſque erat retectis pedibus pauliſper conquieſcebat, oppoſitâ ad oculos manu:* Sed quid Eſſenorum exactius diſciplina? Prandia tamen habuerunt & Cœnas. Ioſephus Flauius lib. 2. de Bello, cap. 7. *Cúmque ad horam quintam ſtudioſè fuerint operati, velut in ſanctum quoddam Templum in Cœnaculum, quibus ibi cum ſilentio reſidentibus; Piſtor quidem panes ex ordine; vnum autem vaſculum ex vno pulmento ſingulis Cocus apponit: Deinde in opere vſque ad veſperam verſantur: ſimilitérque inde reuerſi cœnant conſedentibus etiam Hoſpitibus, ſi quos fortè interueniſſe repererint:* Ac quanquam illi ob Philoſophicæ vitæ ordinem, quintâ prandebant horâ, tamen cùm prandium à meridiana hora nuncupatum oſtenderimus, aptiùs qui in ſextam producebant horam; nam cùm diem Priſci vt ſemel anteà ſubindicaui in duodecim partirentur horas à Solis natiuitate in obitum, ſexta quidem hora Diei medium, quemadmodum interpretatus eſt Origenes tract. 10. in cap. 20. Matthæi agens de laborantibus in Vinea: *Neque illi* (inquit) *qui ſextâ horâ vocati ſunt, pondus portauerunt diei dimidium:* quare Procopius Gazenſis in c. 3. Geneſ. *Adam horâ ſextâ vetitum cibum in ilia demiſit: eſt enim ea hora quaſi certa Regula homini conſtituta vt cibum capiat:* ſecundum hoc Ælius Lampridius in Alexandro Seuero; *Et cùm dormiret poſt Conuiuium horâ diei ferè ſeptimâ, vnus ex Germanis,* &c. ſcilicet horâ ſextâ epulatus fuerat, & requieuit ſequenti horâ: is tamen vſus Auſonij Burdigalenſis ſæculo immutatus videatur, nam pranſioni quintam aſſignat horam in Ephemer. inquiens:

Idem. Tacit.

Sueton.

*Eſſeni prandia habuêre & cœnas.*

Ioſeph.

*Dies naturalis. j. ab ortu in occaſum, in 12. horas olim diſtinctus.*

Origenes. Procop. Lamprid.

*Soſia prandendam eſt, quartam iam totus in horam.*
*Sol calet, ad quintam flectitùr vmbra notam.*

Auſon.

*Prandiū meridianum olim apud Hebræos.*

Niſi fortaſsè aliâ horâ, brumâ; aliâ per æſtatem, quintâ nimirum, quod propter vehementiam caloris diu impranſi manere non valerent, ſicut de Balneis Plinius docuit Iunior, aiens, lib. 3. epiſt. 1. *Hora Balnei, æſtate, octaua; hyeme, nona.* Neque harum Rerum obſcuræ probationes in ſcripturis Geneſ. cap. 43. verſ. 16. *Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue Conuiuium; quoniam mecum ſunt comeſturi meridie;* ex quibus inferunt verbis Hebræos ſolitos prandêre Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in part. cap. 2. ſub finem; Mendoza tom. 1. in lib. 1. Reg. ad verſ. 13. cap. 1. in Expoſit. Litteræ num. 14. Equidem & interdiu celebratum prandium illud bonum, de quo Tobias, c. 2. v. 1. nam cùm ſepeliendi Cadaueris gratiâ epulas deſeruiſſet; expectandum tamen illi fuiſſe aſſeritur, quoad Sol occubuiſſet. Nec credendum noctu fuiſſe comeſturos Meſſores, ad quos prandium deferebat Habacuc, Daniel. c. 14. verſ. 33. apud eundémque cap. 13. Senes illi inueterati dierum, horam prandij eſſe dicunt, quando æſtus erat, verſ. 13. & 15. Cùm etiam de ſtrato ſuo Dauid poſt meridiem ſurgere narratur, Reg. 2. c. 11. v. 2. propterea accubuiſſe intelligitur, vt poſt refectionem meridianam ſomni aliquid caperet; aduertêre Dionyſius Carthuſianus art. 19. Salianus tom. 3. anno Mundi 2998. num. 5. atque à gulæ ſpiritu vt liberentur, ſanctos cum eodem rogare Pſalm. 90. verſ. 6. *ab incurſu & dæmonio meridiano,* ex Græcis Doctoribus non pauci arbitrantur apud Lorinum: poſtremò de hora diei Ioannis, cap. 4. nam cùm Ieſus fatigatus ex itinere ſedebat ſupra fontem, *quaſi ſextam fuiſſe horam* notat Euangeliſta, ſtatímque ſubdit verſ. 8. *Diſcipuli enim eius abierant in Ciuitatem, vt cibos emerent,* quia oportebat nimirum prandêre.

Plin. Iun. Geneſ. 43 16. Bellarmin. Mendoça. Tob. 2. 1. Daniel. 14. Et c. 13. v. 13. 2. Reg. 11. Dionyſ. Carthuſ. Salian. Pſalm 90 6. Lorin. Ioan 4. v. 8.

17.

*Chriſtianorū Ieiunia non ad Ethnicorū æmulationem ſed pro ſeuerioris diſciplinæ zelo.*

Quibus ſatis ſtabilitum, Prandia fuiſſe in vſu veteribus; quare non ideò Primitiæ Chriſtianitatis ieiunia Eccleſiaſtica ſic ad vnguem obſeruabant, vt in horam nonam die iam inclinante, ne potum deguſtarent, vt rigore abſtinentiæ vincerent morem communem vulgi quod prandêre recuſaret, modicam tamen Refectiunculam aut primo manè, vel horâ ſextâ admittebant; ſed quia ſeueriora eſſe initia Diſciplinæ & in Eccleſia, & in cœnobiis experientia ſæpiùs confirmauit. Eſto tamen gentium, & Prouinciarum ritu nulla Prandiorum memoria; hoc tamen de quotidianis menſis eſſet intelligendum: vbi verò feſta illuceſceret occaſio, quemadmodum totius domus alia erat facies adhibitis aulæis, floribus, vnguentis, lucernis; ita & Conuiuiorum augebatur luxus, & vltrà cœnam inſtituebatur Prandium quoque; id, quod probè aduertit Ioannes Roſinus lib. 5. Antiq. c. 27. Nam quis ignoret, domi & priuatim veſci ſolitos homines? quam violabant legem in magnis gaudiis publicè Conuiuantes, vt docet in ſcholiis ad latinos Hiſtoricos Marcellus Donatus, in illud Suetonij de Auguſto, cap. 33. *ſeruauit epulandi publicè ius*, &c. quale fuit incomparandum illud Aſſueri Sympoſion, de quo Eſtheris cap. 1. neque enim in cœnaculo diſpoſiti lecti Triclinares, vel Menſæ ſed in veſtibulo

*In feſtiuitatibus apud veteres Cœnæ addebatur Prandium.*

Roſin. Donat. Eſther 1.

bulo Horti, & nemoris, quod regiâ manu conſitum erat: & cùm lætitia nuptialis in ſeptiduum duraret, Parentalia in nouenum diem ex conſuetudine: aliter tamen contigiſſe in Heroum aut nuptiis aut funeribus; de quibus huius Epithalamij Sponſus; monſtrauimus Anteloquio tertio, num.91. vt mirum non ſit ſuperaddita cœnis Prandia: Quin verò antiquiſſima illa omnis ſeueritatis ieiuniorum diſciplina, de qua bis loquuti ſumus; cùm talis eſſet, vt nemo fameſcenti, *vel ſiliquam daret* (quemadmodum pulchrè ſermocinatur Paulinus Nolanus epiſtola 25. ad Amandum, ſextâ ſub finem) *donec ad Veſperam declinaret dies*; tamen aduentante Paſchate ob Victorialis temporis ſollennitatem mutabantur cœnæ in prandia, & hora ſexta ad epulas inuitabat: ibidem Paulinus: *Nam & ſollennitas Paſchalis reuocauit dies Prandiorum, incipiebat nobis circa meridiem*, &c. Hieronymus ep. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis: *A Paſcha vſque ad Pentecoſten Cœnæ mutantur in prandia.* Caſſianus Collatione 21. cap. 23. *Vt ergo & diebus feſtiuis ſtatutæ conſuetudo ſollennitatis conſeruetur, & ſaluberrimus parſimoniæ modus minimè tranſcendatur: ſufficit, vt indulgentiam Remiſſionis conſque progredi patiamur; vt cibus, qui horâ diei nonâ fuerat capiendus paulò citiùs, id eſt, ſextâ Horâ, pro feſtiuitatis tempore capiatur.* Quis igitur dubitet vt aliàs aduersùm prandia leges conſignatæ fuiſſent; diſpenſatum tamen, pro nuptiis, præſertim, ſi maritali iungendi fœdere, de Optimatum numero erant?

Paulin. — Hieronym. — Caſſian.

18. Cur autem Sponſum appellat: quem diligit Anima eius? idem hoc, ac ſi Dilectum vocaret, vel ſi ipſum eius Amorem: nam in ſimili de Sponſa: cap. 2. verſ. 7. vbi ordinarius Interpres *Adiuro vos, ne ſuſcitêtis, neque euigilare faciatis Dilectam*: L X X. *Si ſuſcitaueritis Charitatem*: Sanè Marcellus Donatus Scholiis ad Hiſtoricos Latinos, ad illud Iulij Capitolini in Clodio Albino: *ne ad ipſum Papirium, aut eius affectus perueniat*, &c. arbitratur *affectus* vocabulo denotari vxorem, liberos, omnes quauis neceſſitudine coniunctos, Amicitiæ quoque Titulis: *Charitatis* & dictione indicari eoſdem, probat ex Volcatio, atque Ammiano Marcellino lib. 28. Rectè ergo quod Sponſa ſibi ob tot coniunctum cauſas, *Amorem* dicat Animæ: nec malè, quod non Corporis quoque; nam licet & Cor eius & Caro eius exultabant in eum; ſed ob ſummam huius Epithalamij nitelam, vbi nihil impurum & titillans, ſed flammæ vbique caſtiſſimæ, excludit de Corpore memoriam; vt notarunt Auguſtinus ſermone 50. de Verbis Domini; Bernardus ſermone 33. in Cantica: Scripſimus ſuperiùs de Paſtoritiæ vitæ exercitamentis huius eſſe verſus communem explanationem: Porro ſciendum à Hieronymo doceri epiſtola 125. de tribus Quæſtionibus ad Damaſum, ſub calcem ſecundæ quæſtionis Paſtores & Amatores iiſdem ſcribi Literis prorſus apud Hebræos, atque omnis differentia vnius ſolùm eſt Puncti: nam Paſtores רעים *Robbim* appellantur: Amatores autem רֵעִים *Rabbim*: quæ igitur cum Paſtore ſermocinabatur, cuius ex alluſione Hebræi idiomatis, tanta affinitas cum Amatore, meritò nuncupauit *Dilectum.* Non tamen à Conuiuio, de quo eſt peculiaris noſtra Interpretatio, abhorret Dilectionis vox: nam Amoris & ſchemata, & pignora ſunt epulæ: Tertullianus Apologetici cap. 39. *Cœna noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit; vocatur* ἀγάπη, *id quod Dilectio penes Græcos eſt*: Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædag. δι' ἀγάπην γίγνεσθαι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐκ ἀγάπην εἶναι τὸ δεῖπνον, δεῖγμα δὲ εὐνοίας κοινωνικῆς, καὶ εὐμεταδότου: *Conuiuium ob charitatem fieri, non tamen eſſe charitatem, ſed documentum Beneuolentiæ, quæ ſe communicat*: Vide conſilium alendi affectus inter Parentes & liberos, quod Hierocles ſuppeditat apud Stobæum ſermone 77. *Cæterum* (inquit) *animis Parentum noſtrorum lætitiam imprimis procurabimus; quæ inde maximè orietur, ſi probi fuerimus: & ſi dies, noctéſque cum eis conuerſemur; & ſi nihil etiam impediat, ne ſimul ambulemus, ſimul vagamur, ſimul denique edamus, & bibamus.* Aliter quàm vulgatus L X X. tranſtulerunt: *Quem dilexit Anima mea*: nec, quia verbo præteriti Temporis vtitur, idcirco conſtruendum velut adamauerit aliquando, quem tamen modò deſinat amare: imò eiuſmodi loquutio Dilectionis quandam perennitatem indicat, ſicut aliæ cognatæ Phraſes in Scripturis: Pſalm. 109. verſ. 1. *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: neque tamen ſignificatio eſt poſt deuictos inimicos, fore, vt à dextris ſedere deſinat: & Ioann. cap. 1. verſ. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*: Quanquam τὸ *erat*, de tranſacto videatur eſſe; eſt longè diuerſus ſenſus, & potiùs denotat in æternum futurum apud Deum Verbum: ergo verſio L X X. Seniorum conſtantiam Amoris Sponſæ eleganter ſubinnuit.

Cant. 2. 7. — L X X. — Donat. — *Affectus, Charitatis, Amoris, vocabulo, vxor, Liberi, Amici indicati.* — Auguſtin. — Bernard. — Hieronym. — *Paſtores & Amantes ſolo vno puncto diſtinguuntur apud Hebræos.* — Tertull. — *Conuiuium, Amoris Schema.* — Clem. Alex. — Stobæus. — L X X. — Pſal. 109. 1. — Ioan. 1. 1.

*Meretricis vox an de turpi quæſtu ex Hebræo? Num ad Meretricis ingenium præſens alludat Hemiſtichium? quæ ſcortorum Notæ? an vultus obtegerent? explicatus Geneſeos locus de Thamare, illuſtratus Baruch: Nam apud Hebræos meritoriæ permiſſæ fœminæ? Deuteronomij verba cum examine: facies in Rebus triſtibus velata.*

## SECTIO III.

19. QVamobrem Sponſa tantoperè aueat edoceri, vbi paſcat, vbi cubet in meridie Dilectus eius, declarat: *Ne incipiam* (inquit) *vagari poſt greges ſodalium tuorum*: Quàm accommodantes ſententiam explanationi de vitæ Paſtoritiæ functionibus; prudenter fœminam interrogare ſentiemus: Nam in magnis vel pratis, vel Collibus, plures Opiliones, alius hîc, alius ibi: Quoniam verò omnes incertis figebant ſedibus Tentoria, poſtulat edoceri Sponſa, quem paſcendis ouibus locum deligere arbitretur Sponſus, ne ob ignorantiam cogatur illa palabunda & vaga ferri per errores longæ ſolitudinis, & in ſodalium mapalia incidat, fortaſſe non abſque Pudicitiæ aliquo detrimento, certè non præter vtriuſque ruborem. Supponit Diſcurſus iſte Sponſam derelictam ab Archipaſtore, Regione aliquâ ab eius Tuguriis diſtanti, ſed deſertam quidem candem, ſolam, incomitatámque, & ſine viarum Duce: quæ proculdubiò ardua ſunt vt credamus: Nam Bucolicæ mos Societatis, vt vel Paſtores comitentur fœminæ, aut propè ſequantur: Sin autem viros omninò abeſſe & circumſtantiæ, & tempora vrgeant, ipſæ tamen Paſtrices Virgines, ob decorum, numero plures ſint: Quanta verò inhumanitas eſt, Nouæ nuptæ non aſſignari

*Huius verſus ex aliis Constructio.*



aſſignari de opilionibus quempiam itineris Ductorem? Atqui hæc ab iis dicenda ſunt, qui Paſtorum hæc eſſe Colloquia meditantur. Cæterùm cùm aliam pariter Nos Interpretationis ſemitam calcauerimus, de epulo nempe geniali, opus eſt tali conglutinemus Explanationi. Sæpe monuimus, ab exordio huius cap. 1. Canticorum, in hunc vſque verſum, Sponſam importunare Dilectum ſuum, vt reditum feſtinet, adproperet, moras diuidat: Hoc ſub initiis ſtatim: *Oſculetur me oſculo oris ſui*: Hoc iterum ob impatientiam deſiderij: *Trahe me poſt te*, &c. Hoc tertiò nunc: *Indica mihi, quem diligit Anima mea*, &c. Quoniam igitur non ſatis exaudiebantur eius preces; ſimplicitate quadam, Puella Ruri ſemper educata, minas ſubintentat, Zelotypiâ pungit: Videat, ne cunctatione ſua efficiat, vt cùm illa ab eo ſe repudiatam & ſpretam cogitet, in nouos feratur Amores; de tantâ Procorum multitudine eligat, à quo plus honoretur, quem certè tamdiu abſentem eſſe noui Connubiorum ignes non ſinant: Hanc de Zelotypia Expoſitionem verſus, Dramaticam eſſe atque Literalem communi Patrum iudicio, vno excepto Ambroſio Giſlerius pronunciat ſub initio Appendicis: Eius fuiſſe ſententiæ videatur Origenes homil. 1. ex duabus ſub finem, dum ait: *Vt iſta non patiar, vt non ſiam cooperta, vt ora non contegam, & ad alios vſque perueniens, incipiam forſitan & eos amare, quos neſcio, idcircò, Annuncia mihi, vbi te quæram*, &c. Matthæus inſuper Cantacuzenus, inquiens: *Cunctabundam eius præſentiam præſto exoptat eſſe, cauſámque intulit, quia nimirum timuit; ne fortè alicuis prauarum opinionum documentis deturbaretur mente, & ait, Ne fortè ſiam*, &c. Adhærent ex Recentioribus Nannius, Delrius, Nigidius. Ex rigore Hebrææ vocis כְּעֹטְיָה *Kebhotejah*; *Vt quid ero veluti declinans ad greges ſodalium tuorum?* Verti rectè queat, vti Pagninus, & Vatablus tranſtulêre: Sic ita me deſeris? Nam quid tam ſpatioſæ innuant moræ, niſi à te oblitam? Erit, vt ad ſodales tuos declinem. Conſideratè tamen vulgatus ſcripſit *vagari.* Philo Carpathienſis eleganter: *ne ſiam quaſi errabunda*; Symmachum forſan ſectatus, quem ſic legiſſe Theodoritus adſtruit, participio namque vſus eſt ῥεμβομένη, quod ſolet *errans* & *vagum* interpretari: Huius nimirum Sponſæ thalamos multi expetebant proci, vt conuenienti oſtendemus loco: Si igitur nouum erat quæſitura Maritum, fluctuare eam oportebat; quo ſenſu Vagationem & errores declarant Gregorius Papa, Bernardus ſermone 33. in Cantica; Philippus Abbas lib. 1. cap. 26. & VVolbero, dum aſſerunt Spiritum Diſcretionis exoptari: Obteſtatur itaque Sponſum, ne remoretur ampliùs, vt non illa cogatur perplexa eſſe, atque dubia, quem virum adſciſcat: Et quoniam ab huius Orationis ſcopo longiſſimæ diſtabat Sponſæ Animus: nam componebantur verba exteriùs ſolùm ad Sponſi terrendos familiares, atque vt eius properarent feſtinare aduentum, propterea, quamuis non ignoraret comprocos Sponſi, qui eâ de causâ vocantur *ſodales*, de Optimatum claſſibus eſſe, humili tamen dictione, & abiectæ ſignificationis, *greges* appellat, non quia lateret ſplendidiori titulo dignos eſſe, ſed Sponſi comparatione nihil clarum aut excellens rebatur, quemadmodum exordio ſequentis capitis ligna ſylueſtria cæteros homines Sponſo collatos dicit: vnde Gregorius Romanus concinnè ad hunc locum: *Quorum multitudines benè per exprobrationem greges appellantur.*

*Altera verior Expoſitio.* — Ghiſler. — Origen. — Cantacuz. — *Variæ Verſiones.* — Nannius. — Delrio. — Nigid. — Pagnin. — Vatabl. — Philo Carp. — Theodoret. — Gregor. — Bernard. — Philipp. Abb. — VVolbero. — *Cæteri comparati Sponſo vileſcunt Proci.* — Gregor.

20. Iuniorum vnanimi applauſu celebrata eſt cogitatio, quæ ſubueritam Sponſam autumat, ne Meretrix haberetur, dum vbi verſetur in Meridie Paſtor Contoralis, diſquirit: qualia autem fundamenta? ex Patribus legi Origenem, qui opitulari videatur hom. 2. ex quatuor, qui ait: *Ne fortè, ſi non fuerit edocta itineris huius anfractus, incurrat greges ſodalium; & videatur ſimilis eſſe alicui illarum, quæ adopertæ veniunt ad ſodales eius, nec pudoris gerunt curam, aut verentur paſſim diſcurrere, aut multis apparère*: Sed quanquam ego hanc quatuor Homiliarum Explanationem aliàs cenſuerim Adamantij, neque Titulo, neque ingenio indignam, & modò idipſum ſentiam; tamen qui eius ſine Controuerſia genuinus partus eſt, duæ ſunt Homiliæ ex Hieronymiana Tranſlatione: ex his verò prima contrario declarat ſenſu, verecundiæ nimirum tribuens, quod adoperta proceſſerit Sponſa, vt L X X. Seniorum indicat Verſio, de qua inferiùs nos; ait ex Sponſæ verbis: *Et quia aliorum erubeſco aſpectus, faciem meam, atque ora mox contegere incipio: ſum quippe Sponſa formoſa, & aliis nudam meam faciem non oſtendo, niſi tibi ſoli, quem iampridem deoſculata ſum*: quam ad interpretationem proximè accedit Hieronymus ep. 22. ad Euſtochium: Iam verò ſi proferatur Ambroſius ſermone 2. in Pſalm. 118. *Mercenaria eſſe deſideras*, (ait) *quæ antea Mercenarios colligebas: Mercenariæ vtique vox iſta dicentis eſt: Ne fortè ſiam circumamicta ſuper greges ſodalium tuorum*: Sed numquid ideò Meretricem inſinuauit, quia appellauit Mercenariam? Annon & in bonum trahi poſſit vox Mercenariæ? imò ſanè, quia tale aliquid vox Hebræa, qua Meretrix nominatur, ſonat, non omninò turpis dictio cenſetur: Iſaiæ c. 1. verſ. 21. vbi Ordinarius Interpres *Meretricem* dixit, in Hebræo eſt זוֹנָה *Zona*, quo verbo ſecundum latiorem ſignificationem intelligitur merere aliquid, labore ſcilicet, induſtriâ, opificio; quod totum honeſtarum mulierum eſt: At videantur hac de re prolixiùs diſſertantes noſtri, Hieronymus Pradus in cap. 16. verſ. 34. Ezechielis, Pineda de Salomone lib. 6. cap. 13. num. 6. Gaſpar Sanctius in cap. 1. Iſaiæ num. 53. & in cap. 23. eiuſdem num. 40. Neque in Patribus, quod attigerim, his maiora præſidia: nihílque fauent tres Rabbini, huius Enarratores Epithalamij, qui circumferuntur cum Genebrardi lucubrationibus in Cantica.

*Varij Patrum ſenſus.* — Origen. — L X X. — Origen. — Hieronym. — Ambroſ. — *Quid* Zonah *apud Hebræos.* — Iſai. 1. 21. — Pradus. — Pineda. — Sanchez.

21. Ex Scripturis autem potiſſimum communiunt: nam de Meretrice, Prouerb. cap. 5. verſ. 6. *Vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles*; Et cap. 7. verſ. 11. *Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis*: Agnoſco has faciles Meretriciæ leuitatis notas, cæterùm in vrbibus, non in deſerto: nam morem Orientalium fuiſſe vt in Gynæceis procul à virorum aſpectibus clauderentur omnes Virgines honeſtæ, & quibus Pudicitiæ amor, oſtendimus Veſtigat. 3. num. 24. Quamobrem quæ auſa fuiſſet ſepta relinquere, & Ciuitatem peragrare; næ illa rectè libidinoſa & impotens exiſtimanda. At in eremo nulla Virginum munimenta; oberrant ſicut & Paſtores, cùm fixas non habeant ſedes, meliora ſemper inquirentes Paſcua: Denique ſi vagari per ſodalium teſqua neceſſum ſit, opilionis culpa eſt, non Paſtricis; reliquit poſt ſe abſque ſemitarum

*Meretrices vagæ.* — Prouerb. 5. 6. Et 7. 11.





tarum

tarum Magiſtro : quid faceret Viarum ignara? quo pacto non vagaretur , non erraret ? talibus implicari Mæandris fœminarum honeſtiſſima poſſit. Quoniam tamen multos hæc aſſecuta eſt ſententia Patronos , ex quibus non pauci viri doctiſſimi ; in eius gratiam animaduertendum ex Marco Varrone , & in ſolitudine fuiſſe Puellas , quæ propterea vagabantur in ſyluis abſque ſociis & teſtibus , vt obuiis quibuſque Paſtoribus vel ob pretium , vel ex impuro ardore Corporis facerent copiam : Eius verba de Illyrico Tractu lib. 2. cap. 10. *Necnon etiam hæ , quas Virgines ibi appellant nonnunquam annorum viginti ; quibus mos eorum non denegauit , antè nuptias vt ſuccumberent , quibus vellent ; & incomitatis vt vagari liceret , & filios habere :* Ecce de his ſpeciatim , quæ ſe proſtituebant , aſſerit licuiſſe & Vagari , & incomitatas ferri per auia : probè igitur Sponſa metuit , vt ſi per nemora vagari contingat , ne Meretrix reputetur. Quod verò ait : *Ne incipiam vagari* ; non ſic intelligendum eſt ; vt vnquam Sponſa decreuerit meretricari, quibuſcumque laceſſita iniuriis à Sponſo : abſit enim tam ſpurca cogitatio à pectore honeſtiſſimo : Sed timere illam , ne quamuis pudica eſſet, turpem tamen neque abſque fundamento iudicaſſent , qui ſolam vidiſſent : Sin autem non de Paſtoritia hoc vita , inde tamen promptâ vtitur metaphorâ Virgo , quam nos impatienter ferre longam Mariti abſentiam dicebamus : Iubet igitur properare , & Connubiale tandem exhibere prandium : Nam ſi procraſtinatio (inquit) vltra modum fuerit , arbitrabuntur repudiatam me, Principis vtique indignam lecto, certè ob contaminatam pudicitiam : Scortum igitur audiar in populo : Heu qualem mihi labem veſtræ allaturæ ſunt moræ !

*Meretrices in ſyluis.* — M.Varro.

22\. Hæc corroboratur opinio maximè ex L X X. Seniorum verſione: nam Hebræa dictio כְּעֹטְיָה *Chebhotejath*, & vagari denotat , & pallio cooperiri : alteram deſumpſit vulgatus ſignificationem , quæ ſubindicat Vagationem : alteram L X X. participio vſi περιβεβλημένη , quod *ſuperamictum , adopertum , ſuperinductum* transfertur: *Ne fortè efficiar ſicut adoperta ſuper greges ſodalium tuorum :* Sed quemadmodum meretriciæ inuerecundæ teſtimonium erat foras prodire & & vagari ; ita & cyclade , vel Theriſtro, peplôve faciem texiſſe. Quare bellè conueniunt ordinarius Interpres & L X X. cùm licet diuerſa Metaphora , idem tamen ſubinnuant ; hoc eſt, ſcortum reputandam iri Sponſam ; atque ob hanc Verſionum Amicitiam proculdubio gratioſa Explanatio , quæ velatam & adopertam Sponſam , Meretricem adæſtimat : vnde autem probatio ? ex Geneſ. cap.38. nam de Thamare ſedente in biuio , & pallio æſtiuali abſconſa v. 15. *Quam cum vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe Meretricem :* & huius ſuſpicionis quaſi adhibito fundamento ſtatim : *Operuerat enim vultum ſuum , ne agnoſceretur :* Vocatur rurſum bis ſcorti nomine verſ. 22. atque huic potiſſimùm nituntur ſcipioni omnes penè huius Carminis nuperi ſcholiaſtes , quos referre omitto , quoniam explorata res eſt : Abulenſis ad cap.38.Geneſ. Oleaſter ibidem, qui ſuggerit Venetiis commorantem , conſpectas à ſe meretrices per vrbem incedere faciem nigro velatas operimento: fortaſſe , addit, & tale quidpiam vetuſtiſſimis temporibus : Torniellus tom.1.anno Mundi 2313.num.1. Serarius lib.2.in Ioſue ad c.2.part.2.q.3. §.Ad tertium,&c. Aloyſius Nouarinus lib.1. Sacrorum Electorum, cap.1.ſecte.10.num.98. Ab antiquis nonnihil ſuppetiarum : Nam Chryſippus apud Origenem lib. 4.contra Celſum , pag.76. tales depingit meritorias fœminas , quæ extra Ciuitatum ambitus , ad publicas ſederent vias opertæ. De ipſa Thamar palàm libro de cultu fœminarum Tertullianus: *Thamar illa, quia ſe expinxerat, & ornauerat ; idcircò Iudæ ſuſpicioni viſa eſt quæſtui ſedêre , adeò quia ſub velamento latebat, habitus qualitate quæſtuariam mentiente : & fecit vt quæſtuariam, & voluit, & compellauit, & compactus eſt.*

LXX. — *Meretrices olim faciem peplo velabant.* — Geneſ 38.15. — Toſtat. Oleaſter. — Torniell. Serar. — Nouarin. — Origen. — Tertullian.

23\. At quis non ſubitò animaduertit, quàm ſit difficile creditu Thamarem propterea ſcortum exiſtimatam, quod eam corporis partem, in qua ſunt omnes veſanæ pruriginis illecebræ, abſcondiſſet? quibus niſi Crinium nexibus illaqueandi Veneris molles aſſeclæ? quem in Scopum ceruſſa genarum, oculorum ſtibium , niſi ad decipiendum? ſed dixit ille: *vt vidi, vt perij :* nam per luminum Feneſtras ſcintillæ Amoris intrant : quare iudicarint aliqui , non ob veſtem ſcortum iudicatam , ſed quod in biuio, apertiſque viarum oſtiis ſederet; nec enim cùm Orientales fœminæ virorum congreſſus ſtudioſiſſimè vitarent, pudica mulier cenſeri potuit, quæ affectaret publicum. Huius fuiſſe ſententiæ videatur notis ad Matthæum Cantacuzenum Vincentius Riccardus ad verſ.7. cap.5. numero L X X I. Quam ſi Zenoni Veronenſi adſcribam opinionem, puto non mentiar: nam & fornicariam æſtimatam affirmat, & tamen velando faciem ſimulaſſe honeſtatem: quomodo igitur impudica , niſi quia in tranſeuntium populorum ſemitis tabernam erexerat meritoriam ? Eius oratio ſerm. de Iuda : *Æſtiualia induit , ſemet decorè componit : At ille viſam mulierem fornicariam putat; quæ Pudoris integritatem faciem velando monſtrabat.* Certè ad longum deſcripta quæ ſe proſtituebat Ezechielis cap.16. ſed notæ aſſumptæ à ſemitis verſ.25. *Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ : & abominabilem feciſti decorem tuum: & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti.* Ieremiæ cap.2. verſ.20. *In omni enim colle ſublimi , & ſub omni ligno frõdoſo tu proſternebaris meretrix.* In littoribus olim ex quibus frequentes Nauigationes , cellas ab eis conſtructas oſtendit Ioannes Sauaro ad epiſtol. 6.lib.9. Apollinaris Sidonij , in illud : *Meretricij blandimenta Naufragij*, &c. Iam quod obtecta facies verecundam potiùs mulierem indicaſſet, Clemens Alexandrinus locuples eſt teſtis lib.2. Pædag. cap.10. *Nec verò ſolum calcaneum nudare eſt prohibitum : ſed etiam caput tegere , & vultum adumbrare , iuſſum eſt : atque vtinam poſſet etiam à veſte eximi Purpura ; vt non in vtentium faciem ſpectatores conuerteret.* Et lib.3.cap.11. *Mulier ſemper tecta ſit , niſi domi fuerit : ipſa enim nunquàm labetur , ſi & verecundiam , & veſtem antè oculos poſuerit : Dicunt autem Æneæ vxorem propter inſignem honeſtatem , ne cùm Troia quidem caperetur , perterritam ſe detexiſſe ; ſed etiam dum ab incendio fugeret , manſiſſe coopertam ?* Hieronymus epiſtola ad Demetriadem : *Illa* (ait) *tibi ſit pulchra , illa Amabilis , illa inter ſocias habenda , quæ ſe neſcit eſſe pulchram , quæ negligit formæ bonum ; & procedens ad publicum , non pectus , non colla denudat , nec pallio reuoluto Ceruices aperit ; ſed quæ celat faciem , & vix vno oculo , qui viæ eſt neceſſarius , patente ingreditur :* Plutarchus in Lycurgo de Spartanis mulieribus : *inferiores*

*Non quod faciem velaſſet, Scortum creditur Thamar , ſed quod in viis publicis vaga ſederet.* — Vinc. Riccard. — Zeno.Veron. — Ezechiel. 16.25. — Ierem. 2.20. — *In portubus olim Meretricum cellæ.* Sauarus. — Clem. Alex. — Hieronym. — Plutarch.

quidem



*quidem triginta annis haudquaquam procedebant in forum ; verùm explicabant ea, quæ pertinebant ad negotia neceſſaria per propinquos, & Amatores : maioribus natu probroſum erat aſſiduè ibi volutari :* Seuerum eſt quod de Romana Matrona Valerius recenſet Maximus lib.6.c.3. nam de C.Sulpicio Gallo memorat repudiaſſe thalami ſociam: quòd eam capite aperto foris verſantem cognouerat : nec ad ipſum Connubiale fœdus maritanda Virgo procedebat, niſi flammeo vultum contecta, & Honeſtatis id gratiâ : Claudianus lib.2. de Raptu Proſerpinæ :

Valer.Max. — *Capitis velũ Matronas pudicáſque fœminas decet.*

*———Et vultibus addunt*
*Flammea ſollicitum præuelatura pudorem.*

Claudian.

Vt iam mirum non ſit, quæ deſponſantur Chriſto Puellas, velo vti ſacro, quo ora in poſterum humanis negent oculis , Deo & Angelis Contemplatoribus feliciſſimæ : Aurelius Prudentius libro 2.ad Symmachum :

*Sunt & Virginibus pulcherrima præmia noſtris*
*Et pudor, & ſancto tectus velamine vultus.*

Prudent.

Quibus hoc amplificetur Argumentum alia non pauca nos Veſtigat.3.num.24.& 25. præſertim de Africanis, Iudæiſque mulieribus.

24\. Quanquàm verò hæc talia ſint , quæ ſuadêre videantur palàm non niſi pudicarum fœminarum vſum extitiſſe , ora vt ſollicitè contegerent: tamen vix negare poſſibile , & in Meretrices eadem quadrare; adeò ſi quæ ſpreuit verticẽ adumbrare, perfrictæ exiſtimabatur frontis, & quæ omnem penitus verecundiæ depoſuiſſet ſenſum : eâ vſus comparatione in proiecti ſceleris hominibus Seneca lib.de vita Beata, cap.13. *Et vitia ſua* (loquens de voluptuoſo) *cùm cœpit putare ſimilia preceptis, indulget illis ; non timidè, nec obſcurè ; luxuriatur etiam inoperto capite* , hoc eſt ſummo & audaciſſimo luxuriæ genere nihil erubeſcentis: Scimus enim de Romanis ſcortis decori habuiſſe memoriam aliquam, & cùm ad laſciuiendum admittebant , ianuam diligenter clauſiſſe : Naſo Amor.3.eleg.13.

*Etiam Meretrices vultũ velabant , præter impudentiſſimas.* — Seneca.

*Ignoto meretrix corpus iunctura Quiriti*
*Oppoſitâ populum ſummouet antè ſerâ.*

Ouid.

Quæ obſeruare cùm impudentiſſima deſineret fœmina, ſupra Meretrices vniuerſas Epigrammatarius inuerecundam nominauit, lib.1. Epigr.91. ad Lesbiam :

*Incuſtoditis, & apertis Lesbia ſemper*
*Liminibus peccas, nec tua furta tegis.*
*At meretrix abigit teſtem velôque, ſerâque*
*Raráque, ſi memini, fornice Rima patet.*
*A Chione ſaltem, vel ab Helide diſce pudorem*, &c.

Martial.

Quod autem & vultus abſconderent, Meſſalinæ indicant libidines : Nam cùm Auguſta eſſet , in eam dementiam prolapſa eſt, vt lupari non vereretur, & obuiis quibuſcumque ſuccumbere inter notas meretrices : Cucullo tamen faciei occultabat lineamenta : Iuuenalis Satyr.6.

*Auſa Palatino tegetem præferre Cubili*
*Sumere nocturnos Meretrix Auguſta cucullos,*
*Linquebat comite ancilla non amplius vna,*
*Et nigro flauum crinem abſcondente galero*
*Intrauit calidum veteri centone lupanar,*
*Et cellam vacuam atque ſuam.*

Iuuenal.

Fuiſſe huiuſmodi Capitium iſtud appareat, quod ex oculis vnum tantùm liberaret viarum Indicem : Martialis lib.5. ſignificauit, Epigram.14. de Mannecio :

*Mulierum Capitium ſolum vnum liberabat oculum.* — Martial.

*Illinc Cucullo proſpicit caput tectus,*
*Oculôque ludos ſpectat indecens vno.*

Quamobrem Matronę, quibus antiquitus vultum celare maxima Prouidentia fuit , quoties extra domum prodirent ; coactæ ſunt faciem retegere, ne ſi operuiſſent , iacturam feciſſent laudatæ Honeſtatis: Horatius lib.1.Sermon.Satyr.2.

*Matronas à ſcortis diſtinguebat non velata facies.* — Horat.

*Matronæ præter faciem, nil cernere poſſis*
*Cætera, ni Catia eſt, demiſſâ veſte tegentis.*

Vbi Porphyrion obſeruat hac notâ diſtinctas à ſcortis ; diſtinguebantur quoque & vittis, & ſtolâ demiſsâ vſque ad talos: de quo diſcrimine Alexander Neapolitanus lib. 5. Genialium dierum, c.18. Dempſterus ad c.35.lib.5. Antiquitatum Roſini : Quare non incongruè dictum , Thamarem ideò Meretricem ſuſpicatam , quod vultus ſepeliiſſet : & quod præcipuum eſt, L X X. Seniorum Verſionem de eo, quem tractamus verſu ad ſcortariam relatam Artem conſideranter quidem.

Alexand. ab Alex. — Dempſter. — L X X.

25\. Vnde autem factum, vt quod verecundiæ erat ſignum, ad proſtitutionem traheretur ? Primùm, Ethniciſmo regnante , cùm imponeret Dæmon hominibus, perſuadebat nobiliſſimis quibuſque Virginibus, vt in Deorum, Diuarúmque honorem laxarent Pudicitiæ habenas : Strabo lib.11.agens de Religione Medorum, Perſarum, Armeniorum: *Illuſtriſſimi eius Nationis* (inquit) *filias ſuas Virgines ei dicant ; ac lex eſt, vt longo tempore apud Deum conſupratæ, deinde nuptum dentur, nemine talis mulieris Coniugium dedignante :* Tale quidpiam etiam Herodotus de Lydiis mulieribus ſcribit: *Omnes enim eæ , vt ait , Meretrices ſunt , & Amatores ita blandè tractant, vt & Hoſpitium præbeant, & ſæpè plura munera dent, quàm recipiant, vtpote ex re lauta ſumptum ſuppeditãtes: non autem quoſuis Hoſpitio excipiunt , ſed præcipuè qui dignitate ipſis ſunt pares:* Fortaſſe huiuſmodi Rahab Ierechuntina, Ioſue 2. v. 2. & ideo ſtabulariam aliqui putarunt ; At non debuerant meretricem negaſſe : Cæterùm in idolorum gratiam fœminas authoritate , & diuitiis tumentes, Turpitudinis pretium repoſcere ſolitas , quam pecuniam in ſacros tantùm vſus conuerterent, vel vt ſtatuæ , vel vt fana erigerentur Deorum, commonſtrant noſtri adhibitis variis Teſtibus, Pererius lib.6.in Danielem, in illud c.5. *Bibebant vinum*,&c. Delrio lib.3. Diſq.Mag.p.1. q.3.ſect.2. Roa lib.3.ſingular. c.11.& 12. Sanctius in cap.6. Baruch.n.41. Hoc eo capite, v.10. *Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant :* & iterùm: *cùm receperint illud à Meretricibus , ornant Deos ſuos :* & de Concubitu v.42. *Mulieres autem circumdatæ funibus in vijs ſedent ſuccẽdentes oſſa oliuarum: Cum autem aliqua ex ipſis attracta ab aliquo tranſeunte dormierit cum eo, Proxima eius exprobrat, quod ea non ſit digna habita , ſicut ipſa , neque funis eius diruptus ſit:* Idémque Gaſpar Sanctius in cap.1.Michææ n.36. igitur pro re noſtra: Cùm Meretricium quæſtum exercerent honoratiſſimæ in Republica fœminæ, & Religionem vecordi ſtultitiâ putarent, ne tum quidem ab vſitatis recedebant moribus , & faciem ſecundum Nobilium mulierum conſuetudinem obtegebant : Secundò ; quæ erant plebeiæ Mulierculæ , & corpora vendebant, vel ex ſuperbia Matronarum affectabant grauitatem , vel ex lucri Amore , quoniam niſi ſub tali viſas habitu digniores cõtempſiſſent homines: Quare Sueton. in Nero.c.27. *Quoties Oſtiam Tyberi deflueret , aut Baianum ſinum præternauigaret , diſpoſitæ per littora & ripas diuerſoriæ tabernæ parabantur; & inſignes ganeæ Matronarum inſtitorias operas imitantium, atque hinc inde hortantium , vt appelleret :* Quam denique ob cauſam, Magiſtratus cõniuentiâ factũ, vt nulla penè ex veſtibus eſſet differentia aut honeſtæ, aut impudicæ : aduertit Tertullianus de Cultu

*Vnde verecundiæ ſignũ, (nimirum velare faciẽ) in Proſtitutarum notam deſciuit?* — Strabo. — Herodot. — Ioſue 2. — *Falsâ Religionis ſpecie, Honoratiſſimæ fœminæ proſtitutæ.* — Perer. Delrio. Roa. Sanchez. — Baruch 6.10. — verſ.42. — Sueton. — *Nulla in veſtibus honeſtæ & impudicæ fœminæ diſtinctio.*

Tertullian.

fœminarum: *Aut quid minùs habent* (inquit) *iſtæ publicarum libidinum victimæ? Quas ſi quæ leges à Matronis; & Matronalibus decoramentis coërcebant: iam certè ſæculi improbitas quotidie inſurgens honeſtiſſimis quibuſque fœminis vſque ad errorem dignoſcendi coæquauit:* & Apologetici cap.6. *Video & inter Matronas, atque Proſtibulas nullum de Habitu diſcrimen: circa fœminas quidem etiam illa Maiorum Inſtituta ceciderunt, quæ modeſtiæ, quæ ſobrietati patrocinabantur.*

26. Ex hoc autem loco colligere quiſpiam tentauerit, id quod frequenter in antecedentibus monuimus, hanc fuiſſe Paganam Sponſam, quoniam ſi de Iudaiſmo fuiſſet, Meretrix eſſe non poſſet, cùm Deuteronomij vetet cap.23.v.17. *Non erit Meretrix de filiabus Iſraël, nec ſcortator de filijs Iſraël.* Difficile eſt credere Meretrices exulaſſe vniuerſim: Nam Leuit.c.21.v.7. Sacerdotibus præceptum: *Scortum, & vile Proſtibulum non ducent vxorem:* eſſe verò ſermonem de filiabus Iſraël conuenit, nam ſi alterius fœmina Prouinciæ, nec duci poſſit, quanquàm Proſtibulum non extitiſſet, cùm Hebræis Alienigenarum Connubia interdicerentur: Deinde tot Salomonis Hortamenta Prouerbiorum c.5.& 7. aliiſque, quem in finem, vt à meretriciis illecebris iuuenes cauerent? Sed cap.16. Ezechielis, quonam pacto concionantem populus intellexiſſet, cùm multa pars de Meretricum Cellis, ornatu, blandimentis, niſi talia ſæpè ante ora habuiſſet? Admittit quidem ſcorta, ſed Iſraëliticæ minimè fuiſſe gentis arbitratur Pineda lib.7. de Salomone, c.14.n.7. Lorinus in nominatum ex Deuteronomio caput, anceps eſt, fuerintne peregrinarum nationum, an ex Iudæa ipſa: fuiſſe tamen aliquas certum ſtatuit: Baronius Hebræa admittit proſtibula tom. 1. anno Chriſti 32. n.22. equidem ſi quæ fuêre meritoriæ fœminæ, de iſtis planè: nam multò pernicioſius fuiſſet indulgêre Magiſtratum copiam proſtitutionis Idololatriâ infectis mulieribus, cùm & laſciuiam, ſimul & falſa inſtillarent dogmata: & legem talia permittere quis dicat ſeueriſſimè perſtringentem vel Connubia? Ergo ille Deuteronomij Canon quanti roboris, quem ſuprà produximus? Bonfrerius noſter L X X. Seniorum manuductus verſione, in qua de initiatis ſermo, autumat prohiberi ſolùm, ne quæ eſſent fœminæ in Deorum cultum Honeſtatem prodigentes: profanam tamen ſcortationem inuetitam fuiſſe; atque hac etiam de cauſa Vulgatam notato Deuteronomij loco ſubnectere: *Non offeres mercedem Proſtibuli, nec pretium Carnis in domo Domini Dei tui:* cui ſententiæ fauêre viſus Sanctius ad v.42.c.6. Baruch. Minùs ſolidum eſt, quod ab aliis aſſeueratur, prohibita ſolùm publica ſcorta: nam quid mage apertum, quàm quod apud Ezechielem c.16.v.24.& 25. *Et ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis: ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ?* Demum, ſunt qui imaginantur, legem illam incuſtoditam ab Hebræis, quibus ſolenne ea perfringere Decreta, quibus Animi vehementiores impetus coërcebãtur, cùm in obſeruantia leuium cærimoniarum proterue ſuperſtitioſi eſſent: Qua de re nos tantillùm admonuimus Anteloq. 5. n. 132. Sanè & ipſius Chriſti exprobrantis vox eſt apud Ioannem c.7.v.19. quando alloquebatur Iudæos: *Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?* & Apoſtolorum Coryphæus, Actorum c.15. v.10. *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper Ceruices Diſcipulorum; quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Verùm his, quamobrem diutiùs inſiſtamus? eſto, nihil ſcortorum pertulerint Iudæi intra fines Prouinciæ: Sed Sponſa, quanquam Hebræa eſſet; meretricatum ad exteras proficiſci gentes volentem quis retineret? Itaque ex his verbis ægrè admodum inferatur, Paganam illam fuiſſe, & de Nationibus Alienigenarum.

Deuteron. 23.17. *Num inter Hebræos olim Meretrices?* Leuit.21.7. Ezechiel.16. Pineda. Lorin. Baron. Bonfrer. LXX. Sanchez. Ezechiel.16. 24. *Iudæi earum legum prauaricatores, in quas nititur Naturæ impetus.* Ioan 7.19. Act.15.10.

27. Si quem tædet, ad impudicos Amores referri, quod Sponſa contegatur vultu, collo, humeris, referat ad caſta deſideria: curni enim patiatur Textus? Nam quid docet? coopertam ſcilicet fuiſſe? Atqui docuimus Veſtigat.4. n. 10. ex Hebræorum ritu, cùm ſanciebantur maritalia fœdera, viri pallio conuelatum Sponſæ caput: Hunc igitur alluſa ad morem Puella: Sponſum obſecrat, ne tantâ ſuâ cunctatione adigat, noua vt meditetur Connubia cum Procorum aliquo; qui, quod eaſdem prætenderent nuptias, quas Sponſus ambiret, ideò ſodales eius: vt autem ſignificaret Matrimonium, inquit: *Ne fiam ſicut Adoperta poſt greges ſodalium:* hoc eſt, ne cogar pallio noui Mariti, in Thalami fœdere, contegi: Et, vt ad alios ſenſus viam ſternamus: luctus ſignificatio fuit, atque pudoris, faciem obnubi: Ita caſtiſſima Suſanna indigni Criminis pudefacta, ob verecundiam, & mœrorem pariter abſcondit honeſtiſſimi vultus decorem, Danielis c.13.v.32. Aman rubore ſuffuſus, atque vnà in triſtitiis magnis ob Mardochæi honores; *Feſtinauit ire in domum ſuam, lugens & operto* capite, Eſth. c.6. v.12. atque ob eundem hunc finem, Damnati ora contegebant: Verecundabantur enim à multitudine conſpici tali in loco, talíque ſub forma, & ſpiritus teſtabantur anguſtias nocte oculis inuocatâ: nam & memoratus recenter Amannus Regis vt incurrit indignationem, quod ad patibulum ducendus eſſet; *Statim operuerunt faciem eius*, Eſth.c.7.v.8. Silius Italicus Decij captiuitatem, & vincula deſcribens lib.11.

*Nec plura effari conceſſum; obnubitur atrâ*
*Veſte caput, trahitúrque ferox ante ora ſuorum.*

Vide Grethſerum libro 1. de Cruce cap. 21. Iuxta hæc Sponſa orat adproperare Sponſum ne in perpetuo illa verſetur gemitu, adoperta lugentium in morem: inſuper & ne ruborem patiatur, ſugillantibus, quæ inuidebant, contemptam eam à nouo Marito: niſi enim ſpreuiſſet, & repudiare tentaſſet, cur tam ſpatioſas traheret moras?

*Vultum velare, luctus, pudoriſque indicium.* Daniel.13. Eſther. 6 12. Et 7.8. Sil.Ital. Gretſer.

EXPLANA



# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. *Cap.1. verſ. 6.*

*Tres expoſitiones. Prima de Chriſti Reſurrectione: Secunda de vulgando per nationes Euangelio: Tertia de Spiritus ſancti illapſu: Meretrix dicta Eccleſia antiqua gentium, item & Synagoga: Philoſophi vitia diſſimulare ſtudioſè conati: Hæreticorum ad Scripturas intelligendas infauſta ingenia.*

### Sectio Vnica.

28. *I. Huius verſus, de Reſurrectione Chriſti Expoſitio.*

POSTQVAM Noua Eccleſia, varias à Synagoga inuentas Criminationes prudentiſſimâ eadémque modeſtiſſimâ Oratione diluit, cùm nondum exploratum aliquid intellexiſſet de Reſurgente Seruatore, & Amori vel triduanæ abſentiæ prolixæ eſſent, atque inconſolabiles, vertit ſe ad id, quod ſemel, iterúmque hactenus obteſtata eſt flebiliter; ne diutius moras, cruciamenta diligentis Animæ protraheret, feſtinaret ex ſepulchro, & gloriam, atque decorem immortalitatis liuidis artubus promiſſum vaticinationibus antiquis, induere properaret: Quod ſi venire, atque adeſſe cupienti Sponſę non indignaretur, æquo laturam animo, nigram, hoc eſt deſpectam, & obſcuri nominis, à Synagoga reputatam fuiſſe: nam Sponſum vt conſequatur, ſatis beatam futuram. Ergo certè ſubfuſcam Ieroſolymitana dicat Congregatio ſicut Tabernacula Cedar, tantùm indicare velis tu, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, nihili reliqua ſolatia factura ſim: Pulchrè autem expreſſit ornamenta Reſurgentis integra cum Beatitudine animæ, atque corporis, ſub Pabuli emblemate: *Vbi*, inquit, *paſcas, vbi cubes in meridie?* Nam & ſempiternæ vitæ præmium, cùm indicaret Chriſtus, à Triclinio, & miniſtratione epularum deſumpſit metaphoram. Luc. cap.12. verſ.37. *Amen, dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* cap.13. verſ.29. *Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei.* cap.22. verſ.30. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum; vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.* Notanter verò de Refectione meridiana loquutus eſt: Quoniam licet in Scripturis non rarò gloria Beatorum Cœnæ declaretur vocabulo; ſed vti ſingularis & incomparabilis eſt Chriſti immortalitas, quæ fulgores emittit ſeptemplices: ita non ſatis expreſſa videbatur, cœnarum ſplendoribus, quos lucernæ progenerant; ſublimior adhibenda fuit lucis origo: & ſanè de Reſurrectione interpretatus eſt Bernardus ſermone 33. in Cantica: *Erat ergo aurora, & ipſa ſubobſcura ſatis tota illa Chriſti conuerſatio ſuper terram, vſque dum occumbens, & rurſùm exoriens, ſolaris ſuæ præſentiæ lumine clariori fugauit auroram: ô verè meridies! plenitudo feruoris, & lucis, ſolis ſtatio, vmbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio: ô perenne ſolſtitium, quando iam non inclinabitur dies! ô lumen meridianum! ô vernalis temperies! ô æſtiua venuſtas! ô autumnalis vbertas! Hunc locum, inquit, tantæ claritatis, & pacis, & plenitudinis indica mihi,* &c. Atque hæ primordialis Eccleſiæ voces, antequam è tumulo prodiiſſe Seruatorem conſtaret: Quamobrem verò rediuiuum cernere tantoperè aueat, ſubiungit: *ne vagari incipiam*; Significat autem fluctuationem cordis, & ancipites Spiritus motus; cùm reſurrecturum vel non ſatis aliqui crederent; ex quibus diſcipuli illi fuêre Emauntini, qui ex diffidentia quadam, Luc.c.24. verſ.21. *Nos autem ſperabamus* (aiebant) *quia ipſe eſſet redempturus Iſraël: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt:* Quamobrem & ſtultos, & tardos corde ad credendum paulò poſt non dubitauit appellare Chriſtus: ex vacillantibus etiam Thomas fuit qui vocabatur Dydimus, vt ne teſtibus quidem crederet Chriſtum reſurrexiſſe aſſeuerantibus, atque huius eum culpæ ex Patrum ſenatu non pauci arguunt; ex quibus & nonnulli conſtantiorem in Maria Magdalena de Chriſti ex morte triumpho, fidem deſiderant. Ergò, quod Membris ſuis contingebat aliquibus, ſibi quaſi adſcribens Eccleſia, orat Sponſum vt ſe glorioſum, & immortalem demonſtrare properet, quo nutantes ſtabiliantur Animæ, & fide roboratâ credant.

*Reſurrectionis ornamenta, Pabuli emblemate adumbrata.* Luc.12.37. Et 13.29. Et 22.30. Meridies, *Gloria cœleſtis.* Bernard. Luc.24.21.

29. *II. De Nationum ad Euangelium Conuerſione Expoſitio.*

Sed cùm dixerimus verſu antecedenti, ſignificari particulâ illâ: *Poſuerunt me Cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*, transferendum Regnum Dei ad nationes, & derelinquendam filiam Sion, eò quòd verbum non recepiſſet, quod prædicatum eſt à Seruatore mundi, eiúſque Diſcipulorum ſchola, anhelant Eccleſiæ primitiua illa germina edoceri, quâ in orbis Regione prædicandum ſit Euangelium, vbínam fundandus nouus cœtus, & an tantarum miſericordiarum vniuerſi participes futuri: *Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie?* Nam, quemadmodum Verbum Dei, cibus atque refectio Mentis ſit, nullúmque eo ſplendidius Conuiuium, oſtendimus breui oratione ſuperiùs Veſtigatione 5. num. 14. expendunt ad longum noſter Mendoça tom.1. in lib. 1. Regum, Annotatione Procemiali 1. ſectione 3. num.54. Aloyſius

Mendoça. Nouarinus.



 Nouarinus

Nouarinus.
Meridies *Claritas ſeu Splẽdor Euãgelicus.*

Nouarinus ſacrorum Electorum lib.1. c.3. n.224. Cæterùm, quod meridianæ recordata eſt lucis, Patres frequentiſſimè exponunt, indicari, tum demùm plenâ donatos claritate Mortales, cum obortus eſt fulgor Euangelicus; Nam vt aliquid Philoſophorum induſtria conſecuta ſit de vera diuinitate, de bonorum, malorúmque differentia geniorum, de prima Rerum cauſa, ipſíſque Mundi incunabulis, de vitæ perfecta inſtitutione, ex Hebræorum penu furtim deriuata monſtrauimus Anteloq. 9.ſect.2.ſed hæc ipſa monuimus rurſum Antel.11. num.11. commentitiis fabularum narrationibus denſiſſimè obtenebrata; & Veſtigatione huius primi capitis 7. num. 26. docuimus omnium ſapientiſſimos quaſi lepræ cuiuſdam horrendis maculis errorum inſanâ quadam enormitate librorum pulchros deformaſſe titulos: vnde Apoſtolus ad Romanos, cap.1.v.21. *Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*; quamobrem, aut nihil penitus, aut exiguum ſolarij cæcutientibus Prouinciis illa Philoſophorum attulerint gymnaſia: Hebræorum verò gens niſi ſtupendæ cuiuſdam eſſet ruditatis, vt demiratus Propheta exclamarit: *Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum* (Iſaiæ, cap.1. verſ.3.) *& Aſinus præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non cognouit*, intelligere, & ſapere poſſit, nam Præceptores ſortita eſt admirabiles, eruditos nimirum à Domino Prophetas: erat tamen matutina atque adoleſcens illa claritas; nam meridianus ſplendor Euangelicis reſeruabatur temporibus; quare Paulus egregiè tripudians, vt quàm parum inuideret anteactis ſæculis innueret, ad Hebræos, cap.1. verſ. 1. *Multifariam, multíſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio*, &c. Referunt & hunc Epithalamij locũ ad Hæreſum Cimmeria dogmata ex veterũ Interpretũ claſſe multi: fortaſſe tamen germanior intellectus de elapſis ætatibus ante Chriſtum: nam pertæſa Eccleſia longæ, quæ anteceſſerit noctis iniurias; ſciénſque à vatibus prænunciatum affulſuram lucem micantiſſimam ſub Meſſiæ aduentum; in huius ſplendoris exardens ſacra deſideria, meridiem ocyùs appropinquare, de qua tanta emanatura ſit lux, concupiſcit.

Rom.1.21. — Iſai.1.3. — Hebr.3.1.

30.
*Confirmatur Expoſitio hæc ex D.Bernardo.*
Bernard.

Atque hoc argumenti genus, Cùm antiqui ferè omnes proſequantur enarratores, omiſſo eorum Catalogo, quoniam de manifeſtis eſt ſermo, vnius Bernardi proferam dicta ſerm.33. in Cantica: *Sunt quidem & alij Paſtores, qui dicunt ſe eſſe ſodales tuos, & non ſunt, habentes greges ſuos, & fines ſuos, pabulo mortis refertos, in quibus paſcunt, nec tecum, nec per te, quorum vtique terminos non intraui, nec appropiaui eis: ipſi ſunt, qui dicunt, ecce hîc eſt Chriſtus, ecce illic eſt, promittentes ſapientiæ, & ſcientiæ paſcua vberiora; & creditur eis, & confluunt ad eos multi, & faciunt eos filios gehennæ duplo, quàm ſe: cur hoc, niſi quia non eſt ibi meridies, & perſpicua lux, vt liquidò veritas cognoſcatur? faciléque pro ea recipitur falſitas propter veriſimilitudinem, quæ non facilè in obſcuro à vero diſcernitur, præſertim quia aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & Panis abſconditus ſuauior? Et propterea quæſo, vt indices mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, id eſt, in manifeſto, ne ſeducta incipiam vagari poſt greges ſodalium tuorum, quemadmodum & ipſi vagi ſunt, nullâ ſtabiles certitudine veritatis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes: Hæc Sponſa propter Philoſophorum, & Hæreticorum varia & vana dogmata.* Sed hæc de communi Explanatione cùm ſint, peculiare quidpiam ſubnectit facundiſſimus Abbas, inquiens: *Mihi verò videtur non ſolùm propterea, ſed & propter dolos inuiſibiliam Poteſtatum, ſicut ſunt ſeductorij ſpiritus ſedentes in inſidijs, & parantes ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos Corde: propter hos, inquam; & maximè, videtur mihi illa meridies optanda etiam nobis, vt clara luce deprehendamus aſtutias Diaboli:* Quo ſanè diſcurſu, cùm vt dixerim antea, natiuus Literæ ſenſus ad ea reſpiciat tempora, quæ priora fuerunt incarnatione Seruatoris, indicetur forſan, quod paſſa ſit vtraque Eccleſia, & quæ legem accepit ſcriptam, & quæ lege ſenior ſub naturæ viguit Decretis; nam dæmonum oraculis, vaníſque decepta pollicitationibus inter nationes hominum maxima pars Polytheiſmum ſequuta eſt, tot fabricatis diis, quot erant vel timoris, vel ſolatij cauſæ: Iſraël vero maiori impudentiâ, Numen, quod in mirabilibus Pharaonis liberauit iugo, per Solitudines ductauit, fuſili poſtpoſuit idolo, ſæpè militiam cœli adorauit, ſæpe alia figmenta paucioribus cum vera Religione ſtantibus: Ne igitur & huic nouiſſimæ Eccleſiæ, quæ non ab Ada Protoplaſto, non à Moyſe exordia ſumpſit, ſed ab Homine Deo, tam immane contigiſſet delictum; rogat plenâ inſtrui luce vſque ad meridianum creſcente robur, propulſatâ vmbrarum caligine. Idem.

Atquiſdicas, non hoc poſtulat, ſed ne meretrix euadat; ait enim; *Ne fiam ſicut adoperta*, quâ ſubindicatum formulâ aſſeruimus, ne ſcortum haberetur: imò quidem, ne aliud exoptat, quàm ab Idololatria declinare, cùm vt ne meretrix cenſeatur, anhelat: nam illæ ſuperſtitiones impuræ inanium Deorum, quid niſi proſtitutio? atque ob id Sapiens, cap.14. verſ.21. *Initium enim fornicationis eſt exquiſitio Idolorum.* Deuteronomij autem, cap.31. *Et populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos*, ſed palàm Meretricis vocabulum Iſaiæ cap.1.verſ.21. *quomodo facta eſt meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij?* ob idololatriam nempè, vt eo loci peritè declarat Gabriel Aluarez n.294. Mendoça tom.1. in 1 Reg. ad verſ.17. cap.2. Annot.18. ſect.3. num.10. Apoc.cap.19. verſ.2. *Qui iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram in proſtitutione ſua:* quamobrem ſcitè Tertullianus de Pudicitia, cap. 5. *Itaque Mœchia affinis idololatriæ: nam & Idololatria Mœchiæ nomine, & fornicationis ſæpe populo exprobrata:* Denique ob cauſam eandem, Eccleſiam ex gentibus, pariterque Synagogam Meretrices nuncupant Auguſtinus ſerm. 107. de tempore. Item & 200. Ambroſius ſerm.31. de Samaritana, & imprimis Hieronymus, qui ſuper ea re diſceptat ex profeſſo epiſt. ad Ruffinum de iudicio Salomonis, cuius verba tranſcribit Angelomus ad cap.3.lib.Reg.3. Rabanus ibidem Allegoriam ſequutus, & Nicolaus Lyrenſis in Morali Explanatione. Ergo, inquias, ſi Meretrix Eccleſia gentium tot Patrum calculis, vt quid de eadem nos hoc verſu contendamus, rogareã e Sponſum obnixiùs, ne Scorti conuitio afficiatur? Eccleſia quidem gentium Meretrix, ſed antequam conuerteretur ad Chriſtum, qui ex proſtitutâ Virginem reddidit, qua de re Hieronymus allegatâ epiſt. accuratè diſſertat: & quanquam propriè loquendo Eccleſia ipſa nunquam fornicata eſt, alioquin ſi idololatraſſet, fide excidiſſet, Eccleſia autem Dei eſſe non poſſet fidei præſidiis deſtituta, ſed conuentus magis Satanæ: Quoniam verò iuſtorum non admodum excreſcens erat portio inter Dæmonum cultores,

31.
*Poſtulat Sponſa ſeruari ab Idololatria, dum ne fiat meretrix precatur.*

Sap.14.12. — Deuteron.31.16. — Iſai.1.21. — Aluarez. — Mendoça. — Apocal.19.2. — Tertullian. — Auguſtin. — Ambroſ. — Hieronym. — Angelom. — Raban. — Lyra.

*Eccleſia gentiũ ante Conuerſionem, & Synagoga Meretrices.*



ideò pleriſque Mortalium deficientibus à vera Religione, tota Nationum congregatio defeciſſe aſſeritur, quanquam apud eos extitiſſent, qui nequaquam Diis impiiſſimis genua flexiſſent: vti Geneſ.cap.6. verſ.12. *Omnis quippè Caro corruperat viam ſuam ſuper terram*; & tamen pauci aliqui fuerant iuſtitiæ ſtudioſi, qui propterea communi liberati excidio.

Geneſ. 6.12.

32.
*Sub his verbis optat petitque Sponſa celerem Nationum conuerſionem.*

Iam igitur, quoniam expleto Redemptionis opere ſanctificandæ erant Nationes, ſupprimenda Dæmonum audax tyrannis, & quæ in eum diem fornicabatur mulier cum Amatoribus plurimis, cum viro pacem deinceps initura, ſtabili, & glorioſo fœdere: orat Sponſum, ne diutiùs patiatur Meretricem videri; quod non aliud eſt, quàm vt gentes celerrimè conuertantur, tum enim illa proſtituta apparere deſinet, cùm Deorum perierint ſuperſtitiones: *Ne fiam ſicut adoperta poſt greges ſodalium tuorum:* Origenes homilia 2. ex quatuor: *Ob hoc igitur in præſenti loco illuminari Sponſa deſiderat pleno ſcientiæ lumine, ne per imperitiam errans, in aliquo ſimilis efficiatur illis Doctorum ſcholis, quæ non per ipſam Dei ſapientiam, ſed per Philoſophorum, & Principum huius mundi exercentur:* Verùm, quis tantus de Philoſophorum Lyceis in Sponſa metus? quid nocuère Academiæ? igitúrne malus Ariſtoteles, malus Plato, malus Annæus Seneca? Quod ſi eorum vita enormis, quam vel diuitiarum amor corruperit, vel gulæ, & ebrietates conſpurcarint, vel præpoſteræ libidinis ſtimuli turpiſſimam reddirint; hoc ipſo tanto vitiorum dedecore facilè inſtrui potuerat, ſuſpectam eſſe eorum Religionem: nam vt veræ dignoſcendæ ſectæ plurima ſint indicia, manifeſta tamen Argumentatio, non niſi à Deo fidem illam proficiſci, quæ omnem honeſtatem impensè colit, quæ incontaminatos iuſtitiæ, & æquitatis obſeruatores progignit, quemadmodum à Dæmone oporteat eſſe ſcholam, in qua ſcelerum vigeant incentiua, & quæ habenas laxat voluptatibus indebitis: tales reperiri Hæreticorum exedras, talia eſſe cubilia eorum noſter demonſtrat Leſſius tractatu: *quæ fides & Religio ſit capeſſenda?* eiúſque libelli Apologêta Hermannus Hugo: neque his Philoſophorum caſtiora ſepta oſtendimus Veſtigatione 6. numero 28. comprobat & de tribus nuncupatis Philoſophis ſpeciatim Thomas Bozius lib. 7. de ſignis Eccleſiæ, cap.6. Ergo quid Pædagogo Sponſa eguerit, vt à Philoſophorum declinet ſemitis? non intuetur Magiſtrâ naturâ, improbam eſſe Religionem, per quam vitia dominantur? quidem ita: Sed quanquam in obſcœna proni Philoſophi, tegebant magnâ diligentiâ næuos ſuos, quoniam ambitione multâ inflati virtutum egregij Anteceſſores nominari cupiebant; hinc illis pallium, & productior barba, quæ grauitatem conciliarent: Gellius de eis lib.9.cap.2. *Palliatus, & crinitus, barbáque propè ad pubem porrecta.* Theodoretus orat. 1. de Prouidentia. *Illa hominum manus, quæ in albo pallio, & prolixa barba, comâque capitis Philoſophiam definit.* Addebantur & cutis macerationes ad deceptionem hominum, ad ſeueritatis falſam oſtentationem; Theocritus Idyllio 14.

Origen. — *A Paganorũ vitijs meritò ſuſpecta ſibi ſit eorum Religio.* — *Sanctitas & morum honeſtas, veræ Religionis Nota.* — Leſſius. — Herm. Hugo. — Bozius. — *In tegendis ſuis vitijs diligentes, Philoſophi.* — Gellius. — Theodoret. — Theocrit.

*Ergo tuum macies tenuauit pallida corpus,*
*Atque hæc barba graui mento tibi multa pependit,*
*Neglectâque breues ſordent in fronte capilli:*
*Talis erat. qui nuper in hæc loca Pythagoreus*
*Venerat informis, pallens, pede nudus vtroque*
*Palladijs natum, quem fama ferebat Athenis.*

Poſtremò ob hæc in Scriptis tot Commonitoria, tam acres inuectiuæ contra omnem licentiam aſperſo tamen nonnunquam aconito, quod ingenioſiores tamen percipiant ſolùm: Hac igitur fraude, his technis incautas gentes miſerè fallebant: proinde à laruatis ſeruari Præceptoribus, quorum dolus pernicioſiſſimus eſt, noua exoptat Eccleſia ſapiente iudicio fortaſſe & ideo ſodales Sponſi nuncupat, cùm magis declarati hoſtes eſſent, quod deforis tales apparerent; niſi mauis per antiphraſim dictos à contrario ſenſu.

33.
*III. de Spiritus ſancti Miſſione, Expoſitio.*

Tertia Explanatio eſt de Spiritus ſancti miſſu: Quippe Seruator eâ, quam ad Diſcipulos habuit oratione ſub vltimo diſceſſu, promiſit frequenter de æterni flaminis illapſu: Ioan. cap. 16. verſ.7. *Expedit vobis, vt ego vadam, ſi enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos:* Hanc itaque adſpirat in diem vehemẽtiùs Sponſa: Quoniam, vt monſtrabimus, ad v.3. c.2. Canticor. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi*, &c. tum, cùm in cœtum Apoſtolorum, aliorúmque Diſcipulorum, deſcendit totus ignеſcens Spiritus gratiarum, nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam feſtiuis Angelorum, hominúmque plauſibus concelebratæ; id, quod ſuccinctim proſequuti ſumus Anteloquiorum 3. n.118. Quemadmodum igitur humanam Sponſam ab initio huius Carminis nihil auidiùs concupire inſinuauimus millies, quàm geniale fœdus, quoniam inuiolandæ Pacis certiſſimum futurum pignus, & exinde, quæ olim miſera fuerat, obſcuríque ordinis, Regina conſtituebatur, intérque mulieres beatiſſima: Sic & Eccleſia, tantò per Connubium felicior, quantò humanis diuina præſtant, votorum omni conatu in diem cumulatiſſimæ iucunditatis rapitur; illum vnicè implorat, illum dies, noctéſque cogitat: quia autem ſub tam ingenti lætitia epulum deeſſe nequeat, quod pompam genialem exhilarat, rectè vt ſignificaret ſollennem coniunctionem, & Triclinaris meminit accubitus, atque paſtus: *vbi* (inquit) *paſcas, vbi cubes in meridie?* Annon certè fida illa Diſcipulorum manus à torrente voluptatis penè deebriata eſt, cùm Spiritus ſuperuenit? Equidem muſtum hauſiſſe ad ſatietatem Iudæi æſtimarunt & patrij, & aduenæ. Actor. c.2.v.14. Atquorſum tantoperè Spiritus illapſum deſiderat, niſi vt vagari in poſterum deſinat, fluctuare, timidæ eſſe mentis? Luculentè Bernardus ſerm.1. in feſto Pentecoſt. *Manifeſtum eſt enim indutos fuiſſe virtute ex alto, qui de tanta puſillanimitate ſpiritus ad tantam deuenêre conſtantiam: Non eſt iam fugere, non eſt abſcondi propter metum Iudæorum: conſtantiùs modò prædicant, quàm deliteſcerent antea timidiùs: denique mutationem illam dexteræ Excelſi manifeſtè declarat Principis Apoſtolorum priùs quidem inter ancillæ verba formido, poſtmodum inter Principum verbera fortitudo: Ibant* (ait Scriptura) *gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: quem ſanè priùs cùm duceretur ad Concilium, ſolum reliquerant fugientes: Quis dubitat adueniſſe Spiritum vehementem, qui mentes eorum inuiſibili illuſtraret potentiâ?*

Ioan.16.7. — *Gaudium & Robur Apoſtolorum in Spiritus ſancti ſuſceptione.* — Actor.2. — Bernard.

34.
*Quàm miſerè Scripturas interpretentur Haretici.*

Hoc autem loco penſitandum eſt à graui lectore ſedulâ conſideratione, quàm infauſtè Scripturas ad ſua detorqueant dogmata ſectarij omnium ætatum: Nam Donatiſtæ, cùm Africam inhabitarent, & meridianam adiacêre ad plagam cernerent; his enormiter abuſi Canticorum verbis, auſi ſunt eorum ex intellectu deducere, non niſi penès ſe veram eſſe Eccleſiam; quoniam ſcilicet interrogatus Sponſus, vbi cubaret, atque

 paſceret?

Auguſtin. *Donatiſtarũ de* Meridie *abſurda Expoſitio.*

paſceret? reſpondiſſet: *in Meridie:* nempè Africano in tractu, qui penès meridiem eſt: teſtis Auguſtinus, imprimis libro de vnitate Eccleſiæ, cap. 18. Quanta in breui expoſitione monſtra? Primùm; non de climate, non de terrarum ſpatiis ſermo eſt, cùm de Meridie loquuntur, ſed de Temporis interuallo, atque eâ quidem horarum Periodo, quæ ad Prandium vocat, vti fusè monſtrauimus, cùm Literam humanè interpretaremur. Secundò contra omnium Bibliorum Textus, & aduersùm & Rabbinorum, & Chriſtianorum vnanimem ſententiam complectentium ſub Sponſæ interrogatu Meridiem, temerariâ impudentiâ vocum mutant interpunctionem, atque percunctationis notâ adhibitâ clauſulæ membro: *vbi paſcis, vbi cubas?* Satisfacientem comminiſcuntur Sponſum: *in Meridie:* quales ſæpè ab Hæreticis parturiri explanationes, cùm animaduerteret Clemens Alexandrinus, lib. 7. Stromatum monuit de fraude: *Seligunt* (inquit) *ambiguè dicta, eáque ad proprias opiniones ſtabiliendas transferunt, paucis ſparſim, hinc inde decerptis vocibus, & nullâ ſignificationis ratione habitâ, ad ſolum, nudúmque vocabulum affixi ſunt: propemodum enim in omnibus, quæ citant teſtimonijs, ipſos ad ſola nomina mutatis ſignificationibus adhæreſcere videbis; neque quorſum ſpectent intelligere; neque ijs, quas adferunt allegationibus, ita vt earum natura poſtulat, vti.* Legatur Præfatio noſtri Gretſeri ad Bellarminianam defenſionem. Verùm & ipſi ſe hac ſuâ ineptâ cogitatione prorſus iugulant: Nam de ea, quæ Chriſti futura erat Eccleſia, longè antea à Vatibus proteſtatum, non orbis vnâ aliquâ conſtringendam Prouinciâ, ſed in Regiones terrarum vniuerſas mirificâ diffundendam amplificatione. Quamobrem per os Dauidis Pſalm. 2. verſ. 8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſalm. 18. verſ. 5. *In omnem Terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Pſalm. 71. verſ. 8. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.* Pſalm. 79. verſ. 12. *extendit palmites ſuos vſque ad mare.* Conſonat Iſaias cap. 43. verſ. 5. *Noli timere, quia ego tecum ſum: ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te: Dicam Aquiloni, Da: & Auſtro; noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ,* Et cap. 49. verſ. 12. Atque illud cap. 54. verſ. 2. *Dilata locum Tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Quare rectè ſuggerunt Catholici Doctores, ex notis germanæ Eccleſiæ, hanc vnam eſſe, nec de mediocribus: Auguſtinus lib. 4. de Symbolo cap. 10. *Omnes gentes totus mundus eſt: Eccleſia totum poſſidet, quod à viro accepit in dote: quæcumque congregatio cuiuſlibet Hæreſis in angulo ſedet, Concubina eſt, non matrona.* Optatus Mileuitanus cognato ſuffragio lib. 2. contra Parmen. *Cùm manifeſtum ſit, & ipſa luce clarius, nos cum tot innumerabilibus populis eſſe, & tot nobiſcum Prouincias: iam videtis vos in parte vnius, aut alterius Regionis poſitos, & ab Eccleſia veſtris erroribus ſeparatos, fruſtra vobis ſolis hoc nomen Eccleſiæ cũ ſuis dotibus vendicare.* Ita probè argumentabatur Optatus contra Donatiſtas, quos ſuppudere decuit, vt cerebri aliquid haberent, ad tam anguſtos fines Eccleſiam reduxiſſe veram: quantò Sapientius Vincentius Lyrinenſis in Commonitoria: *Eccleſia Catholica, ad quam non vna natio, non vnus angulus ſed multitudo maris conuertitur:* Quibus autem de cauſis in tanta abſurda prolapſi, neque in longa aliqua Expoſitione, ſed dum Metri Hemiſtichium interpretarentur, ſignificauimus Antelоquiorum 1. num. 72. quanquam potiſſimùm Radix ipſum Hæreſeos malum.

Clem. Alex.

Gretſer. *Ipſi ſe ſuo gladio iugulant Sectarij.*

Pſalm. 2. 8. — Et 18. 5. — Et 71. 8. — Et 79. 12. — Iſai. 43. 5. — Et 54. 2.

*Vniuerſalitas, vera Eccleſiæ Nota.* Auguſtin.

Optat. Mil.

Vinc. Lyrin.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Diſciplina.

*Textus:* Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. *Cap.* 1. *verſ.* 6.

*Chriſtus, dum reſurgit à mortuis Triumphator ſolus nobiliſſimus, ſolus beneficentiſſimus.*

## Sectio I.

35. *In Chriſti Reſurrectione nil triſte; ſed omnia in lætitiam conſpirant.*

OPTABAT reducem ex mortuis Seruatorem viduata, & mœrens Eccleſia: At qualem depingit? immortalitate & decore ſplendidum: planè & triumphantem poſt Crucis labores: ſed contemplare, vt nihil ſubobſcurum, & triſte in Victoria: continuò epulæ reſonant, in quibus gaudium, & Hilaritudo: *vbi* (ait) *paſcis, vbi cubas, in meridie* quidem, quando plena lux eſt, cùm fugêre tenebroſa & lurida: Siccine in lætitiam conſpirauêre vniuerſa? non in humanis ouationibus: etiam inter feſtiua tripudia deiecti cernuntur vultus, & marcidi ſubuerſarum gentium; vincula manus onerant, & de fortuna querelas crebri teſtantur gemitus: quid memorem iugulatos homines, direptas Ciuitates, grauéque ſupercilium Victoris militis in proſtratos hoſtes? Non talis Ieſus meus, vbique ſuauis, iucundiſſimus tamen cùm de tumulo reſurgit: teſtatus Ambroſius lib. 10. in Lucam: *Non hic reuinctis poſt tergum brachijs gentes, aut ſubmiſſa captiuorum Regum colla miramur, qualis humanorum ſolet eſſe ſpecies triumphorum: Sed ouantes populos Nationum, quæſitos non ad ſupplicium ſed ad præmium: Reges liberis affectibus adorantes: Currum Domini triumphalem præibat bona turba reſurgentium Defunctorum.* Dauidicæ excepiſſe Muſicam chelys præſtat: *Confiteantur Domino* (inquit Pſalm. 106. verſ. 15.) *miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum; Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit:* Cur deſtructæ ianuæ, cur vectes comminuti? Num, vt limbum, ſub quo requieſcebant iuſtorum Animæ cum Abraham, Iſaac, & Iacob, Chriſtus ingrederetur? verùm Matris egreſſus aluo, clauſtro Virginali illæſo, quamobrem non & ſubterranea oſtia perrumpere valeat? Quin ſi vt captiuos libertate donaret, quaſſauit portas, Triumphi leges violauit: Nam victorum vſus eſt ſubiugatas Prouincias, certè bello captam multitudinem ergaſtulis mancipare; quare non oſtia quidem diruunt, ſed nouo compingunt robore; non vectes in fruſta diſcerpunt, ſed congeminant vim illorum: quamobrem igitur & vincula diſrumpit Chriſtus, & ianuam euertit, ne vectibus ipſis parcit? Scilicet, vt referebamus ex Ambroſio; alia eſt triumphandi norma hominibus, alia Seruatori. Cùm victoriæ laudem homines celebrant, parantur captiuis loca ob horrorem infauſta, iniiciuntur manibus, pedibúſque nexus; contra fugam præmuniuntur ianuæ, atque vectes: non ſic Chriſtus; dum triumphat, captiuis vincula ſoluit, ſpecubus extrahit, nec ſatis aperuiſſe valuas, conterit inſuper, & vectes confringit, ne in poſterum claudi, aut retinere poſſint: Bernardus ſerm. 1. in die ſancto Paſchæ: *Conſtat proinde clauſo exiiſſe tumulo rediuiuum corpus, quod clauſo Virginis vtero natum proceſſit in vitam, & ad diſcipulos clauſis introiuit ianuis in conclaue: ſed eſt locus, vnde clauſis noluit procedere ianuis, carcer vtique gehennalis: confregit ſiquidem ferreos vectes, repagula vniuerſa contriuit; vt liberè ſuos educeret, quos redemerat de manu inimici, & planis egrederentur portis agmina ſanctorum:* Quem Pſalmi verſum, eundem in modum diſertè Chryſoſtomus exponit.

Ambroſ.



Pſalm. 106.

*Cùm Mundi Triumphatores, Captiuos in ergaſtula trudant obfirmatis portis: Contrà: Chriſtus Triumphans Captiuos liberat cõfractis portis æreis & vectibus.*

Bernard.

Chryſoſtom.

36. Exornata Terra, priuſquam cœlum, ſub exordio mundanæ fabricæ, nam tertia die, iuſſa gleba *herbam virentem germinare, & lignum pomiferum* ſubminiſtrare vſibus Mortalium, Geneſ. cap. 1. verſ. 11. poſtero autem die ad cœli nitelam proceſſum luminaribus productis & magnis, minoribúſque; id, quod ab Anaſtaſio Sinaïta expenſum lib. 1. Hexameri, cuius nos verba ipſa, vnâ, alterâque exhibuimus occaſione in prædiſputatis. Quare ante Olympum præcompta tellus? imò quidem, ſi quod elementum deteriori, nimirùm vltimo reſeruandum loco, & minori afficiendum honore, Terra imprimis: nonne enim inter quatuor ſola deinceps maledicenda, quæ fructum ſuggeſſit, de cuius eſu crudeliter læſa poſteritas Adæ? quin & ob hanc cauſam fortaſſe ſpiritus, quem diuinum extitiſſe Patrum commune iudicium eſt, non terræ, ſed aquæ ſuperferebatur: Cur igitur Verbum etiam cæleſtibus ſpatiis antefert, & priùs ornandam terram decernit? Sanè Verbum, per quod omnia facta ſunt, ſtatim, ſub Crepundiis Rerum, typum futuræ in Chriſto Reſurrectionis præmaturauit oſtendere; quippe Terram conſepeliuit ſuperinductis aquarum vorticibus vſque in tertiam diem, quâ luce ordinauit congregari aquas, quæ ſub cœlo erant in locum vnum, & vt appareret arida, Geneſ. cap. 1. verſ. 9. Sinaïta dicto Hexameri libro: *Oportebat enim à Deo factam, ſtatim ab initio tanquam condemnatam, & abyſſo tanquàm inferis traditam, tertio die exurgere, dicendo, congregetur Aqua tanquàm in congregationem vnam, & cernatur Arida:* Quam fuiſſe Aquarum triduanam conſepelitionem Reſurrectionis Dominicæ figuram, multis commonſtrat: ergo certè, cùm ab exordio placuerit Dei Verbo Reſurrectionem delineare, oportebat & ſimul introduci, quæ in Reſurrectionis Triumpho maximè elucent. Quid verò illa met? vt non quidem victoris gladius ſæuiat, non in Hoſtium ſanguine cruentetur, quin verò captiuis ſalus afferatur, vt nuper ex Pſalmo dicebamus, effractis Carcerum repagulis, neque inimicis denegetur beneficentia: Quid enim? nonne & pro crucifigentibus orauit? Quantò magis futurus in Reſurrectione clemens, qui nec denegauit veniam cùm pateretur? igitur, ſi de Triumphi conditionibus, vt in Hoſtes quoque Ouantis protendatur liberalitas: (Chriſti quidem eiuſmodi perbenigna ouatio, non Hominum:) imò & profuſior Miſericordia ſæpè cum declaratâ Aduerſariorum factione: rectè, vt cùm in mundani opificij inchoamento præmonſtratus ſit Reſurrectionis character; adiuncta ſit pariter in Hoſtile elementum maior clementiæ profuſio; vt iam tum ab exordio ſignificaretur qualis erat Reſurgentis Seruatoris futura ouatio, in beneficium vtique vel Hoſtium quoque: atque ideò ante cœlos præornata Terra.

Geneſ. 1. 11.

Anaſt. Sin.

*In Mundi opificio Terra quæ per triduum iacuerat vndis ſepulta, tertia die ante cœlum ipſum ornatur, cùm tamen maledicenda foret; Chriſti Reſurrectionem ſignat, in qua vel in hoſtes diuina Clementiæ profuſio elucet.*

Geneſ. 1. 9. Anaſt. Sinait.

37. Chriſto reſurgente, veterum Patriarcharum, de Vatibus, aliorúmque Iuſtorum numero multi corpora induerunt, integrâ donati reſuſcitatione toto reparato Homine; docuit Matthæus Euangeliſta cap. 27. verſ. 52. *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* De hoc ſanctorum cuneo num Tertullianus? libro de Anima, cap. 55. *Sed in æthere dormitio noſtra cum pueris Platonis; aut in aëre cum Ario; aut circa Lunam cum Endymionibus Stoïcorum: imò, inquis, in Paradiſo, quò iam tunc, & Patriarchæ & Prophetæ Appendices Dominicæ Reſurrectionis ab inferis migrauerint:* ſcopus ſententiæ videatur eſſe, non iterum defunctos, qui tum de monumentis excitati fuêre, ſed cum Elia atque Henoch Paradiſi recreatos amœnitatibus æuum agere feliciſſimum; quâ de opinione legendus Salmeron tom. 12. tract. 47. modò ſatis corporibus vnitas Animas & poſt Chriſti Reſurrectionem, ſanctam introgreſſos vrbem; tantùm de voce, qua vſus eſt Tertullianus, cùm *Appendices Dominicæ Reſurrectionis* nominauit, quæſtio: cur ſic appellauit? Equidem Appendix idem eſt, quod Mantiſſa & Paralipomenon, ſcilicet cùm in Diſputationibus aliqua prætermiſſa ſunt; vel in ſecundis occurrunt curis, quæ primam fugêre diligentiam, Hæc quæ annectuntur, quoniam præcedentibus appenſa, *Appendices* vocantur; quare oporteat eiuſdem eſſe Rationis, eiuſdem cum prioribus inſtituti: Quoniam itaque ad Chriſti Reſurrectionem, addita eſt multorum iuſtorum Reſurrectio, & cognata vtraque corporibus vtrobique rediuiuis, ideo vocata Appendicularia: atque hoc de Litteræ ſenſu: Verùm, quamobrem ſuſtinuit Reſurrectionis Appendicem, hoc eſt Triumphi ſui Chriſtus ſimilitudinem? ſuggeſſimus affectaſſe Chriſtum, vt Humanis triumphis longè diſpar eius eſſet victoriæ facies: eſt verò apud Homines tanta gloriæ Ambitio, vt nemo Triumphatorum Ouationis comitem habêre permiſerit

Matth. 27. 52.

Tertull.

Salmer. *Patriarchæ & Prophetæ aliqui cum Chriſto reſuſcitati, dicuntur à Tertulliano Reſurrectionis Dominicæ Appendices, quos Chriſtus in ſuo Triumpho ſocios habere voluit, Triũphatoribus humanis longè diſpar.*

miſerit; ac quoniam Veſpaſianus Titum filium vnâ, eadémque ſubuehi triumphali indulſerit carrucâ poſt euerſam Ieroſolymam,admonuit rarum fuiſſe. inter antiquitatis exempla Paulus Oroſius lib. 7. cap. 9. Quoniam igitur Chriſtus non gloriæ auarus quæſitor, ſed qui mallet deriuari in plurimos laudem, voluit Triumphi ſocios nanciſci, propterea ex his, qui dormiebant in ſepulchris excitauit, vt haberet in Reſurgendo comites: Pulchrè etiam nuncupauit excitatos,Patriarchas nempè, atque Prophetas, Dominicæ Reſurrectionis Appendices, quoniam & in eis eluxit, quod potiſſimè conſiderandum Chriſti in Triumpho aduertimus: Nam in Chriſti Victoria præſtantiſſimum, quod neque in Aduerſarios deſæuierit,ſed magis gratiam fecerit, proinde & Carceris ianuas & vectes fregerit, vt qui libertatem vellet, & non ſupplicium: Atquin & Prophetæ cum Patriarchis, cùm excandeſcere odio putarentur contra Ciuitatem, quæ illorum & Regem & Dominum turpiſſimâ condemnarit morte; adeò indignationem non conceperunt, vt potiùs nihil antiquius habuerint, quàm eam vt viſitarent,& cõſolarentur ex habitatoribus illius: nam venerunt in Ciuitatem ſanctam,& apparuerunt multis, vti ſuprà admonuit Euangeliſta: quorum itaque Reſurgentium Triumphus Chriſti tam referens Victoriam, non incongruâ dictione, eius Ouationis dicta eſt à Tertulliano *Appendix.*

*Cùm in Ieruſalem excandeſcere debuiſſent, quod Regem ſuum & Dominum occidiſſet,eam potiùs ſolantur, Reſurrectionis Chriſti Triumphalis Participes.*

38. Miſſus,vt Niniuitas ad pœnitentiam flecteret Ionas,quaſi dolens in ſceleratiſſimam vrbem, diuinam effundi clementiam, fugam meditatus eſt; nam ob hoc detrectaſſe imperium ſignificat,c. 3. verſ.2. *Propter hoc præoccupaui,vt fugerem in Tharſis, ſcio enim,quia tu Deus clemens, & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia:* Conſcendit in altum pelagus,fremuêre venti, quaſſantur latera Nauis penè in ſubmerſionem, tandémque in ſubſidium Malorum proiicitur in fluctus Ionas: *Et præparauit Dominus piſcem grandem vt deglutiret Ionam, & erat Ionas in ventre Piſcis tribus diebus & tribus noctibus*, cap. 2. verſ.1. Primùm, vt ſeruare Numini Vatem placuerit, quamobrem in Belluæ ſtomachum traiecerit, vbi noua operanda miracula, ne thalami ſqualentis præferuidi calores vitam eripuiſſent? Annon ipſæ ſupportare vndæ potuiſſent, Deo conferente ſtabilitatem liquido elemento? Sin Belluas marinas cupiebat miniſtrare, vocandi Delphines, quorum vectaretur humeris ſecurus & gaudens? Deinde, quando vt à Ceto deuorandus fuerit, atque ita prouiſum,ſi tamen eiectandus in littora tandem; vt quid triduanæ moræ ſpeciatim? cur non poſt horas aliquot,poſt diem vnum recuperatus à Bellua? aut certè in quatriduum ergaſtulo detentus? planè Reſurrectionis Dominicæ ſymbolum in Iona præceſſit, atque ideò ſepultus tribus diebus & tribus noctibus Belluino ventre: nec opus in hoc Doctores allegaſſe Eccleſiaſticos, cùm Matthæus oſtendat apertè c.12.v.40.At quorſum impulſus Ionas ſingulariter inter Prophetas,qui Dominicæ Reſurrectionis lineamenta referret? Vide quidem, vt fuerit contra Niniuitas durus, quibus recuſaret prædicare,quòd indignum putaret condonari veritatis obſtinatiſſimis Hoſtibus: Numinis autem diuerſæ erant cogitationes, vrbi ſcilicet propitiantes: nam vt loquitur Theodoretus in cap. 3. Ionæ: *plurimi faciebat Deus huius vrbis ſalutem.* Quò igitur in ſuam pertraheret opinionem alienatum Prophetæ animum,circumferre eum Dominicæ Reſurrectionis indumenta voluit: Diximus quidem,Reſurgentis Chriſti Triumphum ab Humana Victoria potiſſimùm differre; quòd homines in ſubiectos Hoſtes ferocire conſueuerint: Non ita Chriſtus; imò propterea reſurrexit,vt ad Patrem aſcenſurus benefaceret inimicis, quem Aduocatum habituræ erant nationes, quæ Deum non cognouerunt: igitur, quò ſciat Ionas etiam inimicantibus propitiabilis eſſe; Dominicæ Reſurrectionis typum ſuſtineat, nam ſimul atque hunc triumphum imitari cœperit, non ampliùs detrectabit, Niniuitis licet rebellibus, Dei annunciare legationem,per quam ſalui facti; quod reuera accidit: Tertullianus libro de Pudicitia,cap.10. *Non ergo & Ionas idcircò Ethnicis Niniuitis non putabat pœnitentiam neceſſariam, cùm cauillaretur in Prædicationis officio? an potiùs miſericordiam Dei prouidens etiam in extraneos profuſam, quaſi deſtructuram præconium verebatur? atque adeò propter Ciuitatem profanam, nondum Dei compotem,adhuc ignorantiâ delinquentem, penè periit Prophetes; niſi quod exemplum paſſus eſt Dominicæ Paſſionis,Ethnicos quoque Pœnitentes redempturæ:* didicit igitur ab imagine, quæ multò quidem expreſſior fuit Reſurrectionis,Deum & in prophanas nationes reſipiſcentes clementem futurum, quos de Hoſtibus Amicos redderet.

Ioan.3 2.

Et 2.2.

*Quò in Niniuitas mitior fieret Ionas,in ventre Ceti triduo ſepultus, Reſurrectionis Dominicæ Typus efficitur.*

Theodoret.

Tertullian.

39. Sunamitidi defunctam prolem cùm reſtituere vellet Eliſeus, miſit Giezi Puerum ſuum cum baculo,quem ſuper emortui faciem poneret: exequutus Magiſtri iuſſa; at incaſſum: nam *neque erat vox, neque ſenſus, reuerſúſque eſt in occurſum eius,& nunciauit ei dicens; non ſurrexit Puer:* Regum 4. cap.4. verſ.31. Quamobrem Eliſei diſcipulus non excitat à morte, Magiſtrúmque aduenire oporteat? an, quod negligentior in obſeruandis monitis à Præceptore datis, ne obuios aut ſalutaret, vel alloqueretur? Multa de tali cauſa Theodoretus atque ex Rabbinorum penu Nicolaus Lyrenſis: Sed numquid fortaſſe baculus ipſe in cauſa? Certè baculo myſticè adumbrata correctio: ergo percuſſoris & ſæuituri nota Virga eſt: igitur per hanc fieret Reſurrectio? nequaquam ſanè: quippè Reſurrectionis gratia, atque Triumphus ad ſolatium ordinatur, non ad pœnam; ad clementiam, non ad verbera: nihil itaque mirandum quod non per baculum Reſurrectionem operatus ſit Giezi: imò, ne ipſe Anteceſſor Eliſeus baculum applicat, ſed labiis labra admouet quaſi oſculaturus: reuixit ad oſculi ſimilitudinem, quod Pacis, & Reconciliationis pignus eſt, quoniam Reſurrectio ad pacem quidem & ad amicitiam, non ad ſeueritatem baculum portantis. Bernardus ſermone 2.in Cantica: *Miſit puerum, tulit baculum, & necdum eſt vox, neque vita: non ſurgo, non ſuſcitor, non excutior de puluere, non reſpiro in ſpem, ſi non Propheta ipſe deſcendat, & oſculetur me oſculo oris ſui.* Et propè in hanc mentem Tertullianus libro de Reſurrectione Carnis, cap. 9. *Abſit, abſit, vt Deus manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, adflatus ſui vaginam, molitionis ſuæ Reginam, liberalitatis ſuæ Hæredem, Religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonij ſui militem, Chriſti ſui ſororem, in æternum deſtituat interitum?* tot ob titulos comprobabat reſuſcitandam Carnem; nunc ſolùm expendero *liberalitatis ſuæ Hæredem* dixiſſe, nimirum hominis diligentiâ & labore continua in irrationales Creaturas beneficia deriuantur, atque adeo ipſa in elementa:

4.Reg.4.31.

Theodoret.
Lyra.
*Sunamitidis puerum non reſuſcitat Eliſei* baculus. *ſeueritatis nempe, & correctionis ſymbolum: Sed eius vatis* Oſculũ, *quod Pacis, Reconciliationis, Amicitiæ ſignum eſt.*

Bernard.

Tertullian.



menta: quid tellus abſque homine niſi inculta & ſqualens gleba? Beſtiarum, quanta agmina niſi per hominem,periiſſent? igitur primus ille fabricator Deus, quaſi ſuæ in alias Creaturas liberalitatis Hæredem ſubſtituit,quem ad ſui imaginem condidit Hominem; ideò non poſſe non vindicari ab interitu iudicabat Tertullianus, atque iterum reſtitui ſeparatam amantiſſimæ formæ materiam: ſed cur non à iuſtitia, ab æquitate argumentum deſumpſit? Nam & homo non ſolùm diuinæ largitatis, ſed Hæres quoque rectitudinis, & eius quæ ad iuſtè puniendum inclinat ſummæ integritatis: eſto & in æquitatem ſucceſſerit Homo, verùm æquitas caſtigat delicta oberrantium: miſericordia eſt quæ condonat, & in Hoſtem manſueta: Quoniam igitur Reſurrectionis Triumphus inimicis indulgens eſt, & velat delicta contrâdicentium; congruenter de Reſurrectione argumentatus,ad liberalitatem,& miſericordiam, non ad iuſtitiam confugit.

*Nõ de Iuſtitia aut æquitatè, ſed de liberalitate Reſurrectionem infert Tertullianus, quod hæc ſit munifica, & vel hoſtibus indulgens & manſueta.*

---

*Proprio non regi iudicio ſolùm, ſed alienis vti conſilijs, etiam in ſapientiſſimis prudentia eſt.*

## SECTIO II.

40. POſtulat edoceri Sponſa, quonam in loco delicietur Sponſus, vbi clarum iubar plenam ſubminiſtret notitiam, & dolus omnis falſi dogmatis procul abſit: At nonne hæc Sponſa illa eſt, quæ paulò ſuperiùs gloriata eſt introductam ſe in cellaria, hoc eſt admiſſam ad incerta & occulta Diuinæ ſapientiæ peruestiganda? de qua luculẽtè Pſellus apud Theodoretum ſuper his verbis: *Tu autem mihi Sponſam cogita, vt in argumento, caſtam illam Animam cum magno Paulo ad tertium cœlum arcanâ ratione ſublatam, ſupernæ Hieruſalem, id eſt Angelos:* quæ igitur diuini luminis ſic penetrauit abyſſum, quid timet? quid vacillat? quid Diſcipula fieri vult, quæ digniſſima eſt Magiſtra eſſe? certè quoniam tam erudita, idcirco & metuens: Nam quò altiori ſcientiâ vnuſquiſque præditus eſt, plus diffidit, & alieno libentiùs iudicio auſcultat: lubrica res eſt velle proprio regi diſcurſu, multôque obnoxia diſcrimini: Quid Dei Sapientiâ exactius, quid profundius? illa tamen de ſe Prouerb. c.8.verſ.12. *Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus:* & vide, vt non qualeſcumque adhibeat conſiliarios, ſed qui inſtruere valeant, peritos nempe: aduertit Bernardus epiſt.42.ad Henricum Senonenſem: *Hinc ipſorum caſtorum conſiliorum Mater ſapientia de ſeipſa loquens: Ego ſapientia, inquit, habito in conſilio: ſed quali conſilio? nunquid in qualicumque? Et eruditis interſum cogitationibus.* O vtinam orbis huius Rectores imitarentur, atque in conſiliariis eligendis, non fauor præualeret, ſed eruditionis vitæ cum bono odore coniuncta fama! Verùm, cùm Dei ſapientia aberrare nequeat, cùm non dicam corrigi, ſed ne adiuuari aliquo pacto valeat alieno conſilio, cur adhibet Conſultores? planè; vt nos quid facere debeamus concipere poſſimus: ſin autem non de his, quos ad conſilium ipſa vocat ſapientia, intelligere libeat, verùm vt fiat comparatio Hominum eorum, qui vel diligunt ab aliorum iuuari inſtructionibus, vel reſpuunt: ſignificat quidem ſapientiâ cum primis illis, nempe gaudentibus edoceri ab aliis, ſe fixè, ſtabilitérque morari; nam habitandi vocabulum ſic denotat, *Ego* (ait) *habito in conſilio;* apud ſecundos autem leuiter verſari, nec ſpatium trahere.

*Sponſa licet in Cellaria.j. in Diuinæ ſcientiæ arcanos receſſus introducta, adhuc tamen edoceri cupit, vbi paſcat Sponſus.*
Theodoret.

Prouerb.8.12.
*Et diuina ipſa Sapientia habitat in conſilio.*
Bernard.

41. Cùm reliquas præter hominem creaturas Deus moliretur in principio, *Fiat* dicebat paſſim verbo ſuo, per quod omnia facta ſunt; ventum ad Hominis fabricam, tum in concilium omnes diuinæ Perſonæ vocantur: *Faciamus* (ait) *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* placet ex Magno audiſſe Baſilio hom. 10. de opere ſex dierum: *Factum eſt cœlum, at ipſum ſine præuia conſultatione: luminaria facta ſunt, & de ipſis nihil antea conſilij captum erat: nondum erat Homo, & conſilium capitur de Homine; hic non dixit, vt de reliquis: fiat Homo:* neque perfunctoria quidem talis conſultatio, verùm maximo cum niſu, vt fieri conſueuit in Rebus iuſtiſſimi ponderis, quod inſinuauit Tertullianus de Reſurrectione Carnis: *Recogita totum illic occupatum, ac dedicatum, manu, ſenſu, opere, conſilio, ſapientiâ, prouidentiâ, & ipſâ inprimis adfectione, quæ lineamenta ductabat:* Cur igitur huiuſmodi conſultatione cùm abſtinuerit Verbum in aliarum Creaturarum molitione opportunam duxerit, cùm Homo de limo producendus? tantæ molis conditio Humana, quam exequi non poſſit Verbum abſque ſingulari conſultatione,& opitulamento aliarum Perſonarum? Scio Eccleſiaſticorum Authorum pleroſque,hinc argumenta deſumere, vt Humanæ creationis ſummam commendent Nobilitatem: legantur præter iam allegatos Ambroſius ſerm.10. in Pſal. 118. Chryſoſtomus hom.26. ex variis in Matthæũ, Anaſtaſius Sinaïta lib.7. Hexameri: rectè illi,ſed alia,vt indagemus præſens mouet inſtitutũ: ergo inferioris Mundi reliquas: præter,hominem, Creaturas rationis haud eſſe capaces exploratum eſt, ſolus Homo intelligit: Quoniam igitur Verbũ non propter virium aliquam imbecillitatem, (nã poteſtas erat infinita,) cæteras aduocauit Perſonas, quibuſcum deliberaret antequàm Homo conderetur; vtique Diſciplinæ, & inſtructionis causâ fecit; vt diſcerent qui errare poterant, aliorum ſententias auſcultandas eſſe, præſertim in egregiæ conſiderationis quaque materiâ, quando & Verbum, in quod ne leuiſſimæ ignorantiæ cadere valeat vmbra, cœtum congregat,& expendi, quid factu dignum ſit, cupiat: Huius autem inſtitutionis propter naturæ inſitam ruditatem cæteræ incapaces fuerant creaturæ: idcirco bene, quod in earum molitione ſubtecto conſilio, illud tentatum ſit, quamprimùm de Hominis fabrica tractari cœptum.

Geneſ.1.26.

Baſil.
*Ad Hominis fabricam in conſilium Diuinæ tres perſonæ vocantur, quo docemur nil magnum ſine cõſilio aggrediendum.*
Tertullian.

Ambroſ.
Chryſoſtom.
Anaſt.Sinaït.

42. Sed eodem de Verbo poſt carnem aſſumptam, quid Iſaias proloquatur, attendamus,cap.11.v.2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini:* Quod autem vates quieſcendi vſus ſit vocabulo, inſignem donorum abundantiam indicari Explanatores monuerunt plerique: ſed quid in Chriſto non ſummum, quem Deus vnxit præ participibus? Quamobrem tamen ſpeciali elogio de Timore, quòd eo adimpletus ſit? imò ſanè,quem timuerit filius Dei? Num Dæmonas? ſed contremiſcunt ad ſonum vocis præpotentis. Num Angelos? ſed adorant eum inflexo poplite, Miniſtri Dominum ſcilicet. Num homines aut elementa, cæteráſque Mundi creaturas? ſed omnes tanquam Regem venerantur, ante cuius formidant conſpectum. Num Patris denique diſtrictam vereatur iram? ſed filius eius Dilectus

Iſai.11.2.
*Cùm omnibus Spiritus S.donis abundet Chriſtus, etiam ei Timor adſcribitur; quo docemur etiam Sapientiſſimos timorem decêre ne ſibi nimium confidant.*

Dilectus eſt, in quo ei complacuit, in cuius ore non eſt inuentus dolus: quorſum igitur metuat? ſi fortitudine opus ſit; requieuit ſuper eum ſpiritus, in quo fortitudo omnis: Si neceſſaria doctrina; requieuit & Spiritus ſapientiæ: Quis igitur metui locus inter præſidia tanta? Sed tamen ſupereminere timor videatur, ad noſtram proculdubio eruditionem: Docemur nempe, quò altior vnuſquiſque eſt, eò minùs ſuis fidere viribus, ſuo acquieſcere iudicio: Chriſtus igitur, in quo habitat plenitudo ſcientiæ, quaſi metuens repræſentatur nobis; vt quanquam Doctrinarum magnis adiumentis ſuffulti ſimus, timeamus nihilominus, & ad firmitatem, aliorum adhibeamus cogitationes, quibus noſtræ roborentur: iuxta hæc Commentarius in Iſaiam cum Angelici Doctoris nomine, hunc ad verſum: *Dicitur autem ſpecialiter, quod repleuerit eum Spiritus timoris Domini; ne ex magnitudine donorum ſuperbus eſſe credatur, ſicut primus Angelus, de quo Ezech. cap. 28. verſ.16. in multitudine ſapientiæ tuæ, id eſt, negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate: vel quia in hoc imitari voluit, Matth.cap.11. verſ.29. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

S.Thom.

43. Imitatus Dauid, de quo Regum 2. cap.23. v.8. *Sedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno:* Cur, ſi in cathedra, inter alios? Nonne enim Regiam deceat Maieſtatem, gloriæ neſcire comites? Verùm, non ad Regij faſtus oſtentationem Cathedra hæc, ſed ad Iudiciariam poteſtatem: Sic myſtica B.Petri Damiani Expoſitio inſinuat ſermone 1. in Natali Virginum: *Sed quomodo Dauid dicitur Princeps inter tres, cùm ille non inter alios quemlibet principatum, ſed ſuper omnes potiùs regalis ſceptri teneret imperium? Hic itaque Dauid ſedet in cathedra, quia in paternæ Maieſtatis gloria conſtitutus, omnia iudicat:* Quoniam igitur iudicantis ſedes eſt, vbi de fama, de honore, de ſupellectili, de omni re chara plurimæ quæſtiones; præclarè quod non reſpuat conſortes, ſed hinc inde ambitur optimis conſiliariis, vt multorum in ore ſtet veritas, quæ vnius in labiis diſcrimen ſubiiſſet ingens: Atqui, ſapientiſſimus nunciatur eſſe Dauid: non eget tam eruditum caput inſtructoribus: fateor ſapientiſſimum nominari, atque ideò, quòd cæteris antecellat, tanta enim debeat eſſe Gubernatoris ſcientiæ laus, eius vt ad ſplendorem nulla ſubditorum accedat cognitio, quod animaduerſum in Morali Explanatione à Nicolao de Lyra: *per quod deſignatur* (ait) *quod bonus Princeps, vel Prælatus, qui alios habet iudicare, debet eos in ſapientia ſuperare:* Quanquam verò tam conſummata notitia Principis, debet tamen ſubuereri, ne à proprio ſeducatur iudicio, proin Dauidis ad exemplum quoties laturus ſententiam de rebus dubiis, adhibeat comites, & cathedras apponi faciat, in quibus vnà ſedeant legum atque Inſtitutorum periti, vt collatâ eorum cum diſcurſibus opinione, certè vt ex humana erret fragilitate, patrocinium nanciſcatur lapſus: ô miram in Dauide coniunctionem! Et tam infirmus eſt, vt vermiculus cenſeatur: & tam robuſtus, vt octingentos vno impetu proſternat? certè fortis eſt, qui leonem interfecit, & gigantis amputauit ſuperbi verticem! certè & animo quoque ſtrenuus, cùm tantâ præditus doctrinâ, vt ſapientiſſimus in populo vniuerſo appellaretur: Sed tamen tantâ cum laterum firmitate, tanto cum doctrinæ robore, Vermiculus eſt; quoniam egregiè humilis, nequaquam ob tantas ſuperbit diuitias, ſed in timore, atque tremore operatur cuncta; nec in bellum progreditur, nec Pace gerenda decernit abſque aliorum conſilio, metuens, ne ſi arbitrio regatur ſuo tantùm, in præcipitium feratur.

2.Reg. 23.8.

Damian. *Dauid cum eſſet ſapientiſſimus, tamē in Cathedra Iudiciaria, ſedebat inter tres. j. inter viros conſultiſſimos: & cū fortiſſimus eſſet, ſe præ humilitate vermiculum cenſebat.*

Lyra.

44. Tales illi, de quibus in Pſalmo 106. verſ. 4. *Errauerunt in ſolitudine, in inaquoſo: viam Ciuitatis habitaculi non inuenerunt:* Porrò hanc ſolitudinem feſtiuè Bernardus, eiuſmodi intellectum concipit, qui variâ ſui philautiâ ductus, ſe ſatis opulentum æſtimat, nec eſſe quorſum ab aliis edoceri cupiat, omnes velut diſcipulos reputat, indignúmque ſuâ authoritate, vt à iunioribus conſilium, atque Regulam mutuetur: Sic igitur dum ſolus habitat, fit quidem vt in arrogantiæ ſolitudine oberret; nec viam, quæ ad Ciuitatem habitaculi ducat, cœleſtem nempe Ieruſalem, reperiat: Atque id ſanè quemadmodum in Prælatis ſæpenumero pernicioſum eſt, ſuprà quàm intelligi facilè valeat; Sic multò nocentius in ſubdito, vix vt de ſimilibus inter plurimos vnus aliquis cœptum vitæ Religioſæ curſum abſque magnis vulneribus perficiat. Quis enarrare valeat, quæ in huiuſmodi ſolitudine occurrunt monſtra? *Solitudo hæc* (inquit Bernardus ſermone de nimia quadam vitæ huius fallacia, ſi eius opus;) *ſuperborum eſt, quia ſolos ſeſe reputant, ſolos appetunt reputari: Litteratus eſt, odit ſocium: fortis eſt, aut formoſus; da ei parem, & contabeſcit: Solitarius eſt, ſed erroneus; errat in ſolitudine ſua, non enim ſolus habitare poterit ſuper terram:* Quod ille de pulchritudine, & robore; nos de conſideratione: nec mirùm, ſi ad formoſi acceſſum venuſtulus contriſtetur, arbitratur enim communione gloriam diminui: Verùm ex alterius iudicio noſtrum roboratur; Quamobrem itaque ſolitudinem diligere velimus.

Pſal.106.4. *Errat in proprij Iudicij ſolitudine Arrogans, nec viam ad Ciuitatem cœleſtis Habitaculi inuenit.*

*Quot in hac Solitudine monſtra!* Bernard.

45. Equidem & Anima ipſa pro huius vitæ incolatu Potentiarum vtitur adminiculis, vt amet, vt intelligat, vt internoſcat: Vide quantum diſcriminis, niſi talibus opitulata ſubſidiis, ſi abſque Potentiarum adiutorio? Certè vigilent ſenſus & menti ſubſeruiant, quanta ingenij tum acies? quis ſpeculationis vigor? de quacumque agere Materiâ libeat, quo ordine, quibus diſcurſibus? propè vt ad Angelicam humana pertingat cogitatio: tale emolumentum à Potentiarum ſocietate. Sopiantur hæc Spiritus oſtia, hæ feneſtræ, & indormiat homo: qualia tum ludibria Mens parit! quàm indignos edit partus! & nihil penè niſi de Chimæræ vulua, ridenda quidem: Tertullianus de Anima, cap.43. *Sed & illa ſic patitur, vt alibi agere videatur, diſſimulatione præſentiæ futuram abſentiam ediſcens: & tamen interim ſomniat, nec quieſcit, nec ignaueſcit omnino.* Tales quidem illi, quibus exoſa aliena conſilia, & propriis cogitationibus nihil poſſe ſuperaddi exiſtimant; qualis Anima per nocturnam quietem, cùm exteriores obdormiunt potentiæ: ſatis volutant, ſatis diſcurrunt, & montes ſibi aureos pollicentur, & nouum genus humanum, nouóſque orbes; ſed exitus comprobat tantæ præſumptionis fructus ſola extitiſſe ſomnia, & inanes rerum maximarum conatus; fortunatioréſque nimiùm alieno adhæreſcentes arbitrio quanquam minori & ingenio, & doctrinâ præditos.

*Vt Anima ſine ſenſuum adminiculo, iis nempe ſopitis, multa quidem, ſed vana, ſed ridicula, ſed chimerica ſibi fingit: Sic quiuis vel ſapiens qui aliorum reſpuit conſiliū.*

Tertull.

46. Sedebat à manè in veſperam pro ſubſelliis Moyſes, & populi cauſas Arbiter componebat: diſplicuit norma iudiciorum ſocero eius Iethroni: *Non bonam, inquit, rem facis: ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt.* Exod. c.18.v.17. cur reprehendit? Annon laudatiſſima Ducis populi actio eſt, miſerorum quæſtiones obaudire tantâ patientiæ conſtantiâ, vt ab aurora in noctem vacet litigantibus? glorioſum planè hoc eſt, nec puto aduersùs diligentiam Principis inuectus Iethro; ſed quòd nimiùm ſuæ tribueret induſtriæ, & tantis nexibus, támque difficilibus ſolum arbitraretur poſſe ſatisfacere, atque ideò ſocios forenſium cauſarum reſpueret: *Quid eſt hoc, quod facis in plebe? cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſque in veſperam?* Vides increpatum, quòd pro tribunali ſolus conſidêret? Sed, num id in Moyſe fortaſſe vituperandum? nonne omnium diſciplinarum genere ad amuſſim inſtructus? tantâ itaque ſcientiarum famâ clarus ſolus pro roſtris ſedêre poterit: Verùm eruditiſſimus quanquam Moyſes, Iethroni tamen non videtur tantus, qui ſolus populum iudicare debeat: & animaduerte quali perſtringit cenſurâ: *Stulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt:* Vltra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinêre. licet igitur Moyſes quiſquam ſit, Adiutoribus tamen opus habet. Chryſoſtomus hom. de ferendis Reprehenſionibus: *Etiamſi Perfectus ſis, opus eſt tibi conſiliario, & aliquo qui te arguat: neque Moyſi facilè par fueris, qui erat mitiſſimus, Dei amicus, & in externa Philoſophia benè inſtitutus, & non minùs ſpiritualium intelligentiâ inſignis: Conſiliarijs omnes opus habent, etiamſi Moyſi conferri poſſint: Multa enim ſunt, quæ etiam magni, & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui, abiectique ſcire ſolent.* Accepit certè à Deo ipſo grauiſſimos in iudicando ſodales Moyſes, ſeptuaginta nimirùm viros de ſenibus Iſraël: perpende tamen quid ſtatim adiungat: *Et auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis, vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris,* Numeror.c.11.v.17. Ergo ſi de Spiritu Moyſis, hoc eſt, cognatus & ſimilis, quem iudicum nouus recepit conſeſſus; idem erit Moyſis, ſociorúmque & nolle, & velle; quomodo itaque, ſi diuerſum nihil afferunt, iuuabunt Præſidentes legiſlatoris conceptum? Eſto quidem, Moyſis, & Conſiliariorum eadem ſint cogitata: idem tamen ſermo, quo Animi exprimantur arcana, ſi à Moyſe, formidinem pariet, de proprio enim iudicio Prudens quiſque ſemper veretur: Si verò ab alienis labiis, conſtantiam generat, metum excutit; quaſi enim Oraculi nobis inſtar ſunt alienæ ſententiæ, & neſcio quonam modo arbitramur affari nobis Numen, cùm externæ acquieſcimus voluntati, cùm peregrinum ſequimur docentis lumen: Quanquam igitur idem ſit ſenatus Iſraëlitici totius Spiritus, qui proinde ad cognata, ſimiliáque inflectat; non tamen verendum, ne non Moyſes proficiat: nam licet idem ſentiant alij, quod ipſemet ob Spiritus germanitatem; tamen longè diuerſum eſt, vt Moyſes à ſemetipſo audiat, vt ab aliis hauriat: à ſe namque percipiens, vacillabit adhuc de proprio metuens cerebro: ſimul atque intellexerit ab aliis, Amoris proprij liberatus periculo; formidinem & dubitationes propulſabit.

Exod.18.17.

*Moyſes quanquam prudētiſſimus, & à Deo, populo præfectus, quòd ſolus regeret, arguitur à Iethro: dantúrque illi à Deo 70. Conſiliarij.*

Chryſoſt.

Numer.11.17.

*Laudatiſſimum in Præſule, ſi gerendis ipſe interſit, & Vicariam excuſet operam.*

## Sectio III.

47. Diues mehercle pecorum huius Epithalamij Paſtor Sponſus, diues & bubulcorum: mille eius in pratis ludebant Agni; ouium, Arietúmque decem mille, & ſequebantur opiliones plurimi: Num ſuperbus interim domi reſidebat ipſe, & caulas aſpernabatur? Num famulantium credebat diligentiæ vniuerſa? & habebat tamen gnaua miniſteria: tot ſubſeruientibus ibat in montes, ad paſtum mittebat; Sydere incaleſcente, ad vmbras & opaca: idcircò Sponſa ipſum planè alloquitur; *vbi paſcis, vbi cubas in meridie?* non interrogat vbi eius ſeruitia paſcebant, ſed quonam in loco ipſe cubaret? nec mirum tanto ſub Magiſtro, ſi tam fortunatum Pecus, quantùm Hymenæi quartum delineat Caput. O vos præſertim Eccleſiarum ſacri Rectores, perpendite, qualem vobis gregem commiſit Chriſtus, quem ſanguine redemit ſuo: Abſit à vobis, vt Aulæ eneruati deliciis, montana conſcendere, Pagos circumire, ſilueſtribus admiſceri turbis exhorreatis, & officio præclarè functos arbitremini, ſi Vicarios ſubſtituatis! Heu! Mercenarium dediſtis, & cui non eſt cura de ouibus! Quid faciet ſub tali Duce ſcabioſus grex? quid Veſpertinis inſectantibus lupis, quorum ob famem intoleranda eſt rabies? Vultis boni Paſtoris eximium in paucis ſpecimen? Paulum conſiderate: *Cùm poſſemus vobis oneri eſſe* (inquit 1.ad Theſſalon.c.2.v.7.) *vt Chriſti Apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos:* Sanè Matrum quædam ablegari à ſe prolem, & ſugere de externa mamma nullo modo patiuntur: Solet talium infantium ſecunda eſſe lactatio: quidem certè: Nam præter vberum benignitatem, accedit genitricis Amor, qui vehemens eſt, & in vigilem de Puſione ſtimulans prouidentiam. Vide quæ nos de hoc lactandi genere ſuperiùs Veſtigat.2.n.15. Aliæ autem Matres, in quibus minor Naturæ affectio, ne onere grauentur, ignotis committunt fontibus, de quibus hauriant infantes, quanto id diſpendio ſæpiſſimè, quibúſque ſequentis vitæ corruptelis crebra demonſtrat experientia; & nos aliquid ſuppeditauimus exemplorum loco nuperrimè indicato: Paulus igitur Doctor gentium, & Nutritius Eccleſiæ vt non Vicario ſe vſum fuiſſe opere ſignificet; præclarè ſe Nutrici ſuos alenti filios comparauit; non Matribus, quæ externas pretio emunt mammas: Quidni ſub tali Paſtore recens floruerit Eccleſia, quantùm haud oratio aliqua recenſendo declarare valeat? Auguſtinus in illud Pſalm. 49. *Et aduersùs filium Matris tuæ,* &c. de verbis ex Theſſalonicenſium citatis ep. *Non Nutrix fouens filios alienos, ſed nutrix fouens filios ſuos, ſunt enim Matres, quæ cùm pepererint, dant nutricibus: illæ, quæ pepererunt, non fouent filios ſuos, quia nutriendos dederunt: iſte verò ipſe pepererat, ipſe fouebat; nulli Nutrici, quem pepererat, committebat.*

*Sponſus ipſe, quanquam nobilis & diues, quanquā multos alebat famulos, eoſque gnauos & impigres, ipſe tamen ſuum gregem paſcit ſollicitus.*

*Audite Prælati.*

1.Theſſal. 2.7.

*Paulus Apoſtolus paruulos ſuos ipſe nutrit, lactat, fouet, nec alijs committit alendos.*

Auguſtin.

48. Cur à Dauide exædificari ſibi templum permagnificum Numen vetuerit? Scilicet, ob bellorū continuos tumultus, nam per otium Baſilica conſtruenda fuerat: *Multum* (inquit Deus Paralip.1.cap.22. verſ.9.) *ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti; non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me: filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum,* &c. Eſto quidem inter armorum ſtrepitus non licuerit Dauidi vacare ędificationibus, potuit tamen grandęuior factus, cùm iam ad bella procedere deſiiſſet: quamobrem igitur tunc in extremæ vitæ ſolatiū nō iuſſus ſit Templi fundamenta ſaltem ponere, pręſertim cùm adiunctā haberet materiam plurimam

1.Paralip. 22.9.

*Cauet Deus ne Dauid ſenex Templi ſui ædificium moliatur, cui propter varias frequentéſque ægritudines, ſemper adeſſe non potuiſſet, vt par erat.*

mam lapidum ingentium, atque exquiſitorum? Equidem tunc otio fruebatur Dauid, ſed morbis afflictabatur, quorum cauſa lectulo adhæreſcere perneceſſarium erat: itaque vt operis rudimenta aggreſſus fuiſſet, aut interrumpendus eſſet cœptus labor, quoties ex thalamo prodire ob fractam valetudinem non liceret; aut committenda vicario Prouincia: Hoc etiam non pauca afferebat incommoda: vt enim prætermittam, neque huius de Architectura parem cum Dauide ſcientiam, neque authoritatem tantam, neque in præſtructiones amorem: quid ſi auaritiæ tactus labe demeret pompæ ædificij, ſuas vt repleret arcas? Dici non poteſt, quantùm emolumenti rebus quibuſcumque Domini, & Poſſeſſoris conciliet præſentia. Audiamus ſuper hac re à Toſtato: nam quæſt. 19. in Paralip. nominatum caput, cùm de Dauide eandem excitaſſet Controuerſiam; Reſpondet: *Quia modico* (ait) *tempore vixit poſthac: etſi aliquid fieret viuente Dauid, non fieret tam diligenter, nec tam curioſè ſicut volebat Dauid, cùm ipſe non poſſit intereſſe propter continuam ægritudinem; nam ſemper in lecto decumbebat: ipſe tamen volebat, quod domus illa fieret tam curioſè, vt in omnibus Regnis nominaretur, vt patet in Littera.*

Toſtat.

49. Confer mihi duos, quorum alter vicariâ vſus operâ, alter per ſeipſum facienda exequutus; & perpende ſimul, quàm diſpar vtriuſque exitus: Habitabat Abraham in Conualle Mambre, & cùm prandij inſtaret Hora, progreſſus ad ianuam, ſedebat *In oſtio Tabernaculi ſui in ipſo feruore diei,* Geneſ. cap. 18. verſ. 1. ſcio Hoſpitum amore exardeſcere Patriarcham, ideò præſtolari ad limen; ſed non videt intempeſtiuam eſſe horam exeundi in aperta cùm ſol altiſſimus eſt, & radiorum ignibus torreat vniuerſa? Nè pecudes quidem ſufferre iubar valeant, propterea tum & frigora & vmbras captant. Quid faciat tamen? non habet qui ſpeculetur, Solus in domo eſt? imò certè trecentos decem & octo numerat vernaculos, vt ſileam ancillas eſſe plurimas, & minora ſeruitia: ſub tantis ſeruorum copiis; cur non amandat aliquem caloris patientiorem, qui continuò admoneat ſimul ac prætereuntes Hoſpites contemplatus ſit? Quæ diffidentia hæc eſt in Miniſtrantium ampliſſimo cœtu? ſaltem credat vxori Saræ, & ad tempus illa quoque Domus in foribus attendat, & vigilet: ô egregium Patremfamilias, qui tam locuplete famulantium cinctus catervâ; in ea tamen ſingulariter re, quam maximæ eſſe conſiderationis arbitratur, nè vxorem quidem vicariam ſubſtituit: *Tantoperè curabat Hoſpitalitatem* (inquit Chryſoſtomus hom. 41. in Geneſ.) *vt nollet horum venationem cuiquam familiarium committere; ſed trecentos decem, & octo vernaculos habens homo ſenex, & decrepitæ ætatis, apud ianuam ſedebat.* Et talis quidem Abraham per meridiem. Qualis verò ſub eandem dici horam Iſboſeth? ſcilicet, ſtertebat in vtramque aurem, *Et oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit* quoque, Reg. 2. cap. 4. verſ. 5. ô infelicem Principem, vt ſoporem non vicerit, ſaltem de Militum cohortibus non iuberet fortiſſimos illos, quorum vniuſcuiuſque gladius ſuper femur eius, & qui ad bella doctiſſimi, excubias agere, ſeruare ingreſſum? Quid ex tam ſupina negligentia? certè ex latronibus duo opportunitatem nacti, Rechab & Baana frater eius, percuſſerunt eum in inguine, & fugerunt: Quid autem peracris diligentia Patriarchæ valuit? ſanè, dum Homines admittere ſe putabat, angelos intra lares recepit, quin, & in figura totâ Trinitate decoratus eſt; tres enim vidit, & vnum adorauit: vtriuſque Paralellum apud Nilum Abbatē in Aſcetico: *Quomodo enim Rex fœminam haberet oſtiariā, qui ſatellitum, & Militū multitudine cum omni apparatu dignitatis munitus eſſe deberet? idcirco Magnus ille Abraham non permittit, vxori vt oſtium ſeruet: neque enim ignorat, quàm facilè ſenſus decipiatur.*

Geneſ. 18. 1.

*In ipſo diei feruore vigilat ipſe Abraham trecentorum famulorum Herus: Eadem hora, dormitat Iſboſeth vni confiſus Oſtiariæ: O quàm diſpar vtriuſque ſors!*

Chryſoſtom.

2. Reg. 4. 5.

Nilus Abb.

50. Iterum Patriarcha, non dicam ſine vicario inſtrumento, ſed nec cum Adiutoribus: accepit mandatum, vt dilectiſſimum Iſaac Deo immolaret Hoſtiam ſuper vno montium; non reſtitit, non ingemuit, non tardauit: aſinum ſtrauit, duxítque ſecum itineris comites iuuenes duos: vt locum attigère Religioſi filicidij, conuerſus ad ſocios Adoleſcentes: *Expectate hîc cum aſino* (inquit) *ego & Puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos:* Quamobrem prohibet à nouo, atque inaudito ſpectaculo? An metuit occiſionis teſtes? Verùm Deo ſtimulante armatur ad cædem: iuſta nex eſt, cuius vitæ & necis Dominus, incitator; alioquin fugiſſe hominum oculos quid iuuaret? nam & Abel interfectus abſque Homine contemplatore, & tamen vox ſanguinis eius de terra clamabat: imò adeſſe iuuenes neceſſitas penè: Quid ſi enim mortem detrectet Iſaac? an non genitori præualiturus ſeni multis laboribus fracto ſtrenuæ adoleſcentiæ iuuenis? aduocentur ætatis pari vigore, cano ſuccurrant Abrahæ, & repugnantem filium compellant ad victimationem: ſuperuacanea tamen & hæc prouidentia, neque enim ad lethum, quoniam Deus præſcribebat, minor in gnato impetus, quàm in genitore: At ſaltem ligna portarent in cacumen Montis, vincirent manus, pedéſque, & deferrent lachrymas, vltimúmque Vale morituro Iſaac, componerent focum, tandémque ambuſta oſſa colligerent, & pignus aliquod defuncti ad mœſtam genitricem veherent! Cur omnia penitus officia interdicit Abraham? Equidem non latebat fidelem vnigeniti Parricidam, illa quid mactatio portenderet: edoctus enim fuerat in ſpiritu, venturum in Carne demiſſum à ſupernis Dei filium, qui pro Humana ſalute mortem in Crucis oppeteret ligno, vnde Apoſtolus ad Hebræos c. 11. v. 19. accepiſſe Abrahamum Iſaac filium letho ereptum, *in Parabolam* aſſeuerat, hoc eſt in figuram, & ſimilitudinem, eorum, quæ ſequuturis ætatibus contingerent: videns igitur illam eſſe Mortis Chriſti repræſentationem; piaculū credidit, ſi cuiquam ſeruorum agenda cōmiſiſſet, proinde vetuit cliuum aſcendere: Eſt, cùm famulorum admitti ſeruitia poſſint, cùm ad vitæ cōmunis functiones obeunda ſpectant: in ſacroſanctis autē & diuinis myſteriis, quantacumque ſuperbiat quiſpiam authoritate, ablegandа ſunt famulorum adiutoria & ab ipſo perficienda licet vulgi conſideratione tenuia & abiecta, quoniam re ipſa in diuinis & ſacroſanctis nihil humile, aut deſpiciendū. O ſi ad hæc aduertant, qui præfecturâ Eccleſiaſticâ inſigniti, libenter de Patrimonio Chriſti marſupia impleuêre; aſpernantur tamen catecheſim docêre, per ſeipſos, per caſtella & vicos peregrinari ad Euangelizandum: vtinam vel per idoneos Miniſtros præſtare conentur! Vtinam Miſſam celebrare potiùs, quàm audire cuperent quando in ſacerdotum tranſiêre claſſem!

Geneſ. 22. 5.

*Filium Deo mactaturus Abraham, in montis radice famulos ſtare iubet, ipſe vetulus omnia ſacrificij munia peracturus.*

Hebr. 11.

51. Et quanquam generaliter expediuerit, vt vel Herus, vel Antiſtes peragendis interſint; tamen, ſi quibus cordi fuerit probatos fidei viros Adiutores adſciſcere, eorum integritati, atque diligentiæ committi varia poterunt, non omnia tamen; ſunt enim eiuſmodi nonnunquam plagæ, quæ per Adminiſtros ſanari vix queant, nec modicum ipſi Protochirurgo laborandum erit. Caſtiganda fuit Ægyptus in Primogenitis: caſtiganda & Babylon ſeueriori etiamnum vindictâ: ſed Ægyptum percuſſit Numen miſſis ſatellitibus: percipe à Dauidis Lyra, Pſal. 77. v. 49. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* Cùm de Babylone pœnas repoſcit; ipſe deſcendit, ipſe verberat & nocet: Ieremiæ c. 50. v. 19. *Ecce ego viſitabo Regem, & terram eius ſicut viſitauit Regem Aſſur;* Et cap. 51. v. 6. *Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam: nolite tacêre ſuper iniquitatem eius: quoniam tempus vltionis eſt à Domino, viciſſitudinem ipſe retribuet ei:* cur non vtrobique eadem vapulantis manus? Sanè, quod ad Dei ſpectat voluntatem, & diuinæ Mentis ſcopum, huius vitæ Aduerſantia ad correctionem noſtram, ad vulnerum ordinātur medelam; vt igitur nobis inſinuet Numen, talia quandoque eſſe vulnera, in quæ vix ſufficiat Ars diſcipulorum, aut Vicariæ poteſtatis, ſed opus ſit Magiſtrum ipſum non ſolùm cōparêre atque adeſſe, verùm & deſudare; ideò, modò introducit Angelos, qui reſecent & adurant putrefacta; modò ſeipſum, velut timentem, ne nō ſatis ad tā ardua periti ſint Angeli, Quæ eſt Adamantij Interpretatio hom. 2. in Ieremiam: *Non omnibus Deus ipſe retribuit, quæ merentur; ſed ſunt quidam, quibus per alios reſtituit, ſiue puniens, ſiue medicans per dolorem, vt in Pſalmis continetur: miſit in eos iram indignationis ſuæ, immiſſionem per Angelos malos: & alijs forſan non per malos reddit, ſed per bonos: Eſt autem, quando Miniſtrorum officium reſutatur: retributionem Deus ipſe reſtituit, vt nunc Babyloni: quando ſunt vulnera facilia Medicus mittit ſeruum: quando verò inſanabiles plagæ ſunt: tunc ipſe magnus Medicus præcinctus lumbos ad ſectionem teterrimi vulneris concitatur.* O ſi vel ipſo ſe alacriter præparante Medicinæ Patre, in vanum adlaboret! Auſculta ſub Vineæ typo quid Ieremias referat cap. 2. verſ. 21. *Ego autem plantaui te Vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum Vinea aliena?* Ego videlicet Dominus & Poſſeſſor, cùm affluerem in domo ampliſſimâ, ſeruorum propè cum infinita multitudine, & haberem Vinitores egregiè peritos, tui amore deſcendi ad graue opus ipſemet, non gelu, non æſtiuo reuocatus ſydere, fodi in loco optimo, amputaui, beneficiis multis proſequutus ſum: Quod ſi nec tantâ diligentiâ ad frugem perducta ſis; Heu! qualis euaſiſſes ſeruorum credita induſtriæ! Hieronymus in dicta Prophetæ verba: *Eſt autem genus vitis optimæ, quò ſurculo & Iſraël Dominus plantaſſe ſe dicit; & miratur, quomodo ſemen verum, electáque Vinea conuerſa ſit in amaritudinem, & ideò facta ſit Vinea aliena: nullúſque ſecurus ſit, ſi & plantatio Domini, & ſemen verum, & vinea Sorek, in tantum ſuo vitio commutatur, vt per amaritudinem recedat à Domino, & fiat vitis aliena.*

*Per Miniſtros ſuos Ægyptū flagellauit Deus: Ipſe verò per ſe Babylonem puniuit.*

Pſal. 77. 49.

Ierem. 50. 19.

Origen.

Ierem. 2. 21.

*Ipſe Dominus impiger vineam ſuam & plantauit & excoluit, nec eam ſoli ſeruorum curæ credidit.*

Hieronym.

52. Salutat Virginem intemeratam de Olympo miſſus Archangelus: *Aue gratia plena, Dominus tecum:* Luc. c. 1. v. 28. Itáne cum Maria Dominus? vt quid igitur Legatus? nam mittuntur Nuncij, vt abſentium Dominorum repræſentent ſenſa: At de his controuertentem Bernardum percipiamus hom. 3. ſuper Miſſus eſt: *Itáne, velocior Angelo fuit Deus, vt feſtinantem Nuncium celerior ipſe præueniret ad terras? nec mirum: nam cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus Virginis dedit odorem ſuum, & aſcendit in conſpectu gloriæ eius ſumus aromatis, & inuenit gratiam coram oculis Domini; ſtatímque Rex egrediens de loco ſancto ſuo, exultauit vt gigas ad currendam viam: & licet à ſummo cœlo egreſſio eius; nimio tamen peruolans deſiderio, præuenit ſuum nuncium ad Virginem, quam amauerat, quam ſibi elegerat, cuius decorem concupierat.* Itaque opinio eſt Bernardo: ipſum ſupremum Numen, cuius vice Deiparam Gabriel alloquebatur, anteuertiſſe legatum ſuum, corámque adſtitiſſe, cùm mandata reſerabat pennatus Nuntius: ſub tali fideiuſſore cedamus placito, & arbitremur feſtinantiam Angeli præoccupatam à Deo: quamobrem ſimul cum legato ſuo deſcenderit? nimirùm; pertractandæ erant res, quorum vel ad pondus, vel ad vtilitatem, vel ad ſplendorem, nihil accedere poſſit; expectandus erat Virginis conſenſus, vt Deus Homo fieret, & perditum in Adamo recuperaret genus humanum: ô Colloquij ſublimitatem inexplicandam! Cœlum, terra, æther, infera, creaturæ omnes attonitæ præſtolabantur, quid legatus renunciaret; quónam ſe more Virgo geſſiſſet: igitúrne Numen, quaſi ſuam deſiderari præſentiam rebatur ad tantæ molis negotia, atque ideò citiùs præcucurrit voluci legato, citiùs Virginis intrauit cubile? & perpende quidem, id quod nos Anteloquio 6. num. 187. ſubindicauimus ex doctis aliquibus Theologis, miſſum ad Dei Matrem legatum de excellentiſſima fuiſſe Hierarchia: talem igitur, tantúmque cùm deſtinaret Miniſtrum Deus, non ſuſtinuit tamen, quin ſimul vnà adeſſet; nec aliàs tamen comitatus eſt Nuncios ſuos ad Homines frequenter miſſos ſpeciali quidem præſentiâ, qualem Bernardi ſubſignificant verba; vti nobis innueret: vt quidem honeſtum ſit per alios adminiſtrare gerendorum nonnulla; tamen, quoties ea perpetranda ſunt, in quibus affulgent graues rerum circumſtantiæ: tum omnino neceſſarium, vt illi ipſi coràm ſint, qui capita & Authores præcipui faciendorum habentur.

Luc. 1. 28.

Bernard.



*Dum magnū Incarnationis Myſterium geritur, miſit Deus præſtātiſſimum ad Virginem Legatum, & vnà ſimul ipſe adfuit.*

---

*Humanæ mentis ſumma inconſtantia; quam tantùm Dei ſocietas firmam, ſtabilémque reddere valeat.*

## Sectio IV.

53. De inflictis ab Adami gulæ plagis non leuis illa, quòd humanum Cor in penè momenta ſingula volutatur, ſemper rotabile, nunquámque in eodem ſtatu permanens: *peccatum peccauit Ieruſalem* (inquit Vates Threnor. cap. 1. verſ. 8.) *propterea inſtabilis facta eſt:* Quam vt ſignificarent mutationem Animi irrequieti, veteres Emblematum Inuentores, Amorem finxerunt humanæ formæ cum lineamentis; quem ſi vel Auem, vel ignem feciſſent, eius & ardorem & velocitatem denotaſſent. Cur igitur Homo magis? Zeno Veronenſis ſerm. de fide, ſpe, & charitate: *Eſt enim alius Amor ſanè ſaluti noſtræ contrarius; cui rectè hominis forma tribuitur, quia temporalis, ac fragilis eſſe cognoſcitur:* Sed quonam modo inconſtantiam repræſentat cæcus Amoris impetus? *promittit, dat, tollit: nunc triſtis, nunc hilaris; nunc humilis, nunc elatus; nunc ebrius, nunc ieiunus; nunc accuſator, nunc reus: iocatur, ludit, pallet, tabet, ſuſpirat, celat, obſequitur; aut tentat, aut decipit; peiúſque blanditur, quàm furit:*

*Ne Sponſa vagetur inſtabilis, præſentiâ Sponſi firmari poſtulat.*

Thren. 1. 8.

Zeno Veron.



Vidiſti

*Quàm varius humanus Amor.*

vidiſti mille vultus inſani Cupidinis, & in hora vna tot diuerſitates? ergo vt tantam denotarent inſtabilitatem, Hominem pinxêre; nam & tales humani cordis affectus: ridet, ingemiſcit aſperatur, blandeſcit, metuit, audet, ſedatur, furit, prophanus eſt, Religione tangitur, nec Protheus quiſquam tot mutauit figuras; alius heri, alius hodie, & cras tertius: volens itaque Sponſa leuitatem nimiam ſpiritus corrigi, pondúſque addi fugitiuæ Animæ crebris dolis, Sponſi implorat opem; rogat adeſſe, ſuâque compeſcere præſentia errantes affectus: *Indica mihi quem diligit Anima mea?* quorſum verò indicaturus ſit, niſi vt non fluctuet in poſterum? *Ne vagari*, inquit, *incipiam poſt greges ſodalium tuorum.*

54. *Rara Humilitas in ijs qui loco nati obſcuro dignitates aſſecuti ſunt.*

Nec leue aliquid poſtulare Sponſam quiſquam arbitretur, cùm fundari Animam, & ſtabiliri deſiderat: magna planè Humilitas ſancti Regis Dauid, qui ab Agnorum excubiis vocatus ad Purpuram, non ſuperbiuit, non intumuit: diſſicile id planè in quouis, nam res ſecundæ animum euertunt; difficillimum tamen in illis ſpeciatim, qui de obſcuro loco in ſplendidiſſimum tranſlati; nihil enim, vt quidam pronunciauit, aſperius Humili cùm ſurgit in altum: ſuppreſſit nihilominus fortunæ turgitatem Dauid: cantauit Pſalm. 130. *Domine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei; neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me:* Quid autem pro tanta dimiſſione Numen deprecetur? *Sicut ablactatus eſt ſuper Matre ſua: ita retributio in Anima mea:* ergóne pro tantis non aliud concupiſcat, quàm vt ablactetur, depellatur à ſugendis vberibus? vide, ſi non ita Zeno intellexerit Veronenſis ſerm. 2. in hunc Pſalmum: *Ergo profectus maximus eſt, iam lacte non indigêre: ad fortiorem enim tranſire cibum filium ſuum Abraham etiam Conuiuij lætitiâ teſtatus eſt: Propheta itaque orat, quia non exaltauit cor ſuum, quia non in magnis, & mirabilibus ſuis ambulauit; vti tanquam Ablactatio ſuper Matrem ſuam retribuatur Animæ eius* Sed nunquid non Dauid, iam, cùm hæc loquebatur, ablactatus erat, & à gerulæ mamma depulſus? Quid igitur petat eo ſe donari, quod conſecutus ſit? Verùm non de Ablactatione corporea ille, ſed de ſpiritali, & myſtica: fluidus ille liquor, quo puſiones aluntur deſignat Animi mobilitatem, atque huc illuc vagantes affectus: Panis verò, quem à Nutricis auulſi fontibus maſticare incipiunt qui ablactantur, firmum, & ſtabile Mentis propoſitum adfigurat: ergo poſtulans Dauid vt ablactetur, conſolidari Mentis affectus ambit, atque hac tam inſigni mercede ſatis compenſatam Mentis humilitatem arbitratur inter Regnorum blanda, atque adulantia, propterea vltimùm ſubdit: *Sicut ablactatus eſt ſuper Matre ſua: ita Retributio in Anima mea.* Si igitur Mentis firmitatem Dauid vnicum ſubmiſſioni præmium concedi optabat; non eſt quod demiremur prætерlapſis aliis multis, quæ deſiderari poſſint quibúſque Spóſa glorioſa redderetur; in ſpiritus conſtantiam vota dirigere, & obteſtari Sponſum, ne ampliùs fluctuare & vagari permittat.

Pſalm. 130. 1.

Zeno. Veron.

*Pro ſua magna Humilitate firmitatem Animi poſtulat Dauid in præmium.*

55. *Stat à Dei Societate immobilis Dauid.*

Sed Animi vt ſtabilimentum conſequatur, quænam ſibi ſtudioſa præfigit cogitatio? Num dominatus, aut gazæ precioſæ flagrat œſtro? Num Roboris, num formæ capitur deſiderio? Num ipſos amat caſtiores Palladis amplexus, & magnus dici in Athenis? Nihil iſtorum concupiſcit; quoniam & hæc vniuerſa inſtabilia ſunt, & Poſſeſſores ſuos deſerunt, & abeunt, & pertranſeunt quaſi in ictu oculi, in momento temporis. Quid igitur tandem? Sponſum, qui Deus eſt, adhærêre ſibi: *Indica mihi, vbi paſcis, vbi cubas? ne vagari incipiam:* Quoniam ſi tu fueris mecum, licet inſurgant aduerſum me caſtra, non commouebuntur ampliùs greſſus mei, & ero quaſi pacem reperiens coram te. Certè Deus eſt, qui ſolus firmitatem conferre valeat nutanti Animæ. Habent vaſa ſua Deus Mundúſque pariter: Equidem Babylonis, qua Mundus adumbratur ex optimo metallo vas eſt, de auro nempe: teſtatur Ioannes Apoc. cap. 17. verſ. 4. *Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurato auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua.* Ieremiæ autem cap. 51. verſ. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini:* Chriſti autem quale vas? Paulus declarat 2. ad Corinth. cap. 4. verſus 7. *Habemus autem theſaurum iſtum* (nimirum datam ex Chriſti meritis ſanctificantem gratiam) *In vaſis fictilibus: vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis:* vbi maior firmitudo, vbi conſtantia? Nonne quidem in auro, quod ne flammæ voracitati ceſſerit: non abſumitur ignibus, ſed purgatur: teſtâ autem quid imbecillius, è qua fictilia? igitur fortaſſe ſtetit & corroborata eſt Babylon, quam aurei muniunt Parietes? *Cecidit, cecidit Babylon magna* exclamat Ioannes Apocal. 18. verſ. 2. abiêre cuncta, pulchritudo, diuitiæ, exercitus, dapum exquiſita, byſſus, Margarita, domorum & Turrium excelſa cum ſilua penſili: ſed quid de vaſe teſtaceo? ſtetit atque inualuit tercentum oppugnatum modis: à latere eius mille Hoſtes, & à dextris decem mille, & non habebat furor, atque indignatio eorum requiem neque die neque nocte; non tamen loco dimouere poterant: ſed cur aurum fatiſcit & labat? teſta, quaſi Adamas ſit, contemnit ictus? Equidem, quoniam Deus receſſit à Babylone ob eius ſcelera, nimiúmque faſtum; à dexteris autem Teſtæ eſt, ne moueatur; Dominus in circuitu eius eſt, & propterea non commouebitur in æternum: nihil robuſtum, nihil ſtabile niſi per Deum; nihil ad firmitatem prodeſt aurum, ſi Deus auertatur à nobis: nihil obeſt Teſtæ imbecillitas, modò habitemus in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli.

Apocal. 17. 4.

Ierem. 51. 7.

2. Corinth. 4. 7.

*Babylonis calix valde fragilis etſi aureus: Chriſti verò vas ſolidiſſimum etſi fictile.*

Apoc. 18. 2.

56. Formauit hominem Deus de Terra, formauit & alia multa: ſed vt expendi ex Chryſoſtomo homilia 12. in Geneſ. Anteloquio 8. num. 74. & ex aliis, de viliſſima glebæ portione, eo ſcilicet puluere, qui ad leuiſſimum auræ cuiuſque ſtrepitum, huc illuc rotatur, & circumducitur: proh, quàm inſtabilem materiam! cur ex volatili fundamento coagmentaſſe humanos artus placuit? ſcilicet, vt intelligeremus, nihil eſſe tam imbecillum, aut inconſtans, quod Dei conuiuificatum ſpiraculo, non in robur procedat, & ſtabilitatem; ſimul ac enim *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt Homo in animam viuentem* Geneſ. capite 2. verſus 7. qui puluis videbatur deſpiciendus paulò antea, factus eſt operimentum Animæ, quod bella non metuat, non incurſus ferarum, non maris tempeſtates, non longa itinera, non famem & nuditatem, ſi quando certè audax, & magnarum cogitationum Anima coniuncta eſt. Tertullianus de Reſurrectione Carnis, capite 7. *Oblitteratus igitur, & deuoratus eſt limus in Carnem? quando? cùm factus eſt Homo in Animam viuentem de Dei afflatu, vapore ſcilicet idoneo torrêre quodammodo limum in aliam qualitatem, quaſi in teſtam, ita*

*Dei ſpiraculo ſtabilitur fragilis nimium è ſua materia Homo.*

Geneſ. 2. 7.

Tertullian.



*ita in Carnem: Sic & figulo licet argillam temperato ignis adflatu in materiam robuſtiorem recorporare, & aliam ex alia fingere ſpeciem aptiorem priſtinâ:* Sanè, ideò tam inconſtantes nos, & labiles, ideò tot viciſſitudines in nobis, quoniam Dei Spiritu deſtituti. O ſi in nos deſcendat ſupernum adflamen; quàm ſubitò non dicam vagus firmaretur Animus, ſed ne antiquæ peſtis veſtigia remanerent quidem: *oblitteratus* (aiebat Tertullianus) *& deuoratus eſt limus in Carnem*; quoniam diuinæ Artis tanta fuit præſtantia, vt ex immani vulnere ne cicatrices perſiſterent. Nonne de his Petrus, qui ad vocem Ancillæ titubabat vacillans; poſtquam verò à Spiritu Domini conſolidatus eſt, non minæ, non verbera deterrebant? Aliter hoc ipſum declaremus: Cùm Hominis corpus ex inſtabiliori puluere, ſic dicamus, formatum ſit, quàm irrationalium Animantium corpora; tamen Hominis corpori maior firmitudo côceſſa: Siquidem id firmius eſt, quod in longiorem durat ætatem; Hominis verò ſiue in pœnam, ſiue in gloriam reſurrecturum ſit corpus ſempiternè victurum, cùm cætera ferarum corpora in cineres vertantur, nec retrogrediendi ſpes ſit? Qua de cauſa, quod leuiori ſuperſtructum ſit baſi, ampliùs vigeat? Aliæ nimirum Creaturæ, imperio & voce Dei conditæ ſunt: Sermo autem extrinſecus eſt rebus, in quæ loquutio dirigitur; à foris eſt, & à nobis remotum id de quo ſermocinamur: At limum, de quo emerſerat humana Caro, manus Dei contrectauerunt, & formauerunt in circuitu: itaque Deus intimus erat pulueri, non tantum ratione generalis præſentiæ, quæ omnia pererrat, ſed ſpecialiter quatenus à nobis concipitur velut qui palpet, & contrectet: Quoniam igitur eò firmius vnumquodque euadit, quò Numen intimius habet, ſibíque arctioribus coniunctum titulis: cùm pulueri, de quo Homo plaſmatus, interius fuerit; propterea ampliorem aſſequutus ſtabilitatem, vt in vitam ſecundò reuertatur, atque æternum duret: Sic pro eius Reſurrectione argumentabatur Tertullianus lib. de Reſurrectione Carnis, c. 5. *Sed & Mundus, inquis, Dei opus eſt, & tamen præterit habitus huius Mundi Apoſtolo quoque Authore; nec idcircò reſtitutio Mundi præiudicabitur, quia Dei opus eſt: & vtique, ſi Vniuerſitas irreformabilis poſt diſceſſum, quid portio? planè, ſi portio Vniuerſitati adæquatur: ad diſtantiam enim prouocamus: primò, quidem quod omnia ſermone Dei facta ſunt, & ſine illo nihil: Caro autem, & ſermone Dei conſtitit, ne quid ſine ſermone: faciamus enim Hominem antè præmiſit: & ampliùs manu propter prælationem, ne Vniuerſitati compararetur, & finxit, inquit, Deus hominem: meritò igitur, vt famula, iuſſu & imperio, & ſola vocali poteſtate vniuerſa proceſſerunt: Contrà, Homo vt Dominus eorum in hoc ipſo à Deo extructus eſt, vt Dominus eſſe poſſit.*

*Pereunt cætera animalia ſine vlla Reſurrectionis ſpe: Hominis corpus reſurget immortale, quia in ſui formatione, intimiori, (ſpecie tenus) Dei præſentiâ nobilitatum, firmatúmque eſt.*

Tertull.

57. *Verbo nil inſtabilius: A Deo tamen Verbum ita firmatur, vt cœlo ipſo ſit conſtantius.*

Quid verbò inſtabilius, quid mage fugitiuum? ideò & comparatur foliis, quia inania, & quia ventorum leuiſſimo impulſu mobilia: tantùm à Deo Verbum prodeat, nihil erit tam firmum, nihil tam conſtans: Intuêre hæc elementa: Terræ ingentem molem, cuius ſolidiſſimo fundamento tot ſuperſtructi montes, & rupium aſcenſiones, & ſaxorum congeries cum ſyluis & Turribus, & hominum, ferarúmque multitudine propè infinitâ: cœli ambitum cum aſtrorum legionibus: ſatíſne conſtantia tibi videantur & ſupera & inferna iſta? Sed tamen à Deo ſit verbum; peribunt & deficient, verba autem Domini permanebunt in æternum: Excipe Chriſtum aſſeuerantem, Luc. c. 21. v. 32. *Amen, dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant: cœlum & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Sed dixeris, Verbum Dei ſuapte natura eſſe immotum, ſempiternum quippe, intellectuale, diuinum: At habet Deus & creatum quoque Verbum, quod loquitur nimirum per os Prophetarum; de hoc ſanè Verbo Chriſtus vbi ſuprà: putas, non ſatis velox ſit Verbum iſtud? certè à velociſſima lingua: quantum conetur Notarius, vix huius linguæ aſſequuturus curſum: *Lingua mea* (ait Pſalm. 44. verſ. 2.) *calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: ergo hoc verbum; quod abit, quod tantâ feſtinat celeritate, quia Dei Verbum, terræ, polorúmque ſuperat conſtantiam: ita nihil tam fragile, quod ſi Deo copuletur, non ſtatim robur, & firmamentum conſequatur: Haymo Alberſtatenſis Epiſcopus in dictam Lucæ ſententiam: *Nihil enim in rebus viſibilibus cœlo, & terrâ durabilius; nihil in rebus humanis velocius, quàm verba tranſeunt: quia nec perfici niſi tranſeundo poſſunt: oſtendit ergo, quia quæ apud nos fixa videntur, apud illum tranſitoria ſunt: & quæ apud nos tranſitoria videntur, in eius verbis firma, & ſtabilia ſunt.*

Luc. 21. 32.

Pſalm. 44. 2.

Haymo.

58. *Tabernaculũ, mobiliſſimum de ſe ædificiũ, à Domini ingreſſu ſtabilitur immotũ.*

Tabernaculi vſi in peregrinationibus veteres, in bello, in paſcendis gregibus: diximus affatim ſuperius Veſtigatione 6. de Tabernaculis Cedar, de pellibus Salomonis: vtebantur eâ domorum imitatione, quod expeditum fuiſſet Tentoria vel explicare, vel conuoluere pro lubito, ſæpius in die, ſæpius in nocte: denique vix vnquam longior ſtatio habitantium ſub Tabernaculis: mobile igitur ædificium planè: At numquid mobile quidem? imò, quod moueri nequeat Pſalmiſta atteſtante, Pſalm. 45. verſ. 5. *Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus: Deus in medio eius, non commouebitur:* ergóne tam grauis Deus, eius vt ab ingreſſu Tabernaculum immotum factum ſit? Verùm potiùs leuis Deus, quoniam ſceleris incapax, nam peccatores ſolùm graues ſunt, & ideò de Pharaone, atque exercitu eius, quia peccatores erant, Exodi cap. 15. verſ. 5. *Deſcenderunt in profundum quaſi lapis:* Vbi Adamantius hom. 6. *Peccatores* (inquit) *graues ſunt: denique & iniquitas ſuper talentum plumbi ſedêre monſtratur, ſicut Zacharias Propheta dicit: Vidi, inquit, mulierem ſedentem ſuper talentum plumbi, & dixi, quæ eſt hæc? & reſpondit: Iniquitas; inde eſt ergo quod iniqui demerſi ſunt in profundum, ſicut plumbum in aquam validiſſimam: Sancti autem non demerguntur, ſed ambulant ſuper aquas, quia leues ſunt, & peccati pondere non grauantur; denique Dominus & Saluator noſter ſuper aquas ambulauit, ipſe eſt enim qui verè peccatum neſcit.* Si igitur Dei præſentia grauedinem non affert, atque vt onuſtus veniſſet, iugum eius ſuaue eſt, & onus eius leue; quonam modo ab introitu Numinis factum, vt ampliùs Tabernaculum moueri non poſſet? nam à Deo immobilitas aſſertore Auguſtino ad verbum Pſalmi: *Deus in medio eius; non commouebitur: vnde non commouebitur? quia in medio eius Deus!* Sed non de Tabernaculo humani operis quod ſecuri & aſciâ condolatum eſt; de ſpiritali autem, corde ſcilicet Hominis, cui propriè ſanctificari quadrat: Quod autem Tabernaculi adũbretur typo, id ob inconſtantiam affectuum, vt ſicut Tabernaculum in dies ſingulos mutatur, nullámque fixã habeat poſſeſſionẽ; ſic pectus humanũ variis alteratur Paſſionũ flabris: ergo vt inſtabilis mens conſiſtat, & vagari aliquando deſinat, quid agendum? Sanè, vt Deo thalamum præparet:

Pſalm. 45. 5.

Exod. 15. 5.

Origen.

Auguſtin.

*Cor Hominis, Tabernaculũ.*

ô ſi dignetur in medio vberum & Cordis habitare Numen! proculdubio Tabernaculum deinceps non commouebitur: ideò Ieſu bone, ego Homo infelix tot mutor in vultus, quia auolaſti de ſinu cordis mei: Quovſque ſub tantis viciſſitudinibus? Quovſque turbamur circa plurima, & ad vnum, quod neceſſarium eſt, non peruenimus? O ſancta vnitas! ô Pacis magnæ ſecretum, vbi nihil turbidum & diuerſum, ſed Hodie, & cras, & omnia tempora idem! fortaſſe pro his, quæ non commouentur Tabernaculis, Petrus cùm in monte gaudio delibutus ſupereminenti, tria ædificari tentoria concupiuerat: verùm non ſatis eruditè ſeparari Moyſen, Eliam, & Chriſtum exoptauit: quantò feliciùs coniungerentur: ſi enim vno, eodémque habitarent Tentorio, verſaretur in medio Chriſtus honorificentiori ſcilicet in loco: Chriſto autem in medio Tabernaculi commorante, non commoueretur deinceps; quo nihil beatius accidere poſſet: cæterùm, quamobrem Pſalmodus exigat ſpeciatim, vt medium Tabernaculi occupet Deus, ne commoueatur, alterius eſt fundamentum Allegoriæ: videat lector apud Auguſtinum.

---

*In omnem voluptatem, & licentiam, copiam Homini præſtari, maximum periculum eſt.*

## Sectio V.

59.

*Timet Sponſa ne vagetur. j. ne varijs pro ſuo arbitrio delicijs permittatur.*

IDcircò præmonſtrari ſibi Sponſa exoptat, vbi Dilectus commoretur, ne vagari incipiat: Quæ eſt Vagatio? abſque lege viuere, ſine Pædagogo, nihil deſiderio vetuiſſe? ſed hoc nonne potiùs concupire Mortales ſoleant? Quid enim iucundius, quàm non alieno regi imperio? nullum habere cenſorem? Voluptati ſecuras laxaſſe habenas? Quæ tamen ſub Chriſti vexillo militat Anima, nihil plus tantâ libertate metuit: anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, proinde ſuſpecti ſanctis ſemper fuêre amœni calles. An non tibi erraſſe, ſatis vagatus fuiſſe appareat Adoleſcens ille prodigus, qui in longinquam abiit Regionem? Qui omnem exoſus diſciplinam, cum Meretricibus ampliſſimæ ſubſtantiæ partem dilapidauit, quam genitor diuiſis bonis conceſſit? ipſis laboribus tandem ad meliorem frugem reuerſus, quid Parentem ſupplex deprecatur? *Fac me ſicut vnum de Mercenarijs tuis*, Luc. cap. 15. verſ. 19. Quænam hæc eſt deiectio mentis, vt nobiliſſimâ prognatus ſtirpe iuuenis Mercenariorum affectet conditionem? Equidem, paternis laribus idcircò ſe proripuit, ne ſub ferula, & correctione eſſet: cruciabatur tantâ diſtrictione immatura ætas, & diutius ſub iugo coërceri non eſt paſſa, authore Chryſologo ſerm. 1. de duobus filiis: *Et ideo cupit viuendi libertate gaudere, qui ditari voluerat facultatibus decedentis.* Iam verò Mercenarij ex omnium famulantium turba, ij ſunt, quibus minus libertatis eſt; neque diu, neque noctu permittuntur niſi ex alieno pendêre nutu: igitur dum Mercenarius eſſe adſpirat, in ſeruitutem redigi cupit, & iure deſpoliari ſuo: quare hoc? Num quia ſublimius, Deo famulari, quàm in ſæculo regnare? Senſit Chryſologus ſerm. 2. de vtroque fratre: *Et hoc petit; quia qui penès extraneum ſeruam ſenſerat libertatem, penes Patrem credit ſibi futuram liberam ſeruitutem*: quæ traduco verba ad præſens inſtitutum

Luc. 15. 19.

*Reſipiſcens Prodigus ſuã in voluptatibus libertatẽ deplorat, & in paternæ domus ſeruitutem anhelat.*

Chryſolog.

Idem.

ſimul ac huic Adoleſcenti adaperti oculi à Deo: intellexit planè, libertatem ſæculi ſecundum nomen ſolùm eſſe, reipſa tamen captiuitatem intolerandam: dici enim vix poteſt, quàm ſuos cultores Mundus inhumanè vexet; ſed vt quidpiam ſolatij concederet, qualis eſſe poteſt libertas, cuius finis interitus, & obſcurum Tartari ergaſtulum? Dei autem mancipatus forinſecus tantùm, & quoad aſpectum ſeruitus eſt; intus autem gaudium perfectum, & gloriæ in æternum duraturæ pignus, electorum nota: hinc igitur eſt, quod emendatus reuertens ad Patrem, Mercenarius eſſe ambit, edoctus ſcilicet experimento, quantum ex libertate ſæculi detrimentum.

60.

*Iudæi, quia ipſi Populus Dei, certis quibuſdã terminis coërcẽtur, nec quolibet vagari ijs permiſſum.*

Populo Hebræorum interdixit Deus, ne quam iniret Amicitiam cum externis gentibus, non Matrimonio coniungerentur, non alterius fœderis nexibus: ſed ne Iudæi quidem amplificandi ſui Imperij ſtudio, vel vltra Oceanum progreſſi, vel in Armeniam, ad Scythas, ad barbara quæque profecti terrarum ſpatia: Cur non euagantur quemadmodum cæteræ nationes orbis? cur limitibus intercluſi? ſcilicet, Dei erat ſingulari titulo populus, Deuter. cap 7. verſ. 6. *Quia populus ſanctus es Domino Deo tuo: te elegit Dominus Deus tuus, vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram.* Dei igitur futurus populus, idémque ſanctus, coërceri debuit, & quodam velut mancipatu conſtringi; aliis nationibus libera concedebatur facultas, & pleno fruebantur laxamento, ſed erant quæ dæmonum miniſtrabant cultibus, ſanctam & diuinam gentem quaſi vallo conſepiri decens fuerat, nam, quo pacto diuina, ſi non talis? Rectiſſimè enim Tertullianus de eo omni, quod ſanctum eſt, ac proinde & diuinum ſecundum participationem, libro de Reſurrect. Carnis, cap. 3. *Communes enim ſenſus ſimplicitas ipſa commendat, & compaſſio ſententiarum & familiaritas opinionum, eóque fideliores exiſtimantur; quia nuda, & aperta & omnibus nota definiunt: ratio autem diuina in medulla eſt, non in ſuperficie, & plerumque æmula manifeſtis*: Quamobrem perbellè Ambroſius aduertit, nequaquam demirandum, à Sponſa huius Carminis non repertum Dilectum, quanquam & inſomnia egit nocturna tempora, & de ſtrato conſurrexit, ſed vbi perluſtrauit? *Per vicos & plateas quæram quem diligit Anima mea, quæſiui illum, & non inueni*, Cantic. cap. 3. verſ. 2. certè vicis & plateis ſpiritaliter ſubintelligi Caſſiodorus affirmat *per lata itinera gradientes huius ſæculi, & ſuis voluptatibus deditos*: Itáne apud eos, qui ſuis concupiſcentiis latiſſima aperuerunt oſtia, Sponſum inueniret? denique ille diuinus eſt, Deus de Deo, quod ſi quidem, vt docebat Tertullianus: *ratio autem diuina in medulla eſt*, hoc eſt in abſcondito, & velut in carcere aliquo concaptiua; *non in ſuperficie, ſed plerumque æmula manifeſtis*, vt quid in foro & plateis veſtigauerit, vbi cuncta omnium expoſita luminibus in aperto ſunt? *Nequaquam ibi quæramus* Chriſtum (inquit Ambroſius libro 3. de Virginibus) *vbi inuenire non poſſumus; Non eſt Chriſtus circumforaneus: fugiamus ergo forum, fugiamus plateas: Non enim iniuria tantummodò eſt, non inuenire, quem quæras; ſed etiam plerumque, vbi non oportet, quæſiſſe, vulnus eſt*: Verùm ad Iſraëlitas à quibus initium ſermonis, reuertamur; de illis Origenes homilia 3. in Hieremiam, peregrè ſermocinatus in hanc normam: *Vnde & ſancti in Ieruſalem, peccatores in Babylone erant;* &

Deuter. 7. 6.

Tertullian.

Cantic. 3. 2.

Caſſiodor.

*Ratio diuina in medulla. j. quaſi incluſa.*

Ambroſ.

*Non inuenitur in plateis Chriſtus.*

Origen.



*& ſi peccabant Ieroſolymitæ, mittebantur in Babylonem, & ſic conuertebantur ad pœnitentiam in Babylone conſiſtentes: Sancti verò regrediebantur in Ieruſalem.* At nonne palàm ipſe conteſtatur Adamantius, Ieroſolymis commorari iuſtos ſolitos, in Babylone ſceleſtorum hominum viguiſſe cœtus? Quis ergo diſciplinæ modus eſt, amandare ad vitiorum ſentinam, quos ſobrios & religioſos eſſe cupias, & extrahere de vrbe ſancta? imò, quid æquitati & iuſtitiæ tam contrarium atque amicitiæ impiorum: corrumpunt enim bonos mores colloquia praua, vt in trito Adagio eſt? Sed intellige, tum ductos in Babylonem ex Ieroſolymis Hebræos, cùm ob peccata & ingratitudinem diuinam laceſſebant patientiam: ducebantur autem, vt Victoris ſubiacerent Haſtæ captiui, vt vinculis traderentur, & ex Mancipiorum conditione ærumnas deuorarent plurimas: Hinc ergo eſt, quod Origenes affirmarit in Babylonem tranſlatos, quò probi euaderent: licet enim Malorum conſortio nihil ſit, quod vehementiùs alliciat ad impietatem; captiuitatis tamen ad virtutem tam eſt excellens poteſtas, quam perſtrepentia vndique libidinum incentiua quaſi vincere non queant: Ergo quos Ieroſolyma vrbs ſancta in officio continêre non potuit: Hos Babylon Mater abominationum, per captiuitatem vtique ad frugem traduxit.

*Hebræi liberi peccant: Captiui reſipiſcunt.*

61. Num huius Medicinæ Artifex & quidem ſub ipſa mundi infantia Spiritus ille æternus à Patre, filiôque procedens? nam vix Rerum initiamenta, cùm de eo ſtatim Moyſes; *& Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Geneſ. cap. 1. verſ. 2. cur adamauit præ cæteris elementis fluenta liqueſcentium vndarum? Annon pulchrior terra? annon formoſius cœlum? annon lucidior ignis? Sed vt fœdus ineundum eſſet, pares affectus Amicitia deſiderat: Spiritus ille lenis eſt, ſuauitas eſt, dulciſſimus eſt, nihil eo tranquillius; nihil tam manſuetum: Maria autem aſpera ſunt, torua, iraſcentia: Quid Oceani fremitu horriſono indignantius? quid tumore ſuperbius? quid mage formidandum decumanis fluctibus? Hoc igitur ſibi diametrarium elementum, cùr Spiritus dilexit? nam fuiſſe ipſum diuinum Spiritum, non autem ventorum flatus, ſtabilior ſententia eſt veterum, atque Recentiorum: Animaduertendum inter elementa, Aquam Mundi velut ſeruilem, & degeneris conditionis partem, barathro claudi: quippè intra viſcera Telluris hiatus ſunt ampliſſimi, & profundiſſimę Voragines, ſub tanta opacitate, ſub magnis ſqualoribus curſus ignotos ducunt ingloria flumina, etiam ex his, qui nunc ſub aſpectu ſunt, diu latuerunt Amnes; atque hoc eſt, de quo Iobus fortaſſe cap. 38. verſ. 8. *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia.* Ergo mare, quod cancellis, & limitibus circumſcribitur, cui ad maiorem coërcitionem, vectes cum ianuis appoſiti, eos denotat, qui propter Chriſtum, ipſi ſe conſtrinxerunt, & voluntarium intrauêre ergaſtulum, quibus huius vitæ amœna omnia denegata: cœlum verò, quod vſquequaque protenditur cum Terrarum ſpatiis, liberos ſignificat Animos, qui ſub iugo eſſe reſpuerunt, quibus ſtat pro ratione voluntas, & nullius ſuſtinent dominatum: Vt igitur Spiritus innuat ſanctus delicias ſuas non eſſe cum poſtremis, ſed cum prioribus vexatis illis, atque oppreſſis, optimâ tamen ſer-

Geneſ. 1. 2.

*Quia Mare oſtijs concluſum, & quaſi captiuũ Elementum, ideo Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: Ita ille idem Spiritus S. cum ijs qui ſe propter Chriſtum cõſtrinxerunt.*

Iob 38. v. 8. & 10.

uitute; idcircò ſuperferebatur Aquis inter cuncta elementa.

Creatus à Numine Adamus magno ſanè cum imperio, nam & ſubiectam ſibi terram habuit, & præerat volatilibus cœli, & piſcibus maris, & vniuerſis Animantibus, quæ mouentur ſuper terram; ſimul tamen atque in Paradiſum tranſlatus accepit præceptum: *Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & Mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morièris*: Geneſ. cap. 2. verſ. 17. Quamobrem hanc imponi legem, placuit? Scilicet, ne ob tantum dominatum recèns laſciuiret, cùm ſibi omnia ſubiectata perſpiceret Homo? At nonne ſatis communitus ipſius feliciſſimi ſtatus tam multis, tam robuſtis præſidiis? tamen, vel ſub tantis adiumentis ne propter nimiam excideret licentiam velut metuens Deus, frænum adhibuit præcepti, ac ne ſic quidem ſuperbia coërcita eſt: Chryſoſtomus tom. 1. hom. de Adam & Eua, quam tamen ſuſpicor genuinam non eſſe: *Deus noſter faciens hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, dedit præceptum in Creatura, hoc eſt, in arbore, eligens, vt per tranſgreſſionem in Creaturam peccaret, quam ſine mandato in Creatorem offenderet: & ſicut Angelus, qui ſine peccato elatus cecidit; ita & homo, ſi præceptum non acciperet, æquè & ipſe diceret: Pono & ſedem meam in Aquilonem*, &c. Sed Protoplaſto maculato, etiam de pura Creatura humana vna decernitur infantula Maria, quæ ſicut Adam Conceptionis primo inſtanti omnem ignoraret labem, ſimul & gratiâ ſanctificante, & virtutum infuſarum præſidiis cumulatiſſimè donata; Verùm quid de ea? *Inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Geneſ. cap. 3. verſ. 15. vbi ingenioſè Caietanus expendit pluralis verbi emphaſim, non vnum aliquod certamen indicantis, ſed variam & multiplicem pugnam: *Non ſufficit inimicum eſſe Diaboli* (inquit) *quoad ea, quæ ſunt fidei, aut ſpei, ſed oportet inimicum eſſe ſecundum omnes partes, ſecundum ea, quæ ſunt caſtitatis, abſtinentiæ, miſericordiæ, & reliquorum ſanctorum officiorum*: Quamobrem igitur Adamo vnius ſolùm præcepti vincula iniecta, & Virgini quaſi plura certamina propoſita? Nempe, vidit Creator primum corruiſſe hominem in tanta amœnitatum licentia, & leue obſtaculum fuiſſe vnius præcepti nodum: Ne quo ergo pacto quaſi periclitari Maria poſſit, quam habebat chariſſimam, Adæ molitionem in ea repetiturus, ſciens quantùm poſſit Reſtrictio ad conſeruandum iuſtitiæ integritatem; non ſicut Adæ vnum præſignauit præceptum; ita Mariæ vnam prænunciat inimicitiam, ſed multiplex bellum; ideò pluraliter: *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, &c.

*Ad in con Pr fra* D Ge

Cl

Quamobrem Abigaïl, cùm aduersùm Mariti inurbanam illiberalitatem, meritò excandeſcentem Dauidem lenire affectaſſet, imprecatione vſa eſt, qua conſtringi, & coarctari deſideraret, inquiens: *Si enim ſurrexerit aliquando Homo perſequens te, & quærens Animam tuam; erit Anima Domini cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum tuum: porrò inimicorum tuorum Anima rotabitur quaſi in impetu, & circulo fundæ.* Reg. 1. cap. 25. verſ. 29. Sed quæ hæc eſt tam bona imprecatio? Nonne potiùs lapidis conditio appetenda Dauidi? nam ſimul atque fundâ emittitur, libero gaudet cœlo, liberâ tellure, libero Oceano: faſciculi autem poſtquam alligantur, cuſtodiæ traduntur, horreo inuecti, niſi fors & in ignem proiiciantur: certè quidem ita eſt, vt libertate

 potiaru

potiatur fundâ emiſſus lapis, ſed nulla proiicienti deinceps cura de eiaculato: Quid ſi in volutabrum, quid ſi in cloacam feratur? ô infelicem lapidem quem ne hili æſtimat fundibularius! Non ita de faſciculis, chari ſunt poſſeſſoribus, idcircò Vectibus & ſeris claudunt: Ergo iuſtorum vita faſciculorum conſtrictionibus repræſentatur: Heu! qualibus arctantur modis! nulla eis oblectamenta, nullæ ſæculi voluptates: ætas vniuerſa in preſſuris continuis: quid tali ſeruitute grauius? Suſtinete tamen modicùm vos, iuſtorum portio beata, quia faſciculi licèt, ſed viuentium faſciculi, de electorum claſſe, propterea optabat Abigaïl Dauidi, vt faſciculus euaderet: Non eſt quod lapidi inuideatis; ſui iuris eſt, rectore caret, ſed vltimùm abit præceps in ſterquilinia, in loca fœtore horrida; reprobi ſunt, qui ducunt in bonis dies, & ſub momento deſcendunt in infernum:

Eucher. Raban. Gloſſa.

Eucherius atque Rabbanus, quibuſcum Gloſſa ad verſ. 29. cap. 25. lib. 1. Regum, vnde ſumpta verba ſuperiùs recenſita: *Pulcherrimâ comparatione ſtatum iuſtorum, & Reproborum diſcreuit: horum quippe Animas appellat viuentes; illorum ſpiritali morte occupatas: Hos faſciculis; illos lapidi fundæ aſſimilat: faſciculus enim adſtringitur, vt conſeruetur; lapis in funda ponitur, vt abiÿciatur: Sic enim electi preſſuris tribulationum conſtringuntur, vt his admoniti arctiùs adinuicem mutuâ charitate nectantur, & adunati, per manus Redemptoris in perpetuum conſeruentur: Reprobi, quantò latiùs voluptatibus ſuis dimittuntur; tantò longiùs à diuinæ viſionis gloriâ proÿciuntur: ipſi enim de manu Dei repulſi ſunt.*

64. Vultis intueri in reproborum Hominum Anteſignano Cain? Peccauit vltra menſuram, cùm ne fratri pepercit: Vociferatur in cœlum profuſus ſanguis; Iudex mouetur, adeſt, colloquitur, & tandem ſæuitia omnis an contra eum? imò pro illius capite: neque enim vita adimitur cruento:

Geneſ. 4. 15. *Sit vagus in terra Cain poſt fratricidium: Et hoc atrox ſui ſceleris ſupplicium eſto.*

*poſuitque Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum:* Gen. cap. 4. verſ. 15. Saltem in tenebroſas cauernas fame, & ſqualoribus enecandus proiiceretur: Sed copiam accipit, vt in quas velit peregrinetur terrarum oras: *Et ero vagus & profugus in terra:* Siccine tu iudicas, æquitatis fons, & tum, quando prima iudiciorum norma hominibus præfigitur? Sic impunitus abibit ſceleſtiſſimus virorum; & vxorem habebit, & liberos, & Ciuitatem condet, & delectamentis fruetur ſæculi, & imperabit regnans? O certè nullum maius tormentum tantâ Creatoris indulgentiâ pro huius æui periodo! Væ tibi, Cain, ſi de filiorum eſſes numero, vexaret te, qui omnem quem filium accipit, flagellat: Quoniam autem tu futurus Reproborum caput, abi miſer, ede, bibe, iucundare, & præclarè tecum agi reputa, quòd aduerſa non contingant, cùm tamen delictorum tuorum multitudo vincat arenas maris.

Ambroſ.

Ambroſius de Paradiſo cap. 14. *Denique Cain, quia voluit crimen negare, indignus iudicatus eſt, qui puniretur in peccato, ſed remiſſus eſt ſine præſcripto pœnæ:* Cernis Ambroſium ſignificare nullo vehementiori ſupplicio affici potuiſſe Cainum, quàm quòd abſque ſupplicio derelictus ſit, & paſſus frui Mundi huius oblectamentis; vnde ſubdit:

Idem.

*Et ideò accuſatori Diabolo eius accuſatio reſeruata eſt, vt cum eius Angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari.* Idémque Sanctus Doctor egregiè in hunc etiam ſcopum lib. 2. de Abel, & Cain, cap. vltimo: *Ecce enim iuſtus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui ſublatus eſt parricidio: & iniquus, ſceleratus, impius, etiam fraternâ cæde pollutus, longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, vrbes condidit, & hæc meruit permiſſione diuina: Nonne in his apertè vox Dei clamat: Erratis, qui putatis his eſſe omnem viuendi gratiam?*

Parabolam ab errante mutuatus Pecude Chriſtus: *Quis ex vobis Homo* (ait) *qui habet centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam?* Luc. cap. 15. verſ. 4. 65.

Luc. 15. 4.

*Vel vnam ſolam ouem errantem dimiſſo grege requirit Paſtor, quaſi grex totus ab vnâ errabunda foret diſſoluendus.*

vbi, cùm dicit: *Quis ex vobis?* idem hoc videatur eſſe, ac ſi pronunciet: Num aliquis inter vos tam ſegnis futurus, tam parum ſtudioſus ouium, qui vel vnâ diſtractâ, non ſequatur per campos, per nemora, per altiſſimorum montium cacumina? Sed cur in vniuerſis tantum ſupponat ardorem, vt cùm nonaginta nouem ſuperſtites habeant oues, vnius causâ tot exantlaſſe labores non vereantur? quare non elapſas de grege ouium viginti, non ſaltem propoſuit decem, vt lucri magnitudo inuitaret? Audiamus interrogantem Chryſologum ſermone 168. & quibus etiam modis diſſoluat:

Chryſolog.

*Quare non quatuor, quare non quinque, ſed vnam? Vt oſtenderet, non ex damno fuiſſe, ſed ex numero plus doloris: Namque amiſſio vnius totum diſſipauerat centenarium numerum, & totum ex dextera redegerat ad ſiniſtram:* Verùm difficilior paulò hæc ſententia: Nam, ſi non pœnitentia de damno, neque oportuit eſſe de numero; cùm propterea de numero mœſtitia eſſe debuiſſet, quod damnum attuliſſet: Sed quidem ex numero Malum exortum grande ſequentia indicant: *Vnius* (inquit) *amiſſio totum diſſipauerat centenarium numerum, & totum ex dextera redegerat ad ſiniſtram:* Quo autem pacto hæc ſtare valeant? Nonne enim poſtquam errauerat vna, adhuc nonaginta nouem perſeuerabant opilionis in caula & paſcuis? non igitur diſſolutus reliquus numerus. Deinde, qua de cauſa ob vnius ruinam Congregatio vniuerſa lapſa? tale enim eſt, dexteram tranſire in læuam; electorum ſcilicet reliquiſſe partem, & cum reprobis miſceri. Equidẽ ouis hęc eorum planè typus, qui omnem exoſi diſciplinã, exleges facti, nihil humani, nihil diuini iuris ſeruant: quocumque demens raptat appetentia, eò præcipites currunt: An itaque fortè admonemur, huius eſſe peſtis tantum Venenum, in quam ſi vel vnus incidat, mox in totam familiam tacitâ quadam vi irrepat, exitiúmque cœtui afferat vniuerſo, vt eum ob ſinem Chryſologus aſſirmarit, vnius numeri abſciſſionem redundaſſe in multitudinem. Et iuxta eundem ſenſum prior Tertullianus libro de Pœnitentia cap. 8.

Tertullian.

*Errat & vna Paſtoris ouicula, ſed grex vnâ carior non erat, vna illa conquiritur, vna pro omnibus deſideratur:* Neque enim non vnâ cariorem totum fuiſſe gregem dixiſſet, niſi per vnius lapſum, amiſſam putaret toto de grege ſpem, atque ideò tanti fuiſſe vnam conſeruare ouiculam, quantùm conſeruaſſe gregem totum, cùm vnâ deperditâ, grex vniuerſus periiſſe creditus ſit.

---

*Hæreticorum in Caſtris, corruptelæ, & vitÿs ampliſſima conceſſa facultas.*

## SECTIO VI.

66. SOdalium Sponſi nomine, Veterum atque Recentiorum plerique Hæreticorum intellexêre Conuen



Theodoret.

*Metuit Sponſa ne in concupiſcentiÿs ſuis poſt Sodales Sponſi, Sectarios nimirum impoſtores malè vagetur.*

ticula: *quales ſunt iÿ* (dicit Theodoretus) *qui partes Ariÿ, & Eunomiÿ, & Marcionis, & Valentini, & Manetis, & Montani conſectantur: qui cùm & habitum, & nomen Chriſtianum circumferant, & Eccleſias ædificent, & diuinas ſcripturas deceptis ouibus interpretentur, & malè paſcant, quos falſis opinionibus infecerunt, séque ſodales Sponſi, & Amicos velint exiſtimari: Sunt tamen impoſtores pernicioſi, & pro ſalubribus herbis peſtifera venena ouibus ſubminiſtrant; propterea Sponſa Sponſum obſecrat,* &c. Ergo, cùm metueret Sponſa, ne forſan derelicta à Numine, concupiſcentiæ laxaret habenas, hoc eſt, vagam ferri per illicita deſideria mentis; adiunxit, hoc vt ſtatueret, Duces futuros ſodales Sponſi, qui nimirum tali nomine ex ſumma vtuntur impudentia, ſectarios intelligens: Quis enim vel leuiter in Hiſtoriis verſatus, atque Patrum lucubrationibus, ignorat Hæreſis ſcopum ſemper fuiſſe, non emendationem aliquam collapſæ priſcæ diſciplinæ, ſed noua vitiorum ingenia? propterea à Matris Eccleſiæ diſtrahuntur gremio, vt ſine verecundia, ſine timore improbiſſimos eſſe liceat. Quo de Argumento ſuperiori egimus Volumine, Anteloq. 7. numero 39. Cùm Hieroſolymam obſideret ingenti cum Bellatorum manu Aſſyriorum Monarcha, miſſus ab eo cum aliis legatus Rabſaces, qui ad defectionem Ciues pelliceret: Sed num per minas atque terrores? Vide quibus ineſcare conatus pollicitationibus!

4 Reg 18. 31.

*Rabſaces Ieroſolymitas blanditÿs decipere nititur; Hæreticorum typus.*

*Hæc enim dicit Rex Aſſyriorum: facite mecum, quod vobis eſt vtile, & egredimini ad me: & comedet vnuſquiſque de Vinea ſua, & de ficu ſua, & bibetis aquas de ciſternis veſtris.* Reg. 4. cap. 18. verſ. 31. Quæ ſi ad Allegoriam referre cupiamus, non malè Aſſyriorum Regi Hæreticorum comparaturi ſimus anteſignanos: ipſi enim ſunt, qui Ieruſalem vrbem ſanctam, quâ Orthodoxorum Eccleſia ſignificatur, artibus omnibus impetunt, vt deſtruere valeant: Sæuiunt frequenter, ſed crudelitas Martyres parit: Heu! ſi non voluptatibus adorirentur; illæ ſunt quæ euertunt; Vineas igitur ſpondent, & ficeta, & aquam de ciſternis, cùm impunè libidines exerceri ſinant, gulæ, comeſſationibus vacant; & propterea Monaſtica odêre vota, clericatum, ieiunia: rectiſſimè itaque à Sponſa dictum, apud hos reperiri inſignes vitiorum cultores; quibus neque diuinæ, neque humanæ alicuius Regulæ vel leuiſſimus quidem reſpectus.

67. Deum ſibi conflari ab Iſraëlitis poſtulatum: fatigatus importunitate vulgi, conflauit de auro vitulum Sacerdos: læta plebs celebrauit cum tripudio natalitium recentis Dei; quippe,

Exod. 32. 6.

*Non ieiunant Hebræi (vt mos erat) dũ Vitulum ſuũ in Deum conſecrant, ſuum hunc Deum imitati. His ſimiles Hæretici.*

*ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Exod. cap. 32. verſ. 6. Cur de Hebræorum more non præceſſit ieiunium? nam in magnis feſtiuitatibus abſtinere ſoliti à Menſa vſque in ſtellæ veſpertinæ exortum: Nimirum, à vera Religione ad falſam conuerſi, qualem edidiſſet partum monſtruoſa Viciſſitudo, niſi ingluuiem, & venerem? atque vt in hæc præcipitio maximo ferri poſſent, & vel laudata eſſet iniquitas; Taurum effinxerunt iuueneſcentem, quod in laſciuiam ardet procax Animal, & à mane in Veſperam ſæpiùs paſcitur brutum pecus; ſcilicet erubeſcere deſinerent, quando Numen colerent, cuius præclaræ dotes commendarentur de gula, atque luxuria: laborauit tantâ vecordiâ ſemper omnis falſa Religio, talémque ſectam diſcordiarij homines commenti ſunt, qualem ſcelerum patrocinia exegiſſent: ab Ethniciſmo principium: annon videtis in bardo hoc vitulo? & de Ioue vel Annæus Seneca confeſſus, Homo apud Gentilitatem educatus, libro de vita Beata c. 26.

Seneca.

*Quorum alius illi alas impoſuit, alius Cornua: alius adulterum illum induxit, & obnoctantem: alius ſæuum in Deos, alius iniquum in homines; alius raptorem ingenuorum, corruptorémque, & cognatorum quidem: alius parricidam, & Regni alieni, paternique expugnatorem: Quibus nihil aliud actum eſt; quàm, vt pudor hominibus demeretur, ſi tales Deos credidiſſent:* Hæretici verò, quanquàm non Deorum imperia multiplicauerint, vnúmque agnoſcant Authorem Vniuerſitatis, cùm tamen aduersùm apertas ſcripturas, aduersùm traditiones priſcas, aduersùm Concilia & Patres, Numen confingant, quod nec Virginitatem illibatam ſeruari, non paupertatem coli, non ieiunia ſinat patienter, non ſanctos inuocari, non dies celebrari feſtos, non templa exornari velit; quid credituri ſimus, niſi optaſſe eos his ablatis impedimentis, coniugiis ſacrilegis, ingluuiei, luxibus vacare? Toſtatus pro re præſenti de ſtulto Hebræorum idolo, quæſtione 6. in cap. Exod. 32.

Toſtat.

*Quæret aliquis, quare Iſraëlitæ petierunt Deos ſibi fieri? fortè aliquis reſpondebit; quia aſſueti erant in cultu idolorum, & delectabantur in colendo: præcipuè, quia quando colebant, fiebant eis multa gaudia; & hoc tam in delectatione ciborum; quàm in delectatione communicationis vulgaris, accipientes requiem à laboribus.*

Quanquàm fatigatus ex itinere Chriſtus, longiori Colloquio, cum Samaritide, quæ ad fontem Iacob latices hauſtura venerat, immoratus eſt, ductâque ab ipſis vndis diſſertandi metaphorâ, cùm Venam ſponderet, quæ ſitim deinceps prohiberet, huius incenſam deſiderio, viro ſociatam remeare iuſſerat, ſtatímque admonuit de multis, quibuſcum fornicata eſt viris: Hoc illa, vt ſubaudiit, omiſſo vel libidinis ſuæ patrocinio; vel Aquarum magno œſtro, de Religione quæſtionem inſerit: 68.

Ioan. 4. 20.

*Patres* (inquit) *noſtri in hoc monte adorauerunt; & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet:* Ioann. cap. 4. verſ. 20.

*Excuſat impudicitiam ſuam Samaritana à præuis ſuis Magiſtris, qui nouam in Samaria ſectam innexerant.*

An huius ſententiæ cum antecedentibus aliquis nexus? diſparata fuiſſe verba nobiles ſignificarunt Interpretes, ex arte tamen, atque ſpeciali ingenio: comparatum eſt enim apud homines, vt ſi inter loquendum ea ingerantur, quæ vel pudorem afferant, vel triſtamentum Animi; quâ poſſint induſtriâ, ad alia ſermonem deflectant, & quidem toto cœlo diuerſa, quo peregrini obiecti nouâ repræſentatione obliteretur memoria prioris inſuauiſſimæ orationis: Ita Samaritis, cùm verecundaretur de ſex virorum impuris Amicitiis, vt diuerteret ingratam auribus & cordi admonitionem; intromiſit de Religione Controuerſiam; Quæ ſanè placuit noſtro Toleto Expoſitio, nam ſine cohærentia percunctatam fuiſſe de ritu colendi Numinis aut loco Adorationis;

Tolet.

*vt Colloquium* (inquit) *de ſua incontinentia inceptum interrumperet:* fas tamen nobis ſit opinari vinculum eſſe inter hæc verba, atque præcedentia, nec tam voluiſſe fœminam de incontinentia ſugillationem declinare, quàm obpalliare culpam ſuam: Nam certè templum, quod à Samaritanis conſtructum in æmulationem atque inuidiam Ieroſolymitani, ſchiſmaticum extitiſſe Nos edocuimus Veſtigatione 7. numero 27. quin & ipſas ceremonias ſuperſtitioſas fuiſſe, omnémque vitioſam Religionem, quando vnà cum Hebræorum Deo ementitis procumberent Numinibus: Significat

Significat ergo mulier, cùm ſub falſæ ſectæ Magiſtris didiciſſet, non eſſe mirum, ſi luxuriæ ſe gurgite prouolutarit; ea enim eſt impiarum conditio ſectarum, vt ad omnem ſcelerum licentiam inuitent, ad omnem impuram voluptatem alliciant: igitur vt modo aliquo libidinis exceſſum attenuet, cùm de incontinentia increparetur, de Religionis ſchiſmate proloquuta eſt, veniam ſibi qualemcumque aucupans ex ſectæ nimia laxitate; quod tam effræni impudicitiâ laboraſſet, plurimùm in culpa fuiſſe ſectam, quæ vitia non ſolùm permittat, ſed laudet, & approbet.

*Quia fidem ſuam extinxerat Cain impiiſſimus, inde & fratrem interfecit hæretico ſcelere.*

69. Atrox illud, & horrendum facinus Cain: cùm non niſi duos germanos integer habuiſſet orbis, crudeli vulnere interemit innocuum Adoleſcentem: Non reuocauit Parentum mœror à cruento ſcelere, non affectus prodeuntium eodem ex vtero, non ſub paucis cultoribus vaſtitas & ſolitudo terrarum, non recens inflicta pœna ob gulam interdictæ arboris Progenitoribus, non tacitus naturæ clamor, non Dei vltoris timor: cur tam hebes ad diuina, ad humana monita? & tam audacter impius? Equidem fidei ſuæ interemptor priùs quàm fratris: fide autem ſemel interfectâ, quidni protinus in omne rueret flagitium? poſtquam à fide quiſquam receſſerit, præceps in voraginem Malorum deſcendit: nihil erit tam aut conſpectu, aut auribus indignum, quod non inſegnis aggrediatur: annon teſtes omnium Temporum Hæreſes? Quæ non diruta templa? quæ non ſuccenſæ vrbes? Quæ non depopulata Regna? quantus iuſtorum ſanguis effuſus? quantæ corruptæ Virgines ſacræ? tantarum cladum hortatores voce, geſtu, ſcriptis, nouæ Reformationis infauſti Architecti, Lutherus Zuinglius, Melancthon, vt ſileam reliquis acerbiores Caluiniſtas: imò Cainiſtas quidem; nam fidem poſtquam occidêre ſicut Cain, quid patraſſe vererentur infame & inauſpicatum? Bernardus ſermone 24. in Cantica: *Bene honoras Deum munere fœtido? benè placas, tuæ fidei interfector? quomodo Hoſtia pacifica, vbi tam ſæua diſcordia eſt? Non mirum, ſi Cain inſurrexit in fratrem, qui ſuam priùs occiderat fidem.* Sed Germanum vt interimere placuerit: cur ad hoc delecta prata? *dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras: cúmque eſſet in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*, Geneſ. cap. 4. verſ. 8. Campi floribus vernant, ſuaues emittunt halitus, lectos ſubminiſtrant molles, naturâ Tapetium formatrice, clementiam & iucunditatem inſpirant: morti & vulneribus aptiora ſqualentia deſerta, aut ſaxoſæ Rupes, vel beſtiarum antra cædibus iampridem conſecrata. Atquin Hæreticus, quem fidei Cain Interfector repræſentabat, ſic voluptuoſus eſt, vt nec etiam à crudelitate voluptatem abeſſe patiatur: duæ Hæreſis collactaneæ, Luxus, & Feritas: Num aliud tota vitæ Actio, quàm foris bella, rapinæ, incendia? domi comeſſationes, ſtupra, ebrietates, puerorum Amores? proclamant Lutheri & Caluini cæterorúmque geſta ſodalium fideliſſimè conſcripta: Vt igitur intelligeremus, duos partus Hæreſis, eſſe tyrannidem, & voluptatem impuram, cùm barbaram ſæuitiam animo Cain nutriuerit, non tamen exequi voluit niſi in florentibus agris, loco videlicet amœno, & perbellè iucundo.

*Caluiniſtæ, Cainiſtæ.*

Bernard.

Geneſ. 4. 8.

*Sorores Hæreſis collactaneæ, Luxus & Feritas.*

70. Cùm Hebræorum demoliri robur Philiſtæi tentaſſent, quidnam cogitarunt? Submouerunt bellici inſtrumenti peritos: *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël: cauerant enim Philiſthijm, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam*, Reg. 1. cap. 13. verſ. 19. ac ſanè gladio *ſermonem* in diuinis ſcripturis indicari vſitatum eſt: igitúrne Doctrinam Hæretici, quos Philiſtæi adumbrarunt, de medio ſuſtulerint? planè, & vſque in hoc effœminati; nam quodcumque in Diſciplinarum circulo maſculum eſt, oderunt prorſus; idcircò, neque Sanctum Thomam, neque Scotum, alióſve egregios ſcientiarum Antiſtites ſuis in gymnaſiis vel nominari permittunt: Si quid in deliciis eorum, Rhetorum floſculi aliqui & laſciuæ Muſæ carmina nonnulla cum Bibliorum corruptiſſimis Tranſlationibus: Eum in modum intelligendus Rabanus: *Diabolus* (ait) *per Paganos & Hæreticos, & falſos Chriſtianos, ſtudet prohibere, ne ſint Doctores in Eccleſia, qui ſpiritualia arma faciant, & nobis ad pugnandum tribuant: Pagani enim prohibuerunt, ne Chriſtiani liberalibus imbuerentur artibus: Hæretici quoque perſuaſerunt Principibus, vt Catholici Eccleſiæ defenſores in exilium pellerentur, vt deſolatam plebem faciliùs ſeducerent.* Ergo ſublatis Belli præſidiis Vomer & ligo in Iſraël; ſed quemadmodum pugnæ emblemata gladius & lancea, ſic Pacis monimentum Vomer: quæ autem pugna myſticè, niſi interioris Hominis, per ſtudium proculdubiò Mortificationis? Et quid illa Pacis iucunditas in ludis, & Conuiuio, & Muſica, niſi ſæculi prætcrlabentis carnalia oblectamenta? igitur præmonſtratum Hæreſim conari ſemper viribus totis, vt Mortificationis omnia deleantur inſtrumenta, nullus ſit gladius qui reſecet, nulla quæ pungat lancea; ſed in pace ſint cuncta, in comeſſationibus, in ebrietatibus, in impudicitiis, nam talis iniquorum Pax: Hinc olim Reſurrectionem corporum negabant, vt cùm ſpes adempta fuiſſet vel ſupplicij, vel gloriæ, indulgerent profuſè illecebris; non verberatione, non ieiuniis, non amictu aſperiori, non vigiliis, non grabato inſuaui attererent, vt præclarè ſubindicauit Tertullianus libro de Reſurrectione Carnis c. 11. *Huc uſque* (ait) *de præconio Carnis aduerſus inimicos, & nihilominùs amiciſſimos eius: Nemo enim tam carnaliter viuit, quàm qui negant Carnis Reſurrectionem; negantes enim eius pœnam, deſpiciunt & diſciplinam:* ſubtiliſſimè illud: *Nemo tam carnaliter viuit*; Si enim corpora vexaſſent, ſuſpicari poſſimus, aliam fuiſſe perſequendæ Reſurrectionis cauſam: Nunc, cùm tam manifeſtè opera Carnis appareant, fornicatio, gula, compotationes; quem non facilè moueat, ſtimulatos ad contradicendum, vt vitiis patrocinarentur ſuis, & nimiis luxibus? Alius & de inhoneſtiſſimo grege in ſpecie opera Carnis odit, dum Matrimonij caſtos deteſtatur nexus, & Deo authore indignum iudicat Sacramentum; nec tamen dolet improbus de legitima copula, ſed cùm inſatiandæ eſſet luxuriæ, affligtabatur non poſſe niſi vni coniungi fœminæ; aboleri igitur Sacramenti volebat inſtitutionem, non vt cælibes annos traduceret genus humanum, ſed vt copia eſſet ſumendarum plurium vxorum. Gaudentius Brixienſis tract. 8. *Quod* (nempe Sacramentum Matrimonij) *Manichæis perditis adeò diſplicet: quibus ego ob immunditiam ſuam, non vtique rem nuptialem diſplicere puto, ſed legem, quæ non multas fœminas vni viro; neque vnam fœminam multis viris, ſed etiam vnam fœminam vni viro coniungit.*

1 Reg. 13. 19.

*Vt olim Philiſtæi ſubmouere ab Iſraëlitis bellica Inſtrumenta tentarunt: Sic nunc Hæretici ab Eccleſiæ Doctrinam, Chriſtianáſque virtutes ablegare conantur.*

Rabanus.

*Belli Emblema, Gladius & Lancea: Pacis Vomer & Ligo.*

Tertull.

*Cur in Matrimonium aliqui inſurrexêre Hæretici.*

Gaudent.

*Si*



*Si quæ Modeſtiæ, & Probitatis figura in Hæreticis aliquando; tota de Hypocriſi eſt.*

## Sectio VII.

71. Diximus Hæreſis re ipſa ſcopum, optimarum indolum eſſe corruptelam, ac plenam ſcelerum, malarúmque voluptatum licentiam, quoniam verò ſi impudenter ſceleſti fuiſſent, & nota vulgo audacia; tam effrænis impietas ſectæ curſum remoratura eſſet, deteſtantibus apertiſſimam temeritatem populis; idcircò velant, quâ poſſunt aſtutiâ enormes Criminum Tragœdias, ſimulant grauitatem, atque Modeſtiam, buccinant ſe lapſæ diſciplinæ Redintegratores, atque ob id, & Sponſi ſodales ſe nuncupant, cùm potiùs ſint ſodales Belial: & eovſque inſaniæ progreſſum nonnunquam, vt & miraculorum patratores haberi ambierint: Sed nihil apud eos de vera moneta, adulterinum eſt omne metallum: E Sponſi comitatu eſſe gloriantur; ſub ouina pelle lupus inſidiatur truculentus. Quamprimùm de cœtu piorum exulauit Simon Magus, & intonuit Hæreſi claſſicum, quid continuò meditatus eſt ſuperbus furor eius? quoniam venalem non habuit Spiritum ſanctum, ad Magorum præſtigias conuerſus eſt, & Satanæ auxilio prodigiorum Artifex dici tentauit: interim ſcortum de lupanari, Helenem neſcio quam, pretio redemptam circumferebat, & cùm auaritiæ, luxuriæ, gulæ ſordibus conſpurcatus eſſet, non ſanctus tantùm, ſed Numen quoddam Olympo miſſum, æſtimari affectabat. O Hæreſim totam ſigmentum ſemper! ô ſub larua Religionis ſæuam Nouercam! Auſcultemus Tertulliani ſapientiſſimis effatis libro de Anima cap. 34. *Nam & Simon Samarites in Actibus Apoſtolorum Redemptor Spiritus ſancti, poſtea quàm damnatus ab ipſo cum pecunia ſua, interitum fruſtrà fleuit: conuerſus ad veritatis expugnationem quaſi pro ſolatio vltionis; fultus etiam artis ſuæ viribus, ad præſtigias virtutis alicuius, Helenen quandam Tyriam de loco libidinis publicæ eadem pecuniâ redemit, dignam ſibi mercedem pro Spiritu ſancto.* Vbi Catholicus lector ex occaſione ſeriò monendus, affabrè loquutum Tertullianum, inquientem: *Conuerſum ad veritatis expugnationem quaſi pro ſolatio vltionis:* Inſigniter maximarum Hæreſum ortus demonſtrauit: Quem námque lateat honorum ambitione flagraſſe Arium? iiſdem correptus ignibus Lutherus, & nullus non de tam maligna ſchola ad primos adſpirans accubitus: Quorum iniuſtiſſimis votis obſecundare renuentes ij, ſecundum quos officiorum diſtributio, excandeſcere cœperunt iræ importunæ magno quodam Vulcano; & quia ad vindictam per ferrum impares, exacuerunt ſicut gladium linguas ſuas, Veritatem appetere auſi; non quod ſub errorum nebulis latêre eam iudicaſſent, & detegere ſtuderent; ſed manifeſtam, & perſpicuam ſubobſcurare nitentes, in ſolatium aliquod terribilis impatientiæ, & efferatæ vltionis: Sed reuertamur ad technas, & Hypocriſim illorum.

*Simon Magus Hæreticorum Princeps, præſtigijs ſuis ſanctitatem, Deitatémque ſimulauit.*

Tertull.

*Hæreſeos ab Ambitione, fruſtratâ Ortus.*

72. Aduerti hac ipsâ Veſtigatione ſuperiùs, numero 55. Babylonis poculum deauratum à Ieremia conſcribi cap. 51. verſ. 7. à Ioanne Apoc. cap. 17. verſ. 4. Chriſti verò calicem de figulina materia Corinth. 2. cap. 4. verſ. 7. iterum diſquiro, quamobrem pompoſius vas Babylonis? cur non & deforis ſpecioſus Seruatoris calix vel à ſmaragdis, vel ab auro, aliiſve ornamentis: Equidem Babylon Hæreſim denotabat, fallere ſemper doctam, & fallendo interimere: plenum eſt veneno, quod geſtat poculum; Sed ne quid minùs ſuſpicentur bibituri, quàm Cicutam, ex auro compaginatur vas: & quodnam illud Toxicum, niſi errores multi, & peſtifera dogmata? Hæc intus alit, Hæc ſub viſceribus condit; vt tamen decipiat, aurum exteriùs profitetur; aurum, quod videri queat, eſſe cupit, ſanctitatis ementitur notas, modeſtiam ſuperinduit, pollicetur emendationem Temporum: Quoniam verò ſub Chriſto ſinceritas, & omnis gloria eius ab intùs in fimbriis aureis; noluit emendicare peregrinos ornatus, quibus venuſtaretur calix: Adamantius homilia 2. in Ieremiam: *Nabuchodonoſor volens decipere homines per calicem Babylonis doloſum, non miſcuit in vaſe fictili, quod parabat potari: verùm elegit vas aureum, vt quis videns decorem auri, dum radiantis Metalli pulchritudine delectatur, & totus oculis inhæret in ſpecie, non conſideret quod intrinſecùs lateat, & accipiens bibat: Sed meus Ieſus contrà fecit; Sciens aureum calicem Zabuli, & præcauens, ne aliquis ad fidem ſuam veniens ſuſpicaretur etiam Chriſti talem eſſe Calicem; curauit, vt haberemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.*

*Hæretica Meretrix Babylô in vaſe aureo cicutam aſſeclis ſuis propinat: Chriſtus in vaſe fictili ſalutem.*

Origen.

Seminauit gnauus Paterfamilias bonum ſemen in agro ſuo; dormientibus Hominibus, *venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abijt.* Matth. 13. verſ. 25. cur Zizanium magis quàm hordeum, aut fabam, aut ſinapi? nimirum Zizania vix diſcrepant à Tritico ſub initiis, quoad adoleſcunt, & voluit Agricolæ Hoſtis latêre fraudem, donec Zizania robur conſequuta fuiſſent: quo in ænigmate Hæreticorum repræſentantur doli: agunt enim ſub principio ſchiſmatis, vt non aliud quàm triticum ab eis ſeminari mortales putent, proteſtantur Conſcientiâ vrgeri vt de erroribus moneant Chriſtianitatem, Religionis increſcendæ ſtimulis agitari ſolùm, non diuitias, non locum celebrem in Templo, aut Republica ambire; ritus Eccleſiaſticos cautè vituperare, non nouum ſe condere dogma, ſed reſarcire antiquos mores: His ſponſionibus illaqueant Optimatum animos, vulgus dementant: ſimul ac conſpexêre, ſibi vires ac præſidia adeſſe, tueri poſſe ſeditionibus & armatâ Bellatorum manu, quibus neque ratio, neque authoritas ſuffragatur; tum ſine fuco apertum nequitiæ vultum oſtendere, nihil ſæuitiæ omittere, impudentiſſimos detegere mores. Huc tendebat prima illa Hypocriſis, & imitatio Tritici in Zizaniis: Chryſoſtomus homilia 47. in Matthæum ad illud de hac Parabola: *Quando germinauit, & Herba fructum fecit, tunc apparuerunt Zizania*, &c. *Id certè moris eſt Hæreticis, vt obumbrent ſeipſos, atque occultent in principijs, quouſque maiorem fiduciam capiant, & quodam fauore multitudinis inueniur: tunc enim contagioſa Venena intrepidi effundunt.* 73.

Matth. 13. 25

*Hæretica Zizania vix à Tritico ſub initijs ſuis diſcrepant, ſed vbi creuere, ſe produnt; totúmque mox depopulantur agrum.*

Chryſoſt.

Peccauit Ozias Rex adolêre volens incenſum ſuper altare thymiamatis: cúmque ab Azaria aliiſque Sacerdotibus conſtanter admonitus, non eſſe Laïcæ poteſtatis incenſum offerre Domino, ſed conſecratorum in eiuſcemodi miniſterium, perſtaret adhuc ſuperbus interdictum abſoluere officium; non ſuſtinuit vanam ambitionem Numen; *Statimque orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini ſuper altare thymiamatis,* 74.

2. Paralip. 26. 19.

*tis*,Paralip.2.cap.26.verſ.19. Peccauit multò ante hunc tempore Dauid, nec contentus maculaſſe torum Vriæ Hethæi,& necis eius cauſa fuit: Cur non ob geminatum ſcelus, eâdem affectus plagâ, quâ Ozias Monarcha? Equidem Dauid peccauit; ſed non aliquid in eius delicto, quod ſchiſmati, vel Hæreſi proluſiſſet;victus à prurítu Carnis, vt Homo fragilis ceſſit,deinde & ex humano pudore celare volens facinus,duplicauit. At verò Oziæ temeritas Religioni aduerſabatur, ad ſchiſma & Hæreſim viam præſtruebat, quando Leuiticum ius cum ſæculari commiſcebat:à talibus exordiis ſæpè in Eccleſia Catholica in Schiſmata progreſſum,deinceps & in manifeſtam Hæreſim: fuerit ita ſanè: Quid tamen Hæreſi cum lepra? Nimirum, in Hæreſi id capitale, vt ex ſimulatione agant:aliud foràs portent:aliud in receſſu Mentis abſcondant: bonitatis violentam aliquam ſpeciem oſtendant, vt decipiant, nam de Honeſto verè nihil poſſident:diſcamus ex Beato Gregorio Papa lib.5.in Iobum c.10. *Habent quippe hoc Hæretici proprium, vt malis bona permiſceant, quatenùs facilè ſenſui audientis illudant: Si enim ſemper praua dicerent, citiùs in ſua prauitate cogniti, quod vellent, minimè perſuaderent: Rursùm, ſi ſemper recta ſentirent, profectò Hæretici non fuiſſent: Sed dum fallendi arte ad vtraque deſeruiunt, & ex malis bona inficiunt, & ex bonis mala,vt recipiantur,abſcondunt: Sicut,qui Veneni poculum porrigit, ora poculi dulcedine Mellis tangit:dúmque hoc,quod dulce eſt, primo attactu delibatur: etiam illud, quod eſt mortiferum, indubitatum abſorbetur: quos benè in Euangelio illa decem leproſorum mundatio deſignat: in lepra quippè & Pars Cutis in fulgorem ducitur; & pars in colore ſano retinetur: leproſi itaque Hæreticos exprimunt;qui dum rectis praua permiſcent,colorem ſanum maculis aſpergunt.*

*Peccat Ozias, & leprâ inficitur: peccat Dauid nec punitur: Scilicet hæreſim olebat Oziæ peccatũ: Inde hunc lepra Hæreſis ſymbolũ, foris candidum, intus fœtidum miſerè depaſcitur.*

Gregor.

75. Bis Sarę formam concupiuère Reges:Primùm, qui Ægypto dominabatur Pharao,Gen.c.12.v.15. *Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domo Pharaonis:* Deinde Geraritis imperans Abimelech,Gen. c.20.v.2.*Miſit ergo Abimelech Rex Geraræ, & tulit eam*:ab vtroque vindicatus Matronæ honor,& illibata reddita Abrahamo;ſed de Abimelecho cura Scripturæ id ſignificandi,eodem c.20.v.4.*Abimelech verò non tetigit eam,& ait: Domine,num gentem ignorantem, & iuſtam interficies?* Quamobrem non & ſimilis adiecta cautio, cùm de Pharaone Narratio inſtituta eſt? Nonne enim tum maior ſuſpicio, cùm Rex impius eſſet, neque Ægyptij vniuerſim multùm caſti?Controuerſiam reſoluat Theodoretus q.62.in Geneſim: *Sara,tunc erat paritura Iſaac: ne igitur ſemen Abrahæ ſuſpectum eſſet, manifeſtè declarauit Scriptura diuina,quod Abimelech illam non tetigiſſet*:igitur, ne ex adulterino concubitu procreatum Iſaac quiſquam opinaretur,Matrem tunc grauidam Scriptura nullum honeſtatis diſpendium apud Abimelech paſſam fuiſſe declarauit,idémque omiſit cùm de Pharaone ſermocinaretur, quòd nondum fœtum concepiſſet aliquẽ:An ideò prouiſum tantoperè genituræ Iſaac, quod ex eo Chriſtus per longam nepotum ſeriem tandem deſcenderet?Sit Literæ talis ratio:ad myſterium autem vt feramur, notum eſt Abrahamũ fidei Patrem extitiſſe:itaque ſicut Iobus patientiâ excelluit,Dauid manſuetudine,Ioſephus caſtimoniâ,Abraham fide enituit, ob quod & Pater fidei nuncupari meruit: præclarè igitur cautum,ne in huius ſtirpe adulterinum, vel ſuſpectum aliquid: pugnant enim adinuicem fides atque Hæreſis:fides aperta diligit,infucata, ſincera:Hæreſis de ſimulatione gaudet,de ſpuriis,& Perſonatis:Quoniam ergo Patris fidei ſoboles Iſaac, quo Parente digna cenſeatur proles;ne vel opinio quidem remaneat ex adulterio conceptum fuiſſe;propterea de genitrice conſtet, Abimelechi ereptam poteſtate,quam ne tetigerit aliquo modo,non violare præſumpſerit.

Geneſ.12.15.

Et 20.2.

Geneſ.20.4.

Theodoret.

*Intactam à Rege Abimelecho Saram expreſsè Scriptura teſtatur: vt omnẽ prorſus ſuſpicionem de Abrahami (qui fide inclitus, fidei typus eſt) non legitima ſobole tollat: Erat quippe tunc Sara de Iſaaco grauida.*

76. Perrexit in eremum Chriſtus,& cùm diutiſſimè vacaret contemplationibus, abſtinuit & ab omni humano nutrimento:*Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus,& quadraginta noctibus, poſtea eſuriſt*, inquit Matthæus c.4. v.2. Quamobrem adiunxit noctes? annon ſatis, quod diebus quadraginta ieiunaſſe affirmaret,cùm & ſub horũ vocabulis noctes intelligi ſoleant?Haymo in dicta Euãgeliſtæ verba: *Cùm verò dixiſſet,ieiunaſſe Dominũ quadraginta diebus;addidit;& quadraginta noctibus: quod ideò facere voluit,ne aliquis putaret quod Dominus quidem diebus ieiunaret; noctibus verò reficeretur iuxta noſtram conſuetudinem.* Quæ magis ita declaro: Chriſtus fidei Catholicæ Authòr erat: fides autẽ hæc poſtulat, ne aut in eius inuentore,aut in Profeſſoribus vafra & ſubdola reluceãt,ad Hęreſim talia ſpectant: ne igitur Hæreticorũ in morem captandæ vanæ glorię causâ,quoad à Mortalibus videri poſſit,interdiu abſtineret:in abſcondito autem innãtibus tenebris reficeretur, atque ex veritate nihil actitaret;curauit vt à Scriptore ſacro teſtimoniũ perhiberetur,qualem ſe geſſerit ſub luce,talem fuiſſe quando teſtes latebant. Ad Sponſi imitationẽ & de Eccleſia in typo eius, quã Noë fabricarat Arcæ:fac tibi Arcam de lignis læuigatis:manſiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinſecùs, & extrinſecùs,Gen.c.6.v.14.Cur intus,deforíſque pariter?nam,ne per fiſſuram Aquæ introgrederẽtur,ſatis quod externè liniretur:Verùm ſanè Eccleſiæ ſanctæ myſterium ſic omninò requirebat: Origen.hom.2.in Geneſim: *Vult enim te Architectus Eccleſiæ Chriſtus non eſſe talem,quales ſunt illi,qui deforis quidem apparent Hominibus iuſti,deintus autẽ ſunt ſepulchra mortuorum: Sed vult eſſe te corpore extrinſecùs ſanctum, & corde intrinſecùs purum; hoc eſt, intùs & foris eſſe bitumine oblitum*: in Hæreticorum Synagogis,quæ dæmonum ſunt,vbi fides naufragat,ſi quæ interdũ linitio eſt, vna tantùm, eáque externa,vt hominibus Religioſi appareant:ídque, vel ambitionis ſtudio, ſancti haberi volentes, & coli acclamationibus vulgi:vel ſectæ propagãdæ gratiâ, quo perſuadeant indoctis & penès ſe illa inueniri, quæ apud Orthodoxos famam merentur: vbi verò Hominum opinionibus ſatisfecerunt,reliqua flocci pendunt;in Angulo,atque receſſu contraria operantur:Eccleſia autem Orthodoxorum,quoniam fidei columen & ſtabilimentum eſt,non admittit de mendacio quidquam:Si modeſta,ſi ieiunans,ſi humilis, ſi coram Hominibus orans ad ædificationem electorum, atque vt glorificent Patrem,qui in cœlis eſt; acrioris tamen ſtudij conatu his ipſis vacat rebus in Cubili; idcirco, quæ hanc repræſentabat, Arca non tantùm de foris bituminata,ſed intus quoque, vt ſecreta publicis reſponderent.

Matth.4.2.

Haymo.

*Catholicæ fidei ſynceritatem exprimit Euangelium, dum quadraginta diebus quibus ieiunauit Chriſtus addit & quadraginta noctes: ſcilicet idem erat in tenebris, qui in luce parebat: Hæreticis longè diſſimilis.*

*Arca intus, vt de foris bitumine illita: Eccleſiæ Emblema.*

---

*Sub Adoleſcentia ſpretis voluptatum blandimentis, Pietatem ſectari, Rarum, & percelebre eſt.*

## SECTIO VIII.

77. TImor Sponſæ,ne poſt ſodales Dilecti contingat eam vagari: quamobrẽ de his ſingularis metus?



metus?Annon & alios ſequi valeat,qui nõ ſint de contubernio Sponſi, non fœdere, non amicitiis coniuncti?erat ſanè Sponſus iſte, cuius vix prima lanugo honeſtarat genas: Adoleſcens verò, quos ſibi deligeret Comites niſi de iuuentutis flore? ætas illa ſanguine caleſcens, conſiliis immatura, diſciplinæ refuga,formæ venatrix,prona in delicias: quídni ad inſtructam Aduerſariorum manũ Puella contremiſceret?Sponſum igitur monet,videat iterum atque iterum,ne Adoleſcentũ exponat ludibriis:Nam vt arduum ſit ſub quacumque vitæ Periodo virtutis continuare ſtudium; tamẽ, inter iuuenum procacitatem & licentiã retinêre Animi conſtantiam, bonámque indolem nullis commaculare ſordibus, peregrinum & admirabile eſſe.Demerſo orbe terrarum,ſaluus factus Noë cum thalami ſocia,tribúſque filiis,& eorum vxoribus:quare pereuntibus cũctis, ſolus cum nominatis, incolumis? Chryſoſtomus ex Lippomani catena:*Nam, quia per ætatem primam omnem virtutem ſectatus eſt,& à vitijs ſe alienauit,quibus qui tunc infecti erant,viuebant;neque pœnarum particeps fuit: & cùm alij omnes ſuffocarentur, ipſe ſolus ſeruatus eſt:* quibus in verbis illa conſideranda:*Nam, quia per ætatem primam omnem virtutem ſectatus eſt*: Demus ſub exordio ſceleribus coinquinatum, reſipuerit tamen poſtea,& ingraueſcente ætate pœnituerit, & ad iuſtitiã peruenerit magnam,annon & liberaretur?Eſto quidẽ euaſurus eſſet, nam cõtra peccatores deſtinabatur vindicta; ſed aliud eſt vtcũque ſaluum fieri:aliud & incolumitati gloriã ſingularem coniungi:Quippe Arcæ mirandi cuiuſdã operis Magiſtrum extitiſſe: cum beſtiis,ſæuíſque Animantibus vixiſſe abſque metu:abluti orbis caput & principium nominari,ſingulares Prærogatiuæ ſunt:Num igitur ſignificarit Chryſoſtomus; Quoniam longè præſtantiſſimum ſit, & paucorũ ſanè ſub primæ ætatis ingreſſu, Animum à vitiis integrum, atque impollutum ſeruare, iuuenilis œſtri non abripi ſtimulis indomitis, ob hoc conſequutum Noë; non ſolùm vt generali eximeretur ſtrage,ſed Diluuia ſuperaret,iis, quibus diximus auctus honorum incrementis: alioqui ſerotinam iuſtitiam ſatis compenſatam iri communi liberationis beneficio?

*Timet Sponſa ne inter Adoleſcentes, à quibus mores facilè deprauantur vagari eam permittat Sponſus.*

Chryſoſtom.

*Quia Noë in prima florentique ætate, virtutibus clarus Deum coluit, ideo per Arcam mundũ ſummo cum honore ſeruauit.*

78. Perpende,quàm grandia de Salomone, Reg.3. c.10.v.23. *Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ, diuitijs, & ſapientiâ: & vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis,vt audiret ſapientiam eius,quam dederat Deus in corde eius.* Nonne quidẽ doctiſſimus Moyſes, eruditus nimirum in omni ſapientia Ægyptiorũ?Nonne Dauid ſcientiſſimus,eius quemadmodũ ſacri teſtãtur Hymni, in quibus rara apparet eloquẽtia cũ Rerũ abſtruſarũ notitiis,& quicquid vel in Theologicis profundiſſimũ eſt?Quamobrẽ nõ & de his tantis doctrinarũ oraculis ſcriptũ;eorũ attonitos famâ vltimos Terrarũ incolas;vel in Ægyptum ſuperatis lõgis itineribus terrâ,maríque;vel in Iudæã profectos? Salomõ equidẽ licet hos duos ſuperauerit in doctrinis;tamẽ fortaſſe nõ ob ſolũ eruditionis exceſſum cõmouebat ad peregrinandum remotas nationes:quid itaq; præterea incitabat? tantâ ſapiẽtiâ donatus emicabat iuuẽtutis in flore; atque is certè excellebat notitiæ encyclopædicę gloriâ, quem à ſtudiis reuocare poterant(adiuuabat enim ipſe Marte ſuo infuſæ eruditionis munus,) Aulæ põpæ,& in immensũ excreſcentes deliciæ:muliebria blãdimẽta,Purpuræ faſtus,Adoleſcentũ præpoſtera conſilia, & his deteriora exẽpla:igitur his machinis iuuenilem non expugnari animum,doctrinâ eminêre,quam prudẽtia adornaret ſumma; non obeſſe Muſis,ætatis ſiue ardorem ſiue nouitatem; Hoc profectò ſtupendum,& quod natiuum vertere ſolum, pericula adire ingentia, chariſſimis valedicere pignoribus, vi quadam impelleret:conſonat Abulenſis:nam propoſitæ Quæſtioni reſpondens ad c.19. lib.2.Paralip. diſquiſitione 15. *Salomon* (ait) *erat iuuenis tener,& in tali ætate non ſolet hominibus matura aduenire Sapientia.*

3 Reg.10.23.

*Quantis præ Moyſe,Dauide, &c. honoribus celebratus eſt Salomõ, quod in Iuuenili ætate & ſapiens,& virtutibus inſignis.*

Toſtat.

79. Conduxit in Vineã per varias diei Horas operarios Paterfamilias:atque alij ſub diluculum acceſiti,alij horâ tertiâ,alij per meridiem,alij horâ nonâ,alij denique circa vndecimam: Vt penſum diei abſolutum,cùm proſpicerent,eadẽ recepiſſe, qui ſub veſperam introgreſſi fuerant vineam,ac qui primo manè ad laborandum accincti ſunt,tulêre moleſtiſſimè,& immurmurãtes aduersùs Patremfamilias, dicebãt:*Hi nouiſſimi vnâ horâ fecerunt,& pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei,& æſtus.* Matth. c.20.v.12. Sed,num ſatis vera hæc conqueſtio?Cedo enim de his,qui ſub horam tertiam,cœperunt Vineam excolere,nonne certè tunc Phœbus radios explicare cœperat,& ardentiùs vrere?atque in eam vſque diei periodum matutina flabra blandioris aurę mulcebant;nondum exſiccatæ de Noctis rore pluuiæ tẽperabant æſtiuos ignes;& priuſquam arceret Rota ſolis modulantium volucrum turmas,ſine vectigali & pretio aliquo de proximæ ſyluæ altiſſimis cacuminibus intonabant ſuauiſſimè:itaque delicium fuerat tũ eſſe in agro & ſuburbanis:quare ſi qui ſanè põdus diei,atque æſtus ſuſtinuerunt;ij fuerunt,qui horâ tertiâ cõducti ſunt:At quid opinabimur de illis, qui per horam ſextam vocati ſunt? tum enim incendia profectò maxima, quæ non aëreum, non terreſtre genus ſupportare valeat;Nã & tunc pecudes vmbras captant, & ſub frõdium tegumẽtis pennigera latent:igitur,vt hi per diem totum non ſint exercitati,ſed tamen,quod eſt in die põderis, atque ęſtus deuorarunt:Nam ſi ad horam vndecimã,quod tum lux inclinet,atque emoriatur,nihil æſtus,aut ponderis,quod tacitè ſugillabãt Detrectatores eo accitis tempore: minus proculdubio vel caloris vel oneris primo manè:itaque demũ, cùm illi,qui ſub horam tertiam aderant,qui ſextâ venerant,quod moleſtiſſimum erat pertulerint,& penè abſque ſolatio omni defatigati ſint, cũ Zephyris caruerint exoriẽtis Aurorę Pręcurſoribus, quibus frui datũ immurmurãtibus; Quamobrem ſibi ſolis adſcribunt antiquiſſimi operarij, quod erat põderis atque æſtus ſuſtinuiſſe illos tantùm? Equidẽ,vt Literæ inſiſtamus,aut nõ omninò verè loquutos fuiſſe dixerimus, aut cũ exaggeratione &Hyperbole:ad myſteriũ traducere cupiẽres;erit, quemadmodũ exponamus:duo verò obſeruanda ſunt:vnũ iuxta communem ſenſum:cùm ſingulos denarios acceperint,præmiũ conſequutos iuſtorũ nouiſſimã retributionem indicare; virtutis ergo ſtudioſi omnês fuerant, quanquã admiſtis næuis quãdoque ex humanæ imbecillitatis vitio: Alterũ;licet ex trito iudicio Cõmentantium,horarum differentiæ de variis Mundi ætatibus interpretari conſueuerint;tamen ex quorundã placitis ad vitæ humanæ diuerſa referri tẽpora; Quã tractat Allegoriã latiùs Paſchaſius Abb. lib.9. in Matthæũ: ſimus igitur huius modò opinionis,& primã viri ætatẽ,iuuentutem ſcilicet latiori annorum partitione admittamus; nam & Author, qui incertus Chryſoſtomus,de orbis conditi intellexit Adoleſcentia,hom.34.in Matthęũ,*Per quos intellexit* (ait) *eos,qui in mundi initio vixerunt:tunc ergo Mundus in*

Matth.20.12.

*Qui primo manè vocati hoc eſt,in prima ſua ætate, in vinea Domini laborarunt, ſoli ij dicuntur portaſſe pondus diei & æſtus.*

Paſchaſ.

Incert. Chryſoſt.

*iuuentute conſtitutus, omnibus bonis proſperabatur:* igitur de his, qui in ætatis flore ſunt, conſtruendum, comparatione factâ ad cæteras vitæ Humanæ diuiſiones, eos ſingulariter pondus diei, atque æſtus tolerare: At, qui ſtare id poſſit, inquias? Nam, quæ vitæ pars eſt lætior Adoleſcentiâ? non curæ vexant, non anni grauant, non inualetudo affligit: in gaudiis, & Recreatione tota eſt, tantùm abeſt, vt pondus ferat. Sed perpende, de qua agimus Adoleſcentia: nimirum, de illa, quæ in virtutum, & Perfectionis acquiſitione laborat, nam in tales deſtinari Parabolam affirmauimus: ergo certè tam difficile eſt, iuuenem conari ſtrenuè ad virtutem, ob multa quæ affert impedimenta vernãtis ætatis conditio; vt ſi cum Adoleſcentia ceteri conferantur, vitæ gradus, tantus labor ſit Adoleſcentem probum eſſe, vt is vnus non inſcitè exiſtimetur, pondus diei atque æſtus ſubiiſſe; & reliquæ vitæ certamina, non tam labores eſſe videantur, quàm otium & feriatio: Soli Adoleſcentiæ virtuoſam eſſe cupienti, pondus, & ſarcinæ moles incumbit.

*Adoleſcentia, vitæ pars lætior.*

80. De Henoch Gen.c.5. v.21. *Porrò Henoch vixit ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalam; & ambulauit Henoch cum Deo:* Quorſum meminit annorum ſexaginta quinque, & ſubdit illicò, virum fuiſſe Pietatis ſtudio inſignem, nam hoc eſt, coram Deo ambulaſſe, Religione nimirum, & virtutibus fulſiſſe? Num, quia rarum id cum familiæ procuratione, cùm liberis, & vxore? difficile enim eſt cum ſæculi negotiis Deo vacare: Chryſoſtomus putauit hom.21. in Geneſim: *Audiant viri, & mulieres, & diſcant iuſti virtutem; nec putent nuptias in cauſa eſſe, quò minus placeant Deo: nam idcircò diuina Scriptura ſemel, & iterum aſſignauit, dicens: genuit Mathuſala, & tunc placuit, & idem ingeminat, ac repetit dicens; & placuit poſtquam genuit, ne quis arbitretur obſtaculum virtutis eſſe coniugium; quia ſi ſobrij ſimus, neque educatio, neque coniugium, neque aliud quid nobis oberit, quò minus placeamus Deo:* Rectè hoc, ſed proximius in noſtrum ſcopũ, quod modò dicturus ſim: Quemadmodum primi illi Mortales curriculi vitæ noſtræ metas longo ſuperabant interuallo, cùm nunc in ipſis Potentatibus octoginta anni, & ſi ampliùs, labor, & dolor, tum verò propè in decem excurrebant ſæcula aliquando: Sic & vitæ ipſius cuiuſque gradus longiores noſtris: quare, cùm ter centum maior fuerit annis, cùm tulit eum Deus, Henoch; peregrinum minimè apparêre debeat, vt Adoleſcentem fuiſſe concipiamus ſexaginta quinque annos natum: igitur, cùm tunc iuuenis fuerit, atque ætatis in gloriâ, cùm eximiè extollere ſacra vellet Scriptura, dixit coram Deo ambulaſſe; tanquam ſi affirmet: Alij quidem ad vitæ medium, alij ſub extrema ætate voluptates contempſerunt, Perfectionem adipiſci fortiter elaborarunt; permagnum id ſanè: Henoch verò, quod arduum imprimis ſit, cùm ætas floreret, & quadam ipſius licentiâ prouocaretur ad illecebras, cùm de Reſtrictione, & diſciplina odioſæ cohortationes, cùm hilarem & iucundum eſſe propè vniuerſa ſuaderent: auerſatus, ne dum vitia, ſed blandimenta inſuper, domauit iuuentæ feros impetus, Deum cum toto corde ſuo exquiſiuit; ideo mentio de vitæ periodo, quando narratur coram Deo ambulaſſe.

Gen.5.21.

Chryſoſtom. *Enoch ſexaginta quinque annorum viridus Adoleſcens, quòd Deo placuerit tunc, à Scriptura laudatur.*

81. Cùm de nouæ Vineæ ſucco inebriatus Noë, recubaret ſine amictu, Cham peſſimum germen, qui condolere genitori debuerat, & verenda eius modeſtè tegere, irriſit optimo ſeni: *Euigilans autem Noë* (ait Textus Gen.c.9.v.24.) *ex vino cùm didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus Chanaan,* &c. Verùm qua de cauſa appellat hunc filium iuniorem? nonne enim ſecundus natu, nempè poſt Sem, datus in lucem, & Iaphet antiquior? non igitur minor in fratrum ſerie: Sed obſerua in vitia & ſcurrilitates maximè procliuem immaturam ætatem: Quanquam itaque Pater eſſet, quem latêre filiorum per annos incrementa non poterant, ratus tamen arduum eſſe, vt ab alio quàm à iuniore filio progrederetur nequitia, impietatis Authorem de Adoleſcentia condemnauit, vel ſi mauis aliter exponi, & germaniùs fortaſſe: obſeruantiam Iapheth demiratus, quaſi eſſet virtus illa, quæ in iuuenem cadere vix facilè poſſit, vt in quibus morum grauitas perrarò effulgeat, & ludificandi oblatâ anſâ, vix ſe continêre valeant; tranſtulit ad maiores annos, ne immatura ætas fidem demeret præclariſſimis geſtis, & poſteritas tanquam addubitaret, ſi non iuſtus annorum proponeretur gradus. Chryſoſtomus homilia 29. in Geneſ. in illud: *Et cognouit, quæ fecerat ſibi filius ſuus iunior,* &c. *Secundus enim erat, & maior natu, quàm Iaphet: licet autem ætate illo prior erat, voluntate tamen minor, & temeritate illum exceſſit: Nam, quia noluit intra limites ſuos manêre, amiſit honorem ſibi à natura traditum: & ſicut ille, id quod naturâ habuit, nequitiâ voluntatis amiſit: ita Iaphet, quod naturâ non habuit, ſeniorem ob mentem accepit:* Atque in Adoleſcente cùm maximè ſuſpicienda ſit virtus, hinc eſt quod Dauid pro his, quæ in iuuentute geſſerit, maximè glorietur Pſalm.128. verſ.1. *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël,* atque iterat ſecundò inquiens, *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi:* quibus verſibus memorat tacitè inſidias plurimas Saülis contra eum, quas fortiter ille ſuſtinuit, imò cùm vitam abripere ingratiſſimo potuerit Hoſti, quo extincto ſpes erat conſtantiſſima, regnaturum ipſum; tamen vel de chlamidis ora abſcidiſſe aliquid, pœnituit deuotum iuuenem: Verùm, nonne & multa ſuſtinuit cùm in virilem proceſſit ætatem? nonne Senior Abſalonis contumaciam expertus? vidit & defloratam Thamar, & occiſum inter pocula Amnon: nec, cùm Animam propè daret fatali recumbens lecto, Adonias tumultus ciêre deſtitit, & purpuram affectare: quamobrem itaque non & harum recordatur ætatum? nam ante Pſalmum pleraque euenêre, & Vates erat, qui de futuris annunciare poſſet. Zeno Veronenſis ſermone in hunc Pſalmum: *Non otioſa virtus Religioſi viri eſt, neque quietam exigit vitam: impugnatur iam ab ipſis iuuentutis ſuæ initijs, & impugnatur ſæpè: non nouella itaque, neque rara impugnantium odia ſunt, ſed ea ſæpe etiam ab ipſis initijs ætatis infeſta ſunt: & idcircò hæc ſunt, quæ fidem probant, quæ Patientiam teſtantur, quæ inuictæ virtutis coronam merentur: confidentiæ maxima gratulatio eſt, tantorum, ac tam numeroſorum bellorum recordari:* quare magna ſanè fuerunt, quæ per omnem vitam Dauid tolerauit, ſed glorioſior multò patientia in flore annorum, cùm ad vindictam iuuenilis prouocaret ardor & cupido regnandi, voluptatúmque deſideria aulæ fruituro pompa: propterea ex vitæ diuiſionibus, expreſſit Adoleſcentiam, *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea,* &c.

Gen.9.24.

*Petulantem Chamum, filium à peccato iuniorem nũcupat Noë.*

Chryſoſt.

Pſal.128.1. *Gloriatur Dauid de ijs quæ in iuuenili ætatis flore benè geſſit.*

Zeno Veron.

VESTIGA



# VESTIGATIO IX.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum ſeptimum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus:* Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum. *Cap.*1. *verſ.* 7.

*Neotericorum introducta communis Expoſitio conſiderata: Cuinam tribuenda verba iſthæc? Paſtor, num præire ouibus, an ſequi eas debeat? Proluſio ad bellum Ars Bucolica: aliquibus Scripturarum verbis colluſtratio: fœminæ cur ſequantur gregem, qualemque?*

### Sectio Vnica.

1. QVI antecedentis verſus germanum ſenſum eſſe putarunt, vt Dilectum recèns nupta interrogarit, vbinam oues ſuas Sponſus, qui Paſtorum Magiſter, paſcere conſueuiſſet; quo ſub antro, quibus ſub Arborum brachiis, vmbram & frigora ad meridiem captaret? aſſerunt nunc diſquiſitis à Puella ſatisfacere virum illius, & breuem, eámque opportunam tradere Regulam: Méne inuenire tantoperè cupis, ô Virgo, cui prima formæ gloria? habe itineris duces, quæ cuſtodis, minora pecora, ne recede ab eorum veſtigiis, ibunt directis paſſibus ad opilionum Tabernacula: cùm autem ad Paſtorum caſas perueneris, me reperiſti: atque ſanè hanc adamarunt explanationem Recentiores ferè omnes: Sunt tamen, qui opinionem impedire videantur ſcrupuli aliquot. Primùm, cùm hæc Sponſa ab ineunte ætate inter Paſtores verſata fuerit, déque vitæ præcipuis exercitamentis ſiue oues mulgêre, ſeu agnos, hœdóſque ad virentia ductare loca, quo pacto ignoraſſe cenſebimus, naturæ quodam inſtinctu Matrum ſubodorari ſemitas, atque legere vias minora Animalia? atque eò magis hoc ſuſpiciendum de Sponſa, quòd non hebes, aut obtuſa fuiſſet, ſed ingenij raro quodam prædita acumine, quæ vltra annos diſcebat: Sin autem triuialia hæc, & prima elementa Bucolicæ Artis Sponſam latêre non poterant; cur Sponſum plebeiis documentis occupatum introducamus in ſcenam, vel in ipſius ſanè deſpectum, qui de tam proletariis inſtruere non erubeſcat; vel in Sponſæ dedecus, quæ etiam rudimenta Paſtoritiæ diſciplinæ poſt annos, neſciret? Deinde vel propè aderat Sponſus, vel longiori ſemotus tractu: in vicinia quidem vt fuiſſet, pecorum ducatu opus non erat, nam propè immorantem Sponſa ſine adminiculis reperire poterat: Si verò diſtabat plurimùm, ſubodorari Matres longo ſeparatas ſpatio filij non valebant: neque loci iuuabat conſuetudo, eadem repetentium ſemper Paſcua; nam huc illuc incertis ſedibus vagabantur Paſtores nullibi ſtabiles vnquam, idcircò Tabernacula circumferebant, vt pernoctare facilè poſſint, vbicumque tenebræ ſtare coëgiſſent. Tertiò, cùm propterea Sponſa tantùm ſollicitetur de Veſtigando Dilecto ſuo, facit vt ab ipſius latere non diſcedat, eóque munita, de ſodalibus, qui formæ inſidiari poterant, datæque Sponſo fidei, nihil ſit, quod vereatur; Si igitur ſcopus orationis, eiúſque, qua cum omni obſecratione Sponſi pulſat animum, vt ſodalium ipſius declinet congreſſus; quæ ratio eſt, vt ad ſocios Paſtores amandet, inquiens: *Paſce Hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum*, eorum ſcilicet, qui comites ipſius Sponſi ſunt?

*Præcedenti Sponſæ interrogationi reſpondet hic Sponſus.*

*Difficultates in hoc explicandi modo.*



2. Quod tamen capitale eſt; Veterum cum Patrum explanationibus hanc fœderari ſententiam vix eſſe poſſibile: Quotus enim de priſcis Doctoribus qui non referat ad ignorantiam, quam de ſeipſa Sponſa habeat, non autem de viro ſuo, vt Iuniorum claſſis ſupponit? Res eſt tam manifeſta, vt ab allegandis ſcriptoribus excuſet, & pridem conglomerauit Giſlerius in Appendice: Contendunt ex Hebræo, non ad ſignificationem, particulam *Te* appoſitam, ſed ornatus causâ: Originalia enim verba ſtrictè conuerſa ſonare: *Si ignoras tibi*, quod idem ſit velut ſolùm dicatur: *Si ignoras:* nimirum, vbi Sponſus per meridiem accubare conſueuerit; fateor in Hebræa phraſi, quemadmodum & in multis idiomatis dictiones reperiri, quæ pulchritudinis gratiâ interſerantur, & ſignificationi redundent: exemplorum copia apud Cantapretenſem Hypotyp. lib.6.cap.2. Riberam lib.1. de Templo c.14. & in cap.3. Habacuc num.47. Sanctium ad cap. 3. Iob n.86. Cornelium Præfatione in minores Vates, Canone 20. vbi hunc Canticorum locum expendit: At quis neget à Hieronymo optimè Accuſandi tranſlatum caſu? quem ad ſignificationem conducere omnes cùm aſſerant antiqui Interpretes, quamobrem redundare arbitremur, & ad venuſtatem ſolùm poſitum? Iam verò, quod inter eoſdem Patres denſiſſima cohors è quorum

*Particula* Te *apud Hebræos appoſita ornatus causâ*

Cantapret. Ribera. Sanchez. A Lapide.

Hieronym.

Dd 2 partibus

*Atque ipſæ memores redeunt in tecta, ſuóſque*
*Ducunt, & grauido ſuperant vix vbere limen.*

Veſtigia Hœdorum ſectari Sponſæ intimatum, vt haberet ante ora, oculóſque, & laſſis feſtina ſuccurreret: Quoniam verò fœmineæ vires impares eſſent, ſi contingeret de maioribus ſyluæ feris Animantibus inſidiari, monetur iuxta Paſtorum tabernacula Hœdos paſcere, quò propinqui opiliones facilè ſubuenire poſſint.

7. *Variæ huius verſus Expoſitiones conciliantur.*

Vt autem in gratiam aliquo modo omnes, reducamus ſententias; nempè à Sponſo prolata verba hæc; ſed ita, vt cùm reſpondeat Sponſæ quærenti, vbi recubaret ſub horam prandij, vbi gregibus pabulum ſubminiſtraret? quæ eſt Recentiorum exiſtimatio, ſimul & reprehendat iuxta vulgatam Patrum cogitationem: Hæc igitur primùm conciliamus, quòd Sponſus acerbè paſſus ſit, à Virgine intellectum de mollibus atque ignauis eum Paſtoribus eſſe, cùm recubare ſub meridiem aſſerat: Quod enim optimi eſſe Pecudum Magiſtri officium Columella refert lib. 7. de Re Ruſtica cap. 3. *Neque ab ouibus longiùs recedat; nec aut recubet, aut conſidat: Nam niſi procedit ſtare debet, quoniam grex quidem cuſtodis officium, ſublimem, celſiſſimámque oculorum veluti ſpeculam deſiderat; vt neque tardiores, & grauidas, dum cunctantur: neque agiles & fœtas, dum procurrunt, ſeparari à cæteris ſinat; ne fur, aut Beſtia hallucinantem Paſtorem decipiat.* Quoniam igitur probo Opilioni nullo tempore non dicam ſtertere, ſed ne ad quieſcendum tantiſper decumbere liceat, verùm erectum eſſe ſemper, & ſpeculantem oporteat, ne quid aduerſi contingat, Sponſus videlicet ægriùs tulerit, quòd recumbentem pinxerit Sponſa, atque ideò obiurgauit de ignorantia. Si tamen infirmus hic appareat diſcurſus, quoniam diues armenti & pecoris huius cùm eſſet Epithalamij Paſtor, habebat opilionum inferiora ſeruitia multa, à quibus recubante ſummo Paſtore, vigilandum eſſet, ac proinde, quòd recubare illum Sponſa dixiſſet, increpanda non fuiſſet, quod nullum gregibus periculum eius ob requiem; Tentemus alias ſemitas: Diximus in ſuperioribus Veſtigatione 7. numero 3. cùm illis inſiſteremus verbis: *Filij Matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis,* &c. Parentes Sponſæ, cùm pulchrâ donatam facie à Natura viderent cupidos formæ conſeruandæ, prohibuiſſe, vt ruſticanis eiuſmodi vacaret exercitamentis, in quibus ſolis radij excipiendi eſſent, quibúſque decor vultus læderetur, quare à paſcendis gregibus abſtinêre iuſſerunt, ſin autem iuuare laborem placeret, intra vineas remaneret, vbi editiſſimâ Turre clauſa, & opem aliquam afferre poſſit ſpeculando, ne fures accederent, aut ſæuior perrumperet Beſtia, & ſimul formæ conſuleret honori, Tecto auertente Phœbi truculentum iubar: nec paruit illa ſatis tum monitis, veniam conciliabat ætatis ineptitudo: Mox tamen vt excreuit, & in nubiles proceſſerat annos alii mores, & formæ ſecurior diligentia, deintus occupata cœlo ardentiori ſe negabat: Nunc autem, dum Amore regitur, & à Dilecto non ſeparari anhelat, ſtudij oblita, quod forma requirebat; etiam cùm ſol feruentiſſimus eſt ad Meridiem, domum & velamenta relinquere tentat, & in ſaltum progredi, Hinc interrogatio ad Sponſum de commorandi ſede: *Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcis, vbi cubas in meridie?* Quas ad voces ſubſtomachans vir eius: Si ignoras te, replicat, ô pulcherrima inter mulieres; hoc eſt, etiámne adhuc ignoras pubertate maior, & familiam rectura citiùs? Cùm paruula eſſes, nec ratio plenis illuxiſſet ſplendoribus, dandum erat infantiæ aliquid, & pulchritudinis negligentia toleranda, cùm deſpectis Parentum conſiliis, præferres loca aprica faciei nocitura domorum penetralibus: modò grandior effecta, quod ſit habitura patrocinium inſcitia? Si tamen vel in tali ætate errare libido vana eſt, atque nemora & ſyluas habitare, nec vlla te vultus tangit gratia, per me licebit agreſtis euadas: linque gynæcei ſepta, egredere, abi poſt veſtigia gregum, paſce hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum. Cæterùm, quemadmodum Sponſa, de qua Epithalamium, vocari potuerit formoſiſſima inter mulieres, cùm Rure educata ſit, & ſubfuſcum genarum colorem nonnullæ ſugillauerint, expoſuimus in Antecedentibus Veſtigatione 6. num. 14. in Tranſlationum varietate nihil multâ conſideratione dignum: éſtque à Recentioribus ſatis excuſſum quicquid litem facturum ſit.

Columell. *Paſtori ſemper vigilandum.*

Explanatio



# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum. *Cap.1. verſ. 7.*

*Nouella Eccleſia ſalubriter admonita: Euangelij quando reſeratum oſtium Gentilitati? Conciliorum, & Patrum vindicata authoritas: eam cur ſectarij repudient? Præpoſitorum vigilantia contra Hæreſes Antidotum.*

### Sectio Vnica.

8. *Poſtquam Sponſa Eccleſia morarum Sponſi impatiens, eius reſurrectionem, & Spiritus S. illapſum anxia, & querula accelerari petijt, ab Angelis increpantibus hic monetur.*

OSTENDIMVS, Literæ cùm inſiſteremus interpretamento, Sponſam humanam, cùm Dilecti ſui vrgeret reditum, Amore vehementiùs incitatam, auſam ſuggerere, ſi diutiùs cunctari pergeret, videret, ne de alio quærendo Marito Virginis pulſaret animum cogitatio: quam eius non ſatis conſtantem, & validam in abſente expectando viro patientiam Proximæ, & affines cùm ægriùs tuliſſent, pectoris celare dolorem nolentes, contra eam inuectæ ſunt. Talis & introducitur Eccleſia, quemadmodum in ſuperioris verſus Commentario propoſuimus, quæ Dominicæ Reſurrectionis pulcherrimam ouationem anxiùs poſtularet, & anhelaret impetuoſa in diem Connubialem, quem dilapſus è cœlis Paraclitus poſt Anaſtaſim Chriſti maiori publicaret ſtrepitu: Satíſque laudatum hoc ſanè votum: quid enim in Sponſa, quod magis commendari valeat, quàm ſi præ deſiderio abſentis viri, tabeſcat, & conſumatur? minuêre tamen huius encomij gloriam fluctuantis animi emergentes Notæ quædam, dum poſt inuocatam Sponſi præſentiam: *Indica mihi, quem diligit Anima mea, vbi paſcas, vbi cubes?* Subnectit addubitans: *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum:* Hoc eſt, niſi Tu à mortuis reſurgere properes, niſi diem Connubialem miſſo ab Empyreis ſedibus diuino flamine, accelerare; quid puſillo huic initio eius, quam condendam promiſeris, nouæ Eccleſiæ continget, niſi vt Maiorum Religioni inſiſtat, & abeat poſt greges ſodalium tuorum, hoc eſt à Moyſe datam legem, ab aliiſque obſeruatam proceribus Synagogæ, qui de Commilitonibus tuis, nam te venturum fide coluerunt, ſedulò colat? Perpende adhuc imperfectos eſſe qui de cœtu veſtro ſunt: nuper, quando comprehenderêris, terga verterunt, & ipſum Collegij magnum caput ad Puellæ voces, extimuit, & abnegauit: Quid igitur, ſi nunc ſuſpicio occupet contemnere Te, ad quos remeare differas? annon alium quæſituri Magiſtrum è ſociorum tuorum claſſibus? Ne igitur aliud Præceptorem exquirant, ne incipiant *vagari poſt greges ſodalium tuorum*, exurge de tumba, & viſita nos in ſalutari tuo: Hæc cùm ſubaudirent Angeli, nec ſatis adhuc capere nouellam Sponſam intuerentur, qualis, quantúſque eius eſſet Sponſus qui ſi in'Annorum millenaria reditum diſtuliſſet, expectandus fuiſſet etiam contra minas omnes, contra blandimenta ipſa, ob infinitam Maieſtatis & potentiæ gloriam, ob pulchritudinis inenarrandas dotes; accuſant ruditatem iunioris Nuptæ.

9. *Eccleſia pulcherrima inter mulieres, ſ. pulcrior Synagogâ, & Lege Naturæ.*

Vocant autem hanc exorientem Eccleſiam Orthodoxorum, *pulcherrimam inter mulieres*, intelligentes de Eccleſia ante legem ſub Naturæ Regulis, déque ea, quæ per Moyſem ſcripta recepit decreta, quæ Mater Synagoga fuit, in quibus etſi decor reſplenduit egregius: nam in vtroque ſtatu viri præfulsêre mirabiles, quales Noë, Abraham, Iobus, Moyſes, Dauid, Helias cum plurimis aliis, neque abfuêre portenta multa, quibus nobilitata eſt Hebræorum Religio: cæterùm obſcura tantæ formæ gloria, ad nouiſſimæ Sponſæ incomparandam Excellentiam, qua de Materia in retrò diſputatis Veſtigatione 3. numero 38. Sed quoniam vt tam formoſa prodiret, eius causâ mortuus eſt Chriſtus, debuit ſanè æquiori ferre animo, illius (vt tamen fuiſſent aliquæ,) in cunctando moras, nec ſubinnuere, timendum ex dilatione, ne inciperet vagari poſt greges ſodalium: Quoniam igitur ita ſe ignorat, nec in quibus olim iacuerit ipſa ſordibus, ad quantum vocetur pompæ faſtigium ſatis conſiderat, egrediatur, & abeat quidem in veſtigia gregum, paſcat hœdos ſuos iuxta Tabernacula Paſtorum, id eſt, vitam eam obſeruet, quam hactenus Synagoga coluit; vt ferè cum vulgo Proceres commixti ſint, cùm ad Matrimonia non minùs ſacrarum rerum Antiſtites inhiarent, quàm plebis ſecularis multitudo: Nam vt bene Toſtatus quæſtione 4. in cap. Numerorum 30. *In veteri enim Teſtamento, quantumcumque aliquis applicaretur Deo, non impediebatur ab actu Matrimonij: Omnes enim tam Sacerdotes, quàm Leuitæ, & Sacerdos Magnus, etiam ſanctiſſimi Prophetæ vxores habebant: in nouo Teſtamento non ſic:* Hoc eſt itaque ſequi Veſtigia gregum, vt eadem liberorum & familiæ curâ, Templi implicentur Miniſtri quibus communes homines, atque id eſt, hœdos, quibus ſignificantur à coitu non abhorrentes, paſcere, iuxta Tabernacula Paſtorum, in ſimilitudinem nimirum eius, quam amplexantur normæ Synagogæ Pontifices, qui & admittebant nuptias, & liberis procreandis vacabant. Hoc illa promereatur, ſi ignoret Beneficij granditatem

*Quæ ſint hic* veſtigia gregum?

Toſtat.

*Quinã* Hœdi.



illúmque

illúmque derelinquere Sponſum, quanquàm non ex Mentis affectu, ſed verborum tantùm ſono indicet, qui nouam creaturus Hierarchiam Cælibatus amantium, & vxorem interdicturus ſit ſacrato clero, vt non ampliùs cum Hœdis Paſtores, neque populi Veſtigiis adhæreſcat Sacerdos, & pars Domini germen Eccleſiaſticum: Atque hoc pacto, quemadmodum increpari aliquo modo Eccleſia potuerit, apparet, quæ eſt ſententia veterum, qui ſociabus mentibus Angelicæ naturæ, exceptis paucis, tribuere renuunt, Sponſum potiùs loqui opinantes: Vtrumque pronunciatum ſtabiliuimus, cùm Hiſtoriæ interpretaremur ſenſum, & Literæ magis accommodatam priorem docuimus: cum in ſcopum Origenes hom. 1. ex duabus: *Si non cognoueris te, quoniam Regis es Sponſa, & à me facta formoſa, id tibi erit in pœnam, quod nouiſſima ſies in Veſtigijs Paſtorum.* Bernardus ſermone 38. in Cantica: *Reuocatur ergo ad ſeipſam, & ignorantia conuincitur, & inſolentiâ caſtigatur: terribilitérque Sponſus intonat in Dilectam, non tanquàm Sponſus, ſed tanquàm Magiſter Humilitatis: & non quaſi iratus, ſed vt territa purgaretur, purgata idonea redderetur huic ipſi, cui inhiat viſioni.* Quam verò produximus Expoſitionem de vxorato ſub priſca lege Sacerdotio, innuiſſe viſus Auguſtinus dum aſſerit, aliter iuſſam greges paſcere, quàm imperatum ſit Apoſtolorum vertici Petro: *Si non cognoueris* (inquit ille ſermone 50. de verbis Domini,) *exi Tu in veſtigijs gregum, & paſce Hædos in Tabernaculis Paſtorum: exi in veſtigijs non gregis, ſed gregum: & paſce, non ſicut Petrus oues meas, ſed Hædos tuos in Tabernaculis, non Paſtoris, ſed Paſtorum.*

Origen.

Bernard.

Auguſtin.

10\.

*Optans Nouella Eccleſia pertinacibus neglectu Iudæis in Gentes transferre Euangelium, vel à Sponſo, vel ab Angelis hic corripitur.*

Aliter & Obiurgatio intelligi valeat: fortaſſe probabitur iſtud magis lectori: Contemplata nouella Eccleſia ſummam Iudæorum duritiam, incredibilis cum ingratitudinis amentiâ coniunctam, optabat, ſicut declarauimus in antecedentis verſus enucleatione, deſtitui Nationem pertinacis malitiæ, & effundi gratiam in exteras Prouincias ſeruientium quanquàm ementitis Numinibus: Nec enim dubitabat, ſi in Tyro atque Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ apud Iudæos, dolituros in cinere atque cilicio, & Dei amplexaturos miſericordiam: Hanc affectionem licet ex pio deſiderio ſanè corrigunt Amici Angeli, vel Sponſus ipſe: neque enim multùm intereſt, cui tribuantur verba; *Si ignoras te*, hoc eſt: itáne latet, oportêre primùm annunciari Euangelium Iſraël? poſt Hebræos vel ſanatos, vel ſi ob cordis ſuperbiam contempſerint, ad gentes proficiſcendum: Significarunt Paulus, & Barnabas inquientes, Actor. cap. 13. verſ. 46. *Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus: poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum Terræ:* Egredere itaque, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, paſce Hœdos tuos: quare ſignanter *tuorum*? Sic enim antiquiores codices plurimi habent ex Latinis: quare Hœdos ſuos ſpeciatim? Quia nimirùm prima illa fundamenta Eccleſiæ Catholicæ, ſacer Apoſtolorum Conuentus, de Iudæa erant: Mater illis Synagoga: Sui ergo erant Iſraëlitæ, ac proinde cùm ſuos erudire iubentur, Iſraëli prædicare mandatum eſt: Quod itaque hoc ignorare videatur, cùm didiciſſe à verbis & exemplis Chriſti potuerit, reprehenditur aliquantùm: Difficilis tamen hæc interpretatio illis videbitur, qui cenſeant, Seruatorem ſtatim atque à mortuis reſurrexit apparentem Diſcipulis, præcepto intimaſſe, vt docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Matth. cap. 28. verſ. 19. & Marci vltimo verſ. 15. Eius ſententiæ manifeſti Authores Cardinalis Bellarminus tom. 1. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 16. §. *Ad ea verò*, & Ludouicus de Torres 2. 2. diſputatione 13. dub. 3. qui eiuſdem fuiſſe cogitationis Patrem Gabrielem Vaſquez memorat: ídque admiſſuri fuerint, qui putant à Redemptoris Anaſtaſi Gentilibus patuiſſe Euangelij notitiam cùm Baptiſmi gratia: atque adeò conuerſam Ethnicorum multitudinem Simone Petro verba faciente, Actor. cap. 2. & 4. cui adſtipulantur Pronunciato de noſtris Cornelius, & Tirinus ad verſ. 48. & c. 10. Actuum Apoſtolicorum: fauet ibidem Annotationibus in ſcripturam Guillelmus Eſthius: Adrichomius in Chronico, in vitæ Chriſti anno 34. docent planiùs Gaſpar Sanctius Tractatu 1. de Prædicatione S. Iacobi in Hiſpania ad finem Commentarij in Acta cap. 1. numero 3. Franciſcus Viuarius elucidationibus in Flauium Dextrum ad annum Chriſti 36. Si igitur Chriſtus reſurgens præcepto obſtrinxerat, deferendum in Nationes Euangelij ſonum, cur reprehendat quouis more Sponſam hoc ipſum auidiùs exoptantem? Quibus opinio fuerit, conceſſam Apoſtolis ob nominatum Chriſti præceptum, proficiſcendi in quaſcumque Terrarum oras, copiam, & Euangelium teſtandi, per me licebit, vt ab hac facilè recedant Interpretatione: Sed poſteriùs ad illud præceptum, vti commodè à Bellarmino obſeruatum, loco paulò antea notato, à Chriſto alterum acceptum mandatum, cùm iam penè diſcederet ad Patrem in ſuperna, vt Iudeæ, imò & Samariæ priùs inſiſterent: *Accipietis virtutem Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad vltimum Terræ:* Actor. cap. 1. verſ. 8. permittebatur itaque & venientibus ad fidem Ethnicis intra harum Prouinciarum ambitum, Baptiſmum impertiri, ſed extrà progredi derelictis Syriæ & Palæſtinæ finibus vetitum fuerat, quoad monitum accepit Petrus, tempus inſtare & primum admiſit de Paganiſmo Cornelium Centurionem ſollenni, & publico ritu, Actorum cap. 10. Neque ab hoc pronunciato alienior mens nuncupatis ſcriptoribus: dicunt námque licuiſſe priuatim Ethnicis Baptiſmum ſubminiſtrare quouis Tempore; ſed non reſeratas patenter ianuas niſi poſt luſtrales Cornelij aquas; nec ab his credo diſſentientia, quæ Baronius habeat tom. 1. anno Chriſti 35. numero 27. rursúmque anno 42. numero 2. Salmeron tom. 4. Secunda Parte, tract. 16. Quo autem Cornelius anno conuerſus ſit, modò vt ſciamus, nihil ſtimulat, tantùm verum fuerit oportuiſſe Iudæis primùm annunciari Euangelium, vt ſuprà Paulus & Barnabas docebant, neque in certam annorum Periodum indultum, extra Iudæam & Samariam ferri: nam hoc ſtabilito, procedit Explanatio quæ cohibebat, ne priùs ad gentes proficiſcerentur Apoſtoli, quàm Iudæam illuminaſſent. Quanquam fortaſſe videbitur aliis, quibus & nos affecti, illo Seruatoris imperio non prælatam Iudæam & Samariam Gentilitati, quibuſcum immorari neceſſum eſſet ante profectionem ad nationes, ſed denotari in poſterum æquè liberum eſſe prædicare ſeu Hebræis, ſiue Samaritanis, ſeu Ethnicis,

Act. 13. 46.

*Fundamenta Eccleſiæ ex Iudæa.*

Matth 28.
Marc. 16.

Bellarmin.

Torres.
Vaſquez.

*An Chriſtus præceperit primùm prædicari Euangelium gentibus omiſſa Iudæa?*

Cornel.
Tirin.
Eſthius.
Adrichom.

Sanchez.
Vicarius.

Actor. 1. 8.

Baron.
Salmeron.



Ethnicis, & propterea additum; *Et vſque ad vltimum Terræ.*

11\.

*Dum ſibi timet Chriſtiana nouella Eccleſia à Naturali & Legalis, quæ præceſſerunt exemplo, à Sponſo eruditur.*

Quoniam verò in præcedentis verſus elucubratione, ex multorum iudicio Patrum referebamus, conterritam nouam Sponſam vtriuſque antecedentis Eccleſiæ aduerſiſſimis caſibus; eius ſcilicet, quæ ſub Naturæ regimine, paritérque illius, quam ſcripta decorauerat lex, quòd nimirùm primam Idololatria fœdiſſimè deturpauerit: Secundæ etiam non raró vulnera inflixerit magna, quam & inſuper Hæreſes cruentarint, nam & fuêre, qui circa credenda pertinaciter errarent; dicebant iidem ita tremefactam iuniorem Nuptam, interrogare, quibus præcauêre munitionibus poſſet, ne à ſimilibus Hoſtibus miſerandam pateretur cladem, ab Hæreſi præſertim, nam abolendam Gentilitatem ex Vaticiniis nouerat: Huic autem Diſquiſitioni modò ſatisfactum: ergo reſponſant inquientes: Si ignoras, quemadmodum pullulaturæ Hæreſes in ſequentes ætates præcauendæ ſint, *egredere* per conſiderationem nempè, *& abi poſt Veſtigia gregum*: rectè multiplicatur numerus, neque enim opibus clariſſimo Sponſo grex vnus: Non vides repleri campos Eccleſiæ mirabili varietate? atque hîc ſub purpuræ indumento claſſes fortiſſimorum Martyrum: ibi candido in amictu Virgineæ turmæ: alius veſtit color Monachorum legiones: habent & ſuum decorem qui in ſæculo beatè vixerunt: iam verò, qualia Patriarcharum, qualia Pontificum ornamenta, & penè inacceſſus Apoſtolici Collegij ſplendor? in ſemitas intuêre quas hi calcarunt, & agnoſces continuò in Hæreſi adulterinum, ſpuriúmque fœtum: illi Sacramenta omnia impensè venerari, imagines colere, Romanæ ſedi deferre, continentiam amare, vigilias, ieiunia; Eccleſiaſticas tueri cærimonias, nationes ad pacem, ad Temperantiam, ad omne virtutis ſtudium hortari: Hi ab Apoſtaſia Religionem ordiri: nam Deo iuratam fidem vel per Cœnobitica vota, vel per Sacerdotales nexus ex Anteſignanis plerique fregêre, vt omittam de Antiquitate, velut ex Troiano equo pullularunt ſub quinto Euangelio denſiſſima Agmina, Martinus ipſe Primipilus, Zuinglius, Pellicanus, Buccerus, Franciſcus Lamberti, Petrus Martyr, OEcolampadius, Bernardinus Ochinus: ex transfugis fundamenta, quam niſi contaminatiſſimam parerent ſectam? atque ita demoliri ſtatim altaria cœperunt, ſacræ inſtrumentum ſupellectilis in profanos transferre vſus, in Romanum debacchari Pontificem, Pſalmodiam horrere, ieiunia, corporis macerationes, pro quibus introduxerunt enormes libidines, furta, ſacrilegia, homicidia, diſſenſiones. Legantur Caniſius lib. 1. de corruptelis Verbi cap. 5. & lib. 3. de Deipara cap. 11. Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 8. ſigno 32. cap. 6. & lib. 12. ſigno 51. Cùm igitur viderit toto diſtare cœlo à venerandis priſcorum moribus; agnoſcet facilè degenerem, & ſceleratam eſſe prolem, in qua ne exigua aliqua ſcintilla auorum gloriæ reluceat.

*Pulchri Sponſæ greges.*

Caniſius.
Bozius.

12\.

*Conciliorum Auctoritas.*

Pergit ampliùs monere: *Paſce Hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum.* Paſtorum vocabulo deſignat luminaria Eccleſiæ, viros ſanctitudine eximios, doctrinâ præclariſſimos; atque Hi modò in Spiritu ſancto congregati, in Conciliis aut OEcumenicis aut particularibus cum Romani Pontificis approbatione, quæ eſſent reiectanda à fidelibus, quæ amplexanda, docuerunt: modò priuatis elucubrationibus nocturno, diurnóque ſtudio conſcriptis in gratiam poſteritatis eruditiſſimis voluminimus teſtati ſunt: Hos igitur conſulere iubet, ſi quando exoriuntur de ſcripturarum germana intelligentia Controuerſiæ: quem negligentes canonem homines ſuperbiâ inflati, in errores traduxerunt ſapientiæ præſidiis deſtitutum vulgus; inde Hæreſum initia, inde & progreſſus vt graui conſiderat oratione Ioannes Picus Mirandulæ Comes, Apologia de Deſcenſu Chriſti ad inferos, & cum eo noſter Caniſius libro 2. de Maria cap. 11. neque verò ſatis fuit, neglexiſſe ipſos Conciliorum & Patrum authoritatem, ſed ne impeti & iugulari praua eorum dogmata poſſint, ſi quod eis conceſſiſſent pondus, arreptitio & fanatico ducti Spiritu, non flocci quidem habenda illorum effata ſtatuerunt: animaduertêre, & reprehenderunt Franciſcus Horantius lib. 5. locorum Catholicorum cap. 1. Salmeron tom. 8. in Euangelia tract. 2. Caniſius lib. 4. de B. Virgine cap. 29. ſub finem, Bozius libro 12. ſigno 56. cap. 13. & quanquàm in eadem damnatione Caluinus, ſuppuduit tamen aliquando, & indicauit ſcribens in Ieremiam; ad caput ſeptimum, inquit: *In omnibus Hæreticis repperi, vt addicti ſint ſuis Commentis, ac ſibi promittant libertatem, imò effrenem licentiam reijciendi quicquid viſum eſt: Tam pertinaciter defixi ſunt in ſuis erroribus, quia & ſuas nugas Deo præferunt.* Orthodoxi igitur, vt ſapiant, & ab his declinent ſcopulis, *Hœdos ſuos*, nempe petulantes cerebri ſenſus, & ſingulares de diuinis cogitationes, iuxta Tabernacula Paſtorum ſubſiſtere cogant, hoc eſt, Conciliorum, & patrum grauiſſimâ compeſcant authoritate, atque cenſurâ. Sed quid de hac admonitione ſenſerint, aliquid in medium proferamus. Tertullianus libro 1. contra Marcionem capite 13. *Omninò Res Chriſtiana ſancta antiquitate ſtat: nec ruinoſa rectiùs reparabitur, quàm ſi ad originem cenſeatur.* Ambroſius libro 3. de fide ad Gratianum: *Seruemus igitur præcepta Maiorum, nec hæreditaria ſignacula auſi rudi temeritate violemus: librum Sacerdotalem quis noſtrum reſignare audeat ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam Martyrio conſecratum?* Vincentius Lyrinenſis in Commonitorio: *Deuita profanas vocum nouitates, id eſt, ſententiarum, dogmatum, Rerúmque, quæ ſunt vetuſtati contraria: nec priùs Hæreſim inſtituit, niſi qui ſe priùs ab Eccleſia Catholica, & antiquitatis conſenſione diſcreuerit: Hoc ergo apud omnes Hæreſes legitimum fuit, atque ſolenne, vt profanis vocum nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant: contrà verò Catholicorum hoc proprium, Patrum commiſſa ſeruare, damnaréque profanas nouitates.* Quibus nihil mage luculentum in noſtræ diſputationis confirmationem: & quemadmodum Concilia ipſa ex Patrum effatis ſtabilire decernenda ſolita noſter oſtendit Gillius libro 1. tract. 7. de locis Theologicis capite 13. numero 11. quippè ex Ieremia audierant: *Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea*, cap. 6. verſ. 16. De obſeruantia in antiquos Doctores, multa Aloyſius Nouarinus ſacrorum Electorum libro 1. cap. 14. numero 895. finiamus Gregorij Romani aureo de quatuor inſignibus Conciliis pronun

Picus Mirād.

Caniſius.

*Fanaticus Hæreticorum Spiritus.*

Horant.
Salmeron.

Bozius.

*Caluinus in ſeipſum cæcus inuehitur.*

*Sancta Eccleſiæ Antiquitas.*

Tertull.

Ambroſ.

Vinc. Lyran.

Gillius.

Ierem 6. 16.

Nouarin.

Gregor. *Quatuor OEcumenica Concilia celeberrima.*

pronunciato libro 1. epiſtola 241. ad Ioannem Conſtantinopolitanum : *Præterea, quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut Sancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor:* (quæ deinceps enumerat, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe,) *totâ deuotione complector, integerrimâ approbatione cuſtodio; quia in his velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit : & cuiuſlibet vitæ, atque actionis exiſtat, quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium iacet.*

13\. *Ad arcendas hæreſes multùm conducit Prælatorum vigilantia.*

Quoniam autem in Literæ Declaratione obſeruauimus, quòd Veſtigia gregum ſequi præcipiatur, & Hœdos iuxta Tabernacula paſcere, optimi Paſtoris exprimi formam, cuius ſit diligentiæ in omnem partem attendere, ne quid ſuperueniat Pecori nociturum, ſub figura etiam indicatur, conducere plus quàm dici valeat aduersùm Hæreſes, vt Præpoſiti Animarum, penès quos vel Eccleſiarum, vel Cænobiorum Regimen eſt, muneri impoſito ſatisfaciant : Quamobrem Alphonſus de Caſtro de Hæreſibus laudato opere, cum libro 1. capite 13. extrinſecas inueſtigaret cauſas enaſcentium Hæreſum, primam definiuit ſacrorum potiſſimùm oſcitantiam Antiſtitum : *Prima* (ait) *cauſa, negligentia Prælatorum, qui adeò ſunt ſocordes, & ignaui, vt gregi ſibi commiſſo nequaquam intendant, ſed alijs rebus, quæ ab eorum officio longiſſimè abſunt :* atque idipſum conteſtantur Sanderus de Anglicano ſchiſmate libro 2. quem iuuat ſanè legiſſe : Florimundus Remundus de Origine Hæreſum noſtri temporis tom. 1. lib. 1. cap. 1. numero 2. & noſter deplorat Caniſius libro 1. de corruptelis verbi Dei, cap. 5. Quod in Euangelio ſub Parabola velatum : Nam quod Matthæi cap. 13. verſ. 25. veniſſe aſſeritur inimicus Homo & ſuperſeminaſſe Zizania in medio Tritici, de Hæreſibus adulterinum & infelix Zizaniorum germen Auguſtinus interpretatus eſt ex quæſtionibus in Matthæum, quæſtione 11. & libro 2. Retractationum, cap. 28. Chryſoſtomus homilia 48. in Matthæum, Hieronymus in eundem, Euthymius, Anſelmus, Petrus Rauennas ſermone 96. Paſchaſius Abbas libro 7. in Matthæum : Quod verò Hoſtis tum ſuperſeminaſſe referatur, cùm Homines dormirent, Præpoſitorum ſomnum atque iniuriam denotari inquit Maldonatus ex omnium ſententia veterum Interpretum : Chryſoſtomus Matthæum exponens homilia 47. *Non paruum periculum prærupti præcipitij* (ait) *Præſulibus hinc imminêre videtur, quibus ægrotorum cuſtodia commiſſa eſt :* & Anſelmus, *cùm autem dormirent,* &c. *cùm ſcilicet negligenter agerent Præpoſiti Eccleſiæ;* Ego verò licet Clerum, & Cœnobiales Homines cùm mali eſſe cœperunt non renuam incredibili eſſe ſcandalo imperito ſæcularium vulgo, qui ob paucorum exceſſum traducunt vniuerſos, laïcum tamen Magiſtratum emblemate contegi, & contra hunc imprimis fabricatam Parabolam cenſuerim : Nam, ſi Eccleſiaſticos percurrere Annales iuuat ab initio ad noſtra vſque Tempora, & Hæreſum incrementa perpendere; reperiet ſemper æquus lector ſæcularis potentiæ ſubſidio fulcitam Hæreſim : cùm enim intra Eccleſiæ ſinum perpetuò Antiſtites multi floruerint ſanctimoniæ ornamentis illuſtres, & Theologicis diſciplinis adamuſſim inſtructi, quo pollebant zelo, ſimul atque notitiâ peracri Orthodoxæ fidei, deprehenſos facilè errorum Magiſtros, aut diſputationibus conuictos ſanitati reſtituerent : vel ſi contra apertam veritatem pugnare contenderent, ab Humani generis cœtu tollerent, ne incurabile Membrum corpori toti exitio fuiſſet : Hoc autem molientes ſæcularia præpediebant arma : Videant tamen nonnulli ex iis, qui in Eccleſiis authoritate conſpicui, ne quod ita inſoleſcant, qui gladium portant, & quorum eſt regimen temporale, ipſis apud Deum Iudicem, probro vertatur : Dum enim pace fruebatur ſanctiſſima Religio, neglexerunt aliqui aut Principum in virtutum ſtadio pios fouêre conatus, aut nimiam in delinquendo licentiam cohibêre Apoſtolicâ dicendi conſtantiâ : Sed quid illi fortiter reprehendiſſent, qui inter Paraſitos Anteſignani cenſebantur, quorum linguam honorum obſtrinxerat ambitus ? Quare vitiis ſubmerſi Principes, cùm audirent nouam emergere ſectam, & hanc Olympo miſſam, ſi Deo placet, quæ ſcelera & tyrannidem Optimatum approbaret; pertinaciter tuendam ſuſceperunt, & ferro dimicare auſi, qualem barbari nunquam, Regnis ampliſſimis attulerunt cladem.

Alphonſ. de Caſtro. Sander. Flor. Remõd. Caniſ. Matth. 13. Auguſtin. Chryſoſt. Hieronym. Euthym. Anſelm. Chryſolog. Paſchaſ. Maldonat. Chryſoſt. Anſelm.

*Secularis Potentiæ ſubſidium ſemper fulſit Hæreſes.*

Explanatio



# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Diſciplina.

*Textus :* Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta Tabernacula Paſtorum. *Cap.1. verſ.7.*

*Sui ignorantiâ laboraſſe, quàm noceat Hominibus.*

## Sectio I.

14\. *In ſui cognitionem reducitur hîc Sponſa.*

Bernard.

ADMONERI hoc loco ſalubriter Sponſam, vt ſeipſam cognoſcat Patrum ordinaria Interpretatio eſt: Bernardus ſermone 34. in Cantica : *Modò Sponſa, quoniam rem grandem poſtulare videtur, reprimitur ſanè auſteriori reſponſione, ſed planè vtili, & fideli : oportet namque humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora, ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe, niſi in ſe firmiter per veram humilitatem fuerit ſolidatus.* Et ſermone 38. de eadem Sponſa : *Sed reprimenda videtur propter præſumptionem, & de ſui ipſius commonenda cognitione, in qua nimirum viſa eſt aliquatenus caligare.* Antequam lux conderetur ſub mundani opificij infantia, cœlum erat, & Terra, & aqua, nec tamen approbauit diuinus intuitus, quemadmodum ſtatim atque lux prodiit, fecerat : *dixitque Deus : fiat lux, & facta eſt lux, & vidit Deus lucem, quod eſſet bona,* Geneſ. cap. 1. verſ. 4. Annon illa quoque bona erant, de quibus elementis componitur orbis? Ita quidem : nam & vniuerſa, quæ fabricarat Numen talia erant, quippè eodem capite, verſ. 31. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona :* quid igitur diſplicuit, vt non & bona tunc proclamaret ? nimirum tenebræ erant ſuper faciem abyſſi : denſâ contegebantur nocte omnia : Quoniam itaque dominabatur caligo, abſtinuit ab encomiis Procreator. Anaſtaſius Sinaïta lib. 1. Anagogicarum conſiderationum in Hexameron : *Si omnia, quæ fecit Deus ſunt valde bona, quomodo non dicit Scriptura illas tenebras, quæ erant ante lucem eſſe bonas ? Sed neque Aquas illas bonas, neque abyſſum, quæ obſcurabatur, bonam dicit : dicens ergo ſcriptor ; Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona, oſtendit omnia illa, quæ venerunt ante lucem, & terram obſcurarunt, non eſſe bona.* At non credo diſplicuiſſe materiales illas, atq; palpandas vmbras niſi in figura potiſſimùm : denotabant ſcilicet Animum ſui ignorantiæ velaminibus obtectum : ergo, vt in tali mente & cœlum ſit, pariter & aquæ, & tellus grandia mundi ornamenta, quibus ſignificentur ſpecioſa Animæ dona : quamdiu tamen Spiritus ſui ignorantiæ horrendâ opacitate defuſcatur ; nihil de tantarum gratiarum multitudine diuinis placitum luminibus, nihil quod ſuâ approbatione conuenuſtet Cordium, & Rerum inſpector Deus.

Geneſ. 1. 4. *In Mundi opificio, nec cœlum dicitur bonum, antequam lux crearetur : ſtatim verò vt lux creata eſt, omnia dicuntur bona.*

Anaſtaſ. Sinaïta.

Admiſſis ad Conuiuium nuptiale plurimis, intrauit, & diſcubuit ex pannoſis vnus, excanduit Paterfamilias, alloquutúſque Miniſtros, ait : *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Matth. cap. 22. verſ. 13. fortaſſe, vt ad humanum Parabolæ attendamus ſenſum, erant quæ infelicis culpam extenuare valeant : Nam ſi imperatum famulis, vt in viarum biuia profecti, quoſcumque inueniſſent, ad epulas compellerent, ex ampliſſima licentia annon & Mendicis tacitè conceſſum, vt introgrederentur ? Verùm crimínoſus fuerit ille, ſed genialis lætitiæ Pax & alacritas veniam conciliatura erat iure quodam ſuo, non enim nuptialem decet pompam ſeueritas : Eſto quidem hæc patrocinari argumenta Hiſtoricæ poſſint ſignificationi, iuxta Parabolæ tamen interiorem ſcopum non leui dignus reprehenſione ſordidatus iſte Conuiua : fuit enim magnæ præſumptionis, idoneum ſe putare, qui recumbere deberet cum indutis nuptialem amictum. Erat hic, niſi decipiar, ex infatuata multitudine, de qua Ioannis Apocal. cap. 3. verſ. 17. *quia dicis, quod diues, & locupletatus, & nullius egeo : & neſcis, quia Tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus :* Vide expreſſam ideam illius, qui ſeipſum neſcit, niſi enim condenſis tenebris obſcuratum fuiſſet cor inſipiens, quamobrem auſus fuiſſet ſub attrita lacerna ad Menſam cum illis ſedêre, qui purpurâ & byſſo ſplendebant? Nonne ideo, quoniam diuitem ſe arbitrabatur, cùm Iro pauperior eſſet ? Heu, quàm lata peſtis! Ad Magiſtratum natos falsâ hallucinatione ſe autumant, in quibus nihil vel conſilij, vel prudentiæ eſt : Lauream ambiunt indocti, caſtris præeſſe timidi non verentur, denique & ipſa ſanctitas diſpendium à cæca patitur ignorantia : nec eſt qui perſuadere valeat aut indoctos aut inſtrenuos eſſe vel ad Rempublicam adminiſtrandam ineptos : imò, cùm tales ſint, adhuc tumultibus omnia peſſundant, cùm gradus honorum denegantur : De horum igitur numero, quoniam temerarius erat Hoſpes, cui inter plebeios cùm vix concedendus eſſet locus, in graui corona ſedere præſumpſit, ideò Epularum ſubminiſtrator præter morem nuptialis clementiæ, nocti & vinculis tradidit : qua de re diſſertantem Maximum Taurinenſem audire placeat Homilia in vigilia Natalis Domini : *Et cùm alius niteret, alius luceret fide, alius caſtitate fulgeret, ille ſolus conſcientiæ fœditate pollutus, cunctis ſplendentibus deformi horrore ſordebat : & quantùm plus ſimul diſcumbentium Beatorum candebat ſanctitas, tantò magis peccatorum illius apparebat improbitas, qui potuerat minùs diſplicuiſſe forſitan ſi in conſortio iuſtorum minimè ſediſſet : Propterea ergo*

15\. Matth. 22. 13.

*Temerarius ille miſer, qui ſine veſte nuptiali, inter tot purpurâ & byſſo ſplẽdidos, in Conuiuio Euangelico diſcubuit, indéque in tenebras exteriores amandatus, fatui ſeipſum neſcientis ſpecimen eſto.* Apoc. 3. 17.

Maxim. Taurin.

ſubligatis

*ſubligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non ſolùm quòd peccator erat, ſed quia cùm peccator eſſet, ſanitatis ſibi meritum vindicabat:* Hæc vltima verba Maximi propriæ cognitionis ignorantiam manifeſtant in Conuiua: nam ex maximis oriebatur tenebris, vt cùm *peccator eſſet, ſanitatis ſibi meritum vindicaret.*

16. Diſceſſuro ex mortalitate Iacob, filios Manaſſen, atque Ephraim Ioſeph attulit, quibus benediceret, ſed quoniam maior natiuitate erat Manaſſes, voluit digniorem obtinere locum, ac proinde ſtatuit à dextris Iacob, iuniorem prolem à ſiniſtris: quid autem venerandus ſenex? eluſit quidem filij cogitatus: nam cancellatis manibus, commutatiſque vicibus, *manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat,* Geneſ. cap.48. verſ. 14. Quæ ratio inuertendi ordinem Benedictionis? Nonne Primogenitis excellentiora debentur? Quid peccauit Manaſſes, vt in læuam tranſiret? Intellige quid veteres Manaſſis vocabulo ſignificari dicant? Manaſſes aut *obliuio*, aut *obliuiſcens* interpretatur: Quinam verò ſunt, qui de Lethæo flumine bibunt, obliuiſcuntur ſui? certè, Humanæ conditionis vilem neſciunt originem, & ambulant in mirabilibus, cùm ſint puluis & vanitas, qui accepta à Creatore dona in ſuperbiæ vſus conuertunt, qui cùm ſint illiterati, doctos ſe arbitrantur; cùm ne ſe regere valeant, aliis præeſſe deſiderent, denique, qui nihil ſunt, & totum eſſe deſiderant: ſed deceperint licet iſti innocuum Ioſeph, & à dextris ſtare tentarint: prudens non fallitur Iacob: abeant, abeant obliuioſi, & conditionis inſcij ignobilis, & plurimarum, quibus circumfluunt miſeriarum, cum Hœdis ſanè ad partem læuam, exinde in flammas & damnationem: quod vt in figura indicaret Patriarcha præter ſpem Ioſephi, brachia tranſuertit, & Manaſſen obliuionis filium ſiniſtrâ cooperuit manu, ad læuam Malorum lales pertinêre demonſtrans.

Geneſ. 48 14. *Læuam cum Hœdis & reprobis occupat Manaſſes .i. ſui obliuioſus.*

17. Verùm, ſi culpa eſt ignoraſſe, cur à nobis quaſi abſcondi opera Chriſtus ſuadeat, Matth. cap.6. verſ.3. *Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito:* Equidem operum alia ſunt, quæ ob excellentiam & ſplendorem, gloriam conciliant, ex quibus ſuperbiæ tacitus quidam pruritus naſci conſueuit, ex ſuperbia prodière faſtidia & contemptus de præclaris aliorum facinoribus, quod noſtra Acta infinito ſuperare interuallo cæterorum laudes mortalium vanis opinemur apprehenſionibus: alia verò ſunt opera, de quibus ſanè erubeſcimus, vel ob ignobilitatem, quod ſuâ quadam naturâ propudenda ſint; vel propter næuos, quorum cauſa nos ipſi fuimus: vult igitur Numen, ne quando faſtu turgeamus, auertere nos interioris hominis aciem à ſpecioſis, de quibus ignorantiam haberi leniter, & iucundè fert: tantùm non ignoremus, quod ex luto nos formauerit, cum vagitu orbem ingreſſi ſimus, aura ſit & fragilitas vita noſtra: iam verò ſuperaddita, quæ arenas Maris vincunt delicta: Hæc conſiderare iubet, ne ſi obliuio calamitatum ſubrepat, cùm vnde humiliemur, nihil occurrat, incautâ virtutum exiſtimatione decipiamur: Cerne ex Montis faſtigio deſcendentem legiſlatorem? En qualis veniat, quàm fulgurans! ſplendebat illuſtriori iubare vultus: ſed quibuſnam manifeſti radij? circumſpectantibus populis, cùm interim laterent glorioſum ipſum: *Cúmque deſcenderet Moyſes, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini*, Exod.34. verſ.29. Quamobrem non cum reliquis ſimul qui micabat, particeps? Atqui iuſſus olim idemmet de ſinu leproſam manum extrahere, neque intueri prohibitus eſt: lepræ igitur, & non radiorum inſpector? ſic quidem, nam à luce & fulgoribus ſuperbire poterat, à lepra autem non niſi confundi, & animo deprimi: videat igitur & cognoſcat, quæ ad ruborem & confuſionem, exinde ad Humilitatem conducere valeant: ea verò, quæ faſtum & ambitionem quouis modo procreare valeant, abſcondantur: Lippomanus in dictum Exodi caput: *Ignorabat autem Moyſes propriam gloriam: ſancti enim non agnoſcunt excellentiam ſuam, ſed humiles ſunt in conſcientijs ſuis, nec facilè credunt de ſe magnifica.*

Matth.6.3.

*Ignoret Homo ea à quibus ſuperbit, ſciat verò, quæ Humilitatem conciliant: vt Moyſes, qui vultus ſui radios neſciebat, cæteris videntibus, manum verò leproſam oculis obijciebat.*

Exod 34.29.

Lippoman.

18. Plaſmaturus Hominem Deus: *faciamus* (inquit Gen.c.1.v.26.) *Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram:* At quomodo ſimilis Deo Homo? nam Deus conſtans, perpetuus, incommutabilis, in quo nec viciſſitudinis obumbratio eſt: Homine verò nihil leuius, qui in horas, in momenta ſingula alteratur: percipiamus admirantem Zenonem Veronenſem ſerm. 2. de Geneſi: *Homo, quemadmodum Dei imaginem portat, cuius vultus paſſibilis, omni conuerſioni ſubiectus, momentis omnibus demutatur?* pergit diſquirere infulatus Martyr, tandémque reſoluit: *Ergóne Dei imaginem nos habemus? habemus planè; & quidẽ manifeſtam ex eo ipſo quod non eſt nobis portantibus nota: incomprehenſibilis enim Dei imago, inuiſibilis ſit, neceſſe eſt:* Nõ vacant ænigmate hæc verba: Primùm, quonam pacto aſſerit Dei in nobis ſculptam effigiem noſtris ſubtrahi cogitationibus, ne percipiamus? quippè, ex eo Numini aſſimilamur, quod intellectu, voluntate, & memoriâ præditi ſimus, ſed has in nobis reperiri potentias vix eſt, qui ignoret: non itaque Dei latet geſtantes ſimilitudo: Deinde, Eſto, ratio ſimilitudinis cum Deo occultaretur, quonam modo ſequatur, propterea manifeſtam eſſe, ac non magis intimè velatam? fateor, ſi non de indita naturaliter Animæ rationali ſimilitudine Creatoris ſermo, verùm de participatione diuinæ eſſentiæ per gratiam iuſtificantem, & dona infuſarum virtutum, tale conſortium diuinarum perfectionum, non niſi per reuelationem Dei, certò, euidentérque cognoſci, quia nemo ſcit, vtrùm odio, an amore dignus: Anne igitur de hac ſimilitudine, quæ in gratia, & eximiis virtutum meritis fundatur Zeno putet, tum magis apparere, cùm plus latet? Sic reor, nullum enim diuinæ præſentiæ efficacius argumentum; quàm ſi tum maximè, cùm Perfectionem vehementi amplexatur quiſquam ſtudio, & ob ſanctimoniam ſtupori eſt propè vniuerſis, humiliter de ſemet iudicet, & arbitretur ne incepiſſe quidem adhuc bonum eſſe, ſuis conatibus nihil adſcribat præter humanam infirmitatem, quæ ſi non à gratia ſubleuaretur, in peius quotidie rueret: Hac itaque viâ, de ignorantia prodit non manifeſtatio, aut certitudo quidem, ſed qualis valeat comparari de inhabitante in cordibus Numine ſcientia, ex probabilibus orta fundamentis.

Geneſ. 1. 26

Zeno Veron.

*Dei ſimilitudo in homine, quæ in gratia iuſtificanti, & virtutibus fundatur, tũ magis apparet, cùm plus latet.*

19. Expendamus & Vrbani Papæ quarti breuem Commentationem in verſum 8. Pſalm. 50. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi: Ex quo* (inquit ille) *confidenter mihi tua prædicta occulta, & abſcondita reuelaſti: confido, quod hoc donum tuum ſemiplenum non relinques, ſed aſperges me Hyſſopo,* &c. cur ſemiplenum Donum appellat exactiſſimam de rebus altiſſimis notitiam? cui panduntur arcana diuinæ cognitionis, num imperfectè adhuc ſciens? Verùm conſidera, duo eſſe quæ nouiſſe oporteat: Quid Deus, quídque nos ſimus; quantus ille in maieſtate, in diuitiis, in Regni æternitate? quàm nos fragiles, quàm imbecilles à natura, quibus circumuallati iniuriis creaturarum penè omnium: At conceptus de Attributorum diuinorum magnitudine ſi excreſcat, vt conſummatum omnino Theologum pariat, qualem neceſſe eſt illum exiſtere, qui ſecreta penetrauit inacceſſæ ſapientiæ Dei, periculum ingerat ſuperbiendi; ſcientia enim cùm præſertim ad culmen aſcendit, inflat: Ne igitur faſtui atque ambitioni occaſio proueniat ex Theologicæ ſcientiæ granditate, orat alteram adiungi cognitionem ſuâ de vilitate, vt cùm in huius obiectum intenderit lumina, ex præſumptione facilè redeat ad ſalutem & Humilitatem: Hoc eſt igitur *quod Doni ſemipleni* vocabulo intelligatur, ne videlicet Numen profundiſſimè cognoſcens, ſemet ignoraret: abſque ſui enim cognitione, quid eruditum eſſe prodeſſe valeat? quare & ſubiunxit ſtatim *Aſperges me Hyſſopo:* Quoniam de Arcanis magnis inſtruere placuit, concede Humilitatem vnà Hyſſopo, quæ breuis & contempta Herba, præſignatam: Hanc autem dabis, ſi conceſſeris, vt meipſum perfectè noſſe ſciam, & tunc plenum erit donum tuum.

Vrban. IV.



*Semiplenum Homini donũ eſt Dei cognitio ſapiens, niſi addatur etiam propriæ vilitatis ſciẽtia, quæ hominẽ à priori cognitione ſuperbum humiliet.*

---

*Vel fugere ex Dei Caſtris, vel expelli inhoneſtè, & periculoſum, & infelix.*

## Sectio II.

20. NVncupaui inſcriptione inhoneſtam Expulſionem, ſignificans dedecoroſam, quoties ex ſacro Religioſorum Collegio quiſquam dimittitur probroſas ob cauſas: Qui igitur in Monaſterio ſe cognoſcere neglexit, ex diuinæ iuſtitiæ permiſſu, in eam tandem prorumpet audaciam, vt beatis excludi ſeptis mereatur, niſi Apoſtaſiam antea meditetur; ſanè multorum hæc eſt vindicta: Sed qualis Pœna, inquias, de Monaſterio ad ſeculum tranſire? imò voluptas, cùm in poſterum liceat iucundâ frui alacritate, ludere, comeſſari, mollibus indui: Heu infidos tramites, quanquàm ſpatioſos! nam ad Tartarum ducunt: Loquatur Bernardus & contremiſcant miſerrimi ſiue exules, ſeu transfugæ: ſermone 35. in Cantica: *Si te, inquit, ignoras, egredere: Dura, & aſpera increpatio, quod dicit, egredere: Hoc quippè Verbum ſerui audire ſolent à valdè iraſcentibus, & indignantibus Dominis, vel ancillæ à Dominabus ſuis cùm grauiter illas offenderunt: Exi hinc, exi à me, egredere à conſpectu meo, & à domo iſta: Hoc ergo verbo aſpero, & amaro ſatis, nimiúmque increpatorio vtitur modò Sponſus contra Dilectam, ſub conditione tamen, ſi ſeipſam ignorauerit: nihil quippè validius, efficaciúſve ad terrendum potuit in eam intendere, quàm vt egredi minaretur: quod & tu aduertere potes, ſi bene attendas, vnde, quò egredi iubeatur: Vnde enim, quò putas, niſi de Spiritu ad carnem, de bonis Animi ad ſecularia deſideria, de interna requie Mentis ad Mundi ſtrepitum, & inquietudinem curarum exteriorum? in quibus omnibus non eſt niſi labor, & dolor, atque afflictio Spiritus:* quid talis viri oratione enucleatius? quid noſtro ſcopo congruentius? *Nihil* (ait) *validius, efficaciúſve ad terrendum potuit in eam intendere, quam vt egredi minaretur.*

*Qui ſe in Monaſterio ignorat, timeat ſeu turpem egreſſum, ſeu ſeueram excluſionem.*

Bernard.



21. Poſtquam recens editum Seruatorem Magi longum aggreſſi iter in Palæſtinam ſupplicibus coluêre votis, *reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in Regionem ſuam*, Matth. cap.2. verſ.12. Quis admonuit? Angelus nimirum, qui & in ſomnis legati eſſe conſueuerunt: nam ſtatim eodem cap. verſu ſequenti: qui cùm receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens, *Surge, & accipe Puerum*, &c. Aliud tamen vt ſentiamus Paſchaſius ſuggerit Abbas libro 2. in Matthæum: *Et notandum* (ait) *quod non per Angelum, vti ad Ioſeph, hæc reſponſio facta dicitur: Sed Sanctorum Patrum traditio eſt ab ipſo Domino diuinitus imbutos fuiſſe; quia neminem alium conſtat viam Regreſſionis ad Patriam vſquam inſtituiſſe præter eum, qui ſe viam præbuit imitabilem, vt per ipſum ad ipſum tendentes, quandoque Patriam repetamus: hinc quippè ait ipſe de ſe dicens, Ego ſum via, veritas, & vita.* Quamobrem Chaldæis Deus ipſe voluit apparere, & non Ioſepho? An dignior eis genitor putatiuus Chriſti, cui excellentior proinde fieret viſio? Animaduerte, quò tendebat Ioſeph, & quem in locum profecturi erant Magi: Ioſeph natale relinquebat ſolum ob Chriſti gratiam, ſed & Chriſtum ipſum ſecum portabat: Ad hoc perſuadendum leuis ſufficiat inſtructio: Quis enim non ſubitò conſideret, honeſtum eſſe propter Chriſtum valedixiſſe cognatis, & laribus antiquis? nihil reluceredetrimenti, vtilitatem cogitari multam? Quis recuſarit Seruatore comite in Scythiam, vel glacialem ire Pontum? Qualiſcumque Orator ad talia idoneus. Magi autem poſt Mundi Redemptorem agnitum eius à contubernio diſceſſuri erant, & ad priſtinas reuerſuri ſedes: velle igitur patriam repetere, & ad aulam redire iterum, tanti diſcriminis res eſt, vt niſi ex ipſius Dei ore hauriatur, Angeli quodammodò legatio ſuſpecta videatur: idcircò Deus ipſe rediturosin Patriã Chaldæos ſub quietem alloquitur Angelorum recuſato miniſterio: Quid dicemus iis, qui non à Deo acceperunt, ne ab Angelo quidem, vt promiſſam fidem violarent, & damnata olim ſeculi gaudia poſtliminio ſalutarent? blandiantur conſcientiis ſuis quibus velint dulcibus argumentis quoad veniat in iudicium Dominus cum ſenioribus populi ſui, tunc apparebit quàm iuſtè reliquerint domum ſanctam.

Matth. 2.12.

Paſchaſ. Abb.

*Tanti diſcriminis res eſt, in patriam regredi, vt Deus ipſe Magis apparuerit, redituris in proprios Lares ſuaſurus: non Angelus cuius legatio ad hoc quodammodò ſuſpecta videretur.*

22. Obſcuriorem Ioannis ſententiam dilucidemus ex cap.10. verſ.8. *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oues:* atque omiſſa communi Interpretatione, quam ipſe Textus manifeſtat, de his, qui per oſtium ouium non ſunt ingreſſi, lectionem Anaſtaſij Sinaïtæ libro 1. in Hexameron proferamus: ita legit: *Omnes qui ante me venerunt, fures ſunt*, &c. Sed continuo addubitans exclamat: *Quid dicis Domine? omnes, qui ante te venerunt ſunt fures, & latrones? Num fures ſunt & latrones Abel, quem dixiſti iuſtum? & Seth, & Enoch, & Noë? Numquid latro eſt Abraham & Iſaac, & Iacob, & Moyſes*

Ioan.10.8.

Anaſtaſ. Sinait.

*ſes & Aaron? Numquid latro eſt Dauid, & Helias & omnes Prophetæ?* ſic cùm interrogaſſet Sinaïta, reſpondet iuxta Anagogicum ſenſum, quem profitetur eius ingenium: *Subſiſte*, inquit, *qui hæc dicis: Non loquor de his, qui ante me nati ſunt in carne, ſed quoniam veni è cœlo miſſus à Patre: Omnes qui ex eodem cœlo venerant ante me, ſunt fures & latrones, nempè aduerſariæ Poteſtates.* Ergo de his, qui Paradiſo expulſi fuêre ſuperbientis Angeli ſociis ſpiritibus intelligendus Chriſti ſermo ſecundum veteris huius ſcriptoris expoſitionem. Sed cur hi fures? ſanè, Hominibus impoſuerunt falſis oraculis, & ſanitatum quibuſdam præſtigiis, aliíſque artibus, vt Deorum loco colerent: fuit autem rapina & furtum vanæ adorationis præſumptio, cùm Dæmones nullo modo eſſent venerandi, hinc itaque latrones qui cœlo exciderant: ſed iuxta Hiſtoriam iſta: myſticè autem Paradiſus Cænobium eſt, quemadmodum enim illic Hierarchici ordinis mirabilis concentus eſt in Natura Angelica; ſic nihil Religioſum plus commendat ſtatum, quàm officiorum & graduum varia diſpoſitio abſque perturbatione aliqua: & velut inter pennigeros ſpiritus fuêre, qui præuaricauerunt, & cœlo propterea excluſi ſunt; ita do Monachorum cœtu nonnulli ob ſcelerum enormitatem ſacratis liminibus extruſi, alij impiâ fugâ abierunt: atque hi latrones & fures computantur: Verùm quo pacto tam dira in eos quadrant nomina? nempe, cùm Vota Deo nuncuparunt Monaſtica, ſeculi æternùm valedixerunt pompæ: nam & Matrimonia interdicta ſunt per Caſtitatis nexus, & diuitiæ prohibitæ ſpondentibus Paupertatem, & libertatis vſus per Obedientiam reſtrictus. Hæc iterùm reſumere illicitum eſt: ergo quod vetitum ſit arripientes, quod abalienatum eſt per vota, furti coarguuntur & latrocinij.

*Qui è Cœnobitico Paradiſo, vel fugiunt, vel exulant, ipſi fures ſunt & latrones.*

23. Ille è duobus fratribus Adoleſcentior, qui optimi Parentis domo profugerat & abiit in Regionem longinquam, ita perditè ſubſtantiam diſſipauit vt nihil reliquum maneret: *poſtquam omnia conſummaſſet*, (ait Lucas cap. 15. verſ. 14.) *facta eſt fames valida in Regione illa*: Proh! quàm Mendicus factus, qui omnibus ſe exuit! Atque id quidem de materiali ſupellectile intelligi facilè valeat, neque enim impoſſibile eſt fortunæ bonis vndequaque ſpoliari quempiam, ſed quomodo figuratè, & ſpiritaliter conſtrui valeat, vt Peccator quibuſcumque grauetur culpis, omnia tamen amiſerit bona? eſto ſupernaturalia tollantur dona, quæ tamen Creationem ſequuntur indoles, forma, eloquium, ipſæque Animæ potentiæ, memoria, intellectus, voluntas, an non reperiantur in quibuſcumque Peccatoribus? Sed tamen in hoc Iuuene, qui quòd Parentis beniguiſſimi ſe proruperit laribus Religioſiſſimis, faſtidiens tantæ diſciplinæ ſeueritatem, eos repræſentat Monaſticæ Regulæ oſores, qui in Ægyptum contra ius, fáſque reuertuntur; ſignificatum, nonnunquam talibus contaminari ſceleribus, non dicam vt rationis lux in eis obruatur, ſed Brutis ipſiſmet quandoque deteriores euadant: atque hoc eſt miſerum Adoleſcentem dilapidaſſe Bona vniuerſa, quando & à Natura creditas dotes ſic obſcurarit, vt in feram tranſiiſſe videatur: quare de filio iuniori loquens Gerardus Zutphanienſis inter veteres Bibliothecæ Magnæ Patres, libro de ſpiritualibus Aſcenſionibus, cap. 4. *Itaque omnia bona* (ait) *& portionem bonorum Naturalium, & gratuitorum, quæ tibi contigerant, conſumpſiſti.* Ac bellè Textus noſter, poſtquam de Apoſtatico egreſſu ſermocinatus, addidit: *Abi poſt veſtigia gregum*: quod ſcilicet eiuſmodi ob vitiorum enormitatem deinceps non cum Hominibus, qui ratione præditi ſunt, ſed inter ſilueſtria animantia, quorum mores referunt, numerandi: imò quidem, ne Beſtiis ipſi aſſociandi, ſaltem nouiſſimum occupant locum, quoniam deteriores Brutis facti; atque ideo poſt veſtigia gregum abire iubentur, id quod Bernardus ingenioſè conſiderauit, ſerm. in Cantic. 35. *Et vide, quia non ſimpliciter Egredere, inquit, & abi poſt greges ſodalium tuorum, & paſce Hædos tuos: in quo vt mihi videtur, magnæ cuiuſdam rei nos admonet: quid iſtud? Heu! quod egregia creatura iam olim facta de grege, & nunc in peius miſerabiliter proruens, non ſaltem inter greges remanêre permittitur, ſed poſt abire iubetur: quomodo inquis? quomodo legis? Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: Ecce, quomodo de grege facta eſt egregia Creatura? Puto, dicerent iumenta, ſi loqui fas eſſet: Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis*, &c. Quemadmodum verò excucullatis accidat Peſtibus in ferinum declinare ſtuporem, & Brutorum ſæpiuſculè vincere amentiam, cùm aduerſùm Naturam ipſam delinquere non erubeſcant ſeu præpoſterâ libidine, ſeu impietate in Deum, in genitores ſuos, in ipſam humani generis maſſam: ſat exemplorum in præcedentis ſæculi Annalibus, ex quo Borealis ſæuiit tempeſtas.

Luc. 14. 15.

*Monachorum apoſtatæ, velut Prodigus Euangelicus, egrediuntur poſt veſtigia gregum, brutis deteriores.*

Gerard. Zutphan.

Bernard.

24. De His allegoricè Chriſtus apud Matthæum, cap. 5. verſ. 13. *Quod ſi Sal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus*: Paulus de ſuperbis Philoſophis, qui quòd ſeipſos ignorarent, miſeræ humanæ conditionis obliti, ob ſcientiam intumuerunt: *Sed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*, Rom. cap. 1. verſ. 21. euaneſcentes igitur ſunt in clauſtro, qui ſeipſos ignorant, atque ob id iidem ſtulti, vt ſalis omnino congruat Metaphora, quod & infatuatur & euanuit: quo tandem plectuntur ſupplicio ſe neſcientes? Equidem & Matthæus & Salomon conſpirant: Exilium & fugam vterque minatur: *ſi ignoras te* (vnus profatur) *egredere & abi*: Alter dicit *Ad nihilum valet, niſi vt mittatur foràs*: Quò ibit reiectatus caſtris Dei viuentis, à concilio iuſtorum? quò, niſi in ſterquilinium, vt computreſcat in deſideriis carnis, iumentis quæ computruerunt in ſtercore ſuo, vilior effectus propter laſciuiæ turpitudinem, & exceſſum? percipiamus ex Commentario de octo Beatitudinibus Chromatij Aquileienſis Epiſcopi: *Quia infatuati fraude Diaboli huiuſmodi Homines, cùm potuiſſent etiam alios non credentes adhuc à fide alienos, diuinæ prædicationis verbo condire, etiam ſibi inutiles extiterunt: proiectis itaque huiuſmodi extra Eccleſiam, neceſſe eſt, vt diuerſis vitijs Carnis, & voluptatibus ſeculi conculcentur, & hoc eſt, quod ait Ad nihilum valet niſi vt projiciatur foràs, & conculcetur ab hominibus: quid ſit autem conculcari ab hominibus etiam Salomon in libro ſuo retulit, cùm de Muliere meretrice loqueretur: Mulier, inquit, fornicaria, quaſi ſtercus in via ab hominibus prætereuntibus conculcatur*: grandem verò dictio illa continet emphaſim: *Ad nihilum valet*: Catholici deſpiciunt infidum, Hæreticis ſuſpectus eſt, Transfuga nempè, Natura deteſtatur ob inuerecundiam ſummam: ô inutile omninò pondus ſalis eiecti! Non ſaltem ipſius ſterquilinij molem augebit? perpendite quid Lucas teſtetur: *Neque in Terram* (ait c. 14. verſ. 35.) *neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur*: Quid vnquam tam ſordidum, & infauſtum quod ad ſterquilinij vſus non cederet? illuc proiiciuntur, quorum deſperata eſt induſtria ad cætera vitæ Mortalium, quin & iumentorum ſubſidia: Parum igitur eſt, quod præcedenti aſſerebamus numero, beſtiis deteriores fieri; cùm ex ſterquilinij ſordibus nullæ ſint, quibus non viliores.

Math. 5. 13.

Rom. 1. 21.

*Bene conſpirant S. Matthæus & Salomon, in fugâ & exilio eorum qui ſe ignorantes, euanuerunt in cogitationibus ſuis.*

Chromat.



Luc. 14. 35.

25. Antequam ex loco voluptatis propulſatus fuiſſet Adam cum vxore, ſæpe de Creatore rerum mentio, ſed appellatur *Dominus Deus*: poſtquàm amœno ex Horto detruſi ſunt, *Deus* nuncupatur omiſſo Dominationis titulo: *Hic eſt liber generationis Adam; in die, qua creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum*, Geneſ. capite 5. verſ. 1. Auſcultemus, quid ad hæc dicat Anaſtaſius Sinaïta libro 7. Hexameri: *Quamobrem autem ô Iudæe, diuina Scriptura in Paradiſo Deum duplici nomine nominauerat, & eum Dominum, & Deum appellauerat; Statim poſt Hominis è Paradiſo egreſſum, ipſum Deum appellauit, ſed non Dominum & Deum?* Equidem Dei nomen generalem quandam arguit curam erga omnem creaturam: Nam Deus quatenus Author Naturæ ſufficientem concurſum præbere tenetur omni cauſæ ſecundum diuerſam cuiuſque exigentiam: idémque rationali creaturæ, quam ad finem ſupernaturalem eleuauit ex ſuppoſitione eleuationis, auxilia ſuggerit, quibus ſaluari poſſit: Sed *Domini* vocabulum, præter amplam eam, & nemini inconceſſam induſtriam, peculiarem quandam denotat vigilantiam Dei ſingulariter incumbentis, ne Aduerſarius præualeat, ne Tentationum excreſcant ſtimuli, ne mentem caligo occupet: Significat igitur, quoad intra Paradiſum quiſquam verſatur, hoc eſt, intra Eccleſiæ Catholicæ ambitum vt quidam volunt: Nos accommodauerimus Religioſis ſeptis, donec ibi moratur, Deum ſentit peculiariter fauentem: illinc egreſſo adſtat etiam, ſed generali quodam patrocinio ſolùm: Sinaïta loco nuncupato: *Vt Tu diſcas, quod Eccleſiæ eſt proprius Dominus, & Deus, & non ſimiliter eorum, qui ſunt extra Eccleſiam: Nam hominum quidem, qui ſunt extrà, Deus eſt: Eccleſiæ autem ſpectator eſt, & Deus & Dominus, ei dominans, eiúſque curam gerens, eámque ſuſcipiens, tuens, atque defendens*: Quæ verò ex hac Prouidentiæ diuerſitate vel lucra, vel commoda ſequantur? Certè ex vi generalis Adminiſtrationis & Prouidentiæ Deus ſolùm obligatur ad tantùm danda ſufficientia auxilia: cum his verò miſer Peccator nunquam de facto ſalutem conſequuturus eſt; Ibit igitur & culpâ ſuâ ibit (nam Deus quod ſufficiebat, contulit) in æternum præcipitium: De quibus autem peculiaris Deo cura eſt, illis efficacibus donantur auxiliis, per quæ ſalui fiunt, & in gaudium Domini intrant: Nec dico tamen, quin & illis qui extra Eccleſiam ſunt, non efficacia impertiantur auxilia, quibus ad ipſam Eccleſiam reuertantur, ſed Anaſtaſij ſequutus expoſitionem, declaraui quod frequenter contingere ſolitum: Nam Rebellionem & fugam vel ab Eccleſia, vel à Monaſteriis Deus ordinariè punit ſubſtractione diuinarum illuſtrationum, quæ ſi concederentur, proculdubio emollirent ſaxeam Animam, quod eſt ſingulari & indebitâ eos fruſtrare Prouidentiâ.

Geneſ. 5. 1.

Anaſtaſ. Sinaït.

*Creator poſt expulſionem Adami è Paradiſo dicitur ſolùm Deus, qui priùs dicebatur Dominus Deus: Nomen quippe Domini peculiarem curã indicat.*

Anaſtaſ. Sinaït.



---

*Superbiæ vehemens pœna, domo expelli Dei.*

## SECTIO III.

26. PRincipium ſuperbiæ ignoratio ſui: pro quibus enim humiliabitur, qui neſcit ſe habere vnde contemni debeat, ob quæ & ſibi ipſe vileſcere? quare de Anima, cuius hoc loco procacior ignorantia repræſentatur, Bernardus ſermone 38. in Cantica: *Sed reprimenda cenſetur, propter præſumptionem, & de ſua ipſius commonenda cognitione, in qua nimirum viſa eſt aliquatenùs caligare.* Et ſub fine eiuſdem Homiliæ: *Teipſam attende, & altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutata fueris: alioquin, ſi ignoras Te, ô pulchra inter mulieres*, &c. Quid verò ex hac arrogantia ſequuturum prædixit? *Egredere & abi poſt veſtigia gregum*; nempè, vt ex Dei famulatu propelleretur, quo exilio neque mage periculoſum aliquid, neque infelicius, vt demonſtrauimus elapsâ diſſertatione: Quid Arium deturbauit niſi Ambitio & faſtus? Nata verò eſt gloriola Homuncioni ob ſui vel philautiam, vel ignorantiam: Nam cùm ne mediocriter quidem doctus eſſet, putauit dignum ſe eſſe, quem Magiſtrum vniuerſus adſciſceret Orbis, qua in falſâ opinione vſque ad condendum ſchiſma pertinax extitit. Eaſdem calcarunt ſemitas reliqui Hæreſum Anteſignani, qui propter nimiam cordis elationem in eam prolapſi ſunt Amentiam, vt Monaſterio & Eccleſiâ ſimul plerique detruderentur? Atque hoc eſt, quod apud Dauidem minatur Dominus, Pſalm. 110. ver. 7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*: Caſſiodorus ibi: *in medio domus, id eſt, Eccleſiæ: etſi aliquando toleretur correctionis gratiâ, non præeminet, meritis nihil poteſt; non eſt in populo meo granum, ſed palea.* Rectè autem dixit Hymnodus, *non habitabit*: Quoniam arrogantes vel in congregatione, vel in Eccleſia ad Tempus ſunt donec conſummetur malitia corũ: Sed ibi ad longum permanêre, quod eſt habitatores eſſe, & non inquilinos, haud conſueuêre quidem: Quapropter concinnè de illis Ioannes Theologus epiſt. 1. cap. 2. verſ. 19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis*, quia ſcilicet Aduenæ tantum erant, ac propterea abituri: *nam ſi fuiſſent ex nobis* (addit, nimirum de ſapientibus humiliter atque modeſtè,) *permanſiſſent vtique nobiſcum; ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis*: alia vitia, quaſi diſſimulare Deum appareat, quin aulâ propulſet ſuâ, neque enim Apoſtolatu deiecit Iſcariotem quanquàm fur eſſet, ne tum quidem ſegregauit à contubernio quando oſculo filium Hominis tradidit; probè igitur in figura eorum, qui vel de Eccleſia, vel de Cœnobiis eliminandi erãt, de primo Homine Gregor. Papa in 1. Regum cap. 3.

*Anima à ſui ignoratione ſuperba, poſt greges egredi iubetur à Dei domo expulſa.*

Bernard.

*Arius & cæteri Hæreſiarchæ ſuperbiâ inflati de Eccleſia deiecti.*

Pſal. 100 7.

Caſſiodor.

1. Ioan. 2. 19.

Gregor.

*Hîc inobedientes aſpicere debent, quia primus humani generis Parens à Paradiſi gaudijs, nec furto, nec rapinâ, nec adulterio, nec homicidio, ſed pomi vetiti inobedientiâ corruit :* nempè, ſuperbiæ primogenita ſoboles inobedientia eſt, ob quam ſingulariter expulſos vult indicare Gregorius.

27. Adolere incenſum in Templo contra ius fáſque Ozias Rex conatus, meritâ vapulauit pœnâ : nam *cùm reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte eius, & feſtinatò expulerunt eum*, Paralip. 2. cap. 26. Quamobrem hâc inflictus notâ ? cur non aliud morbi genus ? cur non vel tumultu quaſſatus ciuili, vel externo laſſatus bello ? cur non arefactum brachium ? Sanè ob faſtum thymiama offerre tentauit, vt cui ad ambitionem non ſatis eſſet laïca poteſtas quanquàm ſceptro decorata : eodem capite, verſ. 16. *Eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deum ſuum, ingreſſúſque Templum Domini, adolere voluit incenſum ſuper altare Thymiamatis :* vnde Imperfectus dictus Chryſoſtomus homilia 1. in in Matthæum *Percuſſit autem eum leprâ propter iactantiam eius, vt domi ſederet*, &c. Iam verò ſuperbiam exilio & fugâ mulectari ſtatuimus : Atqui apud Iſraëlitas leproſi, vrbibus, & cœtu hominum exterminabantur : atque eam ob cauſam Maria Aaronis & Moyſis germana, vt leprâ correpta eſt., ſtatim extra caſtra miſſa eſt ſeptem diebus, Numerorum cap. 12. verſ. 15. Quò igitur Principis reſponderet vitio iuſtum ſupplicium, elationi nimirum deberetur exilium & receſſus, leprâ infectus eſt : & quoniam non extra Ciuitatum mœnia relegatus, ſed intra oppidum domo ſeparatus priuatâ, idcircò diſtuliſſe Deum vulgo loqui per Prophetas, quoad mortuus ſit, ex Hieronymo, Origene, Cyrillo & Chryſoſtomo colligit noſter Tirinus ad verſum 22. dicti capitis Paralipomenon : Atque in Ozia quidem ſpeciatim optimatum præceſſit figura, quorum in dominando nunquam ſatiatam libidinem cùm ſæcularis imperij amplitudo temperare non poſſet, Eccleſiaſtica violare iura aggreſſi, cùm neque precibus, neque conſiliis auſcultarent, à ſchiſmate in Hæreſim prolapſi, extra Eccleſiam manſerunt in perpetuum.

2. Paralip. 26.

*Sacerdotum officium præripiens Ozias ſuperbus leprâ punitur, ab hominum conſortio expellendus.*

Imperſ. Chryſoſt.

Numer. 12.

Hieronym. Origen. Cyrill. Chryſoſt. Tirin.

28. Amnon inter pocula de medio ſublatus iuſſu fratris Abſalonis : tulit grauiſſimè Dauid, ſed leniente mœſtitiam Tempore, & deprecantibus pro iuuene familiaribus reconciliatus eſt poſt tres annos : venit itaque in Hieruſalem genitore annuente ex Geſſur, ſed palatij ingreſſu prohibitus, & regiâ Amicitiâ : *Dixit autem rex : Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat*, Regum lib. 2. cap. 14. verſ. 24. ſi depoſitâ ira antiqua, ſi condonatum à Monarcha Abſaloni, cur Penatibus arcet ? eſto quidem veteris culpæ monumenta omnia abraſa fuerint, & necis Amnon deleta memoria; cæterùm conſiderabat in Adoleſcente petulantem indolem, & ſuperbiæ colligebat argumenta quædam : Nam arrogantis Animi fuit, quanquam occidi iuſtiſſimè promeruiſſet Amnon, priuatâ tamen authoritate mortem inferre viro regij præſertim ſtemmatis : Deinde, ne exilio quidem triennali ſatis emendatus, cùm de capillatura Aulæ reſtitutus ſuperbiret, quam in tantùm amabat, vt ponderaret ſemel in anno tonſa *ducentis ſiclis pondere publico*, eiuſdem capitis verſ. 26. Quoniam igitur faſtu elatum arbitrabatur, vt quod Pſalmo 100. verſ. 7. promiſit ; *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam*, etiam in filio adimpleret, faciem eius ne contueretur, mandauit : & ſi quidem velimus vt in palatio vixerit, tamen in remotiori aliqua parte commorabatur, non in Meditullio prope Regem ipſum : locus denegatus in quem Regis protenderetur gratia; nouóque Relegationis conſilio effectum, vt quanquam ex Geſſur in Metropolim tranſierit, non mitigatum prius exilium cenſeret, ſed auctum. Putáſne leue ſupplicium à Regis prohibere vſu, neceſſitudine, colloquiis ? ditior morte vindicta : *Quarè veni de Geſſur ?* (exclamabat Abſalon,) *melius mihi erat ibi eſſe : obſecro ergo vt videam faciem Regis : quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me :* Heu ! vadunt ſponte ſua ab Eccleſia, à domo ſanctuarij Apoſtatæ miſerrimi, nec ſentiunt, nec dolent, non contriſtantur de fuga ! Religioſior videri poſſit his comparatus vel impiiſſimus Cain : nam quaſi lamentantis, atque ideo deprecantis vox illa eſt, *Ecce eijcis me hodiè à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra*, Geneſ. cap. 4. verſ. 14. vides, quàm pertimeſcat à Regis diſcedere conſpectu ? ſimúlque exilium ſibi indici, & ablegari ab Hominum cœtibus innuit : *Eijcis me* (ait) *hodie à facie terræ :* Verùm, cùm Deus de huiuſmodi fuga nihil ſignificarit, vndenam patuit Caino talem ei imponendam mulctam ? Equidem proteruè atque arroganter Numini reſpondit Homo ſceleſtiſſimus : Nam cùm ab eo interrogaretur de fratre : *Num* (inquit) *cuſtos fratris mei ſum ego ?* Geneſ. cap. 4. verſ. 9. Tactus igitur conſcientiâ ſuperbiæ ſuæ (nam iactantiæ fuit effrictæ cuiuſdam Deo ita reſpondêre, cùm ſi Hominibus loqueretur mediocri excellentiâ conſpicuis, maior deſideranda fuiſſet vrbanitas :) debitam temerario faſtui pœnam, ipſe ſibi, non expectato Iudicis decreto, præſcripſit, exilium videlicet, & quale merebatur crimen, generale nimirum ; toto extrudi Mundo pertimeſcebat.

2. Reg. 14. 24.

*Tumidus fratricida Abſalom è triennali exilio reuocatus, in regiam domũ non admittitur, quippe qui neodum humilis, de cæſarie ſuperbiebat.*

2. Reg. 14. 26.

Pſalm. 100. 7.

2. Reg. 14. 32.

Geneſ. 4. 14.

Geneſ. 4. 9.

30. Vidit Iſaias Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum ; circumſtabant Seraphin multùm pennata : Nam ſex alæ vni & ſex alæ alteri: quem in finem numerus alarum tantus velociſſimis ſpiritibus ? ſcilicet, Dei vt faciem & veſtigia occultarent : *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius & duabus volabant*, Iſaiæ cap. 6. verſ. 2. At Dei vultus cuinam, vel quamobrem abſcondunt ? nimirum Angelus ille ſuperbiens cum legionibus iniquæ conſpirationis meritam expertus vindictam, relegatus in chaos æternum : ſed tamen illi grauius tormentum loci horrentis ſqualoribus, nocte, ignibus, Regis glorioſi non contemplari ſpeciem, quapropter audaciſſimus in omnia, noſtro concipiendi more, velut conatus intueri diuinæ frontis incircumſcriptum iubar, bonorum Angelorum ſe ingerebat conciliis : *quadam autem die cùm veniſſent Filij Dei*, (inquit Liber Iobi capite 1. verſu 6.) *vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan :* Quoniam autem ſuperbiæ pœna eſt, vel expelli à loco ſancto ; vel ſi non à ſpatiis materialibus, & ſenſibilibus loci, interdici his, quæ locum ipſum beatum, & Religioſè amœnum reddunt, nempe gratiâ & fauore Regis : ideo ſicut

Iſai. 6. 2.

*Velant Seraphim faciem Dei, ne ſuperbus Dæmon à domo Dei expulſus, cùm Angelorum ſe ingerit cœtibus vultum Dei videat.*

Iob. 1. 6.





Terreſtri Paradiſo aſſignatus eſt vigil de Cherubico ordine, qui à liminibus arceat propulſatum Hominem Ambitionis cauſâ : Empyreis ſedibus cuſtodes nominata Seraphin, ne quando Regem conſpicere Satan valeat : Quod vt nobis indicetur, Seraphin repræſentantur à Propheta, quæ interiectu alarum diuini contegant oris lineamenta : probemus, num ab his diſſentiat Bernardus ſermone 5. de verbis Iſaiæ : *Ad quid multiplicitas iſta pennarum ? duabus, inquit, velabant caput eius, & duabus pedes, & duabus volabant : grande myſterium, & profundum vtique Sacramentum : Dico vobis tamen vtcumque quod ſentio, nec ſanè affirmans dico, ſed coniectans quodammodò & opinans : Quid enim æſtimare vetat deiecto Lucifero ad peruigiles excubias Seraphin conſtitutos ; Sicut eiecto Homine, (teſte Scripturâ) Cherubin ad cuſtodiam poſuit Deus ? Porrò Seraphin alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum ſpiritualem : denique duabus, inquit, velabant faciem eius, & duabus pedes, vt nec alta Dei, nec profunda iniquus ille valeat contemplari : & velantur alis, quæ nimirum ſic illum arceant, vt iſtos ſuſtineant, & ſuſtollant.*

Bernard.

30. Ludebat cum Iſaaco Liberæ filio, ancillâ progenitus Iſmaël : indignata Mater, dixit ad Abraham : *Eijce Ancillam hanc & filium eius : non enim erit Hæres filius Ancillæ cum filio meo Iſaac :* Geneſ. capite 21. verſ. 10. Quamobrem non vapulat Puer adhuc Iſmael ? cur non fame punitur, non verbis durioribus potiùs quàm expulsâ ? erat crimen ſuperbia : nam aſpernatus iuniores Iſaaci annos, ferebat impatiens, quod in deliciis eſſet Parentibus, ſe maiore natu contempto, idcirco perſequebatur eum, quemadmodum Paulus teſtatur ad Galatas capite 4. verſ. 29. Hauſit à genitrice vitium, nam videns Agar ſe concepiſſe, ſpreuit Dominam ſuam Saram ; expectauit ad emendationem Hera & correxit : illa diſciplinam exoſa, vt ſe verè ſuperbam probarit, fugam capeſſiuit, Geneſ. capite 16. verſ. 6. igitur ſuperbiam comitatur vel exilium, vel fuga. Chryſoſtomus homilia 46. in Geneſ. *Sicut igitur priùs ſuperbum Spiritum Agar humiliare volens vehementi indignatione fugam inire eam fecit : ita & nunc volens ab initio reprimere Iſmaëlis temeritatem, & non ferens, vt videat puerum ſuum, & ex ipſo Dei dono, cum ancillæ Ægyptiacæ filio ſimul verſari, dicit Abrahæ, Eijce Ancillam & filium eius :* Totus in obedientiam formatus Abraham, totus Iſaac : Non recuſat ſæuire in filium genitor, non à Patre iugulari natus : nec Mater retardaret, fidelis Mariti ! & ipſa fidelis coniux : vbi igitur totum de obedientia in Matre, filio, genitore, quem inueniſſet ſuperbia locum ? neceſſe eſt, ſicubi regnare obedientiam præſtat, eiectari ſuperbos.

Gen. 21. 10.

*Vel fugâ punitur ſuperbia, vt in Agare : vel exilio, vt in Iſmaële.*

Galat. 4.

Chryſoſtom.

---

*Inſtructio nouæ Puerorum ætatis, difficilis moleſtiæ opus.*

## Sectio IV.

31. HOEdos, Animi inquietos, & tumultuantes ſenſus communi expoſitione Patres declarant, quod Animalculum ſit vagum, & laſciuiens ; Beda petulantes auditores interpretatur, & regi pertinaces : fortaſſe non incongruè, primam illam, rudémque hominum ætatem intellexerimus, quæ firmanda traditur præceptoribus, nam iugum malè ſuffert, huc illuc decori oblita, irrequieta diſcurrit ; tota eſt in ludificationibus : Hanc igitur prudentiſſimo conſilio monet, iuxta Tabernacula Paſtorum, hoc eſt excellentiam Magiſtrorum, in quibus & diſciplinarum perfecta notitia, & zelus tuendæ Catholicæ Religionis ſummus, ſingulari vigilantiâ paſcendam eſſe : Quamobrem noſtræ familiæ beatiſſimus Author Ignatius, cùm animaduerteret Reipublicæ Chriſtianæ per Gymnaſia præcipuè, in quibus vnà cum Grammaticæ rudimentis cogebantur impuberes venenum haurire prauorum dogmatum, nocuiſſe vltimos ſectarios ; ſcholas aperire aggreſſus eſt, quas opponeret Hæreſi : quanto id Religionis Orthodoxæ incremento, quantâ Nouatorum ſtrage, ſuperuacaneum eſt expendiſſe : Verùm, quanti laboris opus ? Quid enim mage arduum, quàm Hœdos compeſcere ? *Id autem genus* (ait Columella libro 7. de Re Ruſtica capite 6.) *dumeta potiùs, quàm campeſtrem ſitum deſiderat ; aſperiſque etiam locis, ac ſilueſtribus optimè paſcitur : nam nec rubos auerſatur, nec vepribus offenditur, & arbuſculis, frutetiſque maximè gaudet.* Iam de Rupium aſcenſionibus Ambroſius ſermone 16. in Pſalm. 118. *Vides, quod in altis grex iſte paſcitur : itaque vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior : quis per tanta ſectari pericula auſurus ?* Quamobrem Columella memorato nuper capite de Caprario opportunè aduertit : *Magiſter autem pecoris acer, durus, ſtrenuus, laboris patientiſſimus, alacer, atque audax eſſe debet, & qui per rupes, per ſolitudines, atque vepres facilè vadat :* Vides quæ requirantur in Hœdorum duce ? Sed vmbræ tandem ſunt iſtæ, quemadmodum petulantiæ, ita & inſtructionis puerilis : maior in rationali cicuranda pecude labor.

*Quid per* Hœdos *ſignificetur.*

*Pueri, Hœdi, qui iuxta Tabernacula Paſtorum j. excellentium Præceptorum paſcendi ſunt.*

*Quantus labor Hœdos ſeu pueros compeſcere?*

Columell.

Ambroſ.

32. Stupefactum, nunquam ceſſare à nauigando Inſtitores, ad Sidonem, fretum loquitur, Iſaiæ capite 23. verſ. 4. *Erubeſce Sidon : ait enim mare, fortitudo maris dicens : Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi Virgines :* De quibus vndæ Sidonem accuſant ? nempe quod ipſo mari inquietior eſſet. Tumultuoſus quidem Oceanus, & ad faſtidium planè, ſtrident venti, fluctus velut immugiunt, latrant repercuſſæ littoreæ rupes, nauticus inſonat clamor ; ſed tamen quod eſt ab æquore murmur, ſopitur aliquando parcentibus flare ventis poſtquam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit : à quibus verò ne tum, cùm Natura ſuffragatur, vt pax ſit fluentibus, mite eſſe conceditur elemento ? Homines inquietant omni tempore, vere, æſtate, brumâ : lucri amor nauticam ceſſare pubem nunquam ſinit : Ergóne tumultibus aſſuetum mare atque fragori horrendo etiam, tantos ſufferre ſtrepitus non valeat ? cur tamen iniquiori portet affectu, ſignificat : *Non parturiui* (ait) *& non peperi, & non enutriui iuuenes :* quaſi aſſerat ; ſi

Iſai. 23. 4.

*Queritur mare quòd à Mercatorum tumultibus inquietũ ſit, quos tamen non genuerit, indicans quãtum moleſtiæ à pueris tolerare debeant Parentes.*

Mater fuiſſem eorum, qui onerariis vehuntur per liquidum, ſuſtinuiſſem vtcumque ſeu rixas, ſeu clamores, & alios iniuriarum modos: Nunc quando peregrini ſunt, & extranea pars, quamobrem tolerare debeam? facundè Ambroſius libro de Helia, & Ieiunio cap.19. *Erubeſce Sidon, ait mare: Tanquam fatigati elementi vox hæc eſt dicentis: Erubeſce Sidon: hoc eſt meos fluctus negotiator arguis, cùm ſis ipſe inquietior: verecundiores venti ſunt, quàm veſtræ cupiditates: illi habent otia ſua, nunquam veſtra otioſa ſunt nauigia: Non parturiui, inquit, non peperi, nec nutriui iuuenes: quid me inquietant quos neſcio, quos non agnoſco?* Ergo mare excuſat ſe, quia non genuit, quia non peperit: quid ſi irrequietam Puerorum turbam ne ij quidem ſufferre poſſint, qui genuerunt quidem? Ipſe in affectus propenſior fœmineus ſexus ne duos, tréſve Puſiunculos intra Domus ambitum ſpatioſæ quãquam, patienter videre queat: & ſub labore eſt, quoad in gymnaſium proficiſcantur. Quid itaque vnus ſcholæ Præceptor, quem ſolum onerant Puerorum centuriæ, de quibus prauâ indole multi, rudes non pauci, & ſæpè nullus vel affinitate, vel ſanguine propinquus, fortè nec amicitiis, ſed nec vllo humano titulo coniunctus?

Ambroſ.

33. Magnum hoc proculdubiò: nam de quo gloriatur Chriſtus apud Euangeliſtam? *Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Matth. cap.23. verſ.37. quare ſicut gallina ſpeciatim, & non de more aliarum volucrum? Incertus Chryſoſtomus homilia 46. in Matth. *Et quemadmodum gallina habens Pullos, non tantùm Pullos ſuos calefacit, ſed etiam cuiuſque volatilis filios excluſos à ſe, diligit quaſi ſuos: ita Eccleſia non ſolùm ſuos Chriſtianos fouet; ſed ſiue Gentiles, ſiue Iudæos, ſi ſuppoſiti fuerint, omnes fidei ſuæ calore viuificat:* Ergo Chriſtus in omnes benignus ſeu ex domeſticis, ſeu de peregrinis ſint, propterea quaſi Gallina congregans pullos: Nonne teſtatur Apoſtolus ad Rom. cap. 10. verſ. 12. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum; omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit:* Et quidem in Eccleſia admirandæ volucres ſunt, quanquam verò & ex Aquilina Nobilitate, ſuos tamen educant fœtus tantùm: meus Ignatius præter ſuo inſignitos charactere Alumnos, admittit & peregrina examina, quæ erudiat. Pulchrè autem, quando de iuuentute & Pueris formandis ſermo ſit, mutuatum à Gallina exemplum: cùm enim diximus plenam Amarcoris, & indefeſſæ moleſtiæ eſſe Prouinciam, Hoc gallinæ labor, quoad Pulli conualeſcant, egregiè innuit: *Et mira comparatio de Gallina proponitur:* (ait Paſchaſius lib. 10. in Matthæum) *nullum enim Animal eo infirmatur modo, quemadmodum Gallina in fouendo, & nutriendo pullos ſuos, ſi quidem tota infirmatur, totáque fit hiſpida, & rauca: feſtinat iugiter, quaſi quibuſdam vocibus congregare Pullos ſuos, & aſſiduis clamoribus ad ſe congregare non ceſſat, ne per diuerſa huc, illúcque vagi, Miluorum rapiantur vnguibus.*

Matth. 23. 37.

Chryſoſtom. *Gloriatur & Chriſtus de moleſta puerorum ſuorũ eruditione, ſub Gallinæ de pullis ſuis ſollicita exẽplo.*

Roman. 10. 12.

Paſchaſ.

34. Laſſatus Moyſes, quod Hebræorum populum ductare, & ad virtutem, bonámque Diſciplinam fingere iuſſus eſſet, conqueritur de laboris magnitudine: *Cur afflixiſti ſeruum tuum, quarè non inuenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me?* Numeror. cap.11. verſ. 11. At nonne eum tanto ſubleuare onere Deus voluit, cùm vulgus extinguere cogitaret, & Moyſes deprecatus eſt, ne faceret, & Magiſtratum ſponte ſubiit? Exod. cap. 32. verſ. 11. & cap. 33. verſ. 12. ſed obſerua cur tantus vir ingemiſcat, & ſarcinam deponere tentet? dicto Numerorum capite ſubdit *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem vel, genui eam vt dicas mihi, Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet Nutrix infantulum:* quibus ſignificat, licet ætate, & membris viri eſſent, moribus & ſenſu Pueros viſos: velut igitur ſub initio exiſtimabat regendos accepiſſe, qui iudicio & prudentiâ excellerent: talibus præeſſe, quanquam eſſent propè infiniti, non recuſabat, vix enim monitore eguiſſent: modò autem contemplans Pueros imitatione, & licentiâ eſſe, quibus dominabatur, ſufferre non valet, & adiutores concedi enixè poſtulat, quòd Ætnâ grauius eſſet Pueris imperare: Paulus Burgenſis Additionibus ad cap. 11. Numerorum: *Dicendum, quòd licet Moyſes acceptaſſet, ſeu petiuiſſet Regimen populi ſibi à Deo commiſſum: hoc tamen intelligebatur, in quantum eſſent conſentanei Rationi, ſaltem ſicut Homines adulti, non autem vt Pueri; & ideo conquerens dicebat, vt dicas mihi; porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet Nutrix infantulum: quaſi dicat; licet ſuſtinuiſſem pondus Populi, qui ſe haberet, vt Homo adultus; non tamen poſſum ſuſtinere eos, qui ſe habent vt infantulos in ſinu Nutricis:* Nemo igitur arbitretur, leuium eſſe ſudorum Spartam. primæ illius, atque indoctæ ætatis perpolire ruditatem, & non ſolùm eruditam & gnauam, piam quoque reddere Mentem effreni impetu currentem ad deteriora: talem Moyſes Pædagogiam, grauem dorſo faſciculum agnoſcere non cunctatur.

Num. 11. 11.

Ibid.

*Ingemiſcit Moyſes ſub tanto Regiminis Populi Hebræi onere: quippe quod pueri moribus & ſenſu forent, quos regebat.*

Burgenſ.

Nec de Moyſe ſtupendum, cùm ipſi quodammodò Saluatori graue certamen: *O generatio incredula* (ait Marci cap. 9. verſ.18.) *quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Verùm, amabo, pulcherrime virorum, non iuuat apud hos eſſe? ſi enim diſcedas & hunc relinquas Mundum, an non conſpuenda facies, vulneranda cutis, terebrandus ſpinis vertex, clauis perforandæ manus, pedéſque; aperiendum ſacrum latus? Hæccine tam amara deuorare præſtat magis, quàm perſiſtere apud generationem iſtam? Victor Antiochenus Commentario in Marcum: *Cùm autem dicit: generatio incredula, quamdiu apud vos ero? inſinuat, moleſtiùs quodammodò ſibi eſſe diutiùs cum eis verſari, quàm in Crucem agi:* Quid autem in hac generatione, cuius liberari conſodalitate tantoperè æſtuat, Chriſto diſplicuit? nempe quod Pueri eſſent moribus & nequitiâ hebeti quadam atque infatuâ: diſce ex ipſiuſmet ore, Matth. cap. 11. verſ. 16. *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? ſimilis eſt Pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: cecinimus vobis,* &c. ſed erant Pueri centum annorum Iudæi ſceleribus & perfidiâ inueteratiſſimi; ideo conquerebatur Ieſus, nec tamen à monendo deſtitit, quoad vrgebatur Patris mandato, vt abſolueret. O certè arduam Puerorum Inſtitutionem, ſed Deo charam, Humano generi neceſſariam imprimis. Equidem Sapientiæ nihil antiquius, poſt erectum gymnaſium de ſeptem columnis, quàm vt ancillas mitteret, quæ vocarent ad arcem & mœnia Ciuitatis, ſi quis eſſet Paruulus.

35.

Marc. 9. 18. *Moleſtiam maximã affert Chriſto, cohabitatio cum Iudæis centum annorum pueris.*

Victor Antioch.

Matth. 11. 16.





36. Suſcitauit defunctus Eliſeus ſolo oſſium tactu occiſum Hominem, Reg. 4. cap.13. verſ.21. & quidem non Religione aliquâ ad eius perlatum tumbam, ſed metu latronum intus proiectum: ſuſcitauit & Puerum, At conatus vicariâ operâ, miſſo cum Diſcente baculo, reſtituere priſtino vigori, ceſſit in vanum induſtria: nam etſi baculum ſuper os Pueri Giezi poſuerunt; *non erat vox, neque ſenſus.* Reg. 4. cap. 4. verſ. 31. ergo accingitur ipſe Propheta certaturus cum morte aliena; vicit poſtremò; ſed non abſque fatigatione Triumphus: *Nam incubuit ſuper Puerum* (eodem cap. verſ. 34.) *poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt Caro Pueri:* cur tantus labor in Puero reuocando, tam exiguus in adultæ ætatis viro? Non potuiſſet etiam Puer ad lucem remeare vel ſolo tactu, aut vocis imperio tantùm? Equidem poſſit, ſed myſterij causâ peracta ſunt, quæ ad vitam non deſiderabantur: Rectè Bernardus ſermone 16. in Cantica: *Ego nec illud vacare reor, quod Propheta incumbens ſuper mortuum, ad menſuram puerilis corporis ſeſe conſtruxit, os ſuum ori illius coniunxit, oculiſque oculos, & manibus manus: Spiritus ſanctus ſic omnia fieri, & ſic ſcribi fecit, ad eruditionem proculdubio:* Quódque nos arcani gratiâ incuruatum Eliſeum, & os ori admouiſſe, luminibus lumina, manibus manus, diximus, idem paulò inferiùs ſanctus Abbas de ſeptem oſcitationibus: *Sufficiebat* (inquit) *ad gloriam manifeſtandi Miraculi oſcitaſſe ſemel: Sed multiplicitas, & inſignis numerus myſterij admonent.* Sed quale tandem latet in his Sacramentum? Nempe vitæ acceſſu ea ſignificatur Inſtitutio, quâ ex Trunco penè, & mortuo cadauere quiſquam Rationalis, intelligens, eruditus euadit: Ergo leui diligentiâ reuiuificatus Homo iuſtæ ætatis ſubindicat, facilem eſſe diſciplinæ Rationem, cùm qui inſtruitur, iudicio pollet, & virum quæ decent, ea gerit: Tantus autem conatus circa impuberem, oſtendit Puerorum Didaſcaliam, rem eſſe plurimi ſudoris: Neceſſum enim, vt iterum Magiſter repueraſcat, & amplitudinem ſuam Pueri circumſcribat anguſtiis: ac quod de Sara feſtiuè Zeno Veronenſis aſſeruit, cùm peperit Iſaacum ſerm. 3. de Abraham: *Tunc diſcit Mater eſſe, cùm deſinit,* cum propè in modum de Inſtitutoribus: Tunc diſcunt eſſe Pueri cùm deſinant: Quàm iucundum ſuperis ſpectaculum: velle Homines conſpicuos doctrinâ, ſtemmate, Religione, *iterum ad minores redire annos, quo Pueris condeſcenſione ſimiles, ex Pueris viros faciant.*

4 Reg. 13. 21.

Verſ. 34.

*Ex comparatione mortuorum quos ſuſcitauit Eliſeus oſtenditur, quàm difficile ſit pueros erudire.*

Bernard.

Bernard.

Zeno Veron.

# VESTIGATIO X.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum octauum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus*: Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te Amica mea. *Cap.1. verſ. 8.*

*IAM Sponſæ incipiunt gaudia: cuius deſiderio tabeſcebat caro, Spiritus ſuffocabatur: quem dormiens, quem excubans vnum cogitabat, reducem habet Dilectum. Magna cum Pompa adeſt, magnis cum muneribus, comitatur venientem flos aulicæ nobilitatis: effluxêre ex Ieroſolymis videndi ſtudio ætates omnes, non vaſta Libani eremus capit multitudinem: Quàm lætus dies Virgini proceſſurus iſte! Ergo abeant tandem quibus hactenus compuncti ſumus triſtioris Animæ ſingultus, & querimoniæ; & verba ſæpe à lacrymis interrupta, dum timet ob Amorem, ſi reuerſurus ſit Sponſus: Ac ſanè iuxta Epithalamij partitionem, quam exhibuimus Anteloquio Tertio Numero 38. Verſus, quos hucuſque declarauimus, Introductio, & veſtibulum ſunt ad Comœdiam ſacram: Ab ea, quam modò enucleare tentamus ſententia, primus Dramatis inceptat Actus, qui venientibus Hoſpitibus epulum præparat ſollenne, genialem inſtaurat pompam, & nubentes ornat, diſponitque ad fœdus connubiale, Amantium blandimenta intermiſcet aliquando: De quibus admonere paucis cenſuimus, vt quem ſuperiori Volumine polliciti fuimus, eum nos in Commentando obſeruare modum Lector intelligat.*

*Hactenus Dramatis Introductio. Hic Sacræ* COMOEDIÆ *incipit* ACTVS I.

*Ad quos Pharaonis currus alluſum? Nobilitatis inſignia quadrigæ & Equitatus: De Circi initio coniecturæ: An Salomonis æuo, & inter Iudæos Hippodromi ſpectacula? Præmeditatio ad Bellum ſub pace bonis Imperijs: Rhedarum & equorum magnifici ornatus veteribus: Equi generoſi Notæ: paßim antedicta ſacræ paginæ comprobata ſententijs: Diſquiſitum ex Regum tertio diligenter de Coa: Quid inde Salomoni aſportatum?*

### SECTIO I.

1. *Quiſnam hic Pharao.*

CVIVSNAM Pharaonis Equitatus? Veteres in ea fuêre opinione ſcriptores in Latinis Patribus vniuerſi penè, de Græcis multi ſatis, vt ad eum Ægyptiorum Regem alludi crederent, qui fugientem Moyſe Ductore in eremum Hebræorum populum inſequutus eſt quadrigis vectatus, Exodi cap. 15. verſ. 10. & 16. Nonnunquam Græci potiſſimùm Pharaonis vocabulo Regem aliquem Ægypti ſolum intelligunt, ſiue eum qui Moyſe coætaneo regnarit, ſeu qui ſynchronos Dauidis filio, ſeu qui alio vixerit ſeculo: in eum modum Cantacuzenus, ἐν ἅρμασι Φαραώ, τῇ ἑβραίων φωνῇ Αἴγυπτος τὴν ἁμαρτίαν δηλοῖ. ὁ δὲ ταύτης βασιλεύων, ἐστὶ Φαραώ. διὰ τοῦτο καὶ ταύτην ἅρμασιν ὡμοίωσε Φαραώ. *In curribus Pharaonis, Hebræo vocabulo Ægyptus peccatum præfigurat, cuius quidem Rex Pharao eſt, & ideo comparauit eam currui Pharaonis*: Neque inſcitè pro quouis Ægypti Monarcha, Pharaonis poſitum nomen, cùm Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 6. referat aſſerens: *Pharao Regem Ægyptijs ſonat: opinor autem ipſos à pueritia nominibus alijs diſcretos, quàm primùm Reges creati fuerint, poteſtatis eius nomen patriæ linguæ vernaculum aſſumere: Nam & Alexandrini Reges, alijs priùs nominibus vocati, poſt aſſumptum Regnum, vocati ſunt Ptolomæi à primo eius vrbis Rege; & Romanorum Imperatores alioquin gentilia nomina habentes, Cæſares appellantur, Principatus & Honoris vocabulo, poſthabito illo priore, quod à Parentibus hæreditario iure in eos dimanauit*: Quo de more & in aliarum Prouinciarum Toparchis & ducibus conſule Genebrardum ad titulum Pſalm. 33. Pinedam lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 16. num. 2. Viegam in cap. 2. Apoc. ſectione 14. num. 3. Sed parum nobis intereſt, vtcumque dicti ſint, nam quod operæpretium ſit, tantùm, vt qui in Ægypto dominati ſint, cùm Moyſes in deſertum cum Iſraëlitis properaret, aut cùm Salomon habenas Imperij capeſſerit, ij nuncupati ſint Pharaones, quod tamen Scripturæ palàm manifeſtant, Exodi c. 15. & Regum 3. cap. 3. Ergo eam Priſcorum ſententiam, quam aſſerebamus teſtari, de Carrucis eſſe ſermonem bellicis, quibus abeuntes Iudæos vſque ad Rubri Maris gurgitem inſequutus eſt Pharao, ex Neotericis amplexati ſunt Cyprianus Ciſter-

Cantacuz. — Ioſeph. Pharao *apud Ægyptios Regem ſonat.* — Genebrard. Pineda. Viegas. — *Quinam hi Currus?* — Cypr. Ciſt.



Ciſtercienſis, quam tranſcripſit Almonacirius; idem Delrius, Alphonſus de Oroſco, Tirinus: Altera cogitatio eſt, de eo Pharaone proloqui Epithalamium, qui Salomonis ſocer appellatus eſt citato nuperè ex Regum tertio volumine c. 3. igitur, vel filiam comitatus eſt in Palæſtinam, quadrigis & equitatu ſplendidiſſimo inſignis: vel donum miſit ad generum lectiſſimos equos & Currus: vel denique emit per negotiatores ipſe Salomon, & quia de Ægypto erant, (Nam Reg. 3. cap. 10. verſ. 28. *Et educebantur Equi Salomoni de Ægypto, & de Coa: & ſtatuto pretio deducebant: egrediebatur autem quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta*:) propterea Pharaonis dicti currus, hoc eſt Ægyptiaci. Huius Pronunciati Tutelares denſum ex Iunioribus agmen: Vatablus, Guidacerius, Petrus Nannius, Genebrardus, Aloyſius Legionenſis, Franciſcus Moncæus libro 2. lucubratione 1. Sa, Mariana, Sotomaior, Menochius, Hortulanus, Villalpandus tom. 2. in Ezech. part. 2. diſputatione 3. cap. 53. vtrique factioni adhærentes Tuccius Annotatione, *Paſtrix*, loco 1. Sanchez & Gillerius.

Almonacir. Delrius. Oroſco. Tirinus. — 3 Reg. 10. 28. — Vatabl. Guidacer. Nannius. Genebrard. Aloyſius Legionenſis. Moncæus. Sa. Mariana, &c.

2. *Sponſus hic pompæ Nuptialis amplitudinem repræſentat grandiori Equitatus ſui exemplo.*

Igitur Sponſi, cuius hæc oratio, ſcopus, magnitudinem Pompæ, quam nuptiis Dilectæ præparauerat, grandiori aliquo allato exemplo repræſentare: Vides numeroſiſſimum equitatum ſtipantium me? Vides Libani planitiem quadrigis occupari & latiſſima ſpatia? Talis proceſſit quondam Pharao, cùm furiis agitatus Maiores noſtros in Ægyptum poſtliminio reuocare conaretur: Magnus fuit ille apparatus; ſed te, hoc eſt, genialem tuorum Connubiorum vultum, aſſimilaui curribus eius: Hoc Hieroſolymis diutius tenuit. Sin autem accedamus ad ſecundæ opinionis fautores, vt non felicior Expoſitioni naſcatur ſenſus, facilior proculdubio, quoniam certè non de bellico Tumultu aſſumatur Parabola, qui nuptiali Concordiæ, & blandimentis indulgentiſſimi Amoris aduerſatur, ſed nuptiis nuptiæ declarantur: itaque Salomon Dauidis Hæres, gloriâ & ſplendore incomparabilis Monarcha, quemadmodum paulò antea ſubinnuimus, Pharaonis Ægyptiorum Regis filiam, duxit vxorem: Siue ergo aſcendentem ex Ægypto gnatam Pater comitatus eſt, quod vero proximum intelligatur; ſiue ipſo iuſtas ob cauſas impedito, miſerit Optimatum capita; id extra Controuerſiam videatur, nempè, vt deſtinarit equites, & quadrigarios infinitos, quorum ad inſanum penè numerum, prorſus miranda appareret pompæ facies: eſt enim ipſa multitudo lætitiæ publicæ ingens Pars: atque hoc indicatum Machab. 1. cap. 9. verſ. 37. *Et ducunt Sponſam ex Madaba, filiam vnius de magnis Principibus Chanaan, cum ambitione magna*: declaratur autem faſtus amplitudo: *Et eleuauerunt oculos, & viderunt & ecce Tumultus, & apparatus multus; & Sponſus proceſſit, & Amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & Muſicis & armis multis*: quare de Regina Sabæ notanter Reg. 3. cap. 10. verſ. 2. & ingreſſa Ieruſalem multo cum comitatu: Sed ea de Re Nos Anteloquio 5. numero 40. & huius Tomi Veſtigatione 5. numero 10. Atque his præſtructis, ſi legamus vt nonnulli contendunt: *Equitatui in curribus Pharaonis*; dempto Pronomine, quod redundare in Hebræa dictione לְסֻסָתִי *Leſuſathi*, putant Gillerius atque Sanchez, exempliſque communiunt *Iod* ſæpe Parergicum eſſe ex ſanctæ linguæ conſuetudine: erit ſignificatio, vt Pompa

*Altera Equitatus Pharaonici Expoſitio.* — 1. Machab 9. 37. — 3. Reg 10. *Iod Hebræis ſæpe Paragogicum.* — Giſler. Sanchez.

nuptiarum Sponſæ æmula ſit ſupremi Imperatoris Salomonis commendatiſſimo geniali oſtentamento, quando nimirum ſub exordio Principatus de Ægypto coniugem accerſiuit Regiam ſobolem: Nam tum Pharao qui Rerum potiebatur, vt gnatæ Sponſalia omni proſequeretur honore, equitatum longè pulcherrimum delegit ex præſidiaria militia, adiecit Rhedas & pilenta ob artis ingenium & Materiæ præſtantiam venuſtiſſima: erant ergo illi Pharaonis currus; ac fuit inter connubialia ſpectacula longè digniſſimū quadrigarum ob copiam imprimis: Hoc ergo, quod gnatæ ſummum præſtitit Rex Ægyptius, hoc quod Salomonis thalamos mirè condecorauit, tuo renouantur Connubio: *aſſimilaui* itaque hoc ſanè modo *Te equitatui in curribus Pharaonis*: Intuêre iam, & gaude contemplans abſentiæ meæ fructibus: Si me detinuit Aula, immorabar vt hac cum quadrigarum gloria ad te illuſtris & Magnificus redirem: Habe me nunc parem Monarchis comitatus amplitudine. Sin autem vulgatum Textum integrè ſignificare cupiamus: *Equitatui meo* (ait) *aſſimilaui*, vt denotet, tot cùm eſſent quadrigæ ad ſtuporem maximum, tamen non fuiſſe mutuatum ab aliis Carrucas, vt falleret numero peregrinæ ſupellectilis, ſuum eſſe quod cernatur totum, vt quàm ſit diues atque potens eo ſolo argumento intelligere Sponſa facilè valeat.

*Senſus Literalis.*

Cur autem tanquam à nobiliori membro genialis ferculi, à Curuli exorditur Pompa? Primùm, quoniam regij erat ſplendoris & Maieſtatis præcipuæ, tot aluiſſe equorum greges, curribus ſubuehi etiam de famulantibus Miniſtris quoſdam: Suetonius de Nerone, cap. 30. *Nunquam carrucis minùs mille feciſſe iter traditur*: Et de eodem Tacitus Annal. 14. *Vetus Neroni cura erat curriculo quadrigarum inſiſtere*, &c. quod Regibus & antiquis ducibus factitatum memorabat: Magnus Baſilius in Iulitta: ἀνιᾶται ὅτι μὴ πατρίκιος, μηδ' ἑπτὰ πάππους ἔχει ἀριθμεῖν εἰς ἄνω ἱπποτρόφους ἢ μονομάχοις τὸν βίον ἐξαναλώσαντας: dolet, quia non eſt Patritia, neque ſeptem è Maioribus ſuis numerare poteſt, qui fortunas omnes alendis equis, aut gladiatoribus hauſerint. Caſſiodorus lib. 1. epiſtola. *Tantâ Patrimonij vbertate gloriatus eſt, vt inter reliqua bona equinis gregibus Principes vinceret: & ij cùm in Græcia, tum in Italia nobiliſſimi habebantur, quorum Maiores alendis equis famam quæſiſſent.* quare Homerus de Ericthonio Rege Iliad. 5. cantat:

Δάρδανος αὖ τέκεθ' υἱὸν Ἐριχθόνιον βασιλῆα,
Ὃς δὴ ἀφνειότατος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων.
Τοῦ τρισχίλιαι ἵπποι ἕλος κάτα βουκολέοντο,
Θήλειαι, πώλοισιν ἀγαλλόμεναι ἀταλῇσι.
*Hinc & Ericthonion Regem ſibi Dardanus edit*
*Quo non Mortalis fuit vnquam ditior alter:*
*Paſcebantur equæ cui ter mille humida prata*
*Gaudentes teneris pullis.*

Rursùm Caſſiodorus de Præfecto Prætorij lib. 6. cap. 3. *Ipſe primùm huius dignitatis inſulas conſecrauit; ipſe Carpentum reuerendus aſcendit, ad hoc gloriæ culmen euectus.* Et de Romanis Senatoribus Agellius lib. 3, cap. 18. *Senatores in veterum ætate, qui Curulem Magiſtratum geſſiſſent, curru ſolitos Honoris gratiâ in curiam vehi, in quo curru ſella eſſet ſupra quam conſideret, qui ob eam cauſam Curulis appellaretur.* Sed vt proxima faſtui eſt Vertigo, planè in amentiam ab immoderatis Regibus proceſſum: Nam & Bucephali memoriam Alexander eximio coluit funere, & vrbem ab eius vocauit Nomine, Plutarcho

3. *Quãtus apud veteres equorum, curruumque ſplendor.* — Sueton. — Baſil. — Caſſiodor. — Homer. — Caſſiodor. — Agell. *Equis honor ſtudiò impenſus.*

Plinius. Mela. Dio.

Plutarcho referente eius in vita, teſtibus Plinio lib.6. cap.20.& lib.8. cap.42. Mela lib. 2. cap.47. atque Hadrianus Imperator (Dione memorante) ſuper equi Venatorij tumulo columnam erexit auratâ cum inſcriptione. De Caligula verò ſcribit Tranquillus cap.55. Ne adamatus Equus ſtrepitu offenderetur, *Viciniæ ſilentium per milites indicare ſolebat, præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, prætérque purpurea tegmina, ac monile è gemmis, domum etiam & familiam, & ſupellectilem dedit, quo lautiùs nomine eius inuitati, acciperentur; conſulatum quoque traditur deſtinaſſe:* aliâ ſuggerent exempla non pauca Petrus Faber libro 1. Agoniſtichon, cap.26.& lib.2.cap.28. Carolus Paſchaſius de Coronis lib.6. cap. 15. Vlyſſes Aldobrandus de Quadrupedibus, ſub initio Operis de Equorum Natura tractans: & vt ex Biblico depromamus Theſauro quædam; Ioſephum decoraturus Pharao: *fecit eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante Præcone vt omnes coràm eo genu flecterent*, Gen. cap.41. verſ.43. cui affine honori, quod in Honorij laudem 6. eius Conſul. panxit Claudianus:

Tranquill. — Pet. Faber. Car. Paſchaſ. Aldobrand. — Gen.41.43. — Claudian.

*Tam tibi magnorum mercem fortuna laborum*
*Perſoluit Stilico, curru cùm vectus eodem*
*Conſpiceres.*

Mardochæus exaltandus equo imponitur, *qui de ſella Regis erat*, Eſth. cap.6. verſ.8. nouo Hebræorum Regi promittuntur equites & Præcurſores quadrigarum, Reg.1.cap.8.verſ.12. Denique Salomon, qui omnium Imperatorum ſuperauit magnificentiam, ad ſplendoris maximum nicrementum, habebat *quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium*, Reg.3. cap.4.verſ.26.

Eſth.6.8. — 3. Reg. 4.26.

4. *Curſus quadrigarum in ludis, ſpectaculis, nuptijs, ad quem omnes confluebant.*

Altera verò cauſa tot quadrigarum, ludi & ſpectacula fuerant: His nuptiarum feſtiua, quæ alacritate vigent præcipuè, carere non poterant: nihil autem omnium ordinum mortalibus lætiùs exiberi quadrigario curſu poſſit, ſiue iam hæc per tempora Circi integra effigies, ſeu inchoatio ſolùm: quanto ad videndum ſtudio properarent cuncti Ammianus indicat Marcellinus lib.28. *Exoptato die equeſtrium ludorum illuceſcente nondum ſolis puro iubare, omnes feſtinant præcipites, vt velocitate currus ipſos anteeant certaturos:* Baſilius in Gordio. πᾶσα ἡ πόλις ἑορτὴν ἄγουσα φιλοπολέμῳ δαίμονι κατειλήφει θέαν ἀγῶνα ἱππικὸν θεωροῦσα. οὐ Ἰουδαῖος ἀπῆν, οὐχ Ἕλλην, χριστιανῶν ἦ πλῆθος. ἀλλὰ καὶ δοῦλοι αὐτῶν διαστῆναι, καὶ παῖδες ἐκ διδασκαλείων πρὸς τὴν θέαν ἔτρεχον: *Omnis ciuitas feſtum celebrans Marti Bellatori, conuenerat ſpectatura Curule certamen: Iudæus non aberat, non Græcus, & multi erant Chriſtiani: Sed & Domini ſeruos remiſerant, & Pueri ex ludis literarijs currebant ad ſpectaculum.* Iam de Hilaritate intuentium, de compoſitis ad tripudium geſtibus Maro lib.5. Æneid.

Ammian. — Baſil. — Virgil.

*Tum plauſu, fremitûque virûm, ſtudiiſque fauentum*
*Conſonat omne nemus, vocémque incluſa volutant*
*Littora, pulſati colles clamore reſultant.*

Atque paria in Statio lib.5. Syluarum, Metro ad Criſpinum:

Stat.

*——qualis per iugera Circi*
*Cùm pulcher viſu, titulis generoſus auitis*
*Expectatur equus, cuius de ſtemmate longo*
*Felix demeritos habet admiſſura Parentes:*
*Illum omnes acuunt plauſus, illum ipſe volantem*
*Puluis, & incuruæ gaudent agnoſcere metæ.*

Ac voluptas tanta fuit, à qua ne venerandæ Religionis Chriſtianos tepidiores ſacra reuocauerit obſeruantia: percipiamus Saluianum Maſſilienſem congementem lib. 6. de vero iudicio & Prouidentia: *Si quando enim vſu venerit, quod ſcilicet ſæpè euenit, vt eodem die & feſtiuitas Eccleſiaſtica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium conſcientia quis locus maiores Chriſtianorum virorum copias habeat, caueáne ludi publici, an atrium Dei? & templum omnes magis ſectentur, an theatrum? dicta Euangeliorum magis diligant, an Thymelicorum? verba vitæ, an verba mortis? verba Chriſti, an verba Mimi? Non eſt dubium quin illud magis amemus quod anteponimus: Omni enim feralium ludicrorum die, quamlibèt Eccleſiæ feſta fuerint, non ſolùm ad Eccleſiam non veniunt qui Chriſtianos ſe eſſe dicunt, ſed ſi qui inſcij fortè venerunt, dum in ipſa Eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt, Eccleſiam derelinquunt: Spernitur Dei Templum, vt concurratur ad Theatrum: Eccleſiæ vacuatur, Circus impletur.* Igitur, quia nuptialis celebritas lætitiâ vnicè conſtat, ſpectacula meditatus eſt, quæ exhilarare poſſint affatim Sponſus, quadrigarium in ſtudio curſum.

*Etiam Chriſtiani in Circum conuolabant: vnde corripiuntur hic à Saluiano Maſſ.* Saluian. Maſſil.

5. *Salomon longo tempore ante Olympiadas.*

Sed comminiſci hæc à nobis, ne quidem ſpecioſo innixa fundamento, dolebunt Antiquitatum periti: Nam vix ipſa Græcia, quæ adinuenit & peperit, Circenſia ludicra nouerat Salomone Monarchiam gerente, cùm poſt illum extinctum longo annorum curriculo Olympiades cœperint; fuêre vero inter Olympiaca certamina præcipui quadrigarij curſus: Adde Hebræis inuiſos fuiſſe externarum Prouinciarum mores. At certè, quis primus currum trahere docuerit etiam in ipſis Græcorum fabellis ſatis ambiguum, vt noſter commonſtrat Cerda ad verſum 115. lib.3. Georgicorum: Salianus in annum Mundi 2827. refert tom. 2. Sed ante hoc multus vſus quadrigarum in Ægypto, Geneſ.cap.41. atque Exodi 15. crediderim ibidem Circenſes ludos inde poſterioribus ſeculis mutuatam Græciam, ſed Patriæ blandiendi ſtudio ſibi originem tribuêre Græcorum Annaliſtæ: Quod ſi quidem id exploratum ſit, quod nonnulli arbitrauêre ab Ethnicis Mortalibus, Solis in gratiam, quem Rhedâ quatuor ſubiugalium tractu per Olympum ferri putabant, inſtituros ludos quadrigarios; ac habent illi fautorem Corrippum Africanum Metriſtam libro 1. de laudibus Iuſtini Minoris Auguſti propè finem:

*Ab Ægyptijs Circenſes ludos mutuata Græcia.* — Cerda. Salian. Geneſ.41. — Exod.15. — *Ludi Curules in honorem Solis.* — Coripp.

*Hunc veterum primi ritum non ritè colebant,*
*Eſſe Deum Solem recta non mente putantes;*
*Sed fallor Solis poſtquam ſub ſole videri*
*Se voluit, formámque Deus de Virgine ſumpſit*
*Humani generis, tunc munere ſolis adempto*
*Principibus delatus honor, munúſque Latinis*
*Et iucunda noua Circenſia gaudia Romæ.*

Si, inquam, hæc probata, dicerem ſanè ex coniectura, quemadmodum Ægyptij in ſolis obſeruantiam, vrbem ei dicarunt, quæ propterea nominata eſt *Heliopolis*, id eſt, *Ciuitas ſolis*, de qua Geneſ. cap.41. verſ. 45. Ita, cùm apud eoſdem Quadrigarum ab antiquiſſimo Patriarcharum æuo multa eſſet copia, fuiſſe qui in mendacis Numinis fauorem ludos inſtituerint Currules, agitatis ad metam quadrigis, atque eum in finem diligenti ſtudio enutritis equis optimis, qui velocitate excellerent: Ab iis num quemadmodum alios plures Ritus, ita modum hunc ſpectaculorum Iudæi hauſerint, viderint alij: Græciam inde bibiſſe, cùm Ægypti Simia fuerit, vero cognatiſſimum eſt: Sed properemus ad Salomonis de Temporibus Quæſtionem.

*Heliopolis. i. Ciuitas Solis apud Ægyptios.* Geneſ 41.

Hoc



6. *Ludi Circenſes iam tempore Salomonis aliqui.*

Hoc igitur floreſcente Monarcha, vt concedamus non eam conſequutam eſſe Perfectionem Quadrigarum agitationem in Circo, quam longa Artis exercitatio deinceps attulit, Græcorum atque Romanorum vigentibus Imperiis; tamen Metæ atque ſtadij inſtitutam rationem, ſignatos certaminibus iudices, conuocatos ad videndum populares, præmia diſtributa Victoribus, conabimur oſtendere: Neque inde argumenta mutuabimur, quod ſciamus ab Adrichomio, dum ſuo in Theatro Ieroſolymam delineat, n.52. Circum ſtatui, Hippodromum ſcilicet, *in quo equi curſu, agilitate, & velocitate exercebantur; & Athletæ ſpectante populo curſu pedeſtri, equorum, bigarum, trigarum, quadrigarum, Haſtiludio, aliâve dimicatione certabant:* Nam quod ipſe merito inſinuat, & Ioſephi comprobat Narratio lib.15. Antiq. cap.10. & 17. Item de Bello lib.1.cap.21. & lib.2. cap.2. nouiſſimorum ſeculorum opera fuêre iſta, poſtquam deſiêre Reges Hebræorum: Hoc igitur deſtituti munimento, id quidem ſupponimus, quod nullum habiturum ſit Aduerſarium, Salomoni propè infinitam Quadrigarum atque equorum fuiſſe copiam: *Habuit quoque Salomon* (Paralip.2. cap.9. verſ.25.) *quadraginta millia equorum in ſtabulis; & curruum, equitúmque duodecim millia, conſtituítque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat Rex in Ieruſalem:* Quem in finem exquiſita multitudo? Vtique ad belli præſidia: At nullos Hoſtes expertus eſt, niſi ſi quid tumultuum ſub extremis diebus: Verùm ideò metuebant adoriri eum de externis Tyrannis vel pugnaciſſimi, quòd tanto ſuffultum apparatu cernerent: Ille verò, vt erat Hominum vniuerſorum ſapientiſſimus, in otio quoque & Tranquillitate Belli formabat ſimulacrum, & iuuentutem aſſiduè exercebat, vt eius Imperio æmuli noſſent, non cum indocta multitudine manus conſerendas: Sic enim præclari quique Caſtrorum Duces facere conſueuerunt: rectè enim Seneca de vita Beata cap. 26. *Numquam Imperator ita Paci credit, vt non ſe præparet Bello.* Quare Iulius Capitolinus in Maximinis duobus: *Quinta quaque die iubebat milites decurrere, ſimulacra Bellorum agere, gladios, loricas, galeas, ſcuta, Tunicas, & omnia arma illorum quotidie circumſpicere.* Tale, quod Plutarchus in vita refert Periclis: *Iam ſexaginta Triremes quoque anno emittebat: magnus numerus in his Ciuium nauigabat, octo menſes æra mœrens, meditánſque ſimul, & diſcens naualem diſciplinam.* Tale apud Maronem Æneid.7.

Adrichom. — 2. Paralip.9.25. *40000. Equi Salomonis, & 12000. Currus ad quid, niſi ad ludos: cùm bellum geſſerit nullũ?* — Seneca. — Plutarch.

*Ante vrbem Pueri, & primæuo flore iuuentus*
*Exercentur equis, domitántque in puluere Currus:*
*Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis*
*Spicula contorquent, curſûque, ictûque laceſſunt.*

Virgil.

Vbi Seruius Maurus: *Bene* (inquit) *Romanæ militiæ exprimit morem: Nam poſt pubertatem armis exercebantur, & ſextodecimo anno militabant, quo etiam ſolo ſub cuſtodibus agebant: nec eſt contrarium,*

Seru. Maur.

*——Longo populos in Pace regebat:*

*Nam licet in Pace eſſent, exercitium tamẽ vigebat armorum.* Tale denique, quod de gladiatorum ludis, memoratus nuper Iulius Capitolin. in Maximino & Balbino Imperatoribus: *Alij hoc Literis tradunt, quod veroſimilius credo; ituros ad bellum Romanos debuiſſe pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter ſe cohortes; ne dimicantes in bello armatos Hoſtes timerent, aut vulnera, aut ſanguinem perhorreſcerent.* His igitur ob ſimiles cauſas, vel mutuatam ab Ægyptiis Salomon Circi imitatus eſt normam; vel vti erat conſummato ingenio, ipſe adinuenit, nam ob Sapientiæ præſtantiam conſequutus eſt, vt plurium rerum primus fuerit opifex: itaque Vallo erecto & poſitis Metis ſtadium ordinauit, & Agonas, & quodcumque in Olympicis Græcia admirata eſt.

Iul. Capitol. *Ituri ad bellũ Romani in Gladiatorum ludis cruorem bellicum imbibebant.*

7. Moncæus. Ioſephus Steph. *Ad quid tot equi, curruſque in Palæſtina?*

Putauêre Franciſcus Moncæus libro 2. in Canticum Salomonis, lucubratione prima, Ioſephus Stephanus de Bello ſacro Machabæorum, in illud cap.3. lib.1. *quoniam non in multitudine*, &c. pag.203. quod equorum & Curruum in Palæſtina fuiſſet, ornatus & pompæ gratiâ comparatum, non autem ad laceſſendos Hoſtes: nimirum ex Deuteronomij cap. 11. verſ.11. conſtat Regionem montuoſam eſſe, atque ideo quadrigis & equitatui difficilem: Verùm certè eodem loco Deuteronomij, laudatur pariter quia campeſtris ſit: in planitie autem poterat vſus eſſe Rhedarum, equitúmque: & pro terminis Palæſtinæ acriter cum Iſraëlitis Philiſtini decertabant: è quibus tamen exercitus nerui? *Et Philiſthijm congregati ſunt ad præliandum contra Iſraël.* (Reg.1.cap.13. verſ.5.) *triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus ſicut Arena, quæ eſt in littore maris plurima:* nempe ex curribus præliabatur, vt Lyra & Dionyſius aduertunt: Sed præbeamus faſtigia montium eſſe ſcandenda, quid Libano altius? eius & in Cacuminibus quadrigæ Bellatrices fuêre: nam Regum 4. cap. 19. de Sennacheribbica militia, verſ. 23. *Per manum ſeruorum meorum exprobraſti Domino, & dixiſti; in multitudine curruum meorum aſcendi excelſa Montium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius:* Concedamus tamen ad voluptatem & luxum, non ad pugnam tanto ſtudio, tantíſque ſumptibus delatas ex Ægypto quadrigas, nihil fuerit, quod noſtrum Thema plus confirmet: Nam ſequutum impensè voluptatum illecebras Salomonem, Eccleſiaſte ſecundum caput apertè demonſtrat: *Et omnia quæ deſiderauerunt oculi mei* (inquit verſ.10.) *non negaui eis, nec prohibui Cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram:* Ergóne in delicias & iucunditatem effuſus omnino Princeps, neglexerit Circi ſpectacula? non aurigæ de velocitate contenderint? non belli paraturam equites ſimularint? haſtâ & clypeo pugnarint abſque ſanguine, & vulneribus? Quid hoc ludorũ genere magis adamauit omnis Antiquitas? Itaque, ſatis coniecturarum eſt, vt opinemur, temporibus Salomonis Circenſia introducta ſpectacula, ea quæ honeſta fuiſſent, nempè Athletarum luctam, diſcum, curſum, & pedeſtrem & quadrigarium, variáſque in equis Belli ideas: Quæ cùm à vulgo, & meliori etiam quoque Ordine plauſibus recepta ſecundis animaduerteret Sponſus, exiſtimauerit nihil futurum, quod nuptialem pompam ſic commendaret: Quamobrem aduexit ſecum ex Ieroſolymis eum in finem, excellentium quadrigarum, & equitum copiam, vt ne ipſi Monarchæ penè cederet, atque hic equitatus Pharaonis, quam Sponſæ ſuggerit.

1. Reg. 13. 5. — Lyra. Dionyſ. — 4. Reg 19. 23. — Eccliſ. 2.10. — *Tempore Salomonis introducta Circenſia ſpectacula.*

8. *Ingentes in curribus & Equis Priſcorum expenſæ.* Plin.

Verùm, vt Conſtructio Latini vulgati Textus decurrat inoffensè, conſiderandum eſt à priſcis, in Curruum & equorum ornatus magnas adhibitas extenſas: Plinius lib. 37. cap. 12. *gemmæ tantæ quondam magnitudinis fuêre, vt equis Regum in Oriente frontalia, atque pro phaleris penſilia facerent:* Appianus in Mithridaticis de Pompeij triumpho: αὐτὸς δ' ὁ Πομπήιος ἐπὶ ἅρματος ἦν καὶ τοῦδε λιθοκολλήτου: *vehebatur in curru è lapillis precioſis.* Ammianus Marcellinus lib.16. de Conſtan

Appian. — Ammian. Marcellinus.

Conſtantio : *Inſidebat aureo ſolus ipſe carpento fulgenti claritudine lapidum variorum.* Chryſoſto-
Chryſoſtom. mus homilia 21. in Matth. *Propter hanc enim gloriæ cupiditatem, Homines & ſeruorum greges, & Eunuchorum cateruas, & equos phaleris aureis inſignes conquirunt,*&c. Naſo Metamorph. lib. 6.

Ouid.

*Conſcendunt in equos, Tyrióque nitentia ſucco*
*Terga premunt, auro grauidis moderantur habenis.*

Statius. Papinius lib. 9. Thebaidos:

*——— Venator equus, quem diſcolor ambit*
*Tigris, & auratis aduerberat vnguibus armos.*

Claudian. Claudianus de quarto Conſulatu Honorij:

*——————— Spumoſis morſibus aurum*
*Fumat, anhelantes exundant ſanguine gemmæ.*

Seneca. Seneca epiſt. 87. *Quid ad rem pertinent Mulæ ſaginatæ vnius omnes coloris? Quid iſta vehicula cælata?* Æneid. 7.

Virgil.

*——— Inſtrati oſtro alipedes, pictiſque tapetis*
*Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent*
*Tecti auro, fuluum mandunt ſub dentibus aurum.*

Xenophon. Xenophon lib. 8. Cyropæd. οἱ δ' αὐτῷ Κύρῳ ξεφόμενοι ἵπποι, παρήγοντο χρυσοχάλινοι ῥαβδωτοῖς ἱματίοις καταπεπτωμένοι. *Equi ducebantur frænis aureis eximij, qui Cyro nutriebantur, Virgatis amicti ſtragulis.* Flauius Vopiſcus de Aureliani Triumpho:
Vopiſcus. *Currus regij tres fuerunt : in his vnus Odenati, argento, auro, gemmis operoſus, atque diſtinctus : alter, quem Rex Perſarum Aureliano dono dedit, ipſe quoque pari opere fabricatus; Tertius, quem ſibi Zenobia compoſuerat, ſperans ſe vrbem Romanam cum eo viſuram, quod illam non fefellit : nam, cum eo vrbem ingreſſa eſt victa & triumphata.* Et in ſacro inſtrumento, Iudic.
Iudic. 8. 21. cap. 8. verſ. 21. *Tulit ornamenta, ac Bullas, quibus colla regalium Camelorum decorari ſolent*; atque v. 26. *Abſque ornamentis & monilibus, & veſte purpurea, quibus Reges Madian vti ſoliti erant, & præter torques aureas Camelorum.* Quid verò operoſius geſtatorio illo vehiculo, quod huius Epithalamij capite pingitur tertio, verſ. 9. de lignis videlicet imputrilibus & odoratis Libani : columnas habens argenteas, Reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, Meditullium exquiſiti pretij lapillis conſtratum? Ergo in equorum ornatum, quadrigarúmque lautiſſimæ ſupellectilis optima conferebantur : Iam & in ſuperioribus oſtendimus præſertim ad duo Hemiſtichia : *Oleum effuſum Nomen tuum*, &c. Et *Introduxit me Rex in*
*Quicquid rarum & elegãs in Salomonis aula : id in Libanum ad nuptialem pompam trãſmiſſum eſt.* *Cellaria*,&c. nihil in Salomonis aula elegans aut rarum inuentum, ſeu de byſſinis, ſeu de Purpureis, ſeu de auri & argenti cælaturis, ſiue de gemmis & Margaritis, ſeu de omni fragrantiori oleo, & thymiamate, quod non in Libanum ex Ieroſolymis Sponſus ad Dilectam ſuam per OEconomos præmiſerit, quò in diem Connubialem non modò compta & delicata prodiret, ſed augusta quoque & potens : Hæc igitur alludens ad decoramenta Sponſæ : cùm ſimilis reluceret gazæ honor in equorum phaleris, inque Rhedarum gloria, quibus ex grandiori elegantia nihil deerat, aptè Sponſam pari ambitione magnificam, *Equitatui ſuo cum curribus Pharaonis aſſimilauit* : Et poterat muliebris perſtudioſus mundi ſexus, ſubcontriſtari ab inuidia ornamentorum tantorum in equis & lecticis, ſed liuoris cauſas vigil Sponſi Prouidentia ſuſtulit miſſis cum tempore donis ad promiſſam Coniugio Virginem : imò hac Oratione videatur quaſi extenuare liberalitatis vel cum Sponſa, exceſſum tamen, propterea & ipſa quidem arguebat Prodigalitatis, quando Oleum effuſum nuncupauit; ſed ille Veniam petit, vt qui in Dilectam non alia congeſſerit Bona, quàm quibus vel quadrigæ ſpecioſæ reddantur, vel equorum excitatur alacritas : *Equitatui* (inquit) *meo in curribus Pharaonis aſſimilaui Te Amica mea :* Scilicet, egregium fuit tibi indiuiduæ conſorti, & ſupra Animæ dimidium, tribuiſſe, quibus Vectoria noſtra, Currus, Equóſque ornamus.

9. *Generoſi Equi Notæ.* Generoſi equitatus primæ notæ, ſi in pericula audax atque impauidus, & pro gloria contendat nullo Aduerſarij reſpectu : Varro lib. 2. cap. 7.
Varro. *Equi boni futuri ſigna ſunt; ſi cùm gregalibus in pabulo contendit in currendo, aliáve qua re, quo potior ſit : Si cùm flumen tranſuehendum eſt, gregi imprimis prægreditur, ac non reſpectat alios :* Virgilius in eandem ſententiam 3. Georgicorum :

Virgil.

*Continuò pecoris generoſi pullus in aruis*
*Altius ingreditur, & mollia crura reponit,*
*Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces*
*Ardet, & ignoto ſeſe committere Ponti,*
*Nec vanos horret ſtrepitus.*

Iuuenal. Iuuenalis Satyra 8.

*——————— nempè volucrem*
*Sic laudamus equum, facili cui plurima palma*
*Feruet, & exultat rauco Victoria Circo :*
*Nobilis hic quocumque venit de gramine, cuius*
*Clara fuga ante alios, & primus in æquore puluis.*

Vultis laudatiſſimum teſtem Iobum? capite 39.
Iob 39. 20. *Equi Ægyptij olim cõmendatiſſimi.* verſ. 20. *Gloria narium eius terror : Terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Erat verò commendatiſſima illis ſub temporibus equorum Ægyptiorum Proſapia, inde petebat Salomon
3. Reg. 10. ſtabuli decus, Reg. 3. cap. 10. verſ. 28. quia igitur generoſiſſimo equitatui comparabat Sponſam, quadrigis Pharaonis aſſimilauit : in quem verò ſcopum? Nimirum abſente Dilecto, eius pro nomine & fama altercata eſt Puella cum nuribus Ieroſolymitanis : id monſtrauimus ſuperiùs, cùm verſus tertij poſtrema exponebamus verba : *Recti diligunt te:* & quanquam ſequentium Carminum,
*Quod Sponſa ſtrenuè cum Ieroſolymitanis pro Sponſo decertarit, hanc ideo generoſo Equo bellè comparat Sponſus.* *Nigra ſum ſed formoſa filiæ Ieruſalem*,&c. materia Sponſæ ipſius Apologeticum eſſe videatur, tamen viri honor eum ſtimulauit in proprias laudes, ne ſi certa fuiſſent, quæ inimicæ opponebant Heroinæ haud abſque culpa Sponſus quidem iniqui admiſſor thalami : Atqui Virgo cùm eſſet de Ruris media turba, pro agreſtium Animorum conſuetudine, à multitudinis vrbanæ faſtu confundi poterat, vt ne hiſcere quidem auderet coram præſtantiori corona : Solent enim trepido eſſe corde ſimplices Nemorum cultores : Sed Sponſa velut nobiliſſima equorum ſoboles, nullius pudefacta authoritate, decertauit pro Sponſi honore, & obtinuit palmam : cúmque frequentes tabelliones ex Ieroſolymis in Libanum irent, redirent; annotabant geſtus, verbáque Sponſæ omnia, & referebant Amatori Domino, ab iis didicit contentionem, atque Victoriam : Atque vt ſignificaret, quàm memori conderet pectore, quæ eius gratiâ ſubiiſſet pericula Sponſa, exorditur ſalutationem Colloquiorum, (nam hic primus Sponſi cum Dilecta ſermo Hymænialis) à recordatione tanti Beneficij, equorum adhibita parabola : tacet verò ingentes, quos ipſe in Metropoli perpeſſus ſit à cognatis labores, ferentibus grauiſſimè Puellæ ignobilitatem : Nam leue eſt illi quicquid pro Sponſa patiatur : maximum ſi quod ob ipſius cauſam illa portet.

Cui



10. *Hebræi à vicinioribus, & notioribus, externa & incomperta denominant.* Cur autem, vt nobiliſſimam equorum denotaret ſtirpem equitatus Ægyptiaci meminit, nam talis qui in Pharaonis curribus, hoc eſt, Regis qualiſcumque Ægyptiorum? Hebræorum mos eſt à vicinioribus, notioribúſque rebus externas & incompertas denominaſſe : Sic quod Tharſicum fretum proximus eſſet, omnia Maria Tharſis vocabulo ſignificaſſe exiſtimat
Sanctius. Tirin. Sanctius in cap. 10. lib. 3. Regum num. 60. cui adhæreſcit Tirinus ad verſ. 21. cap. 9. lib. 2. Paralip. Euidentius aliud exemplum : Quoniam Græci notiores erant Hebræis aliis nationibus, & eorum latè propagabatur imperium, Græcorum nomine omnium Prouinciarum Gen-
Ioel. 3. 6. tiles comprehendebant, Ioelis cap. 3. verſ. 6. *Et filios Ieruſalem vendidiſtis filijs Græcorum.* Ad Rom.
Rom. 1. 16. cap. 1. verſ. 16. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco.* Ad Gala-
Galat. 3. 28. tas cap. 3. verſ. 28. *Non eſt Iudæus, neque Græcus, non eſt ſeruus, neque liber*, &c. Omitto Autho-
*Equi Ægyptij commendati apud Hebræos, vnde præ cæteris nominati quia vicini.* res recenſere, quoniam placiti communiſſima eſt ratio, atque aliàs à nobis tentata. Cùm igitur Pharaonis Ægyptiorum Monarchæ, & currus & equitatus famam conſequuti eſſent præclariſſimam, in confinio autem Syrorum & Paleſtinæ ipſa eſſet Ægyptus, à noto & proximo equitatu, omnem equorum generoſam progeniem nuncupare conſueuerunt : idcircò Sponſus præſtantiſſimum expreſſurus equitatum, Pharaonis cum bigis, ſiue quadrigis comparauit. Sed his fuerit, qui opponat, non ſolos eos cognitos equos temporibus Salomonis, in quæ Epithalamium incidit, quos Ægyptus alebat, verùm aliis quoque accerſitos Prouinciis : Nam Reg. 3.
3. Reg. 10. 28. cap. 10. verſ. 28. *Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & Coa, & ſtatuto pretio perducebant :* Et
2. Paral. 1. 16. Paralip. 2. c. 1. verſ. 16. *Adducebantur autem equi de Ægypto & Coa à Negotiatoribus Regis, qui ibant, & emebant:* Coa autem Ægypti pars non erat, alioquin vitioſus loquendi ordo, cùm ſi comprehendatur ſub Ægypto, ab ea non erat diſtinguenda, quemadmodum facit Ordinarius Interpres.

11. *Quid per Coã ſignificetur, obſcurum.* Arduum eſt, fateor, quid *Coæ* ſignificetur vocabulo declaraſſe : Putant Nonnulli à Tranſlatore pro nomine appellatiuo locatum proprium, vel certè pro ſignificatione Nominis ipſam Originalem vocem, & peregrini idiomatis dictionem. Nam in Hebræo eſt מִקְוֵה *Micveh*, quod L X X. *Ecuæ*, vel *Thecuæ* appellationibus expreſſerunt, noſter parte dictionis retenta, *Coam* declarauit : eiuſmodi autem nomen cùm iuxtà ſignificationem, telam, vel filum innuat, arbitran-
*Coa, tela vel filum.* tur ſimul cum equis delatam Salomoni ex Ægypto telam aliquam, naturâ, pretio, Textrinâ ſingularem quidni enim harum mercium diligens Venator Salomon, cui in veſte ſtudium & ambitio fuit? de quibus recordatus Chriſtus
Matth. 6. 28. *Byſſus ex Ægypto laudata.* Matth. cap. 6. verſ. 28. *Conſiderate* (ait) *lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent : Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis :* Porrò
Ezechiel. 27. 7. Ægyptus Byſſum ſuppeditabat Ezechielis c. 27. verſ. 7. *Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in*
Plin. *velum, vt poneretur in malo :* Lege Plinium libro 19. cap. 1, & in dictum Prophetæ verſum Vil-
Villalpand. Sanct. lalpandum & Sanctium : Scriptura Purpuræ aſſociat, Prouerb. cap. vltimo verſ. 22. *Byſſus &*
Prouerb. 31. 22. *Purpura indumentum eius :* & Luc 16. verſ. 19. *Ho-*
Luc. 16. 19. *mo quidam erat diues, qui induebatur Purpura & byſſo :* Neque alia Sponſæ honoratior veſtis in
Apoc. 19. 8. die nuptiali apud Ioannem Apoc. cap. 19. verſ. 8. *Et datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido :* neque Materiam ſubminiſtrabat ſolam, verum Artis imprimis excellebat opere. Lucanus decimo Pharſal.

Lucan.

*Strata micant Tyrio, quorum pars maxima ſucco*
*Cocta diu virus non vno duxit aheno :*
*Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco*
*Vt mos eſt Pharijs, miſcendi licia telis.*

Idémque Poëta paulò inferiùs de Cleopatræ ornatu pangit :

Idem.

*Candida Sidonio perlucent pectora filo*
*Quòd Nilotis acus compreſſum pectine Serum*
*Soluit, & extenſo laxauit ſtamina velo.*

*Veſtes Coæ ſplendidæ.* Scimus & ab antiquis inter ſuperbas opes numeratas Coas veſtes : Propertius lib. 2. Elegia 1. ad Mecænatem :

Propert.

*Siue togis illam fulgentem incedere Cois*
*Hoc totum è Coa veſte volumen erit.*

Tibullus lib. 2. Eleg. 3.

*Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa*
*Texuit, auratas diſpoſuitque vias.*

Aurelius Prudentius Hymno Ieiunantium, Niniuiticam deſcribens Pœnitentiam :

Prudent.

*Rex ipſe Coos æſtuantem murices*
*Læna, reuulſa diſſipabat fibula*
*Gemmas virentes, & lapillos ſutiles.*

*Quæ ex Hebræo in Trãslatione retinentur nomina, ea propria habentur, quæ tamen appellatiua & cõmunia multoties facit Interpres.* Atque his confirmatis illud ſolum officiat explanationi, quod nomina primitiuæ linguæ ſi retineantur, propria ſemper indicari conſueuerint: Verùm negari haud queat noſtro de Interprete, eum propria nomina appellatiua & communia multoties facere, Quod eum millies agere noſter
Sanct. affirmat Sanctius ad cap. 21. lib. 2. Reg. n. 34. locus
1. Paralip. 4. celebris eſt Paralip. 1. cap. 4. v. 22. diſputat Ribera
Ribera. ad c. 2. Sophoniæ n. 18. Eſtque Recentiorum trita cogitatio: Curni igitur & dixerimus eundem aliquando omiſsâ interpretatione vocis appellatiuę ipſam interdum retinêre vocem, quæ licet propria videatur, communis tamen ſit? atque eo modo huius Epithalamij c. 6. v. 12. Aminadab poſitum multi ſentiunt: denique huius ſententiæ non
Pagnin. Vatabl. Clarius. Sà. Marian. obſcuri Patroni, Pagninus, Vatablus, Clarius, Emanuel Sà, Mariana : Quæ ſi placeat, ſaluat, quemadmodum ex Ægypto ſolùm currus, & equos aduexerit Salomon.

12. Vetat ſincera conſtructio vulgati Textus his acquieſcere: Nam planè in auferendi caſu Nomen Coæ poſitum, in Recto autem poneretur ſi Merces innueret, quæ tranſportabantur : inſuper & Coæ illæ veſtes non de Byſſo fuerunt, quam Terra gignit, atque Ægyptus alit, ſed bombycinæ & ſericæ, quæ à Vermibus & Arboribus;
Gorop. Bec. I. Lipſius. Propugnatoribus Goropio Becano in Vertumno ſuo, & Iuſto Lipſio in lib. 2. Annalium Taciti, in illud : *Ne veſtis Serica*, &c. Poſtremò, neque Ordinario Interpreti mos Hebræo, aut exotica quæuis vocabula inſerere niſi additis pariter illorum ſignificationibus. Ergo, ſi nomen proprium loci, vel Regionis, qua tandem in or-
Moncæus. *An Coa Goã innuat?* bis plaga? Franciſcus Moncæus lucubratione 1. Secundi libri ſuper his Canticorum verbis, cõiectatur Goam eſſe intelligendũ celeberrimum emporium Orientaliũ Indorum; nã feracem equorũ
Oſor. nobiliũ tractũ ex Oſorij Epiſcopi de Rege Emanuele Hiſtoria probat : Soluiſſe verò eas in oras Salomonis, quę in Ophir & Tharſim profecta eſt, claſsẽ, conſtantiorẽ eſſe ſcriptorum mentem: Vereor, ne huic opinioni cõciliarit beneuolẽtiã ſola Goæ vox in Luſitanis audita Annalibus: Nam, vt cõcedamus, quæ de Ophir & Tharſi ſupponuntur ſtabilia eſſe, cur numeratis iis, quibus oneratæ



 puppes

puppes reuertebantur, vſque ad ſimias & pauos, de equis ſilentium obrepſit? Taceo Animantibus illis difficilem fuiſſe Nauigationem, quæ eundo, redeundóque, vt multi volunt, tres conſumebat annos: verùm cùm ex Græcia & Hiſpania, quin & Italia ipſa compendio aduehi potuerint equi in paucis generoſi, quis fructus tam longi itineris? Abulenſis quæſt. 13. in cap. 10. lib. 3. Regum, Inſulam in Græcia ſtatuit, Hippocratis Medicorum ſcholæ Principis natale ſolum, quod & teſtatur Strabo lib. 14. Geographiæ: eſt verò Cycladum vna in mari Ægæo: Toſtatum ſectatus eſt noſter Lorinus ad verſ. 1. cap. 21. Actorum: cuius ſanè ex prima capitis parte commodè ex Syriæ atque Phæniciæ oſtiis maritimis in Coum, & adiacentes Inſulas nauigari poſſe lector reperiet: ídque ipſum deducet ex lib. 2. Annalium Taciti, cap. 14. aliàs duodecimo: nec multorum eſſe dierum opus Tabulæ demonſtrant Geographicæ, in quibus & propè Inſulas illas mentio de Salomonis promontorio: His aduerſabuntur, quod Strabo, qui memorato libro Inſulam cum diligentia repræſentat, cùm frugum & vini optimi fœcundiſſimam glebam aſſerat, equorum non meminerit. Adde, ſi neque Ophir, neque Tharſis in Græcia, tamen de Nauigationibus Salomonis non conſtat aliis, quàm in eas, quæ dirigerent curſum Regiones.

*An Coa Ægæi maris Inſula.* Toſtat. Strabo. Lorin. Tacit.

13. *Quid, & vbi ſit Coa?*

Dicamus itaque Coam Ægypti vel fuiſſe, inſigniorem vrbem, in qua Mercatus equorum & quadrigarum, ſollennéſque Nundinæ, vel Inſulam, quæ à celebriori Oppido Nomen mutuata ſit: Ægypti faciunt Ciuitatem Ptolomæus in Geographicis Ægypti tabulis, Stephanus quoque Bizantinus: ſubſcribunt Pronunciato de Recentioribus Pineda lib. 4. de rebus Salomonis, cap. 24. num. 9. Serarius ad cap. 10. lib. 3. Regum, Sanctius ibidem num. 70. Menochius etiam, Tirinus ad verſ. 1. cap. 21. Actorum, Inſulam nominat: & fortaſſe illa eſt, de qua apud Ioſephum Flauium memoria, Antiquit. lib. 13. cap. 21. iuxta vetera exemplaria cap. 19. Nam de Cleopatra præparante ſe ad Bellum contra filij potentiam: τὰ δὲ πολλὰ τοῦ πλούτου, καὶ τοῖς ἐγγόνοις καὶ διαθήκας πέμψασα κῴοις παρέθηκεν: *Bonam etiam diuitiarum ſuarum partem, cum Nepotibus, & Teſtamento apud Coum Inſulam depoſuit:* & Ruffini non diſcrepans Tranſlatio: Quamobrem autem Regina ad Ægæum mare extra Ægyptum chariſſima abſconderet pignora: atque vt facere tentaſſet, cur non in famoſioribus aliis Inſulis eiuſdem freti, Rhodo, Patara, Samo? Accedit, quod cùm ex Græciæ multis locis celebretur equorum clarior ſtirps, de Coënſibus obliuio ſit: Strabo libro 8. ἔστι δὲ καὶ τὸ γένος τῶν ἵππων κράτιστον τὸ ἀρκαδικὸν, καθάπερ δὲ τὸ ἀργολικὸν, καὶ τὸ ἐπιδαύριον: *eſt optimatum genus equorum Arcadicum, quemadmodum & Argolicum, atque Epidauricum.* Mycenæ etiam commendantur à Virgilio Georgic. 3.

Ptolomæus. Steph. Bizant. Pineda. Serar. Sanct. Menoch. Tirin. Ioſeph. Strabo.

*Et patriam Epirum referat, fortéſque Mycenas.*

Virgil.

Sidonius Apollinaris Panegyri ad Maiorianum Auguſtum.

Sid. Apoll.

*——Tum quæque ſuos Prouincia fructus*
*Expoſuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,*
*Argos equos, Epirus equas.*

Aldobrand.

Legatur Vlyſſes Aldobrandus, qui initio Voluminis de Quadrupedibus ad longum de Regionibus, in quibus generoſi procreantur equi: At verò, vt in Græciam pergere ſtatuerint Negotiatores Salomonis, cur tot recenſitas Prouincias omiſerint, & Coum ſolam delegerint non magnam Inſulam ad equorum tantos pabulandos greges? Quod in ſuperioribus opponebatur, non debuiſſe nominari Coã cùm memoratâ Ægypto intelligeretur; oſtendi Tomo antecedenti, Anteloq. 1. n. 11. Honoris aut emphaſis gratiâ ſeorſim repeti, quod generali ſub ratione indicabatur, vt Marc. c. 16. v. 7. *dicite diſcipulis eius & Petro:* Quoniam igitur intra ipſam Ægyptum nutritione equorum Coa peculiariter excellebat, id vt percipiatur, ſeorſim, & ſpeciali vocabulo repræſentatur.

Marc. 16. 7.

---

*Illuſtrata verſio L X X. ſeniorum: Equarum in Pullos Amor: Currus primi, & ſecundi Regibus: Equorum Iudæis an interdictus vſus? Num Salomoni piaculum quadrigarum multitudo? Teſtimonia ex Biblijs non pauca: Amicæ nomen an caſta vox? Amicis nihil ſecretum: Ioannes declaratus: Amicitiæ conditio, æqualitas.*

## SECTIO II.

14. Ambroſ. *LXX. Equã pro Equitatu legunt.* Turneb.

MVlti Græcorũ Patrum LXX. imitati ſeniores, atque inter Latinos Ambroſius ſerm. 2. in Pſalm. 118. legunt, *Equæ meæ* aſſimilaui te in curribus Pharaonis: in vtramque ſignificationem Hebræam eſſe ancipitem vocem Iuniores fatentur: de Græco affirmat etiã verbo Adrianus Turnebus lib. 3. Aduerſariorum, cap. 14. & promiſcuè equum, vel equam canere Poëtas oſtendit. Certè nec ad ſtadium inutiles Equæ: Seruius in illud Virgilianum ex 1. Georgic. *Eliadum palmas Epiros equarum: Epiros* (ait) *creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Iouis Olympici curuli certamine.* Quamobrem de equabus ſanè præſentem Canticorum verſum noſter exponit Villalpandus tom. 2. part. 2. diſp. 3. c. 53. Nam & ſtabularios Salomonis equas aluiſſe plurimas opinatur, non ſobolis nouæ procreandæ causâ, ſed vt curribus ſubmitterent dorſa: fauet verſio L X X. Seniorum: Nam quod Vulgatus Paralip. 2. c. 9. verſ. 25. *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis,* &c. illi paulò diuersè: καὶ ἦσαν τῷ Σαλομῶντι τέσσαρες χιλιάδες θήλειαι ἵπποι εἰς ἅρματα: *Fuerúntque Salomoni equæ fœminæ quattuor millia in currus:* Verùm noſter Gaſpar Sanctius huius loci Commentario, & ſtylo Epithalamij honeſtiſſimo indignum, & Sponſi maximâ Reuerentiâ, & imprimis verecundis Sponſæ auribus, vt equæ aſſimiletur quæ Pudicitiâ ſummâ excellit Virgo: Eſt enim hoc Animal effrenis cuiuſdam in Venerem impetus, cámque ob cauſam venalis & Mercenariæ fœminæ ſymbolum, inde Prouerbiali verbo, *equire* idem quod in libidinem enormiter inſanire. Baſilius Magnus ſermone 1. de Ieiunio: *Inde Homines in equos poſt mulieres inſanientes degenerant.* Ælianus aptiſſimè lib. 4. c. 10. *Solas de Beſtijs equas etiamſi ventrem ferant, fœtúque plenæ ſint, ſe iniri ſuſtinêre audio, incendi enim eas libidine ex fœminis maximè, itaque libidinoſas mulieres equas vocari ſolêre ab ijs, qui grauius ijs Conuitium facere ſtudent, vnde equire vocabulum ab hoc vno Animali trahitur maledictum in libidinoſas mulieres:* ſed hoc de argumento plura Adrianus Turnebus lib. 19. Aduerſariorum cap. 29. Andreas Tiraquellus lege Connubiali 9. num 85. Vlyſſes Aldobrandus volumine de Quadrupedibus ſub principio: noſtri Zerda in verſum 265. lib. 3. Georgicorum:

*Equæ etiam ad ſtadiũ & ad currus aptæ.* Seruius. Villalpand. LXX. 2. Paralip. 9. 15. *Equa in Venerem effrenis, Scorti ſymbolum.* Baſil. Ælian. Turneb. Tiraquell. Aldobrand. Cerda





*Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum.*

Nicolaus Abraham.

In Notis num. 27. Nicolaus Abrahami, parte priori Commentariorum in Volumen tertium Orationum Ciceronis, in Orationem contra Piſonem num. 69. Notarum verò primo Numero.

15. Ælian. *Equæ piæ in pullos.*

Sed quemadmodum hæc in equabus fœda ſunt, alia tamen reperiuntur, è quibus virtutum documenta hauriri queant, nam pietate excellunt, cùm derelictos alienos Pullos quaſi natiuos educant: Ælianus lib. 6. cap. 47. *Equa Mater optima, ſummâ charitate & fide Pullum ſuum amat, cuius ſanè modi Amoris, Darius ætate inferior non imperitus, equas à partu recentes, relictis domi Pullis ad pugnam ducebat: Pulli ſic alieno lacte à Matribus orbi, quemadmodum Homines Parentibus amiſſis aluntur: Darius, cùm inclinatâ iam acie, in eo prælio, quod ad Iaſſum commiſerat, Perſarum res premi cœpiſſent, cúmque victus fugâ ſalutem adipiſci neceſſe haberet, in equam aſcendit, quæ quod relicti memoriam Pulli recordaretur, quanto maximo potuit ſtudio, & celeriter eum ipſum prædicatur ex periculis eripuiſſe:* Poteſt & aliquid in curſu laudari, & in vuluæ fœcundo gremio, nec recuſauit Ambroſius libro de Iſaac cap. 4. *Virtutis labor quærit Victoriam, vt poſſit equæ illi, quæ Salomonis eſt, comparari, velox ad currendum, habilis ad partum:* Quemadmodum igitur in leone Animantium præſtantiſſimo quædam elucent, quorum imitatio niſi in maligno dæmone vix reperiatur, atque ideò Petrus ſollicitè admonet epiſtola 1. cap. 5. verſ. 8. *Sobrij eſtote, & vigilate, quia Aduerſarius veſter Diabolus tanquàm Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret:* Plurima verò alia reſplendent generoſæ claritudinis, ob quæ ſæpiſſimè Rex Regum Chriſtus Ieſus in ſcripturis appellatur Leo: quando etiam de vtroque genere in equabus appareant, quare non ad Sponſam Metaphora deriuari valeat ex iis, quæ commendari poſſunt? Fortaſſe neque ad vitia Sponſus reſpexit, neque ad conceſſas à Natura ſingulares equabus dotes quibus velut emblematis Sponſæ repræſentaret mores: Quis igitur ſcopus comparationi?

*Equæ in curſu celeres, & ad partum habiles.* Ambroſ. 1. Petr. 5. 8. *Ex ijs quæ cõmendantur in Equabus, poteſt hic non abſurda duci metaphora.*

16. *Equi Regij, quibus Rex ſolus inſidebat.*

Habuêre antiqui Imperatores inter Regij equitatus numeroſas cateruas excellentioris formæ atque indolis, quorum dorſis Nemini permittebatur ſedere, exceptâ Monarchæ Perſonâ: Talem fuiſſe Mulam Regiam, cui impoſitus Salomon Dauidis iuſſu, quando mitiori pompâ inauguratus eſt ob tumultus Adoniæ, Reg. 3. capite 1. verſ. 33. exiſtimauit Abulenſis quæſtione 36. Talis, quo ſuperuectus eſt penè triumphali gloria Mardochæus, nimirum equo, *qui de ſella Regis erat*, Eſtheris capite 6. verſ. 8. Verùm ſiue in curribus ſiue in equis vel regiæ vni deſeruientibus maieſtati ordines fuêre dignitatum: Nam erant primæ claſſis, ſecundæ item, forſan tertiæ & quartæ, vti de varia Regiorum Amicorum differentia à nobis Præludiali opere diſceptatum eſt, Anteloq. 5. numero 33. & ſecundum hanc opinationem illud ad Geneſ. cap. 41. verſ. 43. *Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & Præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ Terræ Ægypti:* habuit igitur primos & ſecundos currus: magnáque Ioſepho gratia facta, quod vel ſecundâ vectaretur Carrucâ. Inſinuauimus & nos ſæpè, Hebræos, quibus multitudo vxorum licuit, habuiſſe contorales, alias primæ dignitatis & excellentiæ, quæ liberæ vocabantur, erántque in familia Dominæ, & ad quarum ſemen paterna deferebatur Hæreditas: alias ſecundi Nominis, quæ Ancillæ dicebantur, & Concubinæ: de illis Sara, de iſtis Agar: Denique in ſuperioribus frequenter repetiuimus, Huius Carminis Sponſam, veritam cum multo fundamento, quanquam Thalami ſociam non recuſaret Sponſus, quanquam adamaret, ſecundariæ tamen vxoris repoſiturum lineâ: Annon Ruſticanæ Virgini ſatis quouis modo Principis titulari coniugem? illa tamen Heroïs ſiſa clementiæ aſpirabat pudicè ad ſummum Honoris faſtigium, & optabat inter vxores primam occupare gratiam. Ergo huius deſiderij conſequutam illam dulciſſimos fructus Sponſus indicat, dum Equæ ſuæ illam comparat: Quid tali nuncio lætius Puellæ? Hæc prima Sponſi alloquutio nouâ cum nuptâ, & primis verbis Reginam declarat: Sed quænam Orationis ſignificatio: Equæ meæ aſſimilaui te? Nimirum, habebat ſuper quibus ſedebat equas multas, ſed vna præ cæteris chara, quam Equam nuncupabat ſuam: huius de ſtabulo, de ornatu maior diligentia, hæc anteibat, hæc eminebat: cùm itaque affirmet, huic ſimilem futuram Sponſam, docet reliquis vxoribus præferendam, placuiſſe in oculis eius, & decreuiſſe, vt non ſolùm thalami & Amorum conſors, ſed diadematis pariter & ſceptri fiat; & quod hîc conciſè indicat, latiùs infrà declarat, capite 6. verſ. 7. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adoleſcentularum non eſt numerus: Vna eſt columba mea, Perfecta mea,* &c. Igitur, nihil hac Metaphorâ aptius: Quid enim peregrè rediens Sponſus, volénſque primo congreſſu maiori aliquo Beneficio Sponſæ beare expectationem, ſimúlque affectus congeminare ardorem, hoc Philtro potentius aliud exprometet?

3. Reg. 1. Toſtat. Eſth. 6. 8. *Varia Equorum claſſes, in domo regia.* Gen. 41. 43. *LXX. Seniorũ Verſio explanatur.* Cantic. 6. 7.

17. *Num Equorũ vſus Iudæis interdictus.*

Mirabitur tamen quiſpiam, cùm Principem hunc, non ſolùm ſtatuamus omnibus modis Hebræum, ſed pium inſuper, & patriarum legum obſeruantiſſimum, tamen in ſcenam producere auſi fuimus cum curribus & equis, cùm non ignoremus Iudæis prohibitum equorum vſum, ac ne ipſi Monarchæ quidem permiſſum niſi auarâ licentiâ Deuteronomij cap. 17. verſ. 16. *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus: cúmque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſubleuatus.* Quamobrem Dauid nationum prauarum ſpem in equitatu ſitam declarauit, & Iudæorum aliam eſſe fiduciam, Pſalm. 19. verſ. 8. *Hi in curribus, & Hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus:* Ipséque domitor Prouinciarum Ioſue, cùm in Belli ſubſidium, receptam ex Hoſtium manu Quadrigarum infinitam multitudinem, & equorum conuertere poſſit, iuſſus eſt à Domino vt ſubneruaret equos, currus flammis vorandos traderet, Ioſue cap. 11. verſ. 9. Vide pro quibus Iſaias ingemiſcit capite 2. verſ. 8. *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis Theſaurorum eius: & repleta eſt terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius.* Quæ in verba Commentarius Magni Baſilij: *Nullo non Scripturæ loco obſeruauimus ſanctos viros deuitaſſe vſum equorum.* Ac proinde de Iſraëlitis nõ abſque peculiari ſenſu Debbora in Cantico ſuo Iudic. c. 5. v. 10. *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, &*

Deuteron. 17. 16. Pſalm. 19. 8. Ioſue 11. Iſai. 2. 8. Baſil. Iudic. 5. 10.

*ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini:* velut aſinos ſternere moris fuerit genti, & equorum ſuperbiam oderint: neque Regiæ Proſapiæ aliud quàm Mulæ, Reg.2. cap. 13.verſ.29.

2.Reg.13. 29.

*Surgentéſque omnes filij Regis: aſcenderunt ſinguli mulas ſuas & fugerunt.* quare excluſos Hebræorum in Republica equos, & aſinis portatos, vel Mulino genere pedibus iter nolentes facere Salianus autumat tom. 2. anno Mundi 2827. num. 5. rectè tamen Hieronymus in cap. 36. Iſaiæ:

Salian. Hieronym. Origen.

*Non de imbecillitate* (ait) *populi Iudæorum erat, quod equitandi carebant ſcientiâ, ſed de obſeruatione mandatorum Dei.* Origenes verò hom.15.in Ioſue: *Filij Iſraël numquam equis vſi eſſe referuntur, & lex nihil de equis, ſed de aſinis mandat, vtpote de Animalibus, quæ ad Hominum labores iuuandos, & ad onera eorum portanda videntur exiſtere: equi verò magis ad Hominum perditionem:*

*Errant Pictores dum Paulum in Conuerſione Equitem pingunt.* Maſſut.

Quamobrem non equo vectum Paulum, cùm Damaſcum proficiſceretur, & immutatus eſt per Seruatoris clamorem, licet picturæ equitem demonſtrent, noſter oſtendit Maſſutius, libro 2.vitæ Apoſtoli, cap.2.igitur, non probè Hymenæi Sponſum offerimus qui præter conſuetudinem Iudæorum, magnificentiſſimâ cum equorum & lecticarum pompâ Sponſæ occurrerit, déque tanto comitatu applaudat & glorietur.

18\. *Equorum Solus exceſſus Iudæis prohibitus.* Ribera. Serar. Pineda. Horat.

His quò valeamus reſpondere, concedendum non omnem penitus Equorum Iſraëlitis interdictum vſum, ſed qui in exceſſum declinaret, quod animaduertêre Ribera in cap. 14. Oſeæ num.10. Serarius in Ioſue, cap.11. quæſt.7. Pineda lib. 7. de Salomone, cap. 14. num. 3. Textus verba ſatis innuunt. *Non multiplicabit* (ait) *ſibi equos*, qui ſermo de pluribus eſt, non de paucis quibuſdam: Deinde non omnem vetitam fuiſſe multitudinem appareat, ſed eam, quæ bello ſubſeruire poſſit, nam ſubiungit;

Deuteron. 17.16.

*ne reducat populum in Ægyptum equitatu ſubleuatus:* nam ad publica ſpectacula, ad deambulationes, ad comitatus ſplendorem, aliáque lenocinia Quadrigarum & equorum nimiores ſumptus ordinari valeant, præſertim ſi de Aduerſario Reſpublica ſecura, & munita fruatur pace, quod de Græcia olim voluptatibus eneruata cecinit Horatius lib.2. epiſtol.

*Ut primùm poſitis nugari Græcia bellis*
*Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua*
*Nunc in Athletarum, ſtudio nunc arſit equorum.*

*An peccauit Salomon in Equorũ multitudine?*

Verùm quia ad hos fines conquiſitus numerus ingens in Martis opus commutari poſſit, eſto libenter Multitudo in delicto fuerit, At quis non facilè perſpiciat ipſius multitudinis difficilem eſſe cenſuram? ſi enim de mediocriter ſplendido loquamur Homine octo, aut decem equi fuerint præter menſuram illi: tamen de optimatibus alicui, cuius ſit inclyta maieſtas, quinquaginta pauci iudicabuntur: equidem fuiſſe immenſam earum Rerum Salomoni copiam libri Regum & Paralipomenon teſtantur: nimirum habuit quadraginta millia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium. An peccauit? ſcio id affirmare ex nuperè allegatis

Serar. Mariana. Sa.

Serarium atque Pinedam: indicant Mariana, atque Sa ad cap.17. Deuteronomij, Sanctius in cap. 10. lib.3. Regum num. 25.

A Lapide.

Cornelius à Lapide ad verſ. 16. cap. 17. Deuteron. in hunc quem interpretamur Canticorum verſum

Cypr.Ciſt. Almonacir. Aldobrand.

Cyprianus Ciſtercienſis, ex quo tranſcripſit Almonacirius, Vlyſſes Aldobrandus de Quadrupedibus, Tractatu de Equorum natura, §. 1. Salomonem tamen à grauiori Piaculi nota Toſtatus defendit quæſt.11.ad cap.10. lib.3. Regum, & quæſt. 29. ad cap. 1. lib. 2. Paralipomenon: Toſtat.

Quod ſanè iudicium videatur ab eis amplexandum, qui conceſſuri ſint Regnatus exordio, aut paulò pòſt, in tantum excreuiſſe numerum Quadrigas & equos, neque enim Salomon vſque in adultam Imperij ætatem diuinarum tranſgreſſor legum in rebus, quæ momento & pondere conſtarent, quæ eſt vulgata ſcriptorum cogitatio: Cum i autem ineunte illo Monarchiam, & ſumptuoſam meditante fabricam Templi, ædiúmque Regiarum, geſtatoria vehicula, & equi in ſtuporem quanquam? Nam ſi eorum, qui in Libano portabant onera vſque ad ſeptuaginta millia catalogus, Regum 3. cap. 5. verſ. 15. cum ratibus in Ioppen aſportata ligna, indè tranſuehenda ad Metropolim, Paralipomenon 2. cap.2. verſ.16. quot neceſſarij equi, quot carpenta? 3.Reg.5. 2.Paral.2.

Deinde, ſi vicinarum gentium tyranni metu coërcendi erant, ne Belli excitare rumores auderent, quibus inceptæ ædificationis curſus interrumpendus eſſet, quantam molem hæc expoſtulabant? vt taceam denique promiſſam à Deo Salomoni vltra præteritos futuróſque Monarchas non gazas tantùm, ſed ſplendoris eximiam magnificentiam, quæ in ſtipantium quadrigarum multitudine præcipuè enitebat: *Diuitias autem & ſubſtantiam* (inquit Paralipom.2.cap.1. verſ.12.) *& gloriam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante: nec poſt te fuerit ſimilis tui.* 2.Paral.1.12.

Quin locus ex Deuteronomio prohibens exceſſum, in diuitias quoque protenditur, nempè vetans auri atque argenti pondera: & tamen de Dauide qui ſanctiſſimè diem clauſit Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 12. κατέλιπε δὲ καὶ πλοῦτον, ὅσον οὐκ ἄλλος βασιλεὺς, οὔθ' Ἑβραίων οὔτ' ἄλλων ἐθνῶν: *Tantas inſuper Hæredi diuitias reliquit, quantas Regum nemo alius, vel Hebræorum, vel exterarum gentium:* inter quos fuêre tamen qui incredibilem auri, argentíque vim ad filios & nepotes tranſmiſerunt. Ioſeph.

Quamobrem ſano illi calamo, per quos à grauiori Salomon abſolutus eſt piaculo, cùm enim vitioſam multitudinem equorum non ſolus numerus faciat, ſed Perſonæ maior, minórve amplitudo, nam quod vnius conſideratione excreſcit, alterius cogitatione exiguum, ob cauſas antè dictas, non quadraginta, non quinquaginta, millia equorum in Salomone exceſſus grauiori dignus cenſurâ: 19.

*Licet Sponſus ter mille curribus ſociatus in Libanum ad nuptias venerit, non fuit tamen nimius hic equorum numerus culpãdus.*

Atque vt ab eo ad noſtri Hymenæi Sponſum deſcendamus: Cùm in Anteloquiis ſtatuerimus hunc ipſi Salomoni inter Regni proceres, loco, ſtemmate, opibus atque potentiâ finitimum, certè vt indulgeamus, ter mille curribus ſociatum in Libanum ad nuptialia proficiſcentem fœdera; tamen Hebræorum legibus, quibus equorum condemnabatur multitudo, vt aduerſatus fuerit, haud laturi ſimus: Neque eim Salomoni minus glorioſum, quod habuerit aulam fulgentiſſimo ſatellitio plenam; ſiue in forum prodeuntem, ſeu ad Hortos & nemora, plurimáſque Ruris delicias, Rhedæ atque lecticæ ſeruorum ob numerum lata viarum ſpatia, anguſta facerent; quàm quod eos haberet ſub ſe Optimates, quorum authoritas & ſplendor in Miniſtrantium cateruis, in tenſis atque equitatu tam enormis, vt non tam ſubdi alterius imperio viderentur, quàm præeſſe inclyti nominis Regionibus: igitur,

vt



vt eius potentiæ, & verendæ Maieſtatis ſumma, quæ à Deo promiſſa eſt Salomoni, per quam omnium ætatum Monarchis anteiuerat, adimpleta intelligatur: Non ſolùm concedenda ipſi quadrigarum, & equitum exuberans quædam copia, ſed Regni etiam Toparchis numerus inſignior aliquis: Accedit ad hoc, vt quanquam aliàs in noſtri Epithalamij ſponſo ad ter mille quadrigas protenſus apparatus ſuſpectus fuiſſet de inani gloriæ ambitione, cæterùm cùm laxa ſit genialiſpompæ facultas, nemini parituram offenſionem multitudinem; Quemadmodum neque veſtium neque epularum ſumptus, qui per eos dies, modum excedere iudicabantur; quâ nihilominus ablatâ occaſione, ſcandalum generaſſent.

20\. *An caſtum* Amicæ *nomen?*

Iam, quòd Dilectus Sponſam ſuam Amicam nuncupet, erítne qui faſtidiat craſſior aliquis? Nimirum vox eſt non caſti affectus, & libidinum aucupes ita ſcortis ſuis blandiuntur: Catullus ad Leſbiam ſcribens:

Catull.

*Dilexit tum te, non tantùm vt Vulgus Amicam*
*Sed Pater vt gnatos diligit, & generos.*

Quarum & in gratiam inter ſympoſiandum Baccho largiùs ſe proluebant ad ebrietatem vſque, inuocatis Amicarum nominibus, apud Theocritum Idyllio. 14.

Theocrit.

*——prorſus fuit illa ſuauis*
*Sympoſij facies, quo procedente placebat*
*Fundere ſæpè merum cuius voluiſſet Amicæ*
*Nomine quiſque ſuæ, ſimul edere cuius honori*
*Nominis effundi vinum ſibi vellet: Amantium*
*Ergo bibebamus noſtros per nomina Amores.*

Non igitur conueniens eſt puro in Carmine illecebroſam audiri voculam. Amicæ: Dicam His:

*Nomen* Amicæ *dupliciter ſumptum.*

Amicæ inſcriptionem dupliciter concipi: Primò genuinè, propriè, conſtanter, quatenus mutuum Animorum conſenſum denotat limpidum, indefæcatum, ſincerum; quo more hoc introducitur Epithalamio nomen. Secundò, adulterinè, & impropriè, dum in quæſtum, atque laſciuiam declinat: diſcamus ab Aelredo

Aelred.

lib.1. de ſpirituali Amicitia: *Falsò ſibi præclarum Amicitiæ nomen aſſumunt, inter quos eſt conuenientia vitiorum, quoniam qui non amat, Amicus non eſt: non autem amat Hominem, qui amat iniquitatem: qui enim diligit iniquitatem, non amat, ſed odit Animam ſuam; qui verò ſuam non diligit Animam, vtique alterius amare non poterit: vnde colligitur eos Amicitiæ ſolo nomine gloriari, fallique eius ſimilitudine, non veritate fulciri: Patiamur tamen, vt propter quandam quæ in affectibus ſentitur, ſimilitudinem, etiam illæ Amicitiæ, quæ veræ non ſunt, Amicitiæ nuncupentur.* Caſſiodorus libro quem de Amicitia compoſuit:

Caſſiodor.

*Illud ſciendum, quod in Amicitia vera nihil eſt inhoneſtum, nihil ſimulatorium, nihil lucri temporalis, aut inanis gloriæ venatiuum.* Et præclariſſimè mehercle Philo Hebræus de plantatione Noë, folio nobis 164.

Philo.

*Videmus enim iſtas, quæ faciunt quæſtum è flore corporis, magnam erga ſuos Amatores præferre beneuolentiam; quæ tamen non illos amant, ſed ſe ipſas, & quotidianis prædis inhiant: At illa ſinceræ, & non fucatæ Amicitiæ planta excuſſis, & dimiſſis huiuſmodi rebus fructum feret ſuis cultoribus vtiliſſimum, nempè fidem nullis corrumpendam muneribus: propoſitum eſt enim eius, Amico bene velle propter ipſum.* Neque obeſt modò penè in deteriorem partem ſemper conſtrui dictionem;

Concubinæ *nomen olim honeſtum.*

Nam & concubinæ ſignificatio olim de re admodum honeſta fuerat, nempe de legitimo Coniugio quamuis ſecundariæ vxoris, nunc pro ea ſumitur, quæ illegitimis amplexibus corpus proſtituit.

21\. *Apud Sponſam ſua omnia ſecreta aperuit Sponſus.*

Equidem hæc Virgo eſt, cui inter Dramatis omnes Interlocutores ſingulariter Sponſus cordis arcana detegit, quam in dubiis rebus, quam in lætâ quam in mœſtâ fortunâ conſiliariam abſtruſorum habet: propterea inuitat in foramina petræ, in cauernam maceriæ, hortatur diluculo conſurgere ad vineas, progredi in villas, gloriatúrque illa ſolos agere Dilectum ſcilicet atque Dilectam, donec adſpiret dies, & inclinentur vmbræ; cur ni igitur meritò Amicam nuncupet? Nam quid in Amicitia ſecretorum libertate mage eximium? proferamus iterùm loquentem Aelredum Abbatem, aſſignato de Amicitia lib.1.

Aelred. *Amicus Amici cordis fidus cuſtos.*

*Porro Amicus, quaſi Amoris, vel vt quibuſdam placuit, ipſius Animi cuſtos dicitur, quoniam Amicum meum Amoris mutui, vel ipſius Animi mei oportet eſſe cuſtodem, vt omnia eius ſecreta fideli ſilentio ſeruet:* Aurelius Caſſiodorus notato etiam de Amicitia codice: *Homo ſine Amico non habet, cui Conſcientiæ ſuæ ſinum, cui ſolatium ſuum, aut aliquid de moleſtijs irruentibus euaporet:* Caſſiodor. Euripides in Alceſtide:

Φίλον πρὸς ἄνδρα χρὴ λέγειν ἐλευθέρως
Ἄδμητε, μομφὰς δ' οὐχ ὑπὸ σπλάγχνοις ἔχειν
Σιγῶντα. Euripid.
*Loquendum Amico liberè: haud præcordijs*
*Admete, probrum ſupprimere ſilentio*

Annæus Seneca epiſt. 3. monet: *Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cùm placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audacter cum illo loquere quàm tecum: Tu quidem ita viue, vt nihil committas, niſi quod committere etiam inimico poſſis: ſed quia interueniunt quædam, quæ conſuetudo fecit arcana, cum Amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce:* Seneca.

Quamobrem noſter in Polyhiſtore ſymbolico Nicolaus Cauſſinus lib.2. n.11. Cauſſin. Iuuenem, qui Amicitiæ referebat naturam, memorat, habuiſſe latus apertum vſque ad cor, & brachium inclinatum digito cor oſtendens: affabrúmque eſt, quod idem ex Nicolao Damaſceno refert eorumdem ſymbolorum lib.5.num.82. apud Tauros Regem defuncti lugentem Amici abſentiam, auriculæ ſuæ partem, nonnunquam integram abſcindere, indicans ſublato chariſſimo pignore, aurium deinceps vix eſſe commodum aliquod, cùm ſecretorum fidiſſimus amiſſus fuerit Conſiliarius: ſed nihil tam luculentum atque id, quod eſt apud Euangeliſtam Ioannem: Nam poſtquam Chriſtus ſignificauit Apoſtolis reuelata fuiſſe à ſemet de Patre accepta arcana, ſubiecit deinceps Amicorum nominibus vocandos, vt qui eo ipſo Amici facti, quod ſecretorum conſcij: *Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi Amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, cap.15. verſ.15. Ioann.15.15.

Nihil tamen in Amicitia tam inſigne, quàm pares reddidiſſe quos fœderauit: Minutius Felix in Octauio: 22. *Amicos æquales facit Amicitia.* Minutius.

*Et cum dicto eius aſſedimus, ita vt me ex tribus medium lateris ambitione protegerent, nec hoc obſequij, aut ordinis, aut Honoris, quippe cùm Amicitia Pares ſemper aut accipiat, aut faciat: ſed vt Arbiter*, &c. Leo Papa ſerm. 6. de Natiuitate: Leo. *Si enim Humanæ Amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates, nec vnquam diuerſitas morum ad firmam poteſt venire Concordiam; quomodo diuinæ poteſt eſſe particeps Pacis, cui ea placent, quæ Deo diſplicent?* Caſſiodorus citato ſæpiùs de Amicitia Tractatu: Caſſiodor. *Amicitia namque non generis*



 *ornatur*

*ornatur aut ſericis, non delicijs impinguatur, non tumeſcit honoribus, non amplis Poſſeſſionibus dilatatur: in Amico igitur conſideretur æqualitas: ſic Amicorum paritas inter Amicos omnia diſponit, vt deſcendat ſublimis, humiliſque aſcendat; diteſcat Pauper, diues indigeat, & ex pari effectuum communione fiat æqualitas.* Aëlredus lib. 3. de ſpirituali Amicitia: Aelred. *Verùm, ſi tibi præferre quem diligis, durum, vel etiam impoſſibile iudicas: vel parem eum tibi facere, ſi vis Amicus eſſe, non negligas: Non enim Amicitia rectè colitur à quibus æqualitas non ſeruatur.* Seneca lib.7. de Beneficiis, cap.12. *Non enim mihi ſic cum* Seneca. *Amico communia ſunt omnia quomodo cum ſocio, vt Pars mea ſit, pars illius, ſed quomodo Patri, Matríque communes ſunt liberi, quibus cùm duo ſint, non ſinguli ſingulos habent, ſed ſinguli binos.* Ergo ſi in Amicitia id optatiſſimum, & perpulchrum, promiſcui & honoris & vtilitatis eſſe cuncta, quanto iure Sponſa à Dilecto Amica vocata eſt? *Iure Sponſa, Amica vocatur à Sponſo, cùm ſit primaria coniux.* Nam certè cùm pro more Nationis haberet plures vxores, erant tamen ex his aliæ Reginæ, aliæ Concubinæ, nulla æqualis cum Sponſo gloriæ; ſed quod vniuerſis negatum, huic Puellæ conceſſum, vt Principe nihilo inferior eſſet, & in reliquas coniuges dominatum exerceret, idcircò coram illa ſupplices altiorem venerantur inferiùs cap.6. verſ.8. Cantic.6.8. *Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt: Reginæ & concubinæ & laudauerunt eam.* Sic euehunt & adorant, quoniam ſciunt *Vnam* eſſe Sponſo, nimirum legitimas thalami quanquam ſocias multas habeat, hæc tamen ſola eſt inter cunctâs, cuius indiuidua eſt Reuerentia: & fortaſſe ipſa eſt, quæ in Pſalmo 44. etiam honoratiori conſpicitur loco ex plurium opinione, videlicet à dexteris Monarchæ in veſtitu deaurato, cuius propterea filiæ Tyri in muneribus vultum deprecantur, omnes diuites plebis: ob has igitur cauſas Amica nuncupatur: Nec potuit Sponſus aliquid pronunciare, quod dulciùs reſonaret in auribus Sponſæ: quibus enim delibutam gaudiis arbitramur ad huius vocis Muſicam? Recordabatur veteris contumeliæ & quemadmodum in ſyluis nata, Mapalibus vixerit, Hœdos ad paſtum ſequuta fuerit, denique illa, cui nihil ſupra mediocres Ruris Alumnos, modò Principis Amica titulatur, hoc eſt, de abiectiſſimæ fortunæ ſordibus ad thronum Imperialem, ad regiam tranſlata ambitionem: Quare non obſcœni Amoris nomen eſt Amicæ, ſed caſtiſſimorum amplexuum, ſed incorruptæ voluptatis, ſed incomparandi Honoris, quod proinde tanquam inter Nomina omnia ſummum, primo loco vſurpatum eſt à Sponſo, nunc enim primùm Sponſam compellat, nunc primùm in Hymenæo alloquitur.

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

### *Textus:* Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te Amica mea. *Cap.1. verſ. 8.*

*Vetus abrogata lex in Chriſti morte: Angeli reſurgenti plaudunt Seruatori: Pauli locus ad Hebræos dilucidatus: Angelis ſimiles Apoſtoli: Equus ſalutis emblema: diuina arcana clauſa Iudæis, reſerata Catholicis.*

## SECTIO I.

23. *Hic Chriſtus rediuiuus Eccleſiæ Sponſæ primùm apparet.*

QVEMADMODVM in ſuperiori de Humanis Connubiis expoſitione, docuimus hactenus abſentem Dilectum, nunc Sponſæ apparere, nunc eam conſolari, non emortuâ oratione per internuncios, atque Epiſtolas, ſed viuis Colloquiis ſermocinantis os ad os: ita & ſpiritalem, myſticúmque Sponſum Chriſtum Seruatorem hucuſque tumulo clauſum, & Mortis triduo inaſpectum, votis expetitum magnis, ſingultibus inuocatum ſæpè, Eccleſiæ reducem, & quali cum gloria, illa exoptare poſſit, præſentamus. O lætitiæ plenitudinem! ô gaudiorum exceſſum! ô voluptatis diluuium! Et quoniam celebrem eam diximus veterum præſertim cogitationem Interpretum, quæ memoratis hoc loco Pharaonis curribus eos intellexit, quibus Ægyptiorum Monarcha inſequutus fuiſſe Iſraëlé recenſetur Exod.c.15. contigerítque ſaluis emergentibus Hebræis, tyrannum cum turmis quod machinabatur excidium fideli populo, ſuſtinuiſſe; hac ad Allegoriam conuerſa expoſitione, dicimus accidiſſe in Chriſti ſimile quidpiam morte: Nam certè exorientem ipſo Duce *Repudiatur in Chriſti Reſurrectione Synagoga, cuius loco ſufficitur Eccleſia.* atque Inſtructore nouellam Eccleſiam ſub primo ferè vagitu opprimere conata eſt Synagoga, quare ſcholam diſſipare ſublato Anteceſſore tentauit: Sed incaſſum laborauit, nam è diuerſo repudium Synagoga paſſa eſt, ſubſtituta Eccleſia Catholica, quæ in fines ſæculorum regnaret: Siquidem Paulus ad Hebræos ſcribens mirificè teſtatus eſt cap.7. verſ.42. *Tranſlato enim Sacerdotio* Hebr.7.12. (inquit) *neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat.* Cùm verò Sacerdos potiſſimè conſtituatur ex ſacrificandi ratione, nam actus ille proprius tantæ poteſtatis; equidem Seruator quemadmodum nouo modo ſacrificium obtulit, ita & nouum inſtituiſſe Sacerdotium viſus eſt omninò: nam in qua nocte tradebatur, eodem aſſerente Apoſtolo 1.ad Corinth. cap.11. verſ.23. incruentum obtulit ſa- 1.Cor.11. crificium, Euchariſticum nimirum in Cœna: cruentum



cruentum poſtea ferali in ſtipite cum iniquis reputatus, de qua ſanctiſſima Victima, ad Epheſ. Epheſ.5 2. cap.5. verſ.2. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & Hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Exinde igitur oblitteratæ veteris cærimoniæ legis, & ſubdidit eximiè Paulus dicto ad Hebræos cap.7. Hebr.7.19. verſ.19. *Reprobatio quidem ſit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Atque ipſum id confirmat noui molitio Teſtamenti, de qua cap. 8. eiuſdem Epiſtolæ, ex cuius creatione priſcum abrogatum eſt. Sed quando eiuſmodi Teſtamentum, niſi cùm in patibulo Ieſus animam tradidit? *Et ideo noui Teſtamenti Mediator* Hebr 9.15. *eſt* (ait Paulus cap.9. ad eoſdem Hebræos verſ.15.) *vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ Hæreditatis: vbi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt interueniat Teſtatoris: Teſtamentum eius in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt:* Itaque legalium cærimoniarum & obligatio & vtilitas in Chriſti morte ceſſauit, cuius Pronunciati Aſſertores retuli tom.1. Anteloquio 3. numero 112. Quam probabiliorem Salas. ſententiam Salas reputauit de legibus diſputatione 23. ſectione 5. & diſputatione 24. ſectione 4. Quemadmodum verò hoc non ſequatur ex Axiomate, manſiſſe paruulos Iudæorum abſ- Vaſquez. que remedio ſalutis deletâ Circumciſione Vaſquez ſufficienter manifeſtat 1.2. diſputat. 181. cap.3. num. 31. & videntur plerique Iudæorum culpatè ignoraſſe à tempore necis Chriſti diuortium cum Synagoga factum, Moyſiſque decreta interdicta in futurum: Nam ſi Redemptoris dictis, Actíſque voluiſſent auſcultare, percepiſſent abſque graui labore: at de his pleniùs infrà Veſtigatione 19.num.15.

24. *Vt Currus Pharaonis ſubmerſi ſunt in mari rubro, dum Iſraëlem obruere nitebantur, Sic Synagoga ſepulta eſt in morte Chriſti dum Eccleſiæ excidium machinabatur: vnde pulcrè cōfertur hæc Pharaonis curribus.*

Ergo præclarè Eccleſia noua & Catholica aſſimilata eſt Equitatui Pharaonis, non quod Eccleſiæ talia contigerint, qualia Pharaonis curribus, ſed quod propoſitæ ab eo pugnæ, & inſtaurato à Synagoga contra Eccleſiam certamini pares exitus: Nimirum ſicut Pharao ſubmerſus cùm opinaretur vel ferro, vel gurgite interituros Hebræos: ſic cùm ſurgentem in paucis Eccleſiam iuniorem per Chriſti necem Synagoga extinguere decreuiſſet; quæ lethum machinabatur, ipſa deleta eſt: cui explanationi Philonis Carpathiēſis Antiſtitis fauet Commentarius, vt certè Eccleſiæ in perſona Anna cantauerit Reg.1.cap.2. verſ.4. 1.Reg.2.4. *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore.* Verùm & qui Synagogæ patrocinabantur Mors atque Infernus non minori verecundiâ ſuffecti, cùm interitum & captiuitatem, quàm irrogare meditati ſunt, ſubire coacti: nam per Oſeam Oſee 13. 14. de Morte cap.13. verſ.14. *De manu Mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero Mors tua, ô Mors, morſus tuus ero Inferne.* De Tartari autem Rectori- Coloſſ.2.15. bus ad Coloſſenſ. cap.2. verſ.15. *Delens quod aduerſum nos erat chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud Cruci, & expolians Principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* & 1.Corinth. 5.25. 1.Corinth. cap.15. verſ.25. *Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius: nouiſſima autem inimica deſtruetur Mors.* & verſ.55. *Abſorpta eſt Mors in victoria: vbi eſt Mors victoria tua? vbi eſt Mors ſtimulus tuus?* Abacuc autem elegantiſſimè vniuerſa complexus cap.3. nam verſ.3. de Crucis brachiis loquutus: *Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius*; de Triumpho Habacuc 3 3. ſubdidit: *Ante faciem eius ibit Mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius.* His adiungenda verba ex ſermone Auguſtini 137. de tempore, ſi tamen eius, ac non magis Euſebij Gallicani, aut alterius ſcriptoris: igitur tenebrarum Monarcham alloquuntur Cacodæmones: *O Princeps noſter hicne eſt* Auguſtin. *ille, de cuius tibi ſemper futurâ morte plaudebas? ipſéne eſt, in cuius Cruce omnem Mundum tibi ſubiugandum eſſe credebas? ipſéne eſt, in cuius obitu nobis tanta ſpolia promittebas? Quid eſt quod egiſti? quid eſt quod facere voluiſti? Ecce iam totas tibi tenebras ſuo ſplendore fugauit, & omnes tuos Carceres fregit, captiuos eiecit, ligatos ſoluit, luctus eorum in gaudium commutauit: vt quid huc iſtum adducere voluiſti, quo veniente omnes ſunt lætitiæ reſtituti, qui antè fuerant deſperati? ô princeps noſter, illas tuas diuitias, quas primum acquiſieras per Paradiſi amiſſionem, nunc perdidiſti per Crucem: perit omnis lætitia tua, in luctum conuerſa ſunt gaudia tua.*

25. *Per currus Pharaonis inſinuantur hic myſticè Patres veteres, & Angeli qui Chriſtum Reſurgentem comitati ſunt ſiue etiam naſcentem.*

Secundùm verò aliam exponendi normam, quæ Currus Pharaonis interpretatur, illuſtrem Sponſi comitatum in Quadrigarum ornatiſſimâ multitudine, cùm ſuperatis periculis, quibus vitæ inſidiatum illius à cognatione ob Sponſæ inæqualis deſiderium; clarus & ouans reuertebatur ad Dilectam, aſſirmandum & de tumulo Reſurgentis ſtupendi incrementi fuiſſe ſatellitium, vt taceam decorem vndequaque mirabilem: De hominibus quidem Matthæus cap. 27. verſ. 52. *Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt; & exeuntes de* Matth.27. 52. *monumentis poſt Reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis.* De Angelorum autem legionibus Pſalm. 23. quorum ex- Pſalm. 23.7. clamatus illi ſunt, verſ.7. *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ:* cuius ad initium Pſalmi Auguſtinus, Tituli declarans vim: *Pſalmus ipſi David prima Sabbati*; Hoc eſt, ait ille: *Pſalmus ipſi David de clarificatione, & Reſurrectione Domini, quæ matutino prima Sabbati facta eſt, qui iam dies Dominicus dicitur.* Iidémque cœleſtes Spiritus apud Iſaiam (dabit Patronos Leo Caſtrenſis,) cap.63. verſ.1. Iſai.63.1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ:* Sed quemadmodum Pater rediuiuo filio iuſſerit Hierarchicos ordines pronos occurrere, & ſubmiſſis adorare votis immortalem, Paulus ad Hebræos recenſet capite 1. verſ.6. *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in* Hebr.1.6. *orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei.* Prima nimirum introductio per Natiuitatem fuit prodeuntis ex vtero Virgineo ad vitam paſſibilem: Secunda exeuntis de marmore ad gloriam & claritatem Beatorum: neque inſolens quod Chriſti Anaſtaſim partus & Natiuitatis vocabulo ſignificauerimus, cùm Dauidis præeat Lyra Pſalm.2. verſ.7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es* Pſalm.2.7. *tu, ego hodie genui te:* Quæ ſententia licet Natiuitatem apertè inſinuare videatur, pro Reſurrectione declarata eſt per diuinum Paulum, Actor. cap.13. verſ.32. *Et nos vobis annunciamus eam, quæ* Act.13 32. *ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimpleuit filijs noſtris, reſuſcitans Ieſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Intuère verò quàm eleganter Ambroſius ſermone 56. *Dominica ergo & Virgo* Ambroſ. *vulua, & Virgo eſt ſepultura: quin potiùs ſepulturam vuluam dixerim, eſt enim ſimilitudo non parua: Sicut*

 *enim*

*enim Dominus de Matris vulua viuus exiuit, ita de Ioſeph ſepultura viuus ſurrexit; & ſicut tunc de vtero ad prædicandum natus eſt, ita & nunc ad Euangelizandum renatus eſt de ſepulchro; niſi quòd glorioſior iſta eſt, quàm illa Natiuitas: illa enim corpus mortale genuit; Hæc edidit immortale*; Bellè igitur, vti in prima Natiuitate Angeli plauſerunt canentes: Gloria in excelſis Deo: ita in hac ſecunda per ſimilitudinem Natiuitate iidemmet Victori Epinicion modulati ſunt: Porrò ſecundum Introductionem, de qua memorato loco Apoſtolus, explanatam à veteribus de Reſurrectione

Ribera. Iuſtinian. Tena. Pſal.67.18.

Ribeta, Iuſtinianus, Tena, & Interpretes cæteri nouiores communiter admonent: Sed de curribus verſum 18. ex Pſalmo 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.* Cùm multi ad Angelicam transferant Naturam, Reſurrectionis ouationi noſter accommodat Salmeron tomo vndecimo tract. 1. quibus verbis alludi ad genialem Nubentium Carrucam, & genialem tumultum, adeóque Dauidem eo pangere Hymno, quæ Salomon Epithalamio iſthoc, noſter Sanctius in eius interpretatione Pſalmi opinatur.

Salmeron. Sanct.

26. *Alia Expoſitio Myſtica.*

Fortaſſe & eſt ſermo Chriſti ad Primitiuæ Eccleſiæ optimates ſanctos Apoſtolos, quos equitatui ſuo, cœleſtibus ſpiritibus aſſimilauit: quonam pacto? Scilicet Angeli deſtinati ſunt ad procurandam hominum vniuerſalem ſalutem: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus* (ait Paulus cap.1. ad Hebr. verſ.14.) *in miniſterium miſſi propter eos, qui Hæreditatem capiunt ſalutis?* Itaque non vni alicui adſtringuntur Nationi aut Prouinciæ omnes, ſed vnaquæque gens ſuos habet Tutelares, & omnium gentium ſinguli Mortales peculiarem vigilem: Quoniam igitur Deus deinceps ſtatuit in cuncta Regna ſui effundere Nominis cognitionem & rumorem, nec cum ſolo Hebræorum populo familiariùs, apertiúſque conuerſari, legatione hac fungentes Angelorum imitabantur OEconomiam, ſiquidem & ipſi quemadmodum præpetes illi Spiritus omnium Hominum cooperabantur ſaluti, quando vt Pſalmus accinit 18. verſ. 5. *In omnem Terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum:* Nam vt Leo Papa ſcribit ſermone 1. de Natiuitate Apoſtolorum Petri & Pauli de duodecim: *Accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio Mundum, diſtributis ſibi Terrarum partibus ſuſceperunt:* Diſtributionis autem normam, & quæ ſingulis Prouinciæ contigerint Antiqui Gothici apud Hiſpanos officij, quod Mozarabum communiter appellant, Hymnus innuit:

Hebr.1.14. *Apoſtoli ſunt Eccleſiæ Angeli.* Pſalm.18.5. Leo. *Quæ ſingulis Apoſtolis Prouinciæ contigerunt.* In Mozarab.

*Petrúſque Romam, frater eius Achaiam,*
*Indiam Thomas, Leui Macedoniam,*
*Iacobus Iebus, & Ægyptum Zelotes,*
*Bartholomæus Lycaon, Iudas Edeſſam,*
*Matthias Iudæam, & Philippus Gallias,*
*Regens Ioannes dexterâ ſolus Aſiam,*
*Et læuâ frater poſitus Hiſpaniam.*

Cognata iiſdem Salmeron ex Origine tom. 12. tr.60. ſub initio. Aliter diſtribuũt Venantius Fortunatus, Freculphus, Iulian. Petri, veterúmq; alij; modò finis commonſtraſſe in varias mundi plagas diſperſos, quo in pronunciato omnes conſpirant. Ita igitur per orbem vagaturos vniuerſum, rectè militiæ comparauit ſupernarum virtutum, quæ omnium gentium & populorum abſque Regnorum exceptione, commodis aſſiſtunt: Quamobrem Iſaias in commiſſum Apoſtolis, corúmque legentibus veſtigia, officium, & ſedulam Animarum procurationem intuens, planè Angelos nuncupauit cap.18. verſ.2. *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam; ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.* Quæ de Gentium Conuerſione verba Interpretum cumulatior pars exponit: ac vt volucres ſignificaret Angelos per LXX. Seniores, equabus aſſimilauit, nam harum feſtinantiores plantæ, vt noſter probat Zerda in illud de Georg. 1. *Eliadum palmas Epirus equarum*, & copioſè Vincentius Riccardus ad hunc Canticorum verſum. Notis in Cantacuzenum, numero 35. floridè autem, quod primæ Reſurgentis curæ, denoctatio Gentilitatis: Nam in Pſalm.117. qui totus de Chriſti ex inferis Victoriali reuerſu, in hoc Poëtæ vaticinantis diuinè ſtudium, verſ.19. *Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam*, loquitur nimirum ad Apoſtolos per quos Nationibus clauſa veritatis oſtia, reſeranda erant.

Origen. Salmeron. Ven. Fortun. Freculph. Iul. Petri. Iſai.18.2. LXX. Cerda. Vincentius Riccard. *Prima Reſurgẽtis Chriſti cura, Gentium illuminatio.* Pſal.117.19.

27. Hanc autem maximè iuuat Commentationem, noſter quod probat Alcazarius Notatione 2. in cap.6. Apocal. §. *Concedamus tamen*, &c. Equum ex diuinis, humaníſque pariter Hieroglyphicis, ſalutis eſſe emblema, ſeu, diſtinctiori vocabulo, ſaluationis quidem: ſanè & Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 5. fiduciæ Symbolum equum arbitratur: Ἀνδρείας τε καὶ παῤῥησίας ὁ ἵππος: *Magni Animi, fiduciæ, & libertatis equus*: ideò cum canibus ſollicitis Dominorum cuſtodibus, propugnatoribus, ſenecta ingruente, velut rude donati, ad læta miſſi pabula, otio fruebantur: Plutarchus in Catone Maiore: καὶ γὰρ ἵππων ἀπειρηκότων ὑπὸ πόνου τροφαὶ, καὶ κυνῶν οὐ σκυλακεῖαι μόνον, ἀλλὰ καὶ γηροκομίαι τῷ χρηστῷ προσήκουσιν: *Equis enim, & Canibus poſtquam labore virès confractæ ſunt; non modò pabula, ſed etiam quædam ſenectutis indulgentia à bono viro debentur.* Cùm igitur Equus Saluatorum figura, proculdubio & Apoſtolorum imprimis: hoc enim eis maximè conuenit Nomen, ad hoc electi à Chriſto, ad hoc in Mundi climata diſperſi, de quibus Abdiæ vaticinium verſ.21. *Et aſcendent Saluatores in montem Sion iudicare montem Eſau: & erit Domino Regnum.* Ac iiſdem quemadmodum Filius Dei vſus eſt inſtrumentis ad ſaluandum genus humanum Habacuc graphicè enarrauit cap.3. verſ.8. *Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio:* Et vt Apoſtolici laboris fructum incomparabilem denotaret, non Saluatores appellauit, verùm ipſam ſaluationem: Quem incitatiſſimum adducendarum ad Chriſti ouile Nationum infectarum Iudaïſmo, Hæreſi, ſuperſtitionibus Dæmonum; zelum, volens in minimæ Societatis prole renouare Beatiſſimus familię noſtræ Conditor Ignatius, titulum Sodalitio vindicauit de cœlo, quod Saluatores eſſe oportere continuò doceret: Rectè quoque Apoſtoli equitatu deſignantur, nam cùm periculis ſæuiſſimis exponeret, mittebat enim velut Agnos in medium luporum; tamen iubebat forti & ſtrenuiſſimo eſſe animo: diximus quippe generoſi indicem potiſſimum equi, ſi nulla de re paueat, nullius Aduerſarij potentiam exhorreat: De huiuſcemodi Equitatu Ambroſius ſub finem ſermonis quarti in Pſalm. 118. *Siquidem habet equos ſuos Chriſtus, de quibus dicit Propheta: immiſiſti in mare equos tuos, turbantes aquas multas, eò quòd gentium populos, qui mouentur vt Aquæ multæ, & excitantur vt fluctus aquarum multarum, Euangelizando*

Alcazar. *Equus, ſalutis ſeu Saluationis Symbolum.* Plutarch. *Apoſtoli qui & Saluatores, Equis ſignificati.* Abdiæ v. 21. Habac.3.8. Ambroſ.



*lizando commouerint Apoſtoli, vt aſſurgentes à terrenis Idolorum cærimoniis in Chriſtum crederent:* Et hanc ex Canticis ſententiam pertractans de Iſaac & Anima, cap.14. *Huius Equæ ſimilis æſtimatur hæc Anima: hoc eſt, Propheticæ, vel Apoſtolicæ virtutis; eò quòd in eorum annumeretur gregem, qui fœcunditate prædicationis ſuæ totius orbis Terrarum ſpatia reſperſerunt: & quamuis in corpore conſtituti, nulla tamen Curſus ſpiritalis ſensêre diſpendia.*

28. *Eccleſia, Amica Sponſi, ſiue quia primaria Coniux, ſiue quia omnia ei ſecreta credita ſunt.*

Quod ſi Amicæ vocabulo eam intelligendam ſtatuimus, quæ in Matrimonio præcipua eſt, & vxorum omnium excellit numero, quam vir tenerrimè diligit, cuius ornatui Vectigales diuitiæ omnes Principis; in Eccleſiam Catholicam nomen ad perfectum quadrat; ſi enim aliæ priores Eccleſiæ & quæ floruit ſub lege Naturæ, & quæ Moyſem Præceptorem ſortita eſt, cum Eccleſia Orthodoxa comparentur, quaſi non Sponſæ fuiſſe videantur: de qua Materia quia in ſuperioribus actitatum eſt, tacemus. Sin verò id Nominis innuit, quod ſtabilitum etiam eſt, cui reſerantur Arcana, in cuius ſinum pectoris effunduntur latebroſa, quantus, Deus Bone! in Eccleſia Catholica ad Synagogam, quæ ſe doctiſſimam arbitrabatur, exceſſus? Si enim Prophetas demamus, quibus Vaticinationum penetrare medullam conceſſum, quotuſquiſque Academicorum inter Hebræos, qui de Deo Trino aliquid profundum noſſet? qui de Angelorum natura ſciret diſputare? qui de venturo Antichriſto, & extremis Comitiis proferret emunctas elucubrationes? Iam quanta Nox in ſcripturarum myſticis? Cùm enim nondum euentibus, prædictionibus addita lux, obſcuritas multa erat: Sed de Myſteriorum Sacrorum ignorantia apud homines veteris Inſtrumenti conſule noſtrum Didacum Ruiz de Montoia de Trinitate diſputatione 36. ſectione ſecunda: quare ſanè vel ob hanc etiam cauſam lex illa ſeruitutis meritò nuncupata videatur, ſiquidem vt ſuperiùs dicebamus ex Ioann. capite 15. Chriſtus poſtquam Diſcipulis ſecreta manifeſtauit, quæ à Patre audiuit, ſubaddidit: haud vocaturum ſeruos in poſterum, ſed Amicos: Verùm, quæ erudiτiſſimos Rabbinorum latebant ſub nouo fœdere Pueri & mulierculæ cognouerunt, vt taceam per omnes ætates ſcholæ Theologicæ præclariſſima lumina: quin illud omnem vincit admirationem, quod huius nouæ & poſterioris Eccleſiæ fulgentiſſima lampas Magnus Paulus non metuat Angelis Beatis quas diſcant proponere ineffabilis Sacramenti de Incarnato verbo circumſtantias quaſdam: Sic enim ex præſtantium Theologorum iudicio verba innuerint eiuſdem Apoſtoli de Epiſtolæ ad Epheſios capite 3. verſ. 8. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

*Synagogæ ignorantia.* Montoia. Ioan.15. Epheſ.3.8.

*Num ab Originalis culpæ debito proximo libera ſanctiſſima Virgo Dei Mater? & Adamo quamuis peccante, nec cum illo, nec in illo ipſa peccauerit? aliquid de eius productione ſingulare.*

## Sectio II.

29. *Duplex in Virgine conſiderari poteſt peccati originalis contrahendi debitum: Proximum & Remotum.*

PAululùm adhuc immoremur Lector: ecce blanditur calamo Mariæ Priuilegium, ſingulare nimirum illud, quo, pacto cum Adamo inito excepta eſt, ne delinquente eo, peccaſſe intelligeretur; ne culpæ, quæ in omne genus humanum pertranſiit, obnoxia propriè crederetur; atque vt feramur ad ſcholæ terminos: in Virgine duplex conſiderari valeat titulus, debitum communi vocabulo appellatur, obnoxcitas à nonnullis: alter remotus & improprius, quatenus eò quòd fuerit pura creatura humana, cuius Creaturæ voluntas in Adamum transfuſa eſt, & ipſa hac ex parte velut debuerit transfundi: Alter proximus, abſolutus & in rigore, nempè ſi Deiparæ voluntas ſubiectaretur libero primi Hominis arbitrio in ordine ad quaſcumque operationes, eo tranſgrediente Mandatum ſummi Creatoris, & ipſa tranſgrederetur, ratione autem eiuſcemodi tranſgreſſionis eſſet obærata ad maculam peccati contrahendam in primo Animationis inſtanti, quod eſt eſſe proximè debitricem. Quamobrem, cùm hæc obligatio ex eo reſultet, quod peccante Adamo poſteri deliquiſſe intelligantur, deliquerint verò propterea, quia eorum voluntates moraliter in voluntate Adami fuiſſe cenſeantur; diſquiſitio futura ſit, Num ex ſpeciali indulto, transfuſis cæterorum omnium Nepotum voluntatibus in Protoplaſti voluntatem, ita vt eo peccante cuncti in Adamo delinquerent, generali transfuſione Deipara excepta ſit, & conſequuta ideò fuerit, vt in Adamo non peccaret, tantùm abeſt ex eadem culpa pullulantem maculam habitualem, quâ omnes qui ex Adam progenerantur, ſtatim ac concipiuntur, infici conſueſcunt, contraxerit? Vide Granados in tertiam Partem tom.4. Controuerſia 2. de vita Chriſti. Tract.1. diſputatione 3. ſect. 22. §.2. num.250. Eam vt Reginæ ter Maximæ vindicemus Prærogatiuam, Canticorum præſens adhortari videatur locus. Quippè vt aduertimus, ex veterum Scriptorum calculatione ſub huius Metri integumentis Alluſio eſt eam ad ſalutem, qua Hebræorum legiones donatæ ſunt tranſmiſſo Erythræo mari, Pharaone demerſo cum equitatu & Carrucis multis, Exod.cap.15. Sic enim liberati ſunt, vt ne periculum aliquod ſubmergendi coacti ſubire: *Erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læua* ait Textus verſ.22. Aliud quippè eſt, de profundo, quem penè ſuffocarunt vndæ tumentes, erui incolumem; aliud in medio procelloſi gurgitis nihil laboraſſe: Virgo Beata quanquàm Originalis næui contagio non inficeretur, gratiâ ſanctificante roborata primo Conceptionis inſtanti, tamen, ſi in Adam peccauiſſet, metus & periculum fuiſſet de ſequutura macula, cùm in tanta multitudine virorum, fœminarúmque Nemo qui in Adamo deliquiſſet, viſus fuiſſet declinaſſe labem: vt igitur non ſolùm à fœditate immunem ſignificaret, ſed nec diſcrimine implicitam oſtenderet; Iſraëlitis, cùm ſæuitiam, atque minas Ægyptiorum duce Pharaone

Granad. *Vnde ſumatur occaſio huius Sectionis.* Exod. 15.22.

ne ad rubrum effugerunt mare, comparauit; atque hoc fortaſſe innuit Cardinalis Halgrinius, cùm proximè ad Chriſtum, equitatui Pharaonis, hoc eſt Dæmonibus, terribilem aſſerat, non autem ſic formidabilis eſſet ſi in Adamo peccaſſet, cùm reperiri poſſet Creatura, quæ nec tale Vectigal culpæ pendiſſet.

Halgrin.

*Dicit ergo filius* (inquit ille:) *in curribus Pharaonis & exterrendis, & conterendis etſi non adæquaui, tamen aſſimilaui te equitatui meo, ſiue equo meo, ô Mater dilectiſſima: quia licet in exterrendis, & conterendis Caſtris Diaboli non adæquatur humana Deitati Maternalis Virginitas, in his tamen eidem aſſimilatur præ cæteris:* Fautores huius Pronunciati inuenies apud Ægidium Luſitanum lib. 2. de Conceptione, quæſtione 3. art. 1. §. 1. & eodem libro quæſtione 4. art. 6. Propoſitione 4. Granados vbi ſupra num. 247. Salazarium de Conceptione cap. 15. & cap. 24. Perlinum Apologiæ diſtinctione 3. cap. 8.

Ægid. Luſ.

Granad.
Salazar.
Perlin.

30. *B. Virgo in Adamo nullo modo peccauit, qui maximus eſt honor.*

Mirum eſt inter piæ ſententiæ ſtudioſos reperiri, quibus perſuaſio eſt ad Virginis ampliorem decorem nihil contuliſſe, quod aſſeratur in Adamo non peccaſſe: Verùm quorſum recuſent ſtigmaticum eſſe & probroſum Deo Perduellem caput habuiſſe? neque ſanè illum, qui Perduellis & latro diuini Honoris materialiter ſolùm, ſed formaliſſimè quatenus Dei Matris caput? Imò certè ſi peccauit in Adam, cooperabatur cum eo, nam omnes voluntates contentæ moraliter in Adam ad eum concurrebant actum, quo ille præuaricatus eſt. Quamobrem tantâ contendunt diligentiâ, ne fomes peccati in Dei Parente agnoſcatur? ne Purificationis decreto ſubiecta fuiſſe intelligatur? ne leuiſſimam habuiſſe rugam credatur? Scilicet, iſta quamuis perfunctoria videantur, ſed tanta eſt excellentia Deiparæ, quæ vel atomas ſordes reſpuat: Curni potiùs in Adamo peccaſſe recuſet? Equidem Sacratiſſima Tridentina Synodus cùm ſeſſione quinta vim & Naturam peccati Originalis exactiſſimè declaraſſet, Pauli doctrinâ cap. 5. ad Romanos vſa eſt, inquientis verſ. 12. *Propterea, ſicut per vnum Hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum Mors, & ita in omnes Homines Mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt:* Qua oratione Apoſtolus complexus ſimul fuiſſe, id de quo nos diſceptamus, videlicet, quemadmodum ex transfuſione voluntatum poſterorum in Adamum, moraliter concurrerunt ad culpam, & in eo tranſgreſſi ſunt, palàm videatur, cùm finiat clauſulam aſſerens; *in quo omnes peccauerunt:* Subiungit tamen Concilium ſtatim: Non eſſe ſuæ intentionis ibi comprehendere Beatam Virginem: Quid autem vetat & eam concludere inter peccantes in Adamo ſi inde nihil vituperoſum, nec quo Maternæ dignitatis ſplendor quoquo modo offendatur? Hoc argumentum Salazarius dexterè pertractat cap. 41. Canone 1. à numero 3. Sin autem adſtruatur Contumeliam afferre, & irreuerentiam, quod in Adamo peccaſſe Virgo iudicetur; quæcumque illa ſunt fundamenta, quibus orbis penè vniuerſus conſpirat Deiparam ab originario liberatam næuo quando concepta eſt, eadem probant neque in Adamo deliquiſſe, quippè eò tendunt omnia vt demonſtrent, quæ in Dei genitricem eligebatur, oportuiſſe mundiſſimam, honoratiſſimam eſſe: Quæ probationes idcircò à nobis omittendæ, quod copia ſit petendi illas ab infinitis ſcriptoribus præſertim recentioris æui.

Trident.

Roman. 5. 12.

Salazar.

31. Vnum eſt, à quo optima etiam ingenia torqueri potuiſſe, arbitrati ſint non pauci, modò cum Angelico Doctore ſentiendum ſit, poſt præuiſionem peccati Adæ, in remedium proſtrati Humani generis prædeſtinatum eſſe Chriſtum, neque venturum cum carne paſſibili niſi Homines lapſi fuiſſent, quo pacto ſecundum talia dogmata inteligere ſit poſſibile (quod tamen, omninò aſſerendum,) ob Chriſti merita conſequutam Deiparam, ne pacto, quod initum fuerat cum Protoplaſto in ordine ad amiſſionem gratiæ, per peccatum, excluſa referatur, atque ſi in Adami voluntatem Virginis transfuſa voluntas, ad iuſtitiam & ſanctitatem id fuit, non ad noxam? Nam ſanè pacti conditiones Adamo propoſitæ, antequàm peccaret, & tum eximenda erat Virgo: atqui penès illud ſignum non præuidebatur Chriſtus extiturus, quia eius futuritio non eſt determinata niſi poſt præuiſionem peccati, igitur per Chriſti merita non obtinuit Deipara, ne pactum intraret. Aliud eſt, Num quamuis fateri cogamur ex Chriſti Meritis, adeptam eius genitricem, ne in Adamo peccaret, ne debitum originalis maculæ proximum cõtraheret, tamen eiuſmodi beneficiũ Redẽptionis vocabulo inſigniendũ ſit, dicunt enim Redemptionem propriè non poſſe eſſe niſi illius, qui ſub aliqua ſeruitute captiuus ingemuerit: Virgo autem à Dæmonis captiuitate ſemper libera fuit, non igitur Redempta fuiſſe iudicanda eſt: Sed rectè obſeruant Virginis Propugnatores ex Areopagita imprimis Dionyſio cap. 8. diuinorum Nominum, aliam eſſe Redemptionem & inferioris quidem naturæ, quæ ſaucios & lapſos erigit atque reſtaurat: aliam, eámque digniſſimam, quæ præoccupat ſeruitutẽ, & ne ſub Hoſtem quiſquam veniat antelucanâ prouidentiâ ſtudet: in Deiparam verò quadrare poſtremum Redemptionis genus, quod nobiliſſimum indicatur: nec ſubticebo huius in rei gratiam ab aliis licèt tranſcripta Cardinalis Nicolai Cuſſani verba exarare, de Exercitationum libro 8. *Non indiguit Virgo liberatore,* (ait) *qui ipſam abſolueret à ſententia in Adam, & poſteros eius ex voluptate Carnis lata, cui nunquàm ſubiacuit: nec indiguit liberatore à ſeruitute, in qua nunquàm fuit: Præliberatorem enim Virgo ſancta habuit, cæteri liberatorem: Sola electa Dei Mater hoc habet, quod in initio eſſendi ſub nequitia Maligni deficere nequiuit:* Salazarius perlegatur capite 24. §. 9. à numero 122.

*Quomodo cũ diuino Chriſti in peccati remedium incarnandi decreto ſtet Deiparæ per Chriſti merita præſeruatio à peccati Originalis debito.*

Dionyſ. Areop. *Duplex Redemptio: Altera quæ lapſum erigit, Altera quæ caſum impedit.*

Cuſſan.

Salazar.

32. De Lugo. *De ordine Decretorum Diuinorum circa Incarnationem Chriſti, & Deiparæ præſeruationem ex mente P. de Lugo.*

Proſequamur verò inſtitutæ diſquiſitionis ſeriem: Noſter Ioannes de Lugo acutâ indagatione de partitione diuinorum conſiliorum diſſertat in hanc normam diſputatione 7. de Incarnatione ſectione 3. numero 37. circa huius Materiam Controuerſiæ. Primùm, Deus ab æterno mente hominem condit, & repræſentat quemadmodum præſtituto tempore, loco, opere adimpletum ſit vnumquodque antequam fieret; quare creatum Adamum Nepotum morale caput declarat in ordine ad transfuſionem gratiæ ſi non peccaſſet; eius quoque amiſſionem ſi delinqueret; excipiendo tamen eam, quam ſibi Deus Carnem aſſumpturus genitricem cuperet, ſi aliquam eligeret, non determinando pro eo ſigno, num ex fœmina naſci vellet: Poſtquam huiuſmodi pactum feriit cum Protohomine, videt tranſgreſſum eius Mandati legem, decernit Chriſti aduentum, eiúſque propter merita, Matrem illi aſſignat, quæ hoc ipſo intelligitur non peccaſſe in Adamo, cùm in pacto nominetur excepta quæcumque in genitricem Chriſti eligatur: Quam

ſignorum



ſignorum diſtributionem & Harmoniam Iuniores Theologi in ſcholarum prælectionibus amplexati etiam: Sunt tamen in Diſcurſu hoc duo perpendenda: Primùm, contingere appareat, peccante Adamo, licet viri cum eo & in eo peccauerint, fœminarum nulla deliquerit: Nam, vt pro eo ſigno pro quo Adamus peccaſſe concipitur, fœminæ quoque peccauiſſe cenſeantur, quotquot tunc peccauerunt fœminæ pro alio ſigno poſteriori in quo Chriſtus præuidetur, haud poſſint in eius Matrem eligi, quoniam Deus ſtatuerat filio Carnem induenti aliam dare genitricem, quàm quę per Adami noxam infecta fuerit: Sed ex omni fœminarum multitudine pro ſigno ſequenti quæcumque indifferens erat, vt in Chriſti Matrem aſſumeretur, quemadmodum de facto electa eſt Beata Maria, igitur antecedenter ad Chriſti præuiſionem, peccante Adamo non intelligitur muliebris peccaſſe ſexus: Deinde: Virgo quidem ex Chriſti meritis conſequuta fuerit, vt eius Mater eſſet, quia hoc à genitore poſtulauit: Sed vt illa quæ Chriſti genitrix fuiſſet, pactum Adæ propoſitum non ingrederetur, ob Chriſti merita non eſt determinatum, quoniam antècedenter ad Chriſti præuiſionem Deus id ſtatuit: igitur quod pacto cum aliis comprehenſa non fuerit Deipara, ex Chriſti meritis non prouenit: Declaro iſta: Non ideo pacto excluſa María, quia Dei genitrix præciſè, quoniam Dei potentiæ non erat abſolutè impoſſibile Dei Matrem aſſignari, quæ pacto continebatur, & in Adamo peccauerat, imò de facto accidiſſe ita communis hactenus ſententia opinabatur: Quare igitur excluſa eſt? nimirum, quia Deo viſum congruere, vt verbi Mater pacto eximeretur: Sed hoc quod eſt Deum voluiſſe, vt filij genitrix pacto non contineretur, anteceſſit Chriſti præuiſionem, ergo & id ob quod Virgo ſortita eſt, ne pacto fuerit comprehenſa, ac proinde ob Chriſti merita non eſt excluſa pacto.

33. Salazar. *Alius Decretorum ordo ex Salazario.*

Aliter Pater Salazarius de Conceptione capite 24. §. 2. à numero 6. Primùm, vidit Numen quotquot intra Mundi æuum producendi erant Homines, quorum certum & præfinitum conſtituit numerum, & cùm poſſibiles eſſent plures, pluréſque, noluit ex poſſibilibus niſi tot, tantóſque exiſtentiâ donare: Horum igitur, quos ita ſingillatim, & diſtinctè intuebatur caput Adamum nominauit, fœdúſque meditatus, vt ſi gratiam & iuſtitiam rectè agendo ſeruaret, ad poſteros tranſmitteret felicem Hæreditatem; ſin fuiſſet exlex & præuaricaret, delinquendo etiam nepotibus vniuerſis noceret, à quo dimanaret in illos peccatum originale, eiúſque debitum: Princeps factus cunctorum Adam, manducat de vetito fructu, inficítque poſteritatem: in ſalutem tanti mali decernitur Chriſtus venturus: Chriſti præuiſâ exiſtentiâ, cùm aliter produci poſſet, vt Materno concipiatur vtero, ſtatutum: Cùm verò talem dedeceret Monarcham ex fœmina ortum eſſe, quæ in Adamo peccaſſet, ſuis obtinuit meritis à Deo vt aliam conderet mulierem præter eas quas ab initio deſtinarat, fecítque, & Mariam produxit: Quæ ſanè in Adamo non peccauit, Quia Delictum Protoplaſti in eas ſolùm pertranſiit quarum futuritio determinata eſt, quando pactum initum fuit, pro quo ſigno adhuc de Maria futura Deus nihil decreuerat: Ego ab his verbis facilè intellexerim ob Chriſti merita decretam exiſtentiam Virginis; itidem, & quod Mater Verbi Incarnati fuiſſet, nam vtrumque Chriſto petere liberum, cæterùm, quod ab iiſdem meritis factum ſit, ne in Adamo peccaret, ſubſentire nequeam: Nam Deipara non ideo in Adamo nõ peccauit, quia futura erat quouis modo; ſed propterea, quòd non de earum numero fuerit, quas futuras Deus præuidit, quando paciſcebatur cum Adamo, ſi enim de talium numero, peccaret quoque in Adamo, quemadmodum ipſæ: Sed quod de illis futuris non eſſet, haud Chriſti meritis tribuendum, cùm pro illo ſigno non eſſet decretum vt produceretur Chriſtus; igitur & quod in Adamo non peccauit, Chriſti non debebat meritis. Adiungo; Patres atque Theologos paſſim tradere, propterea Mariam, neque originali vitiatam labe, neque in Adamo peccauiſſe, quòd Dei Mater electa, hæc enim incomparanda dignitas eſt, quæ vetat peccato aut leuiſſimo quidem ſordidatam: At ſecundum præfatam doctrinam non eſt opus ad Materni excellentiam faſtigij recurrere: Nam eo ipſo quòd Chriſtus poſtularet Virginem produci, quin genitrix fuiſſet, iam non eſſet de multitudine earum, quas Adami continebat pactum, ſupponimus enim aliam eſſe fœminam præter futurarum à Deo ſtatutum numerum, Chriſti ſpecialiter exoratam precibus: Sed hoc ipſo neque peccaret in Adamo, neque originali obnoxia fuiſſet labi: His enim tantùm ſubiacebant, quorum caput erat Adamus: igitur abſque eo, quod Mater Verbi fuiſſet, neque in Adamo peccaſſet, nec originariâ aſpergeretur macula: Quod tamen, vt innuebam, Patres atque Theologi recuſant: latiùs impugnat P. Lugo citata diſputatione 7. de Incatnatione ſectione 3. à numero 28.

Lugo.

34. *Auctoris circa eadem decreta opinio.*

Subiiciamus tandem lectoris patientiæ, quod nobis occurrit: Primùm conſideramus ex poſſibilibus virorum & mulierum indiuiduis præfixiſſe numerum certum, & aſſignabilem eorum, qui aliquando extituri erant, & ſtatuiſſe in hoc mundo non plures condere, niſi ſi forſan Verbum Carnem ſumeret, & eius poſtulatu ſuperadderet definitæ multitudini nouam humanam Creaturam: Deinde ſub altero ſigno transfuſis in Adami voluntatem Nepotum omnium voluntatibus, fœderis ei proponuntur Conditiones: Sed fuit pactum eiuſmodi, vt quidem in ordine ad tranſmiſſionem gratiæ ad poſteros omnium eum conſtituerit caput abſolutè, etiam eius humanæ Creaturæ, quam filij motus precibus aliquando produxiſſet, ſi modò filius ipſe ita peteret: in ordine autem ad peccatum, & iuſtitiæ originalis naufragium omnes etiam quocumque modo, & quandocumque extituros ei velut capiti ſubderet, vel creaturam illam quoque humanam, quam producere ſpondebat ſi filij Incarnati rogaretur precibus; excepto tamen ſi filius talem creaturam Matrem ſibi exoraſſet, nam ſi eius genitrix futura, non eſſe ſuæ intentionis voluntatem illius in ordine ad actus peccaminoſos, & gratiæ amiſſionem Adami includere voluntate: Poſthæc vitiato per Adamum genere humano, decernitur Chriſti aduentus in Carne paſſibili, & à ſola Dei actione dependens tempore Paſſionis, modo, quo noſter declarat Lugo diſputatione 8. de Incarnatione ſectione 7. numero 85. meretur genitricem ſibi aſſignari Mariam, Creaturam illam ſcilicet, quam Deus, cùm futurorum in hoc Mundo numerum circumſcriberet, pollicitus eſt, modò filium incarnari ſtatueret, & rogaret aliam de nouo Creaturam produci, ita ſe facturum: cùm-

*B. Virgo non fuit in Adami voluntate incluſa, quia Chriſtus eam ſibi poſtulauit in matrem: & ſic præſeruauit à debito, &c.*

Lugo.

que

que ipſam, quam pacto cum Adamo inito exceperat, ſub conditione quod filius eam Matrem ſibi dari poſtularet: ex hoc ſignorum, & diuinorum concentu decretorum ſequitur planè Virginem Chriſti Seruatoris paſſioni & meritis debuiſſe adæquatè, quod neque in pacto Adami à Numine exhibito quatenus in malum declinare poterat, comprehenſa ſit, neque in eo peccauerit, ac proinde nec debitum Originariæ labis proximum contraxerit. Quippè, niſi Chriſtus poſtularet eo fine produci Virginem vt Mater eius fieret, pacto comprehenſa intelligeretur, fuit enim hæc vnica, ob quam excludebatur, conditio; ſed Chriſtus adæquatè meritis ſuis conſequutus eſt, vt ideò formaretur Virgo, quo illius genitrix euaderet, igitur & adeptus eſt adæquatè, ne pactum cum Adamo inito contineretur, & ne in illo peccaret: Sequitur præterea, ſi Adam non peccaret, retinente eo iuſtitiam Originalem, transfundendam illam ad Virginem, quoniam ſecundum hanc Prærogatiuam, eius conſtituebatur caput: Quanquam ſi per Adamum non accepiſſet, Chriſtus ei ſpeciatim promeruiſſet.

35. *Huic Opinioni fauent Patrum de B. Virgine elogia.*

Conſonat etiam hæc opinio perbellè magnis Patrum encomiis de ſumma præſtantia Maternæ dignitatis in Virgine, cùm enim ad tantum culmen euectam intuentur, audire non poſſunt, vt de culpa aliquid ei imputetur: cum in modum loquutus Athanaſius tom.3.ſermone de Sanctiſſima Deipara: *Decet te Matrem, Regeneratricem, Dominam, atque Heram cognominari, eò quòd ex te prodijt Rex, Dominus, ac Deus noſter: qua de cauſa factum eſt, vt gratià plena appellata ſis, vtpotè quæ omni gratiâ abundares.* Celebre eſt Auguſtini Pronunciatum lib. de Natura & gratia, cap.36. *Exceptâ ſanctâ Virgine Mariâ, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum.* Chryſologus ſerm.144. *Meritò ergo Virgini ſalua ſunt omnia, quæ omnium genuit Saluatorem.* Fulbertus Carnotenſis ſermone de Natiuitate Virginis: *Hoc igitur imprimis adſtruere fas eſt, quod Anima ipſius & Caro, in qua elegit habitaculum ſibi Sapientia Dei Patris, ab omni malitia & immunditia puriſſima fuerunt, aſſirmante Scripturâ, quod in maleuolam animam non introibit Sapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Anſelmi ſollenne eſt Pronunciatum libro de Conceptione Virginis, & de peccato Originali, cap.18. *Sed quia decebat, vt illius Hominis conceptio de Matre puriſſima fieret: nempè decens erat, vt eà puritate niteret Virgo illa, qua maior ſub Deo nequit intelligi:* ita igitur ob Matris Dei nuncupationem ſordibus quibuſcumque liberant, & à nobis aſſeueratum fœderis cum Adamo iniquiori excluſam membro, ſub Conditione, quod eam genitricem ſibi dari Chriſtus poſtulaſſet.

Athanaſ.
Auguſtin.
Chryſolog.
Fulbert. Carnot.
Anſelm.

36. Quantùm verò illud eſt, cùm pro cæteris Hominibus Chriſtus ſit mortuus, non vt eſſent, ſed vt iuſti eſſent, Auguſtino Doctore contra Pelagium epiſtola 105. iuxta hanc tamen ſententiam non ſolùm dona gratiæ, ſed etiam exiſtentiam & productionem Virgini per merita ſua Ieſus adeptus fuerit? Quamobrem de illa meritò Salomon Prouerb. cap.31. verſ.10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius,* hoc eſt exquiſiti valoris: neque enim ſanguinis theſauro ſolùm comparauit, vt Mater eius fuerit, ſed vt fuerit & progenerata ſit: quibus ardebat flammis Maternum pectus dum contemplabatur, qualibus eam ſibi deuinxerat modis filius, neque ſacro Cruore indignum reputaret, ſi fundebatur pro Maria creanda? Qualis autem Anima emerſit illa, quàm florida Caro, pro quibus tantæ expenſæ ſacratorum vulnerum, & quorum molitionem ordinabat ſummus Rector terrarum, cælique, vt dignum Vnigenito & conſubſtantiali præpararet filio habitaculum? quare Magnum Albertum ſequutus Carthuſianus Dionyſius libro 1. de laudibus Virginis artic. 34. *Quemadmodum* (ait) *corpus Chriſti, quod Deus ſupernaturaliter per ſeipſum formauit, eſt perfectiſſimum, atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit ſecundum ſtatum viæ: Sic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum, fuit pulcherrimum ſecundum ſtatum viæ, quod natura per ſe operans, facere poteſt: ideò dicimus, quod ſicut Chriſtus fuit ſpecioſus formâ præ filijs hominum; Sic Virgo pulcherrima fuit inter filias hominum:* Atque hoc ſanè Pronunciatum cùm auidè amplexatus eſſet Salazarius, ſæpè graui & robuſtà exornatum eruditione locupletauit, capite imprimis vigeſimo, & 22. Qui prudenter animaduertit, Patres, cùm non infrequenter aſſerant in Mariæ conditione Naturam à gratia præoccupatam, non ſolùm denotare mirandum fuiſſe, quod ex ſterili vtero procreata fuiſſet, ſed alludere pariter ad Chriſti Merita, quorum intuitu Virgo efformata eſt; tale, vt aliquid vnum promamus, quòd apud Damaſcenum Oratione 1. de Natiuitate Virginis: *Vitam* (ait) *habebis naturâ præſtantiorem: Non tibi ipſi, (neque enim tuiipſius causâ progenita es:) Quocirca à Deo habebis, ob quem in vitam prodijſti, vt orbis vniuerſi ſaluti Adminiſtram te preberes, atque antiquum Dei Conſilium, hoc eſt, Incarnationis Verbi, ac noſtræ Deificationis per te impleretur.*

36.
Auguſtin.
Prouerb. 31. 10.
*Cùm cæteris hominibus Chriſtus Iuſtitiam meruerit, Suæ Matri etiam exiſtentiam & productionem impetrauit: Inde quantus Virginis in filiū Charitatis ardor!*
Dionyſ. Carth.
Salazar.
Damaſcen.

37. *Cur Virgo cùm extra Adami maſſam fuerit, de eadem tamen maſſa parentes ſortita fuerit.*

Quod ſi Virgo quidem alia ſpecialiter Creatura præter eas, quas intra huius Mundi æuum producere Deus ſtatuerat, cur non peregrino modo concepta & vitales auras hauſerat Deo tantùm genitore: Si enim non de maſſa illa, quam Adam infecturus erat, cur ex eadem maſſa Parentes ſortita? Etenim potuit Numen ſinere, vt Anna Ioachimi Coniux ingloria & ſine prole annos clauderet: Quod vt contingeret, non tamen defuiſſet præfixus virorum atque mulierum Numerus, nam extra Catalogum Maria: nec exigebat illa quouis modo ſecundum ſe originem, ex cætero humano genere: Voluit tamen Deus qui aliter eam effingere potuiſſet, vt de Annæ viſceribus prodiret, & lineam Auorum ex poſteris Adæ ſortiretur: Quos ob fines? Nimirum, diuinæ viſum gubernationi expedire, vt quæ fuerunt Homini incitamenta lapſus, eadem ſanitatem ac medicinam attuliſſent, quare ab arbore quidem nocumentum, & à ligno etiam vitæ reſtauramentum: rectiſſimè cantat Hymnus Eccleſiaſticus:

Breuiar. Roman.

*Hoc opus noſtræ ſalutis*
*Ordo depopoſcerat,*
*Multiformis Proditoris*
*Ars vt artem falleret*
*Et medelam ferret inde,*
*Hoſtis vnde læſerat.*

Hoc itaque quod in ſtipite obſeruatum, idem & in fœmina, vt quoniam Eua luctum atque ærumnas humano attulerat generi, per Virginem quoque & de Adæ trunco ſolatium acciperet idemmet Humanum genus, vt pulchrè modulatus eſt Sedulius, inquiens:





Sedull.

*Ac velut è ſpinis mollis Roſa ſurgit acutis,*
*Nil quod lædat habens, matrémque obſcurat honore:*
*Sic Euæ de ſtirpe ſacra veniente Maria*
*Virginis antiquæ facinus noua Virgo piauit.*

Quamobrem Bernard. ſerm. de Verbis Apocalypſis in Natiuit. B. Mariæ; *Sic nimirum prudentiſſimus, & clementiſſimus Artifex, quod quaſſatum fuerat, non confregit, ſed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, Euam transfunderet in Mariam: & quidem ſufficere poterat Chriſtus: Siquidem & nunc omnis ſufficientia noſtra ex eo eſt; Sed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum: congruum magis, vt adeſſet noſtræ Reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni Neuter defuiſſet.* Et mox ſubnectit: *Crudelis nimirum Eua per quam ſerpens antiquus etiam ipſi viro virus infudit: Sed fidelis Maria, quæ ſalutis antidotum & viris, & mulieribus propinauit: illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis: illa ſuggeſſit præuaricationem, hæc iniecit Redemptionem.* Et ſerm. in eodem feſto, de Aquæductu: *Intuêre ô homo conſilium Dei, agnoſce conſilium Sapientiæ, conſilium Pietatis: cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit; redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam: vt quid hoc? fortè vt excuſaretur Eua per filiam, & querela viri aduersùs fœminam deinceps ſopiretur: Ne dixeris vltrà, ô Adã: Mulier quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ: dic potiùs; Mulier, quam dediſti mihi, me cibauit fructu benedicto.* Talia & in ſerm. 1. ſuper Miſſus eſt: nihilque mage obuium Sanctorum in Patrum lucubrationibus, è quibus bonam partem reperturus ſis apud Salazarium de Conceptione cap.18. & cap.21.

Bernard.
Idem.
Idem.
Salazar.

38. *Difficultas, ſiue Obiectio contra præcedentem doctrinam: ſcilicet hinc ſequeretur, Incarnationem in peccatorũ ſolùm poſſibilium remediũ ordinatam.*

Diximus, quanquam ob Chriſti merita Virginis & futuritio & exiſtentia, tamen niſi in Dei genitricem electa fuiſſet, communem Originalis Piaculi ſubituram labem: aduersùm hanc cogitationem videatur eſſe, quod Chriſti Incarnatio ordinata ſit pro delictis quæ futura erant reipſa, non quę poſſibilia eſſent, vt quid enim tanto pretio delenda putaret, quæ nunquam erunt? itaque manifeſtum eſt pro ſolùm poſſibilibus noxis in mundum non veniſſe: Sed pro illo ſigno, pro quo determinatum eſt filium Dei naſciturum cum Mortalitatis exuuio, Virgo & omnes illi, qui Chriſti meritis donum Creationis ſortiti, tantùm poſſibiles erãt, quia nullum interuenerat decretum Numinis, quo producẽdos aliquãdo ſtatueret, quod ſi ipſi tũc poſſibiles ſolùm, multò magis peccata, quę commiſſuri fuiſſent quauis Circumſtantia, ſi extituri eſſent, igitur in talium delictorum remedium Chriſtus non erat venturus. P. Salazarius nominato aliàs de Conceptione opere ne ad hũc offenderet ſcopulũ, cùm agnoſceret & in veteri, & in nouo fœdere ſanctis Parentũ orationibus conceptos & in lucem editos nõ paucos, qui vtique per Chriſti merita, quatenus ſanctæ cogitationes & affectus Parentum ex gratia per Chriſtum; aſſeruit c.17.n.9. præter vnius intemeratæ Deiparæ exiſtentiam, cæterorum omnium quoad ſubſtantiam præuiſam etiam antequàm Adamus collaberetur: Parẽtum verò ſupplicationibus impetratum, non vt abſolutè forent, ſed vt qui iam ex Dei liberalitate futuri præuidebãtur, ab his magis, quàm ab aliis Patribus progignerẽtur: Quare ſicut ipſi præuiſi actu futuri, ſic & eorum peccata actu futura præuiſa ſimul, alioquin in eorum remedium nõ venturum Chriſtũ, quod multis conteſtatur c.16. Cuius Doctrinæ partem aſſerentem præuiſam exiſtentiam impetratorum per Religioſas Parentũ orationes ante decretum de Incarnatione concederem ingrauatè, ſi nihil præterea Quæſtioni ſupereſſet: Verùm quod ſententia prætendebat, impoſſibile fuiſſe, vt iidẽ poſt præuiſam Adami noxam & Chriſtum extiturum, omninò futuri eſſe inceprauerint, & tunc quoque eorum peccata quaſi futura Deus ſpeculatus, in quorum ſolamen filium mittere deſtinarit cum carne paſſibili, reiectandum cenſeo.

39. *Explicatur & enodatur præcedens difficultas.*

Itaque Numen paciſcebatur hunc in modum cum Adamo: Volo te caput omnium quos hactenus futuros decreuerim, nominare; quia etiamſi fortè in ſequentibus ſignis ob filij mei poſtulationes, vel ob ſanctorum lachrymas & preces ſtatuero, vt alij præter notatos iã exiſtant, volo quoque eorũ te caput haberi, quódque tu in ordine ad iuſtitiã vel conſeruandam vel amittendã perpetraueris, id illi, quàm primùm vt ſint ſtatuatur, moraliter cenſeantur perpetraſſe: Nam in huius oneris conditionibus quid relucet, quod non cupidiſſimè poſteri quãdocũque extitiſſent, amplexarẽtur? Supponimus tamẽ excipi quoad indecora illam, quam in genitricem Chriſtus eligeret: poſt huius rationẽ fœderis vult Deus ſecundam inter diuinas Perſonas Hominẽ fieri ob peccata quidẽ emaculanda, ſed non ad ea ſolùm abſtergẽda, ſiue de Originali nęuo, ſeu de actualibus vniuſcuiuſq; quæ tum intuebatur committẽda, verùm inſuper ad expiationem Delictorum, eorum qui poſtea quacumque oblatâ occaſione futuri decernerentur: Nã Scripturæ & Patres cùm de motiuo agũt Incarnationis, teſtantur Chriſtum aduentaſſe, vt omnes Peccatores ſaluos faceret, loca multa apud Vaſquez tom.1. in 3. part. diſp.10. c.2. igitur non propter eos ſolùm peccatores, quos præuidebat ante decretum Incarnationis, ſed quotquot futuri erant quouis modo, & pro quocumque ſigno: Deinde Chriſtus non venit reparaturus ſolius peccati Originalis plagam, ſed etiam in actualium peccatorum redemptionẽ, pro vtriſque paſſus atque mortuus eſt: Sed pro ſigno ante decretum de Incarnatione non præuidit peccata actualia determinatè & abſolutè futura, igitur nõ eſt affirmandum veniſſe tantùm, vt eos curaret peccatorum morbos, quæ priuſquã Incarnari ſtatueret præuidebãtur: Quod autẽ tũ non cenſeantur præuiſa fuiſſe peccata actualia argumentũ à Chriſti meritis deriuatum perſuadeat: Nam permiſſio eorum quę de facto cõmittuntur delictorũ non contingit abſque interuẽtu auxilij ſufficiẽtis ad eadẽ vitanda peccata: Hoc autem non conceditur niſi ex meritis Chriſti, igitur independẽter à Chriſti meritis nõ cernebatur volũtas proximè potens ad euitandum peccatũ actuale, ac potiori causâ nec ipſa præuidebantur peccata: Tenemur itaque omnes fateri, non fuiſſe opus præuideri peccata vt abſolutè & determinatè futura antequã Chriſtus vt abſolutè futurus præuideretur: Quod cùm dicitur, non eſt aſſerere Chriſtum veniſſe in remedium eorum delictorum, quæ ſolùm & merè poſſibilia erant, ſed veniſſe ad opitulandum Malis, quæ tum cernebantur, inſuper & ad Medelam eorum quæ poſtea quauis occaſione, & pro quocunque ſigno ex futuritione noua aliorũ Hominũ, ſi fortè viſum eſſet, talem decernere futuritionem, emergerent: Atque hæc quidem ſententia neceſſe eſt Patronum habeat Patrem Vaſquez 3. part. tom.2. diſput.116. cap.5. cùm doceat Chriſtũ pro eo determinatum eſſe ſigno, pro quo vidit Deus Adami lapsũ, & eius ſobolẽ ad lapſum procliuẽ, ſed nondum tamen lapsã: clarè ſuſtinet P. Lugo diſp.7. de Incarnat. ſect.5. n.52. & 65.

Vaſquez.
Vaſquez.
Lugo.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Diſciplina.

*Textus :* Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te Amica mea. *Cap.*1. *verſ.* 8.

*Maria ſingulariter producta, Originali ſoluta debito: Chriſti meritis nobiliſſimè redempta: Quantum beneficium ab omni fuiſſe noxâ præſeruatam.*

## SECTIO I.

40. QVæ antecedentis Explanationis ſectione poſteriori de incontracto à Virgine Beata Originali proximo debito ſolidiùs probata ſunt, rursũ ad incudem, ſed floridiorem repetitâ exercitatione cogamus: addantur fortibus emblemata: Diximus creationis modum ſingularem, cùm extra producendorum deſinitam multitudinem, Maria Chriſto ſpecialiter præparata ſit: Certè & omnipotens ſub initiis Rerum fabricauit ampliſſima Terrarum ſpatia: Tot cultæ Regiones, tot deſertorum locorum ſemitæ, & adhuc latentes populi; in Hominis imperium diſponuntur tam longa, tam vaſta; *Vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & Beſtijs, vniuerſæque terræ.* Gen. c. 1. v. 26. Annon poſſeſſionibus Protoplaſtus diues ſatis? Annon in hominem beneficus abundè Creator? vltra tamen proceſſum: viridarium conſtruitur: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit Hominem, quem formauerat*, Geneſ. c. 2. v. 8. Cur præter Mundi ambitum amœnæ areolæ, & pomifera ſylua, & iucundiſſima Naturæ portio? nempe, inter Molitionis opera, Homo Delicium Artificis, quippe ad imaginem, & ſimilitudinem ipſius formatus: Non igitur putauit dignum indulgentiâ ſuâ, non ſublimi gloriâ operis, ſi communi vteretur domo, & promiſcuè habitaret cum cætero Creaturarum vulgo: concinnè Baſilius Seleucienſis oratione 2. *Neque Donatoris deſiderium vniuerſa terra, & conceſſum mare ſatiauit; ſed extructum manu ſuâ Paradiſum, delicioſam ſedem Dilecto conceſſit:* Quod ſi cum Adamo Prouidentiæ amantioris talis condeſcenſus, quid de nouo opinabimur Adamo Chriſto Ieſu? Decreuit quidem Numen à principio, quot eſſent in hoc mundo futuri ex vtroque ſexu, ſtatuit ne plures exiſterent, niſi fortè vellet filium ſub paſſibili indumento in orbem Terrarum deſcendere: Quod vt definiuit, noluit ex generali computo Matrem gnato vindicare, ideò ſingularem de nouo Creaturam filio deſignauit, Mariam Beatiſſimam, quaſi vernantem Paradiſum, chariſſimo pignori.

Geneſ. 1. 26.

Et 2. 8.

*Vt Adamo delicio ſuo Deus poſt tot creaturas in eius vſum conditas Paradiſũ amœniſſimum mirè parauit, in habitationẽ: Sic Chriſto ſuo Mariam ſacrauit cœleſtis Pater.*

41. Adiunximus poſtulaſſe Chriſtum, eum in finem procreari Virginem, vt eius in ſubſtantia Carnem mutuaretur, quare prima auſpicia Maternæ excellentiæ faſtigia decorauère, alioquin niſi in genitricem filij Dei prodiret, Adæ illam violaſſet peſtifer morbus: Chryſologus in illud Matth. cap. 1. verſ. 18. *Cùm eſſet deſponſata Mater eius Maria Ioſeph*, &c. ſermone 146. *Suffecerat dixiſſe, Cùm deſponſata eſſet Maria; Quid ſibi vult Sponſa Mater? Si Mater, non Sponſa, ſi Sponſa non adhuc Mater? Virginitate Sponſa, fœcunditate Mater: aut quomodo non ante conceptum Mater, quæ poſt partum Virgo Mater? aut genitrix quando non, quæ ſæculorum generauit Auctorem? Maria Mater vocatur, & quando non Maria Mater?* Sed facilè eſt Chryſologo reſpondiſſe percunctanti; *Et quando non Maria Mater?* Scilicet genitrix non fuit quoad Chriſtum in lucem edidit vſque in ephebos annos: quomodo igitur ſemper Mater? neque difficile eſt, quod obtendebat Chryſologus eneruaſſe: nempe, vt quemadmodum Virgo manſerit poſtquam Mater vocata eſt, ſic antequàm pareret genitrix dici potuerit; Nam quidem Virgo poſtea, quoniam Puellare clauſtrum nunquam diſſolutũ, eo enim imperuio enixa eſt: At genitrix eſſe non potuit niſi peperit, cúmque ad decimum & quartum annum ſobolem non ediderit, ideò nec per longum interuallum Mater: Ergóne Rauennatum eloquentiſſimus Antiſtes indoctè pronunciauit? haudquaquàm ſanè: Sed latet in Verbis Sacramentum: Quippe ideò Maria, vt demonſtrauimus, producta eſt expleto creandorum numero, quia Chriſti genitrix futura erat, ideò in Adam non peccauit, nihilóque Origineæ tabis vitiata eſt, quoniam in Ieſu præſignata genitricem: demum propterea tot cumulata donis, quia Filium Dei paritura fuerat: Igitur velut tranſcendentale prædicatum in Maria, eſſe genitricem, nam vniuerſa beneficia comitatur: Si igitur vbique præfulget Materni ſublimitas honoris, rectè à Chryſologo aſſeueratum: *Et quando non Mater?* Si enim in decretum de Virginis futuritione conuertamus aciem Mentis, ibi Mater quoniam idcircò velit Deus produci eam, vt Mater Vnigeniti eius filij exiſtat: ſi in actualem formationem, creat vt genitrix ſit: ſi in diuina Spiritus ornamenta, & gratiarum vaſtiſſimum pelagus, ad tanti Culminis faſtigium ſuberecta, quòd Mater Domini ſit: itaque Mater vbique, Mater ſemper, ac proinde Chryſologus nitidiſſimè: *Et quando non Mater?*

Chryſolog.

*Sicut poſtquã Maria peperit, Virgo permanſit, ſic antequam pareret iã erat Mater, ad hoc enim creata eſt, vt eſſet Dei genitrix: Quantum hoc priuilegium!*

Sed ipſam aggrediamur Prærogatiuam: quænam illa? nempe, parũ erat quando cõcipiebatur, non contraxiſſe maculã Originalis ſceleris, etiam neque in Adamo peccauit: Salutat inclytã Reginam, & affatur de Olympo Nuncius inquiẽs: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiã apud Deũ*, Luc. c. 1. verſ. 30. Equidem, licet Adam non peccaret, eoque 42.

Luc. 1. 30.



còque immaculato iuſtitia ad poſteros tranſiret, atque ita & ipſi gratiam repeririſſent coram Deo, tamen quoad ille inter Homines commoraretur, niſi in gratia confirmatus eſſet, haberent filij & nepotes, quod timere poſſint: Cùm enim ex Numinis pacto ipſorum voluntates in eius tanquàm capitis voluntatem tranſlatæ eſſent, ſi quando Præceptum Creatoris tranſgredi contigiſſet, eo deturpato inficerentur omnes: accidere autem potuit quoad ille in via fuiſſet vt delinqueret: Quando igitur ſecuritas non erat, metus vrgebat: At verò Mariæ nulla timoris cauſa: neque enim peccatum Adæ commaculare potuit, niſi qui in eo peccaſſent, atque ob pacti conditiones eo tranſgrediente legem, debitum incurriſſent: Maria autem fœdere illo exempta eſt quoad onerоſa & inhonora, ideò neque debito obnoxia, nec in Adamo peccans, ac proinde timendi nulla occaſio: pulchrè itaque Angelus adhortatur *ne timeat:* Cur autem metuere deſinat, egregiè Chryſologus expreſſit ſermone 142. *Antè cauſam dignitas Virginis annunciatur ex nomine? Nam Maria Hebræo ſermone, Latinè Domina nuncupatur: Vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis, quam naſci, & vocari Dominam ipſa ſui germinis fecit, & impetrauit authoritas:* Nam propterea aſſeruimus pacto generali, quoad peccati transfuſionem, vindicatam, quod Mater Chriſti futura, cuius ſi non fuiſſet genitrix, communis noxæ pateretur ignominiam: ait igitur, *Ne timeas*, quoniam tu Maria, hoc eſt dominatrix ſis, ideo autem Domina, quoniam Ieſu Mater, proinde & timorem depellas, non enim Dominum Chriſtũ paritura vereri debeat, cùm hoc ipſo quod talis ſit, Adami voluntate eius non comprehendatur voluntas: ergo Petrus Rauennas optimè intulit: Vocat Angelus *Dominam, vt Dominatoris genitricem trepidatio deſerat ſeruitutis*, eius nimirum captiuitatis, quæ ob peccatum ingreſſa eſt in orbem terrarum.

*Præclarè dixit Virgini Gabriel, Ne timeas: Siquidem nil fuit, quòd timeret, cùm tamen Adæ poſteri, etiamſi ipſe primò nõ peccaſſet timere debuiſſent.*

Chryſolog.

Præuaticinatum de Maria ex communi Do-
43. ctorum ſenſu, Geneſ. cap. 3. verſ. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis Calcaneo illius:* Quem locum peccato Originali accommodant omnes Mariæ defenſores, ac ſanè de Originaria intelligendum noxa, Rupertus indicat lib. 3. Commentariorum in Geneſ. cap. 19. *Quis namque omnium noſtrum, quicumque viri pariter & fœminæ commixtum genus ſumus, inimicitias cum iſto dracone integras ſe habere gloriatur? Nonne omnes Dei potiùs inimici fuimus? ergo ſecundum illius quidem gratiam, nunc filij Dei, vel Amici ſumus, & cum illo Dracone inimicitias habemus: Secundum nos ipſos autem, vel ſecundum primos Parentes ſocij & conſentanei Rebellionis fuimus:* Verùm cur inimicitias plurali dictione expreſſit? Nempe in Originaria culpa duo ſunt, quæ contemplari debeant: alterum, ipſum peccatum actuale, quo & Adamus deliquerat, & in eo poſteri ob voluntatum transfuſionem in capitis voluntatem: alterum noxæ habitualis, quâ commaculantur nepotes ſtatim ac concipiuntur: Quoniam igitur ab vtroque Contagio liberi inter natos ex Adamo ſolus Chriſtus, eiúſque genitrix, idcirco de ambobus aſſeueratum, inimicitiam habituros; ſcilicet, præſeruandos, ne habituali dedecorarentur næuo ſub animationis puncto, verùm inſuper, vt nec contrahendæ noxæ debitores ſtrictè & propriè vnquam fuerint: & Ieſus quidem à natura, Virgo per beneficium & gratiam: Atque hoc fortaſſe, quod ſub Eſtheris typo, cùm Aſſuerus potentiâ & imperio coæquauit ſibi: *Quid petis vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris, impetrabis*, Eſth. cap. 5. verſ. 6. Igitur ſimilis in Regno, Aſſuero Eſther, quando & illa tot moderabatur populos, quot ille: & ſanè Chriſti fortitudo & imperium imprimis aduersùm peccata, ſed quod in tanta poteſtate excellentiſſimum, immunitas eſt ab originali ſecundum omnem modum, ideò ſingulari encomio inter mortuos liber nuncupatus: huius igitur Regnatus ſimilem amplificationem Mariæ conceſſit: atque alij quidem Poteſtatis ſortiti fuerint vnum, alterúmve Membrum: Nam extitère, qui antequàm naſcerentur, à macula originariæ abſoluti ſint noxæ: fuère, qui nunquam lethali vulnere conſpurcarunt Animam, conati Nonnulli & Baptiſtam è venialibus liberare: ceterùm, vt generatim de peccatis nullum ſit verbum, cùm de Maria incidit Quæſtio, ex hominibus ſoli Chriſto adſcriptum: Sed lex, inquiunt, cum generali edicto promulgata eſt, & gloſſæ locus nullus: Verùm, annon Chriſto liceat, quod Aſſuero: *Non enim pro te* (ait Eſtheri c. 15. verſ. 13.) *Sed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt?*

Gen. 3. 15.

Rupert.

*In Originali peccato duo ſpectanda.*

Eſther 5. 6.

*Chriſtus & Maria ab omni peccato immunes, ſub Aſſueri & Eſtheris ſymbolo.*

Eſth. 15. 13.

44. Dicunt, Virginem niſi ſub peccati imperio captiua aliquando fuerit, Redemptam Chriſti meritis non cenſeri: imò quidem nobiliſſimè Redempta, cùm præſeruata ſit, ne caderet: Statuit Numen ex Virgine progreſſurum in humanas auras filium eius, & Mariam ſtimulauit quæ multò antea tempore Virginitatem communiret voto: Vt quid Anticipatio? Nam ſi pro eius Caſtitate, quam intactam ſeruaret, Deo certare placuit, Nonne viros compeſcere potuit, quemadmodum & Pharaonem & Abimelech cohibuit, ne Saram læderent? Geneſ. c. 12. & 20. alterâmque etiam Saram Raguelis filiam tutatus eſt ſeptem enectis hominibus? Tobiæ cap. 6. v. 14. ita quidem Mariæ Virginitatem conſeruaſſet Deus: Sed tunc diſcrimine liberaret maximo: Putauit autem decêre magis ne periculum aliquo modo Virgo ſubiret, quàm à periculo ſaluam extrahi, vallauit proinde matutinâ diligentiâ Caſtitatem. Eleganter Auguſtinus tom. 6. libro de ſancta Virginitate, cap. 4. *Ipſa quoque Virginitas eius gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Chriſtus viro violaturo, quam conſeruaret ipſe, præripuit, ſed priuſquàm conciperetur, iam Deo dicatam, de quo naſceretur, elegit: Hoc indicant verba, quæ Angelo reddidit: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quod profectò non diceret, niſi Deo Virginitatem antè vouiſſet:* Emphaſis multa in illis verbis: *ipſa quoque Virginitas eius gratioſior, & acceptior*, &c. Nempe ſciebat Auguſtinus gratam, acceptámque futuram Deiparæ, licet eam viro violaturo eripuiſſet Deus, ſed gratioſiorem longè eam eſſe Virginitatem opinatus, quæ periculo non eſt reddita obnoxia. Ita igitur, vt permitteret Deus Virginem peccare in Adamo, redemiſſet cum honore Chriſtus periculo liberans, nam tum ſub diſcrimine, atque vt ob eius Paſſionis merita, dum conciperetur, vitaſſet generalis opprobrij deformem Notam: Sed tamen, quod addere voluerit ne timendi cauſa aliqua extiterit, cùm in Adamo non peccarit, neque enim metus de contrahenda macula niſi eis, quorum caput primus homo in ordine ad

*Vt Mariæ Virginitas abſque vllo periculo fuit, anticipato voto, Deo ſacra: Sic eius innocentia, peccati Originalis diſcrimen nullũ ſubijt præmature redẽpta.*

Geneſ. 12.

Tob. 6. 14.

Auguſtin.

ad iuſtitiæ amiſſionem multò honorificentius Virgini extitit, multò glorioſius.

45. *Vter præſtantior Baptiſmus, fluminis, an ſanguinis?*

Cuius ablutionis & Baptiſmi maior præſtantia? eius qui per ſanguinem? an illius qui per aquam? Annon par vtriuſque dignitas quando & ſimilis virtus? Nam Mors peccati vtrumque eſt Baptiſma: Sic quidem eſt, ambobus auferendas Animæ ſordes, ſed aliter Baptiſmus ſanguinis, quàm per vndas ablutio: Martyrium enim non ſolum piacula oblitterat, ſed cùm vitæ fila abſcindat, facit, ne in poſterum vnquam cadendi aliquis ſit metus: Quæ per fluenta eſt abſterſio, tum quidem mundat eximiè, at non præuenit, vt qui purificatus ſit, in futurum non coinquinetur: ergo ſublimior eſt Baptiſmus ſanguinis, qui & nocendi occaſiones tollit: Suffragatur Origenes hom. 7. ad c. 6. Iudicum: *Vereor, ne iſtud Baptiſma eminentius ſit illo Baptiſmate, quod per aquam creditur: illo enim accepto valdè pauci ſunt ita Beati, qui id immaculatum vſque ad exitum vitæ ſeruare potuerint: hoc verò Baptiſmo, qui baptizatus fuerit, peccare iam vltrà non poteſt: & ſi temerarium non eſt in rebus talibus audere aliquid, poſſumus dicere; quod per illud Baptiſma præterita peccata purgantur, per iſtud verò etiam futura perimuntur:* Sic igitur Martyrij ordinario Baptiſmo potior gloria, quod non ſolùm peccato liberet, ſed etiam delinquendi metu. Si Virgo ex Chriſti meritis ſolùm fuiſſet conſequuta, vt maculam, quam cæteri ſtatim atque animantur contrahunt, declinaret, pulchrè ſatis eam redemiſſet Ieſus. Sed tamen peccans in Adamo, & debito obſtricta, periculo verſari intelligeretur, cùm iuxtà rerum ordinem, quæ in Adamo peccaſſet Anima, ſimul ac corpori vniretur, ſub næuo fuiſſet: At præueniens ne debiti irretiatur vinculis, tollit omnem infectionis timorem: præſtantior igitur Redemptio hæc eſt, quemadmodum ſublimior Baptiſmi virtus, quæ non tantùm demit peccata, ſed offenſionis metum quoque tollit.

Origen. *Martyrium etiam à peccatis in futurum ſeruat, cùm baptiſmus præterita ſolùm abluat.*

46. Sed Deum immortalem! huius Beneficij amplitudo quanta ſit? Pange, ô Maria, & excelſiùs inclama: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt.* Certè vt ad Baptiſmum iterum reuertamur: Nazianzenus eo de Sacramento compoſitâ Oratione: *Baptiſmus* (ait) *omnium Dei Beneficiorum præclariſſimum eſt, & præſtantiſſimum: Vt enim quædam ſancta ſanctorum vocantur, & Cantica Canticorum, quod ſcilicet latiùs pateant, ac plura complectantur, præcipuámque dignitatem habeant: eodem modo Baptiſmus quoque Illuminatio dicitur, quod omnes alias Illuminationes ſanctitate ſuperet:* Si ad vnguem de ſcholarum rigore hæc expendantur, emergent ſcrupuli, neque enim vel vnione Hypoſtaticâ, vel Sacramento Euchariſtiæ præſtantius Beneficium Baptiſma: loquutus igitur Nazianzenus cum Exaggeratione, ſed quorſum Baptiſma tantis effert laudibus? Nimirum, quia à peccatis mundat: Ergo ſi abſtergi maculas Animæ inter Beneficia nobiliſſimum, qualis Mariæ facta Prærogatiua, non ſolùm vt Originalia, actualiáque ignoraret piacula, vel tenuiſſima, ſed ne in Adamo quidem peccaret? Quocirca in magno illo ſigno, quod demonſtratum Ioanni, Apoc. cap. 12. verſ. 1. demiratus ſpeciatim Euangeliſta, quod Luna ſub pedibus eius eſſet: ergóne hoc grande aliquid? Nonne Cherubim & Seraphim proculcat Virgo? Nonne cœlum & terra veſtigiis eius ſcabellum? denique nihil in pura Creatura tam ſublime & honoratum, quod non eius lambere plantas glorioſum putet: quamobrem itaque obſtupefactio de Luna ſuppedaneâ Virgini? ita eſt, ſi Planetam externis contemplemur oculis, ſi verò Arcanum intremus, ſignificari reperiemus mutabili ſidere, & quod vmbræ deformant, peccati vel naturam, vel damna: ergo cùm ſub variis Symbolorum figuris Ioanni, quæ in Mariam collata ſunt grandiora Beneficia oſtenderentur, vt inter hæc numerandum imprimis ſciret, omnem peccati effugiſſe ſuſpicionem, non Cherub aut Seraphin ſub pedibus eius, ſed Lunæ opacitatis ſubiectus orbis: præclarè Bernardus ſermone in Natiuitate Beatæ Mariæ ad præfatum Apocalypſis caput: *Nam & defectus omnis ſub ea, & quicquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ cæteris omnibus excedit, & ſupergreditur Creaturis, vt meritò ſub pedibus eius eſſe dicatur Luna: alioquin nihil magnum dixiſſe videbitur, vt ſit Luna ſub pedibus eius, quam ſuper omnes Angelorum choros, ſuper Cherubin, & Seraphin, exaltatam eſſe nefas eſt dubitare.*

Nazianzen. *Si adeò nobilis baptiſmus quòd peccata mundet: quanta Mariæ prærogatiua, quæ etiam peccãdi periculum amouit?*

Apoc. 12.

*Cur Luna ſub Mariæ pedibus?*

Bernard.

47. Veteris inſtrumenti Patriarchas atque Prophetas inſigni ornauit laude donorum prodiga Creatoris bonitas: Sed quem præcipui Beneficij honore condecorauit? Non facilis Quæſtio: Nam ſi gloriari velit Abrahamus, quod filio necem parauerit, tamen in Prophetis multi, qui ſecti ſunt, lapidati ſunt, in ore gladij perierunt: Quid Moyſe eximium magis? at non eo inferior Dauid: Clarus in miraculis Helias, prodigiis etiam inſignis Eliſeus: Arbiter huic ſit diſſidio Origenis calamus homilia 1. in Ieremiam, in illud cap. 1. *Priuſquam te formarem in vtero, ſanctificaui te*, &c. *Hoc enim* (ait) *nunquàm ad vllum Prophetarum dictum inuenimus: Abraham Propheta nuncupatus eſt in eo, quod dicitur: Propheta eſt, & orabit pro te; & tamen non dixit ad eum Deus: priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te: Sed poſtea, in extremo iam tempore ſanctificatus eſt Abraham, quando egreſſus eſt de terra ſua & de cognatione ſua, & de domo Patris ſui: ex repromiſſione natus eſt Iſaac; & tamen neque ad eum reperimus dictum hunc eſſe ſermonem: & quid neceſſe eſt per ſingulos currere? Ieremias præcipuum inter cunctos conſequutus eſt donum, dicente Domino: Priuſquam exires de vulua, ſanctificaui te:* Magna itaque & ſuſpicienda dona, Abrahæ fides, Ioſephi Caſtitas, Moyſis Clementia, Dauidis Manſuetudo, Salomonis ingenium, Heliæ Zelus, ſed præcipuum ob Beneficium exultat Ieremias, quoniam licet in peccato conceptus, non tamen natus, quia Matris in vtero ſanctificatus: Quod ſi anticipari munditiem Originalis noxæ, hoc enim præ reliquis vatibus ſolùm aſſequutus Ieremias vſque ad Ioannem, tale eſſe videatur Origeni donum, quod inter conceſſa veteris legis Patribus, caput extollat: Quale fuiſſe arbitrabimur Marianæ nitelæ Beneficium, cui omnis via præſtructa eſt ad peccandum? nec ſatis fuit omni næuo caruiſſe, etiam debito primæ culpæ liberata: Quali perfundebaris exultatione, ô Regina, dum hæc conſiderabas? Quàm tibi ſuauiter excideras, dum lætabunda perpendebas, nihil vnquam in te fuiſſe quod filio diſpliceret! ô Candoris miraculum! ô lucis ſingularem Prærogatiuam!

*Præ omnibus veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis eminet Ieremias, vtpote in vtero ſanctificatus, quod aliorum nemini conceſſum: Hinc quantus Virginis honor quòd nec debitum contraxerit peccati Originalis.*

Origen.

*Antiquos*



*Antiquos ſubditorum lapſus, quos correxerint, memoriâ refricare Prælatum, ad æſtimationis imminutionem inhumanum eſt.*

## SECTIO II.

48. *Quam ſtatim durè obiurgauerat Spõſus, iam Sponſam benignè compellat, & muneribus honorat præteritorũ immemor.*

DVm Equorum phaleris comparatur Sponſa, aſſeruimus ſignificari ea dona, quibus in diem feſtiuum nuptialis pompæ condecoranda erat: accepit igitur à Dilecto, monilia, veſtem, gemmas, aromata, & mulierum vniuerſas delicias: Sed nonne hæc eſt fœmina, quam acriori obiurgatione ob ſuperbiam, & ingratitudinem, paulò anteà Sponſus terruit? nam laribus abigendam comminatus eſt, inquiens: *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, Egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula Paſtorum*; cur modò in eam tam pretioſa congeſta? cur velut optimè meritæ blanditur Sponſus? Erat vir eius generoſæ atque altæ indolis, norat humanum eſſe labi, rationale culpam deflere: Sponſa de exceſſu indoluit; amauit igitur pœnitentem ac ſi nunquam deliquiſſet, alloquutus eſt dulciter, muneribus exquiſitæ gratiæ locupletauit: Bernardus ſermone 39. in Cantica: *Quòd tibi, inquit, dura locutus ſum Amica mea, nulla in me tibi ſuſpicio ſit odij, vel rancoris: Nam ſigna Amoris mei in te euidentia ſunt ipſa mea munera, quibus te honoraui, & ornaui: nec mihi animi eſt illa retrahere, ſed magis addere ampliora.* Debet quidem Prælatus veteris obſeruantiæ ſtrenuus propugnator aduerſùm errores atque licentiam inclamare fortiter, nec impunitum abire quidpiam ſinere, quod ſcandalo paruulis quoquo modo eſſe valeat, & diſciplinæ rigorem eneruare poſſit: At poſtquam ſubditus vitia correxerit, & luctibus atque ſubmiſſione emaculauerit contractas ſcelerum notas, abolenda eſt recordatio priſcorum delictorum, amplexibus, & mitiori fouendus alloquio, officiis ſplendidioribus, Magiſtratu donandus in Cœnobio, ac ſi nequaquam ſeu ob malitiam, ſeu ob hebetem ignorantiam tranſgreſſus eſſet. Satis criminoſus filius ille iunior, qui Patris optimi ſubſtantiam diſſiparat in ebrietatibus, in comeſſationibus, in impudicitiis: reſipuit tandem, & humili deprecatus corde veniam inſigniter compunctus eſt: obſecro, reuertenti num genitor veterem exprobrauit infamiam? Num ſaltem latêre ſuſtinuit, & non honorauit ampliſſimè maioris lætitiæ ſympoſio effusâ in alacritatem domo totâ, & veſtiuit ſtolâ decentiſſimâ, & calceauit venuſtè, & annulum digito inſeruit nobiliſſimum pignus? Chryſologus ſermone 3. de duobus filiis: *Non dixit, vnde venis? fuiſti vbi? vbi ſunt quæ tuliſti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutaſti? Sed citò proferte ſtolam primam, & induite illum: Videtis, quia delicta non videt vis Amoris! & date annulum in manu eius: paterna pietas contenta non eſt innocentiam reparare ſolam, niſi priſtinum reſtituat & honorem:* Illa ſedulo particula conſideranda: *delicta non videt vis Amoris:* Nam Antiſtes, qui lumina aperit ad ſubditi emendatione reformatas iniurias intuendas, difficile eſt cogitare, vt diligat eum: Si enim charitate arderet pectus, veterum non recordaretur culparum: Sed quoniam in præſenti vita nihil, quod lædat occurrit, quò inuidiam exſaturare poſſit, conſepulta ad auras rurſum protrahit: quibus manifeſtat, ſe non Patrem eſſe de conſuetudine bonorum Antiſtitum, ſed hoſtem efferum, lupum iniquiſſimum: Quid enim Pater facturus? Petrus Rauennas eodem ſermone: *Cecidit ſuper collum eius & oſculatus eſt eum: Sic Pater iudicat, ſic emendat; ſic peccanti filio dat oſcula, non flagella: delicta non videt vis Amoris, & ideò Pater peccata filij redemit oſculo, clauſit amplexu, ne nudaret Pater filij crimina, Pater filium ne fœdaret: Pater ſic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, nœuum filio ne relinquat:* At certè de vulneribus, quanquàm & docta medicauerit manus nonne veſtigia ſuperſunt? quomodo igitur genitor, ne cicatricem reliquerit & magnorum ſanè vulnerum? quia Pater erat, quoniam amabat: Superior, in quo hæ relucent dotes, vel ex inſidiis callidè obrepentes de antiquis ſubditorum lapſibus cogitationes feſtinus repellit, nam cicatricem etiam delêre tentat.

Bernard.

*Filij Prodigi venerandus ac optimus Pater, dum filium pœnitentem honorificè recipit, nil ei de præteritis exprobrans; Prælatis Exemplũ inſigne eſto.*

Chryſolog.

*Prælatus in emendatum durus ſubditum, non Pater, ſed beſtia efferus & lupus crudelis habeatur.*

Chryſolog.

49. Conuerſatus cum Deo Moyſes quadraginta diebus & quadraginta noctibus, deſcenſurus ad populum cum tabulis teſtimonij, glorificata eſt ſplendoribus facies eius: Nam quod noſter interpres cornutâ deſcendiſſe facie aſſeruit, Exod. cap. 24. verſ. 29. Chaldæus vertit: *Splendor gloriæ vultus Moyſis multiplicatus erat.* L X X. *Glorificatus erat aſpectus faciei eius:* Paulus clarè 2. ad Corinth. cap. 3. verſ. 7. *ita, vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius.* Quamobrem ſic reſplenduit figura vultus quaſi non de hoc ſæculo fuiſſet, ſed ex Beatorum contubernio? Auguſtinus quæſtione 186. in Exodum: *Acceptâ* (ait) *poteſtate in peccatores, cum honorificentia deſcendit de monte, facie glorioſâ.* Ergóne propter peccatores quaſi in cœleſtem Hominem tranſmutatus, & iubare micantiſſimo circumfuſus? imò nonnunquam Deus Amicis ſe occultat abſque ipſorum noxa, ne aliquo modo peccatoribus, quibuſcum commorantur, benefacere videatur: talem ob cauſam Iſaiam cap. 6. Vaticinationem ab Oziæ Regis morte exordiri, veterum & nouorum Interpretum multa pars notauit, Origenes imprimis, Cyrillus, Chryſoſtomus, Hieronymus, quod ſub iniquo Monarcha cum Prophetis per viſiones agere nollet, neque ſuæ gloriæ ſpecimen Iſaiæ licet multum charo patefacere, quare igitur Auguſtinus dicat, propterea clarificatum legiſlatorem, quoniam dominatum contra peccatores accepiſſet? Quoniam Moyſes populi Dux conſtituebatur, dum quaſi particulâ ex Beatorum dotibus honoratur, intimatum ei latenter, vt cœleſtis Adminiſtrationis normam, quantùm fas eſſet, imitaretur: Quid verò fortunatis Empyreæ Reipublicæ incolis ſuccedat? Equidem, quæ ſub mortalis ſtadij agone præclariùs operati ſunt, cumulatiſſimâ largitate remunerantur: de malis autem quæ perpetrarunt vel ex fragilitate, vel ex contumacia quidnam? certè quoniam pœnitendo ſatisfecerunt, nihil imputatur de antiquis iniuriis, nulla erubeſcendi occaſio eſt vnquam, deletum eſt penitus quod aduerſùs eos erat chirographum peccati: euehuntur non pauci ad ſublimiora loca, quàm quæ illi ſcandant, quibus receptam in Baptiſmo gratiam nunquàm amiſiſſe contigit, quoniam poſt lapſum fortiùs cucurrerunt, laborauerunt magis: in hanc intueri Regulam Moyſes iubetur, qui Imperator aſſignatur:

Exod. 24. Chald. L X X. 2. Corinth. 3. 7.

Auguſtin.

Origen. Cyrill. Chryſoſt. Hieronym.

*Ideo radijs vultus Moyſis è monte deſcendentis quaſi aliquâ cœleſtium dotum particulâ honoratur, vt qui peccatoribus præerat Diuinæ adminiſtrationis formam imitaretur, nempè peccata pœnitentiâ deleta in memoriam non renouaret, &c.*

bonis ſubditis prolixè faueat: Malos autem corrigat, ſeuerè etiam quando opus ſit: Quoties verò illi reſipuerint, & veterem abuſum integrè deteſtati fuerint, recipiat leniſſimè, deoſculetur, ablandiatur eis, honoret, atque extollat, vt facilè intelligant, eius ſublatam de pectore priſcæ recordationem Contumeliæ, & fractioris vitæ: Quæ ſi illis probare valuerit, mirum eſt quàm promptos habiturus ſit ad omnem voluntatis nutum: nihil, quod ab eiuſmodi Antiſtite violentum, nihil arduum, aut intolerabile.

50. Sub ipſa penè morte conuerſus latronum vnus, quibuſcum Chriſtus patiebatur, & veniam ſcelerum deprecatus, exauditus eſt feliciſſimâ voce in eius aures delapsâ: *Amen, dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo.* Luc. cap. 23. verſ. 43. Iubet Arnoldi Carnotenſis ex tractatu 2. de verbis Domini in Cruce Meditationem exprimere: *Ecce vnus de derelictis* (inquit) *aſſumitur, latro ille collateralis tuus, damnatus ob ſcelera: illum victoriæ tuæ Præcurſorem conſtituis, & viuificatum ex gratia, in Paradiſum præmittis, in quo confuſus eſt inimicus:* fortaſsè non vacat ſcrupulo hoc Arnoldi effatum: Nam ſi præcurſor victoriæ latro, ergo anteiuit Chriſto priuſquàm moreretur, & nunciauit Triumphatorem limbo concluſis Patribus. Atqui per mortem victoriam Ieſus adeptus eſt, quonam igitur modo quem viuentem reliquiſſet abiens latro, Hoſtium domitorem publicaſſet? Deinde quod imprimis obſiſtit, priùs defunctus eſt Chriſtus, quàm obierit latro, ideò nec eius Crura fregerunt, vt cum latronibus factum, quòd extinctum reperiſſent, Ioan. cap. 19. verſ. 33. Quanam igitur ratione Prodromus victoriæ Chriſti latro? Crediderim ſcriptoris mentem eſſe, quoad externam audientium intelligentiam Præcurſorem cenſeri, nam publicâ voce atque ſponſione gloriam viſionis beatæ ſub Paradiſi nomine Chriſtus illi oppignorauit, iudicio igitur percipientium ſermonem Redemptoris anteferebatur cæteris latro. Verùm, quoniam oratoriè agimus, & non ſecundum ſcholarum trutinam, dicatur ſanctus latro Præcurſor gloriæ & Paradiſi: ſed nónne ad inuidiam Baptiſtæ laxè dicamus ita? Nam fuit ille Lucifer & anteambulo, ſed venturo in paſſibilem vitam Seruatori naſcituro in præſepi, frigora, nuditatem, famem, æſtus ſubituro: latro autem ſæpè felix Chriſti reſurgentis cum gloria & immortalitate prænuncius? Ergóne potior Magno Ioanne, de rapinis, & homicidio famoſus? Nequaquam: talis nihilominus, qui prælatus Baptiſtæ videri poſſit: vt quid vel vmbra grandioris ambitus? ſcilicet, vt doceat Chriſtus, quamprimùm vera intercedit pœnitentia, oblitterari memoriam priſcorum ſcelerum: proindè latronem ſeriò conuerſum, licet ſub vltimâ periodo Præcurſorem deſignauit, & quaſi iiſdem condecorauit titulis, quibus Baptiſtam ſublimauit innocuum ſemper; atque oſtendat, non eſſe diſcrimen apud eum ſubditorum qui errauerint, cùm ex lapſu cautiores redditi caſtigatione egregiâ amiſſæ innocentiæ reſarciunt damna.

Luc. 23. 43.
Arnold. Carnot.
Ioan. 19.

*Bonus latro dicitur Chriſti Præcurſor, veluti Ioannis Baptiſtæ æmulus; adeò eius ſcelera obliterata fuêre ſtatim vt conuerſus veniam obtinuit.*

51. Dum inter orandum mente excedit Petrus, *vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum, quattuor initijs ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli, & facta eſt vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca,* Actor. cap. 10. verſ. 11. Symbola hæc ſunt, quidnam portendant? nimirum denotant gentium Conuerſionem, quæ belluinis cùm eſſent moribus Dæmoni ſeruientes, rectè ferarum deſignantur imaginibus. Communis Patrum Allegoria eſt, inter quos Auguſtinus ſerm. 26. de diuerſis, & breuiſſimè in illud Pſalm. 13. *Sepulchrum patens eſt guttur,* &c. *Petro dictum eſt: macta, & manduca: vt in ſuam fidem, & bonos mores ſuos; gentes conuerteret:* Cur autem ad gentium ſalutem quaſi rénitentior Simon, vt ter monuiſſe neceſſum fuerit? Arbitror ſpeciali causâ Petro magis, quàm alteri Apoſtolorum factam viſionem, quòd omnium ſupremus Rector fuiſſet: is igitur, qui cæterorum Princeps iubetur primùm mactare, atque occidere, hoc eſt rebelles Animos domare inflictâ debita ſceleribus pœnâ: Quam vt admiſerint, & humiles tulerint diſciplinam, tum ſic diligat, vt etiam viſceribus condat: ſunt cibi electi Animæ illæ, quibus cura fuit iuſtitiæ ſemitas calcare, & inoffenſum traducere vitæ curſum: His libenter Petrus veſceretur, ita ſibi vniret vt in ſe conuerteret, quando in amore quod ſummum, eſt vnum ex duobus conflari: At eos qui enormiter peccauerunt, gentium Brutum pecus tam ſuauiter fouiſſe, penè intolerandum apparebat: Hanc itaque opinionem deponere ſubintimat viſio, & pœnitentiam quidem ab iis, qui deerrauerunt, expoſtulare: cæterùm poſtquam ſatisfecerint antiquis ſcandalis, iiſdem blandimentis proſequatur, quibus eos qui non abierunt in conſilia impiorum: itaque in poſterum norit, non vitulis, non agno ſolùm eſſe veſcendum, ſed deuoranda eſſe pariter quadrupedia atque ſerpentes, & quicquid in naturæ partubus videbatur aut horribile, aut immundum. Mirum tamen eſt Petrum ſegniorem eſſe ad indulgendum lapſis, nam ipſe quidem cecidit, & grauiter colliſus eſt: Num idcircò deteſtatus eum ſit præceptor, ſeueriùs excepit deinceps? imò familiariùs tractauit: Nam cùm in cœna antequam negaſſet Magiſtrum, nè percunctari auſus eſſet à quonam traderetur, ſed Ioanne aduocato vſus ſit, poſt abiuratum ſe Chriſti diſcipulum, reſurgente ex mortuis Seruatore, interpellare eodem pro Ioanne, qui inter Collegas omnes ſpecialiter à Ieſu diligebatur, non eſt veritus, inquiens: *Domine hic autem quid?* Ioan. cap. 21. verſ. 21. vbi Caietanus admonet ſcitè; *Perpendamus, in qualem familiaritatis, ac fiduciæ gradum poſt Chriſti negationem Petrus adſcitus fuerat, vt ſcilicet ipſe Petrus interrogaret pro Ioanne tam dilecto, tam domeſtico Ieſu: qui Petrus antequàm negaret Chriſtum, interpellabat Ioannem, vt interrogaret Ieſum: vt intelligamus in magis internam amicitiam Dei adſcribi quandoque homines poſt crimina, quàm antea habuerant.*

Actor. 10. 11.

*Iubetur Petrus quadrupedia & ſerpentes occidere & manducare, velut agnos & vitulos, quòd amplius non eſſent immūda: Docetur Peccatores purificatos in ſinum etiam condere ſicut Iuſtos.*

Auguſtin.

*Ioannes ante Petri peccatū Chriſtū, quod Petrus nō audet, interrogat; Petrus verò poſt trinam ſuā negationem pro Ioanne Chriſtum interpellat quaſi in maiorem receptus familiaritatem.*

Caietan.

Premebatur fame Helias, Coruis imperatum eſurienti vt ſuccurrerent: itaque deferebant ei *panem & carnes mane, ſimiliter panem, & carnes veſperi, & bibebat de torrente,* Reg. 3. cap. 17. verſ. 6. ſed, ô prouide Rerum gubernator, Coruum eligis inter volatilia cui carnes deportandas credas? Non intuêris quia latro ſit, & Prophetam cibario defraudaturus ſit: certè nonne hic infidus explorator? Nam cùm Arcâ venerandus emiſiſſet ſenex Noë ſcire volens, num Aquæ retroceſſiſſent, & ſubterraneis ſpecubus conditæ, terræ aperuiſſent faciem, nequaquàm vltrà regreſſus eſt, Geneſ. cap. 8. verſ. 7. neque ſalutis leue illi periculum, quando nondum exſiccatâ glebâ, voluebantur in aruis fluctus; quamobrem etſi columbæ in volando celeres, 52.

3. Reg. 17. 6.
Geneſ. 8.





atque leues, quæ tamen libertate donata, cùm non inueniſſet, vbi pes eius requieſceret, in Arcam reuerſa eſt: verum Coruus extinctorum cadauerum ingluuie quaſi œſtro quodam percitus, ſpernebat diluuij minas præ Carnium deſiderio, vt ex Auguſtino & Chryſoſtomo monſtrauimus tom. 1. Anteloq. 7. num. 189. Ergóne, cui vitâ ipsâ quodammodò optatiùs Carnibus ſaginari, iſne æſtimandus ſit fidus portitor ad Heliam? ſanè Coruus Peccatoris ſymbolum eſt, eiúſque qui inuerecundè impius ſit: ſed tales conuertuntur, & pœnitent, atque à viis ſuis malis recedunt; Quid tum facturus ſit Prælatus? negabit portandas Carnes, quoniam reminiſcatur olim ob Carnium concupiſcentiam infidelem extitiſſe nuncium ei, per quem ſaluatus eſt ab aquarum ſæuitia? imò obliuiſcens ea, quæ retrò ſunt, contendat ad anteriora, & præſentis iuſtitiæ conſideratione defixus immemor præteritorum, committat deferendas ad Prophetam Carnes, experietur vti ne buccellâ vnâ Coruus iam probus factus, Vatem ſit defraudaturus; id quod Heliæ contigit: noſter Hibernus Venerabilis Sedulius lib. 1. operis Paſchalis, cap. 23. *Nunc Eliæ coruus bonus, ac fidus, qui Noë quondam malus, ac perfidus, in terris abluit culpam in aquarum inundatione contractam.*

*Carnes in Eliæ cibum paratas Coruo credit Deus, quaſi non recordaretur hunc carniū auidum in Arcā ad Noë non rediiſſe. Coruus Peccatoris ſymbolum.*

Sedulius.

---

*Nobiliſſimum ſpiritalis vitæ genus, quod ex Actiuæ, & Contemplatiuæ nexu conſurgit.*

## Sectio III.

53. EX Ambroſio ſuperiùs numero 27. monſtrauimus Pharaonis equitatu ſignificatam Animam Apoſtolicæ virtutis æmulam, nempè, quæ ſuis non tantùm ſtudeat profectibus, ſed poſtquam contemplata eſt Deum, bibit de nectare conſolationum ſacratiſſimarum, foràs predit vt illuminet omnem Hominem venientem in hunc mundum: Hoc à Chriſto didicêre, per quos Salus orbi terrarum allata eſt Petrus, & commilitonum fortiſſima manus: ſed cur equitatui comparauit magis, quàm pedeſtribus turmis? ſcilicet, legionum præcipuum decus equites ſunt, vt igitur doceat & Practicis, & Theoreticis ſeorſim conſideratis, præſtare qui vtrumque vinculant, proinde & ſublimiores cæteris, aſſimilauit iis, qui in caſtris excellunt. Summus ille ſacrorum Antiſtes apud Iudæos amiciebatur tunica Hyacinthina, deorſum autem ad pedes tintinnabula de auro puriſſimo, quæ poſuerunt inter Malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum, Exod. cap. 39. quare de Hyacintho veſtis? Abulenſis quæſt. 22. in cap. 28. Exodi: *Sacerdos Magnus totus Hyacinthinus erat, tam in capite, quàm in reliquo corpore, quia Hyacinthus eſt color cæleſtis: Sacerdos autem magnus totus cæleſtis eſſe debet: in capite autem, quia omnes cogitationes ſuæ de rebus cœleſtibus eſſe debent, ita vt totum deſiderium ſit in bona æterna; in corpore autem, quia in omnibus operationibus, totâque vitæ habitudine apparere debebat, quod ſolam vitam æternam deſiderabat, & inter cæteros quaſi quoddam exemplar cœleſtis vitæ, atque futuræ Beatitudinis ſit:* Quod ſi certè Archipræſul eiuſmodi, cuius tota conuerſatio in ſupernis, eximiè contemplatiuum eſſe oportet, tales enim ſunt, quorum à terrenis diſtracta cogitatio Anagogiæ vacat: ſed non continuò Sponſi amplexibus adhæreſcere debeat, verùm extrà ad Homines progredi, quorum infantiam doctrinæ, & virtutum pabulo alat, vt in virum perfectum creſcat puſio, idcirco limbum operoſi indumenti tintinnabula, atque malogranata ornant, quibus ſermo catechiſticus, atque egregia Charitatis erga proximum deſignantur opera: Rupertus lib. 13. in Ioannem ſub initio: *Et mixtis tintinnabulis doctrinæ, & operum eius malis punicis; nihil viſu pulchrius, nihil auditu dulcius, nihil experimento delectabilius.* Verùm, qua ratione ſolius ſupremi Myſtæ tunica & indumentum, in quo cum Hyacintho aſſociata tintinnabula, & inſertis Malorum punicorum fructibus? curni atque in minorum Sacerdotum veſtibus eadem reſplendent emblemata? Equidem de actione & theoria conflatum vitæ interioris genus nobiliſſimum eſt, vt dicebamus: Quo igitur cæteris præcellere ſubintelligamus, venuſtè quod non in Leuitæ alicuius, vel ſecundi ordinis ſacro Miniſtro ſymbola emineant coniunctæ vitæ: illi quidem Amictu, ſeu Hieroglyphico referant aut ſoli ſpeculationi intentos, aut curis fatigatos dum actioni incumbunt quaſi integrè: vbi autem fœderantur Actio & Contemplatio, quoniam id ſummum eſt, non niſi ſummus Hierarcha repræſentet.

Ambroſ.

*Spiritualis ex Actione & Cōtemplatione Perfectio comparatur Equitatui præcipuo legionum militarium decori.*

Exod. 39.
Toſtat.

*In Antiſtitis ſummi veſtibus myſticè adumbratur vita ex Actione & Cōtemplatione mixta.*

Rupert.

Seraphin apud Iſaiam volant, & ſtant: *Seraphin* (ait cap. 6. verſ. 2.) *ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant:* quare ſtant? An vt Beatæ Contemplationis firmitatem innuant, qua Deum intuitiuè cernunt perenni viſione? ita ſubintellexiſſe viſus Bernardus ſerm. 4. de verbis Iſaiæ: *Placet mihi ſtatio illa: omnino ſic volo manere, nec aliquid prorſus admitto, quo mihi ſtabilitas illa depereat: ſalua mihi ſit illa tam amata ſtabilitas.* Et volatus quidnam? fortaſſe, quòd hominibus ſubueniant, quod cœleſtem procurent eis felicitatem? nam adminiſtratorij ſpiritus ſunt in hominum deſtinati ſalutem: Scio docere graues Theologos ex Seraphin, cùm de Angelica Hierarchia nobiliſſimi omnium ſint, non mitti quempiam humanas ad legationes: ſed in diuerſum opinari alios oſtendimus tomo 1. Anteloq. 6. num. 187. ſed licet ipſa Seraphin, quaſi Actiuæ vitæ miniſteriis nunquam fungerentur, quæ ad Angelorum vltimam claſſem ſpectarent, tamen ſymbolicè repræſentare potuerunt quid apud nos contingat, quorum actio & ſpeculatio volatu, & ſtatione denotantur: nam de adſtrictis ad ſacra officia vniuerſim Dauid, Pſalm. 33. verſ. 1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini: Qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri:* Et ſpeciatim de Theoreticis deſerta inhabitantibus, Rechabitis ſcilicet, Ieremias, c. 35. verſ. 19. *Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus.* Volatu autem deſignari Apoſtolicorum virorum clariſſimas peregrinationes in vltima terrarum ſpatia pro nationum Conuerſione ex notiori interpretatione Iſaiæ declarant verba, cap. 60. verſ. 8. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas? me enim inſulæ expectant,* &c. Quando igitur vtriuſque vitæ coniunctæ typus, confœderati volatus & ſtatio, diſquiro, quamobrem non ex Angelorum aliis ordinibus delecti magis, qui hæc ſtando, & volando repræſentarent, præſertim ſi actio per Hominum opitulationem Seraphin non conueniat: Equidem vt alij Angeli ſtarent, & volarent, indicarent bellè vinculum & germanitatem vitæ Actiuæ, atque Contemplatiuæ: ſed cum dignitate ſupremi non eſſent, quod 54.

Iſai. 6. 2.
Bernard.

*Stant Seraphin in Dei Contemplatione ſixi; & pariter volant in miniſterium ſalutis.*

Pſalm. 33. 1.
Ierem. 35. 19.

*Statio contēplationē: Volatus Actionem ſignat.*

Iſai. 60. 8.

in hoc genere vitæ excellentiſſimum, nimirum præſtare vel ſoli Theoriæ, vel ſoli praxi, oſtendere non poſſent: Quo itaque percipiamus vitæ ſpiritalis cæteris formis anteferri illam, ipſámque Reginam euadere, quæ connubit ſpeculationem, actionémque, egregiè perpetratum, vt ambarum ſocietatem de nouem Angelorum gradibus non alius referret ordo, quàm qui inter vniuerſos eminet, Seraphin videlicet ardentia.

55\. Geneſ. 17. 28.

*In Iacobi benedictione Ros Speculationem: Terrena bona Actionem innuunt.*

Benedicebat Iacob caligans Iſaac, & inquiebat: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini*, Geneſ. cap. 17. verſ. 28. Myſticè, Contemplatiuum & Actiuum deſignat: Qui enim de cœlis Ros eſt, ſuauem diuinarum Cōſolationum pluuiam manifeſtat, qua ager meditantis Animæ pingueſcit: Terrena bona curas ſuggerunt, quibus Actiuæ vitæ cultores laſſantur: certè Iacobum referre vtrumque Hominem, & agendo & ſpeculando intentum vniuerſa penè Eccleſiaſtica diſciplina conſentit, quod vxores habuerit, quorum altera formoſa Rachel, Contemplationis admirandam, ſuauiſſimámque figurat ſpeciem: altera, quanquam non vultu gratioſa, fœcunda tamen Lia, Actionis laborioſam ſubminiſtrat Prouinciam. At hæc Benedictionis Iſaac initia tantùm: ſubſequitur: *Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur antè te filij Matris tuæ:* itáne, quia Contemplatiuus & actiuus Iacob, Princeps nunciatur? imò propterea abdicare ſe Magiſtratu & honoribus debuerat: Nam contemplatio humilem & ſobrium eſſe oportere monet: actio, quò pluribus vtilior ſit, vnius populi regimine coërceri non debeat: ſed Princeps non eſſe Iacob non potuit ſimul ac Contemplatiuus & Actiuus declaratus eſt: ſi enim inter vitæ ſpiritalis normæ modos huic defertur palma, rectè ſortitus Iacob primarium vitæ genus, Princeps nominatur: Verùm & ipſe Iacob moriturus benedixit filiis: Cur autem Ruben primogenito ſceptrum & diadema non eſt pollicitus? Cur non Ioſepho chariſſimo natorum pignori? Iuda Monarcha futurus prædicitur: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius donec veniat, qui mittendus eſt*, Geneſ. cap. 49. verſ. 10. Quid in Iuda principatu quòd ſingulariter dignus præ fratribus? ſcilicet eximiè contēplatiuus eſt, cóſque mentis exceſſus patitur, qui ægrè expergiſci ſinant, idcircò leonis profundiſſimo ſomno comparata ſpiritalis eius dormitio: *Requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* Sed idem pariter relicto dulciſſimo Contemplationis otio, nouit fortiſſimè Hoſtes aggredi, cum inimicis Eccleſiæ ſtrenuè decertare, & prædis ſeu de Hæreſi ſeu de gentilitate reportatis cum gloria & vtilitate ad Meditationem reuerti: *Iuda te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum:* igitur ad vtrumque formatus, quando in talibus exercitamentis conſociatis, vitæ melioris apex, Princeps inter fratres conſtituitur, *Adorabunt te filij patris tui.*

*Ipſe Iacob vtriuſque vitæ Typus, quippe Lia Actiua, & Rachelis Contemplatiua Coniux.*

Ibid.

Geneſ. 49. 10.

*Cur Iudas cæteris præficitur fratribus?*

56\. Transfiguratus eſt coram paucis Diſcipulorum, de quibus Petrus, Saluator in Thaboris faſtigio: repletus eſt conſolatione per illud interuallum Simon, & locum inſolitæ iucunditatis amabat vehementer quidem: Quare auſus eſt Chriſto ſupplicare copiam faceret extruendorum trium Tabernaculorum, & cæteris valedictis plagis terrarum, æterna deinceps illo in monte fuiſſet habitatio, quoad vitæ ſtamina abrumperentur. Pia videbatur oratio, & tamen Lucas veritus non eſt aſſerere, ignoraſſe Petrum quid diceret, cap. 9. verſ. 34. ſed quæ inſcientia eſt quietem exoptari à principe Apoſtolorum, & vt vacaret & videret ſolitarius, quàm ſuauis eſt Deus? Nonne hæc eſt pars Mariæ, quæ optima iudicata ſit? Egregium eſt proculdubio Contemplationis ſuauiſſimis frui amplexibus, ſed quomodo orbis terrarum ſanaretur, ſi eremum Petrus & ſocij coluiſſent? Hoc omnium diuinorum diuiniſſimum eſt ab oratione charitatem proximorum mutuari atque eorum cauſa, vel oſculo Contemplationis, quod omnem ſuperat dulcedinem, renunciaſſe: præclarè admodum Bernardus ſerm. de Beato Martino ſub fine, expendens illud: *Domine ſi populo tuo adhuc ſum neceſſarius, non recuſo laborem: O ineſtimabilem charitatem! ô obedientiam ſingularem! Magna quidem obedientia veſtra ſancti Angeli, ſed quod dicere audeam pace veſtrâ; neſcio, an inueniatur in vobis quiſpiam paratus in tale aliquando mitti miniſterium, in quo neceſſe habet non vidêre faciem Patris: Magnum eſt, Petre, quod Dominum ſequuturus omnia reliquiſti, ſed audiui te in monte dicentem, vbi transfiguratus eſt coram vobis, Domine, bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula: Non eſt hoc: ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſò laborem.* Verùm ad Lucæ effatum, quoniam neſciret quid diceret Petrus, Origenes tract. 3. in Matthæum: *Petrus præponens ſuam vtilitatem vtilitatibus plurimorum, quæ poterant euenire Hominibus ex deſcenſu Chriſti ad eos, dicebat: Bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus, ſi vis, tria Tabernacula: ſed quoniam Charitas non quærit quæ ſua ſunt; hoc quod videbatur bonum Petro, non fecit Ieſus, ſed deſcendit de monte:* Addo præfatis, quod noſtro ſcopo potiſſimùm deſeruire valeat: Nam ſi in deſerto manſiſſet Petrus, quem & Commilitones imitari vellent, quonam pacto Scriptura Dauidis adimplenda, quæ Principes futuros illos vaticinata eſt Pſalmo 44. verſ. 17. *pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram?* Quæ etſi verba intelligenda maximè de functione Epiſcopali diuerſarum Eccleſiarum, quas Apoſtoli fundarunt: tamen & ad vitæ, quam profeſſi ſunt normam, etiam pertinent, vt cum alij Contemplationi ſoli indulſerint, alij actione occupati, quod præſtantiſſimum vitæ genus eſt ex vtriuſque mixtura, Apoſtoli arripuerint, igitur & quod principem vitæ ſpiritalis formam ſubſumpſerint, Principes quoque: Cùm igitur Petrus caput cæterorum perfectiſſimæ vitæ methodo relucêre debuerit, deſerti interiora amare non debebat, ſoli Theoriæ vacaturus; ſed proximorum vtilitatibus ſimul incumbere, ac ideò neſcire quid diceret præfatus eſt Euangeliſta.

Luc 9.

*Errabat Petrus, dum in Thabore cum Chriſto, ſoli Contemplationi vacare optabat: ſiquidem cùm Princeps conſtituēdus eſſet ſuper omnem terram, Principem vitam Theoricopracticam ſeligere debuit.*

Bernard.

Origen.

Pſal. 44. 17.

De famulabus Sponſæ nuperrimè relato Pſalmo 44. *Adducentur Regi virgines poſt eam*, (verſ. 15.) *proximæ eius afferentur tibi; afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum Regis*, nimirum in penetrale domus, qui orandi locus eſt, quemadmodum Magnus expoſuit Baſilius in dictum Pſalmum: *Quantæ ſit prærogatiuæ in templum Regis adduci Propheta pro ſeipſo orans oſtendit: Vnam petij à Domino: hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, & viſitem templum ſanctum eius:* Huc igitur introgreſſa Regina, vt vela expanderet Rerum diuinarum altiſſimis Meditationibus, ſequutæ ſunt eam Pediſſequæ Contemplationi vacaturæ ipſæ quoque: ibi quoque eſt Rex, neque enim abſque Sponſo fidelis nupta, ſed quonam modo? *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate:* cur non ſedere 57.

Pſal. 44. 15.

Baſil.

*Non ſedet, ſed Aſtat Regina in Templo à dextris Regis Sponſi, quaſi in ipſa Contemplatione ſemper in procinctu eſſet ad pugnam.*



ſedere faciat in throno magnifico, vti Bethſabæam filius eius honorauit Salomon, Reg. 3. c. 1. v. 19. Qui ſtat, in procinctu eſt ad decertandum ſi neceſſitas, ad ſubueniendum laborantibus, propterea à dexteris Regina, quæ eſt Eccleſia: docuit Arnulphus Epiſcopus Lexouienſis ſerm. habito in Synodo: *Chriſtus ad dexteram Dei Patris, in potioribus ſcilicet Bonis gloriæ ſedere dicitur propter requiem conſummatæ gloriæ, quam accepit: Eccleſia à dextris Chriſti ſtare dicitur, non ſedêre, quia ſemper eſt in procinctu.* Igitur quæ Regina, ita eſt in loco Orationis, vt parata ſit in omnem horam vel pugnam deſcendere, vel opitulari dolentibus & afflictis, per maria ferri, per ſaxa, per ignem & gladios: verùm nónne quieſcente Hera in procinctu eſſe famulas decebat potiùs? illæ ad certamina pergerent, hæc otio potiretur? ſed vereor, ne Regina non fuiſſet, niſi & in templo verſaretur, & pariter ad dimicandum ſe præpararet; Cùm enim his officiis vita Contēplatiua & Actiua deſignetur, harum autem germanitas ſit quæ primatum obtinet, quo pacto Regina cenſeretur, quæ tali caruiſſet gloriâ? Itaque quæ ad ipſius Reginæ ambitum proximè accedunt nobiliores pediſſequæ, eis fas ſit Templi ſemper obſeruare limina nam & hoc quoque præclarum eſt: At cùm ſecundas obtineat in dignitate partes Contemplatio, Actioni enim præſtat, cùm ſupremâ excellentiâ refulgêre oporteat quæ Regina ſit; quod ſupremum eſt, amplexetur, Actionis & Contemplationis nempè vinculum.

3\. Reg. 1.

Arnulph. Lexouienſ.

58\. Fortaſſe & in harum Pediſſequarum typum piæ illæ fœminæ, quæ emerunt aromata, vt Ieſum vngerent, & Buſto adhærebant ſingultantes? quamobrem & Apoſtoli non deferunt odorata, & ſuffumigant Magiſtri chariſſimo tumulo? Deuotum eſt ſanè defuncti Præceptoris aſſiſtere Cadaueri, lachrymas offerre cum Arabiæ donis: ſepulchrum quoque adierunt Petrus & Ioannes: aliud verò eſt monumento ſemper adſtare, & Contemplationi iugiter incumbere: id in fœmineo ſexu commendabile; verùm qui præcellit virorum ſexus, & ij imprimis qui Principes conſtituti ſuper omnem terram vt dicebamus paulò anteà ex Pſalmo 44. grauiora meditentur operæpretium eſt, ídque quod ſummum eſt Actionis & Contemplationis combinationem: quare & monumento interdum aſſideant, & à monumento etiam diſcedant ſiue Iudæis, ſeu Gentibus opitulaturi, ſeu Chriſti nomen & honorem aduerſum blaſphemos, & prophanitatem propugnaturi. Rectè Chryſologus ſerm. 79. *Non eſt hic præpoſterus ordo, ſed myſticus: non poſtponuntur Apoſtoli fœminis, ſed ad maiora ſeruantur: fœminæ obſequium Chriſti ſuſcipiunt, Apoſtoli Chriſti ſuſcipiunt paſſiones: illæ portant aromata, iſti flagella: illæ intrant ſepulchrum, iſti Carcerem: infundunt illæ oleum, iſti ſanguinem fundunt: & quid multa? reſident illæ domi, ad acies iſti tendunt: mulieres ergo ferunt pro Chriſto lachrymas, Apoſtoli Diabolo ſuperato, & victis hoſtibus, Chriſto & victoriam referunt, & Triumphum.*

*Sepulchrum adierunt Petrus & Ioannis, ſed ibi non manſerunt vt fœminæ; Hæ Contemplatiua ſolùm: illi Actionem ſpeculationi iunxerunt.*

Chryſolog.

*Angelici ſpiritus Milites nuncupati ob fidam hominum cuſtodiam aduersùm dæmones.*

## Sectio IV.

59\. Bernard.

DE Angelorum excubiis pro Hominum ſalute, Equitatum Bernardus expoſuit ſerm. 39. in Cantica: *Noueris huiuſmodi Animam nunquam eſſe ſine Angelorum cuſtodia, qui eam æmulantur Dei æmulatione, ſolliciti ſuo viro ſeruare, & Virginem caſtam exhibêre Chriſto: & ne dixeris in corde tuo, vbi ſunt? quis eos vidit? vidit eos Propheta Eliſeus, inſuper & fecit orando vt videret Giezi: Tu non vides, quia non es Propheta, nec puer Prophetæ: vidit Patriarcha Iacob, & ait: Caſtra Dei ſunt hæc: vidit & Doctor gentium, qui dicebat: Nonne omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt, miſſi in miniſterium propter eos, qui Hereditatem capiunt ſalutis? ergo Angelicis fulta miniſterijs & ſuperno ſtipata agmine Sponſa incedens, ſimilis eſt equitatui Domini, illi vtique qui quondam in curribus Pharaonis tam ſtupendo diuini adiutorij miraculo triumphauit.* Sed quare Equitatum nominat pennigeras mentes? neque enim Deo armatis legionibus opus eſt, quibus beatæ patriæ fines tueatur, & Empyreos ciues: iam ipſe talis eſt quem nullius potentia lædere valeat: ſed nec Angelica Natura ad ſui defenſionem vllis eget præſidiis: Quando itaque in tuto ſint vniuerſa, vt quid clypeum & galeam portent, & equis velut ferantur quaſi in fugæ tutelam, ac ſi quiſpiam terga vertere cogere potuiſſet? ô Numinis erga hominem infinitam indulgentiam! cùm omnia in pace haberet, & neque ipſe, neque Angeli eius hoſtem timerent vllum, iuſſit armatas diſponi turmas Hominis gratiâ: ob Hominum igitur cauſam *Equitatus* voce hoc ſignificari loco, & alibi *Militiæ* nominibus, vt cùm edito Seruatore, naſcenti ab æthere plauſerunt: *Et ſubitò facta eſt* (inquit Lucas, cap. 2. verſ. 13.) *multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo*, &c. Cur non Muſicos potiùs dixit ſuauiſſimo gutture modulantes? vbi litui? vbi criſtatæ galeæ, vbi Haſtæ aut ſagittæ quæ Bellatores demonſtrarent? Num ex ipſo cantu? ſcilicet ſpondent *pacem* hominibus poſt modulatam Deo gloriam? ſed per certamina Pax. Quinam dimicaturi ſint? Homines ipſi? At miſeri, imbecilles ſunt, & Hoſtium viribus impares: Angelos igitur auxiliatores ſortiantur, operæpretium eſt: itaque ob hominum ſubuentionem, milites ſiunt. Annotauit in Lucam Beda: *Nam ſicut Imperatoris optimi prouiſione, cuncta manu militari loca aduerſùs Hoſtium muniuntur aduentum: ita & Deus, quoniam immundi ſpiritus ad Pacis euerſionem vbique verſantur; ad tutelam noſtram conſtituit exercitus Angelorum, quorum præſentiâ Dæmonum confringatur audacia.*

*Angeli, Equitatus in curribus Pharaonis.*

*Angelorum Chorus in Chriſti Natiuitate dicitur Militia cæleſtis, velut armata in hominum patrocinium.*

Luc 2. 13.

Beda.

Vidit ſedentem in cœlis Ioannes ſimilem *aſpectui lapidis iaſpidis, & ſardinis*, Apoc. c. 4. v. 3. ſubdit autem de circumambientibus illum: *Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quattuor & ſuper thronos viginti quattuor ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum Coronæ aureæ.* Vidit Iſaias Dominum ſedentem ſuper ſolium eleuatum & excelſum: At qui in Circuitu throni, quanquam de ſupremo Angelorum ordine, non tamen ſedebant: *Seraphin* (ait, c. 6. v. 2.) *ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri:* Num digniores qui ſedeant viginti quattuor ſeniores, licet per illos ex communi ſententia intelligantur illuſtriores ſancti noui, & veteris inſtrumenti, quàm Seraphin Angelorum Coryphæi? *Sedere* (inquit Bernardus ſerm. 3. de verbis Iſaiæ) *præſidentis eſt, ſedere dominantis & regnantis: maximè verò ſedere ſuper ſolium dominationem notat: nam ſedere ſimpliciter aliquando & humiliationem:* Eſto verum hoc: Nonne Angeli Regnorum atque Prouinciarum à Deo conſtituti præſides? Nonne etiam regnant & dominantur, 60.

Apoc. 4. 3.

Verſ. 4.

Iſai. 6. 2.

Bernard.

*Cùm circa Thonum Dei ſedeant 24. Seniores .j. Sancti vtriuſque Teſtamenti; ſtant ipſi Seraphim quamquã nobiliores, quaſi in certamen parati pro tuendis hominibus.*
Bernard.
Gregor.

tur, qui non ſolùm cum Deo & apud Deum perenniter viuunt, ſed Hierarchiarum ſacrarum duces ſunt? quare itaque ſtant? Stare quidem eius eſt, qui in procinctu ſit ad dimicandum pro aliis, ad ſubueniendum laborantibus; Bernardus eodem ſermone: *Stat Chriſtus pro Patre zelans, Patris gloriam quærens, & tanquam Vnigenitus, imò & primogenitus Patris zelo Patris adiuuans adoptiuos; ſic illum Stephanus ſtantem vidit, quem habuit adiutorem, ſic Propheta in adiutorium eum ſurgere precabatur, Exurge, inquiens, Domine adiuua nos.* Breuiter atque enucleatè Gregorius Romanus lib. 1. Moral. cap. 26. *Sedere quieſcentis eſt, aſſurgere decertantis:* Ergo ſi decertantium eſt ſtatio Symbolũ, cùm pro Hominibus contra dæmones Angeli pugnent, atque hanc ob cauſam & Caſtra Dei nominantur, & eius dicuntur Militia, perbellè quod non ſedentes contemplatus ſit Angelorum præſtantiſſimos Iſaias, ſed ſtantes, vt geſtu ipſo ſignificent Hominum ſe eſſe propugnatores, ad Bellum expeditos, quod tamen non ſui, ſed Hominũm gratiâ cum Tartaro gerant.

61. Magi, ſtellâ duce longinquum emenſi iter in Bethleem venerunt, cùm redire in patriam cogitaſſent, reſponſo in ſomnis accepto, ne rurſum Herodem inuiſerent, admoniti ſunt, Matth. c. 2. verſ. 12. Angelum verò fuiſſe qui ſuggeſſerit Chryſoſtomus opinatur hom. 6. in Matthæum, inquiens: *Denique quos vocauerat, & ad præſepe ipſum ſtellâ præeunte duxerat, eis iam non per ſtellam, ſed per Angelum loquitur.* At quare Angeli remeantibus aſſiſtunt? non ductaret clariſſimum ſidus, quemadmodum Iſraëlitas columna nubis regebat per difficiles quaſque ſemitas? & quidem vt per eadem redirent loca in natale ſolum per quę acceſſerant, ſuperuacaneum fulgentiſſimi Aſtri Magiſterium videri poſſit, nam memoriâ ſatis adiuuari poterant: Nunc quando à prioribus diuerſæ tentandæ viæ, quid ſtella itinerum præmonſtatrix ſubtrahitur? Saltem cur non Angeli à principio adfuerunt euntes, redeuntes, qui comitarentur? Chryſoſtomus homil. 7. in Matth. hac ſuper Quæſtione ſingulariſſimè cogitauit, aſſerens: *Poſtquam puerum adorauerunt, non iam ſtella, ſed Angelus ſuſcipit; quia ſcilicet adorando facti ſunt Sacerdotes.* Itaque regiâ fulſerint quidem dignitate antequàm Ieſum adoraſſent, ſatis honoratur Regia poteſtas ſiderum obſequio: Quoniam verò Monarchiam longè excedit Sacerdotalis eminentia, famuletur Sacerdotibus Angelica natura: ac ne illi quidem niſi laxo modo Sacerdotes: tamen vel Sacerdotij vmbram Regum præſtare Imperiis Angelorum obſequentia denotat: Chryſoſtomo ſubſcribit Euthymius ex more: Sed Theodotus Oratione de Chriſti Natiuitate, etiam ſub ſtellæ figura Angelum latitaſſe opinatur qui Magis Nauclerus extiterit: eius verba: *In præſepi poſitus Dominus, & à ſtella denunciatus, non à ſtella deſcendente ad Magos, neque enim ſtellæ loca permutant; ſed quoniam Chaldæorum Terra plurimos habet ſtellarum motus inſpicientes, virtus ſuperna (nimirum Angelica) deducens Magos, aſſumpſit ſtellæ ſpeciem:* Ita quidem fuerit, vt Theodotus perhibet, adhuc tamen quæſtioni rima: Quamobrem namque cùm ad præſepe Saluatoris Angelus deducit, peregrinis lineamentis occultetur; cùm reducit eoſdem, eâ ſub formâ apparet, per quam ab Hominibus Angeli dignoſcuntur? Cùm recèns nati infantis quæſitum incunabula Reges pergerent, nullus inſidiabatur eis Hoſtis, nullius formidabant Tyranni ſæuitiam, quare vt ſe proderet Angelus, nulla vrgebant: Cùm ad penates ſecundò voluebant, de Herode, & Iudæorum inuidia timendum erat, ſiue quod acerbiores ſe oſtenderent noui Principis veneratoribus, ſeu fortè deludi ſe à Magis ſuperbus Monarcha grauatè ferens, exploratores milites circumquaque diſperſurus fuiſſet, qui vim intuliſſent: ergo ſub reditu, quando pericula inſtant, cùm ſupprimendi Hoſtes, & occurrendum machinamentis faſtuoſæ potentiæ, eiuſdémque truculentę: tum Angelus laruam deponat, notos oſtendat vultus, vt Militem ſine dubio credant Homines, quem cernant vel ad pugnæ leuem aliquem rumorem, continuò dimicaturum proſilire: Imò Sacramenti Res eſt, quod ſub aſtrorum crinitis radiis ductor Angelus abſcondi ſpeciatim voluerit! non amaret alteram potiùs ſpeciem de Mundi Creaturis? affirmant vulgatè dilexiſſe cognatum Aſtronomis, quales fuerunt Chaldæi, ſignum, nam ſequuturi facilè erant imperium familiaris ſibi Rectoris: Adiungo, gratam quoque Angelo ſibi cognatam figuram: Nam appellari in Scripturis frequenter Planetas & ſidera, Militiam cœli monſtrauimus tom. 1. Anteloquio 5. numero 95. ſiue quod ordinem caſtrorum referunt, ſeu quod radiis vel ſagittas, vel Haſtas, vel enſes imitentur: Cùm ergo & Angeli Militiæ vocabulo titulentur, dilexit nominis conſortis ſtellam.

Matth. 2.
Chryſoſtom.
*Venientes Magos comitatur ſtella: redeuntes verò Angelus, propter itinerum ab Herodis feritate diſcrimina.*
Chryſoſtom.
Euthym.
Theodot.
*Quenam ſtella Magos duxerit.*

62. Chriſto in deſertum profecto, poſtquam aduerſarij confutauit Sophiſmata, & terga vertere inglorium coëgerat: *Ecce Angeli acceſſerunt* (inquit Matthæus cap. 4. verſ. 11.) *& miniſtrabant ei:* Quid verò Angelorum fortitudine Chriſto opus, qui omnia portat verbo virtutis ſuæ? Non poſſit ſuperare abſque illis? poſſit quidem ſed excitare nos ad certandum cum Hoſte voluit, cùm vt tentaremur, bono tamen fuiſſemus animo, ſcientes, nobiſcum eſſe copias Angelorum, qui ſuppetias ferant: Chryſologus ſermone 13. *Et quamuis ſolus poſſit obtinêre victoriam, propter nos tamen, & noſtram formidinem, adeſſe tota iuſſit præſidia de ſupernis:* At non videntur Certaminis & laborum comites fuiſſe, ſed Victoriæ ſocij, nam acceſſiſſe memorat Euãgeliſta poſtquam eum reliquerat Diabolus, abſentes itaque erant dum tentaretur ab inimico: Sanè, cùm de ſtrenuiſſimis Ducibus ſingulari quiſpiam pugnaturus eſt Marte, chariſſimorum ſatellitum validam, fidámque manum & pro Domino millies occumbere paratam, recedere hortatur, compellítque ſub pugnæ Horam, ne ſtipantium Cateruis Hoſtis conterritus, quemadmodum Certamini negaturus occaſionem, ſic & gloriæ, quæ de Triumphato inimico: in hunc modum Chriſtus abſiſtere paululum Angelos iuſſit, vt cùm Hominem & fami obnoxium contemplaretur Satan, accedere ad tentandum non metueret: Nõ igitur deſtitui ab Angelis præliaturis locus commonefacit, ſed inclytiſſimo Duci conceſſum, vt Hoſtem pudefaceret ſolus & incomitatus: Vidit incertus Chryſoſtomus hom. 5. in Matthæum: *Vt oſtendat, quia ſemper ad miniſterium eius Angeli erant in terris, ſed nunc præcipiente Domino, receſſerunt ab eo, vt locus daretur Diabolo aduersùs Chriſtum, ne fortè videns Angelos circa eum, non appropinquaret ad eum.*

Matth. 4. 11.
*Adſunt Angeli Chriſto poſt certamen Deſerti in quo profligatus eſt Dæmõ, non quod ijs eguerit Chriſtus, ſed quò doceremur eos in auxilium noſtrũ ſemper paratos.*
Chryſolog.
*Cur Chriſto præliãti non adfuerunt Angeli poſt pugnam?*
Chryſoſtom.

63. Varia expoſitio Dialogiſmi ex Pſalmo 23. verſ. 7. *Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Primùm, qua occaſione? cùm deſcenderet ad

Pſalm. 23. 7.



inferos, & captiuum Hominem liberaret? à quibus vero editi ſermones? omnium penè Interpretum ſententia eſt Angelorum eſſe voces: Sanctus Epiphanius vtrumque complexus oratione de Chriſti ſepultura, & loquentium ſigniferum Gabrielem nominat Archangelum: *Poſtquam illuſtris ille cœtus vnà cum Domino ad carceres vndique aditum præbentes, infernique tecta deuenit; dux exercitus Gabriel, quaſi iam læta hominibus nuncia deferre aſſuetus, cæteros anteuertens, vocem contra aduerſarias poteſtates edidit; ait enim, Tollite portas, &c.* ſed quare Gabrieli hoc delatum munus? nam ſi Chriſto propter ſummæ Maieſtatis reuerentiam debebatur, vt non ipſe cum impia dæmonum fæce altercaretur, at non potuit id officij hominibus demandari, neque leui eorum torturâ? Quam enim ſuperbiſſimis ſpiritibus intolerandum fuiſſet, quos nuper ergaſtulis clauſos detinebant, ab his cum imperio compellari? Erat tamen Contentionis & belli aliqua occaſio: Quippe Dauid introducit ſemel atque iterum Angelorum cohortes, quæ iubeant ſubmoueri valuas, quaſi Hoſtibus pertinaciter renitentibus, & ſurdis ad primos clamores; cùm igitur pugnæ ſubeundum diſcrimen videretur, atque ob Hominum cauſam, quos Dæmonum erui poteſtate oporteret, Angelis committendum prælium erat, alioquin fruſtrà conſtitutos ſe milites, qui homines defendant, conquererentur. Alij referunt, éſtque multò communior Expoſitio, ad ſanctorum Angelorum mutua interrogamenta, cùm ſuper cœlos aſcenderet Chriſtus ad Patris conſeſſurus dexteram: ſed cùm pergeret tum ad vrbem pacis æternæ ſtationem, vbi nihil inquam de inimicitiis & tumultibus, cur omnis penè ſermo de Caſtrorum vſu? nam quod attolli iubent de Cardinibus oſtia, Triumphi morem refert, cùm aut murorum diſiectâ parte, aut confractis vectibus ianuæ detruduntur, vt capax & ſollennis aditus victorem recipiat: iam quod Dux memoretur fortis & potens in prælio, Bellum ſpirant ſingula: eſt in conſuetudine, vt quam adamauit quiſque Artem, ab hac in dicendo facilè mutuetur tropos; ita nauticus à ventis, à mari, à fluctibus: Paſtor ab ouibus, ab herboſis, à ſyluis in Colloquia transfert: Quo igitur Angeli militiâ ſe conſcriptos hominum ob gratiam probent tantóque oblectamento & voluptate, vt eius præ ſtudio cæteras obliuioni quaſi tradiderint ſcientias, & quod in vnam hanc intenti diſciplinam, nihil effari ſapiant non ex ea depromptum, propterea etſi ad Ieruſalem ipſam Pacis viſionem perueniant, non niſi quæ bellum reſonent, verba fundunt.

Epiphan.
*Bellè, dum Dialogiſmus ille Pſalm.* 28. Attollite portas, &c. *explicatur, Angelorũ militare præſidium in noſtram tutelã adſtruitur.*
*Altera præcedentis Dialogiſmi Expoſitio.*

---

*Hominibus vtiliſſimum, putare, non niſi ex Dei ſpeciali prouidentia, Aduerſa eis contingere.*

## Sectio V.

64. Mira adiunctio, *Equitatui meo, & in Curribus Pharaonis:* An enim Pharaonis ſoli fuerunt Currus, non ſimul equitatus? Quare igitur ſibi Numen adſcribat? nempè quadrigis illis perſequebatur Rex impius abeuntes in deſertum Hebræos vt ſacrificarent Deo: ne igitur abſque Dei permiſſu ſæuiiſſe Tyrannum arbitremur *Equitatum ſuum* appellat Creator turmas Pharaonis, eo enim ad filios tentandos vtebatur inſtrumento.

*Equitatum Pharaonis vocat ſuum Deus, quod permiſſu ſuo ſæuiret in populum ſuum.*

O ſi Mortales ſolidè intellexiſſent non niſi conſiderante Deo immitti dolores & vexamenta! tantúmne excandeſcerent ad Dei Parentis optimi munus! Heu! ſi tantiſper expectaſſent mites, donec tranſiret ira furoris Domini, quemadmodum perſpicerent leue & momentaneum fuiſſe Tribulationis pondus! Volebat ignibus conflagrare Sodomam & Gomorrham Deus, & inquit: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Geneſ. cap. 18. verſ. 17. Hoc eſt, num tam conſtantem & fidelem Amicum, num tam charum mihi celare potero caput, vt non ſciat? Quid autem per hoc inſinuare cupiat? Sunt quidem Regibus duo Cauſarum genera: alterum, quod latæ cuiuſdam & vulgaris Prouidentiæ eſt, quod omnibus indiſcriminatim patêre conſueuit: alterum, quod requirat ſecretum & abſconſionem, de quo cùm Gubernator ſecum frequenter meditatus ſit, ne tamen vel ſubita fuiſſe conſilia appareant, aut inexplorata, aduocat de Amicis coniunctiorem aliquem, quocum diſputet, & cuius excipiat iudicium: igitur, quò Homines edoceantur, cùm punit Deus, quanquàm vrbes iniquiſſimas, & quarum inuerecundia ſumma, generalis Conſilij velut prætergredientem limites, ſpecialem adhibère cogitationem, & ſingula diligentiſſimè perpendere, Amico Patriarchæ detegit gerenda: Ioachimus Abbas in præfatum Geneſeos locum lib. 1. Concordiæ veteris & noui Teſtamenti, cap. 18. *Prædixerat autem hoc ipſum Dominus Abrahæ; ne quis fortè accidiſſe caſu, & non magis diuinitùs cauſaretur, quaſi reſpiciat Deus de cœlo ſuper filios Hominum, & videat ſi ſit intelligens, & requirens Deum.*

Geneſ. 18. 17.
*Videtur Deus in conſilium vocare Abrahamũ de Sodomorum excidio, quò clades ab eo immiſſas non temere, nec caſu accidere ſentiamus.*
Ioachim. Abb.

65. Num ſi prudentior quiſpiam, & ſanæ mentis, detrudatur in Carcerem, vt quoquo modo iraſcatur, tamen contra lictorem moueatur, & non potiùs excandeſcat aduersùm Iudicem, cui lictorem obtemperare æquum eſt? Atqui fames, nuditas, perſequutio, morbi, naufragium, lictores Dei ſunt, quibus adminiſtris vtitur, vt ſalubri caſtigatione filiorum laſciuientium ſuperbiam edomet: quare ſapientiſſimè Auguſtinus in illud Pſalm. 55. *In ira populos deduces, &c. Quàm multi ingreſſi ſunt,* (ait) *quàm multi impleuerunt domum Domini, in ira eius deducti hoc eſt, tribulationibus territi?* Optabat Numen, vt propheta gentibus vltionem ſecundum quadraginta dies annunciaturus, in magnam pergeret Niniuen: Audax Vates ſurdus ad imperium Creatoris, declinare legationem volens, nauim conſcendit Tharſim iturus: monet, excitátque lictores ſuos Deus; maria intumeſcunt, & confuſo murmure fugitiuum onerariâ deportari ſeruum inclamant, neque requies vlla quoad lictoribus, fluctibus nimirum traditus eſt, apertíſque continuò ſpecus oſtiis, eiúſque formidabilis, ceti nimirùm faucibus, gemuit ſub antro horroris pleniſſimo miſer Ionas: at ſalutem attulit diſciplina; exin ſobrius factus, & obedientiæ reſtitutus, quamprimùm littoribus euomuit beſtia immanis, abſque tergiuerſatione celeri Curſu Niniuen delatus eſt: Magnus Gregorius lib. 6. in Iob cap. 13. *Ceto ſorbente repentè deuoratur, atque illuc, geſtante Bellua peruenit, quò ire ſponte contempſit: ecce fugitiuum Dei tempeſtas inuenit; & quia Authori ſuo obedire renititur, ad locum, quò miſſus fuerat ſuo Reus carcere portatur.* Cum magna ſignificatione procellam *Dei tempeſtatem* nominauit, vt intelligeremus non niſi eo peculiariter diſpenſante, excitatam.

*Fames, nuditas, perſecutiones, morbi, aduerſa quæque, Lictores ſunt Dei in quos non iuſtè reus iraſcitur*
Auguſtin.
*Ionas Transfuga, ab æquoreis fluctibus, Dei Lictoribus in Niniuem vel inuitus compellitur.*
Gregor.

66. Et Ionæ quidem Oceani terribilis vultus lictor fuit, alteri fames: Nam cùm ob paternæ domus

*Alter Dei Satelles, Fames, Prodigum in Domum Paternam durè cogit.*

domus ampliſſimam vbertatem (quippe & Mercenarij abundabant panibus,) filius iunior faſtidiret Penates, atque tecta Natiuitatis, abiit peregrinatum in Mundi penè fines: vapulauit tandem conſumptis Bonis omnibus ſub egeſtate magna: reduxit ad meliorem frugem: concinnè Petrus Rauennas ſermone 2. de duobus filiis: *Fames reuocat, quem ſaturitas exularat, fames illi Patrem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem: & ſi tantùm præſtitit vel inuita fames, probate quid voluntarium poſſit conſerre ieiunium:* Quàm verò deploratus ſit Animi ſtatus, quem ne tam pungens Medicina incolumem reddat, opus eſt à grauiſſimo diſcamus Magiſtro Saluiano Maſſilienſi, vereor ne in hæc reſpexerit tempora: libro 7. de Dei Prouidentia effatur: *Quid hoc Mali eſt? iumenta, ac Pecudes ſectione curantur, & putrefacta Mulorum, Aſinorum, Porcorum viſcera cùm aduſta Cauteriis fuerint, munus Medicæ aduſtionis agnoſcunt; ſtatimque, vbi aut cremata aut deſecta fuerit vitiatorum Corporum labes, in locum demortuæ Carnis, viua ſuccedit: Nos & vrimur, & ſecamur, ſed nec ferri deſectione, nec Cauteriorum aduſtione ſanamur; imò quod grauius eſt, Curà ipsâ deteriores ſumus: & ideò non fruſtrà nobis euenit, quod euenire pecudibus & iumentis ſolet, quæ irremediabiles morbos ferunt: Nam in omnibus partibus Mundi, quia curis medicantibus non corrigimur, morte atque occiſione ferimur.*

Chryſolog.

Saluian. Maſſil.

67. Ipſa illa, quæ hominibus ſecundum Naturæ leges contingere videntur, cùm in ſegetes vel locuſta, vel grando deſæuierunt, aut cùm eaſdem cum pecoribus per longam planitiem exſpatiati Aquarum diripuerunt vortices, quoties & Homines & Bruta peſtilentioris afflatus Contagio redactis in ſolitudinem vrbibus & pagis abſumpſit, à Deo ſingulariter: Quamobrem cùm delêre genus humanum octo tantùm in ſpem relictis, cogitaret Numen, *Rupti ſunt* (inquit Moyſes c.7. verſ.11.) *omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus:* Nonne hæc vndarum reconditoria apud magnam Matrem Naturam? Et tamen, ne eius labor fuiſſe videatur Deo non niſi generaliter vigilante, cap.6. Geneſ. verſ. 17. intonat: *Ecce ego adducam aquas Diluuij ſuper terram, vt interficiam omnem Carnem, in qua Spiritus vitæ eſt ſubter cœlum. Ego*, inquit, *adducam*, velut reprehenſurus ſtulta hominum Conuitia, quoties aduersùm elementa excandeſcunt, & Tartaro ſeu maria, ſiue ætherem deuouent, tanquàm hæc, Malorum fontes ſine prouidente Numine: quare ad præfatum verſum Lippomanus: *Non vult Deus rerum ex Naturalium cauſis immiſſas nobis aduerſitates, alteri acceptas referri, quàm ſibi ſoli: ipſe enim influentiarum cœli, & effectuum elementorum prima cauſa haberi vult, & agnoſci.* Hinc Beati illius latronis, cui Paradiſum Chriſtus ſpopondit mirabilem conſidera prudentiam: pendebat à ſtipite, & vita ad metam properabat: atque ſi dolorum vulgi de more cauſas examinaret, nihil ſpiritale atque entheum cogitaſſet, tribuiſſet ſceleribus debitam pœnam: Verùm vt de materia altiùs indagare cœpit iuuante ſuperno lumine, perpendit, ne illa ipſa ſupplicia quæ impij promerentur ex Magiſtratus ſententia, abſque Dei permiſſu contingere: ergo ſciens à Deo profectam vltionem, deoſculatus eſt reuerenter Virgam Percuſſoris, & augeri adhuc ſuper dolorem vulnerum exoptabat, dolens ad ſuſtinendum breuem eſſe moram, ad torquendum ſegnes Carnifices. Talibus eruditus documentis, quam non effugere poterat Crucem, ſacram & voluntariam fecit deſiderio patiendi ardentiſſimo, liberè, incoactè: inde plurimo cum acumine Gregorius Niſſenus oratione 2. in 40. Martyres: *Quanquam non ſponte ſua latro ad Crucem acceſſit: ſed poſtea quam propè ſalutem fuit, animaduertit ingenioſus, & acutus fur theſaurum, & nactus occaſionem, vitam rapuit, arte furandi pulchrè, atque ſolerter abuſus.*

Geneſ. 7. 11. *Quæ ſecundũ naturam contingere videntur calamitates, à Dei prouidentia indubiè emanant, vt ex Aquis Diluuij patet.*

Et 6.17.

Lippoman.

Greg Niſſen.

Proh! quantus eſt Mortalium abuſus hoſtem arbitrantium Deum, ſi quando ab eius vapulant ferula, cùm tunc filios maximè agnoſcat, quoties punit, adeò non oblitus pœnarum, nec enim gnatorum Pater obliuiſci valeat. *Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu* (ait Matthæus cap.4. verſ.1.) *vt tentaretur à Diabolo:* ad certamen iturus, in loca vaſtæ ſolitudinis, ad famem & nuditatem, propellitur à diuino Spiritu, hunc enim Patres intellexêre indicari: Sed cuius energiæ illud *Tunc*? Scilicet, refert Euangeliſta ad capitis antecedentis vltima narrata: docuit námque Baptizatum à Præcurſore Chriſtum Dominum, verùm dum ablueretur, è cœlo dimiſſum Teſtimonium filium Dei eſſe proclamans, cúmque dilectum, in quo genitori complacuit: poſtquam igitur plublicè demonſtratum ſit Deo prognatum eſſe, *Tunc ductus* eſt in Eremum: Quem ſi humanâ conſideratione quiſpiam intueretur inter luſtra ferarum, ſub dio, durâ recubantem tellure, ſine Comitatu vel Amicorum, vel Parentum, omni denique ſolatio externo carentem, fatuè opinaretur Deo inuiſum caput, certè quem eius labores non ſollicitarent: & tamen nunquam vigilantior ſuperna Cura. Num ſpernere poſſit vnigenitum ſuum Deus Pater? Num Verbi non recordaretur, quod eructauit Cor eius? illius non meminerit, quem ex vtero ante luciferum genuit in ſplendoribus ſanctorum? Quare itaque tentari eum ſinebat, inediam pati? ob nimiam qua dilexit eum charitatem! O vos, qui ſpiritales iudicamini, ſi Ieſum aliquando verè cognouiſtis, quid turbati eſtis & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? ſi fortè ſit qui conſideret & requirat, cùm proſperari vias impiorum cernatis, & veſtra tundi latera aſpiciatis, & flagellari vos totâ die, & velut peripſema confundi ab Hominibus: Nunquàm de vobis ſubtilior Deo Prouidentia fuit: iam amodò declarat filios vos eſſe, quod ſi filij, & Hæredes. Imperfectus Chryſoſtomus hom.5. in Matthæum: *Tunc ductus eſt: quando? quando Pater clamauit de cœlo: Hic eſt filius meus Dilectus, in quo complacui: Vides ergo, quia nemo baptizatur in igne Tentationis, niſi qui factus fuerit filius Dei.* 68.

Matth.4.1. *Statim vt baptizatus eſt Chriſtus, & voce Patris è cœlo Dei filius proclamatus,* Tunc *multa paſſurus ductus eſt in deſertum vt tentaretur à Diabolo.*

Imperfect. Chryſoſt.

Ob Herodis metũ relinquendi Palæſtinæ fines Chriſto nondum à Matris vberibus depulſo: alloquitur in ſomnis Ioſephũ cœleſtis nuncius: *Surge, & accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum:* Matth.c.2. v.13. certè, quando tyranni liberare inhumanâ Crudelitate ſtatuerat, nõ mitteret ad Regionẽ Pacis aliquã? Quid verò Hebræis tam inimicum atque Ægyptus? ergóne Hoſtibus credit, vt ſeruent? Quod hoc conſilium eſt, quem Amicorũ fidiſſimis oportebat tradere cuſtodiendũ, in hoſtilia amandaſſe arua? perpende ſagacitatẽ eximiã. Quò Deo ſpecialior eſt de cuiuſquã vel fortunis, vel ſalute prouidẽtia, eò ſtabiliores & fortunæ & incolumitas; Deo enim vigilante quis nociturus ſit? quóque vigilauerit magis, minùs Aduerſarij nocebũt: Atqui Deus cùm omniũ Creaturarum 69.

Matth 2.13. *In Ægyptum amandatur Puerulus Ieſus, ac ſi ibi foret ſub vigilantiori Diuinæ Prouidentiæ cura, vbi tribulationum ſeges maior.*



Creaturarum neceſſitatibus prouideat, ſed vigilantior eſt ad ſubueniendũ laborantibus, ſubleuandos oppreſſos: tum diuinæ ſuppetiæ abundantiores eſſe conſueuerunt: Quidnam inferamus de his? Scilicet, aptiſſimum Chriſto perfugium extitiſſe Pharaonis ditionem: Nam quò laborum maior congeries, eò prouidentiæ ſupernæ illuſtriora documenta: Quò prouidentiæ ſpecialior Cura, eò certior ſpes incolumitatis: in Ægypto itaque terroris & formidinis Regione augebitur (ſic dicamus,) prouidentiæ & protectionis Ratio ob hoc ipſum, quod ibi ſeges magna Tribulationum: aucto verò prouidentiæ & diuinæ tutelæ ſtudio, nullibi ſecuriùs Chriſtus latêre valeat: ergo quod alienius videri poterat, quaſi à labore in laborem diſcriminis plenum, transferri Ieſum prudentiſſimum fuit: Sed nouum hoc nequaquam Deo, chariſſimas ſibi res Ægypto ſeruandas credidiſſe; Nam & Bibliorum ſacra effata Græcè tranſlata à LXX. ſenioribus commiſit eidem, in quam & olim deſcendere Iacob, & ſemen illius permiſit: Audiamus de cunctis diſſerentem Irenæum lib.3. contra Hæreſes, c.25. *Cùm tanta igitur veritate, & gratià Dei interpretatæ ſint Scripturæ, ex quibus Deus præparauit & reformauit fidem noſtram, quæ in filium eius eſt, & ſeruauit nobis ſimplices Scripturas in Ægypto; in qua adoleuit & Domus Iacob effugiens famem, quæ fuit in Chanaan: in qua & Dominus noſter ſeruatus eſt, effugiens eam Perſequutionem, quæ erat ab Herode.*

Irenæus.

70. Deſpoliabatur Iobus omni ſubſtantiâ, veniebátque infelix Nuncius aſſerens; *Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus vt nunciarem tibi;* necdum finierat mœſta verba, cùm alter narrat Chaldæos feciſſe tres turmas, & inuaſiſſe Camelos: patientiſſimus autem Rex ad hæc: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt.* Iob c.1. verſ.21. Non intuêris, ô Princeps, Sabæos fuiſſe, qui pecora & Camelos diripuerint ſimul cum latrunculis Chaldæorum? Sed ille, cùm abſque Numinis indulgentia vanos eſſe Mortalium ad nocendum Conatus ſciret, in Deum tranſtulit, qui Hominibus conceſſit, vt lædere poſſent: Nec latebat Iobum fortaſſe, quod Patriarchæ Iacob accidit: *Vidit namque ſcalam ſtantem ſuper terram, & Cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Geneſ.cap.28.v.12. Erant verò ſecundum Viſionis rationem oſtia cœli, quæ patebant, quibus admouebatur ſcala, ex quibus proſpectabat Deus; nam exclamauit Patriarcha: *Quàm terribilis eſt locus iſte? Non eſt hîc aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Sed cur Maieſtate verendus potentiſſimus Rex Regum ianuæ aſſiſtit? Non melius ſederet in penetralibus Olympi ſuper ſolium excelſum, atque eleuatum, qualem vidit Iſaias c. 6. pangentibus Seraphin Sanctus, Sanctus, Sanctus? An moniti, ne Miniſtris ſolis gerenda credant Antiſtites? quanquam Angeli ſint qui eunt, redeant, ipſi pariter adſint, & facienda contemplentur: præſenti inſtituto aptiora quæ tom.1. docuimus Anteloq.10.num.58. ex Theodoreto, hac quam vidit Iacob ſcalâ, ſymbolicè explanatam Dei prouidentiam, ipſâque in Mundi Naturâ Rerum diſſimiles euentus: quippè alij ſunt qui tolluntur in altum, quibus ſecunda riſit fortuna, quos Angeli repræſentabant ſcandentes ad Cacumen: alij verò qui deprimuntur, & ſub Mendicitate, aliiſque gemunt vexamentis: ex his lætos & felices illos à Deo proſpici facilè admittebat rude vulgus, déque illis Numini curam eſſe: cæterum concipiebat miſeros obliuioni eſſe Creatori, aut cum Manichæo inſaniens fabricabat à bono Creatore diuerſum tyrannicæ dominationis in generis humani Carnificinam perpetuam: Quò igitur ſtulti intelligant, Deum non minùs ſollicitum de miſerorum caſibus eiuſmodi Prouidentiæ Hieroglyphicum expreſſit, quod lætos ſimul triſtéſque euentus complecteretur, quorum diligentiam ne in Miniſtros deriuaſſe videatur illis ianuam obſeruantibus, ipſo interim Regiæ interioribus gaudiis vacante, limen tenet, valuis adſtat, & ſedulò quæcumque geruntur, contemplatur.

Iob.1.15. *Omnes ſuas clades in vnũ Deum refert Iobus.*

Et 1.21.

Gen.28.12.

Iſa 6. *Scala Iacob Diuinæ Prouidentiæ Hieroglyphicum.*

---

*Concionatorem Euangelicum Dei totum eſſe præſtat nihilque humani ambire emolumenti.*

## Sectio VI.

PRædicatores verbi cœleſtis, in quibus Apoſtolici viguit imitatio Spiritus, equitatu ſignificatos, docuêre Ambroſ. lib. de Iſaac, & Anima c.4. Trium Patrum Commentarius, Philo Carpathiẽſis, VVolbero Abbas, ex quibus priores Ambroſius & tres Patres LXX. ſequuti, cùm legerent *Equæ meæ aſſimilaui*, &c. duo in veris laudari Concionatoribus indicarunt, quorũ adumbratio in equabus: velocitatẽ nimirùm in diſcurrendo, & fœcunditatẽ ob prolis incrementa: *Vt poſſit equæ illi* (dicit Mediolanenſiũ Patronus) *quæ Salomonis eſt, comparari, velox ad currendum, habilis ad partum, quoniam fœcunditas Animæ deſideratur, & quæritur:* Vnde autem pernices facti, quibus corpus eſt, quod aggrauat Animam: Quoniã in corpore ita verſantur ac ſi fuiſſent extra corpus, non enim de vxore illis eſt Cura, non de poſſeſſionibus Agrorum, non de vrbanis deliciis: Qui igitur omnem proiecêre ſarcinam, quomodo nõ leues & ad currendum habiles? vnde memoratus Author ſtatim: *Qui fœcunditate prædicationis ſuæ totius orbis terrarum ſpatia reſperſerunt: & quamuis in corpore conſtituti, nulla tamen Curſus ſpiritalis ſenſêre diſpendia:* ideò tam felices in partubus, quia ob exinanitionem terrenæ ſubſtantiæ agiles ad curſitandum: Quis enim non è cœlo dilapſos facilè crederet, qui aurum, & argentum nullius concupiuêre, non Magiſtratus, non infulas, non ipſum humanæ laudis plauſum, quorum tota merces Ieſus Crucifixus? propterea, *Equitatui meo*, vt ſuum nihil poſſidêre Concionator ſentiat; De Myſterio eſt pronomen *Meum*, quod Concionatorem Verbi Dei abſolutè vindicet; non diteſcere ſinat ob prædicationem, non honorum tangi deſiderio, non voluptatum amore, non auræ popularis gloriolâ; velut non reputari de hoc Mundo quouis modo, de Contubernio Angelorum eſſe quaſi mentientem Carnis lineamenta. 71.

Ambroſ. Philo. VVolbero.

LXX. *Concionatores in Equitatu expreſſi, & quare?* Ambroſ.

Idem.

Quàm præclara Dei tuba Præcurſor Ioannes, de quo teſtatus Euangeliſta, *Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Ioan.c.1.v.7. Non dixit veniſſe, vt concionando diuitias cumularet, Principum venaretur gratiam, famam eloquentiæ adquireret, ſed vt crederent per illum, & ſaluarentur populi, vt Chriſtum, eiuſque Patrem Deum manifeſtaret Hominibus: Quoniam autem miſſum ſe intelligebat vt crederent per illum, oportebat 72. Ioan.1.7.

*Ioannes Baptiſta veri Concionatoris typus.*

verò magnam eſſe authoritatem ipſius vitæ inſtituti & moris, quæ fidem orationi dicentis conciliaret, cùm opulentâ domo natus eſſet, claris maioribus, & ad magnarum rerum ſpem, earum quæ Mundus æſtimauit perpetuò, tenerrimus & Puſio adhuc valedixit paternis laribus, & ſecretiora eremi ingreſſus, luſtris ſe ferarum condidit: ſub hac educatus diſciplina cùm venit plenitudo temporis, proceſſit ad docendum: ſed perpende rem admirabilem planè! *Fuit Ioannes*
Marc.1.4. *in deſerto Baptizans* (inquit Marcus cap.1. verſ.4.) *& prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem*
Iſai.4.3. *peccatorum*: certè iuxta Iſaiæ prædictionem, qui cap.40. verſ.3. vocem clamantis in deſerto nuncupauit: ſed nonne ad populorum frequentiam in oppida & Ciuitates introeunt, qui audire cupiunt, qui ſermone & Hortamentis prodeſſe? ſi concionari libeat, circumambulet forum, vicos & plateas vrbium: otioſus labor eſt in eremo vociferari: ſed Ioannis vita id promeruit, quod nunquam vel Græcorum vel Romanorum quiſquam orator conſequutus ſit. O vim ſtupendam Paupertatis, atque Animi deſpicientis omnem Humanæ ambitionis gloriam: Ioanni Præcurſori non eſt opus ad Metropolim pergere: deſeruntur ciuitates, in ſolitudinem verſa ſunt repentè oppida vt percipi valeat, contingi, videri vrbium oſor, diuitiarum Hoſtis, voluptatum maſtix: Nilus Abbas elegantiſſimè
Nilus Abb. in Aſcetico: *Ioannes quidem Baptiſta in ſolitudine verſabatur, & ciuitates ipſæ cum hominibus ad eum confluebant: & qui ſericis veſtibus induebantur, ad zonæ pelliceæ ſpectacula concurrebant: ſub dio incommodè manere non recuſant, qui domos auratas incolebant: omnia illis erant tolerabilia: nam videndi viri cupiditas omnem moleſtiæ ſenſum abſtergebat, virtutiſque ſpectaculum labores, & incommoda leniebat:* Hinc & linguæ fortitudo aduersùm Regis enormen luxuriam: Quid enim auferre poterat illi, qui penè antequàm habere poſſit, properauit abiicere? Aurum, gemmas, Coniuiuia, Muſicam, Pontificatum ſubminiſtrare poteſt Herodes vt taceat: ſed ne flocci reputat vniuerſa qui venit ſcilicet, neque manducans, neque bibens. O natum ad redarguendos optimates Prophetam, vſque in vitæ adminicula Contemptorem! Ambroſius epiſt.82. *Ioannes quoque adolcuit*
Ambroſ. *in deſerto, & Dominum baptizauit, & Conſcientiam exercuit, vt poſteà Regem increparet.*

73. Hortabatur generos ſuos Lot, vt Ciuitatem infandam & exitialem deſererent, atque incendio liberari vellent: *Et viſus eſt eis* (inquit Hi-
Geneſ.19.14. ſtoria Geneſ. cap.19. verſ. 14.) *quaſi ludens loqui:* ergo velut ſi Atellanas fabellas audirent, loco non monebantur: feſtiuè iocari, & terrêre voluiſſe Socerum confictis terriculamentis arbitrabantur: Cur non aſſensêre monentis de vltimò fato conſiliis? erat quidem Lot vir iuſtus, & Deum timens, ſed diues erat in poſſeſſionibus, diues in bobus & armentis, Homo inſuper cum vxore & liberis, & qui Sodomis habitabat vbi voluptatum magnæ illecebræ: Cui igitur, licet cum Deo, tot alia chara erant de perituris, cuius tot præpedita curis lingua num ſub Venere captiuos emolliret animos? vtinam, quando conuerti noluerint, ſaltem non irriderent prædicanti: Ioachimus Abbas hæc pertractans lib.5.

*Dum generos ſuos de imminenti Sodomitico incendio monet Lot, irridetur; quippe diues erat, vxoratus, &c.*

Ioach.Abb. Concordiæ Noui & veteris Teſtamenti cap. 41. *Videmus enim* (ait) *plerumque viros timoratos loqui Amicis ſuis, quos habent in Mundo & annunciare illis id, quod ſentiunt de iudicijs Dei: ſed tamen cùm audiunt, fabuloſum putant, & magis ad terrorem dictum, quàm vt vera eſſe exiſtiment, quæ dicuntur.* Mirum eſt intueri facundos interdùm Eccleſiaſtas non de ſubtilioribus ſcripturarum nodis diſſertantes, ſed de Morte, de Iudicio, de Inferno, nec tamen audientium pectora concuti: quod etſi nonnunquam in pœnam malitiæ ipſorum contingat, ſed perpendat Orator, num & eius in cauſa ſint mores: ſi enim vel auri cupiditate æſtuet ipſe, vel ambitione nimiâ rapiatur, vel diſſoluatur in voluptates, denique vt alium ſibi præfigat ſcopum, quàm Dei gloriam & Animarum ſalutem, ſæculares Animæ putabunt, ad iucunditatem ſolùm & oblectamentum dicere eum, nec aliam referent vtilitatem, quàm de Theatri Dramate aliquo.

Paulus ſub ipſo Conuerſionis exordio raptatus in cœleſtia, & ex Theologorum quorumdam 74.
ſententiâ diuinam intuitiuè contemplatus eſt eſſentiam exiguo interuallo: Cur tam properè ad ſuperna admiſſus gaudia ipſo in limine melioris vitæ, vt ſanctus opinatur Thomas lectiône 1. in S.Thom.
cap.12.epiſt.ad Corinth. poſterioris? Deſtinabatur gentium Magiſter, & qui latiſſimè Euangelium prædicando diſſeminaret: Quaſi igitur Beatorum donatus vrbe ſub tyrocinio, monebatur cœleſtem ſe deinceps in omnibus Ciuem probaret: Nihil igitur de his quæ Mundi eſſent, cogitaret; non conniueret ad ſenſuum lenocinia, non ad Regnorum pompam, non ad Carnis blandimenta, omnia computaret ſtercora niſi Chriſtum, in cuius gloriaretur encomiis tantùm: Quamobrem cœleſtem omninò apparere expediebat? Equidem vt Mundum doctrinâ & inſtructione ad Chriſti fidem traduceret: niſi enim ſuper humanum aliquid in eo conſideraſſent non ita ad vocis eius tonitruum Nationes deſertâ Auorum Religione noua amplecterentur inſtituta, deſertiſque opibus, & mutato Natiuitatis ſolo, eremum replerent ſacrorum Anachoretarum impolluta examina. Sed cùm intuebantur humana omnia paruipendentem, viri ſtudia vniuerſa in Deum tendere, conciliabat vitæ tenor mirabilem quandam vim ſermonibus: Cyril-

*Paulus Præconis Euangelici Exemplar in cœlum rapitur, vbi diſcat ſpernere terrena, & ſe Ciuem cœlicum probet.*

Cyrill. Ieroſol. lus Hieroſolymitanus quanquam aliàs exprom-ptus, modò diuersè: *Paulus autem in Paradiſum raptus eſt* (inquit Catecheſi 14.) *audiuit ſanè ineffabilia verba, quæ non licet Hominibus loqui: Deſcendit autem Paulus rursùm, non quod dignus non eſſet conuerſatione tertij cœli, ſed vt guſtatis cœleſtibus, & honoratus deſcendens, Chriſtum prædicaret:* Quod *honoratum* appellat, intelligi valeat, quaſi Ciuitate ſupernâ donatum, quemadmodum & ſub cœlo inter Homines, Romanâ donari vrbe, eiúſque computari Ciuem, nobilitatis argumentum erat.

Simonis Petri laribus exceptus Chriſtus, *vidit* 75.
*ſocrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimiſit eam febris*, Matth.cap.8.verſ.15. Matth.8.15.
Nihílne præterea conſpexerat? audiamus reſpondentem Chryſologum ſermone 18, *Non adſpexit* Chryſolog.
*qualitatem domus, non occurrentium turbas, non ſalutantium pompam, non familiæ concurſum, certè non ipſum præparationis ornatum; ſed inſpexit gemitum languentis, vidit periculum deſperatæ, & ſtatim manus ad opus ſuæ Deitatis extendit:* O pulchram Regulam Euangelici Concionatoris! Si ad extremos Terrarum angulos proficiſcatur Indorum populos illuminaturus, non Margaritarum intueatur candorem, non auri bracteas, non aromaticam ſyluam: Si apud Europæos declamer,

*Ingreſſus in domum Petri Chriſtus, non domus ornatum, ſed ſolam quam ſanaret, febricitantem intuetur.*

non



non illum ambitio tranſuertat, non Principum gratia: tota de medicanda febri ſit cura, de abigendis vitiis: totam induſtriam ſibi vindicent Animarum purificatio, Dei in corda introductio. Tale fermè illud, cùm ad pœnitentiam vocatus eſt Telonista Matthæus: *Et cùm tranſiret inde Ieſus,* (ait
Matth.9.9. ipſe cap.9.v.9.) *vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me:* quamobrem vocat & tranſit? Samaritanam vt venaretur, quanquàm in propinquo oppidum erat, vbi requieſcere poſſit fatigatus ex itinere, ſubſtitit ad fontem, & longum traxit Colloquium cum fœmina; quare igitur non & cum Matthæo ſedit, atque diſputauit? Equidem, ſi cum Matthæo pauſaret, telonij variam & pretioſam gazam admirari eum, & blandiùs intueri ſuſpicaretur quiſpiam: noluit igitur ad diuitiarum conſpectum tantillū ſubſiſtere: ergóne illius prædicationi feſtinantia nocuit? imò quia fugiebat properè inſequutus eſt eum Matthæus, ſine mora, ſine cunctatione aliqua: facundior omni eloquentiâ Chriſti geſtus & actio: defixus in Concionatorem, vbi vidit, ne aſpicere dignantem quæ Mortalibus chariſſima ſunt, ceſſit ad duo verba: Idem, qui nuper Chryſologus ſermone 28. de Matthæo:
Chryſolog. *Cùm tranſiret Ieſus: Non dixit, Cùm ſtaret ibi: tranſiuit, & pertranſiuit Ieſus inde, ne Matthæus remaneret ibi: tranſiuit inde Ieſus, ne Matthæus ibi taliter permaneret:* Bellè: *ne Matthæus remaneret ibi:* Hoc eſt, ſi Ieſus ſubſiſteret, ſi Telonij eum ſpecies deliniret atque voluptas, quaſi cupiditatibus adhæſiſſet Matthæus non ſagittatus à Domino, non emollitus: Sed quoniam abeuntem citiſſimè intuitus eſt, cogitauit Animarum fameſcere deſiderio, non opum, & inſequutus eſt Animabus veſci cupientem.

*Cur Matthæū reſpicit Chriſtus, & ſtatim tranſit: cū Samaritana verò diutius colloquitur.*

76. Difficile illud Parœmiaſtæ monitum, Prouerb.
Prouerb.5.16. cap.5. verſ. 16. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide: Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui:* Verùm, quonam modo in plateas, & loca generalia proferri latices mandat, & ſtatim præcipiat, vt ſolus bibat? Nonne enim & vicini & prætereuntes hauſturi ſunt de communibus vndis? certè aliter non poſſe contingere videatur niſi adhibita cuſtodia, quæ ad bibendum accedentes, ne ſiti medeantur, prohibeat: Quod ſi per iurgia & rixas defendendæ ſint vndæ, nonne ſatius erat domi clauſiſſe vbi ſolus haurire poſſit, quàm ad Contentiones publici feciſſe iuris? Sin autem de materiali & fluido elemento non velis eſſe ſermonem, ſed intelligi ſpiritaliter prædicatorum doctrinam, quorum eſt in foro & plateis declamare ad populum Chriſtianum, & inſtructione myſteriorum fidei rudium ignorantiam tollere, quo pacto etiam concipi valeat, vt hæc cùm ad multitudinis aures peruenerint, ſolus eis fruatur Declamans? Bene quidem: licet prædicationis vox à Concionante emiſſa, vacua prodire ſoleat, ſed non vacua aut incomitata ad eundem reuertitur; nam ad quoſdam cum pecuniis remeat, ad alios cum honoribus, ad nonnullos Principum cum beneuolentia: & quibus hæc omnia deſpectui ſunt, plauſum admittunt & laudes: inſinuat igitur contemnenda hæc eſſe cuncta Euangelico Eccleſiaſtæ, cui ipſa prædicatio merces & compenſatio laborum ſit: itaque nihil velit de humanis præmiis, ſufficit Dei, cuius vnius ambit fauores, gratiâ perpetraſſe: Sic ergo & in plateas deriuat ſcientiæ latices, atque de illis

*Sic diuidat aquas doctrinæ ſuæ in plateis Euangelicus Præco, vt ex ijs nil temporale aut vanum negotietur.*

multi communicant: Cùm verò de ſociis reuertentem ſtipantibus, quos oſtendimus, neminem admittat, fit vt reſtitutâ ſolus potiatur, nam accedentes pariter excluſit: Salonius Epiſcopus Viennenſis Commentariolo in Prouerbia: *Quare* Salon.
*dicit Salomon: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide, cùm ſtatim ſubiungat; Habeto eas ſolus, ne ſint alij participes tui? Si fontes noſtros foras deriuamus, & in plateis aquas diuidimus, quomodo ſoli eas habere poſſumus? Aquas in plateis diuidimus, quando alijs verba diuina latè prædicamus: & tamen ſoli aquas habemus, quia de ipſa prædicatione humanas laudes non quærimus.*

Supra regiam poteſtatem Ozias progreſſus, 77.
rebus ſecundis elatus, tentauit adolère incenſum altari Thymiamatis. Reſtitit Azarias Sacerdos, nec Imperialem veritus ſuperbiam, fortiſſimè pronunciauit: *Non eſt tui officij Ozia, vt* 2.Paralip.26.18.
*adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium.* Paralip. 2. cap. 26. verſ. 18. Quam demiratus Animi conſtantiam Chryſoſtomus homilia 4. in Iſaiæ verba: *Vide libertatem* (in- Chryſoſt.
quit) *vide linguam ſeruire neſciam, vide hominis Corpus & Angeli mentem, vide humi ingredientem, & in cœlo verſantem: Non licet tibi*(ait) *adolère incenſum*, &c. Vndenam Chryſoſtomus acceſſiit planè cœleſtem Hominem fuiſſe Azariam? Quæ eius memorantur in Scripturis egregia facta, tantæ quæ ſanctitudinis famam vindicent? Num argumenta ſuppeditauit Regis increpatio? ita quidem: Nam qui ſic auſus prædicare aduersùs Monarcham, quomodo non ex Olympo quaſi lapſus? Equidem virum conuerſatione & moribus cœleſtem eum nuncupamus, cui terrenæ non dominantur affectiones: itaque non eum premit ambitio, non opum deſideria ſubiugauerunt, non Aulæ blandimentis ceruicem inflexit, & cùm externas contempſerit illecebras, vitam quoque ipſam deſpexit, nec tyranni formidauit iratum pectus: ergo Azarias, cùm noſſet à faſtuoſo Rege, modò reprehenderetur, abripi poſſe fortunæ bona, Honores, & corporis induuium lacerari, certè his maior victor Animus, proinde & cœleſtis reputabatur: Nec cohibet eloquentiæ flumen Chryſoſtomus, quin iterùm redeat ad encomia homilia 5. in eiuſdem Prophetæ ſententiam: *Vidiſti Sacerdotis animum* Chryſoſt.
*multâ fiduciâ plenum, excelsique Spiritus? Non adſpiciebat principatus faſtum: Non audiebat illud Salomonis: Minæ Regis ſicut ira Leonis: Sed ſublatis oculis ad verum Regem cœlorum, impetum fecit in tyrannum.* Nihil verò præclarius Euangelico Cócionatori, & ad ſolatium vtilius his, quæ ſtatim ſubnectit: *Nouerat enim, nouerat inquam, quod* Idem.
*comminatio Regis ſimilis ſit iræ Leonis, duntaxat ijs, qui terram ſpectarent: Verùm Homini, qui cœlum haberet præ oculis, quouis Cane vilior erat ille:* ô ſi calcatâ humanâ qualicumque pompâ, in cœlum totis luminibus verbi diuini præcones intuerentur, quales haberemus breui Reges, qualem publicæ Adminiſtrationis ſpeciem! Quid veritatem in iniuſtitia retinet? quid trepidauêre? Principibus robuſtior Deus: Qui ſi auſcultare conſiliis noluerint, tormento & plagis coget vti obediant: pertinax ad Sacerdotis monita Ozias ſed ideò leprâ in fronte percuſſus eſt: nec mortem pertulit Azarias: Sed Regno amotus ob lepram infelix Monarcha mœſtos numerauit annos deinceps.

*Quòd Regem Oziam excelſo conſtantique animo palàm arguiſſet Azarias Sacerdos, cœleſtis & Angelicus prædicatur à Chryſoſtomo.*



 Diuini

*Diuini ſeminatorem Verbi in reprehendendis Potentium vitijs, conſtantem, & imperterritum eſſe deceat.*

## SECTIO VII.

78. CVr non tribus, quattuórve comparauit equis Animam Sponſus, ſed totas elegit turmas, quibus aſſimilaret? Num Mentis concentum demiratus eſt, & inter virtutum diuerſitates concordiæ inſignem præſtantiam? vel Perfectorum robur expreſſit, quorum aduersùs dæmones fortitudo eſt iuſti exercitus æmula? fauet vtrique Expoſitioni Bernardus ſermone 39. in Cantica: *Nec miraberis vnam animam equitatus multitudini aſſimilatam, ſi aduertas, quantæ in ipſa vna, quæ tam ſancta Anima ſit, virtutum acies habeantur, quanta in affectionibus ordinatio, quanta in moribus diſciplina, quanta in orationibus armatura, quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipſi cum Hoſte conflictuum aſſiduitas, numeroſitas Triumphorum, denique & in ſequentibus legitur: Terribilis vt Caſtrorum acies ordinata.* Mihi verò accommodare liceat Euangelicis Concionatoribus Equitatus virtutem, quoniam in veritate publicanda, in dimicando contra vitia, in Dei tuendo honore, talis eſſe debeat vigor, & Animæ excelſioris conſtantia, vt non ducem vnum quanquàm ſtrenuiſſimum putes, ſed conglomeratas ſimul legiones plurimas: ſubindicauit Vvolberonis Commentarius: nam de Apoſtolis ſermocinatus: *Nimirùm proceſſionis huius gloria* (inquit) *in laudem ipſius praeuntis Ducis in toto celebratur mundo, qualiter Spiritus ſancti buccinam ipſo Duce perſonante, iſti equi in curru Dei poſiti, audacter perrexerunt in occurſum prauitate, & infidelitate armatis:* Hoc verò obſeruare illos maximè oporteat aduersùs Pharaonem, hoc eſt ſuperbos & improbos optimates, à quorum increpandis ſceleribus nullus eos metus retardare debeat: quemadmodum Moyſes & Aaron non veriti ſæuitiam eius, intrepidè pronunciarunt: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto*, Exod. cap. 5. verſ. 1.

Bernard. *Ea debet eſſe praclari Concionatoris fortitudo & conſtantia, vt is Solus quaſi pro toto Equitatu aut multis legionibus reputetur.*

Vvolbero.

Exod. 5. 1.

79. Obiurgata Ieruſalem, quod merum vndâ dilueret: *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ*, Iſaiæ, cap. 1. verſ. 22. probroſum, atque inutile ſimul in ſcoriam tranſmutari argentum, nam & colorem & pretium amiſit, quale tamen piaculum aquam vino admiſceri, nonne enim ſobrius quiſque ita potare ſoleat? Quod ſi non humanè iſta conſtruenda, ſed doctrina & exhortatio myſticè colligantur quemadmodum purus vini calix auſteritatem ſeueræ increpationis denotat, ſic temperatus ex rigore & lenitate condulcoratam admonitionem ſignificat: at nonne potior hæc acerbâ reprehenſione? Quid igitur in vino aquâ admixto quocumque concipiatur modo, tollendum videatur? Nequaquam ſanè damnatur, quod rigori lenitas aſſocietur, etiam cùm intonandum aduersùs ſcelera, nam ſæpè adiuncta ſuauitas Medicinalis eſt: Verùm non rarò tempus cùm veritas apertè declaranda eſt, quando Aulicorum Nemo optimatibus ſuggerere velit, nec ſi admoneantur ſecretò, de emendatione cura aliqua eſt: His igitur in Circumſtantiis, Concionatores timidi, & procerum ambientes gratiam, vt populo ſatisfaciant aliquid loquuntur: ne autem Principem offendant, blanditiarum inuolucra adhibent, quibus integumentis ita veritas eneruatur, vt nihil à lethargo excitetur Princeps: His igitur in occaſionibus admiſceri vino aquam, hoc eſt, reprehenſioni iucunditatem vetat, quoniam dura remedia morbus expoſtulat, & veritatis apertionem ſine fuco, & lenociniis: id, quod Magnus Pater Baſilius explanatione in Iſaiam obſeruauit: *Scripturam ipſam in aquam conuertunt, permiſcentes quæ ſuo ipſorum intellectu excogitarunt in extremam perniciem Auditorum: Dum enim ſtudio adnituntur, vt indulgendo eorum voluptatibus demereantur ipſorum gratiam per blandiloquia, & ſuaues ſermones aſſentando alunt eorum vitia in perditionem, per hæc eneruantes auſteritatem, & rigorem ſcripturarum vitioſos vtiliter perſtringentem ad Auditorum ſubuerſionem, enarrantes multimodam erga homines benignitatem planè inerruditam, condonationes item peccatorum nullo diſcretionis ſale conditas, & talia quædam ad captandam multorum gratiam.*

Iſai. 1. 22. *Quandonam Concionator miſcere vino aquam, .i. reprehenſioni iucunditatem non debeat?*

Baſil.

80. Deſtinabatur contra Pharaonem Moyſes, & quâ poteſt Religione imperium declinat: *Quis ſum ego* (inquit) *vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* Denique & impedimentum reuelat: *Obſecro Domine non ſum eloquens ab Heri, & nudiuſtertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum:* cap. 4. verſ. 10. Quæritur & apud Iſaiam, quis iturus ſit contra minacem, durúmque populum: vltrò ſe ſtatim offert Propheta: *Ecce ego, mitte me:* cap. 6. verſ. 8. Sed nónne palato hic etiam Vates laborat? *Vir pollutus labijs ego ſum* (dicit ipſe) *& in medio populi polluta labia habentis ego habito:* Quamobrem igitur non detrectat iuſſa ſicut Moyſes quâ poteſt Animi ſubmiſſione? Priuſquam Iſaias mittendum ſe offerret, ignito carbone eius purificata ſunt labia: ac videbatur prunæ ardentis admotio ori cauteriandi forma quædam: Quamobrem autem Prophetæ cauteriantur labia quodammodò? Scilicet quæ cauterio aduruntur corporis Membra, redduntur inſenſibilia: Significatur itaque futurum deinceps vatem quaſi inſenſibilem, vt nihil à dicendo terreat, non diuitiarum, non gloriæ, non vitæ per mille cruciatus amiſſæ cupido: Hoc ſuffultus præſidio Concionator ſponte ſe offerat, Nam vt eloquentiæ non emineat dotibus, vt alia nonnulla quæ claros facere oratores conſueuerunt, deſint, inſignis euadet Eccleſiaſtes modò libertate in reprehendendo, cùm opus eſt, polleat, neque veritatem, quando propalare conueniens, ſubticeat, ob cuiuſcumque formidinem poteſtatis. Aliter: fuit olim timidus Declamator Iſaias, propterea inclamauit: *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego, ſum*, vt declarant Origenes atque Hieronymus in Commentariis, iterumque Stridonenſis epiſtola 1. ad Damaſum: *Iſaias labia habebat immunda: & quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec iuxta Eliæ exemplum liberâ voce impium deſignarat, labia habebat immunda:* iam verò ignis medicina, donum fortitudinis & conſtantiæ in dicendo, quod ſpiritus communicauit ſanctus, innuit: rectè Tirinus noſter in Iſaiam: *Et hoc contactu ſignificat Deus, ſe tibi nobilius, quàm hucuſque habueris, munus Prophetiæ concedere, vt excuſſo inutili metu, plenus animi, & fiduciæ arguas peccata popularium tuorum: Sic in Pentecoſte per linguas igneas in alios viros mutati ſunt Apoſtoli.* Certè timidi diſcipuli, quando comprehendebatur Chriſtus, ſed poſteaquam ſub figura ignis Spiritus inſedit capitibus eorum gratiarum fons, ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: Sic igitur Iſaias robore & conſtantiâ donatus, ex quo prunâ ardente contactus, nullam excipit regionem, nullas diſcriminat gentes; fuſtibus, enſe, flammis laceſſant, non tacebit Verbum Domini omni cum fiducia annunciare.

Exod. 3. 11. Et 4. 10.

Iſai. 6. 8. *Cur Moſes ſe excuſat, Iſaias verò & vltrò ſe offert ad Verbum Dei diſſeminandū?*

Iſai 6. 5. Origen.

Hieronym.

Tirinus.



81. Quare idem Iſaias futuros prædicatores generaliter alloquutus Domini voce cap. 62. verſ. 6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die, ac nocte in perpetuum non tacebunt:* Hos autem vigiles quinam ſint Hieronymus declarat: *Quos* (ait) *vel Angelos, vel Apoſtolos, & omnes Principes eius, atque Doctores accipere poſſumus, qui cuſtodiunt muros Eccleſiæ, ne aduerſarius noſter Diabolus occaſionem accipiat ad gregem Domini deuorandum: qui cuſtodes, nec diebus debent, nec noctibus tacere; nec in lætis, nec in triſtibus:* Per lætos autem intellexerim fauſtos, & potentes in ſeculo, qui ſplendidâ diei face repræſentantur: per triſtes, mediam plebem, vel inter hos, inediâ oppreſſos: Igitur ille, cuius in Eccleſia officium eſt, de loco alto & publico monere vniuerſos fideles, ne quidem vulgi ſcelera diſſimulet, non pauperum reprehendere exceſſus deſinat, nam omnes ſtabunt ante tribunal Chriſti, reddituri de his, quæ geſſerunt in vita diſtricto ſub iudice rationem: Verùm perpendat etiam atque etiam, ſui eſſe muneris ne in die taceat, videlicet ad optimatum peccata conniueat, alioqui ſi in nocte ſolùm clamauerit, non erit verus Cuſtos Ieruſalem. Heu! quantos inuenire eſt in nocte clamantes, vt eorum zelo nihil ardentius eſſe poſſe videatur, & horrorem ipſis Templorum fulcris velut incutiant, & quaſi contremiſcant: Veniant ante conſpectum Regis, ante viros diuitiarum, muta fiunt continuò labia doloſa.

Iſai. 62. 6.

Hieronym. *Concionatores ſunt Cuſtodes ſuper muros Ieruſalem conſtituti, qui nec die, .i. ante cōſpectum potētum: nec nocte .i. corā obſcura plebe tacere debent.*

82. Atque iidem, qui Vigiles ciuitatum, Sagittarij etiam electi apud Pſalmodum, Odâ 126. v. 4. *Sicut ſagittæ in manu Potentis; ita filij excuſſorum:* Zeno Veronenſis in hoc Carmen: *Ergo eiuſmodi ſagittæ volatu citæ, ictu fideles, quas quantùm ſpiritalis Ratio demonſtrat, ſignificare doctrinas propheticas, atque Apoſtolicas, in quibus Verbum Dei eſt, oportet intelligi; vbique miſſas, compungentes, arguentes, volantes: Tanquam ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum, orbem Terræ volatu peragentes, infidelium corda doctrinæ telo vulnerantes, & peccatorum omnium incentiua ſalutari iaculo penetrantes:* expendo *volatu citus, ictu fideles:* Sunt enim, qui vitia increpant, ſed intempeſtiuè atque ſerò, quando penè ſectionis nulla eſt dolenti neceſſitas, nam computruit ſicut iumentum in ſtercore in iniquitatibus ſuis, atque in malitia: fuit igitur ſagitta tarda in volando: noluit contriſtare, differebat in craſtinum, nihil vltimùm profecit: neque tamen ſatis eſt in volando feſtinam eſſe ſagittam, niſi etiam in vulnerando *fidelis* exiſtat: Quid? tollendi de medio infirmi in exercitu? bonum hoc eſt, nam vires ita quoque franguntur Aduerſariorum: at certè potens & fidelis ſagittarius contra fortiores milites ictum imprimis dirigit, adeóque ſi poſſit Caſtrorum Præfectos, & ipſum ferire Imperatorem: plus enim ad Victoriam facit, horum ſi aliquis cadat, quàm ſi è vulgo plures occumbant. O qui ſagittæ vos Domini, qui ad populos declamatis, dirigite in optimatum viſcera cuſpidem acutam: Horum ſi vulneraueritis aliquem, & conuertatur, exemplo & authoritate vnus profuturus ſit magis, quàm de plebe multi: Sic eritis ſagittæ ictu fideles, nam adulterinæ ſunt, quæ contra minora capita, impetum exercent tantùm: Vocauit & *filios excuſſorum:* exponit Bruno Carthuſianus, inquiens: *Excuſſores quippe Apoſtoli congruè dicuntur, eò quod prædicatione ſua fideles ex ore Diaboli lupi rapaciſſimi, & à maſſa perditorum excuſſerunt, à ſimilitudine militum ſtrenuorum, qui per violentiam, prædam ab Hoſtibus excutiunt: à ſimilitudine Meſſorum, qui vulgò dicuntur excuſſores, eò quòd ſint grana à paleis verberibus excutientes:* Vtriuſque ſimilitudinis natura monet, forti eſſe pectore debere Concionatores, quando per vim adipiſcenda ſpolia, ſed quæ à Meſſoribus deſumitur, non inuenuſtè: Vide quàm ſingulariter: Vapulat granum, nec atteritur, in palea vulnerum notæ grano cum integritate perſiſtente: granum, potentes ſunt, feriantur, excutiantur, non vt intereant, ſed vt paleâ conciſâ, ſalui fiant, vitiis repudiatis in Horreo Domini conſeruentur illæſi: aliàs niſi granum vexet prædicator, non erit de filiis excuſſorum. Quid autem mercedis conſecuturi magni Eccleſiaſtæ, quos à veritate publicanda nulli vnquam timores remorati ſunt? in eodem ſtatim Pſalmo: *Non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta:* intelligo autem *Portæ* vocabulo mortis ianuam: ad hanc cùm peruenerit Homo, inſtabit examinis & iudicij priuati formido maxima: conuolabunt Dæmonum legiones, qui fortiſſimè accuſent: Sub rebus tam attonitis, licet conentur inimici plurimùm, non verecundabitur, non confundetur ſtrenuus veritatis præco: Quid ſecuritate hac optatius? ô præmium dulciſſimum!

Zeno Veron. *Cōcionatores, Sagittarij ſunt: Collimēt autem in Optimates maximè, quos ſi ſanctè feriant & à vitijs reuocent, eorū exemplo cæteris multùm proderunt.*

Bruno Carthuſ.

*Cōcionatores, filij excuſſorū, ſiue excuſſores; quo ſenſu?*

83. Ac licet naturâ ſuâ aliàs meticuloſior qui concionatur, paueátque vel ad gladium, vel ad ignes, vel ad procellam, tamen quàm primùm vt dicat fidelibus, roſtrum conſcendit, Leonis imitatus generoſitatem, in aliúmque tranſmutatus virum, ipſóque ſe excellentior factus, nullius debet pauere robur. Qualis in Horto Chriſtus quando auulſus à Diſcipulis genitorem deprecabatur? Quæ mœſtitudo Animi? quanta triſtitiæ acerbitas elicientis ſanguineas ſtillas? Sed quid eodem fortius conſcenſo ſtipite mortem allaturo? perpendit bellè Chryſoſtomus homilia 84. in Ioan. *Tu autem conſidera, quomodo Crucifixus omnia ſine aliqua perturbatione tranſegit? Diſcipulo Matrem commendauit, Prophetias impleuit, latroni ſpem bonam dedit: atqui antè quàm crucifigeretur, ſudauit, perturbatus eſt, timuit:* Cur ante ſupplicium tremor, & in pœnis ſtrenuus Mentis vultus? erat Crucis lignum Veritatis cathedra: Quis enim arbori affixus, & clauis ſtipiti alligatus niſi in mortem? Morituri autem, vt quibus iam nihil ſupereſt metuendum, nihil timendum, veritatem abſque fuco apertè teſtantur: Quod ſi id ſanè etiam illi, qui dum viuerent, figmentorum ſtructores erant; quantò potiùs veritatis Præceptor Chriſtus? Igitur Ieſus quanquam alibi ſubtriſtior, & vel ſolâ cogitatione & plagarum

*Imitetur Cōcionator Chriſtum, qui quamuis ante Crucis ſupplicium paueret, in Crucis tamen ſtipite quaſi in veritatis Cathedra ſtrenuus & imperterritus mira docet.* Chryſoſtom.

& Conuitiorum profundè mœſtus, veritatis ſuggeſtum conſcendens propulſauit metum omnem, ratus poſtulare veritatis cathedram Doctorem imperterritum: ergo patiatur aliàs formidinem & conſternationem Eccleſiaſtes ob propaſſiones: verùm, cùm ad multitudinem declamaturus eſt, neceſſum eſt conſtantiæ ſit admirabilis, qui ſolius Dei iram expaueſcat: idcircò Principes nuncupauit Pſalm. 44. verſ. 17. *Pro Patribus nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram:* Quomodo autem Principes, quorum grandior pars humiles, deſpecti, pauperes? robore quidem & Magnanimitate Dominantes, cæteroquin viles atque egeni propter Chriſtum: Sicut enim illi, penès quos gubernatio & imperium eſt, nullius extimeſcunt potentiam, ipſi verò formidoloſi ſunt aliis; ita Euangelicum oratorem peccatores verentur, quorum tamen licet armatam Crudelitatem flocci pendit ſacri verbi Miniſter ſyncerus: Quoniam autem optimates aliorum Regum ſummam magnitudinem non rarò extimeſcunt, ſignificauit altero Hymno de iis eſſe quorum Monarchatus validiſſimè communitus eſt, aduerſus quos nullus hiſcere audeat inimicus, propterea accinit Pſalmo 138. verſ. 17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt Amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum:* ideo quidem honorificati, quia veritatem non ſupprimunt, nam tales Concionatores miris laudibus vniuerſi extollunt: Arnulphus Lexouienſis Antiſtes ſerm. habito in Concilio Turonenſi: *Conſtitues eos principes ſuper omnem Terram: de Apoſtolis dictum eſt, vtique & de nobis, qui loca Apoſtolorum minoribus renera meritis, ſed maioribus conſolationibus, obtinemus: qualis autem eſt hic principatus noſter? vtique ſublimis & fortis: Nimis, inquit Propheta, honorificati ſunt Amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.*

Pſalm. 44. 17. *Cõcionatores ſint Principes qui ſolũ Deũ extimeſcant.*

Pſalm. 138. 17.

Arnulph. Lexouienſ.

*Diuinæ Omnipotentiæ virtus clareſcit maximè de Conuerſione grandium peccatorum.*

## Sectio VIII.

84. QVinam ſint Currus Pharaonis, Diaboli ſcilicet? vitia quidem omnia, peccatores vniuerſi: Bernardus ſermone 39. in Cantica: *Habet namque Malitia Currum ſuum, rotis quattuor conſiſtentem, ſæuitiâ, impatientiâ, audaciâ, impudentiâ; & currus quidem Malitiæ ſic ſe habet: luxuriæ verò currus quadriga nihilominus voluitur vitiorum, ingluuie videlicet ventris, libidine Coïtus, mollitie veſtium, otij ſoporiſque Reſolutione:* pergit deinceps alios effigiare ſcelerum diuerſorum Currus: ſed quonam modo vel his inſident quadrigis Dei equites, vel ab equis trahantur, qui ad Deum ſpectant? nam hoc ſubindicat, quando Amicam aſſimilat Equitatui ſuo, qui eſt in Curribus Pharaonis: Sed audi, quoniam ſcientia & poteſtas eſt in Numine, vt de Curribus Pharaonis Rhedas faciat, in quibus non ſolùm equitatus illius ſubuehatur, ſed ipſe quoque: Nonne tibi videtur Saulus cùm perſequebatur Eccleſiam, Pharaonis currus extitiſſe; qualis poſtea ipſius Dei lectica, & ferculum ſollenne euaſit: ergo commemorat Sponſæ, Eccleſiæ nimirum ex gentibus, vt vocata ſit de tenebris ad lucem micantiſſimam, de peccato & Idololatria ad ſanctificationem, & vti quæ Pharaonis erat pilentum in Dei vehiculum tranſierit: *Nunc iam videamus* (ait Bernardus eodem ſermone) *quæ donaſſe refert: & primum quidem eſt, quòd eam aſſimilauit equitatui ſuo in curribus Pharaonis, liberandos vtique à iugo peccati mortificatis vniuerſis operibus Carnis, quemadmodum ille populus liberatus eſt à ſeruitute Ægypti, ſubuerſis & ſubmerſis cunctis curribus Pharaonis.* Quam dexteræ Excelſi virtutem contemplatus Moyſes, cohiberi non potuit, quin lætus intonaret *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt,* Exod. cap. 15. verſ. 1. dixit inſigniter *glorioſè* magnificatum: Nihil enim eſt quod diuinæ potentiæ magnitudinem promptiùs declaret, quod parem rapiat in ſtuporem homines Dei opera conſiderantes ordinariè, quàm quod vitiis penitus obrutos transferat non ſolùm ad bonos mores, ſed ad eximiæ ſanctitudinis amorem.

Bernard. *Quales ſcelerati Pharaonis currus, & qua ratione ad Deum ſpectant?*

Bernard.

Exod. 15. 1.

85. Bis tabulas legis Moyſes accepit, primùm ſolius Dei exaratas manu, Exod. cap. 31. verſ. 18. *Deditque Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei.* Secundò, in quibus Moyſes etiam laborauit, ſed Deo vel Angelo nomine illius mouente, regentéque ſcribentis dexteram: nam Exod. cap. 34. verſ. 27. ſcriptio Moyſi tribuitur, Deuteronomij autem, cap. 10. verſ. 2. & 4. Deus Author recenſetur: ſed quare non integrè Moyſes Artifex? Num quia tabulæ ex duriori materia? verùm & in ſaxis etiam Homines penicillant: Animaduerte in ſcripturis ſignificari lapidibus Homines, quorum eſt in offendendo Numine pertinax Malitia, & flecti admodùm difficilis, quorum mentibus callum obductum eſſe videatur: vt igitur ſignificet Humanæ eloquentiæ vires excedere, talia vt domentur corda, ipſiúſque Dei vires potentiſſimas deſiderari, Moyſem quanquam eruditum in omni ſapientia Ægyptiorum inducit, quem niſi diuino ſuffultum adiutorio, impoſſibile ſit ſcribere in lapideis tabulis: Quaſi innuat, vt quidem ſcribendum eſſet in cereis tabulis, ſcilicet, mites commouendæ eſſent Animæ, id Moyſem tentare potuiſſe: At duros emollire peccatores, ſilici characteres imprimere, quibus legis integra obſeruantia comprehendatur, Deo tale opus digniſſimum, & quod in eius potentiæ cumulatiſſimam cedat laudem: Galfridus in Catena Tilmanni ad illud Luc. cap. 5. *Luceat lux veſtra coram hominibus,* &c. *Nolite obdurare corda veſtra chariſſimi: in lapideis tabulis ſolius Dei digitus ſcribit, qui potens eſt de lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare.*

Exod. 31. 18.

Exod. 34. Deuteron. 10.

*Nõ ſolâ Moyſis quanquam periſſimi manu, ſed digito etiã Dei opus fuit vt ſcriberetur lex in Tabulis lapideis, i. cordibus hominum duris.*

Galfrid.

89. Clamauit de Cruce ad genitorem Redemptor hominum Ieſus: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. cap. 27. verſ. 46. Quorum verborum licet communior ſenſus Chriſtum vt Hominem propter dolorum magnitudinem apud Patrem religioſè expoſtulatum fuiſſe; ſunt tamen ex veteribus qui opinentur, ideò aſſerere derelictum ſe, quod cerneret in peccatis obſtinatos non paucos, quibus tanti ſanguinis pretium vtilitatem non eſſet allaturum, quando conuerti nollent, neque bene vti auxiliis, quæ Chriſti ob merita eis donata fuêre: Horum igitur ſibi à genitore concedi oratione hac Conuerſionem rogat ardentiſſimè; Quod & in multis adimpletum, aliis iuſto Dei iudicio æternum pereuntibus: pro hoc igitur manipulo

Matth. 27. 46.

*Chriſtus in cruce ideo ſe à patre derelictum queritur, quòd ſanguinem ſuum obſtinatis non profuturum peccatoribus cerneret: inde tanto cũ ardore eorum Conuerſionem efflagitat.*



nipulo Conuertendorum, quæ tam inſignis pars Victoriæ Chriſti obeuntis in ligno, inſpiciamus quanto cum Spiritu genitorem alloquatur: declarauit egregiâ ſtyli vbertate Arnoldus Carnotenſis, Declamatione ex ſeptem Tractatibus in eadem verba: *Pro his igitur ad Patrem conuertitur & inauditum dicendi genus nouus Orator aſſumit, & inimicorum in cauſa allegans ipſis inuitis, atque negligentibus, parti contrariæ ſuffragatur, & vtrùm plus poſſit peccatum, quàm iuſtitia, Deo Patri proponit quæſtionem:* Quare *nouum dicendi genus* appellat? Quoniam filius quaſi litem (humano ita concipiamus modo,) Patri indicit, nam ex iuſtitia cum eo agit, quod eſt ſecundum fori conſuetudinem agere, quippe diſquirit, vtrùm plus poſſit peccatum, quàm iuſtitia? Sed genitor quamobrem permittit, vt neceſſum ſit ex tela iudicij Materiam pertractari, quam ſuauiùs componi decens apparebat? Contingit apud homines interdum, vt ſumma cum difficultate reſtituant aliis debitam ſeu veſtem, ſeu gemmam, ſeu de pulchris quidpiam, & ſæpè interpellati, tandem reſpondent, niſi Iudicis cogantur authoritate, haud reſtituturos poſſeſſum: non quod verè cupiant apud Iudices ſiſti (nam generoſi ſunt, quibus id probroſum eſſet,) ſed vt eâ loquendi formulâ aperiant, quanto cum Animi ſenſu, quanto cum dolore, deſpoliari ſe conniueant charis pignoribus: ergo vt Deus Pater Hominibus innuat, quàm ſit arduum, capitalem è viis malis peccatorem in rectas pertrahi ſemitas, vt iuxta noſtrum morem agens, faciliùs à nobis percipiatur, ſilio quaſi indulgêre recuſet, niſi tanquam ex iuſtitia, & neceſſitate cogatur.

Arnold. Carnot.

87. Cùm abire feſtinaret Helias ex hoc mundo, diſcedentem obteſtatus eſt Eliſeus: *Obſecro, vt fiat in me duplex Spiritus tuus.* Reg. 4. cap. 2. verſ. 9. reſpondit diſcipulo Magiſter: *Rem difficilem poſtulaſti:* Cur verò difficilem? an quia duos Spiritus expetiuit? Ergo ſi vnum deſideraſſet, haud difficilem poſtulaſſet rem: Quis eſt hic ſecundus Spiritus qui tantùm oneris adfert, vt concedi abſque magnis non poſſit laboribus? Drogo Hoſtienſis libello de Sacramento Dominicæ Paſſionis, intelligi aſſerit Reconciliationis humanæ cum Deo per Chriſti ſanguinem, gratiam, & conſepelitionem peccati: *Duplex Spiritus* (ait) *duplo clamat Pater mi: Pater mi Creator, Pater mi Reformator:* Sed nonne Creationis arduum quoque opus, planè formaſſe orbem cum elementis, produxiſſe tot Creaturas, ſtabili iunxiſſe fœdere oppoſitas Naturas? & tamen in his exiguum vexamentum: quid pronunciaui? nullum omnino; verbo cuncta facta ſunt; redimendo ſuſtinuit plurimùm, triſtatus eſt, & in Cruce gemuit voce ſonora derelinqui ſe teſtatus: igitur petendo duplicem Spiritum, Rem abſque dubio poſtulabat difficilem, qui Creationi Iuſtificationem copulari deſiderabat: audiamus parumper de his dulciſſimè alloquentem Bernardum: Cùm igitur de Conſeruationis dono, quâ extenditur vitæ origo dixiſſet, inquit ſermone 20. in Cantica: *Sed eſt, quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit: Super omnia inquam: reddit amabilem te mihi Ieſu bone, Calix quem bibiſti, opus noſtræ Redemptionis: Hoc omninò amorem noſtrum facilè vendicat ſibi totum: Multùm quippè laborauit in eo Saluator, nec in omni Mundi fabrica tantum fatigationis Auctor aſſumpſit: illa denique dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt: At verò Hîc & in dictis ſuis ſuſtinuit Contradictores, & in factis obſeruatores, & in tormentis illuſores, & in morte exprobratores: ecce quomodo dilexit.*

4. Reg. 2. 9.

Drogo. *Duplex Eliſei Spiritus: Mundi Creatio & Redemptio, difficilis valde dicitur propter peccatorum in Redemptione Iuſtificationẽ.*

Bernard.

88. Et quod in veteri fœdere ſub humana ſpecie Verbum quandóque apparuerit, ludicram fuiſſe exercitationem probantis ſe ad molem venturæ Incarnationis, vt quando Abrahæ viſus eſt ſedenti in Conualle Mambre, Geneſ. cap. 18. Tertullianus exiſtimauit lib. 3. contra Marcionem: *Ideóque & ipſe cum Angelis* (ait) *tunc apud Abraham in veritate quidem Carnis apparuit, ſed nondum natæ, quia nondum morituræ, ſed diſcentis iam inter homines conuerſari:* Nam ad Res plurimùm arduas eiuſmodi præmeditatio à ſapientioribus adhiberi conſueuit: Sic Athletas triginta dierum ſpatio exercêre ſe ſolitos Elidenſium inſtituto, priuſquàm in apertum certamen deſcenderent, narrat Philoſtratus libro quinto vitæ Apollonij, cap. 15. Sed quàm alacris, quàm feſtinus proceſſit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam,* (pangit Dauidis Lyra, Pſal. 18. verſ. 6.) *à ſummo cœlo egreſſio eius?* Et in noſtro hoc Epithalamio deſcribitur, qui caprearum agilitate ſaliat in montibus, tranſiliat Colles: Sic volantem quis non breui abſoluturum Redemptionis operam cogitaſſet? Sed erat opus illud, quod expoſcebat deleri Chirographum peccati, ſanctificari peccatores: certè ille tam velox tam citus remoratus ſupra annos triginta antequam pretium captiuorum filiorum Adæ penderet, & mundaret Eccleſiam ſanguine ſuo: inde Rupertus lib. 2. in Canticum Salomonis in illud cap. 2. En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, &c. *Quàm longum* (dicit) *expendit tempus in faciendo id de quo ſcriptum eſt: A ſummo cœlo egreſſio eius; & occurſus eius vſque ad ſummum eius: Qui antequàm veniret, feſtinus, & celer vocatus eſt, ſpatio annorum pluſquàm triginta duorum tantam exultando cucurrit viam, ſaliens atque tranſiliens tanquam caprea, ſiue hinnulus Ceruorum, de cœlo in vterum, de vtero in Crucem, de Cruce in ſepulchrum, de ſepulchro rurſus in, cœlum:* Hic eſt ergo ille triginta trium annorum ambulator, de cuius appellatione cùm Vates interrogaſſet, dixit ad eum Dominus: *Voca nomen eius, accelera ſpolia detrahere; feſtina prædari:* Iſaiæ cap. 8. verſ. 3. Et feſtinauit ille, atque cucurrit Nominis adimpleturus vaticinium: Si quem tamen moueat, quod vltra ſex tardauerit luſtra, conſideret Prouinciæ, quam ſubiit magnitudinem.

Geneſ. 18.

Tertullian. *Verbum ſe ad Redemptionis opus difficile velut exercuit, antequã illud aggrederetur.*

Philoſtrat.

Pſalm. 18. 6.

Rupert.

Iſai. 8. 3.

89. Mortuo Lazaro venit in Bethaniam Chriſtus: occurrit Seruatori Martha, & inquit: *Domine ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus: Sed & nunc ſcio quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ioan. cap. 11. v. 22. At ſi quemadmodum ore affirmat mente etiam credit, cur non reſtitui germanum poſtulat? Audiamus conſiderantem Bernardum, de gradibus Humilitatis in fine: *O Martha, magna nobis tuæ fidei inſignia tribuis, ſed quomodo cum tanta fide diffidis? Veni, inquit, & vide: Cur ſi non deſperas, non ſequeris & dicis; Reſuſcita? ô ſanctæ mulieres, ſi fratrem amatis, cur Chriſti miſericordiam non flagitatis?* Sed obterritas miraculi granditate ſignificat ſtatim, nam earum voce reſpondens

Ioan. 11. 22.

Bernard.

*Tam arduum videbatur & tam grande Miraculum, Lazari.j.peccatoris fœtidi, Reſuſcitatio, vt Martha quaſi de eo aut diffideret aut deſperaret.*

Ioan.11. 40.

addit: *Scimus quidem, quod omnia poteſt, ſed hoc tam grande miraculum, tam nouum, tam inauditum, etſi eius ſubeſt potentiæ, multùm tamen excedit omnia merita Humilitatis noſtræ.* Verùm certè Martham diſſidentiæ Patres accuſant, quam de potentia diuinitatis Chriſti ſuobſcuriùs ſenſiſſe autumant: quin verò & ipſe Ieſus inferiùs ad eam verſ. 40. *Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?* ac videbatur illa quaſi opinari, facere potuiſſe Saluatorem ſi adfuiſſet, ne Lazarus moreretur, cæterùm quatriduanum iam & malè fœtentem ad vitam reuocaſſe, arduum apparebat: Verùm, ſi Hiſtoricè agendum ſit, qui Morbi ſæuientis vim repellere poterat, ſepulchro quoque extraheret: feramur autem ad myſtica: Ergo Lazari alius ſtatus, ſiue incolumis, ſeu ægrotantis; alius in Sarcophago graueolentis: prior Lazarus vel iuſtorum conditionem deſignat, qui viuunt per gratiam Spiritus ſancti cordibus eorum inhabitantem, vel malè affectam Animam, quæ licet peccato oſtium aperuerit, per quam infirmata ſit, tamen in profundum Malorum non cecidit, Medicum adit, & ſanari exoptat: Secundus ille Lazarus enormem Peccatorem repræſentat, qui omnem proiecit verecundiæ ſenſum: igitur, vt præſeruare iuſtum à lapſu non ſit difficile, vt eundem ſuſtinêre, ne Barathrum Malitiæ intret: At poſtquam omnes humanas, diuináſque violauit leges, & ſpiſsè improbus factus eſt; tum vel ab ipſo Chriſto quodammodò reſtitui poſſe iterum floridæ valetudini, & in ſanctorum connumerari ordine, facinus eſt, quod vt patrari valeat, quaſi diffidat nondum fidei luce pleniùs illuſtrata Anima: Videtur enim Dei potentiam non ſatis conſideranti, ob deſperationem quandam vulneris inacceſſa Curatio.

90. Auguſtinus ſermone 71. de tempore, de loco excauato ad lignum Crucis ſupportandum: *Etiam hoc Antiquorum Reuelatione refertur, quòd & Adam primus Homo, in ipſo loco, vbi Crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus: & verè fratres, non incongruè creditur, quia ibi erectus eſt Medicus, vbi iacebat ægrotus: & ſanguis ille pretioſus etiam corporaliter, puluerem antiqui Peccatoris dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur:* Sed quamuis cineres primi Hominis Chriſti ſanguis non humectaret, nonne tamen redemiſſet illum, quemadmodum alios innumeros nec tum adhuc natos? planè redemiſſet, ideò appoſitum eſt ſapienter ab Auguſtino; *redemiſſè credatur.* Contingit nonnunquam lædi cuiuſpiam Honorem grauiſſimè ab alio: condonat qui infamatus eſt; certè, vt nihil aliud præſter, Amicus eſt: Sed tamen vulgus non credit reconciliationem, niſi contempletur ſpecialiter officioſum erga Hoſtem: itaque vt populi obſecundet votis cogitur familiariùs agere cum eo, à quo iniuriam accepit, quàm antiquis cum ſodalibus: Quamobrem talibus Amoris vtatur indiciis cum Aduerſario? Quoniam offenſæ enormis fuit malitia; & tam grandem remitti culpam Homines ad vlciſcendum prompti perſuadêre ſibi non poſſunt, niſi ſingularia aliqua Reconciliationis adhiberi Argumenta cernant: Ad hunc igitur modum intelligere valeamus: Rudiores quaſi concipere: tantam fuiſſe peccati Adæ, quo totum genus Mortalium, infectum eſt, tantiſque oneratum malis, grauitatem, quod velut communi ſanguinis Chriſti ablui applicatione non poſſit: itaque vt tantam remitti noxam, & ſalutem conſecutum fuiſſe Adam, ignorantiores crederent, præter generalia Reconciliationis fundamenta, opus fuiſſe peculiari aliquo ſubſidio ad credendum, præterea ſtillaſſe cruorem, & madefeciſſe Buſti Adæ puluerem.

Auguſtin. *Vbi ſepultus Adamus, ibi Chriſtum ferunt aliqui Crucifixum: Inde hunc in ſcopum ratio ſubtilis.*





# VESTIGATIO XI.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum nonum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus*: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut Turturis: Collum tuum ſicut Monilia. *Cap.1. verſ. 9.*

*Pudor Virginum Dos inclyta; eius Teſtis & Cuſtos Rubor in vultu: Turtur Auis pudica, cuius coloris? Luxus gemmarum apud veteres: Margaritorum Candor & pretia: Turtur mutans Regiones: ex donis Nouæ Nuptæ de vnionibus Monilia: in gemmis ſculptæ Deorum imagines, & virtutum emblemata: inaurium ſignificatio: Vnionum magnitudo & piſcatio ſingularis: fax Apocalypſis loco, Geneſis, Exodi, Prouerbiorum, Iſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis.*

### Sectio Vnica.

1. *Quid ſignificet hic* Turtur?

QVID Turturis vocabulo ſignificetur diſſentientibus ſtudiis Interpretes declararunt: Nam Orthodoxorum antiquior factio; de Aue conſtruxerunt: Recentiores arbitrati modicam eſſe pulchritudinis laudem comparari Sponſam volucri, in qua nihil eximiè formoſum reſplendeat, cum Hebræorum Magiſtris de ornamento muliebris faciei expoſuêre: neque in his latum ſe vnguem diſcedere à vulgato: vocem namque Hebræam תּוֹרִים *Thorim*, quam hoc verſu Turturem vertit, ſequenti *Murenulas* dicit, non quidem piſcem denotans, quando ex auro cum argento componit, ſed genus Monilis Aquatilis formam referens: De altera autem voce חֲרוּזִים *Charuzim* licet non expreſſum de quibus texebatur quod vocatur Monile ex gemmis, tamen Dauid & Ben Hezra ſequuti Nonnulli Margaritorum concatenatos vniones filôque pendentes adſtruunt: Patres Torquem, vel Redimiculam opinati ſunt, & Colli decoramentum aliquod: Hæc, quoniam à plurimis agitata; deſerentes, laboremus ſenſum conciliare Tranſlationibus idoneum, vt inde appareat cunctas aptas eſſe, ac primo loco Patrum muniamus cogitationes: Commendant igitur illi pudicitiam imprimis, & in Virgine gratiſſimam Verecundiam: Nam peregrè veniente Sponſo ex aula Monarchæ, de Ieroſolymis enim in Libanum venit, quanquàm Puella nihil magis optabat, quàm eius frui deſideratiſſimâ præſentiâ, tamen vti quondam Rebecca licet deſponſata, conſpecto Iſaac, pallio vultum obtexit, Geneſ. cap.24. verſ. 66. quòd ſcilicet ad Mariti etiam intuitum conuerecundaretur, quemadmodum ex Tertulliano, aliiſque Pererius commonſtrat: ita nunc ad Sponſi congreſſum Pudicitiæ certus præco Rubor Sponſæ genas perfudit: rectiſſimè enim Plinius lib.11. cap. 37. *Infrà oculos Malæ Homini tantùm, quas priſci genas vocabant: Pudoris hæc ſedes: ibi maximè rubor oſtenditur.* Sed bellè Nazianzenus aduersùs mulieres ſe ornantes: *Vnicus color in mulieribus amabilis eſt nimirùm Rubor ille, quem parit pudor.* Sic & Virginem Beatam ad Angeli viſum ſub humana ſpecie pauitantem, & roſeo decore in maxillis Ambroſius delineauit, exhortatione ad Virgines: *Conſidera, quanta fuerit Maria: illa te doceat quid ſequaris: Angelum ſpecie viri vidit, & pauebat corde, peregrinabatur aſpectu: decet ſolitudo verecundiam, & gymnaſium pudoris ſecretum:* Sed muliebris ſexus quemadmodum dos inclyta eſt pudicitiæ cuſtos Rubor ſacérque verecũdiæ Amor eruditè commonſtrant ad hæc verba Ludouicus de Sotomaior, & Vincentius Riccardus Notis ad Cantacuzeni Commentarium numero 37. vbi de Ambroſij penu ex primo Officiorum libro c. 18. *Eſt verecundia Pudicitiæ comes, cuius Societate Caſtitas ipſa tutior eſt: Hic primus in ipſo cognitionis ingreſſu Domini Matrem commendat legentibus, & tanquàm teſtis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur, adſtruit: Quòd in Cubiculo, quòd ſola, quòd ſalutata ab Angelo tacet, & mota eſt introitu eius, quòd ad virilis ſexus ſpeciem peregrinam turbatur adſpectus Virginis.* Quin & ipſa ſæcularis Muſa, quoties grauitatem ſectatur & temperata eſt, Virgines comminiſcitur, quæ ad leuem Connubiorum ſonum, facie ardeant, genarum perturbatione, Animæ ſignificantes verecundiam, vt de Lauinia Æneid.12. Maro, cùm Mater Puellæ ſupplicat, ne bello dubium promiſſis afferat nuptiis:

*Accepit vocem lachrymis Lauinia Matris*
*Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem*
*Subiecit rubor, & calefacta per oſſa cucurrit:*
*Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro*
*Si quis ebur,*&c.

Num etiam, quia Rubor Modeſtiæ fidiſſimus index, ſilentij, quod verecundiam perpetuò comitatur, emblema Roſæ quondam fuerint? nam & conſecratam propterea Harpocrati taciturnitatis Deo: & apud Germanos in Triclinio è tectorum ſuſpenſam faſtigiis, quæ de Verecundia

Geneſ.24.

Perer. *Genæ, Pudoris ſedes.*

Plin.

Nazianzen. *Amabilis in muliere color à pudore rubens.*

Ambroſ.

Sotomaior. Vincentius Riccard. *Rubor verecundus Pudicitiæ comes.* Ambroſ.

Virgil.

*Roſa, verecũdiæ & ſilentij Emblema, vnde Harpocrati Taciturnitatis Deo ſacra.*

Conuiuas admoneret & paucis inter viſceratio-
Rader.
nem ſermonibus noſter indicauit Raderus ad Epigramma 25. lib. 1. Martialis: cúmque in pueris nihil pudore illuſtrius, conceſſa eſt olim à Romanis prætexta, *vt ex purpuræ rubore*
Macrob.
(nam de murice erat lacerna,) ſicut Macrobius aduertit lib. 1. Saturnal. cap. 6. *admonerentur pudoris ingenui.*

2\.
*Cur à Turture hic ſumpta Comparatio.*
Si tamen Cutis ruborem extollere volebat, qua de cauſa ex volucribus Turturem delegit? neque enim tali præſtat colore, quem cinereum depingit Athenæus lib. 9. Dipnoſoph. equidem colore rufo in ſuperficie pennarum aſ-
Albert Mag. Aldobrand.
pergi, Albertus Magnus pronunciat: Vlyſſes Aldobrandus Ornithologiæ lib. 15. in huius Auis conſideratione, Alas quà dorſo & pectori vicinæ ſunt, elegantiſſimo colore rufeſcere ſcri-
Polychron.
bit: de Turturum Maxillis Polychronius in Græca Catena horum verborum, quem citat
Vincentius Riccard.
Vincentius Riccardus: αὐτὴν ἐκόσμησε τὴν αἰδῶ. ἐρυθραὶ γὰρ τῆς τρυγόνος αἱ σιαγόνες: *Sponſam pudore exornat: Rubræ enim ſunt Turturis genæ:* Quod ſi in Turturis ore nihil ſplenderet, quod Ruborem faciei Sponſæ indicaret; Tamen, cùm in ipſo Rubore præcipuè laudaretur, quod quàm pudicam eſſe Sponſam ſubinnueret, quæ ne Mariti aſpectum abſque omni verecundia ſufferre poſſit, rectè comparabatur volucri, cuius excellens quædam eſt pudicitiæ fama, id quod Patres hunc in locum creberrimè ſuggerunt, & ob quam ab externis Auis commendata, ab
Ariſtot. Ælian. Athenæus.
Ariſtotele nimirum libro 9. Hiſtoriæ Animalium, cap. 7. Æliano lib. 3. cap. 42. Athenæo loco paulò ſuperiùs memorato: refert & in He-
Ambroſ. Hieronym.
xam. lib. 5. cap. 19. Sanctus Ambroſius: quare Hieronymus lib. 1. aduerſus Iouinianum: *Turtur Auis pudiciſſima* (inquit) *ſemper habitans in ſublimibus, Typus eſt Saluatoris:* Quò verò Turturi propiorem ſignificaret, adiunxit & in Cer-
Pagnin.
uice Monilia, ſeu vt Pagninus legit *Torques:* nam & Torquem ambire quoque Turturis col-
Aldobrand.
lum allegatus Aldobrandus nunciat: data autem Matronis in pudicitiæ honorem Monilia
Rupert.
Rupertus Abbas hunc pertractans verſum ſentit, inquiens: *Monilia Matronarum pectora muniunt, vnde & dicuntur Monilia, eò quòd muniunt pectus, ne quis extraneus, aut impudicus manus inijciat:*
Anſelm.
Anſelmi Explanatio idipſum: Et quoniam pudicitiam, huicque coniunctum ſemper pudorem Turturem referre diximus, rectè ab aliquibus adnotatum, introductum de ea ſermonem à Sponſo: Nam antecedenti verſu equitatui, ſiue
LXX.
ex LXX. Seniorum verſione, equabus Sponſam aſſimilauit, libidinoſum autem Animal eſſe demonſtrauimus: ergo ne ſuppuderet Virginem talibus comparari, Turturem vocauit: Pſellus: *Ac ne Sponſam aſſici contumeliâ putes, quod perſpicuè ſimilis equæ dicatur: Audi quod deinceps Sponſus dicat: quàm pulchræ ſunt genæ tuæ,* &c. Solet quoque nonnunquam indomita & contumax equorum eſſe natura: hoc etiam vt carêre vitio doceat, Monilibus parem ceruicem ait, quæ flexibilis, atque obſequioſa ſit. Ambroſius libro de
Ambroſ.
Iſaac & Anima, cap. 4. *Laudatur, quod cœleſti ſibi illuminante præcepto, iam ſpecioſa, iam pulchra ſit; quæ vultu præferat Caſtitatis decorem, & Redimicula Ceruicis attollat, in quo ſunt Patientiæ, & Humilitatis inſignia.*

3\. Quod verò à genarum & Colli laudibus exorditur Sponſus ſimul ac reuertitur ex Ieroſolymis, & Libani ardua veſtigiis premit, idque coram lectiſſima Hoſpitum Corona, eorum præ-
*Cur Sponſæ laudes à genis & collo exordiatur Sponſus.*
ſertim qui de ipſa Metropoli erant, cauſa fuerit, quod ſcilicet eo commorante principe in vrbe, & præparante quæ in genialem pompam deſiderabantur, rumor ſparſus fuerit a Maleuolis, cuius Auctor muliebris referebatur ſexus; Sponſam nimirum ſubfuſcam eſſe, neque mediocriter ſanè atram, ſed velut Tabernacula Cedar: Huius igitur vt inuidiæ fabulam Sponſus liuoris plenam oſtendat: eiúſque qui cum ſpiſſo mendacio coniunctus ſit, maxillas Sponſæ roſeâ venuſtate pulchras, & lacteam Ceruicem commendat; cùm enim demonſtrauerit niuem penè vincere cutis gloriam, apparebit enorme fuiſſe Commentum, quod fuliginoſam dicere auſæ ſint filiæ Ieruſalem. Probat verò candidam eſſe
*Fuſcis Rubor non inſidet, ſed candidis.*
eo ipſo, quod Rubicundam oſtendat, neque enim obfuſcatæ pelli Rubor inſedit: Vnde Si-
Sidon. Apollon.
donius Apollinaris libro 1. epiſtola 2. *Lactea Cutis, quæ propiùs inſpecta iuuenili Rubore ſuffunditur; namque hunc illi crebrò colorem non ira, ſed verecundia facit.* Quare Poëtæ cùm deſcribunt Rubore affectas Virgines, expromunt exempla, quæ candore ſuffultam Rubedinem innuant; ex Virgilio perſpeximus numero 1. de Lauinia: de Puella verò ad nouum Mariti contuitum verecundata, quod Sponſæ accidit, Naſo libro 2. Amor. Eleg. 5.

Ouid.

*Hæc ego, quæque dolor linguæ dictauit: at illi*
*Conſcia purpureus venit in ora Rubor.*
*Quale coloratum Tithoni coniuge cælum*
*Subrubet, aut Sponſo viſa Puella nouo.*
*Quale Roſæ fulgent inter ſua lilia mixtæ,*
*Aut vbi cantatis Luna laborat equis.*
*Aut quod ne longis flaueſcere poſſit ab annis*
*Mæonis Aſſyrium fœmina tinxit ebur.*

Vt verò omnem demat quæſtionem, Collum album eſſe ſubnectit, quale Margaritæ candicant: intelligo autem Vniones, tum quia altera ſic legit Tranſlatio, vt ſuperiùs monui: Tum quia ex Interpretum multis placuit alludi ad id Monilium genus: tum denique quia Nomen ipſum Monilis abſolutè pronunciatum pro excellen-
*Margaritæ & Vniones magno in pretio.*
tiori ſupponit. Sunt autem Margarita potiſſimæ
Plin.
Nobilitatis: Plinius lib. 9. cap. 35. *principium ergo, culménque omnium rerum pretij Margaritæ te-*
Athenæus.
*nent:* Athenæus lib. 3. Dipnoſoph: *è quibus ſunt Monilia, & armillæ brachiorum, pedúmque ornamenta, quæ apud Perſas & Medos & Aſiaticos omnes*
*Vniones, colli, auriúmque ornamentum.*
*pluris æſtimantur, quàm ea, quæ ex auro conficiuntur:* iam quod & Collo innectantur & Monile ſit, de Ceruice Ouidius de Medicamine faciei:

Ouid.

*Induitis collo lapides Oriente petitos,*
*Et quantos onus eſt aure tuliſſe duos.*

Theophraſt.
De Monili autem Theophraſtus libro de lapidibus: τῶν θαυμαζομένων δὲ λίθων ἐστὶ καὶ ὁ μαργαρίτης καλούμενος, διαφανὴς μὲν τῇ φύσει. ποιοῦσι δ᾽ αὐτοῦ τοὺς πολυτελεῖς ὅρμους: *inter eos, quos demiramur, eſt quidem Margarita, naturâ perlucens, de qua pretioſa*
Hieronym.
*conficiuntur Monilia.* Hieronymus ad Lætam de inſtitutione filiæ: *Caue, ne aures eius perfores, ne ceruſâ & purpuriſſâ conſecrata Christo ora depingas, ne*
Cyprian.
*collum auro & Margaritis premas.* Cyprianus libro
*Margaritorũ candor.*
de Diſciplina, & Habitu Virginum: *Neque enim diſtinctis auro lapillis, & Margaritis contextâ ſerie, & numeroſâ compage digeſtis, Monilia Dominus inſtituit, quibus Ceruicem, quam fecit, abſconderes.* Quis autem eximiè candida eſſe Margarita deneget? Plinius dicto paulò antea capite: Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere: Marbodæus vetus Poëta, Carmine de gemmis 51.



Marbod.

*Cuius ad ornatum laudatur candida forma.*

Tertull.
Tertullianus de Habitu Muliebri: & *Margarita canderent, & Ceraunia coruſcarent* Martialis cùm inſigniter albam laudaret, Erythræis lapidibus, quibus intelliguntur vniones (nam eorum piſcatio maximè in Perſico ſinu Maris Rubri, vt tradit Plinius allegato bis iam capite,) comparauit lib. 5. Epigram. 38. de Erotio: & diſtinctiùs de toga candida lib. 8. Epigram. 28.

Martial.

*Lilia tu vincis, nec adhuc dilapſa liguſtro,*
*Et Tiburtino monte quod albet ebur.*
*Spartanus tibi cedet olor, Paphiæque Columbæ,*
*Cedet Erythræis eruta gemma vadis.*

Trebell.
Trebellius Pollio in triginta Tyrannis de Zenobia Regina: *tantus Candor in dentibus, vt Margaritas eam plerique putarent habêre, non dentes:* Quando igitur Collũ Sponſæ tanti Candoris, vt Margarita æquaret: quomodo nõ etiam proximè poſitus candidiſſimus vultus? Vbi enim conſpecta facies, quæ cùm inſigniter fuſca & atrata eſſet, Ceruice tamen lacteâ ſuſtentaretur? egregiè Sponſus figmentum refellit de nocturno Sponſæ ore.

4\.
*Ratio altera cur Turturi Sponſa comparetur.*
Eſt etiam, quamobrem Turturi ſimilem Sponſus cupiat, quoniam vt crebrò fortaſſe à nobis in hoc Epithalamio commemorandum fuerit, peregrinandum ſit Sponſæ finitâ geniali pompâ, & de Libano in Ieroſolymam eundum ad Sponſi lares: Quanquam autem viciſſitudo ſatis beata & felix, quando ex vaſtitate & ſolitudine in delicioſam, atque opulentam proficiſcendum eſſet Aulam: Tamen, quoniam verebatur Sponſus, ne durum fuiſſet Virgini natale deſerere ſolum, & ab infantia adamatam glebam, quoties commodè facere valeat, præparat ad malum Animam Puellæ, id imprimis cap. 4. verſ. 8. *Veni de Libano*
Cantic. 4. 8.
*Sponſa mea,* &c. Quemadmodum & in altero quoque Hymenæo quicumque Amator ſit ille pollicitationibus magnis agit: *Audi filia, & vide,*
Pſal. 44. 11.
*& inclina aurem tuam.* (Pſalm. 44. verſ. 11.) *Et obliuiſcere populum tuum & domum Patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum,* &c. Cùm igitur dixiſſet plurimis ſe cum quadrigis, & ſplendido Nobilium comitatu veniſſe, in curribus nimirùm
*Turtur, Auis peregrina.*
Pharaonis, indicat ſtatim, non eſſe commorandum Libano, ſed Turturum vſu, poſt aliqua tempora nouas quærendas ſedes, de quibus ſcitè Romanus Orator lib. 2. de finibus: *Turtures Curſu, & peregrinatione lætantur:* de quibus Varro
Cicero. Varro.
lib. 3. de Re Ruſtica, cap. 5. *Hæc ita fieri apparet in Inſulis propinquis Pontijs, Palmariæ, Pandatariæ: ibi enim in prima volatura conueniunt, morantur dies paucos requieſcendi gratiâ: idque faciunt, cùm ex Italia trans mare redeunt:* Sæpiúſque eâ de re
Ariſtot.
Ariſtoteles monet lib, 8. Hiſtoriæ Animalium à capite duodecimo.

5\. Hæc ſanè in gratiam eius Expoſitionis, quæ volucri comparatam Sponſæ decorem opinatur: aggrediamur & aliam fulcire, quæ de ornamentis Connubialibus intelligit: Equidem à Sponſo donatam exquiſitis muneribus nouam Nu-
Ezechiel. 16. 10.
ptam Ezechielis cap. 16. verſ. 10. teſtatur: *Veſtiui te diſcoloribus, & calceaui ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum & dedi inaurem ſuper os tuum, & Circulos auribus tuis: & Coronam decoris in capite tuo: & ornata es*
*Monile è Margaritis donum Connubiale.*
*auro & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus:* Siue autem ex Sponſi liberalitate, ſeu ex affinium & cognatorum, ſodaliúmve nuptiarum de Connubialibus donis Monilia, quibus inter pretioſam gazam nihil charius fœmineo deſiderio: Iſaias cap. 61. num. 10. *Quaſi*
Iſai 61. 10.
*Sponſam decoratam Coronâ, & quaſi Sponſam ornatam Monilibus ſuis:* Verùm non niſi de Margaritis plerumque ipſamet Monilia: Claudianus in Epithalamio Honorij & Mariæ de oblaris Sponſæ ornamentis:

Claudian.

*Certatímque nouis onerant Connubia donis:*
*Cingula Cymothoë, rarum Galatea monile*
*Et grauibus Spathale baccis diadema ferebat*
*Intextum, rubro quas legerat ipſa profundo.*

Scilicet collectos ex Mari Rubro vniones: à Marito data illa, quorum Papinius meminit Theb. 2.

Stat.

*———nam tu infauſtos donante Marito*
*Ornatus Argia geris, dirúmque Monile*
*Harmonies.*

A Sponſo etiam candidum Monile, nempè ex Margaritis, quod Sponſæ conceſſum in Maxi-
Iul. Capitol.
mino Iuniore refert Iulius Capitolinus: *Manſerunt autem apud eum Arrhæ* (inquit) *quæ tales fuerunt: Monilium de albis nouem, Reticulum de Praſino vndecim,* &c. Ferebat & cum Troiam peteret adulterinos celebratura Hymenæos Menelai vxor Helena Monile, quod ex Margaritis; Virgilius Æneid. 1.

Virgil.

*Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim*
*Maxima natarum Priami, collóque Monile*
*Baccatum, & duplicem gemmis, auróque Coronam.*

Cerda.
Baccas optimè aduertit Zerda Margaritas cenſendas, quo nomine appellat priſcus gemma-
Marbod.
rum Metriſta Marbodæus Carmine in antecedentibus relato 51.

*Et iuuenes Conchæ dant baccas candidiores.*

Idem.
Itémque in fine:

*Inſignes baccas prædam maris India gignit,*
*Gignit & inſignes antiqua Britannia baccas.*

Quanquam in Britannia non quidem inſignes, ſed paruos & decolores naſci, vt plurimũ ſcilicet, certum eſſe Plinius aſſeuerat lib. 9. c. 35. reperiuntur & in noſtræ Hiberniæ littoribus: Verùm eodem loco Plinius de Sponſæ ambitione: *Lolliam*
Plin.
*Paulinam* (ait) *quæ fuit Caij Principis Matrona, ne ſeriò quidem, ac ſollenni Cæremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam Sponſalium cœna, vidi ſmaragdis, margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo.*

6\.
*Videbatur Sponſa ab vdienũ multitudine quaſi Gemma vnica.*
Ergo tantis onerauit Sponſus gemmis & aures, à quibus in maxillas deſcendebant, & Ceruicem, vt partes ipſas humani corporis ſubduxerit obtutibus, cúmque nihil intueri liceret excepto ornatu, feſtiuè dixerit, quaſi tranſmutatum vultum in Turturem, collum in Monilia, ideóque vtriuſque inſtar apparêre nec genas putandas, ſed Turturem, non Collum, ſed Margaritas: vetuſtis namque temporibus gemmatum tam enormis luxus, vt amictui penè ſubſtituerint: quare nuperrimè de Lollia illa Plinius: *Vidi ſmaragdis, Margaritiſque opertam.* Et paulò antea:
Plin. *Veſtis gẽmea.*
*Neque enim geſtare iam Margaritas, niſi calcent, ac*
Cyprian.
*per vniones etiam ambulent, ſatis eſt:* Egregiè Cyprianus de Diſciplina & Habitu Virginum: *Neque monilia Dominus inſtituit, quibus Ceruicem, quam fecit, abſconderes: vt operiatur id, quod Deus in homine formauit: & conſpiciatur id deſuper, quod*
Ezechiel. 28. 13.
*Diabolus adinuenit:* ſic Ezechielis c. 28. v. 13. *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum:* Hinc vnionum congeminatio in auribus, & in collo & brachiis tanta pondera, vt oneratæ magis quàm ornatæ

viderentur

viderentur Nurus & Matronæ : Oneris vocabu-
lo vſus Seneca libro,quem intitulauit:in Sapiē-
Seneca. tem non cadere iniuriam,cap.14. *Quid refert,quot*
*Gemmarum, habeat lectiarios? quam oneratas aures, quàm laxam*
*& Margari- ſellam?* & libro 7. de Beneficiis præclariſſimè
*tarum luxus.* idem cap.9. *Video vniones non ſingulos ſingulis auri-*
*bus comparatos , iam enim exercitatæ aures oneri fe-*
*rendo ſunt : iunguntur inter ſe , inſuper & alij binis*
*ſuperponuntur : non ſatis muliebris inſania viros ſub-*
*iecerat , niſi bina, ac terna Patrimonia auribus ſingu-*
*lis pependiſſent* : Ac ſanè oſtendimus Veſtigationis
elapſæ numero 8. ob nuptialem gazam , & ſum-
mas diuitias quæ offerebantur munerum , com-
paratam verſu ſuperiori equitatui in Curribus
Pharaonis Sponſam , quando verò ibidem com-
monſtrauimus pretia Rerum in frænorum glo-
ria,quibus ora condecorabantur equorum,inque
opulentiſſimis ceruicum torquibus,rectè genera-
lem Metaphoram ſigillatim explanaturus Spon-
ſus , ad genas Sponſæ,collúmque tranſiit , quo-
rum ſupellectilem nullæ equorum vincant pha-
leræ, quanquam Reges ad oſtentationem com-
ponere equorum iubas & labia ſoliti, vt nullam
ſumptuum habuerint rationem.

Qua autem de cauſâ Turturis ſimilitudinem
7. referant genarum decoramenta? Equidem & in
*Cur Turturis* Laminis ſeu gemmis , quæ vel de auribus pende-
*ſimilitudinem* bant , vel de fronte cadebant,vel pectori admo-
*referebat ge-* uebantur inſculptæ figuræ vel eorum , quorum
*narum orna-* ſumma quædam erat Reuerentia, aut amicitiæ
*tus.* fidiſſimus nexus : vel rerum quas colere , & ad-
diſcere , oportebat : Sic acceptas à Domeſtico-
rum turbis inaures infodiſſe ſubter Terebin-
Gen.35. thum Iacob memoratur Geneſ. cap. 35. verſ. 4.
Quod ſcilicet Deorum imagunculas contine-
Auguſt. rent , quemadmodum Auguſtinus opinatus eſt
Lyra. quæſtione 111. in Geneſim , quem Lyra & Re-
centiores ſequuti : niſi enim ſuperſtitioſi, & in-
uetiti aliquid habuiſſent , cur abieciſſet? Quas
& flammis priùs tradidiſſe Toſtatus opinatur :
Toſtat. Modò autem venuſtabant faciem auribus ſuſpen-
ſæ , vt dicto nunc Geneſis loco,nam ait : *Et inau-*
Gen.35. *res , quæ erant in auribus eorum* , atque Exod. c.32.
Exod.32.4. verſ.4. *Tollite inaures aureas de vxorum,filiorúmque,*
*ac filiarum veſtrarum auribus* : modò à fronte in
Ezech.16.12. naſum deductæ, Ezech. cap.16. verſ.12. *Et dedi*
Hieron. *inaurem ſuper os tuum* , vbi Hieronymus : *vſque*
*hodie* (inquit) *inter cætera ornamenta Mulierum ſo-*
*lent aurei Circuli in os ex fronte pendere , & immi-*
*nere naribus* : Ioannes Leo lib. 8. Deſcriptionis
Ioan.Leo. Africæ , loquens de Ciuibus Alcairi : *Fœminæ*
*pretioſas induunt veſtes,frontem & Collum ſertis gem-*
*meis ornantes ſuperbè prodeunt* : & apud Iſaiam
Iſai.3.21. cap.3. verſ.21. recenſentur gemmæ in fronte
Nouarin. pendentes : *Sigilla* ab aliis legi aſſirmat Nouari-
nus lib.3. Sacrorum Electorum cap.18.num.535.
in quibus putat efformatas charorum imagines:
inter Paganos Deorum inſculpebantur effigies,
nam quas ſuperiùs diximus inaures , quáſque à
Rachele ſuffuratas nonnulli coniectantur : Ioſe-
Ioſeph. phus lib.1. Antiquitatum cap. 19. ſemper ſigilla
appellat : eo de genere lamulæ illæ , in quibus
Dianæ Epheſinæ Templum deſcribebatur , ma-
Act.19. gno Argentariorum quæſtu , de quibus Actorum
cap.19. verſ.23. vt notant vulgatim Interpretes,
quæ fortaſſe à collo in pectus dimiſſæ quaſi Amu-
letum ; ſanè de iconibus Deorum inter mam-
Ierem.17.1. mas , & ad Cor,Ieremiam,cap. 17. verſ.1. *Pecca-*
*tum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue ada-*
*mantino , exaratum ſuper latitudinem cordis eorum:*
noſter exponit Sanchez ; eodémque more loqui

Oſæam autumat cap. 2. verſ. 2. *Auferat fornica-* Oſee 2.2.
*tiones ſuas à facie ſua , & adulteria ſua de medio*
*vberum ſuorum*, cui adhæreſcunt vtrobique Me- Menoch.
nochius & Tirinus : An verò quod talia portaret Tirin.
Deorum ſculptilia Aman , poplitem ei flectere
renuit Mardochæus , ne adoraſſe prohibita nu-
mina videretur? Eſth.cap.3.verſ. 2. Hebræi eam Eſth.3.
fuiſſe cauſam referunt , & modò vſus probaretur
idoli ferendi in pectore aut fronte ab Ethnicis,
facilè ſolui potuiſſe quæſtionem noſter pronun-
ciat Serarius quæſtiuncula 3. in dictum caput: Serar.
Nam quod Deorum ſibi adferri honores Perſa-
rum optimates cuperent , veroſimile eſt excepto
ſupremo Monarchâ , reliquis tantam inconceſ-
ſam gloriam : neque tamen à Monarcha eam ob
rationem colendo,genu inflexo abſtinuiſſe Mar-
dochæus legitur,qui vt Aman veneraretur,com-
pelli non poterat.

Sed non omnis de ſuperſtitione Cultus : ge- 8.
ſtabantur & quæ de virtute monerent Symbola: *Imagunculæ*
Nam quod Romanorum Pueris Bulla aurea *ſeu Medallia*
Cordis ex figura , Macrobius declarat lib.1. Sa- *ab antiquis*
turnalium cap. 6. *Nonnulli credunt ingenuis Pueris* *ante pectus*
*attributum , vt Cordis figuram in Bulla ante pectus* *geſtata, varij*
*annecterent ; quam inſpicientes,ita demum ſi Homines* *generis.*
*cogitarent , ſi Corde præſtarent* : Qua de re ad ſui Macrob.
temporis Orthodoxos inſigne documentum eſt
Clementis Alexandrini lib.3.Pædag.cap.11. *Sint* Clem Alex.
*nobis ſignacula , Columba , vel piſcis, vel nauis , quæ*
*celeri curſu à vento fertur , vel Lyra Muſica , qua*
*vſus eſt Polycrates , vel Anchora nautica , quam in-*
*ſculpebat Seleucus : & ſi ſit piſcans aliquis,meminerit*
*Apoſtoli , & Puerorum , qui ex aqua extrahuntur:*
*Neque enim idolorum ſunt imprimendæ facies, quibus* *Quæ olim*
*ſolùm vel attendere probibitum eſt : Sed nec enſis , vel* *Emblemata*
*Arcus, ijs qui pacem perſequuntur : nec pocula ijs,* *à Chriſtianis*
*qui ſunt moderati , ac temperantes.* Et quidem in *geſtata.*
ipſis Calicibus ſub Eccleſiæ etiam initiis , cùm
& de vitro eſſent , ſacra emblemata , quæ ad
pœnitentiam ex ſalutis ſpe attraherent,vt de oue
aberrante , quam humeris reportauit ad caulas
Magiſter gregis : refert Tertullianus de Pudici-
tia cap.7. *A parabolis licebit incipias , vbi eſt ouis* Tertull.
*perdita , à Domino requiſita , & humeris eius reuecta :*
*procedant ipſæ picturæ Calicum veſtrorum , ſi vel in*
*illis perlucebit interpretatio pecudis illius , vtrùmne*
*Chriſtiano , an Ethnico peccatori de Reſtitutione con-*
*liniet.* Et capite decimo : *Si fortè patrocinabitur*
*Paſtor, quem in Calice depingis* : colligit autem ex
adiuncta clauſula : *At ego eius Paſtoris Scripturam*
*haurio , qui non poteſt frangi* , &c. Iacobus Pame- Pamelius.
lius vitreos fuiſſe, nam ſi de Metallo ſolido,fran-
gi potuiſſe non aſſeueraret: Verùm ad præſentem
ſcopum non attinet , cuiuſnam fuerint Materiæ:
tantùm de Ritu inſculpendi ob varias cauſas di-
uerſarum rerum lineamenta.Habuit igitur Spon- *In Sponſæ in-*
ſa ſiue ab auriculis , ſiue à Temporibus penden- *auribus qua-*
tes quæ in genas vſque deſcenderent inaures, *re effigiata*
ídque ad maiorem oris venuſtatem: Geneſ. c. 24. *Turtur.*
verſ.47. *Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem* Gen.23.
*eius , & armillas poſui in manibus eius* ; in his effi-
giatam Turturem , non alium ob finem , quàm
vt moneret pudicam eſſe & verecundam , quæ
Virgo eſſet , vti ſuperiùs intelleximus à Ma-
crobio circumtuliſſe Romanos Pueros Cor-
dis formam , quæ prudentes & cautos eſſe in-
ſinuaret.

Cùm autem Margaritæ fuiſſe videantur , ex 9.
quibus inaures adiunctis Circulis de pretioſio-
ri Metallo : id Parœmiaſtes ſubindicat cap. 25.
verſ. 12. *Inauris aurea & Margaritum fulgens , qui* Prou.25.12.
*arguit*



Polychron. *arguit ſapientem* : Polychronius relatus à noſtro
Sanchez. Sanchez ad cap.3. Iſaiæ numero 41.inaurem de-
*An potuerit* ſcribens : *Ornamentum eſſe* , inquit , *quod circa ca-*
*Turtur in* *put ponitur , pretioſum quidem , ſed habens Margari-*
*Gemma ſeu* *tam ad naſum vſque pertinentem* : quando gemma
*Margarito* ſit exiguæ molis , dubitaturus ſit quiſpiam , quo-
*ſculpi.* nam modo Turtur inſculpi potuerit? Verùm di-
ximus in Antecedentibus numero 6. Senecâ ſuf-
fragante binos ac ternos copulari ſolitos vnio-
nes , quo iuſtæ , aut raræ potiùs magnitudinis
aliquem facerent : ergo ex plurium allegatione
Turtur conflari poſſit. Equidem & Simon Ma-
Maiolus. iolus eo opere , quod Canicularium dierum in-
ſcripſit , Colloquio 18. §.*Oriuntur pluribus* , &c.
Ouied. ex Ouiedo Hiſpanico Indicarum Rerum Narra-
*Vnionum quæ* tore , refert dicere illum lib. 19. cap. 8. repertos
*magnitudo?* vniones ad oui gallinacei amplitudinem : Quæ
tanta magnitudo etſi veteres latuerit : nam aliàs
citatus antiquus Poëta Marbodæus canit :

*Vltra ſeminucem concreſcere nulla putatur.*

Marbod.
Alard. Eius Scholiaſtes Alardus non medium Nucis ſi-
gnificari arbitratur , ſed ob verſum pro *ſemiunce*
poſitum *ſeminucem*,Plinij ductus authoritate, in-
Plin. quientis lib.9. cap.35. *Pondus ad hoc æui ſemunciæ,*
*pauci ſingulis ſcrupulis exceſſere* : Sed rectè in No-
Dalecamp. tis ad eundem à Dalecampio animaduerſum apud
*Margarita* Indos modò reperiri , quæ pendant centum ſe-
*apud Indos* xaginta grana Hordei : Nam & credidit vetuſtas,
*160. granorū* vt eodem teſtatur capite Plinius , nullos duos,
*Hordei.* qui indiſcreti eſſent , inuentos , vnde nomen
Acoſta. vnionum : Noſter Acoſta lib.4. de natura noui
orbis cap.15. quanquàm raró contingere fatea-
tur omninò ſimiles reperiri , tamen à ſe pares
aliquos viſos : igitur & in hoc genere vnionum
tam conſpicuæ molis Turtur effigiari poſſit.
Quid verò ſcrupulamur de vnionum magno
corpore , cùm Ioannes Vrbem deſcribens mu-
rorum & ambitu & altitudine inſignem ad-
modum,referat ſingulas portas ex ſingulis Mar-
Apocal.21. garitis fuiſſe? Apocal. cap.21. verſ.21. Sin autem
quiſquam aſſerat eiuſmodi valuas Menſuram
non ſupergredi eorum, quæ apud nos ſunt vnio-
num , cùm dicat Seruator,Matth.cap.19.verſ.24.
Matth.19. *Facilius eſſe Camelum per foramen Acus tranſire,*
24. *quàm diuitem intrare in Regnum cœlorum* ; neque
enim ſi aditus tam anguſtus , neceſſum eſt gran-
dem exiſtimaſſe Margaritam , ſatis refutat Alca-
Alcazar. zarius in Commentario , & Chriſti expla-
nat verba , nec tamen ipſe diligentiſſimus Ex-
plorator Hiſtorici ſenſus , quos veros & ma-
teriales vniones intelligeremus , declarauit,licet
ingentia illa Margarita ſentiat : Sed quid vetat
à Deo produci poſſe alias , atque alias vnionum
ſpecies , quæ non tantùm eſſentiali perfectione
ſed quantitatis mole cognitos adhuc ſuperent?
Quod ſi & Margaritæ quidem eo gignantur mo-
do , quo à Photio traditum eſt , neque ſi pluri-
mùm excreſcant , admirandum fuerit : refert ex
vita Apollonij , quam Philoſtratus ſcripſit , nu-
mero 241. pag. editionis , quæ penès nos eſt,
1007. De Inſulæ Seliræ habitatoribus inquit :

*Inde Maris tranquillitatem obſeruantes mare oleo*
*infuſo leniunt , & tunc Indi ad oſtrea capienda vri-* Photius.
*nando ſe demergunt , ita inſtructi , paratique ſunt,*
*ſicut ij qui ſpongias carpunt : eſt autem his ferreus*
*later , & alabaſtrum vnguenti , atque ita prope oſtrea*
*conſidentes Indi , vnguento quaſi eſcâ ad fallendum*
*vtuntur ; tunc aperiuntur oſtrea , & vnguento ine-*
*briantur , deinde ferreo ſtylo perforata ſaniem quan-*
*dam emittunt ; hanc venator ferreo latere excipit ,*
*qui in varias , multiplicéſque formas concauatus*
*eſt : ea verò poſtmodum lapideſcit in modum natu-*
*ralis Margaritæ , quæ albus eſt ſanguis ex rubro*
*mari.*

Sunt qui putent , non laudaſſe Sponſum or- 10.
namenta vel faciei , vel Colli Sponſæ , neque
enim habuiſſe aliqua exiſtimant ; cuius opinio-
nis Didymus in Catena Græca : μόνον οὐχὶ λέγων ὁ Didym.
τράχηλός σου ὁρμίσκῳ περίκειται : *penè aſſerens , Cer-* *Ex aliquorū*
*uix tua non eſt Monili circumdata* : Quid igitur? *ſententia,non*
arbitratus eſt pulchritudinis vultus tantam *commendat*
eminentiam fuiſſe , ſic à natura venuſtatam Cer- *hic Sponſus*
uicem , vt neque Margaritorum , neque inau- *Sponſæ moni-*
rium indigeret vſibus : Opem ab externis admi- *lia aut orna-*
niculis petant , quibus vulgaris eſt oris gratia, *menta, ſed*
vincunt genæ tuæ rubore Turturum maxillas, *ipſum vultus*
cùm plus rufeſcunt , vincit niuea Ceruix can- *decorem.*
dore orbium finibus accerſitos vniones , ſuper-
uacanea eſt Ars , quando Natura condecorare
præoccupauit : Sic de externa apud Petro-
nium :

*Guttura nunc aliæ magnis monilibus ornent :* Petron.
*Aut gemmas aptent capiti : Tu ſola placere*
*Vel ſpoliata potes.*

Ad noſtrum ſcopum.Orig.hom.1.ex duabus : *Ita* Origen.
*& ſine hoc decore & tuum ipſum Collum eſt ornamen-*
*tum*.Diſtinctè & profusè Bern.ſerm.41.ſub initio:
*Solet ornari collum Monilibus , non ipſis comparari :* Bernard.
*Sed hoc illæ faciant , quibus quia de proprio non ineſt*
*decor , aliunde neceſſe eſt mendicent vnde ſe ſpecio-*
*ſas mentiantur : Nam Sponſæ collum ita in ſeipſo*
*formoſum, & tam decenter quaſi naturâ formatum eſt,*
*vt extrinſecùs, non requirat ornatum : Quid enim opus*
*eſt peregrinorum fucos adhibere colorum , cui propria*
*& tanquàm innata ſufficit pulchritudo , in tantum, vt*
*ipſorum quoque , quæ ad ornandum quæruntur Moni-*
*lium poſſit adæquare nitorem? Hoc nempe intelligi vo-*
*luit , qui minimè quidem à Collo ( vt aſſolet , ) pendere*
*Monilia , ſed ipſum potius eſſe ſicut Monilia dixit :*
Quo autem fundamento aſſeueramus Monilibus
& gemmis caruiſſe Sponſam? Num quia agreſti &
ſubobſcuro loco nata ſit? Rus autem gemmarum
luxu careat? Verùm,vt in Tranſactis oſtendimus
Veſtigat.3. n. 1. dum Ieroſolymis commoraretur
Sponſus, miſit pretioſa donaria ad nouam nu-
ptam:in quibus lapilli ſingulares , & Margarito-
rum pondera : ita quidem accidit,ſed cùm Virgo
eſſet,quæ fidem nouo Marito inſignem conaretur
ſeruare , putauit verecundam non decere Nu-
ptam , vt in abſentia conſortis affectaret com-
poni ad decorem , abſtinuit proinde ab or-
natu.

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus*: Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut Turturis: Collum tuum ſicut Monilia. *Cap.* 1. *verſ.* 9.

*Virginis intellectiua & affectiua potentia quantis nobilitatæ donis? Magiſtra Apoſtolorum: Pudicitia, & erga Chriſtum Amoris conſtantia: Quale bonum opus Epiſcopatus deſiderium? qualis Antiſtitum perfectio? credita Eccleſia excolendæ priuſquàm ad aliam tranſeant.*

### Sectio Vnica.

*B. Virgo Eccleſiæ Chriſtiana Gena.*

11\. CHRISTVS ex mortuis rediuiuus, cùm ſuperiori verſu pollicitus eſſet, ornandam à ſe nouam Eccleſiam mirificis donis, modò auſpicatur à ſingularibus Membris: & ſanè cùm ipſe caput eſſet omnem plenitudinem habens, eo prætermiſſo, quod inexhauſta eſſet diuitiarum vena, ad genas tranſit, quibus ſignificari Deiparam Mariam arbitremur, nobiliſſimam Eccleſiæ portionem: Hanc verò intuetur tot cumulatam opibus: vt quemadmodum in Humana Expoſitione dicebamus præ Gemmarum multitudine obruta lineamenta vultus & Colli Sponſæ, vt diſcerni vix poſſint: ſic quaſi in Virgine quod Naturale erat velut à cæleſtium gratiarum diluuione abſorptum. Primum quidem id de Spiritus ſancti chariſmatis, quibus Deo amabilis redditur Anima, & ſanctitudinis apicem attingit, Quæ vſque eò proceſſit, vt non ſolùm in donis gratiæ & gloriæ ſuperauerit Angelorum, Hominúmque ſingulos diuiſiuè intellectos, ſed vniuerſos pariter ſimul & collectiuè ſumptos: Quam ex noſtris amplexati fuêre Theſim Suarius tom. 2. in 3. partem, diſp. 18. ſect. 4. Barradas lib. 6. Concordiæ cap. 16. Quos allegat & ſectatur, P. Petrus Antonius Spinellus opere de Virginis encomio, cap. 6. n. 11. Nam quid vetat Deum eiuſmodi habitum gratiæ à principio infudiſſe Virgini, cuius in operando vigorem actiuitatémque, quocumque demũ modo componãtur gradus intenſionis ex Heterogeneis, vel Homogeneis, nullus vnus nõ dicam Hominũ, Angelorúmve ſecundum potentiã ordinariam ſuppoſito ſtatu eleuationis ad finẽ ſupernaturalem vltimum, ſed ne omnes congregatim, aſſequi valeant? de facto autem ſic contigiſſe ſanctorum Patrum effata ſubindicant, quorum plurima apud nominatos Auctores: Eum in ſenſum Cardinalis Petrus Damianus ſerm. de Aſſump. *Quoniam Sol lucidius incandeſcens, ita ſibi ſyderum, & Lunæ rapit poſitionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint: ſimiliter & virga Ieſſæ veri præuia luminis in illa inacceſſibili luce prælucens, ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt ſint quaſi non ſint; & comparatione illius, nec poſſint, nec debeant apparêre.* De latitudine verò eorum, quæ promerita eſt cùm Angelo Chriſti Incarnationem pronuncianti aſſenſit Sanctus Bernardinus Senenſis tom. 2. Concionum, ſerm. 51. art. 3. c. 1. *Ex his igitur colligi poteſt, Virginem Beatam in Conceptionis Filij Dei conſenſu, plus meruiſſe quàm omnes Creaturas, tam Angelos, quàm homines, in cunctis actibus, motibus, ac cogitationibus ſuis: nempe omnes, qui meruerunt, nihil aliud potuerunt mereri, niſi ſecundum varios ſtatus & gradus gloriam ſempiternam: Hæc autem Virgo in illo admirando Conſenſu meruit totalem fomitis extinctionem, dominium, & primatum totius orbis, plenitudinem omnium gratiarum, omniũ virtutum, omnium donorum, omniũ Beatitudinum, omniũ fructuum ſpiritus, cunctarum Scientiarum, interpretationes Sermonum, ſpiritus prophetiæ, diſcretiones ſpirituum, operationes virtutum*, &c. Sed Elias, qui in ſtatu merendi, quando ſublatis vitæ huius grauaminibus ſemper operari valeat, Nonne tot ſæculorum Lucra Virginis adæquatura ſunt fœnora? Negant in via adhuc eſſe, proinde nec meriti capacem, Vazquez tom. 2. in 1. 2. diſp. 216. c. 4. n. 38. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 55. ſect. 1. & tom. 3. de gratia lib. 21. cap. 15. n. 9. Zumelius tom. 2. in 1. 2. q. 214. de Merito art. 1. difficult. 2. poſt Concluſionem 3. §. *dices forſan*, &c. Granados in 1. 2. Controu. 8. tract. 11. diſp. 2. ſect. 1. n. 2. Ludouicus de Torres opuſc. 8. dub. 7. Tannerus tom. 2. diſp. 6. dub. 2. n. 45. Barradas tom. 4. lib. 9. c. 4. §. *non eſt*, &c. A Lapide in c. 5. Geneſ. quæſt. 3. Gaſpar Sanctius ad cap. 2. lib. 4. Reg. num. 31. & in ſimili, nimirum de Enoch Pererius tom. 1. in Geneſ. lib. 7. quæſt. 5. At quanquam non eſſet verior opinio, quæ Eliæ, poſt ſublatum illum, ſicut & Animabus quæ ſunt in Purgatorio, Meritum denegat; imò ſententia, quæ Virginem plus meruiſſe affirmat, quàm omnem puram Creaturam, quæ gratiã gloriam æternam merente, donata eſt, collectiuè ſumptam, inde corroboranda eſſet: neque enim tueri audent Eliam coæquaturum Virginis Lucra, quod ne dicere cogantur, neceſſum eſt ſentiant tali ab initio præmunitam gratiâ, ad quam Elias quanquã per tam longum æuum continuo operans, nunquam tamen accedere valeret.

*Maria in gratia & gloriæ donis ſuperauit omnes & Homines & Angelos collectiuè etiam ſumptos.* Suarez. Barradas. Spinellus. Damian. S. Bernardin. Senenſ. *Dum Chriſti Conceptioni conſensũ præbuit Virgo, plus meruit, quàm omnes vnquam ſiue homines, ſiue Angeli.* Vaſquez. Suarez. Zumel. Granad. De Torres. Tannerus. Barrad. A Lapide. Sanchez. Perer.

12\. Iam de intellectus Beatæ Virginis perfectione præclariſſimè Bernardus ſerm. *Signum Magnum*, &c. *Iure* (inquit) *Maria perhibetur ſole amicta, quæ profundiſſimam diuinæ ſapientiæ vltrà quàm credi valeat, penetrauit abyſſum: vt quantum ſine perſonali vnione Creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili videatur immerſa:* preſſiùs & quaſi iuxta ſcholarum morem Magnus Albertus cap. 149. *Beata Virgo in cognitione ſua plura habuit priuilegia* (loquitur Tractatu ſuper Miſſus eſt:) *Primum eſt*

*Bernard. Quanta Intellectus B. Virginis perfectio.*





*perfecta cognitio Trinitatis Dei ſine medio, quam habuit in via per ſpecialiſſimam gratiam. Secundum eſt perfecta cognitio Myſterij Incarnationis, & hanc habuit per gratiam & ſingularem experientiam. Tertium eſt cognitio ſcientiæ Prædeſtinationis, quam habuit per reuelationem, & cauſam: Quartum eſt Animæ ſuæ & ſpirituum per ſpecies proprias cognitio, quam habuit diſpoſitiuè per naturam, & completiuè per gratiam, & ſecundum hanc vidit Angelos, Animas, & dæmones. Quintum eſt perfecta cognitio omnium ad ſtatum viæ pertinentium, quam habuit per gratiæ infuſionem, & inſpirationem, & hæc comprehendit perfectam cognitionem Scripturarum, operandorum & Contemplandorum. Septimum eſt omnium ad ſtatum patriæ pertinentium percognitionem, quam habuit per Contemplationis Reuelationem. Octauum eſt, omnium Creaturarum ſtantium cognitio, quam habuit per naturam, & gratiam, & Contemplationem. Nonum eſt, quod habuit matutinam & veſpertinam cognitionem; matutinam per gratiam, & veſpertinam per naturam & gratiam: Decimum eſt Concluſio ex prædictis omnibus, quod nullius propriè habuit ignorantiam.* Tantis igitur pretioſam Donis & voluntatem & intellectum Deiparæ cernens velut adſtupeſcit, & inquit, quaſi nouo ornatu non indigêre quæ tam locuples ſit, ſatis iam condecoratam eſſe, quæ tantâ abundet ſubſtantiâ.

Albert. Magn.

13\. Quorſum verò ſic commendet genitricẽ? Abiturus erat in cœlũ poſt quadraginta dies: Ne igitur Pręceptore ſe deſtitui noua cõqueratur Eccleſia, quando Matrẽ ſubire vices Magiſterij ſui decreuiſſet, voluit, perciperent diſcipuli & Credentium manus, ſub quam nobili reliquiſſet Pędagogiâ: Nam vt probè monuit Ambroſius lib. 2. de Virginibus ſub initium: *Primus diſcendi ardor Nobilitas eſt Magiſtri: Quid nobilius Dei Matre?* Et quidem poſtquã filius abiit, erudiuit mirabiliter Apoſtolos, & Euangeliſtas, quare collũ rectè nũcupata, per quã Sapientiæ cibus ad reliquum Eccleſiæ corpus traiectus, vnde pius Idiota lib. Cõtemplationum de B. Virgine, c. 3. *Species Columbæ conſiſtit in ſimplicitate, pulchritudine oculorum, colorũ mutatione & varietate circa collum: Sic tua ſpecies, ô Beatiſſima Virgo Maria, conſiſtit in humilitate, pulchritudine ſanctarum cogitationum, & doctrinæ varietate, quæ in collo intelligitur; Quia doctrix fuiſti Doctorum, & Magiſtra Apoſtolorum: vnde & Beatus Lucas, cui inter cæteros Euangeliſtas deſcriptio Dominicæ Incarnationis attribuitur, Euangelij ſeriem à te Maria didiciſſe traditur.* Sancta Birgitta in ſermone Angelico, cap. 19. *Erat enim Magiſtra Apoſtolorum; Apoſtolis namque ad ſe venientibus, omnia, quæ de filio ſuo perfectè non nouerant reuelabat, & rationabiliter declarabat:* Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laudibus Mariæ: *Maria Apoſtolorum Magiſtra facta eſt, qui noſtri poſtea Magiſtri facti ſunt & aſcendente Domino docuit nouum teſtamentum, quod ad docendum nos ijdem Apoſtoli conſcripſerant.* Quam Mariæ Prærogatiuam libenter admittunt atque extollunt, Patrúmque ſuffragiis ſtabiliunt, Caniſius libro 5. de Deipara, cap. 1. Chriſtophorus de Caſtro Hiſtoria de eadem c. 18. num. 3. Rutilius Benzonius ſuper *Magnificat* lib. 1. c. 14. Et cæteris copioſiùs multò Petrus Antonius Spinellus c. 19. Qui ex Gabrielis ſupplemento in 4. diſt. 49. q. 4. art. 3. dub. 2. hanc ob cauſam ſublimiſſimâ Doctorum Aureolâ in cœlis coronatam aſſerit. Rupertus Abbas lib. 1. Commentariorum in hoc Epithalamium, poſtquam *Magiſtram Magiſtrorum*, hoc eſt Apoſtolorum appellauit, Conciciorum omnium primo, nimirùm Ieroſolymitano illo, in quo altercatum eſt de Iudaicorum Rituum obſeruantia, præſediſſe viſus eſt ſignificare quanquàm id Lucas minimè recenſeat in Actis Apoſtolorum: *An quia loco ſuprà memorato de Actibus Apoſtolorum* (inquit) *vbi facta ſeditione propter cærimonias Iudaicas, conuenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de hoc verbo, nullam tui mentionem Scriptura fecit, idcirco putandum eſt, quod Conuentus ille omiſerit, & ſanctum de tuo pectore, & de tuo ore Spiritum non conſuluerit? imò & illic, & in cæteris agendis, tu Princeps omnem ſoluiſti Quæſtionem; ita tamen vt non clamares, neque contenderes, neque audiretur vox tua foris; Quia ſicut ante nos dictum eſt, Tu ſola Virgo, quæ vniuerſam hæreticam prauitatem interemiſti:* atque hanc cogitationem licet Benzonius vbi ſuprà c. 13. noſtro tribuat Caniſio loco ibidem memorato: ille tamen ſub conditione loquitur, & non abſolutè propria ex ſententia: negat acriter dictus Author: Nemo tamen inficiabitur de agendis conſultam ab Apoſtolis B. Virginem, cuius regerentur monitis, & Spiritus ſancti explorarent inſinuationem: Vt Flauius Dexter expreſſit anno Chriſti 34. *Sacra Virgo conſilio, luce, doctrinâ & mirabili vitæ exemplo præſidet collegio Apoſtolico; nihilquè graue gerunt illi, quod non eius conſilio, ductúque gerant:* Quonam more *præſidendi* interpretandum ſit verbum, docet Viuarius Commentario 6. in relatum annum; neque enim caput fuiſſe Eccleſiæ quod Petro datum eſt, innuit; Sed reuerentiã Apoſtolorum erga illam denotat, ſine cuius directione, difficiles non determinabant quæſtiones: vide & noſtrum Inchofer de epiſt. B. Virginis ad Meſſanenſes, cap. 1. §. *Decuit autem*, &c. Quod ſi illa quidem præſideret, non eſt quod inde ad alias fœminas duci argumentum poſſit, cùm Mariæ ſemper ſpecialia concedenda ſint.

Ambroſ. *Maria poſt Chriſti diſceſſum, Magiſtra Apoſtolorum, & Euangeliſtarum.* Idiot. S. Birgitta. Richard à S. Laurent. Caniſius. A Caſtro. Benzon. Spinell. *Primo in Ieroſolymis Apoſtolico Concilio nõ præſedit Maria?* Rupert. Abb. Flau. Dexter. Viuar. Inchofer.

14\. Quod etiã Virginem Matrem Turturi aſſimilauerit Chriſtus poſtquam reſurrexit, fortaſſe ad planctũ reſpexit in triduo Mortis ipſius, & viduæ ſolitarios gemitus: Quemadmodum enim pudica hæc volucris conſorte amiſſo, mœſtũ ducit reliquũ æuum, & neque ſylvę conſolantur, neque ridentes vndæ ſtrepentium Riuulorũ, non læta veris Tempeſtas, non Auicularum cõpoſiti ſoni; Nemorum ſecreta petit, vbi ſine teſtibus ſingultat profundè: Sic domi recluſa Virgo intemerata, cũ eſſet facta quaſi Mare Contritio eius, edebat voces illas, quas Beatus Ephrem in Threnis Deiparæ refert: *Reſpice fili mi lachrymas meas, attende ſuſpiria mea ac gemitus, & os tuum aperi: Solatium mihi præbe fili mi: Non enim habeo prorſus vbi vel caput reclinem: Non alius mihi ſupereſt cognatus, Pater, vel Mater, frater, aut ſoror, qui animum mihi reddant: Tu mihi es Pater, tu frater, tu filius: Tu mihi vita, & Spiritus, ſpes, atque protectio: Tu mea es Conſolatio, Tu Dominus meus & Deus meus, Tu Creator & opifex meus:* de hoc ingenio Turturis Baptiſta Mantuanus lib. 2. Parth.

*B. Virgo in triduo mortis Chriſti gemebũda Turtur.* S. Ephrem.

*Sicut vbi amiſſo thalami Conſorte per agros*
*Sola volat Turtur, nitidis nec potat in vndis*
*Ne Comitis priſci triſtetur imagine viſà,*
*Nec viridi poſthac fertur conſidere Trunco.*

Mantuan.

Quod aſſerunt in hunc locum ex Canticorum Enarratoribus aliqui, præſertim Theodoretus: Magnus Baſilius orat. 8. Ambroſius lib. 5. Hexam. c. 19. *Itaque iterare coniunctionem recuſat; nec pudoris iura, aut complaciti viri reſoluit fœdera: illi ſoli ſuam charitatem reſeruat, illi cuſtodit nomen vxoris:* Quæ autem in defunctum ſocium ſic fida inuenitur, viuentis indiuiſã Comitẽ quis ignoret: ſola Mors

Theodoret. Baſil. Ambroſ.

Athenæus.

ſeparare turtures valeat. Athenænus lib.9.Dipnoſ. *Nec verò ad interitum vſque deſèrunt aut Maſculos fœminæ, aut fœminas Mares, ſed alterutro mortuo ſuperſtes agit vitam:* equidem & genitrix illa ſacra, cùm deſtitueretur filius eius à chariſſimis Diſcipulis, nullæ eam minæ terrêre potuerunt, vt à filio patiente diſcederet: vnde Metaphraſtus

Metaphraſt.

Oratione de vita & dormitione Deiparæ: *Erit inter Virginis magnalia & præclara, ſi oſtenderimus, eam fuiſſe perpetuo verſatam cum filio, & ei ſemper aſſedisse: & ne in tempore quidem rerum aduerſarum, nec in Paſſione fuiſſe ab eo ſeparatam, quando & Diſcipuli, & Amici, & omnes noti alij quidem ipſo omnino relicto, ſe in pedes coniecerunt: Alij verò, cùm paululum expectaſſent, negauerunt.* Ambroſius lib.3.

Ambroſ.

epiſt.25.ad Eccleſiam Vercellenſem: *Fugientibus Apoſtolis ante Crucem ſtabat, & pijs ſpectabat oculis filij vulnera.*

15\. Nihil autem tam commune iis, qui de Virgine Beata hæc intellexêre verba, quàm ad ſummam eius Humilitatem, verecundiam, pudorem, modeſtiam retuliſſe: *Quum Virginem Mariam equo*

Cantacuzen.

*aſſimilauerit* (ait Cantacuzenus) *vt oſtenderet eam minimè fuiſſe mente elatam, eius repetit humilitatem, & manſuetudinem.* Et de verecundiæ honeſtiſſimâ

Rupert. *Deiparæ Humilitas, verecundia, Modeſtia.*

gratiâ Rupertus Abbas ad longum: Nam cùm omni virtute fulſerit ad ſtuporem Mater Domini, tamen quas memorauimus ſpecialiùs dilexiſſe videatur; neque mirum, cùm dicat Chryſoſto-

Chryſoſtom.

mus hom. in Domini Hypopant. *Beata Maria vltra omnem humanæ naturæ modum, Modeſtiam, atque Temperantiam excoluit, ac ob hoc vniuerſorum Dominum in vtero geſtare promeruit: Quod ſi quæ Virgo aliâ maiori Modeſtiâ, vel ampliori puritate præter hanc exornata extitiſſet, illam ſibi Dominus præ hac ipſa omnino in habitaculum elegiſſet.* Ambroſius

Ambroſ.

lib.2.in Lucam: Et ingreſſus ad eam (inquit) Angelus: *Diſce Virginem moribus, diſce Virginem verecundiâ, diſce Virginem Oraculo, diſce myſterio: Trepidare Virginum eſt, & ad omnes viri ingreſſus pauere, omnes viri affatus vereri.* Et Bernardus ſerm. de ver-

Bernard.

bis Apocalypſis ſignum Magnum apparuit, &c. *Gratiſſima ſanè gemma in diademate, micans in capite ſtella, Rubor in facie hominis verecundi: An verò quis putet, quod hac caruerit gratiâ, quæ gratiâ plena fuit? Pudibunda fuit Maria: ex Euangelio id probamus: vbi enim aliquando loquax? vbi præſumptuoſa fuiſſe videtur?* Nazianzenus in Tragœdia, *Chriſtus patiens:*

*Eheu pudicas inter, & pulcherrimas*

*Atque venerandas prima.*

Monſtrauimus Veſtigat.2.n.54.ſic pudicam fuiſſe Dei Matrem, quæ ſolo aſpectu ſuo bonos mores conciliaret, & licentiam comprimeret petulantium: neque prætereundum, quod Galatinus aſſeuerat lib.7. de Arcanis, cap.5. Deiparam ſcilicet,

Galatin. *Oculorum in Virgine modeſtia.*

*Vſque adeò Modeſtiam coluiſſe, vt eius oculi nihil inhoneſti, nihil illiciti aſpexerint, imò vt oculos nunquam eleuarit, ſicut cæteri homines facere ſolent; ſed ſemper, niſi Deum oraret, humi defixos tenuerit; atque inter cæteras Perfectiones eo ſpiritu Prophetiæ donata eſt vt ſi fortè aliquid inconceſſum, ſeu illicitum, vel auditura, vel viſura eſſet, illico eius aures & oculi clauderentur, ita vt non niſi voluntati diuinæ deſeruire viderentur.*

16\. Sed quod diximus in Literæ expoſitione, his occurrere verbis Sponſum iis, quæ ob liuorem Sponſæ detrahebant, quæ cùm eſſet venuſtiſſima facie, & candore imprimis excelleret, ipſa vt vinceret Margarita, ſubfuſcam & atratam referebant ſicut Tabernacula Cedar: ita etiam opinabimur eorum refutari ſpiritaliter opinionem qui Mariam ſacratiſſimam originalis delicti tenebris denotatam aſſerere non ſunt veriti: Hallucinari autem eos apertè, quando genæ illius ſicut Turturis,

*Refellitur hic myſticè de Virginis maculata Conceptione opinio.*

hoc eſt Chriſto ſimilis pulchritudo: Nam Turture ſignificatum Saluatorem oſtendimus ex Hieronymo ſuperius n.2. & in hunc ipſum verſum commonſtrat Aponius: huic igitur Turturi ſingulariſſimè proxima Virgo, Quoniam velut ipſe quanquã excellentiori imprimis modo, ab omnis peccati ſiue actualis ſeu originalis notâ liber prorſus, ita & de eius beneficio Mater quoque: rectéque vtriuſque Mũditia Turture repræſentata, vo-

*Turturis mũdities, & Columbæ.*

lucri nempe, cui inuiſus fœtor & ſordes, de qua

Varro.

Varro lib.3.de re Ruſtica, c.8. *Turturibus item locum conſtituendum, ſicut de Columbis dictum eſt, quod habeat oſtium, ac feneſtras, & aquam puram, ac parietem & Cameras munitas tectorio:* dixit verò probè, ſicut de Columbis traditum eſt, Tum quia ex Columbarum genere Turtures: tum quia ingenium & mores imitantur ferè: Columbæ autem nitidiſſimæ ſunt, dequibus Poëta exul:

*Aſpicis vt veniant ad candida tecta Columbæ,* Ouid.

*Accipiat nullas ſordida Turris aues.*

Baſil. Cappad.

Baſilius Cappadox in Pſalm.33.omnem fœtorem expellere ſcribit: Marcus Varro dicto nuperrimè lib.cap.7.permundas volucres appellat: ideo niueum pauimentum, niuea tecta cum parietibus adamauerint: quare præcipit Columella lib.8.c.8.

Columell.

*Totus autem locus* (inquit) *& ipſæ columbarum cellæ poliri debent albo tectorio, quoniam eo colore præcipuè delectatur hoc auium genus;* quem ædificij colorem innuit Martialis lib.12. epig.17.

*Quæque natat clauſis anguilla domeſtica Lymphis,*

*Quæque gerit ſimiles candida Turris aues.*

Eam quoque à Iudæis in Columbariis obſeruatam normam cum dealbatis muris aduertit in deſcriptione Ieruſalem n.196.Chriſtianus Adricho-

Adrichom.

mius, nam ad meridiem Oliuetani Montis quinque mille Columbarum Turrim capacem fuiſſe memorat candidam totam.

17\. *Antiſtites Genis Sponſæ ſignificati.*

Poſſunt Genarum nomine intelligi Eccleſiarum Antiſtites, nam in ipſis pulchritudo Eccleſiæ maximè relucêre debeat, qui cæterorum Magiſtri ſupponuntur: His autem quænam tradantur documenta? Num fortaſſè, vt quemadmodum Turturis vnum eſt tantum coniugium, ſic & ipſi vnam dilexerint Eccleſiam, neque ſi tenuiorem ſortiantur, ſtudio omni procurent ad opulentiorem conſcendere? dolendus planè eſt quorumdam abuſus:

*Sit vna vni Prælato Eccleſia.*

Equidem ſi Chriſti Vicario in terris ad Dei laudem conducere videatur, vt poſtquam creditum gregem magnarum virtutum Antiſtites probè excoluerint, ſaltem laborauerint impigrè, ad illuſtriores transferantur Epiſcopales cathedras, id emolumenti plurimum habiturum ſit: ſed vexare Patrem ſanctum optimatum ſupplicationibus, vt ad clariores euehat infulas ante cognitum penè gregem, Res eſt, quam tanti officij reſpuat integritas, & ſincerior fides: Quid verò Paulus gentium Doctor, cùm de Epiſcopo ſentit? equidem meritò definit, bonum opus deſiderare: At quid operis vocabulo incluſit? Hieronymus luculentè

Hieron.

ep.83.ad Oceanum: *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; opus, non dignitatem; laborem, non delicias: opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio:* & in c.3.Sophoniæ: *Videte quid dixerit; Bonum opus deſiderat, non dignitatem: Si autem*

Idem.

*deſpecto opere, ſolam adſpexerit dignitatem, citò corruit Turris in Siloa, & excelſa Cedri fulmine feriuntur, & erecta Ceruix frangitur, & Cygnus extento Collo, & in ſublime ſe tendens, inter immũdas volucres deputatur:* Cedo, Num qui ad opimos, & quarum magnifica





eſt pompa, tranſuolare Hierarchatus anhelant, illi onus & laborem potiùs, quàm ſplendorem & quietem ambiunt, & vt habeant, quibus Nepotum domos extollant? Equidem, ſi fatigari cuperent, habebant in anguſti cenſus Epiſcopatu quibuſcum deſudare poſſent: dum verò onus ſubter-

*Epiſcopatus, bonum opus, non bonæ opes.*

fugiunt, videant ſi Epiſcopatum deſiderantes, bonum opus ſanè iuxta antiquorum Patrum opinionẽ deſiderant, vel vt quidam falsè aiebat apud noſtrum Iuſtinianum in præfata Apoſtoli verba, potiùs bonas opes: Egregiè S. Petrus Damianus

Damian.

lib.2.ep.1. *Qui Epiſcopatum, inquit, deſiderat, Bonum opus deſiderat: Non dixit: Bonam dignitatem, vel bonum honorem deſiderat, ſed qui Epiſcopum deſiderat, bonum opus deſiderat; ac ſi dicat: qui ad Epiſcopatum anhelat poſſidendum ſine bono opere, inane vult nomen induere ſine rei ipſius veritate: Non ergo conſiſtit Epiſcopatus in turritis Gebellinorum, tranſmarinarúmve ferarum pileis, non in flammantibus Martorum ſubmentalibus Roſis, non in bractearum circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis conſtipantium Militum cuneis, neque in frementibus, ac ſpumantia fræna mandentibus equis: Sed in honeſtate morum, & ſalutarium exercitatione virtutum:* Feſtiuè animaduertit Richardus Victorinus in Apocalypſim ſcribens, Epiſcopos, c.3.v.1.Stellis comparari, non autem Planetis: Quod fateor ipſum ad Mentis

Richard. Victorin.

propoſitum referre, dum inquit: *Epiſcopi rectè comparantur, non Planetis, quia in eodem ſtatu iuſtitiæ debent ſtare, non per diuerſa vitia ſemetipſos permutare, & Conuerſationem habêre in cœlo per Contemplationem, & ſubditis præbere lucem per cœleſtis Sapientiæ prædicationem, & bonorum operum claritatem:* Puto ad noſtrum ſcopum floridè detorqueri poſſe ſimilitudinem: Nam Planetarum eſt huc, illúcque vagari, & diſcurrere errabundis luſibus: Stellæ fixa habent loca: monentur itaque Eccleſiarum Antiſtites ſtabilem inire amicitiam primis cum ouibus, quas ſi relinquere oporteat, id faciant poſtquam validas & pingues reddiderint, & non niſi eius imperio cõpulſi, qui ob Poteſtatis eminentiam cogere poteſt, vt quod de Cornelio optimo Pontifice teſtatus eſt Cyprianus lib.4. ep.2.

Cyprian.

eorum ſubſeruiat encomiis: *Deinde Epiſcopatum ipſum nec poſtulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, inuaſit: Sed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueuerunt, qui ad hũc locum diuinitus eliguntur: pro pudore Virginalis Conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenita ſibi, & cuſtoditæ verecundiæ, non vt quidam vim fecit vt Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt, vt Epiſcopatum coactus exciperet.* At de hac materia ſingulari cum Zelo

Bellomont.

ſecũdum Theologicæ diſputationis neruos Bellomontanus noſter tom.3.in 3.part.diſp.241.Iã verò illud quale eſt, vt interim dum noui infulatus ſpes componitur, Paſtorem oues non cernant, aula videat? querebatur olim Athanaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus, nã ſcribens Epiſcopo Apameę tom.13.Biblioth.Magnę vet.PP.Coloniẽ-

Athanaſ.

ſis ſub finẽ: *Verùm nouum conſilium, & ſceleratum hîc à noſtræ ætatis hominibus excogitatum eſt: ſcilicet, mittitis aliquem qui ſciat mulgêre gregem: ipſi verò in vrbe Conſtantinopole expectatis propter præfecturas ciuiles, ſubſcriptiones, intempeſtiuas ordinationes; adde etiam Bullas & decreta: & tanquam impune ſit vobis futurum; ita procul à Diœceſi vobis commiſſa receditis:* Dignæ ſunt illæ Epiſtolæ, quæ legantur ab Antiſtibus: Sed & dignæ Principum auribus quibus Imperatorem adhortatur, ne permittat vacuos eſſe

Idem.

Paſtore Epiſcopatus: *quid iuſtius* (ait) *quàm ſi Epiſcopus quiſque iubeatur, velit nolit ad Diœceſim ſuam redire: Annon hoc debitum ſoluere tenentur, idque Canone ſancitum eſt?*

18\. Vitæ autem candor, qualis eſſe debeat, cùm Margaritæ in exemplum deſumuntur? Chryſoſto-

Chryſoſt. *Quid ſit Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe?*

mus in illud Pauli 1. ad Timoth. c.3. v.2. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe,* &c. *Hoc vnico verbo genus omne virtutis expreſſit: itaque qui ſibi vel leuis culpæ conſcius eſt, malè profectò facit: Non enim decet huiuſmodi regere, ſed potiùs regi, eum quippè, qui regendos alios ſuſcipit, tantâ decet gloriâ virtutis excellere, vt inſtar ſolis cæteros veluti ſtellarum igniculos, in ſuo fulgore obſcuret.* Et ſuper iiſdem verbis

P.Damian.

P.Damianus ep. allegatâ numero antecedenti: *Hic tantæ vult eſſe perfectionis Epiſcopum, vt penè extra Naturam loquatur Apoſtolus: Quis enim in Carne conſtitutus tam cautè viuat, tam ſe ſollicitè vndique circumſpiciat, vt reprehendi aliquando nequeat? Væ his, qui reprehenſibiliter viuunt, & locum reprehenſibiliter viuendi adhuc reprehenſibiliùs concupiſcunt.* Annectamus Laurentium Iuſtinianum Tractatu de Compunctione, & complanctu Chriſtianæ Perfectio-

Laurent. Iuſtin. *Quales Epiſcopos deſiderares D.Paulus*

nis: *Oportet* (inquit Doctor egregius) *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, Doctorem: Angelicam potiùs, quàm humanam debent habere Conuerſationem populorum Paſtores; alioquin infrænabunt os ſuum, ne audeant loqui: Non quod ſibi libeat, ſed quod ædificet, illis quærere congruit: Sint prorsùs Corde humiles, in habitu viles, in moribus compoſiti, in ſermonibus rari, corpore pudici, in cibis ſobrij, orationibus intenti, vigilijs dediti, & grauitate Sanctâ decorati: Hæc ſi adſint, optimè præſidebunt, duplicíque ſublimabuntur honore: erunt quoque ſal terræ, quorum ſapido, ac eloquijs mellifluis plebs condietur vniuerſa: alioquin non ſine ſui diſcrimine in Cathedra reſidebunt.* Saluianus Maſſilienſis non tantùm de Epiſcopis ſed vniuerſim de omni clericali ordine lib. 2. ad Eccleſiam Catholicam:

Saluian. Maſſil.

*Quicquid enim de alijs omnibus dictum eſt, magis ſine dubio pertinet ad eos, qui exemplo eſſe omnibus debent, & quos vtique tantò antiſtare omnibus oportet deuotione, quantò antiſtant omnibus dignitate: nihil eſt enim turpius, quàm excellentem eſſe quemlibet culmine, & deſpicabilem vilitate.* In malos autem Præſules acriùs obiurgantes, & qui temporum vitio introducti fuerint abuſus, inuenturus ſit Lector eundem Saluianum libro 1. ad Eccleſiam Or-

Cyprian. Bernard. Laur. Iuſtin.

thodoxam initio, Cyprianum ſermone de lapſis, Bernardum lib.4. de Conſideratione ad Eugenium, Laurentium Iuſtinianum ſermone in feſto Sancti Martini. Quales verò omnibus modis eſſe debeant, præter obuios Pauli Explanatores in epiſtolam ad Titum, primámque ad Timotheum, fusè proſequitur Auguſtinus Barboſa

Barboſa.

de officio & Poteſtate Epiſcopi 1. parte, titulo ſecundo toto.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Eruditione.

## *Textus :* Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut Turturis : Collum tuum ſicut Monilia. *Cap.*1. *verſ.* 9.

*Seceſſus neceſſarius Animæ, quæ à Deo illuminari cupiat.*

### SECTIO I.

19. *Turtur, ſolitaria.* Bernard.

TVRTVREM amare loca ſola Phyſiologos ſequuti ex veterum numero Interpretum multi ad hunc verſum, de quibus Bernardus ſermone 40. in Cantica : *Pudica Anicula eſt, & Conuerſatio eius non cum multis, ſed ſolo degere fertur contenta Compare, ita vt ſi illum amiſerit, alterum non requirat, ſed ſola deinceps conuerſetur.* Huius igitur dum imitari naturam volucris, Spiritus ſanctus adhortatur, tumultum vt Religioſior vitet Mens, ſuggerit, Quoniam ſi à turbis abſtrahatur, & ſibi vacet, ex Dei conſortio mirabiliter erudita euadet, & aperientur cordis oculi, & intelliget myſteria à ſæculis abſcondita : Quamobrem idemmet ſtatim Bernardus (Idem.) : *Sede itaque ſolitarius ſicut Turtur, nihil tibi & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiámque ipſum obliuiſcere populum tuum & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum : ô ſancta Anima ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti: fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab Amicis, & intimis, etiam & ab illo, qui tibi miniſtrat.* Animaduertit ibidem Chriſtum, ne Diſcipulos quidem Contubernales habêre voluiſſe quoties precaretur, imprimis verò cùm imminente Paſſionis horâ, in Montem Oliuarum vnà cum tribus chariſſimis Diſcentium profectus eſt, cùm ad orandum ſe præpararet, auulſum ab eis, quantùm iactus eſt lapidis, Luc. cap. 22. verſ. 41. At nónne in Horto verſabatur placidâ & quietâ ſtatione? Quid vltrà eremum deſideret? oraturus pertexerat, vt genitorem de rebus maximis conſultaret, & quali vellet modo redimendum genus humanum, exploraret, Num ſcilicet fieri poſſet, vt calix ab eo tranſiret : ergo, vt orationi ſi in gratiarum actione conſiſteret, alteriúſve normæ, quam poſtulantis notitiam de Bêneplacito Patris in difficillimis caſibus ſufficeret viridarij tranquillitas, cùm tamen Arcana detegenda per illum ſint, pariter & à diſcipulis ſeparatio ſaltem quantùm iactus eſt lapidis : *Solus in oratione pernoctabat* (proſequor Bernardi ſtylo,) *non modò ſe abſcondens à turbis, Sed nec vllum quidem Diſcipulorum, nec vllum domeſticorum admittens : denique tres ſecum intimos ſibi abduxerat, cùm vltrò properaret ad mortem ; auulſus eſt ab ipſis orare volens.*

*Chriſtus etiã à ſuis Diſcipulis ſecedebat, vt ſolus oraret.* — Luc. 22. — Bernard.

20. Statim vaticinationis exordio Ezechiel Propheta, quonam in loco ſit factum ad eum verbum Domini, enarrat : *Cùm eſſem in medio captiuorum* (inquit cap. 1. verſ. 1.) *iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei.* Quamobrem ad fluminis ripam ? nimirum, de rebus grandibus edoctus eſt, nam *viſiones Dei* Reuelationes magnificas denotant, ſicut *montes Dei*, Pſalm. 35. verſ. 7. & *Cedri Dei*, Pſalm. 79. verſ. 11. inſignes & præcellentes montes, atque Cedros indicant, vt bona Explanatorum pars aduertit : ergo quem de ſublimibus Arcanis erudire vatem Deus ſtatuerat, Babylone vrbe tumultuosâ ob Ciuium multitudinem extrahit, & cum intuetur extra Ciuitatem verſari ad decurrentium aquarum marginem, ſolitario altiſſima myſteria pandit. Chryſoſtomus tom. 5. hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura : *Hic quoque ad Chobar fluuium, quomodo Daniel ad Tygrim, diuinam rem accipit : Quoties enim Deus nonnihil explicaturus famulis ſuis eſt, extra vrbem, tumultúmque hominum ducit, & loco tranquillo conſtituit ; quò nullis rebus, quæ ſeſe aut oculis, aut auribus offerunt, animus interpellctur.* Taliter & de Rebecca, Geneſ. cap. 25. verſ. 23. *perrexitque, vt conſuleret Dominum :* hoc eſt, Domeſticos quibuſcum agebat & familiares reliquit, corúmque ſe aſpectibus, & colloquio proripuit, vt ſupplicaret Deo : Non poterat etiam & apud ipſos animum ad numen attollere ? verùm profecta eſt vt edoceretur de gemellis, qui in vtero illius collidebantur ; Quæ igitur inſtrui optabat in Oratione, ſeceſſum vt quæreret, oporrebat, quoniam ſtrepitu liberas Animas Deus frequentiùs illuminat : Diodorus in Catena Græca Pentateuchi : *Cautè fit hoc à Muliere, Nam qui Deum exorare volunt, procul ab alijs ſecedunt, quo ſe meliùs colligentes, mentem intendunt in Deum.*

Ezechiel. 1. 1. — Pſalm. 35. Et 79. — *Ezechielem è Babylone tumultuosâ vrbe extrahit Deus, quò illi ſua reuelet ſecreta.* — Chryſoſtom. — Geneſ. 25. 23. — *Vt à Deo inſtrueretur, è ſuorum conſortio ſe proripit Rebecca.* — Diodor.

21. Reuertebatur in patriam vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, & ab Ieroſolymis reuertebatur, poſtquam Numen verò in eius adorauerat Templo ; vehebatur Rhedâ, & Iſaiæ perlegebat vatis oracula nec intelligebat, ſed adfuit ſpiritu inſtigante ſacro optimus Magiſter Philippus, qui ſecretum detexit, Actor. cap. 8. verſ. 35. At ſi de myſterio erudiri cupiebat, cur non Magiſtros legis, dum eum Metropolis teneret, adierat ? Vbi tot Rabbini, tot Scribæ, cur non prece, vel pretio conduxerat à quo inſtrui poſſit ? Verùm erat Ciuitas infiniti populi, quin & in ipſa ſancta atria negotiatores proruperant, nummulariorum ſcilicet menſæ & cathedræ vendentium columbas : inter ſtrepitus autem difficilis locus ſapientiæ : igitur vt vidit ſemotum à tumultibus, cùm ad loca ſolitaria peruenit Eunuchus, tum præceptorem miſit, à quo edoceretur de vaticinationis ſignificatu, Spiritus : Hieronymus epiſt. ad Paulinum. *O mira Doctoris virtus : eadem hora credidit Eunuchus ; baptizatur fidelis & ſanctus : ac plus in deſerto fonte Eccleſiæ, quàm in aurato Synagogæ Templo reperit :* Quid Angulus nos terret ? quid ſeceſſus contriſtat ? Angulus parturiuit quod ſchola demiratur, & qui docendo, qui ſcribendo orbem ſanauêre, latebris & cubili tumultibus vacuo acceptos referunt Sapientiæ fructus : pulchrè de Virgine Beata, quæ ſedebat in abſcondito, & modò in cœlum precando aciem attollebat, modò voluebat ad Prophetarum oracula, Ambroſius epiſtola 41. ad Sabinum : *Sola erat Maria, & loquebatur cum Angelo : Sola erat & operata eſt Mundi ſalutem, & concepit Redemptorem vniuerſorum :* Nemo de Recluſione conqueratur, & quod in hominum ora non prodat ; Quanquàm ſolus agat, vitæ ita exigente inſtituto, ſcribendo atque orando vniuerſis finibus Terrarum ſalutaris & commodus eſſe poterit.

Actor 8. — *Non in Ieroſolymitana Metropoli per Scribas & Rabbinos, ſed ruri Eunuchum Æthiopem per Philippum erudit Spiritus ſanctus.* — Hieronym. — Ambroſ.



22. De primi hominis coſta mulierem formaturus Deus, immiſit ſoporem in Adam, Geneſ. cap. 2. verſ. 21. Sed nonne poterat etiam vigilanti coſtam abſtuliſſe quin vulnus aut dolorem incuteret ? potuit quidem, vt optimè expendit Auguſtinus in Pſalm. 56. Num vt contemplationis deliciis quietus frueretur ? putauit Bernardus ſermone 2. in Septuageſima : *Ille enim ſoporatus videtur* (loquitur de Ada,) *præ exceſſu Contemplationis, Chriſtus miſerationis affectu :* Fateor ad Theoriam deſiderari vt nemo ſit, qui interturbet, atque obſtrepat, proinde ſiluas diligi à Contemplantibus, rura eſſe grata, & Montium cacumina, ſed nonne abundè eremo potiebatur tunc Adamus, cùm non dicam intra Paradiſi ambitum alius quiſquam Homo, ſed ne toto Terrarum ſpatio ? non feræ conclamabant, ad eius nutum taciturae ſtatim, non maria fremebant, non beati nemoris arbuſta Eurus, Notúſve conquaſſabant, ſilebant elementa omnia, ſub altâ Tranquillitate cur adhuc dormitio accerſitur ? Voluit Deus Adamo magnorum Sacramentorum aperire ſenſus : Bernardus nominato eodem ſermone : *Mihi quidem non niſi incommutabilis veritatis intuitu, & abyſſo diuinæ Sapientiæ corporeis excedens ſenſibus obdormiſſe videtur ; quod ex eius verbis vel maximè conijci poteſt : rediens nimirùm, indicat quò abiſſet, dum tanquam ebrius de cella vinaria veniens, & eructans illud magnum Sacramentum, quod tantò pòſt in Chriſto, & in Eccleſia Apoſtolus commendauit : Hoc nunc, inquit, os ex oſſibus :* Itaque vt ad Contemplationem præcisè amœniſſimi Viridarij ſolitudo præſtaret cum ſilentio ferarum, atque elementorum obedientiâ, quoniam autem ſpeculatio conciliatura fuerat egregiam maximarum rerum notitiam, decebat omnem conſopiri Tumultus ſpeciem : igitur ad interuallum & potentiæ claudantur ſomno obducto ; vt cùm perſpexerimus etiam in Adamo ſeceſſus duriores expeti leges, quoniam ordinatur Contemplatio ad myſteriorum reuelationem, intelligamus ſolitudinis amore flagrare illos conuenire, quibus inſita eſt cupido, vt de rebus quæ Hominum captum ſuperant, edoceantur.

Geneſ. 2. — Auguſtin. — Bernard. — *Quamuis ſolus eſſet Adamus, nec eum feræ turbarent, adhuc tamen in eū ſoporem immiſit Deus, dum magnorum Sacramentorum ſenſus ei vult aperire.* — Bernard.

23. Pergebat ex domo Abrahæ Patriarchâ comitatus Angeli ſub figura Deus, merita inflicturus ſupplicia Sodomitis & Gomorrhæis, atque dum pergit in via effatur : *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum ?* Geneſ. cap. 18. verſ. 18. docuítque ſtatim de occulto Mentis propoſito, & quemadmodum luxurioſas vrbes flammis abſumere decreuerat : Cur non Lot eadem manifeſtauerat priuſquam incendium proximè inſtaret, & vltionem adproperare cogebatur ob propè effractas domus ianuas ? Nam ſi Tabernaculo ſub humana forma Angelos Abraham admiſerat, & Conuiuio exceperat, Lot quoque nec Tectum, neque menſam denegauit : Animaduerte tamen inter vtrumque diſcrimen : Commorabatur Abraham in Conualle Mambre, vbi Nemora & loca inuia, & à populorum frequentia & vocibus ſequeſtrata : Lot autem in vrbibus habitabat, vbi crebrò occurſantium in plateis clamores, iurgia ſæpè & magni ſtrepitus : Cùm igitur Deus conſueuerit ſecretas cogitationes altiſſimæ Mentis iis pandere, qui à turbis remoti, eremo & ſolitudinibus reſident ; idcircò Abrahæ quidem diſcooperuit quod Ruri ageret procul ab inquieto vulgo. Ioachimus Abbas ad delicioſum viuendi genus retulit : Nam Abraham facit, qui in montanis verſetur, quæ ſunt aſpera loca, ventorum flabris, proximioribus Phœbi radiis, niuibus expoſita ; Lothum in vallibus, quarum eſt iucunditas plurima conſtituit : lib. 5. Concordiæ vtriuſque fœderis, cap. 36. *Habitauit autem Abraham in montanis : Loth autem nepos eius in profundo Vallis, quæ irrigabatur ſicut Paradiſus Domini : igitur reuelatum eſt Abrahæ qui habitabat in montanis, quod necdum reuelatum erat Loth, qui morabatur in imo :* Aliquid etiamnum in verbis Geneſeos perpendendum : *Num celare potero Abraham ?* Quaſi enim neceſſitate aliquâ impelli velut ſignificare appareat, quæ adigat Abrahæ vt manifeſtet : Tanquam dicat : Aliis vt reuelem nihil eſt quod vrgeat, Huic, qui deſerto habitat, & inter arborum condenſa procul à Ciuium turmis, penates fixit, quomodo fieri valeat, vt agenda ſubtraham ?

Gen. 18. 18. — *Angelos in hoſpitium admittit Abraham, eos admittit & Lot, ſecreti tamen ſanctione ab ijs honoratur Abraham, quippe qui ruri degebat in conualle Mambre nemoroſâ, è turbis ſemotâ.* — Ioachim. Abb.

24. Creauit Deus cœlum & Terram, & antequàm cætera ordinaret, lucem produxit ipſo primo die mundani Opificij : Quare tam properè orbi illuminauit ? certè non niſi quartâ die lucis fontem ſplendidiſſimam Olympi facem aſtrorúmque decus, Solem procreauit ; cur ante genitorem proles emerſit ? Nondum formatus erat, pro quo Mundus condebatur, homo, qui luce indigeret ad vitæ ſubſidium, & alacritatem : Non Animantia portabat recens Tellus, quibus claritas neceſſaria quoque eſt, ſed nec in camporum planitie, colliúmve ſummitatibus adhuc Herbæ, vel arbuſta, quæ inſpectaturos recreare poſſent : tantas igitur ob cauſas ſuperuacaneus ſplendor quamobrem prodiit in medium ? Equidem primus ille dies, quia vnus & abſque conſortibus, ſolitariæ normæ præclara idea : & ſanè labores ſecundæ diei propterea à Numine non approbatos Patrum cenſuêre quidem (neque enim de illis Moyſes ſcribit, vidiſſe Deum, quod eſſent valdè boni,) quod vnitatem abſcinderet & ad multitudinem transferre inceptaret : cum titulo Iunilij Africani Commentarius : *Hic ſolummodò, id eſt, in ſecundæ diei operibus, probatio diuinæ viſionis minimè additur : fortè, ſicut quidam Patrum expoſuerunt ; intelligere nos in hac Scriptura voluit, non eſſe bonum duplicem numerum, qui ab vnitate diuidat :* Cùm itaque dies ille repræſentet tumultibus liberos, & ſolitudinis tranquillitate gaudentes, rectè quòd lucem ſimul procreatam fuiſſe aſſeratur, eſt enim ſolitudini coniuncta lux, Sapientiæ nimirum, nam ſancto otio fruentibus, eámque ob rationem Mortalium vitantibus familiaritatem, Deus adeſt, qui tanquam Amicis chariſſimis occulta diuinorum Arcanorum ſecreta detegit.

*Primum diē (quod eſſet ſolitarius,) Luce creatâ illuſtrat Deus : Secundæ diei opera, bona nō dicuntur vt cæterarū, quod ea dies ſolitudinem violaret.* — Iunil. Afric.

25. Venerat in Ægyptum tota domus Iacob, vt ibi commoraretur, cúmque à Rege arua tribuenda eſſent, quæ colerent, vel in quibus greges & armenta paſcerent, cùm ad Monarcham introirent, documentis Ioſephus hiſce inſtruxit: *Cùm vocauerit vos* (ſcilicet Pharao) *& dixerit: Quod eſt opus veſtrum? reſpondebitis; viri Paſtores ſumus, vt habitare poſſitis in terra Geſſen, quia deteſtantur Ægyptij omnes Paſtores ouium.* Geneſ. c. 46. verſ. 33. imò certè vt habitare poſſent inter Ægyptios, celare omnibus modis conuenerat, Paſtores eos eſſe, ſi enim Paſtores Ægyptiis exoſi ſunt, num patienter laturi, vt genus inuiſum apud eos conſederit? Sic enim vſu Mortalium euenit, vt de fœdere, & amicitia ſuſpectos, vel declaratos Hoſtes, patriis finibus vniuerſæ excludant nationes: Bene quidem id nouerant, ſed pariter ſciebant Ioſephi ob gratiam aliquid eis concedendum: Quid igitur? vt mediis in populis habitarent? nequaquam ſanè, verùm ne Ægypto exterminarentur prorſus: vtrumque vt fieret, Regionis illis aſſignata portio, vbi ſegregati ab Ægyptiorum vulgo ſoli habitarent: Denique prudentiſſimi Ioſeph hæc fuit Ars, vt ſolis viuere liceret Hebræis: Quem in finem ab eo affectata tantoperè ſolitudo? Ne fortaſſe ſuperſtitionibus Ægyptiorum contaminarentur, & illorum biberent mores? placuit ferè Caietano: *Vt ſeorſim* (ait) *ab Ægyptijs habitantes, vitent ſigna deſpectionum: ex eo enim, quòd apud Ægyptios abominabiles erant Paſtores ouium, ſi mixti fuiſſent cum Ægyptijs multa ſubſecuta fuiſſent abominationis ſigna, quæ ſeorſim habitando euitabantur:* Mihi pro inſtituti ratione aſſerendum videatur, fuiſſe quidem Patriarchas quibuſcum Deus familiariter conuerſabatur, ita ſiue in ſomnis, ſeu in vigilia alloquutus Abraham, Iacob, Ioſephum, quibus ab hominum cogitatione abſconditos futurarum euentus rerum detegebat: Quia verò iis ſecreta propalare Numen conſueuit, qui ſolitariam vitæ formam procurant, ne arcana in poſterum reuelare deſineret; meditati ſunt filij Iacob quemadmodum ab Ægyptiorum tumultibus expediti, ſolitudine potirentur, ablegati in eremum à reliquorum cœtu.

Gen. 46. 33. *Curat Ioſeph vt Terra Geſſen detur Patriarchis, fratribus ſuis, quò ſeparati ab Ægyptijs ſolitariã vitæ formam inſtituerent; ſecretis cœleſtibus aptam.*

Caietan.

*Hominis Chriſtianâ notitiâ præditi potiſſimus dolor eſſe debeat ob Animæ Sponſum amiſſum per lethale delictum.*

## SECTIO II.

26. POſtquam Turtur Conſortem amiſit, reliquũ vitæ gemendo tranſigere oſtendimus & vix ſolatij quidquam deinceps admittere, non flumine, non arboribus, non volatu recreari: Heu! ſi volucris lamentum Homines imitarentur, & quoties Dilectum grauiter peccando amiſerunt, irremediabili planctu deflerent abſentem, eſſéntque penè inconſolabiles lachrymæ! Quantum conceditur mœſtitiæ fortunæ detrimentis, & ſi Charorum aliquis communi excedat luce, tantùm ad plorandum hebetes oculi, quando ſolùm fructuosè luctus impendebatur, qui Animæ næuos abſtergeret: Sed hæc eſt ſcientia Sanctorum, qui peccati lethalis ſtragem ſingultibus vnicè proſequendam exiſtimauêre. Moriturus Iacob filiorum maximum alloquitur: *Ruben Primogenitus meus Tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio*, Geneſ. cap. 49. verſ. 3. At quomodo principium doloris Iacob Ruben? Numquid non dura paſſus antequàm naſceretur? Nam & certè coactus eſt domo profugere in Meſopotamiam ob minas Eſau: iam quanta in illo itinere ſuſtinuit vexamenta, cùm ſub dio, & humi recubare cogeretur admoto capiti ſaxo? Qualia verò apud Labanum paſſus antequàm Liæ deſponderetur? compulſus ſolis æſtiui ardentiſſimum ferre iubar, ſub niuibus eſſe atque pruinâ, vt taceam de ſylueſtribus feris metum: Hoc igitur cùm tolerauerit, Cur ante Ruben genitum, ſe nullos expertum dolores innuit? Nempè, quem ei dolorem Ruben attulerat, de peccato mortifero ortus eſt, quoniam ille enormi, & fœdiſſimâ luxuriâ paternos commaculauit thalamos: cætera illa tormenta de humanis fuêre caſibus, & pœnæ non culpæ damna: Vt igitur ſignificet, tum ſingulariter luctibus indulgendum, quoties peccato graui deformatur Animæ pulchritudo, atque eâ denigratâ ſe proripit, & abſentat Dilectus, aſſerit tum in mœſtitudinibus data initia, quando Ruben deliquit: Egregiè Nicolaus de Lyra: *Quaſi dicat, licet multos dolores, & labores ſenſerim aliundè, tamen parui fuerunt reſpectiuè, & quaſi pro nihilo eos reputaui in comparatione ad illum dolorem, quem concepi de enormitate ſceleris tui.*

Geneſ. 49. 3. *Iacob tot antea laboribus fractus dicit Ruben primogenitum ſuum, principium doloris ſui, quod mortiferè peccãdo thalamum paternũ violaſſet.*

Lyran.

Fortiſſimus Pugil Iobus quibus non impetitus malis? amiſit ſubſtantiam, amiſit dulciſſima natorum pignora, tandem & inauditis morborum conflictatus generibus, ad cuncta inuictus, ad omnia robuſtiſſimus: Venêre Amici Reges vt compaterentur, ſciſsíſque veſtibus, & deturpatâ pulueribus fronte, ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus; mox vbi ſilentium longum Iobus abruperat, ab execrationibus inceptat: *Pereat* (ait) *dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: conceptus eſt Homo*, cap. 2. verſ. 2. Quænam hæc bilis quaſi notæ in Contumeliis ad ſodalium conſpectum, cùm lætari magis oporteret? cùm ſtomachandum eſſet ab vſu aliorum hominum, liberis, valetudine, bonis deperditis, manſuetus & clemens; quando gaudendum erat ex ſociorum aduentu, terribilis, & ferociens? Verùm ex primis damnis pecudibus, ſoboli, membris humani corporis impactis, nulla peccati formido Iobum terrebat, in aduerſis tutior eſt Iuſtorum Conſcientia, etiam Magnis viris ſuſpecta eſt Proſperitas: Ab Amicis verebatur ne offenderetur Terrarum omnipotens Rector Deus; ſiue, quia impiè crudelem arbitrarentur, quod innocuum affligeret: Siue quod Iobum ſceleris arguerent, aduersùs quem niſi ob egregiam nequitiam Deus non ſæuiret: igitur, qui ad cætera vulnera nouercalium euentuum blandior & inconcuſſus, vt de peccato metuit, non valuit Animæ cohibêre ſenſum, quin penè maledictis ſignificaret: Seuerianus in Catena Græca: *In aduentu autem Amicorum, cùm eorum cerneret animos in ipſius calamitatibus recidiſſe, nouo exercetur bello, id metuens ne illius causâ, iniuſtitiæ crimine Deum arceſſerent: atque ea cauſa fuit, cur diem ortus ſui deteſtaretur, ac ſi diceret: Vtinam nunquàm eſſem conceptus, ne mea cauſa Deus accuſaretur,* 27.

Iob 2. 2. *In cæteris omnibus patientiſſimus Iob, ad Amicorum aduẽtum quaſi excandeſcens maledicit diei & nocti, &c. quòd timeret ne ab Amicis temerè de infortunio ſuo indicantibus Deus offenderetur.*

Seuerian.

Coram Iudicibus & ad quæſtionem protractus Beatus Martyrum Coryphæus Stephanus zelo inardeſcens acriter pupugit inquiens: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus vos* 28.

Actor. 7. 51.

*ſemper*



*ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri, ita & vos:* Actor. cap. 7. verſ. 51. lapidatur ab eiſdem paulò pòſt, & inter ſaxorum iactus pro homicidis deprecatur, inquiens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum:* conſiderauit Auguſtinus in illud Pſalmi 132. *Sicut vnguentum*, &c. atque pulchrè diſquiſiuit: *Quando debuit plus iraſci Stephanus, quando lapidabatur, aut quando audiebatur? Ecce mitis factus eſt, cùm lapidaretur; & ſæuiebat, cùm audiretur:* Planè rarum hoc, & non de Hominum conſuetudine: Nam ſi de Mortalium fortunâ, honore, vitâ agatur apud Iudices, tum illi quibus norunt artibus Iudicum beneuolentiam ſtudioſiſſimè captant, atque vt in cordibus fremant, vt iraſcantur, Animi feruentiores motus cautè diſſimulant: Sed iidem cùm recuperandorum bonorum famæ, atque incolumitatis ſpes vniuerſa ſublata, quam poſſunt exercêre vindictam malè imprecando, faciunt, & quando aliter nocêre poſſibile non ſit, conuitiis & execrationibus perſequuntur: bellè igitur percunctabatur Auguſtinus cur ex diametro Stephanus, quando lapidabatur, mitis apparebat, ſæuiebat cùm obaudiretur? Sanè, cùm vulnerabatur Protomartyr, reſpiciebat ad laceri corporis iniuriam, videbat ex ſciſſis membris riuos Cruoris defluere ſed ad talia Sancti non paueſcunt, non dolent, non ſtomachantur, temporale malum eſt, & ſeges perennaturæ gloriæ: Cùm duceretur ad Iudicum coronam, quando necdum eius imperebatur corpus vulneribus, Dei conſiderabat offenſam, ſuorúmque Conciuium pluſquam ferinam ingratitudinem: Peccati igitur damna perpendens, quod vitæ Authori necem attulit, continêre ſe non potuit, quin acerbiſſimum Cordis dolorem, verbis teſtaretur, ideò coram Iudicibus tonitruabat, qui inter lapidum aceruos blandiebatur.

Auguſtin. *Coram Iudicibus ſuis ſæuit Stephanus, & acri ſermone Iudæos laceſſit, qui tamen, dum lapidatur, pro trucidantibus mitis orat: quippe vitam ſuam negligens à Iudæorum ingratitudine ſæuius affligebatur.*

29. Quàm dirè ante mortem exceptus Seruator? terebratus ſacer vertex, ſulcatum flagellationibus corpus, manus pedéſque clauis immaniter perforati: inter Crudelitatum genera quamobrem Haſtæ apertura non niſi poſt emiſſum Spiritum? Si mori libuit cur non à Cuſpidis ictu? Saltem quo vita deſpoliari citiùs iuuaſſet? myſticum aliquid cogitemus, & ſupponamus cum Bernardo ſermone 7. in Pſalmum: *Qui habitat*, &c. Latus fuiſſe dexterum, quod Militis lancea traiecit: rurſùm ex eodem: Siniſtrâ denotari bona fortunæ & temporalia quæque, dexterâ quod ſpiritale eſt atque æternum adumbrari: igitur ad noſtram doctrinam Chriſtus: Suſtinuit ea damna dum viueret, quæ facilè tranſeunt, veſtibus exui, conuitio plurimo affici, derideri à vulgò & principibus, vndique cruentari: Quoniam verò lateris dexteri reſeratio ſpiritalia repræſentabat, vitam nempè Animæ, quam gratia ſanctificans alit, noluit aduersùs hanc inimicis facultatem præſtare, vt intelligeremus cætera poſſe nocumenta ſuſtineri forti animo abſque ſingultibus, & lamento; verùm quod ſupernaturalem Spiritus vitam offendere poſſit, graue ſcilicet delictum, omninò cauendum eſſe; nec poſſe non cenſeri truncum, qui in talibus conniueat. Proferamus quod Bernardus aſſerat: *Conſidera tamen eum hoc vulnus penitus non ſenſiſſe: neque illud excipere voluit niſi iam ſoporatus in morte, vt moneret te quamdiu viuis in huius ſemper lateris vigilare cuſtodia: Sed & mortuam cenſeri eam Animam oportêre quæ quidem perniciosâ inſenſibilitate diſſimulet in dextera ſibi vulnus infligi:* Quare & eodem ſermone exclamat: *Vtinam mihi ſemper à dextris ſis, Ieſu bone! vtinam ſemper teneas manum dexteram meam: Scio enim & certus ſum, quoniam nulla nocebit aduerſitas, ſi nulla dominetur iniquitas: Tondeatur interim, & tundatur ſiniſtrum latus, pulſetur iniurijs, vellicetur opprobrijs: Libens illud expono dum à te cuſtodiar, dummodò ſis ipſe protectio mea ſuper manum dexteram meam.*

Bernard. *Per ſiniſtram, temporalia: Per dexteram ſpiritualia bona indicantur.*

*Cætera, dum viueret, Chriſtus ſuſtinuit quæcunque tormenta: Lanceæ verò vulnus non niſi mortuus: quippe dextrum latus traijciebat.* Bernard.

Perſpice quàm mœſtus Propheta apud Aſſyrios: *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, Panem deſiderabilem non comedi, & Caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum:* capite 10. verſ. 3. Quæ cauſa tanti mœroris? fateor extra patriæ dulces fines vates, ſed in ampliſſima Ciuitate purpurâ & torque donatus à Monarcha, & inter Aulæ proceres loco ſplendidiſſimo: Quid natale dediſſet ſolum tantæ ambitioni ſimile? Quod ſi ad antiquam reuertiſſe domum Animæ deliciæ ſunt, ecce quidem Hebræis à Rege in priſtina arua remeandi facultas conceditur: cur non tripudiat Daniel ad lætum nuncium, & in iucunditate verſatur magis quàm in triſtitiis? Certè alij religiosè quidem, quando finiendi exilij non affulgebat ſpes, ſuper flumina Babylonis ſedebant & flebant dum recordabantur Sion, & de ſalicibus organa ſuſpenderunt, nam verecundabantur cantare in terra aliena: Nunc autem cùm abire permiſſio facta, totus in luctibus Daniel. Equidem non mœret Propheta, quia in Iudæam redeundi licentia data, imò nihil optabat magis, & ipſe in orationibus continuò, poſtulabátque aſſiduè captiuitate liberari gentem: cæterùm cùm ad reuerſionem Boni omnes ſe præpararent, fuêre qui Babylonem deſtituere nollent, ne quas acquiſierant poſſeſſiones ſimul relinquere cogerentur: horum igitur infortunium maximum plangit vates: Sciebat enim paulatim ad Babyloniorum ſuperſtitiones defecturos cum æterna Animarum ruina: huius igitur recordatio ſtragis, quam Idololatria commorantibus in Babylone allatura eſſet, ſic vatis perturbauit mentem, vt nihil eſſet, quo erigi, & recreari Spiritus poſſet, adeò tres hebdomadas integras lugendo conſumpſerit: Nam Sanctos peccatum mortiferum eſt quod vnicè contriſtat. Theodoretus Oratione 10. in Danielem, poſtquam docuit à Cyro liberam poteſtatem Iudæis factam redeundi in patriam, inquit: *Verùm enimuerò, ſi quis hæc ſingula diligenter examinaret, hæc eadem comperiet Danieli doloris cauſa fuiſſe; Cùm enim Rex omnibus, quicumque cuperent, libertatem ac reditum in patriam conceſſiſſet; complures, qui ſibi in Babylone domos conſtruxerant, eorum quaſi vinculo deuincti, neglecto in patriam reditu, externam Patriæ regionem prætulerunt: hoc itaque Beato Danieli maximum attulit luctum.* Heu! quanta Mortalium oculos inuoluit obliuio, qui tam præcipites ruunt in peccata lethalia, quando & de alieno delicto ſic compungantur Sancti, vt vix conſolari aliquo modo valeant! 30.

Daniel. 10. 3.

*Quod aliqui in Babylone remanſuri eſſent Iudæi, magno Idololatriæ expoſiti periculo, cæteris in patriam remeãtibus, trium hebdomadarum luctu deſiet Daniel.*

Theodoret.

Cœnabat cum Diſcipulis Chriſtus, quando Corporis & ſanguinis viuificum Sacramentum inſtituit, & Iuda foras prodeunte vt traderet illum, inclamauit: *Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo.* Ioan. cap. 13. verſ. 31. obſecro Domine, annon furcifer ille pergit, vt veniat armata cohors & te comprehendat, talibúſque petractent modis, quem etiam 31.

Ioan. 13. 31. *Cùm è cœnaculo exiſſet Iudas ille ſceleſtus, tunc ſe dixit Chriſtus clarificatum.*

intimi

intimi Amici vix cognoſcant, & putent nouiſſimum virorum? Ergo non clarificationis iſtud Tempus, ſed maximæ cuiuſdam humiliationis, percipiamus ab Auguſtino tract.63. in Ioannem: *Nunc clarificatus eſt filius hominis: quare nunc? Numquid, quia exijt, qui tradat; quia imminent, qui teneant, & occidant? itâne nunc clarificatus eſt, qui propè eſt, vt humilietur amplius? cui iam impendet, vt alligetur, vt iudicetur, vt condemnetur, vt irrideatur, vt crucifigatur? hæccine eſt clarificatio, an potiùs humiliatio? Tunc ergo nondum erat glorificatus cùm mortuos ſuſcitaret, & nunc eſt glorificatus, cùm mortuis propinquaret?* Verùm in cœtu illo ſacrato Apoſtolorum erat homo peccati peſſimus Iudas: ergo cùm homine inſigniter peccatore liberatum perſpexit Diſcipulatum, quanquàm non ignorabat impendere graues iniurias, quas eſſet toleraturus, breuíque poſthabendum Barabbæ, & cum ſceleratis Cruci affixum deputandum, tam vberem tamen Humiliationis ſegetem, gloriam arbitratur, modò Homo peccator abeat, & iniquo vacuum eſſe ſodalitium liceat.

Auguſtin.

---

*Virtus ſolùm quoad adſpectum, & in ſuperficie terribilis: intus, atque in medulla ſuauiſſima.*

## SECTIO III.

32. HEbræam vocem, quam Monilia vulgatus interpretatus eſt, LXX. reddiderunt ὁρμίσκοι quod Piſcatoriam dictionem eſſe, & reticulatum ſignificare opus ex Theocrito, Idyll. κα. atque eius Scholiaſte oſtendit Vincentius Riccardus Notis ad Cantucazenum in hoc Epithalamium numero 38. inde ad monilia & torques ſignificandos graphicè traductam, Nam & Retia ad viuum imitantur: quare Origenes homilia 1. ex 4. *Vt ornamentum, quod Virginum collo pendet, & nuncupatur* ὁρμίσκος: Sed audiendus eſt Gregorius Niſſenus homilia 3. in Cantica, nam peculiare aliquid meditatur: *Torquis autem Græcè* (inquit) ὁρμίσκος *dicitur, diminutiuum eius, quod eſt* ὅρμος; ὅρμος *autem propriè quidem dicitur in locis maritimis, in quibus littus intrinſecùs in Lunæ formam cauatum, ſinu mare excipit, & per ſe facit quieſcere eos, qui è mari adnauigant; ex metaphora autem propter figuram ornamentum colli dicitur* ὅρμος: Igitur & torquem, & ſtationem de mari venturis optatiſſimam, Verbum idemmet repræſentat: Sed torques apud Niſſenum, quid præter virtutes? *Complectitur omne virtutum Teſtimonium,* (ait) *quæ ſit Torquium multitudini aſſimilatio:* Ergo virtutem de foris contemplantes, putabatis vos ad retia trahi captiuos, ſeu à Piſcatore ad lanienam Aquatilia trahuntur, & exhorruiſtis ſiue ſeruitutem, ſeu mortem ipſam: auſi eſtis tamen fortia aggredi, virtutis agonem intraſtis, & ecce nihil vobis formidabile occurrit; reperiſtis enim portum, & Nauale tranquillum: certè niſi in hunc confugiſſetis locum, forſitan vos Tempeſtas demerſiſſet: extra virtutem igitur pericula & fluctus maris: Virtus ipſa ſtatio eſt, quæ laſſos excipit & recreat, adeò apud eam nihil, quod exhauriat & deuoret cultores.

LXX. Theocrit. Vincent. Riccard. Origen. Greg. Niſſen.

*Ορμίσκος (quo nomine Monilia reddunt LXX.) cùm & rete & portum ſignificet, pulcrè Virtutem adumbrat.*

33. Miſit peregrinatum Diſcipulos Chriſtus, ſed monuit ituros, ne portarent ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & vt neminem per viam ſalutarent. Luc cap.10. verſ.4. Iuſſit & ne Virgam ferrent, neque pecuniam in zonis, neque duas tunicas, Matthæi cap.10. verſ. 10. Origenes tom. 1. in Ioannem rectè præſcripta iſta arbitratur, quoniam via eiuſmodi futura erat, quæ his ſubſidiis non indigeret: Sed quæ terrarum portio eſt? quæ ſub cœlo Regio, hæc omnia reſpuens adiumenta? Quis obſonia, quis tectum, quis indumenta ſubminiſtraturus ſit pecunias non habenti? Si petricoſum ſit iter, ſi tribulis & ſpinis impeditum, annon opus ſit calceamentis? annon & Virga ad feras abigendas? Verùm ab humanis recedamus ſemitis, quæ abſque tali paraturâ, non ſine labore peragi valeant, & viam cogitemus, quam ſe Chriſtus eſſe dixerat, quæ Virtutis ſemita eſt: Hi igitur calles, quos ignaui & formidoloſi Mortales arbitrantur offendiculis ſcatêre innumeris & inacceſſos propter rerum inopiam, ob voragines, ob cautes, ob luſtra immanium Beſtiarum negatos penè hominum veſtigiis; eiuſmodi reperiuntur, quorum abundantia tanta ſit, vt neque auro, neque argenti pretio Viatores indigeant, cùm ſine mercede vniuerſa ſuppeditentur, nullum quod inſidietur Animal, nulla quæ frangat laſſitudo, vt proinde baculus ſuperuacaneus ſit: denique & gleba non tantùm mollis, ſed in Roſas & violas prorumpens, vt iniuria ſit plantas calceamentis muniuiſſe: Hinc igitur eſt quod myſticè communia Viatorum præſidia reiiciantur, quæ oneri futura ſint magis quàm auxilio ob viæ ſummam gratiam & benignitatem: Afferamus Origenem loquentem indicato Commentario: *Quin etiam iter, quod duce Sapientia ſit, nobis aperit Mentis oculos vt intelligamus, quemadmodum ipſe eſt via: in qua nihil portandum eſt, neque pera, neque tunica, quia nec Virgam habens iter facere oportet, neque calceos inductos in pedes: Satis enim eſt hæc Via pro omni Viatico, nec quicquam requirit qui in ea incedit, neque in hac Via quidquam mali, aut moleſtiæ interuenire poteſt: difficile eſt enim, vt à Salomone ſcriptum eſt, in petra ſerpentis Vias inuenire, ego autem dico cuiuſuis aliæ feræ beſtiæ: Itaque ne Virgâ opus eſt in Via, quæ ne Veſtigia quidem Aduerſariorum impreſſa habeat.*

Luc.10.3. Matth.10. Origen.

*Tam facilis & florida eſt Chriſti via, quæ tamen homines præ difficultate & periculis ſpecie tenus terret, vt Apoſtoli per eam faciles eant ſine calceamentis ſine pera, ſine baculo.*

Origen.

34. Si tamen viæ præclarum quoddam ſchema intueri libeat, feramur ad Hebræos, cùm de Ægypto proficiſcerentur, & longam in ſolitudinibus moram trahere coacti ſunt: Quid enim ſterile ſolum, & immane deſertum pollicebatur niſi pericula à latronibus, à fame, à ſiti, à nuditate, à Temporum ſæuitia, à rugientibus ad prædam crudeliſſimis Beſtiis? planè tamen è diametro cuncta acciderunt: nam neque amictu nouo opus fuit, neque calceamentis, quando per quadraginta annos ſenio non ſunt conſumpta; neque potus defuit, cùm flueret Mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo; non panibus caruêre, pluente cœlo Manna Angelorum ſuauiſſimam eſcam; non vmbraculum deſiderauêre, protegente eos columnâ Nubis per diem: Chryſoſtomus tom. 5. homilia *Quod nemo læditur niſi à ſeipſo*, &c. *Quaſi, qui iam reliquiſſent Mundum hunc, & ad alium meliorem, preſtantioremque tranſiſſent; ita eis cibus & potus abſque labore & ſollicitudine ex Verbo Dei præbebatur: & quod fuit ſuper omne miraculum, ne fortè acrior eos radius ſolis adureret, vmbrâ Nubis per diem deſuper tegebantur: & cum ipſis quocumque abiiſſent, circumferebantur Tecta illa cæleſtia:* Eremus autem ſignificat rigidioris vitæ

*Deſertum de ſe incultum, aſperum, horridum; Iſraëlitis Moyſe duce quàm ſe præbuit mite!*

Chryſoſt.



ſtatum, quem virtutis & Perfectionis ſtudium acre in profeſſoribus maximè commendat: cuius in externam figuram ſi quiſpiam intendat, horridam putabit, & metuet, atque contremiſcet: Sin autem Deo Anteſignano audeat experiri, inueniet ſine cauſa timore conſternatum ſemet, & pudebit fœmineæ imbecillitatis: nam replebitur torrente voluptatis, ſuperabundabit gaudio, vt etiam quandoque Bonorum copia velut opprimat, & dicere cum vociferatione neceſſum: Satis eſt Domine, ſatis eſt: ô Mortalium errores, quibus falſæ imponunt voluptates, & virtutem propterea fugêre, ne pati compellantur: Sine hac tamen quocumque ſe conuertant, totum erit labor & pondus.

35. Reuertebatur ex itinere prodigus Adoleſcens, & planè fatigatus reuertebatur: quídni enim? nam veniebat de Regione longinqua: Vidit illum Pater cùm adhuc longè eſſet, *& miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Luc.cap.15. verſ. 10. Quænam Miſericordia fuit? ceruice decubuiſſe iuuenis? Atqui Miſericordia ſubleuat & exonerat, amplexus autem pondus attulit: Heu! prudentiſſime genitor, & non erat de famulorum numero quiſpiam, cui inniterêris, excepto infelice iſto fame & nuditate penè conſumpto, qui ſi firmâ valetudine fuiſſet, itineris tanti peregrinatio ad laſſitudinem ſuffeciſſet? Verùm perpendite, quoniam ad virtutis penates remeauit exul; qui collo ſuperinſedit, Dominus virtutum eſt; non eſt quod vereamini fatigandum illum: Vos putabatis mole genitoris opprimendum, At pater ſciebat non poſſe aliter recreari, onerando refocillauit, nam virtutis fuit Sarcina, quæ requiem affert: Splendidè admodum Chryſologus ſermone 3. de duobus filiis: *Cecidit ſuper collum eius, vt erigeret ſic iacentem: cecidit ſuper collum eius, vt Amoris onere onus tolleret peccatorum: Venite ad me, inquit, omnes, qui laboratis & onerati eſtis; tollite onus meum ſuper vos, quia leue eſt: Videtis, quia filius iuuatur iſtius Patris onere, non grauatur:* Vultis intelligere quale ſit virtutis onus? conſiderate Volatilia cœli: pennas habent: quæſo an grauant, an ſubleuant potius? grauare quis non dixerit, nam cooperiunt, & indumentum ſunt: Sed leuior eſt, qui Amictum proiicit, quàm qui ſuſtinet: deme verò pennas Alitibus, non mouebuntur, non diſcurrent per æthera: igitur non onus plumæ fuerunt, ſed ad volandum ſubſidia: eſt igitur quod apparet onus eſſe quidpiam, agilitatem tamen non pondus conciliat: tale virtutis iugum omninò, diſcemus ab Auguſtino in illud Pſalm.59. *Et Conuallem Tabernaculorum metibor*, &c. *Alia ſarcina premit, & aggrauat te; Chriſti autem ſarcina ſubleuat te: Alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas habet: Nam & aui ſi pennas detrahis, quaſi onus tollis, & quo magis onus abſtuliſti, eò magis in terra remanebit: Quam exonerare voluiſti, iacet, non volat, quia tuliſti onus: redeat onus, & volat: talis eſt Chriſti ſarcina.*

Luc.25.28.

*Dum ſuper reuertentis Prodigi collū cecidit Pater adeò filium mole ſuâ non oppreſſit, vt eum onerando penitus refecerit & recrearit.*

Chryſolog.

*Vt volucrum Pennæ nō eas grauant ſed leuant: Sic quidem Virtus.*

Auguſtin.

36. Ioanni demonſtratus liber, quem Nemo poterat neque in cœlo, neque in Terra, neque ſubtus Terram aperire, neque reſpicere quidem, cúmque ob hoc in lachrymas Euangeliſta reſolueretur, apparuit Leo, cui datum eſt aperire librum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius: Sed ecce pauciſſimis interiectis prodit idemmet, Agnum fuiſſe, qui accepit de dextera ſedentis in throno librum, atque eum aperuit, Apoc. cap.5. verſ.7. Quomodo ſi Leo, Agnus tamen, cùm Leonis ferocitate, Agni nihil ſit, quod magis opponatur manſuetudini? Cogita, qualis fuerit liber, quem reſerari oportebat: Nempe liber eſt, in quo de interitu inimicorum Eccleſiæ, de Bello cum Anti-Chriſto, de vniuerſali iudicio, de æterna felicitate, de prouidentia Numinis, cum præſcientia, & æternis Decretis, denique de omni virtutis tramite, quo ad Olympum pergitur: itaque virtutis, quando in codice documenta continentur, quídni clauiger & idem ſit Leo atque Agnus? Si externum virtutis habitum contemplêre, Leonis magnanimitatem & robur deſiderari iudicabis ad tam fortia ſuperanda: torua namque eſt virtutis facies: ſin verò introgredi libeat, mirabere tam facilia vniuerſa, vt & Agniculi ad vincendum ſufficiant: nec tamen hæc idcirco pronunciamus, quod non ſentiamus eiuſmodi, quæ virtutis cultoribus proponuntur, ad quæ exhorreat Caro & ſanguis, ſed tantam eſſe ſpiritalis alacritatis vim, ſic corroborari per gratiam à natura imbecillos, vt nihil ſe pati in via arbitrentur quandoque: Bernardus ſermone 1. in Reſurrectione Domini: *Leonem Ioannes audierat, & Agnum vidit: Agnus occiſus eſt, Agnus accepit librum, Agnus aperuit, & apparuit Leo:* Ergo, quod in virtute arduum eſt, de auditu ſolùm eſt, quod blandum, & mite, ex viſu eſt, nam Leo auditur, Agnus videtur: proſequitur Bernardus: *Denique dignus eſt (aiunt Seniores) Agnus, qui occiſus eſt, accipere fortitudinem: non manſuetudinem amittere, ſed accipere fortitudinem, vt & Agnus maneat & Leo ſit:* Pulchrè namque & vtiliter de virtute ſic diſpenſatum eſt, quæ & eadem maſcula & paulò terribilior appareat, ſed tamen dulcis vnà: atque ſuauis inueniatur: Nam ſi tota fortis & robuſta extitiſſet, raros ſui Adoratores habitura eſſet: Sin manſueta omninò, cunctis facilè obuiam fortaſſe deſpexiſſent Homines.

Apocal.5.

*Qui Virtutis librum aperit in Apocalypſi, ferum quidem Leonis vultū præfert, ipſe tamen Agnus mitiſſimus.*

Bernard.

Idem.

37. Fuit & virtutis ſtadium fornax, in quam Tres Pueri Nabuchodonoſoris Imperio coniecti ſunt: Num læſi, num combuſti ſunt? certè non tetigit eos omninò ignis, neque contriſtauit, nec quidquam moleſtiæ intulit: Danielis cap. 5. verſ. 50. Num lamentabantur ob periculi magnitudinem? imò canebant: nam ambulabant in medio flammæ laudantes Deum & benedicentes Domino: *Mira Res* (loquitur Zeno Veronenſis ſermone 5. de Daniele,) *opacitas intus, incendium foris: intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur:* Eia agite virtutis proci, ne terreamini ab ignium candenti aſpectu, intus aliud eſt, Ros placidiſſimè humectans, Fauonij benignior ſpirat aura, & hymni cantantur melodis vocibus: Quis credat ſub ignibus latitare mirificam iucunditatem! Abeant, abeant ſuſpiciones vanæ de rigidiori virtutis Imperio: ipſe vobis Timor nocet, nam præter formidinem, reliqua inania ſunt: Quamobrem Regalis Hymnographus Pſalmo 90. qui de Iuſtorum protectione eſt, verſ. 5. *Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno:* Cur non ab ipſamet nocte potiùs metuendum dixerat? Nam ſub noctem latrones, & quotquot inſidiantur, tenebras amant: ſed iuſtis neque ſub terra caligine metuendi vera eſt occaſio aliqua; Nam ex quo Virtuti ſe mancipauerunt, habitant in adiutorio Altiſſimi, & flagellum non appropinquabit ad eos, ideò ſi quid terrificum, timor eſt ſolùm atque imaginatio, à quo liberari Mentes nondum ſatis

*In medio fornacis ardentiſſimæ innocces vndique flammas euomente, quaſi dulci Zephyro refrigerati Deum laudāt hilares Tres Pueri.*

Zeno Veron.

Pſal.90.5.

*Imaginarius eſt omnis de virtute terror.*

eruditas Propheta orat: Bernardus ſermone 6. in dictum Pſalmum: *Benè autem dicitur, non timendum à Timore nocturno, & non dicitur à nocte, quia non ipſa afflictio Tentatio eſt, ſed magis timor ipſius.*

Bernard.

---

*Doctores ſancti de honoratiſſimis & pulcherrimis Eccleſiæ Membris.*

## SECTIO IV.

38. DEclarauimus in ſuperioribus inter gemmas primo recenſeri loco Margarita, ac proinde vnionibus aſſimilatam intelligi Ceruicem, quæ palmam referat inter lactea mulierum Colla: Tantam & diximus fuiſſe venuſtatem, vt ad compoſitionem, & decoris auctuarium maris Rubri candidos non expoſtularet lapillos; accepimus à Bernardo ſermone 41. in Cantica, operæpretium eſt, diſcamus ab eodem Colli nomine quid ſpiritaliter ſignficetur: *Annon ſiquidem tibi videtur* (inquit) *colli quodammodò vice fungi intellectus, per quem tua Anima trajcit in ſe Spiritus vitalia alimenta, atque in quædam transfundit viſcera morum, affectuúmque ſuorum? Hoc ergo Sponſæ collum, id eſt, purus & ſimplex intellectus, cum nuda & aperta veritate ſatis per ſeipſum reniteat, non indiget ornamento, ſed ipſum magis tanquam pretioſum Monile, animam decenter exornat, ac proinde ſimile Monilibus ipſis deſcribitur:* Quando igitur collo deſignantur qui Sapientiâ pollent, videlicet eâ quæ ſalutaris eſt quidem, & ad vitam erudit æternam, ipſi verò ſunt Eccleſiæ egregia luminaria, ſubinnuit incomparabilem eſſe illorum pulchritudinem, & cæteris hominibus præeminêre inſigniter, vt ſint quaſi duces humanæ authoritatis, atque hoc ipſo quod Doctores ſint, ſpecialior eis debeatur honor, & grandiori recumbant puluinari, cedente vel ætate, vel officio, aliiſque titulis, diuini ingenij præſtantiæ, & ſtupendo acumini cum Diſciplinarum exactiſſima notitia: Quamobrem Rupertus Abbas rectè animaduertit Iudaici dominatus belliſſimum tum imprimis fuiſſe vultum, & ad gloriæ admirandum faſtigium prouecta vniuerſa, quando Reges ſortita eſt quorum doctrinæ fulgentiſſimis radiis attonitus eſt circumquaque orbis: talis Dauid, ſub cuius Monarchia amplificari cœpta eſt Reſpublica, & ad apicem filio Salomone capeſſente habenas, peruenit, vtpotè, qui ſapientiſſimus Mortalium vocatus eſt: Quæ in figura Eccleſiæ Catholicæ euenerunt, & præinnuebant, quod contigit ſemper: nunquam beatiorem Eccleſiæ ſtatum, quàm tum, cùm plurimis emineret, quorum ſiue humano acquiſita ſtudio notitia omnium Doctrinarum, ſeu per Deum infuſa, & corroborata cœleſti Magiſterio, id quod in Hexameri laboribus, quartâ ſignificatum luce putat, cùm aſtris clarificatus Olympus, & Sole atque Lunâ præclariſſimis facibus adornatus eſt: Sed eius oratio talis lib. 1. in 1. Regum cap. 1. *Nam pulchra quidem Terræ plantaria, quæ tertia die plantata, vel produci iuſſa ſunt, ſed pulcherrima cœli luminaria, quæ quarto die facta, vel in firmamento poſita ſunt: Sic nimirum pulchra quidem & bona Sanctæ legis opera, quæ tertia Mundi ætate in figuram futurorum præcepta ſunt, ſed pulchriora Regum coronatorum, & Prophetatum facta & dicta, quæ in typum Regni Dei reſplenduerunt: Hanc enim quartam ætatem quartæ diei in laudem Creatoris coniubilare rectè dixerim, & ſecundum opera vtriuſque Spiritum ſanctum, Spiritum prædicari fortitudinis; quia videlicet & quarto die luminaria firmamentum ornauerunt in poteſtatibus & firmiſſimis ordinibus ſuis: & quartâ ætate in Pſalmis canoris, ſcriptiſque propheticis regali auctoritate ſermo Dei conualuit.*

Bernard.

*Doctores, Eccleſiæ collum, monilibus ornatum.*

*Felix Iudæorum Reſpublica, dum docti & ſapientes eam moderati ſunt Reges.*

Rupert.

39. Cùm Mundus adhuc in Adoleſcentia, de habitatoribus vnus, qui ambulauit cum Deo, raptus eſt Henoch, *Et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Geneſ. cap. 5. verſ. 24. Cur in Paradiſum tranſumptus eſt, nec Mortis expectatus terminus? Num ob ſanctitudinem & exquiſitam morum honeſtatem? Verùm & inſigniter iuſtus extitit Abel, qui non modò ſublatus ex hac vita ante obitum, ſed paſſus à fratre inhumaniſſimè occidi: Religione etiam & pietatis notis conſpicuus Enos, qui cœpit inuocare nomen Domini, ſed nec hic de Mortalium concilio ſurreptus, & ad Regiones amœnæ benignitatis tranſlatus: Helias quidem conſequutus vt igneo vectaretur curru in eadem loca: quidam Virginitati tribuunt, quæ fuit ante Euangelium rariſſima dos, quidam ardentiſſimo zelo diuini honoris: nihil autem ex his in Henoch eluxit, & vt zelum Dei habuiſſe non denegemus, ſed fuit communis Sanctorum zelus, non ſpecialis ardor vt in Helia: Quam igitur inueſtigabimus Priuilegio cauſam? Græcus Anonymus apud Lippomanum ad cap. 5. Geneſis. *Hic verò primus didicit Literas, & ſigna cœli, & Conuerſionis temporum, & menſes Literis mandauit:* Imò & ſcriptorum Patriarcha fuit Henoch, cuius ex monumentis allegat Beatus Iudas Apoſtolus, quem codicem Sacræ & Canonicæ authoritatis multi exiſtimarunt, de quibus à nobis diſputatum Volumine 2. Anteloquio 7. num. 64. & 65. igitur cùm is primus extiterit, qui Homines docuerit, quemadmodum ingenij partubus extincti, quamuis apud Hominum memoriam viuere poſſint in finem ſæculorum, probè admodum comparatum eſt, vt ipſe de Mortalium corruptione ſubductus, in eas tranſierit ſedes, apud quas iucundus & hilaris à diuinarum rerum ſpeculatione, viuat vſque ad metam conſumendi orbis: Nam velut maior quodammodò Humanæ conditionis infirmitate, dignus iudicatus eſt, qui Angelicis exercitationibus ſimile percurreret æuum.

Geneſ. 5. 24.

*Henoch, quia Doctorum primus, in cœlum viuus translatus.*

Lippoman.

*Henoch Scriptorum Patriarcha.*

40. Tandem extincta eſt dulcis Iacobi amor formoſa Rachel, quam vt defunctam Maritus quibus poſſit artibus coleret, & rependeret chariſſimis Amicitiis, erectæ columnæ Epitaphium infixit: *Mortua eſt ergo Rachel, & ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam, hæc eſt Bethleem, erexitque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius.* Geneſ. cap. 35. verſ. 19. Cyrillus Catena Græca in Pentateuchum: *Non temerè putant huius monumenti Scripturam meminiſſe: Nam, cùm plures Sanctorum Patrum mulieres dormierint, ſoli Racheli cippus erectus eſt: ea enim typum geſſit Eccleſiæ, quæ ſola victrix trophæum mortis ſuſtulit in Chriſto:* Benè atque peritè Eccleſiæ Catholicæ commodauit: Nam tot plauſtra Eccleſiarum apud Hæreticos, ſpuria & adulterina germina tranſierunt: nulla iam penè de Arrianis recordatio, nulla Donatiſtarum, nulla de Manichæis, ſola Chriſti Sponſa quæ fundata eſt ſupra petram durat, & permanebit quoad diſſoluatur mundus: Aliud ſuperaddamus percunctantes tamen, quamobrem non & Liæ manes celebri inſcriptione proſequutus eſt Iacob? Sed eſt peruulgata Patrum Allegoria Rachele

Gen. 35. 19.

Cyrill.

*Soli è primarijs Patriarcharum vxoribus Racheli Titulus Sepulcralis erectus legitur, in perpetuam eius memoriam: quippe Rachel Emblema eſt Sapientiæ quæ Homines perennat.*



Rachele adumbratam ſpeculationem, Liâ operationem: itaque Lia in iis verſatur, quæ tranſeunt & pereunt, Rachel optimã partem elegit, quæ nõ auferetur ab ea in æternum: Lia denique tumultuoſa quæque repræſentat, quod in palatiis, in caſtris, in agricolatione, in Mercatura, in omni fũctione inquietat: Rachel Muſas & Sapientiã deſignat, quæ otium & tranquillitatem repoſcit: cõprobat ad longum Richardus de S. Victore lib. 1. de præparatione Animi ad contemplationẽ c. 2. iam igitur ſi in figura tam diuerſæ ſorores duæ, præclarè quidem, cùm ex actione quæ prodeunt, ea vel ſenio, vel caſibus abſoluuntur, nam & Regnorum ſtatus deperit, & opes conſummãtur, & duriſſima ædificia cedunt vetuſtati; Sapientiæ autem fœtus Hominum perennãt memoriam, Doctrinæ titulum erexit, quæ æternari ipſam quoad Homines maneant, aliis cladem ſuſtinentibus, oſtendat: Simul etiam moneat debitam ſapientibus ſpecialem prærogatiuam honoris, vt propterea, quòd aliæ quanquam inſigni virtute mulieres ſub lege Naturæ non promeruerunt, Racheli conceſſum ſit, & publicè inſcriptum eius monumentum.

Richard. Victor.

41. Narratur Deus in principio creaſſe cœlum & Terram: & quoniam tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, iuſſit continuò prodire lucem, quã vt contemplatus eſt, quaſi illectus pulchritudine illius, approbauit ſplendidam Creaturæ gratiã: *& vidit Deus lucem* (inquit Textus Geneſ. c. 1. v. 4.) *quod eſſet bona:* Cur non & Olympi, & Telluris molitionem approbauit? Anaſtaſius Sinaïta, propterea ſubticuiſſe vt laudaret Numen, quod in cõfuſione & horrore, nondum faculâ, quæ illuſtraret productâ, eſſent, Nam vbi Chaos & ignorantia dominantur, Deo charum & amabile quid eſſe valeat? *Oſtendit* (ait libro 1. Hexam.) *omnia illa, quæ venerunt ante lucem, & Terram obſcurarunt, non eſſe bona:* Sed vt concedamus, antequàm lux proſiliret non ſatis digna fuiſſe, quanquàm principalia elementa, quæ Deus approbaret, quamobrem luce radiantia non commendauit: & de Terra quidem dici poſſit, adhuc incompoſitam extitiſſe, neque enim vſque in tertium diem protulit herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum; quare rudem adhuc & impolitam mirum non eſt illaudatam tranſiſſe Deum: Verùm ſuperna domicilia luce emergente ornata videbantur: Nam quid ſortita ſunt die quarto niſi quibus ſplendere, atque irradiare poſſint, Solẽ, & Lunam cum ſtellis, atque planetis? & tunc ſtatim vidiſſe Deum, quod eſſet bonum Moyſes reccẽſet: igitur cùm primo etiam die lux conceſſa fuerit, & fulgeret cœlum, quare non & bonum dictum ſit? fuit illa prima lux breuis ſplendor, trium dierum ſolum iubar, quæ verò creata ſunt die quarto luminaria, duratura erant per Temporũ ſpatia ampliſſima: Sed quemadmodum luce intelligimus ſignificari omne Doctrinæ genus, ſic æquum eſt denotari arbitremur Cœlo Homines præſtantioribus inſignitos donis: Sicut igitur cœlum, quoad lumine caruit, vel lucis vſura breuis fuit, aſtris nondum creatis, tam rude viſum eſt atque impolitum, vt ſuâ quaſi indignum approbatione Numen computauerit: ita quanquam præditos dotibus Mortales ſeu Nobilitate, ſeu diuitiis, ſeu Robore inſignitos, mancos tamen apparêre, & ſemiornatos, abſque ſcientiarum encomio, proinde & obſcuram illorum laudem; quin & ſanctitudini ipſi, quæ Rerum beatiſſima ſors eſt, mirum eſt, quantum pulchritudinis incrementum ſuis omnibus abſoluta numeris afferat eruditio.

Geneſ. 1. 4.

Anaſt. Sinaït.

*Nec cœlum ipſum (quo viri illuſtres ſignificantur) ante ſuorum luminarium creationem dignum Diuinâ approbatione iudicat Scriptura: Sic cuiuſlibet viri obſcura laus ſine ſcientiarũ encomio.*

42. Signũ magnum apparuiſſe in cœlo aſſerit Ioãnes initio c. 12. Apoc. Mulierem videlicet amictã Sole, & Lunam ſub pedibus eius: De Maria quàm plurimi intellexêre, è quibus ſerm. in dicta Apoc. verba Bernardus: coniectatur autem ſubacutè voluiſſe Chriſtum recompenſare Matris vetera beneficia, à qua olim indumenta accepit humanæ paſſibilitatis, nubem corporis ſanè; rurſum illi genitrici exuuia parat, ſed de Apolline, de Luna, de ſyderibus: *Et veſtis eum & veſtiris ab eo:* (inquit,) *veſtis eum ſubſtantiâ Carnis, & veſtit ille te gloriâ ſuæ Maieſtatis: veſtis Solẽ nube, & Sole ipſa veſtiris:* At cur non in veſtitu deaurato circumamicta varietatibus, vt Sponſa illa de qua Pſalm. 44. Dauidis Muſa? cur non cũ gemmis & auro, & pretioſſimæ Textrinę meliori ingenio, ſicut Sponſa huius Epithalamij? Cur non vt Agni vxor, de qua Ioan. Apoc. c. 19. v. 8. *Et datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido?* Quis de ſole conflari vel cycladem, vel ſtolam longam vnquam credidit? Notum eſt, illa Temporum inſtrumenta, quibus adornata eſt Virgo ſacrata, Phœbum, ſororem & ſtellas, Doctrinæ celebres characteres eſſe; Nam præſides Apollo, & Diana quæ Pallas nominatur fulſuros autem qui alios erudiunt ſyderũ inſtar inter Dei Vates proclamauit Daniel: Cùm igitur veſte longè nobiliſſimâ Matrem condecorare vſque ad ſtuporem intuentium Saluator cogitaſſet, delegit inter ornamenta, quæ inſignem Sapientiã repræſentarent emblemata, vt cùm è doctrinæ theſauris cooperuiſſet, iis veſtiiſſe intelligeretur, quæ tantam venuſtatem attulerint, vt præ admiratione extra ſe rapti intuentes penè quibus modis declararent, neſcirent: Quamobrem hic idem Ioannes Euangeliſta & viderat quidem Ciuitatis Dei magnificam opulentiam, quando vel fundamenta è lapidibus conſtarent, quos gemmas nos appellamus, & habitatores contemplatus eſt, quorum in veſtibus tantus ſplendor, quantùm cogitare humanus non valeat ſenſus, ad nullius tamen decorem admiratorio vſus eſt ſermone tali, qualem de Sapientiæ Hieroglyphicis contextus amictus vt ederet, compulſauerat.

Apocal. 12.

*Veſtitur Maria, Sole, Lunâ & ſtellis, illuſtribus Doctrinæ characteribus, ad omniũ ſtuporem.*

Bernard.

Pſalm. 44.

Apoc. 19. 8.

43. Inter Salomonis fabricas excelluit Throni opus, eius quẽ de ebore fecit, *& veſtiuit auro fuluo nimis,* Reg. 3. c. 10. v. 18. denique vt breui encomiũ omne abſoluamus, ſcripturæ ipſius verbis pronũciamus, non eſſe *factũ tale opus in vniuerſis Regnis:* Sed quem in ſcopum hoc ſedile tanti miraculi? Multorum cogitatio eſt quos exhibuimus tom. 1. Anteloq. 5. ſect. 5. n. 72. indicaturæ deſignatũ: itaque Controuerſias Altercantium cùm Monarcha definiret, eo prodibant è ſolio oracula: At nonne Salomon alium proculdubio thronum habebat, vbi conſidebat cùm legatos variarum Prouinciarum excipiebat? Hunc quoties conſcendebat, veriſimile eſt eum indui ea omnia ſolitũ, quæ ſummæ oſtẽtationi deſeruire potuiſſent, nihílque vel à natura vel ab Arte excogitatum, quod humana induſtria conſequi poſſit, ab illo prætermiſſum: gaudebat enim laudibus exterorum, & famã deferri in extremas oras Terrarum optabat, quę vix fidem adeptura fuiſſet: talis ſedebat Magnus ille Aſſuerus, *ſuper ſolium Regni ſui, indutus veſtibus Regijs, aurôque fulgens, & pretioſis lapidibus,* Eſth. c. 15. v. 9. Quamobrem itaque non in hoc throno ad publicum ſtuporem compoſito præcipua elaborando diligentia omnem conatum adhibuit? Videbatur enim conſentaneum, vt hoc imprimis eiuſmodi

3. Reg. 10. 18.

*Thronus Salomonis eburneus (quale opus in vniuerſis regnis non eſt factũ) Sapientiæ deſignatus: Huic enim quod pulcherrimũ eſt debetur.*

Eſth. 15. 9.

eiuſmodi fuiſſet opus, cui nullum ſimile in vniuerſis Regnis: Sanè locus ille vtpotè forenſibus dicatus quæſtionibus in cauſarum Arbitro exquiſitam legum peritiam deſiderabat, proinde & Hominem ſolidè doctum, & diſciplinarum cognitione egregiè verſatum: quod eò certius fuerit, ſi ſtatuerimus de eius throni cathedra ad florentiſſimorum ingeniorum cateruam è Mundi partibus vniuerſis penè confluentium, abditiſſima Naturæ ſecreta cum Theologiæ difficillimis arcanis vice Anteceſſoris fungentem ipſummet pandere conſueuiſſe Salomonem; quo de argumento non ſemel priori volumine. Iam igitur quando Sapientiæ deſtinatum ſolium; oportebat, neque ſplendidius, neque elegantius quidquam comparari potuiſſe, eiuſmodi demum, quod palmam referret non ſolùm inter reliqua Monarchæ opera, ſed omnium Regnorum inter molitiones: Quod enim optimum, quod pulcherrimum eſt, id Sapientiæ iure quodam ſingulari debetur, proinde Monarcha omnem ingenij conatum in eo ſpeciatim adornando opere collocauit, in quo regnatura fuerat eruditio.

44. *Vt Chriſti in cunis Diuinitas innoteſcat, Infanti Reges adorant, non quidam Romanorum Imperator, opibus & potentiâ conſpicuus, ſed Magi. j. Sapientes & literatiſſimi, cùm plus ſit honorari à ſapiente, quã à locupletiſſimo.*

Chriſtum in ſtabulo prope duo Animalia vagientem Paſtores venerati: ſubſequuti exactis diebus aliquot Reges Tharſis, Sabæorum atque Arabiæ Dynaſtæ: cur oppoſitæ turmæ Pauper & diues in vnum? Equidem per omnem ferè vitæ decurſum imis altiſſima conſociauit Chriſtus, vt humilia & vulgata Mortalem atque paſſibilem docerent, excelſa atque ſublimia Deum fore probarent: ergo Paſtorum aduentus Hominem indicet, neque enim ſupra locum Natiuitatis & Parentum egeſtatem talis comitatus, Ruri namque exigua ſunt omnia: Sed quod deſpectum infantem, nimirum fœno iacentem, ídque Brutorum ſtabulo Reges profuſis vultibus adorauerint, Diuinitatis proclamabat virtutem: Quid enim mage peregrinum, quàm trabeam regalem proſterni, atque os faſtuoſum Veſtigia lambere infantis, quem Mater in præſepibus enixa ſit, quod in diuerſorio locus non eſſet ob anguſtias rei familiaris? Verùm, quando placuit Deo incunabula honorare Puſionis accerſitâ è longinquo Purpurâ dominatrice, quare non Romanorum compulit Imperatorem, qui ad inuiſendum pergeret, aut de Barbarorum tyrannis aliquos potentiâ & opibus, Perſarum Magis fulgentiores? Nam miraculum plus commendaret, quò maior eſſet auctoritas venerantium: Supponamus, id quod Patres & Euangeliorum declaratores referunt paſſim, non ſolùm regiâ maieſtate conſpicuos, ſed etiam Literarum reconditarum notitiâ laudatiſſimos eos, quos Magos Euangeliſtæ appellant. Iam igitur, vt concedamus imperitæ multitudinis opinione maiorem concitandam admirationem, ſi longa emenſi itinera Chriſti deoſcularentur pedes Monarchæ, quorum vltrà protendebatur imperium, & illuſtriores erant opes: At vero iudicio rectè ſentientium plus eſt venerari infantiam Seruatoris à Rege Sapientiâ prædito, quàm à Rege locupletiſſimo, & ampliſſimæ ditionis: Primùm, quia Sapientia opibus incomparabili antecedit interuallo, quamobrem de illa Scriptor egregius c.7. v. 8. *Et prapoſui illam Regnis & ſedibus & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.* Sapient. 7. 8. Deinde quoniam ſpatia Terrarum infinita penè gubernans Rex & gazâ multiplici præclarus, fatuus eſſe poſſit, & de errore colere quod oportebat non adoraſſe: in ſapientem autem Monarcham error, præſertim qui hebes & indiligens ſit, non cadit, imò nullum fortius argumentum talium virorum actionibus, modò intellectum ſequi concipiantur: bellè igitur, vt filij extolleret vagitus, & Numen latère ſub Carne paſſibili ſubinnueret, inſpirauit Regibus, qui doctrinâ eminerent, vti quæſitum proficiſcerentur atque adorarent: Quid namque ſimilis ſtuporis, atque ab iis, qui Philoſophi habebantur in paucis inſignes, per viarum ambages recens natum infantem indagari, quem ſimul cum Brutis inuentum ſummâ cum Animorum voluptate ſuſpicerent, & figerent labia tenerrimis membris? Quare exclamat Bern. ſerm. 1. de Epiphania: *Quomodo ita inſipientes facti ſunt viri ſapientes, vt adorent paruulum, deſpicabilem tam ſuâ ætate, quàm paupertate ſuorum? inſipientes facti ſunt vt fierent ſapientes.* Bernard.

45. *Vel ipſe Ioãnes Baptiſta indignum ſe fatetur, qui corrigiã calceamentorum Verbi. j. Scripturæ nodos ſoluat. Quanta Hæreſis ſtolidæ impudentia in Scripturas tam audacia!*

Vah dignitatis eminentiam illorum, quibus indultum eſt legem Dei aut interpretari aut docere! certè in iudicij hora de hoc Beneficio pertinax erit quæſtio: Quantus ille, quo non maior inter natos mulierum Præcurſor Domini? *Ego* (inquit Ioan. cap. 1. verſ. 26.) *Baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Taceo de externæ Humilitatis functione, ad quam verba hæc diriguntur, feror cùm Gaudentio Brixienſi ad myſticam ſignificationem, qui tract. 5. in Exodum: *Et ideo Ioannes Baptiſta* (inquit) *in Euangelio negat, vel idoneum ſe eſſe, vel dignum, qui ſoluat corrigiam Calceamentorum eius, id eſt, ſermonem eius: Siue, vt ediſſerat vnum de mandatis eius: Siue, vt nudare valeat, & euidenter oſtendere, calceati adhuc in iſto ſæculo Verbi Dei veneranda veſtigia:* Gaudent. Brixienſ. Equidem cùm intuebar renuentem piâ contentione, vt lymphis tingeret, quem ſub Hominis forma Deum eſſe cognouerat, deſinebam tamen ſtupère, quoniam Creaturæ nulla eſt comparatio: Nunc cùm cernam electum à Deo Concionatorem Spiritus ſancti tubam, Verbi organum, & qui pluſquàm Propheta ſit, aſſeuerantem, indignum ſe, qui Scripturarum nodos reſeret, etiam faciliores; neceſſum eſt admirer penitus, vel credam Rem tantæ excellentiæ, quantæ ne Ioannes par ſit. O noſtram audaciam, qui ſic temerè irrumpimus in ſacra Bibliorum adyta! Vna hæc Ars eſt, quam ſine vitæ exemplis, ſine doctrinæ meritis aggredimur præſumptuoſi. & tamen Baptiſta Homo miſſus à Deo inidoneum ſe putat, qui corrigiam calceamentorum, ſcilicet minùs abſtruſa arcana interpretetur.

VESTI



# VESTIGATIO XII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum decimum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus:* Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. *Cap.*1. *verſ* 10.

*Murenularum ad effigiem Piſcis, aut ſerpentis? An zonæ fœmineæ ornamentum? & huius apud veteres pretium, ornatúſque ſingularis: ex Prouerbijs, Iſaia, Ieremia: Sponſus loquatur, an ſodales? Munera ab Amicis nuptiarum data: Honor Doni, cùm qui largitor eſt, fuerit Artifex: Iob elucidatus.*

### Sectio I.

1. *Variæ dictiones Hebraicæ, per Murenulas expreſſæ.*

VARIÆ ſunt dictiones apud Hebræos, quas vno, eodémque vocabulo ordinarius expreſſit, Murenulas ſemper appellans: Nam hîc תּוֹרֵי *Thore* eſt, quam verſu antecedenti Turturem interpretatus eſt, nos faciei, vel aurium ornamenta explicauimus, quali pacto Murenulas Anſelmus hîc declarat & Bernardus ſermone 41. Numerorum autem cap. 31. v. 50. vocem כּוּמָז *Cumaz* Murenulas transfert, quemadmodum Iſaiæ c. 3. verſ. 20. קִשֻּׁרִים *Kiſſurim* Delrius & Sotomaior Latinâ dictione nullum definitum mulicbris cultus ornamentum ſignificari autumauêre, ſed originarij idiomatis verba, quæ indicarent Murenam referentia qualia potuerant eſſe vel Ceruicis, vel brachiorum, vel crurum decoramenta, indicaſſe generali verbo: Tamen Hieronymus cùm declarandum ſuſciperet: quale eſſet de mulicbri gaza ornamentum Murenula, colli Monile aſſeruit in dictum Iſaiæ c. 3. verſ. 20. atque epiſtola ad Marcellam. 15. *Auri* (inquit) *Colli, quod Murenulam vulgus vocat, quod ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente, quadam ordinis flexuoſi catenâ contexitur, vendidit*; cum in modum Caſſiodori cum nomine Explanatio; Beda & Rupertus ſubinnuunt, & de veteribus verè vulgatam ſequentes Tranſlationem: & denſo cuneo Recentiores quoties id vocabuli occurrit: Sanè, cuius demum ornamentum fuerit fœminei corporis, talia nonnulla quæ aut Murenæ figuram, vel ſerpentis, vel anguillæ imitarentur, & nomen retinerent Animantis, ad cuius ſimilitudinem effigiata ſunt: Clemens Alexandrinus libro 2. Pædag. cap. 12. *Quemadmodum enim Euam ſerpens decepit; ita etiam mulieres alias mundus aureus, eſca vtens ſerpentis figura in probra furioſè impulit, nempè murenulas quaſdam aureas, & ſerpentes ad decorem effingens.* Meminit & inter donaria de duabus Murenulis in Leone 3. Anaſtaſius Bibliothecarius quas Monilia ad Piſcis effigiem noſter exponit Zerda, Aduerſariorum c. 95. n 27. Andreas Tiraquellus lege 3. Connubiali verbo ὄφις n. 27. ex Polluce lib. 3. cap. 16. refert, ornamentum eſſe muliebre ſerpentis, aut Anguillæ ſimilitudinem habens: Quare Papinij Statij eruditus Scholiaſtes Bertnartius mendum latère arbitratus eſt vulgari lectione 1. Achill.

Anſelm. Bernard. Numer. 31. 50. Iſai. 3. 20. Delrius. Sotomaior. *Quid hæ Murenulæ?* Hieronym. Caſſiodor. Beda. Rupert. Clem. Alex. Anaſtaſ. Biblioth. Cerda.

*Nec mea nunc vittis albeſcunt Tempora primis,*

Nam *angueſcunt* potius legendum opinatur, quia videlicet inſtar Anguium vittæ dependebant: Locus verò imprimis celebris eſt de Monili ſerpentis ad imaginem compoſito apud Nonnum lib. 5. Dionyſ.

Bertnart. *Monilia ad ſerpentis figuram.*

Ποικίλον ὅρμον ἔτευξεν, ὃς ἀστερόεντι νώτῳ
Ἦν ὄφις ἣν ἑλικῶδες ἔχων δέμας, οἷα γὰρ αὐτὴ
Δίστομ☉ ἀμφίσβαινα μέσῳ μηρύεται ὁλκῷ
Ἰὸν ἀποπτύουσα δ' ἀμφοτέροιο καρήνου
Ἀμφιελιζομένη μελέων ἑτερόζυγι παλμῷ.
*Varium Monile fecit, quod ſtellis lucente dorſo*
*Tanquam ſerpens erat, circulare corpus habens, velut enim ipſa*
*Duplicis oris amphisbæna medio reuoluitur tractu*
*Aculeum exſpuens ex vtroque capite*
*Circumuoluta membrorum alteriuga vibratione.*

Nonn.

Quin & Carminis genus, quod σκολιόν, hoc eſt obliquum veteres appellabant, de quo egimus Veſtigat. 1. n. 28. quod flexuoſo gyro, cùm per vices cantaretur ab Hoſpitibus, & rediret circulari ambitu ad eum, à quo pangi cœptum eſt, anguinam flexibilitatem imitaretur, ſerpens vocatum eſt, quod alludens ad nomen Carinus Poëta apud Athenæum lib. 15. Dipnoſophiſt. aiebat:

*Carmen obliquum dictũ, Serpens.*

*Pulcherrimam ſerpentem cùm Amicus ſumpſerit*
*Rectã vt mentẽ, minimèque σκολιαν induat, oportet.*

Carin.

Quod probè obſeruatum eſt à Dalechampio Notis Marginalibus in Athenæum.

Dalecamp.

2. *Num per Murenulas ſignificetur faſciæ pectoralis, aut zona ſeu cingulum?*

Fortaſſe cuipiam placiturum fuerit, quando antecedenti verſu de colli ornatu actum ſit, non repeti ſecundò eadem, ſed nouum eſſe, quod Murenularum vocabulo ſignificetur donum, faſciam videlicet, pectorale, aut Zonam, cingulúmve fœmineum, quod ad mamillas præcingi cõſueuerit, multus enim honor Zonę, quarę illa tam prouida & negotiatrix, quæ de nocte conſurgebat Materfamilias, & non extinguebatur lucerna eius, *cingulum tradidit Chananæo.* Prouerb. c. 31. v. 24. quia talium mercium lucra egregia, quod in deliciis eſſent elegantiarũ ſtudioſis: Iſaias cũ Ieroſolymitanarum

Prouerb. 31. 24.

Iſai.3.24. tanarum nuruum luxibus comminaretur: *Et erit pro ſuaui odore* (inquit c.3.v.24.) *fœtor, & pro Zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium:* cæterùm & apud Ethnicam Muſam Iuno cum ſe componeret apud Homerum Iliad.lib.14.

Homer. *Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν.*
*Cinxit autem cingulum centum ſimbrijs concinnatū.*

Imò in cingulo quidem lepores omnes fœminei amictus, quamobrē de Venere ſtatim idem Poëta:

Homer. *Veneris cingulum.*
Ἦ, καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα
Ποικίλον· ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο.
Ἔνθ' ἐν μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκαπερ φρονεόντων.
Τόν ῥά οἱ ἔμβαλε χερσὶν, ἔπος τ' ἔφατ', ἔκ τ' ὀνόμαζε.
*Dixit, & à pectoribus acu pictum cingulum*
*Varium: in eo autem ei illecebræ omnes factæ ſunt:*
*Ibi ineſt quidem Amor, ineſt etiam deſiderium, ineſt colloquium,*
*Blandiloquentia, quæ decipit valdè etiā prudentiū.*
*Hoc ei impoſuit manibus, verbúmque dixit, & compellauit.*

Curt. Curtius lib.3. Perſarū Regis mollitiem notauît, quod zonâ aureâ muliebriter accinctus acinacem
Apulei. ſuſpenderat: & de Photide Apuleius Milleſior. 2. *Lineâ* (inquit) *tunicâ mūdulè amicta, & ruſſeâ faſciolâ prænitente altiuſculè ſub ipſis mamillis ſuccinctula, illud cibarium vaſculum floridis manibus rotabat in circulum;* & aliquid de hoc cultiori genere quo ornatum Cleopatræ pectus Lucan.memorat lib.10.

Lucan.
*Candida Sidonio prælucent pectora filo*
*Quod Niloris acus compreſſum pectine ſerum*
*Soluit, & extenſô laxauit ſtamina velo.*

Iam & de nuptialis gloriæ apparatu faſcia cum
Ierem.2.32. *Faſcia cum cingulo inter nuptialia ornamenta.* cingulo: Ieremiæ cap.2.v.32. *Numquid obliuiſcetur Virgo ornamenti ſui, aut Sponſa faſciæ pectoralis ſuæ?* ideircò & inter præcipua dona de oblatis nouæ Nuptę: Claudian. Epithalamio Honorij & Mariæ:

Claudian.
*Certatímque nouis onerant connubia donis;*
*Cingula Timothee, rarum Galatæa monile*
*Et grauibus Spalate baccis diadema ferebat.*

Catullus in Hymenæo Pelei & Tethidos de Ariadna loquens mœſta, & incompta:

Catull.
*Non contecta leui velatum pectus amictu*
*Non tereti ſtrophio lactantes vincta papillas.*

Quod verò deſcripſimus ex Nonno Monile §. *Monile ſimul cum zona, in modum ſerpentis.* elapſo, ſerpentis imaginem retinens, donatum à Venere Nouæ nuptæ aſſerit, Harmoniæ Cadmi Sponſæ, quod deſcendere à ceruicibus & protrahi ad vmbilicum aſſeuerat, corpúſque mediū circuire, planè vt zona quoque fuerit, at nunquam à ſerpentis imitatione recedens, quamobrē canit:

Nonn.
*Flectebatur incuruatam habens geminam catenam*
*Copioſum ſquammis in vmbilicum medium veniens*
*Implexa ſerpens duo capita habens, volumine verò Artis*
*Aureus tracti voluebatur circulus ſerpentis.*

*Aquilæ & Dracones in monilibus.* Meminit poſtea Aquilæ & draconum, qui cernebantur in eiuſdem Monilis opera, fortaſſe Draconum hiatus extremæ fibulæ monſtrabant, de quibus an Valerius lib.3. Argonaut.

Valer. Flacc.
———*qua cærulus ambit*
*Balteus, & gemini committunt ora Dracones.*

Huiuſmodi igitur ſunt, quæ vt de cingulo exponi valeat Murenæ nomen, mouêre poſſint: nobis à trita recedere opinione haud neceſſarium.

3. *Quiſnam has Murenulas promiſerit? Sponſus, an cognati & affines; Aut Amici & ſodales?*

Quodcumque tandem corporis ornamentum ſit, quod Murenæ formā repræſentauerit, ecce lis eſt, quinam Sponſæ polliciti fuerint: Nū Amici & ſodales nuptiarum, qui vocati ad pompā genialē? an cognati & affines recèns nuptæ? an denique Maritus ipſe? Nam ab his cunctis munera Puellæ, quæ in thalamos ducebatur, oſtendimus delata fuiſſe Veſtigatione præcedenti, num.5. & Veſtigatione ex tranſactis 4. num.4. de ſanguine fœderatis Paris ad Helenam apud Naſonem:

*Dona Pater, fratréſque, & cum genitrice ſorores* Ouid.
*Iliadéſque omnes, totáque Troia feret.*

Et in Cadmi & Harmoniæ nuptiis relato iam quinto Dionyſiacorū libro Nónus Deos cōiugiorum Hoſpites introducit, qui & Sponſo & Spōſæ varia offerant munera: delibemus pauca aliqua:

———μακάρων δέ τις ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ Nonnus.
Εἰς θαλάμους σπεύδοντι γέρας δωρήσατο Κάδμῳ,
Ζεὺς μὲν πάντα τέλεια· κασιγνήτην δὲ γεραίρων
Ἥρην παμμέδεουσαν, ἐπεὶ πέλεν Ἄρεϊ μήτηρ,
Ἵππιος ὤπασε δῶρα θαλάσσια κυανοχαίτης
Ἑρμῆς σκῆπτρον ἔδωκεν, Ἄρης δόρυ, τόξον Ἀπόλλων,
Καὶ στέφανον κομόωντα λίθων ἑτερόχροϊ κόσμῳ
Ἁρμονίης Ἥφαιστος ἐπηώρησε καρήνῳ,
Χρυσείην κροτάφοισιν ἐπικρεμάσας ἀναδέσμην,
Καὶ θρόνον ἀγλαΐην πόρε χρυσόθρονος Ἥρη.
———*Deorum verò quiſpiam alius poſt alium*
*Ad thalamos feſtinanti munus dedit Cadmo.*
*Iupiter quidem omnia eximia, ſororem autem venerans*
*Iunonem omnibus charā, cùm eſſet Martis Mater*
*Equeſtris præbuit munera maxima nigros crines habens Neptunus,*
*Hermes ſceptrum dedit, Mars haſtam, arcū Apollo,*
*Et coronam comam nutrientem lapidum verſicolore ornatu*
*Harmoniæ Vulcanus eleuauit ſuper caput,*
*Aureum temporibus appendens ornamentum;*
*Et ſellam bonis ſtructam lapidibus præbuit auream ſedem habens Iuno.*

Sodalium & Amicorum Sponſi verba eſſe priſcorum bona pars exiſtimauit, nec abnuūt de Recentioribus quidam: Nam pluralis locutio monet: *Si* [*faciam*] *ſingulariter* (ait Bernardus ſermone 41. in Cantica) *& non pluraliter* [*faciemus*] *dixiſſet: abſolutè, & indubitanter etiam hoc loqui Sponſum pronunciaſſem: Nunc autem vide, ne fortè magis ſodalibus eius congruentiùs aſſignemus:* benè quidem ex coniectura diſputat; cæterùm vt Delrius noſter animaduertit, Hebræis vſitatum eſt ſingularem pro Multitudinis numero ſubrogare, & id honoris nonnunquam causâ fieri monſtrauimus Veſtigatione 1. numero 19. Sanè, cùm oſtenderimus ſæpè ex Nuptiarum ritu, ab Amicis & conſanguineis dona Nubentibus conceſſa, æquum eſt in nobiliſſimo Hymenæo nec hoc officiorum genus prætermiſſum fuiſſe arbitremur: niſi autem hoc loco introduci ſodalium & cognatorum munera ſupponamus, neſcio quam aliam ſibi aptam ſedem in Epithalamio inueniat celebris obſeruantia.

Bernard.
Delrio.

Neque idcirco putamus aberraſſe, qui intellexerint à Sponſo prolatam hanc orationem, quæ Patronos habet conſpicuos ex veterum, Recentiorúmque claſſe: Quid verò innuat, cùm dicat facturum ſe: Num argentarius ipſe, qui norit de Monilium opificio? fortaſſe quidem de Mechanicis Artibus nonnullas Princeps iſte didicit, eámque imprimis quæ in elaborando auro, atque argento verſatur, nam morem fuiſſe vt tales diſcerent Artes, & nonnunquam exercerent, ſummis quoque Imperatoribus probauimus Tom.1. Anteloq.5. num.126. fabrum igitur ipſummet futurum ſpondet ornamenti, quod vel ceruicem, vel pectus Sponſæ condecoraturum: Nam licet Sponſæ chara omnia, quæ à viro pignora acceperat,

4. *Quidam hîc Sponſo loquēti verſum inſcribunt.*



acceperat, ſed longè dulciſſimum, cuius non de plebe quiſpiam, ſed ipſemet conſtructor & inuentor extiterit: quare inferius cùm in viridario præpararet epulas ſignificauit Conuiuis non ab alio, quàm ab ipſo odorata demeſſa folia, è quibus nuptiales Corollas texerent: *Meſſui* (inquit cap.5. verſ.1.) *Myrrham meam cum aromatibus meis:* Sic apud Latinum Vatem cùm Andromache operoſo donaret amictu, aduertit, cum diligentia ab ipſius confecta manibus ſingula, Æneid.3.

*Sponſus ipſe doni ſui artifex, quo gratius & charius Sponſæ futurum ſit.* Cant.5.1.

Virgil. *Maximo in pretio habentur dona Amantis manu elaborata.*
*Nec minùs Andromache digreſſu mœſta ſupremo*
*Fert picturatas auri ſubtegmine veſtes,*
*Et Phrygiam Aſcanio chlamydem: nec cedit honori*
*Textilibúſque onerat donis, ac talia fatur:*
*Accipe & hæc manuum tibi quæ monumenta mearum*
*Sint puer, & longum Andromaches teſtentur amorem.*

Atque idem rurſum lib. 4. conſiderat bellè, quando Æneam Pænorum Regina vltra modum adamaret, non ſuſtinuiſſe alterius digitis confici quæ geſtaret ille:

Virgil.
———*Atque illi ſtellatus iaſpide fulua*
*Enſis erat, Tyriôque ardebat murice læna*
*Demiſſa ex humeris: diues quæ munera Dido*
*Fecerat, & tenui telas diſcreuerat auro.*

Sic & in Biblicis Deus ipſe loquens auditur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, Geneſ.cap.1. verſ. 26. vbi Patres mirè extollunt Creatoris erga Hominem ab initio gratiam, quod non Angelorum vſus ſeruitio, limum ipſe modulatus ſit, cui vitæ inſufflauit ſpiraculum, quare & vt huius tantæ dignationis recordetur, ac proinde ne ſinat opprimi ingenij ſui fœtum Iobus ſuggerit, inquiens: *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu: & ſic repentè præcipitas me?* cap.10. verſ.8. & Machabæorum fortiſſima genitrix nato indicat, quemadmodum non alieno lacte, ſed vberum ſuorum fonte aluerit per triennium, Machab. 2. cap. 27. verſ.27. itaque plurimùm refert, an quæ dona recipiuntur, alius confabricarit, an ille, qui liberalis ſit, quibus vt inſuper Sponſam nominibus Maritus obliget, pollicetur Monilium Argentarium ſe futurum, qui manus ſimul cum opificibus penſo admoueat. Idcircò, *Faciemus*, hoc eſt & aurifabri, & ego cum eis quoque, neque enim Artifex contemnam eſſe Monilis, quod te, ô dilectiſſima conſors, decoraturum ſit: Quod ſi arduum conceſſiſſe videatur, vt aurum, argentúmve poliendum ipſe Rex attrectaret ſacratiori dexterâ, & incudi, depoſitâ ad interuallum honorificentiâ, inſtaret, aſſeramus promittere, vt operum Artifices inuiſeret, atque vrgeret præſentia Maieſtatis, vt de Ptolomæo Ioſephus memorat, cum Hieroſolymitano Templo donaria miſit regiæ planè amplitudinis: *Abundè enim ſumptus ſuppeditans* (ait Antiquit. 12. cap.2.) *& præſentiâ ſuâ extimulans Artifices, opera eorum aſſiduè viſendo, nullam eis ſegnitiæ, aut negligentiæ relinquebat occaſionem:* Iterúmque in eandem ſententiam dicto capite: *Qui non ſatis putans, quod ſine parſimonia ſumptus præberet, relictis etiam ſerijs negotijs ſæpè adibat officinas, & inuiſebat Artificum opera, id quod magis etiam accendebat eorum diligentiam:* igitur faciemus Murenulas Artifices & ego: illi, operando; ego inſtando, & exhortando.

Geneſ.1.26. *Magna Creatoris in hominem gratia, quod hunc nō Angelorum miniſterio, ſed ſuis formauerit manibus.*
Iob 10.8.
Machab.7.27.
Ioſeph.



*Auri, atque argenti confœderatio gratior: Aſſyriorum in Vexillis columba: Ieremias exnodatus: Tranſlatio huius verſus ex LXX. Cicatrices auri laminâ obductæ: Vermiculatum opus è diuerſitate, varia ex Biblijs teſtimonia: quantis in rebus, quantôque Priſcorum luxu? Pſalm. 67. locus bis elucidatus: fax Ezechieli: Electri quot ſpecies? an Minerale idem quod Aurichalcum? vtriuſque conditio & honos.*

## Sectio II.

Ergo ſiue Sponſus ſit, qui Virgini Murenulas pollicetur, ſeu de affinium & cognatorum numero, ſiue ex Nuptiarum Amicis aliqui, quamobrem intermiſcent auro argentum? cur non ſeparata vtriuſque materia? Sanè Plinius, cùm de fœminarum luxu ageret, Pedum compedes ex ambobus ſociatis Metallis fieri iubêre ſolitas tradit lib.33. cap.12. quod maior hilaritas in coniunctione duorum: *quas inducere aureas* (inquit) *Mos triſtior vetat:* Seneca epiſtola 5. *Non ſplendeat toga, ne ſordeat quidem: Non habemus argentum, in quod ſolidi auri cælatura deſcenderit:* Simile Gregorius Niſſenus Oratione de Mortuis: *quid enim alendo corpori proſunt argentea vaſa, auro, gemmiſque tanquam floribus diſtincta?* Statius 4. Thebaid. deſcribens clypeum æneum Capanei, atque ibi cælatam Hydram:

5. *Venuſta auri, & argenti ſociatio.*
Plin.
Seneca.
Greg. Niſſen.

———*Pars anguibus aſpera viuis* Stat.
*Argento cælata micat, pars arte reperta*
*Conditur, & fuluo moriens igneſcit in auro.*

Herodianus libro 2. *His imperatis è veſtigio Milites Illyrici concurrunt, breuéſque illos gladiolos detrahunt, quos auro, argentóque ornatos in vſum pompæ ſuſpenſos habebant:* ita nonnunquam in argento cælaturæ ex auro, nonnunquam in auro puncta & characteres argentei, vt hoc Canticorum loco: Legitur & in Pſalm. 67. verſ.14. de Columba cuius *pennæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri:* quibus Hymni verbis ſignificari à quibuſdam exiſtimatum Vatem non ad naturam reſpicere auis, ſed quod Labaro prætenderant ſignum Babylonij, quoties pugna inſtruebatur: equidem depictam in Aſſyriorum ſignis volucrem & Belli nunciam fuiſſe copioſa eruditio eſt nouorum interpretum, ad caput præſertim Ieremiæ 25. verſ. poſtremo: *Dereliquit quaſi leo vmbraculum ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ Columbæ:* appellat namque iram Columbæ Belli teſſeram, in qua deſcripta mitiſſima Auis, quæ in excelſum ſublata ſanguinis vaticinabatur profuſionem: dicunt & ipſi, quamobrem eâ potiſſimùm notâ vſi in gratiam Semiramidis Aſſyriæ: repetunt cognata Vlyſſes Aldobrandus Ornithologiæ lib. 15. pag. 194. Ramireſius in Pentecontarcho cap. 44. Cur itaque argenteam nominauit Pſalmodus cum diſtinctionibus auri? an quod ipſa ſecundum naturam lactea, & flaueſcens pariter? certè allegatus modo Aldobrandus cùm latiſſimè tractat de Columbis, & omnia penè humana, ſacratáque congerat, nihil quod intelligam eiuſmodi prodit: imò quidem niuea omninò fuiſſe videatur columba Semiramidis ob honorem Religioſa, de qua Tibull. Eleg.1. lib.1.

Herodian.
Pſal.67.14. *Columba, Babyloniorum militare vexillum.*
Ierem 25.38.
Aldobrand.
Ramirez.

*Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes* Tibull.
*Alba Palæſtino Sancta Columba Syro?*

Sin ad colorem non attenderit, ſed pretium indicare, quamobrem non ex auro ſolidè, qualem in delubris inter ementita Numina poſuiſſe Ethnicos Lucianus affirmat in Dea Syria? ergo certè vtriuſque combinatio elegantiæ causâ potioris, vt hactenus proferebamus: Quin & veteres illi ſic hoc auri atque argenti coniugio delectati, vt propterea, quæ candidiſſima eſſent, quale ebur, & ex Paro inſula celebratiſſimũ marmor, vel auro circumuallarent, vel purpurâ tingerent, aurum quod rufeſceret imitante: inde Maro Æneid.1.verſ.595.

Lucian.

*Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo*
*Argentum, Pariúſve lapis circumdatur auro.*

Virgil.

Meminit & Valerius Flaccus lib.2. Argonaut.

Valer. Flacc.

*Examimum veluti, multâ tamen arte coactum*
*Mœret ebur, Pariúſve notas & nomina ſumit*
*Cùm lapis, aut liquidi referunt miranda colores.*

Quo ex Metro fortaſſe eliciemus, quid ſua horum verborum Tranſlatione Septuaginta Seniores voluerunt indicare: Sed proferamus verſionem illorum:

6. *LXX. Interpretum Verſio.* LXX. Sotomaior. *Quid ſignificent hic Similitudines?*

Habet igitur Editio: *Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti:* Alij *cum punctis ſeu ſtigmatis argenti:* Ὁμοιώματα χρυσίου ποιήσομέν σοι μετὰ στιγμάτων τοῦ ἀργυρίου: Ac benè monuit Ludouicus de Sotomaior ſimilitudinibus, ſiue vt ipſe loquitur ſimulachris, intelligi chariſſimorum icones, qui vel è monilibus pendebant, vel in eis cælabantur, quo de vſu diſputatum eſt aliquid Veſtigatione præcedenti, numero 7. atque hæc ſunt nomina illa, quæ nuper ex Valerij Carmine Pario inſcribi Marmori, cùm tingebatur rubeſcentis oſtri coloribus, audiuimus: Vulgatus igitur modum Torquis ſeu zonæ expreſſit, dicens ad Murenæ imitationem compoſitum; LXX. quid fuit inſculptum declarauit, quódve penderet ex catenularum orbibus: Verùm quoniam Amor, cùm flagrabat, etiam ſtigmate carnem ſigillabat, notas imprimens Dilecti, fortaſſe promittit auro exornaturum, quæ ſe cruentauerit, vt probaret compari ardentem Mentis affectum: Equidem de cute per vulnera & ſectionem adapertâ nonnulli declarant verba ex cap.8.verſ.6. *Pone me vt ſignaculum ſuper Cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum:* de characteribus humano impreſſis corpori tantillum Præludiali opere Anteloq.5.num.96. relictas cicatrices poſt mortem Laminis aureis obducebant Pagani quemadmodum Aurelius Prudentius memorat Hymno de Sancto Caſſiano Martyre:

*Amantis nota in carne impreſſa.*

Cantic.8.6. *Amoris Cicatrices auro obductæ.*

*Functum deinde cùm relinquit Spiritus*
*Et ad ſepulchra pompa defertur fauens,*
*Partes per ipſas imprimuntur Bracteæ*
*Inſignis auri lamina obducit cutem*
*Tegitur Metallo quod peruſtum eſt ignibus.*

Aurel. Prudent.

Modò igitur Sponſa ſtigmata Dilecti in corpore ſuo portet, auro cælabuntur plagæ ſuperinducto argenteo candore.

7. *Opus Vermiculatũ quid?*

Gaudeat tali Expoſitione cui voluptas ſit, Nos ſolidiora requiramus ab Ordinarij Interpretis calamo: Quidnam igitur eius ex ſpiritu aurum vermiculari argento? Sanè opus vermiculatum in Parietibus, lacunaribus, oſtiis, pauimentis, cum inſititiis cruſtulis, puta de ebore, ligno imputribili & odorato, lapide ſingulari, & ſi quæ ſunt alia exquiſita, Teſſerulæ formantur, ſpiræque & flexus, quales vel acanthidis, vel ſerpentium, aut vermium, quæ anguillarum more nunc ſe contrahunt, nunc extendunt inæquabili menſurâ: duo igitur ſunt, quæ genus operis, quod Muſiuum conſueuit appellari præcipuè commendant: alterum, digniſſimúmque illud à Cruſtularum varietate, alterum viæ & ſemitæ flexiles: eo de inuento Plinius lib.35. cap.1. *Nunc verò, in totum marmoribus pulſa, iam quidem & auro; nec tantùm vt parietes toti operiantur, verùm & interraſo marmore, & vermiculatis ad effigies Rerum, & Animalium cruſtis;* habuit in pretio ſemper antiquitas, vt ſi quid in ædificiis pompoſum, hoc maximè eſſet: de magnificis à Salomone Reginæ conſtructis ædibus, Ioſephus libro 8. Antiq. cap.2. *Huic ædificio coniuncta erat domus in vſum Reginæ facta, & aliæ Aulæ, quò ſe negotijs peractis Animi causâ conferebant, omnes cedrinis tabulis conſtratæ: partim ſaxo decemcubitali conſtructæ, partim ita vt ſolent regiæ, vel Templa, incruſtatæ pretioſo marmore, quod è locis eo nomine celebribus apportabatur:* quo ornatu & Sacræ Baſilicæ parietes conueſtitos aſſerit inquiens: *In ſumma totum ædificium è marmore candido, & Cedro, & auro, atque argento conſtabat: diſpoſitis per parietes, & laquearia varijs lapillis auro incluſis, quemadmodum & in ornatu Templi factum fuerat:* Simile & Triclinium Aſſueri, Eſth.c.1. v.6. *Lectuli quoque aurei & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant; quod mira varietate pictura decorabat:* & Conuiualis locus ebrietatibus deſtinatus ſuperbiſſimæ Cleopatræ, qualis apud Lucanum libro 10.

Plin.

*Magno in pretio apud Antiquos.*

Ioſeph.

Eſth.1.6.

*——————laqueatáque Tecta ferebant*
*Diuitias, craſſúmque trabes abſconderat aurum,*
*Nec ſummis cruſtata Domus, ſectiſque nitebat*
*Marmoribus, ſtabátque ſibi non ſegnis Achates,*
*Purpureúſque lapis, totáque effuſus in aula*
*Calcabatur Onyx.*

Lucan.

Seneca epiſtola 115. *Nos ingentium maculæ columnarum, ſiue ex Ægyptijs arenis, ſiue ex Africæ ſolitudinibus aductæ, Porticum aliquam, vel capacem populi cœnationem ferunt.* Tacitus libro 15. Annal. cap.8. Naues recenſet auro & ebore diſtinctas: Sed iterum Seneca & præclariùs libro 7. de Beneficiis cap.9. *Video elaboratam ſcrupuloſa diſtinctione Teſtudinem, & fœdiſſimorum, pigerrimorúmque animalium teſtas ingentibus pretijs emptas, in quibus ipſa illa quæ placet varietas, ſubditis medicamentis in ſimilitudinem veri coloratur:* De Heroum autem Temporibus Græcæ Muſæ Pater cecinit, Odyſſeæ lib.4.

Seneca. Tacit. Seneca.

φράζεο Νεστορίδη τῷ μῷ κεχαρισμένε θυμῷ
Χαλκοῦ τε στεροπὴν κὰδ δώματα ἠχήεντα.
Χρυσοῦ τ', ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος.
Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή.

Homer.

*Conſidera Neſtoride meo gratiſſime animo*
*Æriſque ſplendorem, & domum ſonantem*
*Auróque, electróque, & argento, atque ebore:*
*Iouis nimirùm talis eſt Olympij intùs aula.*

His igitur Anaglyphis & polymitis delectata eſt verè ſtromatica priſcorum exædificandi ſcientia, ſine quibus nihil egregiè ſpecioſum.

8. Hieronym. *Veſtes Variegatæ.*

Tranſit & in veſtes Amor; inde apud Hieronymum epiſt.7. quæ eſt ad Lætam: *Pro gemmis & ſerico diuinos Codices amet, in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura:* vbi Reatinus Antiſtes: *Pelles variegatæ coloribus, & vermium inſtar punctis, notiſque diſtinctæ:* Athenæus lib. 10. Dipnoſoph. de Tentorio Ptolomæi Philadelphi: *Interior eius ſtationis pars Phœnicijs tapetibus circumuelabatur, interuallo medio, quod hunc locum à Tentorio ſeparabat, Animantium pelles incredibilis varietatis & magnitudinis pendebant,* quo de Amictu Maronianum Carmen 8. Æneid. *Virgatis lucent ſagulis,*

Athenæus.



Cerda.

*ſagulis,* &c. noſter de la Zerda intelligit, quod nimirum ſagula teſſelatam propè in ſpeciem variis ſemitis interſtincta cum flexibus Retium in normã, quadrato lateritio opere cum diuerſitate colorum, propterea vt concinnè Nobiles quidam Authores Tigram ob macularum differentiam virgatam nominauerint; cuius ſententiæ antiquior extitit Patronus Adrianus Turnebus lib.2. Aduerſar. c.4. de illis Tibulli verſib. lib.2. eleg.6.

Turneb. Tibull.

*Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa*
*Texuit, auratas diſpoſuitque vias.*

Hæc eſt nobiliſſima illa veſtium Sponſæ pars cùm ob nuptialem lætitiam ornatiſſima procederet canente Pſalmodo oda 44. verſ. 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus:* in Hebræo eſt רִקְמָה *Rikmah,* quæ vox Ezechielis, cap. 16. verſ. 10. vbi Interpres, *Et veſtiui te diſcoloribus.* Iudicum cap. 5. verſ.30. eadem dictio: *Veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam.* Celebrata à Valerio Flacco lib.6. Chlamys:

Pſalm.44.14.

*Nec leuior comitatur Aron, horrentia cuius*
*Diſcolor arma ſuper, ſqualentéſque ære lacertos*
*Barbaricâ Chlamys ardet acu.*

Valer. Flacc.

Seneca de conſolat. ad Heluiam, cap. 11. *Si deſiderat ſaturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variiſque coloribus diſtinctam & artibus:* Homerus Odyſſeæ lib.15.

——Ἑλένη δ' παρίστατο φωριαμοῖσιν,
Ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, οὓς κάμεν αὐτή·
Τῶν ἕν' ἀειραμένη Ἑλένη φέρε δῖα γυναικῶν
Ὃς κάλλιστος ἔην ποικίλμασιν, ἠδὲ μέγιστος.

Homer.

*——Helena autem adſtitit thecis*
*Vbi erant veſtes illæ variegatæ, quas elaborauerat ipſa*
*Harum vnam ſublatam Helena portabat diuina mulierum*
*Quæ pulcherrima erat verſicoloribus Texturis, & maxima.*

Denique ob hanc colorum varietatem, in qua omnis gratia amictus, pingebantur veſtes, quo genere Togæ ob ſummum honorem in ludis Circenſium, vtendi facultas conceſſa Prætori & Conſulibus, de quorum altero Iuuenal. Satyr.10.

Iuuenal.

*Quid ſi vidiſſet Prætorem in curribus altis*
*Extantem? & medio ſublimem in puluere Circi*
*In tunica Iouis, & pictæ Sarrana ferentem*
*Ex humeris aulæa togæ.*

Quamobrem, cùm pretioſiſſimis donatam à ſe ingratiſſimam Sponſam indumentis vir eius ſignificaret, Ezechielis, cap.16. vt qui nihil de exquiſitis conferre deſierit, multicolorem & polymitam quoque ſuppeditaſſe veſtem, addidit.

9. *Et in Menſis, Nauibus, armis, opus variegatum.* Virgil.

Proceſſit & ad alia luxus: nam & Menſæ ob eamdem cauſam pictæ, Virgilius 4. Æneid.

*———cui nunc Mauruſia pictis*
*Gens epulata toris Lenæum libat honorem.*

Et alibi ſæpè de quibus cùm plurima in hunc ſanè modum Plinius lib. 13. cap. 15. de Murenæ efficta à natura imitatione non tacuit: *Poſteà* (inquit) *Muræna nigro tranſcurrens tramite, variiſque corticum punctis apprehenſa papauerum modo,* &c. Naues quoque pictæ: Horatius lib.1. Od.14.

Horat.

*Nil pictis timidus Nauita puppibus*
*Fidit.*

Arma quin etiam depicta: Maro 8. Æneid.

*———Ipſe agmine Pallas*
*In medio, Chlamyde, & pictis conſpectus in armis.*

Sed ideo quidem picta, vt variis relucerent coloribus: Nam hunc præcipuum ſcopum fuiſſe indicauimus, vnde rurſum Poëta lib. 10. Æneid.

*———ſequitur pulcherrimus Aſtur*
*Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.*

Virgil.

Quando igitur tanta ambitio variegati operis, vt nihil fuerit, quod ſummè perplacuerit abſque elegantiſſimâ iucunditate illius, proinde & in domos penetrauerit & Menſas, atque ad veſtes & arma tranſierit, ne marina ſine eo vehicula: pollicetur idcircò Sponſus vermiculata Monilia, hoc eſt variegata quidem, intermixta auri flauedine niueo cum argenti Candore, & ob minutos labores vtriuſque ſic conglutinatis coloribus, vt cùm neque aurum, neque argentum eſſe deſinat, nouus tamen fulgor appareat, & aliquid Metallorum luce præſtantius: ac quidem minutos labores, quod vermiculati operis proprium Quinta Editio expreſſit ἐν κέγχροις, *in milijs,* hoc eſt, punctis inſtar milij exiguis, Symmachus colorum diſcrimina manifeſtauit, legens μετὰ ποικιλμάτων nempe *cum varietatibus.*

V. Edit. Symmach.

10. Quoniam verò Salomonis Monarchæ temporibus, ad quæ huius Epithalamij geſta reſpicere frequenter ſubindicauimus, tanta auri atque argenti copia fuit, quanta ne vnquam ſub Rege aliquo humano, *Fecit enim vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum,* Reg.3. cap.10. verſ.27. conſiderandum proponimus bonis ingeniis num fortaſſe ſatietas ipſa nauſeam attulerit, & quod in rerum natura ſæpiſſimè accidit, quod obuium & commune ſit, vileſcere inceperit, itaque auri atque argenti non multa fuerit æſtimatio, & cùm inde licuerit Ciuium vulgo Monilia fabricare vxoribus abſque magnis impendiis: Rarum aliquid & ſupra plebis captum Matronæ delicatæ conquiſierint: Ergo certè non de auro & argento Murenulæ iſtæmet? Non hoc inſpirant verba omnium Tranſlationum? Quid ſi de electro interpremur fœminarum luxibus charo? Ouid.2. Metamorph.

3.Reg.10.27. *Num quia Aurum nimis erat commune tẽpore Salomonis, Murenulæ Sponſæ de Electro?*

*Inde fluunt lachrymæ, ſtillataque ſole rigeſcunt*
*De Ramis electra nouis, quæ lucidus Amnis*
*Excipit & nuribus mittit geſtanda Latinis.*

Ouid.

Virgilius in Ceiri:

Virgil.

*Non me delicijs commouit Regia diues*
*Coralio fragili, ac electro lacrymoſo,*

*Electrum quid ſit & ex quo?*

Sed fabuloſum eſt inquias, quod de Electro comminiſcuntur Poëtæ, neque enim de tota ſylua arbor, quæ ita illachrymet, ſignari queat, Audi Sidonium lib.1. epiſt.5. *In Eridanum breui delatus, cantatas ſæpè comeſſabiliter nobis riſi & Phaëtontiadas & commentitias arborei Metalli lachrymas:* ſubſcribit noſter Zerda ad lib.8. Æneid. in illud: *Tum laues ocreas electro,* &c. verùm reperiri electrum, quod arborum gutta ſit, & Succinum dicatur ex ſectariis Auctor tertia Parte ſingularium Andreas Libauius acriter propugnat, Tractatu de ſuccino, cap. 4. eius opinionis ſuſpiciendus Patronus Diuus Ambroſius lib. 3. Hexam. cap. 15. *Quid autem tibi referam (clementem licet eſſe ſermonem) quod Electrum lachryma virgulti ſit, & in tantæ materiæ ſoliditatem lachryma dureſcat? Nec leuibus id aſſeritur Teſtimonijs, quando folia aut ſurculorum minutiſſimæ portiones, aut exigua quædam Animantium genera in electro ſæpè reperiantur, quæ vid[illegible] cum adhuc gutta eſſet mollior, recepiſſe, & ſolidata tenuiſſe.*

Sidon. Cerda. Libauius. Ambroſ.

11. *Electrum ex Auri & Argenti Coalitione.*

Liceat tamen per nos veræ eſſe huic ſententiæ, quid etiamnum auro & argento, de quibus conflatæ Murenulæ cum lachrymis Arborum? quare aliam Electri naturam perſcrutemur neceſſarium eſt, quæ de vtroque conſurrexit Metallo: tale quidem in viſceribus progigni terræ,

vbi Mineralia creantur, ex auri ſimul argentíque coalitione profani, ſacríque agnoſcunt ſcriptores, cuius & ſimilitudinem neque inferiorem natiuo Ars humana præſtat: Plinius lib. 33. cap. 4. *Vbicumque quinta Argenti portio eſt, Electrum vocatur: fit & cura electrum argento addito; quod ſi quintam portionem excesſit, incudibus non reſiſtit.* Iſidorus Hiſpalenſis libro 16. Etymolog. cap. 24. cùm Electri tres ſpecies aſſignauerit, primam, quæ de Arborum corticibus fluit, & ſuccinum vocetur: Secundam proponit Metallum eſſe, quod naturaliter inuenitur & in pretio habetur: Tertiam, quæ fiat ex tribus partibus auri, & argenti vnâ, vnde nihil intereſt (ait) nata ſit, an facta: Tertullianus contra Hermogenem cap. 25. *Nam & teſtam licet ex argilla confectam, iam non argillam vocabo, ſed teſtam: & electrum licet ex auro & argento fœderatum, nec argentum tamen, nec aurum appellabo, ſed electrum; à cuius habitu quid diuertit, pariter & à vocatu eius recedit:* Et contra Praxeam cap. 27. *Ex Carne & Spiritu mixtura quedam, vt electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum eſſe, id eſt Spiritus, neque argentum id eſt Caro, dum alterum, altero mutatur, & tertium quid efficitur.* Theodoretus in Ezechielis cap. 1. *Tale enim eſt electrum veluti miſtà quadam ſpecie præditum, neque auro, neque argento ſimile, ſed quaſi vtriuſque commiſtio.* In eundem Vatem, Gregorius Papa homilia 2. *In electro, dum aurum argentúmque miſcetur, argentum ad claritatem creſcit; aurum verò ſuo fulgore palleſcit: illud ad claritatem proficit, Hoc à claritate temperatur:* agnoſcunt hoc Electri genus, quod maximè verum putant Seruius Maurus in illud 8. Æneid. *Tum leues ocreas,* &c. ibidem De la Cerda, Pauſania lib. 5. & Strabone lib. 3. ducibus: Antonius Nebriſſenſis Quinquagenæ cap. 18. Andreas Libauius tom. 3. Tractatione de ſuccino, cap. 5. Raderus ad Epigramma 49. libri octaui Martialis: Biſciola tom. 2. Horarum ſubceſiuarum lib. 17. cap. 14.

Plin. — Iſidor. Hiſp. — *Tres Electri ſpecies.* — Tertullian. — Theodoret. — Gregor. — Seru. Maur. — Cerda. — Pauſan. — Strabo. — Anton. Nebriſſ. — Libauius. — Rader. — Biſciola.

12. Quo de Minerali ſuccino Ezechielem loquutum cap. 1. verſ. 4. *Et de medio eius quaſi ſpecies electri, id eſt de medio ignis,* affirmant cum nuper memoratis Gregorio & Theodorito Adamantius, atque Hieronymus, & ex Iunioribus Sanctius: Alcazarius quoque Notatione 4. ad verſum 3. cap. 4. Apocalypſ. Neque enim quod de ligni interioribus eſt ſuccinum, inconſumpto vigore flammas ſuſtinêre valeat, quod tædarum more ardet, moritúrque. Tacitus libro de moribus Germanorum ſub finem: *Si naturam ſuccini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox vt in picem, Reſinámve lentescit:* At ſubterraneum Electrum, quemadmodum alia Metalla ignibus purgatur, & doctæ Artis formas ſequitur; quare apud Poëtam Vulcanus, cùm polliceretur ad Martis opera quodcumque ipſius ſubminiſtrare officina poſſit, confœderauit electro ferrum, nam 8. Æneid. introductus loquitur:

Ezechiel. 1. 4. — Gregor. — Theodoret. — Origen. — Hieronym. — Sanchez. — Alcazar. — Tacit. — *Ignem facilè concipit Electrum.*

*Et nunc ſi bellare paras, atque hæc tibi mens eſt,*
*Quidquid in arte mea poſſum promittere curæ*
*Q[illegible]eri ferre, liquidôve poteſt electro*
*Quantum ignes, animæque valent.*

Virgil.

Prophetæ tamen ſermonem non de Electro, ſed de Aurichalco intellexêre noſtri à Lapide, Tirinus, atque Menochius: præluxit Hieronymus Pradus Commentario in cap. 1. Ezechielis ſectione 3. fortaſſe tamen quoad rem ipſam vtraque non diſſentit opinio: Nam vel idem eſſe Metallum, vel ſummoperè cognatum, non pauca ſunt, quæ perſuadeant: Quod enim ex auro, argentóque coagmentata electra dicebamus, de ære pretioſiſſimo, quale nimirum Aurichalcum, Plinius lib. 34. cap. 1. *Quondam æs confuſum auro, argentôque miſcebatur, & tamen Ars pretioſior erat: nunc incertum eſt peior hæc ſit, an Materia:* Quod etiam ab argenti Societate aurum pallesceret in electro, de quo Plinius lib. 33. cap. 4. *Electri natura eſt ad lucernarum lumina clarius argento ſplendêre:* Orichalcum pariter & candidum eſt, de quo Maroniani verſus Æneid. 12.

A Lapide. — Tirin. — Menoch. — Pradus. — *Electrum, & Aurichalcũ, idem metallum vel multùm cognata.* — Plin. — Idem.

*Ipſe dehinc auro ſqualentem, albôque Orichalco*
*Circumdat Loricam humeris.*

Virgil.

Atque ideò *Chalcolibani* appellatum nomine, quòd Libani vox candidationem repræſentet, ex coniectura Alcazarius probat Notatione 13. ad verſum 15. cap. 1. Apocal. Simul & in ſacris Electri vſus: Mineruæ Templo apud Lindos Inſulæ Rhodiorum Helenam ſacraſſe calicem de Electro Auctor eſt Plinius loco nuperrimè citato: & inter Menſæ ornatum, quam aliis maximis cum donariis in Templi vſus Ptolomæus Philadelphus miſit ob Tranſlationem Biblicam LXXII. Seniorum, de Electro memoria libro 12. Antiq. Flauij, cap. 2. μετὰ δὲ τὸν μαίανδρον, πλέγμα τι χοινοειδὲς περιῆκτο, ῥόμβῳ τὴν κατὰ μέσον ὄψιν ἐμφερές. ἐφ' οὗ κρύσταλλός τε λίθος καὶ ἤλεκτροι ἐνετετύπωτο, τῇ γονῇ παραλλήλῳ τῆς ἰδέας γοητείᾳ, ψυχαγωγίαν θαυμαστὴν παρέχον τοῖς βλέπουσι: *Propter Mæandrum verò reſticulati quidam nexus circumquaque diſcurrebant Rhombo circa medium ſimiles: in quo Cryſtallus & electrum per interſtitia paria coniunctim cum magna gratia ſpectabantur.* Iam & de Catholica Eccleſia in donatione Conſtantini apud Binnium Tom. 1. Concilior. 1. parte: *Conſtruximus quoque Eccleſias Beatorum Petri, & Pauli primorum Apoſtolorum, quas auro, & argento locupletauimus, vbi & ſacratiſſima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipſorum ex electro (cui nulla fortitudo præualet elementorum,) conſtruximus:* Æs quoque Religioſis miniſteriis dicatum obſeruat noſter Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis capite 5. §. 11. numero 65. Zerda in verſ. 452. Æneid. 1. *Ærea cui gradibus ſurgebant limina,* &c. vbi Seruius: *ærea ideò limina, vel quod æs magis in vſu veteres habebant; vel quod Religioni magis apta eſt hæc Materies: Denique Flamen Dialis æreis cultris tondebatur:* Certè in ſacro inſtrumento de Baſilica quidem Ieroſolymitana 1. Paralip. c. 18. verſ. 8. *de Thebath & Chun vrbibus Adarezer æris plurimùm, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas & vaſa ænea.* Quantus verò honor electro? Origenes homilia 1. in Ezechielem: *Electrum non ſolùm argento, verùm & auro pretioſius eſt;* eodémque prorſus modo loquitur Hieronymus ad 4. verſum cap. 1. Ezechielis: de æris pretio ſimilia ſcribunt Sanctus Iſidorus lib. 1. Etymolog. cap. 24. Plinius libro 34. cap. 1. Seruius in illud 12. Æneid. *albóque Orichalco,* &c. *apud Maiores Orichalcum pretioſius omnibus Metallis fuit:* Ioſephus libro 7. Antiquit. cap. 6. cùm expugnatas à Dauide præcipuas Adrazari vrbes, Bettæam & Machonem retuliſſet, ſubnectit: χρυσὸς δ' ἐν αὐταῖς εὑρέθη πάμπολυς καὶ ἄργυρος· ἔτι δὲ καὶ χαλκός, ὃν τοῦ χρυσοῦ κρείττονα ἔλεγον, ἐξ οὗ καὶ ὁ Σολομὼν τὸ μέγα σκεῦος θάλασσαν δὲ καλουμένην ἐποίησε, καὶ τοὺς καλλίστους λουτῆρας ὅτε τῷ θεῷ τὸν ναὸν κατεσκεύασεν. *In his magna vis auri & argenti reperta eſt: & præter hæc, æris genus, quod auro pretioſius eſt habitum; ex quo poſtea Salomon fecit magnum illud vas Mare appellatum, & pulcherrima polubra, cùm Templum adornaret:*

Alcazar. — Plin. — *Vſus Electri in Sacris.* — Ioſeph. — Binn. — *Æs etiam in ſacris miniſterijs.* — Pineda. — Cerda. — Seruius. — 1. Paralip. 18. 8. — *Summum Electri pretium: item Æris & Aurichalci.* — Origen. — Hieronym. — S. Iſidor. — Plin. — Seruius. — Ioſeph.



*adornaret:* Num vero ab ipſius Metalli natiua præſtantia tantus honor? certè & de electro Nummos factos ſcribit in Alexandro Seuero Lampridius: An potiùs ob antidotariam virtutem contra lethale Toxicum? *Quod natiuum eſt* (de Electro ſcribit Plinius lib. 23. cap. 4.) *& venena deprehendit: namque diſcurrunt in calicibus arcus cœleſtibus ſimiles cum igneo ſtridore, & gemina ratione prædicunt:* idem loco ſuprà memorato Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis.

*De Electro nummi.* — Lamprid. — Plin. — *Electrum cõtra venena prodeſt.* — Iſidorus Hiſpal.

13. Igitur, vel de Aurichalco, vel de Electro quid vetat ſuſpicari intelligendum verſum hunc? vocat quidem Murenulas aureas, quoniam maior Pars de Auro eſt, & quintam ſolum portionem Argentum vindicat: Quoniam vero Argenti confœderatio auro colorem adimit, quod vel palleſcit, vel in candorem penè tranſit, idcircò non auro ſed argento vermiculatum concedit opus: argentum eſt quod plus multò apparet: & quidem minuti operis labores in Electro agnoſcit (quale vermiculatum cenſeri ſtatuimus,) Lampridius in Alexandro: *Quietus Tyrannus* (ait) *electridem pateram, quæ in medio vultum Alexandri haberet, & in Circuitu omnem Hiſtoriam contineret, ſignis breuibus, & minutulis, Pontifici propinauit:* & de hoc conflatam Metallo, Columbam eam, de qua pangit Pſalmodus 67. pennas geſtaſſe argenteas, & poſteriora dorſi eius in pallore auri, de qua diſſeruimus num. 5. erit, ſi cui diuinare placeat, videat quando demonſtratum ſit, Auri viuidum extingui colorem, & emortua quædam veſtigia relinqui, atque inde pallidum, quod conditione ſuâ rutilat, & ſubflauum eſt, appellari, quare LXX. ſeniores noluerunt aurum plenè nominare, ſed eius quandam repræſentationem: *Similitudines* (inquiunt) *Auri faciemus tibi, cum diſtinctionibus argenti,* aliàs, *cum punctis* cum *ſtigmatis argenti,* quæ ſunt puſtulæ quædam protuberantes, quibus aſperantur vel Monilia, vel pocula de Electro, vel Aurichalco facta, & interſeruntur minuto opere varia emblemata, ex quibus vermiculatus conſurgit labor: His opinor aliquid affine apud Martialem lib. 8. epigr. 49. de Phiala Ruffi:

*Num de Electro intelligẽdus hic verſus?* — Lamprid. — Pſalm. 67. — *Vermiculatus labor in Electro, quem LXX. vocãt puncta, ſeu diſtinctiones.* — LXX.

*Vera minus flauo radiant electra Metallo,*
*Et niueum felix puſtula vincit ebur.*

Martial.

Denotat quidem in natiuo Electro, quod verum cenſeri debeat ſegnius eſſe croceum radiorum iubar, quoniam decreſcit Auri fulgor, at puſtulas, cùm Argenti admixti potiùs augeatur decor, eboris candorem ſuperare: ſed cùm tanta Materiæ inſit venuſtas, tamen ingenij feliciorem eſſe induſtriam, pergítque varias rerum figuras deſcribere, quas peritus Artifex exſculpſerit:

*Materiæ non cedit opus; ſic alligat orbem,*
*Plurima cùm tota Lampade Luna nitet.*
*Stat Caper Æolio Thebani vellere Phryxi*
*Cultus; ab hoc mallet vecta fuiſſe ſoror.*

Idem.

Et alia quæ multa addit: rectéque profectò Ezechielis, cap. 1. qui ſimilis filio Hominis nuncupatur, à Lumbis deſuper Electri ſpeciem referebat: Egregiæ ſiquidem Incarnationis Sacramentum Metallo indicabatur, quod cùm ex auro pariter, atque argento coaleſceret, occultabat tamen Splendorem auri, cùm prodiret ſatis argentum; nam auro quæ adumbratur diuinitas occultabatur foràs exiliente Humanitate, argento præfigurata.

Ezechiel. 1. — *Christi Incarnatio pulchrè Electro adumbrata.*

14. Iam verò diuini Poëtæ Muſa, quàm artificioſa, atque elegans! Quippe Aurichalcum, quod vel idem eſſe cum Electro docuimus, vel ſimillimum ei in monte Libano reperiri, forſan & propterea Chalcolibanum dici noſter comprobat Alcazar Notat. 13. ad verſum 15. cap. 1. Apocal. equidem ſubiugato Adarezer, de Prouinciæ, quam regebat quibuſdam vrbibus, memoratur Paralip. 1. cap. 18. verſ. 8. Dauid aſportaſſe *Æris* plurimum, *de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vaſa ænea:* Regum autem 3. cap. 7. verſ. 45. ſcriptum: *Omnia vaſa, quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant:* Porrò nuncupato Paralipomenorum capite, verſu 3. appellatur Adarezer Rex Sobæ regionis Hemath, quam fuiſſe vrbem non incelebrem iuxta montem Libanum in confiniis Damaſci refert Adrichomius in Neptalim, numero 45. itaque tanti Metalli pretioſæ fodinæ propè Sponſæ patriam quam Libanum ſtatuimus Tom. 1. Anteloq. 5. num. 83. Quamobrem certè, cùm in ſuperioribus creditum à nobis ſit, voces eſſe has affinium & cognatorum Sponſæ, aut Conciuium, quæ ex gentium vſu Nouæ nuptæ munera offerunt ſua, perbellè factum ab Epithalamij Magiſtro, vt patria obtuliſſe dona cenſeantur: ſiue, quod Virgini domeſtica peregrinis gratiora futura eſſent: ſiue, quod in more quodam poſitum ſit, vt ea quiſque ſuggerat, quo natalis Regio abundat, ſeu domicilij fixa ſedes, quare Claudianus venuſtâ planè fictione, cum muneribus celebratas Orphei nuptias à volatili genere commentus fuiſſet, tamen decorè innuit à quaque Alite cognatum munus delatum fuiſſe, atque eius ſub quo vixiſſet, climatis proprium: ergo epiſtola ad Serenam:

*Aurichalcum in Libano.* — Alcazar. — 1. Paralip. 18. 8. — 3. Reg. 7. 45. — Adrichom. — *Ea quiſque dona offert ſæpe, quæ ſolum natale profert.*

*Caucaſeo Cryſtalla ferunt de vertice Lynces,*
*Gryphes Hyperborei pondera fulua ſoli.*
*Auratæ Veneris prato per inane Columbæ*
*Florea connexis Serta tulêre roſis*
*Factáque nobilium ramis Electra Sororum*
*Cygnus oloriferi venit ab amne Padi.*
*Et Nilo Pigmæa grues poſt bella remenſo*
*Ore legunt rubri germina cara maris.*

Claud.

Quin & Magi, qui adoratum ſacratiſſimos infantis vagitus ex Arabia Felice venerant, ibi reperta aurum, thus, Myrrham attulerant: Regina quoque Sabæorum Ieroſolymam videndi Salomonis ſtudio profecta, Reg. 3. cap. 10. ditionis ſuæ opes ſecum portauerat, vt latè commonſtrat Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, cap. 14. §. 6. num. 29.

3. Reg. 10. — Pineda.

Explanatio

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

### *Textus*: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. *Cap.* I. *verſ.* 10.

*Eloquentiæ ſolius ſtudioſi Oratores Ethnici; morum Chriſtianis præcipua Cura: Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Venuſtas propugnata aduersùs ſectarios: Religioſi ſtatus trium votorum nexus Synagogæ incognitus, peculiare ornamentum nouæ legis: quæ Regularium normæ antiquior?*

### Sectio Vnica.

15\. *Monilia Spõſæ partim argentea, partim aurea, indicant Prædicationẽ Euãgelij argenteam, & mores Apoſtolicos charitate aureos.*

DE Virgine Beatiſſima Dei Matre loquutus Sponſus, quam Magiſtram infantili adhuc Eccleſiæ præſcripſerat, tranſit ad cœtum Apoſtolici Diſcipulatus, & quando aduentus in Carnem finis, obitæque Mortis, ſalus generis humani, de potiſſimis curis ſtatuere, qui ad Terrarum remotiſſimas oras felix nuncium deferant appropinquantis Regni cœlorum: Sed quales Euangelio tubas eligat? in quibus mellitum & affluens dicendi genus argenti ſignificatum dulciori tinnitu? Sanè & hoc perutile ſi tamen eloquentiam mores incontaminati, Proximorum charitas, atque incenſa erga Deum Amoris comitetur flamma, quæ omnia terſus ille ignis, quem Aurum euomit, denotat: igitur non de auro tantùm, ſed neque de argento ſolùm huius Sponſæ Monilia, neceſſaria eſt vtriuſque germanitas Concionatori Orthodoxo: Atteſtatur Pronunciato Arnulphus Epiſcopus Lexouienſis ſermone habito in Concilio Turonenſi: *Scio enim, quia tria ſolent in Prædicatore requiri, Plenitudo ſcientiæ, fœcundior eloquentiæ vena, ſanctitas Conuerſationis: Requiritur ſanctitas Conuerſationis, quia niſi fuerit Prædicatoris commendabilis vita, non erit eius Prædicatio gratioſa; cuius enim vita contemnitur, reſtat vt & Prædicatio contemnatur: Perfectio ſcientiæ quæritur, vt habeat Prædicator vnde poſſit de Theſauro Cordis ſui proferre noua & vetera, & eruditum nouerit expectantibus explicare ſermonem, & ſecundum Perſonarum qualitates temperare quod dixerit, vt ſciat quibus debeat lac[illegible]tum dare, non eſcam; quibus ſolidiorem cibum habeat miniſtrare: eloquentia deſideratur: ad quid? quia ſicut ſi non habuerit ſcientiam, non habebit quid dicat: ita niſi habuerit eloquentiam, non habebit, quomodo dicat: vtraque neceſſaria eſt.* Bernardus ſermone 62. in Cantica ſub finem: *Multi puritate neglecta, antè loqui, quàm vidêre conati ſunt, & aut grauiter errauerunt, neſcientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent: aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, ſcipſos non docuiſſent.* Petrus Damianus opuſc. 45. de ſancta ſimplicitate cap. 4. *Qui carnaliter viuunt, balare cum ouibus inaniter poſſunt, nauiter explêre Prædicationis officium nequeunt: Si vis ergo Dei Verbum clariùs intonare, caue ne diuini Amoris in te flamma tepeſcat.* De huius Argumenti ſcopo fusè noſter Cauſſinus in Parallelis eloquentiæ Sacræ & Humanæ lib. 14. à cap. 16. & lib. 16. à cap. 20.

Arnulph. Lexou. *Quid in Euãgelico Præcone requiratur?*

Bernard.

Damian.

16\. *Antiqui Philoſophi de verbis curioſi, de moribus negligentes, quos imitati ſunt omnes ſectarij.*

Recens Mundo ſpectaculum inter gentilem populum huiuſmodi Oratorum inſtitutio, quibus vitæ & morum potior diligentia, quàm ſermonis: Non enim Philoſophorum Scholæ, vt taceam de Rhetorum blatterationibus, aliud quàm verba nouerant: Virtutis ſummus neglectus apud eos; quo in genere imitatores habuêre omnium Temporum ſectarios, à quibus vt veræ litteraturæ longè abeſt notitia, ſic vitæ ab iiſdem Candor longiſſimè diſtat: de Paganorum verò ſapientibus Origenes homilia 2. in Geneſim ſub finem: *Nam Auctores ſæcularium librorum poſſunt quidem dici ligna excelſa, & ligna vmbroſa: Sub omni enim ligno excelſo & nemoroſo accuſatur fornicatus eſſe Iſraël, quia illi loquuntur quidem excelſa, & florida vtuntur eloquentia; non tamen ita egerunt, vt locuti ſunt; & ideò non poſſunt ligna quadrata nominari, quod in eis nequaquàm vita & ſermo collibret.* Lactantius verò Firmianus lib. 3. Diuinar. Inſtitut. cap. 15. *Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inueniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, proteruos, & ſub obtentu ſapientiæ ſua vitia celantes, domi facientes ea, quæ in ſcholis arguiſſent: fortaſſe mentior accuſandi gratiâ: nonne idipſum Tullius & fatetur & queritur?* &c. Probátque Ciceronis teſtimonio cui Senecam Teſtem adiungit. Alius Magiſter Chriſtus, qui velit Diſcentes ſuos facundos ſanè eſſe, charitate tamen & virtutibus imprimis eximios, Quare certè Murenulas quas de Electro indicauimus, ex quatuor partibus Auri, quintam ſolam vindicante argento portionem, conflatas ſtatuimus, quibus ſignificari intelligamus charitatis auro adumbratæ ſuprà argentum, exceſſum debére eſſe Maximum, hoc eſt ſupra eloquentiam profectò: Quamobrem Paulus ad Epheſios ſcribens de variis ſacrorum Hominum gradibus cap. 4. inquit, v. 11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores*, &c. cur non diſtinxit à Paſtoribus Doctores ſicut diſcriminauit Apoſtolos & Euangeliſtas? Equidem Doctores eos repræſentant qui eloquentiâ, atque ſcientiâ præſtant, Paſtores autem illos, in quibus reſplendet Charitas; Quamobrem Petri erga ſe Amorem comprobaturus Ieſus: *Simon Ioannis diligis me plus his?*

Origen.

Lactant.

*Vt Electrum ex 4. auri partibus, & vnâ argenteâ conſtat: Sic in Chriſtiano ſeu Paſtore ſeu Doctore multa ſuper Eloquentiam Charitas requiritur.*

Ad Epheſ. 4 11.

Ioan. 21. 15.



*dicit ei; Etiam Domine, Tu ſcis, quia amo Te: Dicit ei, Paſce oues meas*, Ioan. cap. 21. verſ. 15. rectè igitur quod Doctores à Paſtoribus non ſeparauerit, quoniam cum Diſciplinarum cognitione & omni eloquentia conſocianda eſt Dilectio: ſed propè in hunc ſcopum audiamus eius loci Patrum Expoſitiones aliquas: Hieronymi Commentarius: *Nec verò putandum, quod ſicut in ſuperioribus tribus, alios dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas; ita & in Paſtoribus, & Magiſtris officia diuerſa poſuerit: Non enim ait; alios autem Paſtores, & alios Magiſtros, ſed alios Paſtores & Magiſtros, vt qui Paſtor eſt, debeat eſſe & Magiſter: nec in Eccleſiis quamuis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomèn aſſumere niſi poſſit docere, quos paſcit: vel certè aliter, vt vnus, atque idem Præſes Eccleſiæ ſit Paſtor & Doctor: Paſtor ouium, Magiſter hominum: Homines quippè & iumenta ſaluos facies Domine.* Anſelmi Expoſitio in eadem verba: *Paſtores enim & Doctores vnum Regentium ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipſe veraciter paſcit qui docet, & ideò non dicitur diſtinctè, alios autem Paſtores, alios verò Doctores, ſed dicitur coniunctè, alios autem Paſtores & Doctores, vt intelligerent ſuum officium eſſe ſuam doctrinam.* Auguſtinus epiſt. 59. ad Paulinum in ſolut. 4. quæſtionis. *Paſtores autem & Doctores, quos maximè vt diſcernerem voluiſti, eoſdem puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt, vt non alios Paſtores, alios Doctores intelligamus, ſed ideo cùm prædixiſſet Paſtores, ſubiunxiſſe Doctores; vt intelligerent Paſtores, ad officium ſuum pertinêre doctrinam: ideò enim non ait: quoſdam vero Doctores, quoſdam autem Paſtores, ſed cum ſuperiora ipſo locutionis genere diſtinxiſſet, dicendo, quoſdam autem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Euangeliſtas; hoc tanquam vnum aliquid duobus nominibus amplexus eſt, quoſdam autem Paſtores, & Doctores.*

Hieronym.

Anſelm.

Auguſtin.

17\. Quoniam verò in literæ interpretamento vermiculatum opus fuiſſe diximus, quod ſiue in parietibus, ſiue in veſtibus, ſiue in Monilibus diuerſorum eſſet colorum, qualem Sponſæ fuiſſe cycladem aduertimus, de qua memorat Pſalmodus Hymmo 44. verſ. 14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*, quemadmodum ea nouæ Nuptæ tunica diuerſos ſtatus Hominum in Eccleſia, ipſíſque in ſtatibus varia diſcrimina, imprimis autem Hierarchicæ Diſtributionis mirabilem partitionem Auctores Eccleſiaſtici intellexerunt, ſic & vario labore Monilis Sponſi eadem ſignificari concepimus. Prodeat Bernardus ſimul exponens & de Ioſephi polymita & verſicolore tunica: Ergo Apologia ad Gullielmum Abbatem non longè à principio: *Recognoſce Omnipotens Pater, eam quam feciſti Chriſto filio tuo polymitam, dando quidem quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores, & cætera, quæ in eius ornatu mirifico decenter appoſuiſti, ad conſummationem vtique ſanctorum occurrentium in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Et paucis interiectis: *Aſcendat in altum, captiuam ducat captiuitatem, & donet dona hominibus: quæ dona? relinquat videlicet, Tunicam ſcilicet polymitam, eandémque inconſutilem, & deſuper contextam per totum: ſed polymitam ob multorum ordinum, qui in ea ſunt multimodam diſtinctionem, inconſutilem verò propter indiſſolubilis charitatis indiuiduam vnitatem: Audi, quomodo polymitam: Diuiſiones, ait, gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: Deinde diuerſis enumeratis Chariſmatibus tanquam variis Tunicæ coloribus, quibus conſtet eam eſſe polymitam: vt oſtendat etiam inconſutilem, & deſuper contextam per totum*, adiungit: *Hæc autem operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult: Non ergo diuidatur, ſed totam, & integram hæreditario iure ſortiatur Eccleſia, quia & de illa ſcriptum eſt: Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Quem locum Pſalmi pari modo declarat Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 183. art. 2. in corpore: igitur vermiculato Monilis emblemate Eccleſiaſticæ Hierarchiæ varietatem, (eſt enim Hierarchia illa ſecundum noſtri Henriquez definitionem lib. 10. de Sacramento ordinis, cap. 25. n. 1. *quæ conſtituitur ex variis Membris cum diſpari gradu dignitatis, & cum poteſtate Clauium*,) deſignauit Sponſus, & ſtatuum diſcrimina conuenientium vltimò tamen in idipſum.

Pſalm. 44. 14. *Varij Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordines, vermiculato Monilium Sponſæ opere expreſſi.*

Bernard.

S. Thom.

Henriq.

18\. Nihil tali varietate præſtantius, de qua ſublimi oratione Magnus Areopagita, cap. 3. *Eſt quidem Hierarchia mea quidem ſententia ſacer Ordo, ſcientia, & actio, quæ ad Diuinitatis ſimilitudinem, quoad eius fieri poteſt, accedit: & proportione illuſtrationum, quæ ei diuinitus datæ ſunt, ad Dei imitationem traducitur*: cuius in Synagogæ Pontificibus & Leuitis, aliíſque Tabernaculi Miniſtris adumbratio, quæ ſplendorem conſecuta eſt Catholica in Eccleſia ſuis abſolutum numeris, vti ab eodem Dionyſio proditum eſt de eadem Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 5. *Perficiebantur porrò ij*, (loquitur de Sacerdotibus ſub Moyſe,) *qui à ſignis legis eadem ratione ad perfectiorem, abſolutiorémque Myſteriorum Diſciplinam traducebantur: perfectiorem autem Myſteriorum diſciplinam diuina ſcriptura Hierarchiam noſtram nuncupat, cùm eam illius expletionem, ſacrúmque finem vocat.* Nec tamen diuerſitas Concordiæ inimica eſt, vt nec in viſibili orbe rerum diſpar conditio. Gregorius Romanus epiſt. 52. *Ad hoc diuinæ Diſpenſationis Prouiſio gradus diuerſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus Dilectionem impenderent, veræ Concordiæ fieret ex Diuerſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum: neque enim vniuerſitas aliâ poterat ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam Differentiæ ordo ſeruaret.* Multáque alia lectu digniſſima illa in Epiſtola. Præclariſſimè autem Cyprianus libro de Simplicitate Prælatorum: *Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: Quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnum, & Rami arborum multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: & cùm de fonte vno riui plurimi defluant, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine: Auelle radium Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet: Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit, vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur.*

Dionyſ. Areopag. *Hierarchia Eccleſiaſtica in Synagoga Miniſtris adumbratio.*

Idem.

*Pulcra in diuerſitate Concordia.*

Gregor.

Cyprian.

19\. Liuori eſt Hæreticis tantus concentus Eccleſiaſticorum ordinum, tantus decor Orthodoxorum hominum, Quare vel nullum eſſe diſcrimen Laïcæ poteſtatis, & ſacerdotalis Miniſterij proteruè contendunt, vel certè in ipſis Eccleſiaſticis miniſteriis parem eſſe Epiſcoporum, & Clericorum aliorum conditionem, cuius quanta ſit hebetudo erroris oſtendunt Bellarminus Præfat. Controu. 5. de Membris Eccleſiæ tom. 1. & tractatu de Clericis, cap. 14. Baronius tom. 1. anno Chriſti 58. à num. 4. Gregorius de Valentia 2. 2. diſp. 10. quæſt. 1. puncto 3. Henriquez lib. 10. Summæ cap. 1. num. 2. Binnius tom. 1. Concil. parte 1.

*Hierarchiæ ordinem confundere nituntur Hæretici.*

Bellarmin.

Baron.

Valentia.

Henriq.

Binnius.

parte 1. Notis ad vitam Hygini Papæ pag. 65. grauiſſimè Tridentina Synodus ſeſſione 23. cap.4. de Sacramento Ordinis: *Quod ſi quis omnes Chriſtianos promiſcuè noui Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt vt Caſtrorum acies ordinata, confundere; perinde ac ſi contra Beati Pauli doctrinam, omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores*; atque eodem capite Canone 6. anathema ſtringit in negantes in Eccleſia Catholica eſſe Hierarchiam diuinâ ordinatione inſtitutam: in hanc ſententiam Nazianzenus Gregorius oratione 6. Laicos monens, ne Eccleſiaſticum affectarent Magiſtratum: *Vos oues nolite paſcere Paſtores, neque ſuper terminos eorum eleuemini: Satis enim vobis eſt ſi rectè paſcamini: Nolite iudicare Iudices, nec legem feratis legiſlatoribus: Deus enim nequaquam Deus eſt ſeditionis & confuſionis, ſed ordinis & pacis: Nemo igitur caput ſit, qui vix manus, aut pes eſſe poſſit, ſiue membrum aliud corporis honorabilius, ſed vnuſquiſque, fratres, in eo ordine, in quo vocatus eſt, permaneat.* Sed de Hierarchia Eccleſiaſtica diſtinctè & lucidè Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium cap.4. *Monſtrum facis, ſi manu ſubmouens digitum facis pendêre de capite, ſuperiorem manui, brachio collateralem: tale eſt, ſi in Chriſti corpore membra aliter locas, quàm diſpoſuit ipſe: niſi Tu putas alium eſſe, qui poſuit in Eccleſia quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Doctores & Paſtores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: atque hoc corpus, quod tibi ipſe Paulus ſuo verè Apoſtolico figurans eloquio, & capiti conuenientiſſimè aptans, totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturã ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque Membri, augmentum corporis faciens in ædificationem ſui in charitate: Nec vilem reputes formam hanc, quia in terra eſt, exemplar habet è cœlo: neque enim filius poteſt facere quidquam niſi quæ viderit Patrem facientem; præſertim cùm ei ſub Moyſi nomine dictum ſit: Vide omnia facias ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt: Viderat hoc qui dicebat: Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam: Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut illic Cherubim, ac Seraphim, ac cæteri quique vſque ad Angelos, & Archangelos ordinantur ſub vno capite Deo; ita hic quoque ſub vno ſummo Pontifice Primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum: Non eſt paruipendendum, quod & Deum habet Auctorem, & de cœlo ducit originem: Quod ſi dicat Epiſcopus: Nolo eſſe ſub Archiepiſcopo; aut Abbas, nolo obedire Epiſcopo; hoc de cœlo non eſt; niſi tu fortè Angelorum quempiam dicentem audiſti: nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem, non ferentem ſubeſſe cuiquam niſi Deo?* Quid ad hæc nefariæ Reformationis profani Antiſtites? Sit apud eos filios vtique gehennæ confuſio: gaudeat Mater Eccleſiæ Hierarchicæ Adminiſtrationis pulcherrimâ ſubordinatione. De eadem Hierarchica conſonantia Guibertus de Tornaco ordinis Minorum, qui ſæculo 13. floruit, Tractatu de officio Epiſcopi, & Eccleſiæ cærimoniis, cap.36. *Vt igitur videamus* (inquit) *quomodo omnis perfectio Hierarchica terminatur in Papa, reducamus Hierarchiam Humanam ad Angelicam, & Angelicam ad Diuinam:* quæ deinde fusè agitat: ex Iunioribus accuratè noſter Ludouicus Creſolius Myſtagogi lib. 1. à cap.14. fusè imprimis Michael Mauclerus ParisienſisDoctor 1.& 2.parte operis de Monarchia.

Conc. Trid. — Nazianz. — Bernard. — Guibert. de Tornac. — Creſol. — Maucl.

20\. Dixi in Literæ Explanatione promiſcuè concipi poſſe hæc aut à Sponſo prolata fuiſſe, vel à ſodalibus & Amicis: Quod ſi Chriſti ipſiuſmet verba intelligamus, nouæ legis ſingularis gloria eminet, quando ſacrorum inſtitutorum planè diuinam eruditionem primi Religionis Chriſtianæ duces, ab ore filij Dei immediatè acceperint, cuius differentiæ cauſam Sanctus Thomas 1.2. quæſtione 98. art.3. tradidit, inquiens: *Specialis ratio eſt, quare legem veterem per Angelos dari oportuit: dictum eſt enim, quod lex vetus imperfecta erat, ſed diſponebat ad ſalutem perfectam generis humani, quæ futura erat per Chriſtum: Sic autem videtur in omnibus poteſtatibus, & artibus ordinatis, quod ille qui eſt ſuperior, principalem, & perfectum actum operatur per ſeipſum; ea verò, quæ diſponunt ad perfectionem vltimam, operatur per ſuos Miniſtros: Sicut Nauifactor compaginat nauem per ſeipſum, ſed præparat materiam per artifices ſubminiſtrantes: & ideò conueniens fuit, vt lex perfecta noui Teſtamenti daretur immediatè per ipſum Deum Hominem factum; lex autem vetus per miniſtros Dei, ſcilicet per Angelos daretur hominibus: & per hunc modum Apoſtolus primo ad Hebræos probat eminentiam nouæ legis ad veterem: quia in nouo Teſtamento locutus eſt nobis Deus in filio ſuo: in veteri autem Teſtamento eſt ſermo factus per Angelos:* Sin autem Apoſtolorum ſermonem eſſe conſideremus, qui Amici Sponſi nominantur; equidem facere ſpondent quæ Murenulis & vermiculato illarum denotantur opere, ſiue ſit Hierarchicus Eccleſiæ ordo, ſeu Cœnobiticæ normæ inſtitutio; non quod harum rerum vltimi Inuentores, ſed quoniam à Chriſto dimanauit ad eos inſtructio, atque in eis exequi cœpta ſunt, à quibus tanquam Magiſtris & Organis Ieſu, didicêre Nepotes, quare Tertullianus rectè lib. Præſcript. aduerſus Hæreticos: *Si hæc* (ait) *ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, id ſine dubio tenentem, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei*: Denique & Sponſi & ſodalium vna oratio eſſe poſſit aientium, faciemus, quando vtrique ſimul operentur, Chriſtus vt principalis cauſa, illi tanquam Miniſtri, Vicarij, Legati, cauſæ ſcilicet inſtrumentales.

S. Thom. *Lex vetus per Angelos, Noua verò ab ipſo Filij Dei ore tradita.* — Tertullian.

21\. Iam, quando in Murenulis non ſolùm reſplendet varietas iucundiſſimè ſpecioſa, ſed vincula ſint Colli, aut Renum ſecundum præſtabilita in antecedentibus, quamobrem iis repræſentari dubitauerimus, quæ innectant vtiliſſimè Religioſorum beata vota? Nec moror, num ad Eccleſiaſticam Hierarchiam Religioſi quà Religioſi formaliter ſunt, propriiſſimè ſpectant: Equidem & Areopagita Dionyſius plurimùm fauêre viſus, de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap.6. & Bernardus prolatus numero 19. inter Hierarchicos, Abbates recenſet, & cœleſtium ordinum imitatio per illuminationes & doctrinas in Monachatu ſingulariter refulget: in iis nimirùm, quibus ob inſtituti rationem prædicare, & variis inſtruere modis populum conuenit. Quicquid de tali Controuerſia, exploratum eſt Eccleſiam Catholicam

*Religioſorum vota Murenulis indicata.*



Catholicã à ſacrarum familiarum varietate conornari ad ſtuporem: legantur Patrum encomia magnificæ laudis apud noſtrum Platum libro 1. cap.1. vt quidem ſi per Murenulas hos intelligamus cœtus, ne donum vſquequaque ampliſſimum Eccleſiæ Sponſus conceſſerit: Quid enim tam diſſimile, ſi cuiuſque ſodalitij ritus perpendantur? Quid ita homogeneum ſi principales nexus trium votorum inſpiciantur, ergo certè ob vincula torques aut Murenulæ; ob differentiam opus inſigniter vermiculatum: Quoniam verò grandioris huius inſtituti Anteſignanus Chriſtus ipſe fuit, qui Apoſtolis inauditam viuendi normam aperuit, cùm induxit vt voto perpetuum duraturo ſponderent Caſtitatem, Obedientiam, Paupertatem, benè ſe facturos Murenulas dicunt: debacchati ſunt aduerſus Monaſticam vno impetu côque furibundo ſatis ſectarij, cùm tamen couſque progredi non valeret audax impudentia, vt fuiſſe prorſus negarent, qui vitæ eiuſmodi normam coluerint, Hominum inuentum aſſerere tentarunt à Seruatore eiúſque ſchola ignoratum, neque tribus Eccleſiæ primis ſeculis viſum: quo in pronunciato cùm omnes Orthodoxos Scriptores Aduerſarios habeant; inneceſſarium eſt recensêre.

*Religioſi variegatæ Eccleſiæ ornamenta.* — Platus.

22\. Num verò Eccleſiæ Catholicæ peculiare hoc ornamentum, an communis fuerit gloriæ cum Synagoga, non vna, eadémque omnium eſt ſententia: Nam erga Heliam ſtudioſiores aliqui contendunt, non ſolum vitæ Cœnobiticæ lineamenta quædam ab eo tradita, ſed tria illa egregia vota, quæ ſubſtantialia Religionis nuncupantur, vt obſeruarent edoctos ab eo prophetarum filios, cuius ſententiæ, quàm ſit tenuis valetudo diſcendum ab optimis Auctoribus, qui poſt antiquitatis inueſtigationem, definiunt, trium votorum inſtitutione honoratam à Chriſto ſingulariter Eccleſiam iuniorem, ante quem vmbræ tantùm veri & ſtricti Religioſi ſtatus: Chriſtum inuentorem probant Philippus Abbas de Continentia Clericorum cap.78. Petrus Bleſſenſis ſermone 4. de Aduentu & Sancta Lucia, Auguſtinus Triumphus de Poteſtate Papæ, quæſt.84. art.1. ex Patribus recenſiti à Suarez tom.3. de Religione lib.3. cap.2. num.3. Vaſqueſio tom.2. in 1.2. diſputatione 165. cap.5. Antonio Perez ad Regulam Sancti Benedicti, cap.1. numero 5. Petro à Sancto Audomaro libro 1. Inſtitutionum Monaſticarum, cap.7. Ioanne Buſæo libro de ſtatibus, Titulo de ſtatu Monachorum, cap.2. Ribadeneira de Inſtituto Societatis, Notabili decimo, Plato libro 2. de bono ſtatus Religioſi, cap.21. Thoma Sanctio tom.2. ſummæ, de ſtatu Religioſorum, lib.5. cap.1. numero 15. Cornelio à Lapide in verſum 2. cap.2. Actorum. Richardo Hal de proprietate & Veſtuario Monachorum cap.4. Clitouæo ad finem tom. 2. Homiliarum, ſermone ad Capitulum generale ordinis Cluniacenſis, Lælio Zecchio de Republica Eccleſiaſtica, Titulo de Religione cap.1. num.5. Antonio Caracciolo in Synopſi veterum Religionum, Notis ad prima verba Præfationis, denique Magiſter Baſilius Legionenſis libro 7. de Matrimonio cap. 2. num.1. *Et præter paucos* (ait) *qui refragantur, quos ſtatim referam, qui diſſentiret, aut rem hanc in dubium vocaret, legi neminem: vt hinc pateat, quàm meritò ſæpè dixerim, ſine graui Nota oppoſitum à Doctoribus Catholicis affirmari non poſſe.*

*Subſtantialia Tria Religioſorum vota à Chriſto inſtituta, peculiaria Eccleſiæ ornamenta, quorum ne verum ſpecimen habuit Synagoga.*

Philipp. Abb. — Auguſtin. Triumph. — Suarez. — Vaſquez. — Perez. — A S. Audom. — Buſæus. — Ribadeneira. — Platus. — Sanchez. — A Lapide. — Rich. Hal. — Clitouæus. — Zecchius. — Caracciol. — Baſil. Legionenſ.

23\. Neque hæc tamen manus altera potior docente, quod fuit antè Chriſtum Monaſticæ in Elia, Eliſeo, aliíſque, inchoationem ſolùm fuiſſe, ibique & Pſalmodiam quidem, & communis vitæ leges aliquas, cæterùm tribus votis Neminem illorum Temporum adſtrictum fuiſſe, proinde nec Religioſum propriè ſtatum tunc, ſed illius quandam imaginem: adſtruunt ex modò numeratis Suarez dicto tomo lib.3. cap.1. Platus lib.2. cap. 29. Baſilius Legionenſis 1. parte Variarum quæſtione 3. Scholaſtica, cap. 2. exceptis his Bellarminus ad librum 2. de Monachis Præfatione. §. *Quantæ igitur*, &c. Et eiuſdem lib. cap.5. Henriquez lib.11. aliàs 2. de Matrimonio cap.5. numero 2. Iacobus Latomus libro de inſtitutis Monaſticis, cap. 2. Alanus Copus Dialogo 6. cap.3. Clitouæus Antilutheri libro 3. de votis Monaſticis, cap.5. Dominicus Soto in 4. diſtinctione 30. quæſtione 2. art. 1. §. vltimo, Bartholomæus de Medina in tertiam Partem ad art.4. quæſtione 28. Poſſeuinus lib. 5. Bibliothecæ capite 49. Magallanez in Explanatione Contextus cap. 1. Iudicum. Azor tom. 1. lib.11. cap. 13. quæſito 8. Menochius Inſtitutionis OEconomicę libro 1. cap.15. Franciſcus de Mendoza tom. 1. in 1. Reg. cap.1. verſ.11. ſectione 1. circa Literam numero 7. neque enim iudicarunt facilè credi in tanta Synagogæ ruditate cœnobia paſſim reperiri in Palæſtina, in quibus Virginum, Monachorúmque ſacra examina ſub auſtera imprimis vitæ perfectiſſimæ Regula, Quam ſi gloriam Synagogæ conceſſiſſent, obſcurari penè ab illa Eccleſiam Catholicam putaſſent, quando minoribus Præſidiis ſuffulta quod in hac difficillimum appareat, conſequuta ſit: Quare ex Patrum, Theologorúmque ſententia oſtendimus tom. 1. Anteloquio 7. ſectione 12. haud fuiſſe aliquo modo ſæcula illa, in quibus vel paupertas, vel caſtitas dominata ſit, quæ raros nactæ Amatores; id quod fortaſſe Catholicorum nonnullos mouerit, vt de aduerſario Placito duriuſculè ſentirent: Nam Matthæus Galenus tract. de Origine Monaſticæ cap.2. affirmat: *Virginitatem perpetuam, & maximè votam, Neminem ignorare genti illi auaræ Poſteritatis fuiſſe inuſitatam, atque inuiſam.* Ludouicus de Miranda ex B. Franciſci ſodalibus tom. 1. Directorij Regularium Prælatorum, quæſtione 3. art.2. *Vulgi errorem & ſtultitiam nominat:* Noſter Grethſerus tom.1. Defenſionis Bellarminianæ ad cap. 16. lib.2. §. *Prædicans*, &c. de Virginitatis perpetuæ obſeruantia apud Iudæos loquutus: *Ferè enim* (inquit) *tam parum erat hæc profeſſio Iudaica, quàm parum hodie eſt Lutherana, vel Caluiniana.* Auguſtinus Torniellus tom. 2. Annalium 4. editionis, anno Mundi 3139. numero 2. *Sed neque veriſimile eſt* (ait) *quod lege Moſaïca adhuc vigente, Religio vlla ad legis Euangelicæ normam, quæ nondum lata erat ab Elia, aut ab alio illorum Temporum fuerit inſtituta.*

*In Elia, Eliſeo, &c vitæ Monaſticæ inchoatio ſolùm, nullus tamen ex Synagoga tribus ſe adſtrinxit votis.*

Suarez. — Platus. — Baſil Legionenſ. — Bellarmin. — Henriq. — Iac Latom. — Alan. Cop. — Clitouæus. — Dom. Soto. — Medina. — Poſſeuin. — Magallanez. — Azor. — Menoch. — Mendoça. — Matth. Galen. — Ludouic. de Mirand. — Gretſer. — Torniell.

24\. Quando verò, quæ hoc referuntur loco de Regularium inſtitutis dici vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis, ea poſt Reſurrectionem Seruatoris ex noſtræ Acoluthiæ opinione dicantur: Nemo arbitretur hoc loco prima omnino iacta fundamenta Cœnobiorum: Siquidem & antequàm Ieſus pateretur, Apoſtoli cum aliis diſcipulorum, trium ſe votorum nexibus obſtrinxerunt, vt memorati nuperrimè Auctores adſtruunt: ante necem quippè Redemptoris Petrus commilitonum, ſuôque nomine exclamans: *Ecce nos reliquimus omnia* (inquit Matth. cap. 19. verſ.27.) *& ſequuti ſumus te, quid ergo erit vobis?* quæ in verba

*Apoſtoli, & ex Diſcipulis Chriſti aliqui ſe tribus votis etiam ante Paſſionem obſtrinxerunt.* — Matth.19. 27.

Auguſtin.

Auguſtinus libro 17. de Ciuitate cap. 4. *Dixerunt* (ait) *potentes iſti, Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te; hoc votum potentiſſimi vouerunt:*

Bernard.

Et Bernardus Declamatione in eadem verba: *Hæc ſunt verba, quæ contemptum mundi in vniuerſo mundo, & voluntariam perſuaſêre paupertatem:* Eadem pariter Matth. cap. 19. verſ. 12. ſermo eſt de Eunuchis, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, cælibatum deinceps vouentes: *Quinam hi fuerint* (ait Epiphanius Hæreſ. 58.

Epiphan.

Valeſiorum) *qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, quàm generoſi Apoſtoli?* Si itaque de Religioſi ſtatus exordio mentio non eſt, quorſum tendat oratio? nempe ad ſignificandum & in eo vitæ Sacratiſſimo genere futuram mirabilem diſtinctionem, cuius ad ſtuporem ſpecioſiſſimam varietatem vermiculatum Murenularum deſignaret opus. Sed amabo, numquid ab ipſis

*Differentia Clericatus Regularis, & Monachiſmi.*

initiis non hæc introducta eſt differentia in ſummis præſertim capitibus eius, Clericatus videlicet Regularis & Monachiſmi? Equidem preſsè intellectis vocibus, Clericatus Regularis ſcopus eſſe videatur, non propriæ ſolùm perfectioni, verùm ſimul ac præcipuo titulo, ſaluti incumbere, proximorum: Monachi autem officium ſit ſibi attendere: Luculentè Ambroſius lib. 3. epiſtola 25. ad Vercellenſes de

Ambroſius.

ambobus inſtitutis: *Hæc velut in quodam theatro, illa in ſecreto: Spectatur iſta, illa abſconditur; hæc ergo vita in ſtadio, illa in ſpelunca: hæc aduersùs confuſionem ſæculi, illa aduersùs carnis appetentiam: vtraque tamen ſe abnegans, vt fiat Chriſti, quia perfectis dictum eſt: qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*, &c. hinc quidem Clericalis ordo inſtitutionis ſuæ natura in Sacerdotium vergit, Eccleſiaſticáſque functiones, vt quibus finis exiſtat miniſtrare proximis per varia exercitia; quam profeſſione dignitatem adquirere

Pius IV.
*Monachi olim Laïci.*

aſſeuerat Pius Papa IV. Literis, quibus adiudicat potiora loca Lateranenſibus Canonicis præ Caſſinenſi Monachorum congregatione, expeditis anno 1565. Ianuarij 18. Monachi è diuerſo ex ſe Laïci erant, aliorum ſollicitudine liberati, vt ſibi iuſtè vacarent, vnde S. Thomas 2. 2. quæſtione 189. art. 8.

S. Thom.

*Ordo Canonicorum regularium, quibus per ſe competit, vt ſint Clerici; Sed ad Religionem Clericorum non per ſe ſpectat, vt ſint Clerici, vt habetur in Decreto. 16. quæſt.* 1. Et opuſc. 18. de perfectione vitæ ſpiritualis, cap. 20. *Non enim Monachi in eo, quod ſunt Monachi ſunt Clerici, & antiquis temporibus ferè omnes Monachi Laïci erant, vt habetur. 16. quæſt.* 1. in eandémque ſententiam Po-

Potho.
Suarez.

tho vetus Scriptor Presbyter Prumienſis lib. 3. de ſtatu domus Dei; quam firmant Suarius tom. 4. de Religione tract. 9. lib. 1. cap. 7. num. 2. & libro 2. cap. 8. numero 19. Lanſelius diſputatione Apologetica pro operibus S. Areopagitæ:

Lanſelius.
Halloix.

Halloix quæſtione 2. in eiuſdem Dionyſij vitam, digreſſione de Monachis Sancti Dionyſij tempore; & iuxta hæc Bozius tom. 2. de ſignis Eccleſiæ, libro 9. ſigno 45. cap. 5. inquit:

Bozius.

*Sed Monachi plerumque operam dabant precibus, animóque ab omni vitiorum vel minima labe expurgando, & omnium virtutum genere excolendo: Clerici populum doctrina ſacra erudiebant in iis, quæ pertinent ad fidem: hoc Monachorum non erat, niſi cùm vocabantur extraordinario munere, vel Epiſcopi fiebant: talis igitur propè ſtatus ab anno trecenteſimo, ac trigeſimo vſque ad ætatem Gregorij Magni*, &c. Et ſimilia quædam de antiquioris æui

N. Coëffeteau.

Nicolaus Coëffeteau ex ordine Dominicano Apologetico contra Marcum Antonium de Dominis tom. 1. in diſcuſſione cap. 12. libro 2. pag. 705. Hac igitur Monachatus demonſtratâ ſignificatione: equidem non video, quinam ex Chriſti Diſcipulis, qui viuentem comitati fuerint, vel ad ſacros promotus ordines tandem non ſit; vel prædicationis ſtudio in conuertendis Iudæis, & Nationibus ſedulò non incubuerit; quamobrem ſentiendum appareat in Religioſa Seruatoris ſchola ſolos Clericos regulares numeratos, quibus poſt eius aſcenſionem ex Apoſtolorum doctrina Monachorum agmina adiungi cœpta ſunt; huius fuiſſe iudicij putandi ſunt, qui regularem Clericatum Monaſticâ profeſſione antiquiorem exiſtimarunt;

*In Religioſa Chriſti (dum paſſibilis viuebat) ſchola, ſoli Clerici Regulares, non Monachi.*

Philipp. Abb.
Ioachim. Abb.
Auguſtin. Triumph.
Bellarmin.

nimirum Philippus Abbas de dignitate Clericorum cap. 2. Ioachimus Abbas lib. 2. Concordiæ vtriuſque Teſtamenti, & Introductorij Apoc. cap. 19. innuere viſus Auguſtinus Triumphus de Poteſtate Eccleſ. quæſt. 84. art. 1. in corpore, Bellarminus ſub finem Præfationis ad librum de Cleris, Suarius tom. 4. de Religione tract. 9. lib. 1. cap. 9. numero 12. Platus de Bono ſtatus Religioſi lib. 2. cap. 23. Puente Hurtado 2. 2. diſputatione 160. ſectione 2. Ribadeneira de inſtituto Societatis, Notabili decimo Præludiali: Lælius Zecchius de Republica Eccleſiaſtica titulo de Religione cap. 2. 6. 8. Antonius Caracciolus Synopſi veterum Religionum ad verba prima Præfationis, Pennottus Tripartitæ Canonicorum Regularium Hiſtoriæ lib. 2. c. 4. Daniel à Ieſu Apolog. cap. 7.

Suarez.
Platus.
Hurtado.
Ribadeneira.
Zecchius.
Caracciolus.
Pennotus.
Dan. à Ieſu.

Verùm eſto gemellæ ſorores fuerint Regularis Clericorum inſtitutio & Monaſtica; Quoniam tamen ſub Chriſto nondum ex vtraque radice protenſi rami, quos futura protulerunt ſæcula: de his prædictio Seruatoris, aut Apoſtolorum ſub Murenulæ verſicoloris emblemate capi valeat; monet enim quanta Eccleſiæ ex amœna differentia ſacrarum familiarum acceſſura ſit gloria.





# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Eruditione.

## *Textus:* Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. *Cap.* 1. *verſ.* 10.

### *Fidei conſocianda bona opera.*

### SECTIO I.

25. AVRIVM ornamenta Murenulas eſſe cenſuit Bernardus ſermone 41. in Cantica: quamobrem cùm ſciret ex auditu fidem eſſe, putauit conſideratè, fidei pulimen commendari à Sponſo: *Atque hoc propterea vt opinor* (ait) *quia fides ex auditu, & quamdiu per fidem ambulatur, & non per ſpeciem, danda opera potiùs inſtruendo auditui, quàm viſui exercendo: fruſtra namque intenditur oculus, qui non ſit fide mundatus: quia ergo fides ex auditu, & ex illa viſus purgatio eſt, meritò illi ornandis auribus intendebant.*

Bernard.
*Murenulis Aurium ornamento Fidem adumbrari, (quæ ex auditu) docet Bernardus.*

Gloriantur & de fide Nouatores, ſed incomptam dilexêre; reſpuunt comites adhibere virtutes, ne probi eſſe cogantur: ô miſeram ſub talibus procis fidem, quæ nudata eſt! Latrones non Amici, qui ſic deſpoliauerunt. Venêre adoratum recèns natum in Terris Dei filium Chaldæorum Principes de ſyderali notitia famoſi, venêre cum muneribus iidem: cur Donis gratiam Magni puſionis ambiunt? Non timent vt faſtidiat oblata? reſpuit olim Propheta quæ Naaman auri atque argenti talenta cũ veſte multa pretioſa largitus: quid ſi Paupertatis Magiſter Chriſtus ſimilia perpetraturus ſit? auſcultemus quid Leo Papa ſerm. 1. de Epiphania ſuggerat: *Adorant in Carne Verbum in infantia ſapientiam: in infirmitate virtutem: vtque Sacramentum fidei ſuæ, intelligentiæque manifeſtent; quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur:*

Leo.
*Non ſola fide, ſed muneribus quoque Chriſtum in cunis venerati ſunt Magi.*

Sed obſecro, Numquid non ore, & verbis fides manifeſtatur potiùs quàm muneribus? quamobrem igitur Leo dona obtuliſſe aſſerat, vt fidem teſtarentur? Sanè, quanquam ſermonibus de fide multa cumulaſſent, ſi tamen opera ſubtraxiſſent, ſuſpecta eſſe potuiſſet licet ſpecioſa fidei confeſſio, nam vbi fidei ſynceritas eſt, ſubpudet eam vacuam apparêre, itaque accerſit continuò quæ latera ſtipent, virtutum, operúmque bonorum turmas: Hoc ſcientes Magi eleemoſynam comitem adlegunt, hæc enim Pauperum laboribus opitulatur, illi verò egentes locupletarunt; ne ſi verbis ſolùm ſtabulo iacentem Puerum conſalutaſſent, tepidè Deum eſſe quem colebant, crediſiſſe iudicarentur; proinde Leo affirmabat, non tam labiis, quàm donis conſignatam robuſtè fidem eorum.

26. Mundo adhuc penè embryone, iuſſa Tellus *germinare herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Geneſ. c. 1. verſ. 11. quare ſtatim erupêre in folia

Geneſ. 1. 11.



arbores, fructúſque vnà pulcherrimos? cur non de ſolito naturæ vſu, è protuberantibus clauiculis, vel flores, vel folia rimâ inuentâ proſiliunt & poſt ætatum incrementa ſerò maturos fructus oſtendunt? Num quia Paradiſi arbores, quas fortunati Nemoris vetat præſtantia communibus circumſcribi decretis? aut quaſi rubor ſit abſque fructibus conſpici beatam ſyluam? ergo Arborum aliæ in Paradiſo leges, aliæ extra hunc? Catholicæ Eccleſiæ Paradiſus ſymbolum; Quæ extra hanc ſunt Conuenticula, maledictæ glebæ partes omnes illæ: Horum tamen quæ ſub Hæreſi pars eſt, fidem nihilominus ſe habere iactat, ſcilicet credit in Deum vnum, & Chriſtum agnoſcit, & alia nonnulla modò auerſatur, modò concedit: Sed quidem illi fide diuinâ minimè pollent; eſto tamen fidei nominibus & Titulo variè glorientur, ipſa tamen illa fides quàm macra & ſterilis! folia habent quæ apud eos naſcuntur arbores, fructibus ſemper viduantur, quoniam fides eorum in verbis eſt, non in operibus: non talis Eccleſia ſancta: percipiamus à Gregorio libro 19. Moral. cap. 15. *Bene autem ſcriptum eſt: germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum fructiferum faciens fructum iuxta genus ſuum: per Terram quippè ſignificatur Eccleſia, quæ & verbi nos pabulo reficit & patrociniſ vmbraculo cuſtodit; quæ & loquendo paſcit, & opitulando protegit: vt non ſolùm herbam refectionis proferat, ſed & cum fructu operis arborem protectionis:*

*In Paradiſo terreſtri Eccleſiæ ſymbolo, non ſolum folia & flores producunt creatæ arbores, ſed fructus quoque: fidem ſcilicet cum operibus.*

Gregor.

At quomodo in Paradiſo ſine fructibus ligna, cùm ob foliorum oſtentationem anathemate percuſſa ſit ficulnea, quæ eſurienti cibos Seruatori non ſubminiſtrauit? Marci c. 11. v. 13. in typum videlicet Hæreticorum, qui verbis tantùm fidem crepant ex Patrum vulgata Allegoria, è quibus Auitus Archiepiſcopus Viennenſis ad Fuſcinam ſororem de Caſtitatis laude ſcribens, cecinit:

Marc. 11.
Auit.

*Nec verò immeritam temerè ficulnea pœnam*
*A Chriſto maledicta luit: nos inde docemur,*
*Ne vanum præ ſe tumefacta ſcientia nomen*
*Noſtra ferat, ſed iuncta ſibi Dilectio ſubſit:*
*Nam niſi doctrinæ iungatur vita fideli*
*Maiores faciet coniuncta ſcientia pœnas.*

Quare Auguſtinus venuſtè in illud Pſalm. 46. *Omnes gentes plaudite manibus*, &c. *Sed quare manibus, inquit? quia bonis operibus: iubilate Deo in voce exultationis: & voce & manibus: Si tantùm voce, non benè, quia pigræ manus: Si tantùm manibus, nec hoc benè, quia muta eſt lingua: concordent manus, & lingua: illa confiteatur, illæ operentur.*

Auguſtin.

Intrabat Hieroſolymam ouantis gloriâ Chriſtus: plaudebant Triumphatori ſtipantia agmina, & vide quibus modis: *Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via; alij autẽ cædebant ramos de* 27.

Matth. 21. 8.

*In Chriſti triũpho ſternũtur in vijs cõculcãdi virentes quanquam, ſed infructuoſi arborum rami.*

*arboribus, & ſternebant in via,* Matth. c.21. verſ.8. Nec miror quidem de ſubſtratis veſtibus, pulchrum enim Chriſti ſubiici veſtigiis, quod hominibus charum eſt, quod pretio commendabile: euellantur quoque protenſa arborum brachia, ſed aut in corollam aptentur, quæ tempora cingat, aut dextera illa portet: Nam ſi humus excipiat, offendiculum obequitanti futura, remorabuntur vectatricem Aſinam, & niſi peritum nacta ſeſſorem, Terræ collidet: Bene comites Redemptoris ſæuiunt in luxuriantes foliis Ramos: Nam cùm pomis deſpoliatæ eſſent, præfigurabant eam quæ de verbis ſolùm eſt fides, & bonorum operum negligens: ergo vt huiuſmodi ad nihilum vltrà valere ſubinnuat, niſi vt foràs mittantur, & proculcentur ab hominibus, non vertice geſtant, non manibus prætendunt ſed ſpargunt in viam: aperuit cogitationi ſemitam, quanquàm paulò diuerſa Hilarij Expoſitio Canone 21. in dictum Matthæi locum: *Apoſtoli quoque exciſarum arborum ramos poſt veſtimenta ſubſternunt: ſed nulla in hoc eſt humani officij reuerentia: Rami enim incedentem impedirent, & implicitum iter facerent properantis ingreſſui: Verùm explicatur omnis Ratio prophetiæ, & futuri forma ſeruatur: igitur infructuoſarum arborum Rami, id eſt, infidelium quondam gentilium fructus per Apoſtolos itineri Domini ſubſternuntur.* Quamobrem Legiſlatoris ad populum Hebræorum interdictum, eſt Denteron.cap.16. verſ.21. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxtà altare Dei tui:* cuius ab Iſidoro Hiſpalenſi hæc data ratio præcepti: *Nemus, frondentes arbores infructuoſæ, ſolâ delectatione viſu plantata, Gentiles ſunt qui Rationem ſuam verborum decore componunt, vt non auertant à vitijs, ſed delectent: Nos autem circa Altare Dei, id eſt, Dominicam fidem, nihil in verbis infructuoſum, nihil illecebroſum componimus, ſed puram veritatis ſcientiam prædicamus:* rectè Altare fidem interpretatus eſt, quam ambire infructuoſa ligna vetat, eò quod dignus operibus vacuos Cultores non ſuſtineat.

Hilar.

Deuteron. 16.21.

Iſidor. Hiſpal.

28\. Ioan.1.5.

Difficilis nodus apud Ioannem, cap.1. verſ.5. *In ipſo vita erat, & vita erat lux Hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt:* Primùm, quo pacto ſub caligine lumen? nam ſi radioſum & ſplendeſcens quidpiam, fugari vmbras neceſſum erat, neque enim lucidis, atque opacis ſodalitas: Deinde, cauſam ſubiunxiſſe viſus, quamobrem ſub nocte fulgores, quia ſcilicet luci vita inerat: ſed nónne quæ viuunt, etiam in obſcuris reperiantur Cauernis? equidem lampas quædam fides eſt quæ benè per vmbras ſplendêre dicitur, quoniam claritati adiuncta eſt obſcuritas, eſt enim rerum non apparentium cognitio, ſic & de eius ſorore, vaticinatione nimirum, Apoſtolus Petrus ep.2. c.1. verſ.19. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco:* Verùm modò tenebras, aliter concipiamus, quàm ſit modus tendendi actus fidei in ſuum obiectum, & ſanè de peccatorum Cimmeriis vmbras: conſidera igitur Regnum aliquod, in quo dominentur vitia, vbi plena laxata ſit ianua ſceleribus, & humani, diuinique iuris nullus metus: ergo in his miſerandis Prouinciis, quas memoraſſe doloris à recordatione acerbitas non patitur, fuêre eheu! qui fidei iacturam fecerunt, in monſtra prolapſi errorum: extitêre & non pauci, quorum in Religione tuendâ verâ enituit Conſtantia planè ſtupeſcenda: Vnde igitur hi ſtabiles velut Marpeſia cautes irruentibus cum ſæuitia omni fluctibus, vnde fluidi illi, & naufraga Plebs? ſanè, quoniam in luce priorum, quam fidem aſſerebamus, vita non erat, quâ pollebant ſecundi, Nam virtutibus deſtituti, boniſque operibus cunctis, gratiam ſanctificantem, qua vegetatur Anima, habêre non potuerunt, quibus orbati, victi ſunt à magna Tempeſtate, & cymbula confracta eſt, iis nullum detrimentum paſſis, quamuis denſâ cingerentur nocte, in quibus lux vitalis reſplendebat: Annon hæc Origenes tom. 1. in Ioannem ſubſignificat, inquiens? *Subeſſe enim vitam oportebat, vt is qui viuit, illuſtretur: Non autem erat hoc conſentaneum, vt is illuminatus eſſet, qui nondùm intelligitur viuere.* His cognata apud Ezechielem, c.1. Nam cùm de Animantibus aduertiſſet, cùm ambularent, minimè reuerſa fuiſſe verſ. 12. de Rotis eadem perhibet verſ. 12. & ne fortè quempiam id moueat, ſubnectit v.20. *Spiritus enim vitæ erat in Rotis:* igitur, quoniam vitam retinebant, idcircò (myſticè explanemus,) à veteris, Romanæ videlicet fidei profeſſione, neque ad ſchiſmata, neque ad Hæreſes declinabant, vitâ roborati, quam gratia gratum faciens conciliat, quam virtutum indiuulſa phalanx comitatur: vah minas crudeles! ergo certè fide inſociatâ relictâ, abire iuſſis virtutum, bonorúmque operum præſidiis, in confinio eſt metus de Hæreſi terribilis: ô ſupplicij acerbiſſimam figuram! ô Hominum in vallandis Animabus negligentiam! abeant extra Eccleſiæ caſtra, diſcedant quibus ſcelerum nullus eſt finis: Quid ſi primum de Monaſterio hanc ipſam ob Rationem exierunt? ô ſine munimentis fidem Chriſtianam vitro quouis fragiliorem!

*Fides ſine operibus, eſt lux in tenebris in qua non eſt vita.*

2\. Petr.1.19.

Origen.

*Quoniam ſpiritus vitæ (.i. fides cum operibus,) erat in rotis Ezechielis, non declinabant, nec reuertebãtur, ſed rectà tendebant.*

Ezechiel.1. 20.

29\. Ioan.1.3.

Pergat Ioannes rurſum effari de eodem cap.1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil,* v.3. abſque Verbo ſcilicet: Cur non Spiritui ſancto ſpecialiter attributa, quæ condita ſunt in origine æui? Nempè inter diuinas Perſonas, filius eſt, cui ad intellectum ſpectantia Nomina commodantur, lumen, imago, ſapientia genita & ſimilia non pauca; Quemadmodum Spiritus ſanctus eſt, qui titulis inſignitúr ad voluntatem & Amorem relatis: Ergo diuinarum Perſonarum exemplis manuducti Homines quid ſi ament? Quid ſi intelligant? vndenam pericula? ab Amore nihil timendum: Nam charitas operit multitudinem peccatorum: & quoniam ignea eſt, otium non patitur, laborat atque operatur: Quanquam igitur Spiritus ſanctus non referatur ad agendum profectus, eius vt conentur Homines exempla referre, in tuto erant: ſin autem putent & Verbo, quod velut ſolùm intellexerit, quin etiam laborarit, vnius ſcientiæ Theoriam ſufficere arbitrabuntur: at quanto hoc diſcrimini obnoxium? inde Sectariorum ruinæ. Nam quaſi ſummum bonum arbitrantes Ethnici vanam Sapientiæ laudem, dum virtutes negligunt, dum Morum cenſuram, abierunt in iter quod eſt exterminij, & ſtulti facti ſunt eruditiſſimi: Hæretici pariter aſſerentes fidẽ abſque operibus bonis Olympo ſemitam pandere, vias ſaluti præcluſerunt: igitur, ne adfauêre quouis modo Verbum appareat ſi intelligere, & non facere ſimul videatur, eligatur inter diuinas Perſonas, cui facienda ſpeciatim attribuantur: Ergo Pater filio quidem communicauit inexhauſtæ Scientiæ incomprehenſum pelagus, ſed aſſociauit omnipotentiam cum aliis attributis, vt non ſolùm cognoſceret, verum & ageret in cœlo, atque in Terra, atque in abyſſis omnia quæ vellet: Hinc Zeno Veronenſis ſerm. 3. in Geneſim de filio in diuinis: *Unde proceſſit, paterni Cordis eſt excultor: non enim minus eſt facere magna, quàm dicere:*

*Verbo ſeu Sapientia increata creata omnia tribuuntur, quo docemur non ſufficere ſciẽtiam ſeu fidẽ ſine operibus.*

Zeno.Veron.





Eructauit de Corde Verbum Pater, vt canit Pſalmodus initio Odæ 44. traxit ab illo penetrali de theſauro diuinitatis, vt intueretur vniuerſa, vt operari valeret quæcumque factibilia eſſent, idcircò bellè, *paterni Cordis excultor*; quare ſtatim Hymnographus: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*; neque enim qui ſtylo exarat intus concepta, ſine opere eſt: itaque à verbo & opus & notitia ſimul.

Pſalm. 44.2.

30\.

Fidei noſtræ Magiſter Chriſtus, ſed in vita quaſi Anteceſſor tantùm, moriens inſuper & teſtis: Arnoldus Carnotenſis tract.1. de ſeptem verbis, in illud: *Deus, Deus meus,* &c. *Ideóque ex illa cathedra Crucis quoddam Deuteronomium dictatum eſt in recapitulatis breuiter, quæ multa prolixitate diffuſa erant: at ſatagit ſimul Magiſter bonus facere, & docere, & exemplo conſummare doctrinam: nec tam veritatis præceptor eſſe quàm teſtis:* Sed nonne hucuſque teſtis, quoties Iudæis de vitæ Sacramento æternæ proloquebatur? numquid ſubeundæ Crucis neceſſitas? atque Baptiſta ligno non occubuit, neq; de ſtipite pendens dictauit aliquid, & tamen fuit Teſtis? Nam de eo alter Ioan. Euangelij c.1. v.7. *Hic venit in Teſtimonium, vt Teſtimonium perhiberet de lumine:* Quidni igitur Chriſtus teſtis antequam ad crucifigendum ductus? Equidem Magiſter ſolâ ſpeculatione rerum frequentiſſimè cõtentus eſt: Teſtis, quem Martyrem Græci appellant, quod profitetur, quod docet, ſuffert etiam: oportebat itaque Seruatorem, qui baiulandæ Crucis hortator fuerat, eiuſdem Teſtem fieri: vt quid? Nempe Pater fidei erat, eiúſque ſeminator: Si igitur Doctorem fidei verbis ſolis vſum animaduertiſſent Homines, neque ad opus progredi, ſibi idipſum licêre intelligerent; quo ne imbuerentur errore, *ſatagebat Magiſter bonus* (dicente Arnoldo) *exemplo conſummare doctrinam: nec tam veritatis præceptor eſſe, quàm Teſtis.* Neque myſterio vacuum, quod Auctor præſtruit: *Deuteronomium,* hoc eſt ſecundam legem prioris Recapitulationem, & Breuiarium à Chriſto editum dum crucifigeretur, ſeptem ab eo prolatis verbis: Solent in eruditorum lucubrationibus ſecundæ Curæ emunctiores prodire, vt quibus iudicij & Mineruæ adhibitum ſit, amputatis omnibus quæ in priori fœtu ingeniorũ inneceſſaria videbantur: ergóne ſubinnuat ſecundas fuiſſe curas Deuteronomium de Cruce prolatum, & proinde excellentiorem legis formam? Nolo hoc, quando Chriſtus vbique Artifex: Quidnam igitur? Nobis indicatur, quantam verbis operum fœderatio conciliat gratiam, vt ſi quid in Chriſti ſermonibus emendabile conſiderandum fuiſſet; velut ſecundæ reputarentur Curæ, quibuſcum opera coniuncta inuenirentur præ ab his diſiuncta Oratione.

Arnold. Carnot.

*Chriſtus in Cruce non ſolùm Præceptor, ſed etiam Teſtis, quem Martyrem Græci dicunt, doctrinam factis comprobauit.*

Ioan.1.7.

*In Cruce Chriſtus edidit ſeptem verborum Breuiarium.*

---

*Perſecutio Sanctos non conſumit, ne attenuat quidem: robur magis & nitelam accerſit.*

## SECTIO II.

31\.

*Vt Monilia Sponſæ de Auro quod per ignẽ probatur, ſic Iuſtos Eccleſiæ ornamenta Perſecutio probat, non conſumit.*

DE auro, & argento conflatæ Murenulæ, cur non ex alia Materia, vel Corallio, vel Smaragdis, vel Animantis alicuius pretioſo dente? Ornamentum Eccleſiæ iuſti ſunt, hos Tribulatio probat, perſequuntur Tyranni nouercalibus odiis, bonorum proſcriptione, exilio, vitæ ipſius mulctâ per omnes Crudelitatum modos: ergo in Camino aduruntur, torrentur acribus flammis; Sed quoniam aurum ſunt, quoniam de argenti purioris venâ optimâ, ignis, vt conſolidarẽtur, vt fulgerent, agere valuit; vt aut deficerent, aut deturparentur, facere non potuit: nunquam gratioſius aurum, quàm cùm de fornace micat, Solis penè æquaturus iubar. Ambroſius egregiè Octonario 3. in illud Pſalm. 118. *Retribue ſeruo tuo,* &c. L X X. Seniorum lectione vſus: *Similitudines, inquit, auri faciemus tibi ex diſtinctionibus argenti, quoadusque Rex eſt in declinatione ſua: Crebræ enim Perſecutiones Eccleſiæ, iuſtorum nobis titulos, Martyrij victorias ediderunt: itaque ſicut aurum bonum, ita Eccleſia cùm vritur, detrimenta non ſentit, magis fulgor eius augetur, donec Chriſtus veniat in regnum ſuum, & reclinet caput ſuum in Eccleſiæ fide.* Seminauit bonum ſemen in agro ſuo gnauus Paterfamilias, cùm autem ſopor irrueret in vigiles, venit inimicus Homo & ſuperſeminauit Zizania: doluêre ad nocumentum fideles ſerui, Dominíque veniam implorantes, rogant copiam euellendi adulterini germinis: quibus reſpondet: *Non: ne fortè colligentes Zizania, eradicetis ſimul cum eis & Triticum: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem,* Matth.c.13.v.29. Sed ô bone Poſſeſſor agri, conſidera, quemadmodum & cauti & diligentes ſunt famuli, noſcũt diſcernere ſpuriam à nobili Herba, pátere vt eradicent, dum tenellæ ſunt, ſi enim adoleſcant, fortaſſe Medicinæ nullum futurum ſit Remedium: cur vſque in Meſſis Tempora expectatio? rectè omninò Paterfamilias: Nam cùm in ſegetes falx mittenda eſt, tum Phœbus ardẽtiſſimos radios eiaculatur in Terras, armatur in glebam vorax flamma igniuomi ſyderis: Quæ à tanto incendio ſtrages? Sanè, ſi quæ ſunt notha germina, ſi quæ falſæ imaginis, exſiccantur, flaceſcunt, intereunt denique: Quæ autem generoſa ſunt, ſiue in ariſtis, ſeu in lignis & plantarum genere, lætantur ſub ardoribus, vtpotè ſine quibus neque maturitatem, neque formæ ſuauioris decus aſſequi potuiſſent: proinde ſapiẽter antiquus Agricola in Meſſis periodum reſeruari zizania mauult, facilè enim tum degenerem herbam ipſe prodet marcor & languor emẽtiti roboris, quoad flammæ non torrebant. Campus Eccleſia eſt: in ea & Triticom & zizania: malum ſemen improbi ſunt, frumentum iuſti, qui ad electorum claſſem ſpectant: Superuenit vtriſque Tribulatio, aduruntur quaſi in fornace à Perſecutionibus: Quid recti? de incendio puriores, de ſæuitia conſtantiores, de Hoſtium rabie auctiores: Quid ſcelerati? recedunt, fatiſcunt, imminuuntur de conditione zizaniorum: ô flammæ ſingulare iudicium ſeruantis, diſſipantis! Chryſologus ſermone 97. *Quod latet in herba, manifeſtatur in ſpica, & quod celatur in gramine, aperitur in fructu; Sic quos credentes putamus pares, fide diſpares inuenimus; Sic iudicij prodit Meſſis, quod Eccleſiæ germen occultat: flores multi multitudinem fructuum pollicentur, ſed examinati ventorum flabris ad fructum pauciſſimi perſeuerant: Sic credentes in Chriſto multi Eccleſiæ videntur in pace: Vbi autem Perſecutionis procella perflauerit, pauci Martyrij repeiuntur in fructu.*

Ambroſ.

LXX.

Matth 13. 14.

*Vult in Meſſem vſque ſeruari zizania cum Tritico Paterfamilias, quia cùm ſub Phœbi ardoribus lætentur vera germina, flaceſcunt & ſiccantur adulterina.*

Chryſolog.

De Tyranno potente in iniquitate, & qui gloriatur in malitia Chelys Dauidica Pſalm. 51. verſ.4. *Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: Sicut nouacula acuta feciſti dolum:* Sed quas technas machinatur nouacula? Nonne apertè vulnerat & cruentat? Num per inſidias ferit? Verùm raduntur pili capitis, mentum raditur: putabatis, cùm educi à Tonſore ferrum videretis, 32.

Pſal.51.4.

*Tyranni Perſecutio, ſicut nouacula acuta, non lædit, ſed pilos & ſuperflua radit, nitidioremque reddit Iuſtum.*

aut iugulum peti, aut cerebrum: timebatis à carnificina, ab ictu lethali: nullum tamen à Nouacula detrimentum, ſuperflua & incompoſita ſolùm abſtulit; venuſtauit, non interfecit: ita eſt in Perſecutione, ita in Tentationibus: excitata eſt Tempeſtas, clamauerunt fluctus: non abſorbuerunt irati gurgites, abſterſerunt tantùm: nitidior de procella Mens; quicquid æruginis contractum de Mundi familiaritate, emundat Baptiſmus inimici fluminis cùm mouetur in furorem: Auguſtinus exponat ſerm.6. de verbis Domini: *Sicut Nouacula acuta feciſti dolum: quare dolum potentis malæ Nouaculæ comparauit? quia non admittitur niſi ad ſuperflua noſtra: ſicut capilli in corpore noſtro tanquam ſuperflui videntur, & ſine detrimento Carnis raduntur: ſic quidquid tibi poteſt facere iratus potens, inter ſuperflua tua numera: etiam iſta vita cogitantibus aliam vitam, iſta, inquam, vita inter ſuperflua, deputanda eſt:* Ergo Nouacula dolum fecit, ſed Tyranno, non Martyri: acuebat ille ad lanienam cultrum,& deceptus eſt; emendatus eſt iuſtus tantùm, proſiliit formoſior, qui ſuperflua amiſit ſolùm: Quare inſigniter Machabæorum Hiſtoriæ Auctor lib. 2. cap. 6. verſ. 12. *Obſecro autem eos, qui hunc librum lecturi ſunt, ne abhorreſcant propter aduerſos caſus, ſed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri.*

Auguſtin.

2.Machab.6. 12.

33. Sed hæc eſt immanis ſtultitia ineruditæ plaſtis arbitrantis flagitioſum & derelictum eſſe Hominum genus quodcumque vapulat. O profundam cæcitatis amentiam! Nam vt capere non valeant, quorſum probi viri affligantur, ſaltem Deo optimo Gubernatori crederent, & in melius fieri iudicarent, quod à peritiſſimo Magiſtro permitti cernant. Annon deferendum Deo tantùm, quantùm Homini deferre Homines conſueuerint? Audiamus pulcherrimè diſſertantem Nilum Abbatem in Aſcetico: *Quid enim primo aſpectu abſurdius, quàm cùm Gubernator in ea Nauigatione, quam Nautæ Matutinam appellant; iubet vt vectores naui in obliquum vergente, in eo latere conſideant, quod vndis obruitur, relicto latere ſublimiori, præſertim, cùm ventus impellat, atque vrgeat latus illud, in quod iuſſit pondus inferri? Nonne Coniectura ſuadebat, vt alterum latus, quod erat ſublimius, onere premeretur, omnéſque in eo conſiderent? Attamen, Gubernatoris iudicio potiùs, quàm propriæ coniecturæ, atque opinioni vectores credunt, & obediunt: quid ita? quia quamuis ea, quæ cernunt aliter ſuadeant: arti tamen illius, cui ſalutem ſuam commiſerunt, neceſſitas cogit obtemperare: Sic igitur, qui ſalutem animæ ſuæ alijs crediderunt; omiſſis proprijs opinionibus, & coniecturis; periti Rectoris arti cedunt; & Scientiam illius cogitationibus ſuis anteponunt.* Subit recordatio Tui, dum hæc perpendo, Iaponiorum Eccleſia, magnæ Matris Orthodoxæ clariſſima portio: leguntur in ſacro diſcubitu recentes epiſtolæ: ô votis olim expetita meis, & iuſtè negata fœmineis animis! Si tamen quidquam valeat ignaua Oratio, pro te ſupplicibus agam deſideriis, quoad Mundo ſuperuiuam: eheu! quibus iactata ventis! quanta Maris indignatio! miſereor, & inuideo: vah coronas inclytas, & nullibi maiora Certamina à primis Eccleſiæ temporibus! Perge, & crede non eſſe irati Numinis vindictam quod pateris: veniet citò Redemptor tuus, expecta eum, & ſta in fortitudine: Numquid obliuiſci poterit ſanguinis Martyrũ ſuorum Deus ille totius Conſolationis Deus? aut forſan nouus erit Perſequutionis huius exitus, & ab antiquis diſpar? Ne dubita, quod ſemper contigit, tibi cumulatiſſimè eueniet: erit Chriſtianorum ſemen vexatio horrenda: & ſtrenuam & formoſam reſtituent Malorum diluuia.

*Deo te crede Optimo Gubernatori, qui in tuum bonũ tribulationes immittit.*

Nilus. Abb.

*Pium Auctoris in afflictã Iaponiorum Eccleſiam ſuſpirium.*

34. Relictâ paternâ domo abiit Iacob in Meſopotamiam, iámque iter propè emenſus, *vidit puteum in agro, & os eius grandi lapide claudebatur*, Geneſ. c.29. v.2. non terruit iuuenem ſaxi moles ingentior, aggreſſus maſculè vnus amouit ſub quo multi deſudarent: vt quid virium gloriatio iſta? Num Racheli placiturus, fortis apparère voluit? Equidem illâ in peregrinatione Iacob dura multa perpeti coactus; Nam Matris charis blandimentis aſſuetus Adoleſcens, Solus abire ſine famulorum obſequiis compulſus, ſine curribus & equitatu, vt ſub dio cubandum humo fuerit, & molli ceruicalis vice ſubſtituendus lapis: quas iuuenis calamitates floridè expendit Chryſoſtomus hom. 54. in Geneſim: Ambroſius lib. 2. de Iacob & vita beata, cap.1. moleſtam exilij formam nuncupat: Ergo vt inſigniter robuſtus fuerit, ſed labores attenuarint, laſſarint ieiunia & ambulationes, quomodo itaque poſt nimiam fatigationem ſic ſtrenuus & valens, vt non imploratâ (quod facillimum eſſet,) Paſtorum circumadſtantium ope ſaxum immani pondere vnus amouêre auſus ſit? ſanè, iuſtus erat Iacob: Nam etiam virtutis gratiâ, fratris nimirum vt acerbam declinaret inuidiam, ſubiit labores tantos: vt igitur percipiamus ſanctos vexamentis non atteri, & confundi, ſed confortari potiùs, & roboris ſuperueſtiri nouo auctuario: qui ſecundum humanam conſiderationem ob itineris incommoda, ſic fractus & laſſatus acceſſurus videbatur, vt ipſum ſe vix ſuſtinere poſſet: tanto ſubnixus accedit robore, Solus vt aggrediatur, plures quod terrêre poterat. Cyrillus catenâ in Pentateuchum Græcorum Patrum: in illud, cap. 29. *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur*, &c. *vbi etiam ſcriptura demonſtrat, non opibus modò Deum communire iuſtos: ſed vires quoque & corporis afflare dignitatem.* Atque hæc abeuntis ex patria Iacob victoria, inſpiciamus remeanti quæ contigerint: *Et ecce vir luctabatur cum eo vſque manè: qui cùm vidiſſet, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit*, Geneſ. c.32. v. 25. Angelum fuiſſe, quocum decertabat, quem & ſuperauit, Oſæas teſtatur cap.12. verſ.4. *Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt:* At ſi in arenam prodire viſum, cur non Iacobum flore iuuentutis, & præſtanti vigentem robore, Angelus prouocauit? ecce nunc paſtoritiæ vitæ laboribus conſumptus, nam & magnorum æſtuum combuſtus ignibus, & frigore propè enectus frequenter: Quanquàm ſi ſtrenuus & bene pinguis, itineris longitudo maciem attuliſſet, quando & vxore & liberis onuſtus: ſuper his omnibus dura pugnæ conditio eſt, noctem palæſtræ deſtinaſſe: an non hæc omnia iniquum certamen proclamant? imò glorioſum magis: volebat enim ſignificare Deus iuſtos aduerſis oneribus non debilitari: Nam cùm poſt graues labores intueantur Angelo Agoniſtæ velut non cedere; colligẽt præteritis vitæ caſibus, & multimodo labore non ſauciatã valetudinem, ſed quaſi induratam, & conſtantiorem redditam.

Geneſ.29.2.

*A varijs longi itineris fractus (vt videbatur) Laboribus Iacob, Solus tamen quaſi diuino robore auctus, immane ſaxi põdus à puteo remouet.*

Chryſoſtom. Ambroſ.

Cyrill.

Geneſ.32. 25.

Oſee 12.4.

*Idẽ Iacob tot laboribus debilitatus, cum Angelo ſtrenuè luctatur.*

35. Profectus ad Gerarítas Abraham vxorem amiſit: nam Regis imperio in aulam ſublata, quanquam nocturnâ viſione perterritus Abimelech Marito illæſam reſtituit, Geneſ.c.20. Cur Saram adamauit Princeps? Nonne ob vultus ſuauẽ decorẽ? planè quidem: hoc enim capiuntur laqueo Veneris aſſeclæ: atque id quidẽ denotat Auguſtinus quæſtione

Geneſ.20.

*Mira Saræ nonagenariæ pulchritudo, à virtute.*

Auguſtin.



quæſtione in Gen. c. 48. Chryſoſtomus hom. 32. in Geneſim: Atqui Sara tum nonagenaria erat ex vna Interpretum voce. Iſaacum enim vuluâ portaſſe Theodoretus affirmat quæſtione 62. in Geneſim, atque ideo Scripturam docuiſſe, ab eo nihil violatam fuiſſe: Porrò Iſaacum quando edidit, vetula erat: nam de illa Geneſ. cap. 21. verſ. 2. *Concepítque, & peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Deus:* Quomodo igitur facie pulchrâ, & vernanti eſſe poterat? nam quemadmodum ſub Autumno florum omnis abit venuſtas, ita ſub vitæ extrema ſpatia mulieribus forma perit: Quin & ante ſenectutis horridam Brumam cauſæ emarceſcendi decoris Saræ plurimæ fuerunt: quippe fideli comitatu Sanctum Patriarcham Abraham virum ſequuta, exilia & peregrinationes tolerauit: Solet autem climatis viciſſitudo accedentibus præſertim laboribus oris gratiam lædere: Vndenam igitur tanta formæ Conſtantia? Equidem ſpecialem Numinis Prouidentiam putarunt Hebræi vt Pererius refert diſputatione 1. in cap. 20. Geneſ. & quidem propter eximiam virtutem & caſtitatem illius. Igitur, quæ ob Deum labores perpeſſa eſt maximos, cùm vultus politiem amiſſura videbatur, duplicauit pulchritudinem: multò enim excellentius eſt ſub vitæ Crepuſculo formoſam extitiſſe, quam ætatis initio: iam ſi nec corpori, cum Deo placet, damnum attulêre perpeſſa mala: quid de Animorum cenſeamus vigore? non contingere arbitrabimur, vt quemadmodum ex flamma ſplendidius aurum prodit, redditúrque incendio melius: Sic Tribulationibus affecta Mens excoquitur, vt fulgentior exihat?

Theodoret.

Gen.21.2.

Pererius.

36. Fugiebat Dauid, & fame viſcera torquente, Achimelechum obteſtatus eſt, ſi quid eſcarum haberet ad manum, porrigeret eſurienti: cúmque nullos habere ſe Panes affirmaret, quibus veſci laïcis hominibus indultum eſſet, tandem poſt examinatam Puerorum munditiem, ſanctificatis donauit panibus, Reg. 1. cap.21. verſ. 6. Cur auſus non Sacerdos Dauid pane Laïcis interdicto reſici? Num veniam conciliauit neceſſitas? Vide, quæ ad Hiſtoriæ rigorem ſpectant apud Toſtatum quæſtione in memoratum caput; modo Hieronymi ſingularem cogitationem recensêre & expendere iuuat: Nam Dauidem peregrinâ argumentatione Sacerdotem facit: is in cap.2. Sophoniæ, ad illa: *Audiui Moab*, &c. Sub calcem ſpiritalis Expoſitionis: *Denique & Dauid* (inquit) *non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes propoſitionis: Sed quia per ſingula creſcebat opera, & perſecutio Saul virtutum illius profectus erat: propterea in fuga ſua dum neſcit, ſubitò Antiſtes efficitur, & accipit Panes propoſitionis, & non violat mandatum Dei:* Proh nouam & inconſpectam Sacerdotij normam! vbi Ephod? vbi lineæ veſtes? vbi ritus alij? Perſequutione Sacerdotes efficiuntur conſecrandi inſolito genere? Equidem ſi Myſta nemo qui non vexatus, Sacerdotum haud ita excreuiſſet numerus: ergóne conſecratus verè ob Saülis perſequutionem Dauid? non id Hieronymus intellexerit: quidnam præterea? Scilicet purgari Animam Tribulationibus mirificè, vt ſi Mentis nitor conſiderandus, Sacerdotibus inuidiæ eſſe poſſint quodammodò Laïci tormentis probati. Equidem Sacerdotum præcipua dos eſt Animæ, Corporíſque præcellens mundities, & illibata Religio Sacrarum actionum: cùm igitur de munditia ab Achimelecho diſquiſitum eſſet, reſpondet Hieronymus non eſſe quod ſubuereatur panes Dauidi porrigere, nam Sacerdotem illum eſſe ſpiritaliter, hoc eſt moribus & ſanctitudine, & eximiâ quadam imbutum munditiâ: vnde autem norit talem eſſe Dauidem? quoniam perſequebatur eum Saul; Nam cùm Dauid à teneris annis, iuſtitiam, & æquitatem impensè coluerit: iuſtitia autem afflictata repurgetur tribulationibus, & magis, magíſque ſplendeſcat: fieri non poſſe quin ab aduerſis caſibus ſic eius claruerit virtus, quæ Sacerdotalis æmula nitoris meritò iudicari poſſit.

1.Reg. 21.6.

Hieronym.

*Dum Saülis perſecutionem fortiter tolerat Dauid Sacerdotalẽ, & munditiem & perfectionem aſſequitur.*

---

*Luctuoſum eſt ob vnius Mandati negligentiam plurimorum obſeruantiæ iacturam feciſſe.*

## SECTIO III.

37. QVamobrem nouæ Nuptæ non vnam ſolùm Murenulam pollicentur? oneri futuræ, ſi congerantur plures teneræ Ceruici? Num vt habeat quas alternetur & mutet, neque ſub iiſdem conſpiciatur donis: eſt in viciſſitudine gratia, eſt Maieſtas: vtcumque de Hiſtoriæ ſenſu, bellè in ſpiritalem quadrat, quod non vno Monili ſeu collum, ſeu pectus Sponſæ conornetur: Nam pretioſis illis ornamentis ſignificatæ virtutes. Quæcumque autem Sponſa eſt, eadem & Amica Dilecti, oportet autem Animam Deo charam per gratiam nimirum ſanctificantem, omnium virtutum præſidiis ſuffulciri, quatenus ſcilicet earum cultus ad præceptum attinet, non quantùm ſub Conſilio eſt: explanemus patenter: Sunt qui à iuramentis abſtinent, qui à violando alieno toro, ſed auaritiæ cupiditatibus ſuccumbunt; alius ad cætera religioſus niſi ad Veneris procumberet idolum; alter de reliquis Triumphator, gulâ vincitur: Quæ Hoſtis verſutia eſt nonnunquam perſuadêre conantis Hominibus in tuto eſſe cuncta, dummodò capitaliora obſeruent: intereſt autem ſcire, qui vnius Mandati tranſgreſſor, vniuerſorum reum haberi quoad beatæ viſionis amiſſionem & flammis cruciandum æternis: Quamobrem ſapienter Sponſa non vno contenta eſt Monili, neque enim aliquam deeſſe patiatur virtutem ex his, quæ ſub præcepto ſunt, cùm nouerit vni grauiter aduerſantem virtuti earum, quæ obligant ſub præcepto, iuſtitiam & ſanctitatem amitti, abrupto, quod eſt cum Sponſo, fœdere: adſtipulatur abundè Gregorius Niſſenus hom.3. in Cantica: *Rectè à Scriptura aſſimilatur ὁρμίσκοις, id eſt Torquibus, quæ efferuntur numero plurali, voce ſignificante perfectionem in vnaquaque virtute: Si enim vni Soli aſſimilata Torqui eſſet, laus omninò eſſet inutilis, quod non idem haberet teſtimonium in cæteris virtutibus: nunc autem oratione complectitur omne virtutum teſtimonium, quæ fit Torquium multitudini aſſimilatio: eſt hoc quoque conſilium, quod à Verbo præbetur toti Eccleſiæ, non oportêre nos ad vnum aliquod bonum adſpicientes, in cæteris rectè factis eſſe negligentes.*

*Plures Sponſæ promittuntur Murenulæ: Animæ nõ ſufficit vna virtus cæteris neglectis.*

Greg. Niſſen.

38. Sed quàm miſerandum eſt poſt multos ſuperatos agones, poſt longum athleticum puluerem, à minori frangi certamine! ô ſi tolerantem cœnobij faſtidia per continuam ſui abnegationem, vulnus pati mortale contingat à deſpectiori contrario! Contemplare Virginum illarum, quæ obuiam Sponſo atque Sponſæ proceſſerunt lamentabiles exitus: nam cùm ad ianuam fortiter pulſaſſent,

*Cùm tamen in multis laudabiles ſe exhibuerint quinque Virgines fatuæ, quod oleo Miſericordiæ caruerint non probantur.*

pulſaſſent, dicentes : *Domine, Domine, aperi nobis; reſpondens ait : Amen, dico vobis, neſcio vos*, Matth. cap.25.verſ.12. Proh ! qualibus illæ claræ Trophæis ! Nam & iræ dominatæ ſunt, & vicerunt ebrietatem, & linguam à maledicendo cohibuerunt : iam verò, quanta laus Virginitatem coluiſſe ? quot vna in Victoria iſthac encomia, quando triumphatum per crebras, vehementéſque pugnas ! tantam gloriam maculauit ſempiterno dedecore Auaritia : quid eſt enim oleo caruiſſe, niſi immiſericordes fuiſſe, Pauperes contempſiſſe ? hoc autem de Auaritia traxerunt: Perſuadebat Satan alia minoris ponderis negligi poſſe, quando Virginitatis incomparabili quodam apice excellerent, nec in Tartara detrudi, qui in rebus grandibus meruerint : Hoc interdum aſtu viri ſeuerioris diſciplinæ in non paucis, vincuntur, & in præcipitium abeunt tandem vanâ fiduciâ decepti : Verùm rectiſſimi Numinis admiranda ſunt iudicia, nec ob Caſtitatis palmas quæ oleo caruêre, excuſantur : Chryſoſtomus homilia 79. in Matth. *Quoniam igitur & magna res erat* (de Virginitate loquutus,) *ac de ea apud multos magna erat exiſtimatio : ne quis eâ perfectâ ſe totum perfeciſſe putaret, ac cætera negligeret; hanc Parabolam propoſuit, vt oſtenderet, Virginitatem quamuis cætera habeat, ſi miſericordiæ bonis caruerit, cum fornicatoribus eiici.* Deinde perpendit, vt ſtultas aptiſſimo vocabulo appellauerit Euangelium, quid enim tam ſtolidum in minutioribus defeciſſe auſas contra magna ſtare ? *Idcircò etiam ſtultas* (dicit) *appellauit, quoniam maiori certamine ſuperato, in faciliore totum perdiderunt.*

Chryſoſtom.

39. Villicus iniquitatis apud Lucam conuocatis debitoribus Domini ſui debenti centum cados olei, remiſit quinquaginta : alteri obærato centum coris tritici : *Accipe*, ait, *Literas tuas, & ſcribe octoginta*, cap. 16. verſ. 7. Allegoricè, Dæmon Villicus iſte : perſuadet igitur ille quibuſdam Mortalium, ſufficere dimidiatam præceptorum diuinorum obſeruantiam, iſti quinquaginta perſoluunt : progrediuntur vlteriùs nonnulli, & legis maiorem partem adimplent; octoginta hi pendunt : quamobrem has machinatur artes ? Nam quidem ſi apertâ audaciâ in omne ſcelus præcipitare vellet; exhorruiſſent : delinit igitur virtutum quarundam amore, vt cùm has ſe colere videant, inter Religioſos & honeſtos occupari à ſe locum putent : dúmque ab hac ſibi pietatis quadam blandiuntur conſcientiâ, negligant de grauibus mandatis aliquod, cuius deſpicientiâ cæteri labores reddantur inutiles : huius generis inſania Nouatorum eſt, qui præclarè actum cum fide Chriſtiana arbitrantur, ſi nonnullos Orthodoxorum articulos admittant expunctis aliis, cùm tamen fides nequeat eſſe diuina, quæ non omnibus aſſentiatur à Deo reuelatis : de his interpretatio Chryſologi ſerm. 126. *Ad tantam fraudem Villicus conſpirabat, & agebat vt totam fidem perderet, dum mediat cautionem :* Nos legis cuſtodiæ accommodauimus, vt planè hoc ſit, de quo Iacobus Canonicæ ſuæ cap. 2. verſ. 10. *Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium Reus : Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit, & Non occides: Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es transgreſſor legis :* Mirum autem eſt, quod ſubnectit Euangeliſta : *Et laudauit Dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet :* Nam quomodo, ſi improbus atque iniquus, Domini voce collaudatus de prudentia ? Equidem vt Homines edoceantur, quàm miſerè eis imponat dæmon : & quanta ſit feritatis illius ſæuitia : ſtudet enim ingenij viribus omnibus, non ſolùm vt Homines æternis mancipentur ictibus, ſed vt ad luctuoſam damnationem pergant flebiles & vexati : quare, ſi quos per Roſarum prata ductare videatur, inuitus facit : ergo cùm hic peſſimi Satanæ ſcopus, iuxta præſtitum finem haud fatuè, quod legis quo poteſt onere grauari cupiat, tantùm non omnem adimplêre decreuerint : Neque hæc ita quouis pacto intelligenda ſint, vt melius eſſe quiſpiam concipiat, cùm à legis integra obſeruantia deflexerit, eius nullam penitus deinceps curam habêre. laxatis copiosè habenis ſcelerum formis vniuerſis, quàm virtutem ex parte ſaltem coluiſſe : præſtat enim omnino ad iuſtitiam ſemper magis, magíſque conari; ſed vt norint, quàm ſit deplorandum, qui potentiora ſuperauerint, excidiſſe ab inualidioribus.

Luc. 16. 7.
*Non totalem debitorum ſolutionem exigit Villicus iniquitatis, Dæmon nempe, ſciens quod qui deficit in vno, factus eſt omnium reus.*

Chryſolog.

Iacob. 2. 10.

Luc. 16.

40. Expauerat ſuos prouolui ad pedes Seruatorem videns Petrus, cuius abluere pedes cùm tentaret, officioſus nimiùm Diſcipulus recuſabat : nec placuit Magiſtro obſtinatior Religio : *Si non lauero te* (inquit) *non habebis partem mecum.* Ioan. cap. 13. verſ. 8. cuius rei non ſit habiturus cum Redemptore partem ? Regni quidem cœlorum : atqui, veſtigiorum ſordes venialia explicant Delicta : Horum nulla tam craſſa Moles, quæ Paradiſi excludat imperio : Dicunt, quibus ea inſedit cogitatio, leues noxas diſpoſitiuè Olympum claudere, quatenùs ad lethalem culpam facilè pertrahant : Sed quid vetat conſtruamus de mortali vulnere, non quod hac tantâ plagâ tum ex inobedientia Simon affectus, ſed qui ſi pergeret Antiſtitis ſeriis iuſſionibus proterniter repugnare; grauem paſſus fuiſſet ruinam : Verùm, concedamus hunc inter Apoſtolos ducem acerbâ irretitum noxâ, quod Magiſtri reclamarit præcepto, num ideò in ſempiternum proiiciendus à facie Dei ? Siccine vnius piaculi ſpongiâ obliterantur tot præclariſſimorum facinorum encomia ? Sanè, non dicimus ob cuiuſcumque lethalis culpæ vitium aboleri omnem antiquæ iuſtitiæ memoriam : imò ob priſcorum Actorum ſuauem recordationem Deus lapſis præparat auxilia, quibus abſtergant nouas maculas : Nam & Dauid & Petrus corruerunt, & lachrymando iterum fœdus redintegrarunt : Senſus autem pronunciati eſt, ſi vel cum vno tantum mortali peccato ex huius vitæ communi habitatione diſcedere contingeret, caſſos & inanes futuros anteactos vniuerſos ſudores : Baſilius Magnus in Regulis Breuioribus, Interrogatione 233. cùm diſquirit : *Numquid ex omnibus rectè factis, ſi vnum aliquod alicui tantùm abſuerit, is propterea ſalutem non adipiſcatur ?* Reſpondet : *Cùm multa ſint tam in veteri quàm in nouo Teſtamento, ex quibus planiſſimè Quæſtionis huius veritatem poſſimus intelligere; Satis eſſe arbitror Homini fideli vel illud vnum de Petro iudicium, qui cùm ei talium, ac tantorum rectè factorum teſtimonium à Domino fuiſſet datum, atque eo modo appellatus, ac Beatus laudatus; vbi vna tantùm in re ab obedientia viſus eſt diſcedere, atque hoc ipſum non ex negligentia, ſuperbiâve, ſed ex Reuerentia honoréque aduerſus Dominum ſuum; propter hoc ipſum tantùm ei dicitur : niſi lauero te, non habebis partem mecum.*

Ioan. 13. 8.
*Petro quanquam in cæteris eximio, quod vel ſemel obedire recuſaret, dicitur : Si non lauero te, non habebis partem mecum.*

Baſil.

41. Paupertatis Ananias ſectator ſub Chriſtianitatis exordio, agrum vendidit, ſed cùm referre

argentum



argentum ad Apoſtolorum cogitaſſet pedes, pœnituit omnibus caruiſſe, quamobrem retinuit ſibi de nummis partem : Sed aperuit Deus Petro, quam machinatus erat fraudem, nec aliquo de leuibus ſupplicio affecit, vitæ dulciſſimam ſubtraxit vſuram, Actorum cap. 5. Cùr tam ſeuerus ſub initiis præſertim vindex ? Etenim dum Elementarij adhuc Diſcipuli, & Magiſterij crepundia ſolùm, Ars eſt lenitudine vti, ne ſtupefactæ inconditæ mentes retrouertantur ad priſtina oblectamenta : Sed vt verum hoc ſuapto tempore, ita & à principio Diſciplinæ rigore opus eſt : & tum quamuis Eccleſiæ infantia, vt gratia profusè concedebatur, & ex vtero penè noui fideles multi prodibant quaſi in plenitudinem ætatis Chriſti ob ſanctitudinis vigorem : Quidnam igitur verebatur cæterorum Anteſignanus Petrus ? Ne Dæmon falleret quoſdam dimidiato virtutis cultu, nec deſiderari putarent, vt nihil de faciendis omitterent : Huius ergo in remedium erroris Animas morte plectitur; Non quod omnem diuenditæ Poſſeſſionis ſummam retinuiſſet, ſed quia parte vnâ defraudaſſet : vt cùm vitâ corporis ſpoliari cernant, ad Spiritum argumentatione tranſeant; intelligántque, non tantùm eos, qui nullam omninò legis rationem habent, æternis addici Cruciatibus, & gratiæ ſanctificantis ſupernaturali vitâ denudari; Sed vnius ob delicti grauem iniuriam idem contingere, vt hac caſtigati monitione ſtudeant in legis abſolutam obſeruantiam : Ambroſius lib. 3. de officiis, cap. 11. *Quid euidentius eo, quod Ananias, quia fraudauit de pretio agri ſui, quem ipſe vendiderat, & portionem pretij tanquam ſummæ totius numerum ante pedes poſuit Apoſtolorum, ſicut Reus fraudis interijt ? Licuit vtique nihil offerre, & hoc ſine fraude feciſſet : Sed quia fraudem admiſcuit, non liberalitatis gratiam reportauit; Sed fallaciæ pœnam exoluit.* Acutè : *Non liberalitatis gratiam reportauit :* Nam vt quiſpiam multos per annos integritatis & Recti Amator extiterit, ſi ex parte deflectat ab æquitatis ſemita, atque ita agentem Mors præoccupet, non computabuntur vetera benefacta, neque liberalitatis (ſic dicamus ſupponentes conſilia obſeruaſſe, nam de præceptis obligatio eſt;) gratiam reportabit, ſed malitiæ pœnas licet acerbas : quod neceſſe eſt perpendant, qui dicunt ſe libenter virtutem diligere, ſed ab vno, alterôve peccato non poſſe abſtinêre; neque de Numinis clementia putandum, vt æquitatis ad integrum ferè ſtudioſos, & modicè tantùm aduerſarios ab vnius alteriúſve paſſionis vehementia, ſinat æternum Stygia in palude gemere : noſſe tamen expedit, & iuſtum eſſe Deum, dignúmque perfecta Mandatorum Reuerentiâ, & ſubiraſci mutilæ iuſtitiæ : denique permittere vt tepidis & negligentibus Mors ſubrepat inopina, quæ ſine pœnitentia abeuntes, Tartaro reſtituit.

*Quod vnam tantùm bonorum ſuorum partem ſibi reſeruaſſet, cæteris ad Apoſtolorũ pedes oblatis, repentinâ morte multatur Ananias.*

Ambroſ.

42. Phariſæus ille, qui in Templum oraturus aſcenderat, quantarum Virtutum laude præclarus ? *Non ſum* (inquit) *ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti adulteri : ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Luc. cap. 18. verſ. 11. Quale Euangeliſtæ teſtimonium de Viro tantorum meritorum ! Prætulit quidem ei vel publicanum Peccatorem : *Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo :* Quidnam igitur in Phariſæo diſplicuit ? quod virtutem non integraſſet : Nam cæterorum vitiorum eſto Triumphator, iactantiæ ſuccubuit : Vnius piaculi noxa totam iuſtitiam confudit. O infelicem virum, quem præteritorum facinorum gloria non ſtimulauit, vt abſolueret iuſtitiæ circulum ! nec æquum duceret ob ſuperbiæ œſtrum, iacturam ſudorum tantorum facere : Gregorius Papa lib. 19. Moral. c. 12. *Phariſæus namque ille, qui in templum oraturus aſcendit; Ciuitatem mentis ſuæ, quantâ munitione vallauerit, audiamus : Ieiuno, inquit, bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo; qui præmiſit : Gratias tibi ago; magna certè munimina adhibuit : Sed videamus, vbi inſidianti Hoſti immunitum foramen reliquit : Quia non ſum ſicut Publicanus iſte : ecce Ciuitatem cordis ſui inſidiantibus Hoſtibus per elationem aperuit, quam fruſtrà per ieiunium & eleemoſynas clauſit : incaſſum munita ſunt cætera, cùm locus vnus, de quo Hoſti patet aditus, munitus non eſt : gratias rectè egit, ſed peruersè ſe ſuper Publicanum extulit : Ciuitatem cordis ſui extollendo prodidit, quam abſtinendo, & largiendo ſeruauit : Victa eſt per abſtinentiam gula, deſtructa ventris ingluuies, ſuperata eſt largitate tenacia, auaritia depreſſa : quibus hoc laboribus actum credimus ? Sed ô quot labores vno vitio percuſſi ceciderunt ! quanta bona vnius culpæ gladio ſunt perempta !*

Luc. 18. 11.
*Phariſæus in Templo orans Publicano poſtponitur, quia etſi cætera vitia ſuperaſſet, iactantia tamen ſuccubuit,*

Gregor.

43. Quod autem Sanctus Pontifex dicat, incaſſum muniri reliqua, ſi locus vnus, de qua Hoſti patet aditus, munitus non eſt, Goliathi eius vaſtiſſimæ proceritatis, quocum Dauid concertare auſus, refricat memoriam : Quàm præparatus deſcendit in pugnam ? *Caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamea induebatur*, Reg. 1. cap. 17. verſ. 5. proteguntur & humeri, & pedes; nam ibidem continuo : *Et ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat Humeros eius :* Satiſne præſidiorum ? annon ſatis quidem præliaturo cum ouium Magiſtro, bellis inaſſueto iuuene, & qui ne gladium, neque haſtam portet contra Aduerſarium ? Sed ecce ſub tanta Militis prouidentia, neglecta frontis Cura : nudauit Tempora : & hæc vna Rima in mortem fuit. O vanos conatus præmunientis cætera cum reſupina frontis negligentia! Hæc ſi pateat, reliquus apparatus oneri futurus, non ſaluti : fruſtra laborauit Vulcani officina in thorace aheneo, in ægide, in vmbone : quare Spiritus per Salomonem docet, Prouerb. cap. 4. verſ. 23. *Omni cuſtodiâ ſerua Cor tuum, quia ex ipſo vita procedit :* hoc eſt præclude vniuerſa, ſollicitus de cogitatione, ſollicitus de verbis, ſollicitus de operatione : nam ſi de his aliquid contemnatur, letho ſemitam aperiet : neque opus futurum, vt cum gigante alter concertet gigas : qui nunquam militauit, neque ad prælium accinctus eſt : Fiſtulâ paſcentes in dumetis digiti mulcêre ſoliti, proſternent veteranis legionibus formidabile monſtrum : Sed de loco Salomonis Gregorius numero anteriori relatus eodem capite : *Vnde rectè per Salomonem quoque dicitur : Omni Cuſtodia ſerua Cor tuum, quia ex ipſo vita procedit : dicturus enim [Cuſtodia,] præmiſit [omni,] vt videlicet vnuſquiſque hinc inde ſe diligenter inſpiciat, & quamdiu in hac vita eſt, contra ſpiritales inimicos in acie ſe poſitum ſciat, ne mercedem, quam per has actiones colligit, per alias amittat, ne hinc Hoſti fores obſtruat, & aliunde aditum pandat : Si qua enim Ciuitas contra inſidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte inſomni muniatur Cuſtodia : Vnum verò in ea foramen tantummodò immunitum per negligentiam relinquatur, inde proculdubio Hoſtis ingreditur, qui vndique excluſus videbatur.* Alia dicto loco apud eundem, ſimilitudine à veſtibus vndequaque

1. Reg. 17. 5.
*Goliath cætera armatus fronte ſolâ nudus, vulneri locum præbuit.*

Prouerb. 4. 23.

Gregor.
*Muris cæteroquin bene munitis, vel vnum ſufficit Hoſti foramẽ.*

quaque

quaque circumambientibus, deprompta in illud cap.29.Iob.verſ.14. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiuit me ſicut veſtimento*,&c.

---

### *Anguſta eſt Cognitio de Diuinitate, quam huius vitæ ſubminiſtrat lumen, de Trinitatis myſterio ſpeciatim.*

## SECTIO IV.

44. AVro ſignificari Diuinitatem Patribus frequens: in hunc locum Bernardus adſtruxit ſermone 41. in Cantica: Sed diximus ex LXX. Seniorum verſione legendum: *Similitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti:* quæ ſunt hæ imagines Diuinitatis? nimirum cognitio huius vitæ imperfecta, ſcilicet per ſpeculum, & in ænigmate: Aurum quoque Sapientiæ tritum emblema: Num igitur apud nos vmbræ tantùm doctrinarum, vtpote Auri ſola repræſentatio? certè comparata Humani ingenij cognitio diei æternitatis luci refulgentiſſimæ, puſilla omninò eſt, & ſatis euana. O hallucinationes Mortalium! Elementarij ſunt, & peritos ſe gloriantur: Quid habent qui ſic efferuntur præter ſimilitudines & figuras? Hanc expoſitionem ſubindicat nominatus Sanctus Abbas: Trium Patrum cogitationes apud Theodoritum & fusè Gregorius Niſſenus homilia 3. in Cantica: *Vt per ea quæ hic dicuntur, ſignificetur, diuinam Naturam ſuperare omnem intelligentiæ, mentiſque conceptionem:* ipſius Oratio: *Par eſt autem hoc non prætermittere inconſideratum, Cur non ipſum Aurum aſſumitur adornandum, ſed auri ſimilitudines? & non ipſum argentum, ſed quæ hac materiâ impreſſæ ſunt Notæ auri ſimilitudines? Quod ergo de his nobis venit in mentem, eſt eiuſmodi: Vniuerſa doctrina de ineffabili natura, etſi maximè Deo conuenientem, & excelſam videatur oſtendere ſententiam, Dei ſunt ſimilitudines, non ipſum aurum: Non enim fieri poteſt, vt plenè & perfectè oſtendamus bonum, quod ſuperat intelligentiam, & Mentis conceptionem, etiamſi ſit Paulus quiſpiam, qui in Paradiſo arcanis myſterijs fuit initiatus, etiamſi audierit verba ineffabilia, manent ineffabiles de Deo intelligentiæ.*

Bernard. *Auri (quo Diuinitas ſignificatur) ſimilitudines tantum, & pūcta quadam minuta habemus in hac vita, non cognitionem perfectam.*

3. Patr. apud Theodoret. Greg. Niſſen.

45. Diebus Mundi tribus primis creata lux feſtinè interitura; productis namque magnis cœli luminaribus euanuit, Quam & Accidens, non verò ſubſtantiam fuiſſe quidam exiſtimarunt, nempe quaſi Coruſcationis longioris ſpeciem aliquam: miſeret primæ diei Rupertum, quod inglorius, & illocuples fuerit: libro 1. de Trinitate & operibus eius cap.19. *Vnus hic dies, omnium dierum pauperrimus eſt, quippe cum ſinguli dierum cæterorum ſubſtantiarum creatione, vel formatione illuſtrati ſunt; hic dies non niſi Accidentis cuiuſdam colore inſtabili iniecto dimiſſus ſit, cùm dictum ſit: fiat lux: Nam quæcunque cæteris diebus facta ſunt, ſubſtantialia ſunt, & permanent: illa autem accidentalis lux tertiò reaccenſa, deinceps omninò deperit:* Sed quamobrem tribus ſigillatim diebus regnauit lux qualis demum cumque illa? annon in quintum diſtuliſſet diem, qui formauit, vel ante tertium extinxiſſet? Num in Trinitatis figuram? ita viſus idemmet ſubſignificare Rupertus eiuſdem libro 1. in Geneſ. cap. 31. & 39. igitur lux illa trium dierum ſpiritaliter Notitia fuerit, quæ de Myſterio Trinitatis ſit apud homines: Quo autem concipiamus huius cognitionis quanta ſit imbecillitas, dum peregrinamur à Domino; rectè, quod lux trium dierum tenuis & languidæ vitæ deſcribatur: Nihil ibi perenne, nihil ſtabile & conſtans, tantùm breuis ſplendoris vſura, proinde vt *dierum pauperrimum* nuncupauit Tutienſis: Quoniam, ſi quæ de Triados Sacramento grandiori, atque ideo & de arcano Diuinitatis, (Nam à Perſonarum diſtinctione cum eſſentiæ vnitate præcipuus ſtupor,) penès humana ingenia conceptio eſt, ritè perpendatur, collata cum Myſterij altitudine, atque iiſcum, quæ internoſci valeant, & peruia ſunt beatis Mentibus, exigua, & indiues videbitur.

Rupert. *Tenui illa & imbecilla prima diei luce quam Accidentem quidā dicunt, & quæ poſt tertiū diē euanuit, bene adumbratur Cognitio quam hic de Deo habemus.*

46. Nihil de ventorum creatione Moyſes, nihil de ignis elemento, nihil de Aquarum productione: Scripſit quidem Geneſ. cap. 1. diuiſas aquas ab aquis, congregatáſque quæ ſub cœlo erant in locum vnum, ſed quod de cœlo & Terra aſſeruerat creata fuiſſe à Numine, de fluentis non pronunciauit: Quamobrem ſubticuit de his tribus? Sanè prætermiſſam ignis memoriam, quòd infructuoſum ſit elementum, nihil enim producit; cuius verò nulla ſunt opera in communem vſum, eius nulla debeat eſſe recordatio, Rupertus exiſtimauit libro 1. in Geneſ. cap. 8. *Solus ignis* (ait) *licet gignentibus Terræ, & Aquis cooperetur, nihil tamen ex ipſo gignitur: & proinde de hoc elemento non iniuriâ ſiletur:* Attamen aquæ fœcundæ ſunt, & partubus abundant magnorum, minorúmque Animalium: Aër quoque pennatis gaudet, volucrum enim, quarum tantæ diuerſitates, Regio eſt; quamobrem itaque, vt de igne conticendum fuerit, non duorum ſaltem meminerit orbis recenſurus Natales, Moyſes? Quin & in rerum natura, non quartum, quintúmve extiterit aliquid, cuius ſupprimi famam oportebat? Tria quidem ſilentium tegit; Quoniam in diuinitate aliquid eſt quod ſuis Conatibus & adminiculis humanum ingenium licet adipiſcatur, ſcilicet vnum eſſe Rectorem orbis Terrarum; tamen infinita ſunt, quæ latent vires creati intellectus, & ipſa diſtinctio Perſonarum maximè occultatur indagini illius: itaque niſi fidei ſuccurrat lumen, de Trinitate ignorationem eſſe neceſſum ſit: Hoc vt innuat Moyſes, trium facere mentionem deſiit, ſignificaturus Diuinitatis talia eſſe arcana, præſertim conſiderata fœcunditate diuinæ naturæ, quæ ſilentio coluiſſe magis præſtet, quàm dictione voluiſſe exprimere, aut comprehendiſſe ratiocinio: mutuati ſumus ab Anaſtaſio Sinaïta, qui libro 5. Hexameri: *Quanam ergo de cauſa* (proloquitur) *in ſex dierum creatione relicta eſt tacita, & arcana aquarum Ratio? & de Spiritu & igne Ratio non eſt enunciata, neque publicata, quomodo cœli creatio & Terræ, & plantarum, & luminarium, & hominum? Quid enim erat difficile, quod prohiberet Creatorem dicere, fiat aqua, & fiat ignis, ſicut iuſſit in reliqua vniuerſa Creatura? Sed fortaſſe nos erudiens diuina Scriptura Sanctam Trinitatem, eſſe increatam, ineffabilem, & incomprehenſibilem; de his tribus Creaturis tacitam, & arcanam reliquit rationem, in libro inquam Moſaïco.*

Geneſ. 1.

Rupert. *De tribus in Mundi creatione ſiluit Moyſes; quo Trinitatem in Deo, nec verbis nec ratiocinatione comprehendi ab homine innuitur.*

Anaſtaſ. Sinaïta.

47. Transfigurato Chriſto Seruatore in Thaboris vertice, *vox facta eſt de Nube* (Luca enarrante cap.9. verſ.35.) *dicens: Hic eſt filius meus* Luc.9.35.





*dilectus, ipſum audite:* Hanc à Patre æterno emiſſam vocem Petrus atteſtatur epiſt.2. c.1. verſ.17. *Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsâ ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus*, &c. Quondam & dum ablueretur à Præcurſore vox cognata proſiliit Matth. c.3. verſ.17. ſed cur Pater ipſemet vbique auditur, & intonat? olim cùm Puer Iſaac duceretur ad occidendum, & genitor religiosâ ſæuitiâ mucronem ſtringeret, de Olympo vociferatus eſt Angelus, inquiens: *Ne extendas manum tuam ſuper Puerum, neque facias illi quidquam:* Geneſ. cap.22. verſ.12. quamobrem non & modò etiam de filio Angelica conteſtatur Oratio? Addo ſuſpectam fuiſſe perpetuò domeſticam fidem: Num igitur genitori credendum? ſed quando aduersùs gnatum ægrè, & inuisè teſtatus eſt Parens? igitur, quò teſtimonio conciliaretur authoritas, conandum fuerat, vt peregrinus & externus quiſpiam laudaret, non autem is, qui genuerat, quem adulari ſuſpicio eſſe poterat: Verùm conſideranda eſt attentè Materia, pro qua teſtabatur genitor, ſcilicet de generatione æterna filij: Nam quæ ex Patre emanatio eſt, æterna eadem, & infinitæ perfectionis, Temporalem de Matre ſub æuo ſumpſit: Quò igitur innuat, huius ineffabilis generationis quanta ſit profunditas, & quemadmodum creatam eius ſuperat Veſtigatio intelligentiam: nemini hominum, ac ne quidem Angelorum publicandum credidit: ipſe præco, ipſe tanti Declamator myſterij: Chryſologus ſerm.158. qui eſt tertius de Magorum adoratione. *Ipſe ſui teſtis filij, ipſe aſſertor aſſiſtit: Hic eſt filius meus Dilectus, quia alterum qui teſtimonium diceret, non habebat: teſtem generatio neſcit diuina, ipſo filio dicente: Nemo nouit filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi filius.*

2. Petr. 1. 17.

Matth. 3.

Geneſ. 22. 12. *Adeò humanum ſuperat captum æterna Verbi generatio, vt hanc non homo, non Angelus: ſed Pater ipſe his publicet.*

Chryſolog.

48. Venêre Chaldæorum ſapientes, vt in præſepi iacentem Puerum ſubmiſſo poplite colerent: *Et intrantes domum* (inquit Matthæus cap.2. verſ.11.) *inuenerunt Puerum cum Maria Matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris obtulerunt ei munera*, &c. Cur Euangeliſta quibus alloquuti ſunt verbis Genitricem & infantulum non prodit? Num quia omninò tacuerunt compreſſis ad ſilentium labiis? Sed quamobrem nullis vſi ſermonibus? An quia gaudij magnitudo vocem intercluſerat, & palati organa ectaſis impediuit ingentior, dum ſtupeſcunt vili cubantem fœno, cui famulatur Natura vniuerſa, cui Angelorum circumſtant vigiliæ? An quia mammans adhuc Puſio, quæ dicerentur, intelligere non poſſit? Sed pollebat ratione, vel quà homo, licet infantulus: neque mirum, cùm antequam ſciret vocare Patrem ſuum, & Matrem ſuam, ablaturus erat fortitudinem Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum, Iſaiæ c.8. verſ.4. Num, quod ineloquentes eſſent, & rudis labij, qui venerabantur? Atqui de Philoſophorum Schola erant, & imperio donati ob ſummam doctrinæ præſtantiam: Denique ſi ſtupor atque Ectaſis linguam præpediuit, ne ſermocinaretur; quamobrem non & manus ligauerat ne dona offerrent? igitur præbeamus ſui compotes Reges fuiſſe, cùm Pueri veſtigia deoſcularentur, & ex conſilio atque intelligentia ſiluiſſe: quem ob finem? Sanè, quando eiuſcemodi ſunt arcana, omnem vt vincant ingenij captum, Ars eſt obmuteſcere: Si enim dictione comprehendere quiſpiam tentet, vel confundet, vel extenuabit: geſtu autem & nutibus loquens declarat Magnitudinem Sacramenti; nam eius generis demonſtrat, quod eloquentiæ ſuperet conatus: Cùm igitur à Deo accepiſſent Magi, eum qui ſub Hominis forma latebat ante temporalia extitiſſe, & ante Luciferum genitum: perceperint etiam vti cùm Pater & Spiritus ſanctus, & Filius eiuſdem ſint naturæ, tamen ſola filij Hypoſtaſis vnita ſit Humanitati: ſub altiſſimorum Arcanorum mole quaſi depreſſi, cùm ſi verbis exprimere aggrederentur, timerent, ne quem myſterio iniuriam allaturi fuiſſent humili, & obſcuro dictionis flumine, præſtare iudicarunt tacêre, & adorare: Chryſologus ſerm.160. acutâ breuitate: *Vnde Magus, quia ſcrutari valet, capere autem non poteſt, mox adorat.*

Matth. 2. 11. *Tacent Chriſto recèns nato procumbētes Magi: tanto vnionis Hypoſtaticæ ſtupefacti myſterio, quod eloqui humana lingua nefas.*

Iſai. 8. 4.

Chryſolog.

Splendebat Moyſis vultus; texit amictu fulgores: *Non ſicut Moyſes* (inquit Apoſtolus Corinthiorum poſteriori, cap.3. verſ.13.) *ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius:* Annon prodire fulgores conuenientius? Nam cùm gens Iudæorum indomitæ ceruicis, radiorum claritate attoniti metuiſſent promptiores quique ad ſcelera, & Ducis poteſtatem iubare circumardenti inſignem, veriti eſſent: lux illa quidem Moſaïci vultus quaſi refuſa ab eius, quocum ſermocinabatur in monte, ſplendoribus, nimirum *ex conſortio ſermonis Domini*, quemadmodum Exodi cap.34. verſ.29. traditum ſit: igitur, quaſi magnæ diuinitatis reuerberatæ quædam illuſtrationes illæ, quibus legiſlatoris inclareſcebat facies, proinde & ſapor illis quidem diuinæ refulgentiæ, ideò & pariter imitatio: Quid verò memorat de Natura Omnipotentis Regius Pſalmodus? *Confeſſionem & decorem induiſti* (ait Pſalm.103. verſ. 2.) *amictus lumine ſicut indumento:* ergo micat tota, refulget, ſplendeſcit: nihílne velamenti? etiam cooperitur, & quaſi denoctatur: idemmet Sceptriger Beatus Poëta Hymno 17. verſ.12. *Et poſuit tenebras latibulum ſuum:* At quomodo opaca diuinitas, ſi lumine circumfuſa? Quidem ſibi clariſſima Trinitas, & viſione beata præditis amœniſſimis ciuibus; nobis in exilio poſitis obſcura, quia pauca cognoſcimus, atque etiamnum in paucis erramus & labimur multoties: Talis itaque diuinitatis Conditio, quam & Lumen & tenebræ circumdant; & velatur & patet: Ergo quādo in diuinitate, vti explicatum eſt, fœderantur & vmbræ & claritas: Cùm Moyſis vultus quaſi ex diuinitate quidpiam affectaret, nam tanquam reuerberatus eſt in illum diuinitatis fulgor, operæpretium erat Diuinitatis referre notas: in hac autem monſtrauimus coniungi luminoſis ſubobſcura, & claritatem veſtiri pullo tenebrarum pallio: igitur & in legiſlatoris ore cum ſplendoribus ſimul nigreſcentia, propterea velamen, quo radij obtegebantur: bene itaque quod radioſæ fronti velamen appenderit, ne ſi occultare deſineret, negaret à diuinitate mutuatos ſplendores, cùm diuinitas etſi amicta lumine, tamen poſuerit tenebras latibulum ſuum: Quod enim diuinum eſt, abſcondi poſtulat.

49.

2. Corinth. 3. 13.

Exod. 39. 29.

Pſalm. 103. 2.

Pſalm. 17. 12. *Cùm veluti à reuerberatis Diuinitatis radijs fulgeret Moyſis facies, hoc illum velat, cùm poſuerit Deus tenebras latibulū ſuum.*

50. Verùm tenebræ iſtæ haud in ipſa Diuinitate, ſed in noſtro intellectu; propterea, vt multa ſciuiſſe arbitremur de arcanis infinitæ Naturæ, tamen ſi illa perpendantur, quæ noſtram latent comprehenſionem, velut nihil ſciuiſſe penè cenſeamur: quare Dominus apud Matthæum conſideranter, cap. 5. verſ. 16. *Sic luceat lux veſtra coram Hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt:* de quanam luce intelligendus? Sanè etiam de ingenij claritudine, de fama doctrinæ excellentioris, hæc enim quemadmodum illuminat, ſic ſpeciali titulo vo-

Matth. 5. 16.

canda lux: Quare verò nominatim coram Hominibus hanc accendi facem mandat, & non coram Deo vel Angelis? Nonne & angeli laudare poterant? Nonne & Deus ipſe, qui Iobi encomiaſtes cap. 1. verſ. 8. *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in Terra, Homo ſimplex, & rectus & timens Deum, & recedens à malo?* Quod Ruſticis accidit vt demirentur in Artibus, quæ Periti ferè contemnunt, Hominibus pro ruditate concretæ & terrenæ Molis euenit: Nam in ſcholis de Diuinis tractantes Profeſſores, déque iiſdem facientes communem ad multitudinem verba, ſecundis plauſibus excipiunt, commendatione ſuper æthera ferunt: de quibus ſi vel Dei, vel Angelorum iudicium expectandum fuiſſet, vix inter Diſcipulos numerandi eſſent: Non quia præclara & illuſtria illa non ſunt, quæ nouerunt poſt doctrinæ reuelatæ gratiam; Sed quoniam eadem met comparata cum his, quæ adhuc in Dei ſinu reconduntur, & præſertim cum modo cognoſcendi patriæ per viſionem intuitiuam Beatos facientem qui intelligunt, videatur huius temporis notitia quaſi diſcentium inchoata ſcientia eſſe; vti & iuſtitia Hominum Dei ſanctitudini æquata puſilla atque exigua conſpicitur: Origenes tom. 1. in Ioannem, in illud Pſalmi: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens*, &c. *Declarat* (inquit) *ad Deum, eiúſque iuſtitiam, iuſtificatum iri eorum, qui valdè Beati ſunt, neminem: Vide, num ex hoc illud etiam Euangelij intelligendum ſit: Luceat lux veſtra coram Hominibus: Non enim dixit, luceat lux veſtra coram Deo: Si enim hoc præcepiſſet, præceptum, cui parêre minimè potuiſſent, dediſſet: Vt ſi lucernæ animatæ eſſent, & eis præciperent, vt coram ſole lucerent.*

Iob 1. 8. *Doctrina de Deo humana, eſt quidẽ lux, ſed corã hominibus, ineruditis nẽpe & agreſtibus: non coram vel Deo, vel Angelis apud quos balbutiunt doctiores.* — Origen.

# VESTIGATIO XIII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum vndecimum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus*: Dum eſſet Rex in accubitu ſuo; Nardus mea dedit odorem ſuum. *Cap.* 1. *verſ.* 11.

*Nardus Conuiuiorum voluptas: eius ab odore ſingulariter pretium: Lauendula Pſeudonardus: Triclinium Circuitus voce ſignificatum, quamobrem? Menſæ rotundæ, interdum hemicyclæ: in Compotatione redeuntia in orbem pocula: fœmineæ induſtriæ Corollas texere, vnguenta præparare: odoramenta in Cubilibus: Hebræi circumire Altaria ſoliti, cùm victimas offerrent: Dauid ſæpè allegatus; ex Parabolis, Sapientia, Iobo, Machabæis, Luca, Ioanne.*

### SECTIO I.

1\. *Nardus in Menſarum delicijs, vel quod ex ea texerentur coronæ, vel vnguenta conficerentur, vel vino miſceretur.*

NARDVS olim Conuiuiorum præcipua voluptas; vel quod ex foliis & ſpica Epulantium Coronæ: vel quoniam de ea confecto vnguento delibuti: vel quia Baccho admixta conciliaret gratiam poculis: dicant Poëtæ inter Sympoſiorum laudes: Martialis ſæpiuſculè lib. 4. Epigram. 59. de cœnatione Micæ:

Martial.

*Frange toros, pete vina, roſas cape, tingere Nardo,*
*Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.*

Lib. 4. Epigram. 13. de nuptiis Pudentis:

Idem.

*Tam benè rara ſuo miſcentur cinnama Nardo,*
*Maſſica Theſæis tam benè vina fauis.*

Et in Xeniis Epigr. 50. de Turdorum corona:

*Texta roſis fortaſſe tibi, vel diuite Nardo,*
*At mihi de Turdis facta Corona placet.*

Ouid. 3. de Arte:

*Nec coma vos fallat liquidà nitidiſſima Nardo* — Ouid.
*Nec breuis in rugas cingula preſſa ſuas.*

Seneca in Hercule furente:

*Fortem vocemus, cuius horrentes comæ,* — Senec.
*Maduêre Nardo?*

Horatius Odarum ſeu Carminum lib. 2. Oda. 11.

———*Et roſa* — Horat.
*Canos odorati capillos*
*Dum licet, Aſſyriáque Nardo*
*Potamus vncti?*

Et lib. 4. Oda. 12.

———*iuuenum nobilium cliens* — Idem.
*Narde vina merebere,*
*Nardi paruus Onyx eliciet cadum.*

Lucanus in ſuperbiſſimis Cleopatræ Reginæ epulis, lib. 10. Pharſal.

*Accipiunt ſertas nardo florente coronas* — Lucan.
*Et nunquam fugiente roſa; multúmque madenti*
*Infudêre comæ quod nondum euanuit aura*
*Cinnamon, externa nec perdidit aëra terra,*
*Aduectúmque recens vicinæ Meſſis amomum.*

Tibullus lib. 2. Eleg. 2. de Genio:

*Illius puro diſtillent tempora Nardo* — Tibull.
*Atque ſatur libo ſit, madeátque mero.*

Atque idem lib. 3. Eleg. 6.

*Iamdudum Tyrio madefactus tempora Nardo* — Idem.
*Debueram ſertis implicuiſſe comas.*

Propertius de funeribus lib. 4. ad Cynthiam:





Propert.

*Cur ventos non ipſe rogis ingrate petiſti?*
*Cur Nardo flammæ non oluêre meæ?*

Plautus. Turneb. Columell. Athenæus. Plin.

Plautus in Curculione: *Dimiſit Nardini amphoram Cellarius*; de vino Nardo condito expoſuit Turnebus Aduerſ. lib. 2. cap. 24. num. 66. Sanè de muſti conditura, & odoribus agens Columella, adiici imprimis nardi folium admonet libro 12. de Re Ruſtica cap. 20. de Nardini ſuauitate olei ex Menandro Athenæus libro 15. Dipnoſoph. cap. 17. *Suaue puer hoc vnguentum eſt, ſuaue inquam: quidni? Nardinum eſt*: Quod aduersùs ebrietatem maximo eſſe præſidio idem lib. 2. ſuggeſſerat: *De folio Nardi* (inquit Plin. lib. 12. c. 12.) *plura dici par eſt, vt principali in vnguentis*: Et de Coronis tractans lib. 21. cap. 3. *Lautiſſimum quippè habetur è nardi folio eas dari, aut veſte ſerica verſicolores vnguentis madidas.*

2\. Sed & in Nardi fauorem ex Chriſtiano quoque hauriamus penu: Prudentius antiquus Poëta in Pſycomachia:

Prudent.

*Vt mitra cæſariem cohibens aurata virilem*
*Combibat infuſam croceo religamine Nardum.*

Atque hymno, qui octauo Kalendas Ianuarias Naturæ lætitiam ex Seruatore in lucem edito conſiderat:

Idem.

*Sparſiſſe naturam reor*
*Rus omne denſis floribus:*
*Ipſáſque arenas Syrtium*
*Fragraſſe Nardo & Nectare.*

Sidonius Apollin.

Sidonius Apollinaris lib. 2. epiſt. 13. ad Serranum: *Spumarent falerno gemmæ capaces, inque Cryſtallis calerent vnguenta glacialibus; hinc ſuffita cinnamomo, ac thure cœnatio ſpargeret peregrinos naribus odores; & madeſcentes Nardo capillos circumfuſa florum ſerta ſiccarent*; Et lib. 9. epiſt. 13. Tonantio ſcribens ex vena Metrica:

Idem.

*Pateræ, Scyphi, lebetes,*
*Socient falerna Nardo:*
*Tripodéſque, cantharóſque*
*Roſa ſutilis coronet.*

Epithalamio vero Ruricij & Iberiæ, dum ſuffitus, atque vnguentorum connumerat formas:

Idem.

*Sic ventum ad thalamos, thus, Nardus, balſama, Myrrhæ Hîc ſunt.*

*Nardinum in Templorum Lampadibus Oleum.* Pontific. Damaſi. Binnius. Anaſtaſ. Biblioth. Paul. Nolan.

Arſit olim in Eccleſiarum lychnis oleum Nardinum, quod ſacris exquiſitiſſima impendere Religioſis Chriſtianorum placeret animis; ex libro Pontificali Damaſi cum nomine apud Binnium tom. 1. Concil. parte 1. in vita Silueſtri: *Pharum cantharum ex auro puriſſimo ante altare, in quo ardeat oleum Nardinum Piſticum cum Delphinis octoginta*: Anaſtaſius Bibliothecarius in Benedicto 3. *Pharum Cantharum ex auro puriſſimo ante altare, in quo ardet oleum Nardinum Piſticum*: de Martyrum ſepulchris loquentem Paulinum Nolanum exhibui Veſtigatione 2. num. 5. Claudius Marius Victor lib. 1. Metrorum in Geneſim, dum Paradiſiaci recenſet gazas nemoris, Nardi intulit mentionem:

Claud. Mar.

*Sed nec quod Medus redolet, vel crine ſoluto*
*Fragrat Achæmenius, quod molli diues amomo*
*Aſſyrius, meſſiſque rubens Mareotica Nardo.*

Georgius etiam Piſides in Mundi opificio ex aromatum contemplatione Deum extollens de Nardo quidem:

Piſides.

*Quis Nardum inungit, delibuto & gramine*
*Aroma ſpicam cogit almam fundere?*

*Nardinum in vnguentis præcipuum.* Pſell. Angelom. Beda. Anſelm. Druthmar. Matthiol. Hermolaus.

Inter vnguenta principe donandum loco Nardinum, ad hunc Epithalamij verſum aſſeuerant Michael Pſellus, Angelomus, Beda Venerabilis, qui idipſum pariter ad cap. 14. Marci adſtipulantur, Anſelmus ad cap. 26. Matthæi: eodémque loco Chriſtianus Druthmarus ex Græcorum opinione Medicorum: docent Matthiolus libro 5. Epiſtolarum Martino Guidottino ſcribens; Hermolaus Barbarus Corollarij lib. 1. cap. 6.

3\. *Nardus ab odore præſtantiſſimo pretioſa.*

Vnde autem tantus honor Nardo, neque enim vel formà excellit, vel ſic opitulatur humanæ inualetudini, vt pluribus non cedat Herbis atque plantariis? Proculdubio ob gloriam odoris tranſiit in epulantium delicias: Nam eò iucundiora vnguenta, quò præſtantioris halitus, vt de Cyrena Roſa prodidit Theophraſtus lib. 6. de Hiſtoria plantarum, cap. 6. inquiens: *Odoratiſſimæ, quæ apud Cyrenam gignuntur, & proinde vnguentum iucundiſſimum illic faciunt*: Nardum autem odoratiſſimam compellat Dioſcorides lib. 1. cap. 6. quo afficitur encomio à Philone Carpathiorum Antiſtite ad cap. 4. Canticorum verſ. 14. *Cypri cum Nardo*, &c. à Ruperto ad præſens Hemiſtichium: Nonnus Panopolitanus Paraphraſi in Euangelium Ioannis, ad cap. 12. *diuinum odorem* nuncupat: agnoſcit Iſidorus Hiſpalenſis odoratiſſimam eſſe lib. 18. Originum, cap. 9. Gregorius autem Niſſenus hom. 3. in Cantica admixtam aliis ſuffitibus ſuperexcedere fragrantià: imò extingui penè ſocios odores ab vnius vehementi aura: *Quandoquidem* (ait) *multorum, & diuerſorum aromatum, ſed non ex alia proprietate benè ſpirantium, artificioſa & moderata miſtio tale efficit vnguentum; ex ijs quæ iniiciuntur vna Herba redolente, cui nomen eſt Nardus, nomen præbens toti compoſitioni*: Quamobrem rectè apud Euangeliſtam: Nam cùm vnctos Seruatoris pedes Nardo piſtico pretioſo retuliſſet, ſubintulit ob magnæ fragrantiæ vim: *Et domus impleta eſt ex odore vnguenti*, Ioan. c. 12. verſ. 3. cæterùm cùm, prætèrito oſtenderimus Numero multorum iudicio, quam & Plinianam eſſe ſententiam eius num. 1. data verba adſignificant; Nardinum inter vnguenta grandiori eſſe claſſe, ſanè Beata hæc fœmina de Sanctorum conſuetudine ex vetuſtiſſimo Abelis exemplo, Geneſ. cap. 4. verſ. 4. quod optimum eſſet, Redemptoris ſacrauit vnctionibus. Neque mirum eſt, quod ſtatuerimus germanam Nardi ſpicam, ſyncerâque folia amœniſſimæ ſuauitatis excellere odore, quando & Pſeudonardus etiam dulciſſimè ſpirat: Pſeudonardum verò intelligimus lauendulam ſeu lauandulam, vulgo Hiſpanorum *Eſpliego*, noſtratium ſermone, & propè etiam Anglorum *lauontur*, quam eruditorum multorum cogitationem eſſe perhibet Marianus in Hieronomiano Indice; aiunt Marcellus Virgil. ad c. 7. lib. 1. Dioſcoridis, Antonius Mizaldus de ſecretis Hortorum lib. 2. c. 21. & hoc loco Nannius: Lauandulam autem caſiam cenſeri à Poëtis Marone imprimis, idem Hieronomiani Indicis ſtructor ſubaſſerit, neque paucis accumulatis teſtibus Noſter de la Zerda comprobat Nota 11. ad verſum 30. Georgicorum quarti: de qua in illud ſecundæ Eclogæ Virgilianæ:

Theophraſt. Dioſcorid. Philo Carp. Rupert. Panopolit. Iſidor. Greg. Niſſen. Ioan. 12. 3. Geneſ. 4. 4. *Pſeudo-Nardi, ſeu Lauendula dulcis odor.* Marcell. Virgil. Mizald. Cerda.

*Tum caſia atque alijs intexens ſuauibus Herbis,* — Virgil.

id quod facilè Poëtæ ſcopus innuit, Seruius dicit Herbam eſſe cultiſſimi odoris: At de probata Nardo haud omittendus Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 8. *Simonides autem* (inquit) *in Iambis non veretur dicere:*

Clem. Alex. Simonid.

*Vngebar vnguentis, atque ſuffitibus*
*Et Bacchari: Mercator nam quidem aderat.*

*Porrò autem conficiunt etiam vnguentum ex lilijs, & liguſtro: & Nardus apud eos eſt in maximo pretio, vnguentum quoq; ex Roſis, & alia quibus vtuntur mulieres.*

4. *Muliebris ſexus eſt conficere Aromata.*

Ergo pro nuptiali apparatu dum effusè ſpondent nouus Maritus,atque Amici illius, & pollicentur quidem Margarita,gemmas , ceruicem & pectus condecoratura Monilia ſiue de Electro, ſeu de auri,& argenti ſelectiſſimis venis : Ne & Sponſa non contuliſſe aliquid videatur , quod fœmineæ induſtriç propriiſſimum,ſuffitus atque odoramenta pollicetur,quippe ad muliebrem ſexum pertinêre eiuſmodi confectiones rectè obſeruatum hoc loco à Delrio,& poſt eum à Placido Nigidio,& Alcazario : probant ex Reg.1.c.8. v.13.prædicente Samuele Iſraëlitis,Regem,quem cupiebant imperare ſibi , filias eorum vnguentarias facturum : ex Luc.7. Marc.14. Ioan. 12. vbi fœmina Chriſtum ſæpiùs vngit : addamus ſanêre ſingulariter Pſalmum 44. verſ. 9. *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis , à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo:* Sermo nimirum eſt , ſeu de Salomone , ſiue de alio ex potentiſſimis Monarcha , cuius pretioſa chlamys & tunica interiori palatio eburneis capſulis ab Optimatum filiabus , quæ Gynæceo recluſæ,aſſeruabantur,quod officij muliebris eſſet vnguentis emollire,& delibutas,odoratáſque reddere:quo more interpretati ſunt Agellius & Lorinus , Pineda de Rebus Salomonis lib.5. c.4. Alcazarius tom. 2. Alluſionibus in Pſalmos , ad Pſalm.44. Franciſcus de Mendoça tom.2.in lib.1. Reg.ad verſ.13.cap.8. in expoſitione Literæ n.5.

Delrius. Nigid. Alcazar. 1.Reg 8. Luc.7. Marc.14. Ioan.12. Pſal.44 9. Agell. Lorin. Pineda. Alcazar. Mendoça.

Apud Ciceronem pro Aulo Cluentio,nõ longè à principio,ſtratum geniale Mater componit gnatæ:*Tum verò illa egregia,ac præclara Mater , palàm exultare lætitiâ , ac triumphare gaudio cœpit , victrix filiæ , non libidinis : Lectum illum genialem , quem biennio antè filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat : in eadem domo ſibi ornari,& ſterni,expulſa,atque exturbata filia iubet:*apud Apuleium lib.6.Metamorph.in nuptiis Pſyches:*Horæ Roſis & cæteris floribus purpurabant omnia:gratiæ ſpargebant balſama:*& his ſororia Claudianus in Honorij & Mariæ Epithalamio.

Cicero. Apulei. Claudian.

*——————Tu Gratia flores*
*Elige : tu geminas Concordia necte coronas.*

Apud Quintum Calabrum Achillis Conuiuio omnia obeunt munia Puellæ lib.4.ita :

Quint. Calab.

Καί ῥ' ἡ μὲν δόρποιο πέλεν ταμίη, ἡ δ' ἐδωδῆς.
Ἡ δ' ἄρα δαινυμένοισι παρεινοχόει μέθυ λαρόν.
Ἄλλη δ' αὖ μετὰ δόρπον ὕδωρ ἐπέχευε χέρεσσι:
Ἡ δ' ἑτέρη, ἀπὸ δαιτὸς ἀεὶ φορέεσκε τράπεζαν.

Videlicet,*quædam obſoniorum atque cœnæ proma Condæ;alia Hoſpitibus vinum ſtillabat iucundum : altera poſt epulas aquam fundebat manibus : quarta menſam abſoluto Conuiuio tollebat.*Sed nũ fauerit Tertullianus,quando in Corona Militis cap. 12. *Triumphi* (ait) *Laurea folijs ſtruitur , hinc aduerbis , lemniſcis, inauratur lammulis , vnguentis delibuitur à lachrymis Coniugum,& Matrum , fortaſſe quorundam & Chriſtianorum:*Num tranſlatè vnguenta fletus ob lçtitiam genitricis & vxoris ob gloriam reducis cum victoria?Non potiùs arborum lachrymæ , quales Myrrhæ & Balſami , quibus illinere Coronam quod ad fœminas ſpectet, tribuatur Matri & thalami ſociæ?

Tertull.

5. *Num in Cubili aut in cœnatione aromata pollicetur Sponſa?*

Itaque vnguenta quidẽ promittit Sponſa Regi,dum in accubitu erat : Num in Cubili , aut in cœnatione?nã vtrobique Accubitus:de loco epulandi,déque Menſa quotquot diligentiùs Literã pertractant:de Hebræis Rabbini Duo Iarrhius,& Aben Ezræ:de recẽtioribus; (Nam hi ſcrutatores Corticis,)Genebrard.Nannius,Sotomaior in lõgo Commentario,notíſque breuioribus, Guidacerius,Hortulanus,Ludouic.Legionenſis, Mariana,Delrio,Cypr.Ciſterciẽſis,Almonacyrius,Giſlerius, Placidus Nigidius,Alcazarius , Sanctius: cõpelluntur autem vt de Triclinio conſtruant ex præfatis Genebrardus,Guidacerius, Hortulanus, Delrio,Mariana,Giſlerius,Sanctius ob vocis Hebrææ ſignificationem:Nam מֵסַב *Meſav* Circulũ, vel orbem denotat:Tuccius Annotatione, cui ab *Amore* titulus , loco XI. gyrum,ambitum, & circuitum exponit,vertítque:*Quoaduſque Rex in circulari Accubatione ſua :* quadrat vero in cœnaculum apprimè,quod Menſæ , ad quas veſcebantur Hoſpites,rotundæ,& circulares eſſent, propterea orbium vocabulo inſignitæ : Martialis in Apophoretis Epigram.138.

Iarrh. Aben Ezr. Genebrard. Nannius. Sotomaior. Guidacer. Hortulan. Ludouic. Legionenſ. Mariana. Cyprian. Ciſterc. Almonacir. Giſler. Nigid. Alcazar. Sanchez.

Martial.

*Nobilius villoſa tegant tibi lintea Citrum*
*Orbibus in noſtris Circulus eſſe poteſt.*

Alia multa apud Sauaronem ad epiſt.13.lib.9.Sidonij Auerni in illud:*gerat orbis*,&c.Bullingerum lib.1.de Conuiuiis,c.37.luculentè autem P.Faber lib.3.Semeſtrium capite extremo ; à quo mutuabimus Athenæi verba ex lib.11. Dipnoſoph. *Veteres,& qui primi manſuetiorem vitam hominibus inſtituerunt,perſuaſi mundum eſſe rotundum , id eſt Solis & Lunæ orbiculari forma,& ex conuerſione eorum circulari conijcientes; æquum eſſe exiſtimarunt , multa eſſe conſtituenda,quæ ſint ſimilia mundo rotundo omnia ambienti:ex quo menſam rotundam fecêre;& tripodes Dijs conſecratos rotundos;quos & Stellis ornatos Lunas appellant:Quin etiam panem vocarunt* ἄρτον *ab* ἀπαρτίου, *quod eſt perfectum eſſe, quoniam orbicularis forma eſt perfecta:& poculum,quo humidum alimentum excipitur,rotundum fabricati ſunt, vt Mundi formam referret :* demus ex Nonno lib. 24. Dionyſic. de circulari menſa verſus :

Sauaron. Bullinger. P.Faber. Athenæus. *Menſæ Antiquorum rotundæ, vel hemicyclæ & quare.*

Nonnus.

Εὔζωοι δ' ἀγεληδὸν ἐπ' εὐκύκλοιο τραπέζης
Σιληνοὶ Σάτυροί τε σὺν εὐθύρσῳ Διονύσῳ,
Χερσὶ πολυσπερέεσσι μιῆς ψαύοντο τραπέζης,
Πίνετο δ' ἄσπετος οἶνος ἀμοιβαδίς.
*Sedentes verò gregatim ad benè circulatam menſam*
*Sileni,Satyrique cum Thyrſo ornato Baccho,*
*Manibus multiplicibus vnam tangebant menſam:*
*Bibebatur verò copioſum vinum alternatim.*

Quare & apud Pſal.Hymno 127.v.4.*Filij tui ſicut nouellæ oliuarum; in circuitu Menſæ tuæ:*Nec tamen perfectè rotunda, & ſphærica Menſa ſaltẽ quotidiani cõuictus ſed hemicyla,excauata,& cornuta in Lunç non plenæ ſimilitudinem,ne ſi vndequaque accumbentibus impedita,Miniſtri aut tollere pateras , aut inferre cibaria non valerent aditu omni excluſo;atque hoc,quod Iuuẽcus Hiſpanus lib.3.Euang.Hiſtor.non longè à fine innuit,dum Metro exponit illud Luc. c.14. v.8. *Cùm inuitatus fueris ad nuptias,non diſcumbas in primo loco*,&c.

Pſal.127.4. Luc.14 8. Iuuen.

*Si vos quiſque vocat cœnæ conuiuia ponens*
*Cornibus in ſummis deuitet ponere membra*
*Quiſque ſapit : veniet forſan ſi nobilis alter,*
*Turpiter eximio cogetur cedere cornu*
*Quem tumor inflati Cordis per ſumma locarat.*

Nam dum cornua tribuit,quæ ſunt extrema , neceſſum eſt arbitremur,haud fuiſſe rotundam integrè , quod expreſſius declarant Authoris cum nomine Paulini Nolani Carmina lib. 3. de vita S.Martini propè initium : nam loquutus de procerum,& Senatoriis ordinibus:

Paul. Nolan.

*Hos inter medius,qua ſigma flectitur orbe*
*Presbyter accubuit,dextra,læuâque potentum*
*Ordo Ducum,membris ſuper aurea fulcra locatis.*

Vbi enim totum orbiculare Conuiuis vniuerſa replentibus,nulla haberi poſſe videatur ratio læuæ,dexteræve,cùm vnicuique cæteri epulantes à dextera , ſiniſtrâque : præter nominatos ſuperius





& hæc etiam verba de Epularibus Coronis interpretatur Antonius de Gueuara ad cap. 2. Habacuc, num.326.

Gueuara.

6. *Epulæ à circuitu denominatæ propter circulares compotationes.*

Verùm , vt recta, aut quadrata Menſa fuerit, & non orbicularis ; tamen cauſæ eſt aliquid, quamobrem à Circuitu Epulæ denominentur : quippe à compotatione viſcerationem & epulas priſci dixerunt inter Græcos:Cicero de ſenectute : *Maiores noſtri accubitionem Epularem Amicorum,quia vitæ coniunctionem haberet , Conuiuium nominarunt;meliùs quàm Græci , qui hoc idem compotationem,tum concœnationem vocitarunt:*Et lib.9. Epiſtolarum ad famil.epiſt.24. *Sapientiùs noſtri,quàm Græci illi* συμπόσια,*aut* σύνδειπνα,*id eſt;compotationes, aut concœnationes ; nos Conuiuia.* Admonet & noſter Pineda in cap.1.Iob.verſ.6.n.8. à potando in ſacro idiomate Conuiuij deductum nomen,ſcilicet à שְׁתִיה *Schatah :* ergo in compotationibus apud Hebræos,Græcóſque Mos inualuit , vnà cũ Hymnis modulatis pocula in vicem circumferre,ita vt in orbem redirent hauſtus, percipiamus à Clemente Stromatico Pædag.lib.2.c.4.*Cæterùm* (inquit)*apud Græcos quoque veteres in Conuiuijs ad compotandum comparatis , & irrorantibus poculis ad Hebraïcorum Pſalmorum ſimilitudinem , canebatur Canticum , quod appellatur* σκολιὸν , *id eſt , obliquum, communiter omnibus Pæana ſimul voce clamantibus:& nonnunquam etiam per Cantici vices propinationem circumagentibus:*confirmat ex Ariſtophanis Interprete in Commentario Gentianus Heruetus:nõnihil eo de ritu Athenæus Dipnoſoph. libro 15. c.21.Hoc eſt,quod antiqui dixiſſent:*ab ſummo bibere* poculis nimirum à primo ad nouiſſimum circumlatis;docet Turnebus Aduerſ. lib. 6.c.21. n.184.& quidem in gyrum, vt animaduertit Bullingerus lib.3.de Conuiuiis , cap.16. *Quod Latini* (ait)*dixerunt* [*à ſummo,*] *Græci dicunt* κύκλῳ πίνειν, *in circulum bibere , quum ordine omnes à ſummo ad imum bibunt.* Et tale quidpiam ſonat apud Iobum c.1.v.5.Conuiuia filiorum in orbem redeuntia:& fortaſſe quoque ob eũdem finem in ſacris Liberi Circuitus & rotatio,Mach.2. c.6. verſ.7. *Ducebantur autem cum amara neceſſitate in die natalis Regis ad ſacrificia: & cùm Liberi ſacra celebrarentur,cogebantur hederâ coronati Libero circuire* : quare in hunc Salomonis verſum Aben-Ezra : *quanquam opinor* (ait) *ſignificari potiùs locum vbi eſt rotunda accubatio potandi causâ ; qualis eſt epulantium conſuetudo.* Hanc igitur pariter ob rationem epulæ Circuitus nomine afficiantur: ipſúmque Triclinion: Si quem tamen iuuat de ſtrato Cubiculari intellexiſſe , habet aſſertorem noſtrum lib. 3. Singularium Roam appendice ad cap.1.fauet Symmachi verſio : *in requietibus :* Et quidem aſpergi ſomni loca ſuffimentis , atque odoribus ex Clemente idem corroborauit : allegat lib. 2. Pædag. caput 6. Sed eſt litura Typographi , nam octauo capite à fœminea Natura ait , *veſtes ſtragulas* etiam *matulas ipſas* propemodum bene olêre coactas : Plinius Balinearum parietes ab vnguentis fragrare ex luxu odoramentorum tradidit lib.13. cap.3.Catullus ad Flauium:

Cicero. Pineda. Clem. Alex. Gẽt. Heruet. Athenæus. Turneb. Bulling. Iob.1.5. 2.Machab. 6.7. Ab.Ezra. Roa. Symmach. Clem.Alex. *Odoramenta in cubilibus.* Plin.

Catull.

*Nequicquàm tacitum Cubile clamet*
*Sertis,ac Syrio flagrans oliuo.*

Atque in Epithalamio de Nuptiis Pelei , & Thetidos cantat iterum de thalamo :

Idem.

*——cupido conſpexit lumine Virgo*
*Regia,quam ſuaues expirans caſtus odores*
*Lectulus,in molli complexu Matris alebat.*

Tranquillus in Nerone cap. 25. *Sacras Coronas in cubili circa lectos poſuiſſe* , ſcribit & apud Parœmiaſten meritoria fœmina iuuenculo adblandiens cap. 7. verſ. 17. loquitur : *Intexui funibus lectulum meum ; Straui tapetibus pictis ex Ægypto : aſperſi cubile meum Myrrhâ, & Aloë , & Cinnamomo.*

Tranquill. Prouerb.7. 17.

7. *Circuibant in ſacrificijs altaria Hebræi.*

De Circuitu adhuc quidpiam : Hebræi itaque cùm ſacrificarent maiori pompâ , atque lætitiâ, præter Muſicam , acclamationes , & victoriales frondes, id inſuper obſeruaſſe intelligere valeamus,vt loca victimationibus dicata gyrarent,ſiue choreas ducentes,ſiue religioſioribus paſſibus:atque hoc eſſe,quod Vates innuat,Pſal.25.v.6. *Lauabo inter innocentes manus meas:& circumdabo altare tuum Domine,vt audiam vocem laudis* : quod votum liberatus Hoſtium machinationibus perſoluiſſe ſe teſtatur Pſalmo ſequenti,6.*Circuiui,& immolaui in Tabernaculo eius Hoſtiam vociferationis: cantabo & Pſalmum dicam Domino* : Sanè de Hebræorum Traditione docentium,ambire circumeundo Altaria ſacrificaturos meminêre ad Pſalmorum præfatos verſus Agellius & Lorinus : & quanquã Arcenenſis Epiſcopus ibi de Iudæorum fide ſubuereatur,tamen ad v.26.Pſal.117.abſolutè pronunciat Iſraëlitarum conſuetudine circumrotari Altaria:Folengius in Pſal.26.ad illud : *Et circumdabo Altare,&c. Ad ritum enim Iudæorum,illorum maximè , qui maiori erga Deum ardore animi affecti erant , alludit : Hi quidem , qui ſuam integram erga Deum pietatem exprimerent , frequentiori Hoſtiarum Corona altare Domini circuire conſueuerant : quem morem quoque in aliquibus Italiæ locis etiamnum ſeruari cernimus.* Ianſenius in Paraphraſi : *Altare tuum Domine choro canentium , & magna victimarum multitudine circumdabo :* noſter Ioannes Ferdinandus tom.1.Theſauri Sacræ Scripturæ,verbo *Circuire*,n.10.*Circuire ſolebant circa altare vociferantes,qui Hoſtias immolabant ſollennes,ſic Dauid feciſſe dicit in Pſalm. Circuiui , & immolaui Hoſtiam vociferationis :* verſat hoc argumenti Aloyſius Nouarinus accuratè lib.2.Sacrorum Electorum, cap.5.vbi num.163.Forerium producit , qui ſollennitates , feſtóſque dies Hebræorum lingua à gyrando dici aſſerat : nempe à voce חָגַג *Chagag* quod eſt *gyrare* , & in orbem agi , quod circumrotationibus peragerentur feſta : & dictionis quidem ſignificationem de Circulatione & Rotatu admittit Pineda ad cap.1.Iob.v.5. num.1. quanquam diuerſo à Forerianâ explicatione modo declaret : Verùm præter gyrationem adhibitas pulcherrimarum arborum frondes , quæ tripudiantium manibus geſtarentur , oſtendimus ſatis Veſtigatione 3. à numero 31. Genebrardus ad verſum 26.Pſalm.117.*Conſtituite diem ſollennem in Condenſis vſque ad Cornu Altaris*,Prophetam inducit quaſi exhortantem : frondibus & Corollis iuxta morem feſti Tabernaculorum ornate vrbem , & templum , vt feſtiuitas ſit celebrior , & magnificentior.

Pſalm. 25.6. Pſalm. 26.6. Agell. Lorin. Foleng. Ianſen. Ioan Ferdin. Nouarin. *Solemnitates Hebræis à gyrando dictæ.* Pineda. Genebrard. Pſal.117.26.

8.

Quonam autem hæc tendant de Circuitu ? & portatis vel Ramorũ formoſioris ligni ſurculis, vel ſuaue halantibus ſertis ? monſtrauimus quidem in Antecedentibus Veſtigat.4. n.9.de Nationum penè omnium vſu,apud quos ſacrificiorum ratio,ante nuptiarũ ſollennes,publicóſque ritus, cæſas Hoſtias multas:Sponſum autem huius Epithalamij,lare vtpotè Hebræum , cùm extrà Ieroſolymorum Templum Iudæis victimas cædere non licet , compulſum in Metropoli ſacrificare , cùm tamen Sponſa abeſſet, quæ Libano morabatur : igitur in diem immolandarum Hoſtiarum miſerit illa Ieroſolymã ad nouum Maritum

mentiti pretij: ab his dotibus commendata de alabaſtrite vnguentaria Pyxis Mariæ Magdalenæ, vt pretioſum omninò vnguentum appellare non dubitauerint maximo conſenſu tres Euangeliſtæ; Matthæus cap. 26. verſ. 7. Marcus cap. 14. verſ. 3. Ioan. cap. 12. verſu etiam 3. quod vaſculo ferebat, & Chriſto Seruatori impendit, Quam fœminæ actionem, quoniam ante Euangeliſtas, præoccupatam hîc à Salomonis ingenio Spiritu ventura ſuggerente, Nonnullis placuit; cum venia Lectoris, quanta ſit vtrobique germanitas, breui Diſquiſitione percurremus. Fatemur, quod apud Marcum eſt de ſpicato vnguento Nardino à Salomonis Muſa ſubuelatum, neque enim locus præſens exponit an de foliis, an de ſpica & Ariſtis iucundiſſimum oleum: ab vtroque nobilitat Plinius lib. 12. cap. 12. Sed ſpicæ maius fuiſſe pretium, nec modico ſanè interuallo, teſtatur: quem Hermolaus lib. 1. Corollarij cap. 6. ſequitur: docet in hunc locum Angelomus, Beda quoque, vti & in cap. 14. Marci Druthmarus ad cap. 26. Matthæi: & diſertiſſimè Petrus Andreas Matthiolus ad cap. 6. lib. 1. Dioſcoridis: cæterùm, quod recenſet Ioannes cap. 12. verſ. 3. *Et domus impleta eſt ex odore vnguenti*, hic ex Sponſæ verbis: prædicat enim diffuſam omni Triclinio fragrantiam: *Nardus mea dedit odorem:* Sed quid eſt, quod *Piſticum* vocet ſiue vnguentum ſeu Nardum Ioannis ſermo? Auguſtinus tract. 50. in Euangelium Ioannis, Nomen loci vnde aſportabatur inſignis liquor, credidit: Quoniam verò ſeu Prouinciæ, ſeu vrbis magnum eſt ſilentium apud Scriptores, paucos nactus eſt Aſſeclas Sanctus Doctor: Verùm quanquàm aliam potiorem expoſitionem dicunt, quam ſtatim ſubiiciam, Euthymius ad cap. 26. Matthæi, Theophylactus ad cap. 14. Marci, tamen & Nomen eſſe vnguento affixum ſentiunt, quæ tota eſt opinio Nonni Panopolitani Paraphraſi in c. 14. Ioannis. Nobis cum omni penè veterum, & Recentiorum choro placeat vocem ex Græco eſſe, quæ Latino idiomate, fidele vnguentum denotet, ſcilicet purum, genuinum, nullis deprauatum admixtionibus, ſyncerum penitus: Hæc autem gloria & Sponſæ vnguento: neque enim alium, quàm *ſuum odorem* emittebat, adulterij expers: talem in ſignificando dictionis poteſtatem agnoſcunt inter Græcos ipſos relati nuper Euthymius, atque Theophylactus: Inter Latinos vetuſtiſſimus Patronus Græcè doctiſſimus Hieronymus Prooemio lib. 1. Commentariorum in Oſeam: *Et ne putemus leue eſſe quod fecerat, & Nardum Piſticam, id eſt vnguentum fideliſſimum, ad aliud quid, & non ad Eccleſiam eſſe referendum, dat nobis occaſionem*, &c. Quid autem *fidelis* epitheto intelligeret, alio eiuſdem Doctoris legitimo partu commonſtratum: nam ad cap. 26. Matthæi: *Nardum Piſticam poſuit* (ait) *hoc eſt veram, & abſque dolo, vt fidem Eccleſiæ & gentium demonſtraret:* Aſſensêre iudicio illius ad præſentem verſum Angelomus, atque VVolbero Abbas, Rupertus lib. 10. Commentariorum in Ioannem ad cap. 12. Paſchaſius initio libri 12. in Matthæum ad c. 26. in quod & Anſelmus, & Druthmarus, atque Strabus: in cap. 12. Ioannis, Hugo Cardinalis, Albertus Magnus, Lyra, Dionyſius Carthuſianus artic. 30. Simon de Caſſia lib. 9. Harmoniæ Euangelicæ, cap. 34. ex proximioribus, Caietanus ad cap. 14. Marc. & 12. Ioannis; Ioannes Suarez Epiſcopus Conimbricenſis tract. 1. in cap. 14. Marci, ibidem Ioannes Arboreus, Baronius tom. 1. anno Chriſti 32. numero 26. Titelmannus ad hunc Canticorum locum; Ianſenius Concordiæ cap. 19. ſub initio, Toletus ad cap. 12. Ioannis, Annotatione 1. Emanuel Sà ad cap. 14. Marci, Barradas tom. 3. lib. 7. cap. 2. Franciſcus Lucas ad cap. 14. Marci: nec moramur an ad Herbam, an ad oleum referatur Piſticum nominari: licet enim facilius intelligatur vnguentum adulterari poſſe, cùm ſubtegi vitium poſſit ob aſſociata, tamen & cùm veram Herbam plures Pſeudo-Nardos, quæ ementiantur, inueniri oſtenderimus, ad ignobilioris plantæ differentiam, benè quæ genuina eſt Piſtica & fidelis, hoc eſt ſyncera, & abſque dolo vocetur.

Matth. 26. Marc. 14. Ioan. 12. *Quanta inter Sponſæ Nardum, & vnguentum Magdalenæ piſticum affinitas.* Plin. Hermolaus. Angelom. Beda. Druthmar. Matthiol. Ioan 12. 3. Auguſtin. *Quodnam vnguentum Magdalenæ Piſticum?* Euthym. Theophyl. Panopolit. Hieronym. Idem. Angelom. VVolbero. Rupert. Paſchaſ. Anſelm. Druthmar. Strab. Hugo. Albert. Mag. Lyra. Carthuſ. De Caſſia. Caietan. Ioan. Suar. Arbor. Baron. Titelmann. Ianſen. Tolet. Sa. Barrad. Franc. Luc.

14. Nec video ſanè, quorſum tam multis adamata ſententia noſtro Maldonatò non ſatis placuerit ad verſ. 7. cap. 26. Matth. niſi fortaſſe ob Græci verbi minùs conuenientem ſignificationem, ex cuius idiomatis proprietate cùm fides πίστις dicatur, Nardus πιστὴ, non autem πιστικὴ appellanda erat, nam fidelis ἀξιόπιστος, ſeu πιστὸς vocatur: à πίνω verò quod bibere denotat, & proinde ad liquida & potabilia transfertur, πιστικὸν deriuetur quaſi fluidum, & liquabile ſit vnguentum, & potationibus accommodatum, non de ſpiſſiori oleo ad cutem emolliendam, ad Crinis vincendam duritiem: Non inficior inter ſuaue ſpirantia extitiſſe fluida de quibus Horatius lib. 1. Carmin. Oda. 5. ad Pyrrham:

Maldonat. *Odora vnguenta fluida quædam.* Horat.

*Quis multa gracilis te Puer in Roſa,*
*Perfuſus liquidis vrget odoribus*
*Grato Pyrrha ſub antro?*

Concedo & hauſta vnguenta: Plinius lib. 13. cap. 3. *At hercle iam quidam etiam in potus addunt: tantique amaritudo eſt, vt odore prodigo fruantur ex vtraque parte Corporis:* nominatus modò Poëta lib. 2. Oda. 7.

Plin. Horat.

*——Funde capacibus*
*Vnguenta de Conchis.*

At nemini dubium & craſſa fuiſſe vnguenta, de quibus Plinius memorato capite: *Sed quoſdam craſſitudo maximè delectat, ſpiſſum appellantes, linique iam, non ſolum perfundi vnguentis gaudent:* Sed quæ laus eſt, quódve momentum putare Euangeliſtam de liquido aduertiſſe vnguento? quaſi huic potior gratia quàm concreto? quin verò ſi aquæ roſaceæ in modum leui opere exſiccandus liquor, quamobrem pedes capillis exterſit, vt refert, qui de Piſtico meminit Ioannes? neque alabaſtritem effringi neceſſum, cùm fluida liberè procurrant, aliter craſſa, quorum vis per anguſtias orificij ſatis explicari nequeat: neque ſecundum morem ex libra ponderantur liquida: fortior igitur diuinatio pro vnguento ſpiſſo & viſcoſo, quod cùm dixerit pretioſum eſſe, vt probaret, adiunxit *Piſticum* nimirum fuiſſe, hoc eſt, minimè adulteratum; aut maioris expoſitionis cauſa; Nam Marci cap. 14. licet ſpicatum proderet, quod nobilius intelligitur, monuit vnà de pretioſis fuiſſe: Denique & apud externos etiam Auctores propinqua vocis ſignificatio adſcriptæ ab Eccleſiaſticis Doctoribus, quanquàm Hieronymus vnus fidus Nomenclator, vt præſidia quærenda eſſent: Equidem Ariſtoteles lib. 1. Rhetoricorum, c. 2. propè initium: τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάστη περὶ τὸ αὐτῇ ὑποκείμενον ἐστὶ διδασκαλικὴ, καὶ πιστικὴ: *Nam ex alijs vnaquæque in re ſibi ſubiecta exercet vim docendi, & perſuadendi:* Quare Henricus Stephanus Magni lexici tom. 3. pag. 143. declarat innuere Latinis

*Quædam & craſſa.* Marc. 14. Hieronym. Ariſtotel. Henr. Steph.





verbis id, quod ſit *aptum ad fidem conciliandam.* Noſter Zerda in Aduerſariis, cap. 36. n. 15. Euſebium citat dicere κρᾶμα πιστικόν, quod vult eſſe *poculum fidele*; & de epiſtola Emanuelis Imperatoris ad Federicum βάλσαμον πιστικὸν, *Balſamum fidele:* quæ eadem apud noſtrum Bullingerum tom. 1. opuſc. lib. 2. de donariis Pontific. cap. 6. qui Euſebij lib. 9. Demonſtrat. citat. κρᾶμα πιστικὸν τῆς καινῆς Διαθήκης: *poculum fidele noui Teſtamenti:* atque hæc pro vulgata Piſtici ſignificatione.

Cerda. Euſeb. Bullinger. Euſeb.

15. Quidnam illud: *Nardus mea?* an quod ipſius Sponſæ ſingulariter confecta manibus cùm haberet tamen famularum copioſas legiones? patrium arbitror donum obtulit, propter eà *ſuam* cum Emphaſi quadam appellauit: ſed arduum hoc: Nam quamuis Sponſæ natale ſolum intra Syriæ ambitum, Nardúmque Syriacum laudatiſſimum: nomen tamen Herbæ, non quia Syria produceret, ſed quod Montis pars vna Nardum gignentis, Syriam verſus ſpectaret, audiamus ab Hiſpalenſi Iſidoro Originum lib. 18. cap. 9. *Nardus* (inquit) *Herba eſt ſpicoſa, vnde & à Græcis appellata ναρδόσταχυς: quarum alia Indica, alia Syriaca vocatur; non quod in Syria naſcatur, ſed quod Mons, in quo inuenitur, alio latere Indiam ſpectat; Syriam alio. Eſt autem Indica multiformis; ſed melior Syriaca, leuis, fulua, comoſa, ſpica parua, odoratiſſima, Cyprum ſimulans:* Quæ de genitura Nardi, atque vbi proueniat, omnino Dioſcoridem ſapiunt lib. 1. cap. 6. ſequitur Antonius Muſa Braſauolus in examine ſimplicium, pag. 260. Animaduertit tamen prudenter Matthiolus Commentario ad nominatum ex Dioſcoride caput, cùm Indos & Syriam vaſtiſſimæ diuidant Regiones, idque longiſſimo Tractu, difficile admodum credi poſſe, vt à Montis cuiuſuis parte aliqua Syria conſpici valeat, proinde magis à Syraſtene Regione, quæ Indiæ contermina eſt, Syriacam Herbam dictam illam. Galenus cùm antiqui Poëtæ elegos quoſdam verſus de re Medica exponeret: eſt autem Diſtichon Philonis cuiuſdam apud eum lib. 9. de compoſitione Pharmacorum, cap. 4.

*Cur ſuā dicit Nardum Sponſa?* Iſidor. Hiſpal. *Nardus duplex, Syriaca & Indica.* Dioſcorid. Braſauol. Matthiol.

*Et Drachmam dictæ falsò Radicis, ab ipſa*
*Terra, Piſſæo quæ Ioue clara manet.*

Philo.

*Radicem* (ait) *falsò dictam appellat, quandoquidem ſpica Nardi verè nominatur: vult autem eam Creticam eſſe, quum inquit: ab ipſa Terra, Piſſæo quæ Ioue clara manet; quandoquidem fabularum ſcriptores Iouem in Dictæo monte educatum aiunt:* cæterùm ſtatim opinionis meminit alterius, quæ veteri Patriæ reſtituit, Indiæ ſcilicet: *Quidam verò* (ſubnectit) *non Creticam Terram, ſed Indicam indicatam eſſe aiunt, ex qua ebur affertur; ex hoc enim ſtatuam Iouis in Piſſa factam, ac formatam eſſe.* Naſci quidem in Arabia Felice prodit Adrichomius in Theatro ſuo, agens de ſorte Manaſſis, num. 12. loquor autem modò ſemper de perfectiſſima Nardo, quæ ex remoto Climate ad noſtrum deferatur, de qua ſtudium eſt ſcire, Num quemadmodum apud Indos prouenit, vt ſcribit Garcias ab Horta lib. 1. Aromatum, cap. 33. atque ideò propriè Indica nominari valeat non extrinſecè ſolùm à Montis proſpectu, vt Dioſcorides, atque Iſidorus innuebant; ſic Syriaca dici poſſit, quod de Syriacæ glebæ viſceribus in lucem erumpat: hoc enim ſi oſtenderimus, fiet, vt ſpecialem ob titulum *Mea* potuerit à Sponſa appellari.

Galen. Idem. Adrichom. Ab Horta.

16. Ac ſanè, cùm viderimus ab Iſidoro primatum deferri Syriaco Nardo, Dioſcorides allegato ſexto capite teſtatur Montanum Nardum Syriaci omnes obtinere dotes: de Montano autem ſcribit cap. 8. in Cilicia, & Syria naſci: de Cilicia, quæ Syriæ adiacet Propertium intellexère aliqui lib. 4. eleg. 6. de Pugna Actiaca:

*Nardū Montanum laudatiſſimum.* Dioſcorid. *In Cilicia & Syria naſcitur.* Proper.

*Vinaque fundantur prælis eliſa Falernis*
*Terque lauet noſtras ſpica Ciliſſa comas.*

Sed adnotauit Scaliger ſpicam non tribui Nardo Montano à Dioſcoride, quare de Croco magis declarandum Poëtam, quo pacto & Martialis exponitur lib. 1. epigram. 3.

Scaliger. Martial.

*Feſtinauit Arabs, feſtinauêre Sabæi,*
*Et Cilices nimbis hîc maduêre ſuis.*

Plinius lib. 12. cap. 12. Syriâ prouenire, quod & laudatiſſimum ſit clarè ſubſentit: cui adhæret lib. 1. Corollarij Hermolaus, cap. 6. Matthiolus lib. 5. Epiſt. Medicinalium epiſt. ad Martin. Guidottinum, præſtantiſſimum Nardinum vnguentum fieri olim cōſueuiſſe in Laodicæa Aſiæ vrbe, inde in varias diſtractū partes ab Inſtitoribus: eſt verò Ciuitas illa intra Syriæ ambitum Adrichomio aſſertore in Manaſſe num. 93. & denotat Plinius lib. 5. cap. 29. Philippus Cluuerius Introductionis Geographicæ lib. 5. cap. 22. Quod dum ex Criticis nonnulli certum putarunt, non dubitarunt Tibullum bis corrigere lib. 3. Nam eleg. 4.

Plin. Hermolaus. Matthiol. Adrichom. Cluuerius.

*Intonſi Crines longa ceruice fluebant*
*Stillabat Tyrio myrtea Rore Coma.*

Tibull.

Syrium repoſuêre, quod de Nardo ſermo fuiſſet, cui nullus patriam Tyrum aſſignauit, cùm Syriam non pauci; quare & eodem modo intelligendum vatem eiuſdem libri eleg. 6.

*Iam dudum Tyrio madefactus tempora Nardo*
*Debueram ſertis implicuiſſe Comas.*

Tibull.

Quod ſi certè ab Orientis India deferebatur in Iudæam Nardus cum aromatibus aliis à Salomonis claſſe, cuius æuum vt dixi ſæpè, huius Carminis geſta reſpiciunt, cùm multorum ſententia Nauigatio illa eundo, redeundo Triennium abſumeret, neſcio quemadmodum cum fructu in Palæſtinam Nardus deportaretur, quæ niſi recens ſit, Medicorum calculo, præſtans eſſe nequeat: atque ob ſimiles cauſas neque ad nos talem deferri, qualem antiquitas depingit, notauit benè Matthiolus Commentario in cap. 6. lib. 1. Dioſcoridis: quare ipſam intra Syriam operæpretium eſt, ſupponamus, enaſci conſueuiſſe, cum Syri & inter hos Palæſtini Nardo vterentur pretioſo admodum & in paucis eximio, vt Ioannis cap. 12. ſuadet.

Matthiol.

Quod ſi quidem intra Syriam, & Phœniciam Nardus genitale reperiuerit ſolum, ne aliud ſanè fuerit, qàum Libani Montis pars aliqua, & fortaſſe illa, quæ in Tyrum & Sidonem vergebat, vt non immeritò Tyrium nominauerit Tibullus, neque opus ſit correctioni Textui: fuit enim celeberrimus ille Mons à lignis, plantíſque odoriferis, omnîque fragrantiori Herbâ, vt monet Bredenbachius in deſcriptione Montium Iſraël quod Geneſis Textus innuit, cap. 37. verſ. 25. cùm refert Iſmaëlitas, quibus venditus fuerat Ioſeph ex Galaad Libani quodam iugo veniſſe portantes aromata, & ſtacten; animaduertit Pererius ſub finem quintæ diſputationis: Pro Libani autem ſingulari fragrantia ob dictas cauſas Oſee præclara ſententia, cap. 14. verſ. 7. *Ibunt Rami eius & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani:* comparauit halitui Montis ob copiam aromatum, ob ligna odorata, Herbáſque ſuauiſſimas, quibus repleti illius colles ex Interpretum communi iudicio: Ribera, Caſtrius, Sanchez, Cornelius: Adrichomius quoque in Neptalim, n. 63. clariúſque adhuc Prophetæ verſu ſequenti: 17.

*Libanus ab odoriferis plātis ditiſſimus.* Bredenbach. Geneſ. 37. Perer. Oſee. 14. 5. Ribera. Caſtrius. Sanchez.

A Lapide. Adrichom. Oſee 14 8. Hieronym. Theodoret. Rupert. *Nardus in Libano.*

*Memoriale eius ſicut vinum Libani*, hoc eſt, fama præcellentis nominis, & diſperſa egregiorum geſtorum cumulata laus: Hieronymus, Theodoretus, Rupertus de vino thymiamate condito explicant: fuit autem eiuſmodi inter vina Nardinum ſingularis voluptatis, de quo ſuprà ex Plauto meminimus atque ex Columella: Quando igitur vt intrà Syriam & Palæſtinam Nardus progerminauerit, veriſimile ſit Libano productam, idque propè Tyrum, vt Tibulli innuebat Carmen: cùm in has ipſas ſedes Sponſæ lares & patriam contulerimus tom. 1. Anteloq. num. 84. patet tandem Ratio, quamobrem ſuam vocauerit Nardum, nimirum, quòd patrium donum eſſet, quod ab illa offerebatur in gratiam ſeu nuptialis, ſeu Hoſpitalis Conuiuij: igitur Patriæ commendatura opes; & ne non ipſa etiam quamuis Marito cenſu nimium diſpar Virgo, ad geniales delicias aliquid addidiſſe videatur, quas per Tyri planitiem, & Libani excelſa cum Puellabus Nardi collegerit ſpicas, encomiis ornat. Aduertendum vltimò L X X. Seniores aliter interpungere ſententiam, quam faciat vulgatus Interpres: Nam antecedentibus verbis, ſcilicet, *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, ſiue vt ipſimet transferunt: *ſimilitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti*, adiungunt immediatè: *quoadusque Rex ſit in accubitu ſuo*: Verùm ſenſus idem: Nam præparare Sponſam volunt cum omni mundo muliebri, vt digna tanto Principe Coniux videatur ſub Hoſpitum aduentu: magno enim ſtudio tenebantur proceres Ieroſolymitani intuendæ nouæ nuptæ, de cuius ſpecie & moribus inſolitæ magnitudinis rumor: itaque coram lectiſſima Corona Virgini cùm in publicum eſſet prodeundum, formæ ab externis diuitiis ſuperaddere quem poſſent decorem tentarunt: Quoniam verò præter gemmas, & veſtem exquiſitam, pigmentis muliebri ſexui maximum ſit opus: ſibi odoratæ Materiæ copiam eſſe ſuggerit, habere penès ſe nimirum ex vnguentis præclariſſimum, Nardinum vtpotè: Quare idem planè eſt ſcopus noſtræ & L X X. Seniorum lectionis: Sed melius interpunxit vulgatus Interpres, cuius mentem pro virili declarare conati ſumus.

*L X X. Interpretum verſio conſtructa.*

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Eruditione.

## *Textus*: Dum eſſet Rex in accubitu ſuo; Nardus mea dedit odorem ſuum. *Cap.* 1. *verſ* 11.

*Chriſtus prandens cum Diſcipulis poſt Reſurrectionem: Num de Magdalena vngente Chriſtum verſus iſte? Quid ſuper Humilitatis neceſſitate Patres ad gratiæ conſeruanda dona? Eccleſiæ, Triclinia Chriſti: Lampadarum & Cereorum vſus in ſacris Catholicorum: ab Hæreticorum maledicentia vindicatæ Templorum magnificæ fabricæ, Ornatus, Donaria.*

### Sectio Vnica.

18.

*De quonam Sponſi Conuiuio intelligẽda Sponſa?*

IAM Sponſa loquitur: Sed quodnam Conuiuium Dilecti illius? plurima ſunt, de quibus ex myſtica liceat interpretatione declaraſſe: Verùm conſequentiæ etiam in Allegoriis habenda eſt Ratio, præſertim quoties ſpiritalis ſenſus Hiſtoricus pariter eſt: igitur de Conuiuio ad Literam etiam Nos, ſi prius Lectoris animum commonefaciamus, ingenio retineat de quo in elapſis ſæpè memoratio, nempè hoc Epithalamij primo atrio tractari, quæ ad Chriſti Seruatoris Anaſtaſim ſpectant, geſta illius in Terris quoad verſatus eſt quadraginta diebus cum fida Diſcentium manu: inter hæc & eius cum Apoſtolis Epulatio: Narrationis Author Euangeliſta Ioannes c. 21. Nam cùm per Noctis obſcura Piſcibus inſidias tenderent bonus Commilitonũ duce Simone Petro Manipulus labore inglorio: primo diluculo ſtetit Ieſus ad ripam, iuſsíſque retibus proiectari in dexterum cymbæ latus ſecundo omine, onerata ſunt à piſcium multitudine, vt vix extrahendis pares fuerint: Quanquam autem ab eius virtute & tanta vbertas, quò tamen ſe manifeſtius Conuiuij Dominum probaret, ante delatam ad marginem Piſcationem Apoſtolorum, accerſiuit in omnia potens aliundè eſcam: Vt ergo deſcenderunt in Terram (allegato cap. verſ. 9.) *Viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & Panem*: inuitauítque humaniſſimè gurgite liberatos Hoſpites: *dicit eis Ieſus* (verſ. 12.) *venite, & prandete.* Sedulius lib. 5. Operis Paſchalis cap. 24. *Tunc ad epulas eos ſumendas inuitat placida ſollennium præceptione Verborum; qui Menſæ Domini voce vnanimes congregati, cibos Sanctæ benedictionis accipiunt.* Hoc igitur eſt Sympoſium, cuius noua Eccleſia in Apoſtolorum fundata cœtu meminit hoc loco.

Ioan. 21. Ioan 21. 9. Sedul.

19.

*Nardus herba humilis & calida, Humilitatem, Charitatémque innuit.* Plin. Beda. Dioſcorid. Iſidor.

Verùm, quid de Nardo ſub illis Circumſtantiis? etiámne ibi vel Coronæ, vel vnguentum ex odorata Herba? iam hic Myſterio opus eſt: Equidem breui eſſe Radice Nardum, breui folio Plinius aduertit lib. 12. cap. 12. cui Beda ad hunc verſum adſtipulatur: breui quoque ſpicâ eſſe tradit Dioſcorides lib. 1. cap. 6. Iſidorus Hiſpalenſis Originum lib. 18. cap. 9. addit Dioſcorides calefaciendi præſtare virtute; Bernardus egregiè & Naturalem Hiſtoriam, & Allegoriam ſimul docuit ſerm. 42. in Cantica: *Et Nardus humilis Herba, quam & calidæ ferunt eſſe naturæ hi, qui herbarum vires curioſiùs explorarunt: & ideò per hanc videor mihi non inconuenienter hoc loco virtutem Humilitatis accipere, ſed quæ ſancti Amoris vaporibus flagret*: Rectè ſanè Herbæ puſillis radicibus, & foliis Humilitatem, quæ ſe exiguam reputat, ſignificauit; calore Amoris æſtum. Atqui hæc duo ſub epulis apparuerunt: Reſplenduit quidem Humilitas, cùm ſedente ad Menſam Præceptore, vt Euangeliſta refert verſu duodecimo: *Nemo audebat diſcumbentium interrogare: Tu quis es?* Quod licet propterea factum ſit, vt mox ſubindicat Textus, quia Neminem latebat ipſum eſſe, neque de cognitis percunctari æquum videbatur: verùm diſquirere amanter potuiſſent, quamobrem occultare ſe ſub initio voluerit, vt qui emendorum Piſcium gratiâ, ad littora veniſſet? cur turbatos, & ſuſpenſos habuerit? quare per noctem totam fruſtra deſudare in Piſcium venatione ſiuerit? His igitur dulcibus filiorum erga amantiſſimum Parentem, quod abſtinuerint Quæſtionibus Reuerentia ſubmiſſionis verecunda Proles incitauit Auctoribus Chryſoſtomo hom. 86. in Ioannem: *Iam enim ſoli tantam fiduciam non habebant, neque ad eum loqui audebant; ſed ſilentio, metûque, & reuerentia in eum intenti, diſcubuerunt:* Rupertus lib. 14. in Ioannem, ſub finem: *Tunc quidem non audebant, & intenti ſolummodò ad intuendum, vel audiendum, Reuerentiam præſtabant:* fuit igitur Pudor ille religioſus & honeſtiſſimus, Nardus Conuiuij, quantùm Nardus exigua, & breuis: Sed eadem, quatenus excalefaciens Amorem, dilectionémque prodit, quæ ſub epularum fine inſigniter effulſit, nam amotis toris, Simon Ioannis, qui Congregationis Beatæ caput, præclariſſimo tentatus examine, quanto in Magiſtrum Chriſtum incendio efferueſceret: crediturus illi gregem, charitate imprimis excellere volebat, iterúmque & tertio diſquiſiuit, adeò vt Petrus contriſtatus ſit ſuper repetita interrogatione: Sic itaque candidi illius cœtus præſtantiſſima Nardus Humilitatis, Amoriſque exhibitis indiciis odorem ſuum dedit, eúmque tùm quoad Rex eſſet in acubitu ſuo: Meminit & alterius cœnæ Marcus, cap. 16. verſ. 14. *Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam Cordis: quia ijs qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*: Ad hanc Domini increpatoriam vocem, num mites & humiles Diſcipuli aliquid reſponderint, quibus obiectæ incredulitatis vitium extenuarent, ſeu omnium cauſa imputata illa fuerit: ſeu quorundam ſolùm? Noui Hieronimum tom. 2. lib. contra Pelagianos 2. cap. 6. ſcribere; *In quibuſdam exemplaribus, & maximè Græcis codicibus legi, ſatisfeciſſe eos dicentes: ſæculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia* (vel ſecundum aliam lectionem: *ſub Satana eſt, qui non ſinit* &c.) *quæ non ſinit, per immundos ſpiritus veram Dei apprehendere virtutem: idcircò iam nunc reuela iuſtitiam tuam*: Verùm hæc additio ſicut animaduerſum eſt ab Epiſcopo Reatino ſpuria eſt, & Eccleſiæ ſacro repudiata iudicio, notante Maldonato ad præfatum Marci locum: Quantum igitur de genuino Euangeliſtæ Textu colligere fas ſit nihil in ſui defenſionem ab eis allegatum: fecerunt id, quâ erant Animi demiſſione: Talis itaque & in hoc Conuiuio Humilitas, Nardus quoque Spirans Deo ſuperiſque in odorem Suauitatis.

Bernard. Ioan. 21. 12. Chryſoſtom. Rupert. Marc. 16. 14. Hieronym. Maldonat.

*Humilitas & Charitas Apoſtolorum (Nardo expreſſa) dum eſſet Chriſtus in accubitu ſuo poſt eius Reſurrectionem.*



20.

*De Magdalenæ pretioſis vnguẽtis hũc verſum multi exponunt.*

Ex veterum Patrum numero in ea fuêre ſententia & graues, & non pauci, vt arbitrarentur his Canticorum verbis delineatam Mariam Magdalenam, cùm Nardino vnguento Seruatorem Crucis proximum ſupplicio irrorauit: Signifer Adamantius notæ antiquitatis, dilucidè ſatis hom. 2. ex duabus ſub initio: expreſſiùs tamen libro quattuor homiliarum propè finem: *Ponamus hîc Sponſam Eccleſiam* (ait) *in perſona Mariæ, quæ decenter vtique dicitur afferre libram vnguenti Nardici Piſtici pretioſi.* Et nonnullis interiectis ſecundò loquitur: *Quid ergo intereſt, vtrùm in Cantico Canticorum Sponſa perungat vnguento Sponſum; an in Euangelio Diſcipula Magiſtrum & Maria Chriſtum?* quibus germana ferè Gregorius Niſſenus hom. 3. in Cantica, Theodoretus affinia etiam profert, Michaël Pſellus, & Philo Carpathius: de Latinis, autem Beda venerabilis: *Notandum* (inquit) *quod huius figura verſiculi etiam iuxta litteram in operibus Mariæ Magdalenæ, quæ Eccleſiæ typum tenuit, completa eſt, quando recumbente in cœna Domino, caput, pedéſque illius vnguento Nardi perfudit.* Angelomus: *Quæ nimirùm Verba & ſemel iuxtà litteram manibus Mariæ compleuit: & quotidiè in omnibus ſuis Membris ſpiritaliter implêre non deſinit:* paria ferè Iuſtus Orgelitanus, & cognata Philippus Abbas, Vvolbero, Apponius: Sed hæc, quo pacto in noſtram quadrauerint Expoſitionem, qui ſi à Maria prolata iſtiuſmodi verba concederemus, poſt Chriſtum à mortuis ſuſcitatum dicta fuiſſe, neceſſum eſſet, ſuppoſuiſſemus: qua verò id occaſione? Num quia duabus eiuſdem nominis comitata Religioſis mulieribus, aromata, quibus mortuum Redemptoris Cadauer vngeretur, detulerunt? Marc. cap. 16. verſ. 1. At ibi quid de Nardino oleo? & Patres citati verba non ad mortuum, ſed viuentem Seruatorem referunt, cùm ante Paſſionem delibutus eſt ſuauiſſimo imbre: Num igitur, cùm peccatrici, quæ inſigniter diligebat, apparuit fœminæ, poſt copioſas ad buſtum lachrymas, Ioannis, cap. 20. illa demirata profuſæ benignitatis exceſſum, vociferata ſit obſtupeſcens: Vnde mihi tanta gratia? Quid feci, quid laboraui, quibus deuinxi modis? fortaſsè abiturum ad mortem, Dum eſſet Rex meus in accubitu ſuo, perunxi Nardinis liquoribus: Sed quàm exiguum & leue hoc, quàm penè nihil! Verùm de talibus Colloquiis deuotæ Mentis nullum verbum Euangeliſtarum Hiſtoria: proinde cuiuſque arbitrio relinquimus, vt de hac ſtatuant expoſitione; quam ob tot Auctorum nomen indicandam putauimus, præſertim cùm ad litteræ referre ſenſum videantur.

Origen. Gregor. Niſſen. Theodoret. Pſellus. Philo. Cap. Beda. Angelom. Orgelit. Philipp. Abb. Vvolbero. Appon. Ioan. 20.

21.

Gregor. Bernard. Rupert. *Chriſti ad dexterã Patris* accubitus *in gloria.*

Cæterùm Accubitus nuncupatione deſignari gloriam Seruatoris conſidentis in cæleſtibus ad dexteram Patris Gregorius Romanus, Bernardus, atque Rupertus innuêre: igitur poſtquam honore coronatus filius ad Genitoris conſeſſurus ſit Dexteram, ſpecialiter pollicetur fore, vt Nardus illius ſpirantiſſimè fragret: Quamobrem in ea differt tempora ſigillatim? Sanè Sponſus & Amici illius exaltandam Eccleſiam præuaticinabantur, & ornatus præſtantiam auro, argento, Margaritis indicabant antecedenti Carmine: Sed huius tantæ gloriæ plena oſtentatio latuit aliquandiu donec ſub Conſtantini imperio de latebris erutus eſt Romanus Pontifex, ac deinceps externa quoque authoritate floruit Chriſti vicarius magnificè locupletatus à Religioſiſſimo Monarcha; exin creuit perpetuò, ſpiritalibúſque ſupergreſſa donis etiam ab initio omnem cogitationem

*Exaltatæ Eccleſiæ promittitur Humilitas, in Nardo figurata.*

tionem, ſplendebat & coram ſæculo ad ſtuporem: Cùm igitur hæc aduentarit fortunæ Periodus, Humilitatem ſpondet, Cordiſque ſubmiſſionem, hoc eſt, Nardum dare ſuum odorem: Quippè illa recordabatur, quemadmodum ſecundis elati Rebus Angelus, & Homo corruerint, Synagoga inſuper ob faſtum repudiata ſit. O doctè prouidam Virginem, quæ diuinis ſeruandis incrementis, Humilitatem vigilem adſciuit! Nullum ad virtutis munimen tam forte præſidium, ad Dei ſtabiliendam gratiam: ô vos omnes, qui de ſpiritalibus eſtis, attendite & videte: præclariſſimè Hieronymus ad Cellantiam de Inſtitutione Matrisfamilias epiſtola 16. *Nihil habeas Humilitate præſtantius, nihil amabilius: hæc enim eſt præcipua Conſeruatrix, & quaſi Cuſtos quædam virtutum omnium.* Gregorius Papa ex Homiliis in Euangelia 7. ſub finem: *Sed & ſi qualibet bona adſint opera, nulla ſunt niſi ex humilitate condiantur: miranda quippè actio cum elatione non eleuat, ſed grauat: qui enim ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in vento puluerem portat, & vnde aliquid ferre cernitur, inde deteriùs cæcatur.* Sophronius, qui cum Hieronymi nomine tom. 9. epiſtola 10. ad Paulam & Euſtochium: *Prima eius virtus eſt, fundamentum omnium virtutum, & Cuſtos humilitas ipſa, de qua gloriatur:* atque in tantæ Celſitudinis faſtigio Sponſa ſollicitè id conſideraſſe videatur, de quo Diuus Ephrem monet Parænesi 31. *Chariſſime frater, ſi promotus fueris, vt in ſupremo conſiſtas gradu: caue obliuiſcaris Humilitatis, ac Modeſtiæ Animi: vt ſi quando tibi è gradu deſcendere contigerit, viam inuenias, & non inopinato, grauique caſu corruas: Hoc quippe aliquibus ex propria accidit ingratitudine, dum eum non agnoſcunt, qui ipſis donauit gratiam.* S. Maximus Monachus OEconomicorum de virtute & vitio Centuria 5. *Humilitatem dico* (inquit cap. 92. loquens de Iuſtis,) *conſeruatricem Bonorum, & contrariorum expugnatricem, per omnem vitæ ſuæ Curſum firmum tenentes, nulla prorſus Tentationum perturbatione comprehendi potuerunt:* aptiſſimè imprimis Dorotheus Abbas præſentis inſtituti ſcopo, Doctrina 14. *Omnis igitur virtus abſque Humilitate non reputatur virtus à Patribus: omnium enim fuit vna ſententia, ita impoſſibile eſſe ſaluare animam abſque humilitate, vt Nauim ſine clauis ædificari: Quicquid igitur boni quiſque egerit, id agat cum Humilitate, vt per Humilitatem conſeruetur quod factum fuerit:* Sed nihilo inferior Dorotheo Macarius Senior Ægyptius homilia 41. *Cæterùm niſi quis multæ fuerit Humilitatis, traditur ille Satanæ, & gratia diuina ſibi collata ſpoliatur, nec paucis torquetur afflictionibus: proinde, qui diteſcit gratiâ Dei; in multa debet Humilitate, & Cordis contritione degere, & ſeipſum vt Pauperem, & nihil habentem arbitrari:* Ioannes Climacus Gradu 25. *Humilitas eſt Turris fortitudinis à facie inimici: nihil proficiet inimicus in ea, & filius, imò vero cogitatio iniquitatis non apponet nocêre ei: & concidet à facie inimicos eius, & eos, qui oderunt eum, in fugam conuertet.* Et aliquibus interpoſitis: *Abſque prædictionibus quidem & illuſtrationibus, ſigniſque & prodigijs, ſalute plurimi potiti ſunt: ſine Humilitate autem nemo vnquam cœleſtem thalamum ingredietur: illorum enim hæc fida Cuſtos.* Rupertus Tutienſis ſeuerè pronunciat libro 2. in Naum, iuxta principium cap. 2. *Terribilis namque eſt Deus in conſilijs ſuis ſuper filios Hominum, atque idcircò tunc vnicuique magis cauendum, & magis Humilitati ſtudendum, cùm maiora ſupernæ gratiæ dona percipit.* Guerricus Abbas ſermone in Sabbato ſecundæ Hebdomadæ Quadrageſimalis: *Cuſtodi igitur ô felix Peccator, cuſtodi ſollicitè, ac vigilanter hunc Spiritum tuum: hunc iuſtiſſimum Pietatis ac Humilitatis affectum: Nihil illo maius in donis Spiritus ſancti, nihil pretioſius in Theſauris Dei, nihil ſanctius inter omnia chariſmata, nihil ſalubrius inter omnia Sacramenta: Cuſtodi, inquam, ſi vis ipſe cuſtodiri.* Vocauit autem concinnè Laurentius Iuſtinianus Humilitatis opes, quæ diripi & ſuffurari nequeant, libro de Humilitate, capite 24. *Hi proculdubiò ſunt imprædabiles Humilium theſauri, pretioſiſſimæ gemmæ, indeficientes Diuitiæ, honores ſublimes, præclariſſimæ dignitates, arcanæ deliciæ, Sponſi munera, ornamenta nuptialia, & ſpiritualia Sponſæ Cellaria, in quæ non intrant ſuperbi.* Sapienter itaque Eccleſia, ne quando Dilecti fauore excidat, Nardi ſe odore, Humilitate videlicet præmunit.

Hieronym. *Humilitatis præſtantia & neceſſitas.* Gregor. Sophron. D. Ephrem. S. Maxim. Dorotheus. Macarius. Climac. Rupert. Tut. Guerric. Laurent. Iuſtin.

22\. Ac quoniam de Triclinio, & Cœnationis loco verba iuxta humanam expoſuimus interpretationem, ſpiritali quidem ſenſu Eccleſiarum ſacra Altaria ſubintelligere valeamus ex quibus vitæ eſcam fideles recipiunt; quare VValfridus Strabo libro de Rebus Eccleſiaſticis cap. 6. cur Ædes nominatæ Eccleſiæ aſſerens: *Ab edendo* (ait) *putant dictas, quaſi primitus ad edendum factas:* Amalarius verò Fortunatus lib. 3. de Eccleſiaſticis Officiis, cap. 2. *Audiſtis ex auctoritate veteri, ideò conueniſſe populum ad Baſilicam, vt audiret iudicia: audite Apoſtolum, cur conueniatur in Eccleſia: itaque fratres mei, inquit, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis autem eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis: monſtrante Paulo, propterea conuenimus ad Eccleſiam, vt manducemus cœnam Domini.* Alludit ad ſententiam Apoſtoli 1. Corinth. cap. 11. verſ. 34. cuius ad verſum 21. noſter animaduertit Cornelius, ſolitos primos Orthodoxos in Eccleſia poſt Synaxim Conuiuium inſtruere, ſiue in Religioſæ congermanitatis gratiam, ſeu Pauperum causâ, atque eſſe cœnam, quam Agapen dicebant, cuius meminêre ex antiquioribus Patribus Nonnulli: videndus Baronius tom. 1. à numero 140. anni Seruatoris 57. ac licet Gabriel Albaſpinus Obſeruationum veterum Eccleſiæ rituum libro 1. cap. 18. aliter de Agape ſentiat; non tamen renuit, vt Apoſtolorum ſæculo fortaſſe cum Euchariſtiæ ſumptione concelebratæ ſint Agapæ: quin & Menſulam manducaturis Chriſti corpus appoſitam aliquando notauit memoratus Cardinalis anno eodem Chriſti, numero 146. igitur, quando ob multas Rationes Triclinium & accubitum Templa repræſentent, cùm Superiori verſu Sponſus vermiculato opere Eccleſiaſticæ Monarchiæ pulcherrimam varietatem ſubindicaſſet, ac fore vt tam diuerſis, eminentibúſque gradibus Sponſam condecoraret, inſtitutis galeritæ Purpuræ Senatoribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, aliiſque Magiſtratibus quibus præſideret Romanus Antiſtes gloriâ & virtute incomparabilis: illa, vt quàm poſſit ſummis Beneficiis, vicem rependeret, pollicetur Templorum magnificas Baſilicas, in quibus Sponſus accumbat, ante quem die noctéque lampades ardeant, quorum de pretioſiſſimo liquore futurum ſit oleum, Nardini ſcilicet vnguenti, quod in præcipuis deliciis etiam Beatiores habeant.

VValfrid. Strab. *Ædes ab edendo dictæ.* Amal. Fort. 1. Corinth. 11. A Lapide. *Triclinium & Accubitus, Templa & Altaria innuunt.* Baron. Albaſpin.

23\. Sanè & Templi Nota conflagrans lucerna: Epiphanius epiſtola ad Ioannem Hieroſolymi-



*Ardentes in Templis lucernæ.* Epiphan.

tanum, quæ eſt ſexageſima inter Hieronymi epiſtolas cap. 5. *Et veniſſem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidiſſémque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogaſſem quis locus eſſet, didiciſſémque eſſe Eccleſiam, & intraſſem vt orarem; inueni ibi velum, &c.* Lucis fontes aut cerei, aut oleum intra Lychnos. De oleo, eôque aromatico & pretij ingentis Anaſtaſius, Damaſi cum nomine Pontificale, Platina in vita Silueſtri Papæ: *Ornamenta in Baſilica, Pharum Cantharum ex auro puriſſimo ante altare, in quo ardet oleum Nardinum Piſticum, cum Delphinis octoginta, penſantem libras triginta: Pharum cantharum argenteum cum Delphinis viginti, qui penſant libras quadraginta, vbi ardet oleum Nardinum Piſticum: Pharos Canthαros argenteos in gremio Baſilicæ quadraginta quinque, penſantes ſinguli libras triginta vbi ardet oleum ſupraſcriptum.* Mox de Baptiſterio: *In medio fontis columna porphyretica, quæ portat Phialam ex auro puriſſimo penſantem libras quinquaginta, vbi ardent Balſami libræ ducentæ:* Deinde enumerat varias Prouincias, ex quibus & Nardini vnguenti, & Balſami quotannis prouentus copioſi ad luminaria cum odoratiſſimo thymiamate: in hæc miniſteria Lampadarum vſus, de quibus Metaphraſtes 14. Octobris in Decertatione SS. Martyrum Nazarij, Geruaſij, Protaſij & Celſi: *Præterea autem vniuerſus Clerus, & omnes Magiſtratus, linguis hymnos canentes, & quas manibus geſtabant lampadibus ea illuſtrantes, quæ tamen magis miraculis reſplendebant, quàm lampadibus:* Idem 13. Aprilis in Hiſtoria Sanctorum Martyrum Carpi, Papili, & Sociorum: *Pretioſas autem eorum Reliquias, quæ abiectè, & contemptim iacebant, Chriſtianorum manus cùm ſuſtuliſſent, cum lampadibus ſimul & hymnis in loco inſigni præclarè depoſuerunt:* atque ob hanc cauſam dixiſſe videatur Venan. Fortunatus, diem continuam ſacris reperiri in ædibus, quod lampadarum fulgores noctem diſpellerent lib. 1. Carmine 1. ad Vitalem Epiſcopum:

Anaſtaſ. Pontif. Damaſi. Platina. *Oleum pretioſum in ſacris Templorum lampadibus.* Metaphraſt.

Venant. Fortun.

*Emicat aula potens ſolido perfecta Metallo*
*Quo ſine nocte manet continuata dies.*

Eodem libro, Carmine 15. de Leontio Epiſcopo:

Idem.

*Ecce beata ſacræ fundaſti Templa Mariæ,*
*Nox vbi victa fugit ſemper habendo diem.*
*Lumine plena micans imitata eſt Aula Mariam*
*Illa vtero lucem clauſit, & iſta diem.*

Atque in hunc planè ſenſum elegantiſſimè cecinit Paulinus Nolanus 3. Natali Sancti Felicis:

Paul. Nolan.

*——Sic Nox ſplendore diei*
*Fulget, & ipſa dies cæleſti illuſtris honore*
*Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.*

Qui Natali 7. operosè & ad longum lampadem deſcribit, è quibus aliqua hæc pauca:

Idem.

*Cominus in medio tecti, cameram inter, humúmque*
*Nutabat ſolitus lignum ſuſpendere funis*
*Innectens trijugum ſupremo ſtamine ferrum,*
*Quo vitreæ inſeritur penetrabilis anſa lucernæ,*
*Auritúſque calix tribus vndique figitur vncis.*
*Funditus albet aquâ, ſuper vndam flauet oliuo:*
*Stat liquor in liquidis, ſubiecto lubricus humor*
*Fonte natat, neque iuncta coït miſtura fluoris.*

Cætera videre lector poterit, nam ad amuſſim delineat: de cereis luminibus pergamus etiam nonnulla promere.

24\. Hieronymus epiſt. 53. contra Vigilantium ad Riparium: *Et quotieſcumque Apoſtolorum, & Prophetarum, & omnium Martyrum Baſilicas ingredimur, toties idolorum Templa veneramur? accenſique ante tumulos eorum cerei idololatriæ inſignia ſunt?* Euſebius vitæ Conſtantini lib. 4. *Sacrum Peruigilium Paſchatis nocturnum in diurnam lucem mutauit: cùm ij, quibus id muneris datum eſſet, Columnas ceræ ſublimes per vniuerſam vrbem accenderent.* Corrippus Africanus lib. 2. in laudem Iuſtini Minoris ſub initio:

Hieronym. *Cereorum accenſorum in Templis vſus.* Euſeb.

Corip. Afric.

*Impoſuit pia thura focis, ceráſque micantes*
*Obtulit, & ſupplex lacrymis ita fatur obortis.*

Et lib. 4. ſub finem:

Idem.

*Plurima votorum ſacrauit dona ſuorum*
*Immenſôque pium ditauit munere templum*
*Obtulit & ceras.*

Martyrologium Adonis ſub 18. Calend. Octobr. de Sancti Cypriani corpore: *Et inde cum cereis & ſcholaribus, in ara cuiuſdam Candidi Procuratoris, in via Mapalienſi, iuxta Piſcinas cum magno Triumpho ſepultum eſt.* Venantius Fortunatus lib. 5. Carmine 5. de Iudæis Baptiſmo ablutis:

Venant. Fortun.

*Vndique rapta manu lux cerea prouocat aſtra*
*Credas vt ſtellas ire trahendo Comas.*
*Lacteus hinc veſti color eſt, hinc lampade fulgor*
*Ducitur, & vario lumine picta dies.*

Quàm verò gratum omnipotenti Numini, vt & oleum, & cera ardeat coram ſacroſanctis Eccleſiarum altaribus, miracula demonſtrant plurima, quibus vel continuata præter omnē Naturæ modum lux, vel ſubſtituta fatiſcente humano pabulo: quorum exemplorum faſciculum ſubminiſtrat Gregorius Turonenſis lib. 1. ſeu Miraculorum, ſeu de gloria Martyrum cap. 5. eiuſdémque libri cap. 9. de Baſilica ſanctæ Dei Genitricis: *Cúmque per obſcuram noctem properarem ad Oratorium, ſuſpicio à longè per feneſtram ita immenſam claritatem effulgêre, vt putaretur ibi multitudo lychnorum, ac Cereorum eſſe accenſa:* egregiè autem cap. 32. de ſancti Thomæ Apoſtoli Templo: *Lychnus etenim inibi poſitus, atque inluminatus ante locum ſepulturæ ipſius, perpetualiter die, noctúque diuino nutu reſplendet, à nullo fomento olei, ſcirpique accipiens: neque vento extinguitur, neque caſu labitur, neque ardendo minuitur.* Neque minùs præclarè cap. 57. *Cœleſti lampade cereus, qui iam beato ſepulchro adfixus erat, illuminatur: Sicque factum eſt, vt quæ humanæ non expleuerant induſtriæ, peragerentur diuini Numinis maieſtate: ceſſante humano ſtudio cœleſtia officia miniſtrantur:* libro etiam de gloria Confeſſorum cap. 20. Cæterùm de Eccleſiaſtico luminum vſu, déque pretioſo lampadarum oleo præter modò allegata, ſubminiſtrauimus alia Tom. 1. Anteloq. 5. num. 38. atque huius ſecundæ Partis Veſtigat. 2. num. 5. Veſtigat. 5. num. 15.

*Quàm Deo gratum ſit & cera & olei ſacrum lumen Miracula teſtantur.* Greg. Turon. Idem.

25\. Verùm Iudæ Iſcariotis Socij blaſphemo ore Hæretici inclamant, cùm inaudiunt de conſumptis Balſamo, Nardiniſque vnguentis ad illucendum altaribus, Vt quid perditio hæc? commiſerentur ſcilicet Pauperum ferrea viſcera, de quibus tamen dolor tunc ſolùm eſt, cùm ad lacerandum Eccleſiæ honorem commiſerationis figmentum deſeruit, quaſi non ſancta Mater propterea Temporali amplitudine locupletata ſit, vt deſtitutos ſolatio infauſtos alat, quemadmodum Prudentius in Sancti Laurentij Hymno accinit:

*Malè contra ſacra lumina Templorúmque ornatus inclamant cum Iuda Hæretici:* vt quid perditio hæc?

Prudent.

*Tales plateis omnibus,*
*Exquirit aſſuetos ali*
*Eccleſiæ Matris penu;*
*Quos ipſe primus nouerat.*

Stomachantur in Templorum ornatus omnes fidei Apoſtatæ: ferre non poſſunt incruſtari ebore parietes, tegi Babylonicis aulæis, deaurari tecta, ex byſſinis, purpurâ, ſerum velleribus, intertexto auro & argento conflari veſtes, à gemmarum luce radiare calices: latrauit olim Vigilantius, cui Hieronymus fauces obſtruxit: ſubmurmurant

mutant idipſum VValdenſes contra quos ante annos trecentos ſcripſit Theologiæ Catholicus Doctor Petrus Pilichdorffius, quem vulgauit noſter Grethſerus, & Bibliotheca Magna Vet. PP. Colonienſis editionis Tom. 13. excudit, qui cùm rectè perpendiſſet ſub priſco fœdere Tabernaculi mirificum apparatum legis nouæ gloriam præſignificaſſe, ſub finem cap. 26. alloquitur: *Si enim ſancta fuerunt illa in veteri Teſtamento, quæ fuerunt figura & vmbræ futurorum, multò plus ipſa figurata, & corpore & Chriſti ſanguine contacta, vt ſanctorum ipſius, vt ſancta creduntur & honorantur: Sed Tu VValdenſis Hæretice ſurde, & mute, aride & ſtolide vt aſinus, nullam deuotionem conſequeris, quia non quæris.* Nihil hoc inſano dogmate ſpecioſius Lutheranis & Caluiniſtis, exin Monaſteriorum rapinæ, latrocinia Templorum: obſecro, num in Pauperum ſubſidia conuerſa diuinior ſuppellex? certè alcâ, ſtuprationibus, vino conſumpta: aduerſus hos ad longum Bellarminus lib. 3. de cultu ſanctorum, Ioannes Molanus de Hiſtoria ſacrarum Imaginum lib. 2. cap. 40. Baronius tom. 2. anno 233. & 303. Bullingerus Tom. 1. opuſculorum, libris tribus de Pontificum veſtibus; de donariis; de Templis: Ac quidem ſub Eccleſiæ duobus, tribúſve primis ſæculis parciores ſumptus ob cauſam horribilis Perſecutionis, quanquam & tunc, quoad licuit, pompæ in ſacris inſtrumentis affectatio; nam de illis temporibus Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum, propè medium: *Conuentus non leues patiebatur anguſtias: erant enim Eccleſiæ ex auro & argento quàm plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec ſecum portare poterat; quaſi fidelibus, ſenioribus commendauit.* Carebant tamen ſtabilibus bonis vſque ad Conſtantini Imperium Eccleſiæ vt plurimùm, nec potuit Maieſtas diuini cultus ſub illa triſti hyeme ſatis apparêre, vnde Petrus Bleſſenſis ſerm. 4. in Aduentu Domini, & de B. Lucia: *Chriſtus ergo in Eccleſia lactenti quaſi caluus erat, quia prædia & poſſeſſiones non habuit Eccleſia vſque ad tempus Conſtantini: imò tantâ laborabant inediâ fideles, quod Iulianus Apoſtata Paupertatis opprobrium eis incutiens, Galilæos pannoſos eos vocare conſueuit*; ſignificat idipſum VValfridus Strabo libro de rebus Eccleſiaſticis cap. 3. talia Baronius tom. 3. Anno Chriſti 324. num. 113. *Quæ olim in cœmeterijs ipſis, antris & receſſibus ſubterraneis, Sanctorum Martyrum cultum (vt vidimus) dignis officijs præ temporis ratione frequentare ſolebat: conſtructis iam in ipſorum memoriam Baſilicis, tranſlatiſque in eas eorum corporibus, & in thecis argenteis, & argento tectis Cellulis collocatis, auro gemmiſque fulgentibus vaſis ad vſum luminarium comparatis; eadem ipſos ſumma gloria celebrare, ac venerari cœpiſſe.* Spondanus ſimilia anno Chriſti 57. num. 31.

Pilichdorf. Bellarmin. Molan. Baron. Bullinger. Optat. Mil. Petr. Bleſſenſ. VValfrid. Strab. Baron. Spondan.

26\. Mox autem, vt Conſtantinus Imperator, derelictis Ethnicorum monſtris, ad veram Religionem traductus eſt, ad ampliſſima Sacrorum ædificiorum moles incredibili munificentia ſtudium conuertit: Teſtes Euſebius in vitæ illius lib. 3. cap. 24. & 47. lib. 4. c. 58. Nicephorus lib. 8. c. 28. Sozomenus lib. 1. cap. 8. & quidem ſcriptas ab eo litteras ad Macarium Hieroſolymorum Antiſtitem exhibuêre Theodoritus lib. 1. c. 17. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ: lib. etiam 1. cap. 6. Socrates: *Par eſt igitur* (ait piiſſimus Monarcha) *vt tua Prouidentia ita opus diſponat, & res quaſque neceſſarias prouidè accuret; quò, non modò Sanctuarium Templi reliquis omnibus, quæ vbique ſunt, pulchritudine antecellat, ſed etiam ceteræ eius partes tales ſint, vt omnia Templa, quæ in ſingulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longe ſuperentur*: tantáque virtus Principis, vt cùm ad remotos orbis Tractus proficiſci cogeretur, Tabernaculum deportari faceret Baſilicæ ſacræ ad normam, ne vel in deſerto abſque Eccleſia eſſet, referente Socrate lib. 1. cap. 14. & Sozomeno lib. 1. cap. 8. quibus autem locupletauerit donis Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Silueſtri exponit fusè, quę talia ſunt, quantâ mente vix conciperet aliquis: ipſiúſque Conſtantini ſubinnuit Donationis edictum, cuius exſcriptum apud Bullingerum de Imperio Romano lib. 2. cap. 6. & lib. 1. de veſtibus Pontificum cap. 2. Tanto digna Mater filio Helena, quæ & ipſa, vt narrat Theodoretus lib. 1. Hiſtoriæ c. 18. *Templa & ob magnitudinem ampliſſima, & illuſtriſſima ob ſplendorem extruere cœpit*: à qua (vt refert Paulinus Nolanus ep. 11. ad Seuerum) *condita in Raſſionis loco Baſilica eſt auratis coruſca laquearibus, & aureis diues altaribus*: Quale illud Templi ſanctæ Sophoniæ, quod Iuſtinianus Bizantio extruxit, apud Conſtantinum Manaſſem in Chronico, encomium?

*Pia Conſtantini Imperatoris in ſacris ædificijs conſtruendis & ornandis munificentia.* Euſeb. Nicephor. Sozomen. Theodoret. Socrat. Anaſtaſ. Biblioth. Bullinger. Theodoret. Paulin. Nolan. *Regiæ S. Helenæ & aliorum Regum erga res ſacras liberalitas.* Conſtant. Manaſſ.

————— τ̃ ὀρανὸν τ̃ γῆς τε,
Ον οἶμαι καὶ τὰ Σεραφὶμ, αἰδούμενα θαυμάζειν.

*Cœlum* nimirùm *terreſtre* appellat, *quod ipſa Seraphin reuereantur intueri: neque ſi in manufactis Deus commorari dignaretur, alio habitaturum loco*; de qua eadem Baſilica à Iuſtino Minore reaucta Corrippus Africanus lib. 4.

*Rem Sophia dignam certò ſapientia fecit*
*Inſtituit pulchrum, ſolidauit robore templum*
*Cœpit, perfecit, doniſque ornauit, & auxit:*
*Iam Salomoniaci ſileat deſcriptio Templi,*
*Cedant cunctorum miracula nota locorum.*

Corrip. Afric.

Ammoinus lib. 4. Hiſtoriæ Francor. cap. 33. de Templo à Dagoberto Rege extrui iuſſo: *Nullúmque impenſis ſtatuens modum, marmoreis illud columnis, ſimilîque venuſtauit pauimento, immenſo ædificandi ſumptu, & exquiſito fabricarum decore: nec minor illi in alijs ornatibus intenſio: nam veſtibus auro textis, & pallijs holoſericis totum interiorem circumdedit Templi ambitum.* Apud Baronium tom. 9. anno Chriſti 725. num. 8. ex Oldradi narratione: *Dona autem, quæ piiſſimus Rex Luithprandus Eccleſiæ B. Petri donauit, tam in prædijs, & Poſſeſſionibus, quàm in vaſis aureis, & argenteis, & veſtibus ad Dei cultum pertinentibus, excedunt omnium piorum, & Catholicorum opinionem.* Quibus de Eccleſiarum nitore, & abundantiſſima ſupellectili germana plurima apud Paulinum Nolan. ep. 12. ad Seuerum & Natali 9. Sancti Felicis: Venantium Fortunatum pleriſque libri primi Carminibus & ſpeciatim lib. 3. Carmine 7. Gregorium Turonenſem lib. 1. de gloria Martyrum c. 9. & lib. 5. Hiſtoriæ Francorum cap. 45. Ennodium Ticinenſem epigrammate 9. vbi Diſtichon:

Ammoin. Baron. Paul. Nolan. Ven. Fortun. Greg. Turon.

*Aurum, culmen, ebur, tabulas, laquearia, gemmas,*
*Non datur humanis plus rutilare bonis.*

Ennod. Ticin. Sidon. Apoll.

Et epigram. 56. Sidonium Apollinarem lib. 2. epiſt. 10. & lib. 4. epiſt. 18.

Quicumque igitur apud Orthodoxos inſigni Pietatis laude claruerunt Reges, nihil fuit illis antiquius Eccleſiaſticorum rituum honore: quarè effusâ liberalitate quod in gazis optimum fuiſſet, ad Sacerdotij & Templorum ornatum conferebant: ſciebant enim Homines prudentiſſimi Numini iuſtè contribuendum quod præſtantiſſimum eſſet, plurimúmque conducere ad dignè ſentiendum de incomparanda Diuinitatis Maieſtate externum gloriæ ſplendorem: Qui nec poſt 27.





vaſtatum publicum ærarium à Bellorum ſumptibus, in ſacrum irruere Theſaurum auſi: id quod Pœnitentia Alexij Comneni Græcorum Imperatoris egregiè edocet, cuius aurea Bulla legitur Tom. 15. Biblioth. Magnæ vet. PP. Colonienſis pag. 987. ibi in hæc verba: *Quod ſi quis, Domine Deus, in poſterum manus ſacris & diuinis Dinodijs, vtenſilibus & vaſis, quæ ſacris olim & venerandis Eccleſijs tuis dicata, vel in poſterum dicanda fuerint, inijcere audeat: is, ne lumine in die viſitationis tuæ fruatur, ne ſol illi matutinus illuceſcat: nec tuo hîc auxilio, nec tuâ illic diuinâ protectione gaudeat: Sed vbique deſpectus à te deſertúſque iaceat.* Habeant igitur ſiue Mahumetani, ſeu Nouatores inornatas fanorum exedras, & exceptis Parietibus, faſtigiôque, demant reliqua, ab his etiam quod exquiſitum cenſeatur, neque in miniſtris, neque in vaſis, amictûque ſacro pompa reluceat: malunt auaritiæ quæſtibus, malunt luxui & voluptatibus pecunias, quàm Deo: Nobis Catholicis irreligioſum ſit, Eccleſiaſticarum obſeruantiarum aliquid contempſiſſe, quas à Deo inſpiratas ſcimus, veteri præſignatas Fœdere, laudatas à Sanctis Patribus ſingulari verborum eloquentiâ, à piis ſemper veneratas mentibus, miraculis ſæpius comprobatas: Quamobrem egregiè Sponſa Dilecto pollicetur, cùm in magnificentiſſimis Templis accubiturus ſit intra Hierothecam, ſubminiſtraturam luminibus, quod inter vnguenta excellat Nardinum oleum: & puto, quæ erga Lampadem tam ſit benignè officioſa, Turrim, ſub qua Dominicum veletur corpus exquiſitiſſimo opere, pretio immenſo perpoliuerit, de qua Venantius Fortunatus lib. 3. Carmine 25.

*Alexij Comneni in Templorum profanatores imprecatio.*

*Templorum ornatus Deo gratiſſimus.*

*Quàm benè iuncta decent, ſacrati vt Corporis Agni*
*Margaritum ingens, aurea dona ferant.*
*Cedant Chryſolithis Salomonia vaſa Metallis*
*Iſta placêre magis Ars facit, atque fides.*
*Quæ data Chriſte tibi Felicis munera ſic ſint*
*Qualia tunc tribuit de grege Paſtor Abel.*

Ven. Fortun.

Finiam hanc de ſacra Templorum ſupellectile excurſionem, duorum præſtantium virorum teſtimoniis: alter is eſt Reinerius ex primis Ordinis Dominicani Patribus: eius Tract. contra VValdenſes cernitur Tom. 13. Magnæ Biblioth. vet. PP. Colonienſis: nam cap. 1. dum veræ Eccleſiæ ſigna percurrit: *Secundum* (inquit) *eſt, in cultu diuino, ſcilicet, in Eccleſiarum ornatu, veſtium, vaſorum; cantu, lumine, feſtis, ieiunijs: quia hæc omnia Hæretici reprobant.* Alter eſt Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus eiuſdem Bibliothecæ Tom. 14. Qui expoſitione pro Concilio Florentino, dum vbi ſit vera diſquirenda Eccleſia edocet, inquit ſectione 12. *Sed ibi oportet eſſe, vbi Chriſti ſignum refulget, & Eccleſiæ exornantur: nola, imagines, & altaria omnia magno cum cultu conſpiciuntur, & adornantur, & Sacerdotibus eminùs reuerenter aſſurgunt populi: ibi, vbi palàm Chriſti fides prædicatur; ibi, vbi Terræ Reges, & Principes venientes ad ſacra loca inſpicienda, & Apoſtolorum capita adoranda, vnà cum illis & Præſide eorum Pontificem adorant: & eius pedibus aduoluuntur: ibi, vbi feſti dies, Pſalmodiæ preces ſine metu celebrantur, vbi nemo reformidat ſibi quenquam aduerſari: ibi; vbi ſummus Pontifex Doctores, & Prædicatores in omnem Terram dimittit, ad prædicandum, & annunciandum Verbum Dei.*

Reiner. Gennad.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Eruditione.

## *Textus:* Dum eſſet Rex in accubitu ſuo; Nardus mea dedit odorem ſuum. *Cap.* 1. *verſ* 11.

*Quò magis quiſque ſtudet deprimi, & abſcondi: eò plùs vulgatur à Numine, & euehitur.*

### Sectio I.

28\. Celebris huius loci, ſatíſque nota Interpretatio de Humilitatis gemma: Bernardus 52. in Cantica: *Nam quid eſt aliud: Nardus mea dedit odorem ſuum, quàm placuit mea Humilitas? Non mea inquit Sapientia, non mea Nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, ſed quæ ſola inerat Humilitas dedit odorem ſuum*: bellè conſiderat ibidem de primo illo Diſcipulorum Chriſti Manipulo poſtquam ſuper cœlos cœlorum Redemptor aſcenderat: quanta tunc ſubmiſſionis argumenta? Pauperes, deſpecti, rudes: adhuc & ſe abſcondunt ipſi congregati in vnũ ſub parietibus, & oſtio clauſo: ſed publicauit citò ſonorus ęterni Flaminis illapſus, & noti facti ſunt in vniuerſa Iudæa qui latebant: *Primitiua Eccleſiæ potes hunc* (inquit proſequens Melliflua oratio,) *congruentiſſimè aptare ſermonem, ſi recordaris dies illos, quibus aſſumpto Domino vbi erat priùs, & ſedente in dextera Patris, illo ſuo antiquo, nobili, atque glorioſo accubitu, diſcipuli erant congregati in loco vno, perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Ieſu, & fratribus eius: Nonne tibi videtur reuera tunc temporis Nardum paruulæ & trepidanti Sponſæ dare odorem ſuum? Denique, cùm factus eſt repentè de cœlo ſonus tãquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totã domũ vbi erant ſedentes: annon meritò paupercula tunc dicere potuit: Cùm eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuum?* Irrorauit in verticẽ, pedéſque Ieſu de vnguento Nardino piſtico pretioſo Maria Magdalena, & audita eſt vox Saluatoris dicentis: *Amen, dico vobis, vbicumque prædicatũ fuerit hoc Euangeliũ in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius.* Matthæi c. 26. v. 13. Cur famæ tã

Bernard. *Sponſæ Nardus humilis diffundit in totum orbem odorem ſuum.* Bernard. Matth. 26. 13.

ſplendida promiſſa memoria? Equidem cineribus & buſto ex præoccupato deſtinabatur eiuſmodi vnctio : *mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum* (loquitur ibidem Chriſtus) *ad ſepeliendum me fecit :* Quænam verò apud Homines ſæculi vnguentorum profuſiones illuſtres ſanè? nempè, quę vel Conuiuiis impenduntur, vel Triumphis, vel ſollemnioribus ſpectaculis : videntur itaque hi vnguentorum ſumptus nullius gloriæ futuri, cùm funeri eius dicarentur, qui vili Mortis ſupplicio lueret in Crucem actus: nihil enim ſecum luminis portant officia erga tales : inſuper & de Beneficij vita ſpem penè extinguebat, quod ex Mortalium cœtu præproperè diſceſſurus is fuiſſet, qui admitteret : abit cum finita lucis vſura præteritorum recordatio: Cùm igitur Magdalenæ humilis Spiritus tot accerſitis minuendę glorię circumſtantiis, pompam nominis ſtudiosè fugeret; non paſſus eſt latêre Chriſtus : quare eandem cum Euangelio perennem ſpondet famæ memoriam: Niſſenus hom. 3. in Cantica, ad hunc verſum : *Mihi enim videtur prophetico quodam Spiritu per vnguentum ſignificaſſe mulier Mortis myſterium, quomodo ijs, quæ ab ipſa dicuntur, fert Dominus teſtimonium, dicens : præoccupauit ad me ſepeliendum : Domum autem bono odore repletam pro toto Mundo, & vniuerſo orbe terrarum, admonet eſſe intelligendum, dicens, Vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo : odor vnguenti ſimul diſtribuitur cùm prædicatione Euangelij : & monimentum, inquit, erit eius Euangelium.*

Matth. 26. 13.
*Cùm multa obſcurare videantur piam Magdalenæ vnctionem, tamen in perennem ab Humilitate diffunditur memoriam.*

Greg. Niſſen.

29.
Pſalm. 8. 1.

Stupefactus Dauid ob claritudinem famæ diuini nominis, exclamabat Pſalm. 8. verſ. 1. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra? Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.* vbi Theodoretus : *Quam hoc loco* (ait) *non comparationem, verùm amplificationem, & exaggerationem ſignificat : admodum, inquit, ô Domine, tuum nomen ab omnibus decantatur.* Sed quid mirum eſt, Dei celebrari nomen per omnes Terrarum oras, & ſuper Olympum quoque? Cui debita laus niſi prouido rerum gubernatori? At vide, quæ ſtatim ſubiicit Propheta: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem:* vah præclaros Oratores! itáne balbutientibus commendantur diuina encomia? Quid Rhetoricæ, & mammantibus? Quid ſtylo cothurnato & rudiſſimæ linguæ? eſto & hac ſignificetur infantiâ Apoſtolorum ineruditus dicendi character : quomodo vel ab his laudum glorioſa præconia? cùm ſermonibus imperiti ſint? Quæ prudentia eſt talibus vti Declamatoribus? intellige Conſilium Dei : elegit Redemptor noſter ſtulta Mundi, quibus crederet Nominis & gloriæ celebrationem : videbatur hoc facto potiùs voluiſſe famam obſcurare, cùm iudicio humano inepta adhiberet inſtrumenta: Non verò ſuſtinuit Pater æternus filij iacêre famam : Tu dulciſſime gnate, quâ es Modeſtiâ, non de Philoſophorum ſchola, non de eloquentiæ gymnaſiis accerſis, qui meritis euehant laudibus : Non patiar idcircò conticeri præconia : vocem edent balbutientes tui, quam audiant vniuerſi Terrarum fines, quæ polum ſupergrediatur : Quaſi latêre cupiens, duplicaſti famam : extenuationis ſymbolum gloriæ attulit incrementa : Theodoretus in dictum Pſalmum : *Id verò tuam potentiam maximè demonſtrat, quoniam per homines, qui minimè humanam Sapientiam didicerunt, quique lactentium Puerorum innocentiam imitati fuerunt, perniciosiſſimum illum Tyrannum euertiſti :* Sic ille, de orbis Conuerſione per Diſcipulorum Chriſti prædicationem intelligens, qua Dæmonum aræ proſtratæ ſunt, & exaltatum Seruatoris nomen.

Theodoret.
*Non ex facundo Rhetorum aut Philoſophorum eloquio, ſed ex ore infantium & lactentium perficit laudē ſuam Dominus.*

Theodoret.

30.
*Puerorum acclamationes præ cæteris Chriſti miraculis in admirationem commemorantur.*

Explanant alij de Pueris, qui Dei filio cùm Hieroſolymam ouans ingrederetur, acclamarunt cum iubilatione: Verùm ex miraculis Chriſti cur non alia potiùs deprompſit? non diceret de Lazaro ſuſcitato, de conuerſis in falerna lymphis, de ægrotorum ſalute? Sanè hæc grandia : at Deus, qui excelſiſſimus eſt, quæ, niſi grandia operatur? amat & omnis magna Poteſtas quod grande & Pompaticum: imò Rectores mundi huius exceptis ſublimibus, reliqua oderunt; quod deſpectum ſit, intueri refugiunt: in hoc igitur ſuper Regibus ſingulariter admirandus Rex Regum & Dominus Dominantium, quod alta à longè contemplatur, humilia cominùs proſpicit, atque fouet pariter : imò ſermocinatio eius cum humilibus : Hanc igitur Dei naturam adamantis Humilia, cùm præter Magnatum omnem conſuetudinem ſit, maximè deprædicandam Pſalmodus iudicauit : Euthymius Zigabonus in dictum Pſalmum : *Laudationem Puerorum prædicit factam in Templo : ex omnibus autem miraculis huius tantùm meminit Propheta tanquam admiratione magis digni : Nam & ante Chriſtum leproſi ſanati fuerant, & Dæmones expulſi, & mortui ſuſcitati : infantes verò locutos eſſe tunc primùm legimus : neque enim ſimpliciter Pueri fuiſſe dicuntur; ſed infantes, & lactentes, quod maximâ admiratione dignum eſt :* Quamobrem Chriſtus genitorem ſeriò alloquutus Matth. cap. 11. verſ. 25. *Confiteor tibi* (ait) *Pater, Domine cœli, & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus; & reuelaſti ea Paruulis:* Franco Abbas de gratia Dei tom. 10. ſub initio: *Pro abiectione ſuperborum, atque electione humilium gratias agit dicens : Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ,* &c. Gratulatur ſe talem nactum Parentem, cuius gubernatio eſt in domanda iactantia, erigendis Humilibus : ô ſaltem vos, quorum Virgæ poteſtas nō eſt de ſeculi cura, intēdite pro quibus charo Patri Chriſtus congaudet : Nam & veſtræ Reipublicæ omnis bona ſalus in iiſdē ſita eſt, vt efferatis modeſtos, deprimatis ſublimem oculū.

Euthym.

Franco.

31.
Matth. 10.

Profecti in vineam, qui excolerent per varias diei horas: laborarunt; & ſub veſperam admonuit Paterfamilias denarium perſolui, ſed iuſſit incipiendum eſſe à nouiſſimis, Matth. c. 20. v. 8. Cur delatus honor iſtis, qui minoribus perfuncti ſudoribus? nam & dignitatis ſpecies prima ad mercedē vocatio: Verùm concipiamus, quoſnam deſignarint nouiſſimi, quos adumbrauerint primi: Philipp. Solitarius Dioptræ Rei Chriſtianæ lib. 1. c. 6. *Cùm igitur dicit : erunt Primi nouiſſimi, Murmuratores intellige: & Nouiſſimi primi : gratos & Beneficij memores accipe, qui fratribus non inuident, & gratiam agnoſcunt :* At, nonne ſunt in vinea Eccleſiæ alij, quorum virtus gratis & Beneficis præſtat? Quid ieiunio celebres? quid oratione & precibus? quid gloriâ Caſtitatis? Quamobrem igitur non ab his inceptatur? Equidem eorum, qui ſincerè Benefici, atque grati exiſtunt, talis natura eſt, nihil vt magnifaciant eorum, quæ Amicorum causâ adoriantur, omnia leuidenſia eſſe putant, nulliúſque ponderis : Qui autem ſua ita extenuant opera, ex diuerſo quantumcumque exigua illa ſint Dona, quæ admittunt, grandia arbitrantur, & quibus ſolummodò haud pares aliquando futuri : Quid verò hac animi Modeſtiâ ſubmiſſius? Quę Humilitatis certiores Notæ, quā ſua parui ducere, alicna quaſi maxima æſtimare?

Philipp. Solit.
*Primi ad Denarium recipiendum vocantur Nouiſſimi, quippe humiles, grati, ſubmiſſi, qui non murmurant.*

Quando



Quando igitur Nouiſſimi illi eorum portauerint typum, quorum eſt egregia Mentis ſubmiſſio, rectè quod primum in vocando locum occuparint: Humiles enim à bono Patrefamilias exaltantur: Sed quemadmodum his nihil demiſſius, ita nihil murmuratore ſuperbius: enituit clarè in populo Hebræorum cùm deſertum peragraret: cùm enim non tantùm neceſſitatibus ſuccurreret Omnipotens, ſed delicians adblandiretur, flocci pendebant vniuerſa, præ turgidæ mentis faſtu : atque ea eſt oblatrantium conditio generatim : ob plurimam enim quam de ſe habent falſam exiſtimationem, cuncta ſuis inferiora meritis putant obſequia : bene propterea infimas detruduntur in ſedes : quare primos fieri nouiſſimos, atque è diuerſo; idem eſt atque deprimi ſuperbos, exaltari humiles.

*Murmuratore nil ſuperbius.*

32.

Sequebantur Ieſum denſa populorum agmina, & comprimebatur à nimia multitudine : acceſſit cum turbâ innumerâ mulier, quæ fluxum ſanguinis patiebatur, & optabat ſacratas tangere veſtes : deſiderio potita eſt : Verùm ſtatim vt tangi amictus ſenſerat, exclamauit Saluator : *Quis tetigit veſtimenta mea?* Marc. cap. 5. verſ. 30. bellè replicarunt Diſcipuli : *Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit?* Nam quis ſtupor eſt, tot confluentibus tangi? imò prodigij inſtar quodammodò ſi à nemine tangeretur : Sed concedamus, inueſtigatione opus fuiſſe, vt ex latebris prodiret, qui tangebat, nonne ipſe ſcrutator cordium, & renum, & cui nihil inuiſibile, aut abſconditum? quid igitur alienâ indigeat notitiâ? aut quorſum exploret de ſcitis? Sanè Chriſto ſatis perſpectum, quod fiebat : Sed internoſci à multitudine volebat gratiam ſanitatis, & publico excipi applauſu : *Norat enim quænam illum tetigerat,* (ait Victor Antiochenus in nominatum Marci caput) *nihilominus vt ipſa in medium progreſſa, eiuſdem fides atque virtus à Deo, quia opus illud factum fuerat, omnibus pateſiat, de occulto tactu quæſtionem mouet :* Verùm nónne oportebat magis celari miraculum? Nam & aliàs Redemptor ſtudiosè velabat, quæ naturam tranſcendebant opera, imperabátque beneficium recipientibus, ne vulgarent : Equidem fortaſſe & modò ageret pro more illo ſuo, ni fœminæ debitus compelleret honos : erat enim inſigni quadam Animi demiſſione mulier prædita, quare ob modeſtiam, Chriſti vultibus ſe offerre non eſt auſa; ſed poſt tergum acceſſit, ſiue quod tantæ maieſtatis proſpectibus indignam ſe arbitraretur : Seu quod vitaret auram popularem : Cùm ergo Ieſus occultantem ſe intueretur verecundæ indolis famam, latêre non ſuſtinuit : publicauit itaque ob idipſum quod tam ſeriò cognoſci recuſaret : Chryſologus ſermone 36. *De Perſona dubitat, qui certus eſt de ſalute collata? Verùm, non ignorantis errore, ſed maieſtate Dominus hic ſcientis, & præſcientis interrogat : Non, vt diſcuſſor neſcius, ſed vt præſcius inquiſitor producit in medium, ſuiſque facit adſtare conſpectibus, vt quæ ſibi portarat ſalutem, omnibus reportaret : nec rediret, vt putabat, incognita, quæ plenam ſibi dederat notionem.* Speciosè Petrus : *nec rediret, vt putabat, incognita :* Sic optabat, quia humilis; ſic machinabatur retrò accedens; ſed vel ideò Chriſtus publicauit & oſtenderat.

Marc. 5. 30.
*Humilem Hæmorrhoïſſam, quæ latenter Chriſtum tetigerat, in publicum honorādam educit Chriſtus; dum omniſcitus interrogat, Quis eum tetigerit?*

Victor Antiochen.

Chryſolog.

33.
Baſil. Seleuc.

De Hominis molitione eleganter pertractans Baſilius Seleucienſis oratione 2. inquit : *Natura conſeruum gratiæ beneficio Dominum creat, mare ſubijcit, Continenti ſeruitutem imponit, aërem Donis adſcribit, eorum denique Homo ſit Poſſeſſor, quorum non erat conditor : extremus ille quidem fabricatione, verùm dignitate primus emicuit :* At ſi dignitate princeps, & Creaturarum nobiliſſimum ſydus, quamobrem vltimo productus loco? Cur non ab illo rerum exordia; & Hexameri initio præeminet? Voluit à principio docere, quâ ſemitâ ad gloriæ faſtigium pergere Homines debeant, ſcilicet ab imo, ab Humilibus: proinde, quem cæteris anteferebat, ex infima molitionis claſſe, ex opificij nouiſſimis erexit : inſuper & monêre cupiens, alias eſſe humanarum Mentium opiniones, alias diuini & ſacratioris intellectus : Mortales ſi quem intuentur ſplendeſcere Magiſtratu, opibus, in capite eſſe Reipublicæ, & anteire multitudini vniuerſæ, hunc vnicè Beatum arbitrantur, hunc dicunt apertè nobiliorem cæteris : Non ita coram Deo : qui vltimos retinent accubitus, & inhonora videntur eſſe vulgi portio, hi verâ Nobilitate pollent : Tales in Cœnobiorum angulis virorum clariſſimi, & quibus ob meritorum culmen dignus non ſit Mundus : in latebris tamen depreſſi reſident, & poſtrema occupant loca : Ne igitur horum infelix & deſpicienda videatur eſſe conditio, prodeat è Dei fabricatoris manibus Creaturarum Imperator futurus Homo, & qui in elementa dominetur, quem & Deo ipſi ſimilem nuncupare fas ſit : Sed hic tantus, talíſque vltimâ formetur die, ſícque contingat, nouiſſimum primum euadere, nec metus ſit poſtremo ſubſediſſe loco, è quo volatus ad ſummum, gloriæ incomparandæ apicem.

*Qui cæteris huius inferioris mundi, Creaturis præficiendus erat Homo, poſt eas omnes vltimus tandem creatur.*



*Bonus Euangelij Miniſter non de Peccatorum ſugat moribus, ſed illos ſuâ imbuat probitate.*

## Sectio II.

34.
*Nardi odorē abſumit Spōſus, eique ſuū inſpirat.*

ORigenes Tractatu quatuor Homiliarum, ſecundo Diſcurſu, in quibuſdam legi exemplaribus (quod & ſuperiùs aduertimus) memorat: *Nardus mea dedit odorem eius,* hoc eſt, quemadmodum ille exponit : *Nardus mea, qua vnxi Sponſum, regreſſa ad me, odorem mihi detulit Sponſi; & velut ſuperato naturali ſuo odore fragrantiâ Sponſi, ipſius mihi detulit ſuauitatem :* Quamobrem non quidem odoribus Sponſæ, quos ab illa hauſerit Dilectus, referatur ille delibutus, ſed magis Sponſi traxiſſe fragrantiam Virgo cenſeatur : ex quibus Prædicatores Euangelici, & Animarum Miniſtri, quod ſedulò contemplentur, habent: Conſiderare enim etiam, atque etiam debent, ne qui vt alios in viam ſalutis reducant, miſſi ſunt, voluptatum lenociniis capiantur: cùm enim ad vitia, & ſenſualitatem humana prona ſit conditio, metus eſt ne quando ſubrepat aut diuitiarum amor, vel honorum cupido, aut vitæ inertioris, luxûque diffluētis grata quies: tum quidē miſerādâ Transformatione mutaretur in peccatorem Concionator verbi admirabilis. Heu ſcandala! ergo vigilet diligenter ſyncerus in Eccleſia Dei famulus, & abraſâ peccati nefandâ imagine, quam in ſe portat Chriſti altiſſimam effigiem ſigillet Auditorum Cordibus : deglutiat & conuertat in ſe peccatorem, vt cibus fiat Seruatori, & retribuat ſeruo bono & fideli. Creauit Deus in principio cœlum, & terram, & velauit caligine aliquandiu.

*Geneſ.* 1. 1. *Lucem* (.j. *Doctorem Euangelicū*) *non debere verti in tenebras, ſed tenebras in lucem mutandas innuit in Lucis poſt tenebras creatione Deus.*

*Nam tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Geneſ.cap. 1. verſ. 1. ceſsêre mox in lucem vmbræ, dixit enim: *Fiat lux, & facta eſt:* Cur non auſpicatus à luce nobiliſſimum opus? Sanè Deus candor eſt lucis æternæ, lux ſeptemplex occaſus neſcia: voluit igitur inſinuare, quid Apoſtolici viri, qui lux Mundi appellantur, facere debeant: nimirum conari oportêre illos, non vt lux quidem in tenebras vertatur, Animarum ſcilicet Doctor, in peccatorem nocte & caligine adumbratum: Sed potiùs vt de tenebris lumen ſubſiliat, noxius in boni tranſeat exemplar: idcircò Deus in principio vmbras dominari aliquantùm voluit, vt cùm ſibi mox quodammodò aſſimilaſſet, iubens *de tenebris lucem ſplendeſcere*, vt loquitur Apoſtolus 2. Corinth. cap. 4. verſ. 6. intelligerent Miniſtri illius, quibus credidit Animarum Conuerſionem, vt ſibi virtute & iuſtitiâ pares facerent aberrantes populos: His fautor Drogo Hoſtienſis ſub finem Tractatus de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Dicis enim in Euangelio, quia Pater meus vſque modò operatur, & ego operor: Quid niſi nouum cœlum & nouam Terram? De abyſſis enim terram formas, & de terra cœlos: Peccator abyſſus eſt: Sed cùm de tenebris facis lumen ſplendeſcere, vt abijciant opera tenebrarum, & induantur arma lucis: nouam terram, & nouum cœlum creaſſe cognoſceris.*

2. Corinth. 4. 6.

Drogo.

35. Pſal. 132. 2.

*Bonus Aaronici Capitis Odor in extremam veſtimenti orā deſcendat, nō autem eiuſdē fimbriæ terrā radentis fœtor in caput aſcendat.*

Mira vnguenti ſtillicidia apud Pſalmodum: *Sicut vnguentum* (ait Pſalm. 132. verſ. 2.) *quod deſcendit in barbam, Barbam Aaron: Quod deſcendit in oram veſtimenti eius:* capio modò oram non pro indumenti capitio iuxta communem ſententiam, ſed pro extremis amictus cum Genebrardo: ac quidem apud alios veſtium fimbriæ vel terram olent, vel ſi quid de terra graueolens attraxerunt: in huius Sacerdotis pulcherrimo veſtitu, qualia initia, tales & fines, vtrobique ſuauitas: Sanè indumenti terminis, quibus gleba verritur, terrenos homines vitiis immerſos intelligere valeamus, Homines peccatores, qui ſunt morbida Eccleſiæ membra, atque infimo loco poſita: Hos igitur Sacerdos Domini Aarone denotatus, ſic tractare debeat, vt non ab eis fœtor aſcendat, quo barbæ & capitis decor marceſcat, non ab illis contagio infauſti odoris excelſiora vitientur; Sed ipſi capitis fragrantiam æmulentur: Potho Presbyter libro 3. de ſtatu domus Dei circa initium: *Superna quippè Benedictionis vnguentum, quod ab ipſo capite in barbam copioſiùs profluxit, inferiora quoque petens, in oram veſtimenti deſcendit: Deſcendit ergo vſque ad nos hæc vnctio gratiæ ſalutaris, qui licet vltima Eccleſiæ membra ſimus, vno tamen Spiritu, & vnâ fide cum barba capitis, hoc eſt, cum Apoſtolis: imò cum ipſo capite Chriſto, vnum ſumus:* Fortaſſe aptiùs ad rem noſtram, & quidem ſecundum præfata numero antecedenti de luce iuſtorum, caligine errantium Recentior Arnobius in memoratum Pſalmum: Nam ab oleo lucem emitti aduertit, accenditur enim, & tenebras defugat: quinam verò Tenebrarum ſignificentur appellatione niſi peccatores, quos orâ veſtimenti repræſentatos aſſeruimus? Hoc igitur oleum, quod erat in capite & barba, viris fortibus & Apoſtolicis, vt Bruno Carthuſienſis exponit, (nam Barba virilitatis nota,) cùm ad peccatores deſcendiſſet, illuminauit vmbroſos, & facti ſunt ipſi lucidi velut Magiſtri eorum, nam oleum capitis & Barbæ in fimbriis quoque: *Ibi inuenimus paratam lucernam* (inquit Arnobius) *plenam oleo lætitiæ, vincentium obſcuritatem mundi; vt qui erant tenebris vrgentibus diſiuncti: & per ædificationem ſuperbæ Turris à ſe inuicem ſeparati: nunc omnes conueniant in vnum: vt illud malum conſilium Dei conſilio probaretur eſſe correctum.*

Potho.

Arnob.

BrunoCarth.

Arnob.

36. Qualis Eccleſia gentium olim cùm thura adoleret Satanæ miniſtrans? Qualem depinxit Ezechielis vaticinatio? *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa* (cap. 1. verſ. 3.) *Et quando nata es, in die ortus tui, non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aquâ non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis.* Nam quanquam primariò Vates de Hebræorum gente loquatur, ſed quoniam præcipuus inuectiuæ ſcopus eſt propter Idololatriam, Ethniciſmo quadrant: Hæc igitur, quæ tam fœda aliquando, tam deſpecta, & miſerabilis, quantam in gloriam tranſiit? *Adſtitit Regina à dextris tuis* (cantat Dauid Pſalm. 44. verſ. 10.) *in veſtitu deaurato, circumdata varietate:* Hoc autem noſtro Epithalamio, quoties denominatur formoſa? denique & grandi encomio cap. 4. verſ. 7. *Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te:* qualem & Paulus delineauit, Epheſior. c. 5. v. 27. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi:* Sed quomodo facta ſpecioſa deformis, locuples egena? Deſpondit eam Pater æternus Chriſto filio ſuo Dilectiſſimo: Quid igitur fieret? nempè Chriſtus aſſimilaretur Eccleſiæ, & maculam & rugas admitteret? apage. Egit tamen, quod Miniſtros illius fideles agere oporteat, vt fœdam & contemptam ſibi quàm proximam redderet: itaque nec ſatis quidem fuit mediocriter probam, ſanctámque reddere, niſi talem exhiberet, Paulo aſſeuerante, in qua non eſſet neque ruga, neque macula: Huc, huc quicumque animarum zelo beatè efferueſcitis: eſtote vos imprimis omni virtute pollentes, ſegregati à peccatoribus: & cùm tales per Dei gratiam fueritis: enitimini pares vobis reſtituere quos docetis: nec vos illi capiant, ſed capiantur à vobis. Concinnè Auguſtinus de hac Sponſæ tranſmutatione principio Enarrationis in Pſalmum 44. *Gaudeat Sponſa amata à Deo: quando amata? dum adhuc fœda: omnes enim peccauerunt, ait Apoſtolus, & egent gloriâ Dei. Et iterum: Etenim Chriſtus pro impijs mortuus eſt: amata eſt fœda, ne remaneret fœda: Non enim verè fœda amata eſt, quia non fœditas amata eſt: Nam ſi hoc amaret, hoc ſeruaret: euertit fœditatem, ſeruauit pulchritudinem:* Non grauabor Auguſtini verbis ſubtexere dictionem Philippi Solitarij Dioptræ Rei Chriſtianæ lib. 3. cap. 3. *Cùm veniſſet igitur in eius diuerſorium, inueniſſétque rugis obſitam, ſqualidam, nudam, ſanguine inquinatam; Lauit, vnxit, veſtimento induit, cui ſimile non eſt reperire, factus ipſemet ei veſtimentum, & ſic eam ſibi copulatam in cœlum ſubuexit, & in ſupernis collocauit, ſuprà principatus, virtutes, poteſtates: Vidiſti honoris magnitudinem! Vidiſti dignitatis maieſtatem! quæ pedibus ferebatur, quæ per terram trahebatur, eam in tantam altitudinem ſuſtulit, vt ei Angeli quoque aſſiſtant: illa captiua, illa abalienata, illa meretrix, illa impura; vidiſti in quantam altitudinem aſcendit!* Hæc igitur erit magna gloria operariorum fidelium, qui in vinea Dei Sabaoth laborant, ſi quos ceperint erudiendos, corrigendóſque peccatores ex teterrimis atque abominandis ad tantæ perfectionis apicem cum Dei gratia ſubuehant, quantam non dicam ipſi, qui ſunt eorum Magiſtri Homines ſtupeſcant, ſed Angeli etiam demirentur.

Ezechiel. 1. 31.

Pſal. 44. 10.

Cant. 4. 7.

Epheſ. 5. 27. *Quam ſibi prius fœdam copulauit Eccleſiam Chriſtus, hāc ſanctam & glorioſam reddidit, nec in aliquo ab illa ſordidatus eſt.*

Auguſtin.

Philipp. Solit.





37. Agebat cum Diſcipulis familiariter Chriſtus de morte quam paſſurus erat: Petro videbatur Magiſtri indignum auctoritate ſupplicium Crucis: *Et aſſumens eum* (inquit Matthæus cap. 16. verſ. 22.) *cœpit increpare illum, dicens: abſit à te Domine: non erit tibi hoc:* excepit toruus blandimenta Simonis, ad cúmque conuerſus: *Vade poſt me Satana*, (ait) *ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea, quæ hominum:* Vt quid tantæ iræ aduersùs Petrum? audiamus comparantem Iudæ Baſilium Seleucienſem orat. 31. in illud, *Ecce aſcendimus Hieroſolymam*, &c. *Verùm, quæ hæc eſt aſperitas Verborum, Domine? Quæ hæc formidanda in Petrum increpatio? modò audiuit: Beatus es Simon Bariona, & nunc Satanam vocas Apoſtolum? En Iudas venditionem molitur, cædem facit, Te contra cum Iudæis compoſitione tranſigit: non tamen increpatur? Vidiſti, ô Domine, cum militibus, & armis, & fuſtibus inuadentem, nec dixiſti: Vade poſt me Satana.* Equidem Iudas, licet quod operabatur, id ſceleſtiſſimum, fœdiſſimúmque eſſet, non tamen à ligni infamia diuertebat, imò ſignifer prauorum: Petrus autem à moriendo retrahebat: quid inde? Sanè Homines imperfectæ virtutis, carníſque tenerâ quadam dulcedine irretiti, Crucem & genus omne Mortificationis auerſantur, tum quòd inhonora, tum quod pœnalis: igitur ſi Chriſtus Diſcipuli hortatu Patibuli ſe Conuitio ſubduceret, videbatur tranſiturus in eorum numerum, qui imperfecti, & quos erudiebat ad grandia: Quoniam itaque indecens ei apparebat, vt Præceptor ad Diſcipulorum imperfectos mores quaqua via tranſiiſſe cogitaretur, Petrum ad id quaſi ſpecie quadam tentantem, vehementi increpatione perculit, qui tamen Iudam Amici vocabulo ſalutauit. Teſtatus eſt atque Euangeliſta de Petro, cùm in Thaboris faſtigio glorioſum adſpectaſſet Seruatorem, cùm fieri tria deſideraſſet Tabernacula, Chriſto, Moyſi, atque Heliæ, neſciſſe quid diceret, Luc. cap. 9. verſ. 33. in quibus verò ignorantia? Sanè volebat parem famulis Dominum facere: Non ita, Petre, ſed traduc ſeruos, vt Præceptorem referant, non ad Diſcipulorum conditionem Magiſter deſcendat: citatus Baſilius Seleucienſis orat. 43. de Transfiguratione Domini: *Suam ipſe ſocordiam arguit cùm Dominum ſeruis annumerat: Subiectos pari honore cum Domino putauit eſſe: Sed non permanſit in ignoratione Petrus: nam supernè tonitruum perrumpens non ſine terrore medetur ignorantiæ, tantùm non hoc ſtrepitu ſuo clamans: quid Dominum in ſeruorum ordinem redigitis?* Quamobrem eidem Petro, quando ſignificatum fuerat Actorum cap. 10. reſerari oſtium Gentilitati, & conuertendas eſſe nationes, oſtenſum eſt linteum, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia, imperatúmque illi à voce alloquentis v. 13. *Surge Petre, occide, & manduca:* Quare mandere & in ſtomachū traiicere iuſſus? Scilicet Beſtiarum monſtruoſis imaginibus peccatorum enormes repræſentabantur figuræ: Quidnam igitur comedentibus accidit? Sanè qui piſcem, exempli causâ, deglutit, non ille in piſcem transformatur, ſed magis in deuorantis ſubſtantiam Piſcis conuertitur, fitque caro exutâ aquatili naturâ: eum igitur in modum debere contingere Petro, cæteríſque Animarum ſpiritalibus formatoribus ſubindicatur; vt non ad quadrupedium naturam & mores, quales nimirum ſunt peccatores, illi tranſeant, non fiant ſerpentes, non vrſi, non vultures, ſed vt ad ſuas virtutes, ad omnem probitatis honeſtatem peccatores reducant: ô dulces epulas! O ſanctum Conuiuium! Beati, qui non a ſerpentibus deuorantur, ſed ipſi deglutiunt ſerpentes.

Matth. 16. 22.

Baſil. Seleuc.

*Petrum à Crucis ſupplicio diſſuadentem ſeuerè corripit Chriſtus, qui Iudam, dum Paſſionē promouet, amicè compellat.*

*Neſcit Petrus quid dicat dū Dominum in ſeruorum ordinem redigi optat.*

Baſil. Seleuc.

*Eidem Petro vt beſtias vel immundas comedat præcipitur, quas nempe in ſuā ſubſtantiam conuertat, nō ipſe in eas mutetur.*

Moyſes quaſi pollicitus ex ſe, atque fratre exortam referre prolem, Num. c. 3. v. 1. effatur: *Hæ ſunt generationes Aaron, & Moyſi:* Deinde ſuis omiſſis filiis, germani ſobolem recenſet: qua de cauſa? Abulenſis dictum in cap. q. 3. *Reſpondent aliqui, quòd factum eſt hoc, quia generationes Aaron vocantur generationes Moyſi: dicit enim Rabbi Salomon, quod Moyſes docuit Aaron & filios eius legem: & ob hoc reputatur Pater eorum: quia ita debebant habêre eū in reuerentia, tanquàm ſi eſſet Pater:* Atqui hoc eſt Moyſem fuiſſe Doctorem, Magiſtrum, Pædagogū filiorum Aaron: cur genitor propterea nominandus, atque illi filij dicendi? Generatio cùm à Phyſicis definitur, perhibetur eſſe origo viuentis à viuente tanquam à principio coniuncto, in ſimilitudinem naturæ: itaque deſideratur vt eius qui gignit, imago reſplendeat in genito, Patríſque conatus eſt, in ſobolem lineamenta, quoad fieri valeat, transferre: Hoc Temporanea generatio: æmulatur & ſpiritalis productio, quæ abſque his, nomine vix digna aliquo modo: transferat igitur Magiſter (quem debêre eſſe probum ſupponimus, nam cum his ſermo noſter,) ideam perfectæ Mētis in rudes Diſcipulorum animos: ab illis in Præceptorem nihil redeat, nam incompti ſunt adhuc, & perpoliri exigunt: totum Doctoris exemplar illi bibant; ſic gnati futuri, ſic Parens qui erudiat: Quoniam igitur ſecundum hanc normam inſtructa Aaronis ſoboles à Moyſe: Quos ſibi diſciplinâ ſimiles fecerat, eorum Pater dictus eſt, atque ita recenſitis Aaronis filiis, allegoricè & Moyſis numerati quoque fuiſſe gnati intelligantur. 38.

Numer. 3. 1.

Toſtat. *Dicitur Moyſes Pater filiorum Aarō, quòd eos docuiſſet.*

*Præceptor quaſi Pater exprimat in filijs imaginē ſuam, nec eorum in ſe ruditatem trāsferat.*

Non tantùm celſiori Mente donatus Homo, ſed corporis etiam figmento, prælatus aliis Creaturis: Baſilius Seleuciæ orat. 1. ad illud: *In principio creauit*, &c. *Quamobrem, quem imaginis dignitate cohoneſtauit, pari quoque formationis paraturâ cohoneſtauit: cætera námque animantia aut toto corpore terrā verrunt Naturæ lege non progrediendi, ſed reptādi vim ſortita, aut ad terram inclinantia, quod nullum in cœlo ius habeant, ipſa figura conteſtantur: At ſolus Homo oſtentat fictionis ſuæ modo nobilitatem, dum rectus in cœlum adſurgit: pedibus quidem ille terram tangit, dum tantiſper in ea verſatur: Verùm ore ad cœli fornices ſuſtollitur, & extentis manibus cœleſtem Patriam animo repræſentat, Paulíque vocem clarè ante Pauli tempora effert: Noſtra Conuerſatio in cœlis eſt:* Quamobrē totus in ſuperna directus Homo etiā ipſo Corporis geſtu? ordinabatur Princeps & Rector futurus aliarum creaturarū: at in illis bruti mores: Omnis voluptas in abdomine, in rapinis, in luxuriis: Turpe, ſi Gubernator ad viles ſubditorū trahatur illecebras: equidē ſi quam ad rationis imitationem cicurando aut Canē, aut Pſittacum, Equúmve, vel Elephantē Homo pellicere valeat, laudabile quidem id, nam Herum famulantia imitabuntur: cæterùm, ne carnalia amando in Brutum transformetur, oris ipſa poſitio ſolicitè admonet; proindè quem ſeruorum abiectis moribus commiſceri dedecebat, ſtaturâ, & inceſſu diuiſus eſt ab eis: Antiſtitem non ſurgere in nobiliora, pudor eſt, quem alloquutus Bernardus epiſtola 42. ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem ſubditi nomine: *Si inſtar mei, qui ouis ſum, Paſtor meus & ipſe incuruus graditur, vultum gerens deorſum, & terram ſemper reſpiciens, & ſoli ventri mente ieiunus pabula quæritans: in quo diſcernimur?* 39.

Baſil. Seleuc. *Os homini ſublime dedit Deus, quò in cœlum ſemper aſſurgat, nec pronus in terram, velut brutum, à ſuo ſtatu deſciſcat.*

Bernard.

*decétne Paſtorem more pecorum ſenſibus incubare corporeis, hærêre infirmis, inhiare terrenis, & non potius erectum ſtare vt hominem, cœlum mente ſuſpicere, quæ ſurſum ſunt & quærere, & ſapere, non quæ ſuper terram.*

---

### *Homini conlaborandum eſſe: neque expectandum vt Deus totum agat, eo feriante.*

## Sectio III.

40. *Etiam Sponſa ſua induſtriæ aliquid, vnguenta nempe, ad pompã nuptialem confert.*

POllicebantur & Sponſus, & Amici eius nuptiali pompæ permagnifica dona: Subpudebat Virginem, nihil ab ipſa conferri; Quare, quod muliebris ſit induſtriæ, ſaltem vnguénta ſuppeditaturam Epularum in gratiam: monemur hoc facto, non eſſe cogitandum à Deo omnia perfici oportere: Subminiſtrat nobis beneficus Pater auxilium & concurſum, vult adlaboremus ſimul otio perfugato: Quantæ felicitatis ſponſio apud Apoſtolum ad Romanos cap. 8. verſ. 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti:* O iuſtorum! ô quorum in libro vitæ ſcripta ſunt nomina, pleniſſima lucra: Siue Mors, ſiue vita, ſeu altitudo, ſeu profundum; ſeu fortuna arridens, ſeu triſtior: Omnia emolumento ſunt: Numquid ob tanti Verbi arrhabonem dormiant, otientur? cur enim fatigari neceſſum ſit, quando vniuerſa commodum paritura ſint? ita quidem, ſi tamen Deo, eiúſque gratiæ cooperari illi non deſinant, non enim ſocordiâ Olympus acquiritur: Qui igitur ſalutem promiſit, conamen indicauit pariter: *Cooperantur* (ait) *in bonum:* Vide, quemadmodum ſcitè exponat Bernardus ſermone, *De nimia quadam fallacia præſentis vitæ*, &c. *Et hæc quidem ita ſe habent; Sed tamen non mentitur Apoſtolus etiam alio loco manifeſtiùs aſſeuerans, ſcire ſe, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti: Verumtamen ſolerter attende, quod non ad libitum famulari, ſed cooperari dicit ad bonum: Neque enim ad voluntatem ſeruiunt, ſed ad vtilitatem: non ad voluptatem, ſed ad ſalutem: non ad votum, ſed ad commodum noſtrum:* itaque cooperatione, noſtríque ſtudij iuuamine opus eſt.

Rom. 8. 28.

Bernard.

41. Adoniâ, eiúſque tumultuantibus Amicis, cùm fato proximus eſſet Dauid, quod regnum affectaret, & Salomoni præripere tentaſſet, Bethſabæam, quæ pro filio Regem deprecaretur, excitauit Nathan Propheta, inquiens: *Num audiſti, quod regnauerit Adonias filius Haggith, & Dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe conſilium à me, & ſalua animam tuam, filiíque tui Salomonis: Vade & ingredere ad Regem Dauid*, &c. Reg. 3. cap. 1. verſ. 11. At nonne hic eſt idem & Vates, qui miſſus à Domino, prædixit poſt eius mortem capeſſurum imperij habenas Salomonem? *Cúmque completi fuerint* (aiebat prophetans Reg. 2. cap. 7. verſ. 12.) *dies tui, & dormieris cum Patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius:* Quorſum igitur modò vereatur? quid timet Adoniam & factioſos? Quis aduersùs Dei conſilia potens? Nouerat ſanè Propheta, Deum ſtatuiſſe, vt ſolium Regni poſt Dauidis obitum Salomon occuparet: at nouerat diuinæ gubernationis ſuaue robur Humanæ diligentiæ conatum non ſpernere: conferre vult coronam honoris, verùm ſine miraculis, ſi quando aliter per vſitata media Prouidentiæ attingi ſcopus queat; ergo obteſtetur Bethſabæa, ingemiſcat ſupplicans, Regem adeat turbata & dolens pro filio: Deus Verbum oris ſui adimplebit, nec vnum Iota præteribit, ſed non vult interim ſegnem eſſe Regnaturi genitricem, dignus labore eſt principatus: Toſtatus quæſtione 29. in cap. 1. lib. 3. Regum: *Dicendum* (ait) *quod Nathan non timebat Salomonem periturum, nec priuandum Regno: incitauit tamen Bethſabee ad procurandum pro eo: Quia licet Deus aliquid definiat firmiter euenturum; vult illud interdum per Homines procurari laboribus, & orationibus:* O tu filia delicata, ſoror voluptatis, cui manus languidæ, & genua debilia: num tibi Dominatus aut ſpes, aut cupido: vſquequò diſſoluêris luxu & indulgentia? Non excitabere vt coadiuues, & vincas & poteſtatem habeas? ô Mortalium inertiam! ô lentas curas de æternitate!

3. Reg. 1. 11.

2. Reg. 7. 12. *Quamuis Salomonem Dauide mortuo regnaturum ſtatuiſſet Deus; tamen ad hoc humanam diligentiam excitat Nathan ipſe Propheta.*

Toſtat.

42. Formauerat Deus Animantia Terræ, cœlíque volatilia, necdum tamen vocibus diſcreuit: commiſit Protoplaſti Prouinciam hanc: *Appellauítque Adam nominibus ſuis cuncta Animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes Beſtias Terræ:* Geneſ. cap. 2. verſ. 20. Cur non Angelis creditum munus? cur non fabricator ipſe quæ condidit Animantia, nomenclaturis diſtinxit? Num, vt pateret, quâ ſcientiæ gratiâ donatus fuiſſet recens Homo? Sanè Deus cùm eſſet vniuerſorum Dominus, & Adamum elementorum præeſſe fœtibus voluit: *Faciamus* (inquit Geneſ. cap. 1. verſ. 26.) *Hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit Piſcibus maris, & volatilibus cœli, & Beſtijs, vniuerſæque terræ:* Ergóne Principatus abſque onere vllo, abſque impendiis? non ſic quidem, ne tum in felicitatis ſtatu: adlaboret quidpiam ob Creaturam, quam gubernaturus: Quod ſi producere non valeat, ſi naturam concedere eius non ſit facultatis, quod poteſt, agat; nominibus honoret: Sic contuliſſe ad dominatum aliquid videbitur, ſic non ſegnem omnino fuiſſe probabitur, ſic quod virium & induſtriæ fuerat, exhibuiſſe apparebit: Baſilius Seleucienſis oratione 2. in Adamum, Deo introducto qui loquitur: *Eſto Adam nominum Artifex, quando Rerum eſſe non potes: formentur à me, nominentur à te quæ procreata: partiamur fictricis huiuſce ſolertiæ gloriam: Me cognoſcant Artificem naturæ lege: Te Dominum intelligant Appellationis nomine: inde nomen, quibus Ego eſſentiam:* conſiderandæ illæ voces: *eſto Nominum Artifex, quando Rerum eſſe non potes:* Hoc eſt, ſi & Tu Animantia formare potuiſſes, hoc & tibi oneris impoſuiſſem, neque enim ſubuenire mihi conſuetudo eſt, niſi cùm Hominum ſuperant vires quæ agenda ſunt; tunc libens adſum & occurro deſtitutis robore: cæterùm, quando me auxiliante Homines de ſuo conari valeant, voluptas eſt vt faciant, deſidiâque torpentes, iuſtè deſero: Habent & emphaſim illa: *Partiamur fictricis huiuſce ſolertiæ gloriam:* Benigniſſimus enim Creator, quamuis vniuerſa per ſemet exequi valeret, vult tamen nos ſocios habêre, vt habeamus vnde ex ipſo gloriemur: ô deiectos animos, quos ne ſaltem piæ Ambitionis titillat ſplendor! pulcherrimè de Gentium Doctoris Pauli verbis Ennodius Ticinenſis lib. 2. epiſtola 19. ad Conſtantium: *Illud autem B. Apoſtoli, quo ſe muniri credit, exemplum, nobiſcum facit, ſi quæ ſequuntur, aduertit: Cùm inimicus arrogantiæ dixit: gratiâ Dei ſum, quod ſum: Mox enim, ne ſic fugax gloriæ crederetur, vt longo interuallo à veritate deſciſceret, ſapiens Architectus adiunxit: abundantiùs omnibus laboraui, & gratia Dei in me egena non fuit: quod dixiſſe eſt: Chriſtus in me, quem dignè, aut abundanter muneratur, inuenit:* dixit venuſtè: noluiſſe Apoſtolum gloriæ omninò fugacem credi: Nam licet abſque Dei gratiâ, nihil poſſit humana voluntas, quod ad vitam æternam conducat: Tamen hæc ipſá gratia noſtram cooperationem deſiderat, nam intrinſecè efficax non eſt, ſed quatenus noſtram infallibiliter denotat conſenſum; atque ideò Paulus ibidem verſ. 10. *Non ego, ſed gratia Dei mecum:* Quare ex nobis macreſcere quodammodò gratiam Dei ſubiunxit Ennodius: *Non enim pauper eſt diuina gratia* (inquit) *ſed meritorum noſtrorum putatur quadam macie, aut exilitate tenuari:* Igitur Deo ſimpliciter adſcribamus gloriam, qui potuit auxilium congruum non infundere, ſed quia ſaluos fieri nos abſque nobis non vult, gaudeamus & nos cooperando gloriæ quoque partem ſortiri poſſe, enitamúrque ſagaci induſtria tantam emeruiſſe laudem.

Geneſ. 2. 20. *Dominaturo cæteris animantibus Adamo, vt aliquid de ſuo afferat, imponendorũ nominum curam demandat Deus.*

Geneſ. 1. 26.

Baſil. Seleuc.

Ennod. Ticin.

*Cum abundantiori Dei gratia, abundantiùs omnibus laborat D. Paulus.*

Ennod. *Negligentia noſtra velut macilentam reddit diuinã gratiam.*

43. Exciti ſtellæ fulgoribus Magi, vt Chriſtum longâ peregrinatione quærerent, ex Chaldæa in Bethleem delati: admoniti & Angelorum Paſtores melodis vocibus, ſpecum introgreſſi ſunt, Regis æterni incunabulum: Quamobrem non & venerandus ille ſenex, qui *reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.* Luc. cap. 2. verſ. 26. non impulſus diuino imperio, ſtabulum vt etiam peteret, & fœno iacentem intueretur? Equidem Perſarum illi Dynaſtæ, quanquam Saluatoris Præſepe diſtaret, cùm eſſent potentes, potuerunt exiguo diſpendio ſubuectari Camelorum dorſo in Bethleem: Paſtores etiam cùm viribus præſtarent, & quod in vicinia eſſent, Cauernâ intromitti poterant: cæterùm antiquus Simeon ætate magnâ feſſus, niſi ſubleuaretur natura, ægrè ferri extra Hieroſolymam poſſit: igitur Deus quidem opitulatur validè Hominibus; Quos & excuſatos (ſic arbitremur) habeat, cùm quæ gerenda ſunt, vt fiant, arduum ſit: Quæ verò in promptu ſunt, vt agantur, quæ ſi relinquantur, ob ſocordiam derelinqui contingat, perpetrari ab eis, exoptat: Vult enim Homines, quod in ſe eſt facere, neque enim lentis & ſegnibus propitium eſt Numen: Has igitur ob cauſas Religioſiſſimo ſeni quaſi occurſurus, non mouet, non ſtimulat, quoad in Templum purificanda Mater vadat: excitat autem vt quæſitum veniant, & Magos & Paſtores, quoniam abſque multo labore facere poterant: & conſentaneum ſit ab Homine fieri, quod eius ſit in poteſtate agere: Galfridus in Tilmanni Catena, in illud cap. 2. Lucæ: *Nunc dimittis ſeruum tuum*, &c. *Venerant priùs Paſtores ad Dominum, venerant & ſyderum Contemplatores: Simeon forſitan venire non poterat: ipſe ad eum venire dignatus eſt, & præuenire eum in benedictione dulcedinis.*

Luc. 2. 26. *Et Magos & Paſtores ad ſe cum labore euocat Chriſtus, quia illi quidem opibus, hi robore pollebant; Simeoni verò ſeni & viribus fracto vltrò occurrit.*

Galfrid.

44. Verùm ſi Domino tantus Amor in laborantes, quamobrem ad vineę culturam introgredi paſſus eſt Homines otio marceſcentes ab aurora in veſperam penè: cùm enim circa horam vndecimam exiſſet, *inuenit alios ſtantes & dicit illis: Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Matth. cap. 20. v. 7. Sed iuſſit continuò vineam adire, & quod mirabile ſit Denarium ſub veſperam accipere, quálem acceperunt, qui portauerunt pondus diei, & æſtus; inſuper & mandauit ab his Procuratorem initium ducere: tantône digna honore longa inertia? Sed perpende, Quidnam reſponderint de otij cauſis percunctanti: *Quia nemo* (inquiunt) *nos conduxit?* Equidem per nos haud ſtetit ô Domine, quin vineæ incumberemus ſtudio: Hanc inconductos mos non eſt ingredi: & quoniam laborandi deſiderio tenebamur, ſtetimus publico vrbis loco fortiter per diem totum, quin longâ Conductoris procraſtinatione laſſati retroceſſiſſemus: igitur hac conſtantiâ, Domini gratiam promeriti ſunt: Quid enim non indulgeret ſuauiter, quod ſui erat officij exhibentibus? id poſtulat, vt Homo quod in ſe eſt, agat: fecerunt autem Operarij, quod ad eos ſpectabat, nimirum voluntate promptos eſſe ad laborandum in vinea: parati autem erant modò Conductorum aliquis tentaret: Origenes tractatu 10. in Matthæum: *Aſpiciat autem quis, quæ ſit excuſatio eorum, qui toto die ſteterant otioſi, & quis eſſet dolor ſtandi eorum, qui toto die ſtare otioſi ſuſtinuerunt; vt cum fiducia reſponderent, Quoniam parati quidem fuerant ad opus, nemo autem eos conduxit: quaſi plurimi eſſent qui conducerentur: non autem qui & conducerent.* Et paulò inferiùs idem: *Magnam excuſationem habentes ad hoc vt digni efficiantur totius diei mercede ſecundum quod excuſauerunt ſeipſos dicentes: Nemo nos conduxit, propter quod & Paterfamilias libenter conduxit eos, & vt ita dicam, reddidit eis mercedem, pro eo quod magnanimiter tota die ſteterunt, & expectauerunt vſque ad veſperam Conductorem.*

Matth. 20. 7.

*Sub horam 11. mittuntur in vineam Operarij & Denarium accipiũt, quia quamuis ſteriſſent in foro otioſi, tamen parati expectabant qui ſe conduceret.*

Origen.

45. Creauit Deus in principio cœlum, & terram: nec aliquod approbantis encomium tunc ſubſecutum eſt: notauit Auguſtinus libro 1. imperfecto de Geneſi ad Literam cap. 14. *Cur non dictum eſt, cùm hoc factum eſſet: Vidit Deus, quia bonum eſt?* Ornauit deinceps tertiâ die, germinante Herba, ligníſque prorumpentibus & tum ſubiunctum à Moyſe: *Et vidit Deus, quod eſſet bonum*, Geneſ. c. 1. verſ. 12. Anne & ſub illis initiis etiam Terra bona! planè talis, cùm Dei Creatura eſſet: quamobrem non laudibus honorata? Terra quidem ab exordio, cùm tenebræ adhuc eſſent ſuper faciem abyſſi, quod habebat, id vniuerſum dono Creatoris ſortita eſt: at verò ſub tertia luce & ipſa laborauit, nam parturiuit & peperit: protulit námque herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignúmque faciens fructum: iam itaque Mater Tellus dicebatur; iam collaborauit, iam ſuis de viſceribus produxit: ergo à principio laudare omiſit, quod alieno ſolùm gaudentem Beneficio cerneret: vbi aſpexit peregrinâ non contentam liberalitate, partubus abundare, & ſuâ promere ex officina multiplicem gazam, ſuffragatus eſt, vt ab elemento Creatura diſceret rationalis, tum Deo ſingulariter eam placere, cùm acceptis ab illo auxiliis feliciter vtitur, & gratiæ, doníſque ſupernaturalibus cooperatur, ſéque ad agendum vnà cum Numinis prompto Concurſu, excitat.

Auguſtin.

Gen. 1. 12. *Tellus prius illaudata, cùm tertiâ die germinat herbam virẽtem, &c. diuinum promeret encomium.*

46. Ibat filium macraturus Abraham, atque vt ventum eſt ad locum ſacrificio deſtinatum, cliuum aſcenſurus, Tulit ſenex Pater *ligna Holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe verò portabat in manibus ignem, & gladium.* Gen. cap. 22. verſ. 6. Cur non etiam & flammas & parricidalem enſem Puero tradidit? Voluit diuidere, & ne Sarcinâ amborum nullus vacuus fuiſſet:

Geneſ. 22. 6.

Baſil Seleuc. *Abrahamo & Iſaaco communis eſt ſarcina, quibus communis futura erat gloria.*

Baſilius Seleuciæ orat.7.in Abrahamum: *Exiliebat in montem, ſacrificij adiutricem victimam ipſam ſumens: ipſe enim ignem, & gladium manu tractabat, ligniſque victimarijs Iſaacum victimam pulcherrimam aggrauabat, & auxiliatrix ſacrificij fuit ipſa victima: ſimul enim cum Patre Iſaac ſacrificium faciens, & cum genitore curam partitus:* Num ob feſſas longo annorum ſpatio vires oneris in filium tranſtulit partem? fortaſsè altiores ob cauſas: Equidem in facinore præclariſſimo communis vbique cum genitore filio gloria extitit: Nam ſi Parens ad victimationem hilaris proceſſit, proinde & fidei, atque obedientiæ dotibus fulſit, natus quoque alacer proceſſit: Zeno Veronenſis ſermone 1. de Abraham: *Lætatus eſt Puer Patre fideli ipſe quoque fidelior: nec recuſabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat: lætatur Pater filio quoque gaudente:* Sin verò Abraham & Pater Chriſti & gentium meruit dici: ſed per Iſaacum: nam memorato Geneſ.cap.22. verſ.18. *Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes Terræ, quia obediſti voci meæ:* Baſilius Seleucienſis dictâ oratione Paraphraſim adhibet: *Cùm Iſaaco gentes habe filias, vnius ſacrificij merito orbem Terrarum, Pater eſto gentium:* Quando igitur & Merces, & honoris poteſtas cum Iſaaco communis, voluit & laborem & ſarcinam partiri cum eodem: neque enim honeſtum apparebat ſplendoris participem fieri, qui ab onere retroceſſerit, quod portare valuerit. Hanc igitur ob cauſam, neque genitor ſolus fert, quæ ad ſacrificij conſummationem deſiderantur, nec filij cuncta humeris impoſitio, ſed miniſteriorum diuiſio facta eſt.

Zeno. Veron.

Geneſ.22.18.

Seleuc.

*Vxoris probæ cum Marito idem debeat eſſe velle, idémque nolle.*

## Sectio IV.

47\. *In Sponſi odorem proprio abiecto, tranſijt Nardinū Sponſæ vnguentum.* Greg. Niſſen.

MOnuimus ex Origene ſect. 2. Nardinum Sponſæ vnguentum ex quorundam verſione quaſi natiuâ exutâ fragrantiâ, mutuatum vnguentorum ipſius Sponſi odorem: à qua non abhorruiſſe ſententia viſus Gregorius Niſſenus homil. 3. cùm inquit: *Fortè enim non fuit ab vnguento alienum vnguentum, quod Sponſæ quidem dat odorem Sponſi:* iterúmque, *Quoniam ergo in Cantico Canticorum Nardus dat Sponſæ odorem Sponſi:* De cuius lectionis veritate egimus, litteram cùm explanaremus; Nunc eam ſuſtineamus, fruamúrque, vt commendemus deuinctis coniugio Animorum ſympathiam: Nam cùm per ſeipſum vitæ genus moleſtum ſit ob varias ſiue rei familiaris curas, ſeu ob filiorum educationem: his ſi accedat diſcrepare ſæpius Mariti & vxoris & conſilia, & affectus; cùm inde ſuboriri lites atque Diſcordias neceſſum, intolerabilis penè redditur cohabitatio: Sin verò Pax Dei habitet in cordibus eorum, domúſque ſit vnius moris, & fœmina ſtudeat enixè viro honeſta imperanti obſecundare: nulli ſubiratæ fortunæ tam graues ictus, quos non conſtanter ferant, nulli caſus lætitiam ablaturi: Tales igitur vt euadant, Sponſæ monet exemplum, quæ ſua vnguenta nonniſi Sponſi fragrantiam olere velit: vt nihil apud eam appareat, quod à Sponſo diuerſum ſit quoquo modo. O beatum Coniugium, vbi ne halitus quidem diſſimilis! vbi non alius Mariti odor, alius vxoris; ſed quicquid eſt, totum commune eſt, totum indiuiſum eſt.

Noluit de Terra primam fœminam moliri Deus: tulit vnam de coſtis Adæ & repleuit Carnem pro ea, *Ædificauítque Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem*, Geneſ. cap. 2. verſ.21. Quamobrem ex viro formata eſt? Pacis & amoris gratiâ, authore Baſilio Seleucienſi Orat. 2. in Adamum: *Concordiæ* (ait) *& Continentiæ Magiſtra talis molitio:* imò Diuiſionis quidem ſymbolum, nam abalienabatur quod vnum erat, raptatâ Adami coſtâ ad diuerſam Perſonam: Atqui inde Concordiæ vigor: vt enim coaleſcerent Animi, caro diſtributa eſt: quare idem Baſilius floridè: *Neque verò ex terra, ſed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt coaptet, & natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna Mens conſtruatur ad imitationem Naturæ:* itaque tendebat ſtructuræ finis vt Coniuges idipſum ſaperent, ordinabatúrque comparticipatio corporeæ molis ad glutinandos Animos: Quæ tam operoſi diuini ſtudij ratio? ſcilicet prima erant Connubialia fœdera illa: ab eo diſcendum Matrimonio in ſubſequuturas ætates: Quoniam igitur maritali vinculo nexis operæpretium erat Pacis & Concordiæ diligere vnitatem, quâ vita illa felix redditur, fabricatur nouo more prima mulier Concordiæ ſingulariter gratia: vt cùm nouerint vxorati, tantam eſſe Creatori de Maritandorum Pace curæ vigilantioris prouidentiam, ſciant rem eſſe, quam niſu conſequi acerrimo debeant. Iam ex his & Regum locus exponendus: Venerunt ad Dauidem in Hebron vniuerſæ tribus Iſraël, & alloquutæ ſunt dicentes: *Ecce nos os tuum, & Caro tua ſumus*, lib. 2. cap. 5. verſ.1. talia de Conſorte olim Protoplaſtus: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & Caro de Carne mea*, Geneſ.cap.2. verſ.23. Ergóne, quemadmodum illa de concordia interpretati ſumus, ſic & de eadem, quæ ab Iſraële dicta ſunt, expoſituri ſimus? planè quidem: vide Myſterium: Regem Dauid habêre Reſpublica Hebræorum optabat: ſed Monarcha quidem Sponſus eſt, Prouincia Sponſa illius: Quæ ergo Imperatorem ſortiri auebat, Maritum ſibi & Sponſum cupiebat: verùm onus in Matrimonio: ſed quoniam potiſſimus labor eſſe conſueuit ob Animorum diſſenſiones, neque enim egeſtas ſic contriſtat atque impatiens fœmina, atque iraſci facilis: Ne igitur hanc ob cauſam ſpreuiſſe contingat, ſuggerunt de rixa non eſſe timendum, quandoquidem eò quòd ſint os vnum, & Caro vna, conſequens eſt vniri Mentes etiam, quibus conglutinatis fixum eſt Pacis vinculum: Drogo Hoſtienſis ſermone de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Cùm autem ſuper Iudam tantùm vngerêris fortiſſime Dauid, in Hebron, tùm mortuus erat in eis Saül Rex ſuperbiæ; alioquin viuente illo, & dominante, & dominante eis peccato, non dicerent tibi: Os noſtrum, & Caro noſtra es:* Cùm igitur primùm ſuperbia ablegata eſt, quæ diſſenſionem parit; tum accedunt Sponſum quæſituræ, Regem nempè.

48\.

Geneſ.2.21.

Baſil. Seleuc. *In Euæ formatione Adami Caro diuiditur, vt vna in duobus mēs aptetur.* Idem.

2.Reg.5.1.

Geneſ.22.3.

*Monarcha Sponſus eſt, cui ſubiecta Prouincia, ſponſa.*

Drogo.

49\. Excluſæ à Sponſi amplexibus & thalamo Virgines fatuæ: *Amen dico vobis, neſcio vos*, Matth. cap. 25. verſ.12. Quamobrem repudiatæ? Num, quòd illiberali eſſent facie? ſed inuenuſtas fuiſſe non legimus: An quod veſte glorioſâ carerent? ſed pannoſas fuiſſe non dicitur: Quidnam igitur diſplicuit? nimirum, quia oleum non habuiſſent: Philippus Solitarius Dioptræ Rei Chriſtianæ lib.1.cap.2. *Neſcio vos, clamat Sponſus formoſiſſimus, Neſcio vos, Recedite: Quis enim vobis aperiet cum Virginitate oleum etiam non afferentibus? ſine quo omnia, & ipſum etiam Virginitatis lumen extinguitur: ſine quo omnia vana, & inefficacia, quandoquidem id Sponſus ſuper omnia diligit:* Sed quamobrem de oleo Sponſo tantus affectus? oſtendimus Veſtigatione 3. num.11. oleum Pacis & Concordiæ emblema cenſeri: atquin nuptias beatas facit Concordiæ, & Pacis ſtudium: rectè igitur à geniali exploduntur pompâ, quibus deeſt nota Concordiæ oleum: ſcilicet tranſire ad Sponſi Pacifici amplexus tentabant ſeditioſæ, indomitæ, effrænes, oleo nimirum vacuæ: verùm non talibus lætus inſtrepuit Hymenæus, faſtidiuit meritò nuptiarum Pater, & hilari excluſit feſto ſtultum genus. Quare noſtri Auctor Epithalamij, cùm graphicè delinearet Carrucam, quâ Sponſa traducta eſt geniali proceſſu, dixit quidem tabulatum ex Libani Cedris compactum, columnas argenteas fuiſſe, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum: cæterùm, *Media charitate conſtrata, propter filias Ieruſalem*, cap.3.verſ.10. Quidnam eſt illud, quod meditullio affulgebat? modò ſubſcribamus opinantibus Gratiarum & Charitum velut exſculptas effigies, aut certè, has moderantis Amoris optimam figuram: Symboli autem iſtiuſmodi quænam medulla? Pacem docebat charitas: Pacem, & Concordiam Gratiæ proclamabant: At quorſum Pacis Hieroglyphicum Sponſus delegit, quo ſingulariter venuſtaret Traductorium, & geniale carpentum? Non iuberet partubus benignum aliquod effingi Numen? Non Muſicæ & Hilaritatis inuentorem? non Virginibus placiturus Modeſtiæ placidos vultus cælari? ferebatur lecticâ per celebres vrbium vias: confluebant ad videndum innuptæ Puellarum turmæ: harum cauſâ pingebatur ſymbolum, hinc Vates: *propter filias Ieruſalem:* Hæ igitur, cùm viros ambirent, docebantur, pacatis ad nubendum accederent mentibus, lumina conuerterent ad Charitatis effigiem, ad Gratiarum, & Concordiæ imagines: niſi enim tranquillum afferrent animum ad vincula Connubialia, niſi virorum regi conſiliis ſtatuerent, quem iucundum futurum vitæ ſtatum arbitrabantur, amatore plenum inuenturas, nempè altercationis non quietis ſtadium ingreſſas, ſi diuidi animorum ſtudia oppoſitis ſententiis contingeret.

Matth.25.12.

Philipp. Solit.



*Reijciuntur à Nuptijs quinque Virgines fatuæ, quòd Oleo pacis & cōcordiæ ſymbolo careant.*

Cantic.3.18. *Bene in Nuptiali Sponſæ curru ſculpta eſt Charitatis .i. ſeu Charitum ſeu Amoris effigies.*

50\. Actor.4.32.

Prima Chriſtianitatis exordia ſub vnitate & Pace ſtatim, *Multitudinis autem Credentium* (inquit Lucas Actor.cap.4. verſ.32.) *erat cor vnum & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia Communia:* de quo Pacis & Concordiæ ardentiſſimo amore Potho Preſbyter Prumienſis lib. 3. de ſtatu domus Dei: *Hæc domus initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolis ſancti Spiritus gratia eſt fundata, & perfecti decoris gloria illuſtrata: Beatus ille Populus tunc in fide adunatus, Sancti ſpiritus vnctione doctus, primam hanc emiſit iubilationem, hanc conſonam deprompſit cœleſtis Muſicæ modulationem, quam in Actibus Apoſtolorum audiuimus: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*, &c. Quamobrem de Concordia & Pace tam ſollicita noua Eccleſia? Venerat filius Dei in Terras libenter deſponſaturus ſibi Sygnagogam: quin & vxorem habuit eam: Sed facta eſt rixoſa mulier, & Marito proterua atque aſpera: percipe ex Iſaia teſtantem Apoſtolum ad Roman. cap. 10. verſ. 21. *Ad Iſraël autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem:* Quis ſeditionis & acerbitatum fructus? repudiauit eam Sponſus illius, & dimiſſa eſt à toro viri fidelis, eneruatis eius inſtitutis: acquiſiuit aliam Coniugem, Eccleſiam vocatam ex gentibus, quam fundauit in Ieruſalem: Ne igitur, quod Synagogæ accidit, illi contingere poſſit, ſciens repudiatam, quia charitatem non haberet, adamauit impensè virtutem Sponſo gratiſſimam: Quare nihil antiquius habuit, quàm vt fideles ſuos ad vnitatem hortaretur: Multitudini igitur propterea, Cor erat vnum, & Anima vna. Mouebat pariter humanæ Naturæ exemplum, quæ condita in Paradiſo à Creatore, & originalis iuſtitiæ pulcherrimis imbuta donis, nolens conſentire Auctoris mandato, eiectata eſt loco voluptatis: exinde factionibus & Bellis diſtracta ob gentium Dominationem, ob coaceruandas opes, nunc redintegrabatur per Euangelij initia, reſtitutâ Mortalibus optatâ veteris Concordiæ pace per abdicationem proprietatis: Proſequitur eodem loco nominatus Scriptor: *Nam iure quidem diuino, Domini eſt Terra, & plenitudo eius, Quæ videlicet communis eſt omnium Poſſeſſio: ſed iure humano id vſurpatum eſt, vt dicant ſinguli: Hic meus eſt fundus, hæc mea villa, hoc meum Mancipium: Hinc per auaritiam, & Raptorum violentiam iſta inæqualitas ſuborta eſt, vt alij minus, alij plus in hoc mundo percipiant, alij diuitijs & honoribus alios præcedant, alij inopem, & deſpectam vitam ducant: ſed in hac, quam Primitiua Eccleſia fundauit Domo, cum conſenſu ambulantibus omnia Communia ſunt, non ſolùm quæ in Terra poſſidentur bona temporalia, verùm etiam cœleſtia, & æterna.*

Potho.

*Concordiæ & vnitati maximè ſtuduit Primitiua Eccleſia, quòd repudiatam à Chriſto cerneret Synagogam rixoſam & proteruā.*

Rom.10.21.

51\. Vt primùm Sara defuncta eſt, locus vbi ſepeliretur à Marito diligenter conquiſitus eſt: emit quadringentis Siclis argenti probatæ monetæ publicæ agrum Ephronis in quo erat ſpelunca duplex, in qua depoſita eſt vxor illius, Geneſ. cap. 23. At quamobrem vocata ſpelunca duplex? Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ eiuſmodi fuiſſe monumentum arbitratur, in quo ſepeliri duo corpora poſſint: igitur volebat Patriarcha poſt mortem vnà cum fida Coniuge habitare etiam: Quæ coniunctionis ratio? Num ob Dilectionis exceſſum, vt nec poſt obitum ſeparari, quoad fieri poſſit, voluerit? an potiùs documenti Moralis cauſa? Nimirum, dum ſuperuixerant, vna eademque amborum Mens ſine diſſidentibus ſtudiis: conabatur vxori vir morem gerere, & fœmina viro obtemperabat: vt igitur doceat, tantam debêre eſſe conſenſionem Mariti & vxoris, quæ ne etiam poſt abſceſſum huius vitæ, quantùm fieri poſſibile, diſſipari queat: Quam in vita concordem habuit ſociam; voluit & poſt obitum Buſti conſortem nanciſci, vt intelligant coniuges, nec etiam letho, quod omnia diuidit, terminandam Concordiam, quoad promptum ſit: ideo factus duplicis emptor ſpeluncæ, in qua Maritus, atque vxor ſimul conderentur. Quamobrem dilectiſſimo pignori Iſaac vxorem daturus idem Patriarcha, noluit ex Chananæorum Virginibus aliquam, ſed miſit in domum Bathuelis, qui inde Rebeccam accerſeret, inter famulos & prudentiâ, & auctoritate conſpicuum: perpende autem quibus Notis Puellam exprimat? *Cui ego dixero, inclina Hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit, Bibe; Quin & Camelis tuis potum da: ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: & per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo*, Geneſ. cap. 24. verſ.14. Ergo procliuem atque officioſam erga Hoſpites futuram, prædicit: Quid hoc virtutis potiſſimùm deſiderat? Excellebat Hoſpitalitate & miſericordiâ Abraham: nec dubium, quin ab optimo genitore ad piiſſimum filium Iſaac virtus pertran

Geneſ.23.

Hiſt. Schol. *Vxorem vel poſt obitum vult habere in ſepulcro ſociam Abrahamus, quibus vna fuerat mens, vnus ſpiritus dum viuerēt.*

Geneſ.24.14. *Quæritur Iſaaco ſimilis in moribus & piâ in hoſpites & aduenas propenſione, vxor, ad vitanda iurgia.*

pertranſierit: cogitabat igitur venerandus ſenex oportere iiſdem affectam eſſe coniugem, ſi enim à viri moribus diſcreparet vxor, neceſſum erat perpetuis & irrequietis iurgiis perſonare domum, inclamante aduerſùs Maritum fœminâ, quod ſubſtantiam alendis peregrinis, atque exteris conſumeret, viro contrà nitente: Ne igitur Diſcordiæ, quâ nihil laborioſius in ſtatu Connubiali, locus pateret, vult mores amborum eoſdem eſſe; vtroque Coniuge Hoſpitalitati addicto: Chryſoſtomus homilia 48. in Geneſim.

Chryſoſtom.

*Vidiſti ſerui prudentiam? Nam, quia ſciuit Patriarchæ hoſpitalitatem; & quia Virginem inde deducendam congruebat iiſdem eſſe præditam moribus, quibus iuſtus: nullam aliam coniecturam inquirit, ſed characterem Virginalis Animi Hoſpitalitate colligere vult, & inquit: Si quando ego aquam ab ea petiuero*, &c. Penſanda illa verba Textus: *Et per hoc intelligam, quod feceris miſericordiam cum Domino meo*, nempè ſi Virginem Hoſpitalitatis flagrantem ſtudio conceſſeris: neque enim forma gratioſam exigit, non Auorum triumphis nobilitatam, non poſſeſſionibus diuitem, non auro onuſtam: Quoniam his vniuerſis ſi deſit Animorum Conſenſus, vita erit infauſta: Vnde Chryſoſtomus grauiſſimè ibidem: *At ne*

Chryſoſtom.

*perfunctoriè prætereas dicta, ſed cogita mentem, & propoſitum iuſti, & quò ſpectant: & attende, quomodo veteres non quærebant ſubſtantiam multam, non diuitias, non ſeruos & iugera agri tot, & tot, non externæ venuſtatis formam, ſed animæ pulchritudinem & morum Nobilitatem.*

52. Quanta malignatus eſt contra Iobum ſæuiſſimus, & peſtilens Draco? opibus, valetudine, filiis orbauit: reſeruata eſt tamen vxor: Sed num in ſolamen? imò ad grauiſſimam plagam: Viro enim Beatiſſimo vxoris moleſtiora fuerunt verba cæteris damnis: Quare vltimum hunc ictum præcedentibus vehementiorem, Certaminis fini deſtinauit: Petrus Bleſſenſis Compendio in Iob, in illud cap. 2. *dixit*

Petr. Bleſſ. *Moleſtam Iob ſortitus eſt vxorē (vulnerum ſuorum grauiſſimū,) quam ſi concordem nactus fuiſſet, nil illi fuiſſet inſuaue.*

*autem illi vxor*, &c. *Aduerſarius qui Beato Iob, & filios, & poſſeſſiones abſtulerat vniuerſas, ſuam ei reliquit vxorem, non ad ſolatium viri, ſed ad ſuæ conſummationem malitiæ: vt per fœminam vinceret, quem Perſecutionibus non vicerat, & quod verberibus non poterat, verbis mulieris efficeret*: rectè, *quod verberibus non poterat*, quaſi acerbiores futuri robuſtiſſimo Athletæ vxoris ſermones, laniena & hiatibus diuulſi corporis. Sed quorſum plus affligat oratio fœminæ? Sanè Iobus diuinæ Prouidentiæ ordinationi & fortiter & ſubmiſsè conſentiebat: inquiebat enim: *Do-*

Iob. 1. 21.

*minus dedit, Dominus abſtulit: Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.* cap. 1. verſ. 21. Si igitur vxorem nactus eſſet ſuis concordem moribus, quæ & ipſa in aduerſis laudaret Creatorem Deum, nihili penè feciſſet receptas ab Hoſte iniurias: Leniret Coniugum Pax memoriam rerum acerbiſſimarum, eſséntque idem adſtruentibus vel anguſtiæ ſuaues: ô Concordiæ Priuilegium, quam nihil perturbare valeat! igitur huic inuidens ſolatio Dæmon, mouit fœmineæ linguæ organum ad diuerſas à Mariti ſermonibus voces, vt cùm in tanta Malorum Iliade vir atque fœmina diſſentirent, geminata eſſet luctuoſæ Tragœdiæ facies, cùm ſublatum fuiſſet triſtiſſimæ fortunæ remedium inſigne, vtpote conſpiratio Animorum, volente eademmet vtroque Coniuge.

*Mendacium & fraus Deo, ſanctiſque Mentibus inuiſa.*

## SECTIO V.

MOnſtrauimus ſuperiùs numero 13. conatam Sponſam probare Hoſpitibus, quod epulis ſubminiſtrarat Nardinum vnguentum ſyncerum fuiſſe, nullis adulterinis vitiatum confectionibus: Quare & Piſticum fuiſſe, ſcilicet fidele vnguentum & impermixtum, quo delibutus eſt Chriſtus à Magdalena, Patres, qui aſſererent retulimus numero 20. Subpudebat honeſſimam Virginem, vt putaretur in compoſitione odorum Mendacio fuiſſe vſam quoquo modo: eſt enim labis genus quod honeſtæ Mentes Cane peius & ſerpente oderunt, Numen ſummè deteſtatur, ſoliſque impiis & Dæmone Patronis gaudet: ob hoc Caini ſacrificium Deus contempſit: audiamus loquentem Baſilium Seleucienſem oratione 4. in Cainum, & Abelem: 53.

*Nardum Piſticam, j. fidelem & verā offert Sponſa, non falſam & adulteratam.*

Baſil. Seleuc.

*Siquidem Cainus ſacrificationem mulctæ loco ducens reiectaneis ſacrificiis honorem detulit honorato, adulterata mente cauponans pretium: Abelus verò longè aliter, qui cùm Donum totus ſpectaret, animo ſincero Deum colit meliorem, & gregis datorem lectiori gregis portione honorabat, animi virtutem cum Donis copulans*: Non ſic Sponſa, non cauponatur, & permiſcet dolosè, non de ſpuriis & nothis offert, ſed quod genuinum, atque optimum ſit: Verùm, quamobrem Cain ob fratris cædem non aliquid in ſua Perſona ſuſtinuit, quod ad nepotes tranſiret; quemadmodum Matres futuræ (exceptâ Dei Genitrice,) cum Eua ſimul comprehenſæ, cùm dictum: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui?* Geneſ. capite 3. verſ. 16.: ob eius quidem cauſam Terræ ſterileſcere demandatum: *Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos.* Geneſ. capite 4. verſ. 12. Num mitior cum fratricida Deus? Nequaquam: Cur igitur vapulat fœmina in corpore ſuo, tranſítque pœna in grauidas? Quoniam nimirum ſalutem æternam conſequutura erat: Cain velut puniendus à Dæmone relinquitur, & ideò terribili afficitur ſupplicio: At nonne vehementius delictum Euæ, ab ea nempe, à qua ad virum traducta eſt Contagio, Origo malorum: induxit ad peccandum Adam, cuius Præuaricatio vniuerſo nocuit generi: Cain in vnum peccauit, vni detrimento fuit. Verùm concedamus pares in delinquendo, aut etiam ſuperauerit Eua, ſed illa facinus interroganti Deo aperuit, veritatem confeſſa: Cain mentitus eſt, tanquam de fratre neſciret: Suggeret Ambroſius vtriuſque diſcrimen, libro de Paradiſo, capite 14.

Gen. 3. 16. *Eua mulctā longè grauius Caini ſupplicium, ſiquidē hic Deo crimen ſuum mentiri voluit, illa ingenuè confeſſa eſt.*

Ambroſ.

*Denique Cain, quia voluit Crimen negare, indignus iudicatus eſt qui puniretur in peccato, ſed remiſſus eſt ſine præſcripto pœnæ, fortaſſe non tam maiore crimine Parricidij (illud enim commiſit in fratrem) quàm ſacrilegij, quod Deo credidit mentiendum, dicens: Neſcio: Numquid ego Cuſtos fratris mei ſum? Et ideò Accuſatori Diabolo eius accuſatio reſeruata eſt, vt cum eius Angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari: Eua, quia ipſa confeſſa eſt Delictum, mitior ſequitur, & profutura ſententia, quæ condemnaret errorem & veniam non negaret.*

Diſquiſitum à nobis ſectione 1. Cur homo nobiliſſima inferioris orbis creaturarum Portio, 54.

extremo



extremo loco conditus fuerit? videbatur enim propter excellentiam Molitionis auſpiciis fuiſſe honorandus: proferamus Baſilium Seleucienſem Orat. 2. in Adamum:

Baſil. Seleuc. *Magnifica ſub initio pollicentur Homines vt poſtea fallant: contrà Deus in benefaciēdo creſcit ſemper.*

*Extremus ille quidem fabricatione, verùm dignitate primus emicuit: Sic porrò diuinæ Bonitatis imber delatus poſterioribus donis obſcurat priora*: inſinuat igitur idcirco fabricatum Protoplaſtum poſt alias Creaturas, vt innoteſceret Deum in Benefaciendo creſcere, & maiorem eſſe ſubſequentem liberalitatem: ita nec contentus vaſtiſſima Terrarum ſpatia produxiſſe ob Hominem, cumulatiori dono affecit, ſtructo delicioſiſſimo voluptatis Horto: quare ſtatim Baſilius:

Idem.

*Numque velut parturiens magnificentiæ ſuæ munera, & habere clauſum penes ſe theſaurum impotens: non eſt contentus prioribus, neque rebus antea dilargitis dona ſua circumſcribit: neque Donatoris deſiderium vniuerſa Terra, & conceſſum mare ſatiauit: ſed extructum manu ſua Paradiſum, delicioſam ſedem Dilecto conceſſit*: Homines, qui decipere cupiunt, ſub exordio, vt fallant deinceps, magnifica ſpondent: Nihil itaque Amicitiarum fronte venuſtius. Facit idipſum & Dæmon, qui cùm filio iuniori, vt Patris diſciplinâ extraheret, grandia ſub initio, vt veriſimile eſt, polliceretur; fame prehenſum enecabat, auarus & ſiliquis eſurientiſſimo tribuendis.

*Prodigū tandē fame enecat Dæmō, cui mira prius promiſerat.*

Talis & meretrix illa Babylonia, cuius poculum deforis auratum, intus venenum fouens: itaque ſubdolorum eiuſmodi ſunt Artes, ab exquiſitis, vel quæ ſpeciem ſaltem habeant, incipere, deſinere in peſſimis: Deus igitur quò probet ſuæ munificentiæ nihil ſubeſſe adulterinum, nihil de fraude contextum, quò magis Beneficus, Dona meliorat quoque; excedunt primis ſecunda, & tertia vincunt. Hanc igitur ob cauſam præcedit inferioris Creaturæ Molitio, & Homo retrò plaſmatus inſignior eſt antecedenti facturâ: neque ſatis, Terrarum ampliſſimos ambitus ſuppeditaſſe Adamo, niſi & amœniſſimum ſuperaddatur Viridarium.

55. Fame premente maximâ, iuſſi vt Eliam corui alerent: *Vade contra Orientem, & abſcondere in Torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de Torrente bibes: coruiſque precepi, vt paſcant te ibi.* Reg. 3. cap. 17. verſ. 3. equidem durum præceptum volucri inſaturabili penè quouis tempore; Quàm graue modò aruis nihil ſubminiſtrantibus, pecude macie confectâ, aridis hominibus ob ciborum inopiam? igitúrne pœnitentiæ forma eſt, & quaſi delicto ſatisfacit Auis? ſic planè: at in quibus deliquit? ſanè ab antiquiſſima memoria proditum de coruo, venerandum ſenem Noacum decepiſſe: Nam cùm adapertâ Arcæ feneſtrâ exploraturum miſiſſet, num aquæ decreuiſſent, vltrà ad eum non eſt reuerſus, Geneſ. cap. 8. verſ. 7. Huius igitur Deceptionis nunc pœnas luit: Sedulius lib. 1. operis Paſchalis.

3. Reg. 17. 3. *Quòd Noëmū ingratus fefelliſſet Coruus, iubetur carnes Eliæ ſubminiſtrare in ſceleris antiqui vindictam.*

Geneſ. 8. 7.

Sedul.

*Eliam corui quondam pauêre Miniſtri*
*Præbentes ſine more dapes, Aléſque rapinis*
*Deditus, atque auido ſaturans caua guttura roſtro,*
*Tradidit illæſam ieiunis morſibus eſcam:*
*Nunc bonus Eliæ, qui perfidus ante Noëmo,*
*Abluit in terris quicquid deliquit in vndis.*

Verùm non ſolet Deus poſt tot elapſas ætates vindictam ſumere, non tam diu ſub pectore latêre conſueuit vltionis recordatio: Quamobrem itaque ne tot quidem ſæculis obliterata eſt memoria Delicti? conſidera Mendacium fuiſſe volucris piaculum, nam Senem, à quo perhumaniter ſeruatus eſt, dum fluctus intumeſcerent, fefellit: Quare decipientium geſtaſſe figuram notauit Drogo Hoſtienſis ſermone de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *At verò coruus ſemel emiſſus neſcit reuerti, quia non ſimplici oculo perſequens, vanitatis diluuio interceptus eſt, & meritò: Quid enim Columbæ & Coruo? Quid candido, & nigro?* Quamuis itaque Deus aliàs cito condonet, aut vt vindicanda ſint ſcelera, feſtinus ad vltionem procedat; vt ſubindicet Mendacij peregrinam eſſe enormitatem, poſt longiſſimos annorum tractus, Coruum punit, iubens vt fame dominante Eliæ ſubſeruiat.

Drogo.

Proh infidam Beſtiam, qua ſubuectatus eſt Abſalom! Tum deſtituit infelicem, cùm ſubueniendi vnicus punctus: Nam accurrit Ioab, & lanceâ transfixit in mortem: Pertranſiit Mulus, & Inimico relictus Abſalom in necem: Cur deſeruit in aduerſis? Sanè, vt in Patrem commoueret vulgus, adblandiebatur, fallebat dolosè: Cùm accederet ad eum Homo, vt ſalutaret illum, extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum: *Faciebátque hoc omni Iſraël venienti ad iudicium vt audiretur à Rege, & ſollicitabat corda virorum Iſraël*, Reg. 2. cap. 15. verſ. 5. Qui igitur Mendax & deceptor fuerat, iuſtè à bruto deceptus quoque eſt, ſuíſque vapulauit artibus: Drogo Hoſtienſis de Paſſione Domini: 56.

2. Reg. 15. 5.

Drogo. *Doloſus & verſipellis Abſalom vel à Mulo deceptus occiditur, cui nec anxia Parentis optimi quē fefellerat, ſolicitudo profuit.*

*Pendet adhuc Iudas, & Abſalom per comam capitis ſui, & Mulus cui ſederat, pertranſiit: Mulus verò ex equo & aſino mixtus, eſt duplex animus, qui foris oſtentat, quod intus non ſeruat: Talis erat Iudas, talis Abſalom: foris Pietas, intus malitia, duplex iniquitas.* Illud quoque de Abſalone cogitandum, nullâ genitoris adiuratione incolumem ſeruatum: *Et præcepit Rex Ioab, & Abiſaï, & Ethaï, dicens: Seruate mihi Puerum Abſalom*, Reg. 2. c. 18. verſ. 5. Quin & ille, ab cuius ore didicit Ioab pendêre à ligno Abſalonem, de Regis imperio admonuit: nec tamen auſcultare placuit Ioabo: Quamobrem Monarchæ preces & ſupplicationes fefellit? Sed qui Parenti debitam violauit fidem, dignus extitit, cui ne fidem à genitore rogatam ſeruaret Miles: vt quid Mendaci & verſipelli fides patrocinaretur? vt quid obedientiæ ad Regem? Drogo eodem ſermone, & in crinibus Abſalonis fraudem adumbratam probans, quod Hominum oculis placêre ſolùm ſtuderet Deo inuiſus:

2. Reg. 18. 5.

Drogo.

*Propterea (ait) lucis huius beata viſionem perdidit Abſalon, quia grauabat eum cæſaries, & non niſi ſemel in anno tondebatur, & Crines ſuos ponderabat ducentis ſiclis pondere publico, vnde in eodem Crine ſuſpenſus ad arborem interijt: Abſalon, Patris Pax, ipſe eſt & Iudas, & quicumque in Pace Chriſto eſt amaritudo amariſſima: Aue Rabbi: voce & oſculo Patri pacem ferebat; Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebat: Homo, inquit, Pacis in quo ſperaui, qui edebat Panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.*

57. Sed quamobrem bella facturus gnato Dauid non ipſe vnà profectus in Caſtra? ſcilicet vetuit populus, Reg. 2. cap. 18. verſ. 3. verùm, an parêre debuit humanitati ſubditorum? Quid enim legiones abſque Duce? & vt haberet exercitus alium Imperatorem, Regis tamen præſentia alacritatem addidiſſet mirificam pugnaturis: Num quia ſecurus de victoria? niſi enim vincere certus, quonam modo euntibus ad dimicandum præcipiebat, vt Puerum Abſalonem incolumem ſeruarent? Quænam enim huius Mandati vtilitas, ſi non fugandus eſſet Abſalom? vnde ſuperandum nouerat Dauid? Nimirum Abſalonis copiæ mendacio fulciebantur; dolo & fraudibus attraxit imperitæ gentis partem: Mendacium autem inane eſt, atque euanidum: Quod igitur mendacio

2. Reg. 18.

*Securus eſt Dauid ſe de perfidi Abſalonis copijs victoriam reportaturum, quod illæ dolo & fraudibus fulcirentur.*

ſubſtruebatur

ſubſtruebatur, firmum eſſe nequiuerat, proindè lapſuram facilè doloſam machinam arbitrabatur, quemadmodum contigit. Ambroſius lib. 2. officiorum, cap.21. *Et vt exemplis aſſertiones noſtras probemus, (quoniam, quæ ſimulata ſunt, diuturna eſſe non poſſunt, ſed tanquam ad tempus virentia, citò decidunt;) ex ea familia, ex qua nobis plurima ad virtutis profectum, exempla accerſiuimus, vnum ſimulationis, & fraudis proferamus teſtimonium: Abſalom erat Dauid Regis filius*, &c. atque vbi ex verbis ſcripturarum de eius probauit ſimulatione, occultôque mendacio, quemadmodum inde ſpem certam de Triumpho Dauid ſumpſerit, oſtendit, ſubaddens: *Denique non dubitans de victoria Dauid, commendabat filium dimicaturis, vt ei parcerent: ideóque nec prælio intereſſe voluit, nec vel inferre arma Parricidæ, licet videretur, ſed tamen filio: liquet igitur ea eſſe perpetua, ac ſolida, quæ vera ſunt, & quæ ſincerè potiùs quàm dolo congregantur: ea verò, quæ ſimulatione, atque aſſentatione parta ſunt, non poſſe diu perſeuerare.* Quare generis Humani inuidentiſſimus Hoſtis, cùm norit ſimulatione atque mendacio vires robuſtiſſimas etiam maximè labefactari, cùm de Eccleſiæ ſtrenuiſſimis columnis quenquam ſubuertere nititur, ad fraudem atque deceptionem, ſi quâ poſſit viâ, incitat: vnde apud Ezechielem, cap.17. verſ.3. deſcribitur ſub figura Aquilæ grandis magnarum alarum, qui cùm liuore agitaretur ob cedri excellentiam, neque enim in tota ſylua alia vel procerior arbor, vel magis odorata, ſcilicet ſtomacharetur in virum quempiam eximiis iuſtitiæ notis præditum, tales Cedro denotantur, quidnam aggreſſus? *Tulit medullam cedri, ſummitatem frondium eius auulſit:* Heu falſum deinceps abſque corde lignum! computreſcet facilè, amittet iuuentæ decoram ſpeciem: Galfridus in Tilmanni catena ad dictum Ezechielis locum: *Tollit medullam Cedri, & ſummitatem frondium eius euellit, Dum ſubducit interdum robur animæ ignorantis, & exterioris etiam Conuerſationis, & Honeſtatis excellentiora diſpergit, ſola ei de ſpecie Pietatis infima, & abiecta relinquens:* Nihil viris ſpiritalibus plus formidandum, nihil ſanctæ Congregationi: cùm inceperit abire ſimplicitas, & ſubintrauerit dolus, proxima eſt magna ruina.

Ambroſ.

Idem.

*Si quos Dæmon viros illuſtres proſternere nititur, hos ad deceptionem & fraudem inducit.*

Ezechiel.17.3.

Galfrid.

58\. Hinc ingemiſcens Eccleſia profundo cum luctu, Iſaiæ cap.38. verſ.17. *Ecce in Pace amaritudo mea amariſſima:* quem exponens verſum Potho Preſbyter lib.3. de ſtatu domus Dei, tria Eccleſiæ tempora commemorat: Primum, cùm ad cædem Chriſtianum genus Tyranni quærerent, & Martyrum ſanguine rubricata eſt ipſa. Secundum, quando ſopitâ Perſecutione Gentilium, Hæretici conſurrexerunt: fuit igitur amara Ethnicis eam vulnerantibus: amarior adhuc ſæuiente Hæreſi: cæterùm, cùm Alcedoniâ quadam malaciâ potiri viſa, compeſcuítque & gladium, & Hæreſim aliquandiu Sponſus illius; tum ſub abundantiori pace, rebúſque ſecundioribus facta eſt amaritudo eius amariſſima: Quæ verò cauſa altiſſimæ mœſtitudinis? Nempe cùm inſectabantur Pagani, cùm flagellabatur ab Hæreticis, quaſi ab apertis inimicis cauebat ſibi, declarata enim erat Hoſtilitas: hac profligatâ Aduerſariorum manu, omnes videbantur Amici eſſe, omnes ſodales: Quidni quidem? Nam omnes Catholici: Sed erant in facie Amici nonnulli, cor eorum longè erat: ſimulabant ſpeciem quandam Pietatis, ſed intus nihil ſolidæ virtutis: pro hoc igitur ſanctitudinis figmento plorat amariſſimè: auſcultemus præfati Authoris grauiſſimis verbis: *In prioribus ſæculis, quando Perſecutionis ſæuitia Catholicam fidem oppugnabat, amara erat amaritudo Eccleſiæ: Deinde amarior, cùm Hæretica prauitas doctrinam veritatis peruerſis dogmatibus corrumpere conabatur: Nunc verò, quando Pax eſſe videtur, quando nec Perſecutor manifeſtus ſæuit, neque Hæreticus in verba malitiæ prorumpit, amaritudo amariſſima ſentitur: eſt enim moleſtiſſimum genus Hypocritarum intra domeſticos parietes incluſum, cum Amicis, & domeſticis Dei habitans, ſolo habitu exteriore mundi contemptum præferens, Monaſticæ Conuerſationi ſe ingerens, quod eò acrius membris Chriſti nocet, quò minus vitari poteſt: Et reuera hæc eſt amaritudo amariſſima, quando Pax quidem eſt à Perſecutoribus & Hæreticis, qui apertè ſæuiunt, ſed non eſt Pax à domeſticis, qui intus ſunt, qui Religioſorum quidem numero admixti ſunt, ſed veram Religionem execrantes, doloſè agunt in conſpectu Domini, vt inueniatur iniquitas eorum ad odium: Cùm enim omni virtute interiùs ſint deſtituti, ſolâ imagine ſanctitatis exteriùs nitidi, intuentium oculos fallunt, quia nimirum gloriam, quæ ab Hominibus eſt quærunt:* legenda in ſimili querimonia Bernardi planctus ſerm. 1. in Conuerſione ſancti Pauli: Inter dubios eius ſermones, eo qui intitulatur ad Paſtores in Synodo congregatos, allatum ex Iſaia verſum eodem prorsùs declarat more: *Fuit ergo* (ait) *amaritudo Eccleſiæ, amara quidem in Perſecutione tyrannorum, ſed amarior in verſutia Hæreticorum, ſed amariſſima hodie per prauitatem deſideriorum.*

Iſai 38.17.

*Poſt ſuperatas Tyrannorum & Hæreſum perſecutiones, fuit in Eccleſia pace amaritudo amariſſima, ſcilicet ab interiori ſimulatione, & inteſtinis fraudibus.*

Potho.

Bernard.

*Dominicum Corpus alimonia eſt vitæ & ſalutis dignè ſumentibus: indignè recipientibus eſca iudicij & Mortis.*

## SECTIO VI.

QVandoquidem verba iſthæc de Conuiuio Euchariſtico Myſticâ in explanatione declarauimus, placet aduertiſſe quod de præcellentiſſimo vnguento, Nardino ſcilicet, admonuit hom.3. in Cantica Gregorius Niſſenus, nimirum quibuſdam Animantibus eſſe in vitam, quibuſdam in mortem: *Quomodo enim* (inquit) *idem vnguentum ſi fuerit appoſitum Scarabeo, & Columbæ, non idem efficit in vtriſque: ſed columba quidem per bonum vnguenti halitum fit robuſtior, interit autem ſcarabeus: ita etiam magnus Paulus in diuino illo ſuffitu*, & cætera, quibus accommodat mortis, vel incolumitatis diſcrimine ſinceris, deteſtandíſque Mentibus: Hoc igitur contingit ſumentibus panem viuificum, nam ſanctos & emaculatos confortat in vitam æternam: Si quis autem indignè accipit, iudicium ſibi manducat non diiudicans corpus Domini à communibus alimentis, quibus & veſci peccatoribus liberum: *Vnde à primordio huius celebritatis* (ait Paſchaſius opuſculo de corpore, & ſanguine Domini cap.8.) *iudicium malè accipientibus minatur, dum continuò poſt buccellam de manu Domini perceptam, Iudam Diabolus peruaſit: vbi mox oſtenditur futurum in Eccleſia iudicium, quia ſancta ſanctorum ſunt.* Et mox in typo Iſraëlitarum eodem capite: *Hinc Apoſtolus Patres noſtros eandem comediſſe eſcam ſpiritualem teſtatur, ſed non in pluribus eorum beneplacitum fuiſſe Deo: profectò, quia faſtidientes ſpiritualia, carnaliter ſapiebant: Non quidem Patres noſtri ſpiritualia prægustantes, ſed infideles planè Patres Phariſæorum, de quibus Dominus dicebat, quod mortui ſunt in deſerto: illi vtique mortui ſunt, in quibus beneplacitum non erat Deo: iſti verò*

59\.

Gregor. Niſſ.

*Vt vnguentum Nardinū Columbæ vita eſt robuſtior, Scarabeo interitus: ſic Euchariſtia Mors eſt malis vita bonis.*

Paſchaſ.





*mori non potuerunt ſpiritualiter comedẽtes, quia eis eſca illa cœleſtis, ſaporem, & delectationem immortalitatis præbuit: Simili itaque modo nunc in Eccleſia; Cibus iſte quibuſdam vita eſt; quibuſdam verò pœna, & ſupplicium peccati: Porrò illis vita eſt, quibus Chriſtus eſt vita: illis verò mors, qui per carnem & ignorantiam membra ſunt Diaboli.*

60\. Ductabat Iſraëliticas turmas per deſertũ Creator, *per diem in columna Nubis, & per noctem in columna ignis.* Exod. cap. 11. verſ.21. præfiguratum ibi corpus Chriſti Drogone Hoſtienſi Auctore ſermone de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Quæ eſt Nubes, quæ præcedit veros Iſraëlitas* (inquit) *niſi veriſſimum, & ſanctiſſimum corpus tuum, quod in altari ſumimus, in quo velatur nobis altitudo Dei, immenſitas Maieſtatis tuæ, cuius & calorem, & ſplendorem mortalis infirmitas ſuſtinêre non poſſet, niſi mediatrix Nubes interpoſita, & ardorem temperaret deſuper, & tutam ſubtus te viam præmonſtraret?* Quare igitur per diem Nubes eſt, & ſub noctem ignis? Nubes quidem gratiæ ſymbolum eſt & dulcedinis, atque beneuolentiæ: Nam protegit, Solíſque à feruentiſſimo iubare defendit: Ignis furoris indicium eſt: deuorans omnia & conſumens: iam & *Die* iuſti ſignificantur, verſantur enim in luce, atque ſplendoribus: peccator luridus, atque tenebroſus *Nox* eſt: innuit igitur ſanctis & dignis, refrigerio & miſericordiæ eſſe Sacramentum: Sceleratis autem, atque impuris ignis vaſtator eſt, à quo horrendè torqueantur, nam horrendum eſt in manus Dei viuentis incidere: Quoniam verò imperfecti erant Iſraëlitæ eremum peragrantes, non legitur Nubes illa ductatrix lucida fuiſſe, & ſplendeſcens, qualis fuit illa Nubes, quæ obumbrauit, cùm transfiguratus eſt in monte Dominus, ſociis Moyſe atque Helia, & chariſſimis Diſcipulorum adſtantibus. *Adhuc eo loquente* (ait Matthæus cap.17. verſ.5.) *Ecce Nubes lucida obumbrauit eos:* Nam quidem Nubes eſt Chriſtus in Euchariſtia velatus cunctis in gratia exiſtentibus, quoties manducatur ab illis: Sed quò ſanctior quiſque eſt, atque perfectior, eò ſplendidior ſuper eum comparet Nubes, eò magis & refouet, & illuſtrat: tales Moyſes atque Helias, tales inter Apoſtolos dilectiſſimi illi tres: rectè itaque perhibetur Nubes fuiſſe lucida: Drogo eodemmet loco: *Quoniam Moyſes, & Helias tecum aparuerunt in monte, ſed Nubes lucida obumbrauit eos: Nec enim ipſi ſicut & Nos ſine tua protectione ſaluari potuiſſent; Verumtamen illis ſicut Amicis, & domeſticis (imò domeſticorum, & Amicorum tuorum præcipuis) Sacramenti tui Nubes erat perlucida; quæ nobis iacentibus, & proiectis à facie oculorum tuorum, valdè ſubobſcura eſt: Sed imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur.*

Exod.13.21.

Drogo. *Euchariſtia, diei .j. Iuſtis, Nubes eſt lucida, gratiæ & ſuauitatis ſymbolum: Nocti verò, j. ſceleratis Ignis eſt, vaſtator terribilis.*

Matth. 17.5.

Drogo.

61\. Præliantibus contra Philiſtæos Iſraëlitis capta eſt Arca Dei, Reg.1. cap.4. verſ.11. Quamobrem Numen ſuſtinuit tranſire in Alienigenarum poteſtatem? Equidem Præſidij inſtar Hebræis fuerat ſacra Arca contra Hoſtes, & ob hanc cauſam ductabatur in aciem: Verùm, vt caperent, quemadmodum opitulatur Bonis, & liberabat, cùm in periculo verſarentur; ita & ſæuituram contra improbos: malè viuentes ſuperari ab Ethnicis paſſus eſt qui per arcam colebatur Deus. Theodoretus quæſt.13. in lib.1. Regum: *Nam Hebræos quidem docuit, vt legitimè quidem viuentes in Dei confiderent Prouidentia; legem autem tranſgredientes, neque in ipſa, neque in Arca non tangenda confiderent Cur enim legem tranſgredientes, Arcam ad auxilium traherent, quæ legem intùs habet ſitam?* Demus ob ſcelera populi non tranſmigraſſe Arcam; Demus propitiam extitiſſe ſemper Iudæis: Curni ad Paganos tranſuolarit quando puniturus erat, vt probaret & vltorem ſe quoque, nec tantùm mitem à quo regebatur Arca, vitam & felicitatem concedere bonis, plectere improbos: An non talem præmonſtrari Arcam oportebat, ſiquidem de potiſſimis figuris Euchariſtiæ? Res nota eſt: Patres deſiderans quærat apud noſtrum Mendozam tom.2. in lib.1. Reg. ad verſum 21. c.6. Annot.22. ſect.1. num.2. Cùm itaque Sacramentum corporis Chriſti vitam conferat rectè diſpoſitis; necem Maleuolis, & terribilis iudicij acerbitatem; deſignatura hoc Arca & rectis ſolatio fuerit, & iniquis pœnæ; de qua propterea Athanaſius optimè ſub finem epiſtolæ ad Marcellinum: *Iam ſi bellum populo ingruebat, Arca, in qua erant tabulæ legis antè omnes præcedebat, & hoc ſufficiebat illis pro quauis acie in ſubſidium: niſi in baiulis Arcæ, aut in populo aliquod ſcelus, aut Hypocriſis hæreret.*

*Arca fœderis, pijs præſidiũ; impijs excidium: Euchariſtiæ Typus.*

Theodoret.

Mendoça.

Athanaſ.

62\. Portabatur Ioſue Imperatore Arca per medium Iordanis, ingreſsíſque Sacerdotibus, à quibus ſubuehebatur, amnem; *Et pedibus eorum in parte aquæ tinctis, ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes*, &c. *Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt*, Ioſue cap.3. verſ.16. Vide ſeparationes aquarum! ex his aliæ ad fontem capútque ſuum reuerſæ: ita enim Dauidis Carmen innuit, Pſalm.113. verſ.5. *Quid eſt tibi mare, quod fugiſti: & Tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Quem eum in modum probabiliter exponi noſter aſſerit Lorinus: eſt verò manifeſta Sedulij opinio lib.2. operis Paſchalis cap. 8. *Senſerunt tremendum Deitatis vndæ præſentiam: Pontus receſſit à littore; fluuius remeauit in fontem, de quibus Propheta cantitans hæc deſignat: Mare vidit & fugit, Iordanis conuerſus eſt retrorſum: Quid eſt tibi mare quod fugiſti, & Tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum?* Quàm placida hæc repedatio, quàm dulcis! ad natales iterum redire ſedes, vbi, quæ amaritudine carent lymphæ, ebulliunt; & locum fluuiorum ſummum poſſidere? Verùm alteræ aquæ deſcendentes in mare, quare damnatæ exilio? Nam & ſalſiſſimus gurges, & à ſulphure, intolerandíque odoris grauedine extinguuntur aquatilia, ideo mortuum appellatur, vt docet Toſtatus quæſt.38. in dictum Ioſue caput: Qua igitur de cauſa non prohibita nouo miraculo ſecunda Aquarum pars, ne diro immiſceretur ſtagno? Referebat Arca Dominici corporis eſcam: Menſa iſta examinatoria eſt, viuificat iuſtum, enecat impium *Non dicunt iſta* (ait lib. 2. contra Literas Petiliani Auguſtinus cap. 47.) *niſi qui de menſa Domini vitam ſumunt, ſicut Petrus, non iudicium ſicut Iudas: & tamen ipſa vtrique fuit vna, ſed non vtrique valuit ad vnum, quia ipſi non erant vnum:* vt ergo in Typo præmonſtraretur futuram vitam bonis, lethum malis, facta eſt vndarum diſſimilis partitio, abeuntibus quibuſdam ad optatiſſimum locum, recurrentibus ſcilicet ad originem ſuam; aliis in loca infauſta deſcendentibus ſulphurei æquoris. Accidit & cognatum myſterium, cùm Ægypto diſcedens Iſraël Mare Rubrum pertranſiit: nam iidem fluctus quibuſdam fuêre in mortem, quibuſdam in ſalutem, de quibus Euſebius Gallicanus hom. 3. de Paſcha: *Cùm creatura inſenſibilis elementi factorem ſuum ſentiens tranſmeantibus circum-*

Ioſue 3.16.

Pſal.113.5.

Lorin.

Sedul.

*Eadem Arca dum Iordanis vndam ſecat mediam, alteram in ſuum fontem feliciter reducit; alteram in mare mortuũ miſerã amandat: Euchariſtiæ ſimillima.*

Toſtat.

Auguſtin.

Euſeb. Gall.

*fuſa præberet viam, & in perſequentes pararet refuſa vindictam.*

63. De exploratoribus, qui miſſi ab Iſraëlitis, vt Terram Chanaan luſtrarent, cùm Pars ad Torrentem Botri perueniſſet, *abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri,* Numer.cap.13.verſ.24. Num ob magnitudinem ferendo impar vnus? an duo ſuppoſiti quò illæſum perducerent, quem ſingularis Baiulus comminueret? At, non poterat ſubuectari plauſtro? Verùm rectè, quod à duobus geſtabatur: Quæ Botri prænunciatio? Num vinum denotabat germinans Virgines, Chriſti ſanguinem? Putat Franco Abbas tomo decimo operis de Gratia Dei poſt medium: *Huius vini, quod de Torculari Crucis ſtillat, typum, de terra Repromiſſionis duo Exploratorum in vecte deferunt Botrum, in cuius mira magnitudine, & miranda ſuauitate repromiſſæ ſibi hæreditatis vberrimos, atque dulciſſimos fructus populus prægustaret:* Deinde affirmat duobus viris duos adumbratos populos, Iudæorum ſcilicet, & Gentilium, non qui in Deorum vanis ſuperſtitionibus permanſerunt, ſed qui ad lucem Euangelicam tranſmigrantes, in iuſtitia & ſanctitate ſeruierunt Deo viuo atque vero: Quod & Ruperto aſſeueratum lib.1. in Numeros c.34. Qualis duorum Populorum finis? excæcatus eſt Iudæus, reprobatus eſt ob malitiam: aſſumptus eſt Populus Nationum in ſortem Domini, ſublimatus, exaltatus eſt ab illo quoniam rectè egit: Agnoſce igitur facilè, Botrum illum ad Calicem Seruatoris pertinere; Nonne vides, quàm diſpar ſit exitus vehentium idipſum? Vnus aſſumitur, alter relinquitur: reiicitur, excæcatur impius ne videat gloriam Dei: illuminatur iuſtus, & tripudiat in gaudio: Hiſpalenſis Iſidorus grauiter Commentario in Numeros, cap.11. *Duo Baiuli, qui ſub onere Botri illius incedebant, Populus eſt vterque: cuius prior Iudaicus cæcus, & auerſus, ignarus pendentis gratiæ, & preſſus onere ſuſpenſi, cui ſubijcitur iudicanti, de quibus dicitur: Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua: Qui verò poſterior veniebat, populi gentium gerebat figuram; qui credens, & Chriſtum ante oculos habens, ſemper eum portans videt; & quaſi ſeruus Dominum, & Diſcipulus Magiſtrum ſequitur, ſicut ipſe Dominus in Euangelio: Si quis vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.*

Numer.13.24.

Franco Abb. *Ingens ille Terræ Promiſſionis Botrus quem duo viri in vecte ferebãt, Eucharistiã figurat. Duo verò baiuli, Populum Iudaicum reprobum, & Gentilem electum aptè referunt.*

Rupert.

Iſidor. Hiſpal.

64. Fugiebat Dauid, & in Nobe profectus, cùm Achimelech occurriſſet Sacerdos, famem teſtari non erubuit, & ſi quid haberet ad manum eſcarum, commodaret obteſtatus eſt: *Non habeo* (reſpondit Reg. 1, cap. 21, verſ. 4.) *Laicos Panes ad manum, ſed tantùm Panem ſanctum: Si mundi ſunt Pueri maximè à mulieribus?* At præbeamus & mundos fuiſſe Dauidis Comites, Num licebat extra caſum neceſſitatis vel Sacerdoti porrigere de conſecratis offis, vel eis comedere ex ſanctificato Pane? Nequaquam ſanè, vti commonſtrat Abulenſis quæſt.13. in dictum cap.lib.1.Regum: quin neque Leuitis conceſſum oſtendit idemmet quæſt.11. Sacerdotibus tantùm facultas permiſſa: Quamobrem igitur percunctatur Achimelech, Num mundi fuiſſent Pueri, quando ne impollutis licebat etiam? Ad legem nouam in myſterio reſpexiſſe Theodoretus Auctor eſt, Nam in hac Sacerdotum quidem eſt conſecrare Panem, vt in Chriſti tranſeat Corpus, verùm edere & manducare liberum eſt popularibus quoque & laicis, inquit nominatus Doctor ad Titulum Pſalmi 33. *Et cùm Panes quæſierit, alios non inuenit, verùm ſolos Sacerdotibus repoſitos, & hos accepit præbente Sacerdote contra præceptum legis: Nam ſolis Sacerdotibus talis cibus diſtribuebatur: Verumtamen gratiæ myſteria adumbrata ſunt, & ianua diuinæ liberalitatis credentibus reſerata eſt, quandoquidem non ampliùs ſolis Sacerdotibus diuinus cibus deſtinatus eſt, verùm hæc diuinorum communicatio omnibus proponitur:* Ergo in nouo fœdere & laicis de Panibus conſecratis veſci fas eſt, ſed videant iterum atque iterum, ſi mundi ſint: in hos intuens Achimelech percunctabatur, an immaculati eſſent: Cur ſic diſquiſitum ab eo? Quoniam Panis eiuſmodi ſit, qui ſi à puris, defæcatíſque ſumatur, vitam corroborat: Sin autem comedant labe aſperſi, Mors eſt illis: vtiliſſimum itaque Sacerdotis de nitela conſilium: ne aliter fieret, quod in vitæ ſubſidium adhibebatur, conuerti in periculum. Quamobrem etſi fame propè enectus filius ille iunior ad Patrem reuertebatur, nec enim de ſiliquis ventrem adimplêre tributum, & videbatur quidem ante alia Humanitatis officia, cibo reficiendus: non ſuſtinuit tamen prudens Genitor ad epulas aliquo modo incomptum accedere, & ſeruos alloquutus: *Proferte* (ait Luc.cap.15. verſ. 22.) *Stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius,*&c. amabat chari filij vitam, ſed cùm eſſet manducandum de Chriſti corpore, verebatur ne Mors cum ſordibus accumbenti irreperet: perpoliuit itaque antequam paſceret: Tertullianus de Pudicitia cap.9. *Veſtem priſtinam accipit, ſtatum ſcilicet eum, quem Adam tranſgreſſus amiſerat: Annulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem interrogatus obſignat: atque ita exinde opimitate Dominici corporis veſcitur, Euchariſtiâ ſcilicet.*

1.Reg.21.4.

Toſtat. *Quanta ad Euchariſtiã puritas requiratur, quantumque immundis immineat ſupplicium, Achimelech figuratè exprimit, dum de munditie puerorum Dauidis famelici inquirit.*

Theodoret.

*Prodigus etſi fame propè enectus, ad Conuiuium tamen non admittitur niſi ſtolâ primâ indutus, & annulo ornatus.*

Luc.15.22.

Tertullian.

VESTIGA



# VESTIGATIO XIV.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum duodecimum Capitis primi Cantici Canticorum.

*Textus :* Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Cap.*1. *verſ* 12.

*Myrrhæ Nomen de lapide: An Porcellanæ antiqua Murrhina vaſa? Anaſtaſij Sinaitæ obſcurus ſenſus declaratus: Exodi verbis illuſtratio: Olfactoriola: Stacte quid? Num de Myrrhæ folijs Corona epulantibus? Odor Myrrhæ ſuauiſſimus: Pſalmi 44. tactus verſus 9, Myrrham ſi fert Palæſtina? Modus humanæ expoſitionis Canticorum vindicatus: Stacte inſigniter medicinalis: Vtrùm Myrrhæ ſpecies Benjuinum? conciliatæ verſiones: fratris & ſororis nomina quam ob cauſam de Marito & vxore: Leuitici & Sapientiæ verba: Primi Chriſtiani cur fratres dicti?*

### SECTIO VNICA.

1. NON arboris ſolius Myrrha nomen, vocabulo lapis adgaudet etiam, de pretioſis vnus, nam Gemmis annumerat Plinius lib.37.cap. 2. *Eandémque omnia hæc, quam Gemmæ authoritatem obtinent: Sanè maiorem aliquibus de cauſis Cryſtallina & murrhina;* Sed fœminarum deliciis nobilitata ibidem ſcribit: vſus in pocula: calicis meminit idem, capientis ad tres ſextarios: nec Myrrhinum, ſeu Murrhinum dictum tantùm, verùm & Myrrha: Lucanus lib.4.

*Myrrha, lapis pretioſus; quem quidã Porcellanam credunt.*

Plin.

*Non auro, Myrrhâque bibunt: Sed gurgite puro*
*Vita redit, ſatis eſt populis fluuiúſque, Ceréſque.*

Lucan.

Papinius Statius lib. 3. Syluarum, Carmine de Coma Earini eadem appellatione:

*——hic pocula magno*
*Prima Duci, Myrrhaſque graues, Cryſtallaque portat,*
*Candidiore manu, creſcit noua gratia Baccho.*

Stat.

Nonnulli abolitam modò huius memoriam lapidis arbitrantur, cùm nihil ſimile deferatur aut ex antiquorum, aut ex nouis orbibus: alij putauêre, è quibus Scaliger exercitatione 92. in Cardanum: Garcia ab Horta lib.1. de Natura Aromatũ, c.15. Porcellanam eſſe Sinenſium clarã Nundinationibus, qui ſuæ factioni Plinium vindicabunt, cùm allegato referat capite, quibus laudantur etiam Porcellanæ, notas: *Oriens* (inquit) *Murrhina mittit: in pretio varietas colorum, ſubinde circumagentibus ſe maculis in Purpuram, candorémque, & tertium ex vtroque igneſcẽtem;* Obſtat huic cogitationi, quod eadẽ Pagina non tranſlucêre Murrhina: Diaphanæ autem ſunt, & tranſparentes Porcellanæ: Tum quod à natura produci aſſeueret, non Artis opus eſſe, quanquam & lib.36.c.26. dicat, auſam Naturam referre Artis ingenium: Quibus tamen vtuntur vaſis Porcellanis Sinæ, & quæ diuendunt, ex figulorum officina prodeunt omnia, luteæ cuiuſdam maſſæ induſtriâ, vt qui proſpexit ipſe, teſtatur noſter Trigauſius lib.1.de expeditione Sinẽſi, c.3. cuius ab ore etiam excepimus ante aliquot annos: denique & poſtium, atque columnarum vice Murrhina fungebantur: Sidonius Apollinaris Carmine 11.in Ruricij, & Iberiæ Epithalamio.

Scaliger.
Ab Horta.

Plin.

Trigauſ.

*Poſtes Chryſolithi fuluus diffulgurat ardor*
*Myrrhina, Sardonices, Amethyſtus, Iberus, Iaſpis.*

Sidon. Apoll.

Tantum haud Porcellanis robur: at licet non idem, colorum tamen ſimilitudo, præſertim in repercuſſu ad imitationem, vt loquitur Plinius, cœleſtis Arcus.

2. Quamobrem verò ſeu gemma illa, ſeu lapis Myrrhæ ſortitus nomen, Iſid.Hiſpalenſis declarat lib.16.Origin.c.7.de viridioribus gemmis agens, Myrrhitem recenſet: *Reperitur* (inquit) *in Arabia, vel Ægypto Myrrha coloris, & odoris, vnde & Nomen accepit:* Qui de Murrhinis c. 12. eadem, quæ Plinius, tradit, in quibus odoris commendauit gratiam citato lib.37. cap.2. Quem ad liquores transferri ad pocula Martialis indicat Metrum in Apophoret.Diſticho 113.de Myrrhinis:

Iſidor. *A colore & odore Myrrhæ, nomen accepit prædictus lapis.*

*Si calidum potas, ardenti Myrrha falerno*
*Conuenit, & melior fit ſapor inde mero.*

Martial.

Ac ſanè de hoc aliquo lapidis exquiſito genere, quales ſeruant multos æquorum profunda & aduoluunt littoribus fluctus, fortaſſe intelligendus ſubobſcurus Anaſtaſij Sinaitę locus Anagogicarũ Contemplationum ſexto volumine in Hexameron: *Inuenimus autem Magos quoque cũ auro è Terra nato: Myrrham etiam marinam obtuliſſe Chriſto: quomodo olim quoque duo illi duorum Populorum typi, Ioſeph & Nicodemus duobus (terreſtri, inquam Aloë, & marinâ Myrrhâ,) Ieſum ſepeliendum inuoluerunt:* At quis vnquã Myrrham arborem in fluminibus, nec propè aquas ſanè naſci dixerit? Nã & ſponte ſudat guttam eximiè odoratam, vt in ſequentibus relaturi ſumus adhibitis clariſſimis teſtibus, Caloris nimirum vi quadam ſummâ ardentiſſimi: num & in aquis refrigerantibus vſque ad eruptionem, & hiatum Corticis æſtuaret? Quadrat verò in Murrhina; fieri enim adſentiunt Plin. atque Iſidor. ex

Anaſtaſ. Sinait. *Quæ Myrrha marina, & quomodo pigmentis ſeu ſuffitibus inſeruiat?*

Plin. Iſidor.



Oo 2 humore,

humore,qui ſub terra calore denſatur: Atqui ſi lapis, inquias: quonam modo ad ſuffitus adhibeatur,ad pigmentarios vſus? Equidem Moyſem

Exod.30.34.

alloquutus Deus Exod. c.30. v.34. *Sume tibi aromata* (ait) *ſtacten,& onycha,gallanum boni odoris, & thus lucidiſſimum*: Cedo quidnam onyx? Sanè de

*Onyx vnguẽtis aromaticis ſeruit.*

Maris Conchyliis,de quo Dioſcorides, qui vnguem odoratum appellat, quòd vnguis figuratione emicat,lib.2. c.8. *Vnguis,ſiue onyx, Conchylij tegumentum eſt,ei ſimile, quo purpura integitur; quod in Indiæ nardiferis Paludibus inuenitur, ſuauem ideò ſpirans odorem,quòd Conchylia inibi Nardi pabulo veſcantur:* quoniam igitur iucundè fragrat, contunditur, & aromateriis deſeruit: Quidni idem de Murrhinis, quæ ab odore laudari vidimus? de Onyce, quemadmodum à nobis expoſitum eſt,

Dioſcorid.

Hiſtor. Schol. Toſtat. Lyran. Bonfrer. Alcazar.

verba Exodi intellecta à Magiſtro Hiſtoriæ Scholaſticæ,quem allegat Toſtatus, q.15. Lyrano, & noſtro Bonfrerio,atque ab Alcazario Notat.3.ad v.8.c.15.Apocal.ſitque veriſimilior Coniectatio de Sinaitæ ſcopo,quod diſcurſus initio, de Onyce idipſum memoret inſinuato Exodi loco,quod de Myrrha aſſeruerat:docet & ſtacten Myrrhæ lachrymam ex terra naſci: non igitur de arbore,è qua gutta profluit loquutus,cùm dixit,originem à mari trahere ſed eius iterùm Oratio intermiſcenda:

Anaſt.Sinait.

*Etenim,ſuffitus,ſeu incenſum,quod iuſſit Deus Moyſem conficere, lege conſtituit, vt eius Compoſitio fieret ex terra, & mari: Stacte enim ortum habet ex terra: Onyx autem conſtat ex mari*: Statimque de altero vnguento Moyſe etiam ſeplaſiario: *Quod vnguentum à Deo iuſſus conficere: calamum quidem accepit è terra: Myrrham autem è mari.*

3.

Iul. Capitol.

*Murrhina olim in pretio.*

Fuit verò Murrhinorum egregia veteribus æſtimatio: Quare de M. Antonino Philoſopho Iulius Capitolinus cùm narraſſet omnem pretioſiorem gazam vendidiſſe publicâ auctione,numerat aurea pocula,& Cryſtallina & Myrrhina: teſtatus idipſum lib.8. Breuiarij Romanæ Hiſtoriæ Eutropius,inquiens: *Ad huius Belli ſumptum ærario exhauſto,inſtrumentum regij cultus,facta in foro Diui Traiani ſectione,diſtraxit: vaſa aurea, pocula Cryſtallina, & Murrhina:* Ælius Lampridius enormem in voluptatibus luxum Heliogabali Brutiſſimi principis deſcribens: *Onus ventris*(inquit)*auro excepit: in Myrrhinis & onychinis minxit:* At & docuimus inter gemmas connumerata Murrhina ex Plinio,& Iſidoro Hiſpalenſi: Quando igitur Myrrhæ tale pretium,& vaſcula inde fierent; perſpiciendum, num & eiuſmodi Myrrhæ huius loci verba adaptari queant: Sanè Hebræam vocem צרור *Tſeror*,quam faſciculum vertit ordinarius Interpres,ſaccum aut Crumenam,& inuolucrum quoduis denotare agnoſcunt Cypr.Ciſtercienſis,Sotomaior,Delrius, Sanchez, Giſlerius: quare L X X. dixerunt: *Alligamentum guttæ*, vt & multi Gręcorum Patrum:Hinc inſinuari arbitratur Delrius Vaſculum aliquod pretioſæ materię, quod Sponſa geſtarit, & à collo in mammas deſcenderit,quo includebatur Myrrhæ arboris excellentior lachryma:portabatur autem inter vbera ad Cordis ſolatium,cui halitus ſuauiſſimę guttæ prodeſſe credebatur:ſubſcribit Placidus Nigidius,docet idipſum ad v.20.c.3. Iſaiæ noſter Sanctius n.39.indicat Gabriel Aluarez num.75.certè eum in morem delineant, quæ nominato Prophetæ loco Olfactoriola dicuntur; quod præſtat & Leo Caſtrenſis: Monet inſuper ad hunc verſum Sanctius n. 69. vaſculo, ſeu thecæ, quam ad pectus ferebat Sponſa inſculptam Mariti effigiem cum nomine pariter:Equidem moris fuiſſe,

Eutrop.

Lamprid.

*Quid* Tſeror *Hebrais.*

Cyprian. Ciſtercienſ. Sotomai. Delrius. Sanchez. Ghiſler. LXX.

Nigidius. Sanchez. Aluarez.

Leo Caſtr.

vt charorum cælatæ imagines ab amicis portarentur cum titulo & inſcriptionibus,oſtendimus Veſtig.11.n.7.Quãdo igitur Murrhina in deliciis & iucunditate fœminarũ, pretiúmque fuerit exquiſitum,opinari quiſpiam valeat,donatam inter alia nuptialia munera Sponſæ,vel à Marito,vel à ſodalibus eius,thecam Murrhini lapidis, quâ recluderet ſtactem Myrrhæ florẽ, & nobiliſſimum partũ:in ea verò cælari curauerint Sponſi effigiẽ & vocabulum:atque hanc ſanè ob cauſam, quod nimirum Sponſo ornaretur, magis quàm ob incluſum liquorem,ad vbera geſtare voluiſſe Puellam:Hanc itaque alludens ad ſculpturam,inquit: Sponſum, olfactoriolum ſibi factum, quando in Myrrhotheca deſcriptũ haberet:& hoc, *Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi*, ſcilicet Crumena & vaſculũ Myrrhę ſub imagine Spõſi: *inter vbera mea cõmorabitur*:Non fronte gerã,non auribus,non lacteâ Ceruice:apponã cordi amabiliſſimũ pignus.

*Num geſtabat Sponſa à collo in mammas, Pyxidiculam odorã Murrhinam (Sponſi munus) in qua vel Sponſi effigies & nomen, vel Stacte.*

4.

*Nomen Myrrhæ & Arbori & gummo ſeu Arboris lacrymæ accommodatur.*

Vt ad arborem progrediamur,& ligno, ramíſque Myrrhæ nomen accommodatum, inſuper & pinguedini,ſeu gummo & lachrymæ, quã ſudat: de hac quidem Latinus Vates Æneid.lib.12.

*——Et fœdare in puluere Crines*
*Vibratos calido ferro, Myrrhâque madentes.*

Virgil.

Quo enim modo humectati capilli niſi ob pinguedinem maderent?Seneca in Hercule OEtæo, de illo per mulierum amores effracto atque emollito,cùm delicias quæreret:

*Crinémque Mitrâ preſſit,& famulus ſtetit*
*Hirtam Sabæâ marcidus Myrrhâ Comam.*

Senec.

Vſus proinde, quod rorem denotat,& fluidi aliquid perfundendi vocabulo lib. 1. Eleg. 2. Propertius:

*Aut quid Oronthæa Crines perfundere Myrrha*
*Téque peregrinis vendere muneribus.*

Propert.

Et de Re nuptiali quidem Author Carminis de Ciri inter Maroniana opera, quoniam & Myrrhino vnguento caput delibutæ Nouæ nuptæ:

*Non mihi iam pingui ſudabunt Tempora Myrrha,*
*Pronuba nec caſtos accendet Pinus honores.*

Virgil.

Hac ſignificatione mulier illa Prouerb. c.7. v.17. inquit: *Aſperſi cubile meum Myrrhâ,& aloë, & cinnamomo*:nam aſpergendi vox de liquido ſonat:in eandem ſententiam de Magno Alexandro lib.12. Dipnoſoph. Athenæus,cap.8. *Conſpergebat pretioſo vnguento,vinôque odorifero pauimentum Alexander, Myrrhâque:* Denique Dioſcorides lib. 1. cap.67. *Myrrha*(ait)*lachryma eſt Arboris,quæ in Arabia gignitur, Ægyptiæ ſpinæ non diſſimilis.* Imò quidem à gutta & fletu ad Arborem tranſlatum nomen Iſidorus monet Hiſpalenſis lib. 18. Originum, c.8. *Myrrha Arabiæ arbor*(inquit)*altitudinis quinque cubitorum,ſimilis ſpinæ,quam ἄκανθον dicunt; cuius gutta viridis,atque amara,vnde & nomen accepit Myrrha.* Gręci tamen peculiari voce lachrymam inſignierunt, *Stacten* appellantes à ſtillando quidem:vnde Plinius lib.12.c.15. *Sudant autem ſponte priùs,quàm incidantur,ſtacten dictam,cui nulla præfertur.* Ideo in illud Pſal.44. *Myrrha,& gutta & caſia*,&c.Euthymius Zigabonus: *Stacte, humor quidam eſt,qui emanans à Myrrha ſtillat.* Hieronymus in eundem verſum ep.140.ad Principiam: *Narrant & ij,qui Aromatum nouêre virtutes, ſtacten florem eſſe Myrrhæ.* Eleganter vocauit florem primam illam guttam, quam ſine vulnere & cultro Agricolæ Myrrham præbere ex Plinio aſſeruimus, adhuc enim Virgo eſt arbor,quẽadmodũ & gleba ab aratro improciſſa:Hieronymũ ſequutus in eundẽ Pſal.Paſchaſ. Abbas:Sanè & eiuſmodi primæ Myrrhæ, vtpotè ſynceriſſimę,pręcipuus delatus honor:quare Iſid. de

Prouerb.7. 17.

Dioſcorid.

*Qualis Arbor, Myrrha?*

Iſidor.

*Stacte odorus humor è Myrrha ſtillans.*

Plin.

Pſal.44.9.

Zigabon.

Paſchaſ.



Iſidor.

de incoacta illa lachryma loco memorato: *Gutta eius ſponte manans pretioſior eſt:elicita Cortice vulnere vilior indicatur.* At Magnus Baſilius in dicta Pſalm.44.verba, ſtactem arbitratur ſubtiliorem humorem ex pingui ſtilla expreſſum: *Gutta verò & ipſa*(ait) *Myrrhæ ſpecies eſt tenuiſſima,ex hoc enim aromate contuſo,atque expreſſo, omne quod hæſit liquidum in guttam ſeparatur,reliquum quod reſtat craſſius Myrrha appellatur*: Quâ fuiſſe in opinione Dioſcoridem appareat: nam lib.1.cap.62. *Stacte*(aſſerit) *vocatur pinguitudo recentis Myrrhæ, cum exigua aqua tuſæ, & organo expreſſæ*: Quo pacto intelligi valeat,quamobrem Pſalmodus adiunxerit pariter & Myrrham & guttam:Nam & puluere Myrrhæ,craſſioris nempe Reſinæ, & liquido tenuis guttæ odore perfuſa ſunt veſtimenta Sponſi:Cælius Rhodiginius lib.24. Lectionum, c. 22. Stacten generatim dici aſſeuerat, de cuiuſcumque arboris lachryma & ſudore, & denotare, quod defæcatum,percolatúmque eſt: fortaſſe vox per Antonomaſiam de Myrrhæ gutta,quod eius,quæ defæcatur lachryma, organo expreſſa & purgata vt vidimus, inſigniter fragrans & medicinalis eſt: quare citato Dioſcorides loco: *Ea perquàm odorata eſt, ac pretioſa, atque vnguentum per ſe facit,quod ſtacte nominatur; cuius minima portio compos eſt virium plurimarum.*

Baſil.

*Gutta Myrrhæ.*

Dioſcorid.

*Quid in Pſalm.* 44. Myrrha & gutta?

Rhodigin.

Dioſcorid.

5.

*Num de Nuptiali corona è Myrrhæ folijs texta, intelligendus hic verſus?*

Ergo nomen conuenerit lachrymæ, conuenerit etiam arbori,de quanam Poëta? agere de Corona geniali,ſeu nubentium,ſeu Hoſpitum Conuiuialium,proinde de ramis ac frondibus, è quibus textæ,ſeu modò caput ac tempora ornarent, ſeu ad pectus geſtarétur è collo,eóuſque demiſſę, arbitrati Genebrardus, Luiſius de Leon; Giſlerius, Sanctius:Pineda lib.5. de Salomone c.3. §.5. n.6.Gueuara in cap.2. Habacuc,n.322.Alcazarius de colligatis ſimul floribus, & ſinui immiſſis exponit, cui fauet ſententiæ Apponius; & Philo Carpathius Manipulum appellans: atque huius ſanè cogitationis Patroni, non tam probant, quod aſſerunt, quàm penè indubitatum ſupponunt:Nos aliquid fulcri adiiciemus. Primùm; id videatur ſine Controuerſia eſſe, arbores, quæ in viſceribus ſuccum odoratum condunt, & cortice & foliis eſſe ſuaue halantibus:Quî enim fieri valeat,vt non omnes Partes dulcis pertranſeat humor? idcircò Balſami magnâ cum diligentiâ amputantur ſarmenta, quòd magno pretio ab inſtitoribus diſtrahantur, equidem ob participatum odorem vnguenti quod diſtillant,vt ſcribit Ioannes Renodæus libro 1. de Medica materia,ſect.3. capite 16. Cùm igitur Myrrhæ folia ſuauiter ſpirent, quamobrem reſpuemus inde confecta nuptialia ſerta? Secundò,quoniam ita exponentes, propriè Vulgatum interpretamur: neque enim concipi valeat, vt in liquorem rectè faſciculi nomen quadrare poſſit. Tertiò, Quod ita congruenter exponi poſſe videatur Pſalm. 44. verſ.9. *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis*, &c. Nam Myrrhæ arboris contuſa folia, & in puluerem redacta concipiuntur, gutta eius liquor. Quartò: nam & in ſympoſiis vſus talium Coronarum: Quippè & Antiochi Regis Conuiuio Athenæus libro 12. Dipnoſoph. *Deinde* (ait) *è melle concreto dulciarium opus multum: Coronáſque multas thure & Myrrha, inſertis, ac inculcatis aureis lemniſcorum faſciolis*: Poſtremò: nec Coronæ ad pectus vſus inſuetus: Nam idem Author lib.15. *Coronis etiam pectus ornari* (inquit,) *vnguentíſque oblini cœptum; quia ſit in eo Cor ſitum:* Et Gregorius Niſſenus ad hæc verba homilia 3.

Genebrard. De Leon. Ghiſler. Sanchez. Pineda. Gueuara. Alcazar. Appon. Philo Carp.

*Arbor cuius odorus ſuccus, etiam cortice & folijs ſuaue halat.*

Renodæus.

Pſalm.44.9.

*Coronarum ex Myrrha vſus in Conuiuijs.*

Athenæus.



nomine Sponſæ: *Mihi,inquit, eſt faſciculus, quem à collo ſuſpendo ſupra pectus, per quem bonum odorem corpori præbeo*: quibus germana noſter Roa lib. 3. ſingular.Appendice ad cap.1.

Greg.Niſſen.

6.

Sotomai. Cyprian. Ciſterc. Delrio.

Viſum hoc pronunciatum difficile, à quo recedunt,Ludouico de Sotomaior,& imprimis Cypriano Ciſtercienſi,& noſtro Delrio: Nam Hebręa,vt ſuprà vidimus Crumenam & inuolucrum denotant,propterea & vnguentum clauſum ſub intùs: ídque multo expreſſiùs L X X. qui *alligamentum guttæ* interpretati ſunt,neque aliud quàm hoc *faſciculus*:Stillam etiam,vnguentum, lachrymam planè docent Origenes hom. 2. ex duabus; item & de quatuor,Niſſenus,Tres Patres, Pſellus Theodoretus,Matthæus Cantacuzenus:ex Latinis Sanctus Ambroſius ſerm.3.in Pſalm.118.Deinde mirum eſt ſilentio prætermiſſum ab omnibus,qui de Myrrhæ tractarunt natura, eius folia ſuaui eſſe odore: exceptis his,duo ſunt à quibus ego deterreor. Primum, quod ab Iſidoro Hiſpalenſi libro 18. Origin. cap.8. traditum ſit: *Sarmenta eius* (de Myrrha loquutus) *Arabes ignibus fouent, quorum fumo ſatis noxio, niſi ad odorem Storacis concurrant, plerúmque inſanabiles morbos contrahunt*: At ſi iucundæ cuiuſdam fragrantiæ halitu excellerent Rami, arduum apparet,vt nocere,& peſtem afferre poſſet, imò confortaret cerebrum, alioquin ſuffitus, qui in fumum exhalantur, quo pacto recreant languentes Spiritus, & morbos depellunt? Secundò, quoniam Dioſcorides ſimul cum Iſidoro prolatus num.4. apertè docent Spinis aſperam eſſe Myrrham:quorum verbis vſus Honorius Auguſtodunenſis ad hunc locum: Plinius libro 12. cap. 15. *Arbori altitudo ad quinque cubita, nec ſine ſpina: folium oliuæ: verùm criſpius & aculeatum*: Theophraſtus lib.9. de Plantarum Hiſtoria, cap. 4. *Sed Thuris folium Laurinum, læuéque: Myrrhæ aculeatum, non læue, vlmeo ſimile: criſpum tamen,extremo Spinâ horridulum, iligneì modo.* Et infrà: *Alij Myrrhæ arborem Terebintho ſimilem reddidêre; Sed ſcabriorem, ſpinoſiorémque*:Sanè Truncus etiam apud Guillielmum Rouillium Hiſtoriâ generali Plantarum tom. 2. lib.18.cap.4. ſpinis horridus: Cùm igitur Arbos & Cortice,& foliis aculeata ſit, & pungens: credemus à voluptatum Amatoribus inde confecta ſerta, quibus mollem cingerent frontem? quæ pectori & mammis adhiberent? igitur potiores concedamus ſententiæ partes, quæ adſtruit, guttam fuiſſe, & ligni receſſibus erutam lachrymam. Ab Athenæo memorata corona ex condenſata Myrrha.

LXX.

Origen. Niſſen. 3.Patres. Pſellus. Theodoret. Cantacuz. S.Ambroſ.

Iſidor.

*Myrrhæ ſarmentum non benè odorum.*

Dioſcorid.

*Myrrha ſpinis aſpera.*

Honor. Auguſtod. Plin. Theophraſt.

Rouill.

7.

Niſſen.

*Myrrha ſuaueolens.*

Ac ſanè ob odoris præſtantiam à Sponſa Myrrham adamatam Gregorius Niſſenus perhibet homilia 3. *Aiunt, ſtudio eſſe ſui ornandi cupidis mulieribus, non ſolùm externis procurare ornamentis, vt ſint amabiles ijs, qui cum ipſis viuunt: Sed etiam dare operam, vt per quandam ſuaueolentiam corpora quoque ſuis Maritis congruenter videantur agere: ad eum vſum aroma intra ſuæ veſtis ambitum occultantes,quo ſuum emittente vaporẽ,corpus quoque bono odore Halitus ſimul afficitur.* Eadẽ Niſſeni abbreuiator Pſellus:Sanè perquàm odoratam nuncupari à Dioſcoride oſtendimus ſub finem num.4. Quare ex Sylua aromatica, hanc deligere Phœnicem, vtique ob fragrantiam Tacitus prodit Annal.libro 6. inquiens: *Et primam adulto curam ſepeliendi Patris: neque id temerè, ſed ſublato Murrhæ pondere, tentatóque per longum iter, vbi par oneri, par meatui ſit, ſubire patrium Corpus, inque ſolis aram perferre, atque adolêre:*

Pſell. Dioſcorid.

Tacit.

*Myrrhæ vſus in ſepeliendis corporibus.*

Quâ vſos in condiendis corporibus defunctorum Ægyptios, non ſolùm ad Vermis interemptionem, ſed ad fragrantiam pariter, his teſtatur Diodorus Siculus lib. 2. Biblioth. cap. 5. *Myrrhâ deinceps, ac Cinnamomo, cæteriſque Rebus liniunt: quæ non ſolùm id ſeruare diutinè, ſed odoriferum reddere queant:* atque hac ſingulariter de cauſa, vt ſcilicet Buſtum ſpiraret ſuauiſſimè, optimus Nicodemus corpus Seruatoris Myrrhâ inunxerit, Ioan. cap. 19. verſ. 30. Qui tranſiit mos ad primitiuos Orthodoxos, vt demonſtraui Veſtigatione 2. num. 5. Myrrham ſtillatitiam odoratiſſimam eſſe monet Athenæus lib. 10. agens de Balneis Antiochi Syriæ Regis: optimi eſſe odoris Hieronymus aſſerit ad illa cap. 27. Ezechielis: *Dan & Iauan*, &c. Nonnus Panopolitanus ad cap. 19. Ioannis odoratam vocat: probat Matthiolus Quæſtionum Medicinalium libro 3. Leuinus Lemnius lib. 2. de occultis Naturæ miraculis, cap. 52. & explicatione de Herbis Biblicis, cap. 21. Quidni ita quidem, cùm opulentiſſimus teſtis Siracides proclamet Eccleſiaſtici, c. 24. verſ. 20. *Sicut Cinnamomum, & Balſamum aromatizans odorem dedi: quaſi Myrrha electa dedi ſuauitatem odoris:* Quamobrem illi, quorum contagioſus, ac proin ingratus anhelitus, Myrrhâ caſtigare ſoliti: Luſit in Poſthumum ideò Martialis lib. 2. Epigr. 12.

Diodor. Sicul.
Athenæus.
Hieronym. Panopolit.
Matthiol. Lemnius.
Eccli. 24. 20.
*Grauis anhelitus Myrrhâ correctus.*
Martial.

*Eſſe quid hoc dicam, quod olent tua baſia Myrrham,*
*Quodque tibi eſt nunquàm non alienus odor?*
*Hoc mihi ſuſpectum eſt, quod oles benè Poſthume ſemper:*
*Poſthume non benè olet qui benè ſemper olet.*

Inde & conciliata falernis peringens gratia, de quo argumento Veſtigatione 2. actum numero 24. vbi de Myrrhato Seruatoris poculo.

8.

*Cur etiam ſupra Nardũ, Myrrhæ odor ad epulum Geniale conquiſitus?*

Num igitur fragrantiæ, & odoris causâ Myrrha conquiſita eſt ad geniales epulas? Verùm in hunc ſcopum iam Nardus præparata: ex verſu antecedenti id conſtat. Quæ Myrrhæ neceſſitas? Primùm, vt diuerſitas eſſet halantium aromatum: Nam maior iucunditas à diſſimilibus: nec Maieſtate Coniugum digna vna ſpecies odoriferorum: Deinde ad ſuffumiganda veſtimenta Nubentium: commendatum hoc altero Hymenæo Dauidis Pſalm. 44. verſ. 9. *Myrrha & gutta & Caſia à veſtimentis tuis.* Tertiò, potiſſimúmque, ne exhilaratis Conuiuis à Lyæo, noceret cerebro compotatio: eſt enim aduerſus ebrietatem in Myrrha præſidium, probat ex Athenæo, Plutarcho, & aliis, Cardinalis Cæſar Baronius tom. 1. anno Chriſti 34. num. 96. idque ab amaritie, Nam amaram eſſe perhibet Dioſcorides lib. 1. cap. 67. videndus Leuinus Lemnius de occultis Naturæ Miraculis, lib. 2. cap. 17. Et quanquàm nominati hactenus Auctores, cùm de Myrrha pertractant, ſolum genitale Arabiam aſſignent, non tamen inde ad Sponſam delata credenda eſt, cui ad peregrina aromata argentum non erat ob familiæ tenuem cenſum: Quod igitur ſuperiori verſu de Nardo ſtatuimus, collectam ab ea Libani iugis, aut in ſubiecta, monti planitie, dum aut vineam cuſtodiret, vel agnos ſequeretur, antequàm Sponſo traderetur, proinde munus obtuliſſe patrium, & quale fœminea parare induſtria quiuerit, hoc nunc de Myrrha opinandum: Quidni enim Palæſtinæ Myrrham conceſſuri ſimus? certè Plinius lib. 12. capite 15. extra Arabiam creſcere aït, inquiens: *Non dant ex Myrrha portiones Deo, quoniam & apud alios naſcitur.* Quæ autem Regio poſt Arabiam Syriâ aptior? Quibus in duabus Prouinciis aromatum vberiorem eſſe copiam aduertunt Ariſtoteles Problematum ſectione 12. Theophraſtus de cauſis Plantarum, lib. 6. cap. 27. Quare libro 8. de Re Ruſtica Columella cap. 8. *Iudæam* (inquit) *& Arabiam pretioſis odoribus illuſtrem haberi:* quo memorat capite tranſlatam in Romanos Hortos Myrrham feliciter proueniſſe: ergo certè claſſis Salomonica dum legeret oras Arabiæ, non indê Myrrheos ſurculos Regium ad viridarium tranſportarit? At his cur egeamus, cùm Moyſes referat Geneſ. cap. 37. verſ. 25. viſos à filiis Iacob, dum necem Ioſepho molirentur, *Iſmaëlitas viatores venire de Galaad, & Camelos eorum portantes aromata, & Reſinam & ſtacten in Ægyptum:* eſt verò ſtracte, vt in antecedentibus expoſuimus, Myrrhæ defæcatiſſimus liquor: Galaad autem Libani Montis, quæ Patria Sponſæ, brachium eſt: ibi Myrrhæ ſilua: eò profecti inſtitores Agareni, Camelos onerarunt: & cùm loquitur Sponſus huius Carminis capite 4. verſ. 6. *Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem Thuris:* de Libani quodam iugo ſermocinatum aſſeuerant Genebrardus, Sanctius, Giſlerius, vbi Myrrham produci volunt: De Libani terminis, finitimo loco exponunt Nannius, & Sotomaior.

Pſalm. 44. 9.
*Myrrha aduersùs ebrietatem valet.*
Baron.
Dioſcorid. Leuin. Lemn.
*Vbi naſcatur Myrrha?*
Plin.
Ariſtot. Theophraſt.
Columell.
Gen. 37. 25.
*Galaad pars Libani.*
Cant. 4. 6.
Genebrard. Sanchez. Ghiſler.

9.

*Verſus huiuſce Conſtructio Literalis.*

Fortaſſe tamen hiſce in verbis non proſequitur Sponſa de vnguentis tractare, quæ genialem deſiderentur ad pompam: neque enim ſatis quadrat in vnguentorum pollicitationem, vt Sponſus faſciculus Myrrhæ nominetur: igitur Puella inſtitutam de Connubiali apparatu diſceptationem à Sponſo, eiúſque Amicis paululùm interrumpit, & Blanditiarum aliquid interſerit: vt cùm in benefaciendo viri Munificentiæ par non ſit, verba det ſaltem, & affectum exprimat, & deliniat Maritum: eſtque hoc eò veriſimilius, quod cùm ſe ex amore faſciculum Myrrhæ, & Botrum Cypri à Sponſa vocari audierit Sponſus, ad blandimenta ſtatim & ipſe conuerſus ſit, amotâ tantiſper Nuptiarum procuratione: ecce Tu pulchra es, inquiens, Amica. Vt ergo exordita eſt intimare viro, ſodalibúſque de neceſſariis ad Connubialia gaudia ſuffitibus & vnguentis, egit de Nardino oleo: & cùm vlterius progredi oporteret, ſubſtitit, & velut ad Sponſum conuerſa: Quid immoramur vnguentis? quaſi ait: Te mihi potiri liceat, ô Dilecte; Tu inſtar omnium aromatum mihi: Tu ſtacte illa pretioſa, quam delicatæ Matres ſinu, atque vberibus charum ferunt onus: Tu Botrus Cypri: vt & dicebat apud Comicum ſub alterius Argumenti figura quidam; in Plauti nimirum Curculione, Actu. 1.

*Sponſo ſuauius blanditur Sponſa.*
Plaut.

*Nam omnium odor vnguentorum præ tuo, nauſea eſt,*
*Tu mihi Stacte, Tu Cinnamomum, Tu Roſa,*
*Tu Crocum, & Caſſia es, Tu Bdellium: nam vbi*
*Tu profuſus, ibi ego me peruelim ſepultam.*

Obſecro autem Chriſtianum Lectorem, cùm hoc genus expoſitionis à nobis ſuſcipi viderit, atque immiſceri Amantium blanditias, ne ſpernat continuò, & vexet lucubrationes noſtras: cogit Nos Metri ſacratiſſimi exterior facies: Oportet Gregorij Romani antiſtitis aurea conſideraſſe verba Prologo in Cantica: Quæ eius eſſe, & non Richardi de Sancto Victore, Angelomi Richardo aliquibus ſæculis vetuſtioris, Præfatio in eadem ſuadet, cuius Gregorium allegantis, poſt mutuatas ab eo ſententias, talis Oratio: *Vnde conſiderandum eſt, quàm mirabiliter nobiſcum,*

*Honeſtæ Amantium blanditiæ hîc Lectorem æquum non offendant.*
Gregor.
Angelom.



*nobiſcum, & miſericorditer operatur, qui, vt Cor noſtrum ad inſtigationem ſacri Amoris accenderet, vſque ad turpis Amoris (vt Papa Gregorius exponit) verba deſcendit: Sed vnde ſe loquendo humiliat, inde nos ad intellectum exaltat; quia ex ſermonibus huius Amoris diſcimus, qua virtute in diuinitatis amorem feramur: Hoc autem nobis ſolerter intuendum eſt, ne cùm verba exterioris Amoris audimus, ad externa ſentienda remaneamus:* Cùm autem egregius doctor turpem dicit Amorem, lato vocabulo corporum quemcumque Amorem denotat: nihil enim hoc Epithalamio, quod ad honeſtorum Coniugum caſtas voluptates non ſpectat: & vniuerſim ad Sacræ Scripturæ Phraſes intelligendas, quoties de Amore tractant, qui ſub ſenſu cadit, eximiè Magnus Areopagita de diuinis Nominibus, cap. 4. *Nec verò nos quiſquam putet contra Scripturæ Sanctæ authoritatem Amoris nomen celebrare: eſt enim alienum, vt opinor, & abſurdum, non vim inſtituti attendere, ſed verba: neque hoc proprium eſt eorum, qui diuina intelligere cupiunt, ſed eorum, qui ſonos nudos probant, eóſque aure tenus non penetrantes extrinſecùs continent, nec ſcire volunt, quidnam hoc verbum declaret.* Et inferiùs aliquantùm: *Itaque nomen, quod moleſtius, acerbiúſque multis videtur, in diuina Sapientia ponitur, ad excitandos, deducendóſque eos ad veri Amoris notitiam:* De his non rarò à nobis priori actum in volumine: Sed hîc etiam breuiter ſatisfacere non benè verſatis in Bibliorum vſu, neque in Sanctorum Patrum opinionibus, operæpretium duximus.

Dionyſ. Areop.

10.

*Faſciculus Myrrhæ cur vberibus appoſitus?*

Quod autem faſciculum Myrrhæ vberibus apponat, agit, vt Cor refocillet: oſtendimus generatim de floribus & vnguentis, quæ ſinu condebantur, ex Athenæo numero 5. ſubindicat Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 8. cerebri gratiâ Mammas perlini: *Ea de cauſa Medici, cùm per diligentem Naturæ contemplationem Cerebrum cognoſcunt eſſe frigidum, pectora eſſe vngenda ſentiunt, & ſupremas Naſi partes, vt ſenſim tranſiens calida exhalatio, eius frigiditatem rectè poſſit fouêre.* Equidem hoc talis pingitur Sponſa Hymenæo, quæ Spiritum ſæpè amittat langueſcens, & Animi vexetur abalienatione: rectè igitur contra deliquium Mentis ſtacte vtitur Antidoto: Nam & laterum & pectoris doloribus mederi ſcribit Dioſcorides libro 1. cap. 67. grauem quoque oris anhelitum ſuffocare: vtilem eſſe ad plurimos curandos morbos in hunc verſum tradit Aponius, & eius in multis tranſcriptor Angelomus: remedio eſſe aduersùm Venena docet Auctor Commentariorum in Pſalmos cum Hieronymi titulo, in illud Pſalm. 44. *Myrrha & gutta & caſia,* &c. Contagio inimicam eſſe, & propellere affirmat Cœlius Rhodig. lib. 24. cap. 22. Leuinus Lemnius lib. 2. de occultis Naturæ Miraculis cap. 52. rectè proinde Ariſtoteles Medicinalem appellauit Problematum ſectione 12. Διὰ τί τῶν θυμαμάτων ἧττον αἰσθάνονται πλησίον ὄντες; πότερον ὅτι ἀκρατέστερα κεραθεῖσα ἡ ἀπόρροια τῷ ἀέρι, ἡδίων, ὥσπερ ἡ σμυρνὴ τῶν ἰατρῶν; *Cur ſuffimenta omnia minùs è propinquo ſentire poſſumus? Vtrum, quod odoris delibutio aëre temperata validior redditur, vt Myrrha medicinalis ſuauior eſt?* idem Epitheton confirmatum Pomponij Iuriſconſulti verbis: lib. 21. ff. de auro & argen. leg. *Vnguentis legatis non tantùm ea legata videntur, quibus vngimur voluptatis cauſa, ſed & valetudinis: qualia ſunt comagena, glaucina, crinina, Roſa, Myrrha, Coſtum, Nardum purum:* Tam igitur ſalutaris, & confortans Myrrhæ cum eſſet faſciculus, benè quod mediis vberibus repoſuit.

Clem. Alex.
*Stacte, deliquio, laterum pectoriſque doloribus, graui halitui, venenis, &c. remediũ.*
Dioſcorid.
Aponius. Angelom.
Rhodigin. Lemnius.
Ariſtot.
Pompon. Iuriſc.

11.

Num verò Myrrha prioribus ſæculis nota Benjuinum ſit, quod ex nouo afferatur orbe per recentes nauigationes? Garcia ab Horta lib. 1. Hiſtoriæ Aromatum, cap. 5 Benjuinum, quod in Samatra, & Sian naſci affirmat, veteribus & Græcis, & Hebræis incognitum fuiſſe: Ad Myrrham ſpectare negat Ioannes Renodæus libro 1. de materia Medica, ſectione 8. cap. 5. Qui tamen Myrrhæ ſpeciem faciat, eſt Amatus Luſitanus Enarratione 71. Sanè Horta Benjuini præſtantiſſimum genus eſſe memorat, quod maculis quibuſdam abundat candidis, vnguium inſtar: quas eſſe notas optimæ Myrrhæ Dioſcorides prodit libro 1. cap. 67. inſuper vulnerari corticem vt liquor poſtmodùm denſandus effluat: atque hoc de Myrrha omnes concedunt, denique & folia Salicis inſtar eſſe, quod de Myrrha vetuſtiſſimus Author Apponius hunc ad verſum tradit, quem Angelomus imitatur: Ad hæc Renodæus, inſigniter odoratum eſſe Benjuinum, ad thymiamata & ſuffitus peridoneum, Cor, Spiritus, & facultates omnes roborare: Quamobrem igitur reſpuamus concedere Myrrhæ ſobolem eſſe? Equidem non minùs diſſimile, quod hodiernâ ætate ex America tranſportatur Balſamum illi, quod à priſcis Phyſiologis delineatur, quàm Benjuinum veteri Myrrhæ, docebit noſter Ioſephus de Acoſta libro 4. de Hiſtoria Naturali Indiarum: & tamen verum, germanúmque Balſamum cenſetur, alioquin Chriſmati ſacro haud deſeruiret, cùm tamen aptum eſſe ab Apoſtolicâ ſede ſit declaratum, vt idem perhibet: ergo & Benjuinum quoque Myrrha reputabitur: Quæ propterea à nobis inſinuata ſunt, quod Renodæus adſtruat de Benjuini ligno odoratum eſſe, vt inde habeant, quibus ſententiam confirment ſuam, qui cogitant hoc Canticorum agi loco, non de ſtillatitia Myrrha; ſed de foliis, frondibúſque Arboris, è quibus conflatæ Corollę ad Sympoſium geniale: Poterit etiã Concionatoribus vſui eſſe, quod Benjuina ſylua non ſine grandi diſcrimine adeunda, ob Tigridum, quibus abundat, ſæuitiam, ſcilicet, quod Myrrhâ ſignificetur, non abſque labore, nec ab effæminatis comparandum: Poſtremò, id aduertendum, vt quoniam huius ſectionis numero 2. ſtatuimus Myrrham, quam aſſerebat Anaſtaſius Sinaita de mari eſſe, non poſſe ad arborem, & ſtacten transferri: Theophraſti verba eſſe lib. 9. de Hiſtoria Plantarum, cap. 4. *Naſci verò hanc terra ſubargilia, & ſabuloſa: & aquas fonte fluentes raras admodum comperiri: Hæc ergo illis repugnant, videlicet ningi, & imbribus perlui, & amnibus locum exhilarari:* Neque ex tot prolatis hactenus, qui de Myrrha egerunt, teſtibus, humentis, in qua oriatur, glebæ quiſpiam meminit.

Ab Horta.
*Num Myrrhæ ſpecies Benjuinum?*
Renodæus.
Amat. Luſit. Horta.
Dioſcorid.
*Quãta Myrrhæ cum Benjuino affinitas?*
Apon. Angelom.
Acoſta.
*Benjuinam ſyluam acceſſu difficilẽ reddunt Tigres.*
Anaſtaſ. Sinait.
Theophraſt.

12.

Vt de verſionum diuerſitate non omittamus dicere; Sciendum qui à vulgato nominatur Interprete *Dilectus*, à LXX. appellari ἀδελφιδός, hoc eſt, *fraternus,* ſeu *fratruelis*, fratris videlicet, aut ſororis filius: Num talis reuera Sponſus? eſto quidem aliquo modo ſanguinitate coniuncti fuerint, eò quòd Sponſæ genitorem ex coniectura de Hebræorum optimatibus fecerimus Veſtigatione 7. numero 8. tamen Moſaicis legibus, quas minimè perfregiſſet Sponſus, religioſus vtique, & patriarum obſeruantiarum ſtudioſiſſimus Princeps, interdicta erant Connubialia fœdera nepotis cum Amita, aut patrua,

L X X.
*Num Sponſus Sponſæ cognatus, quod eum fratruelem appellet Sponſa ſecundum L X X. verſionem?*

nimirum Patris ſorore, Leuit. cap. 18. verſ. 12. *Turpitudinem Sororis Patris tui non diſcooperies, quia caro eſt Patris tui:* Quin & poſt datam Moyſi legem illicitum fuiſſe Matrimonium non ſolùm inter nepotem ex fratre, vel ſorore & amitam; ſed etiam inter Patruum cum nepte ex fratre vel ſorore, noſter adſtruit Bonfrerius ad verſ. 12. c. 18. Leuit. & ſententię Patronos allegat S. Ambroſium epiſt. 66. & in dictum caput Nicolaum, & Abulenſem: Quanquam in hoc à Bonfrerio diſſentiunt Bellarminus de Matrimonio cap. 27. §. *Tertiò probatur*, &c. Becanus Analogiæ c. 21. quæſt. 2. num. 6. & multi apud Thomam Sanchez lib. 7. de impedimentis Matrimonij diſp. 52. num. 1. Si igitur minimè Sponſæ fratruelis, & ex ſorore aut germano Nepos Sponſus illius, quamobrem talem L X X. Seniorum verſio nuncupat? Myſticè Origenes vtroque in Commentario, itidem & Theodoretus, talem dicere aſſerunt, vt eſſe Eccleſiam ex gentibus intelligamus quæ loquatur, cuius ſoror cùm fuerit Synagoga, & de illa Chriſtus prodierit, bene nepotem & fraternum appellat, ex ſorore videlicet filium. At litteræ vt inſiſtamus, ſanè, quod in Hebræo eſt verbum דוד *Dod* & patruum ſimul & fratris filium denotat; inſuper & Amicum, Dilectum, charum, vt probat Giſlerius ad hunc verſum; & accuratè noſter Bonfrerius ad verſ. 20. cap. 6. Exodi: igitur alterâ vſus ſignificatione vulgatus Interpres, alterâ vſi L X X. non vt conſanguinitatis indicarent vinculum, ſed vt nomina ea indicarent, quibus ſe interdum Maritus & Vxor appellant: ſolet à viro Coniux filia dici: Pſalm. 44. verſ. 11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*: de vxore, ouis ſub Parabola, Reg. 2. cap. 12. verſ. 3. *Erátque illi ſicut filia:* Prouerb. cap. 31. verſ. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: Tu ſupergreſſa es vniuerſas*: ideò apud Homerum Andromache Hectorem virum ſuum, Patrem appellat:

Leuit. 18. 12. — Bonfrer. Ambroſ. Lyra. Toſtat. — Bellarm. Becan. Sanchez. — Origen. Theodoret. — *Quid* Dod *apud Hebræos.* — Giſler. Bonfrer. — *Vxorē filiam Maritus, & Maritū fratruelem blādè appellat vxor.* — Pſal. 44. 11. 2. Reg. 12. 3. Prouerb. 31. 29. — Homer.

Ἕκτορ, ἀτὰρ σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ ϗ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.
*Hector, ſed tu mihi es Pater, & veneranda Mater;*
*Et frater, Tu autem mihi iucundiſſimus Maritus.*

Quemadmodum ergo à viro filia dicta Coniux: ita à Coniuge Maritus fratruelis vocatus: ſeu blanditiarum gratiâ, & teneris Sponſi indulgens annis, quibus iunioris ætatis, qualis eſſe ſolet nepotum, melius conueniat Nomen, vt ſimili ferè in cauſa aliquid dixit Athenagoras legatione pro Chriſtianis: *Quamobrem etiam pro ætatis diſcrimine, alios pro filijs & filiabus, alios pro fratribus & ſororibus habemus: prouectiores ætate Patrum, & Matrum loco honoramus:* ſeu fine caſtorum indicandorum amplexuum honeſtiſſimi Epithalamij, vt de ſororis vocabulo, quo vtitur Poëta cap. 4. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum cap. 17. *Vbi ſororis nomen eſt, ſuſpicio omnis fœdi Amoris excluditur.*

Athenagor. — Hieronym.

13. *Verſionum concordia.* L X X.

Quid ſi fraterni vocabulo Germanum, & fratrem L X X. intelligant? Nam quanquàm in Hebræam loci huius vocem id non ſatis quadrare videatur, ſed num à Septuaginta Seniorum Phraſi alienum? Equidem cap. 8. verſ. 1. ipſi legunt: *Quis det te fraterne in lactentem vbera Matris meæ?* & tamen ibi eſt vox כְּאָח *cheach*, quâ non fratruelis, ſed Germanus indicatur, quomodo expreſſit Aquila: τίς δώσει σε ὡς ἀδελφὸν ἐμοί: *Quis dabit te vt fratrem mihi?* Reddidêre eodem modo Philo Carpathius: & L X X. adhærêre ſolitus Ambroſius ſerm. 19. in Pſalm. 118. Quanquam Theodoretus cum tribus Patribus, & Matthæus Cantacuzenus Nepotem expreſsêre: ſed fraternum pro fratre à L X X. poſitum exiſtimant Giſlerius & Delrius: ergo quidem fraternus idem ſit, quod frater. At quo pacto Sponſæ frater Sponſus? Num ab eodem vtero ambo? ſed quomodo Coniuges, cùm naturali præcepto vetitum eiuſmodi Matrimonium, & indiſpenſabile niſi extremâ in neceſſitate, vt ſub initio rerum, cùm duo ſoli extarent: conſule Bellarminum de Matrim. cap. 27. & latè diſceptantem Sanctium lib. 7. de Matr. diſp. 52. num. 10. qui certiorem eſſe opinionem demonſtrat: At Natura vt ſuſtinuerit, Moyſes apertè deteſtatur, Leuit. cap. 18. ſatis id: nec enim contra Moyſen Cantici Sponſus fœdos aſcenderit thalamos: quî igitur Soror Coniux, Maritus frater? *Quattuor modis* (inquit Hieronymus aduerſus Heluidium cap. 8.) *in ſcripturis diuinis fratres dici: Naturâ, gente, cognatione, affectu:* ſingula fusè proſequitur & declarat: repetítque eadem Author breuium Commentariorum Hieronymi cum titulo in epiſt. ad Galatas in illud cap. 1. *Niſi Iacobum fratrem*, &c. vtitur ſimili partitione Toſtatus quæſt. 51. in cap. 13. Geneſ. ex his neque ratio Naturæ, cùm non ex iiſdem Parentibus: neque gentis, cùm ille Iudæus, hæc Chananæa, in Sponſum, Sponſámque conuenit: de affectu agemus inferiùs, nam ſpeciale aliquid conſiderandum, vt Nomina ſingulariter aptentur: cognationis vinculum inexploratum eſt: Nam licet teneamus genitorem Sponſæ & Hebræam fuiſſe, & de ſatraparum numero, neſcimus tamen an ſanguine aliquo modo permixti: id ſi conſtaret, ſimul & de fraterno nomine: Nam ſollenne fuit Palæſtinis eo afficere vocabulo cognatos omnes: Thomas Anglicus ad verſ. 37. cap. 24. Geneſ. *Aſſerit ſolere namque ſcripturam nomine fratrum ſignificare Patrem & filium, vel auos & nepotes: patet ex illis verbis Iacob*, Geneſ. cap. 31. verſ. 32. *necetur coram fratribus noſtris*, &c. Documentum triuiale eſt: de eo Maldonatus in illud cap. 12. Matth. *Ecce Mater eius, & fratres*, &c. Melchior Canus ad longum ex Patribus, & ſcriptura lib. 11. de locis cap. 5.

Aquila. — Philo Carp. Ambroſ. Theodoret. Cantacuz. — Giſler. Delrio. — Bellarmin. Sanch. — *Sponſus quomodo Sponſæ frater?* — Hieronym. — Toſtat. — *Cognati omnes, fratres dicti apud Palæſtinos.* — Thom. Angl. — Maldonat. Melch. Can.

14. *Primi Chriſtiani Fratres nuncupati, ab vnitate & concordia.*

Verùm Germanitatis ea præclariſſima Nota eſſe videatur, ſi quando fraternæ Concordiæ eoúſque proceſſit nexus, vt duorum in honeſtis quibúſque prorſus ſententia eadem ſit, & communio Bonorum: ob hoc primi Chriſtianorum appropriato vocabulo fratres nuncupati Paulo inſinuante, vt memorat Auguſtinus lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 43. *Fratres autem Chriſtianos ſignificari multis diuinorum ſcripturarum documentis probari poteſt: manifeſtiſſimum tamen illud eſt, quod Apoſtolus ita ponit: ſanctificatus eſt enim vir infidelis in vxore fideli, & ſanctificata eſt mulier infidelis in fratre: Non enim addidit, noſtro, ſed manifeſtum exiſtimauit, cùm fratris nomine, Chriſtianum intelligi voluit, qui infidelem haberet vxorem:* & his ſanè Chriſtianos dictos fuiſſe patet: Quamobrem ita nuncupati? Minutius Felix in Octauio: *Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non nouimus: ſic quod inuidetis, fratres vocamus.* Lactantius lib. 5. Diuinar. Inſtitut. cap. 15. *Dicet aliquis: Nonne ſunt apud vos alij Pauperes, alij diuites, alij ſerui, alij Domini? Nonne aliquid inter ſingulos intereſt? nihil: nec alia cauſa eſt, cur nobis inuicem fratrum nomen impertiamus, niſi quia pares nos eſſe credimus.* Tertullianus Apologetici cap. 39. *Sed eò fortaſſe minùs legitimi exiſtimamur, quia nulla de noſtra fraternitate Tragœdia, vel quia ex ſubſtantia familiari fratres ſumus, quæ penes vos ferè dirimit fraternitatem:*

*itaque*

Auguſtin. — Minut. Fel. — Lactant. — Tertullian.



*itaque quia animo, animâque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus: omnia indiſcreta ſunt apud nos præter vxores.* Ex hac igitur perfectiſſimæ Amicitiæ ratione, quæ fœdere coniunctos æquales reddit omnino quoad animorum conſenſum in legitimis, ex qua & dominium ſupellectilis promiſcuum ſequitur, fraternitas conſurgit, de qua propterea quod de Amiciſſimis ſodalibus, vt frater, Alter ego ſit, non illepidè apud Gellium lib. 13. cap. 10. *Fratris autem vocabulum* (ait) *P. Nigidius homo impensè doctus, non minus arguto, ſubtilique ἐτύμῳ interpretatur: Frater, inquit, eſt dictus, quaſi ferè alter.* Sed multò ſplendidiùs Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 2. *Charitas autem fuerit conſenſio eorum, quæ ſunt in ratione, & vitâ, & moribus: aut, vt paucis dicam, vitæ ſocietas, vel Amicitiæ, & Beneuolentiæ extenſio, cum recta ratione ad vſum Amicorum, & familiarium, qui ἑταῖροι vocantur; (dicitur autem ἑταῖρος quaſi ἕτερος ἐγώ, id eſt, Alter ego) qua etiam ratione eos fratres appellamus, qui ſunt regenerati:* Cùm igitur in honeſto, fidelîque Matrimonio contingat, paria eſſe Coniugum ſtudia, pares opes, pares honores, moueantúrque ad idem prorſus diſtinctæ Animæ, quoad liceat per mortales curas: benè, quod fratris atque ſororis nominibus inſigniti & vxor, & Maritus ſpeciali quodam iure.

Gellius. — *Frater, quaſi Ferè alter.* — Clem. Alex.

15. *Frater idem quod Dilectus.* Saluſt.

At frater, quidni idem, quod Dilectus & chariſſimus? vt rectè quem Vulgatus Interpres Dilectum nuncupauerit, L X X. *fratruelem*, ſeu germanum dixerint: *Quis enim*, (vt in Iugurtha loquitur Saluſtius,) *amicitior, quàm frater fratri?* & vniuerſim de talibus epithetis Euſebius Gallicanus ſub finem homiliæ 4. in Natali Apoſtolorum: *Fratres autem, & Sorores, Patres, & Matres, non naturâ, ſed officio, & affectione: quos enim multùm diligimus, his nominibus vocare ſolemus:* Sed quæſtio eſt, an ad Caſtos affectus, an ad laſciuos talia pertineant vocabula? Equidem latuiſſe ſub his nominibus ſimulatæ Veneris petulantíſque fraudes, præter ea quæ Iuſtus Lipſius ex Gentilium Poëtarum officina congerit Variarum lectionum lib. 3. cap. 1. ſuadet maximè, obiectas ab Ethnicis primis Chriſtianis ſecretas libidines eam ob cauſam, quòd ſe mutuò fratres nuncuparent: oſtendit ex collectis à Baronio locis Patrum, qui calumnias Paganorum refutarunt Spondanus ad annum Chriſti 43. num. 4. noſter Ioannes Antonius Velazquez tomo 2. in epiſtolam Pauli ad Philippenſ. ad verſ. 26. cap. 2. in expoſitione litteræ num. 6. inde Athenagoras Philoſophus legatione pro Chriſtianis: *Nos certè tantùm à promiſcua illa Venere abſumus, vt ne intuitus quidem nobis laſciuior, aut libidini coniunctus permittatur: Nam qui mulierem (inquit Magiſter noſter) vel aſpectu ſibi deſiderarit, adulterium iam corde ſuo deſignauit.* Et paulò inferiùs: *illorum igitur, quos tanquam fratres, & ſorores, aut alio cognationis nomine coniunctos nobis ducimus; inuiolata, & integra manêre corpora, maximi apud nos ſit:* Sed quicquid de abuſione honeſtorum nominum, quæ à Natura ingenitum lumen à Turpitudine vendicat, apud laſciuientes Ethnicos, nam in tantam dementiam cæca prolapſa Gentilitas, vt & ſororium fœdaret thalamum: Vocabula tamen illa in ſacris Bibliorum arcânis caſtas denotant blanditias, ſiue idem ſint ex quadam loquendi norma, quod Maritus & vxor; ſeu dicantur ab amantibus tantùm intimæ & familiariſſimæ gratiæ causâ: atque hunc in modum Salomon, de Sapientiæ dulciſſimo fœdere; Nam cùm libro, cui ab illa Titulus, docuiſſet cap. 7. verſ. 8. præpoſuiſſe *eam Regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxiſſe in comparatione illius*, tum cap. 8. verſ. 2. *quæſiuiſſe Sponſam ſibi aſſumere* narrat: cuius autem nuptias impensè ambiret, Prouerb. cap. 7. verſ. 4. *Sororem & Amicam* vocauit: Itidem Aſſuerus cùm præ metu conſternatam Eſtherem recreare vellet ſuauiori oraculo, fratris titulo vſus eſt cap. 15. verſ. 12. *Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus, noli metuere*; ita in dictum Eſtheris cap. Serarius quæſtiuncula 9. Gaſpar Sanctius num. 7. Pineda ad cap. 17. Iob verſ. 14. num. 6. Delrius ad verſum 1. cap. 8. Canticorum, in expoſitione litteræ: etiam & apud prophanos caſtè ſonare non raro fratris & ſororis vocabula, cùm & de Matrimonio ſermo eſt, oſtendit Ludouicus D'Orleans ad lib. 12. Annalium Taciti, in illud: *ferre crimina*, &c. num. 10.

*Num eiuſmodi blandæ (vt fratris,) appellationes caſtæ?* — Iuſt. Lipſ. — Spondan. — Velazquez. — Athenagor. — Sapient. 7. 8. — Prouerb. 7. 4. — Eſther 15. 12. Serar. Sanchez. Pineda. Delrio. — D'Orleans.

Explanatio

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

***Textus*: Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Cap.1. verſ. 12.***

*Poteſtas ad cenſuras ferendas, & ad ſoluenda, ligandáque peccata in Confeſſione, ex Ioannis cap. 20. de Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutione poſt Reſurrectionem Seruatoris, Tridentini enucleata verba: Auricularis vtilitas Confeſſionis, contra Caluinum, & alios ſectarios: agnita à Patribus omni Eccleſiæ ætate, & laudata: obiter de moribundo exhibente ſigna Pœnitentiæ abſente Sacerdote: ſigillum Confeſſionis prorsùs inuiolabile.*

### SECTIO I.

16. *Sacramenti Pœnitentiæ & Clauium Inſtitutio.*

INTER geſta Redemptoris ea quæ operatus eſt, dum per quadraginta dies in terris verſatus eſt cum diſcipulis, memoranda imprimis fuit Clauium inſtitutio, & Sacramenti Pœnitentiæ in Eccleſia: ea quemadmodum contigerit, Ioannes expoſuit cap.20. verſ.21. Scilicet Apoſtolis, excepto Thomâ, ſimul congregatis, inaperto oſtio apparuit Ieſus & in medio ſtans, cùm oſtendiſſet eis manus & latus, inquit ſecundò: *Pax vobis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt:* Lubet autem horum verborum planè diuinam interpretationem, & Catholicis ſuſpiciendam tanquam è cœlo delapſam ex Tridentina Synodo petere: ſectione 14. cap.1. *Porrò nec antè aduentum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante Baptiſmum: Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus inſufflauit in Diſcipulos ſuos dicens: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, Poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit: & Nouatianos remittendi Poteſtatem òlim pertinaciter negantes, magna Ratione Eccleſia Catholica, tanquàm Hæreticos exploſit, atque condemnauit:* Quòd verò Concilium aſſerat, tunc præcipuè inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ, cùm à mortuis excitatus Redemptor, inſufflauit in diſcipulos &c. ideò eſt, quod inchoatio quædam præceſſiſſe videatur, cùm ratio ligandi & ſoluendi declarata, & facultas iudiciaria promiſſa eſt, Matth. cap.16. verſ.19. & cap.18. verſ.18. Quem in morem loquitur Sanctus Thomas 3. part. quæſt. 84. art.7. vel quod in vltima cœna longæ Adhortatationis decurſu fortaſſe Apoſtolos Chriſtus docuerit, quo Ritu Sacramentum iſtud adminiſtrare oporteret, vt noſter arbitratur Coningus diſputatione 4. dub.1. numero.13. Author apud Cyprianum de Cardinalibus operibus Chriſti huiuſmodi aliquid ſignificat; Nam de illius noctis geſtis Titulo de vnctione Chriſmatis, & aliis Sacramentis, agens, inquit: *Hoc Eccleſiæ ſuæ hodierna traditione exemplum relinquens, vt fieret in Eccleſia abſolutio peccatorum, & hæreditati redderentur eiecti, & præcedentibus beneficijs, quæ ſuprà enumerauimus, libertate donarentur Pœnitentes, qui ſecundum merita, niſi gratia ſubueniret, fuerant condemnati.* Congruentius apparebit, quod nunc referam: Ad actum remittendi peccata vnicè neceſſaria eſt Poteſtas ordinis, nam Sacerdotem eſſe quià reatu culpæ abſoluat opus eſt: Duplicem autem diſtinguũt poteſtatem ex Sacerdotali pullulantem ordine, eodémque per diuerſos reſpectus comprehenſos charactere Theologi: alteram, quoad conſecrationem veri corporis Chriſti: alteram penès corpus Myſticum eiuſdem, quatenus ex diuina ordinatione deputatur aliquis, vt Iudex eſſe valeat Animarum in foro Pœnitentiæ: iam igitur Apoſtoli Sacerdotes quidem conſecrati ſunt in nocte cœnæ, & poteſtatem acceperunt in verum Chriſti corpus per illa verba [Hoc facite in meam Commemorationem:] *At conſummata fuit* (vt loquitur Suarius tom. 4. in 3. part. diſputatione 16. ſectione 3. numero 3.) *eorum conſecratio, ſeu ordinatio poſt Chriſti Reſurrectionem per verba Ioan. c.20. verſ.21. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata,* &c. Hanc itaque imprimis ob cauſam forſan à Sacra Synodo pronunciatum eſt: tunc præcipuè inſtitutum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ, cùm excitatus eſt à mortuis Redemptor Noſter.

Ioan.20.21.

Conc. Trid.

*Cur* tunc præcipuè *inſtitutum Pœnit. Sacram. dicit S. Synodus*

Matth.16.19. Et 18.18.

S.Thom.

Conink.

Author Cardin. oper.

*Duplex è Sacerdotali Ordine Poteſtas, ſ. in verum Chriſti corpus, & in Myſticum.*

Suarez.

Ioannes Caluinus, & alij nouorum temporum ſectarij, apud Bellarminum lib.1. de Pœnitentia, cap.10. & apud Valentiam tom.4. diſputatione 7. quæſtione 1. Puncto 1. §. *Quartò argumentantur,* &c. Nihil aliud præfatis Ioannis Euangeliſtæ indicari verbis aſſerunt, quàm prædicationem Euangelij, ex qua fide imbutis hominibus accidit credentes per merita & ſatisfactionem Chriſti, abſolui à nexibus delictorum. Verùm hoc expoſitionis genus eo ipſo ſuſpectum eſſe debeat, quod ex antiquis Doctoribus neminem 17.

Bellarmin. Valentia. *Caluinus peſſimus Interpres, de ſuo cerebro Scripturas ad nutum ſuum torquet.*



nem Patronum habeat, neque Textui aliquo modo quadret: Chriſtus cùm voluit indicare buccinandum eſſe Euangelium, clarâ vſus eſt phraſi Marc.cap.14. verſ.15. *Et dixit eis: euntes in Mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni Creaturæ:* vt quid ad hoc exſufflatio, & clauium poteſtas per ligandi, atque ſoluendi vim? Num in Muliercularum gratiam peregrina expoſitio? vt quibus ab Hæreſi conceſſum eſt docêre atque prædicare contra omnem vſum poſt fundatam à Chriſto Eccleſiam, liceat & gloriari eiſdem remittere illas poſſe, atque retinere peccata? eſto autem & prædicatum ſit iniquis, & fidem receperint, adhuc ſcelerum luto hærent: Num criminibus fœdatos Olympus admiſſurus ſit? vel ſi tanta inſania eſt, vt dicant cum fide & prædicatione tantùm abſtergi omnes labes: Quis non animaduertat in perniciem generis humani talibus Commentationum ludibriis Scripturas eneruari vt impune ſit per omnium libidinum ferri enormitates? Itaque tot ſecum huiuſmodi vehunt interpretationes monſtra, quibus refellendis penè ſuperuacuus ſit doctorum hominum conatus, neque opus propemodum ſit, niſi non palàm cæcutire, vt ab inſano dæmone profecta eſſe, intelligatur: Quamobrem memorato loco Concilium ſubdit Tridentinum: *Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias intrepretationes, qui verba illa, ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annuntiandi, contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.*

Marc.14.15. *Remittere & retinere peccata, idem eſt Caluino ac Prædicare Euangelium.*

Trident.

18 Aduertit autem Suarius optimè tom.5. in 3. part. diſp.1. ſect.2. num.10. ex præfato Ioannis loco colligi non ſolùm deriuatam à Chriſto in Apoſtolos iuriſdictionem fori Conſcientiæ atque interioris per Sacramentalem confeſſionem, & abſolutionem à peccatis; ſed inſuper fori publici & contentioſi poteſtatem, vt peruicaces cenſuris domare poſſint, & in viam rectam æquitatis metu excommunicationis, aliarúmque Eccleſiaſticarum pœnarum reuocare: ac quidem ita aſſerentes planè ingenioſè philoſophantur: Quotuſquiſque enim eſt, qui non ſubſentiat Matth. cap. 18. v.18 hanc ſubindicari poteſtatem, Chriſto proloquente: *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo?* declarant Maldonatus, Ianſenius Concordiæ c.72. & ante eos Abulenſis quæſt.113. & 115. in dictum Matthæi cap. Caietanus ibidem: Valentia tom.4. quæſt.17. Puncto 1. §. *Nunc auctoritatem,* &c. Coningus diſp.13. de Cenſuris in genere, Dub.3. num.18. Atqui, vt benè aduertunt Toſtatus, Caietanus, Ianſenius Maldonatus, idem nominatis generalibus verbis c.18. Matth. à Chriſto quocumque id tandem modo indultum cunctis Apoſtolis; de quo ſermo fuit cum Simone Petro cap.16. ſub Clauium Metaphorâ: Quis autem negaturus ſiet, ibi de foro pœnitentiali, atque interiori locutum Redemptorem? Quamobrem inde veteres omnes Eccleſiæ Patres Pœnitentiæ & Confeſſionis vſum collegiſſe Maldonatus aſſeuerat: atque id D.Thomas conteſtatur apertè quæſt.84. in 3. p. art.7. in corpore: Iam igitur præfatis locis ſi non de ſolius externi & contentioſi fori iuriſdictione ſermo, ſed multò potiùs de Conſcientiæ tribunali, equidem manifeſtum videatur, eodem tenore verborum de vna atque altera poteſtate loquutum Chriſtum: nam vtraque deducitur ex alligandi & ſoluendi phraſibus: ſed patet ex Tridentina declaratione verborum, cap.20. Ioannis ſuperiùs propoſitâ, apud Matthæum iudiciariam fori Pœnitentiæ haud inſtitutam fuiſſe poteſtatem, ſed præmonſtratam à Seruatore, pollicitámque: ergo idipſum pariter ſentiendum de iuriſdictione fori externi & contentioſi per Eccleſiaſticas cenſuras, præoſtenſam videlicet tunc & promiſſam: datam verò atque inſtitutam Ioannis memoratis verbis ex capite vigeſimo.

Suarez. *Vtriuſque Fori, Interni & Externi Iuriſdictionem à Chriſto accepêre Apoſtoli.*

Matth.18.18.

Maldonat. Ianſen. Toſtat. Caietan. Valentia. Conink.

S.Thom.

Quoniam igitur vtraque hæc Poteſtas, & arcani, atque interioris Iudicij, & exterioris Eccleſiaſticæ curiæ, grauis eſt Carni & ſanguini, rectè Myrrhæ faſciculo comparauit Sponſa: Nam ſi de Myrrhæ foliis intellectus eſt verborum Cantici, cùm oſtenderimus in Humana & Grammaticali Explanatione, hæc ſpinoſa, & aculeata eſſe, proinde quæ pungant: bene commonſtratur, quemadmodum vtrumque forum pungat, quoties iuſtam aduersùm ſcelera vindictam exercet, debito iniquitatibus magnis impoſito onere ad ſalutem animarũ; & vt conualeſcat per dura, quæ per blanditias ſeducta eſt poſthabito timore Domini exercituum: Sin autem interpretari iuuat de Myrrhæ Lachryma, quam cortice hianti, aut vulnerato ſudat, indicauimus Medicorum opinione, Phyſiologorúmque, hanc amaram eſſe palato, guſtationi inſuauem, cuius ingratitudine eadem ſignificari valeant, quæ horridis foliorum apicibus: At relictâ exterioris fori conſideratione, quoniam in hanc non tam maleuola eſt Hæreſis: reſeruauit enim huius formam aliquam, non ob reuerentiam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſed ad lucri & pecuniarum occaſionem; immoremur tantiſper foro ſecreto & interiori. Fatemur itaque amarum eſſe, vlcera detegere Mentis, hominem homini credere propudioſos animi affectus, damnari ob culpam ad ieiunia, verberationem, cilicia: Myrrhæ inſtar hæc omnia, quæ tamen Sacramentalis aduehat confeſſio: Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum: *Et fortaſſè pateter hoc credi, ſi Pœnitentiæ deliciæ putarentur, cui labor tantus imponitur; cui Carnis interitus imperatur, cui iuges lachrymæ, cui gemitus ſempiterni.* Et Paræneſi, ſiue Exhortatorio ad Pœnitentiam libello, de afflictationibus reſipiſcentium ſuo æuo communibus: *Ne hæc quidem, quæ videri etiam à Sacerdote poſſunt, & Epiſcopo teſte laudari, ne hæc quidem quotidiana ſeruamus: flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordidâ veſte lugêre, ieiunare, orare, prouolui: Si quis ad Balneum vocet, recuſare delicias: Si quis ad Conuiuium roget, dicere: iſta felicibus: Ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire: quò mihi epulas, qui Dominum læſi? tenêre præterea Pauperum manus, Viduas obſecrare, Preſbyteris aduolui, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia priùs tentare, quàm pereas.* Robertus de Sorbona Opuſculo, quod iter Paradiſi intitulatur: *Pudor malus ſic proponit ipſi Peccatori, qui fortè fecit peccatum luxuriæ, quod tantùm fœtet: quomodo poſſet tam enorme factum Homini extraneo reuelare? & fortè peccator mentitur in Confeſſione, dicens ſe non feciſſe: ſi nihil poteſt facere Pudor malus, tunc redit filia eius Hypocriſis, & allegat ſic: Quomodo reuelares tam enormia facta homini, qui credit te eſſe bonum?* Petrus Bleſſenſis Tract. de Confeſſione: *Exercearis lachrymis, vigilijs, diſciplinis; nec tibi videatur abſurdum, ſi propter abſtinentiam aliquando caput doleat, quod ſæpius ab ebrietate doluit: ſi rugiat venter, quem frequens ingluuies ſuffocauit: Peccati ergo* 19

*Bene vtrumque Pœnitentiæ forũ amaræ Myrrhæ ſeu folio ſeu lacrymâ adumbratur.*

*Pœnitentia ſalubriter amara.*

Pacian.

Robert. Sorbon.

Petr. Bleſſen.

*ſanies*

*ſanies non ſolùm abſtergenda, ſed abradenda eſt aſperitate doloris.*

20. *Auricularis Confeſſio amara quidem, ſed nobiliſſima, & vtiliſſima.*

Si autem tam inſuauis, atque amara eſt auricularis Confeſſio, cur hanc ſic deperit Sponſa, vt ſinu atque vberibus chariſſimum Pignus recondat? *Inter vbera mea* (inquit de faſciculo Myrrhæ,) *commorabitur:* Sanè, quanquàm amara, ſed nobiliſſima, ſed incomparandæ vtilitatis: Sileamus nos paululùm, & excipe ambabus arrectis auribus, Tu interim Chriſtiane Lector, Patrum melodas voces: dulceſcet Memoria Confeſſionis tibi, & ardebis in concupiſcentiam illius. Chryſoſtomus tom. 5. lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. de ligandi, atque ſoluendi poteſtate: *Iis datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit, neque enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaueritis in terra: erunt alligata & in cœlo, & quæcumque ſolueritis in Terra, erunt ſoluta & in cœlo: Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm: id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit, vſque adeò, vt quæcumque infernè Sacerdotes confecerint: illa eadem Deus supernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet: etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium Poteſtatem illis à Deo conceſſam? Quænam obſecro Poteſtas hac vna maior eſſe queat?* Verùm de Nobilitate pauca iſta ſufficiant, quòd Argumenti formam plures tractauerint: Tranſeamus ad emolumenta. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus Paræneſi ad Pœnitentiam: *Rogo vos fratres, etiam pro periculo meo, per illum Dominum, quem etiam occulta non fallunt, deſinite vulneratam tegere conſcientiam: Prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus etiam ſecaturos, etiam peruſturos: Peccator timebit? Peccator erubeſcet perpetuam vitam præſenti Pudore mercari? & offerenti manus Domino, vulnera malè tecta ſubducet? Nolite hanc ſecturam timêre dulciſſimi.* Petrus Cellenſis de fructibus veræ Confeſſionis libro de Panibus cap. 3. *Ecce in ore veritas, in Corde charitas, in Conſcientia Puritas, humilitas in habitu, abſtinentia in victu, Modeſtia in inceſſu, Caſtitas in aſpectu, in omni loco oratio, in omni tempore meditatio, in toto corpore afflictio, in tota anima Deuotio, deſiderium ante Deum, lachryma die ac nocte ad Deum: Sic à ſordibus priſtinis lota flumine lachrymarum, deterſa veritatis linteo, accenſa charitate, purgata Confeſſione, ornata humilitate, cincta abſtinentiâ, circumamicta modeſtiâ, caſtitate glorificata, oratione eleuata, meditatione ſuffulta, deuotione inuncta, deſiderio in cœlis recepta, à nobis eſt approbanda, & ab Angelis honoranda.* Petrus Bleſſenſis Opuſculo de Confeſſione: *Tanta eſt efficacia confitendi, quod ſi Peccator reatum ſuum confitendo aperit, Deus illud operit, ſe accuſantem excuſat, & peccatum ſuum agnoſcenti ignoſcit, teſtimonio Salomonis: Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur; qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur: ex occultatione quidem, & oppreſſione peccati, naſcitur quædam lapidea Cordis obſtinatio, fitque talibus in orationibus ſuis cœlum æneum, & terra ferrea, vt ſint quaſi montes Gelboë, ſuper quos nec ros, nec pluuia cadit, quorum malitia rorem miſericordiæ, fontem pietatis & gratiæ fluenta ſiccauit: iratus itaque Dominus dimittit eos, vt eant in adinuentionibus ſuis, ſibique iram theſaurizent in die tremendi iudicij.* Eſt autem æquè & facunda & mellea oratio B. Laurentij Iuſtiniani: de caſto Connubio Verbi & Animæ, cap. 13. *Nihil autem ſic Cordis amiſſam reparat gratiam, ſicut iugis oris confeſſio: Si delictorum maculis fœdatur, ſi hebetudine grauatur, ſi deſperatione tangitur, ſi agitatur Tentatione, recurrat ad confeſſionem, & liberabitur: ô Beata Confeſſio, quæ Deum placat, reconciliat Pœnitentem, cœlum aperit, mundat Cor, onus aufert, mentem lætificat, & remittit Peccatum.* Et de Perfectionis gradibus, cap. 3. *Tu es refugium humilium, Contritorum leuamen, veniæ Porta, ſpes indulgentiæ, propriæ agnoſcendæ infirmitatis Magiſtra, Terror dæmonum, virtutum Nutrix, gratiarum Cuſtos, Orationis incentiuum, lachrymarum origo, conſequendæ miſericordiæ Præcurſor, Amica angelorum, & ſpiritualis diſciplinæ norma præcipua.*

Chryſoſtom. *Confeſſionis Sacramentalis laudes, & ad eam hortamenta ex Patribus.*

Pacian. Barcinon.

P. Cellenſ.

P. Bleſſenſ.

Laurent. Iuſtinian.

21. *In Auricularem Confeſſionem debacchatur vt temerè, ſic impiè Caluinus.*

Meritò igitur pro hoc dono gloriatur, meritò ambabus fouet vlnis, meritò Sponſo ſe obligatam noſcit: Sed quoniam Hæreticis propoſitum eſt, quicquid generi humano ſalutare eſſe valeat, odio vt proſequantur, & de medio tollant, aduersùs Sacramenti Pœnitentiæ omnia membra Ioannes Caluinus cùm debacchatus ſit, contra auricularem tamen Confeſſionem Vatiniano furore inſaniuit: Nam lib. 3. Inſtitut. cap. 4. §. 19. *Nihil mirum* (inquit) *ſi auricularem iſtam Confeſſionem, rem adeò peſtilentem tótque nominibus Eccleſiæ noxiam, damnamus, ac ſublatam è medio cupimus.* At quàm fuerit diuerſa ab huius Apoſtatæ ſententia, omnium ætatum venerandis Patribus opinio, nempè quam ex ſcripturis, & ſacrorum Conciliorum decretis hauſerunt, animaduertit præclarè Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 5. de Confeſſione: *Vnde cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus, magno, vnanimique conſenſu ſecreta Confeſſio Sacramentalis, quâ ab initio Eccleſia ſancta vſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis, initium habuiſſe habere non verentur:* Hoc vt demonſtraret, Prouinciam ſubiit, quâ egregiè perfunctus eſt Cardinalis Bellarminus lib. 3. à cap. 6. citat enim ex Patribus qui floruerunt vſque ad ſæculum duodecimum præſtantiores, & qui proinde vno ferè, alterôue excepto, Lateranenſi fuêre vetuſtiores Synodo, qui Sacramentalem Confeſſionem miris euehant laudibus: Nos aliquos, quorum fortaſſè nondum tunc à latebris eruta opera, adiungemus: ſimul & eorum nonnullos, qui Lateranenſi Concilio iuniores fuêre, producemus: vt fuiſſe vnus temporum omnium conſenſus appareat.

Caluin.

Conc. Trid.

Bellarmin.

22. Pacian. *Sacramentalis Confeſſio ex antiquorũ Patrum authoritate ſtabilitur.*

Sanctus itaque Pacianus epiſtola 3. ad Sympronianum contra Tract. Nouat. *Si Pœnitentibus remiſſio Peccatorum dari potuit, (ais,) Baptiſma non fuit neceſſarium: inſulſiſſima comparatio! Baptiſmum enim Sacramentum eſt Dominicæ Paſſionis: pœnitentium venia, meritum confitentis: illud omnes adipiſci poſſunt, quia gratiæ Dei donum eſt; id eſt gratuita donatio: labor verò iſte paucorum eſt, qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera conualeſcunt.* Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 2. Illuminatorum: *Poterit enim confeſſio etiam ignem extinguere, Poterit & Leones cicurare:* Multáque alia eo loco, quæ quoniam publicam magis quàm ſecretam ſapiunt Confeſſionem, omittimus illa. Euſebius Gallicanus Dominica 22. poſt Pentecoſten, in illud Matth. 18. *Simile eſt Regnum cœlorum Homini Regi, qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis,* &c. *Qui quotidie cum ſeruis ſuis rationem ponit, quoniam per Epiſcopos & Sacerdotes hominum peccata diiudicat, dum vnuſquiſque ad Pœnitentiam veniens, quantùm debeat, & in quibus peccauerit, Domino confitetur.* Syneſius

Cyrill. Ieroſol.

Euſeb. Gall.



Syneſ.

Syneſius epiſt. 44. ad Ioannem: *Et apud nos nonnunquam, qui ad purgandum crimen producebatur, hoc ipſo quòd noxam fateretur, ſéque ſupplicio dignum diceret, ſupplicio eſt liberatus: at in ijs etiam gloriari, & quodammodò epulari, ob quæ iniuriam perpetrauerit, offenſiorem eum reddit, qui ſit iniuriâ affectus.* Et paucis interiectis: *Voluptates negligendæ per quas facinus quæſiuimus, neque hominum pudere nos debet, ſed iudici confitendum crimen eſt, & repentino ſupplicio vindices furiæ leniendæ.* Arnobius Iunior in Pſalm. 73. *Si peccata confitemur, non vt ſciat quæ ignorat* (Deus nimirùm) *ideò confitemur, ſed vt ea, quæ optimè nouit, indulgeat.* Et infrà comparans Baptiſmum cum Pœnitentiæ Sacramento, diſparéſque vtriuſque affectus oſtendens: *Ibi guſtaſtis mel, & lac; hîc guſtate cinerem pro Pane, & lachrymas veſtras in poculis miſcete: ibi veſtes candidas & mundas: hîc ſacceas ſordidas: ibi habuiſtis gaudium; hîc mugitum, gemitúmque inter ſuſpiria excrepate: ſicque Æthiopes eſſe ceſſabitis, & priſtinus vobis candor, ſplendórque reddetur.* Sidonius Apollinaris epiſtola 14. lib. 4. ad Polemium: *Noueris volo, non vt eſt apud Præſulem fori, ſic eſſe apud iudicem mundi: Námque, vt is, qui propria vobis non tacuerit flagitia, damnatur: ita nobiſcum, qui eadem Deo fuerit confeſſus, abſoluitur.* Ruricius Lemouicenus Epiſcopus lib. 1. epiſt. 8. ad nominatum modò Sidonium Aruernum: *Prædicantibus vobis, ſæpius audiſſe me recolo, nullatenus ab iniquitatibus nos poſſe purgari, niſi fuerimus Crimina noſtra, conſcientiâ compungente, confeſſi: Quis enim non dicam, conſequi, ſed vel quærere queat indulgentiam, niſi deplorationi confeſſionem erroris adiungat?* Antiochus homilia 77. de Pœnitentia: *Super lachrymis ſe recipientium ad meliorem vitæ frugem mirè lætatur, & exhilareſcit: exultat ſuper Confeſſione Pœnitentium, ſuper contrito Corde & humiliato, incredibili gaudio perfunditur.* Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis libro 1. Synonymorum, ſiue Soliloquiorum: interrogat Homo, Dialogiſmi vna Perſona: *Id ſolùm quæro, id ſolùm ſcire volo, id noſſe tantummodò cupio, ſi eſt ſpes in Confeſſione, ſi eſt venia, ſi eſt indulgentia, ſi eſt locus per Pœnitentiam regredi ad iuſtitiam?* Ratio, altera Perſona ſatisfacit, inquiens: *Eſt planè, eſt prorſus, eſt vtique: Confeſſio ſanat, confeſſio iuſtificat, confeſſio Peccati veniam donat: certiſſimè igitur crede, nullo modo hæſites: habeto ſpem in Confeſſione, habeto fiduciam, non deſperes remedium ſanitatis.* Idem qui rurſùs, exhortatione ad Pœnitentiam: *Habeo igitur ſpem in Confeſſione, in qua conſtantiſſimè ſolidatus, nec deſperaui, nec deſperabo, ſed perfectâ vtar fiduciâ.* Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus Concordiæ Euangelicæ libro 3. cap. 99. *Confeſſio igitur conuenienter conſtituta eſt, vt qui in ſua poteſtate poſitus, à Deo diſceſſerat: ſub alio poſitus cum humilitate & deuotione rediret: ideóque Sacerdotem Deus inſtituit ſui Vicarium & quaſi Medicum, cui Peccatorum vulnera ad ſanandum detegerentur:* Rupertus Tutienſis lib. 1. in Leuitic. cap. 38. *Nam qui ſic ad confeſſionem accedit, vt peccata ſua nondum relinquere velit, hic adipem Hoſtiæ Pacificorum, & Pectuſculum nondum Domino conſecrauit, & proinde fruſtrà tradit Sacerdoti quidquid obtulerit: nec enim Confeſſio non ſequente Contritione & Correctione ſaluare poterit, magiſque dicenda eſt peccandi profeſſio, quàm Peccati confeſſio.* Dedimus numero 20. Petrum Cellenſem itémque ex eodem nomine Bleſſenſem, Robertum de Sorbona & B. Laurentium Iuſtinianum: adiungamus & Sanctum Thomam de Villanoua, qui ſermone in Dominicam 4. Quadrageſimæ, poſtquam ſeptem Confeſſionis proſequutus eſt fructus, ſubdit: *Vtinam, vtinam velletis experiri quod dicimus: Probate obſecro, & videbitis, quanta ſit Animæ conſolatio, quanta Conſcientiæ ſecuritas, & Tranquillitas, quanta reformatio vitæ, quanta veniæ apud Deum fiducia, quod leuamen Cordis, quæ Perſonæ mutatio, quanta denique vtilitas in reſiſtentia Peccatorum, in facilitate bonorum operum, in correctione morum, in Deuotionis augmento, in teneritudine Spiritus, in omnibus denique ſpiritualibus bonis, quæ conferunt ad æternam ſalutem.*

Arnob. Iunior.

Sidon. Apollin.

Ruric. Lemouic.

Antioch.

Iſid. Hiſpal.

Zachar. Chryſopol.

Rupert. Tutienſ.

Thom. de Villanoua.



23. *Halitgarius vetus Auctor laudatus.* Henr. Caniſ.

Non eſt omittendus Halitgarius Epiſcopus Cameracenſis, cuius libros quinque de vitiis & virtutibus & ordine Pœnitentium diu latentes vulgauit Henricus Caniſius tom. 5. antiquarum lectionum, & inſerti ſunt à Colonienſibus 1. part. tom. 9. Magnæ Bibliothecæ Vet. PP. collegit in vnum, quæ de Pœnitentiæ Sacramento repererat in Conciliorum & Patrum effatis: teſtis planè venerandus cùm antè ſeptingentos annos floruerit, nam vixiſſe ad annum 830. Bellarminus memorat: ergo lib. 3. cap. 13. *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem Pœnitentis, & ad fletum, atque lachrymas corrigentis: ac tum iubêre dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem:* Hunc autem ſeorſim idcircò produximus Auctorem eius vt nomen pondus afferret piæ & ſalutari eorum Theologorum opinioni: qui ſentiunt moribundum, qui ante aduentum Sacerdotis Pœnitentiæ ſigna exhibuerit, & implorarit à quo abſolui poſſit, quanquam accedente legitimo Confeſſionis Miniſtro, nulla edat Pœnitentiæ ſigna, quòd Mentis impos factus ſit, dummodo præſentes aſſeuerent, ab eo Pœnitentiæ ſigna data, & imploraſſe vt audirentur à Sacerdote eius peccata, poſſe ab aduentante Sacerdote Sacramentaliter abſolui vitæ impendente certè periculo, quæ moram non ſuſtineat: in huius igitur ſententiæ gratiam Halitgarius dicto lib. 3. cap. 3. poſt inſcriptionem huiuſmodi: *De his, qui neceſſitate Mortis vrgente Pœnitentiam ſimul & Viaticum petunt: & de his, qui obmuteſcunt, antequam ad eos Sacerdos daturus Pœnitentiam accedat:* Reſpondet: *Ita ergo talium neceſſitati auxiliandum eſt, vt nec actio illis Pœnitentiæ, nec communis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo vocis officio, per indicia integri ſenſus quærere comprobentur: Quod ſi ita aliquâ ægritudine fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt: ſimul tamen & Pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur:* Quæ ex Leonis Papæ epiſtola 91. ad Theodorum Epiſcopum Forouilienſem, excerpta ſunt, qui cap. 5. iiſdem proloquitur verbis: Quàm autem impropria ſit eorum expoſitio, qui Sancti Pontificis orationem, de abſoluendis ab excommunicatione Moribundis, intelligendum contendunt, oſtendit optimè noſter Coningus diſp. 7. de integritate Confeſſionis, dub. 10. num. 101. certè Halitgarius de excommunicatione non intellexit; nam eius omnis ſcopus de Sacramento Pœnitentiæ agere, nec de cenſuris quibuſuis apud eum mentio citato libro tertio.

Bellarmin.

Halitgar.

*Moribundus qui prius Pœnitentiæ ſigna exhibuit abſolui debet ab aduentante Sacerdote.*

Halitgar.

Conink.

24. Quando autem de Confeſſione auriculari ſpeciatim faſciculum Myrrhæ expoſuerimus, probè, vt Sacerdotum nomine Sponſa Eccleſia dicat: *inter vbera mea commorabitur:* Nã pectore voluiſſe

Pp condere,

condere, eſt ſecreta habere delicta Pœnitentium: commendat igitur Sacroſancti ſigilli Confeſſionis abditiſſimas tenebras, atque huius Præcepti, quod de ſigillo ſecreti in Confeſſione eſt, tantam vim eſſe Theologi agnoſcunt, vt ſtatuant, in nullo caſu, & propter nullũ finem, etiã ob tuendã Reipublicæ aut temporalẽ aut ſpiritualem ſalutem, violari poſſe, atque inuito Pœnitente retegi: Conſule Suarium tom. 4. in 3. part. diſp. 33. ſect. 1. n. 2. Hẽriquez lib. 6. c. 19. Hinc Leo primus ep. 80. vniuerſis Epiſcopis per Campaniã, Samniũ, & Picenũ conſtitutis: *Illam etiam* (inquit) *contra Apoſtolicam Regulam, præſumptionem, quam nuper agnoui à quibuſdã illicitâ vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri* (*de Pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur,*) *ne de ſingulorum Peccatorũ genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur; cùm reatus Conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari cõfeſſione ſecretâ: Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ præter Dei timorẽ apud homines erubeſcere non veretur: tamen, quia non omniũ huiuſmodi ſunt Peccata, vt ea, quæ Pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare: remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à Pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerari, quibus poſſint legum conſtitutione percelli: ſufficit enim illa Confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœnitentium precator accedit: Tunc enim demum plures ad Pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.* Quo diſcurſu beatus Pontifex Leo rationem potiſſimam tangit, vnde reſultet tam ſtricta præcepti obligatio, nempè iniuriam quæ Sacramento fieret Pœnitẽtiæ ex diſcoopertis intimis Animorum malis: odio enim eſſet hominibus tam ſalutaris Medela, & abſtinerent à confitẽdo: certè indigniſſimum eſſet vel ex officioſæ Humanitatis legibus non dicam prodi, ſed vel contemni quidẽ illum, qui ſponte credidit pudibundæ mentis arcana: vnde S. Ephrem, in illud: Attende tibi ipſi, &c. c. 9. *Si quis ſuas tibi enarrauerit cogitationes, ſuáque detexerit errata, ne mente eum contempſeris tanquam qui talia peregerit, ſed potiùs de fratris mutatione admirare: Nam quod quis ſponte ſua peccata ſpiritualibus viris reuelat, correctioris vitæ ſignum eſt: occultare verò, Animi malè affecti indicium exiſtit.* Rupertus verò Abbas lib. 2. Commentar. in Numeros cap. 6. in illa cap. 19. *Vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam deſuper, immundum erit,* &c. *Quid, inquam, tali negotio per hoc dictum intendit, niſi quia Peccati tui cauſam latentem, tali debes reuelare ſeniori, qui & ſua curare vulnera, & aliena non detegere, aut reuelare nouerit? nempè, qui ſecretum tenere neſcit, vas non habens operculum, nec ligaturam deſuper, & immundus eſt.* Magiſter Robertus, qui Pariſienſis Sorbonæ prima fundamenta iecit, Opuſculo de itinere Paradiſi: *Et quod nomine confeſſionis* (inquit) *obturetur os Sacerdotis tanquam firmiſſimum ſcrinium, quod nullus niſi Deus aperire poteſt, claudit enim, & nemo aperit, oſtenditur de quodam Paupere Ruſtico,* &c. Proſequitúrque Narrationem de Sacerdote, qui ne detegeret audita ex confeſſione, lethum ſuſtinuit; ſubdit deinceps: *Nota contra illos, qui timent confiteri: aſſimilantur equo vmbratili, qui videns lapidem antè oculos, retrograditur, & aliquando in foueam cum ſeſſore cadit, & læditur & fortè frangitur eius Collum: Sic eſt de illo, qui timet confiteri pro Sacerdote, qui ſine dubio non habet membrum, vnde poſſit ſe mouere, ſicut nec lapis: Ligata enim ſunt omnia membra eius virtute Confeſſionis, & eſt ſicut vmbra arboris refrigerium præſtans.*

*Sigillum Cõfeſſionis prorſus inuiolabile.*

Suarez.
Henriquez.
Leo I.
S. Ephrem.
Rupert.
Robert. Sorbon.
Idem.

*Sacrificium Miſſæ necis Chriſti recordatio; Canonis & aliarum Partium illius quanta vetuſtas aduersùs Kemnitium? Cur in memoriam ſuæ Paſſionis Euchariſtiæ ſacrificium inſtituerit Chriſtus? Prouerbiorum locus ex cap. 9. ſingulari via de corpore & ſanguine Chriſti: Malachiæ celebris vaticinatio Miſſa propugnata: de ea Benedicti Ariæ Montani notata interpretatio: Crucis adoratio in die Paraſceues. Martyrium idem quod templum aliquando: Anniuerſaria Chriſti funeris pompa per Hebdomadam ſanctam, ſtabilita Iſaiæ, Sophoniæ, Zachariæ teſtimonijs.*

## SECTIO II.

CElebris huius loci multorũ Patrũ Explanatio eſt, quæ Myrrhæ faſciculo adumbratã aſſeuerat Chriſti mortem, atque Paſſionẽ: ex Græcis ſignificat Origen. hom. 2. ex quatuor: apertè monent Theodoretus, & Philo Carpathius: inter Latinos clarâ phraſi exponunt Beda Venerabilis, Rupert. lib. 1. in Cantica, Bernard. ſerm. 43. Iuſtus Orgelitanus, Iſidorus Hiſpalenſis, Angelomus, Ioannes Halgrinius, VVolbero Abbas, Honorius, Thomas Ciſterciẽſis: de quibus Theodoret. *Myrrha autem Sponſi mortem, & quæ inde ad Sponſam peruenit, indicat ſuauitatem.* Quid vero ob cõmoda ex Chriſti nece pollicetur Eccleſia? *Inter vbera mea* (ait) *cõmorabitur:* erit mihi inter maximas delicias, erit in honore, atque laude ſumma; benè Angelomus: *Ac ſi dixiſſet: Mors dilecti mei, quam pro ſalute mea ſubijt, ſemper in mea memoria commorabitur, ad imitationem, & gloriã laudationis:* Sanè cùm ex mundo tranſiturus eſſet humani generis Redemptor, quò Paſſionis eius iugis celebraretur recordatio, nouiſſimi Cõuiuij beatâ nocte, ſacrificiũ inſtituit Corporis & sãguinis immaculati, & Apoſtolis in quibus fundãda erat Eccleſia, reliquiſq; venturis Sacerdotibus ordinauit, Luc. c. 22. v. 10. *Hoc facite in meã Commemorationẽ,* vtique tali incruẽtâ oblatione ſanguineã Crucis immolationẽ repræſentaturi, vt Paulus ſuggerit Corinth. 1. c. 11. verſ. 26. *Quotieſcumque enim manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Verùm eâ totâ de re præſtat loquentem audire Tridentinam Synodum ſect. 22. c. 1. *Is igitur Deus & Dominus noſter, etſi ſemel ſeipsũ in ara Crucis, morte intercedẽte Deo Patri oblaturus erat, vt æternã illic Redemptionem operaretur: Quia tamẽ per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat, in cœna nouiſſima, quâ nocte tradebatur, vt dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ, viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret ſacrificium: quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, eiúſque memoria in finem vſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur: Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarãs, corpus & ſanguinẽ ſuũ ſub ſpeciebus Panis & vini Deo Patri obtulit: ac ſub earumdẽ rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc noui Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, vt ſumerent, tradidit: & eiſdem, eorúmque in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam Commemorationem; vt ſemper Eccleſia Catholica intellexit, & docuit.* Memor igitur primitiua illa fidelium Congregatio, cuius in Diſcipulis exordium, Præceptoris mandati, promittit

25.
*Myrrhæ faſciculo adumbrata Chriſti Paſſio.*
Origen.
Philo Carp.
Beda.
Rupert.
Bernard.
Iuſt. Orgel.
Iſidor.
Halgrin.
VVolbero.
Honor.
Thom. Ciſt.
Theodoret.
Angelom.
*Sacrificium Euchariſticũ in Mortis Chriſti memoriam inſtitutum.*
Luc. 22. 19.
1 Corinth. 11. 26.
Conc. Trid.



promittit in ſacrificio Miſſæ perpetuam ſacratiſſimæ recordationem Mortis: proinde inter vbera geſtaturam ſe faſciculum Myrrhæ ſpondet: vt quemadmodum illa quæ ad mammas portamus, in memoria ſunt continua, eò quòd luminibus ſemper obuerſa, & ante conſpectum noſtrum: ita & futura ſit lethi ob nos perpeſſi indeficiens repræſentatio per Liturgiæ oblationem: Quare Remigius Altiſſiodorenſis Tractatu de celebratione Miſſæ ſub initio: *Celebratio Miſſæ* (inquit) *in commemorationem Paſſionis Chriſti, peragitur, ſicut ipſe præcepit Apoſtolis, tradens eis corpus & ſanguinem, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, hoc eſt, in memoriam Paſſionis meæ: tanquàm diceret: quod pro veſtra ſalute paſſus ſum ad memoriam reuocate.*

26. Ex ſectariorum Magiſtellis Kemnitius 2. Parte Examinis in Tridentinum, cõtendit Apoſtolorũ Temporibus ignoratum Miſſæ Canonem, quin & per nonnullas ſequentes ætates vſque in Pontificatum ferè Gregorij Papæ, aut nonnihil antea; Nã à ſcholaſtico quodam diſpoſitum idem memorat S. Doctor Regiſtri lib. 7. ep. 64. Hoc igitur modo, cùm Miſſæ ſacrificiũ per quingentos propè latuerit annos, Sponſum Eccleſia diu oblita eſt: Quãobrem itaque hoc pollicentem verſu introducamus iugem Paſſionis recordationẽ per oblationẽ corporis & sãguinis Chriſti erectis altaribus, Liturgiâ & ſynaxi inſtitutâ? Iſidor. Hiſpalenſis lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis c. 15. *Ordo* (inquit) *Miſſæ, vel orationum, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primùm à S. Petro eſt inſtitutus.* VValfridus Strabo lib. de rebus Eccleſiaſticis, c. 22. à B. Petro Romanos ordinem Miſſæ edoctos aſſerit: ab eodẽ & Antiochenſes inſtructos dicit Remigius Altiſſiodorenſis principio expoſitionis de celebratione Miſſarum: Stephan. Eduenſis Epiſcopus opuſculo de Sacramento altaris, cap. 20. *Nota* (ait) *quòd ſicut Magiſter docuerat, Apoſtoli ſe & alios communicando, conſecrationem Corporis & ſanguinis Domini facere cœperunt, & fieri per vniuerſas Eccleſias prædicando inſtituerunt.* Innocentius III. Præfatione ad libros de Myſteriis Miſſæ idem quod Remigius: ſed nec ſubſtantiam Canonis aliquo pacto ab Apoſtolis omiſſam, quo ſe defenderat Kemnitius, vnquam Beatiſſimus Papa Gregorius ſignificauit, imò teſtatus clarè vſos illo: Nam inquit: *Orationem verò Dominicam idcirco mox poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, vt ad ipſam ſolummodò orationem oblationis hoſtiam conſecrarent: & valdè mihi inconueniens viſum eſt, vt precem, quam ſcholaſticus compoſuerat, ſuper oblationem diceremus, & ipſam traditionem, quam Redemptor noſter compoſuit, ſuper eius Corpus & ſanguinem taceremus:* Et quod eo more ſub initiis conſecrarent Apoſtoli, VValfridus allegato iam capite tradit, & ex Gregorij auctoritate ſentiunt Berno Augienſis Abbas libello de pertinentibus ad Miſſam, c. 1. Micrologus de Eccleſiaſticis obſeruationibus c. 12. Radulphus Decanus Tũgrenſis de Canonum obſeruantia, c. 23. eſto igitur, ſub primis initiis Apoſtoli ſolam orationẽ Dominicã ad verba conſecrationis addiderint, poſtea ab iiſdem alia non pauca addita, vt benè inſinuat Bellarminus lib. 2. de Miſſa c. 19. qui eruditè explorat, quid Scholaſtici voce Sanctus innuat Gregorius: Equidem tribus vſum orationibus dum celebraret S. Petrus ex relatis Remigius & Innocentius referunt: introductas autẽ ſacras veſtes monitu eiuſdem Apoſtolorum ducis à S. Clemente Radulphus ex Gemma ſcribit: itaque ſacrificij ſubſtantiam Chriſtus inſtituit, accidentia in variis ritibus Apoſtoli præcipua docuerunt, ſubſequuti Apoſtolici viri auxerunt: Quare Rupertus Abbas rectè quidem lib. 2. de diuinis officiis c. 21. *Et ſicut traditum à Domino per Moyſem ſacrificij veteris ordinem, præcipuè Dauid, & Salomon, Sacerdotum, & Leuitarum miniſterio, Cantorum multiplici numero, Pſalmorum diuinorum tripudio, Templi, vel Altaris illuſtri gloriâ, ſacrorúmque multitudine vaſorum ſplendidiùs amplificauerunt: Sic traditũ à Domino mirabilem noui ſacrificij ritum, per primos Apoſtolos ſancta Romana Eccleſia ſuſcipiens, religioſâ fide amplexata eſt fideli curâ conſecrauit, diligẽti apparatu exornauit.* Item Hugo Victorinus eruditionis Theologicæ de officiis Eccleſiaſticis lib. 2. c. 11. *Dominus & Saluator noſter Ieſus Miſſam celebrari inſtituit, quando Panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuum commutans, ſuis præcepit hoc in ſui facere commemorationem: Apoſtoli Miſſam auxerunt, dum ſuper Panem, & vinum verba, quæ Dominus dixerat, & orationem Dominicam dixerunt: Deinde ſucceſſores eorum Epiſtolas & Euangelia legi ſtatuerunt: alij Cantum addiderunt: & alij alia:* Denique hoc eſt, de quo Tridentinum citatâ 22. ſeſſ. c. 6. *Et cùm ſancta ſanctè adminiſtrari conueniat, ſitque hoc omnium ſanctiſſimũ ſacrificium: Eccleſia Catholica, vt dignè, reuerentérque offerretur, ac perciperetur, ſacrum Canonem multis antè ſæculis inſtituit, ita ab omni errore purum, vt nihil in eo contineatur, quod non maximè ſanctitatem, ac pietatem quandam redoleat, mentéſque offerentium in Deum erigat: is enim conſtat, cùm ex ipſis Domini, tum ex Apoſtolorum traditionibus, ac ſanctorum quoque Pontificum pijs inſtitutionibus.*

Ex his igitur tam dignis narratoribus conſtat, 27.
aliter de vetuſtate Liturgiarũ, quã quod nouator ille cõminiſcebatur, ſentiendum: Quòd ſi iniquiſſimus eſſe velit & præter Gregorium, cæteros reſpuat teſtes; ne nõ ſuo quidẽ periturus ſit gladio: Nã Gregorius fatetur conſecraſſe Apoſtolos Dominicũ corpus & ſanguinẽ adhibitâ oratione quã Chriſtus docuit: Porrò adæquata eſſẽtia ſacrificij in vtriuſq; ſpeciei Panis & vini conſecratione, vt commonſtrant Suarius tom. 3. in 3. part. diſp. 75. ſect. 6. Coningus ad quæſt. 85. dub. 5. concl. 6. n. 96. eſto & conſumptio Hoſtiæ pertineat ad ſacrificij eſſentiã, verùm & Apoſtoli quotidie vt ſacrificabãt, ita & manducabant; porrigebant & fidelibus: inde Lucas Act. c. 2. v. 42. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & communicatione fractionis Panis & orationibus,* quæ fractio de Euchariſtia intelligẽda ex Catholicorũ tritâ expoſitione, vt benè aduertit Suarez dicto antea tom. diſp. 69. ſect. 4. ſub initio, & declarat venuſtè Baronius tom. 1. ad annũ Chriſti 38. inde Proconſuli S. Andreas: *Omnipotenti Deo, qui vnus & verus eſt, ego omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec Taurorum mugientiũ Carnes, nec Hircorum ſanguinem; ſed immaculatũ Agnum quotidie in altari Crucis ſacrifico: cuius carnes poſteaquàm omnis Populus credentium manducauerit, & eius ſanguinẽ biberit: Agnus qui ſacrificatus eſt, integer perſeuerat, & viuus:* Quã normã & imitatores Apoſtolorũ ſequuti, de quibus S. Dionyſ. Areop. de Eccleſiaſtica Hierarchia c. 3. *Donis diuinorũ operum monſtratis, ad ſacrã eorum communionem & venit ipſe, & inuitat cæteros: acceptâ, datâque diuinâ communione, in ſacram gratiarum actionem deſinit:* Atque iterum ſub fine eiuſdem capitis: *Sumptâ autem, datâque alijs diuinâ communione: in ſacra Gratiarum actione, vnà cum ſacro Eccleſiæ ordine, finem facit.* Quando igitur ab ipſis primis incunabilis Sacerdotes in Eccleſia conſecrauerint corpus & ſanguinem Redemptoris ſub ſpeciebus Panis & vini: per hos miniſtros ſuos Chriſti Dilecti ſui ad viuum,

Remig. Altiſſiod.
*Kemnitius Miſſæ Canonẽ ante Gregorij Papæ tempora ignoratũ hæreticè aſſerit.*
Iſid. Hiſpal.
Valfrid.
*Ordo Miſſæ à S. Petro inſtitutus.*
Stephan. Eduenſ.
*Refutatur Kemnitius.*
Gregor.
Valfrid.
Berno Augienſ.
Micrologus.
Radulph.
Bellarmin.
Remig.
Innoc.
*Subſtantiam Miſſæ Chriſtus inſtituit, accidentia verò Apoſtoli; auxêre viri Apoſtolici.*
Rupert. Abb.
Hugo Victorin.
Trident.
*Confirmatur ſuperior doctrina contra Kemnitium.*
Act. 2. 42.
S. Andreas.
Dionyſ. Areop.

*In Conſecratione Miſſæ repræſentatur Chriſti Paſſio.*

uum, quoad per incruentam immolationem fas ſit, Mater Eccleſia Paſſionem expreſſit: indicat S.Thomas q.83.art.1.ad 2.dilucidiùs q.80.art.12. Ad tertium: *Dicendum* (ait) *quod repræſentatio Dominicæ Paſſionis agitur in ipſa conſecratione: in qua non debet corpus ſine ſanguine conſecrari:* Quamobrem verò adhibenda pariter calicis conſecratio, oſtendit q.76. art.2.ad 1. *Quamuis totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie, tamen valet hoc primò ad repræſentandam Paſſionem Chriſti, in qua ſeorſim fuit ſanguis à corpore ſeparatus.* Et q.78. art.3. ad 2. *Dicendum, quod quia, vt dictum eſt, ſanguis ſeorſim conſecratus, expreſſè Paſſionem Chriſti repræſentat; ideò potiùs in conſecratione ſanguinis, fit mentio de effectu Paſſionis, quàm in conſecratione corporis; quod eſt Paſſionis ſubiectum.* Denique, cur in Paraſceue non conſecretur Dominicum corpus commonſtrat q.88. art.2. ad 2. inquiens: *Dicendum, quod veniente veritate, ceſſat figura: Hoc autem Sacramentum eſt figura quædam, & exemplum Dominicæ Paſſionis, ſicut dictum eſt: & ideò in die quo ipſa Paſſio Domini recolitur, prout realiter geſta eſt, non celebratur conſecratio huius Sacramenti.*

S.Thom.

Idem.

*Cur in die Paraſceues Chriſti corpus non conſecretur.*

Idem.

28. Porrò in eandem ſententiam S.Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus Theoriâ rerum Eccleſiaſticarũ, non longè à principio: *Agnoſcite igitur omnes ſacerdotes, qui ſacro altari aſſidetis, & incruentam victimam ſacrificatis; quòd viuas Paſſiones Chriſti annuncietis.* Quibus affinia apud Florũ Magiſtrum in Miſſæ expoſitione ad illud: *Qui pridiè quàm pateretur,* &c. apud Micrologum c.16. apud Radulphum Decanum Tungrenſem propoſitione 23. expedit autem & noſſe, quamobrẽ verſari continuò ante oculos fidelium per Miſſarum ſollennia Necem ſuam Chriſtus præſcripſerit: Stephanus Eduenſis Epiſcopus de Sacramento Altaris c.16. *Quis enim ſine lugubri cõpunctione poteſt hanc immolationem repræſentare? Quis tenens in manibus Dominum ſuum pro ſe crucifixum, & mortuum, quaſi ſeruus nequam, & immemor beneficiorum contemnat, quod morte ſua conſcripſit teſtamentum? Hîc iuſtitia fidei concaleſcit in Camino charitatis: vbi ignis eſt non comburens, ſed illuminans; non conſumens, ſed ædificans.* Paſchaſius Abb. de corpore & ſanguine Domini, c.9. *Interim autem ſemper mors Chriſti pro ſæculi vita eſt nuncianda: vt diſcant, quâ charitate Deus ſuos dilexit, qui pro eis mori dignatus eſt: cui omnes vicem debemus rependere charitatis, quia ad hoc nos prior dilexit, cùm eſſemus gehennæ filij, vt diligeremus eũ à morte iam liberati.* Egregiè admodũ Nicolaus Cabaſilas in Liturgiæ expoſitione, c.7. *Nam etiam Dominus poſtquàm vniuerſum Myſterium peregit, hoc dictum ſubiunxit: Hoc facite in meam recordationem: Sed quænam eſt hæc recordatio: Et quomodo in rei ſacræ celebratione Domini meminimus, quid agentis, quomodo ſe habentis? dico autem, quid de ipſo putantes, quid narrantes? an quod mortuos ſuſcitauit, & cæcis viſum dedit, & ventos increpauit, & ex paucis panibus ad ſatietatem millia aliquot nutriuit, quæ eum & Deum eſſe, & omnia poſſe oſtenderunt? Nequaquam: ſed ea potiùs quæ videntur ſignificare imbecillitatem, Crucem, Paſſionem, mortem, in his nos iuſſit facere eius commemorationem.* Algerus lib. 1. de Sacramento Altaris cap. 16. *Notandum ergo, quia quotidianum noſtrum ſacrificium, idem ipſum dicit cum eo, quo Chriſtus ſemel oblatus eſt in Cruce, quantùm ad eandem veram hîc, & ibi corporis Chriſti ſubſtantiam: quod verò noſtrum quotidianum illius ſemel oblati dicit eſſe exemplum, id eſt, figuram, vel formam; non dicit, vt hîc, vel ibi eſſentialiter alium Chriſtum conſtituat: ſed vt eundem in Cruce ſemel, in altari quotidie alio modo offerri, & immolari oſtendat: ibi in veritate Paſſionis, quâ pro nobis occiſus eſt: hîc in figura, & imitatione Paſſionis ipſius, quâ Chriſtus non iterùm verè patitur; ſed ipſius verè memoria Paſſionis quotidie nobis iteratur.*

German. Cõſtantinop.

Flor. Magiſt.

Microlog. Radulph. Tungr.

Stephan. Eduenſ.

Paſchaſ. Abb.

Nicolaus Cabaſilas.

Algerus.

29. Nec ſatis fuit dulciſſimæ magni huius Regis Sponſæ Necis continuâ ſacrificij incruenti oblatione refricare memoriam, ſed quàm potuit feſtiuè, quâ valuit pompâ, quo ædium, quo vaſorum, quo decantantium crebras laudes Deo immortali, eiúſque filio Chriſto Seruatori, ornatu Miſſam celebrauit: atque in eum quidem ſcopum: *Quo & maieſtas tanti ſacrificij commendaretur* (vt effatur Tridentinum ſeſſ.22.cap.5.) *Et mentes fidelium per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna, ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc ſacrificio latent, contemplationem excitarentur.* In eandem ſententiam Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis Opuſculo de diuino Templo, Præfatione: *Quando igitur huiuſmodi eſt ſacrificij myſterium, etiam Eccleſia Dei maiore quodam, ac diuiniore ſtudio in eo tractando verſatur, quódque ab initio accepit, eo aſſiduè operatur, & per ſacra ſymbola, ſiue cerimonias docet, quæ omnia cogitationem vincunt.* Id tum maximè contigiſſe, cùm data per Conſtantinum pace, licuit verticem exerere, monſtrauimus Veſtigatione antecedenti, n.25. Gaudebunt pij intelligere, quid de illis temporibus ſcribat Ekbertus Presbyter, Auctor quingentorum ferè annorum ſerm.3. aduerſùs Catharos: de Sylueſtro Pontifice loquutus: *Sub quo* (inquit) *Pax magna, & libertas data eſt Eccleſiæ, & exaltari cœpit, & ad ſummos honores promoueri fides & Religio Chriſtiana: ipſe etenim ſicut antiqua nobis ſcripta commemorant, prædicatione verbi Dei, & magnorum oſtenſione miraculorum Conſtantinũ Imperatorem filium Helenæ Reginæ (quæ Crucem Dominicam inuenit,) conuertit ad fidem; ita vt Imperator de regali ſolio ſuo deſcendens, in eo collocaret Beatum Silueſtrum, & ad pedes eius ſe humiliaret: ipſe quoque in equo ſuo conſedêre eum fecit, & ad modum ſerui ei miniſtrauit pedeſter incedens ante eum, & fræno eum deducens, & conſignans ei dominium vrbis: Inſuper & regale palatium illic ei conſtruxit, & omnem regium honorem & poteſtatem, quam habebat Romæ, & in partibus Occidentis, ipſi ac ſucceſſoribus eius conceſſit: in hunc modum creuit, & confortata eſt, & vſque ad ſummos honores promota eſt in Romana vrbe & ſub Romana poteſtate, Eccleſia Dei.* Cùm igitur in Eccleſiæ poteſtatem tranſierit Romana Arx cum ſeptẽ collibus ſuis, & facultas ſecura atque ampliſſima ſimul aducta ſit celebrandæ diuiniſſimæ Liturgiæ cum incredibilis ſplendoris gloria, nã ſuppeditauit omnia munificentiſſimè Conſtantinus, haud aberrare mihi illi videãtur, qui putent ad ea ſpeciatim reſpexiſſe tẽpora Salomonis Vaticinationem, Prouerb.c.9.v.1. *Sapientia ædificauit ſibi domũ, excidit columnas ſeptem: immolauit victimas ſuas: miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam: miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem & mœnia ciuitatis: ſi quis eſt Paruulus,* &c. Vt fuerit ſcilicet auguſta hæc domus, quæ, ſapientiâ inſtigante, fabricata eſt, ampliſſimæ maieſtatis Romana præcipua Baſilica cũ adnexis Tẽplis, & ſeptem illæ columnæ materialiter ſeptem montes vrbis, quibus illa velut ſuffulta, ſpiritaliter multitudo particularium Eccleſiarum intelligatur, quarum caput Apoſtolica ſedes magnæ illius Ciuitatis, nam ſeptenario in ſcripturis numero indicatur copia & multitudo: ibi igitur ſedatis per Conſtantinũ rebus ſummâ cum diuitiarum & Religionis pompâ Euchariſticæ propoſitæ Epulæ; nam de his victimationem, &

*Eccleſia, quâ poteſt pompâ Chriſti Sponſi ſui memoriã piè celebrat.*

Trident.

Simon Theſſalon.

Ekbert.

*Quã eximius honor Silueſtro Pontifici à Cõſtãtino Imperatore delatus.*

Prouerb. 9. 1.

*Prouerbiorum locus de Romana Eccleſia, & Euchariſticâ Menſâ aptè expoſitus.*



& menſam, & craterem vini exponunt Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Cyprianus, & alij nonnulli apud Bellarminum lib. 1. de Miſſa, cap.9. Salazarium ad nominatum Prouerb. caput num. 24. quibus addendi Anaſtaſius Sinaïta in Reſponſionibus ad varia interrogata, quæſt. 42. ſub finem: Sanctus Germanus Archiep. Conſtant. Rerum Eccleſiaſticarum Theoriâ, non longè à principio, inquiens: *Poculum rursùm eſt ad exemplum Crateræ, quam deſcribit propriè ſiue Sapientia, ſeu filius Dei: miſcuit ſuum ſanguinem loco vini illius, & appoſuit in ſancta ſua menſa, dicens omnibus: bibite ex eo omnes; pro vino illo mixto in remiſſionem peccatorum, & in vitam æternam:* Rabbi Samuel Marrochianus de aduentu Meſſiæ c. 20. qui & ſimul exponit vocatos ad Conuiuium, nimirum gentium meſſem occaſione gratiæ Imperatoris conuerſarum, cùm licuerit Vicario Chriſti Silueſtro abſque metu in terrarum fines, homines Apoſtolico imbutos Spiritu mittere, quorum prædicatione euerſum eſt Dæmonis regnum; & exterarum Prouinciarum nationes Chriſto ſubiugatæ, adierint arcem & mœnia Ciuitatis longinquâ peregrinatione, tum viſuræ Apoſtolorum limina; tum præcipuè, vt coràm inſpectâ Romanâ magnitudine, eius cum ritibus ſpeciatim in Miſſæ oblatione ſuum cooptarent morem: Sed audiendus memoratus Auctor: *Hoc etiam ſacrificium vini cũ aqua mixtum, pulcherrimè, & aptè deſcribit Salomõ Propheta in libro Prouerb. c.9. cùm dicit: Sapientia altiſſima communicauit ſacrificium ſuum, miſcuit vinum ſuum, & parauit menſam, tunc miſit ſeruos dicens: Quis eſt Paruulus, veniat ad me, & inſipientes comedent Panem meum, & bibent vinum meum temperatum aquâ: Quid, Domine mi, Menſa parata Sapientiæ Altiſſimi, niſi altare? Quid, Domine, Panis & vinum mixtum, niſi ſacrificium de Pane & vino & de aqua, quod fit in altari? qui ſunt inſipientes vocati per ſeruos Sapientiæ, niſi gentes, quæ ignorabant Deum, vocatæ per Apoſtolos?* Hæc ille ex Iudæo Chriſtianus, & ſcriptor Sæculi vndecimi.

Auguſtin. Chryſoſtom. Ambroſ. Cyprian. Bellarmin. Salazar. Anaſtaſ. Sinaït. German. Conſtant.

R.Samuel Marroch.

30. Atque hoc maximè tempore, quo Chriſtianum nomen ſub Silueſtro per Imperatoris deuotionem, ſublimatum ex variis modis, & conſtrui cœptæ perhonorificæ Eccleſiarum moles, & planè in regiam auctoritatem verſa eſt ſubobſcura rerum facies, integrè adimpleri viſa Malachiæ celeberrima Prædictio de Miſſæ ſacrificio cap.1.verſ.11. *Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum:* Nam quanquàm ab initio Euangelici præconij Apoſtolorum induſtria, atque Diſcipulorum, quos habuerunt, propagata ſit notitia ſacrorum fidei Myſteriorum ab occidente in orientem ſolem, introductúmque Euchariſtiæ ſacrificium, vt proinde & in Mundi plagis inter nationes, adoraretur ſacra Hoſtia: Sed cùm ob Perſecutiones, locus non eſſet publicæ celebritati, nondum magnum erat nomen in gentibus, & ab ortu ſolis vſque ad occaſum, quale fuit attonito & ſtupeſcente Ethniciſmo, ſimúlque ruente præcipiti lapſu, poſtquam à Conſtantino donariis inſignibus locupletata eſt Eccleſia, & Crux Seruatoris exaltata. Quod autem de viſibili ſacrificio Euchariſtiæ, & non de ſpiritali Precum oblatione Vates ſermocinetur, genuina Textus conſtructio indicat: Nam abolenda Iudæorum ſacrificia prænunciat, & ſubſtituendum veteribus nouum, & imperceptum antiquis: Spiritalia autem ſacrificia noua haud fuiſſent, quorum vſus & ſub naturali, & ſub ſcripta lege. Deinde, futurum eiuſmodi ſacrificium, cuius oblatio latiſſimè pateat, ab Occidua in Eoam plagam; Quod anguſtis Iudææ terminis adaptari nequeat: Denique Hebræorum ſacrificia eiuſmodi erant quæ vel occaſione rei oblatæ, quia manca, & egena offerebantur; vel ob malitiam, & ſcelera offerentium, inquinari poterant: Spiritalia quoque ſacrificia ab intentione offerentium prauâ corrumpi valeant: Quorum nihil in ſacrificium Euchariſtiæ quadrat; ideò plurimâ cum Emphaſi vocatur à Malachia *Oblatio munda:* Sic Tridentina Synodus ſeſſione 22. cap.1. *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam, prædixit:* Ac quidem trecentorum Epiſcoporum iudicio approbatam Concilij de Malachiæ verbis interpretationem, qui eidem interfuit noſter recenſet Franciſcus Turrianus Tractatus de Euchariſtia ſecunda Parte, cap.34. cui eidem Synodo cùm præſens extiterit laudatus aliàs inter Catholicos ſcriptor Benedictus Arias Montanus, mirum eſt voluiſſe tot Antiſtitum iudiciis, & Patrum omniũm antiquorum opinioni, neque ingenij robore neque eruditionis illuſtrem dotibus præponere cogitationem de ſacrificiis gentilium idololatrarum: quare reprehendunt meritò Bellarminus lib.1. de Miſſa cap. 10. Suarius tom. 3. in 3. Partem diſputatione 74. ſectione 1. §. *Quocirca miratus ſum,* &c. Chriſtophorus de Caſtro & à Lapide in Malachiam: in eundem Pater Quiros numero 54. éſtque notatus ob hoc inter alia Benedictus à recenti expurgatorio Catalogo authoritate ſupremæ ſanctæ Hiſpanicæ Inquiſitionis cum titulo eminentiſſimi Cardinalis Zapatæ: agunt & de Malachiæ loco in eundem ſcopum Azorius tom.1. lib.10. cap. 18. Quæſito 7. Valentia tom. 4. diſputatione 6. quæſtione 11. Puncto 1. cap. 11. Coningus de Ritu Venerab. Sacram. ad quæſtionem 83. dub. 3. num. 48. Ribera in Malachiam num. 32. Sanchez ibidem num. 47. Ludouicus Tena in epiſtolam ad Hebræos, difficultate 4. ſectione 1. num. 2. ad cap. 10. & in idem caput difficultate 5. ſectione 2. num. 7. à quorum pleríſque Patrum multa cohors allegata eſt, vberiùs cæteris à Chriſtophoro Caſtrenſi.

Malach. 1. 11.

*Malachiæ celebris de Miſſæ ſacrificio Prophetia.*

Conc. Trid.

Franciſcus Turrian.

*Ariæ Montani opinio reijcitur.*

Bellarmin. Suarez.

Chriſtoph. à Caſtro. A Lapide. Quiros.

Card. Zapata.

Azorius. Valentia. Conink.

Ribera. Sanchez. Tena.

31. Nos aliquos citabimus vel ab aliis ineditos hactenus, quorúmve dictio ipſa omiſſa eſt: in his mille ferè annorum Doctor Sanctus Iulianus, quem nonnulli Pomerium dicunt Archiepiſcopus Toletanus lib. 1. contra Iudæos poſt medium: *De hac igitur reprobatione veteris ſacrificij Malachias quoque clarum indicium oſtendens fidei Chriſtianæ, & reprobationis veſtræ, ſic dicit: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus: iam ergo manifeſtum eſt, quod ex tunc veteris ſacrificij reprobatio facta fuerit, ex quo magnum nomen Chriſti in gentibus eſſe cœpit.* Anaſtaſius Græcus quidam Abbas, de quo Henricus Caniſius tom.3. antiquar. lect. ſcripſit contra Iudæos ſub anno octingenteſimo, de his Malachiæ verbis

Iulian. Archiep. Tolet.

*Prædicta Malachiæ Expoſitio Patrum teſtimonio roboratur.*

Henr. Caniſ.

Anaſtaſ. Abb.

verbis non longè ante finem: *Quod ſi non ſit ſermo de noſtro ſacrificio, ſed de Iudæorum, ſequitur vt Prophetia Malachiæ cum lege pugnet: cùm enim Moyſes iuſſerit in vno loco ſacrificare tantùm, Propheta dicit, vbique ſacrificatum iri: at non pugnant: de alio enim ſacrificio loquitur Moyſes, de alio Malachias, quod ex multis ſignis perſpici, & colligi poteſt: Ex loco; non enim ait, in vna ciuitate ſicut de Iudaïco ſacrificio, ſed vbique ab oriente Solis*, &c. *ſignificans, quantùm terrarum ſol illuſtrat, tantùm occupabit prædicatio: Ex perſonis ſacrificantibus, non enim dixit in Iſraël, ſed in gentibus: Ex genere ſacrificij, quod ſignificauit, cùm dixit purum, tanquam ſacrificium prius impurum fuiſſet, non quidem naturâ, ſed* διὰ τῶν ϖονηρῶν *ſacrificantium, idcirco enim dixit Deus; thymiama abominatio eſt mihi.*

Guitmund.

Guitmundus Archiepiſc. Auerſanus lib. 3. de veritate Euch. *Quamobrem, ſi dominus exercituum oblationem, quæ in omni loco ab ortu Solis vſque ad occaſum ſacrificatur, & offertur nomini ſuo, mundam dicit: cùm præter hanc nulla poſſit eſſe oblatio munda; viderit Berengarius cum ſuis, quàm ſit oblatio eorum immunda quæ non dico in omni loco, ſed vix in aliquo eſſe obtinuit.*

Petr. Cluniac.

Petrus venerabilis Cluniacenſis Abbas Tractatu contra Iudæos cap. 3. ſub finem: *Quod igitur illo tempore prædicentis Prophetæ non fuiſſe probatur: hoc iſtis Chriſtianæ fidei diebus impletum agnoſcitur: Magnum eſt planè, nunc magnum eſt verè nomen Dei, & Chriſti eius in gentibus, & ab ortu Solis vſque ad occaſum omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Andronicus Conſtantinop. Dialogo contra Iudæos, cap. 51. ad calcem, eodem teſtimonio reprobata eſſe Iudæorum ſacrificia oſtendit: Verùm, nulli conſtantiores in Malachiæ interpretanda ſententia pro nouæ legis venerando ſacrificio ipſis Iudæis, quamprimùm Chriſtiana eis affulſit lux, & ad veram tranſiêre Ieſu Chriſti fidem: talis Rabbi Samuel Marrochianus libro de aduentu Meſſiæ, cap. 20. & 21. imprimis verò cap. 23. vbi, cur munda appelletur

R. Samuel. Marrochian.

oblatio noſtra: *Sed Synagoga indiget lauare carnes ſacrificiorum, & purgare ventres animantium, quæ ſacrificabantur, & lauare locum de ſanguine, & pinguedine ſacrificiorum; aliter eſſet horror tractare, & vidêre: in ſacrificio autem Panis & vini & aquæ non apparet aliquid indecens, aut turpe:*

Petr. Alphonſ.

Petrus Alphonſus ex Iudæo ad Catholicum gremium tranſlatus Dialogo aduerſus Iudæos, Titulo 4. repudiatas legis priſcæ victimas ex memoratis verbis oſtendit: & luculentè Hieronymus à Sancta fide, ex Iudæo etiam Chriſtianus lib. 1. contra Iudæos,

Hieronym. à S. Fide.

cap. 9. *Malachias Propheta potiùs nobis in hac Prophetia reuelauit, quòd ſacrificium continuum debebat fieri ex re aliqua nimis purâ, & mundâ; non ſicut antiqua ſacrificia, quæ ex adipe & ſanguine cum igne, & fumo fiebant: item oſtendit nobis & in hoc quod dicit: in omni loco: quòd hæc oblatio munda fienda erat per mundum vniuerſum, per contrarium ſacrificiorum antiquorum, quibus erat prohibitum, ne alibi, quàm in Templo Ieroſolymitano fierent.*

32 *Antiqua Crucis in die Paraſceues adoratio.*

Præter hanc mortis Saluatoris aſſiduam in Miſſæ ſacrificio recordationem, antiquiſſimus etiam vſus eſt ſimilem proculdubio ob cauſam trinæ adorationis ſanctiſſimæ Crucis feriâ ſextâ Hebdomadæ, vt vocant, Pœnoſæ, multi veterum, quæ dies Paraſceues eſt: eius meminit diſtinctè

Ordo Romanus.

Liber, qui *Ordo Romanus de officio diuino*, intitulatur, ſcriptus ſæculo octauo, *Intereà* (ait) *venit Pontifex ſolus, & adoratam deoſculatur Crucem: deinde Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, ac cæteri per ordinem, deinde Populus.*

Amal. Fortunat. Rupert. Tutienſ.

Amalarius Fortunatus lib. 1. de Eccleſiaſticis Officiis, grauiter, & ad longum eadem de cæremonia, cap. 14. vbi: *Crux Chriſti ante me poſita* (inquit) *Chriſtum quaſi pendentem in ea, mente teneo.* Rupertus quoque Tutienſis piâ & diffusâ oratione lib. 6. de diuinis officiis à cap. 3. Guibertus de Tornaco ordinis Minorum Tractatu de officio Epiſcopi, & Eccleſiæ cærimoniis, ex Amalario Fortunato mutuatus pleraque, cap. 46. agit de adoratione Crucis

Guibert. de Tornac. Durant.

eodem die, & cap. 47. ait: *Quia ergo illo die, quo Crucem oſculamur humiliatus eſt pro nobis vſque ad mortem Crucis: benè congruum eſt, vt tota deuotione ante Crucem proſternamur:* Poſtremò multis Guilielmus Durantus in Rationali diuinorum Officiorum lib. 6. cap. 77. à num. 18. laudabiliſſimus & ille ſacrarum Eccleſiarum mos, quo Seruatori velut parentant, dum à feria quinta in Paraſceuen loculo ſepulchri referente imaginem, ſanctiſſimam aſſeruant Hoſtiam: atque eò res prouecta eſt ſtudio & deuotione fidelium, vt nihil Buſto illo magnificentius, aut ſplendidius, ſiue Ars ſeu materia conſideretur: Quam ego dum

*Sacra Oratoria quæ in Sepulchri Chriſti piam repræſentationẽ in Hebdomade ſãcta adornantur, ab Iſaïa vaticinio celebria.*

pompæ magnitudinem, & debitum Mortis victori trophæum, mente repeto; & non vnius eſſe Prouinciæ opus tanti paraturam laboris, quod forſan aſſequutus aliquando Imperatorum orbis quiſpiam, ſed ab Oriente in Occidentem, à Meridie in Septentrionem protendi celebritatem honorificentiſſimi funeris perpendo: credere non valeam de his tacuiſſe penitus Iſaïam, cùm vaticinatus eſt, c. 11. verſ. 10. *In die illa Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.* Isai. 11. 10

Nam concedamus ſanè præſtantiori ſenſu intelligenda verba hæc, de gloria, quam ob mortem aſſequutus ſit Chriſtus; vel de Reſurrectionis eius luminibus & decore, quemadmodum verſione ſuâ innuunt L X X. Quid vetat nihilominus & LXX.

Prophetam dictione fatidicâ comprehendere voluiſſe materialis ſepulchri reuerentiam? Annon inde filio Dei cumulatiſſimus honor ſiue cùm Helena Conſtantini genitrix magnificam extruxit Baſilicam? ſeu cùm Principes Orthodoxi toties exciti ſunt ad ſacrum bellum contra Mahumetanos, de quorum expeditionibus fusè noſter Grethſerus tom. 3. de Cruce? ſeu denique ob Gretſer.

ſepulchrorum moles egregias in Cœna Domini per Templa Chriſtiana? Quare eum in modum Iſaïam interpretari non renuit Bernardus, quòd autumaret vaticinij quanquam maieſtate, ſed tam vberem gloriam haud indignam eſſe: itaque Sermone ad Milites Templi, cap. 11. effatur: Bernard.

*Nec caſu, vel ſubitò, aut veluti lubricâ popularis fauoris opinione, id tam celebre nomen ſepulchrum nactum eſſe putetur, cùm hoc ipſum tantis retrò temporibus Eſaïas tam apertè prædixit: Et erit, inquit, in die illa Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum: Reuera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum; nouum quidem intuenti, ſed legenti antiquum: vt ſic adſit de nouitate iucunditas, vt de vetuſtate non deſit auctoritas.* Equidem *ſigni* vocabulo de Crucis ligno ſermonem ingeri, quod vexillum denotetur Hebræâ voce, optimi recipiunt interpretes: fatentur, ſequenti Hemiſtichio gloriam Cruce acquiſitam prædici: Quidni huius gloriæ licet exilior Pars materialis ſepulchri amplitudo? nam eam ob cauſam & de Chriſto magnam opinionem Homines concipiunt, & ſublimant encomiis: non igitur



igitur accommodatitio ſenſu loquutus Bernardus, ſed genuino & intento à Spiritu ſancto.

33\. Verùm & Bernardo aliquot ſæculis antiquior Paſchaſius Ratbertus de materialis ſepulchri pompoſo ornatu ſententiam Iſaiæ interpretatus

Paſchaſ. Ratbert. *Iſaiæ vaticinium de Ieroſolymitana S. Sepulcri Eccleſia intellectum: vt & Sophoniæ.*

eſt, in illud cap. 27. *Et accepto ſyndone inuoluit illud*, &c. Commentariorum libro duodecimo poſt ſermonem de loco Dominicæ ſepulturæ, annectit: *Nunc autem ſicut tradunt, qui inde ad nos veniunt, Eccleſia ibi eſt eximij operis, rotunda, triplici pariete diſtincta: in cuius medio monumentum eſt, habens ab Oriente Eccleſiam, quæ Golgotana vocatur adhuc hodie: in quibus profectò locis multa fabrica eſt Eccleſiæ, ſiquidem ita vt cernere poſſis in eo loco Iſaiæ vaticinium eſſe completum, ait: In illa die Radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum: Quia locus, in quo regnum Mortis diruit, memorabilem ſeruat iudicij palmam ſicut & deprecatio gentium vſque ad fines terræ in ſignum ſalutis noſtræ vbique floret:* Hæc eſt illa Eccleſia de qua ſæpe Hieroſolymitanus Antiſtes Cyrillus Catecheſi 14. de Re-

Cyrill. Ieroſol.

ſurrectione: *Nam illi quidem milites propter argentum prodiderunt veritatem: iſti autem, qui nunc ſunt Reges, pietatis ergò, argento induentes & auro ſanctam hanc Eccleſiam Reſurrectionis Saluatoris, in qua nunc ſumus, extruxerunt:* quam paulò inferiùs à beatæ memoriæ Imperatore Conſtantino extructam memorat. Quin & Sophoniæ verba Cy-

Sophon. 3. 8.

rillus ex cap. 3. verſ. 8. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die Reſurrectionis meæ in futurum*, &c. de Eccleſia ad Chriſti ſepulchrum conditâ expo-

LXX.

nit; ſequutus eſt autem verſionem L X X. *Propterea expecta me, dicit Dominus, in diem Reſurrectionis meæ in teſtimonium:* Pro teſtimonio autem retinuit Græcam vocem idem ſignificantem, *Martyrion*, quomodo & Tertullianus loquutus de co-

Tertullian. *Templa dicta olim Martyria.*

rona Militis capite 9. *Puto nec ipſum Dei templum, nec arca Teſtamenti, nec Tabernaculum Martyrij, hoc eſt Teſtimonij:* vſus eâ dictione, quo Eccleſiam à Vate prænunciatam doceret, nam Martyria dicebantur olim Templa, quod in Martyrum ædificarentur memoriam, vt aſſerunt Iſido-

Iſidor. Hiſp. VValfrid. Suarez.

rus Hiſpalenſis libro 15. Origin. cap. 4. VValfridus de rebus Eccleſiaſticis, cap. 6. Vide Suarium tom. 3. in 3. Partem diſputatione 81. ſectione 1.

Bullinger. Cyrill.

Bullingerum tom. 1. opuſculor. lib. 3. de Templis cap. 3. igitur Cyrillus profatur: *Et deinde ſecundum eandem Scripturæ ſeriem, dicit: Propterea expecta me, dicit Dominus, in diem Reſurrectionis meæ in Martyrion: Vides quod & locum Reſurrectionis præuidit Propheta, Martyrion vocandum? Qua ratione enim, non ſecundum reliquas Eccleſias Golgothæ, etiam hic Reſurrectionis locus, Eccleſia vocatur, ſed & Martyrion? Verùm id fortè propter Prophetam dicentem, in diem Reſurrectionis meæ, in Martyrion.*

De eodem etiam funeris loco, poſt ſuperſtructæ Baſilicæ admirandum opus, Iſaias cap. 2. 34.

verſ. 2. *Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes:* ita Iſai. 2. 2.

Gregentius Vetus ſcriptor, Archiep. Tephrenſ. diſputatione cum Herbano Iudæo: *Et domus Dei exaltabitur ſuper ſummis montibus: Quænam domus? an Templum Salomonis? abſit: Perge & vide quòd funditùs dirutum eſt: Sed quænam dicit? vbi ſepultus eſt, & habitauit Nazarenus tres dies, & tres noctes: illinc ſurrexit, & continuò ſupra ſepulchrum Templum extructum eſt, atque appellatur ſancta Reſurrectio: & exaltabitur ſupra colles: quos colles? Qui ſunt huius Domini, ſiue Poſſeſſionis, in quibus idolorum Templa conſtructa erant: & relinquent gentes montes, & colles, & omnem errorem ipſorum, in quibus dæmonijs ſeruiebant: & venient ad montem eminentiſſimum, & illuſtriſſimum, & nouum Templum ſanctæ Reſurrectionis, nempè in Ieruſalem: Vide Prophetiam in puro & lucido poſitam, in qua Parœmia nulla, ſed vera, & libera, atque aperta locutio!*

Gregent. *Altera Iſaiæ de eodem S. Sepulcri Tẽplo prophetia.*

Nihil igitur vetat de materialis Sepulchri quibuſque externis honoribus, ſiue vt condecorata eſt area à pientiſſimis Regibus altitudine magnorum ædificiorum ad ſacra miniſteria; ſeu quemadmodum illius ad exemplum quotannis eriguntur Mauſolea per hebdomadam Paſſionis, Catholicorum in Templis, plurimo cum ingenio eruditæ Artis, magniſque ſumptibus, loquutos eſſe Dei Vates, cùm Præſagiorum ſcopus eſſet nobiliſſimus, Chriſti, & Eccleſiæ quæ ſub lege noua, ornamenta quæque præſtantiora delineare: Quare de anniuerſario luctu fidelium ea ſub Hebdomada Zachariam ſermocinatum eſſe cap. 12. verſ. 11. *In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem: ſicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*, noſter exiſtimat Sanctius numero 46. ductâ vtique allegoriâ à Ioſiæ Regis planctu, de quo Paralip. 2. capite 35. verſ. 25. *Vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant*, qui dimicans in campo Mageddo, vt ibidem recenſetur, vulneratus eſt à ſagittariis: verùm quod & L X X. aliter interpretantur, inquientes: *In die illa magnus erit planctus in Hieruſalem: Sicut planctus malogranati, quod in campo ſucciditur:* Putat Gaſpar rubicundioris pomi metaphorâ fortaſſe indicari plagata & ſanguinea eorum tergora, qui ob imitationem ſacræ Paſſionis Redemptoris ſæuiunt in ſcapulas ſuas, & cruentis ſtillicidiis Chriſtianas plateas irrorant atque humectant. His igitur formis, aliiſque cùm Dilecti mortem iugiter Eccleſia repræſentet, dicat ſanè cum fiducia: *Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

*De Chriſtiano Hebdomadis ſanctæ luctu Zachariæ vaticinium.* Zachar. 12. 11. Sanchez. 2. Paral. 35. 25. LXX. Gaſp. Sanch.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

## *Textus :* Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. *Cap.* 1. *verſ.* 12.

### *Paſſionis Chriſti recordatione ſuperantur facilè aduerſa.*

### Sectio I.

35. *Faſciculum Myrrhæ de Chriſti paſſione variâ collectum, Sponſa in ſolatium & munimem ſuper pectus aſſumit.*

QVONIAM malorum innumeris procellis vitæ huius iactatur Nauigatio, Spóſa in ſolatium vitæ infortunatæ, & amaritudinibus refertæ, de Redemptoris cruciatibus faſciculum colligit: Quem dum pectori, dum naribus admouet, dum collo gratam appendit ſarcinam, dum humero ſuſtinet, conuerſus eſt luctus eius in citharam; adeò non laboret vt repletam ſe conſolatione dicat, ſuperabundare gaudio affirmet: Bernardus ſerm. 43. in Cantica: *Propterea denique non faſcem, ſed faſciculum Dilectum dicit, quod leue pro amore ipſius ducat, quicquid laboris immineat, & doloris: Tu quoque* (addit, Animam alloquutus ſingularem:) *Si ſapis, imitaberis Sponſæ prudentiam, atque hunc Myrrhæ tam charum faſciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli; amara illa omnia, quæ pro te pertulit, ſemper in memoria retinens, & aſſiduâ meditatione reuoluens.* Iuſſus immolare filium ſuum Iſaacum Abraham: proh quali tentatus opere! ille tamdiu multis quæſitus votis Puer, ſenectutis gaudium, domus fulcimentum, Parentum totus & indiuiſus Amor, vulnere perimendus, quod Patris inferat dextera! Non recuſauit Abraham mandatum, non vultum deiecit, non fleuit aut indoluit. Zeno Veronenſis ſermone 1. de Abraham: *Ecce ſub oculis iacet filius vinculis adſtrictus: vbi ſunt lachrymæ? vbi dolor, qui in humanis ſenſibus verſari conſueuit? in tantis filij caſibus lætatur, & gaudet:* Cur exultat Genitor dilectiſſimum ſacrificaturus gnatum? cur non mœrore turbatus ſub vnigenitæ prolis funere? audite ex Ioanne, quorſum lætatus fuerit: *Abraham Pater veſter* (inquit Chriſtus apud Euangelium cap. 8. verſ. 56.) *exultauit, vt videret diem meum: Vidit & gauiſus eſt:* Quis eſt igitur, dies iſte, ad cuius lucem exſiliit Abraham? Sanè cùm victimationi filium deuouit, aperti ſunt mentis oculi, & intuitus eſt ſpeciali reuelatione venturam ætatem, in qua Dei Verbum ſub Carne aſſumpta, in qua mori poterat, mille oneratam contumeliis ſubiturus eſſet necem, quæ iam tum ante tempora multa in Iſaaco præfigurabatur: hac igitur ſpecie liuidi Seruatoris animo obiectâ, ſic excitatus eſt, vt quanquàm nihil in humanis rebus gnati acerbius funere contingere poſſit, non ſingultauerit tamen, non frontem contraxerit: imò tripudians & alacer cædem aggreſſus ſit: Diuus Proſper Aquitanicus Parte 1. de Promiſſionibus, & Prædictionibus, cap. 17. *De quo Dominus in Euangelio increpans Iudæos, dicit: Abraham Pater veſter concupiuit videre diem meum, & vidit & gauiſus eſt: diem ſcilicet Paſſionis filij Dei in ſuo filio figuratum vidit Abraham, quòd vnico filio non pepercit: quòd velut ad aram Crucis triduo cum inſonti victima conuolauit: quòd patiens, ac ſine voce, ſimilis Agno coram tondente ſe, filius Patri vt percuteret, pia colla præbuit: quòd ſe ligno, quod portauerat ipſe, ſuſpendi Iſaac non reluctatus eſt: quòd aries cornibus in vepre detentus, ſpinis coronatum Chriſtum oſtendens, pro Iſaac immolandus apparuit.*

Bernard.

Zeno Veron.

Ioan. 8. 56.

*Abrahamus filium immolaturus, diem Chriſti Paſſione cruentũ vidit, & gauiſus eſt.*

Proſper Aquitan.

Declinabat ab irato fratre Eſau Iacob in Meſopotamiam profectus: iactabatur multis incommodis nobiliſſimus Adoleſcens: non lares cognatorum aut ſodalium quibus reciperetur, non in quod pergeret Hoſpitium, coactus ſub Dio manere: Humus cubationem feſſis membris ſubminiſtrauit, lapis puluinar fuit: ecce dormitat: at dum requieſcit: *Vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum*, Geneſ. 28. verſ. 12. Quid portendebat viſio? nimirum Peregrino Crux oſtendebatur Dominica in ænigmate: Zeno Veronenſis ſermone de ſomnio Iacob, ſub finem: *Scala autem proprio nomine Crux vocatur, quia per ipſam Dominus Ieſus Chriſtus miniſteria vniuerſa conficiens, & concludens, Patri & Adam reportauit: & iter ad cœlum omnibus ſe ſequentibus patefecit:* Sed quis ſcopus demonſtrandæ Crucis? nimirum humanis deſtitutus ſubſidiis grauia perpetiebatur illo in itinere Iacob: exigua tamen malorum Pars illa: nam Labanis in domo per viginti adhuc exercendus annos: ſiue dum fraudibus maligni ſoceri frequenter circumuentus: ſiue dum Pecoris Magiſter & Brumæ & æſtatis ſæuitiâ vapulat, & ferarum conterritus immanitate, dum ad prædam inhiant: Hæc igitur tam ardua, quò ſereno perferat animo, roboratur Crucis aſpectu: in hanc enim ſimul ac conuertat lumina, momentaneum, ac leue iudicabit cuiuſque tribulationis pondus: Quamobrem euigilans, nihil de ſtrati duritie conqueſtus, non lapidem incuſauit; quin verò Paradiſi quaſi interfuiſſe gaudiis ratus ſub tam aſperis rebus, proclamauit inquiens: *Non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & Porta cœli:* Vos dulcia ſodalium pignora, qui ſpatioſis Indorum vagamini Tractibus, vbi deſertum plurimum & infelix eſt, quibus ſaxa cubile, tegumen cœlum eſt, eſca ſylueſtris nemoris ingrati fructus: Vos etiam ob Hæreſis immanitatem in ſolitudinibus errantes, in cauernis petrarum: aſpicite in Ieſum & hunc crucifixum: inuenietis continuò requiem anima

36. *Laſſato Iacob & vndequaque afflicto, Crux ſub Scalæ viſa vmbrâ, ſolatium eſt, & robur.*

Gen. 28. 12.

Zeno Veron.

Geneſ. 28.



animabus veſtris, quâ & fiet corporis iugum ſuaue. Rectè & de eadem ſcala Prophetæ verſum ex Pſalm. 22. interpretatus eſt Zeno: ait Dauid verſ. 4. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*, de quibus nominatus Auctor: *Igitur hæc ſcala cuius eſſet materia, in qua Dominus incumbebat, ex Dauid dicto cognoſcimus, qui ait: Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt:* Quomodo Pſalmodum lætificauit virga, quæ magis triſtitiam adferre conſueta eſt? caſtigat enim & ingemiſcére facit: at nunc iucunditatem attuliſſe Vates memorat. Contemplabatur iuſtorum nomine, quantis vita hæc obnoxia eſſet lamentis: Quis enim recensêre valeat inundationes malorum? perterrebat aſpectu horridi periculi: euolauit afflicta cogitatio, & Crucem conſcendit: huius recreata intuitu, depoſuit illicò metum, & voluptate perfuſa ait: *Nam ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es:* vbi Carthuſianus Bruno: *Cur dicis te non timêre mala? ſaltem tribulationes times, quæ mala ſunt: Reſpondet, non: Nam virga tua*, &c. velut aſſerat: Timerem quidem, niſi virgam, & Baculum Crucis conſideraſſem: huius autem Meditatio formidinis propulſatrix eſt: gloriabor in infirmitatibus magis quàm doleam Crucifixo intentus: de Cruce Theodoretus expoſuit aſſerens: *Porrò non quis errare poſſit, ſi eodem modo ſalutarem Crucem nuncuparet: Nam ſigno, atque memoriâ huius ab Hoſtibus dæmonibus liberamur, atque in veram viam deducimur.*

Pſalm. Zeno.

*Nec in medio vmbra mortis timet Dauid, baculo Crucis innixus.*

Bruno. Carthuſ.

Theodoret.

37 Miſſurus Deus in Ægyptum contra Pharaonem, Moyſem: *Apparuit ei in flamma ignis de medio Rubi, & videbat, quòd Rubus arderet, & non combureretur*, Exodi cap. 3. verſ. 2. Quamobrem in Rubo conſedit? non potiores aliæ in Sylua arbores? cur neglectæ Cedrus, Palma, Laurus? ſcilicet Spinoſum lignum eſt Rubi; eo repræſentabatur Corona quâ terebratus eſt ſub Paſſionem vertex Seruatoris: Paſſionem igitur, vt denotaret, Rubum elegit: teſtatur Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 8. prope finem: *Eſt autem Rubus planta Spinoſa: Poſtquam autem Verbum legem ferre, & cum hominibus verſari deſiit, myſticè rurſus Dominus coronâ coronatur, hinc illuc vnde deſcenderat, abiens, veteris deſcenſus initium inſtaurans, & de integro, veluti in ſummam redigens:* (aut vt alij interpretantur, *recapitulans*, quia in Græco eſt, ἀνακεφαλαιούμενον) *vt quod primum per Rubum, Verbum viſum fuerat, per ſpinam rurſus aſſumptum oſtenderet omnia eſſe vnius potentiæ, cùm ſit vnus, & Patris, qui vnus eſt filius, principium & finis ſæculi:* Quamobrem verò præmonſtrari tormenta ſubeundæ à Redemptore necis, Moyſi oportebat, antequam Ægyptum ingrederetur? Num, vt intelligamus Crucis exquiſitam eſſe gloriam, cuius intuendæ paſſim non fiat copia vniuerſis, ſed electis Amicis, & rerum geſtarum decore inſignibus, qualis extiterat Moyſes? Innuit Baſilius Seleucienſis Oratio. 9. in Moyſem: *Agenti inter pecora Deus obijcitur, & in viſæ viſionis præmium pro ſuſceptis Religionis causâ laboribus, condonat:* fortaſſe tamen non in compenſationem exantlati laboris ſed in munimen venturæ neceſſitatis; deſtinabatur ad pertinacem, ſæuúmque Tyrannum: erat futura concertatio multiplex cum obdurato Principe difficili Rerum euentu, nec ſine magno Legati diſcrimine, vt apparebat: Ne igitur arduæ ſe Prouinciæ ſubduceret, quò hilaris pericula deuoraret omnia, Dominicæ contuitu necis honoratur: vt cùm hanc peruiderit ſemel, humanæ deinceps crudelitatis metuere qualeſcumque rigores deſinat.

Exod. 3. 2.

*Moyſes ad Pharaonem ſæuum Tyrãnum mittendus, viſione Rubi, ligni ſpinoſi, quo Chriſtus in Paſſione coronandus erat, in omnem euentum firmatur.*

Clem. Alex.

Baſilius Seleuc.

Quid ſignificatum à Dauide, Pſalmi octuageſimi verſu 17. *Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle ſaturauit eos?* Num in ſaxoſis apes mellificauerunt? Quidam referunt ſecundum Hiſtoriam ad vbertatem terræ Chanaan, glebâ non ſolùm pingui fructus producente ſuauiſſimos, verùm & ſilicibus duris; atque hoc eſſe, quod Moyſes dicat Cantico Deuteron. cap. 32. verſ. 13. *vt ſugeret mel de petra:* Alij potiùs conſtruunt, de lapide quem virgâ Moyſes bis percuſſit, Numer. 20. verſ. 11. inde manantibus aquarum riuis, quæ Mellis inſtar ſitientibus dulces videbantur: ſed nos modò allegoriam ſectemur: Quomodo igitur ſpiritaliter ſaxa, quibus laborioſa & moleſta indicantur onera, ſic blandiuntur, vt inter delicias computari valeant? Quod ſi de aquarum erumpentibus laticibus ex percuſſo ſilice, & hanc ſequi nunc opinionem magis præſtat: aquarum vocabulo in ſacro idiomate Tribulationes multoties ſignificatæ: Quonam igitur pacto quæ amariſſimæ eſſe conſueuerunt, iucundæ & mellitæ prædicantur? Ecce Virgâ percuſſa eſt mater aquarum, Cruce Scilicet: Auguſtinus Tract. 26. in cap. 6. Ioannis: *Petra Chriſtus in ſigno: & quomodo biberunt? percuſſa eſt Petra de virga bis: gemina percuſſio duo ligna Crucis ſignificat.* Rupertus lib. 2. in Numeros, cap. 7. *Cuius paulò ſuprà in virga, quæ floruit, nucémque protulit, ſacroſanctam ſpectauimus Incarnationem: eiuſdem in hac Petra percuſſa ſalutiferam intelligamus Paſſionem:* Ergo iuſtus de multitudine laborum ſuorum affirmet: Torrentem pertranſiuit Anima noſtra, pertranſiuit aquam intolerabilem: ſed quomodo pertranſiuit montes aquarum rapidarum? in lætitia & tripudio: Ibant gaudentes à conſpectu Concilij, poſt verbera & flagellationem ſanè: vnde ſubortæ conſolationes? ex Paſſionis Ieſu meditatione: hac repercuſſæ aquæ in Ambroſiam conuerſæ ſunt: itaque bibebant largo hauſtu, quòd mella epotarent: *Nihil verius*, (ſubnectit Rupertus) *paſſo namque Chriſto, Torrentes gratiarum Spiritus ſancti inundauerunt.* 38

Pſalm. 80. 17.

Deuteron. 32.

Numer. 20.

*Vel de petra duriſſima, dũ ligno crucis percutitur, inter medias tribulationũ vndas, mel elicitur ſuauiſſimum.*

Auguſtin.

Rupert.

Idem.

Sed videamus tranſeuntem aquas in hoc ſigno forti Eliæ diſcipulum aliquem: ſublato Magiſtro Eliſeus Iordanis fluenta ingreſſurus, pallio quod ſcandenti æthera collapſum eſt Præceptori, vndas percuſſit, quæ diuiſæ ad ſecundam plagam iter præbuêre ſecurum. Aquæ vt monebamus tentationes ſunt, aquæ vitæ huius crebra pericula, aquæ damna quælibet, ſeu honor, ſeu valetudo, ſeu fortuna iactetur. Heu ventorum flabra! Heu minas irati æquoris! at ne time fluctus, tantùm non tibi Eliæ pallium deſit: Quid illa Melota in figuris? Chriſti nimirum Syndon, qua inuolutum eſt lacerum defuncti corpus: Hæſit linteamini Paſſionis ſpectaculum, hæsêre Cruoris notæ: ergo Melota Heliæ in ænigmate veſtis necis Dominicæ characteribus inſignita: gradere cum hac veſte per mediam Oceani viam: ridebis æſtuantem Pontum: furentem Æolum, miraberis & dilatabitur cor tuum, cùm conuerſa fuerit ad te multitudo maris, erúntque profunda aquarum tibi quaſi Hortus irriguus: ſpecioſè Drogo Hoſtienſis libello de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Verumtamen cecidit nobis à te, & apud nos vſque hodie remanſit Pallium tuum, quæ ſunt linteamina corporis tui, quibus potentiæ tuæ apem experiamur in tempore opportuno, vt ſpiritus tuus duplex fiat in viſceribus noſtris, quatenus in te & Deum, & Proximum diligamus: circumdederunt nos* 39.

*Tribulationũ ſeu periculorum aquas Eliſeus in Eliæ pallio Chriſti Syndonis figura ſecuriùs tranſit.*

Drogo. Hoſt.

*dolores*

*dolores mortis, & tribulationes inferni conturbauerunt nos: mortalitatis noſtræ veſtimentum ſcaturiens vermibus, qui me aſſiduè comedunt, & non dormiunt, qui ſunt dolores prænuncij doloris illius maximi, qui venit ſuper velut armatus, & improuiſos molitur obruere: ecquis tam prouidus, vt terrorem illius poſſit ſuſtinêre? Attamen, velimus, nolimus, certè ſuſtinendus eſt, certè tranſeundus: ſed noli obliuiſci pallium Eliæ, alioquin Torrens tibi ſine illo non diuidetur.*

40. Cur ſub Panis, & vini ſpeciebus latêre Chriſtus in Euchariſtia voluit? Quamobrem non alias ſubſtantias potiùs adamauit, quæ in illius corpus, & ſanguinem conuerterentur? Nempe inſtituebat corporis & ſanguinis propterea Sacramentum, vt memoria Paſſionis eius continuò ab Eccleſia celebraretur, vt docuimus latè Myſticâ huius verſus Explanatione, ſectione 2. in hunc autem ſcopum idoneus Panis & vinum: percipiamus à Francone Abbate Tomo decimo de Gratia Dei: *Et pulchrè in his memoria Dominicæ Paſſionis agitur, quorum vtrumque quodammodò patitur, teritur, premitur: quia ſicut grana teruntur, vt Panis fiat: Sic vuæ calcantur, vt vinum fluat: Omnes enim, qui volunt viuere in Chriſto Ieſu, Perſecutionem patiuntur.* Vide aliam rationem: Panis corroborat laſſum, debilémque: mœrorem quoque depellit, curas abigit: Quantâ ſub ægritudine Mentis Elias, cùm animæ ſuæ deſiderabat vt moreretur, feſſus & ſibimetipſi grauis, proiectus ſub iunipero? Comedit de ſubcineritio Pane, & conualuit, *& ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb*, Reg. 3. cap. 19. verſ. 8. Vinum quoque lætificat Cor hominis, & ideò propinatur iis, qui amaro ſunt corde: Quando igitur Panis atque vinum, & triſtitiam depellunt, & imbecillitati medentur, rectè quod ſub horum ſpeciebus inſtituatur Sacramentum, Chriſti Mortis futurum Memoriale perenne: Nam ad Chriſti Paſſionis memoriam cùm ſpectet, vires ſuppeditare deficienti Animæ, quibus ſuſtinere Tribulationem valeat: mœrorem Cordis inter aduerſa extinguere, quomodo non ſub iis rebus lateret incruentũ Hoſtiæ cruentæ ſymbolum, quæ opportuna eſſent ad ſuccurrendum fatigatis artubus, ad exhilarandam mentem? tale frumentum, tale vinum: proſequitur Franco Abbas: *Et quia Panis Cor hominis confirmat: vinum quoque lætificat: rectè in Panis, ac vini ſpecie celebrandum inſtituit myſterium Paſſionis ſuæ: ipſe eſt enim verus Panis, qui corda fidelium confirmat, ne in ſolitudine hac vaſta deficiant: qui famem mortis præuiam fugat, qui deſiderium noſtrum in bonis ſatiat, non ſatietate pœnali, quæ cruciat, & faſtidium generat: ſed ſatietate, quæ vires ſemper recreat, & faſtidium nunquam creat: Non eſt autem alius calix calici Domini ſimilis, qui ſic bibentem diuinâ & inenarrabili iucunditate lætificat, vt omnem priſtini doloris memoriam abſorbeat.*

Franco Abb. *Rectè in Pane & vino Euchariſtico reuolitur memoria Paſſionis Chriſti, nam 1. & granum, vt panis fiat, & vua, vt vinũ fluat teruntur & calcantur: 2. Panis cor hominis confirmat, & vinũ lætificat.*

3. Reg. 19. 8.

Franco Abb.

---

*Sacramentalis Confeßio, quàm laudabilis atque vtilis!*

## Sectio II.

41. Diximus ex Patrum opinione generatim Myrrhę ſignificatam amaritudinibus Chriſti Paſſionem: modò ex Philone Carpathio denotari ſpeciatim aduertimus apertum Seruatoris latus militis haſtâ crudeliori: *Manipulus Myrrhæ frater meus mihi, per aquam enim & ſanguinem ex latere ipſius fluentes, ipſe factus eſt mihi Sponſus, & ego illimet Sponſa.* Cur autem de latere Chriſti perfoſſo ſingulariter interpretatio? Num quia ad vbera faſciculum portarit Sponſa? An fortaſſe iubemur & nos Cordis arcana reſerare ad Chriſti exemplum, cuius viſcera patuêre lateris per feneſtram? At cuinam Mentis inuolucra crediturí: Num parentibus, aut Amicorum certiſſimis? Verùm hoc & gentes, quæ legem repudiauêre, exequuntur: dulce eſt Amico ſecretum tradere: plus exigit à nobis Chriſtus, vt & Peregrino, atque extraneo credamus, modò ille ſit legitimâ cum poteſtate Sacerdos: ô ſalutarem Medicinam animæ! ô naufragij poſt Baptiſmum beatam ſpem! Quid erubeſcis homo? exiguus Pudor eſt, quem tot commoda leniunt: vis iniquitatum tuarum obliuiſci Iudicem! compungere Tu, & reminiſcere earum, & deprome illas cum ſingultu & fletibus: audi ex Pſalmo 50. Dauidis verſ. 9. *Aſperges me Hyſſopo, & mundabor: lauabis me & ſuper niuem dealbabor*: Scilicet Hæc eſt munditia illa admirabilis atque inſignis, quâ non ſolùm Peccati macula integrè abſtergitur, ſed etiam remittitur omnis pœna malitiæ debita: Verùm ſic ablutus inquinauit iterum veſtimenta animæ; naufragauit, lapſus eſt: nihílne remedij compræcipitato? Statuit ante vultum ſuum abominationes, quas fecit, perpendat vt confiteatur: ecce monet Propheta ibidem: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper:* Vidit ſcelera ſua, examinauit, confeſſus eſt: cerne quid his patratis audeat; quaſi expoſtulans Deo Creatori loquitur, certè in fiducia multa: *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele:* Cur lumina auertat Numen? Quia malitiam ſuam, vt euomeret, proſpexit Reus: Quoniam Sacerdoti cum lamento valido detexit, & pro venia deprecatus eſt: rectè Laurentius Nouarienſis Epiſcopus homilia de Pœnitentia: *Non eſt iam fontis, nec aquæ præſidium: Quid faciam, aut vnde piabor? Non ego iam aquæ munus repetam: Semel petam, quod ſemel conceſſum eſt: ex meo me labore perfundo: laboris mei me guttis ablui quæro, verborúmque ſcintillis virus in me conceptum exuri deſidero: vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea: non iam aquâ, ſed opere laua me: non Baptiſmatis fonte, ſed Pœnitentiæ rore: Quia delictum meum contra me eſt ſemper: Vidi me, cognoui factum meum, ſtat ante me delictum, quod me deformauit: vſquequaque laua me ab iniuſtitia mea, quia cognoui quod feci: Quod ego cognoui, Tu dignanter ignoſce: deſpice Tu, quod ego inſpicio: ſufficit me videre hoc: auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele: quare? quia delictum meum contra me eſt ſemper: ablue Tu, quod ego ſcripſi.*

Philo Carpath.

*Myrrhæ faſciculus apertum in cruce Chriſti latus denotat, quem pectori admouere debemus, & pariter pectus noſtrũ per Confeſſionem aperire.*

Pſalm. 50. 9. *Cùm peccator iniquitatem ſuam in Confeſſione cognoſcit, auertit Deus faciẽ ſuam à peccatis eius.*

Laurent. Nouarienſ.

Reuertebatur pertæſus malorum in genitoris affluentem domum Adoleſcens filius iunior: *Et cùm eſſet adhuc à longè, vidit illum Pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Luc. capite 15. verſ. 20. Cur obuiam procedit gnato? cur protegit vlnis, & collo incumbit? redibat vtique nudus, & ſine amictu: voluit celare nuditatem Parens: Chryſologus ſermone 3. de duobus filiis: *Clauſit amplexu, ne nudaret Pater filij crimina, Pater filium ne fœdaret.* Hinc eſt, vt quanquàm non minor neceſſitas eduliorum peregrè remeanti, quàm tunicæ & calceamentorum, tamen de operiendo filio priùs tractauerit genitor, 42.

Luc. 15. 20.

Chryſolog.



nitor, quàm de refocillando epulis inſtructis: denique & familiarium quoque luminibus ſubducit antequam veſtitus prodiret: nec ab amplexibus receſſit, quoad ſtolam primam miniſtri produxerunt, ne cui pateret nuditas: iterum Chryſolog. eodem ſerm. *Suſtulit filij crimina, qui non ſuſtulit nuditatem: hinc eſt, quod à ſeruis antè veſtiri voluit filium, quàm videri, vt ſoli Patri nota eſſet nuditas: quia Pater ſolus videre filij non poterat nuditatem:* Quid eſt, quod in amiciendo gnato tam diligens à quo genitus eſt? Num pudore afficiebatur vir nimirum potens atque nobilis lacerum cerni filium eius? ſed hoc vt moueret, cauendum erat ſolùm ab externis, neque enim vitio domeſtici vertiſſent: Nunc autem verecundatur & de neceſſitudine coniunctis: Neminem teſtem adhibet: Quin nec ab extraneis timendum erat: palàm namque vniuerſis fuerat, quantam ad inopiam filius perductus ſit ob prodigam liberalitatem: nec mirum cuipiam, vt pannoſus aut ſpoliatus omni indumento reuerteretur: quamobrem itaque totus in celando gnato Pater? vide quid propoſuerit filius ſtatim atque frugem meditatus eſt: *Surgam* (inquit) *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te:* Confeſſionem ſonant verba iſta: *Confeſſio* (ait Chryſologus ſerm. 2.) *Patrem pandit, genitorem loquitur Pœnitudo: Peccaui in cœlum, & coram te:* præclarum Dei, quem genitor denotabat, & lapſi Hominis, ſed emendationem inſtituentis, certamen: Homo confitendo retegit, Deus velat; Homo reſerat, Deus claudit: ô numquam tutiorem famam Peccati, quàm dum aperitur Sacerdoti iniquitas! Tunc variis modis Numen ſtudet, vt celetur quod malè geſtum eſt, cùm ob Deum Homo poteſtatem habenti recludere non erubeſcit.

*Statim vt ad Patrem peccatum ſuum cõfeſſurus accedit Prodigus, mox oſculatur eum & nuditatem filij ſolicitè tegit pius Parens.*

Chryſolog.

Chryſolog.

43. Mordebantur ab ignitis Serpentibus in deſerto Hebræi, & erat lethale vulnus: cùm igitur obirent plurimi, deprecatus Creatorem pro vulgo Moyſes, nouam Medicinæ formam accepit: nam iuſſus eſt Serpentem emoliri æneum, quem in edito poſitum læſi intuerentur: *Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur*, Numeror. cap. 21. verſ. 9. Cur intuendo incolumes redditi? Non conculcarent magis atque protererent inuiſi animantis figuram? Non epotarent in pulueres conuerſum, vt de vitulo factum eſt? Serpens ab initio maledictus Dæmonem ſignificat: Hic eſt qui tentando Animam vulnerat, dum ſuccumbit Homo maleſuadæ voluptati, & Deo terga vertit: ita ſauciatum quid facere deceat priſtinæ vt reſtituatur firmitati? contempletur, atque inſpiciat Serpentem: recogitet delicta in amaritudine animæ ſuæ: ex hac conſideratione fiet, vt cùm ritè perpenderit enormitatem peccati, ad Sacerdotem procurrat & confiteatur: peſtiferam amittet vim Serpens dummodò videatur: ſin autem de intuendo eo nulla cura eſt, & obliuioni traduntur peccata, neceſſum eſt vt Mors ſequatur. Cæſarius Arelatenſis hom. 4. de Paſchate: *Sed etiam modò medela, ſi volumus, nobis contra morſum Serpentis viſo Serpente confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipſius Peccati cognitione curatur, & crimen ipſius criminis confeſſione aboletur: ac ſic Homo, quando dicit cum Propheta; Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper, quando bene reſpicit peccatum ſuum, ſanat morſum Serpentis per Serpentis aſpectum.* Iuxta hoc Propheta cantabat Pſalm. 100. verſ. 8. *In matutino interficiebam omnes Peccatores Terræ: vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Auguſtinus Enarratione in eum Pſalmum: *Quid eſt in matutinis? Cùm iam dies venerit nocte tranſacta: in matutinis interficiebam omnes Peccatores terræ: quare eis parcit vſque ad matutinum? quia Nox erat.* Sed numquid ſub caligine, & tenebris occidi non poterant iniquè agentes? Certè Angelus ille, qui Ægyptiorum Primogenitis vulnus intulit mortale, in medio noctis percuſſit, Exod. c. 12. v. 29. Quamobrem non & hic interfector quoque vmbris dominantibus Peccatores enecabat Terræ? conſidera, quia Nox iſta ſpiritalis eſt, de qua probè Auguſtinus eodemmet loco: *Nam modò, quamdiu non vides cor meum, & non video cor tuum, Nox eſt:* igitur cordis ignorantia tenebræ ſunt: non ibi interfici valeant Peccatores: Quomodo enim exterminabitur peccatum, ſi caligo eſt, & non videatur peccatum? Itaque, vt in nobis peccatum non dominetur, lucis requiritur præſidium: Quiſnam ille ſplendor? Quo videlicet peccatum cognoſcimus, & intuemur, intuendo deteſtamur, & ad Medicum properamus, qui audiat, & abſoluendo interficiat: ſic diſperguntur à ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Numer. 21. 9. *Vt Serpens æneus viſus Serpẽtis morſui medetur, Sic Peccati cognitio & cõfeſſio, Peccati vlcus ſanat.*

Cæſarius Arelat.

Pſalm. 100. 8.

Auguſtin. *Interficit peccatores Dauid in matutino .i. dum lux effulget, quâ poſſit peccatum cognoſci.*

Exod.

Auguſtin.

44. Quamobrem vaticinatur moriens Iacob, Imperium Iudæ? an non Primogenito debeatur filio ſceptrum? planè quidem, ſed Ruben maximus natu fœdo concubitu factus eſt indignus, quem Diadema ornaret: verùm hoc repudiato, cur non ad proximum natu ex fratribus deriuata eſt Purpura? atque vt putemus ſeni Iacob, quem vellet ex gnatorum numero deſtinare Monarchiæ licuiſſe, dilectiſſimum illud ſuum Pignus, Ioſeph nimirum, quorſum à dominatu in nepotum ſtirpe, venturiſque amouet generationibus? Quod ſi Ruben paternum maculauit ſtratum; ad nurum ſuam Thamar Iudas intrauit: cur igitur dimiſſo Rubene ad ſolium Iudas aſſumatur? Peccauit quidem vterque, ſed Iudas delictum aperuit, culpam fateri non erubuit: Nam tradita nurui pignora agnouit, cùm inficiari poſſet, ſe potiſſimum accuſans: *Iuſtior me eſt* (inquit) *quia non tradidi eam Sela filio meo*: Gen. cap. 38. verſ. 26 ergo in figura eorum, qui confitendo Delicta apud Sacerdotem expiant, domui Iudæ Imperium aſſignatum: Nam & idipſum ritè confitentibus ſcelera ſua accidit, vt de filiis iræ, gratiâ per Sacramenti efficaciam, quæ gratos fecit, in cordibus eorum per inhabitantem Spiritum ſanctum diffusâ, Regni, eiúſque interminabilis, & beatiſſimi Hæredes conſtituantur: Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 48. Timotheo lectori: *At verò Iudas, qui quartus erat, propter integrum iudicium, ac rectam ſententiam, regiam dignitatem obtinuit: Quoniam enim plerique delicta ſua occultantes, alios condemnant, Hic autem ſeipſum condemnauit; eámque, quæ ſtuprum admiſiſſe credebatur, ſupplicio, & Cruciatu liberauit: ob eam cauſam haud iniuriâ Regiam dignitatem eſt aſſecutus:* Sed præter Regnum etiam encomiis grandibus honoratus eſt Iudas: *Iuda* (ait Iacob Geneſ. cap. 49. verſ. 8.) *te laudabunt fratres tui*: at non debuerant potiùs vituperare? Nam cùm ad Thamar intrauit, ad Scortum ingredi ſe arbitrabatur: hoc autem propudioſum eſt, & inuectiuæ materia: qua igitur de cauſa laudant? Num adulatio eſt, & blandiuntur quia ſceptro donatus ſit? lapſus eſt quidem Iudas & offendit, verùm confeſſio ſubſequuta eſt: Quò itaque doceamur, non eſſe quod timeamus, ne famæ

*Nõ Ruben etſi primogenitus, ſed Iudas Imperium in fratres obtinet, quia licet vterque obſcœnè deliquerit, Iudas tamen peccatum ſuum agnouit, & confeſſus eſt.*

Geneſ. 38. 26.

Peluſiota.

Geneſ. 49. 8.

famæ periclitetur aura apud conſcientiarum arbitros, inſinuat collaudatum fuiſſe Iudam: ita ſanè contingit, vt Peccatorem manifeſtatio ſub interiori foro non contumeliam afferat aliquo modo, ſed encomiorum declamationibus ſegetem multam præbeat: concinnè Philo Hebræus libro 2. Allegoriarum propè initium: *Iacob dat Ioſepho Sichima tanquam portionem eximiam, res corporeas, ſenſibilêſque, exercenti ſe in talibus: Iudæ autem Confeſſori, non dona, ſed laudes, hymnóſque, & Cantiones, quibus celebretur à ſuis fratribus.*

Philo Heb.

45. Eiecto à Paradiſi ſeptis primo Homine, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ Cherubin iuſſus excubias agere cũ flammeo gladio, atque verſatili, Geneſ. cap. 3. verſ. 24. Quare non de chalybe, aut ferro enſis ille prohibitorius? nimirum ueniente Chriſto, melioris Paradiſi, in quem beatus latro introductus eſt, ſemitæ, oſtiáque aperienda erant: per Baptiſmum ſanè vel aquæ, vel ſanguinis: talem igitur eſſe gladium oportebat, quem & aqua, & ſanguis vincere poſſent: ſuperantur autem ab eis flammæ, nam extinguunt elementum: atque huius in rei ſtabilimen, de latere Saluatoris emortui ſanguis profluxêre, & aqua: Rupertus libro 3. in Geneſim cap. 32. *Porrò ante eandem Domini noſtri Paſſionem, nulli omninò filiorum Adæ peruius fuit, donec fuſus de corpore eius ſanguis cum aqua, ignem illum exuperauit:* Sed quoniam paucorum eſt Martyrij gloria: Baptiſmus autem quamuis omnibus pateat, rariſſimus tamen eſt Adultorum ex numero, qui gratiam in fonte adquiſitam peccando non amittat, neceſſarium erat remedium, quò deperditam gratiam recuperarent lapſi & fœdati: hinc igitur gladius verſatilis, hinc Cherubin vigil Paradiſi: vtroque enim emblemate Conſcientiæ forum deſignatur: Data enim eſt à Chriſto Sacerdotibus Poteſtas remittendi peccata, item & retinendi eadem: remittunt, cùm abſoluunt: retinent, cùm iuſtas ob cauſas negant Pœnitenti abſolutionem: Hoc eſt igitur gladium verſatilem eſſe, nam niſi reus cum debita accedat diſpoſitione ad Sacramentum, immotus ſtat gladius, ſin afferat requiſita ex parte ipſius, cedit gladius, & tranſit, & interueniente abſolutione Paradiſus aperitur ei. Rupertus nominato capite: *Gladius verſatilis ſententia eſt diuini iudicij, quæ talis eſt vt poſſit verſari, id eſt, non ſemper eadem diſtinctione claudat Hominibus aditum Paradiſi.* Cherubin autem Sacerdotes intelliguntur, quibus occultiſſimos animæ næuos detegimus: vnde ex eodem loco Tuitienſis Abbas: *Rectè itaque Cherubin non tam ad laudem ipſorum, quàm ad terrorem noſtrum dicti ſunt: quia noſtra illis occulta publicanda ſunt:* Et præclarè quidem Cherubin, in quo eſt plenitudo ſcientiæ, nam doctrinâ præditos eſſe Sacerdotes iuuat; vt ſciant, quando retinere peccata, quando ſoluere expediat, cùm ad hoc gladius verſatilis traditus ſit eis: quare Rupertus allegato libro; capite 33. *Igitur non ſolam repulſam hominum, quòd ſolùm Litera videtur ſonare, dicendo, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ: Sed iudicia quoque de admittendis, & non admittendis rationabili diſcretione facienda, ſignificat ipſum nomen Cuſtodiæ, ob quam non ſolus flammeus gladius, ſed Cherubin quoque dicitur excubare.*

Geneſ. 3. *Paradiſi viã occludit gladius non ex chalybe, ſed flammeus, qui nempe per Baptiſmum ſeu fluminis, ſeu ſanguinis, ſeu lacrymarum extinguatur.*

Rupert.

*Gladius verſatilis Pœnitentiæ forum adumbrat; Cherubim ipſos Sacerdotes.*

Rupert.

Idem.

Rupert.

46. Cùm ad geniales diſcumberent epulas inuitati à Rege ad pompam nuptialem, Triclinium ingreſſus eſt ipſe viſendi Hoſpitum gratiâ: vidit autem inter Conuiuas carentem veſte lætitiæ aptâ connubiali, & ſuffrenduit: miti tamen verborum formulâ vſus inquit: *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Matth. cap. 22. verſ. 12. eo nihil reſpondente, ligatis manibus & pedibus detrudi in exteriores iuſſit tenebras, vbi fletus, & ſtridor dentium: Cur ſi ad grauiſſima damnaturus miſerum tormenta, dulci alloquutus eſt phraſi Amicum vocans? optabat blando ſermone ad Pœnitentiam flectere: deſiderabat confeſſionem obaudire ſcelerum, vt os recluderet, & pro commiſſis deprecaretur: iam igitur vbi Tacentem videt, neque peccatorum accuſationem meditantem, non procumbentem ad genua Regis, & ſupplicantem pro delictis, ſupplicio affici horrendo mandat: igitur in typum eorum, qui cùm innocentiæ & probitatis feſtiuam exuerint ſtolam, nolunt confitendo reſarcire nuditatis detrimentum, iuſtiſſimè punitus eſt temerarius Conuiua: Galfridus apud Tilmannum in catena ad cap. 22. Matthæi: *Quiſquis ſuperna gaudia ſperat, cùm indignè viuat, quaſi ſine veſte nuptiali intrat ad nuptias: Sed conſideranda eſt diligentiùs huius Regis & Maieſtas etiam incomprehenſibilis & dignatio amabilis; & indignatio valdè terribilis: Maieſtas, quâ penetrat omnia, vniuerſa diſcernit: dignatio, quâ ante iudicium ad pœnitentiam prouocat, dum miſericorditer conuenit, quem Reum inuenit: indignatio, quâ eundem tacentem tenebris addicit & ſupplicijs:* nec emphaſi vacat, dixiſſe Euangeliſtam de Reo: *at ille obmutuit:* ſtatímque ſubiunxiſſe: *Tunc dixit Rex miniſtris: ligatis manibus & pedibus eius,* &c. Quid eſt *tunc?* num cùm Pannoſum intuitus eſt, & præter morem ſympoſij genialis? non ſanè; verùm, cùm obmutuit; quaſi indicans, niſi quidem obmutuiſſet, & confiteri reſpuiſſet culpam, veniam impetraturum: citatus Auctor eodem loco: Tunc ait Rex Miniſtris: ligatis manibus, &c. *Tunc videlicet; non vbi ille ſine nuptiali veſte introiuit, ſed poſtquam admonitus ſiluit, interrogatus obmutuit, & noluit confiteri:* Terribile onus nolentium confiteri delicta ſua Chriſti Sacerdotibus, quibus vinciuntur pedes & manus: Quomodo ambulabunt impeditis eorum veſtigiis? quomodo fugient à perſequente illos hoſte ſæuiſſimo? Quomodo præliabuntur colligatis manibus? etiam muſca interfectura ſit irretitos, nedum tanquam Leo rugiens: *Ligantur manus* (inquit memoratus Galfridus) *vt ceſſet actio: ligantur pedes, vt obſirmatus in malo nunquam deinceps mutetur.*

Matth 22. 12. *Non veſtitum veſte nuptiali Conuiuam, amicè compellat Rex, vt ad pœnitentiam flectat: At vbi* obmutuit, Tũc *in tenebras exteriores mittitur.*

Galfrid.

Idem.

---

*Inter metum, & fiduciam gradiendum, ex diuinæ Iuſtitiæ, pariter & Miſericordiæ conſideratione.*

## SECTIO III.

47. QVamobrem non ad ſiniſtrum, dexterúmve latus Myrrhæ faſciculus appendatur ſed in medio ſinu? Bernardus ſermone 43. in Cantica: *Quia verò inter aduerſa, & proſpera verſans, nouit vtrobique pericula non deeſſe, medium huiuſmodi vberum ſuorum vult habere Dilectum, cuius aduerſus vtraque continuâ protectione munitam, nec læta extollant, nec triſtia deijciant:* Quo autem pacto & lætis & aduerſis rebus à faſciculo iſthoc Medicina? Scilicet non declinando ad hoc, illúdve, ſed in medio ſemitarum: cùm blandietur fortuna, ne in gaudia effundaris, ſuperuenturæ iræ, volubilis gratiæ penitus immemor: cùm ſtomachata fuerit, ne deiiciaris animo prorſus, ſed recordare, quia

Bernard. *Faſciculus Myrrhæ inter duo Sponſæ appenditur vbera. j. inter vtramque fortunã, proſperam & aduerſam; ſiue inter duo Teſtamẽta: priſcũ ſeruitutis & timoris; nouum gratiæ & Miſericordiæ.*



quia ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia: ſi non igitur extremis incumbas, in medio poſitus, tutus eris: Aliter Philo Carpathuis, atque Honorius Auguſtodunenſis duo vbera, duo interpretantur Teſtamenta, noui, veteríſque fœderis Scripturas, ſtatúmque amborum temporum: Equidem lex illa priſca, lex ſeruitutis erat atque timoris; lex iunior, lex indulgentiæ, atque miſericordiæ: ergo ad ſalutem inter timorem, & miſericordiam ambulandum, hoc eſt verſari in medio vberum. Deus ſub veteri inſtrumento ſeuerus apparebat: Ignis ante conſpectum eius, & in circuitu illius Tempeſtas valida: ſub nouo fœdere, etiam calamum quaſſatum non confringit, linum fumigans non extinguit: Si igitur te perturbauerit diuinæ iuſtitiæ æquitas, & quoniam vel columnæ cœli ante eum contremiſcunt; reminiſcere miſerationum eius, quæ à ſæculo ſunt: ſin autem de bonitate præſumens, tepidus fieri incipias, nec opus eſſe putes multâ Rectitudine, recordare, quàm ſit horrendum incidere in manus Dei viuentis: ita nec miſericordiæ cogitatio teporem inducet; nec iudiciorum formido deſperationem paritura ſit: gradieris tranquillus inter media vberum: pulchrè Bernardus ſermone 6. in Cantica: *Alioquin, alterum ſine altero non expedit, quia & recordatio ſolius iudicij in barathrum deſperationis præcipitat; & Miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimam generat ſecuritatem: proinde magiſtra inſtructus experientia, non iudicium iam ſolum, aut ſolam miſericordiam, ſed miſericordiam pariter & iudicium cantabo tibi Domine: cantabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ.*

Philo Carp. Honor. Auguſtod.

Bernard.

48. Ignorabat deſerti viam populus Hebræorum, & dux itineris ei fuit Numen ipſum: nam *præcedebat eos per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis,* Exodi cap. 13. verſ. 21. Totáne regebat Trinitas, an ex tribus Perſonis ſpecialiter aliqua, quam ſignificantiùs externa denotarent ſymbola? Cæſarius Arelatenſis hom. 4. de Paſchate: *Dux quidem erat Moyſes, ſed eos in columna lucis, & nubis filius & Spiritus ſanctus præcedebat:* Quam ob cauſam non aut ſolus filius, aut ſolus Spiritus ſanctus? annon ſatis eorum quilibet? conſidera iudiciariam poteſtatem ad Verbum Hominem factum ſpectare: Nam Pater omne iudicium filio dedit & proinde viuorum & mortuorum conſtitutus eſt iudex: gratia & miſericordia ſpecialiter ad Spiritum ſanctum pertinet, nam donorum largitor: Si igitur ductaret tantùm filius, tremor horribilis inuaderet ſub iudice gradientes, qui omnia ſeuerè expenderet: ſin autem gubernaret ſolus Spiritus ſanctus, clementiæ magnitudine fiſi, minùs cauti fuiſſent, & auderent pluſculum de bonitate præſumentes: Quò igitur nec præſumant, nec formident vltra modum, habeant in ductoribus miſericordiam, habeant iuſtitiam pariter, & ita filius cum Spiritu ſancto gubernet. Fortaſſe ob eandem cauſam Deus, cùm Ægyptios ſuis domibus interimere potuiſſet, ſicut interfecit Primogenita eorum Angelus Percuſſor; vel dum proficiſcebantur in curribus & equis poſt Iſraël, in via ipſa occidiſſet, noluit tamen niſi in profundo maris, vt illis pereuntibus ſeruarentur vnà Hebræi, & diſcerent miſericordem pariter & ſeuerum eſſe Dominum Sabaoth: nec præſumerent ita indulgentem eſſe, vt ad omnia conniueat: neque tam rectum, qui ſeruare & parcere nollet: Baſilius Seleucienſis Oratione 9. in Moyſem: *Virga percuſſum mare, his iter, illis ſepulchrum fuit: & mare Continentis inſtar viam Abrahamitis aperuit: cæteros fluctus hauſerunt: Ad hoc prorsùs exemplum Deus inimicos fortiter, diúque fert, vindictæ dilatione præfinitum ſpatium Pœnitudini tribuens: vbi verò humaniora remedia minimè ſuccedere viderit, à Medico prouocat ad iudicem, & conſiliorum ſuorum ſpretores ſupplicijs reuocat ad frugem.*

Exod. 13. 21.

Cæſarius Arelat. *Iſraëlitas Spiritus S. qui totus eſt Amor & Bonitas, in columna Nubis: & Verbum, qui conſtitutus eſt omnium Iudex, in columna Ignis, præcedit, ducitque.*

Baſil. Seleuc.

49. Duarum Paradiſi arborum ſpecialis mẽtio facta à Moyſe, Geneſ. cap. 2. verſ. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi; lignúmque ſcientiæ Boni, & Mali:* Cur non & de aliis felicibus lignis relatio ſingularis? volebat indicare Hiſtoria, quibus præſidiis communiuiſſet Deus primos Authores generis humani, ne conceſſis gaudiis exciderent: alterũ igitur lignum vitæ Medicinam fecit: alteri, ſi tangeretur, mortẽ adiunxit. vt ſi Hominem vitæ fiducia interminandæ audentiorem redderet, Mortis conſideratione tumorem comprimeret: ſin Mors terrefaceret, ad vitæ longæuitatẽ confugeret, atque ita & Mors defenderet vitam, & vita mortem propelleret: vidit callidiſſimus ſerpẽs fortiſſima eſſe hęc robora: Quidnam igitur tentauit? fœminæ colloquutus: *Nequaquam* (ait) *moriemini,* Geneſ. cap. 3. v. 4. ô virulentã linguam! ergo ſi de morte nullus metus, ſi totũ Bonitas eſt, nihílque vel ſeueritatis vel iuſtitiæ timendum: erigatur in ſuperbiã Homo, ſperet de clémentia nimis, atque vt Creatoris indulgentiam offendat, ab ipſius indulgentiæ ſuperfluentia occaſionem aucupet: Sic igitur, dum Mortis abiiciunt cogitationem primi incolę Mundi, dum mediam recuſant viam, nihílque de iuſtitiæ æquitate verentur, exilium ſubiêre miſerandum de loco voluptatis extorres facti: ô quiſquis etiam vel in loco ſancto degit, inter ſpem, metúmque pergat! in bonitate & diſciplina commoratur Anima eius: habet à verecunda Conſciẽtia teſtimoniũ fidele: nihilominus quis nouit poteſtatem iræ eius, cui vnum pro mille reſpondere non poterimus? contremiſcat adhuc, & adhæreat lingua faucibus eius, & cũ iuſtus ſit, iuſtificetur magis tamen, ne aliquando abſorbeatur à triſtitia cogitans de incomprehenſa abyſſo iudiciorum Dei, qui etiam proprio filio non pepercit, quem tradidit pro nobis, recordetur, quia patiens, & benignus, & longaminis eſt, & quia miſerationũ eius nullus eſt finis: ô ſi nõ Mortis prima fœmina contemptrix! Baſil. Seleuc. Orat. 3. in Adamum: *Poſtquam enim his duobus Adamum vidiſſet munitum, Mortis metu, ac vitæ promiſſis, quibus ipſum munire Deus occupauerat; eadem imitatur & dæmon: & morti quidem illud obijcit: Nequaquàm moriemini: At pro ligno vitæ vana ſpe diuinitatis ſubitò erigit, vt ſoluto metu, eâque ſpe propoſitâ, mandati vim prorsùs extenuet: ſitque Paradiſus officina Præuaricationis.*

Geneſ. 2. 9.

*E Paradiſi arboribus duæ ſolùm memorantur; ſcilicet lignum vitæ, & lignũ ſcientiæ boni & mali ſub mortis pœna prohibitum: vt hinc terror, inde fiducia.*

Geneſ. 3. 4.

Baſil. Seleuc.

50. Iuſſi Iſraëlitæ Agnum manducaturi, vt caput cum pedibus vorarent, Exod. c. 12. v. 9. eſto, caput quidem, quod non eſu iniucundum eſt, quamobrẽ verò pedes quoque? Num in Chriſti figurã? quorſum autem? Cæſarius Arelatenſis hom. 6. de Paſchate: *Quod verò huius Agni, qui Chriſtus eſt, caput cùm pedibus, comedere nos debere ſcriptura commemorat; Hoc eſt, vt Deum, & Hominem pari confeſſione veneremur: caput accipiamus de eo, quod dicit Ioannes; In principio erat Verbum: Pedes verò de eo, quod Apoſtolus ſcribit: ſemetipsũ exinaniuit formã ſerui accipiẽs* in

Cæſar. Arelat.

*in ſimilitudinem Hominis factus, & habitu inuentus vt Homo:* ergo credendus eſſe ſimul Deus & Homo: Deus ob caput, quo ſignificata diuinitas: Homo ob pedes, quibus præſigurata Humanitas: aliquidne in his Sacramenti? Chriſtus, quà Deus, verendus, nam iuſtitiam repræſentat infinita natura: quà Homo, blandus & indulgens, pius & confortans; caue igitur, ne ſolum caput deglutias: Nam ſi in iudiciorum tantùm defigaris conſiderationě, metus eſt ne trepidaueris penè quaſi ad deſperationem; metus calix timendus, effunde ex hoc in illud, & contempera Miſericordiarum recordatione: Rurſum, ne pedes ſolos comederis: vide ne iudiciorum penitus oblitus, conuerti tardaueris, & occupet te hora nouiſſima imparatũ: aut vt non contingat iſtud, tepidus euadas: vt quid enim opus ſit cruciari, dicas, cùm Deum beneuolentiſſimum habeamus? ſatis eſt modicè iuſtum eſſe: ob talia itaque deuoranda ſimul caput & pedes: Huic cognata diſcurſui apud Bernardũ, ſermone 6. in Cantica: *Si rectè Apoſtolo viſum eſt caput Chriſti referre ad deitatem; Puto & nobis non incongruè videri pedes ad Hominem pertinere: quorum alterũ Miſericordiam, alterum Iudicium nominamus: quia verò miſericordiæ pedem Deus in Carne, cui ſe vniuit, aſſumpſerit, docet Epiſtola ad Hebræos, tentatum perhibens per omnia Chriſtum per ſimilitudinem abſque peccato, vt miſericors fieret: quid, illum alterum, qui iudicium nuncupatus eſt, nonne ad Hominem æquè aſſumptum, & ipſum pertinêre æquè Deus Homo apertè ſignificat, vbi datam ſibi perhibet à Patre poteſtatem, iudicium facere, quia filius Hominis eſt?* Ac quidem ad pedes, vtrumque, miſericordiam & iudicium hîc referens Bernardus: cæterùm, quod à nobis prolatum eſt de diuinitatis terrore, cumulatè approbat idem ſerm. de verbis Apocalypſis in Natiuitate Mariæ: vbi Mediatrice Virgine ad Chriſtum opus eſſe oſtendit, quòd Chriſtus non tantùm Homo, ſed Deus inſuper, & qua parte Deus, formidabilis: *Non ſolùm illi* (inquit) *cantatur Miſericordia, cantatur pariter & Iudicium: quia etſi didicit ex his, quæ paſſus eſt compaſſioně, vt miſericors fieret, habet tamen & iudiciariam poteſtatem: denique Deus noſter ignis conſumens eſt: quidni vereatur Peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera à facie ignis: ſic ipſe pereat à facie Dei?*

*Agnum Paſchalem* Chriſtum *manducaturi, caput* Diuinitatis *cum pedibus* Humanitatis *vorare debẽt: vt ex Diuinitate tremorẽ, ex Humanitate ſpem concipiant.*

Bernard.

Idem.

51. Quiſnam ille, quem Iſaïas teſtatur à ſe conſpectum ſuper ſolium excelſum, & eleuatum? c. 6. v. 1. Referam modò Chryſologi opinionem ſerm. 57. in ſymbolũ Apoſtolorum: *Hinc eſt, quod Iſaïas, vbi vidit Regem cœli, hoc eſt, Chriſtum, ipſúmque eſſe Dominum Sabaoth clarâ viſione conſpexit, ſua, ſuique Populi labia immunda defleuit: quia ſicut illuſtrat corda, purgat ora, labia emundat Chriſti confeſſa diuinitas: ita Chriſti polluit negata Maieſtas:* Chriſtus igitur erat, vt putabat Chryſologus, qui ſedebat in throno: quorſum igitur circumſtantia Seraphin dicantur, duabus alis velare caput eius, & duabus velare pedes illius? pulchrè quidem extrema abſcondunt, & intermedia aperta relinquunt, vt nouit Bernardus ſerm. 4. & 5. de verbis Iſaïæ: Nam oſtendebamus Capite, quo Diuinitas ſignificatur, iuſtitiam diuinam præfiguratam eſſe: Pedibus indicatam Miſericordiam: Angeli igitur, quibus Deus imperauit, vt cuſtodiant Homines, cùm norint periculoſum eſſe, ſi vel in iuſtitiam ſolam, ſolámve miſericordiam tota incumbat cogitatio; eò quòd iuſtitiæ ſolius cogitatio, niſi robuſta & potens ſit Anima, tantùm fortaſsè metum ſit paritura, qui ad deſperationem tentet: Miſericordiæ ſolius Theoria reſupinè negligentem reddat malè vti ſcientem diuinæ Benignitatis indulgentiâ; ne ad extrema deflectant, muro de pennis facto contegunt: Mediâ autẽ peruia relinquunt, quòd media ſemita ea tutiſſima reputetur, quæ ſcilicet, nec decumbat ad iuſtitiam vnicam, ſolámve miſericordiam, ſed nunc ad hanc, nunc ad illam intueatur, alteriúſque ex altera ſpeculationem corrigat.

Chryſolog.

*Apud Iſaiam Seraphini duabus alis velant caput, quo Iuſtitia Diuina: & duabus pariter velant pedes, quibus Miſericordia adumbratur, ad noſtram eruditionem.*

Bernard.

52. Statim atque Narrationem de Paradiſi conceſſo primis Hominibus viridario, déque formanda Eua, adorſus Moyſes, tum Dei vocabulo, Domini nomen crebrò annectit: conſtat ex Geneſeos ſecundo capite: qua id de cauſa? percipiamus quid Dei appellatione ſignificatum: quid inſuper Domini? Pro Deo apud Moyſem in Hebræo eſt אלהים *Elohim*: Hac autem dictione indicatur rerum factor Deus, quatenus Iudex, Punitor, & vindex eſt, quemadmodum interpretes communiter ſubſentiunt ad verſ. 1. cap. 1. Geneſ. Domini verò nuncupatio non æquitatem, & iudicium denotat, ſed Pietatis, dilectionis, & miſericordiæ viſcera in Deo: quare Rupertus Abbas lib. 7. de gloria & Honore filij Hominis in Matthæ. in illud: *Videns autem turbas multas, &c. Sed attende diligenter, quid vel quomodo fortis ille Scriba dixerit: Magiſter* (inquit) *ſequar te quocumque ieris: Primùm, ipſa appellatio inſuauis eſt, cùm dicit, Magiſter, & non, Domine; inſuauis, inquam, & ſine Dilectione: Nam ſi ritè recolis, eorum appellatio, qui cum Dilectione appellauerunt, talis erat, vt dicerent, Domine: exempli gratiâ, vt appellatio Petri dicentis: Domine, ſi tu es, iube me venire ad te:* ergo humanam fabricaturus Rempublicam Deus per compoſitam mulierem, virôque adiunctam, cùm ſtatuiſſet incredibilibus locupletare donis, ſuã vt pote fabricatos ad imaginem; voluit duobus nominibus intra officium, modeſtiámque ſimul atque amorẽ continere: geminata eſt igitur per ſex dierum opificij Hiſtoriã frequenter *Elohim* vox, ad Dei timorem inculcandum, vt animaduertit Oleaſter: Si quando itaque ob conceſſa munera ſuperbiret Homo, recordaretur Benefactorem terribilẽ eſſe contra ingratos, & præſumentes: ſed ne fortaſſe eius ſupplicij memores, quo Lucifer præclariſſimus Angelorum Dux, æterno mãcipatus eſt Carceri, horreſcerent ad iudiciorum diuinorum altiſſima conſilia, & contrepidarent nimis: conſociata eſt Punitoris vocabulo Domini Nomen, gratiam, & ſuauitatem omnimodam ſpirantis, quò vnius dictionis formidinem alterius lenirẽt dulcedine; atque in duarum vocum quaſi meditullio conſtituti, ſecurâ gauderent feliciſſimi Nemoris poſſeſſione.

Geneſ. 2.

*Deus Euam formaturus dicitur* Dominus Deus. Deus *nomen eſt terroris,* Dominus *nomen amoris.*

Rupert.

Oleaſter.

---

*Vnio & fraternitas, Chriſtianæ Pietatis validiſſimum Teſtimonium.*

## Sectio IV.

53. Pro faſciculo Myrrhæ LXX. ſeniores dixerunt; *Alligamentum guttæ fratruelis meus mihi:* oſtendimus autem cùm Literam exponebamus, quaſi indicari Crumenam, vel Marſupium, quo Myrrhæ ſuccus pretioſior contineretur: cur non diffuſa gutta, ſed clauſa, & obtecta? ſignificant ſtillæ ex vſu Biblici Sermonis doctrinam & Sermonem: *Fluat vt Ros eloquium meum: quaſi imber ſuper Herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina,* Deuter. cap. 32. verſ. 2. igitur guttam eſſe colligatam, & non diſperſam denotat Animorum

LXX.

Deuteron. 32. 3.

conſenſionem



conſenſionem etiam in his, quæ ad Conſilium & doctrinam ſpectant: Nam vt diſſentire & in varias diſtrahi factiones ab humana conſuetudine non fuerit alienum: tum maximè in his, quæ ad ſcientiarum placita attinent, mos eſt ſententiarum enormem eſſe diuerſitatem, quæ variis temporibus in Eccleſia turbas concitauêre, & ſeditiones, grandium odiorum fomenta: igitur tantam ex Dilecto Pacem Sponſa pollicetur, quâ non ſolùm voluntates conglutinentur, quod in omni vera fit Amicitia, ſed etiam intellectus & doctrina fœderetur. O dignam certè Sponſi potentiâ nouitatem: talia miracula quotidie in Cœnobiis: Perfectæ enim obedientiæ vigor facit, vt non ſolùm voluntatem ſubditus, verùm & iudicium quoque cum Superioris iudicio adaptare non renuat: Origen. hom. 2. ex quatuor ſub fine: *Si autem ad vnamquamque animam, quæ dicta ſunt, referantur; alligatura guttæ dogmatum continentiæ conſtrictio, ac diuinarum ſententiarum nodoſitas intelligitur: innexæ enim ſibi inuicem ſunt fidei rationes, & vinculis veritatis aſtrictæ: Denique & lex mundum dicit eſſe omne vas, quod alligatum eſt: immundum verò quod ſolutum fuerit, & non ligatum: & ideò Anima non debet contingere aliquid diſſolutum, & quod non ratione ſubnixum, & dogmatum veritate conſtrictum; ne immunda fiat.*

Alligamentũ guttæ (*ex LXX. verſione*) *Doctorum concordiam innuit: ſiquidem ſtilla* Do*ctrinam, alligamentum vnionem ſignificat.*

Origen.

54. Ieſum ſequi volentes admonet ipſe, Luc. c. 9. verſ. 23. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me:* Seipſum abnegare quidnam indicet? Sui quaſi iuris non eſſe, atque in alterius tranſire, ex alterius viuere decreto: innuit hoc Chryſoſtomi expoſitio ſermone de Cruce: *Hoc eſt enim ſe negare, id eſt, nihil rei ſuum habere; atque eo modo eſſe affectũ, quaſi quis alius pateretur:* Quamobrem iſtud à futuris Diſcipulis ſuis Chriſtus expoſcat? ecce quid abiturus ex hoc mundo præcipiat Apoſtolis, Ioann. cap. 13. verſ. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem: In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem:* Igitur perfectiſſimæ Amicitiæ, quæ charitas & dilectio eſt, fœdere conglutinatos vult ſuæ eſſe Scholæ auditores: Porrò, vbi inſignis atque excellens quædam viget Amicitiæ dilectio, Amantis arbitrium velut in Dilecti tranſmutat libertatem: inde vt amiciſſimi quique non ex ſuo, ſed ex alieno viuant arbitratu: nihil optant, quod ſodalis auerſetur; nihil recuſant quod Amico placere intelligant: Si itaque abnegare ſemetipſum eſt iuxta alterius viuere conſilium vt exponebat Chryſoſtomus: non quod ipſe ſtatuas, id velle facere; ſed alieno regi ex nutu atque imperio, hoc equidem eſt Amicitiam, & nobiliſſimum charitatis profiteri modum: Rectè ergo Chriſtus, qui diſcipulorum ſuorum notam volebat eſſe, vnionis & charitatis nexum, & hanc germanæ Chriſtianitatis quaſi teſſeram, à ſui imitatoribus exigat, vt ſemetipſos abnegarent, quando hoc idem eſſet atque amicitiam colere indiſſolubilem: nam abnegatione, quod præſtantiſſimum ſit maximâ in ſodalium Concordiâ, accidebat: nimirùm; eum, qui ſe abnegaret, non viuere deinceps iuxtà ſuæ Mentis poteſtatem, ſed ex legum alienarum præſcripto.

Luc. 9. 23.

Chryſoſtom.

Ioan. 13. 34.

*A ſuis ſequacibus vt abnegent ſemetipſos Chriſtus exigit, hoc eſt, ſuum arbitrium in aliorum trãſmutent beneplacitum, vt ſit vnum in omnibus velle.*

55. Deſcendit olim Dominus in montem Sinaï, deſcendit quidem terrificus: Nam & voces, & lampades, & ſonitus buccinæ, & fumus; expauit vulgus: *Loquere Tu nobis* (inquit Moyſi) *& audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur:* Exod. c. 20. v. 19. Deſcendit, poſtquàm aſcendit in altum Chriſtus, & ſedit ad dexteram Patris Spiritus ſanctus in locum vbi fideles erant congregati; ibi etiam ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, ibi flammæ, nam *apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquàm ignis,* Act. c. 2. v. 3. nec tamen pauore conſternati clamauerunt, vt recederet, qui cum ignibus veniebat Paraclitus: Cur hi ſecuri & fortes: illi nutantes, & tremefacti? Animaduerte, quid de Iſraëlitis Textus aduertit Exodi: *Steterunt* (ait) procul, *dicentes Moyſi: loquere Tu nobis,* &c. de aliis verò Lucas: *Erant omnes pariter in eodem loco:* Qui diſtat, & procul eſt, velut à coniunctione & Amicitia abeſt: Nam concordia & fœdus accedere faciunt, combinant námque & conglutinant: igitur qui ſub Amicitia & vnione non ſunt, timeant quidem, paueſcant, exhorreant: quibus nexus & vinculum charitatis eſt, nõ eſt quod vereantur: tantùm inter ſe non pugnent, & diſſentiant, nec externi nocebunt caſus: Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſermone 6. *Ibi plebs longè ſtabat, timor erat, Amor non erat; nam vſque adeò timuerunt, vt dicerent ad Moyſem: loquere Tu ad nos, & non ad nos loquatur Dominus, ne moriamur: deſcendit ergo ſicut ſcriptum eſt, Deus in Sina in igne, ſed plebem longè ſtantem territans, & digito ſuo ſcribens in lapide, non in Corde: Hîc autem, quando venit Spiritus ſanctus, congregati erant fideles in vnum, nec in monte terruit, ſed intrauit in domum: de cœlo quidem factus eſt ſubitò ſonus; quaſi ferretur flatus vehemens ſonuit; ſed nullus expauit:* Perpende autem, quid ſtatim Auguſtinus ſubdiderit: *Nam, vt noueris ipſam eſſe diſtantiam euidentiſſimam veteris & noui teſtamenti:* Vnde ſcilicet? quoniam illi pauebant, hi confidebant: vndenam illis pauor? à timore quidem: vnde his ſecuritas? ab Amore ſanè: propterea ſanctus Doctor ſuperiùs: *Timor erat: Amor non erat:* vbi autem Timor, nec Amicitia, nec vnio vndequaque perfecta eſt: conſummata enim dilectio non eſt ſuſpecta, nihil veretur: ſcit idem eſſe nolle, idem vtrobique velle: Quid formidet, vbi totum poſſidet, vbi communia vniuerſa? igitur pulchrè, quod noui Teſtamenti indicium Amor ſit, quia & charitas & vnio eſt ſuis omnibus numeris abſoluta: propterea multitudinis credentiũ Cor erat vnũ.

Exod. 20. 19.

Act. 2.

*Deſcendit Deus in montem Sinaï in ſonitu & lãpadibus, & terretur populus, quia ſcilicet ſtabat procul .i. diſſitus: Deſcendit Spiritus ſanctus in ſonitu & igne, & lætãtur Apoſtoli quia nempe erant omnes pariter in eodẽ loco vniti.*

Auguſtin.

56. Manna, quod è cœlo Iſraëlitis per deſertũ gradientibus dilapſum eſt, pios & Religioſos ſaltem ita reficiebat, vt quam optaret quiſque eſcam, in huius ſaporem conuerteretur: hinc Sapientiæ capite 16. v. 21. *Et deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur:* Sed licet ſapor diuerſus, & pro ſumentium appetitu; color vnus eius quod manducabatur: Cæſarius Arelatenſis hom. 7. de Paſchate: *At verò illud legis Manna cælitùs illapſum, per multimodas ſuauitates naturæ meritum, & generis ſui excedebat intuitum: & cùm Creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diuerſitate condiret, præbebat guſtus, quod ignorabat aſpectus: iuxta percipientis deſiderium eſcæ illius nouitas, & dignitas naſcebatur: vnumquemque varijs, & alienis ſaporibus reficiebat pluuiæ illius donum, & multiplex ſicci imbris obſequium:* Quare autem, qui Piſcibus veſci exoptabat, non piſcis veri figurâ donabatur: & agno, vel lepore, qui concupiſcebat eos? Num, ad declinandam inuidiæ occaſioně ne fortè craſſioribus veſcentes liuorẽ conciperẽt aduersùs delicata poſſidentes? Verùm, liuoris nulla materia, cùm omnia omnes habere potuerint: cur itaque ſapor diuerſus, figura eademmet? Cibus ille Chriſtum repræſentabat: perpendamus, quid veniente Meſſiâ Iſaias ſpondeat cap. 11. verſ. 6.

Sapient. 16. 21.

Cæſarius Arelat.

*Diuerſus pro diuerſo appetitu Mannæ ſapor, at vnus color, vna figura: Chriſtianæ vnitatis ſymbolum.*





*Habitabit*

Iſai.11.6.

*Habitabit lupus cum Agno, & Pardus cum Hœdo accubabit: vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur:* Quando viſus hic Beſtiarum conuictus pacificus, & abſque vulnere aliquo? Sed de corporeo fœdere non eſt intelligenda Prædictio: denotat autem, in Chriſti fidelibus animorum tantam futuram conſenſionem: vt etiam maximè oppoſiti in idem conſpirent: Honoratus & ignobilis, ſapiens & indoctus, diues & pauper in vnum conueniant, atque ſanè ex Meſſiæ veri ſignis hoc potentiſſimum cenſendum: ergo ad repræſentandam hanc venturi Seruatoris gratiam, componentis in vnum diſſita; rectè, quòd ſapor multiplex, & color idem in Manna: gaudebat palatum melle, gaudebat vino, gaudebat aut volatilibus, aut terreſtribus: & in tanto diſcrimine vnum cernebatur, vnum ſemper apparebat; ſi quis huiuſmodi intueri prodigia deſiderat; abeat ad ſancta Monaſteria: contemplabitur nihil eſſe tam varium; nihil tam ſymbolum: Quos natura fecit eſſe diuerſos: Chiſti adunauit charitas.

57. Sed iterum de hoc ipſo Prodigio videamus alium loquentem in ænigmate Prophetam: de quattuor Rotis, quibus Ezechielis trahebatur Quadriga vates ille cap. 1. verſ. 16. *Et vna ſimilitudo ipſarum quattuor: & aſpectus earum, & opera: quaſi ſit Rota in medio Rotæ:* Sed quomodo ſi vna Rota intra aliam fuiſſet, moueri currus poterat? agitabatur enim Rotarum auxilio: Sed Rotæ innexa vna alteri impediebatur: & tamen nihil velocius earum Rotarum curſibus: torſit multorum ingenia Difficultas: noſter Sanctius num. 71. exprimi putat ſimilitudinem, quæ maxima poſſit eſſe in humanis rebus, & declarat exemplo non inuenuſto, inquiens: *Cùm enim Patri ſimilis eſt filius; in filio Patrem nos ſpectare dicimus, quaſi in illo foret incluſus, in illo ſpiraret, & viueret: & in alieno corpore non ſecus ac ſuo, & ſeipſum oſtenderet, & aſſuetas ſibi functiones exerceret:* Nos iſta transferamus ad Allegoriam, quando non in Hiſtoricis ſenſibus verſemur: Quando itaque perfectiſſimam Amicorum vnionem ex nobiliſſimæ Amicitiæ effectibus indicare volumus: dicimus quidem Amantē magis viuere in Amato, quàm in ſeipſo, includi in illo, quoniam non aliter vitæ actiones omnes ordinat, quàm alius velit: itaque amantium ſummam concordiam talibus declaramus modis: & perpende, vt non Animalia vnius generis Rotas gubernent; non omnes leones, non omnes Aquilæ, ſed pars ex hominibus, pars ex bobus; Aquila pariter & Leo; atque in his ipſis diametra conditio: Quid enim Homine clementius? quid Leone crudelius? quid Aquila velocius? quid vitulo tardius? Proh! quantùm eſt ſub tam oppoſitis Rectoribus concordes eſſe Rotas! quomodo enim non vitulus conetur ſpatioſas facere, Aquila contendat, vt celeres euadunt, atque ita & Rotæ ipſæ in ſtudia diſſipentur contraria? & tamen Rotarum germanitas tanta eſt, quanta conſiderari valeat: vnde Combinatio, vnde nexus? cerne quem vehat Quadriga! *Et ſuper ſimilitudinem throni* (ait Ezechiel verſ. 26) *ſimilitudo quaſi aſpectus Hominis deſuper:* quo homine deſignatur verbum Incarnatum Theodoreto aſſertore: *Oſtendit etiam Beneficiū* (inquit) *quo omnes Homines afficiendi erant, Dei inquam, & Saluatoris noſtri in carne diſpenſationem:* hac de cauſa ſpeciem quidem Humanam dicit: Quoniam igitur Chriſto ſcopus erat, vt nouæ, atque admirandæ legis Profeſſores, amantiſſimè ſe diligerent, vſque adeò, vt meritò cor vnū, & ſpiritus eſſe vnus omniū cēſeretur; venuſtè, quòd eius, qua ferebatur Quadrigæ, Rotæ, licet ſub oppoſitæ naturæ Animantibus, ſic adunatæ fuiſſent, vt non ſolùm æquali procederent Curſu; ſed quod maximum in Amicitia eſſe poſſit; vna Rota in alia includeretur.

Ezechiel. 1. 16.

*In Rotis Ezechielis, quarū vna in medio alterius, & quæ à tam diuerſis tam vniformiter reguntur animalibus, Chriſtianorū concors vnio adumbratur.*

Sanchez.

Ezechiel. 1. 26.

Theodoret.

58. Transfiguratis in claritatem Seruatoris lineamentis, cùm in monte eſſet illectatus dulcedine viſionis Petrus, cōdeſcenſum renuens, aiebat: *Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe; faciamus tria Tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi, & vnum Eliæ:* Luc. c. 9. v. 33. ſed addit continuò Euangeliſta: *neſciens quid diceret:* quare ignorans? ſcilicet, quia diuidi Chriſtum, Legem & Prophetas volebat, ſeparando cuiuſque manſionem: ita Hieronymus in Matthæū, Paſchaſius lib. 8. Anſelmus: quare ſi in mōte commorandū quidem aliquo modo eſſet, & extruenda Tabernacula, ſed vnum illud futurum erat, in quo ſimul habitaſſent Chriſtus, Moyſes, Helias: Quare opinans dæmonem ſuggeſſiſſe Petro, vt talia proferret, ait Origenes Tractatu 3. in Matthæū: *Forſitan & in hoc malicioſè operabatur per eum, qui neſciebat quid loquebatur, nolens eſſe ſimul Ieſum, & Moyſem, & Heliam, ſed ſeparare eos ab inuicem trium Tabernaculorum obtentu; quod fieri non poterat:* Quin ad demonſtrandum, ſeparari eos non oportuiſſe, Paſchaſius rectè animaduertit, non ſingulos obtexiſſe nubes, ſed vnâ, eadémque velatos pariter: *Similiter* (inquit) *etſi tres viſi ſunt in gloria, Chriſtus videlicet, Moyſes, & Helias, non niſi eos vna nubes obumbrat, vnúmque vt protegat, obuoluit, & obumbrat tabernaculum:* Et paulò inferius idem: *Tolerabilius ergo eſſet, ſi dixiſſes, vnum Tabernaculum Domino fieri debere, cum quo quinque ſimul eſſe debuiſſetis:* ergo ſit ita quidem, vt minimè diuidi à Chriſto Moyſem, atque Heliam iuuet, cur ex veterum Patrum copia ſocios hos potiſſimùm elegit duos? ſanè Moyſes blandus, clementiſſimus, ſuauis: Helias rigidus & formidabilis: Huiuſmodi affectionibus præditos cōglutinare difficillimi operis eſt: Quæ enim manſuetudinis conuentio cum rigore, atque terroribus? Chriſto igitur veniente in terras ad conciliandum Pacem; neceſſum eſt Petrus concipiat, tantam futuram præſtruendæ Concordiæ vim, vt etiam, quæ inimiciſſima videbantur dexteras porrigant, & in vnum coaleſcant: Quamobrem deſinat Simon iam ampliùs, ex quo intermedium videt Chriſtum, ſeiungere velle Moyſem atque Heliam? Quomodo enim Chriſto digni apparebunt Commilitones, ſi non in vnitate, ſed in diuiſione fuerint? ecce nubes è ſurſum dimiſſa obumbrat eos, & vna eſt nubes protectrix, vt vnū de tribus, quoad fieri valeat, conflaret: *Vnde nubes lucida* (inquit Paſchaſius vbi ſuprà) *in qua erat Spiritus ſanctus, obumbrauit eos, qui cum Chriſto vnum erant in Euangelio: & tres iſtos, qui deorſum erant, vt vnū fierent, non omiſit:* Nubis itaque ad exemplum, ſi de fabricando Tabernaculo cogitat, vnum ſolum moliatur.

Luc. 9. 33.

Hieronym. Paſchaſ. Anſelm.

*Dum in Thabore Chriſtū Legē & Prophetas in tria diuidi optabat Tabernacula Petrus, neſciebat quid diceret.*

Origen.

Paſchaſ.

*Moyſes* vir mitiſſimus ſuper omnes, homines & *Elias rigidiſſimus in vno cū Chriſto cōciliantur Tabernaculo.*

Paſchaſ.

*Viri ſpiritales Dei præſentiam, per diuinorum memoriam quanto cum emolumento procurant.*

## Sectio V.

59. NIhil animæ commodius, quàm Deum per crebras aſpirationes præſentem habere, quo modo huius exilij frequens diſtractio patitur: norunt Contēplatiui quàm ſit hoc fructuoſū & vtile; inde cōſolatio plena, inde Torrens voluptatis, inde



inde fortitudo in aduerſis conſtituto, & mundi facilè acquiſitus contemptus: proinde Myrrhæ olfactoriolum non niſi ad mammas geſtare hæc Sponſa velit: quare ante pectus? ferebat ſculptā Dilecti imaginem, vt in Literæ inſinuabamus explanatione; volebat à Sponſo nunquàm oculos auertere, coràm ſemper habere, vt nos diſceremus, quàm veri Sponſi, qui Deus ſit, Anima memor eſſe debeat, in quem perpetuò aciem Mentis dirigat, quoad liceat per humanam infirmitatem: *Vel potiùs hoc ſignificat:* (inquit Pſellus) *Quamuis aliæ Animæ mundi Curis, & negotijs implicentur: Ego Sponſi mei percipiens voluptatem: eum inſculpam in tabulis Cordis mei: vberum enim medium Cordis eſt ſedes.* Clamabat Dauid Pſal. 101. verſ. 3. *Non auertas faciem tuam à me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.* Quis hæc proferat? Chriſtus ipſe apud Prophetam loquitur: At quando auertit à Chriſto vultum ſuum Deus? Nonne à primo conceptionis inſtanti ſcientiâ beatâ, quâ Deum immediatè in ſeipſo intuebatur, quemadmodum Ciues Patriæ, eius ſanctiſſima prædita eſt Anima? Qui igitur Deum contemplabatur non intermiſſo viſu, vt quid expoſcat ab eo, ne faciem auertat? audi; loquebatur pro membris caput: compatiebatur Amicis ſuis, & cùm optatiſſimum donum cuperet Amicis, præſentiam incircumſcripti Numinis per Meditationes deſiderabat: ſatis munitos ratus, ſatis confortatos, dummodò hoc conſequutos. Proſper Aquitanicus in dictum Pſalmum: *Ne auertas autē faciem tuam à me, dicit pro humilitate membrorum: nam quando Pater à filio, quando Deus auerteretur à Chriſto? & ideò petit ſe in quacumque die tribularetur, exaudiri: quia Pietas capitis cum omni corporis portione compatitur: & labor omnium, qui & locis, & temporibus variatur, nunquam ſine illo eſt, qui omnium miſeretur.*

*Olfactoriolū, vbi Sponſi inſculpta effigies, ad pectus ſemper geſtabat Sponſa, Dilecti nunquam immemor.*

Pſellus.

Pſalm. 101. 3.

*Chriſtus pro ſuis membris, orat, ne Deus auertat ab eo faciem ſuam.*

Proſper Aquitan.

60. Formato de puluere Terræ Adamo, cùm ſolum intueretur Numen, *faciamus ei* (inquit) *adiutorium ſimile ſibi,* Geneſ. c. 2. v. 19. conſidera autem, qualem adhuc ſine conſorte Hominem depingat Baſilius Seleuciæ Oratione 2. in Adamum: *Verùm in tanta bonorum omnium affluentia agens Adamus, non habebat quocum felicitatem communicaret: carens autem voluptatis ſuæ conſorte, imperfectiori lætitiæ ſenſu capiebatur: Non enim* (inquit) *inueniebatur ſimilis eius: Cùm enim alterius generis haberet ſeruitia, à congeneri Natura ſolatium in vniuerſo non videbat: errabundus erat Hoſpes, Dominus in medio Paradiſo palabundus deſolatione paris Societatis affligtabatur:* ergo mœrebat Protoplaſtus? Ergóne inter delicias triſtabatur? & quanta illa iucunditas? blandiebantur certatim elementa, quæ Regi Homini placitura magis, ambitus erat: ſubmittebant cacumina frondoſi ſtipites, deoſculabantur veſtigia flores, luſitabant in pratis Animantia, exiliebant ſalutaturi de ſtagnis Piſces, cantillabat aëreum genus, Zephyri ſuſurrabant blando murmure, tripudiabat orbis totus: etiamnum Homo indoleat? Scilicet in tot figuris rerum, non adſpiciebat cognatum pignus: alia non extabat rationalis creatura habitatrix mundi inferioris: Baſilius Seleucienſis eadem oratione: *In tanta Animantium turba, vna quæ mecum natura eſſet, non adſpiciebam: in tanta multitudine deſolationem querebar, in tanta rerum vbertate velut in terris ſolus commorabar:* Cur Naturæ conſortem tantoperè æſtuat? vita illa primi Hominis tota ſpiritalis & contemplatiua; ardebat Sacroſancti Amoris incendio: & ducebat ad Numinis cognitionem vniuerſitatis conſideratio, ſed cognoſcebatur ex non intellectiuis Numen, vt ſolet cauſa per effectus cognoſci; deerat adhuc Creatura in terris extra Adamum ipſum, quod ſpeculum Dei eſſet, eò quòd ad imaginem, & ſimilitudinem ipſius compoſita: optabat hanc ſibi concedi Protoplaſtus: & quorſum auebat? Vt in eam crebrò intuens quaſi indiuiduam ſociam, picturâ inſpectâ Creatoris frequentiſſimè recordaretur. O verè tunc ſpiritalem Adam, qui in tanta deliciandi vbertate adhuc querulus, & ideò ſubtriſtior, quòd in multitudine Creaturarum nullam extra ſe intueatur, in quam defixurus lumina, Dei cernat imaginem: Deum quaſi ex tabula præſentem habeat, Deo potiatur, Deo adhæreat continuò: Hæc eſt Sanctorum voluptas; Qui ſi Deum præſentem non habeant, ſolatium non capiunt ex deſideratiſſimis quibuſque rebus.

Geneſ 2. 19.

Baſil. Seleuc.

*Solus in Paradiſo Adamus optat adiutorium ſimile ſibi, hoc eſt, conſortem ad Dei pariter imaginem & ſimilitudinem formatam, in qua poſſit continuò Deū contemplari.*

Seleuc.

61. Nec tamen Deo ſatis Cura Adami, vallauit magis, prænoſcens, ſi quando immemorem eſſe Dei contingeret, ſub diſcrimine futurum: conceſſâ ampliſſimâ facultate in fructus Paradiſi, vetuit vnius ligni poma: *De ligno autem ſcientiæ Boni & Mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morières,* Geneſ. cap. 2. verſ. 17. affine eſt proſperitati Benefactorum obliuiſci: Aduerſitas memoriam præſtat: Nequando igitur accideret Creatoris obliuiſci Adamum, proſperis aduerſi quidpiam intermiſcet, ſubtractis vnius ligni fructibus: perbellè Baſilius de Seleucia Orat. 3. in Adamum: *Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine: in omnia manus extendatur & ad vnum contrahatur: citra inuidiam fructu interdixi, neque mihi vſum reſeruaui ipſi: nullius enim indiga mihi natura eſt, nullique obnoxia Paſſioni: Verùm, vt prohibitore cognito, prohibitorem quoque cognoſcas, & vnius priuatio recordationem illius excitet, qui dedit vniuerſa: ne voluptas vndequaque circumfuſa Beneficij memoriam ſpoliet; ne per inexplebilem voracitatem in ignorantiam delabaris:* Ac ſanè Adamo negata arbos in medio Paradiſi erigebatur propè lignum vitæ: quare non ad latera Nemoris? Scilicet, vt quocumque ſe verteret Protoplaſtus, occurrerent interdicta Poma: & dum creberrimis occurſibus ferirent lumina, toties excitarent memoriam legiſlatoris: ô ſi non Deum oblitus Adam, cùm fœmineæ tentarunt illecebræ! auertit animum à conſideratione ſeu diuinorum Beneficiorum, ſeu magnæ ad vindictam potentiæ eius quem offendebat: nam ſub iſtorum conſpectu quomodo peccaſſet? Ambroſius expendens v. 43. cap. Lucæ 24. de latrone Sancto: *Hodie mecum eris in Paradiſo,* ad Pſalmum 39. ſuper *Holocauſta & pro Peccato,* &c. *Pulchrè ſubiunxit: Mecum eris in Paradiſo; hoc eſt; noli timere, ne tu cadas de Paradiſo, ſicut cecidit Adam; ſed audi, quia mecum eris, quo præſente cadere non poſſis: & Adam, vt caderet, à ſerpente deceptus eſt, & flexus eſt ab vxore: Non dixerat Adam: Mecum eris: quia ſciebat illum eſſe caſurum, vt redimeretur à Chriſto.*

Geneſ. 2. 17.

*Ne Creatoris obliuiſceretur Adamus vnius arboris fructu interdictus eſt, vt hæc prohibitio Deum identidem in memoriam ingereret.*

Baſil. Seleuc.

Ambroſ.

62. Viſitauit Elizabetham Deipara: *Et manſit cum illa quaſi menſibus tribus,* inquit Lucas c. 1. verſ. 56. Qua de cauſa demorata eſt Virgo pudiciſſima? Num ad ſolatium cognatæ? Pium hoc officium, ſed fortaſſe & alius Virgini ſublimior ſcopus: contuita eſt ad præſentiam, quem vtero ferebat, Seruatoris commotum Baptiſtam, & exultaſſe: Qui & rationis vſu donatus eſt per eius aduentum quamuis adhuc materno latentis clauſtro: igitur

Luc. 1. 56.

*Manſit Deipara cū Elizabetha tribus menſibus, ad profectum Ioannis Baptiſtæ adhuc in vtero materno latētis.*

igitur quem ſubitus viſus Dei in Carne ſic confortabat, ſi pluſculè frueretur, quos erat facturus progreſſus? itaque, vt Chriſti præſentiâ roboraretur infans, & vitæ planè admirabilis poneret tunc fundamenta, ſubſtitit apud cognatam diutius: Magna enim res eſt Deum coràm habere, præſente vti Numine: Ambroſius libro 2. in Lucam ad dicta verba: *Non enim ſola familiaritatis eſt cauſa, quòd diu manſit, ſed etiam tanti vatis profectus: Nam ſi primo ingreſſu tantus profectus extitit, vt ad ſalutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu ſancto Mater infantis; Quantùm putamus vſu tanti temporis Mariæ addidiſſe Præſentiam? vngebatur itaque, & quaſi bonus Athleta exercebatur in vtero Matris Propheta:* Quã-

*Siletur in Euangelio Infantia Præcurſoris, quòd infãs à Chriſti & Mariæ præſentia roboratus ſit in virum.*

obrem verò Euangeliſta nihil penè de Præcurſoris infantia? generatim enim ſolùm affirmat creuiſſe, ac confortatum eſſe ſpiritu? An moneat, qui Præſentiæ Dei exercitiis aſſueſcunt, in viros conſummatos breuiſſimè euadere? Nam ipſa virtus memoriæ diuinæ, quod infantile & crepundiale eſt, abigit, maſculum exiguo interuallò generat robur: proptereà Baptiſtæ, cui datum eſt, vt Seruatoris frueretur præſentiâ, ætatis inchoamenta non recenſentur, quaſi in momento, in ictu oculi ſpiritaliter vir factus ſit: Ambroſius memorato loco, quanquàm de Virginis præſentia explanare videatur (quod libentiſſimè amplexamur:) Verùm tunc in vtero geſtabatur ab ea Chriſtus, ob cuius aduentum, exiliit Prodromus illius: *Pulchrè autem tempus, quo fuit in vtero Propheta, deſcribitur: ne Mariæ præſentia taceatur: ſed tempus ſiletur infantiæ, quia infantiæ impedimenta neſciuit: & ideò in Euangelio nihil ſuper eo legimus, niſi ortum eius & oraculum, exultationem eius in vtero, vocem in deſerto: neque enim vllam infantiæ ſenſit ætatem, qui ſupra naturam, ſupra ætatem in vtero poſitus Matris, à menſura cœpit ætatis Plenitudinis Chriſti.*

Ambroſ.

63 Quàm ille ſtrenuus Samſon, fortis contra leonem, in maxilla Philiſtiim interimens: vbi Robur eius? in crinibus ſeptem formoſi verticis; viduatus eſt comâ, ſimul & robore ſpoliatus: Iudic. cap. 16. verſ. 19. Quis eſt iſte tam ſtrenuus miles, niſi vitæ ſpiritalis conſpicuus Aſcetes? virtus eius in crinibus, quibus Animæ cogitationes ſignificantur, nimirum, quibus in lege Domini meditatur die, ac nocte: Sic autem ſpeculando, memor fuit Dei ſui quotidie, & delectatus eſt, probans, Quàm ſuauis eſt Dominus; itaque Deum ſibi adſtantem ſentiebat, quoniam eius rememorabatur per iugem Contemplationem: Quid Præſentiæ Dei ſuffultus præſidiis non auderet? Non fames, non gladius, non Perſecutio, non Mors, non Infernus terruiſſent: Heu! Si contingat abradi ſeptem Crines: Si non Dei meminerit frequenter, modò per ſeceſſum longioris Theoriæ: modò per iaculatas in cœlum breues orationes: quibus illudetur modis à Philiſtiim, qui ſunt dæmones? ridebunt antiqua Sabbata eius; & obcæcatum, Deúmque non intuentem per ſpeculum & in ænigmate nunc quoad appropinquamus Domino, per Sacrarum Meditationum ſtudia, ludibrio afficient; Hugo de ſancto Victore, in illud Threnor. cap. 1 *Omnes Perſecutores eius:* &c. *Qui videlicet Samſon, quamdiu capillum capitis habuit, inſuperabilis fuit: ſed poſtquam in ſinu mulieris obdormiuit, & abraſus caput, capillum perdidit, continuò ab Hoſtibus capitur, & cæcatur, ſeruituti etiam addicitur:* Samſon *interpretatur* Sol eorũ, *& ſignificat animum*

Iudic. 16.
*Robur Samſonis in coma. j. diuina contemplatione, quâ dum viduatur, occæcatus ad Molam cogitur.*

Hugo Victorin.

*diuinâ cognitione illuminatum: caput Samſonis principale eſt mentis: capillus capitis, radius eſt Contemplationis: Sinus mulieris, blandimentum eſt Carnis: Quamdiu enim Animus Contemplationi inhæret, à tentione ſuperari non poteſt: Quod ſi in Carnis delectationem reſolutus fuerit, ibique obdormierit: continuò veritatis intimæ lumen amittit, & interciſo radio Contemplationis, prauis motibus repugnare non ſufficit: tandémque erutis oculis ad molam ponitur; quoniam internæ dulcedinis oblitus per terrena deſideria diſſipatur.* Eloquentiſſimè Ambroſius Prologo in lib. 2. de Spiritu ſancto: *Inuictus ergo Samſon, atque ita inſuperabilis, vt in maxilla Aſinæ viros mille percuteret: ita plenus gratiæ cæleſtis, vt etiam aquam in maxilla aſini ſitiens reperiret: poſtquam Spiritus Dei diſceſſit ab eo: longè mutatus ab illo Samſone, qui redit Allophylorum indutus exuuias: in mulieris genibus virtutis ſuæ degener, palpatúſque, captus ſacro crine tondetur.*

Ambroſ.

Multo conamine opus eſt, ne Dei frui præſentiâ vndequaque negligat Anima; etiam cauendum à tumultuoſis, quæ iuſtè occupare eam videbantur: Quamobrem pro Maria à Chriſto diſtrahi nolente neque ob religioſum quidem miniſterium, ipſe interpellat, ipſe apud germanam defendit: *Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima*, Luc. cap. 10. verſ. 41. Franco Abbas tom. 11. circa initium; *Hoc vnitatis bonum, ipſe ſummè bonus, non ſolùm terrenis omnibus, ſed & ipſius Pietatis officio, nec cuilibet ſanctorum, ſed & ipſi ſancto ſanctorum exhibito præferebat, quando dicebat: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: ſedebat enim ad pedes Domini Maria, alimentorum verbi piè auida, curaſque omnes tranſitorias, ac ſuperfluas, tanquam importunas oculis muſcas manu Diſcretionis abigens, vnum illud, & quod neceſſarium erat, ab ipſo vnitatis fonte hauriebat.* Sed hæc tritiora fuerint: Progreſſus in agrum Eſau, & quidem genitoris impulſu, atque vt feſſam ſenectutem prædâ venatione captâ recrearet: interim dum vagatur foràs: armatur in dolos genitrix, ſimulat hiſpidum Eſau Iacob, & Benedictione potitur: formidoloſum eſt à Dei Parentis conſpectu diſcedere: ô ſi interim te foràs ſpatiante Benedictio euolet, atque tranſeat! Nec tamen in foro verſabatur Eſau: Non Regum celſa retinebant Palatia: Non in telonio ſedebat: ſyluæ & eremus poſſidebant: improuidus, qui non etiam diſtans cum Patre manebat! itaque modus tenendus eſt etiam in iuſtis curis; & procurandum diligenter, ne Mentem obruant: ſubinde recurrendum eſt mediis in tumultibus ad conſpectum Numinis: Gerardus Zutphanienſis lib. 1. de Reformatione virium Animæ c. 37. *Eſau Benedictionem perdidit, dum foras tanquam ad tumultum egreſſus eſſet, quamuis licentiâ ſui Patris: ita ergo in omnibus eſto promptâ voluntate ſubiectus, vt tamen quantùm in te eſt, non ſeparêris à Rachelis amplexibus, nec periculosè inuoluaris Mundi tumultibus, vbi ſtant varij venti Tentationum.*

64.
*Arguitur Martha quòd à Chriſto ſe ſubtraheret, ſollicita circa plurima.*

Luc. 10. 41.
Franco Abb.

*Dum à Patre liceat pro Patre, in venationem diſcedit Eſau, Benedictionem ſuam perdit.*

Gerard. Zutphan.

65 Felix Anima, cuius ita Numen ſuſpenderit potentias, vt non ſolùm cùm oſtio clauſo Patrem cæleſtem orat in abſcondito, eius ſociabili quadam fruatur præſentiâ, ſed etiam inter vitæ humanæ labores, & cùm foràs prodeundum eſt: Paucorum eſt ſic numquam penè à Sponſi diſcedere comitatu, certè eorum, qui multis ſudoribus perfuncti, ſunt, quorum gratiâ, tali donantur mercede. Reuertente in Patriam Iacob, vir luctuabatur cum eo vſque manè: *Qui cùm videret, quod eum ſuperare non poſſet: tetigit neruum*

Geneſ. 32. 25

*femoris*



*femoris eius, & ſtatim emarcuit*, Geneſ. capite 32. verſ. 25. Quid in his arcani? nimirum concertatione illâ præfigurabatur contemplatiui Hominis vita, & ſpiritalia profitentis: oportêre igitur demonſtrabatur, in his Carnis emori ſenſum: interpretatio eſt Gregorij Papæ hom. 14. in Ezechielem: *Sed notandum, quòd idem victus Angelus neruum femoris Iacob tetigit, eúmque marceſcere ſtatim fecit, atque ab eo Iacob tempore, vno claudicauit pede: quia ſcilicet omnipotens Deus, cùm iam per deſiderium, & intellectum cognoſcitur, omnem in nobis voluptatem Carnis areſacit, & qui prius quaſi duobus pedibus innitentes, & Deum videbamur quærere, & ſæculum retinere: poſt agnitionem ſuauitatis Dei, vnus in nobis Pes ſanus remanet, atque alius claudicat: quia neceſſe eſt vt debilitato amore ſæculi, ſolus conualeſcat in nobis Amor Dei:* ergo ſignificabatur Iacob vir de mundo nihil habens, qui Carnem heroicâ mortificatione perfectè edomarit, qui in tentationibus inimicis ſuperior euaſerit: Quorſum tam ſublimem, atque excellentem pingat? remuneraturus videlicet eum fuerat dono Præſentiæ Dei: nam ait: *Nequaquàm Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël:* hoc eſt, vt vulgatâ fertur interpretatione: videns Deum: videns vtique non beatè & in ſemetipſo, ſed per fidem adhuc perenni quadam memoriâ vigilantis Animæ: nec tamen hoc conceditur niſi in quibus Caro debilitata eſt, ita vt neruus femoris emarcuerit, & quibuſcum totâ nocte Angelus Dei fortis dimicauerit: Sed ô felicem ſæpius quicumque eſt Iacob, & poſt hoc nomen vocetur Iſraël: quippè, ſub ſpeciali Dei cœli protectione commorabitur deinceps, ſicut Dauidis ore promiſit, Pſalm. 120. verſ. 4. *Ecce non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël:* vbi Diuus Proſper: *Si vis, inquit, habere Cuſtodem non dormitantem; eſto Iſraël, id eſt, videns Deum.*

Gregor.
*Iacob (vir Contemplatiuus) dum cũ Angelo (per Contemplationem) luctatur, dono præſentiæ Dei muneratur, cùm Iſraël j. videns Deũ, nominatur.*

Pſal. 120. 4.
D. Proſper.

---

*Antiſtiti Pacis ſtudioſo, vitanda ſummoperè Partialitas.*

## SECTIO VI.

66. QVòd in medio vberum faſciculum Myrrhæ ſe portare Sponſa dicat, ad Cor geſtare indicat Gregorio Nyſſeno teſte homilia 3. in Cantica: *Localis enim Cordis poſitura* (inquit) *ab ijs, qui ea ſunt ſpeculati, dicitur eſſe in medio vberum: illic autem dicit Sponſa ſe habere faſciculum:* Quamobrem verò ad Cor appendit? nempè Medicina, & ſuauitas eſt in Myrrha: atque hæc Dona liberaliter communicatura ſit Virgo, indifferenter tamen, Neminem iniuſtè præferens: eo nimirum pacto, quo indiſcriminatim à vitæ fonte, quod eſt Cor, ad omnia corporis membra vegetatio tranſit: ſubiungit Nyſſenus: *Sed & Cor dicunt eſſe quendam fontem nobis innati Caloris, à quo per arterias in vniuerſum corpus calor diſtribuitur: per quem ſiunt calida, & vitalia membra corporis, vt quæ foueantur ab igne Cordis: Quæ ergo in Animæ facultate principatum tenente ſuſcepit bonum Chriſti odorem, & Cor ſuum fecit faſciculum huius ſuffitus: ſe ita comparat, vt omnia ſingulatim vitæ ſtudia, tanquàm alicuius corporis membra ferueant Spiritu, qui ex corde permeat, nullâ iniquitate, vllo membro corporis refrigerante dilectionem in Deo:* Hoc exemplo Antiſtites familiarum docet, ne imprudenti affectu præ cæteris quenquam ſpecialibus dilectionis proſequantur notis: nam citò inui-

Greg. Nyſſen.
*Sponſa odorũ Myrrhæ faſciculum ad cor geſtat, quòd Cor omnibus mẽbris æqualiter Spiritus vitales ſubminiſtret. Prælatis documentum.*
Idem.

dentia tumultus pariet, ſæpè & exitium domui vniuerſæ: atque hanc ob cauſam, putant nonnulli, odiis arſiſſe contra Ioſephum fratres; quòd ſenex Iacob ætati prouectæ indulgeret tantillum, cuius ob ſolatium, quod ex Pueri captabatur lepore & blandimentis, fouebat ſupra reliquos: erátque in amictu diſ[illegible] cultus, polymitâ conceſsâ illi veſte: huius adſtipulator ſententiæ Baſilius Seleuciæ Oratione 8. in Ioſephum: *Scriptura verò modum Amoris immodicum admirata affectionis illius cauſam inuulgat: Iſraël enim* (inquit Geneſ. 37. verſ. 3.) *diligebat Ioſeph, eò, quòd in ſenectute genuiſſet eum: Quòd ſi Benjaminus filiorũ Iacobi poſtremus, & ſenectuti vicinus erat, & pariendi finis: quomodo Ioſephus inſuper filius ſenectutis appellatur? At ſenectutis filius eſt, qui ſenectutẽ accurans, & ætatis patriæ laborem curâ alleuans; ſpe ſenectutis fouendæ naturalem Amorem ſibi conciliauit: & obſequio ardentiorem meſſuit dilectionem futuram occaſionem grandiori certamini: fratres enim inuidentiâ percuſſi turgebant:* Altera dignior Iacob opinio, quæ aſſerit ob mores ſenili iudicio proximos, vocatum filium ſenectutis Ioſephum: atque ob virtutem germanitatis turbæ prælatum: neque tamen liuorem declinauit etiam iuſta, & ſapiens Dilectio: Quid ſi priora illa vera fuiſſent, peculiaris Amoris fundamentum humani aliquid extitiſſe ſolatij?

*Veſtis I… polymit… teris fr… bus cau… uidiæ.*
Baſil. Seleuc.
*Cur Ioſ… ſenectut… lius?*

67 Pugnauerunt contra Philiſtiim Hebræi: & ducta eſt captiua etiam Arca Domini, Reg. libro 1. cap. 4. verſ. 11. Quamobrem id ſuſtinuit Numen, tradi Sanctum Canibus? erat nobiliſſimum illius gentis pignus Arca, nec merebatur ſubire communis vindictæ pœnam: verùm Deus, ne dum ea, quæ ſublimiora ſunt, reſeruare ab omni plaga videatur, & patiatur vulgaria opprimi, cenſeretur inæquali amore proſequi ſubdita ſibi: & quidem grandia fouere, mediocria velut deſpicere; permiſit vnà cum populo Arcam in Victoris quoque Poteſtatem tranſire: Audiamus ſuper hac re Iſidorum Peluſiotam lib. 1. epiſt. 72. ad Calliopum: *Nam & Sanctæ Arcæ minimè pepercit, verùm eam vnà cum ipſis Sacerdotibus, qui deliquerant, Barbaris dedidit, & vrbem ſanctificationis, & Cherubin gloriæ, & ſtolam, & Prophetiam, & vnctionem, & Thumim, in conculcationem, & contaminationem gentibus addixit: ita, ne nunc quidem ab omni labe puris myſterijs parcit: vt dum ſuis Aulis minimè parcit, terrorem ijs, qui peccant, inijciat, atrociorem videlicet pœnam ob ea, quæ agunt, expectantibus: vlulet enim abies, quia cecidit Cedrus: fortibus cadentibus imbecilliora erudiantur.* Expendo in ſermone Iſidori: *Vt dum ſuis Aulis minimè parcit:* differentiam inſinuans boni Magiſtratus; Qui enim peruerſi Rectores Aulicos & Optimates, ſi offendant, liberos abire permittunt, vexat columbas tantùm cenſura, & legum executio penès miſeros eſt: apud Deum maiora etiam capita vapulant, nec Palatinis conniuet: ex tanta autem quid emolumenti hauriatur æquitate? *fortibus cadentibus* (vt dicebat idem Auctor,) *imbecilliora erudiuntur:* Nam cùm intuetur vulgus, quod ſuopte ingenio timidum eſt, pro vilium conditione, procedere Gubernatorem contra Satrapas, nec ſinere quenquam impunitum tranſire: ne hiſcere quidem audet, & officio continetur mirabili concentu vniuerſa Reſpublica: Sin autem diſpenſatur cum optimatibus, cum Amicis Rectorum: eorum exemplo diſſoluuntur minora capita: quibuſcum & Gubernatori ſæpe diſſimulare neceſſum, ne ſugillent peperciſſe aucto-

1. Reg.
*Nec ip… Arcæ… ſimæ… Deus, in ma… Philiſt… venire mittit.*

Iſidor. Peluſi…

Qq 4 ritate

ritate conſpicuis, & ſodalitio coniunctis: hac autem factâ relaxatione: peſſundatur momento vel compoſitiſſimæ Reipublicæ decor.

68. Proficiſcente Moyſe in Ægyptum, *cùm eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod. cap. 4. verſ. 24. Quod ob ſcelus mortem promeritus eſt? Num ob interfectum olim Ægyptium? at zelatus eſt Ciues ſuos: vxor ſubtiliter cauſam veſtigata, nimirum, quòd adhuc incircumciſus eſſet futuri Ductoris gnatus: quare acutiſſimâ arreptâ Petrâ, circumcidit præputium filij ſui: Quam in gratiam hoc perpetratum? Scilicet docentur ſpiritaliter Parentes, corrigendos eſſe Adoleſcentum mores, amputanda vitioſa, atque ſuperflua: Quæ niſi fiant, ſubitâ, atque immaturâ præoccupantur morte vel Parentes ipſi, vel quos impenſiſſimè diligebant, filij: Aliter tamen pro inſtituti noſtri ſcopo: Moyſes cùm in Gubernatorem Hebreæ eligeretur multitudinis, deſtinabatur in Ægyptum, non tantùm vt ſeruitute eximeret duriſſimâ, ſed etiam vt dato Abrahæ ſignaculo Circumciſionis nempe, à Gentibus diſtingueret: erat autẽ vulnus non raró Paruulis immite: Num igitur viſus Princeps aliorum Moyſes quaſi domeſticis pignoribus voluiſſe parcere? Sed quæ rectitudo eſt tentare, vt circumciderentur extranei, dum familiares euaderent? Mandatum neminem excipiebat: cur itaque ſuis indulgeat? ergóne ob hanc cauſam vita ſub diſcrimine poſita eſt, ni Sephora præproperè circumcidiſſet filium? Peluſiota lib. 1. epiſtola 125. ad Gregorium Epiſcopum: *Angelus qui Moyſi in Ægyptum deſcendenti occurrit, eúmque morte afficere voluit: non, vt cædem, quam olim zelo incenſus admiſerat, vindicaret; gladium aduersùs eum intentauit: Sed, vt legis, ad quam explendam proficiſcebatur, tranſgreſſionem ipſi obijceret: Nam, cùm legiſlator à Deo inſtitutus fuiſſet, ac legem accuratè ſeruare deberet, ipſe primùm hanc violabat: filios videlicet cum præputio in Ægyptum ſecum ducens; illúdque mandatum abolens, quo ſolo Hebræi à Barbaris dirimebantur: Poſteaquàm autem Sephora culpam agnoſcens, lapillo arrepto filium circumcidit: atque ad Angeli pedes ſeſe prouoluit: confeſtim ille abſceſſit.*

Exod. 4. 24. *Quòd Moyſes filio ſuo parceret, nec eũ, vt reliquos circũcideret, vitæ diſcrimẽ ſubit.*

Iſidor. peluſiot.

69. Ecce quid de Sapientia narrat Siracides: *In omni* (inquit) *gente primatum habui*, Eccleſiaſtici cap. 24. verſ. 10. ampliſſimum omnino Regnum, quod omnes Nationes complectatur! ſubdítque ſtatim: *Et in his omnibus requiem quæſiui*: feriandi, & deliciandi verbum eſt Requies: nam curæ abſunt, ſoláque amœnitas dominatur: Amicorum & dulciſſimorum eſt quidem ſimul talibus recreari modis: aſſerit igitur Sapientia, quod ad ipſam ſpectabat; voluiſſe profectò amabiliſſimum inire fœdus non cum hac, illâve Prouincia orbis terrarum, ſed penitùs cum vniuerſis: O felicem Gubernatricem; & Sapientiæ præclariſſimo titulo dignam, cuius intima familiaritas (modò Nationes non recuſarent ſe coaptare & diſponere ad benè vtendum Gratiæ Dei effusâ benignitate,) abſque populorum exceptione eſt: vereor, vt poſſit hoc ab aliis, quàm à Sapientia dici: in Hominibus enim miraculum eſt, non ad partium ſtudia deflectere: & requiem proculdubio ſatis amant: at non in omnibus quærunt: Vtinam ſanctitati, & doctrinæ meritis deferrent: Sed alium Patriæ affectio tranſuerſum agit, alium ſanguinis, alium ambitioſa Honorum ſpes, alium munera: nec qui Boni cenſentur, hoc ſe vitio purgant, niſi maxima adhibeatur diligentia: rectè igitur Sapientia digno ſe elogio gloriatur: *In omnibus requiem quæſiui*: ſuper quibus verbis Bernardus ſermone 3. in feſto Omnium Sanctorum: *Hæc eſt planè requies Domini, non interciſa, non circa aliquid certum reſtricta: Quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit, & inuenit: Nam & Bona ei placent in ſeipſis, & delectatur nihilominus bonâ ordinatione malorum: diligit miſericordiam, & iudicium: nec modò in bonorum gloria ſibi complacet: ſed in ipſis quoque (vtpotè iuſtis) ſupplicijs impiorum: Quid ergo? Putáſne poterit humana Anima in hoc gaudium Domini ſui, & in hanc eius requiem intrare; vt & ipſa quoque in omnibus delectetur: nec aliquâ iam priuatâ affectione contrahat rugam: ſed tranſeat in affectum quendam generalem atque diuinum?* Venuſtè autem dixit, *Requiem*, hoc eſt etiam Pacem ſe quæſiuiſſe: quidni enim Pax multa ei, quæ omnibus ſe æqualem exhibère optabat? Si qui ſub tali adhuc Antiſtite rebelles & tumultuoſi ſubditi, infinitæ eſſe malitiæ oportet, & quibus vniuerſus Tartarus vix penè ſatis: Hoc Pacis ſtabilimentum & Tutela eſt, quâ ablatâ ſeditiones exoriuntur vel in ſanctiſſima Republica vel in munitiſſimis vrbibus: Quàm munita illa Ciuitas, de qua Vates, Pſalm. 45. verſ. 5. *Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus, Deus in medio eius, non commouebitur*: Bona promiſſio Prophetæ, quia non commouebitur vrbs: nullæ erunt altercationes, nulli tumultus, pugnæ nullæ: Hoc eſt non commoueri Ciuitatem: quare autem non commouebitur? *Deus* (ait) *in medio eius*: Scilicet, qui gubernat & imperat, æqualem ſe cunctis exhibet, propterea medium locum occupet: de medio omnes facilè participant: ibi ſi permanſerit gubernator, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram incumbens, erit in multitudine Pacis Ciuitas, & non commouebitur: Auguſtinus in dictum Pſalmum: *Quid eſt ergo, Deus in medio eius? Hoc ſignificat, quod æquus eſt omnibus Deus, & Perſonas non accipit: quomodo enim illud, quod in medio eſt, paria habet ſpatia ad omnes fines: ita Deus medius eſſe dicitur, æqualiter omnibus conſulens: Deus in medio eius, non commouebitur: vnde non commouebitur? Quia in medio eius Deus.*

Eccli. 24. 10. *Sapientia non in peculiari aliqua natione, ſed in omni gente primatum habet, & in omnibus requiẽ quærit. Hanc imitentur Prælati.*

Bernard.

Pſalm. 45. 5.

*Non commouebitur illa Ciuitas, quæ Deum, æquum Gubernatorẽ habet in medio ſui.*

Auguſtin.

Moyſi præcepit Deus Numerorum capite 13. verſ. 3. *Mitte viros, qui conſiderent Terram Chanaan, quam daturus ſum filijs Iſraël, ſingulos de ſingulis tribubus, ex principibus*: Quamobrem ex omni tribu miſſus quiſpiam? Primùm; numerus videtur multus duodecim Hominum, vix enim occultari poſſint: vix inter ſe conueniſſent; inter paucos concordia facilis eſt: Denique ſi duodecim pergere neceſſum erat, ex eadem poterant tribu deligi, vel ex duabus, quatuórve tribubus: Erat legatio illa Honoris, erat ſimul & Commoditatis, atque emolumenti: defraudari itaque ſe vnaquæque arbitraretur tribus non miſſo ad explorandum domeſtico teſte, & de ipſarum viſceribus: maior adhuc odiorum ſeges ad contemptum: Cùm enim ſpecioſum eſſet munus, & quod apud ventùros nepotes gratiam magnam, famámque, rebus benè peractis, promereretur: deſpectas ſe tribus arbitrarentur, vel non à Duce ſuo adamatas: Hinc autem ſtatim querelæ: Numquid minores nos fratribus? Numquid degeneres vt ſic proiiciamur? nolumus regnare ſuper nos Moyſem: non ſecundum æquitatem, ſed ex affectu Honora diſtribuit: aut ſi tribuum ipſarum culpa eſt: diuidamur ab ingratis capitibus: tranſeamus

70. Numer. 13. 3.

*Ex omnibus & ſingulis tribubus ſingulos viros ad præclarum & vtile Explorationis Chanaanicæ munus mittit Moyſes Dux optimus.*



tranſeamus ad gentes: præſtat cum exteris fœdus inire; quàm à falſa Contribulium amicitia deludi: Vide diſcordiarum fomenta magna! Ne igitur tumultus fierent in Caſtris Hebræorum, quanquàm ad explorandum minor ſufficeret numerus; aut vt requireretur duodenarius, ex vna ſeligi tribu integer potuerit; ex ſingulis decerptus eſt explorator. Abulenſis quæſtione 19. in dictum Numerorum caput: *Dicendum* (ait) *quod cauſa præcipua fuit, ad ſeruandum honorem cuiuſlibet tribus, & ad tollendam inuidiam: Si enim de quibuſdam tribubus mitterentur Exploratores, & de alijs non: illæ, de quibus non mitterentur, viderentur contemni, quod eſſet ad magnam inuidiam: Deus autem volebat hanc tollere de Populo, ne ſequeretur inde ſeditio.*

Toſtat.

71. Præmuniens Seruator aduersùs temporum nouiſſimorum dolos: ſingentibus Pſeudoprophetis ſe Chriſtum Domini eſſe: *Tunc, ſi quis dixerit vobis: Ecce hîc Chriſtus eſt, aut illic, nolite credere: ecce prædixi vobis: Si ergo dixerint vobis: ecce in deſerto eſt, nolite exire; ecce in Penetralibus, nolite credere.* Matth. cap. 24. verſ. 25. Sed cur non in deſerto inueniri Chriſtus poſſit? Nonne ibi ſacra Anachoretarum agmina in vigiliis, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate? Cur non itaque apud hos veſtigandus Chriſtus? Nonne idem hortabatur orandum in abſcondito Patrem cœleſtem, & ianuis clauſis ad Diſcipulos ingreſſus eſt? Quamobrem itaque non & in Penetralibus latêre potuerit? Equidem nihil repugnat Chriſtum inueniri aut in eremo, aut in ſecreto domorum, ſed perpende, quid Pſeudoprophetæ cupiant ſuadêre: Chriſtum apud ſe tantùm reperiri, penès quos & in vno ſolùm terrarum Angulo vera reſplendeat Eccleſia: vt quondam Donatus affirmabat, in partibus tantùm Africæ veram conſtitiſſe Eccleſiam: Vt igitur doceat, non talem ſe eſſe, qui vni Nationi, aut Prouinciæ ſe conceſſerit, verùm qui omnes homines ſaluos fieri deſideret, & qui omnium Paſtor ſit; ac proinde à ſolis ortu vſque ad occaſum Eccleſiam dilatauerit, & dominatus ſit à mari, vſque ad mare, cuiúſque Euangelij ſonus in omnem Terram exiuerit, volens commendare miſericordiæ & Humanitatis ſuæ in omnes communem gratiam, monebat, ne in ſingulari, velut excluſis aliis, loco quærerent, ob cuiuſcumque prædicationem: Druthmarus in Matthæum cap. 56. *Ecce in penetralibus, id eſt, ſecretis aliquibus: nolite credere: ſpiritaliter Eccleſia Catholica, id eſt, vniuerſalis, non ſolummodò in Africa, aut alio ſpeciali loco; vel in penetralibus Hæreticorum, ſed per vniuerſum mundum; quia ideò Catholica, id eſt, vniuerſalis dicitur*: Aliter & propriè locus Matthæi, de Chriſti ſub iudicio, apparitione eſt: Quomodo igitur apparebit? Num particularibus aliquibus, aut in deſerto, aut in occulto abſconſis? nequaquam, ſed fulguris inſtar totum illuminantis æthera. ideo ſubdit Euangeliſta: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem: ita erit & aduentus filij Hominis*: Hilarius breui explicatione Canone 25. in Matthæum: *Dominus ſe non loco occulendum, nec à ſingulis contuendum eſſe profitetur: Sed vbicumque & in conſpectu omnium præſentem futurum modo fulguris, quod ab Oriente elatum, lumen ſuum vſque ad Occidentis plagas ſpargit: & vndecumque micans, vbicumque cernetur*: Hinc Dauid Pſalm. 49. verſ. 3. *Deus manifeſtè veniet*, vt interpretatur Paſchaſius lib. 11. in Matthæum ad dicta eius verba: *De ſitu locorum* (inquit) *manifeſtum, quia non ſic ſe promiſit venturum* (ſcilicet in deſerto, vel Penetralibus) *in Scripturis, ſed ſicut dictum eſt: Quia Deus noſter manifeſtè veniet.*

Matth. 24. 25. *Monet Chriſtus ne credatur Pſeudoprophetis, qui eum vel in deſerto, vel in penetralibus .j. in aliquo particulari loco, vel apud aliquos tantùm degere dictitant, cùm eius Eccleſia ſit vniuerſalis.*

Donat.

Druthmar.

*Bellè Aduentus Chriſti Fulguri comparatur.*

Matth 24. 26.

Hilar.

Pſalm. 49. 3.

Paſchaſ.

---

*Incoacta, & ſpontanea obſequia, Deo quàm placeant!*

## Sectio VII.

72. DVm Literam interpretaremur, ſubindicauimus, Myrrham pretioſiſſimam guttam illam eſſe, quam ſine Agricolarum inciſione, prorumpens ſponte ſua Cortex, & illachrymans, ſudat: atque hanc eſſe, quam Sponſa commendat, & vberibus applicat dilectiſſimum pignus: Myrrhæ primis liquoribus ſine vi fluentibus ſignificantur opera, de quibus tantùm eſt conſilium Domini: quæ proinde vel amplecti, vel reſpuere abſque piaculo quouis liberum eſt: Qui præcepta adimplentes, huiuſmodi pariter ſuperaddunt, ad quæ nullus cogebat, opera: hi ſunt Sponſæ Eccleſiæ in deliciis ſummis, ſinu recondit, intra animam penè mittit, Scit Sponſo ſuo placere, quod facit. Erigebat ille vexillum Crucis, & ſcripturus milites, qui vltrà mandatorum obſeruantiam, quæ ſub præcepto non cadebant, adderent, inquiebat: *Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*, Marci cap. 8. verſ. 34. exhortatio eſt ad vitam perfectiſſimam, illorum ſcilicet, qui mortificationem Ieſu Chriſti iugiter portant in corpore ſuo: cur igitur *ſi quis vult*? Quamóbrem non aſtringit, non coarctat? generoſioris famulitij encomium eſt à Domino non compelli: optabat probare nobilitatem indolis: nec lentiores fuêre in currendo, quibus neceſſitas impoſita non eſt iubentis ſeuerè; & Herum promeruêre magis conſilia quoque amplexi ſerui: Victor Antiochenus ad nominatum Marci caput, eos perſtrinxiſſe viſus Hæreticos, qui fatalem quandam imponi voluntatibus humanis neceſſitatem credebant, & truncum reddi arbitrium noſtrum: *Sed quomodo, ſi quis vult me ſequi? quaſi dicat, ad bona & honeſta prouoco, non ad mala & odioſa: nec quenquam huc compello, ſed amicè tantùm inuito: Hæc autem dicens, magis attrahit: Qui enim vim affert, decorum non ſeruat: Qui autem adiutori libertatem facit, validiùs allicit: delinitio enim, & obſequium quauis violentiâ fortiora ſunt.*

*Spontanea Myrrha lacryma quam pectori ſuo Sponſa admouet, Spontanea piorum opera Eccleſiæ vt & Chriſto gratiſſima Myſticè indicat.*

Marc. 8. 34.

*Voluntarios Milites legit Chriſtus.*

Victor Antioch.

73. Narraturus Ioannes, quemadmodum à Chriſto diſcipulorum Pedes abluti: quos & terſerit; præmiſit: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus: & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: Surgit à cœna*, &c. cap. 13. verſ. 3. Quæ horum dictorum affinitas cum ſequenti Hiſtoria, de elutis Apoſtolorum veſtigiis? Multorum Patrum nota cogitatio eſt, voluiſſe indicare Euangeliſtam, quantæ ſubmiſſionis opus illud fuiſſet, quod tam ſciens, tam nobilis, tã potens non aſpernatus ſit: Sed quidem ad declarandam Humilitatis excellentiam, ſatis erat dixiſſe, ex Deo prognatum, nam de æterna, quà verbum Patris erat, emanatione illud: *Quia à Deo exiuit*: nihil enim tam ſtupendum, quàm procumbere ante Piſcatorem, & multò magis ante impiiſſimum Iudam, Dei filium conſubſtantialem: Quonam igitur ſpectent reliqua illa: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus?* refert ad Paſſionem, cuius penè in veſtibulo tum Chriſtus: vt intellectus ſit: à Patre conceſſum, vt declinaret ſi vellet mortem, quam

Ioan. 13. 3.

*In ipſo Paſſionis veſtibulo, mortem Chriſto liberã eſſe teſtatur Ioannes cùm dicit,* Sciens quia omnia dedit ei, &c.

quam pro genere humano ſubiturus erat: vt contereret, ſi cuperet, vitæ pretioſiſſimæ inſidiantes Hoſtes: Sciens itaque licuiſſe ſibi per genitorem, ne pateretur: ibat ad victimationem gaudens, & lætus: adblanditus ſibi, quòd Patri obſequeretur, in iis, quæ ſubterfugere poterat: atque ita omnino incoactè: Quòd ſub inimicis ſuſtineret, quos ſi optaret, deflectere potuiſſet: ſecundùm hæc Gregorius Papa lib. 3. in Iob. cap. 12. ſub finem: *Ecce in manus Perſequentium iturus, ſciebat, quod in manu ſua ipſos etiam Perſequutores acceperat: Qui enim omnia accepiſſe ſe nouerat: conſtat, quia & ipſos, à quibus tenebatur, tenebat: vt ipſe in ſe ad vſum Pietatis intorqueret, quicquid eorum contrà ſe Malitia permiſſa ſæuiret:* Et iuxtà hanc explanationem, quæ peculiaris eſt verborum Ioannis, quonam ſit intelligendum modo, declarandum, vt potuerit Chriſtus mortem ſubterfugere, cùm de moriendo pro Hominibus à Genitore impoſitum illi fuerit præceptum? Senſus eſt, quanquam præcepto obligatus fuerit; tamen ante eius impoſitionem Seruatori optionem factam eſſe à Patre æterno vitæ paſſibilis, vel impaſſibilis: Qua de re egimus fusè Veſtigatione 3. à numero 46. Sciens itaque Ieſus, *Quia omnia dedit ei Pater in manus:* Quia & mortis quoque tolerandæ, vel deflectendæ, optio illi facta eſt.

Gregor.

74. Iubetur Abraham Hæredem ſuum mactare: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in Holocauſtum ſuper vnum montium, quem monſtrauero tibi,* Geneſ. cap. 22. verſ. 2. Quod monti nomen? cur nō indicatur? Si Abrahamo detectus eſſet mons: iam minùs extenſus libertatis ei campus fuiſſet, neque enim niſi in eum, quem Dominus præfixiſſet, pergere montem debuiſſet: nullo autem decreto adhuc iugo, poterat euagari mens, & ſui iuris eſſe in deligendo ſacrificij loco ſub communi deſiderio: Quò igitur Sanctus Patriarcha toties ſpontaneè Deo offerret, quoties ſe paratum intimaret, vt ad quemcumque proficiſceretur montem, collem ſingularem noſſe denegatum illi eſt. O quale certamen, cùm ignoraret Religioſa Mens, loci horrorem: & neſciret, quàm durus futurus eſſet exilij angulus! Neque noua Abrahæ hæc probatio: Nam & olim etiam loquutus ad eum Dominus: *Egredere de Terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in Terram, quam monſtrabo tibi,* Geneſ. capite 12. verſ. 1. hîc Regio ſubtegitur: ſuperiùs Mons occultatus: & vtrobique data occaſio promerendi egregiè de Numine, dum licet fortiſſimo Athletæ, antequam certæ appareant regiones, per omnes tranſcurrere, omnibus ſe exhibere promptum ſine diſcrimine: Baſilius Seleuc. Orat. 7. in Abraham. *Locum occultat, vt Animi conſtantiam exerceat: metum celat, vt curſum contendat: cognitionem adimit, vt ad eius deſiderium exſuſcitet ſuſceptum in terra Curſum.*

Geneſ. 22. 2. *Abrahamo, ſiue dum è patria ſua egredi, ſiue dū filium immolare iubetur, nullus præfigitur locus, quò liberiùs mens euagaretur.*

Geneſ. 12. 1.

Baſil. Seleuc.

75. Miſſurus ad populos legatum Deus apud Iſaiam interrogat: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* cap. 6. verſ. 8. At quæ hæc eſt inopia apud Creatorem, eorum qui legatione fungi valeant? Nonne decem millia miniſtrant ei, & ſeruorum illius non eſt numerus, quomodo igitur diſquirit, Quiſnam iturus ſit? Sed numquid non ambitioſa Cura eſt legatum eſſe Magni Regis? Numquid non procurant ſollicitè filij Hominum? Verùm perpende, huiuſmodi Numinis legationes laborioſas admodum fuiſſe, nam deſtinabantur ſerui ad nationes indomitæ Ceruicis, à quibus alij ſecti, alij lapidati, alij in ore gladij occiſi: pericula ſubeunda erant infinita in ieiuniis, in frigore, in itineribus, in plagis ſuprà modum: ſub tanta nihilominus formidine rerum aduerſarum, ſi Monarcha quempiam priuato vocabulo nominaſſet: Quis non ocyùs pergere auderet? Vult igitur noſſe, Quinam ſint generoſi famuli eius, qui etiam non compellente Domino quoquo modo, pro eius honore fortia ſponte aggrediantur ſuâ, meræque dilectionis inſtinctu: Sic pulchrè Hieronymus exponit, inquiens libro 3. in Iſaiam: *Propterea autem non dicit Dominus, quem ire præcipiat, ſed proponit audientibus optionem, vt voluntas præmium conſequatur:* Dicamus etiam: paulò antea inſigni affectus eſt Beneficio Vates: Nam quæ polluta habebat labia, ab vno de Seraphin mundata: Vt igitur Beneficium tantum grandi aliquo compenſaret obſequio, legationem ei nominatim commendare abſtinuit Numen: generali itaque factâ percunctatione, ratus Propheta egregiam offerri anſam promerendi optimè de Benefaciente ſibi, cùm ad legationem non conſtringeretur: obtulit ſe dicens: *Ecce ego, mitte me:* Magnus Baſilius ad cap. 6. Iſaiæ: *Sed enim Iſaias ſimul atque condonatum eſt ei peccatum, cùm dixiſſet; Quia in medio Populi ego habito immunda labia habentis, audire promeruit: Quis ibit ad populum hunc? arbitratus ſe quæri ad eam legationem obeundam, vt & Populus conſimili afficeretur beneficio, immodicâ lætitiâ profuſus, ſe vltrò offert, ac ſubdit: Ecce ego, mitte me.* Fuit & excellens virtus Prophetæ, de quo idèm Sanctus Pater Baſilius ſtatim aduertit: *Quum enim* (inquit) *dixiſſet Dominus: Quem mittam, & quis ibit? non iam ſubiecit: quare, & quò ſum iturus?* Itaque, quod de Abrahamo numero antecedenti perpendebamus, noluiſſe interrogare Deum, cùm de Terra & cognatione ſua iuſſus eſt egredi; quam deſtinaret in partem vniuerſitatis mundi, vt haberet quod Deo ſponte offerret, cùm ad indefinita ſpatia tendere paratus eſſet: itidem & nunc Iſaiæ contigiſſe intuemur.

Iſai. 6. 8. *Ad difficilem & periculoſā legationem miſſurus aliquos Deus, neminem cogit, ſed qui ſe vltrò offerant quærit, dum interrogat, Quis ibit nobis?*

Hieronym.

Baſil.

76. Profectis in Ægyptum Ioſephi fratribus frumentorum causâ, agnitis illis poſtquam eum adorauerunt, *quaſi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos, vnde veniſtis?* Geneſ. cap. 42. verſ. 7. Quin & cuſtodiæ in tertium diem mancipati ſunt: Numquid hæc vltio eſt, ô Ioſeph, ob antiquum facinus, cùm Iſmaëlitis vendiderunt fratres? Sed conſidera obſecro virorum Sapientiſſime, Nam & ſenes Pharaonis prudentiam doces, quoniam niſi per fratrum acerbitatem; in hanc tam excelſam, quâ toti Ægypto dominaris, nunquam veniſſes fortunam: illorum inuidia tibi ad Beatitatem ſemitas ſtrauit: ſolet felicitatis occaſio memoriæ dulcis eſſe, quanquàm infauſtis nonnunquam orta initiis: cur igitur adhuc toruus, & flecti difficilis mitiſſimus Princeps? Exitus rerum ſecundarum Amicos cenſendos, non Hoſtes, monet. Sanè nec ignorabat Ioſephus fratrum liuorem gloriæ illi ſeminarium extitiſſe: Sed aliud eſt ſponte beneficio affeciſſe: aliud incoactè & præter ſpem, omnémque opinionem, emolumentum attuliſſe: fratrum ira ſubuexit, venditio beauit: Sed quoniam nihil illi minùs concupierant, quaſi vt frater præeſſet; imò huius ſuſpicio in furorem adegit: idcircò nec gratiam rependit, nec quaſi beneuolos colit: Baſilius Seleucienſis oratione 8. in Ioſephum: *Nam inuiſis illis, ſomnijs per imprudentiam ſubſeruiunt:*

Geneſ. 42. 7. *Licet fratrū inuidiæ & inhumanitati ſuam in Ægypto exaltationem deberet Ioſephus, ijs tamē de hoc beneficio coacto gratias habere nō debuit?*

Baſil. Seleuc.



*ſubſeruiunt: inuiti, Ioſephi ſomnijs operam commodant: viam, quà vera euadant ſomnia, venditionem moliuntur:* Igitur, quod à fratribus profectum eſt Boni; inuitum, atque coactum fuit: non eſt quòd gratias agat quaſi Amicis Ioſeph: non enim ab illis Amicitia, ſed à Deo mirabiliter per contraria operante ad laudem, & exaltationem famuli ſui: nec tamen deſiit & fratres citò officiosè complecti, ne quid irarum clementiſſimo ſeruaſſe ſub pectore videretur.

77. Diſceſſurus ad montem cum Iſaaco Abraham, Saram coniugem nihil alloquutus eſt: Cur vt valedicat Matri, Puero negat? Cur vltima Genitricis vetat oſcula? *Vereor* (ait Patriarchæ nomine Baſilius Seleuciæ oratione 7.) *ne Pueri furto materiam ſubtrahat obſequendi Deo iubenti: Vereor, ne lachrymis ſacra fœdet, ne Puero complorato iniuriam imperanti arroget; ne vultu confuſo ſacra diſijciat, Deóque vim afferat, ne mente infractâ rei tam ſtupendæ gratiam ſpoliet: ego poſt iugulationem lamentantem alloquar,* &c. Nec miror quidem timuiſſe Abrahamum, ne vnius filij genitrix, eiúſque Adoleſcentis omni probitate conſpicui, viam tentaſſet celandi Pueri: Sed illud, quid eſt, quod aſſerat: *Timeo, ne lachrymis ſacra fœdet:* Nam indecori ecquidnam fletus attuliſſet victimationi? Equidem ſignificaſſent lachrymæ Matris, quaſi inuitam, & coactam dimittere illam à ſe Puerum: quare propterea genitor ipſe, vt ibi teſtatur Seleucienſis: non gemuit, non illachrymauit, non naturæ vi fractus eſt: fuiſſet autem ſacrificij nobiliſſimi labes quædam inuoluntarium cenſeri aliquo modo: ne itaque à ploratu Matris næuo corrumperetur aliquo, dum illa putaretur non libens offerre; idcircò luminibus ſubtraxit maternis: atque hoc eſt; ne à muliebri planctu fœdarentur ſacra. Audiamus, & quid ſcribat de Patriarcha etiam Zeno Veronenſis ſerm. 1. de illo: *Lætatur Pater filio quoque gaudente: & cum gaudio vnici Pignoris, alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert: Pedes quoque conſtringit ne in exitu Mortis concitata Victima calcitraret: Securus enim Pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem:* Sed quid ſi calcitraret Hoſtia ſub vitæ exitu? Quæ culpa actionis à natura proficiſcentis, non à voluntate? Sanè nullum id vitium immolandi fuiſſet: Sed quoniam tamen renitentiæ cuiuſdam exterior nota eſſet: ne quid aliquo modo incoactum illo in ſacrificio, quod omnibus modis abſolutum cupiebat Abraham, appareret; aduersùs Naturæ impetum communiuit pedes iugulandi Pueri vinciendo.

Seleuc. *Suſceptum Abrahami de Iſaaco ſacrificium adeo fuit incoactū vt nullis ſiue Abrahami, ſiue Saræ lacrymis fœdatum fuerit.*

Zeno Veron.

78. Liberatus magnâ Tempeſtate, quâ Prouinciarum omnium incolæ abſorpti ſunt, Noë, ſimul ac Tellurem cum Paucis Mortalium ſociis, veſtigiis preſſit: *Ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit Holocauſta ſuper altare,* Geneſ. cap. 8. verſ. 20. Ac ſanè, cùm Noacum Deus de pluribus erudierit, & facienda multa præſcripſerit, nihil de offerenda victima pro emenſis periculis intimaſſe legitur: Quamobrem tacuit de ſacrificio Numen? Primùm: ne ob compenſationem diluuio vindicaſſe intelligeretur: plenè benefacit Deus, nec Commodis mouetur: Scit quidem Noëmum erudire, quemadmodum fluctus ſuperet: noluit indicare vt remuneraret: Satis eſt miſericordiæ benefacere: Quæ retributionem aucupatur, cupiditas eſt. Secundò, vt actionis gratiarum vberem viro iuſto ſuppeditaret materiam: Quod enim Hero demandante famulus præſtat, benè id quidem, ſed non nimiæ laudis ſeges, coërceri enim gloriatio illis verbis poſſit: ſerui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus: ſi quid verò vltrà imperium Domini, tum abundans encomium, vt qui id perpetrarit, quod non exigebatur ab illo: talis igitur vt famulitij aliquid exhiberet Noë, ceſſauit Dominus ſacrificium imperare: Ambroſius de Noë, & Arca cap. 22. *Qua ratione ſuprà Dominus admonuit, quæ faceret, & fecit Noë omnia: hoc autem, quod non admonitus eſt, fecerit, fortaſſe requiratur: ſed vtique Dominus non debuit quaſi auarus mercedem gratiæ poſtulare: & iuſtus eam intellexit veram actionem gratiarum eſſe, quæ non iuberetur, ſed deferretur: itaque nec dilationem paſſus eſt: etenim grata animi virtus Paſſionem dubitationis excludit: qui autem debitum gratiæ vt à ſe exigatur, expectat, ingratus eſt.* Neſcio autem vndenam Ambroſius hauſerit lectionem aſſerentem; *ædificauit Noë altare Deo:* Nam vulgatus, & LXX. & Chaldæus: Recentiorum quoque verſiones habent: *ædificauit altare Domino:* iuxta ſuam Tranſlationem Sanctus Doctor myſterium venatus: Domini enim vocabulum imperij, atque poteſtatis eſt: vt igitur indicaret, liberam ſe relinquere Noëmo ſacrificij rationem, nec exigere pro inſita facultate Hoſtiam, Domini ſubtraxit appellationem: *Quod autem ædificauit, inquit, Deo: & non dixit Domino: ſed Deo: ſecundum nominis interpretationem, non coacta videtur hæc actio eſſe gratiarum, ſed virtus iuſti morigera & gratia quaſi Deo: quod imperiale eſt ſequeſtrauit: quod beneficij, nominauit.* Simile hoc omninò eſt, quod Iſaiæ contigiſſe monſtrauimus num. 75. cui Deus legationem noluit imperare, ſed optionem permiſit, occaſionem præſtans gratificandi Domino: quod etiam conſiderare Ambroſius non deſiit, Octonario 14. in Pſalm. 118. in illa: *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine,* &c. *Quod ſit iſtud voluntarium oris ſacrificium, recognoſce: immola, inquit Deo ſacrificium laudis: expectat Dominus voluntarios Miniſtros: denique in libro Iſaiæ dicit Dominus: quem mittam? vtique ſeruulo ſuo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, inuenerat: ſed maluit eum ſpontaneæ oblationis non fraudare mercede, quia vt ipſe ſe offerret, præſtolatus eſt: vnde ſe offerens Eſaias ait: Ecce ego, mitte me: & ſic poſtea miſſus eſt ad populum: etenim quaſi voluntarium organum, vberiore Spiritus ſui gratiâ Chriſtus impleuit.*

Geneſ. 8. 20.

*Cùm multa Deus Noëmo præſcripſerit, nullum tamen verbulum de offerenda ſibi poſt diluuium victimâ: quò voluntarium Noëmi ſacrificium gratius foret.*

Ambroſ.

LXX. Chald.

Ambroſ.

VESTIGA

# VESTIGATIO XV.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum decimumtertium Capitis primi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus* : Botrus Cypri Dilectus meus mihi, in Vineis Engaddi. *Cap.1. verſ 13.*

*Grauis quæſtio, quæ de Botro Cypri: Num Camphora? An Dactyli genus quoddam? Iudæa, Palmetis diues: Cypri Inſulæ nomen in Scripturis: Qualis Cypri Arbor? an præſens de illa verſus? Engaddi ſub Ierichuntino Tractu? Balſamum quod gignit viti ſimile: odor ſuauiſſimus; fœminarum delicijs, & nuptialibus pompis ſubſeruit: De eône Salomon loquitur? LXX & vulgatus Hebræa vocabula ſua quandoque accommodantes Interpretationi.*

### Sectio I.

1. *Conſtructio huius verſus difficillima.*

SI quis in toto Epithalamio abditæ & difficilis conſtructionis locus, maximè hic de Botro Cypri: omnes ſe ignorare fatentur, quid vox Originalis כֹּפֶר *Copher* denotet in ſpecie: tantùm in genere pertinere ad aromaticam ſylam conſentiunt: iam verò neque minus

LXX.

inuolutum eſt quid L X X. voluerint reddentes τȣ̃ κύπρȣ: Vulgatus quoque interpres eos ſequutus, expreſſerit *Botrum Cypri:* Quare neceſſum fuit in multas diſtrahi factiones, qui Hymenæum exponere tentarunt: Nec deſerenda hæc Contentio quaſi de lana caprina digladiatio inſtituatur: Quam excidiſſe Phraſim Franciſco Titel-

*Franc. Titelmannus alioquin modeſtiſſimus, hic de lana caprina quæſtionẽ eſſe non bene dixit.*

manno cùm hanc abſolueret Controuerſiam, prorſus obſtupeo: eſt enim æquè modeſtiſſimus vt doctus ſcriptor: Num certè de lana caprina eſt concertatio eius, quem Spiritus ſanctus ſuis in verbis intenderit, veſtigatio ſenſus? Sed parum, inquias, referat, quid Grammaticaliter ſibi præfixerit declarandum, dummodò Allegoriæ pateſcat vis, quæ in diuina & ſpiritalia dirigitur! At quænam Allegoriæ, myſticæve ſignificationis poteſt eſſe conſtantia ignorato Hiſtoriæ Cortice? Si enim, verbi causâ, à Balſami effectibus deriuanda eſt interior cogitatio vel de Eccleſia, vel de Iuſti anima, aut ipſo de Chriſto; ſi minimè Botro Cypri quadrare Balſami pretioſas quanquàm guttas oſtendatur, quo pacto ſolida eſſe valeat, falſo, atque inani ſuperſtructa fundamento Allegoria? & ſic quidem plurima in Bibliorum ſacris codicibus faſtidire liceret, ſi Hiſtoria, quòd de rebus agat, quæ ſecundùm internam conſiderationem non magni videantur eſſe ponderis, contemnatur: Denique, & quorſum Spiritus ſanctus, qui hæc manifeſtare poterat, abſcondere maluerit; niſi vt Eccleſiaſticis ingeniis, laborandi religioſo conamine, anſam ſuggereret? itaque maneat Prouinciam eſſe nobiliſſimorum ingeniorum dignam explorationibus: noſtrarum partium erit, non ad contentionem diſputare, ſed pro exerenda veritate: proponemus lectori & quæ dicta ſunt fermè adhuc, ſed amplificata: aliquid etiam indictum: ſtabiliemus potiora, reiectantes inualida, vt in magna opinionum ſegete, quod pulchrius, quod fortius apparuerit; vnuſquiſque aſſumat.

2. *Quid Hebræũ* Copher? *Num Camphora?*

Nonnulli Hebreæ Dictionis ſono ſtimulati, arbitrati ſunt eam ſignificari aromaticam ſpeciem, quæ *Capur* dicitur Arabum idiomate, & nos *Caphuram* ſeu *Camphoram* dicimus: Quid enim aliud *Copher* Hebræum proximius denotet? Hanc aliis prætulêre ſententiam Titelmannus, & Ioannes à Ieſu Maria: probabilem cenſuit Ludouicus de Sotomaior: Hæc opinio ſolâ vocis alluſione commendatur. Quod deſcribit Salomon Aromatis genus, Botris luxuriat: nihil eiuſmodi in Caphura: Arborem Nuci iuglandi affirmat Garcias de Horta libro 1. Aromatum Hiſtoriæ, cap. 9. Ioannes Renodæus libro 1. de Materia Medica, ſectione 9. cap. 2. ſimilem eſſe: vterque latuiſſe omninò veteres Græcos teſtatur: neque eſt vnde fautores communire valeant Iudæis cognitam fuiſſe: certè & de qua loquitur ſeu ſtirpe ſeu Planta Hymenæi Auctor, ea Engadditano naſcebatur in Tractu: Quis autem ſcriptorum meminit Caphuram ibi progenitam eſſe? Coniungamus cum hac opinione alteram, quæ inter Rabbinos Patronum ſortita eſt Aben Ezra, nec plenè tamen quid ipſe iudicet profert: dicit aſſerere quoſdam *Kopher* Dactylum Palmarum fructum eſſe: equidem hæc fortaſſe ſententia multò venuſtior apparebit, confutatâ à nobis de *Camphora*: ei quam poterimus gratiam conciliabimus: ergo Palmetis fertilem extitiſſe ſeu Planitiem ſeu colles Engadditanos Ioſephus Pronunciator eſt libro 9. Antiq. cap. 1. loquutus de vrbe Engaddi, inquit: γίνεται ἐν αὐτῇ φοίνιξ ὁ κάλλιςος, καὶ ὀποβάλσαμον: *cuius Tractus egregia Palmeta & opobalſamum producit:* Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis: *Percuſſerunt omnem Regionem Amalecitarum, & Amorrhæorum ſedentem*

Titelmann. Ioann. à Ieſu Maria. Sotomaior. De Horta. Renodæus. Ab Ezra. *Num* Copher *Dactylus Palmarum?* Ioſeph.



*in Aſaſon Thamar: Hoc oppidum eſt, quod nunc vocatur Engaddi, Balſami & Palmarum fertile:* Similia habet in Epitaphio Sanctæ Paulæ, & ad c. 27. Ezechielis: idipſum Strabo libro 17. Ariſtæas in Hiſtoria L X X. Interpretum, Diodorus Siculus Biblioth. libro 19. Solinus cap. 38. Plinium ſequutus lib. 5. cap. 17. Qui vniuerſim de Regione libro 13. cap. 4. ait: *Iudæa verò inclyta eſt vel magis palmis:* Quod autem Botri figura eius eluceret in fructibus, idemmet Plinius recenſito capite: *Pomum eſt, non inter folia vt in cæteris, ſed ſuos inter ramos palmitibus racemoſum, vtraque natura Pomi, atque vuæ:* Igitur, quæ hactenus vnguenta pollicebatur in diem genialis ſympoſij: modò & ad ſecundarum Menſarum lautitiam, quibus Bellaria apponuntur, Dactylos promittit: vel aſſerit quidem, Sponſo comblanditura, tam ſibi eius iucundam, & ſuauiſſimam eſſe Præſentiam: quàm ſint dulces Palmarum fructus edentibus.

Strabo. Ariſtæas. Diod. Sicul. Solin. Plin. Idem.

3. *Cur Dactylus Cypri Botrus?*

Eſto autem Dactylo quadret Botrum nominari, cùr Cypri Botrus? Sanè Palmarum in Cypro peculiare quoddam genus, de quibus Theophraſtus libro 2. Hiſtoriæ Plantarum c. 8. *In Cypro* (inquit) *genus quoddam Palmarum ſingulare eſt, cuius fructus nunquam matureſcit: crudus tamen ſuauis apprimè dulciſque eſt, dulcedinémque ipſam peculiarem ſortitur:* Plinius allegato libro 13. cap. 4. *Quibuſdam tamen in locis, vt in Cypro, quanquam ad maturitatem non perueniat, grato ſapore dulcis eſt:* Cùm itaque à Palæſtinæ maritimis non longè diſtaret Cyprus: Salomon autem viridariorum ſtudio teneretur, vt ipſemet prodit cap. 2. Eccleſiaſtæ, veriſimile eſt peregrinam Palmarum ſpeciem ex Cypro ad eum nauigationibus delatam eſſe, quam Engadditano in campo cùm ſeuiſſet, feliciter prouenions, vulgi rumoribus celebrata eſt, & à genuina Natiuitatis origine appellatione deſumptâ, vocata eſt *Palma Cypri*; fructúſque, quod vuam imitaretur, *Botrus Cypri* dictus: eſt autem hoc loco Græcorum Patrum celebris explanatio de Botro floritionis: nam vox Græca κυπριάζω Latinè idem ſonat, quod *floreo* & κυπρισμὸς *floritio* dicitur: quare infrà cap. 7. verſ. 12. vbi Ordinarius interpres: *ſi flores fructus parturiunt:* L X X. εἰ ἤνθησεν ὁ κυπρισμὸς: hinc illi τȣ̃ κύπρȣ legentes apud Septuaginta Interpretes, de Botro conſtruxerunt, qui nondum maturitatem conſequutus, in flore & adoleſcentia adhuc eſt: Origenes homilia 2. ex duabus: item ſecunda ex quatuor ſub fine: Nyſſenus hom. 3. in calcem: Theodoretus, ciúſque interſerti Commentario Pſellus, atque tres Patres, Philo Carpathius: belliſſimè verò hæc aptantur Dactylo Palmarum Inſulæ Cypri: nam vt perſpeximus ex Theophraſto, atque Plinio, nunquàm matureſcit; dulcis tamen eſt, atque ſapidus. Quamobrem floritionis rectiſſimè Botrus: ſpecioſum autem eſt, quod eodemmet verbo & Inſula quæ progignit denotetur, & conditio ſeu natura fructus perpetuâ iuuentâ gaudentis, Cypri enim vtrumque dictione indicatur: & forſan immarceſſibiles Adoleſcentiæ annos Dilecto Sponſa optat, dum Botro Cypri aſſimilari cupit: Neque ſanè his quidpiam magis obſtare videatur; quàm, quod non Inſula Cypri Scripturarum phraſi *Kopher* vocetur, ſed *Cetthim* כִּתִּים: At ſanè tali vocabulo Cyprum indicari Inſulam non eſt vndequaque certum: Nam ſæpiùs generatim pro Inſulis Occidentalibus accipitur in Bibliorum

Theophraſt. Plin. *In Cypro Palmæ eximia.* *Palmæ fructus, quòd vuam imitetur Botrus dictus.* L X X. *Cyprus .i. flos.* Origen. Gregor. Nyſſen. Theodoret. Pſellus. 3. Patres. Philo Carpath. *Cettim* quid?



Paginis: ſpeciatim vero pro Italica Regione, Numerorum c. 24. v. 24. *Venient in Trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios,* &c. Ezechielis c. 27. verſ. 6. & *Prætoriola de inſulis Italiæ:* vtrobique in Hebræo eſt *Cetthim*: ſed eſto principaliùs Cypro cõuenerit à principe illius vrbis Cittio appellari Cetthim, vt volunt Delrius & à Lapide ad c. 10. Geneſ. v. 4. & innuunt Ioſephus lib. 1. Antiq. c. 6. Theodoret. ad præfatum Ezechielis verſum: dici etiam poterat *Copher*: Nam & *Kopher* Balſamum eſſe nõ ingratè admittunt interpretũ meliorum bona Pars: & tamen haud alio Scripturæ loco cum hac indicatur appellatione, ſed aliis inſignitum nominibus: ita igitur & Cyprus alibi Cetthim, vel aliâ nũcupatione: hîc tantùm *Kopher*: accedit Patrũ auctoritas Gregorij Papæ, Apponij, Bedæ, Bernardi ſerm. 44. in Cantica, Ruperti lib. 1. in eadem, Philippi Abbatis lib. 2. c. 12. Honorij Auguſtodunenſis, Sancti Aquinatis, Ioannis Halgrinij, Thomæ Ciſtercienſis, Angelomi: ex Neotericis aſſentiuntur Titelmannus, atque Almonacyrius.

Numer. 24. 24 Ezechiel. 27. 6. Deltio. A Lapide. Ioſeph. Theodoret. Gregor. Aponius. Beda. Bernard. Rupert. Philipp. Abb. Honor. Auguſtod. S. Thomas. Ioann. Halgrin. &c.

4. Origen. *Cyprus virgultum Aromaticum, cuius fructus Botro ſimilis.*

Origenes hom. 2. ex quatuor Aromaticũ Virgultũ eſſe affirmat quod Cyprus nominatur, fructus portans viſu delectabiles, vuæ & Botrorũ ad ſimilitudinem: idem aſſeuerant Honorius Auguſtodunenſis, & Nicolaus de Lyra: ex Iudæis Rabbi Selemon Iarrhius: ex Iunioribus Genebrardus, Sotomaior, Luiſius Legionenſis, Tuccius pag. 91. & omnium enucleatiſſimè Giſlerius: equidem in Hierichuntino agro Cyprum cum Mirobalſamo gigni Ioſephus teſtatur lib. 5. de Bello c. 4. Hegeſippus lib. 4. c. 17. in Aſcalone apud Iudæam naſci perhibent ad verſ. 14. cap. 4. Canticorum Philo Carpathius & Beda: florem candidum & odoratum eſſe atteſtatur Plinius lib. 12. cap. 24. commendat florem à venuſtate, ab halitu & fragrantia, & vnguentum Regium ex Cypro confectum, præter memoratos duos Auctores ad verſ. 14. cap. 4. Canticorum adſtruunt Caſſiodorus, Honorius Auguſtodunenſis, Gillebertus ſerm. 36. Halgrinius Cardinalis: & aromaticam ſpeciem dicunt VVolbero atque Thomas Ciſtercienſis: Porrò Botris cognatos eſſe flores Cypri inde patet, quod vel Cyprus idem omninò ſit, quod liguſtrum, vel figuræ ſimillimæ, Plinio docente libro 12. cap. 24. & lib. 24. cap. 10. Cui adſtipulantur recentiorum Medicorum, quorum fama clarior, non exigua manus, quam colligit Guilielmus Rouillius, quibúſque aſſociatur tom. 1. Hiſtoriæ Generalis Plantarum lib. 2. c. 60. Liguſtrum autem propter racemos & Baccas, proximè vuas Botris conglobatas refert: candidũ flori colorem eſſe memorat, & ſpirare ſuauiter: Sed & idẽ rursũ in Appendice ad ſecundũ Hiſtoriæ ſuæ Plãtarum volumen, Cyprum, quã liguſtrum Latini appellãt in Germania à ſe conſpectam pronunciat, de qua ita prodit: *Hanc* (ait) *Turci, ac Mauri propter gratum, ac ſuauem odorem Muſcho ſimilem, quem flores exhalãt, diligenter in vaſis cuſtodiunt: & hyeme, ne frigore pereant, in cubiculis & ſubterraneis locis ſeruant:* Approbo autem eruditam Vincentij Riccardi induſtriam, qua ſatis demonſtrat, longè diuerſam eſſe hanc Cypri arborem ab illa, quæ Balſamum ſudat: oſtendit Notis ad Cantacuzeni in Salomonis Hymenæum Commentarium num. 41.

R. Sal. Iarrh. Genebrard. Sotomaior. Legionenſ. Tuccius. Giſler. Ioſeph. Hegeſipp. &c. Caſſiodor. Gilbert. Plin. *Cyprus idem quod Liguſtrum.* Rouill. Vincent. Riccard.

5. Quid igitur vetet, hanc arborem Cyprũ eſſe? Primò, Nemo eſt qui diſſentiat *Kopher* aromaticam aliquam arborem in genere ſignificari, quanquã differentia ignoretur: atquin Cyprus, vt perſpeximus, inter virgulta aromatica numeratur: Deinde & Verbo *Copher* affinis eſt Cypri vox: Po-

ſtremò, ſimilis eſt vuæ Botro, & eã Iudæa fert: Duo opponi valeant: liguſtrũ, quod idem eſſe cum Cypro iudicamus, vilius eſſe, quàm vt tanto in honore apud Sponſam, quàm Nardo pretioſiſſimæ Herbæ, & Myrrhæ arbori digniſſimæ annectat:

*Stabilitur hæc Expoſitio.*

Hæc tamen inania ſunt: Siquidem & infrà cap.4. v.14. cum Cinnamomo & Myrrha & Croco & Nardo, optimíſque Libani aromatibus atq; lignis Cyprus cõiungitur: Quid enim Virgo meditetur? de floribus manipulum colligare, quem naribus admoueat, ſinu recõdat, dextera portet, aut corollã fabricetur, vertice, collôve geſtandã? aptiſſima Cyprus ob lacteum colorem, ob halitum ſuauiſſimum: Sin maior eſt cupido olei ad cutẽ liniendam, Cyprinum etiam vnguentum de præclariſſimis eſt: Alterum, quod obiici poſſit, de loco natali eſt: Nam licet minimè negandũ ſit Iudææ prouenire finibus, ſed Engadditano gigni Tractu, quæ probent, deſunt: eſt autem hîc ſermo ſpeciatim de Botro, quem Vineæ Engadditanæ proferunt: Reſpondeo, Ioſephum & Hegeſippum, quos ſuper Cypri genitura in Ierichunte numero antecedẽti, non de ſuburbio Ierichuntino, aut proximis agris loquutos, ſed expreſſa formula de omni regione Ierichuntina, in qua regione, exceptâ Palmarum fœcundiſſimâ ſyluâ, Myrobalanum, & Cyprum enaſci referunt: & fortaſſe hæc eſt Regio, quæ

Hieronym.

Aulon dicitur, *vallis nimirum,* (vt Hieronymus effatur in Onomaſtico locorum & vrbium, Prouinciarúmque Iudææ totius) *grandis, atque campeſtris in immenſam longitudinem ſe extendens, quæ circumdatur ex vtraque parte montibus ſibi inuicem ſuccedẽtibus & cohærentibus, qui incipientes à Libano & vltrà vſque ad deſertum Pharan perueniunt:* in hac valle campeſtri ſitam Ierichuntem affirmat, Mare mortuum contineri quoque ibidem & per regiones in circuitu medium defluere Iordanẽ: Hanc planitiem alibi nuncupat conuallem illuſtrem ob Naturæ erga Tractum illum inſignem liberalitatem: Porrò & in hac eadẽ Valle Engaddi cernitur:

Hieronym. Euſeb.

Hieronym. atque Euſebius in nominibus Hebraicis: *Engaddi* (inquiunt) *in Tribu Iuda, vbi abſconditus eſt Dauid in ſolitudine, quæ eſt in Aulone Hierichus, hoc eſt in regione illa campeſtri, de qua ſuprà diximus: Vocatur autem vſque hodie vicus prægrandis Iudæorum Engaddi iuxta mare mortuum, vnde & opobalſamum venit, quas Vineas Engaddi Salomon nuncupat:* intra huius igitur regionis ambitũ cùm Engaddi claudatur, ibi quoque Cyprum enaſci putemus: ſin autem aſſignati Termini modum vincãt, breuiori limite conſtringamus, & aſſeramus Tractum Iericho eſſe ſolùm eius planitiem: Huius tamen ſpatia exigua non ſunt: Nam ex Saligniaco obſeruat Adrichomius in Benjamin, num.82. lata fuiſſe decem Milliaribus, longa autem viginti: certè *Quadraginta Pugnatorum millia per turmas, & Cuneos incedebant per plana atque campeſtria vrbis Iericho,* Ioſue cap.4.v.13. Sic igitur cùm diffunderetur Ager, pertingebat vſque ad Engaddi: Quippe vt Adrichomius in Iuda docet n.218. Segor, quæ de Pentapoleos vrbibus incendio liberata eſt, à Iericho quinque leucis diſtat: à Segor autem vnius leucadis iter eſt ad Engaddi ſupra mare mortuum, vt ſcribit Brocardus Deſcriptionis Terræ Sanctæ 1. Parte c.7.§.39. ac quidem ante ſulphureos ignes nihil Pentapolitanâ glebâ felicius: erat enim *ſicut Paradiſus Domini,* Geneſ. c.13. v.12. manſêre itaque in Segor & vicinis Engaddi montanis ſemina illuſtria priſcæ vbertatis: Quare & Cyprum habuerit, quemadmodum opobalſama & Dactylorum genera: Ac ſanè iſtiuſmodi hæc eſſe videantur, quæ ſpecioſam hanc reddant opinionem, vt fortaſſe in materię præſentis Controuerſia, nihil veriſimilius referatur.

Adrichom. Ioſue 4.13.

*Engaddi prope Pentapolim.* Brocard.

Gen.13.12.

6\. *In Engaddi Balſamum.*

Celebre Pronunciatum eſt de Balſami lachryma: Veteres docuêre plurimi: Engadditanum ſolum Balſama ferre memorant Adamantius homilia 2. ex quatuor: Ambroſius Octonar. 3. in Pſalm.118. ad verſ. . Gregorius Papa, Apponius, Beda, Bernardus ſerm. 44. Philipp. Abbas libro 2. c.12. VVolbero, Angelomus, Honorius Auguſtodunenſis, Halgrinius, VVilleramus, Gloſſa ordinaria; Ioſephus Flauius cum Hieronymo relati n.2. Bernardus §. antecedenti allegatus ante quadringentos ferè annos de ſuo adhuc æuo: *In circuitu autem Montis, & in ipſo vinea Balſami erat: ſed Herodis Magni tempore Cleopatra Ægypti Regina in odium ipſius Herodis tranſtulit in Babyloniam Ægypti: ſunt tamen etiamnum ſurculi vinearum, valdè nobiles in Engaddi, vt ad Literam verificetur, quod ſcribitur in Canticor. c.1. Botrus Cypri Dilectus meus mihi in Vineis Engaddi.* Rarus tamen fuit, qui diſtinctè aſſeruerit Botrum, de quo Textus, Balſami eſſe: docuêre ex Recentioribus S.Thomas de Villanueua breui Commentario huius Epithalamij, Sotomaior in longa Explanatione & in Notis Breuioribus, Giſlerius, Gaſpar Sanctius, Franciſcus Moncæus lib.2. lucubratione 5. Vineam autem appellari Hortum Balſami Patres nominati plerumque aſſerunt, quòd vinearum in modum effoderentur, amputarentur luxuriantia: Plinius libro 12.cap.25. de figura Arboris: *Viti* (ait) *ſimilior eſt, quam Myrto: malleolis ſeri dicitur: nuper vincta vt vitis, & implet colles vinearum more, quæ ſine adminiculis ſeipſa ſuſtinent:* tranſcripſit Plinium Venerabilis Beda: Ioannes Leo Deſcriptionis Africæ lib. 8. de Amalthriæ ſolo propè Cairum: *In quo* (inquit) *vnicæ arboris Balſamum ferentis Hortus, quæ in medio lati fontis inſita, humilem truncum gerit, folijs vitem referens, ſed breuioribus; Quam protinus exarituram dicunt, ſi fontis aquam diminui contingeret.* Teſtatur & à fide dignis Auctoribus, qui hortum propè Cairum intrauerunt, accepiſſe ſe Franciſcus Titelmannus ad hunc verſum, *Virgulta eſſe in longum porrecta, illis ſimilia, in quibus Botri creſcunt, qui apud nos vulgò dicuntur Botri Sancti Ioannis.* Diuerſus arbori vultus in Mexicana Prouincia; ſed odor & virtus admirabilis: forma Malogranato ſimilis: effectus autem nihilo inferiores laudatiſſimo Cairi Balſamo: recenſet Nicolaus Monardes libro ſimplicium Medicamentorum ex nouo orbe delatorum: & noſter Acoſta lib. 3. Naturalis Hiſtoriæ Indiarum cap.28. in Braſilia etiam prouenire noſter Maffæus Hiſtoriæ Indicæ lib.2. perhibet; cuius odor ſuauiſſimus, cuius ad curanda vulnera, ad cicatrices tollendas eximia virtus: cuius denique affrictu venenum Animalia depellant.

Origen. Ambroſ. Aponius. Beda. Bernard. Philipp. Abb. VVolbero. Angelom. Honor. Auguſtod. Halgrin. VVilleram. Gloſſa Ordin. Ioſeph. Hieronym. Brocard.

Thom. de Villanoua.

Sotomaior. Giſler. Sanchez Moncæus.

*Hortum Balſami Vineam vocant plerique quòd eam Balſamum referat.*

Plin. Beda.

Ioan. Leo. *Balſamum Botro ſimile.*

Titelmann.

*Balſamum Mexicanum.*

Monardes.

Acoſta.

Maffæus. *Balſami virtutes.*

7\.

Cùm igitur Balſami flori conueniat Botri ſimilitudo & vitẽ arbor referat: Quando ex omniũ penè ſententia in Engadditano Tractu opobalſamum gigneretur, & Hieronym. atque Brocardus, qui loca Sancta perluſtrarunt, ad has alludere vineas Salomonem iuxta Literæ ſenſum dicant, cur timeamus de Balſami flore præſentem intellexiſſe verſiculum? Equidem vt ad Sponſum, eiuſque amicos cætera ſpectarent opera nuptialis apparatus: tamen, quod muliebris erat officij, Sponſa vnguentorum Prouinciam ſuſcepit: Quid autem inter vnguenta vniuerſa nobilius Balſamo? *Sed omnibus odoribus præfertur Balſamum,* ait

Hieronym. Brocard.

*Balſami odor præſtantiſſimus.*



Serar.

*Balſamum vnde dictum?*

ait Plinius lib.12.cap.25. Quare Serarius lib.2. in Ioſue quæſtione 4. in cap. 2. arbitratur *Balſamon* nuncupari, quaſi *Baal-ſchemen,* hoc eſt Princeps vnguentum, & quod inter cætera omnia dominatur, quod probat ex Thargo: atque Andreas Maſius in cap.2. Ioſue, nomen Iericho ab optima Balſami fragrantia, quo abundat, inditum ſuſpicatur, quod à Gorione Ioſepho cap. 51. mutuatus fuerit, vt memorato loco Serarius addocet: Ioſephus Flauius Antiq.lib.14.cap.7. inter vnguenta præcipuum nuncupat. Eccleſiaſtici cap.24. v.21. *Et quaſi Balſamum non miſtum odor meus:* in deliciis muliebri ſexui ad emolliendas veſtes, ad ſuaue ſpirandum: Tertullianus de Pallio cap. 4. loquutus de Hercule cum fœmineo Omphales amictu, déque illa Leonis induente Pellem: *Ne ſobriæ Mulieris quidem, aut Viraginis alicuius ſcapulæ ſub exuuijs Beſtiæ tantæ introire potuiſſent, niſi diu emollitas, & euigoratas, & exodoratas, quod eſt apud Omphalem balſamo, aut telino ſpero factum.* Apuleius Metamorphoſ.lib.2. de fœmina capillis nudata: *Licet omni gratiarum choro* (inquit) *ſtipata, & toto cupidinum populo comitata & Balteo ſuo cincta, Cinnama fragrans & Balſama rorans; calua proceſſerit, placêre non poterit.* Nec ſine tantis odoribus, abſque nobiliſſimo ſucco genialis pompa: Claudianus in Epithalamio Palladij & Serenæ:

Maſius.

Gorion Ioſeph. Serar.

Flau. Ioſeph.

Eccli. 24. 21.

*Balſamum mulierum delicijs ſeruit.*

Tertullian.

Apuleius.

*Balſamum in nuptiali põpa.*

Claudian.

*Gemmatis alij per totum Balſama tectum*
*Effudêre Cadis.*

Apuleius.

Apuleius rursùm Mileſior. lib.6. de nuptiis Pſyches: *Horæ Roſis & cæteris floribus purpurabant omnia: Gratiæ ſpargebant Balſama:* Sidonius Apollinaris Carmine vndecimo, Epithalamio Ruricij & Iberiæ:

Sidon. Apollin.

*Sic ventum ad thalamos; thus, Nardus, Balſama, Myrrhæ*
*Hîc ſunt.*

De hoc igitur vnguento, quod & mulieribus tam charum, atque amantiſſimum ſit: quod Connubialia exhilarabat gaudia: quod tuliſſe Engadditanas vineas, certum eſt: Hymenæi exponendus Textus.

8\.

*Num Saba Regina Balſamũ Iudæis prima oſtendit.*

Obiectant primò: cùm à Salomone Epithalamij pangeretur Carmen, nondũ in Iudæa cognitos Balſami ſurculos: Quippè, vt Author eſt Ioſephus lib.8. Antiq. cap. 2. Balſamum Palæſtinis Regina Sabæorum prima oſtendit, cùm videndi Salomonis ſtudio Peregrinationem ſuſcepit, & Hieroſolymam adiit: ſed ante eius aduentum aut ſub id Temporis, priùs ſanè quàm Engadditanos colles repleſſent Balſami Virgulta, ſupponimus Anteloquio 1. ſectione 8. à num.61. compoſitum eſſe à Salomone Hymenæum: Non igitur de hac arbore ſermo eſt. Reſpondeo. Ioſephum, dicere ſolùm famâ & rumore quorundam percrebruiſſe delatum à Regina Auſtri in Iudæam Balſami Ramum: λέγουσι δ' ὅτι καὶ τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν: *Aiunt etiam, quod Balſami Plantam, cuius hodiéque ferax eſt noſtra Regio, illius Reginæ munificentiæ ferre acceptam oporteat.* Quod ſi aſſeueraſſet ipſemet, ne tamen ſatis fidus omninò cenſendus fuiſſet Narrator, quod firmè ſibi non conſentiat: Nam in hoc, quod de Balſamo eſt verſatus argumento lib.15. Antiquit.c.5. ſcribit: Balſamum, quod vnguentorum longè pretioſiſſimum ſit, in Hierichuntino agro tantùm reperiri: & tamen de Engadditano Tractu docuerat libro 9. Antiquit.cap.1. propè initium, Palmeta & Balſamum ferre: inſuper & de Ierichunte, Ca-

Ioſeph.

*Hic non ſibi ſatis conſtat Ioſephus.*



ptiuit. lib. 5. cap. 4. memorat: æſtiuis caloribus ſic peruſtam eſſe Regionem, vt nihil facilè procedat, aut pullulet vel vt Ruffinum emendant aliqui legentes: *vt nemo facilè ferat,* æſtus ſcilicet vim: ſtatímque pauciſſimis interiectis verbis, cœli Temperiem plurimùm commendat: ſed eùm propè diuina ob rerum ſingularium vbertatem, campeſtria illa dixerit eodem loco: *Cauſa* (inquit) *mihi videtur Aquarum vis læta, & aëris Calor:* atquin his adiumentis ſemper potita eſt Ierichuntina Gleba: ſemper igitur produxit eoſdem fructus. Denique longè ante Salomonis ætatem Iericho dicta eſt vrbs, iam tum cùm expugnabatur à Ioſue: ſed inditum Ciuitati nomen ob Balſami prouentus, nonnullos exiſtimare monſtrauimus Numero antecedenti.

Idem.

9\. LXX. Regula.

*LXX. & vulgatus Interpres ipſa nomina Hebræa aliquãdo loco interpretationis exhibent.*

Opponunt deinde: ſi Botrum *Copher* de Balſamo intellexerunt LXX. & vulgatus Interpres, cur non expreſſerunt Græco aut Latino proprio vocabulo? Cur id vniuerſim contingat, diſce ab Auctoribus, quos allegaui Tom.1. Anteloq.9. ſectione 6. numero 68. equidem in hoc Cantico ſatis exemplorum eſt, quæ congerit ad hunc verſum Vincentius Riccardus Notis ad Matthæi Cantacuzeni Commentarium n.41. Nam cap. 4. verſ.4. vbi noſter: *Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis:* Septuaginta retentâ Hebræâ dictione: *Quæ ædificata eſt in Thalpioth.* cap.5. verſ.14. Latina habent: *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis:* LXX. adſcitâ Hebræâ voce: *Manus eius aureæ, tornatæ, impletæ Tharſis.* cap.7. verſ.1. apud Vulgatum: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in Calceamentis, filia Principis?* LXX. *filia Nadab:* idem ordinarius Interpres cap.8. verſ.11. *Vinea fuit Pacifico in ea, quæ habet populos.* Septuaginta: *Vinea facta eſt Salomoni in Beelamon:* Tum illud quoque obſeruandum eſt, LXX. ſolere nonnunquam Hebræa vocabula Græcæ accommodare pronunciationi, nihilo dempto veritati dictionum, qua in re & morem eis gerit Latinus Interpres: ſic quod in Hebræo eſt *Iehouà,* ſeu potius *Ieſuà,* apud eos Ieſus legitur vt ſuggerit Maldonatus ad cap. 1. Matthæi. Serarius libro 1. in Ioſue quæſtione 11. in cap. 2. ita & Salomon modò inflectunt, modò non declinant: Prouerbiorum initio cum Genitiuo efferunt, παροιμίαι Σολομῶντος υἱοῦ Δαβίδ: *Parabolæ Salomonis filij Dauid:* Titulo Pſalmi 71. cùm ſub accuſatiuo Σολομῶνα dicere potuerint, indeclinabilem oſtenderunt: εἰς Σαλωμών, ψαλμὸς τῷ Δαβίδ: *Pſalmus Dauid in Salomon:* Sic igitur *Copher* Hebræam vocem ita retinuerunt, vt ad Græcam adaptarent normam, transferentes: τοῦ Κύπρου: & vulgatus ad Latinorum ſonum: *Botrus Cypri.* Et ſanè Ezechielis cap. 27. verſ.17. quamuis Vulgatus *Balſamum* expreſſit, inquiens: *Iuda & Terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo: Balſamum, & Mel, & oleum, & Reſinam propoſuerunt in nundinis tuis:* LXX. *vnguenta* in communi verterunt: Hebræam retinuerunt vocem פנג *Pannag* trium aliarum verſionum Auctores; Aquila videlicet, Symmachus, & Theodotion: itaque Botrus *Copher,* idem quod Botrus Balſami.

Cant.4.4. LXX.

Cant 5.14. LXX.

Cant.7.1. LXX.

Cant.8.11. LXX.

Maldonat. Serar.

Pſalm.71.

Ezechiel. 27.17.

LXX.

Aquila. Symmach. Theodotion.

Rr 2 *Cypri*

*Cypri Inſulæ vbertas: Num inde Vitis Botrus ad Salomonem delatus: Vulgatus antiquæ ſignificata recentioribus vocabulis conueſtiens aliquando: Dotem Virgini an Pater, an futurus Maritus tribuerit? locus ex Prouerbijs & Actorum libro: Spõſæ Dos vinea Engaddi, num etiam Achor? In veſtibus priſcis multarum rerum figuræ ſubtextæ; florum, Herbarum, fructuum præſertim: Exodi verbis, Regum & Matthæi ſplendor: muliebre officium veſtium pictura; Tobias & Parœmiaſtes conſiderati: ficus Indica, alio nomine Pomi Paradiſi indagatio: Num Arbor ſcientiæ Boni & Mali? an de ea Textus intelligendus?*

## SECTIO II.

10.
*De vua ſeu Racemo verſus hic intellectus.*
Origen. Theodoret. Pſellus.

DE Botro vero & genuino, vnde Bacchi liquor, non autem aromatico ſucco Origenes intellexit homilia 2. ex quatuor: & quidem de præcellenti quodam ſuauiter admodum ſpirante Theodoretus cum Michaële Pſello, & tribus Patribus, qui Cypri idcircò appellatum Botrum credunt, quòd in flore adhuc eſſet iuxta ſuperiùs propoſita numero 3. Quod fortaſſe vineæ tum dulciter halent, vt Epithalamium inſinuat cap. 2. verſ. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum:* Gregorius Nyſſenus idem ſenſiſſe viſus, atque Mattheus Cantacuzenus, nam ſimilem prædicant Botro, quem exploratores de Terra Chanaan reportarunt: Bernardus atque Philippus Abbas de Inſulæ Cypri racemo: Hanc inter recentiores roborare conatus Opinionem Delrio: At Cypri nomen nõ de Inſula conſtruendum putat, ſed de arbore, quæ vinea frequens, cùm eius odorem adnaſcentes propè Botri hauſiſſent medullitus, inde mutuatos appellationem, non autem quod Arbor, quæ Cyprus dicta, vuam ferret: equidem Cyprus ob glebæ maximas diuitias laudatiſſima veteribus Inſula, vt propterea Beatam nuncupare conſueuerint, vt aduertit Lorinus ad 19. verſum cap. 11. Actorum: Ælianus libro 5. Hiſtoriæ Animalium, cap. 56. Bonitate nihil Ægypto cedere affirmat: Strabo libro 14. *Virtute* (inquit) *nulli inſularum inferior: Nam & vino abundat & oleo: frumenti quoque ſatis habet: æris Metalla apud Tanaſſum abundant:* eius de vitibus multa Plinius libro 14. cap. 2. & 7. Quam non longè à Palæſtina diſſitã freto Mediterraneo aſſerit libro 2. cap. 88. Quid igitur cenſeamũs? aduectatum ex Cypro in Iudæam Botrum aliquem ſingularis Gratiæ, qui proinde ex antiquo originis loco Botrus Cypri appellatus ſit? ſiue munus detuliſſent, qui è longinquis veniebant prouinciis, Regis intuendi deſiderio, nam dona afferebant, Reg. 3. cap. 10. verſ. 25. Siue negotiatores pretio comparabant: & velut ex Coa equos adducebant eodem cap. verſ. 28. inſula extra Palæſtinæ ambitum: ita, cùm Monarcha vineas plantaret, vt docet ipſe Eccleſiaſtæ capite 2. verſ. 5. ſurculos quoſque lætioris Bacchi conquiſierint: neque id difficile, cùm iam Salomone imperante maria claſſibus vincere didicerint: & Iudæa nauibus opportunas ſtationes haberet, quam ob cauſam iis omnibus affluebat, quibus externa abundabant Regna, vt gloriatur Ariſtæas Narratione de LXX. Senioribus: *Nam neque vllius Rei* (inquit) *quæ mari aduehitur, indiget, quando opportuni illi Portus propiùs adſunt apud Aſcalonem, Ioppen, & Gazam.*

Cant. 2. 13. Nyſſen. Cantacuz. Bernard. Philipp. Abb. Delrio.

*Cyprus, Inſula fertiliſſima.* Lorin. Ælian. Strabo. Plinius.

*Num à Cypro Botrus in Palæſtinam delatus?* 3. Reg. 10. Eccliſ. 2. Ariſtæas.

11.
Regula.
*Antiqua ſignificata explicat interdum Biblicus Interpres recentioribus vocabulis rerum quarum non apud Hebræos vſus.*

Præbeamus tamen, non fuiſſe de Cypri Inſula tranſplantatos vnquàm Botros in Terram Chanaan, cur tamen eius ſiue Collis, ſiue agri Racemi hac exprimantur Phraſi, cauſam accipe aliquam: Moris eſt Interpreti, cùm Hebræa vertit, iis ſignificare vocabulis materiam aliquam, non quorum vſus in lingua ſancta exiſtat, imò rerum, quæ tum cùm Scripturæ editæ ſunt, nondum vigebant; ſed quæ tales ſint, quarum fama celebris ſit apud eos, quorum idiomate Tranſlator ſcripſerit: Iſaiæ c. 45. verſ. 9. *Væ, qui contradicit fictori ſuo, Teſta de Samijs Terræ:* cùm vaticinabatur Iſaias, figlinum Samiorum opus adhuc obſcuræ, nulliúſve potiùs famæ: ſed quoniam Interpretis æuo clarebat, adhibuit ad ſignificandum: Nahum cap. 3. verſ. 8. *Numquid melior es Alexandria Populorum, quæ habitat in fluminibus?* Vatis tamen ſæculo dicta vrbs eſt No, quæ longo emenſo interuallo ab Alexandro Macedone Alexandria vocata eſt; ſic & Pleïades, & Orion in libro Iob inueniuntur, quæ Hebræi ignorant, & pro Neomeniis dicuntur Kalendæ Romanorum conſuetudine: vide Riberam de Templo, lib. 5. cap. 2. Andream Maſium ad illud cap. 15. Ioſue: *Limes verò ad Orientem, &c.* Sanctium ad cap. 16. lib. 3. Regum in illud: *Emitque montem Samariæ, &c.* Cantapretenſem Annotatione ad caput 1. libri 6. Hypotypoſeon, Pinedam ad verſum 14. cap. 3. Iob. num. 2. Sic igitur, cùm LXX. Interpretum ætate Cypri Inſulæ commendatiſſimi eſſent Botri: laudaturus Engadditanas vineas, idoneo Græcis vocabulo, apud quos memorandus rumor de Cypri Inſulæ racemis, Cypri Inſulæ Botrum dixit, qui verè Engadditanus erat. Sed quamóbrem Dilectum ſuum Sponſa Botrum Cypri nuncupauerit? An ob fragrantiam? Verùm tam boni odoris eſſe vuas aliquas, quibus, Nardo & Myrrhâ, optimíſque vnguentis liberaliter delibutus comparari debuerit; incertum penitus eſt: Num, vt ceteris Hominibus decore præcellere indicet, vti Cypri Vineta ſuperant alia cuncta? eo pacto, quo inferiùs cap. 2. verſ. 3. *Sicut Malus inter ligna Silnarum; ſic Dilectus meus inter filios:* Num denique in genarum, vultúſque encomium, quibus ad ſimilitudinem matureſcentis Botri, ſuperueſtitus Rubore Candor, venuſtatem conciliet maximam? Ouidius 3. Metamorphoſ. in Narciſſi fabula:

Iſai 45. 9. Nahum 3. 8. Ribera. Maſius. Sanchez. Cantapret. Pineda.

*Cur Sponſus Botrus Cypri dictus?* Cantic. 2. 3. Ouid.

*Pectora traxerunt tenuem percuſſa ruborem:*
*Non aliter, quàm Poma ſolent, quæ candida Parte,*
*Parte rubent: aut vt varijs ſolet vua Racemis*
*Ducere purpureum nondum matura colorem.*

Fortaſſe hac laudatione regratiatur Sponſa Dilecto parem Beneuolentiam: nam in antecedentibus Sponſus verſu 9. de maxillis Sponſæ inquiebat: *Pulchræ ſunt Genæ tuæ ſicut Turturis.* Cant. 1. 9.

12.
*Sponſus dotẽ futuræ vxori ſoluebat.*

Quòd autem de Vineæ Botris hîc interſeratur mentio; videamus, num ad Sponſæ dotem reſpiciat Carmen: Nam ex veteris æui conſuetudine, non Pater Virginis dotem ſoluebat, ſed Maritus ipſe numerabat: cogebantur enim viri contoralem fœminam pretio emere: Tacitus de moribus antiquis Germanorum: *Dotem non vxor Marito, ſed vxori Maritus affert: interſunt Parentes & Propinqui, & munera probant:* Chryſoſtomus homilia 18. in Acta: *Quaſi ductâ vxore, vel ſponsâ, vel datâ Virgine: Sic erga Eccleſiam affectus ſis: dotem inſcribe illi.* In Scripturis plurima exempla: cùm enim Iacob profugus opes non haberet, ſeruitute ſe obſtrinxit pro Labanis filia: *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore, ſeptem annis.* Geneſ. cap. 29. verſ. 18. Sichem pro Dinæ nuptiis ad fratres illius: *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam quod petieritis*, Geneſ. cap. 34. verſ. 12. Dauid loquitur Reg. 2. cap. 3. verſ. 14. *Redde vxorem meam Michol quam deſpondi mihi centum præputijs Philiſtijm.* Elegans imprimis locus Salomonis Prouerb. cap. 31. verſ. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius:* eſt enim de optima Matrefamiliarum diſcurſus: Quæ cùm à Sponſo coëmenda eſſet, modò tamen illa egregia euadat, omne vincere pretium: inde & Actorum cap. 20. verſ. 28. Apoſtolus de Eccleſia Chriſti Sponſa: *Quam* (inquit) *acquiſiuit ſanguine ſuo.* Neque admodum incongruè hoc, ne quam ferociendi occaſionem procax fœminarum genus habeat, ſi incrementa Marito attuliſſet: Stobæus ſermone 68. *Haud vllum eſt grauius onus reuera vxore Dotem afferente copioſam:* De his Tiraquellus lege 4. Connubiali à numero 5. Pereira tom. 4. in Geneſim diſputatione 2. Pineda lib. 5. de rebus Salomonis cap. 2. §. 4. Sanchez in caput 2. Oſeæ: neque tamen vniuerſim factum, vt Maritus dotem præſtaret: ſoluebat genitor Virginis, ſocer Genero pendebat: Apud Senecam Rhetorem ſuaſoriâ 1. cùm Antonius Liberi Patris referret geſtum: *Athenienſes occurrerunt dicentes, ſe velle deſpondêre illi in Matrimonium Mineruam ſuam: Quibus imperauit mille Talenta in Dotem*, ſcilicet, quod Dotem ſubminiſtrare ad eum ſpectaret, qui Virginem deſponſabat: Seneca Tragœdus in Thebaide. Actu 4.

Tacit. Chryſoſtom. Geneſ. 29. 18. Geneſ. 34. 12. 2. Reg. 3. 14. Prouerb. 31. 10. Act. 20. 28. Stobæus. Tiraquell. Perer. Pineda. Sanchez. Seneca.

——————dona non auro, & graues
*Gazas ſocer, non arua, & vrbes dedit.*
*Dotale Bellum eſt.*

Iudicum cap. 1. verſ. 15. dat Caleb irriguum ſuperius & inferius Axæ filiæ, dotem nimirum: & Reg. 3. cap. 16. de Pharaone Ægyptiorum Rege: *Cepit Gazer, ſuccenditque eam igni, & dedit eam in Dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.*

Iudic. 1. 15. 3. Reg. 9. 16.

13.
*Dotis à Spõſo acceptæ memoriam ſuggerit Sponſa.*

Ergo ſodales Sponſi paulò antè promiſerant Torquem ex auri, argentíque admixtura, aientes: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento:* Ne itaque ad Sponſi munificentiam propiùs acceſſiſſe aliquo modo videantur; Dotis ab eo acceptæ memoriam ſuggerit, nempè Vineæ præcellentiſſimæ in Engaddi, ſeu Planitie, ſeu Monte: Ac quidem diximus ſuperiùs, Veſtigatione 7. numero 8. illis verbis: *Poſuerunt me Cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui*, ſignificari de vinea, quam Sponſæ Genitor occultâ liberalitate conceſſerit in Dotem: Verùm cùm præter omnem ſpem, quæ Agricolam Maritum cogitabat, inter optimates digniſſimum, Conſortem nacta eſſet; contempſit paternum munus Princeps, totiúſque Palæſtinæ optimis conceſſis vinetis, dotem largitus eſt tanti Herois dignam coniugio; Illa Sponſæ ipſius Hæreditaria vinea inter Libani iuga: Hæc, quam Dilecto acceptam ferebat, non longè à Iericho prope mare mortuum in Engaddi: Verùm & oſtendimus memorato loco, qualem, qualem eam à Genitore relictam vineam fratrum inuidiâ & rapinâ miſeræ ſubtractam: Quare ne ſpeciem Dotis Sponſo attulerit: ſubſtituit ille pro tenui vinea feracem, amplam, nobiliſſimæ propaginis: Dotis nomine conceſſum Sponſæ Engadditanum Tractum fusè commonſtrat noſter Sanctius in verſ. 5. huius cap. 1. ad illa: *Vineam meam non cuſtodiui:* numero 38. Putat inſuper Engaddi idem eſſe cum valle Achor, cuius de amœnitate, pinguiſſimáque glebâ laus eſt apud Iſaiam: Nam dum ſubuerſionem minatur, inquit cap. 65. verſ. 10. *Et erunt campeſtria in Caulas gregum, & Vallis Achor in cubile armentorum:* atque expreſſiùs apud Oſeam cap. 2. verſ. 15. *Et dabo eis vinitores eius ex eodem loco, & Vallem Achor ad aperiendam ſpem: & canet ibi iuxtà dies iuuentutis ſuæ:* Cæterùm eandem eſſe Vallem haud facilè ſuſceperim: procul admodum neutram à Ierichunte diſtare cedo: ſed alius atque alius ſitus ambarum, vt correctiores Geographicæ commonſtrant Tabulæ: & quanquam Euſebius & Hieronymus in Hebræo vrbium & locorum Alphabeto vtrumque tribui Iudæ adſcribant tractum: Achor tamen ad Benjamin refert numero 4. & ſortitionis veram ita poſtulare rationem probat noſter Bonfrerius in Onomaſtico ſuo, verbo *Achor:* omnes Engaddi ad tribum Iudæ ſpectare fatentur: ex qua fuiſſe tribu Sponſam huius Epithalamij cùm oſtenderimus Anteloq. 5. num. 138. potuit quidem Engaddi poſſeſſor & Dominus eſſe; non autem niſi ex peregrinis cauſis Vallis Achor; quas ſine fundamento adſtruere vanum eſt.

Sanchez. *Nũ Engaddi idem cum valle Achor feraciſſimâ.* Iſai 65. 10. Oſee 2. 15. Engaddi *vbi ſitum?* Euſeb. Hieronym. Bonfrer.

14.
*Num ad veſtes Sponſi aut Sponſæ referatur hîc Botrus Cypri?*

Sed num de veſtibus aut Sponſi aut Sponſæ Botri memoratio? Veteres plurimarum rerum emblemata in veſtimentis ſubtexta portare conſueuerant, quo de more præclarè teſtatur Aſterius Amaſeæ Epiſcopus hom. de Diuite & Lazaro: *Alij item reperiuntur ſimilis vanitatis amantes, qui ne ſic quidem ſtultæ ſolertiæ fines conſtituerunt, ſed inani quodam, & ſuperuacuo Commento, quod artem pictoriam per ſtamen, atque ſubtegmen imitatur, omniúmque formas animalium in veſtibus exprimit: florida, ac ſexcentis variegata figuris veſtimenta, tum ſibi, tum vxoribus, tum liberis comparant.* Et paulò inferiùs: *Videre eſt illic Leones, Pantheras, vrſos, tauros, Canes, ſyluas, ſaxa, ac venatores; & omnia denique circa quæ Pictorum induſtria naturæ æmula verſatur:* Claudianus de quarto Honorij Conſulatu:

Aſter. *Veſtes antiquitus varijs figuris ſeu pictæ ſeu intextæ.* Claudian.

*Nec rudis in tali ſuffecit gratia Textu*
*Auget acus meritum, picturatúmque metallis*
*Viuit opus, multáque ornantur iaſpide vultus*
*Et varijs ſpirat Nereïa Bacca figuris.*

Ioſephus lib. 7. de Bello c. 24. de Veſpaſiani triumpho: ϰ τὰ μ̃, ἐκ πορφύρας ὑφάσματα τ̃ σπανιωτάτης φερόμενα, τὰ δ᾽ εἰς ἀκριβῆ ζωγραφίαν πεποικιλμένα τῇ βαβυλωνίων τέχνῃ: *Et alias quidem veſtes ex rariſſimis generibus Purpuræ portari: alias diligentiſſimâ picturâ variatas arte Babyloniâ:* Apuleius libro 11. Metamorphoſ. *Per intextam extremitatem, & in ipſa oræ planitie ſtellæ diſperſæ coruſcabant: earúmque media ſemeſtris Luna flammeos ſpirabat ignes: Quaquà tamen inſignis illius Pallæ perfluebat ambitus, indiuiduo nexu Corona totis floribus, totíſque conſtructa Pomis adhærebat.* Eodémque iterum libro: *Ex humeris dependebat, ponè tergum, talorum tenus, pretioſa chlamyda, quaqua tamen viſeres, colore vario circumnotatis inſignibat animalibus: hinc Dracones Indici, inde Gryphes Hyperborei: quos in ſpeciem pennatæ alitis generat mundus alter.* Curtius libro 3. de Veſte Parij: *Pallam auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant.* Talia & in ſacro veſtuario,

Ioſeph. Apulei. Curt.

Anaſtaſ. Biblioth. Anaſtaſius Bibliothecarius in Hadriani primi Papæ eius nominis vita: *Hic enim Euangelicus vir fecit in Eccleſia B. Petri Apoſtoli veſtem miræ pulchritudinis ex auro, & gemmis habentem præfiguratam Hiſtoriam, qualiter B. Petrus à vinculis per Angelum ereptus eſt.*

15. *Picta Veſtes Genialis pompæ.* Duo autem præcipuè à nobis obſeruanda ſunt. Primum, huiuſmodi cum picturis veſtes ad genialem ſpectaſſe pompam. Catullus in nuptiis Pelei & Tethidis:

Catull.

*Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris,*
*Heroum mirâ virtutes indicat arte.*

Latinus Poëta de Helena, cùm ad Paridis thalamos duceretur. Æneid. 1.

Virgil.

*Ferre iubet Pallam ſignis, aurôque rigentem*
*Et circum textum croceo velamen acantho:*
*Ornatus Argiuæ Helenæ, quos illa Mycenis*
*Pergama cùm peteret, inconceſſóſque Hymenæos,*
*Extulerat.*

Et huius generis putant amictum eſſe Sponſæ nonnulli, de quo in ſacro Epithalamio Pſalm. 44. verſ. 10. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Secundum eſt, elegantiarum ſtudioſos quoſque amaſſe in veſtibus, vt quàm proximè flores imitarentur, atque hac de cauſa vel colore Herbas referebant, aut quod frequentius eſſet, pingebantur ſubtegmine quicquid ſpecioſius Terra progigneret: nuper ex Marone percepimus acanthum velamine efformatum: Statius lib. 2. Syluar. Epicedio in Glauciam Melioris:

Pſal. 44. 10. *Flores in elegantioribus veſtibus depicti.*

Statius.

*———— modò Puniceo velabat amictu*
*Nunc herbas imitante ſinu, nunc dulce rubenti*
*Murice.*

Pauſanias. Pauſanias in Eliacis de Iouis ſtatua libro 5. Cui præter alia, *Pallium* (inquit) *erat aureum: in eo cùm diuerſa Animalia, tum ex omnibus florum generibus:* Martianus Capella libro 1. de nuptiis Mercurij & Philologiæ: *Tamen floridam, diſcolorémque veſtem herbida Palla contexuerat, in qua totus gemmarum, Metallorúmque cenſus, atque omnium prouentus, frugéſque ſationum, largâ admodum vbertate ferebantur:* ac quidem Iudææ Claudianus adſcribit Textrinum ingenium effigiatarum rerum libro 1. in Eutropium:

Capella.

Claudian.

*———— & quicquid inane*
*Nutrit, Iudaicis quæ pingitur Indica velis.*

*Vites in veſtibus expreſſa.* Sed de vite ſpeciatim, cuius potiſſimùm gratiâ ſuſcepta hæc indagatio: Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis Papæ tertij: *Idem Beatus Pontifex ſuper altare Beati Petri Apoſtoli fecit veſtem cum vite ex auro puriſſimo, & gemmis pretioſiſſimis & Margaritis,* &c. Athenæus libro 12. Dipnoſoph. de Regibus Perſarum refert; *aureas habuiſſe Platanos, & auream vitem cum vuis confectis è ſmaragdis, Carbunculis Indicis, & alijs gemmis, omne genus ſummi pretij fidem omnem excedentis, ſub qua ſæpius ſedentes, legatos audiebant, & ius dicebant:* de vite aurea, quam dono ad Pompeium miſit Ariſtobulus, Ioſephus libro 14. Antiq. cap. 5. ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων: *miſit enim ad eum inſigne Donum Ariſtobulus, vitem auream quingentorum talentorum:* & de eiuſdem Pompeij Triumpho Plinius libro 37. cap. 2. inter alia magnifica recenſet: Montem aureum quadratum cum ceruis & Leonibus, & Pomis omnis generis circumdatis vite aureâ: itaque & in auro & argento cælata Herbida cum floribus: At de veſtimentis de quibus ſingulariter agebamus, locus venuſtus ex Reg. 2. cap. 13. verſ. 18. de Thamare: *Quæ induta erat tunicâ talari: huiuſmodi enim filiæ Regis Virgines veſtibus vtebantur:* L X X. autem dicunt: *Tunicam intextam fructibus.* Et in limbo Tunicæ ſummi Sacerdotis Aaron deorsùm Mala Punica, Exod. cap. 28. verſ. 33. Salomon quoque cùm glorioſior procedebat, lilia in veſtimentis præferebat; ad quæ alluſum à Redemptore, Matth. capite 6. verſ. 28. *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Fortaſſe de Tunica, aliôve amictu cum intextis Botris Tertullianus de cultu fœminarum, inquiens: *Nunc Deus iſta proſpexerit, Deus permiſerit: nullam de Conchilio veſtem Eſaias increpet, nullas lunulas reprobet, nullum Botronatum retundat,*

Ioſeph. Plin. 2. Reg. 13. 18. L X X. Exod. 28. Matth. 6. 28. Tertull.

16. *Duo Sponſa de ſuo ad nuptialem pompam confert: Odoramenta ſuis confecta manibus, & pictas acu veſtes.* Iam ad ſenſum Textus: Poſtquàm in antecedentibus & Sponſus & ſodales eius tractarint de Sponſæ ornamentis in diem Connubialem, & quod exquiſitum eſt in auro, electro, margaritis compromitterent: illa, ne ſegnis fuiſſe videretur, nihílque de Mariti cogitaſſe rebus, duo ſuggerit quæ parata habeat: Primum: odoramentorum copiam ſuis confectorum manibus, ſignificauit cùm dixit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, Nardus mea dedit odorem ſuauitatis;* Et nonnullorum opinione ſequenti etiam verſu: *Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi,* &c. niſi fortaſſe intelligi debeat, quemadmodum Botrus Cypri ſtatim ſit conſtruendus à nobis, atque in Sponſi ruituram ſe amplexus, quem videat tam comptum, Sponſa aſſerat ſubnectens; *inter vbera mea commorabitur.* Secundum itaque de veſtimentis: narrátque à ſe contentum Sponſo ſeu Paludamentum, ſeu Tunicam, in quo deſcripſerit Engadditanum ſiue montem, ſeu Planitiem, atque anni referre tempora Picturam, cùm Botris grauida eſt vinea: alteram & ſe habere veſtem, quæ Myrrhæ arborem, & ſtactes eliquationem vulnerato cortice repræſentet: hæc ſua dona eſſe, quæ Sponſi gloriæ præparauerit: itaque hunc ob finem, *Botrum Cypri* Dilectum appellat: ſicut in Pſalmo 44. Qui Hymenæalis eſt, inſcriptio legitur: *pro lilijs:* Quo titulo indicatam Sponſi Salomonis Regis veſtem, quam lilia condecorarent, monuimus Anteloq. 5. numero 45. atque ille in liliis: noſter Sponſus cum Myrrhæ arboribus & Botris Engadditanis: & vt in ſuperioribus obſeruatum eſt à nobis, cùm de Nardi ageremus oleo, de ſacri Carminis Arte, Sponſæ tribuentis, quòd fœmineæ ſit induſtriæ, atque laboris peregiſſe, nimirum vnguenta conficere: ita & modò annectit alterum, quòd ad fœminas propriè ſpectet; veſtes, ſeu acu pingere, ſeu Textrina variis imbuere figuris: Tibullus libro 2. Eleg. 6.

Pſalm. 44.

Tibull.

*Illà gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa*
*Texuit, auratas diſpoſuitque vias.*

Theocritus Idyllio 15. quod Syracuſiæ:

Theocrit.

Πότνι Ἀθηναία, ποῖαί σφ' ἐπόνασαν ἔριθοι;
Ποῖοι ζωογράφοι τἀκριβέα γράμματ' ἔγραψαν;
Ὡς ἔτυμ' ἑστάκαντι, καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι.
Ἔμψυχ', οὐκ ἐνυφαντά.

*O veneranda Minerua, quales laniſicæ illa elaborarunt?*
*Quales Pictores tam exactas picturas pinxerunt?*
*Quàm euidenter adſtant, quàmque euidénter mouentur?*
*Animata ſunt, non Textilia!*

Tob. 2. 19. Tobiæ cap. 2. verſ. 19. *Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum*

victum



*victum, quem conſequi poterat, deferebat:* huiuſmodi pretioſæ illæ merces, quas ſuo, ancillarúmque miniſterio conflarat, & inſtitoribus tradidit egregia Materfamilias, Prouerb. capite vltimo v. 24. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo:* Hoc igitur pacto, quod ad muliebrem pertinebat curam, Sponſa non prætermiſit adaptare: Quare & vnguenta cum famulabus diſpoſuit, quibus genialis aula fragraret, præcipuè inter epulandum: & veſtes neuit, atque texuit, quas multicoloribus variegauit picturis arborum, vt non aliud ſub tali amictu Sponſus videretur, quàm ſpirans imago Botri Engadditani.

Prouerb. 31. 24.

17. Hactenus quidem recenſuimus, de quibus & ab aliis ſcriptoribus actum eſt, quanquam leuiori ſtudio, ſubiiciamus vltimùm Lectoris arbitrio non quod nos ſtatuere velimus, neque quod amplexemur ſanè; ſed de quo ipſe iudicium, vt placuerit, ferat. Conſpicitur itaque in noui orbis plagâ *Arbos, quam vulgus Platanum, falſo tamen nomine appellat; ficum Indicam peritiores vocant; nec tamen arborem cenſeri aliqui malunt, ſed de Plantarum eſſe genere, licet interdum ad arborum proceritatem excreſcat, & quantùm Homo craſſa eſt: folia in eam diuagantur & amplitudinem, & longitudinem, vt iuſtæ ſtaturæ quiſpiam vno conuelari queat, in quibus iucundè virens color: Planta veluti Germen, aut ſurculus eſt, in cuius ſummitate enaſcitur Malleolus brachij craſſitie, qui vuam producit, interdum centenos fructus palmi longitudine ſuſtinens: vua etſi decerpatur antequam matura euadat, tum cùm flaueſcere Botrus incipit, trabibus ſuſpenſa adoleſcit, ſed gratior maturitas, & odore quodam ſuaui commendabilis, quam plantæ ipſius nutritio conciliarat:* ita penè ad longum deſcribit Noſter Ioſephus de Acoſta lib. 4. de Hiſtoria Naturali Indiarum cap. 21. & ex aliis comprobat Carolus Cluſius Annotationibus ad c. 10. lib. 2. Hiſtoriæ Plantarum Garciæ ab Horta: Teſtem adducit potiſſimum, qui ab Acoſta non diſcrepat, Ouiedum Hiſtoriæ Indicæ lib. 8. cap. 1. agit prolixè eodem de Germine Auctor Hiſtoriæ Generalis Plantarum tom. 2. lib. 18. c. 90. viſus hanc cognouiſſe Plantam Theophraſtus: Nam lib. 2. Hiſt. Plantar. c. 8. de Æthiopia loquens, ex qua ficum Indicam in nouum tranſlatam orbem fama eſt, vt aduertit Acoſta vbi ſuprà: *Genus aliud eſt* (inquit) *quod plurimum gigni in Æthiopia fertur, Cyce vocatur: fruticoſum non vno caudice, ſed pluribus, & interdùm aliquatenus coniunctis, virgâ minimè longâ, ſed cubitali tantùm: folio amplo, & quaſi ex duobus minutis compacto, formâ eximiâ:* ſed quoniam noſtri Inſtituti plurimùm intereſt, vt Palæſtinæ arua hanc produxerint etiam Plantam, hauriamus ex Brocardo Monacho, quod propriis luminibus contemplatus, dum Iudæam peragraret: is Deſcriptionis Terræ ſanctæ Parte 2. cap. 1. *Sunt & fructus dicti Poma Paradiſi penitus admirabiles: Porrò hæc creſcunt in modum Botri vuæ: & eſt Botrus ille interdum magnus vt Cophinus, ſeu ſporta: habet grana interdum centum, & nonnunquam plura in modum vuæ: ſunt autem longa ad quantitatem ſex digitorum, & nonnunquam oui gallinæ, ſaporis verò delicatiſſimi, & dulcis vt eſt mel: grana intùs ſemen non habent, ſed tota eorum ſubſtantia eſt comeſtibilis: fructus iſte vix vno anno creſcit, & maturatur: Arbor citò deficit, eſt enim eius Periodus trium annorum vt plurimum: quâ marceſcente, alia ex radice prodire incipit, & hac item poſtea areſcente, procedit tertia, & ſic deinceps: folia eius arboris longa ſunt inſtar Hominis ſtaturæ: lata vſqueadeo, vt duo totum Hominem contegant.*

Ioſeph. Acoſta. *Ficus Indica deſcribitur.*

Carol. Cluſius. Ab Horta. Ouied.

Theophraſt.

Acoſta.

Brocard. *Paradiſi poma quæ in Paleſtina naſcũtur deſcripta.*

18. *Num de Ficu Indica, ſeu de Pomo paradiſiaco interpretandus hic verſus?* Num igitur ad hanc ficum Indicam, ſiue Pomum Paradiſi reſpexerit Muſa Salomonis? Nam cùm mirabilis prædiceretur fructus, & Iudæa tulerit, credibile non eſt Hierichuntinum Tractum, cuius limitibus Engadditanum ſolum, tali caruiſſe ornamento, ſiquidem de reliqua Iudæa reſpectu Ierichuntinæ glebæ inquit Ioſephus lib. 5. Antiquit. *Nam Chananææ natura talis eſt, vt videre liceat campos magnos, & frugum, ac fructuum feraciſſimos: qui collati ad aliam Terram admodum vberes videri poſſint: quod ſi ijdem ad Hierichuntinum, aut Hieroſolymitanum agrum conferantur, iam non magni pretij videbuntur: Cùm tamen hi agri parui ſint & bona ex parte montani; ſed quantùm ad fertilitatem attinet, nullis alijs ſecundi:* Cùm ergo naſceretur in Engaddi, & vuæ Botrum referret: nec color aut Pomi, aut foliorum ingratus, ſed bellè flaueſcens Pomum, folium feſtiuè viride, ſapor vltrà mel dulcis: quid, Literæ ſolùm conſideratâ vi, defuiſſe autumemus, ne de eiuſcemodi Botro Hymenæographus cantauerit? Omnis à voce *Kopher* difficultas, quæ tamen omnibus ferè opinionibus communis eſt: quorſum Botrus *Copher* dictus? *Copher*, quemadmodum & *Caporeth* deſcendunt, à Radice כפר *Caphar*, quod in *Kal* ſignificat generaliter tegere, operire, oblinere, & occludere: exempla ſuppeditabunt Pagninus atque Mercerus in obſeruationibus Biblicarum vocum: Exod. cap. 25. verſ. 17. in Hebræo eſt כַּפֹּרֶת *Capporeth*, vertunt L X X. & ordinarius Interpres *Propitiatorium*, ἱλαστήριον, Arias Montanus *Opertorium*: Botrus itaque *Copher* idem, quod Botrus opertorij & velaminis: quare ſub tali nuncupatione? quia ſcilicet ea expandit folia, quibus ad obtegendum nihil conuenientius, cùm vno, alterôve Homo integrè abſcondatur: *eius foliorum latitudo* (ait Plinius lib. 12. cap. 5.) *Peltæ effigiem Amazoniæ habet:* obumbrat itaque clypei inſtar & protegit: quid ſi arbor quæ confugium Adæ præſtitit à voce Dei recedenti in Paradiſo cùm ſe abſcondit? & inde velut Prouerbiali loquutione *Botrus integumenti* appellatus? certè an non ideò Pomum dictum ſit Paradiſi?

Ioſeph.

Exod. 25.

L X X. Arias Mont. *Botrus Copher, id eſt, Opertorij ſeu velaminis.*

Plin.

19. Equidem & de his breuiſſimè agere conſentaneum in curioſæ lectionis gratiam. Quæſitum eſt à nonnullis, cuius ſpeciei arbor illa fuerit, quam Moyſes ſcientiæ Boni & Mali nominat, Geneſ. cap. 2. verſ. 17. Moyſes Barcepha Commentariorum Paradiſi parte 1. cap. 19. quorumdam ſententiæ meminit, vitem fuiſſe adſtruentium. Celebrior aſſeueratio eſt de pomifero ligno, quam huius fulciri Epithalamij verſibus maximè putant: nam cap. 8 verſ. 5 *Sub arbore Malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt Mater tua, ibi violata eſt genitrix tua:* Quippè Sermonem eſſe de vetito primis Hominibus fructu arbitrantur Caſſiodorus, Gregorius Papa, Beda, Rupertus, Iuſtus Orgelitanus, Anſelmus, Vvolbero: ſed Mali vocem pro ſpecie determinata non videntur ſumpſiſſe, verùm pro fructiferis in genere. Tertia cogitatio eſt ſententium, ficum extitiſſe: Quam Hebræorum Traditionem fuiſſe memorat Nicolaus Lyrenſis ad cap. 3. Geneſ. potior Traditio, quam ſuggerit Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 51. inquiens: *A Senioribus, atque Maioribus noſtris traditum eſt Arborem Tranſgreſſionis Adam, ficum fuiſſe, ex cuius etiam folijs ſeſe texerit.* Theodoretus q. 28. in Geneſim: *Certè ſine Controuerſia* (ait) *arbor illa erat ficus, de qua præceptum acceperant: ſed non aſſentiuntur quidam præ nimia vt mihi videtur ſimplicitate, qui putant oportere nouum eſſe lignum: non attendentes, quod*

Geneſ. 2. Moyſ. Barcepha. *Quænam fuerit Arbor Scientiæ Boni & Mali?* Cant. 8. 5

Caſſiodor. Gregor. Beda. Rupert. Iuſt. Orgel. Anſelm. Vvolbero. Lyra.

Iſid. Peluſiot.

Theodoret.

Procop Gaz. Gennad. Lippom. M.Barcepha. Philoxenus Mabug. A Lapide. Gorop. Becan.

*non ligni qualitate, neque nouitate cibi Peccata cenſentur, ſed ex præcepto violato.* Adhæret Theodoreto pro vſu Procopius Gazæus. idem ſentit Gennadius in Catena Lippomani: Moyſes Barcepha loco ſuperiùs prolato, & apud eum Philoxenus Mabugenſis: ex recentioribus Cornelius à Lapide in cap. 2. Geneſ. & clariùs Goropius Becanus in Vertumno: Quod ſi quidem hæc opinio ita concipiatur, vt non de vulgari, quæ pleriſque in regionibus naſcitur, intelligatur, ſed de ficu Indica, ſpecioſam fortaſſe non nemo exiſtimaturus ſit: Nam de vetita Arbore, Geneſ. cap. 3. verſ. 6. *Vidit igitur Mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile:* At licet in communem ficum iſta non quadrauerint, Indicæ non repugnant; oſtendimus enim & foliorum & fructus ſuauem eſſe colorem, ſaporem verò Mellis comparari dulcedini: inſuper & huius quoque arboris latebris propter foliorum amplitudinem abſcondi potuit Adam; denique & Pomum Paradiſi nuncupatum eſt, vt vidimus ex Brocardo. Atque hac viâ omnes ſententiæ conuniuntur: Nam ſi dixerimus Vitem eſſe; quæ delineata Planta Botros vuæ perſimiles fert: ſi Pomum, tale cenſeri modò indicauimus: ficum recentiores genuino vocabulo eſſe appellandum contendunt.

Geneſ. 3. 6. — Brocard.

10\. Occurrit noſter Salianus tom. 1. anno Mundi 1. numero 56. Nam ſi ficus Arbor fuiſſet interdicti, plures eius generis Arbores latis Paradiſi ſpatiis progenitæ fuiſſent: itaque non in meditullio ſolum amœni illius Horti vt refertur de ligno ſcientiæ Boni & Mali, ſed ad latera quoque & angulos circumquaque, vti in Pomeriis contingit. Quid inde? Equidem ſi copia fuiſſet Arboris, cùm vna prohibita tantùm eſſet vmbilicum occupans, in aliis tentare fœmina, & experiri potuiſſet, veráne eſſent, quæ de arbore in medio Nemoris ſitâ iactabantur ab Hoſte, ſcilicet eius eſu Deorum aſſecuturos naturam, atque ita eludere præſtigias inimici: Quare cogitandum eſt arborem illam fuiſſe ſpeciei quæ ad vnum indiuiduum reſtringebatur, vt de Angelorum eſſentiis Pars Theologorum meditatur: proinde nulla eius vnquam extra Paradiſum reperta veſtigia.

Salian. *Obiectio Saliani: Arborē vetitam non fuiſſe ficum, quòd plures fuerint ficus.*

*Satisfit Obiectioni.*

Reſpondeo duobus modis: Primùm: Quanquam eiuſdem ſpeciei plura extarent indiuidua, tamen non potuiſſe non mirabile & ſecretum videri fœminæ, quòd ſpeciatim eius ligni fructum vetuiſſet Numen, quod in Pomerij medio erat: itaque aliquid magnum & arcanum latêre arbitraretur, nec concupiſcentiæ ſatisfeciſſent alia Poma licet exteriùs eiuſdem rationis, quoad probaſſet de negatis fructibus: Atque vt erat alto prædita ingenio, intelligebat non arbori ingenitum eſſe ſcientiam Boni & Mali conferre pomo veſcentibus, ſed ex Dei habêre munere ſi quid Donorum reſultaſſet, ſiue mediâ qualitate aliquâ impreſsâ ligno, ſeu per extrinſecum Numinis concurſum: quacumque tandem viâ; alienæ potentiæ virtus erat: potuit autem hæc vis vni imprimi indiuiduo, quin communicaretur aliis: Nam capilli omnes Samſonis eiuſdem erant naturæ, & tamen in ſeptem Crinibus fortitudo & robur: hoc igitur præmunita diſcurſu, pernoſcebat, quanquam aliæ neque nocerent, neque prodeſſent arbores; diuerſum tamen eſſe computum de ligno in medio Paradiſi poſito.

*Num plures Arbores eiuſdem ſpeciei cum Arbore vetita?*

Secundò aſſero: vnum quidem productum fuiſſe indiuiduum: non quòd ſpecies tota penès vnum inuiduum, ſed quia tum vnius productio ſufficiebat: Quod ſi ſtatus Iuſtitiæ originalis perſeueraſſet, & creſcente Hominum multitudine, opus fuiſſet augeri numerum, nouæ etiam pullularent ficus: Quemadmodum & vitæ Arborem vnam fuiſſe tum, quæ multiplicato Humano genere in Paradiſo, multiplicaretur etiam, ſentiunt Abulenſis ad cap. 11. Geneſ. quæſtione 163. Pereira libro 3. in Geneſ. diſputatione de arbore vitæ, quæſtione 2. Minoris ponderis eſt, quod Torniellus ſubinnuit, die 3. Mundi, numero 32. Scilicet non eſſe veriſimile vt poſt tranſgreſſionem ad eam confugerint arborem, cuius fructus damnum attulerit maximum, quam odio potiùs acerbo proſequuti fuiſſent: ſed animaduertit Auguſtinus bellè libro vndecimo de Geneſi ad Literam cap. 33. poſt amiſſam iuſtitiam confuſione attonitos, nec mirum vt turbati fecerint, quæ oportebat non egiſſe: Quid enim ſtultius, quàm vt à Dei ſe abſcondere vultu Adam tentarit? at talem delapſus in ignorantiam poſt ruinam; verùm de his ſatis pro ſuſcepti Inſtituti occaſione. Si noſſe iuuat, quodnam ex tot placitis de Botro Cypri præferamus? Dicimus quidem laudabiliorem cæteris apparêre eam quæ de Cypri virgulto eſt opinionem, quam à n. 4. tradidimus; ſecundas tenêre partes, quibus & Tutelares clari nominis ſint, duas ſententias, alteram de vitis racemo, alteram de Balſamo: reliqua Pronunciata aliorum exponimus voluptati, quorum vel ceciderint, vel ſteterint iudicio.

Toſtat. — Pererius. — Torniell. — Auguſtin.

*Superiorum Expoſitionum quænam optima?*

Explanatio



# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

## *Textus:* Botrus Cypri Dilectus meus mihi, in Vineis Engaddi. *Cap. 1. verſ. 13.*

*Martyrum Conſolatio, & fortitudo in Tormentis: Pontificis Romani humanus & politicus Magiſtratus propugnatus aduersùs Caluinum: Bernardus declaratus: oleo inuncti qui Baptiſmum ſuſciperent, quamobrem? Confirmationis Sacramentum quando inſtitutum? De remotæ Materiæ eſſentia, Balſamum: ipſum num ſola Iudæa tulerit? Alluſio ad fractionem Panis in Emmaus, Luc. cap. 24. Ab Euchariſtia robur: eâ communiti olim Martyrium ſubituri: Diſcretionis ſpirituum ſcientiâ præditos eſſe Eccleſiarum Antiſtites oporteat.*

### SECTIO VNICA.

21\. *Apta huius verſus cum præcedenti connexio.*

FASCICVLVM Myrrhæ ſibi futurum Spõſum nuper gloriabatur Eccleſia: ſcilicet in Martyrum Paſſionibus, rubricari enim cruore occiſorum oportebat Diuinam Matrem: Quid enim illuſtrius habeat Martyrum gloriâ? ſed ne terreret ſæua facies tormentorum: pollicetur futurum ſibi eundem Botrum Cypri, hoc eſt vel vnguentum Cypri Arboris, *Ad multa commodiſſimum* (vt loquitur Philo Carpathius in verſ. 14. c. 4. Canticor.) *cuius folia, flores, fructus, & rami vtiliſſimi:* vel Bacchi ſuccum, quo conſolationes & lætitiæ deſignantur: vel Balſami liquorem, quo vulnera medicantur vſque in abſterſionem cicatricum: denotat communicandam Martyribus inenarrabilem voluptatem inter flagra & eculeos: ſignificat illæſos abituros ſæpius ex ignibus, ex profundo aquarum, ex Beſtiarum dentibus: innuit vulnera ſananda, hebetandam gladij aciem, Naturæ ſubigendas leges frequentiſſimè: Bernard. ſerm. 44. *Ergo poſt Myrrhæ amaritudines, vinum iucunditatis experiens, haud temerè dicere poteris: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Aptiùs in illa; *Faſciculus Myrrhæ*, &c. Aponius: *Hæc igitur prædicta anima, vbi per auditum æternæ vitæ dulcedinem guſtus accepit, in Sponſi aduentum multimodas, & amariſſimas Paſſiones pro eius nomine illatas, non ſentit: hoc eſt, carceres, exilia, proſcriptiones, rerum præſentium nuditatem, famem, ſitim, vincula, cædes iniuſtas, ignitas laminas, imbres lapidum, improperia, pericula, naufragia, præcipitationem profundi, flagellorum, Plumbi, virgarum aculeos, & alia multa, quæ dinumerare perlongum eſt, ſuſcepta cum magna lætitia:* Hinc Chriſtiano nomini decus incomparandæ famæ, hinc gentilitatis ſtupor de Religionis ſacræ potentia, hinc fœcundatus Eccleſiæ ager fructu centeſimo reſpondit Agricolarum laboribus: ſed nonne planè tales Martyres noſtri, gaudentes in perſequutionibus, Miraculis clariſſimi? obuia ſunt monumenta: nulla non Pagina Catholicorum intonat; legatur Victor Vticenſis lib. 3 præſertim Hiſtoriæ de Perſecutione Vandalica. Fulgentius ſerm. de Martyribus: *Vnde Martyres nudati ſuſtinuerunt, flagellati non fleuerunt, niſi quia Dominus nudatus eſt, atque flagellatus? vnde eculeis appoſiti, cùm vngulis ſulcarentur, aporiati, dulciſſimis decantationibus laborem faciebant cum pudore Tortoribus, niſi quia crucem Chriſtus Dominus aſcendit?* Petrus Bleſſenſis ſerm. 33. in feſto Omnium ſanctorum: *Credibile eſt corda Martyrum ante horam Martyrij aliquibus leuibus cogitationibus humanitus occupari: ſed in hora illâ ſuperueniente ſpiritu vehementi abſtergit Deus à cordibus eorum omnem motum Carnis; ita vt nec vita ſentiat ſe naturaliter amari: cùm enim ducerentur ad Martyrium, Parentes ſuos, vxores, & liberos, vnguibus ora fœdantes, miſerabiliter poſt ipſos clamantes, etiam toruo vultu, & ſiccis oculis reſpiciebant, quaſi nil iuris iam in eis haberet Natura.*

Philo. Carpath. — *Botrus Cypri, Martyrū in tormentis Conſolationē & fortitudinem innuit.* — Bernard. — Aponius. — Victor Vtic. — Fulgent. — Petr. Bleſſenſ.

Hæc quidem in gratiam eius Explanationis, quæ de Crucis honore tradita eſt verſu anteriori, quanquam de Chriſto præcipuè, atque ad Martyres etiam referri debeat, quando eius ſequuti ducatum & ipſi Crucem quoque baiulauerunt: verùm ibi nobilior Interpretatio de ſpiritali Poteſtate Sacrorum Antiſtitum, Chriſti imprimis in Terris Vicarij, abſoluendi & ligandi & in foro interiori Peccatorum nexus, & in Eccleſiaſticis externis iudiciis de publicis pœnis, quas Cenſuræ adferunt: Quid igitur nunc cùm Cyprinum vnguentum Regale nuncupari audimus? cùm Balſamum in omnia dominari vnguẽta auſcultamus? cùm de Palma victoriali ſymbolo merio eſt? Num etiã Rex Pontifex Romanus? Num Dominus gentiũ ſicut Imperatores orbis? Num gladium portãs temporalem? Fecerunt ſapienter Chriſtiani principes qui Prouincias, quas politicè gubernarent, integrâ & liberali donatione Romano tribuerint Antiſtiti; & meritò laudibus cumulamus Chriſti Vicarios, qui talia admiſerint: imò verò hanc Eccleſiæ gloriam prænunciat Sponſus ſub horum verborum tegumentis: Nam cùm antecedenti verſu ſpiritalis Iuriſdictionis amplitudinem ingentem delinearit; modò ſuggerit & de politico Magiſtratu, venturam nimirum ætatem, in qua Regio cum faſtu Roma & Italiæ optimis acquiſitis partibus, aliiſque ditionibus Petri ſucceſſores emineant, & formidabiles exiſtant Principibus Terræ, ſi quando in gladio veniant contra Religionem, aut ſacrum Patrimonium: ita exal- 22.

*Decet Pontificem eſſe ſimul Principē Eccleſiaſticum & Politicum.*

tari

*Multis de cauſis Temporali Poteſtate eget Pōtifex.*

tari oportebat, vt & commendaretur maieſtas venerandæ ſedis, & quibus ali copioſa Pauperum multitudo, quibus ſubueniri bello contra Hæreticos & infideles, quibus ædificari Templa in honorem Dei & Sanctorum, quibus extorres Catholici foueri in collegiis, mitti prædicatores & Catechiſtæ ad vltimas Terrarum oras, poſſint; ſumptus eſſent affluentes: denique vt ſic & Chriſtum propiùs referret, qui & Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: & temporale etiam directum ius in Regna mundi habuit, vt monſtrauimus Veſtigatione 3. à num. 54. Siue igitur Oleum hîc intelligatur Cyprinum, ſiue de Balſamo confectum, quod Engadditanus præferebat ager, rectè Chriſmate atque oleo indicari regiam poteſtatem oſtendimus eadem Veſtigatione numero 16. vt quemadmodum ibi Sponſa congloriabatur de primario Sponſo ſuo Chriſto, talem eſſe, qui & Sacerdos pariter & Monarcha temporalis eſſet, qui cùm tantus eſſet, ob eius amorem, Oleum effuſum atque exinanitum factus ſit: Sic nunc lætetur ſecundarium Sponſum ſuum, Chriſtianorum Patrem, Romanum Antiſtitem, & ſpirituali & temporali effulgere poteſtate: vtriuſque gladij & palmæ folia (ſi fortè Botrus Cypri) imagines, nam enſem repræſentant, Plinio teſte libro 13. cap. 4.

Plin.

24. *Conſtantini Magni pia in ſummos Pontifices munificentia.*

De hoc Pontificio ornamento accipe verba Donationis Magni Conſtantini: *Concedimus ipſis Sanctis Apoſtolis Dominis meis, Beatiſſimo Petro & Paulo, & per eos Beato Silueſtro Patri noſtro ſummo Pontifici, & vniuerſali vrbis Romæ Papæ, & omnibus eius ſucceſſoribus Pontificibus, qui vſque ad finem mundi in ſede B. Petri erunt conſeſſuri, atque de præſenti concedimus Palatium Imperij noſtri Lateranenſe, quod omnibus in toto orbe Terrarum præfertur, atque præcellit palatiis: Deinde diadema, videlicet Coronam capitis noſtri, ſimúlque Phrygium, necnon ſuperhumerale, videlicet lorum, quod imperiale circumdare aſſolet collum, verùm etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta:* Similia Veſtigatione præcedenti, numero 29. Ekberto loquente Presbytero tranſcripſimus: adſtipulatur Epithanij Oratio Hæreſi 29. *Sacerdotium eſt in Eccleſia thronus Dauid, & Regium ſolium: quam dignitatem Regiam ſimul & Sacerdotalem in vnum coniunxit Dominus, & ſanctæ ſuæ Eccleſiæ largitus eſt, throno Dauid, qui nunquam defecturus eſt, ad eum tranſlato:* Binam hanc poteſtatem duplici gladio, de quo Lucæ c. 22. v. 38. *Domine, ecce duo gladij hîc: at ille dixit eis, ſatis eſt,* ſignificatam, indicat Bernardus libro 4. de conſideratione ad Eugenium, cap. 3. *Quid Tu denuò vſurpare gladium tentes, quem ſemel iuſſus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere Verbum Domini dicentis ſic: conuerte gladium tuum in vaginam: Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, etſi non tuâ manu euaginandus: alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apoſtolis: ecce gladij duo hîc, non reſpondiſſet, ſatis eſt, ſed nimis eſt: vterque ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis ſcilicet gladius, & materialis, ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exerendus eſt: ille Sacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Eodem prorſus modo loquitur ep. 156. ad eundem Papam Eugenium: vtrobique ſemper contendit non eſſe manu Sacerdotum ſtringendum enſem, quòd prohibitum ſit Clericis ferro vti ad offendendum: ſed interpretandus niſi

Epiphan.

*Duobus Apoſtolicis gladijs duplex Pontificum Poteſtas, in Spiritualia & Materialia figuratur.*

Luc. 22. 38.

Bernard.

*Num Clericis ferro vti liceat?*

Pontifex Romanus iuſtas ob cauſas diſpenſet, cùm enim præcepto ſolùm Eccleſiaſtico interdictum ſit Hoſtes ferro adoriri & vulnerare ſacris Hominibus, Papa legitimas ob cauſas diſpenſare valet: Quo pacto & Sanctum Thomam exponunt Theologi, cùm 2. 2. quæſt. 40. art. 1. ad 2. aſſerit: *Quòd autem aliqui Clerici manu propriâ pugnent, abuſionis eſt:* conſulendus Molina tom. 1. de Iuſt. & iure diſputatione 108. & Granados tom. 3. in 2. 2. Controuerſia 3. de Charitate, Tract. 12. diſputatione 4. ſectione 5. numero 48. itaque vtrumque exercêre gladium directè, & immediatè Pontifici licet: Quare cùm de priori Theſe docuiſſet Angelicus Præceptor in 2. diſtinctione 44. in expoſitione Textus ad 4. *Secularem nimirum poteſtatem eſſe ſub ſpirituali in his, quæ ad ſalutem Animæ pertinent, & ideò in eiſdem magis eſſe obediendum ſpirituali poteſtati, quàm temporali: licet in his, quæ ad bonum Ciuile pertinent, magis obediendum ſit poteſtati ſeculari:* Subiunxit quibus plenè confirmauit ea, de quibus nunc tractamus, inquiens: *niſi fortè poteſtati ſpirituali etiam ſecularis poteſtas coniungatur, ſicut in Papa qui vtriuſque poteſtatis apicem tenet.* Adſentit Innocentius III. ſermone 3. de Coronatione Pontificis: *Eccleſia Sponſa in ſignum Spiritualium contulit mihi mitram: in ſignum Temporalium dedit mihi Coronam: Mitram pro Sacerdotio, Coronam pro Regno:* Adi Bellarminum lib. 5. de Romano Pontifice, cap. 9. & ſi exornare libeat antiquæ eruditionis phaleris, & noſſe quemadmodum dexteras mutuò porrexerint Regale Imperium & Sacerdotales infulæ, commonſtrabit noſter Creſolius Myſtagogi lib. 1. cap. 4. ſect. 2. & 3.

S. Thom.

Molina.

Granad.

S. Thom.

Innocent. III.

Bellarmin.

Creſol.

25. *Romani Pōtifices Ditionem ſuam à Conſtantino Magno Imperatore, Pipino & Carolo Magno Galliæ Regibus, &c. liberaliter conceſſam legitimè poſſident.*

Hæretici opponunt Latrocinio & rapinis quæſitam Papalem ditionem: Spiſſa mentiendi phreneſis in tanta Hiſtoricorum luce: Quod illis facere mos eſt, hoc imputant: præter innumeros Pietate & doctrinâ conſpicuos Scriptores, qui inter Catholicos prodidêre à Religioſiſſimis Imperatoribus conceſſas Prouincias cum vrbibus ſuis & Territoriis incoactè omninò Sedi Apoſtolicæ, diplomata ipſa etiamnum extantia litem prorſus dirimũt, Ac ſanè de Conſtantiniano Donationis edicto Auguſtinus Steuchus libris duobus contra Laurentium Vallam: Baronius tom. 12. Anno Chriſti 1191. §. *Quanquam enim plerique,* &c. Seuerinus Binnius tom. 1. Conciliorum Parte 1. *Notis* ad epiſtolam de primitiua Eccleſia; & ad libellum de Conſtantini Donatione, pag. 251. Quæ dono Pipini Regis communicata ſunt, tractat nominatus Illuſtriſſimus Cardinalis tom. 9. Anno Chriſti 755. §. *Cæterum Leo Oſtienſis,* &c. Déque noua eorundem confirmatione per Carolum Magnum dicti tomi anno 774. Bellarminus allegato libro 5. de Pontifice Rom. cap. 9. iterum eminentiſſimus Cæſar Baronius de Henrici primi Imperatoris inſigni approbatione Tomo vndecimo, anno 1014. Sub initio: de omnibus noſter Gretſerus Apologia pro Cardinali Baronio à capite 21. Eſto autem legitimi Poſſeſſores iuſtè contulerint, ſed ecce Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 11. §. 8. adclamat: Spiritali principatui & noxiam & indecoram eſſe ſecularis Gubernationis curam: ex Matthæi vigeſimo capite verſ. 25. profert: *Scitis, quia Principes gentium dominantur;* quòd temporalis Magiſtratus ſcilicet ad Laicos ſpectet: Et tamen, qui ſpiritales Hierarchas Mundi ſollicitudinibus liberari zelat; is eſt, qui hortatur Epiſcopos Presbyteros & Monachos, vxores vt ducant: cur Matrimonij

Aug. Steuch.

Baronius.

Binnius.

Bellarmin.

Baronius.

Gretſer.

Caluin.

Matth. 21. 25.

*In ſe pugnat Caluinus.*



Matrimonij innectit vinculis Altari mancipatos? ſed rectè ſpiritales non ducit eſſe qui Hæreſi infecti ſunt: totum de prophanitate eſt: apud noſtros autem Antiſtites ita componuntur res, vt quanquam politica adminiſtratio ſacræ conunita ſit: eiuſmodi tamen eligantur Miniſtri, qui diuinis vacare Pontifices integro ſinant otio; neque enim opus eſt prouidêre, niſi cùm grauia vrgent, quæ ſerò & infrequenter vexant: Modus etiam regendi non tyrannicus & ſuperbus eſt, qualis eorum, de quibus Euangeliſta Matthæus ſermocinabatur, ſed lenis & humanus.

26. Etiam aduerſari Bernardum fortaſsè quiſpiam conceperit: Nam lib. 4. de Conſideratione cap. 3. Eugenio Papæ ait: *Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando, vel gemmis ornatus, vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris: in his non ſucceſſiſti Petro, ſed Conſtantino: conſulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito.* Atque idem lib. 2. cap. 6. dixerat: *Eſto, vt alia quacumque ratione hæc tibi vindices, ſed non Apoſtolico iure: Nec enim tibi ille dare* (loquitur de Beato Petro) *quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, ſollicitudinem, vt dixi, ſuper Eccleſias: Numquid Dominationem? audi ipſum: Non dominantes, ait, in clero, ſed forma facti gregis; & ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio: Reges gentium dominantur eorum & qui poteſtatem habent ſuper eos Benefici vocantur: & infert: vos autem non ſic: Planum eſt, Apoſtolis interdicitur Dominatus: I ergo tu, & tibi vſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum: planè ab alterutro prohibêris: ſi vtrumque ſimiliter habêre velis, perdes vtrumque:* Cùm igitur his verbis affirmet, non à Petro, ſed à Conſtantino dimanaſſe Regiæ pompæ ſub Pontificali apice repræſentationem, & Hierarchæ munus innuat ſollicitudinem Eccleſiarum, non maieſtatem humanæ potentiæ; indicat politicam gubernationem ſpiritali principatui repugnare. Reſpondeo: Bernardum inſinuare tantùm Papam ex vi & inſtitutione Pontificatus non habêre directum ius in temporalia, & ita lib. 3. de conſideratione, c. 1. ait *Diſpenſatio tibi credita eſt, non data Poſſeſſio: ſi pergis vſurpare & hanc, contradicet tibi qui dicit: meus eſt orbis Terræ, & plenitudo eius: poſſeſſionem & dominium cede huic, Tu curam illius habe:* Verumtamen licet ex vi Pontificatus non acquiſierit in Temporalia directum ius: nihilominus eiuſmodi acquiſitio iuris haudquaquam repugnat Papali dignitati, cùm neque diuinis legibus prohibeatur, neque ſequatur ex natura rei alicuius implicantiæ ratio, vt bene conſideratum à Suario contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 30. num. 8. Igitur, quàm primùm Imperatores donare poſſeſſionibus cœperunt, legitimi Temporalium domini euaſerunt: atque id à Conſtantino cùm duxerit exordium, non à Petro, ſed à Conſtantino accepiſſe memorat: potuit & Sanctus Petrus, quemadmodum Silueſter Regnorum portionem accepiſſe, & dominari politicè, ſed aliud ſub initio Euangelij voluit Numen, præire nimirum cum Martyrio inopiam atque egeſtatem, vt ſubiugatum ſe ab infirmis inſtrumentis attonitus obſtupeſcéret Orbis: quod verò Dominatum repudiare videatur, ſignificatio eſt, Tyrannidis & ſuperbiæ cauendam eſſe ſuſpicionem, & clementiâ ſemper moderandam poteſtatem.

Bernard.

Idem.

*Præcedenti Doctrinæ refragari videtur D. Bernardus.*

*D. Bernardus explicatur.*

Bernard.

Suarez.

27. Engaddi *fontem Hœdi* interpretantur Philo, Aponius, Bernardus ſerm. 44. & alij: referunt proinde ad Baptiſmum: nam Hœdi in ſacris Hieroglyphicis ſymbola Peccatorum: Quoniam autem Baptiſmus omnes animæ abſtergit maculas atque de laſciuientibus Hœdis & impuris Agnos faciat innocentiâ candidos, propterea nomine fontis Hœdi deſignatur: fateor Baptiſmi vim in eluendis peccatorum ſordibus, de qua Chryſoſtomus tom. 5. hom. ad Baptizandos: *Etſi mollis, etſi fornicator, etſi idolis ſeruiens, etſi quid aliud huiuſmodi generis quiſpiam reperiatur, etſi omni humanâ deteſtabilitate fuerit prægrauatus, etſi totius malitiæ notis adſtrictus: cùm ad illam natatoriam venerit, cùm illius fontis diuinos ſenſerit riuos; Solis radijs mundior eleuatur.* Agnoſco ſimile encomium apud Cyrillum Hieroſolymitanum Præfat. in Catecheſes: *Magnum eſt ſanè propoſitum hoc Baptiſma, captiuitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, currus ad cœlum, deliciæ Paradiſi.* Agnoſco & apud Optatum Mileuitanum lib. 5. *Quis enim fidelium neſciat ſingulare Baptiſma virtutum eſſe vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cæleſtis regni comparationem, innocentiæ portum, peccatorum naufragium?* Denique & ſchola Catholica proclamat abſque controuerſia, Florentinum ſequuta in decreto Eugenij: Duo tamen genuinam eſſe intrepretationem vetant: Primum, quòd Allegoria Hiſtoriæ fulcimento careat: neque enim Engadditanus Tractus fluuiatilis, ſed aut campeſtris, aut montanus: Deinde, cùm de iis primum hoc Epithalamij Caput agat quæ Chriſti Redemptoris obitum ſubſequuta fuerint; de Baptiſmi Origine, atque Inſtitutione agendi locus non eſt, quam conſtat præceſſiſſe mortem Saluatoris: Num verò Patres, qui de Baptiſmo myſticè expoſuerint, non de eius agi inſtitutione putarint, ſed de cęrimoniis indicari vnam, quâ ſcilicet oleo perunguntur qui Baptiſmum ſuſcipiunt, in ſcapulis & pectore, vt aſſerit Sanctus Thomas 3. Parte, quæſt. 66. art. 10. ad 2. ſiue vt in pugnam Athleta præparetur, vt ibi Sanctus Doctor ex Beati Ambroſij ſententia innuit; ſeu vt à chriſmare Chriſtianus eſſe concipiatur, fidelium cœtui per ſalutares vndas aggregatus, vt monet Iuſtinus Martyr Quæſtionum Orthodoxarum 137. ſanè huius cogitationis fautor Bernardus: *In hoc typo* (inquit) *quotquot baptizandi ſunt; etiam corporaliter Eccleſia oleo materiali vngere conſueuit:* Quam appellat Valfridus Strabo libro de rebus Eccleſiaſticis, cap. 26. *antiquiſſimam conſuetudinem:* de qua meminêre Sanctus Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi Myſtagogica 2. Laurentius Nouarienſis hom. 1. de Pœnitentia: Seuerus Patriarcha Alexandrinus libro de Ritibus Baptiſmi.

Philo.

Aponius.

Bernard.

*Engaddi i. fōs hœdi: baptiſmum figurat.*

Chryſoſtom.

Cyrill. Ieroſol.

Optat. Mileuit.

*Olei vnctio in Baptiſmo quē in finem*

S. Thom.

Iuſtin. Mart.

Bernard.

Valfr. Strab.

Dionyſ. Areop.

Cyrill. Ieroſol.

Laurent. Nouar.

Seuerus.

28. *Alia Expoſitio, de Confirmationis Sacramento.*

Fortaſſe tamen verior multò ea fuerit cogitatio, quæ ad Oleum referat, quod de eſſentia Materiæ Sacramenti Confirmationis eſt, ſcilicet; cui ex neceſſitate Balſamum commiſceri oporteat, ita vt ſine aliqua Balſami Parte legitima Sacramenti Materia exiſtere non intelligatur: vide probationes apud Suarium tom. 3. in 3. part. diſp. 33. ſect. 1. Coning de Confirmatione ad quæſt. 72. articulum 2. & 3. Dubio 1. num. 31. Sanè maximam opinioni huic auctoritatem conciliat Florentinum in litteris Eugenij, dũ aſſerit: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio: cuius Materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ; & Balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto:* Cùm enim ſub indiſtinctis verbis materiam Sacramenti declarans

Suarez.

Conink.

Concil. Florent.

*Oleum & Balſamum Materia Cōfirmationis.*

*Gregor.*

Bellarmin.

Henriq.

Auctor Cardin. oper.

clarans, loquatur nullis adhibitis limitibus eodem pacto de Balſamo pariter ac de oleo: Quemadmodum extra Controuerſiam eſt, oleum pertinêre eſſentialiter ad materiam Sacramenti Confirmationis: ita quoque ſixum cenſeri dogma oporteat ad eandem ſpectare indiſpenſabili neceſſitate Balſamum: huius igitur Sacramenti Materiam ſubindicari hoc loco à Spiritu ſancto Expoſitio Gregorij Papæ monet, inquientis: *In Engaddi Balſamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chriſma efficitur, quo Dona Spiritus ſancti exprimuntur*: Et rectè quidem: Nam Baptiſmum ſtatim Confirmatio ſectatur, ad corroborandos nouos Chriſti milites & aduersùs interna certamina variarum Tentationum, & contra externam vim Perſequutorum Eccleſiæ, vt ex Patrum doctrina obſeruant Bellarminus de Confirmatione cap. 9. in ſecunda obiectione: Henriquez cap. 1. num. 2. vnde floridè admodum Auctor Tractatus de operibus Cardinalibus Chriſti apud Cyprianum, ſermone de vnctione Chriſmatis: *Et huius vnctionis beneficio, & ſapientia nobis & intellectus diuinitùs datur: conſilium & fortitudo cælitùs illabitur: Scientia, & Pietas, & Timor inſpirationibus ſupernis infunditur: Hoc oleo vncti cum ſpiritualibus nequitijs colluctantur*: Cùm igitur elapſo verſu: *Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, &c.* præſignificatæ fuerint iis, qui ab idolis Gentium conuerti voluerint, & ſuſcepto lauacro Regenerationis Sanctæ, piè deinceps in Chriſto Ieſu viuere ſtatuerint, quas erant paſſuri Tribulationes & ab internis Hoſtibus, & à ſæuientibus Perſecutorum gladiis pro Ethniciſmo decertantium; benè nunc conſolatur: Nam inſtituendum Sacramentum memorat, cuius delibuti vnguento de oleo & Balſamo confecto, vires accepturi ſint fortiſſimas: proinde bono ſint animo, & cum inimicis congredi quibuſcumque non vereantur aliquo modo.

Fabian. Papa. *Sacramentũ Confirmationis quando inſtitutum?*

Ioan. 20. 22.

Suarez.

Conink. Henriq.

29. Opponas: Hoc Sacramentum inſtitutum eſſe à Chriſto nocte Cœnæ: Nam Fabianus Papa epiſtola 2. ad Orientales, cap. 1. *In illa die* (inquit) *Dominus Ieſus poſtquam cœnauit cum Diſcipulis, & lauit eorum pedes (ſicut à Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) Chriſma conficere docuit*: Quamobrem igitur hoc loco, vbi ſermonem inſtitui ſupponimus de his, quæ Chriſti Reſurrectionem conſecuta ſunt. Confirmationis Sacramentum ingerimus? Reſpondeo: licet in vltima Cæna Chriſtus Sacramentum iſtud, quoad ſubſtantiam inſtituerit; déque eius Ritibus Apoſtoli edocti fuerint; tamen non fuit conceſſa poteſtas adminiſtrãdi illud, quoad Apoſtoli Epiſcopi declarati ſunt: Hoc autem veroſimilius eſt contigiſſe tum, cùm Ioannis c. 20. v. 22. ad illos dictum eſt: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Quare inchoata eſt quidem inſtitutio in nocte Cœnæ; ſed non omnimodè completa, quoad Epiſcopalis adiuncta eſt poteſtas, cùm ſine hac in vſum redigi Sacramentum non poſſit: Quod eſt Suarij placitum tom. 3. in 3. Partem, diſp. 32. ſect. 2. in fine; Coning de Confirmatione art. 1. dub. 2. concluſione 2. num. 23. & alij apud Henriquez c. 1. de Confirmatione in Gloſſemate; & ipſe de Sacramento Ordinis, cap. 6. num. 2. Iuxta hæc itaque, non importunè etiam poſt Chriſti Reſurrectionem de Sacramento Confirmationis mentio inſerta: imò quidem verſu antecedenti; *Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus*, &c. oſtendimus ea ſubintelligi, de quibus actum Ioannis c. 20. memoratis verbis: *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata*, &c. cùm igitur verba illa cum ſequentibus non extendantur modò ad forum Pœnitentiæ, & Iuriſdictionem ad ferendas cenſuras Eccleſiaſticas, de quibus nos ibi; ſed etiam ad ordinationem Epiſcopalem: non malè hoc immediato ad illum verſu, de vſu Sacramenti Confirmationis tractamus, qui tum cœpit expeditus eſſe, cùm Miniſtrum habuit, ſcilicet Epiſcopali fungentem honore.

Plin. *Balſamum non ſola Iudæa profert, ſed & Ægyptus & Arabia Felix.*

Dioſcorid. Strabo. Maſius. Serar.

Ioſeph. Brocard.

Ezechiel. 27. 17.

30. Sectarij contendunt, Balſamum ad Materiam Sacramenti Confirmationis non pertinêre eſſentialiter, quoniam Plinio Aſſertore ex omnibus orbis Terrarum Prouinciis vna ferebat Iudæa, lib. 12. cap. 24. non eſt autem credibile inde ſuppeditatum reliquis Mundi nationibus quantùm neceſſarium eſſet tot Chriſtianorum Epiſcopatibus, præſertim renouato in annos ſingulos Chriſmate: Reſpondeo & in Ægypto, & in Arabia felice adnaſci quoque, vt ex Dioſcoride & Strabone probat Andreas Maſius in illa cap. 2. Ioſue: *Cæterum miſerat Ioſue*, &c. obſeruat & Serarius q. 4. in c. 1. Ioſue: certè in Iudæam à Regina Saba allatum Balſami ſurculum famâ celebrari monſtrauimus ſuperiùs ex Ioſepho Flauio: de Ægypto teſtatur & quidem ante Plinij ætatem Brocardus Monachus productus n. 6. Præbeamus tamen Iudææ ſolius ambitu circumſcriptum Balſamum; hîc tamen eius eximia copia multis in locis gignebatur: Nam & in Ierichuntinis & Engadditanis Hortis vt exploratum eſt, & nos abundè probauimus eodem loco: Maſius autem quem nuper citauimus, aſſerit ex Strabone Cauam Syriam, quæ inter Libanum & Antilibanum iacet, Balſama ſubminiſtrare: Auctor Hiſtoriæ Generalis Plantarum Tom. 2. lib. 18. c. 13. narrat, & in ipſius Libani montis quadam parte Opobalſami Virgulta conſpecta: Denique quod exundaret optimus liquor, ad nundinas diſtrahebatur ab Inſtitoribus; Quare de venientibus ad Tyri emporiũ Ezechiel. c. 27. v. 17. *Iuda & Terra Iſraël ipſi inſitores tui in frumento primo: Balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis.* Inde à Græcis & Italis Mercatoribus vnâ confluentibus in Europam & Aſiam tranſportabatur: poſt Iudææ vaſtationem Ægyptus ſuppeditabat, nunc & Braſilienſis & Mexicana Prouincia de quibus numero præfato: non adulterinum aut inſyncerum, ſed germanum, licet fortaſſe ſpecie diſtinctum: At non minùs diuerſum vinum Rubrum: conſecrationis tamen legitima Materia ſicut album.

Aponius. *Botrus Cypri de Euchariſtia intellectus.*

Gilbert.

Luc. 24. 30.

31. De Corpore & Sanguine Chriſti Botrum Cypri Aponius interpretatur inquiens: *Qui vtique pro loco, vel tempore, vel cauſâ, eſca & Potus Eccleſiæ factus eſt per Corporis ſui & Sanguinis Sacramentum*: Et quidem ſi de Botro vuæ Cypri Inſulæ intelligamus, rectè Calix Domini præfiguratur: Sin autẽ de arbore Cypri, eius flore Panis indicatur, nam Manna ſimilitudinem habet, vt notat Gillebertus ſerm. 34. in Cantica, Manna autem ex præcipuis Euchariſtiæ typis, & quo Hoſtia ſingulariter denotatur. Poſtquam igitur Chriſtus reſurrexit à mortuis, dedit poteſtatem Apoſtolis, vt vel laxarent peccatorum vincula, vel retinerent culpas, Ioannis c. 20. Sed altero etiam die apparuit gradientibus in Emmaus duobus ex cœtu Diſcipulorum, quibuſcum ad menſam recumbens pane accepto, *Benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: & aperti ſunt oculi eorum & cognouerunt eum*, Luc. cap. 24. verſ. 30. Panem autem illum in corpus Chriſti conuerſum præter dubiũ eſſe ſentiendum

Maldonatus



Maldonat. *Fractio Panis in Emmaus de Euchariſtia exponitur.*

Actor. 2. 46.

Ibid.

Luc. 24. 32.

Origen.

*Euchariſtia roborat.*

Maldonatus commonſtrat: vtrumque à Seruatore factum, vt quemadmodum lactanda fuiſſet noua Eccleſia ab Apoſtolis ediſcerent; nimirum in crebra munditia Animæ per Sacramentũ Pœnitentiæ: & in quotidiana Synaxe per manducationem corporis Chriſti: Quod ab eis fideliter præſtitum, poſt ſublatum in cælos filium Dei, *frangentes circa domos Panem*, Euchariſtiæ videlicet participes facti, Actor. cap. 2. v. 46. & eodem cap. v. 42. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis Panis, & orationibus*: ergo ſicut verſu antecedenti: *faſciculus Myrrhæ*, &c. tangi aſſeruimus, quæ apud Ioannem ſcripta ſunt de inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ: ita hoc loco ea perſtringantur quæ apud Lucam inueniuntur de fractione Panis adumbrante quotidianam primitiuorum fidelium Communionem: Sanè ad eius Hiſtoriæ verba illa: *Nonne Cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* reſpici innuit Origenes hom. 2. ex quatuor ſub finem: *Quod ſi Cyperus* (ait) *ſui generis Arbor accipiendus eſt, cuius fructus, etiam flos, non tantùm odoris ſuauitatem, quantùm & vim calefaciendi, ac fouendi dicitur poſſidêre: illa ſine dubio accipitur Sponſi virtus, qua incaleſcunt Animæ erga fidem eius, & charitatem, quæ contingebat eos, qui dicebant: Nonne Cor noſtrum erat ardens intra nos, cùm adaperiret nobis Scripturas?* Sin autem Myrrhæ faſciculo Martyria prænunciabantur, & laborum ſeges ampla ſub multis, vehementibúſque Perſecutionum formis: eximiè ſubinfertur ſtatim calicis & Panis Dominici Memoria, nam robur ſuggerunt dimicaturis: Quare Pſalm. 22. v. 5. vbi Latina interpretatio: *Et calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* Ambroſius in Pſal. 35. Septuaginta ſequutus vertit: Quàm *validus*, ſeu *quàm potens?* Et Pſal. 77. v. 25. vbi de Manna: *Panem Angelorum manducauit Homo*, ex Hebręo tranſtulit Hieronymus: *Panem fortium comedit vir.* idcircò ad Martyrium ituri ſacrâ communiebantur Hoſtiâ, vt ſtrenui agonem intrarent; de quo vſu Cyprianus loquebatur ep. 54. *Idoneus eſſe non poteſt ad Martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & Mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit*: Vires quoque diuinæ cuiuſdam firmitatis aduersùm Satanæ impetus ſubminiſtrat: vnde B. Chryſoſtomus hom. 61. ad Populum Antioch. fideles hortatur: *Tanquàm Leones igitur ignem ſpirantes ab ea Menſa recedamus, facti Diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & Charitatem, quam erga nos oſtendit.*

Pſalm. 22. 5.

Ambroſ.

Pſal. 77. 25.

Hieronym. *Ad Martyriũ ituri Euchariſtiâ muniebantur.*

Cyprian.

Chryſoſtom.

32. Origen. Theodoret. Orgelitan. Pſellus.

Bernard. Engaddi. i. *Oculus Tentationis.*

32. Origenes hom. 2. ex duabus, Engaddi, *oculum Tentationis* interpretatus, Theodoretus, Iuſtus Orgelitanus, Pſellus: ſunt autem eiuſmodi lumina Magiſtri & Doctores ſpiritales in Eccleſia, qui norunt ſeparare pretioſum à vili, & inimici detegere verſutas cogitationes, de quibus hunc exponens locum S. Bernardus: *Engaddi dicitur oculus Tentationis, qui tentationes, quæ minimè vnquàm deſunt vitæ Hominis ſuper terram, proſpiciat: ſed & Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, nunquàm per ſe laqueos Tentationum agnoſcere, ac per hoc nec euadere potuit, donec per gratiam illius, qui illuminat cæcos, recepit oculos fidei; donec venit ad Eccleſiam, quæ habet oculum Tentationis, donec ſe tradidit viris ſpiritualibus inſtruendum; qui illuminati Spiritu Sapientiæ, ſuo & experimento docti, poſſunt veraciter dicere; quia non ignoramus aſtutias Diaboli, & cogitationes eius.* Et benè tali in gleba conſitum Pomum Paradiſi, quod Botro Cypri intelligi poſſe conati ſumus oſtendere, & de cuius ſpecie lignum fuiſſe ſcientiæ Boni & Mali in nemore Paradiſiaco aſſerere quoſdam perſpeximus: in hoc enim Tentatio communior, quòd decipimur figurâ recti, & Malum virtutem appellamus: inde plurimarum Hæreſum origo, inde miſerabiles caſus plurium quibus veritas quondam affulſit, & poſtea Diabolus transfigurans ſe in Angelum lucis impoſuit: Contra has igitur ſpiritalis nequitiæ technas Pædagogos cautos & peritos Eccleſiæ pollicetur Sponſus: ô charam Dilecti Prouidentiam! Cùm enim Tentatio ſit vita Hominis ſuper terram, abſque naucleris & Ducibus, quæ ſpes emergendi? Quæ fiducia ſalutis? Lætatus ſupra modum, ille ſecundum Dei voluntatem Beatus Propheta, ſibi hoc conceſſum muneris, de quo exultat, Pſalm. 50. v. 8. *Incerta, & occulta Sapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*: Quæ elucidans verba Richardus Victorinus de eruditione interioris Hominis c. 14. *Reuelat* (inquit) *profunda, & abſcondita, & nouit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt.* Iure lætatur pro dono eximiæ gratiæ: Nam *Ars artium, & ſcientia ſcientiarum eſt*, regere ſiue propriam, ſiue alienam, Humanam tamen mentem, vt effatur Nazianzenus Gregorius Oratione 1. Huius ſalutaris diſciplinæ primâ laureâ concincta Apoſtolorũ ſchola, de quibus Petrus Bleſsẽſis ſerm. 33. in Feſto Omnium Sanctorum: *Hi fuerunt Onagri, plenitudinem gentium expectantes in ſiti ſua: Tradunt enim, qui de naturis rerum agunt, quòd in diebus æquinoctiorum Onagri horas diei, & noctis rugitibus ſuis diſtinguunt, & quaſi naturales Horoſcopi primâ Horâ diei, vbicumque Terrarum ſunt, rugitum emittunt: ſimiliter ſecundâ, & tertiâ & deinceps, idipsũ de Horis noctis ſentientes: Ad hunc modum Apoſtoli ſermone ſuo in omnes fines Terræ, opera lucis & tenebrarum diſtinxerunt, opera Carnis ab operibus Spiritus ſecernentes: qui & ipſi duodecim Horæ diei à Domino nominati ſunt*: Hinc de Paulo, qui gentium Præceptor futurus, diuinum Oraculum, Actor. c. 9. v. 15. *Vas electionis eſt mihi iſte*, id eſt Hieronymo Commentatore epiſtola 103. *Vas legis & Sanctarum Scripturarum armarium*: Talibus enim ſacratioris Philoſophiæ præſidiis imbutus, dignus vtique Eccleſiarum Magiſter, vt qui luminis copiâ ab adulteratis vera ſecernere noſſet peritus Director: Nam ſi etiam de Naturali Philoſophiæ indagatione Tertullianus pronunciauit libro de Anima, capite 2. *Medicinæ ſororem* æſtimari: quòd ſicut Medicorum ſcopus eſt in valetudinibus opitulari corporis: ita Sapientiæ induſtriâ corruptelæ Mentis auertantur: Quantò magis id intelligendum de ſuperinfuſa doctrina? Quamobrem ſine huius Notitiæ gloriâ Antiſtitis vana eſt appellatio: vnde per Iſaiam conqueſtus Dominus c. 56. verſ. 10. *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi*: grauitérque per Oſæam comminatur cap. 4. verſ. 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

*Eccleſiæ Præſules cautos & ſpirituum diſcretione inſtructos pollicetur Sponſus.*

Pſalm. 50. 8.

Richard. Victor. *Ars artium, Regere hominum mentes.* Nazianzen.

P. Bleſſenſ. *Onagri horas diei & noctis rugitu ſuo diſtinguunt.*

Act. 9. 15. Hieronym.

Tertullian.

Iſai. 56. 10. Oſee 4. 6.

*atque exuberat : Quia non tantùm ad participationem vt cæteri ; ſed etiam ad ſingulare quoddam miniſterium Gratiæ einſdem eſt ſpecialiter electâ :* Si igitur Gratia Dei ſpecialiſſimis titulis Virginis intemeratæ Genitrix nuncupatur ; quòd in Templis nidificat, id ſignificat, delegiſſe hanc ſibi plantam, quam à mamillis & crepundio ad altaria tranferret,quæ propè Sancta ſanctorum ante propitiatorium & arcam, infantiam exerceret : probè igitur quod Turtur non in eremo, condensíſque arboribus nidum componat, ſed in Delubro inter Sacerdotales laudes.

35. Exod.16.21.

Iſraëlitis ab æthere miſſus Panis, quem iuſſi ſunt vt diluculo colligerent, Exod. 16. verſ. 21. Quamobrem non ad veſperam aut ad Meridiem? nimirum, quia Sole exæſtuante liquefiebat vt Textus allegatus monet ; ſed qui fecit, vt cùm vna ſolùm appareret eſca, pro voluptate comedentium in diuerſa ſaperet, non potuit robur conceſſiſſe aduersùs calefactum ſydus? Num in Mariæ typum? nam & eius figura Manna, aſſertore Ambroſio ſerm.3.in Pſalm.21. *Mariam enim* (inquit) *& Manna dixerim, quia eſt ſubtilis & ſplendida, ſuauis & Virgo, quæ velut cælitus veniens cunctis Eccleſiarum populis cibum dulciorem melle defluxit :* ſi igitur Deipara Manna, ſub diei principio, ſub vitæ ſcilicet exordio colligenda erat in aſylum venerandæ Religionis: alia referantur de pratis alimenta aut ſub adultam Lucem, aut ſub decreſcentem ; quod cæleſte nutrimentum eſt, cùm aurora colligatur antequam Phœbus immitis ardeat : Sic igitur & aliæ Virgines ad Ginæcea conuolent, aut poſt rationis vſum afferentes annos, vt properare deſiderent, aut exactâ pubertate : Verùm hæc ſuperhumanæ virtutis Puella, cùm Deum paritura ſit, intret in Sanctuarium eius penè antequàm ambulare valeat : Quam ita intrantem demiratus Cantici Auctor exclamauit ſtupeſcens cap. 7. verſ. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis?* non ſic de filia Sion Ieremias, Threnor. cap.1. verſ. 8. *Spreuerunt illam, quia viderunt ignominiam eius :* Quænam hæc ignominia, ob quam contempſerunt? *Sordes*(ait) *eius in pedibus eius?* vnde ſordes inclytæ quondam filiæ Sion? Quoniam colligi noluit, quoniam huc illuc palans ferebatur, & idcirco filia vaga appellata eſt : quare increpat idem Ieremias cap. 31. verſ. 22. *Vſquequò delicijs diſſoluêris filia vaga?* Sed & columbæ illius cum Noë iuſto non fuit perpetua & ſtabilis manſio: Nam cùm poſt alios ſeptem dies emiſiſſet, non eſt amplius reuerſa, Geneſ. cap.8. verſ. 12. ô ſi tu noſſes in die hac, fatua volucris, quantùm Mali ſit à iuſti conſortio & familiaritate receſſiſſe : Heu! quàm cito futura ſis præda ſæuienti accipitri! vtinam non hæc tibi calamitas propterea acciderit, quòd ſerò ad arcam colligebaris : ad veſperam námque reuertebaris portans ramum Oliuæ virentibus foliis in ore : Cur non primo manè aurorâ diffundente radios? felix hæc noſtra Columba non expectauit occaſum vt properaret in atria Domini, & ideo Beatam dicent omnes generationes ſæculorum : ſi enim (vt cantat Ieremias Threnorum cap. 3. verſ. 27.) *bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua,* quantò melior Virgo hæc, quæ non ſolùm ab adoleſcentia in domo Domini commorata, ſed ab infantia, à primis vnguiculis?

Ambroſ. *Vt Manna diluculo colligẽda erat, ſic Maria in primo vitæ exordio in ſacrum Religionis aſylum colligenda fuit.*

Cantic.7.1.

Thren.1.8.

Ierem.31.22.

Geneſ.8.

Thren.3.27.

---

*Chriſtus abſque ſolatio paſſus, lætitiam ad Martyrum agonas tranſmiſit.*

## Sectio II.

36.

Conſtat ex Martyrum Actis, lætitiâ ſæpenumero exultaſſe admirabili, dum corporis diſcerperentur membra, vt vix doloris ſenſum haberent aliquem ; Nec raro feræ abſtinebant à morſibus, à ſuffocatu amnes, ab incendio ignes : At Dux vitæ Ieſus, & tantorum gaudiorum liberalis Auctor, triſtatur vſque ad mortem, dum ex horto Genitorem obteſtatur de patibulo audientibus etiam inimicis vociferatur : Deus, Deus meus vt quid dereliquiſti me? ô bonum Magiſtrum ſibi immitem, Diſcipulis crucem baiulaturis ſuauem! Hoc Botrum Cypri in vineis Engaddi ſurgentem indicare monſtrauimus ex Aponio ſuperiùs num. 21. Miſſi in fornacem ignis ardentis Pueri tres, apparuerunt tamen quattuor, ſcilicet deſcenderat Ieſus in figura: *Ecce* (ait Tyrannus, Danielis, c.3. v.92.) *ego video quattuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Quam ob cauſam in flammas dilapſus? Chriſto quidem patiente fugerunt Diſcipuli, à quorum contubernio lenimen Triſtitiæ accepiſſet mœror : vnde per Dauidem conqueritur Pſalm.68 *Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit : & qui conſolaretur, & non inueni.* Iam in trium Puerorum carnificina Martyrum delineabantur pugnæ : vt igitur Seruator innueret, aliam fuiſſe ſuæ Paſſionis conditionem, aliam Martyrum ; ſibi permiſit deeſſe, qui ſodalitio voluptatem afferrent aliquam deiectis rebus: ſed Pueros ſolos eſſe non tolerauit ne, abſque ſolatio Martyrum futura certamina intelligerentur, idcircò etiam & temperauit incendia quaſi vento roris flante : Tertullianus lib. 4. contra Marcionem : *Nec alius erit capacior vtriuſque, quàm qui prior & nomen ſortitus eſt Chriſti, & appellationem filij Hominis, IESVS ſcilicet Creatoris : Hic erat viſus Babylonio Regi in fornace cum Martyribus ſuis quartus tanquam filius Hominis.*

Apon.

Daniel 3.92.

Pſalm.68 21. *A ſuis Chriſtus dum patitur derelictus, tribus in fornace pueris adeſt, flãmas irroraturus.*

Tertullian.

37. Ioan.19.28.

Siti cruciatum ſe, de ligno, in quo pendebat, voce teſtatus Chriſtus, Ioan. cap.19. verſ. 28. ſed nónne ibidem Euangeliſta affirmat, ex aperto defuncti latere ſanguinem & aquam profluxiſſe? ſi igitur in pectore aquarum vena, quæ potus neceſſitas? Rectè Arnoldus Carnotenſis Tractatu de ſeptem verbis Domini, in verbum *Sitio : Mirum dictu, tremendum relatu, profluentibus de ſacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vberi largis liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet, & ipſe mundum irrigans, & fœcundans, de ariditate cauſatur.* Sed eſto ſitis torqueret ardor, ſolet tamen à fortiori malo conſopiri memoria leuioris plagæ: at ſitis acerbitate licet graui, triſtiora erant Crucis ſupplicia : cur non igitur pro, his omiſsâ ſitis recordatione, ingemiſcit? Aduertit Drogo Hoſtienſis de ſacramento Dominicæ Paſſionis, inquiens : *Sitio,* (*ait*) *Domine, quid ſitis? ergóne plus cruciat ſitis, quàm Crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas?* Verùm quid ſitiret myſticè Seruator, quid anima eius ſitiret, ſtatim benè declarat Drogo : *Sitio : quid? veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium : plus animarum veſtrarum, quàm corporis mei cruciatus me tenet.* O tamen iucundum verbum in aure peccatoris, quod

Arnold. Carnot. *De ſiti potiùs quàm de Crucis ſupplicio queritur Chriſtus : ſitiebat nempe noſtram ſalutem, quàm ſuis cruciatibus præfert.*

Drogo.

Idem.



quod Chriſtus ſitiat! nam coniugulatum ab eo ſerpentem Diabolum, qui inimicatur omni humano generi, vox illa dulciſſima captiuis Adæ filiis indicat : Quippè Ceruorum ea Natura eſt, vt depaſcantur ſerpentibus, quos cùm vorauerint ſiti afficiuntur immani, vt niſi intra paucas horas laticibus refoueantur, emori contingat : probat Lorinus ad verſum 1.Pſalm.41. *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum,* &c. Sitis itaque Ceruorum indicat conglutitos ab iis ſerpentes: vicit igitur Chriſtus ſæuiſſimum aſpidem, atque ideò ſitit : Arnoldus Carnotenſis vbi ſuprà : *Iam abſorpto ſerpente feſtinat ad lauacrum inimicorum, & moritur pro impijs & rebelles adoptat :* ecce iam ex his, quamobrem indixerit quos elegerat ſeptuaginta duobus Diſcipulis, ne calceamenta portarent, Lucæ capite 10. verſ. 4. nempè contra ſerpentùm morſus obteguntur pedes: Sed viperinos dentes confregit Saluator : ſine offendiculo deinceps via eſt : nudis ire veſtigiis licet per quaſcumque ſemitas : ô Chriſti in ſuos dilectionem! vt ſeruis indifficile, & ſecurum iter ſternat, cum ſerpente congreditur : Quod durum eſt, in ſe transfert : quod lætum & ſuaue eſt, famulis præparat.

*Chriſtus vt Ceruus, abſorpto ſerpente ſitit.*

Lorin. Pſalm.41. 1.

Arnold. Carnot.

Luc.10.4.

38. Act.7.55.

Dum aduersùs Stephanum fremerent Iudæi, dentibus in eum ſtridentes, ille intuens in cœlum exclamat : *Ecce video cœlos apertos, & filium Hominis ſtantem à dextris Dei,* Actor.cap.7.v.55. Quamobrem ſub Martyrij hora reſeratæ cœlorum valuæ & Chriſti demonſtrata eſt gloria? Sanè exhortatus aliquando Redemptor hominum, vt qui eum ſequi deſtinarent, abnegarent ſemetipſos, & tollerent Crucem ſuam hoc eſt, Paſſionis imitarentur exempla : atqui in morte Chriſtus ſolatio caruit, nam derelictum ſe genitori cauſatus eſt, & nondum admotis tormentorum generibus cùm in viridario precaretur, contriſtatus eſt ſupra modum: ergo, ſi profundum ſubire mœrorem ad capitis imitationem, ſi derelinqui membris cõtingeret, fortaſſe timidiores deſperatione fracti, ſtadij ingreſſum recuſarent: Quo itaque perciperent, aliam fuiſſe Ducis conditionem, aliam famulorum ; Ducem ſibi horridiora voluiſſe, ſeruis contemperatas gaudiis luctas ; in Martyrum Anteſignano Stephano, quid ſperare oporteat decertaturos, indicat : vt cùm nouerint Olympum diffindi, Chriſti Ieſu immortalis & Beatiſſimi præſentiâ confortari Leuitam, cogitarent ſibi & adfuturum in prælio : Sic igitur bonus ille Paſtor Ieſus pro ouibus vitam impendit abſque lætitiæ adminiculis : & quas in Monte Thabor animæ Beatitati paululùm laxauit habenas, cohibuit dum pateretur, cupiens ſaturari doloribus : Verùm Stephano ſe gloriâ coronatum oſtendit, nam triumphabat apud Patris dexteram conſedens, ne ſine voluptatis ſenſu ſeruum pati ſuſtinuiſſe intelligeretur. Beda in nuncupatum Actorum caput : *Ad confortandam ergo Beati Martyris Patientiam cœleſtis Regni ianua panditur : & ne innoxius Homo lapidatus titubet in Terra: Deus Homo crucifixus apparet coronatus in cœlo.*

*Chriſtus qui in ſua morte ſolatio caruit, Protomartyri Stephano è cœlis adeſt & ſuâ præſentiâ hũc confortat.*

Beda.

39. Deuteron. 33.17.

Tauro Chriſtum ſub Ioſephi nomine Moyſes aſſimilauit, Cornua etiam tribuit *quaſi Primogeniti Tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius,* Deuteronom. capite 33. verſ.17. Crucis ſanctiſſima brachia interpretatus eſt lib.3. contra Marcion. Tertullianus : *Ioſeph & ipſe Chriſtum figuratus cùm benedicitur à Patre,* (à Moyſe quidem, niſi fortaſſe paternam Benedictionem iterauit, & adiunxit, quod apud Geneſim tacuit) *etiam in hæc verba : Tauri decor eius, cornua vnicornis cornua eius, cuius cornua eſſent Crucis :* Verùm in quem finem iſtiuſmodi cornua? ad manus perforandas, ad ſacri corporis Torturam : Nam *cornua in manibus eius,* inquit Habacuc cap. 3. verſ. 4. Quàm vile ſupplicium, Mors in Patibulo! Qualem ibi contuitus eſt pulcherrimum iuuenem Iſaias cap. 53. verſ. 3. *deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem : & Nos* (addit) *putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum!* Cerne quantùm attulerint Chriſto probrum Cornua crucis ſub patiendi tempore! Aſcendit montem Legiſlator, confabulatur cùm Deo, & tandem ad multitudinem cum Cornibus prodit : *Cùm deſcenderet Moyſes de monte* (Exod.cap.34. verſ.29.) *Sinai, tenebat duas Tabulas teſtimonij, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini :* Numquid inhonoratus à Cornibus Moyſes? imò ſic fulgurabat ab eis vultus, vt non auderent propè accedere Iſraëlitæ, & velamine facies cooperienda fuerit: Sed cur ſub cornibus deſpectus Chriſtus, & nouiſſimus virorum, ſub iiſdémque Moyſes clarus & ſplendeſcens? Nempe Chriſtus Dominus erat, Moyſes famulos repræſentabat : Quoniam igitur lætitiam communicaturus erat Martyribus, cùm ad necem ducerentur, ſub crucis viſu, quam ſibimet negaturus erat filius : ideò ſub cornibus ipſe ſqualidus atque mœſtus apparet: Moyſis verò cornuta facies hilaris atque iucunda eſt.

Tertull. *Cornua honorant Moyſem, quæ Chriſtũ cruciant, & infamant.*

Habac.3.4.

Iſai.53.3.

Exod.34.29.

40. Leuit 14.4.

In expiatione leproſi præcipit Sacerdos emaculato, Leuit.cap.14. verſ 4. vt ex duobus, quos offerat pro ſe Paſſeribus, vnum immolet in vaſe fictili ſuper aquas viuentes : alium tingat in ſanguine Paſſeris immolati, & dimittat vt in agrum euolet : ô diſparem vtriuſque volucris ſortem! alter occumbit, & letho cedit ; alter non quidem Caueâ includitur, quæ tamen beata conditio eſſet reſpectu enecati ſodalis : ſed quod optatiſſimum contingere potuiſſet, ad ſyluas & nemora, vt redeat, ſit copia: ſed quiſnam ille paſſer, cui non ſolùm veteris patriæ negata libertas, atque vt ad frondoſa cacumina iterum modulaturus ſuauiter remearet, verùm per vulnera & ſanguinem animam ſacrã efflat, niſi Chriſtus Redemptor mortalium, qui cruore perfuſus obiit exaltatus à Terra in ligno pendẽs? Quid eius ſocij? quid Martyrio deuotæ victimæ? Sæpè Angelorum ſubſidiis carceribus extractæ, & liberè abire iuſſæ, vt Petro accidiſſe commemorat Lucas Actor. c.12. Quoties Beſtiæ etiam ad furias prouocatæ lacerare noluerunt? Quoties gladius obtuſus eſt? Quoties elementa pepercêre? igitur cùm rogare Patrem Chriſtus potuiſſet, atque ille plusquàm duodecim legiones mitteret, à quibus filius propugnaretur, abſtinuit à ſui defenſione, qui Martyres liberauit: At quorſum ſyluæ reſtituendus Paſſer, guttis emortui alitis cruentatur, niſi vt concipiamus, quòd incolumes euaſerint ſæpius Martyrio aſſignati, quòd pro iis contra Perſequutores vel Angelicæ mentes, vel ipſæ irrationales decertauerint creaturæ, id quantùm eſt Honoris & prœmij, Chriſti eſſe tribuendum ſanguini? O Domini & famulorum contrarias vices! ille conſpuitur, flagellatur, occiditur penès quem vitæ & necis diſpenſatio: illi

*Chriſtus vt Paſſer ſacrificatur in expiationem Leproſi, & Paſſeri alteri (Martyribus ſuis) libertatẽ & ſalutem parit.*

Act.12.

illi euadunt, transferuntur incolumes ad loca
rutæ ſecuritatis! de Chriſto quidem Cyrillus
Alexandrinus expoſuit,aliâ tamen viâ, nimirum
de gloria, quam per ignominiam crucis & ſan-
guinis eruptionem inſectâ vulneribus cute, con-
ſequutus ſit: Epiſtolâ ad Acacium de capro emiſ-
Cyrill, Alex. ſario, inquit: *Tingebatur enim Paſſer viuus in ſan-
guine occiſi, & ſanguine quidem illius cruenta-
tus,Paſſioniſque propemodum particeps,in ſolitudinem
dimittebatur: ad cœlum enim vnigenitum Dei Ver-
bum vnà cum Carne ſibi vnita rediyt, erátque nouum
hoc in cœlis ſpectaculum: obſtupuit enim Sanctorum
Angelorum multitudo,cùm Regem gloriæ, exercituúm-
que Dominum in forma humana cernerent.*

41. Elegit Septuaginta duos Diſcipulos Chriſtus,
& cùm mitteret binos in omnem Ciuitatem &
locum, quò erat ipſe venturus, dicebat illis;
Luc.10,2, *Meſſis quidem multa, operary autem pauci*, Lucæ
cap.10. verſ.2. dicebat autem & in typum quo-
que Euangelicæ prædicationis apud gentes: Ve-
rùm quomodo ad ſegetes auctas & maturas Di-
ſcipuli mittuntur,tantáque eſt vbertas Meſſis, vt
pauci videantur, qui ſpicam deiiciant? obſecro
annon Agricolarum magnis ſudoribus fertilis
redditus eſt ager,cuius ſic exundat partus? Quis
ſtercorauit? quis vepres amouit? quis hyberno
ſub frigore vomere aperuit? quis Zizania,verum
ementientia frumentum euulſit? Audiamus de
his auream Chryſoſtomi eloquentiam ex catena
Chryſoſtom. Angelici Doctoris ad cap.10. Lucæ: *Sed qualiter*
*Chriſtus in multis laboribus & arat, & ſeminat: Abundantis & glorioſa meſſis honorẽ Apoſtolis relinquit.*
*Meſſem vocat,cùm res ad præſens exordium ſumatur;
nondum iacto aratro, aut ſulcis productis de meſſibus
tractat: poterant enim Diſcipuli vacillare, & ſecum
meditari,& dicere: qualiter nos numerus breuis emen-
dare poterimus totum mundum:Idiotæ Sophiſtas, mu-
nitos nudi, Dominantes ſubditi? Ne igitur conſi-
deratione talium turbarentur*, vocat *Euangelium
Meſſem: quaſi dicat: parata ſunt omnia: mitto
vos ad paratam collectionem frugum: eodem die &
ſerere poteſtis & metere:* igitur alius eſt, qui Ter-
ræ ſemina mandat in ſudore vultus ſui, qui
glebam excolit, & naſcentia expurgat tritica:
alius qui in horrea congregat, & lætatur in
die meſſis ſicut exultant Victores captâ prædâ:
etenim conuerſio gentium fructus Paſſionis
Chriſti extitit: Nam Iſaiæ pollicebatur Vatici-
Iſai.53.10. nium: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, vide-
bit ſemen longæuum*, cap.53. verſ.10.Hæc eſt Meſ-
ſis in quam Apoſtoli introierunt: ſuſtinuerunt
illi quidem graues laborum ſarcinas in frigore,
in nuditate, in fame, in ſexcentis malorum ima-
ginibus; verùm non ſine conſolationibus exi-
miis: Quibus enim affluxiſſe gaudiis arbitrêris,
cùm intuerentur deſtrui infandas aras ſacrile-
gis dicatas numinibus, ad Baptiſmi properare
vndas, populorum, qui iacebant in tenebris im-
manes cateruas, Eccleſiæ protendi imperium?
Chriſtus itaque patiebatur, & arabat, & quod
in Agricolatione durum eſt,portabat, nam Meſ-
ſis gloria quaſi in vnius ſpicæ emolumento bono
vindicato ad Beatitudinem latrone:ſed quoniam
famulorum Martyria ſolatiis exuberare decreuit,
Meſſis copioſæ honorem eis reliquit, vt Natio-
num conuerſio leniret Tyrannicę acerbitatis cru-
delitatem: Hinc igitur eſt, quod ſibi quaſi purè
reſeruatis culturæ malignitatibus; Diſci-
pulos ad Meſſis vtilitatem remittat;
vt ipſo tolerante aduerſa ſine
refrigerio; illi dulcore
fruantur.

---

*Non ſolùm internæ iuſtitiæ habendam ratio-
nem: ſed etiam procurandum, ne externæ
aliquid diſcedat famæ.*

## SECTIO III.

NOn ſufficit in Deum Teſtem geſta referre: 42.
Proximorum etiam cõſulendum eſt oculis,
& quoad fieri valeat peſſimarũ ſuſpicionum tol-
lendæ occaſiones: delicata eſt optimi Nominis
fama: & quemadmodum conſtantis eſt animi
deſpexiſſe vituperia, cùm ſine fuco & palàm au-
det inuidia. *Nam malè audire cùm benè facias*, (ait Dio.
Dio Oratione 47.)*Regium eſt*: ita perieuloſus eſt
error & magnorum facinorum velamentum, cõ-
tempſiſſe vndequaque, quod alij de nobis iudi-
care velint:habenda eſt igitur cura etiam Rumo- *Balſamum*
ris, quam nobis Balſamum Vinearum Engaddi *bonæ famæ*
myſticè commendat,vt vidimus ſuperiùs ex Flo- *ſymbolum.*
rentina Synodo num.28. Siquidem *odor bonus* (vt
loquitur Auguſtinus lib.3.de Doctrina Chriſtia-
ſtiana c.12.) *bona fama eſt:*oſtendimus autem Bal- Auguſtin.
ſami fragrantiam omnibus aromatum præſtare
odoribus; atque ob eam cauſam bonæ eſſe ſym-
bolum famæ Angelicus refert Doctor in 3. Par-
tem quæſtione 72. art.2. Perpendo verba Aucto-
ris de Mirabilibus ſacræ Scripturæ in ſacrificium
Abrahæ: *Vt autem appareret* (inquit) *Hominibus*, S.Thom. Auctor Mirab.
*quàm fidelis in Dei amicitia permaneret Abraham:
filium ſuum Iſaac, cùm iam eſſet adultus, offerre ſibi
in Holocauſtum ſuper vnum montium, Deus præcepit:*
Cur dictum: *vt appareat Hominibus?* Primùm ob
Abrahamum ipſum: Nam multarum Gentium
Pater vocatus eſt, in cuius & ſemine benedicen-
dæ eſſent: ab illo igitur mutuari normam rectè
viuendi poſteros, conueniens erat: Quò itaque
addiſcerent, non ſufficere internam Conſcien-
tiæ laudem, niſi hanc externum boni Nominis
fulciat encomium pariter: idcircò qui coram
Deo iuſtus erat: vt talis & Hominibus videre-
tur,filium victimare compulſus. Secundò,ob Nu- *Deus de bona*
minis cauſam. Nam communis Gubernator hu- *Abrahæ fa-*
mani cùm eſſet generis, ſpeciali Amoris ſignifi- *ma iuſtè pro-*
catione proſequebatur Abrahamum:Sed inde ſu- *uidet, cùm*
boriri in familia murmur potuit conquerentium *Iſaaci immo-*
non æquam eſſe Rectoris prouidentiam in ſub- *lationem iu-*
ditos:lædi itaque potuit diuinæ famæ ſanctiſſima *bet.*
integritas:Ne quod igitur detrimentum nominis
pateretur aura, velut ſatisfacturus detrahentium
linguis; mandat Patriarchæ vnigenitam & dile-
ctiſſimam immolare prolem: vt qui viderint,qui
ſubmurmurare auſi fuiſſent,rarum in obedientia
Prodigium; deſinant obſtupeſcere ſingularibus
affectum honoribus: Hoc eſt quoque: *vt appa-
reret coram Hominibus:* id eſt, quò Hominibus
conſtaret, quod à Monarcha factum eſſet, culpâ
omni liberum eſſe.

Quæ viuentem Seruatorem odoribus perfun- 43.
dere Magdalene conſueuit,eius & defũcti corpus
vnxit:ſed quando? *Et cùm tranſiſſet Sabbatum* (in- Marc.16.1.
quit Marcus c.16.v.1.) *Maria Magdalene,& Ma-
ria Iacobi,& Salome, emerunt aromata, vt venientes
vngerent Ieſum:*Quænam hæc expectatio eſt tran- *Magdalena*
ſituri Sabbati ô Maria! amor feſtinus eſt, ac- *Chriſti corpus*
celerat, morarum impatientiſſimus: quorſum *mortuum non*
præterlabuntur horæ?Militẽ ferocem Sepulchri *vngit in Sab-*
vigilem non times,non Iudæorum rabiẽ, non te- *bato,vt vitet*
nebras & obſcurum, non ſuperimpoſiti vaſtã la- *ſcandalum &*
pidis molẽ;& Sabbatum cũctaris? Verùm dies fe- *famam con-*
ſtus eſt,in quo operari nõ liceat,Religio impedit: *ſeruet ſuam.*
at



at conſidera ſupra Sabbatum eſſe Auctorem Sab-
bati: Deinde & Iudæorum cærimoniis per Ieſu
mortem virtus ſublata eſt: legalia reddita ſunt:
Non igitur te Sabbatum obligat; abi, propera
ad monumentum ante Sabbatum: eſto quidem,
à Chriſti nece ritus non obligarint Synagogæ,
permittebantur tamen aliquandiu,vt cum hono-
re ſepeliretur vetus Mater:Quoniam igitur ſcan-
dalum paſſuri erant Hebræi ſi Mariam in die fe-
ſto operantem conſpexiſſent; vti Chriſtus ipſe
quamuis lege non vinciretur, legem tamen ob-
ſeruabat, ne tumultus & ſcandala exorirentur, in
boni Nominis periculum,condeſcendebat Moyſi
& Iudæis: ita Magdalene Amoris temperat
flammas; huiúſque interna pati mauult tormen-
ta, atque ab illo abſumi; quàm legum Præuari-
catrix audiri & ſeruatæ in eum diem famæ opti-
mæ iacturam facere: diſtulit igitur poſt Sabba-
tum pia vota, ne ſi perſolueret in Sabbato, irre-
ligioſa credi poſſit, & bona fama vapularet.
Laurent. Iuſtinian. Sanctus Laurentius Iuſtinianus de Triumphali
Chriſti Agone,cap.24. *Amoris etiam tantâ impelle-
bantur vehementiâ, vt vallatum Cuſtodibus exanime
corpus quærerent in ſpelunca; quatenùs quem dilige-
bant, inuenirent, vngerent, ac tenerent: Proinde,
quamdiu illis licuit operari,aromata parauerunt: per-
currente verò ſecundum legem Sabbato ſiluerunt:Mox
autem, vt requietionis præteriyt dies, valdè manè,in
ipſo diei crepuſculo ſumptis ſecum aromatibus, gradu
concito, corde ignito, atque deſiderio miniſtrandi, ad
locum, vbi illum reconditum nouerant, ardentiſſimè
perrexerunt.*

44. Conquerentibus Iſraëlitis de ſiti in deſerto,
loquutus eſt ad petram in Dei iuſſu Moyſes, &
Virgâ percuſſit: eruperunt copioſo fluxu aquæ;
aítque Dominus ad Moyſem cum fratre illius:
Numer.20.21. *Quia non credidiſtis, vt ſanctificaretis me coram filys
Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam
dabo eis*: Numer. cap.20. verſ.12. Equidem hoc
quod erat culpæ, leuis fuiſſe momenti docet Au-
Auguſtin. guſtinus lib.16. contra Fauſtum, cap.16. Quam-
obrem igitur optatæ Regionis viſu mulctati?qua-
le tandem illud crimen fuit hærentis, & quaſi
ſubdubitantis ad diuina promiſſa animi? vacilla-
tionem enim aliquam ſonat interrogatio: *Num
de petra hac vobis aquam poterimus eycere?* Nonne &
aliàs ſubdubitaſſe viſus Moyſes,Numerorum c.11.
Numer.11.13. verſ.13. *Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini?*
An non repugnauit, cùm in Ægyptum legatus
ad Pharaonem mitteretur? An non animoſior
ſeruus cum Domino colloquebatur, dicto iam
Numer.11.12. iam Numerorum capite: *Numquid ego concepi
omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas
mihi: Porta eos in ſinu tuo*, &c. quare ergo non ob
*Quòd coram omni populo addubitaſſet, nec famæ ſuæ proſpexiſſet ſatis Moyſes, ab ingreſſu Terræ promiſſæ arcetur.*
has cauſas viduatus eſt ſpe intuendi optata arua?
Sanè poſteriores hæ culpæ(vt tales iudicare veli-
mus) conſcios habuêre Deum & famulum eius
Moyſem,atque ob id famæ ſine diſpendio:Quan-
do autem de Petra aquas eduxit, congregauit
populum, & coram multitudine os aperuit ſub-
dubitantis vocibus:Hinc publica famæ imminu-
tio: triſtior enim opinio vulgi mentem ſubiit
de Creatoris potentia: nec etiam de Moyſe ſatis
eximiè ſenſerunt, qui ſi Dei clarus eſſet Prophe-
ta, aquas imperioſè elicuiſſet, non timidâ fidu-
ciâ:quia igitur famæ non ſatis proſpexit Legiſla-
tor; pœnam accepit ne Chanaan intraret: Nam
aliud eſt in occulto deliquiſſe, & veniam non
rarò accipit: aliud tranſuerſis populorum rumo-
ribus occaſionem præbuiſſe:Chryſoſtomus hom.
contra eos,qui ſubintroductas habent: *Quamuis
autem ante hoc in nonnullis minus obediſſet: contradi-* Chryſoſtom.
*xit enim Deo ſemel, ac iterum cùm mitteretur in
Ægyptum: & poſtea in Deſerto dicebat: ſexcenta
millia ſunt peditum,& tu dixiſti,Carnes dabo ipſis? &
poſtea iterum difficilem ſe reddidit, & populi Præfe-
cturam detrectabat: attamen nihil aliud potuit ipſum
propoſitis arcêre præmiys, quàm ſolum illud, quod apud
aquam contigit, quod naturâ quidem minus alys erat;
ſed quia cum damno aliorum fiebat, multò maius iudi-
catum: illa enim priuatim & occultè accidebant: hoc
autem manifeſtè, & apud populum omnem committe-
batur: propterea & reprehendens Deus, hoc inſimula-
bat dicens: Quia non ſanctificaſtis me coram filys
Iſraël*, &c.

Nulla edita à Chriſto miracula quoad bapti- 45.
zatus eſt: Nam de Hydriarum laticibus in vinum
conuerſis, vtique poſt Baptiſmum, vt Chrono-
logi & Interpretes conſentiunt, Ioannis cap.3.
verſ. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana* Ioann 3.11.
*Galilææ:* quamobrem non etiam tum abſtinuit?
ſcilicet prædicabat Iudæis, & cooperari ſermo-
nibus oportebat ſignis: verùm & Baptiſma vox
clamantis, atque ad Pœnitentiam exhortabatur;
eius nihilominus in Euangeliis, dum doceret,
miracula non leguntur: Sanè Chriſtus Baptiſmi
circumſtantiis quaſi obſtrictus, vt prodigiis cla-
reſceret: quare ſexto Ianuarij die vndis tinctus,
ſub exitum Menſis ſequentis nuptiis interfuit,
& in falerna aquas tranſmutauit, vt putat Tor- Torniell.
niellus Tomo 2. anno Mundi 4081,num.9.ſiqui-
dem Præcurſore illum Baptizante, vox de cœlo
audita eſt inquiens: *Hic eſt filius meus Dilectus,* Matth 3.17.
*in quo mihi complacui*, Matthæ. cap.3.verſ.17. Hoc
*Statim vt Chriſtus in Baptiſmo ſuo, Patris æterni Filius, cælicâ voce renunciatus eſt, miraculis clarere cœpit, ne tanti nominis famam obſcuraret.*
Olympi clamore Filius Dei publicatus eſt: at
tali nuncupatione dignum fuiſſe quænam proba-
rent? opera videlicet, quæ omnem humanam
vincerent potentiam, & Auctorem Deum de
Deo eſſe conteſtarentur: Hinc igitur eſt quod
poſt Baptiſmum admirandis fulſit operibus, ne
ſi nomini conſentanea omiſiſſet, famæ obſcura-
ret honorem: ante Baptiſmum, Ioſephi putaba-
tur ſoboles: eius appellationis rationem fabrilia
adimplebant exercitamenta: vbi autem de cœlo
innotuit proſapia,famæ expoſtulabat amplitudo,
vt in naturam peregrinis dominaretur imperiis:
Hinc igitur eſt, vt quanquam Baptiſtæ prædica-
tio miraculorum gloria non ſit illuſtrata; Chri-
ſtum tamen decuerit ſignorum potentiâ excelle-
re: Chryſologus ſerm.160. qui eſt quartus de
Magorum aduentu: *Hodie Chriſtus initium dat* Chryſolog.
*ſignorum cæleſtium, dum conuertit aquas in vinum:
vt quem Pater voce filium iam probat* (ſcilicet in
Baptiſmate, quod eodem die contigiſſe, quan-
quam non eiuſdem anni, Chryſologus cum aliis
ex Patrum numero, ſenſiſſe intelligendus) *ipſe ſe
Deum virtutibus approbaret.*

Qualis Petri ardor? quàm obfirmatus animus? 46.
*Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam* Matth.26.33.
*ſcandalizabor*, cap.26. Matth. verſ.33. cur præ
*Quòd egregium nomen ſortitus eſſet Petrus, ſub Paſſionis tẽpus, cæteris audacior vult haberi.*
ſociorum manu maius ſibi vſurpat robur? An
ventoſitas eſt, & Thraſoniana iactantia? Nequa-
quam ſanè: Tum quidem glorioſo affectu pro-
rumpebat: Recordabatur credo Simon accepti
quondam à Magiſtro Tituli: cognominatus eſt
enim *Cephas*, quod eſt Petrus, Luc.cap.6.verſ.14. Luc.6.14.
ad Galat. cap.2. verſ.9. à Petra autem deriuatum Galat.2.9.
eſt vocabulum: fuítque ſingularis Honoris; ideo
Tertullianus lib.4. contra Marcionem cap.13.
*Affectauit chariſſimo Diſcipulorum de figuris ſuis pe-* Tertullian.
*culiariter nomen communicare, puto proprius quàm de
non ſuis:* Quid ſi titubaret inconſtans ſub Domini

nece? marceſſeret acquiſiti Nominis venuſtas, fama naufragaret: ne igitur degeneri trepidatione famam commaculaſſe accideret, antè Hoſtis contuitum pollicebatur egregiè! ô famæ nobilioris vim magnificam contra turpes mores! Hanc quiſquis deſpicit, ruinam inuocat, ſtare diu nequeat: Vtinam ad Oſtiariæ voces illius ſeriò meminiſſet Petrus! & vellet, ſi cogitaſſet attentè, lapideæ ſoliditatis appellatione indignus cenſeri? Bellè Pſalmiſta Hymno 44. verſ. 4. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime:* Militem Chriſtianum adhortatur, vt cum concupiſcentiis ſtrenuè decertet; atque annectit ſtatim: *Specie tua, & pulchritudine tua intende proſperè, procede & regna:* Sed nonne gladio vt pugnaret, ſuadebat, & per gladium Triumphus? Si itaque per enſem vicit:, enſe magis procederet & regnaret, quàm ſpecie & pulchritudine ſua. Num fortè ſpecies ipſa gladius bis acutus eſt? At quomodo decor & pulchritudo Bellatorum arma eſſe valeant, non formâ Mars, ſed Cupido ſuperat: Fallar ſi non de Animæ venuſtate loquutus Vates: ſtimulabat, ne vitiis corrumpi Spiritum Homo ſineret, & cùm Arma ſubminiſtraret, Mentis decorem propoſuit: quaſi dicat: Recordare, cuius ſis ingenuitatis: vide cor, vide animum tuum: Trinitatis refulget apud te imago, Angelorum contubernalis: fama de te illuſtris apud omnem Mundi creaturam: pudeat oblitum eſſe tantæ gloriæ, pudeat conculcaſſe nomen æterni honoris: exurge hac incitatus memoriâ antiqui ſplendoris, vindica cauſam tuam, ne des opprobrium nomini; itaque vt ad ſe reuerteretur partæ quondam bonæ famæ recordatione impellebat; vel ne ſtatu caderet: nam ad vtrumque famæ valet amor: Sanctus Laurentius Nouarienſis homilia de Eleemoſyna: *Vbi videris, quia dominatur tibi lex Peccati, impetunt vitia; noli cedere, ſed incita temetipſum, recurre ad arma, implens illud quod cecinit Dauid Pſalmiſta: Accingere, inquit, gladio tuo circa femur Potentiſſime: qualem gladium? Specie tua & pulchritudine tua: plora compunctus, vt poſſis recipere ſpeciem cordis tui.*

Pſalm. 44.

*Dum Chriſtianum Militem ad bellum contra vitia accingit Dauid, ſpecie & pulchritudine illum armat, .j. Animæ venuſtatem & gloriam in memoriam reuocat, ne det opprobriũ nomini ſuo.*

Laurent. Nouar.

47. Cernens impiiſſimus Apoſtata Iulianus Cæſar; honeſtiſſimum eſſe Chriſtianorum Nomen, ciúſque famæ celeberrimis rumoribus cõmotos Gentilium plurimos, ſuperſtitionum damnaſſe ritus, ad eius vocabuli extinctionem, publico iuſſit edicto Galilæos appellari: Quid conabatur inuidia? quid ſacrilegium? Catholicæ Religionis occaſum proculdubio: Sed num affixa eſt Nominibus Religio, ſine quibus ſtare nequiuerit? Sanè ille cogitabat inclytæ famæ tantum eſſe robur, quo ablato, corruere cætera neceſſum ducatur, eſt enim præſidium quoddam admirabile virtutum, verecundiam enim atque ruborem affert, quibus à vitiorum amore fortiſſimè retrahit: arbitrabatur proinde, modò Chriſtiani deiectam famam intuerentur, ſubſequuturum mox, vt Religionem, cuius honos collapſus eſſet, faſtidirent: Sed quanquam malitioſum imprimis fuit ſtudium ſceleſtiſſimi Imperatoris: aduertere tamen debuit, niſi liuor occæcaſſet illum, famam non mendacio lædi, ſed morum improbitate: percipiamus, quemadmodum Iulianum Nazianzenus reprehendat, Oratione 3. quæ prima Inuectiuarum eſt, propè medium: *Atque illud ſanè perquàm iuuenile, ac leue, atque ne vllo quidem alio Homine vel mediocri Animi grauitate prædito, nedum Imperatore dignum: quod ſimul cum nominis mutatione, Animorum quoque noſtrorum mutationem ſecuturam eſſe arbitraretur: aut certè nobis id pudori fore quaſi turpiſſimi cuiuſdam criminis accuſatos, nouandum nobis cognomentum cenſuit, Galilæos pro Chriſtianis nominans, atque vt ita vocarentur, publicâ lege decernens: ex quo perſpicuè oſtendit Chriſti appellationem perhonorificam eſſe, maximique ad gloriam momenti, quoniam eam nobis eripere cogitauit:* Subiungit acutiſſimè, ſimul & vehementiſſimè perſtringit Iulianum inquiens: *niſi fortaſſe hoc eâ ratione fecit, quòd huiuſce nominis vim, & poteſtatem inſtar Dæmonum reformidaret: ac proinde ad alterum Nomen nimis notum, ac vulgare tranſierit.*

*Quò Chriſtiani Nominis ſplendorẽ extingueret, Chriſtianos vocari Galilæos impio edicto ſanciuit Apoſtata Iulianus.*

Nazian.

## *Doctoris Eccleſiaſtici Animarum lucra optantis, eſſe, varias formas induere pro Auditorum captu; quibus ſe accommodet, oporteat.*

## SECTIO IV.

48. BOtrum Cypri, Botrum Floritionis interpretari Græcorum Expoſitorum pleróſque ſæpe monuimus: at ſpiritaliter quidem, idcircò talem nominari Michael Pſellus exiſtimat, quòd qualem vnumquemque inueniat, talem ſe cum eo quodammodò gerat incomprehenſa Maieſtas, atque ideo cum incipientibus & nouellis, Floritionis Racemus eſt, atque balbutit & velut rudeſcit: cum mediocribus ſemidoctus eſt, cum perfectis conſummatus; his inſtruens exemplis & Confeſſarios, & Prædicatores verbi, & rerum arcanorum Magiſtros quoſque, quemadmodum vtiliter munere fungantur: *Haud omnibus virtutes capeſſentibus Animabus* (inquit Pſellus) *eſt maturus, ſed pro virtutum menſura iucunditatem ſuam ſubinde mutat: alijs namque floret, in alijs nigreſcit, in alijs maturus eſt, in alijs planè coctus, ac dulcis eſt.* Nam quomodo Paruuli magna caperent, vel ſumma mediocres? Perfecti autem, vt quid rudimenta excipiant? iuxta artem ſuam, & ſecundum genij propenſionem cum vnoquoque rectè tractandum eſt. *Fulgebunt* (ait Daniel Vates c. 12. verſ. 3.) *qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates:* Quamobrem ſtellis ſacræ inſtitutionis Pædagogos comparat? conſidera, vti de aſtrorum numero aliud eſt ſydus Martis cum armorum Præfectura; aliud Apollinis, quod cum Muſis regnat; alius Mercatorum Planeta, alius Agricolarum, itaque non vnum ſinguli, ſed pro diuerſitate humanarum rerum, varia auctoritatis Poteſtas: Si autem hæc quaſi fabulas reſpueris, perpende figuras, alius namque Enſifer apparebit, alius Taurum, alius Vrſam referre videbitur: in quibuſdam eximij fulgores, ab aliis mediocres radij: in hunc ergo modum Didactici & Præceptores variis induantur formis, vt cum milite quaſi bellicoſis vtantur phraſibus ex diuino ſtratagemate, nam & facilè intelliget verba conſueta, & amabit quod exercuit: cum aratore, ab agro petitis ſimilitudinibus; cum Palatinis, eloquentiori ſtylo; ſolidè litteratis eruditiſſima propinet: ita conſequetur, vt non de ſtellis ſit, quæ è cœlo cadent, quando ſol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, ſed iuxta Prophetæ oraculum, fulgentium in perpetuas æternitates cum Deo. Huius generis Allegoriam fusè proſequitur Anaſtaſius Sinaïta lib. 4. Anagogicarum Contemplationum poſt medium: *Diluculo*

*Dicitur Spõſus Botrus Cypri .j floritionis, quòd cum incipientibus floritionis racemus ſit; cum perfectis maturus, &c.*

Pſell.

Daniel. 12. 3.

*Aſtrorũ more quibus comparantur Doctores, varias pro audientiũ diuerſitate induant formas.*



*Diluculo oſtendit duodecim domos Apoſtolorum, qui ſunt ſtellæ, quæ continent & dominantur omnibus ſtellis firmamenti, nempè Eccleſiæ; quod ſi vis meliùs diſcere aliqua etiam nomina huius, qui erat aliquando Zodiacus circulus Eccleſiæ, nempè duodecim ſtellarum Apoſtolicarum, conſidera firmamenti duodecim appellationes; Hæ autem ſunt: Virgo, Heſperus, Lyra, Gemini,* &c. *Sed ea quidem fabuloſè, & falsò ſunt appellata: in firmamento autem Eccleſiæ, ſpiritualiter & ſemper lucent:* Proſequitur deinde ſingula & myſticè interpretatur, ſubdítque: *Non ſolùm autem appellationes, ſed etiam ipſæ figuræ, & ſpecies ſtellarum nos reducunt ad ſpirituales nationes.*

Anaſtaſ. Sinaït.

49. De Manna, Dauid Pſalm. 77. verſ. 24. *Panem cœli dedit eis: Panem Angelorum manducauit Homo:* Quamobrem appellauit Angelorum Panem? Num & Angeli pane veſcuntur? Manna ſecundum cuiuſque ſapiebat guſtum: itaque fortibus delectati cibis, inueniebant ſolida: Mollia requirentes blanda accipiebant, omnium deſideriis contemperabatur: ideò Cæſarius Arelatenſis homilia 7. de Paſchate: *Iuxta percipientis deſiderium eſcæ illius nouitas, & dignitas naſcebatur: vnumquemque varijs, & alienis ſaporibus reficiebat mellifluum pluuiæ illius Donum, & multiplex ſicci imbris obſequium.* Iam de Angelis: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus* (vt effatur Paulus ad Hebr. cap. 1. verſ. 14. *in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Igitur Angeli cùm ſint Nutritij, & Doctores Hominum, quale eſſe debeat pabulum, quod Hominibus ſuppeditare eos deceat? Mannæ profectò in ſimilitudinem, pro valetudinis cuiuſque commoditate: ſi quis igitur Lacteſcens eſt, & adhuc edentulus, Butyrum fiat ei & Mel: delicatis altilia: fortibus ſtomacho Tauri & arietes pingues: ob hanc igitur ſpiritaliter rationem, dictum eſt Manna Panis Angelorum: vis Angelis parem intueri? audi Paulum 1. ad Corinth. cap. 9. verſ. 20. *Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer: ijs, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem* (*cùm ipſe non eſſem ſub lege*) *vt eos, qui ſub lege erant, lucrifacerem: ijs, qui ſine lege erant, tanquàm ſine lege eſſem* (*cùm ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti*) *vt lucrifacerem eos, qui ſine lege erant: factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem: omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* O quanta moles eſt Chriſtiani Doctoratus ad Diametra obligantis! vna facies mannæ, vnus color, & tamen mille ſapores induit! immutabilem eſſe Eccleſiæ Magiſtrum oporteat, ſemper grauem, ſemper venerandum, ſemper morum clariſſimorum famâ conſpicuum, & nihilominus tot aptari in formas, in tot fingi Perſonas.

Pſal. 77. 24.

Cæſar. Arelat.

Hebr. 1. 14.

*Manna quod vniuſcuiuſque appetitui variè contẽperabatur, dicitur Panis Angelorum, qui ſunt hominum Doctores.*

1. Corinth. 9. 20.

50. Pulcherrimè de Angelorum charitate & ſubmiſſione cogitauit Laurentius Iuſtinianus: Non enim ad genus ſuum, non ad auctoritatem, non ad merita attendunt quodammodò, vt in Homines videantur & beneuoli & officioſi: ſic Abrahæ ſubeunt lares, & humanæ alimoniæ veſcuntur furfure, qui in domo Patris bibunt de Torrente voluptatis: ſic qui cœlorum orbes mouent, & octingentos vno ictu interficiunt, cum Iacob colluctantes, quaſi vinci ab eo diſſimulant: ſic qui tanquam fulgura eunt, redeúntque, Tobiæ iunioris paſſu ambulant: ſed dicat meliùs ipſe Iuſtinianus de Triumphali Chriſti Agone, c. 24. *Magna ex hoc, & commendabilis erga Homines benignitas agnoſcitur Angelorum, dum pro miniſterio ſuo ex pleno imbecilles non dedignantur videri, atque ignobiles: Hinc eſt, quod Abrahæ, & Loth ingredientes in Hoſpitia, appoſita viſi ſunt comediſſe cibaria: de Iacob quoque legitur, quod luctatus eſt tota nocte cum Angelo, nec ab eodem potuerit ſuperari: Verumtamen Tobiæ Raphaël Angelus comes fuit, neque ab ab illo niſi perfecto Peregrinationis miniſterio ſegregatus eſt: minus ſiquidem terrent, & citiùs erigunt, dum ſe illis inſinuant ſimiles, quorum ſe profectibus manifeſtant:* Quid eſt quòd egregia lumina, Vos ſociorum amabiliſſima Pignora, intueor, modò ad Puerorum deſcendere infantiam, & indoctam perpolire mentem, modò inter ſeruorum greges, modò inter Ruſticam verſari plebem, & inclinari ad remiges, ad carceres nocte & ſqualore incultos, tot addiſcere barbaras nationum efferarum linguas, & omnium penè induere mores cum Religione & honeſtate non pugnaturos? Scilicet & Angeli vos etiam *miſſi propter eos, qui Hæreditatem capient ſalutis*, præcones eſtis Angeli magni conſilij: vt igitur ſuauiter trahatis ad Patrem, quantùm liceat, transformamini in eorum imaginem, quos ad ſalutem capere tentatis: Non vos, ſicut nec aliarum familiarum ſacros & genuinos Athletas, remoratur celſitudo ſtirpis auitæ, non doctrinarum laus, non prudentiæ grauitas: itaque & vobis omnibus quod de Angelica militia Iuſtinianus: *Minùs ſiquidem terrent, & citiùs erigunt, dum ſe illis inſinuant ſimiles, quorum ſe profectibus manifeſtant.*

*Humilis Angelorum in Homines Pietas.*

Laurent. Iuſtinian.

*Chriſtiani Pædagogi Angelis ſimiles.*

Hebr. 1.

Iuſtinian.

Philiſtinorum caſtra aggreſſus Ionathas, quibus Ducem fuiſſe Naam Ammoniten ſentit Nilus Abbas in Aſcetico, quòd prærupta ſcandenda eſſent, manibus pedibúſque reptauit, Reg. 1. cap. 14. verſ. 13. Myſticè exponentes percunctemur, quamobrem belluinum in morem Ionathas incuruatur, & non rectus progreditur? Sanè belluino more, nam ſerpens ita incedit, & ob maledictum quidem: *ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, Geneſ. cap. 3. verſ. 14. Sed quando irrationale genus imitari libuit, nonne potiùs aut Leonem, aut Aquilam, nobilioráque Animantia quàm ſerpentem? Verùm commodior erat huius forma: Quippe *Naam*; qui *ſerpens* interpretatur vincere, & capere optabat, quem ſi adoriretur ſub Leonis aut Vnicornis indumentis, ad fugam incitaret, & præda manibus elaberetur: ſimilitudo autem metum pellebat, neque enim de paribus eſt timor: ac ſerpens quidem Peccatorem ſymbolicè repræſentat: Non legis autem in Euangeliis, quemadmodum Chriſtus interdum cum Publicanis & peccatoribus epulabatur? ob hæc inimici conuitiabantur: certè, qui quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit in deſerto, quamobrem ſympoſio interfuerit, & peccatorum imprimis commenſalis extiterit? Sed intuêre, quoniam venit peccatores ſaluos facere: ſi contempſiſſet, ſi exhorruiſſet, abſcondiſſent ſe ab eo: Quod igitur citra culpam eſt, vt Animarum Venatores ab eius exemplis addiſcerent, de ſerpente mutuatus eſt; ſicut illi, manducauit & bibit, & captus eſt ſerpens amicabili familiaritate, captus eſt indulgentiâ Saluatoris, & de aſpide transfiguratus in columbam: ideo Ionathas Naam ſuperaturus, qui ſerpens intelligitur, reptat manibus, pedibúſque, vt ipſe ſerpens videatur: Nilus, quem iam dixi, Abbas loco memorato, *Itaque Ionathas cum Naas Ammonitâ pugnans, ſuper quatuor incedens illum vicit: oportebat enim, vt qui cum ſerpente, qui ſuper pectus ingreditur* (*id enim Naas ſignificat*) *decertabat; pauliſper ſpeciem ipſius aſſumeret; atque ita ſuper quatuor incedens,*



51.

Nilus Abb. 1. Reg. 14.

Geneſ. 3. 14.

*Ionathas cũ Naas (.j. ſerpente) pugnaturus reptans velut ſerpens graditur; Sic Chriſtus vt Peccatorem vincat, ei citra peccatum ſe aſſimilat.*

Nilus.

*& non in propriam ſeſe formam erigens, eum magna facilitate ſuperaret.*

52. Marc.4.2. Congregatâ ad Chriſti audiendos ſermones ſpiſsâ multitudine iuxta littora maris, *docebat eos* (ait Marcus cap.4.verſ.2.) *in Parabolis multa:* Verùm nonne Parabolica, inuoluta & ænigmatica Oratio eſt, proinde difficilis intellectu? Quamobrem igitur talibus loquendi modis vſus optimus vniuerſorum Magiſter, qui captum vincerent auſcultantium? Sed aduoco Salomonem de Seruatoris inſtitutione præuaticinantem:

Prouerb.9.1. *Chriſtus Æterna Sapientia, miſcuit vinum dum ſe auditorum captui accõmodauit, Parabolaſque Scribis, faciliora imperita plebi propoſuit.*

*Sapientia* (ait Prouerb. cap. 9. verſ. 1.) *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam:* Sanè quemadmodum merus Bacchi liquor, eam doctrinæ rationem denotat, quæ de magnis & abſtruſis rebus eſt, ſic dilutum atque temperatum vinum diſciplinam intellectu facilem indicat. Cur itaque in Euangelio Chriſtus per ænigmata & gryphos ſermocinatus fertur, quæ non niſi eximiis dotibus ingenij præditis penetrare liceret? apud Salomonem verò diſſeruiſſe ſcribitur de argumento vulgari? Equidem hinc Concionatores omninò animaduertere debeant, quemadmodum ſuo bellè fungantur officio: Nam cùm Sapientia memoratur Prouerbiorum libro humilioribus verbis diſſertauiſſe, vinôque miſcuiſſe fluuiales latices, inſtruebat rudes & elementares, nam Paruulorum nomine huiuſmodi repræſentantur; hi autem in Gymnaſiis:

Prouerb.9.3. Nam *miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis: ſi quis eſt Paruulus, veniat ad me:* Quid autem Paruulis, quod commodum eſſe poſſit, propinaret, niſi quem cerebrum ſuſtinêre potum valeret? Ecce, quam affabrè interpretatus ſit Iſidorus Peluſiota Epiſtolarum lib. 2. epiſt. 3. ad Timotheum Lectorem:

Iſidor. Peluſiot.

*Quidnam illud ſibi velit: Sapientia miſcuit vinum ſuum? quidque cauſæ ſit, quamobrem non purum illud propoſuerit? paucis verbis multa accipe: Diuina, & naturâ ſubliniora documenta corporeis ſermonibus, & exemplis temperauit: neque enim fieri poterat, vt aliâ ratione ea intelligeremus: Quapropter diuinarum cogitationum, ac terrenorum verborum coniunctionem; mixtionem, & temperationem haud abs re appellauit:* Cùm autem in Euangelio ſub Parabolis tradidiſſe quædam narratur; ob Phariſæos, & Scribas atque in lege Peritos agebat: Hi enim cùm reconditæ eruditionis ornamentis excellerent, proletarias expoſitiones faſtidirent: Qui igitur omnibus ſe debitorem nouerat, omnes amplexatus, ſermocinabatur ad Rudes communi ſtylo, ad viros in ſchola conſummatos ſub Hieroglyphicis, & ſtrophis: quare ad citatum Marci locum Victor Antiochenus:

Victor. Antioch.

*Docet enim per ænigmata, & Parabolas: primò quidem propter Scribas & Phariſæos, qui multitudini admixti erant.*

53. *Prudens Concionator cum Tauris, altilia quoque paret, .j. ſublimia & plebeia ſimul Doctis & ignaris proferat.*

Ad normam igitur Seruatoris Chriſtianus Orator perpendere debeat, quibus ex hominum ſtatibus conflari ſoleat multitudo audientium; quòd ſi quidem, quemadmodum contingere vſus eſt, mixti cum popularibus turmis aggregari conſueuerint, qui ingenij atque eruditionis famâ inclaruerunt, dictionem ita moderetur, vtriſque vt ſit placitura: Quandoque igitur ſtylum attollat, atque ex penitioribus Doctrinarum adytis, quæ maiora amplexentur ingenia depromat: in reliquis, atque id crebriùs ob copioſiorem vulgi partem præſidiis ſciendi deſtitutam, inclinet ſe atque demittat vt capi valeat:

Matth.22.4. *Ecce prandium meum paraui* (ait de nuptiali Conuiuio Homo Rex apud Matthæum cap.22. verſ. 4.) *Tauri mei, & altilia occiſa ſunt:* ad quem locum Galfridus in Tilmanni Catena:

Galfrid.

*Et in Carne quidem Taurorum cibus fortior, altilium eſus delectabilior eſt: vtraque ergo ſuis videtur Dominus nuptijs parata ſuis enumerare Conuiuis.* Cibus verò robuſtorum dogmata illa ſunt, quæ acumen & potitiam ſingularem in percipientibus deſiderant: cibus delicatior, quo etiam debiles & infirmi veſcuntur, eruditio eſt atque inſtitutio vulgaris plebis ex aperta & ſimplici Oratione: inſtructorius itaque ſermo, qui Animarum Conuiuium eſt, vtrumque exhibeat paſtum: & quidem ſi auſcultaturi de Literatorum claſſe vniuerſi eſſent, nullus fuiſſet metus quantumcumque aſſurgeret phraſis: ſed quia de horum ordine pauciores exiſtunt, opus eſt ſedulò conſiderare, ne fruſtrà ad cœtum conueniſſe imperitior multitudo videatur, Eccleſiaſte in Doctorum plauſum hiante: miſereatur itaque turbæ, ſi modò Chriſti illum zelus perſtimulat, eligátque magis ineruditior apud quoſdam haberi, quàm plebem dimiſiſſe ieiunam; Moyſis exemplo, qui cùm rerum exordia pingeret, & veri Creatoris inſtillaret Hebræis cognitiones plurimas, Triados obuelauit Sacramentum, ne ſupra captum tradidiſſe diceretur, id quod Baſilius Seleucienſis adnotauit Oratione 9. in Moyſem:

Baſil. Seleuc.

*Nondum ſiquidem Trinitatem promulgare tempus erat, nondum diuinas Hypoſtaſes: adhuc lacte diuinæ cognitionis nutrit infantilem intelligentiam, contentus Diuinitatis ingeſſiſſe cognitionem: ipſis vnam illius ſubindicat eſſe naturam, quò Deorum turbas prorsùs ex animis exterminet.*

---

*Baptiſmo abſtergi omnes omnium antecedentium Peccatorum maculas: & Hominem reddi cœlo paratiſſimum.*

## SECTIO V.

54. *Engaddi .j. fons Hœdi, quo Hœdi .j. Peccatores mundantur.*

ENgaddi, inquit Philo Carpathienſis, interpretatur *fons Hœdi*, & quidem ob Baptiſmi gratiam, quòd in ea deponantur criminum inquinamenta, & ablutus inoffenſo tramite, ſi ſtatim moriatur, in Olympum auolet:

Philo Carpath.

*Quid fons Hœdi* (inquit) *niſi peccatorum fœtor, ac copia, priuſquàm fide purgentur, & ſacro fonte à ſordibus peccatorum abluantur; quibus olim Mortales miſerrimè ſeruiebant, quibúſque Anima mergitur in gehennam?* Poſtquam de ſtellis productis loquutus Moyſes, addit Geneſ. c.1.v.17.

Geneſ.1.17.

*Et poſuit eas in firmamento cœli, vt lucerent ſuper Terram, & præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem, ac tenebras:* Verùm, nonne mari etiam reſplendent ſydera? imò quidem ab aſtris reguntur Naues: Quamobrem igitur vt fulgerent ſuper terram, quaſi non & in Oceano & in fretis pariter? Myſticum aliquid denotant hæc proculdubio; conſulamus Anaſtaſium Sinaïtam lib. 4. Hexamer.

Anaſtaſ. Sinaït.

*Ad terræ ergo illuminationem facta ſunt luminaria, non etiam ad illuminationem in Mari: Quod ſi de aſtris ſenſibilibus dixit Deus ſolùm, fiant luminaria: annon dixiſſet, ad illuminationem Terræ, & Maris? plus enim, quàm eis, qui verſantur in terra, aſtra ſunt vſui ijs, qui nauigant in mari:* Vt his ſatisfaciam, ſuppono Baptiſmum, cuius figura Aquæ ſunt propter abluendi munus, & quia illius Materia Illuminationem nuncupatam eſſe, imò principem quendam inter illuminationes fulgorem: Nazianzenus Oratione

in



Nazianzen.

*Cœli luminaria ad illuminationẽ Terræ, dicuntur facta, non maris; quòd Mare ſymbolum ſit Baptiſmi, Baptiſmus verò ſit Illuminatio, quæ aliâ illuminatione non indiget.*

in Sanctum Baptiſmum: *Vt enim* (ait) *quædam Sancta ſanctorum vocantur, & Cantica Canticorum; quòd ſcilicet latiùs pateant, ac plura complectantur, præcipuámque dignitatem habeant: eodem modo Baptiſmus Illuminatio dicitur, quòd omnes alias Illuminationes ſanctitate ſuperet:* Quamobrem verò Baptiſmus Illuminatio appelletur, facillimum diuinatu eſt: Nam tenebras lux fugat: Tenebrarum autem nomine in diuinis ſymbolis peccata inuelantur: Quia igitur Baptiſmus Mors eſt & fuga præcedentium omnium delictorum, præclaro & congruenti titulo vocatur Illuminatio: Iam & illud ex Philoſophia mutuemur: Quanquam ſanè ad videndos colores lucis neceſſarium eſt adiuuamentum, tamen ad ipſam lucem conſpiciendam non eſt opus alterâ luce, alioquin procederetur in infinitum: lux igitur ipſa habet *vt quo*, vt ſcholæ proloquuntur, quod aliis præſtat *vt quod*: igitur ſi Mare Baptiſmus eſt, Baptiſmus verò Illuminatio, cùm alterâ Illuminatione non indigeat ipſamet Illuminatio, neque Baptiſmus, neque Mare Illuminatione indigent: bellè igitur à Moyſe dictum, ſtellas poſitas eſſe in firmamento, vt lucerent ſuper Terram: quia Baptiſmus cùm ordinatus ſit ad deſtructionem peccatorum, quæ ſunt tenebræ, per ſeipſum Illuminatio eſt: Illuminatio verò alterâ luce non indiget.

55. Occurras: Siquidem Illuminatio Baptiſmus eſt: ad intellectiuam autem facultatem magis quàm ad volitiuam ſpectet illuminare: nam à cognitione ſplendor & claritas, non ab Amore; quamobrem ſub mundani opificij initiis, Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas & non Verbum, in quo condidit omnia?

Geneſ.1.

Geneſ. cap. 1. verſ. 2. Sic namque interrogaſſe libet, eò quòd in figuram Baptiſmi, quam Illuminationem ſupponimus, Spiritus ſanctus Aquarum confouerit latices, Hieronymo aſſertore epiſtola 83. ad Oceanum:

Hieronym. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, videlicet Baptiſmi per gratiã ſanctificantẽ.*

*Rudis Mundus necdum ſole rutilante, nec pallente Lunâ, nec aſtris micantibus incompoſitam, & inuiſibilem materiam, abyſſorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat: ſolus Spiritus Dei in Aurigæ modum ſuper aquas ferebatur; & naſcentem Mundum in figuram Baptiſmi parturiebat:* At illuſtratio hæc, quanquam & intellectum perficit, nam ſupponit cognitionem de fidei Myſteriis, quæ Chriſtianum ſcire oporteat; præcipua eius Dos eſt penès gratiam ſanctificantem, quæ infunditur menti oblitterato charactere veterum delictorum: hæc autem Gratiæ donatio ſpeciali titulo ad Spiritum ſanctum pertinet, eſt enim ipſe Gratiæ largitor cum appropriatione quadam: Quare qui baptizantur ex Spiritu ſancto, ſecundâ velut Natiuitate produci dicuntur; vnde Ioan.cap.3.verſ.5.

Ioan.3.5.

*Amen, Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnum Dei:* ob has ergo rationes non Verbum, ſed Spiritus ſanctus ſuperferebatur vndis à principio: atque ad hoc indicandum tellus aquis vndique operta, cùm illæ iuſſæ ſunt in locum vnum congregari, tanquàm ſecundò reproducta eſt, quia niſi vndæ receſſiſſent, prior Generatio ſine commodo: Tum etiam quæ rudis erat & inuiſibilis gleba gramine, floribus, ſyluis ornata eſt: quare Clemens Romanus Recognit. lib.6.

Clem. Rom.

*Eſt enim aquis iſtis miſericordiæ vis quædam, quæ ex initio ferebatur ſuper eas:* concinnè Spiritum ſanctum Miſericordiam Dei appellauit, eſt enim Bonitas & Amor ipſius, quo compatitur nobis, & iuſtificat nos per gratiæ infuſionem, & liberat ab inquinamento, quod eſt lucêre nobis, ideo cùm de Amore hoc in Cantico Zachariæ Lucæ cap. 1. verſ. 78.

Luc.1.78.

*Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri; in quibus viſitauit nos oriens ex alto:* ſtatim ſubiunctum eſt de Illuminatione: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra Mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam Pacis.*

56. *Mare Rubrũ non ſolum Iſraëlitis viã ſalutis præber, ſed Ægyptios quoque abſorbet: Baptiſmi figura.*

Ergo in Baptiſmate extinguitur vetus Adam abraſo culpæ, atque pœnæ reatu, dealbatur ſuper niuem & lac Anima, vita & Mors confligunt: præſignificatum hoc olim in Mari Rubro: neque enim tantùm conſiderandum, qualiter Iſraëlitæ incolumes euaſerint, quantáque fuerit ſalutis vbertas, cùm ne laſſarentur quidem tranſeundo, ſed cogitare oporteat inſuper, conſequutam Ægyptiorum necem, ſuffocantibus illos vndis ponti: ita & in Baptiſmo contingit, demergi & peſſundari criminum maculas, Animam Gratiâ conuiuificari mirabili Peccatorum abſumptione, vt ne de leuibus inquinamentis aliquid ſuperſit, quod næuo afficiat: nota eſt Hiſtoria Exod.cap.14.verſ.28. eam libenter, & crebrò vſurpant Patres, Baptiſmi vt vim declarent:

Exod.14.

Chryſoſtomus homilia 7. in epiſtolam ad Coloſſenſes, in cap. 3.

Chryſoſtom.

*Vis illius videre ſymbolum? in mari Rubro ſubmerſi ſunt Ægyptij: traducti verò & ſeruati Iſraëlitæ: in eadem re, hunc quidem ſepelit, illum verò generat: Ne mirêris, quod in Baptiſmate & Natiuitas eſt, & corruptio.* Bernardus verò ſermone 39. in Cantica:

Bernard.

*In exitu Iſraël de Ægypto, geminôque illo admirabili Maris obſequio, & tranſitum ſcilicet populo dantis, & vltionem de Hoſtibus, Baptiſmi Gratia euidenter exprimitur, ſaluantis Homines, & Crimina ſubmergentis.* Fortaſſe & non incongruè horum typus, ſcala, quam vidit Iacob, cuius cacumen cœlos tangebat; eò quòd intuitus fuiſſet *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per eam.* Geneſ.cap.28.verſ.12.

Geneſ.28.12. *Scala Iacob, Baptiſmi figura.*

Quid ſi enim peccatores repræſentent, qui delabuntur Spiritus; iuſtos, qui aſcendebant? ita Hieronymus cogitauit ad Iulianum ſcribens epiſtola 34.

Hieronym.

*Vnde & vocatur locus ipſe Bethel, id eſt, Domus Dei, in qua quotidie aſcenditur, atque deſcenditur: & ſancti enim corruunt, ſi fuerint negligentes, & Peccatores priſtinum accipiunt gradum, ſi ſordes fletibus fleuerint: Hoc ideo dixi, vt non te terreant Deſcendentes; ſed prouocent Aſcendentes.* In figuram igitur Baptiſmi Peccatum corruit, gratiâ conſurgitur; Quare expergefactus Iacob, *Non eſt hîc aliud* (inquït) *niſi domus Dei, & Porta cœli:* Venuſtè quidem demonſtrato Baptiſmo reſeratæ ſunt valuæ cœleſtes, quoniam Baptiſmus Paradiſi ianuam aperit: Qui enim poſt Baptiſmum continuò luce hac deſpoliaretur, ſine mora ad cœleſtia admitteretur.

57. Nam quemadmodum Baptizato Olympi patent oſtia, eò quòd per ſacram intinctionem pœnæ atque culpæ Reatus abolitus eſt, Chriſti in Iordane ablutio indicauit: ſtatim ſiquidem atque ab aquis aſcendit, *Ecce aperti ſunt ei cœli*, inquit Matthæus cap.3. verſ.16.

Matth.3.16. *Statim vt baptizatus eſt Chriſtus, dicuntur cœli aperti ad indicandam Baptiſmi virtutem.*

Quid? Num in id Temporis clauſi ætheres Chriſto? Sed quid eſt cœlo donari niſi Deum beatâ viſione intueri? ob hanc enim maximè ipſum Empyreum cælum gratiſſimum eſt, quia non niſi in hoc lumine videntes recipiat Habitatores: atquin Anima Chriſti à primo conceptionis inſtanti, Deum beatificè conſpexit: quamobrem itaque poſt Baptiſmum cælorum apertio facta eſt? Nempe vt Baptiſmo, quem inſtituebat, quanta ineſſet

virtus,

virtus, intelligeremus: neque enim vtcumque lauat & abſtergit, ſed ita emundat, vt niſi deinceps ſuperaddantur nouæ Criminum ſordes, in quacumque Hora diſceſſerit purificatus, cœlum ingreſſurus ſit: & ob hanc etiam cauſam videatur Cherubino Paradiſi vigili gladius flammeus conceſſus, Geneſ. cap.3. verſ. 24. curni enim de alia Materia? Sed erat inſtituendũ Sacramentum per aquam, quod quemadmodum eſſet introitus in Eccleſiam; ita & Paradiſi valuas reſeraret, pugnantibus aquis contra ignes: docet Venerabilis Beda ad cap.1. Marci: *Etiam hoc, quod apertos cœlos vidit poſt Baptiſma, noſtri vtique gratiâ factum eſt, quibus per lauacrum vndæ Regenerationis ianua panditur Regni cæleſtis, quæ peccantibus quondam Protoplaſtis, ac Paradiſo eiectis, toti generi Humano, interpoſitis Cherubin, & flammeo gladio, clauſa eſt: extinguitur namque hæc flamma cuique fidelium cùm aquis vitalibus tingitur: adeò vt ſi percepta fidei Sacramenta puro corde, & corpore ſeruauerit, mox ſolutus carne, regna poſſit intrare cæleſtia: alioqui, quomodo tunc aperirentur Domino cœli; qui, cùm Homo fieret, & habitaret nobiſcum in Terra, cœlum pariter diuinâ potentiâ continebat & Terram?*

Geneſ.3. *Gladius Cherubini flammeus Baptiſmalibus vndis extinguitur.* Beda.

56. Die tertiâ mundani opificij cœpta eſt Tellus veſtiri à Creatore Deo, quare protulit *Herbam virentem, & facientem ſemen iuxtà genus ſuum, liguúmque faciens fructum*, Geneſ. cap.1. verſ. 12. Quamobrem non & tunc Animalia procreata ſunt? nimirum oportebat vndas fœcundari antea partibus, ſicut eodem capite factum demonſtratur: nam poſtquam cete grandia, & Aquatilium reliquæ ſpecies formatæ ſimul cum volucribus, Tum iuſſa eſt Terra producere animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia, & beſtias: Verùm, qua de cauſa interpolatio? Annon ſemel Terram, ſimúlque perfici decebat abſque interrupto opere? Annon ob creationis vetuſtatem, priùs enim exorditur Moyſes à Terræ productione, procedere debuerit? Myſticè Rationem accipe: & videtur Sinaïta Anaſtaſius, quem ſtatim ſumus citaturi, id quod Recentiores aliqui Philoſophi non ignauè amplexantur, vitam propriè & ſtrictè acceptam, Arboribus & plantis negaſſe, quâ ſenſitiua & Rationalia gaudeant quidem abſolutè & ſimpliciter tantùm: ſuſtineamus hoc nunc ob Allegoriæ ſolùm gratiam: Aquæ igitur fuêre, ex quibus emanarunt prima viuentia: Quamobrem? in Baptiſmi videlicet figuram: eſt enim vitæ ſpiritalis, quæ per gratiam eſt, in Eccleſia oſtium, eſt per quam Terræ viuentium, Patriæ nimirum beatæ, ianua nobis aperitur: Quoniam igitur vitæ ſempiternæ, quæ in gratia ſanctificante fundatur, principium ex Baptiſmo in re, vel in voto; ideò congruè differtur productio Animalium Terreſtrium, quòd aquas oporteret eſſe à quibus primùm vitalia generata fuiſſent: Allegatus Doctor lib.5. Hexameri: *Si ex naturali rerum conſequentia, Terra ante aquas debet à Deo procreationem accipere Pecorum, vt quæ protinus facta ſit ſecunda poſt cœlum, & in Scriptura nominetur, & collocetur ante aquas; quomodo nunc Aquæ primo loco ornantur? Dico autem myſterio Baptiſmatis: Quomodo enim in cœlis oſtium noſtrum, & via ad Patrem eſt Baptiſma ad Chriſtum per Eccleſiam? & ea de cauſa ante omnia, vita & viuens Anima oſtenditur ex aqua & Spiritu.*

Geneſ.1. 12. *Ex Aquis eduxit Deus prima viuentia: in Baptiſmi ſymbolum.*

*Vita ſtrictè accepta non competit Plantis.*

Anaſtaſ. Sinaït.

57. Debuit etiam ſordium omnium interemptor eſſe Baptiſmi fluuius quòd imitatio quædam ſit perpetua Myſterij Incarnationis, quod in Peccati deſtructionem ordinatum eſt, quod filij Dei generationem connotat neceſſariò: Nam, quemadmodum ibi Spiritus ſanctus peculiariter operatus eſt, de quo conceptus eſt fœtus Beatiſſimus in vtero Virgineo; ita & Natiuitas in Deo per Ablutionis vndam eidem tribuitur, Ioan. cap.3. verſ.5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c. Cæſarius Arelatenſis homilia 5. de Paſchate: *Gaudeat Chriſti Eccleſia, quæ ad ſimilitudinem Beatæ Mariæ ſancto Spiritu operante ditatur, & Mater diuinæ Prolis efficitur: conferamus, ſi placet has duas Matres: Mariam ſecreto impleuit dilapſu Spiritus ſancti obumbratio; & Eccleſiam in fonte benedicto ſancti Spiritus maritauit infuſio: Maria filium ſine peccato genuit; & Eccleſia in his, quos generauit, peccata conſumpſit.* Quomodo enim Peccati ſuſtinerent quidpiam vndæ, quibus velut Maritus Spiritus ſanctus? Vnde in illud Gen.c.1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, &c. Tertullianus de Baptiſmo, c.4. *Sanctum autem vtique ſuper ſanctũ ferebatur: & ab eo, quod ſuperferebatur id quod ferebat, ſanctitatem mutuabatur: Quoniã ſubiecta quæque materia, eius quæ deſuper imminet, qualitatem rapiat, neceſſè eſt: ita de ſancto ſanctificata Aquarum natura, & ipſa ſanctificare cœpit.* Aliam cauſam eadem Homiliâ ſuggerit Cæſarius Arelatenſis; Nam cautionem præſtant qui baptizantur valedicendi Satanæ & operibus eius, de qua Tertullian. lib. de ſpectaculis, c.1. *Aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in ſuæ legis verba profitemur: renunciaſſe nos Diabolo, & pompis eius & Angelis eius, ore noſtro conteſtamur:* hac igitur cautione ob merita Paſſionis Chriſti in virtute Sacramenti Baptiſmatis, antiquum deletur Chirographũ, quod aduersùs genus Humanũ ob prę-uaricationẽ Adæ, Diabolus obtinuit; de quo Paulus ad Coloſſenſes c.2.v.14. *Donans vobis omnia delicta, delens quod aduersùs nos erat chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expolians Principatus, & poteſtates.* Cuius autem Sacramenti robore omnia omninò nobis condonantur delicta ſiue adulti ſumus, ſiue rationis incapaces, niſi ob Baptiſmũ? Reſcriptum nouum antiquo opponitur, neq; ampliùs captiuitas ſub Tartareo Duce, vbi Chriſtus fortiter vincula diſrumpit, vbi priſcæ ſeruitutis abnegatio conſequitur, deteſtato peſſimo Hero Diabolo, ciúſque mancipatu: ſubdit itaque nuncupatus Auctor huiuſce in confirmationem Diſcurſus: *Quid opponis mihi veteris Chirographi debitum, cùm videas nouâ cautione vacuatum? Cautionem enim, & pactum cum Chriſto fecimus in Baptiſmo; vt Homo illi ſeruaret innocentiam, & ille Homini redderet gloriam.*

Ioan.3.5.

Cæſar. Arelat. *Spiritus S. vt Chriſti in Maria formationem; ſic noſtram in Baptiſmo regenerationem operatur: quaſi vndæ Baptiſmalis Maritus.* Geneſ 1.2. Tertullian.

Tertullian.

Coloſſ.2.14.

Tertullian.

---

*Non niſi per Tribulationem, & dolorum patientiam ad quietem, & iucunditatem peruenitur.*

## Sectio VI.

58. Qvid Redemptoris Paſſione acerbius? quid Reſurrectione lætius? ibi labor & vexatio qualem nemo Martyrũ perpeſſus: hîc requies & voluptas omnẽ exuperans ſenſum: ergo in morte quidem faſciculus Myrrhæ, tota amara Potatio: in Reſurrectione Botrus Cypri, nam totũ *Alleluia* & vox ſuauitatis: ita cõmunior in hunc locũ Patrum explanatio, de quorum numero Bernard. ſerm.44. in Cãtica: *Dominus meus Ieſus Myrrha mihi in morte, Botrus in Reſurrectione:* Num igitur Diſcipulus ſupra Magiſtrum? Annon compati decet ſi conregnare velimus? filius Dilectiſſimus non niſi per crucẽ Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen conſequutus, & requiẽ immẽſam: Nos diſcola portio in gaudiũ abſque perpeſſu Malorum intrabimus? oportet de Myrrha bibere priùs, vt liquore Botri Cypri deinceps perfundamur: *Tu ergo* (ſubnectit Bernard.) *poſt Myrrhæ amaritudines, vinũ iucũditatis experiẽs, haud temerè & ipſe dicere poteris, Botrus Cypri Dilectus meus mihi in Vineis Engaddi.* Egregiè admodũ in iuſtorũ lenimen, quos labor plurimus occupat in medio nationis prauæ, & voluptuoſæ, lib. de ſpectaculis c.28. Tertull. *Vicibus diſpoſita res eſt: nunc illi lætantur, nos conflictamur: ſæculum* (inquit) *gaudebit, vos triſtes eritis: Lugeamus ergo dum Ethnici gaudent, vt cùm lugêre cœperint, gaudeamus; ne pariter nunc gaudentes, tũc quoque pariter lugeamus: Delicatus es Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem cõcupiſcis, imò nimiũ ſtultus ſi hoc exiſtimas voluptatẽ? Philoſophi quidem hoc nomen, quieti & tranquillitati dederunt; in ea gaudent, in ea auocantur, in ea etiam gloriãtur: Tu mihi metas, & puluerem, & arenam ſuſpires: dicas velim: Non poſſumus viuere ſine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus?* bellè quidem! vt mors cum voluptate ſit, vitam cũ afflictione expedit aſſociari.

*Chriſtus in morte fuit Faſciculus Myrrhæ, in Reſurrectione Botrus Cypri.*

Bernard.

Idem.

Tertullian.

59. Lazarus ille Pauper, quẽ & vlcera & fames diuexabãt, mortuus eſt tandem, portatúſque ab Angelis in ſinum Abrahæ, Luc. cap.16.v.22. Quid? etiámne poſt fatũ, adhuc debilis, & fractâ valetudine, vt aduehi neceſſũ fuerit, quaſi ſuis nõ valẽtẽ plãtis ambulare? Verùm illic nihil de cõcretione corporis: ſola Anima pergebat ad ſtationẽ iuſtorũ emortuorũ: ſed Anima ſeparata velox & feſtina eſt, Euros atq; Notos fugâ vincit celerrimâ, quorſum itaq; Angelorũ ſuppetiæ: benè quidẽ vt comitentur gradientẽ, vt applaudãt eunti in locũ ſecuritatis: officioſũ hoc eſt & amicæ Beneuolẽtiæ, ſed non portatur niſi qui ſub ægritudine eſt: Sanè & apud nos præter inualeſcentiæ cauſas geſtatio eſt ob quietẽ: Diuites lecticâ ferũtur & culcitrâ accubant, Baiulorũ humeris ſubuecti, quanquã incedere poſſint, ad voluptatis affectationẽ: itaq; qui vidẽt talibus affluere deliciis optimè robuſtos, colligũt amœniſſimos traducere annos, & ſplendidâ exuberare fortunâ, nec cõmuniũ detrimentorũ ſentire quidpiã: portatur itaq; ab Angelis Lazarus, vt cũ ſic perductũ intueamur, argumẽto ab humanis rebus mutuato, cogitemus altiſſimâ hilaritate, & quiete fruentẽ: Quis autẽ horũ ſymbolorũ ſcopus? nempè, ſub huius exilij ſpatio duriſſima expertũ ſcimus, cũ vltra poſtemata eſuriret quoque neminẽ conſolatorẽ habens Mortaliũ: vt ergo intelligamus iuxta modũ Patiẽtiæ futurã requiem: æquum erat, vt Lazarus, cuius calamitas ingens fuerat, talis depingeretur poſt mortẽ, vt in quiete exceſſus quodãmodò appareret pro laborũ vtiq; menſurâ, aſſignatis à Deo Angelicis manibus, à quibus deportandus fuiſſet, plenè & adamuſſim iucundus cũ tali Vectatione, qui olim vulgi oculis longè infauſtus, atque miſerrimus: Chryſoſtomus in S.Thomæ catena ad c. 16. Lucæ, & tom.2. operum ipſius hom. de Diuite & Lazaro: *Tantæ pœnæ repentè delicijs commutantur: Portatur poſt tantos labores, ne ſaltem ambulans laboraret, & portabatur ab Angelis: non ſuffecerat ad portandum Pauperem vnus Angelus, ſed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant: gaudet vnuſquiſque Angelus tantum onus tangere.*

Luc.16. *Lazarus ille Mendicus in hoc mundo miſerrimus, poſt mortẽ ab Angelis portatur quaſi in curru Triumphali, ne ſi ambularet vel tantillum laborare videretur.*

Chryſoſtom.

60. Cur Plagarũ veſtigia poſt Anaſtaſin glorificatis in mẽbris retinuit Chriſtus? Nonne hoc tãtę ſalutis aliquod probrum? Medicinæ excellentia eſt in Chirurgo vel cicatricẽ delêre, vt antiqui vulneris nihil ſuperſit: Reſpondet S.Laurent. Iuſtinian. de Triũphali Chriſti Agone, c.26. *Non enim quaſi non poſſit ſua vulnera ſanare, retinuit Mediator clauorũ fixuras in manibus: ſuæ Paſſionis vulnera in corpore ideò cuſtodiuit illæſa, vt haberet quod exhiberet Patri, & oſtenderet nobis: Patri quippe, vt illum reconciliaret offenſum: Nobis verò, vt in torpore iacentes mentes ſurſum erigeret.* Ergóne externis eget argumentis Pater, vt recordetur Paſſionis vnigeniti ſui? Languidæ memorię ſubſidia tales Notę: genitor quomodo obliuioſus, cuius ſcientiæ infinita vis eſt? Eſto, quod veriſſimum; ob filij necem condonet ſceleribus noſtris, ſed abſque vulnerũ intuitu Mortis filij cogitatio indelebilis: cur itaque ſeruata veſtigia dicantur, vt Pater reconcilietur? Nũ exaggeratio eſt? Quaſi tanta ſit cognatio iucũditatis, & laborũ, vt ſi modò Genitor filium conſpexiſſet abſq; Paſſionis quibuſdã indiciis ſacrato in corpore, nollet flecti ad noſtrum lenimen, nec gratiã infundere, quæ ad gloriam, & ſempiternã amœnitatem oppignorabat? Quaſi Ducẽ non agnoſceret (loquamur ſecundũ humanã conſiderationẽ,) & Pugnatorem, quem ſine ſtigmate omninò cerneret: quod ſi nõ Præliatorẽ diiudicaſſet, cùm per ſanguinẽ fieri reconciliationem Decreti ſtatutũ eſſet, quonam modo indulgeret abque vibicibus? Hinc & ſequitur alterum Membrũ Pronunciati; ſcilicet *vt in torpore iacentes Mentes noſtras erigeret:* Neque enim Patris causâ, opus erat gnatũ Cicatrices retinere, ſciebat enim quãtùm paſſus eſſet, qui ſe in mortem propter Homines dedit: Homines autem nullas vulnerum Reliquias aſpicientes quæ pugnauiſſe quondam Seruatorẽ demonſtrarent, arbitrarentur gloriâ & honore maximo donatũ, nõ ob mala quæ pertulerit, ſed propter gratiã vnionis, & quoniam naturalis Dei filius eſſet; inferrent, nec ſibi ad quietem iucundiſſimam adipiſcẽdam ſudoribus opus eſſe, atque otio & deſidiâ torperent: Ne igitur falſis ducti opinionibus cogitarent improbè ſocordiâ eneruatis concedẽdã Requiem: voluit Genitor Reſurgentis in Gnati carne apparêre notas veterum Plagarum: Vt cùm ſine his, quaſi ne ad filij aliter flecti poſtulata genitorem in ſpeciem quidem intuerentur: & ipſi modò exorare cuperent, cùm vulnerum inſignibus, tanquàm de prælio reuerſi, accederent.

Laurent. Iuſtinian. *Chriſtus poſt Reſurrectionẽ vulnerum cicatrices retinet, quà oſtẽdat ſe per dolores gloriam aſſecutum & homines ad patiendum animet.*

61. Paternã transferri in Iacob Benedictionẽ Rebecca optabat: Quid autẽ meditatum eſt fœminæ ingenium? *Pelliculas Hœdorum circumdedit manibus, & Colli nuda protexit*, Geneſ.c.27.v.16. Hoc autem ſtratagemate quamobrem vſa eſt? nimirũ, vt cùm attrectaret ſenex adoleſcentem, ex filiis maiorem natu accedere putaret: At certè voce detectus eſt Iacob: quomodo igitur optimâ donauit Benedictione, quẽ agnoſcebat: Cur ob vocis indicia non repulit? Myſticè; Iacob Chriſtus eſt, & ſanctorum quoque Typus: Ros autẽ cœli, & pinguedo Terrę, quibus fruiturũ Benedictio ſpondet, quietis & iucunditatis plenam abundantiam denotat: igitur hanc conſequuturus ſit Iacob Lenis? opus eſt vt vel ipſe Chriſtus gloriã per Crucem adipiſcatur: Lenes illi ſunt, qui ad vmbram ſedent in mollitię veſtiũ & Ciborum: qui pulueri & arenæ aſſuetus eſt, calloſas manus habet, aſperã cutẽ: ô prudentẽ mulierẽ, quæ nõ niſi pilis hiſpidũ Iacob genitori miniſtrare paſſa eſt! Nã quidem cùm voce ille vtcũque diſſimulauerit: cæterùm, niſi Hiſpidũ inueniſſet & dura cutis virũ ſignificaret curis & laboribus enutritũ, credo à benedicendo abſtinuiſſet: Sacramentũ illud erat ſpiritalis Doni, vberrimæ ſcilicet in Patria Beatorũ voluptatis: ſed hanc nõ niſi fortes conſequuntur, violenti enim rapiunt illam:

Geneſ 27. 16.

*Iacob lenis non niſi per manuũ aſperitatem .j. per labores, & ærumnas Benedictionem aſſequitur paternam.*

illã: imponi ſibi Iſaac patietur, modò ab Hiſpido tamẽ decipiatur: ſuauis eſt fallacia, cui labor diſſimulatio eſt: Bernardus de Seruatore dulciſſimè ſerm. 28. in Cantica: *Noui, quòd ſis lenis naturâ, mitis & humilis Corde, blandus aſpectu, ſuauis Spiritu: vnde ergo nunc inſtar Eſau piloſus, & hiſpidus? cuiuſnam rugoſa & tetra imago hæc, & vnde hi pili? mei ſunt, meos agnoſco pilos: quippe Diſciplina Pacis noſtræ ſuper eum dicente Prophetâ: & Dominus in eo poſuit iniquitatem omnium noſtrum: propterea vox quidem, vox Iacob: manus autem, manus fuit Eſau: ſuum eſt quod auditur ex eo; quod in eo videtur, noſtrum: Quod loquitur, Spiritus & vita eſt: Quod apparet, mortale & Mors: aliud cernitur, & aliud creditur:* Chriſtus igitur noſtras ærumnas ſubiit, nam hæ ſpecioſum inter filios hominum, piloſum & Hiſpidum dum in Cruce pateretur, & cui non erat decor, neque ſpecies, apparêre fecerunt; ſed ita præripienda erat Benedictio: Nam oportebat pati, & ita intrare in gloriam ſuam.

Bernard.

62. Iſaias de Chriſti Poteſtate, & Regnatu, c.9. v.6. *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis; & factus eſt principatus ſuper humerum eius:* Nõ quidẽ Principatus ipſe, ſed Regni ſtémata atque inſignia: Qualis autem hæc nota Imperij Saluatoris? Crucis arborem Patres interpretantur, ex quibus Tertull. lib. 3. contra Marcionẽ: *Sed ſolus nouus Rex nouorum æuorum Chriſtus Ieſus nouæ gloriæ, & poteſtatem, & ſublimitatem ſuam humero extulit: Crucem ſcilicet:* Sed imprimis demiratur ibidem Tertullianus, quamobrẽ Imperij ornatũ nõ aut capite, aut manu geſtet de aliorũ Regũ conſuetudine? Deinde, percunctandũ à nobis, cur ſtipitem vectet, & non magis auro, Purpuræ, Margaritarũ pretioſis humeros ornet, de quibus inſignia cõficiantur? Nam & Imperatorum hic quoque mos eſt: Sanè, quod in humeros à Chriſto trãsfertur in locum tranſmutatur plenæ quietis: propterea optimus Paſtor ouem nactus, quæ errando nimium laſſata eſt, vt quieſceret, humeris iucundam impoſuit ſarcinam, Lucæ cap. 15. verſ. 5. Ergóne Chriſtus ſcapulas & humerum ſubmitteret auro, margaritis, Purpuræ, quæ effœminatorum deliciæ ſunt? His concederetur requies Domini, per quas voluptates nutriuntur? abſit: Crucifixorũ locus humeri Seruatoris, quando ibi requies & conſolamen, merces ſcilicet robuſtorum, non languidi & delicati in oſtro & lapillis animi: ſed & materiale ipſum lignũ pendẽris ſuſtinuit onus: ac licet abſq; ſenſu põderis inanimis Trũcus; at voluit ex Trũco remunerato homines diſciplinã capere: vt cùm perſpexerint inſenſibile lignũ præferri gemmis, byſſino, metallorũ exquiſitiſſimis; ſciant nõ diuitiis & amœnitati huius ſeculi promiſſam delectationẽ apud Numen, ſed onera & labores ſubeũtibus. Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Crux gloria tua eſt, Crux imperium tuũ eſt: ecce imperium tuum ſuper humerum tuum: portas portantem te: Qui portat Crucem tuã, portat gloriã tuam; qui portat gloriam tuam, portat te: portantem autem te Tu portas ſuper humerum tuum: ergo, qui te portant, Imperiũ tuum ſunt, in ipſis enim tu regnas.* Quàm verò locus iſte, in quẽ portãtes ſe, & Crucifixos ad ſui imitationẽ, Saluator transfert, tutus ſit, quãtæque ibi voluptates innuit Drogo quibus ſubiũgit verbis: *O maxime Imperator, ſed quomodo, aut quò portas imperium tuum ſuper humerum tuum? Humerus tuus altus eſt, Humerus tuus fortis, Humerus tuus pertingit vſque ad Patris conſeſſum ſuper omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem:* ergo ſi Humerus altus, altiſſimum poſuit refugium eorum, nec accedet ad eos malum; ſi Humerus vſque ad Patris conſeſſum pertingens: Quid non deliciarum apud Patrem? gloria & diuitiæ in domo eius, & magnitudinis illius non eſt finis, torcularia eius plena eructantia ex hoc in illud.

Iſai. 9. 6.

Tertullian. *Principatum .j. Crucẽ tollit Chriſtus in humeros ſuos (.j. in locum plenæ quietis,) in quos Ouem laſſam, vt quieſcat aſſumit.*

Drogo.

Idem.

63. Panis ille, quem Iſraëlitis æther depluit, ſaporis fuiſſe quaſi Panis oleati refertur, Numerorum c. 11. verſ. 8. de eodem tamen Exod. c. 16. verſ. 13. *Guſtúſque eius quaſi ſimilæ cum melle:* animaduertit Sanctus Petrus Damianus ſerm. in Cœna Domini: *Notandum verò, quòd idem Manna, quod in libro Numeri dicitur oleatum: in Exodo legitur, non Olei, ſed potiùs Mellis habuiſſe ſaporem:* Quã hoc de causâ? Percipe oleo inunctos Athletas, vt non ſemel à nobis in anterioribus probatum, cùm ad luctã deſcenderent in arenariam: itaque olei inunctio pugillatus & laboris Symbolum: præclarè igitur cùm perhibuiſſet de Manna dulce fuiſſe palato mellis ad inſtar, alibi ſignificat de oleo quoque habuiſſe; indicaturus, modò quiſpiam mellis frui ſuauitate ardeat, & quiete gaudere; oportere & hunc intelligere, luctam inſtare, palæſtram ingrediendam eſſe: vtrumque in Manna, Oleum videlicet & Mel, nec alterum abſque alio aſſumendum eſſe: quicumque igitur iucunditatis amator eſt, certamen & puluerem gymnicum non reformidet. Ecce quales mitti Numen iubeat qui de terra Chanaan, eiúſque habitatoribus referant: *Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, quam daturus ſum filijs Iſraël, ſingulos de ſingulis tribubus ex Principibus,* Numerorum cap. 13. verſ. 3. Quare Principes deſignantur, quibus proficiſcendum ſit? Nonne ſatius de vulgo perire (diſcriminis enim plena luſtratio eſt,) aliquos, quàm familiarum capita? Num in figuram æternæ hæreditatis? planè arbitror: Nam apud noſtrum hunc orbem, ſi ditionem amplificare Monarcha ſtudeat, & fines protendere Imperij; militem ſcribit, Duces creat; illi pergunt, Hoſtem adoriuntur, cadunt, vulnerantur, ſanguine nouas Prouincias emunt: interim Rex in ſuperbis & deauratis Palatiis, iocis & ludo vacat, ſympoſiatur, Lyrâ & fidibus delectatur: Vt igitur homines intelligant, & de his imprimis Dynaſtæ, ad Olympum neminem admitti, quanquam diademate & trabeâ inſignis fuerit, qui non cum vitiis decertarit, & peccatum vicerit, Principes exploratum ire iubentur, quæ ſit telluri facies, Principes periculis exponuntur. O Principes populorum expergiſcimini, & conſiderate quàm anguſta ſit via, quæ ducit ad vitam! Sat choreis, ſat Baccho, Veneríque datum: ſumite nunc tandem arma, & pugnate cum antiquo ſerpente, quia propè eſt dies Domini amarus valdè, & potentes potenter ſuſtinebunt: Verùm, quamobrem ex ſingulis tribubus delecti? Non ſufficeret pergere aliquos? rectè ſanè, quòd ex omnibus pergant: Nam poſt adeptam Prouinciam diſtribuenda erat gleba inter ſingulas tribus: Qui igitur exploratum ierant, cùm magnis laboribus perfuncti eſſent, vita enim periclitabatur quotidie in hoſtilibus aruis, meritò conqueri poſſent, alienis ſudoribus ditatos, qui domi remanſerant legatione exempti: Ne igitur iuſta ſubeſſe cauſa poſſit dolendi fortiſſimis viris, quòd ſibi deſides & ignauos coæquari intuerentur, ex omnium tribuum capitibus deſtinantur, vt quando requiem amarent optatæ Telluris, hanc ſcirent periculis & exercitatione obtinendam ab eorúmque Nepotes exemplo diſcerent.

Numer. 11.
Exod. 16 31.

P. Damian. *Manna ſapor & oleatus, & mellitus: Oleũ luctæ & laboris: Mel ſuauitatis Symbolum.*

Numer. 13. 3.

*Ad periculoſam Terræ promiſſæ explorationem mittuntur de ſingulis tribubus viri, & quidem Principes.*

VESTI



# VESTIGATIO XVI.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum decimumquartum & decimumquintum Capitis primi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus:* Ecce Tu pulchra es Amica mea; ecce Tu pulchra es; oculi tui Columbarum. Ecce Tu pulcher es Dilecte mi, & decorus. *Cap. 1. verſ. 14. & 15.*

*Veſtis pulchritudo formæ auget decorem: illuſtratio aliqua Iudith, Eſtheris, Matthæi: Cultus diligentia fœminei ſexus peculiare ſtudium: Columba Veneri ſacra, Amoris Symbolum: Pulchræ vbinam? Syris Religioſæ: Dauid bis expenſus: Oculi Animorum Indices: Ieremias declaratus: Coniugalis fidei exempla, Columbæ: Volatu epiſtolas deferunt: Ioſephi Scaligeri culpa in Sanctum Matthæum: Coniectura de Iſaiæ verbis: formæ Pulchritudo quænam abſolutiſſima cenſenda? Moyſis, Dauid, Iudithæ intellectio.*

### SECTIO VNICA.

1. VESTIVM pretioſa in formæ vel ſubſidium, vel incremẽta, quemadmodum & Pigmentorum vſus: Quamobrẽ licet corpore & vultu ſpecioſiſſimus Rex Salomon, tamen etiam, ne tum cùm veſtium elegãtia plurimùm decoris addidit conceſſæ à Natura pulchritudini, Agri æmulum floribus, minùs vt ſuperauerit quidem, Redemptoris voce nouimus Matthæi cap. 6. verſ. 28. *Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis.* Et quanquam de Iudith ſacri Textus Oraculum ad ſpeciei commendationem cap. 8. verſ. 7. *Erat autem eleganti aſpectu nimis*, tamen ad formæ auctuarium capite 10. verſ. 3. vnxit ſe *myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induítque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpsítque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe:* Quæſitæ etiam ſpecioſiſſimæ compoſitionis Aſſuero Puellæ, nec tamen in Regis conſpectum prodibant, quoad *ſex menſibus oleo vngerentur Myrrhino, & alijs ſex quibuſdã pigmentis & aromatibus vterentur,* Eſth. c. 2. verſ. 22. ita & Pſal. 44. pulcherrimi Sponſi formoſiſſima Coniux verſ. 10. pingitur *in veſtitu deaurato, circundata varietate:* Quare & ad pulchritudinem quidem voluiſſe Numen, & Tabernaculi, & Pontificium cultum, operoſum, ſplẽdidúmque eſſe animaduertit Abulenſis quæſt. 1. in c. 28. Exodi: *quia Deus* (inquit) *vult pulchritudinem in rebus ſuis, cùm ipſe pulcherrimus ſit: Hæc autem pulchritudo placebat Deo, quia rectè ſubordinata erat:* Pulchrum comptè indutum Tibullus vocat lib. 2. Eclog. 5.

*Pulchra veſtis formæ venuſtatem auget.*

Matth. 6. 28.

Iudith. 8. 7.

Eſth. 2. 12.

Pſal. 44 10.

Toſtat.

*Sed nitidus, pulchérque veni, nunc indue veſtem*
*Sepoſitam, longas nunc benè pecte comas.*

Tibull.

Apud Titum Calphurnium Ecloga 7. quiſpiam conquerebatur de plebeiis amictibus, quaſi formam non aliud obſcuraret, quàm inhonoræ Veſtis deſpectus cenſus:

*O vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet*
*Pulláque paupertas, & adunco fibula morſu.*

Tit. Calphur.

Nam floridâ veſtis ſpecie etiam ſenes quaſi amiſſam iuuentæ recuperare venuſtatem ſubinnuit non illepidè Sidonius Apollinaris libro 4. epiſtola 13. ad Vectium: *Quique poſt tergum cùm iam duodecim luſtra tranſmittat, quotidie tamen habitu, cultûque conſpicuo non iuueneſcit ſolùm, ſed quodammodò repueraſcit: enimuerò veſtis aſtricta, tenſus cothurnus, crinis in Rotæ ſpecimen acciſus, barba intra rugarum latebras merſis ad cutem ſecta forcipibus, ad hoc & munere ſuperno,* &c.

Sidon. Apoll.

2. Cæterùm exquiſitior de Veſte, gemmis, Pigmentis Cura ad muliebrem ſexum peculiari affectione ſpectat: Tertullianus libro de Habitu fœminarum: *Propriè & quaſi peculiariter fœminis inſtrumentum iſtud muliebris gloriæ contulerunt, lumina lapillorum, quibus Monilia variantur, & Circulos ex auro, quibus brachia arctantur, & Medicamenta ex fuco, quibus lanæ colorantur, & illum ipſum nigrum puluerem quo oculorum exordia producuntur:* Proinde viris indecorum, quibus aliquid ſtrenuæ Mentis ineſt, atque in fœminas mollitie non tranſierint: Claudianus in Eutropium lib. 2.

*Accuratior de veſte & ornatu cura ad muliebrẽ ſpectat ſexũ.*
Tertullian.

*Veſtis odoratæ ſtudium, laus maxima rerum*
*Per varios mouiſſe ſales, minimèque viriles*
*Munditiæ, compti vultus, onerique vel ipſa*
*Serica.*

Claudian. *Cultior ornatus viros dedecet.*

Quintilian. Quintilianus libro 11. cap. 1. *Vt Monilibus, ac Margaritis ac veſte longa, quæ ſunt ornamenta fœminarum, deformentur viri.* Arnobius libro 2. contra Gentes: *Idcircò animas miſit, vt diuini ponderis & grauitatis oblitæ, Gemmas, lapillos, Margaritas Caſtitatis diſpendio compararent, conſpiciendis gererent corporibus fucos, inneſterent his collæ, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec informem erubeſcerent Maſculorum calamiſtris vibrare cæſariem, cutem corporis læuigare, incedere poplitibus nudis; omnique alio cultu vigorem virilitatis & exponere, & in habitum fœminarum, deliciáſque mollire:* Clemens Alexand. lib. 2. Pædag. cap. 10. χλανίσι δὲ διαφανέσι πεπτημμένοι, καὶ μαστίχην τρώγοντες καὶ ὄζοντες μύρου: *Subtilibus autem, & tenuibus veſtibus induti maſtichen rodentes, & vnguentum olentes:* Nec tamen, quia viro indignus ſit nimius veſtium & vnguentorum luxus, omnia ſibi continuò licêre fœminæ exiſtiment: habet enim & ſuos limites muliebris cultus: quæ, vt Marito placeat, componatur, vt generis claritatem repræſentet, vt inter Ciues dignitatem, rectè facit: exceſſus tamen ſemper abeſto: in quam ſententiam Tertullianus libro citato Chriſtianas hortatur fœminas, inquiens: *Ergo Benedictæ, primò quidem vt lenones, & proſtitutores veſtitus, & Cultus ne in vos admiſeritis: Tum ſi quas vel diuitiarum ſuarum, vel Natalium, vel retrò dignitatum ratio compellit ita Pompaticas progredi: vt ſapientiam conſecutæ temperare ſaltem ab huiuſmodi curate.* Conſule dicta ex penitiori Theologia Veſtigatione 2. numero duodecimo.

Arnob. Clem. Alex. Tertullian.

3. *Sponſæ pulchritudinem & à Naturæ dotibus eximijs & à cultus elegãtia celebrat Sponſus.*

Quando igitur muliebris decor non à ſolius Naturæ dotibus ſed etiam à Cultus ornatu, à Veſtium elegantiâ, eximiè bis pulchram Sponſam Dilectus nominat: Nam certè de vultu, qui formæ monſtrator eſt, ſatis probauit, cùm adſcititia ornamenta reſpuere ſuperiùs dixit, aiens verſ. 9. *Pulchræ ſunt Genæ tuæ ſicut Turturis, Collum tuum ſicut Monilia:* cætera omnis penè oratio de Torquibus, de Gemmis, de Veſtium pictura, de odoramentis, & ſuffitibus: ſuppeditabat prolixè Sponſus vniuerſas fœminarum delicias, Amici & ſodales offerebant: igitur Naturâ congerente ad pulchritudinem abundantiſſimè ſimul cum externis adiumentis, vtriuſque indicaturus formæ conſociationem geminat Pulchritudinis laudem; atque hæc eſt ſyncerior Literæ Conſtructio Explanatione, quæ refert ad animi ſimul cum Corporis formoſitate, neque enim de internis Sponſæ Virtutibus ſermo in anterioribus hactenus. Verùm quæ Connexio ſequentis Periodi? *Oculi tui Columbarum.* Num, quòd variegato pennarum colore, floridarum Veſtium & amœnitatem, & pompam referant? atque hac de cauſa Plinius lib. 10. cap. 36. ſcripſerit: *Verùm Columbis ineſt & quidam Gloriæ intellectus: noſſe credas ſuos colores, varietatémque diſpoſitam: quin etiam ex volatu quæritur plaudere in cœlo, variéque ſulcare: quâ in oſtentatione vt vinctæ præbentur accipitri implicatis ſtrepitu pennis, qui non niſi ipſis alarum humeris eliditur, alioqui ſoluto volatu in multum velociore: Speculatur occultus fronde latro, & gaudentem in ipſa gloria rapit.* An quia & vnguentorum effuſiones repræſentet, à quibus fragrabat & vertex, & Amictus omnis Coniugum, & thalamus nuptialis? delectari enim ſuauiſſimis odoribus Columbas, atque ideò Turrium, in quibus procreabant, feneſtras & Parietes opobalſamo illinere conſueuiſſe Columbariorum Poſſeſſores memorat noſter Cauſinus in Polyhiſtore Symbolico libro 6. num. 43. Quemadmodum etiam vnguentorum ſpirantiſſimo halitu caperentur ex Venatione Columbæ, notum eſt ex Magni Baſilij epiſt. 175. ad Iulittam.

*Cur, Oculi Columbarũ?* Plinius. *Columba gloriæ cupida.* Cauſſin. Baſil.

4. *Columbarum Tripolitanarum ſplendẽtes Oculi.*

Narrat Delrius ad hunc verſum fuiſſe, qui commendari arbitrarentur lumina faciei in Sponſa: referebant enim Tripolitanas in Syria Columbas eximio eſſe oculorum ſplendore, quibus vultus Sponſæ faces Dilectus comparauerit: ſcio Athenæum libro 14. Dipnoſoph. ex Antiphane dicere: *Heliopoli procreari Phœnices, Athenis noctuas eſſe, Cyprum præſtantiſſimas habere Columbas:* Num verò Regio ipſa tulerit ab initio ſpecioſiſſimas volucres? aut peregrinis aduectæ littoribus, quòd Venus in Cypro coleretur, & Diuæ alituum genus illud eſſet conſecratum, & ad Religionem decoræ quærerentur volucres? atqui & in Syria etiam Venus colebatur, eiúſque in honorem quòd Amatoriæ Deæ auem crederent, nemo Columbas lædere auſus: Lucianus in Dea Syria: *Columba ex auibus Syris videtur res ſanctiſſima eſſe, & ne tangere quidem ipſam fas habent: Quòd ſi quando inuiti etiam attingunt, ſcelerati, & execrabiles illo tum die habentur: ideò compaſcuæ ipſis ſunt, & ad Domus ipſorum veniunt, & in terra paſcuntur in ſacrâ vrbe.* Significauit Tibullus communiori Diſticho lib. 1. Eleg. 1.

*In Cypro & Syria Venus colebatur, cui ſacræ Columbæ, quas attingere nefas.*

Tibull.

*Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes*
*Alba Palæſtino Sancta Columba Syro.*

Euſeb. Cæſar.

Euſebius quoque Cæſarienſis lib. 8. de Præparatione Euang. cap. 7. *Syriæ maritima quædam Ciuitas* (ait) *eſt nomine Aſcalon; eò cùm applicuiſſem, magnam multitudinem Columbarum videns admirabar: interrogantique mihi quamobrem eæ Aues omnia penè loca illa occupabant: reſponſum fuit; lege apud eos Columbarum vſum eſſe prohibitum:* De his nonnihil Vlyſſes Aldrouandus Ornithologiæ lib. 15. pag. 197. Ioannes Seldenus de Diis Syris, Syntagmate 2. cap. 3. Fortaſſe propterea apud Dauidem Pſalm. 67. verſ. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ Columbæ deargentatæ, & poſteriora Dorſi eius in pallore auri:* Hortatur enim Oraculum iuſtos ne timeant, quamuis ſummis verſari in periculis appareat: diuinæ enim Prouidentiæ adminiculis ſuffultos in magno rerum diſcrimine non minùs fore ſecuros, quàm ſint Columbæ, quas ob Veneris gratiam, quam adorant, nemo Ethnicorum tangere audeat: dixerat idem & Pſalm. 54. verſ. 7. *Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo & requieſcam,* vtique in deſertum vt ſtatim innuit: *Ecce elongaui fugiens & manſi in ſolitudine:* Sed num tuta Columbis in eremo ſtatio? Annon aucupes ignota petunt nemora & ſaltus? ibi ſine metu inſidias tendunt, vbi quis prohibeat Dominus & poſſeſſor, nemo eſt: Verùm & in peregrinis etiam locis tuto volatu aëra Columbæ ſulcant, contra quas ob Veneris fauorem nullus inimicatur: Cùm itaque Syri, & Phœnicij imprimis, de quibus Scholiaſtes Æſchyli in ſupplicibus: φοινίκην ἣν ἱερὰν Ἀφροδίτης φησὶ διὰ Βύβλον καὶ Λίβανον, hoc eſt, *Phœniciam, quam ſacram Veneri tribuit ob Byblum, & Libanum,* Venerem impenſiùs colerent, Tutelari Deæ charas volucres, quas poterant formæ laudibus præcellentes, conquirebant: His igitur, & quidem patriis Sponſæ Auibus, ex Libano ſiquidem & Tripoli, vbi natale eius ſolum, vt ſæpè oſtendimus, aſſimilati oculorum radij micantes, & ſyderei propè fulgores.

Aldrobaud. Selden. Pſal. 67. 14. Pſam. 54. 7. Scholiaſt. Æſchyl.

Huic



5. *Columba Syriæ pulcherrimæ.*

Huic ſententiæ concedi poſſit, ſi quemadmodum in genere perſuadet cum veri repræſentatione, oportuiſſe eximiâ ſpecie præditas fuiſſe Syrias Columbas ob Veneris famulatum, neque enim Amoribus quæ non pulchra & amœna ſunt, tribuuntur, quare de Veneris ſubuectrici Alite libro 6. Metamorph. ſub initio Apuleius: *De multis, quæ circa Cubiculum Dominæ ſtabulant, procedunt quatuor candidæ Columbæ, & hilares inceſſibus, picta colla torquentes, iugum gemmeum ſubeunt: ſuſceptâque Dominâ lætæ ſubuolant:* ita commonſtraſſet lætis & gaudentibus oculis fuiſſe, & magnitudine & iubaris luce nobilibus: de his enim dotibus tacent Naturalis Hiſtoriæ indagatores: nec quanquàm fuſiſſimus Tractator Vlyſſes Aldrouandus de Columbarum proprietatibus Ornithologiæ libro 15. de his tamen Notis aliquid: Quod verò alij opponunt, faciliori ſub excuſatione eſt: demirantur ſcilicet, vt oculorum materiale decus collaudare Sponſus tentauerit, quamobrem continuò ſubſtiterit non ad alia progreſſus corporis membra? Reſpondere namque vtcumque licet, quod libro 13. Dipnoſoph. ex Ariſtotele prodit Athenæus: *Amatores nullam magis corporis partem in ijs, quos amant intueri, quàm oculos, vbi Pudoris ſedes eſt:* Amor enim honeſtus Pudicitiam officioſiſſimè colit: idcircò & quauis datâ occaſione prorumpit in oculorum laudes, quod ex iis Pudicitiæ excellentiora documenta: Quòd ſi quidem Amor oculorum delectatur radiis, perbellè columbarum nominantur, quod ex volucri illâ Amoris celeberrimum deſumptum ſit emblema: id latè patefecimus Anteloquio 10. num. 52. addo nunc Propertium libro 1. Eleg. 3. ad Ponticum:

Apuleius. Aldobrand. Athenæus. *Oculos præcipuè ſpectãt Amantes.*

Propert.

*Non me Chaoniæ vincant in amore Columbæ,*
*Dicere quos iuuenis, quóſque Puella domet.*

Auguſtin. *Amorem cæcum Poëtæ malè fingunt.* Cicero.

Et Auguſtinus in illud Pſalm. 54. *Quis mihi dabit pennas ſicut Columbæ,* &c. *Columba enim* (ait) *pro ſigno Dilectionis ponitur, & in ea gemitus amatur:* Quapropter non illepidè argutam Poëtarum in fingendo vim aberraſſe notat Marcus Tullius in Amoris componendo Numine, quod oculorum Gratiâ deſpoliauerint, ſic effatus lib. 3. de Oratore: *Itaque cæco prorsùs animo profani Poëtæ extitiſſe videntur, qui cæcum Amorem eſſe finxerunt: quandoquidem nulla Corporis Pars magis ſeruit Amori, atque etiam pulchritudini & decori: Nam ſi in oculis, tanquàm pretioſiſſimâ & præſtantiſſimâ corporis parte Pulchritudo conſiſtit, atque etiam oculis cernitur & iudicatur: ſacrilegum & nefarium eſt cæcum exiſtimare Amorem, qui Deorum omnium ab illis fingitur eſſe pulcherrimus & antiquiſſimus, vt Auctor eſt Heſiodus vetuſtiſſimus Poëta; qui in Theogonia, id eſt, de Generatione Deorum, ſic de Amoris Deo affirmat: Ante omnia quidem Chaos fuit, atque Amor pulcherrimus immortalium Deorum.* Igitur amatorio verſatus in Argumento; oculos Amorum illecebras ſolos commendauit.

6. *A corporis pulchritudine laudata, ad mentis Encomia tranſeunt caſtiſſimi Sponſi.*

Mihi tamen aliud, quod Modeſtiam plus demonſtret, cogitaſſe fas ſiet: Cùm enim Hymenæus iſte caſtiſſimæ Honeſtatis vbique appareat, conſuetudo eſt Interloquutoribus, Sponſæ imprimis & Dilecto eius, poſt vultus & Corporis laudatam pulchritudinem, ad Mentis tranſilire encomia: ne ſi in externis tantùm demorati bonis, ſuſpicio eſſet ob formæ lenocinia ſuſceptum Coniugium magis quàm ob virtutes Animi: Quando igitur geminatæ Pulchritudinis memoria ſatis Humanum omnem oris & veſtimentorum decorem extulerit, modò cùm habere aſſerat Columbarum oculos, Cordis denotat præſtantiam, atque inſertas animo gazas: eſt enim de oculis id verum, quod Plinius ſcripſit libro vndecimo, cap. 37. *Neque enim vllâ ex parte maiora Animi indicia cunctis Animalibus, quàm ex oculis, Homini maximè; id eſt, moderationis, clementiæ, miſericordiæ, amoris, odij, triſtitiæ, lætitiæ: Profectò in oculis Animus habitat:* Quam in ſententiam Lucius Craſſus apud Ciceronem libro 3. de Oratore: *In ore* (inquit) *ſunt omnia: in eo autem ipſo Dominatus eſt omnis oculorum: Animi eſt ea omnis actio; & imago Animi vultus eſt, indices oculi: Nam hæc eſt vna Pars corporis, quæ quot Animi motus ſunt, tot ſignificationes, & Commutationes poſſit efficere: oculos enim Natura nobis, vt equo, & Leoni ſetas, Caudam, aures, ad motus Animorum declarandos dedit.* Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 35. *Oculi autem ſunt ad cognoſcendum principes, ideóque concupiſcentia oculorum eloquio diuino appellata eſt.* Alludit verò Auguſtinus ad verba Euangeliſtæ Ioannis Epiſtolæ 1. cap. 2. verſ. 16. vbi omne quod eſt in Mundo *concupiſcentiam oculorum* appellat. Hieronymus epiſtola 10. *Taciti oculi* (ait) *cordis fatentur arcana;* Et Petrus Rauennas ſermone 139. nuncupauit, *Animæ feneſtras, ſpeculum Mentis, lumen corporis, Membrorum Duces:* Ac feneſtræ quidem voce oculos multi ex Patribus intelligunt, dum Ieremiam enodant c. 9. verſ. 21. inquientem: *Quia aſcendit Mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras:* Ad latrocinium quidem Mentis per vitiorum tentamenta Mors ſubrepſit: vnde quod recluſerit feneſtras, eóque dolo via patefacta ſit Raptoribus, quaſi inſidum vigilem, & comparticipem ſceleris, oculum idemmet accuſat Propheta, Threnor. cap. 3. verſ. 51. *Oculus meus deprædatus eſt Animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ:* Quare belliſſimè Auguſtinus Magnus Pater, eo quem ſuperiùs allegauimus libro 10. Confeſſionum c. 34. *Reſiſto* (ait) *ſeductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei:* itaque per oculorum Nutus, veſtigamus de Animi habitu, de Mentis indole: atque ea de cauſa ſæpè in diuinis coarguuntur voluminibus ſuperbiæ, quorum ſublimes oculi: ita & qui mobilibus atque vagis ſunt luminibus, inconſtantis & penè furioſæ concipiuntur eſſe Mentis, vt de Iuliano Apoſtata conſiderauit Nazianzenus Gregorius: cæterùm, mites, blandi, ſimplicéſque oculi tranquillum & ſedatum Spiritum, & ad omnem Humanitatem compoſitum denotant: quamobrem apud Matthæum cap. 6. verſ. 22. *Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit:* atque Xenophontem Themiſtius Oratione 3. condecorauit, *ob viſum ſimplicem, atque generoſum:* iam verò quem lateat, euehi ob ſimplicitatem Columbam, de qua in omnium auribus reſonat Euãgelicum Teſtimoniũ, Matth. cap. 10. verſ. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut Columbæ.* Quem in locum Chryſoſtomus homilia 24. aſſeuerat Columbis germanum eſſe *vſque in mortem in ſimplicitate perſeuerare.* Ergo Sponſus, cùm nouam Nuptam Columbarum habêre oculos memorat; de ſimplicitate laudat: ſimplices autem habentem oculos miti eſſe ingenio præditam declarat, liberali & benignâ indole, pacato Mentis ſtatu: Quid autem his dotibus mage optandum in coniugio? iis pluſquam faciei venuſtiſſimâ picturâ illectus Sponſus: Hoc igitur maximè extollit: lætatur quidem affabrè pulchram eſſe;

*Oculi columbini mentis candorem innuunt.* Plin. Cicero. *Oculi, animi indices.* Auguſtin. 1. Ioan. 2. 16. Hieronym. Chryſolog. Ierem. 9. 21. *Oculi, Animæ feneſtra.* Thren. 3. 51. Auguſtin. *Oculi ſublimes, mobiles, vagi,* &c. Nazianzen. Matth. 6. 22. Themiſt. Matth. 10. 16. Chryſoſt. *Simplicitas Columbæ.*

Tertullian.

ſcit enim à Deo conceſſum munus eſſe muliebri imprimis ſexui vt monet Tertullianus libro de cultu fœminarum: ſed metus plena res eſt vxor formoſa niſi animo defendatur pudico, & optimis circumuallato moribus: pro his itaque potiſſimum gaudet: oculos quoque modicè conniuentes Animi ſuaues indicare motus, & officioſam in meliora propenſionem Ariſtoteles referebat libro 1. de Hiſtoria Animalium capite 10. talibus etiam inſignitas luminibus Columbas à Plinio obſeruatum lib. 11. cap. 37. diuerſis igitur argumentis probat de ingenua Sponſæ indole, dum vultus illius faces, ex quibus Animi vulgantur affectus, oculis aſſimilauerit Columbarum.

Ariſtot. Plin.

7. *Columbarum in Coniugio intemerata fides.* Plin.

Eſt etiam, quod in Columbarum genere primam laudem meretur, Coniugij egregia fides, & inuiolatus Thalami Honor: Plinius libro 10. capite 34. *Pudicitia* (inquit) *illis prima, & neutri nota adulteria: coniugij fidem non violant, communémque ſeruant domum: niſi cælebs, aut vidua nidum non relinquit.* Athenæus libro 9. Dipnoſoph. *Nec verò ad interitum vſque deſerunt aut Maſculos fœminæ, aut fœminas Mares, ſed alterutro mortuo ſuperſtes viduam agit vitam.* Ælianus de Hiſtoria Animalium libro 3. cap. 5. *Columbas ex auibus maximâ eſſe pudicitiâ, ab omnîque adulterio caſtiſſimas percepi: Nunquàm enim ex Societate inter ſe inſtituta, mas & fœmina niſi vel caſu aliquo, vel alter alterius morte diſtrahuntur.* Quando igitur Sponſam Dilectus eius ex humili & depreſſa fortuna ad celſitudinis eleuarit faſtigium maximæ, ancillas, pigmenta, aurum, gemmas, byſſina & purpurea ſuppeditarit, vltrà ipſam deſiderij metam: Tantorum Beneficiorum liberalitatem ſat compenſatam putaturus ſit, modò in Connubialis fœderis amore, Columbarum fidem indiſſolubilis pudicitiæ imitetur: cum nullius igitur deinceps vnquàm affectibus conſpiret, nullius beneuolentiam admittat: Hanc Sponſæ infundere opinionem multoties in hoc Cantico vir eius nititur, præſertim capite 8. verſ. 6. vbi illæ Adiurationes: *Pone me, vt ſignaculum ſuper Cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum,* &c. Fortaſſe pariter quòd vtriuſque coniugium columbarum ſodalitio comparauerit, in vehementem Sponſæ conſolationem fecit: Cùm enim Hebræis per legis ſuæ Canones permiſſum eſſet, nec ſatis omnino graues ob cauſas, admodúmque inſolitas, vxores dimittere libello repudiali porrecto; tacitè Sponſæ inſinuare videatur Columbarum ſub Hieroglyphicis nullo dimiſſurum tempore: quæ explanationis forma eo nomine commendabilis eſt, quòd Synagogam Marito ſæpiùs infidam, Sponſus abiecerit: Catholicam tamen Eccleſiam huius Epithalamij Sponsâ ſignificatam haudquanquàm in fines vſque ſæculorum deſerturus ſit.

Athenæus. Ælian.

*Columbinam à Sponſo fidē exigit Sponſus, viciſſimque pollicetur.*

Cant. 8. 6.

8. *Epiſtola Columbis quaſi internuncijs credita.*

At num propterea & Columbarum habêre oculos dicat, quod Amicam appellauerit? cuius vocis diuerſas expendimus ſignificationes Veſtigatione decima, à Numero vigeſimo: ibi quidem Amicos eos eſſe, quibus pectoris credidimus arcana: Verùm Columbæ ſecreta deferunt, internuncio funguntur munere illigatis ad pedes Epiſtolis: & antiquis & recentioribus multis exemplis comprobat Vlyſſes Aldrouandus tom. 2. Ornithologiæ libro 15. Pag. 172. & fuſiùs Titulo *Hiſtorica*, Pag. 189. vbi ex Sabbellici Æneid. 9. libro nono, quemadmodum in expeditione ſacra Chriſtianorum ad Palæſtinam, interceptu Columbæ Literas volatu ferentis ad Regem Damaſcenorum, vt obſeſſis ſubueniret Tyriis, remiſſa eſt eadem conficta Regis nomine Epiſtola, quâ omnis auxilij ſpes ſubmouebatur, ad circumſeptos, deditáque eſt vrbs noſtris: congerit & eaſdem ferè narrationes Raderus in Columbam Aretullæ Martialis lib. 8 Epigram. 32. déque hoc Tabellario volatu intellectum à quibuſdam datum ſuperius Tibulli Carmen inquientis:

Aldobrand. Rader.

Tibull.

*Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes*
*Alba Palæſtino ſancta Columba Syro.*

Neque enim mentis deferentem abſtruſas cogitationes volucrem, & rerum agendarum grauiora momenta, quiſquam attingere auſus metu capitalis ſupplicij: Ioannes Seldenus ſyntagmate 2. de Diis Syris cap. 2. de Dagone, refert Ioſephum Scaligerum, quas Chriſtus euertit Cathedras vendentium Columbas in Templo, Matth. cap. 21. verſ. 12. putare, eorum fuiſſe, qui volitare docerent ad inuiſendos per ſcripta Amicos & confœderatos: ſed quibus non ille fabulis crediturus, ne Patrum antiquas expoſitiones ſequatur? agnoſcunt in ſacrificiorum & oblationum vſum inſtitutam nundinationem diuerſorum Animantium, non zelo tamen Religionis forum reliquerant, ſed auaritiæ commodo Mercatores prophani, quos proinde Chriſtus velut loci ſancti Contaminatores diſpulit: Sciant Hæretici Templis deferre, quando ne cum illis Saluator diſſimulauerit, qui aut emebant aut vendebant quæ ad ipſius Templi miniſterium neceſſaria erant, vt loquitur Beda homilia 7. in Quadrageſimam: Heu! & in equorum ſtabula impiiſſimi ſectarij veneranda conuerterunt Altaria! Iudæos deteſtandi ſceleris enormitate vicerunt: Leniùs, qui de Tabellariis columbis Iſaiam interpretantur capite 60. verſ. 8. *Qui ſunt iſti, qui vt Nubes volant, & quaſi Columbæ ad feneſtras ſuas?* eſt enim opinio ob Patronos reliquis nobilior, quæ ſpiritaliter de Apoſtolis enodat, quemadmodum ſcilicet in vltimas Terrarum delati oras fauſtum, lætúmque nuncium; hoc namque εὐαγγέλιον denotat, cuius illi præcones, detulêre. Quare ſubdit continuò Prophetica oratio: *Me enim Inſulæ expectant, & Naues Maris in principiò, vt adducam filios tuos de longè*: proficiſcentes autem Nuncios alibi vocauit, Angelos nimirum: *Ite Angeli veloces* (capite 18. verſ. 2.) *ad Gentem conuulſam & dilaceratam, cuius diripuerunt flumina terram eius*: Inſulanos vtpote mari diuiſos, qui expectabant in morem Columbarum volantes: Hæc igitur Apoſtolorum legatio, qua Iudæam, nidum patrium deſeruerunt, meliùs repræſentatur volatu columbarum peregrè diſcedentium cum epiſtolis, quàm redeuntium ex ſylua ad columbarij foramina: vocat autem feneſtras ſuas loca extera in quæ pergant, quòd ibi quoque amicè & familiariter hoſpitare liceat, mittuntur enim ad ſodales, qui humanè excipiant: nam tales ſubitò fiunt qui conuertuntur: ſed quicquid ſit de huiuſmodi ſenſu: ſi ita demum eſt, vt Columba volucris ſit, quæ arcanorum fida Cuſtos, quæ menti ſubſtituat, & deferat exarata in ſinum fœderatorum, vocetur ſi libeat propterea Columbarum ex nomine Sponſa; Nobis difficilior viſa explanatio.

Ioan. Selden. Matth. 21.

*Ioſeph. Scaliger malus Matthæi interpres.*

Beda.

Iſai 60. 8. *Apoſtoli, Columba.*

Iſai. 18. 2.





9. *Hîc primùm alternis contendunt amantiſſimè Sponſus & Spōſa, Amœbæo carmine.*

Et quidem ita laudauit Sponſus Virginem Thalami Sociam: reſtituit illa encomium: atque hîc primùm alternis contendunt, rectè ex poëtico ſpiritu: Nam amant alterna Camœnæ: & nihil in ſeculari Metro tam venuſtum, quod diuinæ elegantia non vincat Muſæ: eſt autem Amœbæi carminis figura, vt ſi laudibus altero reſpondeat encomio, qui vices alternat, ſecundâ Oratione primam ſuperet: ita & nunc Sponſa *Pulchrum* vocat Dilectum: ſupperaddit tamen, quando & pulchram eam ipſe dixerit, vt *Decorum* appellet: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*: Nam ſanè *Pulchri* dictione eam licet admittamus deſcriptionem exquiſitæ venuſtatis, quæ apud Petronium in Satyr. legitur: *Crines ingenio ſuo flexi per totos ſe humeros effuderant: frons minima, & quæ radices capillorum retro flexerat, ſupercilia vſque ad malarum ſcripturam currentia, & rursùs confinio luminum pene permixta: oculi clariores ſtellis extra lunam fulgentibus, Nares paululum inflexæ; iam mentum, iam ceruix, iam manus, iam pedum candor intra Auri gracile vinculum poſitus, Parium Marmor extinxerat.* Equidem his ſimillima Epithalamij decurſu: Verùm tantis formæ muneribus deeſt adhuc quidpiā egregium, nempè Hilaritas quædā frontis, atque in geſtu & motibus lepidum aliquid, iucundum, affabiliſſimum ſine grauitatis detrimento: Hoc indicauit Sponſa voce *Decori*: Nam Hebræum נָעִים *Naim*, hæc complectitur, ſine quibus, abſoluta numeris omnibus formæ Perfectio non intelligitur: notum eſt, vt in Quintiam luſerit Catullus, inquiens:

*Forma pulchritudo graphicè deſcripta.* Petron.

*Frontis hilaritas, & aliquid in geſtu lepidum ac dulce formā perficit.* Catull.

*Quintia formoſa eſt multis, mihi candida, longa,*
*Recta eſt: hæc & ego ſingula confiteor.*
*Totum illud formoſa nego: Nam nulla venuſtas*
*Nulla in tam magno corpore Mica ſalis.*

Negat igitur omninò formoſam eſſe, cui lætum illud, ſalſúmque animati cuiuſdam vigoris deſit: de Ioſepho vtrumque, Geneſ. cap. 39. verſ. 6. *Erat autem Ioſeph pulchrâ facie, & decorus aſpectu*: Et Geneſ. cap. 49. verſ. 22. iterum *decorus aſpectu*: Moyſes autem Deuteronomij cap. 33. verſ. 17. *Quaſi Primogeniti Tauri pulchritudo eius*, nimirum ob vitalem illam alacritatem, quâ iuuenis Taurus ſuperbit in pratis; atque de Dauide Reg. 1. cap. 16. verſ. 12. *Erat autem rufus, & pulcher aſpectu, decorâque facie*: Qui Pſalm. 44. verſ. 3. de Sponſo formoſiſſimo: *Speciosus formâ* (inquit) *præ filijs Hominum; diffuſa eſt gratia in labijs tuis*: non tantùm ob eloquentiæ ſuauiſſimos modos, ſed propter iucunditatem vultus ſpirantémque vim admirandæ pulchritudinis: atque hoc quod apud Latinum vatem Æneid. 1.

Geneſ. 39. 6. Geneſ. 49. 22.

Deuteron. 33. 17.

1. Reg 16. 12.

Pſalm. 44. 3.

Virgil.

*Reſtitit Æneas, claráque in luce refulſit,*
*Os, humeróſque Deo ſimilis: námque ipſa decoram*
*Cæſariem nato Genitrix, lumènque iuuentæ*
*Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.*

Neque enim formam conceſſiſſe ſatis fuit, niſi ipſamet in forma hilare & vegetum aliquid appareret, quod lætum vocat, & ob ſalſam venuſtatem, *Purpureum* dicit: ſignificatum idem Iudithæ Hiſtoriâ ſplendoris nomine, faciei enim & perpulchris coloribus, & lineamentis aptiſſimis enthea quædam, & velut loquens addita vis amœnitatis incomparabilis: *Cui etiam Dominus* (effatur Textus cap. 10. verſ. 4.) *contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc illam pulchritudinem ampliauit, vt incomparabili decore omnium oculis appareret.* Certè & nos paululum hoc in diſcurſu immorati, non affectu humanæ pulchritudinis, (abſit monſtrum horrendum, ingens: quid enim Ieſu diſcipulo cum flore perituræ formæ?) ſed vt ex Litteræ viſceribus pateret formoſiorem longè Sponsâ Dilectum eſſe: atque hoc quando conſtaret, tum demum Allegoria vndequaque ſtabilis putaretur; nimirum, quæ Chriſtum Sponſum vindicat, Sponſam Eccleſiam, cuius ſpeciem Chriſti pulchritudo infinito ſuperat interuallo.

Iudith. 10. 4.

*Sponſus Sponsâ longè formoſior.*

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus :* Ecce Tu pulchra es Amica mea ; ecce Tu pulchra es; oculi tui Columbarum. Ecce Tu pulcher es Dilecte mi, & decorus. *Cap.* 1. *verſ.* 14. & 15.

*Baptiſmi lauacrum, qualem Animæ nitelam conciliet? Hæreticorum ſi quæ eſt Religionis affectatio, externa ſolùm: idem imputatum Iudæis vitium: Dolus & Mendacium vtrique ſectæ perfamiliaria: Eccleſia Catholica intus, & deforis ſyncera, ornatiſſimæque Munditiei: Columbarum fœcunditas: Glorioſa in partubus Eccleſia: non honore ſobolis tantùm, numero etiam potior multò Synagogâ & Hæreſi: Perſecutionibus increuit: Apoſtolorum ex Gratiæ Donis celſitudo quanta? Pulchri Ratio de Saluatore conſiderata: Humanitatis eius poſt Reſurrectionem quàm eximia claritas.*

### Sectio Vnica.

10. HVCVSQVE Sponſi oratio omnis, & Amicorum ſermones ferè de ornatu Eccleſiæ, de poteſtate diuinâ, humanâque, de Sacramentis, de Ritibus, de Miniſtrorum Hierarchiis de amplificatione, de Victoria Dæmonis, de Martyrum Triumphis, de ſcientia & ſcholis clariſſimorum Virorum: tantis igitur inclytã modis perpendens, tantis coruſcam laudibus intuens, vt pulchritudinis magnitudinem innuat, geminato formæ vſus encomio eſt, bis *pulchram* appellans: Verùm hæc præconia ſigillatim conſideremus: ac ſanè oſtendimus verſu præterito à Patribus per *Engaddi*, Baptiſmum intellectum, docuimus autem Veſtigationis elapſæ numero 27. mundiſſimam reddi Animam, & ſole ipſo pulchriorem, Sacramento in Aquis inſtituto leuiſſimis etiã maculis abſterſis, Spiritu adamuſſim purificato: Hoc & Cerei geſtatio abactis ſcilicet antiquis ſcelerum tenebris per nouam regenerationem, & veſtis candidæ amictus indicabat: Omnia complexus Venantius Fortunatus libro 5. Metro 5. de Iudæis per Auitum Epiſcopum conuerſis:

*Eccleſiæ per Baptiſmum Pulchritudo.*

*Abluitur Iudæus odor Baptiſmate diuo*
*Et noua Progenies reddita ſurgit aquis.*
*Vincens ambroſios ſuaui ſpiramine rores*
*Vertice perfuſò chriſmatis efflat odor.*
*Vndique rapta manu lux cerea prouocat aſtra,*
*Credas vt ſtellas ire trahendo comas.*
*Lacteus hinc veſti color eſt, hinc lampade fulgor*
*Ducitur, & vario lumine picta dies.*

Venant. Fortun.

Fœtorem autem non myſticè intelligendum, pro maleolentia criminum, qui Baptiſmo tollitur, ſed pro corporeo & materiali Halitu, quidam arbitrantur, quòd Iudæi tetrum, & inſuaue euaporarent: qua de re diſſertauimus Veſtigatione 2. numero 12. eſto, ſed hoc comprobat maiorem Baptiſmi vim ad eluendas animas: Quanta autem huius nitelæ gloria ſit, Paulum ſuggerentem audiamus ſublimi dicendi genere ad Epheſios cap. 5. verſ. 25. *Viri diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro Aquæ in verbo vitæ*, Baptiſmi nimirum vndis cum debita verborum forma: quem verò in finem Ablutio? *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata:* Quod quidem veriſſimum eſt ſpectatâ Baptiſmi ſanctificatione, nam niſi ſuſcepturus obice impediat, Sacramentum ex ſe peccati reliquias conſumit, quando & venialia quæque cum ſublatis mortalibus, & reatum quoque ad pœnam: quare, nec macula, nec ruga ſupereſt: ob hunc igitur niueæ formæ candorem ſemel, iterúmque *Pulchram* nuncupat: & quia regenerantur ex Spiritu ſancto, qui Gratiæ donis imbuuntur ob fontis ſacri vndas, benè oculos dicuntur habere Columbarum, eſt enim Diuini flaminis notiſſimum Symbolum volucris illa: Quare & Baptizandorum feſtam lucem non dubitauit Venantius Fortunatus vbi ſuprà Pentecoſtes ſolennitati comparare inquiens:

*Iudaïcum fœtorem Baptiſmus eluit.*

Epheſ. 5. 25.

*Nec feſtiua minùs, quàm tunc fuit illa coruſcans*
*Diuerſis linguis quæ dedit vna loqui.*

Venant.

Hanc inſinuaſſe Expoſitionem viſus Commentarius trium Patrum apud Theodoretum dum ait, pulchram idcircò dici, *quòd priſtinæ incredulitatis turpitudinem abiecerit*, vtpotè currens ad Baptiſmum, vbi crimina ſuffocata ſunt.

3. Patres.

11. Venuſtè autem cogitauit Philo Carpathius, geminatam laudari pulchritudinem, vt & intus, & foris ſpecioſam eſſe denotet; *Interiùs quidem* (ait) *ſanctiſſimis fidei cogitationibus, honeſtiſſimis deſiderijs, diuiniſſimis Meditationibus cordis: exteriùs verò recto iuſtitiæ, & actionum, oculorum intuitu, ſtatûque vitæ, & ordine rerum gerendarum compoſito:* ergo qualis externa facies, tale pectoris habitaculum, nihil de ſimulatione & mendacio, aliud ſuggerente vultu, alio ſub mente clauſo: Vnde & perbellè quæ talis eſt, oculos habere columbarum refertur; columba enim, quæ ſimplex eſt, veritatem repræſentat, & propterea ſerpenti opponitur, qui dolos & verſutias texit: Quâ ſanè proprietate ſingulariter Eccleſia Catholica & à perfidis

*Eccleſia bis pulchra. j. intus & foris.*
Philo Carpath.

*Columbæ ſimplicitas ſerpẽtis aſtutiæ opponitur.*



perfidis Iudæis differt, & ab Hæreticorum Conuentibus: Omnis enim Hæreſis, quemadmodum ex mendacio progenita eſt, ſic dolis vbique, & fraudulentiâ paſcitur; & ſi quando vel in lucubrationibus Sanctorum Patrum deferre aliquid lectioni videatur, Scripturáſve ipſas extollere: ſi quo vitam componat modo ad probitatis ſpeciem; totum figmentum eſt, & ars ad decipiendum: Quamobrem diuinè Apoſtolicorum temporum vir, Magnus Ignatius epiſt. 10. ad Smyrnenſes: *Feras* (appellat) *humanam formam præ ſe ferentes: Conſiderate* (ait eadem epiſtolâ) *quomodo inſidam ſimultatem inter ſe exerceant, charitatis nullam habent rationem, crucis illos pudet., Paſſionem ſubſannant, Poſteri & Nepotes ſunt ſpiritus illius, omnis mali primi Inuentoris, qui Adam fecit Dei mandatum auerſari per fœminam, Abel per Cain occidit, qui Iob oppugnauit*, &c. Concilij verò Forouilienſis Patres apud Binnium tom. 3. Concilior. Parte 1. ſectione poſteriori, Pag. 135. *Nam quemadmodum lubricus ille Serpens in Paradiſo deliciarum Euam corrupit aſtutiâ ſuâ, cuius mentem mendacij veneno inficiens, inſtigauit, ne veritati crederet, ſed potius acquieſceret falſitati, dum præceptum obedientiæ malè interpretando perſuaſit tranſgredi: ita nunc verſipellis in hoc Paradiſo ſanctæ Eccleſiæ, quæ ſpiritualibus diuitijs affluit, per Hæreticorum molitur pectora nequitiæ virus infundere, quatenus falſitatis ebriati poculo, errabundo poplite per anfracta erroris euacuantes, veritatis inuenire nequeant fontem: vnde & Paulus de quibuſdam dubius, præcauens ait: Timeo enim, ne ſicut Serpens decepit Euam aſtutiâ ſuâ: ita corrumpantur ſenſus veſtri, ne credatis veritati:* Vtitur & floridâ ſimilitudine Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 102. *Quemadmodum Nautæ hamum èſcâ occultant, ac Piſces improuiſò capiunt: eodem modo improbi Hæreſum Defenſores ſermonum ſuauitate peruerſas ſuas ſententias obtegentes, ſimpliciores Homines ad mortem tanquam hamo quodam capiunt.*

*Hæreſis foris ſimulata, intus doloſa.*
Ignat. Mart.

Concil. Forouil. Binnius.

Peluſiota.

12. Ac veluti quidem Rabſaces Aſſyriorum Regis in Bello aduerſus Hieroſolymitas Præfectus caſtrorum, Iudaïco loquutus idiomate ad obſeſſos, vt cognati ſermonis vocibus deciperet, Reg. 4. cap. 18. verſ. 28. ita ſi quando affectant Hæretici, quod Catholicum olêre dogma, & pietatem videatur: non Religio eſt, aut ſtudium ſyncera diſciplinæ, ſed machina ad fallendum: animaduertit in ſeptimæ Actis ſynodi, Tom. 2. Actione 6. Epiphanius aſſerens: *Qui ſpiritualem impugnant Ieruſalem videlicet Catholicam Eccleſiam; configurantur quodammodò ijs, qui terreſtrem Ieruſalem oppugnant: ſtudent enim patrio vti ſermone, quemadmodum Rabſaces aliquando Hebraicâ linguâ contra Ieruſalem vſus eſt: ſiquidem contra Patres & Catholicam Eccleſiam Hæretici iſti Patrum doctrinam, & Eccleſiaſticam vocem vſurpant: ſed à fructibus eorum, inquit Dominus, cognoſcetis eos: aſſimilantur enim ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem Hominibus ſpecioſa videntur: quomodo & hi Chriſtianorum Accuſatores Patrum quidem verbis tecti: intus autem oſſibus, & impuritate omni, cadauerum, inquam, & fœditatum dogmatibus ſcatent.* Martinus primus epiſt. ad finem Concilij Lateranenſis Romani, tom. 2. Concil. Part. 2. Pag. 439. penè iiſdem vtitur verbis, memorato Rabſacis facto; & addit: *Sunt enim foramina petrarum, ipſæ ſanctorum Patrum de Chriſto myſticæ Traditiones: conantur námque & in his foraminibus doloſè ſe abſcondere Hæretici, vt putentur ſanctiſſimi, & non ſceleroſi Paruulis: vt de his, quod à Domino dictum eſt, impleatur, quo ait: Quando loquitur, mendacium de proprijs loquitur: quia mendax eſt, & Pater eius.* Theophilus Alexandrinus epiſt. Paſchali 1. *In morem Mulierum prægnantium* (ait) *veritatis faſtidia ſuſtinentes, quæ ſolitos cibos reſpuunt, & noxia quæque ſectantur.* Phœbadus Epiſcopus contra Arianos; *Ambigua ſectari ad decipiendos ſimplices & incautos.* Præclariſſimè autem Leander Hiſpalitanus Antiſtes hom. ad finem Concilij Tertij Toletani, ſpuriam appellat, & meretricio illaqueantem dolo improuidos Amatores: *Hæreſis* (inquit) *quæ reſpuit Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, eò quòd adulterino amore diligat Chriſtum, non vxoris, ſed concubinæ obtinet locum: quoniam reuera duos dicit Scriptura eſſe in carne vna, videlicet Chriſtum & Eccleſiam; quò locum Meretrix nulla inuenerit tertium: vna eſt enim, ait Chriſtus Amica mea, vna eſt Sponſa mea, vna eſt Genitricis ſuæ filia: de quo item Eccleſia pronunciat: ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi: quærant nunc Hæreſes, à quo conſtuprentur, vel cuius ſint Proſtibulum factæ; quoniam ab immaculato toro diſceſſerunt Chriſti.* At in his egregiè exercitatum Vincentium Lirinenſem, diu eſt quòd proferre diſtulimus: is Commonitorio primo, cap. 35. *Hîc fortaſsè aliquis interroget, an & Hæretici diuinæ Scripturæ teſtimonijs vtantur? vtuntur planè & vehementer quidem: Nam videas eos volare per ſingula quæque ſanctæ legis volumina, per Moyſi, per Regnorum libros, per Pſalmos, per Apoſtolos, per Euangelia, per Prophetas: ſiue enim apud ſuos, ſiue alienos, ſiue priuatim, ſiue publicè, ſiue in ſermonibus, ſiue in libris, ſiue in Conuiuijs, ſiue in Plateis, nihil vnquam de ſuo penè proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur: lege Pauli Samoſateni Opuſcula, Priſcilliani, Eunomij, Ioniani, reliquarúmque peſtium; cernas infinitam exemplorum congeriem; propè nullam omitti Paginam, quæ non noui, aut veteris Teſtamenti ſententijs fucata, aut colorata ſit: ſed tantò magis cauendi, & pertimeſcendi ſunt, quantò occultius ſub diuinæ Legis vmbraculis latitant: ſciunt enim fœtores ſuos, nulli ferè citò eſſe placituros, ſi nudi, & ſimplices exhalentur, atque idcirco eos cæleſtis eloquij velut quodam aromate aſpergunt; vt ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, diuina non facilè contemnat oracula: itaque faciunt, quod hi ſolent, qui Paruulis auſtera quædam temperaturi pocula; prius oras melle circumlinunt, vt incauta ætas, cùm dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet.*

4. Reg. 18.
*Vt Rabſaces Iudaïco idiomate in Iudæorum perniciem vſus; Sic Hæretici religioſo ſpecie tenus dogmate in Eccleſiã inſurgunt.*
Epiphan.

Martin. I. in Concil. Lateran. Rom.

Theophil. Alex.

Phœbad.

Leander Hiſpal.

Vincent. Lirin.
*Hæretici Scripturæ teſtimonia paſſim temerè iactitant.*

13. Nec melior progenies Hæreticâ Lue, Iudæorum perfida ſoboles: Nam quemadmodum Hæreſum omnis luxuria in Mendacio, & fraudibus, ſic & Iudæorum, quibus nihil internæ Religionis eſſe conſueuit, ſed affectata iuſtitiæ tantùm quandoque Diſciplina vel ad oſtentationem, vel ad technas, & dolos: de illis ex Concilio Toletano decimoſeptimo in Regula fidei: *Et ideo, quia plebs Iudæorum nequiſſimâ ſacrilegij notâ reſperſa, & effuſione ſanguinis Chriſti cruenta, ac multoties iuſiurandi profanatione noſcitur maculoſa, vt copioſa ſunt eorum ſcelera, ſic neceſſe eſt, vt grauem ſeſe incurriſſe lugeant animaduerſionis iacturam.* Antiqua hæc contagio eſt etiam priuſquam occideretur Saluator: Nam ille apud Marcum cap. 7. v. 6. *Bene prophetauit Iſaias de vobis Hypocritis ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè eſt à me:* quem in locum Victor Antiochenus: *Quemadmodum enim illi, inquit, de quibus iſtic ſermo eſt, Deum ſuis tantùm labijs colebant, corde enim longè ab eo aberant; ideóque fruſtrà, nullôque prorſus fructu Reuerentiæ cultum illi deferebant: ita vos quoque in Dei legem apertè præuaricantes: externum tantùm Hominem excolitis: internũ autem horridum, planéque incultum*

*Iudæis in Religione nil ſyncerum, ſed affectata tãtùm exterior Iuſtitia.*

Concil. Toletan.

Marc. 7. 6.

Victor. Antioch.

*incultũ relinquitis.* Ac ſicut interni ſtudij negligentes, ad materialia & externa, prouidẽtiâ & conatu deflectebantur, erátque diſpar Mentis ornatus ſimulatæ exteriùs Pietati, traductâ ſub mendacio vitæ ſerie, ita & Scripturarum quoque detorquebant ſenſus, nolentes penetrare ſacrorum Myſteriorum adyta, ſed occidenti tantùm Literæ inhærentes, & craſsè atque voluptuosè intelligentes, quæ ſpiritaliter in vera adoratione, complenda erant: igitur & vſque in Bibliorum enodatione hallucinatio apud illos, non ob difficultatem oraculorum, ſed ob ſupinam malè compoſiti ingenij hebetudinem nolentis externa internis coniungere: Quo de vitio conqueſtus Apoſtolus 2. Corinthiorum cap. 3. verſ. 15.

2. Corinth. 3. 15

*Vſque in hodiernum diem cùm legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum:* Pulchra autem ſunt Carmina Theologici Vatis Aurelij Prudentij in Apotheoſi:

Prudent.

*Hæc ſi Iudaicos ſic intellecta rigaſſent*
*Auditus; ſtupidas vt poſſint tangere fibras,*
*Audiſſent Dominum virtutum; qui pereuntes*
*Venerat vt ſeruaret oues: ſed ab auribus omnis*
*Fluxerat ornatus, caput & iam coctile Baal*
*Finxerat, auriculáſque ſuo ſpoliarat honore:*
*Dux populi peccantis adeſt de monte coruſci*
*Luminis, alloquiôque Dei, tabuláſque tremendo*
*Inciſas digito cæca ad Tentoria defert:*
*Sed cadit in faciem Plebs non viſura profundæ*
*Legis in effigie ſcriptum per enigmata Chriſtum:*
*Infelix, quæ luce oculos præſtricta pauentes*
*Texerit, & preſſo faciem velarit amictu.*

Cuius in Doctrinæ confirmationem Sozomenus libro 5. Hiſtoriæ cap. 21. de Iuliano Apoſtata loquutus procurantis ſubdolâ viâ Iudæos ad Ethnicismum pertrahere:

Sozomen.

*Fortaſſè etiam eo pacto* (inquit) *illos faciliùs ad cultum Gentilem, & ſacrificia adduci poſſe putabat: quippe cùm ſanctos Scripturæ libros, non ſenſu ſpiritali vt Chriſtiani, & etiam ipſi Sapientiores Hebræi; ſed Literali ſolùm, vt ita dicam, interpretentur:* Tales igitur Congregationes & Hæreticorum & Iudæorum, in quibus formæ atque internæ virtutis nihil eſt; ſed externæ cuiuſdam Modeſtiæ ſimulatio ad decipiendos incautos animos laruâ confictæ Religionis: Eccleſia autem Catholica pulcherrima eſt extrinſecè, ſed ampliſſima longè eſt venuſtas interna: nihil apud eam fucatum: meritò proinde collaudans Sponſus, bis Pulchram nuncupauit decentiſſimam Virginem.

14. *Eccleſia vt pulchra, ſic fœcunda ſicut Columba.*

Verùm, quia non ſatis eſt, illam quæ Sponſa & vxor futura ſit, ſpecioſam eſſe, niſi & eadem fœcunda intelligatur: ex Matrimonio enim ſoboles numeroſa deſideratur, adiungit & hoc encomium, atque idcircò annectit oculos habere columbarum, ſiquidem de Columbis Ælianus lib. 1. variar. cap. 15.

Ælian. *Columba volucrum fœcundiſſima.*

*Pariunt columbæ omnibus anni partibus; vndecies per annum fœtum edunt: fertur autem apud Ægyptios, Columbas duodecies in Ægypto parere.* Ad longum probat, & concludit, inter volucres facilè omnium fœcundiſſimam eſſe Vlyſſes Aldrouandus tom. 2. Ornithologiæ, libro 15. Pagina 183.

Vlyſſ. Aldro.

Aponius in hunc locum de Columba:

Aponius.

*Quæ manſuetudine, fœcunditate, acumine viſus, velocitate pennarum, omnibus penè aligeris Animantibus præſtantior inuenitur:* Hunc quidem in ſenſum Iſaias exclamat demiratus prolis multitudinem ingentem, quam vix larium ambitus capere poſſet:

Iſai. 54. 2.

*Dilata locum Tentorij tui* (cap. 54. verſ. 2.) *& pelles Tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos: ad dexteram enim & ad læuam penetrabis, & ſemen tum Gentes hæreditabit:* Proh quantùm amplificata eſt Domus, quæ cum omnibus Terrarum ſpatiis vaſtitate decertat! Vbique filij, vbique Nepotes, nam in omnem Terram exiuit ſonus prædicantium Euangelium Dei: *Orbe exeundum eſt ei* (inquit Bernardus libr. 3. de Conſideratione ad Eugenium c. 1.) *qui fortè volet explorare, quæ non ad tuam pertinent* Bernard. *curam: Parentes tui deſtinati ſunt, non aliquas Regiones, ſed ipſum debellaturi orbem: Ite in orbem vniuerſum, dictum eſt illis: ipſi verò vendentes tunicas, emêre gladios, ignitum eloquium, & Spiritum vehementem, arma potentia Deo: quò non peruenerunt Victores inclyti, filij excuſſorum? Quò non ſagittæ potentium acutæ cum carbonibus deſolatorijs? & quidem in omnem Terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis Terræ Verba eorum:* Verùm & habuit filios non paucos Synagoga: Hæreſes quoque dilatatæ ſunt, & creuerunt in ſobolem grandem: Sanè & hac ex parte ſi gloriari vtraque velit, ſuperabit infinitis laudibus Eccleſia Catholica: angulum illæ habitarunt ſemper, & anguſtos Prouinciarum fines: ſi tamen comparatio ad Eccleſiæ expanſionem, vt interim ſileam, quàm diſſimiles vtriuſque filij, cùm Hæreſis nihil vnquàm niſi quod propudioſum eſſet, oſtenderit; lex etiam nihil ad perfectum adduxit, vt teſtatur Apoſtolus ad Hebr. c. 7. verſ. 19. proinde de noſtra Eccleſia Salomon cap. 31. Prouerb. verſ. 29. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias: Tu ſupergreſſa es vniuerſas:* Quem verſum exponens Beatus Leander homilia quam citaui ad finem tertij Concilij Toletani: *Dicit enim ad eam diuinus ſermo: Multæ filiæ congregauerunt diuitias: Tu ſupergreſſa es vniuerſas: Sic, non mirum, quod Hæreſes, filiæ dicantur, ſed attendendum quòd loco ſpinarum proponuntur: filiæ ſunt, eò, quòd ex ſemine Chriſtiano generantur: Spinæ ſunt, eò quòd foris à Dei Paradiſo, hoc eſt extra Eccleſiam Catholicam nutriuntur; & hoc non lectura ſenſus noſtri, ſed Scripturæ diuinæ authoritate probatur, dicente Salomone: Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias: ergo ne nobis magnum videretur, quòd Hæreſes dixerit filias, continuò eas numerat eſſe ſpinas: Hæreſes, inquam, aut in aliquo angulo Mundi, aut in vna Gente inueniuntur verſari: Eccleſia verò Catholica ſicut per totum Mundum tenditur; ita & omnium Gentium ſocietate conſtituitur: rectè ergo Hæreſes in Cauernis, quibus latent, congregant ex parte diuitias: Eccleſia verò Catholica in ſpeculo totius Mundi locupletata ſupergreditur vniuerſis.*

*Eccleſia longè fertilior & numeroſior Synagogâ & quauis Hæreſi.*

Hebr. 7.

Prouerb. 31. 29.

Leander.

Et certè mirabile eſt, quemadmodum copioſam ſobolem promittat, cui paulò antea ſub Myrrhæ faſciculi ænigmatibus Vexamentum, Tyrannidem, Hoſtilitatem coniuratarum Nationum præuaticinatus eſt: quippe eorum ſpectabit conatus, vt nomen Chriſtianum de medio tollant: Hoc tamen, quod ſterilitatem Eccleſiæ vtero allaturum videbatur, vuluam fœcundabit, vt ſtupore maius appareat tantam parturiri ſobolem ſub repugnanti Medicinâ: Nam qualis Ars eſt trucidare, & demetere, vt creſcant? ô diuinæ Sponſionis ſtabilitatem! contraria etiam deſeruiunt, & Prophetæ ſemper veri reperiuntur. Age igitur ſæuiant Imperatores, proſcribant edictis innocuos, deperdant, lacerent; tunc fructuoſior Eccleſia, & plurium gnatorum Genitrix: Bernardus dicto ad Eugenium libro 3. cap. 1. *Occumbebant ſtrenuiſſimi Bellatores, ſed non ſuccumbebant: triumphabant & mortui: nimis confortatus eſt principatus eorum, conſtituti ſunt Principes ſuper omnem Terram.* Nonne vides, quoties Sara à Regibus

15. *Fœcundior è ſuis vulneribus Eccleſia.*

Bernard.



Regibus capitur? primùm apud Ægyptios, ſublata eſt in domum Pharaonis, Geneſ. cap. 12. v. 15. Deinde in Geraris miſit Abimelech Rex, & tulit eam, Geneſ. cap. 20. verſ. 2. quantum vtrobique diſcriminis! quantus labor! illa ſine præſidiis armorum, ſine Defenſore: inimicus ſuperbus, potens, contumax: & tamen parum fuit ſaluam & incolumem euaſiſſe, niſi etiam in diuitiis magnis ab Hoſtili progrederetur ſinu, charo reſtituta Abrahamo: concipiamus, quâ ſtyli dulcedine, iſta accommodauerit Eccleſiæ Leander ſanctiſſimus Archiepiſcopus, hom. quæ iam bis allegata eſt, ad finem Concilij tertij Toletani:

Geneſ. 12. Et 20.

*Sara dum à Regibus capitur, Abrahamum ditat: Eccleſiæ ſymbolum.*

Leander.

*Sara* (inquit) *dum ſæpe à Regibus concupiſcitur; nec maculam pulchritudinis ſentit, & Abraham causâ pulchritudinis ſuæ diuitem facit: ab ipſis enim Regibus Abraham ditatur, à quibus Sara concupiſcitur: condignè ergo Eccleſia Catholica Gentes, quas ſimul ſenſerit fidei ſuæ decore, ad ſui eas Sponſi, hoc eſt, Chriſti lucra tranſducit: & per ea Regna ſuum virum diuitem reddit, per quæ ſe inquietari perſenſerit: Sic enim dum premitur, eruditur; & dum inſectatur, dilatatur.* Exiguum eſt, vt locupletarint Reges, Nutritios futuros Iſaïas pollicetur cap. 49. v. 23.

Iſai. 49. 23.

*Erunt Reges Nutritij tui, & Reginæ Nutrices tuæ: vultu in Terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent:* Quamobrem rectè ſtatim Eccleſiam adhortatur Leandri mellea vox inquiens:

Leand.

*Exulta ergo & lætare Eccleſia Dei: Gaude, & conſurge vnum Corpus Chriſti, induere fortitudine, & iubila exultatione: quoniam tui mœrores in gaudium ſunt mutati; triſtitiæ habitus in amictum lætitiæ verſus eſt: ecce repentè oblita es ſterilitatis, & Paupertatis tuæ, & vno partu populos innumeros genuiſti Chriſto tuo: Nam diſpendijs tuis proficis, tuôque damno ſuccreſcis.* Bernardus luculentè admodum ſerm. 33. in Cantica:

Bernard.

*Videte primitiuam Eccleſiam, ſi non primò peruerſa eſt acriter nimis à timore nocturno: erat enim Nox, quando omnis, qui interficere ſanctos arbitrabatur obſequium ſe præſtare Deo: Hac autem Tentatione deuictâ, & ſedatâ Tempeſtate; inclyta facta eſt, & iuxta promiſſionem ad ſe factam in breui poſita in ſuperbiam ſeculorum: & dolens inimicus, quòd fruſtratus eſſet à timore nocturno, conuertit ſe callidè ad ſagittam volantem in die, & vulnerauit in ea quoſdam de Eccleſia: & ſurrexerunt Homines vani, cupidi gloriæ, & voluerunt ſibi facere nomen, & exeuntes de Eccleſia diu eandem Matrem ſuam afflixerunt in diuerſis, & peruerſis dogmatibus: ſed hæc quoque Peſtis depulſa eſt in ſapientia ſanctorum; ſicut & prima in patientia Martyrum.*

16. Iuſt. Orgelit. *Apoſtoli, Oculi Eccleſiæ.*

Ergo pulchra Eccleſia, & ab oculis quidem formoſa, nam decoris velut ſubinferens cauſam: *Oculi tui* (ait) *columbarum:* prodeat Iuſti Orgelitani de Eccleſiæ luminibus interpretatio: *Iam cùm dicit oculi Columbarum: ipſos Apoſtolos, quibus præceptum eſt, vt eſſent aſtuti ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ, euidenter oſtendit: per cuius Auis ſimilitudinem, eoſdem etiam ſancto ſpiritu repletos eſſe oſtendit:* Proh! quales viri fuerunt illi! Quorum Paulus Meriti præſtantiam venuſtè expreſſit ad Rom. c. 8. v. 23.

Rom. 8. 23.

*Primitias ſpiritus* (inquit) *habentes:* accedat Remigij Rhemenſis Commentarius potiùs quàm Ambroſij ſanè in dictam clauſulam:

Remigius.

*Primitias dixit ſpiritus, quia maiora dona Spiritus ſancti acceperant in Prædicatione, vt omnium Gentium loquerentur linguis: in miraculis quoque præ omnibus abundantes glorioſi extiterunt: Primitiæ ſiquidem appellantur optima quæque & cariora; ſicut in lege habetur: offeres primitias auri & argenti tui Domino, id eſt, optima & cariora: re enim verâ, ita digna erat, vt per quorum miniſterium Doctrina Euangelica, & fides Dominica, per quadrifidum orbem diffamanda erat; maiora dona Spiritus ſancti acciperent:* præclarum verò imprimis eſt illud Cyrilli Ieroſolymitani elogium Catecheſi 17. de Spiritu ſancto: *Vt enim is* (ait) *qui mergitur in aquas & baptizatur, vndique ab aquis circumdatur: ſic & illi à ſpiritu ſancto Baptizati ſunt perfectè: ſed aqua quidem exterius circumdat: ſpiritus autem interiorem animam abluit incomprehenſibiliter:* Splendidè etiam de Apoſtolorum ſenſit Prærogatiuâ Andreas Archiepiſcopus Cæſareæ Cappadociæ in Ioannis Apocalyp. cap. 32. *Per prophetas autem & ſanctos, & Deum timentes; tres, vt opinor Hominum ordines aſſignat: vnum eorum, qui centeſimum fructum reddiderunt; alterum, qui ſexageſimum; & poſtremum, qui trigeſimum: è quibus Apoſtoli potiorem citra controuerſiam, ſortem adepti ſunt:* Tales igitur nacta Pædagogos Eccleſia Spiritus ſancti admiranda Organa, quibus & fortitudinem, & ſapientiam, & pietatem, & conſilium, & timorem Domini, cæteráque dona cum animarum Zelo viſcera dies, noctéſque depaſcente coniuncta, communicarat vberi munificentiâ: quomodo non Pulchra ad inuidiam, & ſtuporem pariter? ſinerent illi incultam & ſqualidam iacêre Chriſti ſui Dilectam? ob quam in laboribus multis, in frigore, in nuditate, in carceribus, in mortibus frequenter: ô certè nunquam ſub eiuſmodi Hierarchis deformem vultum Domus Dei!

Cyrill. Ieroſol.

Andreas. Cæſar.

Planè formoſa Eccleſia, ſed ſpecioſior in infinitum Sponſus illius: Deus quippè eſt, cuius formæ non eſt vllus Terminus: vis ſcire quàm decorus ſit? diſce priùs quæ ſit Pulchritudinis conſummatiſſimæ Natura ex Magno Pauli diſcipulo Areopagita Dionyſio: De diuinis Nomin. c. 4. ait: *Pulchrum autem appellatur, ex eo quod omni ex parte pulchrum ſit, & pluſquam pulchrum, ſitque pulchrum, quod eodem modo ſemper ſe habeat, ita vt nec oriatur, nec intereat; nec augeatur, nec imminuatur; nec partim pulchrum, partim turpe ſit: neque hoc tempore pulchrum ſit, illo non item: nec ad hoc quidem pulchrum ſit, ad illud autem turpe: nec quod hîc quidem pulchrum ſit, illic non item: nec quod aliquibus pulchrum ſit, nonnullis autem non pulchrum: ſed quod ipſum per ſe, ſecum vnius modi pulchrum ſit ſemper: quódque omnium quæ pulchra ſunt pulchritudinem, velut è perenni fonte manantem, eximiè in ſe præ omnibus contineat:* Hæc autem vniuerſa in Eccleſiæ Sponſum Chriſtum Ieſum, quà Deus eſt, quadrant: ille igitur pleniſſimè formoſus, ille ſupra ipſammet pulchritudinem ſexcenties Venuſtus: ô ſpeciei Decorem! ô Miraculum elegantiarum! etiam & in Humanitatis fragilitate radiat: de hac enim vaticinationem Dauidicam Hieronymus interpretatur ex Pſalm. 44. verſ. 3. *Specioſus forma præ filijs Hominum, diffuſa eſt Gratia in labijs tuis,* &c. Nam epiſt. 140. ad Principiam, ait: *Hic pulchritudo virtutum in ſacro & venerando corpore commemoratur: non quò Diuinitas Chriſti Hominibus comparata non formoſior ſit, Hoc enim non habet comparationem; ſed abſque Paſſionibus Crucis vniuerſis pulchrior eſt Virgo de Virgine: qui non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt: niſi enim habuiſſet & in vultu quiddam, oculiſque ſydereum; nunquam ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſtoli: nec qui ad comprehendendum eum venerant, corruiſſent.* Amauit formoſum hunc dulciſſimè Auguſtinus, & collaudauit ſuauiſſimus ad initium Pſalm. 44. *Pulcher Deus Verbum apud Deum: Pulcher in vtero Virginis, vbi non amiſit Diuinitatem, & ſumpſit Humanitatem*

17. *Pulcher Eccleſiæ Sponſus*

Dionyſ. Areop. *Pulchrũ perfectè quid?*

Pſalm. 44. 3.

Hieronym.

Auguſtin.

*Humanitatem: Pulcher natus infans Verbum, quia & cùm eſſet infans, cùm ſugeret, cùm manibus portaretur, cæli locuti ſunt, Angeli laudes dixerunt, Magos ſtella direxit, adoratus eſt in præſepi Cibaria manſuetorum: Pulcher ergo in cælo, Pulcher in terra, Pulcher in vtero, Pulcher in manibus Parentum, Pulcher in Miraculis, Pulcher in flagellis, Pulcher inuitans ad vitam, Pulcher non curans mortem, Pulcher deponens animam, Pulcher recipiens, Pulcher in ligno, Pulcher in ſepulchro, Pulcher in cælo, Pulcher in intellectu.* Quomodo ſi igitur ob innumeros formoſus titulos, non rectè eum Sponſa ſibi in immenſum prælaturum, Pulchrum & Decorum appellet?

18. *Germana huius loci Conſtructio, de Chriſti poſt Reſurrectionem gloriâ.*

Quanquam hæc certa omninò, tamen germana Textus Connexio, vt non conſtruamus, aut de Diuinitate, aut de Humanitate in genere, poſtulat, ſed de Chriſti Reſurgentis gloriâ magnificâ: Ac ſanè Eccleſia Gentium, quæ Synagogæ contraponitur, & de qua crebrò aduertimus huius tractare Muſam Epithalamij, quondam horrida atque deformis ſub nocte atrâ vanarum ſuperſtitionum, cùm thura Numinibus infandis litaret: oſtendimus Volumine priori, Anteloq.3. ſect. 3. n.83. & nonnunquam hoc quoque Opere: ex ſtatu ſqualoris, & fœdę caliginis tranſlata eſt Sponſi beneficio tantæ ad pulchritudinis apicem, quantam enumerata hactenus ab eius Marito, & nuptiarum Amicis, decoramenta comprobant: Hanc igitur Commutationem indicaturus Sponſus admiratoriis vtitur vocibus, inquiens: *Ecce tu pulchra es*, quæ olim inculta: Tu quidem, & non alia, quam Dæmones attarunt, cuius formam conculcauerunt, & vilis facta es, & oblita es Creatoris ſculptilia adorans; Nunc fœminarum ornatiſſima procedis. Reſponſura his encomiis Sponſa, meminit qualis extiterit Dilectus tum, cùm pateretur, nempè qualem depinxerat Iſaias, cùm nominat c.53.v.3. *Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum:* Videns igitur nunc immortalem, & ſub floridâ, lætiſſimâque iuuentâ æui immarceſcibilis, laudum præconia cohibere non poteſt: obſtupeſcunt & Angeli ad inſuetam formæ iucunditatem: Nam inclamant apud eundem Iſaiam cap.63. v.1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ:* Quod Prophetæ oraculum expendēs Gregor. Theologus orat.2. de Paſchate, quæ ordine eſt 42. inquit: *Stolæ corporis pulchritudinem ex aduerſo profer, quod per Paſſionem exornatum, ac per Deitatem; quâ nec amabilius quidquam, nec pulchrius illuſtratum eſt.* Ac licet ſub huius vitæ triſti conditione, apparebat tamen in Chriſti vultu cæleſtis quædam excellentioris ſpeciei gratia, illius diei comparata ſplendoribus mediocris iudicabatur pompę: Quamobrem ibi imprimis Sponſus non tantùm *Pulcher*, ſed *Decorus* ſingulariter, ſcilicet vt explicabamus n.9. concinnum aliquid ex vegeto deliciante inſpecturos, Hilare, & animatum ſpirans: Quid enim ſole contemplato feſtiuius? Verùm de Beatis Ciuibus generatim Matthæus, c.13. v.43. *Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*, qualem putamus futuram lucem Humanitatis Ieſu, quando eius claritati Reſurgentium ad vitam perennis lætitiæ configuranda ſit claritas, auctore Paulo ad Philipp. c.3. verſ.21. Splendebūt ſancti, ſplendebit & domicilium fortunatum Victoris populi: *Videt illic* (loquitur de

*Paraphraſis.* Iſai. 53.3. Iſai. 63.1. Nazianzen. *Sponſus & Pulcher, & Decorus claritate gloriæ.* Matth. 13. 43.

Acholio Epiſcopo Ambroſiana Epiſtola 22. ex libro 3.) *Vrbis eius menſuram immenſam, purum aurum, lapidem pretioſum, lumen ſine ſole perpetuum*; de quo lumine Areopagita ingenti ſententiæ grauitate de Eccleſiaſtica Hierarchia cap.7. Parte 3. *Iſta vt reor ſunt perſpicuè beatiſſima Sanctorum præmia: Quid enim immortalitati perfectæ, omnique triſtitiâ vacuæ, ac plenæ perpetui luminis conferri poſſet? Licet multùm ſanè Promiſſiones illæ ſublimiores noſtrâ mente ſunt, quæ vocabulis nobis congruis deſignantur; longè tamen inferiores earum re, & veritate appellationes habent: Verum enim profectò illud eloquium exiſtimandum eſt; quod oculus non vidit, auris non audiuit, in cor Hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe:* memorat autem, quod ſcriptum eſſe Apoſtolus refert 1. ad Corinth. cap.2. verſ.9. omnem vincere nimirùm intelligentiam paratos cum Deo regnaturis fulgores: Quod ſi ea communis omnium ſors eſt, quibus frui cæleſtibus conceſſum, quidnam cenſere de illo par ſit, quem Genitor exaltauit, vt ſederet à dextris eius, cuique nomen contulit, quod eſt ſuper omne nomen? Sanè & ipſi plenæ lætitiæ ciues à benedictæ Humanitatis conſolabuntur viſione ſuprà quàm dici valeat, quanquàm in lumine videant facie ad faciem incircumſcriptum lumen diuini candoris.

Ambroſ. Dionyſ. Areop. 1. Corinth.

19. *Humanitatis Chriſti poſt Reſurrectionē fulgens pulchritudo.*

Proinde Sponſa eruditè, quando immortalem habeat Dilectum, quâ poteſt Orationis vi, commendat ſummum formæ pretium, quæ Angelorum iubar ſuppreſſit: *Numquid Humanitatis Chriſti gloriam* (inquit Bernard. ſerm. 4. in Feſto Omnium Sanctorum) *non dicam Hominum ſed vel Angelorum aſſequi poterit quis, nedum ſuperare?* ipſa elementa rutilare cœperunt à claritatis vbertate magna Anaſtaſeos: inde apud Maximum Taurinenſem hom.2. de Reſurrectione: *In Reſurrectione ergo Chriſti* (ait) *elementa omnia gloriantur: Nam & ſolem ipſum arbitror eſſe in hac die, ſolito clariorem:* Quod ſi quidem id ſentiendum ſit, quod bonis ex Auctoribus noſter memorat Henriquez libro de vltimo fine Hominis, c.27. n.6. de Martyrum gloria; maiorem futuram claritatem lethalis vulneris, & laceratorum Membrorum Corporis; Quales emicuerint Radij in corpore Seruatoris, imprimis autem, ex manuum, pedúmque foraminibus, atque ex adaperti lateris feneſtrâ: Sanè, mirū eſt Sponſam non defeciſſe exanimem ſpiritu non valentem ſuſtinere pondus immenſæ lucis: Rectè igitur *Pulchrum* ob conſummatam formæ Artem vocabat; ob leporem & gratiam Venuſtatis, *Decorum* appellabat: Latina verſio LXX. Seniorum transfert Ἰδὲ εἶ καλὸς ἀδελφιδός μου: *Ecce es bonus fraternus meus:* Sed non diſtat lectio hæc ab ea, quæ inquit; *Ecce tu pulcher es Nepos meus*, quo more Græcorum Patrum effata plerique interpretantur, & Ambroſius exponit Octonario 4. in Pſalmum 118. ad verſum 4. Nam ipſum *Boni* Vocabulum, non Mentis ſemper ornatum, ſed corporeæ figuræ nonnunquàm denotat elegantiorem Habitum: Quemadmodum Reg.1. cap.9. verſ. 2. de Saule: *Electus, & bonus: & non erat vir de filijs Iſraël melior: ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum: Quibus verbis* (ait Theodoretus quæſt.18. in Primum Regum) *non datur teſtimonium Virtutis animæ, ſed formæ & magnitudinis:* ſiue igitur: *Bonus fraternus meus:* ſiue: *Pulcher Nepos meus:* idem ex vtraque ſenſus lectione.

Bernard. Maxim. Taurin. Henriq. LXX. Ambroſ. Bonus, *pro pulchro ſumitur.* 1. Reg. 9.2. Theodoret.





# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus:* Ecce Tu pulchra es Amica mea; ecce Tu pulchra es; oculi tui Columbarum. Ecce Tu pulcher es Dilecte mi, & decorus. *Cap.1. verſ.14. & 15.*

*Reipublicæ capite vel infecto, vel ſano; de ſubditis idem iudicari conſueuit.*

## SECTIO I.

20. *Oculos Sponſæ ſolos laudat hîc Sponſus, quaſi principem corporis partē ex qua cæterorum membrorum decor colligitur.*

QVAMOBREM Oculos tātùm laudauit Sponſus omiſſis humeris, & pectore, & manibus, & ventre & femore? nempe oculi Duces ſunt & Magiſtri aliorum membrorum: niſi enim præluceant, neque ſcribere manus valebunt, non rectè incedere greſſus poterunt: ſatis autem eſt commendatam intelligi principem in corpore partem, vt qualis ſit reliquorum Mēbrorum decor concipiatur, cuius vel laudem, vel vituperationem alia ſectantur, proinde commemoratis faciei ignibus ſubſtitit, neque vlteriùs quidem proſequutus, quaſi ſuperuacaneum eſſet, relatâ principis conditione Portionis, ad cętera ſingillatim deſcendiſſe: Quod ſanè veriſſimū eſſe in Myſtico corpore experientia edocet quotidiana: Videmus enim quoties Antiſtes optimis eſt moribus, & pulchrè reſplendet ex virtutum gratiis: tum & Rempublicam inſigniter efflorêre, & ciuium cum honeſtate, boniſque artibus coniunctos eſſe mores: Quemadmodum atque è diametro accidit: Rege enim in vitia, illecebráſque humano generi pernicioſas diſſoluto: ſordent & reliqua membra eò citiùs, quantùm facilius eſt Voluptatem delicioſam & inertem amplecti; quàm maſculam, & toroſam Virtutem: Quare rectè hunc locum ſpiritaliter interpretatus eſt Aponius, inquiens: *Oculi ergo Duces totius corporis eſſe probantur: ſine quibus aut non poteſt incedere corpus, aut vix offendendo incedit: in quibus Sacerdotes recto ordine intelliguntur, quibus Sacroſancta myſteria commiſſa ſunt: in quorum fide decoratur Eccleſia; in quorum vita immaculata repetitis laudibus Eccleſia ſublimatur.*

Apon.

21. Matth. 8.6.

Cùm pro ſeruo, quē ægritudo laſſabat, Seruatorē deprecaretur Centurio, ait: *Domine, Puer meus iacet in domo Paralyticus, & malè torquetur*, Matth. c.8.v.6. Quòd ſi quidem Chriſtum Dominum appellat, vtique & ſerui decumbentis quoque idem Dominus eſt; & quidni, cuius in femore ſcriptū; Rex regum, & Dominus dominantium? Si igitur Dominus languentis Ieſus eſt, cur ſuum appellat Centurio? Sed audiamus adhuc infirmi Hominis Dominio omni quaſi ablegantem Chryſologum ſerm.15. de Centurione: eius ſiquidem nomine alloquitur Chriſtum, dicens: *Puer meus iacet: Meū dico, quia iacet: Si tuus eſſet Domine, non iaceret:* probat autem Doctor acutiſſimus venuſtè ex Pſalmo 133. verſ. 1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri:* Nam & omnes ſeruos dixit, & hos eoſdem ſtare, non iacêre ſignificauit: P. Rauennas loco memorato ad Pſalmi verſum: *Qui ſtatis, non iacetis, ait: ſtant ſerui tui, Hominum ſerui iacent: Puer meus qui iacet, vt Tuus ſit, ſurgat:* Cur igitur, quaſi vt iacentium Chriſtus non ſit Dominus, vult? Nimirum, qualis Domino forma, atque habitus ſit, talis ſeruorum eſſe conueniat, nec enim à capite membra diſcrepare conſueuerunt: Quoniam igitur humanæ imbecillitatis eſt, languidos apparere, proſterni, iacêre: à Dei autem Virtute hoc alienum eſt, qui robore & fortitudine pollet ſummâ: idcircò Deo quidem tribuitur, quod magnanimitatis, & fortitudinis ſymbolum, ſtare videlicet eius famulos: quod autem huic contrarium eſt, eidem velut denegatur: Quia verò in hominem quadrat inualetudo, vt qualis herus ſit, talem cenſeri famulum, ſubditúmque pernoſcamus; Centurionis, qui merus homo eſt, ac proinde omni ex parte imbecillitatibus obnoxius; ſeruus eſſe qui lecto ſub Paralyſis tremore, decumbit; refertur.

Chryſolog. Pſal. 133.1. Chryſolog. *Etſi omnes ſint Chriſti Domini ſerui, tamen Chriſtus non dicitur Dominus famuli Centurionis quia iacebat paralyticus.*

22. Ioan. 1.51.

Diſputans cum Nathanaele Chriſtus, inquit illi: *Amen, Amen, dico vobis, videbitis cælum apertum; & Angelos Dei aſcendentes: & deſcendentes ſupra filiū hominis*, Ioan. c.1. v.51. Bene, quòd aſcendant Angeli ad filium hominis, nā in ſupernis eſt ad dexteram Dei ſedens: Quomodo etiā & deſcendant ſuper illum? an & in conuexis pariter, & in inferioribus Chriſtus conſpicatur? obaudiamus, quid ſentiat Auguſtinus in illud Pſal.44. *Propterea vnxit te Deus, &c. Aſcendunt & deſcendunt Angeli ſuper filium Hominis: quia ſurſum eſt filius Hominis, ad quem aſcendunt Corde, id eſt, caput eius: & deorſum filius Hominis, id eſt corpus eius: membra hîc ſunt; caput ſurſùm eſt: aſcenditur ad caput, deſcenditur ad membra: Chriſtus ibi, Chriſtus hîc: Nam ſi ibi tantùm, & non hîc, vnde vox illa; Saule, Saule quid me perſequeris? Quis enim illi in cælo moleſtus fuit? Nemo: nec Iudæi, nec Saulus, nec Diabolus tentator: Nemo ibi moleſtus illi; ſed ſicut in compage corporis humani pede calcato lingua clamat.* Ergo ſi ſurſum Chriſtus, & deorſum pariter: *Chriſtus ibi* (inquit Auguſtinus) *Chriſtus hîc*: rectè, quod ſiue aſcendant Angeli, ſiue deſcendant: ſuper Chriſtum ſemper ferantur: At quomodo Chriſtus in inferioribus intelligatur eſſe partibus, vbi homines ſolùm verſari conſpiciuntur? Videlicet, homines illi concipiuntur, qui Chriſti membra dignoſcuntur eſſe: Quoniam igitur mos eſſe conſueuit, vt eadem ſit conditio

Auguſtin. *Angeli aſcendunt & deſcendunt ſuper filium hominis, quòd ipſe ſit ſurſum vt Caput, & deorſum, in mēbris ſuis.*

capitis & membrorum,Principis & ciuium;tranſlato apicis ſeu honore , ſeu dedecore ad ſubiecta, plebe imitante Magiſtratus aut vitium, aut honeſtatem : in hanc normam,ſiquidem dixit caput & verticem Chriſtũ eſſe;de ſeruis pronunciauit idipſum:Chriſtum nominans & quæ in cœlis verſatur,& quæ in terra.Quod ſi vtrobique Chriſti reſplendet forma : ergo ſiue aſcendant,ſeu deſcendant Angeli;Chriſtum ſemper attingunt.

23. Increbreſcente famâ de Seruatoris miraculis, cùm & Herodis aulam penetraſſet Rumor poſt occiſum Baptiſtam,dicebat:*Quia Ioannes Baptiſta reſurrexit à mortuis , & propterea virtutes operantur in illo*, Marci cap. 6. verſ. 37. rurſúmque ibidem ſtatim Tyrannus inquit : *quem ego decollaui Ioannem,hic à mortuis reſurrexit:*Sed quamobrem Principis animum inuaſit opinio Chriſtum eſſe Ioannem rediuiuum ab inferis? Nonne toto penè cœlo diuerſa vtriuſque conuerſatio? Num quidem Præcurſor venit , neque manducans neque bibens : Chriſtus & manducabat & bibebat : Baptiſtæ amictus, qualis olim Heliæ Melota ; Chriſto indumentum commune atque vſuale:Ioannes procul in eremo, vox ſcilicet clamantis in Deſerto ; Chriſtus peragrabat villas , Caſtella , oppida:Prodromi denique ab Euangeliſtis non recenſentur miracula , dum prædicando circumfuſam multitudinem ad pœnitendum exhortabatur; Chriſtus pertranſibat benefaciendo, & curando oppreſſos à Diabolo , & omnem languorem : tot igitur, tantiſque notis,neque obſcuris ſanè, cùm diſtinguerentur Chriſtus , eiúſque vexillifer Baptiſta:quâ de causâ ſubiit Herodis mentem Chriſtum eſſe Ioannem, quem ille infando homicidio de medio ſuſtulerat?An quod ad Regis aures niſi communis rumor peruenerat ſolùm,quo vterque magnis efferebatur encomijs;ſingularia tamen latebant indicia? Num magis conſcientiæ arguebat ſecretus Teſtis , & verebatur ne defuncti cineres antiquo reſtituerentur vigori ad expoſcendam vindictam? Perpende autem,quomodo & Petrus Chryſologus Herodi ſuffragatur,verũ fuiſſe conteſtans quod ab eo pronunciatum eſſet , ſic enim effatur ſerm.173. de Decollatione Baptiſtæ:*Maleuolo quidem,ſed veraci ſenſu:teſtis ipſe Criminis ſui, Aſſertor ſceleris ſui : Ioannes, quem ego decollaui , ipſe eſt : verum dicit :* Sed quo pacto verum,ô eloquentiſſime Orator?*Nam ſicut in Chriſto*(reſpondet)*ſui reſurgunt : ita & in ſuis ipſe patitur Chriſtus :* ergo Mors Baptiſtæ , mors Chriſti per ſimilitudinem reputata eſt:& vita Chriſti cenſetur vita Ioannis! ô vinculum præclarum,quod ne Mors,ne Reſurrectio interrumpere valeat! Chriſtum per omnia referens quodammodò Baptiſta : vnde ſymboli tanta Ratio? nimirum Dux erat Chriſtus , Ioannes Miles eius ; Dominus Chriſtus , Ioannes famulus ; caput ille , Membrum hic : Atqui Membrorũ & capitis, familiæ Dominorum tanta conſueuit eſſe imitatio ſiue in eximiè factis , ſiue in prauis,vt in id ipſum conſpiraſſe omnino videantur:ergo propterea & Ioãne patiente Chriſtus pati exiſtimatur:& Chriſti vita ad Ioannis Reſurrectionem transfertur:atque ita Herodes, vt aiebat Chryſologus;licet maleuolo, veraci tamen ſenſu pronunciabat ; *Ioannes,quem ego decollaui, ipſe eſt.*

Marc.6.37.

*Dux Chriſtus in Ioanne Baptiſta Milite ſuo, & mori & viuere dicitur,dum Herodes exiſtimat Chriſtũ eſſe Baptiſtã à mortuis ſuſcitatum.*

Chryſolog.

24. Murmurantibus Aarone , & eius ſorore Mariâ contra Moyſis vxorem,iratus eſt Dominus,& fœminam leprâ percuſſit, Numerorum cap.12.v.10. Percunctantibus,quamobrem non idem ſupplicij genus Aaron ſubiit , cuius eò maior culpa, quòd ſexus fortioris,quòd ſacrorũ Antiſtes;reſpondere vſus,ob ſacerdotij Reuerentiam dimiſſum, ne leprã incurreret : ſed me potiùs iuuat interrogare; cur,vt placuerit Numini Pontificiis deferre infulis,ne leprâ tangeretur Hierarcha;non etiam mulieri parcitum eſt?vide,ô magne Dominator,quoniam Rege dignũ eſt ſuperbiora comprimere,fragilioribus veniam dare : at Maria è duobus infirmior eſt:An fortaſsè in Mariæ leprâ punitus vterque,nec leuibus quidem modis?ſed quomodo id? Aaron vir erat,mulier illa : ob hoc Sororis quaſi caput : præfertur enim omnibus ſororibus quicumque de fratrum numero , nec niſi omnibus conſumptis Hæres nuncupatur:erat & alio titulo ſuperior , quòd ſacra nimirum adminiſtraret , & præeſſet Tabernaculi Miniſtris : Quid autem optimum deceat Magiſtratum? Ne ſceleris , aut vituperij arguatur ſubditus : Hoc quippè verecũdia eſt Antiſtiti ; ſtatim enim qui intelligunt , argumentantur,Antiſtitis vitia contraxiſſe ſubditum: tales quippe ciues arbitrantur,qualẽ habent Prætorem;tales famulos,qualis ſit Herus:ergo Aaron ex Mariæ lepra pendat : Nam licet innocentiæ ſignum, caruiſſe morbo, quo defœdata eſt Soror; ſed hoc ipſum,quod in Germana clamat,peccato contaminatam eam, nõ ſinit culpæ ſuſpicione carêre fratrem : Si enim frater, cùm Sororis caput & Antiſtes ab omni ſcelere liber : mirum appareret ( ſic dicamus ) pro communi Hominum vſu, non & Sororem innoxiam eſſe propter aptam ſcilicet cognationem morum ſubditæ turbæ cum Dominorum moribus. Ingenioſè Saluianus Epiſopus Maſſilienſis lib.1. de Prouid. Dei : pœnas bipartitur:Mariæ quidem lepram concedens,quâ eius infecta eſt caro:Aaroni verò confuſionem,& ruborem; ſcilicet, verecundabatur, cùm Sororis caput haberetur, & præeſſe deberet atque regere fœminam,quòd ſceleris illa accuſaretur ex publico ſupplicio,cùm vix futurus qui crederet, innocentem eũ potuiſſe intelligi, manifeſtato ſubditæ crimine;*Quamuis coërcitio iſtiuſmodi*(ait)*non Mariã tantum,ſed etiam Aaronem humiliauit:quia etſi deformari leprâ ſummum Antiſtitem non oportuit;& ipſum tamen Domini caſtigatio flagellauit : hac in pœna,quã Maria patitur, Aaron etiã quaſi culpæ particeps coërcetur : Maria autem ſupplicio aſſicitur,vt Aaron confuſione mutetur.*

Numer.12.

*In Maria punitur Aaron quòd eius & frater & Antiſtes eſſet , & huius culpa ſatis vulgatur, dum ſoror caſtigatur.*

Saluian.

25. Prima Moyſis ira aduersùs flumina Ægypti,iubetur namque fratri intimare,Exod.c.7.v.19.*Tolle Virgam tuã,& extende manũ tuam ſuper aquas Ægypti,& ſuper fluuios eorum,& riuos,ac paludes,& omnes lacus aquarum, vt vertantur in ſanguinem :* Quamobrem auſpicatur ab vndis? Theodoretus q.19. in Exodum : *Imprimis,quia valdè gloriabantur Ægyptij de flumine ſuo,& hunc pro Deo habebant:vt qui parem vſum illis præbebat,quem Nubes.*Eſto autem,fluminibus Diuinitatẽ conceſſerint;tamen ab ementitis Numinibus quorſum ſpeciatim initia ſuppliciorum? Quod ſi enim Deus verus æternæ atque indefectibilis gloriæ oſtendere volens per Moyſen & Aaronem,vaniſſimam eſſe opinionem Diuinitatis,quam Ægyptij commenti fuerant,cõtra ſuperſtitionem pugnaret:opportunè quidẽ fluminibus illuderet:vt cùm adoratores cernerent talẽ eſſe ſupremum rerum Gubernatorem,qui iniurias ſuſtinere poſſet,neque ſatis validũ ad ſua cõtuenda regna;deſpicerent infirmũ robur:atqui non de Religione quæſtio eſt,quã Ægyptios profiteri deceat,ſed legationis ſcopus,vt Iſraëlẽ liberũ diſcedere ſinat Pharao,quem migrare in alias regiones Creatoris iuſſa vrgerent:ad hunc autẽ finẽ,quando non niſi per vexamẽta ſuperandus Tyrannus,

cur

Exod.7.19.

Theodoret. *Cur in Ægypti flumina primùm ſæuit Moyſes?*



cur non vel à Primogenitorũ incipiendum nece, vel à caligine horridâ & tenebroſâ,vel à frugum damno?Quid enim fluminum caruiſſe ſolatio nocuerit?alia ſunt liquida, quibus ſitis extinguitur. Ecce quidem,vti referebamus ex Theodoreto in fluminibus Diuinitas occultabatur ſtultâ Ægyptiorum ſententiâ:quando tamen Numen eſſe ſibi propoſuerint:in cætera quoque dominari putaſſent, nam Gubernatio penès diuinitatem eſt: iam verò,qualis capiti conditio , talis ſubiectorum contingit eſſe ex more vulgari ſors: ergo cùm deſtrui flumina viderent , quæ cæteris præeſſent ; cogitarent proximam eſſe aliis,inferioribus vtpote,ruinam,nam vna,eadémque alea conſueuit eſſe vtrorumque : Sin autem omnia peritura arbitrarentur læſis fluminibus,quorſum ampliùs apud ſe retinerent Hebræos,malorum cauſas? Nihil igitur ſagacius fluminum conuerſione in ſanguinem : Hinc enim maximus terror inuaderet Ægyptios,cùm portenderent ex capitis vulnere membrorum deiectionem:& impendentium minarum formidine perculſi:ne omnia ſubitò amitterent,Iſraëlem ocyùs abire compellerent.

*Prima in fluminibus, Ægypti flagellatio, quòd velut Dij haberentur.*

26. Quoniam verò difficilis erat legatio contra Pharaonem,quòd Gentis quæ ex Abrahamo deſcenderat,libertas expoſcebatur:erigitur Moyſis animus prodigij intuitu;quippè contemplabatur, quòd *Rubus arderet,& non combureretur*,Exodi c.3. v.2.cùm autem proficiſceretur ad propiùs inſpiciendum,cohibuit vox inquientis : *Ne appropies huc : ſolue calceamentum de pedibus tuis,locus enim in quo ſtas,Terra ſancta eſt:*Sed quomodo Glebæ ſanctæ portio illa ſpeciatim , in qua Rubus progerminauit? *Maledicta terra in opere tuo* , dictum eſt Adamo,Geneſ.c.3. v.17. & vnde quidem maledicta niſi ex Rubo?ſtatim namque ſequutum;*Spinas & tribulos germinabit tibi:*Si itaque maledictum ſolum,quod in ſpinas exuberat,cur ſancta dicitur Terra Rubum portans?Sed perpende : conſtituebatur Moyſes Dux & legiſlator populorum : atque ipſe quidem Sanctus erat , Dei quippè Amicus familiaris:Verùm Anteſignano peculiaris, & domeſtica iuſtitia ad laudem ſatis non eſt , oportet & ſubditos Religioſos , grauéſque eſſe : Nam vnus,idémque ambobus,color eſſe debeat : Sunt verò ſpinæ Peccatorum argumenta , ſymbolum: Moyſes igitur docetur, vt ſpinas tollat , hoc eſt, peccata auferat, atque ita in terra Sancta dominetur , iuſtis & honeſtis ciuibus imperans , alioquin Magiſtratus nomen incongruè ſuſtinebit, cui dedecus eſt,quanquam ipſe bonus, rectúſque habeatur , non ſimilem apparêre Ciuitatis vultum : ita locum interpretatus Diodorus Catenâ Græcorum PP.in Pentateuchum : *Erue igitur calceamenta tua ; vt Terram, in qua ſtas ſanctifices ; ac veluti locum perungas , vbi non multò populum alloquar,cuius Tu de medio igne Sacerdos eris.*

Exod.3.2.

Geneſ.3. 17. *Dum Moyſes Hebræorum Imperator inauguratur, Terra in qua Rubus ardet ſancta dicitur,& quare?*

Diodor.

---

*Tentationis Diſcrimen opportunè præueniendum: nec expectanda vltima periculi occaſio.*

## SECTIO II.

27. Spiritalis diligentiæ encomium eſt , Hoſtium præcauêre inſidias , & priuſquam appareant, aduersùs Tentationum bella præmunitum eſſe: Triumphator redibit effractis inimicorum! ſuperbis viribus quicumque ſic inſtructus : ſtulta fiducia eſt , & rariſſimæ victoriæ , quam Pugnæ claſſicum excitat. Excluſit æternum à geniali Tripudio mitiſſimus Sponſus iure fatuas dictas Virgines , quòd tùm ad olei pergerent Tabernam,cùm nuptialis procedere inciperet pompa : Non gemitus flectere potuerunt,vt introduceret,non feſtiuæ lucis Hilaritas,non debita magnæ lætitiæ clementia : *Amen dico vobis* ( inquit Matth. cap.25. verſ.12.) *neſcio vos* : præoccupare aduentum Sponſi debuerant , nec in vltima reiectare ſpatia lychnorum ignes. Non talis Virgo noſtra : venientem à longe Hoſtem prænoſcit, & ſubterfugit , & cauet : meritò proinde Columbarum habêre oculos ſignificatur : expendit ſingulariter Aponius hunc in verſum , aiens : *Adducitur & tertia Pulchritudinis laus in acumine oculorum : Columbarum enim Natura ſuper illa quæ diximus,& hoc peculiare habere probatur , vt Hoſtis aduentum poſt ſe de longè,ante ſe in aqua ſpeculetur: cuius vtique in Sacerdotum commonitione ſermonis , Accipitris aduerſarij Diaboli inſidias populis prædicando,Pulchritudo laudatur.* Antequam Sodomam ignis de cælo lapſus in fauillas verteret,laboratum impigrè ab Angelis,vti Loth diſcederet vrbe ad loca ab incendio ſecura : *Diſſimulante illo* (inquit Hiſtoria Geneſ.cap.19. verſ.16.)*apprehenderunt manum eius , & manum vxoris,ac duarum filiarum eius,eò quod parceret Dominus illi; eduxerúntque eum,& poſuerunt extrà Ciuitatem :* Verùm , cur Angeli tantoperè pugnant , vt antequam ardeat Ciuitas , proficiſcatur? Scilicet , ne comburetur ſub communi flamma? At non poterant ſeruare etiam mediis ab ignibus? Non auram roris inducere , quæ perflaret ſuauiter , vt Pueris Hebræorum contigit ſequutis temporibus? Nonne hoc Deo Seruatori illuſtrius? & ád maximum iuſti Loth encomium? cur igitur non ita factum ſit? Sanè tres adoleſcentes alieno iuſſu in fornacem coniecti ſunt:Loth autem ſuo conſilio manſiſſet in vrbe,atque id tentaſſe videbatur , vt cùm diſcrimen ingentis periculi præanticipare fugiendo potuerit , ex induſtria expectauerit : Ne itaque hoc exemplo alij arbitrarentur ſibi licêre,vt opus non putarent anteuertere dubiæ ſalutis exitum , ſed Angelorum benignitate ſiſi in apertam ruerent mortem auxilij ſpe nihil prudenti : quanquam liberare valeant poſt ſuccenſum oppidum, nolunt ex miraculo vindicare,ſed ipſe quando ita poſſit facilè, fugâ opportunâ ſibi conſulat , Ciuitate diſcedens antequam extrema impendat Habitatoribus calamitas. O qualis Prouidentiæ Merces! cùm fumarent ædificiorum Turres,& clamor percuntium in æthera aſcenderet; Lothus , quòd proſpexiſſet cum tempore incolumitati,quòd anticipaſſet ſtragi , ſecurus philoſophabatur in Segor : & quanquàm parua vrbs , ſed dulcior magno Sodomæ ambitu,quoniam conflagrationem non metuebat.

*Repudiantur fatuæ Virgines quòd Sponſi aduẽtum non præoccupaſſent: non ſic Sponſa noſtra,quæ oculos habet Columbæ.* Matth.25. 12.

Aponius.

Geneſ.29. 16.

*Lothum è Sodomis (quẽ tamen in medijs flammis,vt poſtea tres pueros in fornace,illæſũ ſeruare potuiſſent) educere feſtinant Angeli , quò doceant pericula citiùs præcauenda.*

28. Mittit ad prædicandum quos deſignauit ſeptuaginta duos Chriſtus Diſcipulos , & ait illis: *Nolite portare ſacculum , neque peram,neque calceamenta*,Luc.c.10. verſ.4. iuſſit & Deus olim diſcedere populum Hebræum Ægypto & tendere in viam deſerti , ſed cum veſte plurima eduxit eos; *cum argento,& auro*, vt canit Pſalmodus Pſal. 104. v.37. cum iumẽtis & ouibus profecti ſunt,Exod. cap.10.v.9.quare vacuos ire Diſcipulos præcepit, Hebræos oneratos diuitiis? Num,vt ſupra legem Euangelij ſplendere Perfectionem indicaret,quę Paupertatem coleret; cùm,qui ſub lege erant felicitatem putarent maximam locupletes eſſe?

Luc.10.4.

Pſalm.104. 37.

Exod.10.

equidem ea, quæ ad vitæ neceſſitatem deſiderantur non præparare, quando occaſio eſt, Deum tentare eſt, vitæque ipſi periculum creare manifeſtum: Quoniam igitur in eremum filij Iſraël pergebant, vbi nulla amictui commoditas, neque ſteriles ſaltus Pecore abundarent, quaſi Tentationis anſam ſtudioſè præuenientes, antequàm Ægypto decedant, quod poſſunt, ſecum aſportant, quibus aut frigori, aut inediæ reſiſtant: At verò Diſcipuli ad ciuitates mittebantur, in quibus victui neceſſaria reperiri poſſint, promdè nullus timor, ne ob non comparata ſubſidia, deficerent; præmuniri igitur oporteat quoties ingruit Tempeſtas, ne ſi reſupinos & negligentes inueniat, abſorbeat. O ſæcularium inertiam Mentium! tot circumuoluuntur laqueis, tanto verſantur in diſcrimine: Periculum ab auaritia, periculum à luxu, periculum ex ambitione, periculum ab inuidia & Gula: & à quibus non inſidiæ mille? etiam Domeſtici Hominis inimici eius, nec vacuus à Timore ſomnus nocturnus: & tamen audaci temeritate obuia quin & deſpiciunt propugnacula, reſpuunt ſaxorum munimenta, & armaturam fidei, & galeam ſalutis, & ſcutum, in quo excipiant tela ignita nequiſſimi Aduerſarij; ſed percipiamus quid de comparatis inuicem Diſcipulis, & Hebræis Tertullianus loquatur lib. 4. contra Marcionem: *Profectionem filiorum Iſraëlis, Creator etiam illis ſpolijs aureorum, & argenteorum vaſculorum, & veſtium, præter oneribus conſparſionum offarcinatam educit ex Ægypto: Chriſtus autem nec virgam Diſcipulis in viam ferre præſcripſit: illi enim in ſolitudinem promouebantur; Hi autem in Ciuitates mittebantur: conſidera cauſarum offerentiam, & intelliges vnam, & eandem poteſtatem, quæ ſecundum penuriam, & copiam, expeditionem ſuorum diſpoſuit: proindè per ciuitates abundaturam circuiens; ſicut & egituram per ſolitudinem ſtruxerat.*

*Iſraëlitas ex Ægypto eduxit Deus cum veſte plurima & aliis neceſſariis, in deſertũ enim ſterile proficiſcebantur: Diſcipulos verò Chriſtus ſine pera, ſine calceamentis &c. quippe in Ciuitates inſtructiſſimas miſit: ab vtriſque mali occaſiones ablatæ.*

Tertullian.

29\. Primi æui Homines ante Diluuium ab eſu carnium abſtinebant ob Creatoris prohibitionem, de qua agit Torniellus anno Mundi 1657. à numero duodecimo: poſt autem elutum aquis orbem conceſſa eſt facultas, Geneſ. cap. 9. verſ. 3. *Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum; excepto, quòd Carnem cum ſanguine non comedetis;* At nonne potiùs ſecundis Habitatoribus Mundi negandæ lautitiæ, ne fortè ob Gulam & intemperantiam in eandem prolaberentur licentiam, ob quam priores incolæ damnati interierunt? voluit hominem erudire Numen, quemadmodum cautũ eſſe oporteat: Nam ſi caſus, & periculi nullus eſt timor, vigiliis & prouidentiæ ſuperſedêre poteſt, & tum quidem feriari otio gaudens: ſi verò impendet Damnum, præoccupandum fuerit malum comparato Antidoto: iam eſus carnium introductus eſt, ne Pecora quaſi Deos colerent mortales: iniquiſſimum enim apparebat Diuinitatis tribuiſſe ſupereminentem honorem rebus conſumptibilibus & perituris: Quoniam igitur ante illuuionem præuidebat Deus neminem futurum, qui fatuis Animantibus Diuinitatem imponeret (ſuppono enim ſententiam dicentium non niſi poſt cataclyſmum Idololatriam exortam eſſe:). Tum carnium concedi vſum opus non erat: At licet Deorum vana inceptarit ſuperſtitio poſt mundum abſorptum, cur tamen ab initio ſtatim facta eſt copia? Non ſufficiebat quamprimùm Mortales de adorandis Pecoribus cogitarent, promulgari carnium eſum? Nequaquam: Hoc namque fuiſſet de remedio præmeditari, quando Periculum inſtaret cum dubiâ admodum victoriæ expectatione: paucis ita triumphare datum: qui igitur ſuperare cupiat, antequam Mala irruant, præparetur: idcircò ab exordio manducandarum carnium facultas publicata eſt: Theodoretus quæſt. 55. in Geneſim: *Mox vbi creaſſet Hominem, dedit illi Terræ fructus, iubens illum veſci fructu ſeminum, & arborum: poſt Diluuium autem & pretioſiorem cibum illi confert, iubens occidere, & comedere volatilia, & natatilia, & terreſtria animalia: præuidens enim Deus Homines in extremam dementiam lapſos, hæc omnia animalia pro Dijs habituros, permiſit illorum eſum, vt impietatem illam cohiberet: ſumma enim eſt niſania adorare quod comeditur.*

Torniell.

Geneſ. 9. 3.

*Cùm ante diluuium carniũ eſus fuerit interdictus, ſtatim poſt diluuium conceſſus eſt, ſcilicet maturè Idololatriam cohibebat Deus,*

Theodoret.

30\. Pudeat filios lucis non diligentiores eſſe ad ſalutem, quàm ſint filij Belial ad malum: quid impius Herodes cùm de medio tollere Seruatorem conatus eſſet? *Mittens occidit omnes Pueros, qui erant in Bethleem, & omnibus finibus eius à bimatu, & infrà:* Matth. c. 2. v. 16. quod ſi Magi decimotertio ab ortu Chriſti die eius ſalutarunt incunabula demiſſis vultibus, vt veterum & Iuniorum communior fert ſententia, ab eorúmque diſceſſu ſtatim conſequutum eſt infanticidium, cur in Biennales feritas extenditur, cùm nondum vnum expleuerit menſem qui per tot mortes ad necem quæritur? audiamus de his differentem Chryſoſtomum hom. 6. in Ioannem: *Quòd à Biennio, & infrà Herodes pueros interfecit, ne mirêris: ſiquidem conueniens in eundem Tyrannum Pauor, & furor, pro abundantia cautionis, & licentia Perſecutionis, maius etiam tempus includit: ne quis profectò eius ætatis, & fortè is potiſſimùm, propter quem alij interimuntur, effugiat:* Venuſtè imprimis cogitauit inquiens: *Pro abundantia cautionis:* vt enim præſtituti finis conſequatur ſcopum, non ſatis eſt prouidêre in ſola neceſſaria, contingere enim ſic poterat, vt deluderetur; moriantur igitur & qui decem, & qui viginti numerant menſes, vt tantis pereuntibus dubium eſſe non poſſet cadere eum qui vno maior non eſſet menſe: diſcant, & vertant in bonum artes has Iuſti, vti faciebat præclarè Iobus, nam aſſerit cap. 31. verſ. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine:* at non oportebat dicere magis, vt propriè loqueretur, initam amicitiam cum oculis ne videret, ne intueretur? Bene quidem, iſtud appetebat ſanè, ſed *pro abundantia cautionis*, vt aiebat Chryſoſtomus, intellectum compreſſerat: donec enim & prohibeatur imagitio, lumina ſub officio erunt: Quod ſi permiſiſſet animum interiùs fœmineo implicari deſiderio, nec repræſentationis valuas obſtrueret: arduum fuiſſet planè intuitum compeſcere oculorum: Periculoſum eſt extremæ reſeruaſſe diligentiæ quod ſaluum eſſe maximè cupias: præmunire iuuat quod incolume eſſe optauerimus.

Matth. 2. 16.

*Impia Herodis cautio, pueros omnes à biennio & infrà occidẽtis, cùm tamen Chriſtus menſem vnũ nondum expleſſet, ſit nobis in bonum inſtructio.*

Chryſolog.

Iob 31. 1.

*Non à viſu modò, ſed & ab imaginatione ſibi cauet Iobus.*

31\. Poſt quadraginta dierum, & noctium ieiunium eſuriebat Chriſtus, & accedens nequiſſimus Hoſtis, vt tentaret, inquiebat: *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti Panes fiant,* Matth. cap. 4. v. 3. reſpuit parêre Aduerſario; quamobrem? equidem ſi proximos haberet Panes, cùm fames vrgeret, abſtinentiæ violandæ occaſio vehemens inſtaret: noluit autem aliorum ad inſtructionem quaſi diſcrimini exponere ieiunij virtutem, propterea abſtinuit à Miraculo, quòd circa eſcam eſſet: Euthymius in dictum Matthæi caput quaſi Chriſti nomine, *Ad quid mihi opus*

Matth. 4. 3.

Euthym.



*opus eſt Panes ex lapidibus facere propter famem, quæ me vrget, vt illis viſis alliciar eſcâ?* Sed nonne in Chriſti ſemper poteſtate vt vel Gramina, vel ſaxa in lautiſſimas conuerteret dapes? Auſcultabant & nutibus copioſiſſimæ Angelorum legiones: denique nullus metus vt ſuccumberet Gulæ, rectiſſimus Mentis vigor: Quorſum igitur diſtulit Prodigium oſtendere? Profectò ad noſtram doctrinam: Sanè, cùm ieiunare propoſuerit, ne fame vinceretur, & vt ſe contra Aduerſarium præmuniret, nobis exempla ſuppeditaturus; receſſit in loca abſtruſa, vt etiamſi manducandi ardor fuiſſet, defectus rerum abſtinêre compelleret: itaque vallabatur deſerto: Quare & qui in hoc, ſolitudinis interiora petiit, vt propè nulla extitiſſent Gulæ irritamenta, quæ contra propoſitum abſtinentiæ pugnarent: æquum non videbatur, vt in Panes lapidum verteret ſubſtantiam, quando ſic apponeret materiam, quæ ſtomachum proritaret: & nobis Magiſterium præbêret licêre in confinio verſari occaſionum, quibus expedit fugere quæ ad lapſum inducere valeant.

*Ieiunaturus per 40. dies Chriſtus in eremum ſeceſſit vbi nulla gulæ irritamenta; & diũ eſurit, lapides in panem cõuertere diabolo ſuadente abnuit, vt nos erudiat occaſiones fugiendas.*

32\. Sciebat Dauid, & demiratus gloriabatur ex Dei adiutorio, quoniam aduerſus dominandi gloriam quanquam nihil præmeditatus fuerit, in ſublime erectus, de ſuperbia triumpharit: *Domine* (ait Pſalm. 130. verſ. 1.) *non eſt exaltatum Cor meum: neque elati ſunt oculi mei: neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me:* Quænam Dauidi cauſæ fuêre, vt intumeſceret? Diadema, Sceptrum, Purpura, aulæ ſplendor: ergo nihil humile in Regibus? ô duram imperiorum conditionem, ſi tributariam faſtui! Sed abſit, vt qui orbem moderantur, non illi etiam ſubmiſſi & humiles ſæpe: Eſt tamen in facto conſiderandum Dauidis: aliud eſſe euchi ad Principatus faſtigium præter omnem ſpem & cogitationem: aliud vocari ad Imperium quaſi paſſibus quibuſdam & cum expectatione ſupremi loci: qui ſecundâ hac viâ ſcandunt, vt nonnunquam Regum accidit conſanguineis, aut optimatibus Reipublicæ; tales moderatione vtuntur, Humanos & benignos ſe præbent: Qui autem alterâ ſemitâ introducuntur, cùm ex plebeia fortuna exurgant, priſtinæ Demiſſionis ſubitò obliti, tantâ efferuntur ſuperbiâ, vt nemo ſuſtinêre valeat: quibus ſi Humiles euadere contingat, laudatiſſima eſt tanta Modeſtia: quippè ex inſperato obruuntur plenitudine cumulatiſſimæ gloriæ: cùm igitur contra illam impræmuniti exiſterent, magnæ fuit conſtantiæ non inflari Vanitatis aurâ: imparatos autem ſupponere oporteat; Nam à melioris fortunæ gradu tanto aberant interuallo, vt nunquàm animo ſubrepſerit cogitatio potuiſſe transferri Mortalium ſcilicet poſtremos ad inacceſſum Honoris culmen: De horum numero Dauid: Quid enim ille fortaſſe animo eiuſmodi tractaret ludibria futilium ſomniorum, vt cùm natu minor eſſet ex fratribus, qui & formâ, & laude militari præſtarent, de poſt fœtantes oues aſſumeretur ad regnandum in Iſraël? Sed tandem electus eſt præter omnem opinionem, & Dei iuſſu à Propheta inunctus: capeſſiuit & vltimùm ipſas Imperij habenas: Monarcha autem renunciatus non exaltauit Cor ſuum, neque ambulauit in magnis, neque in Mirabilibus ſuper ſe: videlicet ille quidem non ambulauit, quem ſine præmeditatione, gloriæ circumuallauit ſplendidioris Tentatio: gratulatur itaque per tripudium bono Mentis omini, quòd impræparatus licet non ſit victus: Hoc enim percelebre quiddam, & eximium eſt: Zeno Veronenſis expoſitione in nominatum Pſalmum: *Oſtendit ſe nunquàm elatum fuiſſe, cùm poſſet: Nulli enim facilius efferuntur, niſi quos inopinati Honoris Culmen extollit: Dauid quippè, humilis, abiectus, ignobilis, ſui iacebat in domo Patris, oues ſemper paſcendo, propemodum peregrinus.*

Pſalm. 130. 1.

*Gloriatur coram Deo Dauid ſe de ſuperbia triumphaſſe: cùm tamen ad thronum euectus ſit ex humili fortuna: quaſi mirum foret ſe non priùs munitũ tantum hoſtem viciſſe.*

Ibat in Ægyptum Pharaoni durus futurus Nuncius Moyſes, *Et cùm eſſet in itinere in Diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum,* Exod. cap. 4. verſ. 24. Num ob culpam? commune iudicium eſt necis obiectu conterritum, quòd filium circumcidere omiſiſſet: Dicamus & aliud: A ſcelerato, & crudeli Tyranno, Moyſi quid expectandum niſi quicquid hominibus inſuaue putatur: vxoris & filiorũ captiuitas, ergaſtulum, Crux? aliundè Dei vtpote Legatum neque ad Regum formidare minas oportebat: ne igitur ad tentamentum imparatus accederet, ab Angelo exercetur: nempè qui huius gladium euaſerit, poſſe Pharaonis eripi manibus: itaque ab Angelo inſtruebatur intentatâ morte, vt lethum contemneret: Quare in his eruditus cùm ad Pharaonem pergeret, liberè increparet; neque enim verebatur mortem, quam ex Angeli concertatione facilem didicit: ibat igitur præparatus contra Pharaonem, vt fortis eſſet in dicendo pro Hebræorum cauſa: & qui talis proficiſcebatur, vicit quod ſuperatu difficillimum apparebat: Theodoretus quæſt. 14. in Exodum: *Verumtamen aliud quidpiam moliebatur Angelus, dum gladium euaginatum oſtentabat: Siquidem Moyſes alioqui magnus metuebat Pharaonem, quod ſæpius manifeſtauit, modò dicens; Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem Regem Ægyptiorum; modò inquiens: Præpara tibi alium idoneum, quem mittes: & rurſùm: Exilis vocis, & tardæ linguæ ſum ego: minabatur ergo illi Angelus, metum metu repellens, maiore videlicet minorem; perinde, ac ſi per hunc enſem nudatum dixiſſet: Si Pharaonem timuiſti, me multò magis timebis, qui modo inuiſibili te poſſum vulnerare.*

---

*Infida Amicitiæ Ratio eſt, quæ ſodalis præſentiam tantùm obſeruat: ad profanas diſſoluendas Amicitias optimum Remedium ſeparatio.*

## SECTIO III.

INtemeratæ Amicitiæ præcipuum Columba Symbolum, vt indicabamus numero quinto: nempè ea demum fœderis ſyncera probatio, quando non Amici præſentia colitur ſolùm, etiã longinquus & diſtans ſub reuerentia eſt: altero ex coniugibus apud columbas ſublato, quæ ſupereſt in honorem defuncti reſpuit deinceps Matrimonia: id multorum ſermonibus concelebratum, modò antiquiſſimum Horum Apollinem referre iuuat, qui libro 2. Hieroglyphicorum, num. 30. aſſerit: *Mulierem viduam, quæ ad mortem vſque in eo permanſerit ſtatu, volentes ſignificare, nigram pingunt columbam: Hæc enim quamdiu vidua eſt, alteri viro non iungitur.* Sed vt hæ puræ & indefectibilis Societatis notæ ſunt; ita infirmam probant Amicitiam, & ſuſpectæ indolis, quæ aut fortunam veneratur ſolùm, aut terga vertente commilitone labaſcit: vtriuſque idea apud Moyſem: recenſet namque miſſos à Noë exploratrices aues

Geneſ.8.

per quas intelligeret an aquæ ceſſaſſent, Coruum ſcilicet & columbam, Geneſ.cap.8.verſ.8.ex duabus Coruus non amplius Dominum reuiſit: columba autem ſemel, iterúmque regreſſa, tum demum abſtinuit ab Arca, cùm tempus, vt & Herus ex eadem proſiliret: Quænam hæc documenta ſuggerunt? coruus vtique infidam repræſentat ſodalitatem, Hic libenter commorabatur cum Noë, aliiſque Animantibus ſub Arca, quoad periculum imminebat grande inundationis aquarum: vt autem ſemel à Magiſtro ſeparatus eſt, quod eſſet cultor præſentiæ ſolùm, & beneficiorum, negauit deinceps, & abrupit fœdus: Columba verò, quâ ſynceri adumbrantur Amici non minoribus officiis proſequuta eſt abſentem Dominum, quàm cum præſenti frueretur: noluit itaque Auræ liberioris ſpatia volucribus grata eius anteponere Hoſpitio, remeauit proinde ad locum, vndè egreſſa eſt: aptauit concinnè Iudæorum perfidiæ de Coruo narrara Auitus Archiepiſcopus Viennenſis lib.4. in Geneſ.

*Coruus infidus ſodalis, præſentiæ & beneficiorum cultor, in Arcam non eſt reuerſus: ſecus verò fidelis Columba.*

Auitus.

*Ales vt extenſis nitidum petit aëra pennis*
*Aſpiciens plenis immenſa Cadauera Terris,*
*Carnibus incumbens & mox oblita reuerti*
*Rectorem placidum communi in ſede reliquit:*
*Sic neſcis Iudæe fidem ſeruare Magiſtro,*
*Sic carnem dimiſſus amas; ſic Gratia nunquàm*
*Cuſtodi vitæ, Dominóque rependitur vlla.*

Columbam verò Paulum, eiúſque imitatores vocare poſſumus: teſtatur enim ille ad Romanos cap.8. verſ. 38. certum ſe eſſe; quia neque Mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit eum ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.

Rom.8.38.

35. Quamobrem de infidæ Amicitiæ vinculo cùm diſſolui ſeparatione periti ſeu vrbium, ſeu Prouinciarum Gubernatores ſcirent, ad extinguendas Reipublicæ, & Communitatibus noxias Amicitias, eo vſi ſæpenumerò ſtratagemate, vt diuiderent in praua coadunatos: docuit poſt diluuium Creator ipſe: filij enim ſuperbiæ tum congregati, voluerunt ſuberigere molem altiſſimæ Turris, cuius culmen pertingeret vſque ad cœlos, Geneſ.cap.11.verſ.4.cúmque Numen Omnipotens facere poſſit, vt aut Terra dehiſcens abſorberet impios, aut miſſi de ſupernis ignes conſumerent, aut feræ cruentis lacerarent dentibus, voluit imitabili ab Hominibus more conſilium diſſipare nequiſſimum: quidnam igitur præmeditatus eſt? *Diuiſit eos Dominus* (inquit Hiſtoriæ ſacra Pagina,) *ex illo loco in vniuerſas Terras & ceſſauerunt ædificare Ciuitatem*: vides diuelli, & propoſiti oblitos? Amor doloſus erat: Præſentiâ confœderatorum ablatâ euanuit: ſingulariter Origenes hom.9.in Ieremiam, in illud Geneſeos: *Et diſperſit eos Deus indè à facie omnis Terræ,* &c. *quæ quidem vt mihi videtur, ſic ſunt intelligenda: iuſtos quidem congregat Deus, & peccatores ſeparat: Mali, cùm ſimul fuerint, ea quæ ſunt mala cogitant, & in priſtina nequitia perſeuerantes augent peccata peccatis; quomodo è contrario boni cùm ſimul fuerint, de Honeſtis ſermocinantur: diſſoluitur igitur, & ad nihilum redigitur nequam cogitatio, cùm non habuerit allocutionem alterius nequioris: idcircò per diſpenſationem Dei prouidetur peſſimos à peſſimis ſeparari*: Quamobrem ad Ieremiam Dominus, cùm vt lapſas Regnorum fabricas redintegraret, mandaſſet: *Ecce* (inquit cap.1. v.10.) *conſtitui te hodie ſuper Gentes & ſuper Regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes, & ædifices, & plantes*: Bene quidem, quòd deſtruere iubetur, erat enim ruinoſa machina, & ſenio deformis atque inualida, ſed lapides, cæterámque materiam cur diſſipare præcipitur? Non Architectonicæ Regula, quæ potiùs rurſum conglutinat antiquos lapides: prudentia enim eſt omnia in vſus conuertere, & Artis ingenium iuuẽtute quaſi donaſſe venuſtatis ſitu ſqualentia: verùm combinatio huius molis, quam diruere iuſſus eſt vates Amicitiarum vincula repræſentabat, quæ pernicioſæ vocantur; quas non affectus coniungit, nec ſociabilis vitæ beneuola Honeſtas, ſed aut Carnis delectamentũ, aut vindictæ ſtimulus, aut Dominationis ambitus, aliáve ſimilia: vt ergo moneat eiuſmodi deteſtanda fœdera egregiè ſubuerti ſodalium diſperſione, imperat diſſipari materiam antiquam ædificij, ne vnquam conuenire iterum infauſti commilitones valeant, nec ſuberigi praua Domus: Origenes hom.1.in Ieremiam: *Subuerſum eſt aliquid: lapides quoque ipſi, qui deſtructi ſunt, conterantur: ne ad aliquam ædificationem, quam Diabolus continuare poteſt, aſſumi valeant.*

Geneſ.11.
*Vt filiorum Adam dum turrim in cœlum moliebantur impiã ſocietatẽ diſſolueret, ſeparauit eos Dominus.*
Geneſ.11.8.
Origen.
Ierem.1.10.
*Ruinoſæ pernicioſæ Amicitiæ machinam non ſolùm deſtruere, ſed & materiam diſſipare iubetur Ieremias.*
Origen.

36. Sacrificaturus Deo Abraham, ſumpſit vaccam triennem, capram quoque & Arietem annorum trium cum Turture, & Columba: atque animalia quidẽ terreſtria diuiſit per medium: Aues autem non diuiſit, Geneſ.c.15.v.10.quamobrem non & volucres quoque diſſecuit medias, & membra ſeparauit à membris? ſanè per terreſtria Animantia homines Carnales intelligendos docet Auguſtinus ſerm. de Quinquageſima: *Aues autem, id eſt, ſpiritales* (inquit) *non diuiduntur? quare ſpiritales non diuiduntur? quia eſt illis cor vnum, & Anima vna in Deum: eſt enim illis vnum velle, ac nolle: illis enim, quas ſupra diximus, Auibus ſimiles ſunt, Turturi ſcilicet & Columbæ*: & his germana apud Richardũ de ſancto Victore Tractatu de differentia ſacrificij Abrahæ & Mariæ: quod ſi idem eſt velle, atque nolle, cor vnum & Anima vna iis, qui Columbâ & Turture ſignificantur, perfectiſſimæ & honeſtiſſimæ Amicitię homines repręſentãtur, neque enim in tantam penetrare coniunctionem alteri liceat Amicitiæ: vti autem hæ, veræ & indefæcatæ Amicitiæ ſymbola: ita carnales, qui Boue, Ariete & Hirco denotantur, doloſos & infidos ſodales, innuunt: Rectè igitur, quod neque Turtur, neque Columba diuiduntur, quoniam nulla ſeparatio conſtantem dirimit Amicitiam, creſcit per diſtantiam ſtudium, creſcit feruor deuotæ mentis; itaque nullum Diuiſio commodum attuliſſet, ſi modò tentaſſet, vt longinquitate Amicitiis excederent iurata in fœdus capita: quoniam verò carnales homines Amicitiâ nectuntur veritâ; & quam vel lucrum, vel damnatæ voluptatis oblectamentum enutrit, meritò diſſipantur partes inſectorum Animalium: vt ſi quis talibus mederi velit contagionibus, quæ, in vrbium & collegiorum vltimam ſtragem excitantur per dæmonas, ſciat remedium in diuulſione conſiſtere, & ſeparet ab inuicem nequiſſimè vnitos.

*In ſuo ſacrificio terrena animalia quibus carnales innuũtur, media diſſecat Abrahamus: nõ item Aues, ſpiritales intellige ſocietates.*
Auguſtin.
Richard. Victor.

37. Ecce ſupplicium Cain; ecce Iudicis rigorem! *Maledictus* (inquit, Geneſ.c.4.v.11.) *eris ſuper Terram: cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos: vagus & profugus eris ſuper Terrã*: congruè profectò, quòd gleba Agriculturæ laboribus non ſit reſpõſura, eſt enim maxima hæc pœna: quid enim grauius ſentiũt Mortales quàm fruſtrà ſudoribus perfungi, & in vanum toleraſſe onera? itaque caſtigatio quidem hæc eſt; quænam tamen mulcta eſt profugum, & vagum abire? ſcilicet exilij ratio eſt: ſed tum ſub pauciſſimis Mundi incolis, vbique ſolitudo atque deſertum, ac proinde

Geneſ.4.11.



& vbique exilium: Nam in exilio illud arduum eſt, quòd frequentiam populorum, & charorum imprimis agmina deſtituere cogamur amandatis nobis ad loca feritate barbara, ſqualore inculta: Verùm tunc adhuc nec multitudo populi, nec cognatorum legiones, nec vrbium magnarum delicioſæ illecebræ: Demus tamen exilium omnibus modis ſubiiſſe, hoc ſceleris compoti fugiendum non erat, expetendum potiùs; Sic enim abſcondebatur à quæſituris ad necem, ſi vel Conſanguinei, vel Magiſtratus defuncti iniuriam proſequerentur: igitur Caino nihil obfuit, quòd vagus & profugus iret ſuſque déque, & ſemotus à contubernio Hominum, in angulis lateret aut ſyluarum, aut montium: Verùm in hoc facto perpende Creatoris amorem erga genus humanum! erat impiorum Anteſignanus Cain, & iam ab exordio rerum iſtorum ſcholam fundabat: Si igitur apud Homines verſaretur in frequenti Mortalium cœtu vir ſceleſtiſſimus, prauæ Societatis artibus corrupiſſet recèns extructam familiam orbis, corrumpunt enim bonos mores colloquia praua: Ne igitur exitiali Amicitiâ Hominibus damnum penè irreparabile attuliſſet, diuiſus eſt à conſortio reliquorum, quòd per abſentiam talia euaneſcant fœdera: Ambroſius libro 2. de Abel & Cain, capite vltimo: *Repulit enim eum à facie ſua, & à Parentibus abdicatum ſeparatæ Habitationis quodam relegauit exilio; eò quòd ab humana Manſuetudine tranſiſſet ad ſæuitiam Beſtiarum*: Videlicet, ne initâ cum aliis Societate ſibi crudelitate ſimiles faceret, longè amandatus eſt.

*Cainum impiorum Coryphæũ exilio multat Deus, quò doceret ſceleſtos à iuſtis ſegregandos.*
Ambroſ.

38. Quibus non laceſſitus iniuriis ab Ægyptiis, & Pharaone populus Iſraëlitarum in operibus luti & lateris, ínque gnatorum interfectione, in flagellatione & verberibus? Sed ecce cui adſcribat vexamentum Dauid, Numini equidem ſempiterno, nam accinit Pſalm.104 verſ.25. *Conuertit Cor eorum, vt odirent populum eius: & dolum facerent in ſeruos eius*: Deus igitur permiſit tentari, & affligi Gentem ſuis ſpecialiter dicatam cultibus: Quam ob cauſam? Amoris num indicia, an vindictæ? Charæ equidem Dilectionis: nempe conabatur, vt quando Iſraëlem tæderet pœnarum, de fuga cogitaret: fugæ verò quiſnam ſcopus? Sanè cùm apud nationem detineretur voluptatibus illicitis contaminatam, cùm ſolum ferax eſſet: & Natura gazas cumulatè dediſſet, niſi conuitiis & Tyrannide compellentur diſcedere, locum haud benignè mutaſſent: eius autem delectationibus ineſcati, & Connubia, & Amicitias cum Ægyptiis iniiſſent: ergo Creator, vt hæc diſſolueret fœdera iniquitatis plena, & honeſtæ Societatis nihil retinentia, fugam vt meditentur, procurat: Scit enim ſtatim ac verterint terga Ægypto, memoriâ diſceſſuros veteres nexus: maluit itaque conniuêre ad populi tormenta, quàm vt fœdere copularentur maligno, ſineret: dignum quod imitentur factum Gubernatores, niſi enim vt fugam capeſſant ſubditi, & peregrinatione deludant Societatem, aliis modis conſequi valeant, affligendi ſint vſque ad particularium Amicitiarum interitum; Antiſtitem enim continuis moleſtum laboribus ne ſuſtineant, vel exilia poſtulabunt: diſiuncti autem à confœderatis, obliuioni mox tradent: Chryſoſtomus tom. 1. hom. ſeu Expoſitione in Pſalmum 3. *Nonnunquam etiam Amici in inimicos conuertuntur propter peccata, Deo tale odium immittente propter eas, quas nouit rationes: ita enim in Pſalmo 104. ſcriptum eſt de Ægyptijs: conuertit cor eorum, vt odirent populum eius: Non datum autem eſſet à Deo odium, niſi priùs malè amaſſent; quibus Amicitia comparabat exitium; ijs odium erat occaſio virtutis.*

Pſal.104.25.
*Permiſit Deus Iſraëlitas ab Ægyptijs vexari, ne cũ ijs ſceleſtis fœdera inirent, ſed ab iniqua regione fugerent.*
Chryſoſtom.
Pſalm.104.

39. Cùm moriturus benediceret filiis, & increparet ſimul quorundam ſcelera Iacob: Simeonem, & Leui adorſus, inquit: *Simeon & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat Anima mea, & in cœtu illorum non ſit Gloria mea*, Geneſ. cap.49. verſ.5. Quamobrem fratres quaſi ſpeciali titulo vocat? Annon & cæteri filij fratres ex eodem nempe Patre geniti, nec tamen Germanos appellat? Sed tales dicit hos duos particulatim, quòd fœdus iniiſſent ſeorſim à reliquis fratribus: Bonúmne hoc, an deteſtandum? malum planè: Auctores nempe fuerunt proditionis contra Sichem filium Hemor, Geneſ.c.34. verſ.35. quem ſub Religionis ſpecie interceptum, quo die circumciſionis plaga grauiſſimos afferebat Cruciatus, occiderunt, ideo ſenex Genitor: *in conſilium eorum non veniat Anima mea*, hoc eſt, abſit vt poſteritas intelligat me conſcio, tantùm abeſt Adhortator extiterim, immane aggreſſos ſcelus fuiſſe: elucet autem in his viris, eorum Typus, qui nonnunquam vel in Prouincia, vel in vrbibus, & collegiis (ſpecie autem aliquâ Boni, nam indignum auitæ nobilitatis generoſitate putabant duo iſti fratres, non ſororis vlciſci contumeliam) reuera tamen rerum nouarum gratiâ, aut cæco Bilis impetu: vel quòd plus ſuis deferant conſiliis, quàm aliorum Prudentiæ; aut vt famam quoquo modo captent, & nominentur celebri rumore per congregationem; perturbant vniuerſa, & Diſcordiarum incendia mouent Ætnæ grandibus flammis haud penè minora; tantâ autem duritie proprij diſcurſus hæc peragunt, vt nullius prætereà iudicio acquieſcant, preces contemnant, non minis etiam & terroribus cedant: quare in eodem oraculo bellè à Iacobo pronunciatum: *Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura*: Quidnam igitur ſolatij, cùm inimiciſſimis amicitiis demoliuntur omnia homines temerarij? diuinè ſubiecit Iacob venerandus: *diuidam eos in Iacob & diſpergam eos in Iſraël*: ô certè diſpergantur! nihil vtilius, nihil efficacius ad pacem conciliandam! cùm enim Amicitiæ nequiſſimum ſit vinculum, abſentiâ citò diſſoluetur: rectè noſter à Lapide in nominata verba: *Diuidam eos,* &c. *ne ſcilicet* (inquit) *rurſum capita conferant, & ſuo conſilio alijs perniciem machinentur*: Quod ſi parum eſt per Iſraëlem ſeiunctos diſſipaſſe, eiiciantur & à congregatione tota, ab vniuerſis tribuum ſortibus, qui conturbant Iſraël: meliùs hoc, quàm vt tota Gens pereat.

Geneſ. 49.5.
*In conſilium Simeon & Leui fratrum .j. qui nefariũ iniêre fœdus, non veniat Anima mea.*
Geneſ.34.
*Confœderationes particulares in Conuentu pernicioſæ.*
Geneſ. 49.7.
A Lapide.

---

*Verbum, gloriam operum, quæ ipſi ſpecialiter tribuuntur, cum Spiritu ſancto partitur: item & cum Verbo Spiritus ſanctus.*

## Sectio IV.

40. Septuaginta legerunt: *Oculi tui ſicut columbæ*, recto plurali, vt non vni ſed duabus ad minimum auibus comparata ſit Sponſæ ex luminibus pulchritudo: nec in his à noſtra verſione diſſenſio; nam & plures columbarum indicat, aſſerens: *Oculi tui columbarum*: priorem Tranſlationem ſequuti more ſuo Græcorum Patrum

*Verbum Diuinum, & Spiritus S. duæ Columbæ: vnde Oculi columbarum in plurali.*


multi,

*Origen.*

multi,de quorum numero Adamantius, quæ ſint iſtæ multæ columbæ exponens, Verbum diuinũ, & Spiritũ ſanctum allegoricè interpretatur,aiens hom.3.ex quatuor : *Duorum oculorum columbæ duæ intelliguntur eſſe Filius Dei,& Spiritus ſanctus: Et ne mirêris ſi ſimul dicatur,cùm vterque ſimiliter Aduocatus dicatur,ſicut Ioannes Euangeliſta declarat, Spiritum quidem ſanctum dicens Paraclitum,quod eſt Aduocatus:& de Ieſu Chriſto nihilominus in epiſtola ſua dicit:quia ipſe ſit Aduocatus apud Patrem pro peccatis noſtris:ſed apud Zachariam Prophetam duæ Oliuæ ad dexteram,& ad ſiniſtram candelabri poſitæ, Vnigenitũ nihilominus & Spiritum ſanctum deſignare creduntur.*

*Arcta ſit Intellectus & Voluntatis germanitas.*

Quamobrem vtriuſque conſociatio in Sponſæ laudibus?Primùm,vt nos doceamur arctam debere eſſe germanitatem intellectus,& voluntatis: Quid enim ſcire prodeſt,ſi ſpeculatio affectũ non impellat ad benè agendum?exequamur,oporteat, quod bonũ,quod honeſtum eſſe didicimus:multi enim quod expedit norunt; deteriora tamen ſequuntur:ſimplex etiam voluntas abſque ſcientia, aliis parum commoda eſſe valeat:& ſæpe ex zelo periculum,ſi non præcedat erudita cognitio. Secundò;quoniam de Sponſæ decore eximio ſermo eſt,quam Verbum quidem,Animæ ſcilicet Sponſus ornauit: At ne laus omnis penès ipſum eſſet, encomij participem Spiritum ſanctum fecit, & ideo pars corporis, in qua formæ reſplendet gratia,oculi nimirum , non ſoli Verbo aſſimilantur, ſed Spiritui ſancto quoque:licet enim opera omnia, quæ *ad extrà* communia ſint toti Trinitati; appropriãtur tamen quædam ſpecialiter quibuſdam Perſonarum præ aliis : in his igitur , vt nos gloriæ non nimiùm eſſe oportêre auaros doceant Verbum & Spiritus ſanctus,atque ad Amicitiæ & concordiæ excitent ſtudium, quæ paria facit eſſe bona confœderatorum;ſibi mutuò cedunt, altérque alterum inuitat : & quod ad Verbum ſpectabat,tribui pariter ſuo modo Spiritui ſancto, voluptas eſt,atque è diuerſo etiam.

41. Et vt ab ipſis æternis emanationibus ducamus orationis principiũ, audiamus quid de Verbi generatione ex diuinitate pſallat Theologia Dauidis Pſal.44. v.2. *Eructauit Cor meum Verbum bonũ: dico ego opera mea Regi.* Eſt autem de Verbi increata productione oratio Auguſtino Doctore, neque enim ex corde generatur niſi quod ſpiritale ſit:At nonne Amoris thalamus Cor eſt,ideò cùm vulneratos ſe Amantes conqueruntur, de cordis ictu dolent?docent ad Hemiſtichium verſus primi huius Cãtici:*Quia meliora ſunt vbera tua vino,*Delrius imprimis,Sanctius,Nigidius , & alij Interpretes,atq; ideò Amores pro vberibus nonnulli transferunt,quod Amor in corde verſetur: Cor autem ſub vberibus:Cerebrum verò intellectionis cubile ſit , & propterea ex Iouis cerebro Mineruam natam Poëtæ dixerunt , quæ ſcholis erudita præſidet:Quando igitur Verbi proceſſionem Dauid innuebat,quare non intellectus receptaculi,videlicet cerebri potiùs meminerit quàm cordis?cui enim dubium eſt ex intellectu paterno Verbum prodiiſſe?Amore inſpiratum eſt Diuinũ flamen per voluntatem; nam ex Patre , Filiôque procedit : qua igitur de cauſa ait corde eructaſſe Patrẽ Verbum ſuum ? Mirabile quoque eſt,quod & Paulus etiam aſſerit, filium Dilectionis appellans:*Gratias agentes*(inquit 1.ad Coloſſ.v.12.)*Deo Patri,qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine:qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum,& tranſtulit in regnum filij Dilectionis ſuæ:*ergóne ex Amore Filius, & propterea Dilectionis filius ? & certè Paulus de Verbo ſermocinatus,ſubdit enim continuò de Filio,quem dixerat: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis,Primogenitus omnis creaturæ:quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra : omnia per ipſum,& in ipſo creata ſunt;& ipſe eſt ante omnes,& omnia in ipſo conſtant:*Sed etſi Verbũ Pater ſẽpiternè diligit,nõ tamen ex Amore formaliter Verbũ procedit,nec ideo gignit filiũ,quia amat,ſed quia intelligit: vnde ſubacutè Dauid, & dictionis & linguæ mentionem fecit:*Dico*(ait)*opera mea Regi, lingua mea calamus ſcribæ,*&c.dictio namque & lingua ad Verbum ſpectant : cogitationes quoque, quarum parens intellectiua vis, *de corde exeunt,* Matth.c.15.v.19.cùm igitur dicere poſſit ex cerebro eructaſſe Verbum cum ſolius intellectionis poſſeſſione, quamobrem ad Cor tranſtulit, vbi Amor pariter habitat ? Nempè, vt quoniam in corde fœderantur Dilectio,& cogitatio, vtraque enim inde proſilire conſueuit : duarum Perſonarum ſpeciales quoſdam Germanitatis nexus intelligeremus:& cùm de Verbi generatione prędicaret glorioſa : Amori quem poſſet,locum daret; ne abalienatum penitus à Verbi crederemus encomiis.

Pſalm. 44.2.

Auguſtin.

Delrius. Sanchez. Nigidius.

*De Corde Verbum procedere innuit Dauid cùm ab Intellectu formaliter prodeat; & hoc filium Dilectionis vocat Paulus cùm potiùs ſit intellectionis, ad indicandos nempe arctiſſimos Verbi nexus cum Spiritu S. qui è Corde per amorem ſpiratur.*

Coloſſ.1.12.

Ibid.

Matth.15.19.

42. Exod.13.21.

Gradientibus per eremum Hebræis , *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam , per diem in columna Nubis,& per noctem in columna ignis*, Exod. c.13.v.21.Vtique Verbum Homo in figura, quãdo ſemitarum Demonſtrator, Via namque, veritas,& vita eſt:& benè quidem in die, per Nubem ſcilicet,ſiue quia ponit Nubem aſcenſum ſuum, ſiue quia protegit & obumbrat , ne Sol Tentator exurat,cùm probantur quaſi in fornace iuſti:*Spiritus oris noſtri*(ait Threnor.4.v.20.Ieremias) *Chriſtus Dominus;in vmbra tua viuemus in Gentibus* : Verùm nocte,quamobrem ſub columna ignis apparet?Nam ſi caliginem dimouêre placuit , ſydera creare potuit, quæ collucerent; nec viarum indocti Magiſtri , etiam ſub luce quod difficile erat, Magos ad Præſepe & in cunabula Seruatoris perduxerunt:Anne Spiritum ſanctum ignes proclamabant?Sanè ipſum:ad Filium equidem ſpectabat ductare exercitum , quoniã Filius vt diximus via; & alibi vocatur oſtium , per quod introëundum ſit,ſi cui libeat ingredi ; nonnunquam etiam appellabatur Alpha & Omega, hoc eſt principium & finis;Meta igitur,& ianua,& ſemita eſt , & errantium Magiſter:Verùm quod tot nominibus ad filium pertinebat,eius cum Spiritu ſancto gloriã cõmunicare voluit:neque minoris honoris Prouinciam conceſſit,ſed quod difficilius videbatur, vt in nocte iter pararet, largitus eſt, propterea Columna ignis per tenebrarum horrores:Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis poſt medium , loquens de Humanitate Chriſti: *Hæc eſt columna Nubis , quæ per diem præcedebat filios Iſraël:columna verò ignis per noctem Spiritus ſanctus eſt,qui ſuper Apoſtolos in igneis linguis apparuit : Qui cæcitatis noſtræ caliginem illuminat.*

Thren.4.20.

*Cùm ad Verbum qui via eſt ſpectaret ducere Iſraëlitas per deſertum;ducũtur tamen à Columna Ignis, Spiritus S. Symbolo.*

Drogo.

43. Plus illud eſt:ecce Verbo condendarum rerum molitio commiſſa eſt : Omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil,intonat principio Euangelij Magnus Theologus Ioannes : & apud Salomonem de increata Sapientia,Prouerb. c.8.v.30.*Cum eo eram cuncta componens : & delectabar per ſingulos dies,ludens coram eo omni tempore,ludens in orbe Terrarum:*Vix tamen operum exordia, cùm ſtatim Moyſes inquit : *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi , & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* Geneſ.c.1.v.2.Ac quidem ſuppono communiorẽ veterum,atque recentiorum opinionem Spiritus vocabulo

Prouerb.8.30.

Geneſ.1.2.



vocabulo tertiã è diuinis Perſonis , Spiritum nẽpè ſanctum intelligentium : Porrò Hieronymum in Quæſtionibus Hebraicis ſequuti Iuniores vulgatim interpretes,aduertêre Hebræam, dictionẽ, pro qua in Latinis editionibus eſt *ferebatur:*ſignificare vitalem quandam elemento Aquarum à Spiritu ſancto vim impreſſam,quâ fœcundabãtur vt ſoboleſcerent in Natatilium & volucrum partus,ad eum morem quo Gallina calore oua fouet , & animat ad vitam pullos : rectè Claudius Marius Victor Carmine in Geneſim:

Hieronym.

Claud. Mar.

*Et ſacer extenſis impendens Spiritus vndis*
*Altrices animabat aquas,dans ſemina rerum.*

*Creationis potiorem gloriam Spiritui S. communicat Verbum per quod omnia facta ſunt.*

Ergo certè Verbũ flumina & vndas creauit; Spiritus ſanctus animã,& quaſi vitam contulit emortuis laticibus:quidnã è duobus præſtantius?Nonne planè vitã dediſſe?ſic & glorioſior Artifex pingendi eſt,qui vltimùm perfecit Tabulam in Naturæ penè inuidiam:quàm qui lineamenta deſcripſit ſolùm:cur igitur Spiritus ſanctus ad Aquarũ tanquam animationẽ vocatus ; & quæ minùs honora pars operis Filio adiudicatur? Deéſtne ſciẽtia aut virtus?omnibus affluit præſidiis:itáne ipſo volente , qui poliret incepta ſuperuenit Spiritus ſanctus?quidem ita:Nam de more Verbi, in grandibus & excelſis factis ad ipſum ſpeciatim pertinentibus,transferenda erat Glorię portio in amiciſſimum Numen, ſcilicet Diuinum flamẽ:ſpectabat autem, vt mundani opificij non ſolùm prima iaceret fundamẽta,ſed vt venuſtaret,conornarétque:ex his alterum officiis cum Spiritu ſancto diuiſurus,an è duobus,quod mage inglorium eſſet, tribuiſſet?abſit ab vrbaniſſimo : conceſſit itaque quod ſplendidius apparebat;vt fœcundaret, animámque & vitam quodammodò infunderet: Ambroſius Hexamer.lib.1.cap.8.*Præmiſſo enim quòd in principio fecit Deus cælum,& Terram,id eſt,in Chriſto fecit Deus,vel Filius Dei Deus fecit : quia omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil:ſupererat plenitudo operationis in Spiritu, ſicut ſcriptũ eſt : Verbo Domini cæli firmati ſunt*(Pſal.32.)*& Spiritu oris eius omnis virtus eorum: ornandò enim polo cæli,germinaturis Terris pulchrè Spiritus ſuperferebatur ; quia per ipſum habebant nouorum partuum ſemina germinare, ſecundum quod dixit Propheta:Emitte Spiritum tuum, & creabuntur;& renouabis faciem Terræ.*

Ambroſ.

Pſalm.32.

44. Atque hoc in rerũ primâ molitione, videamus cùm Redemptionis Typus præmonſtratur in Iſaac: Nam quòd Filij Dei Paſſionem præſignificaret,à Nemine dubitatum:*Tolle*(inquit)*filium tuũ vnigenitum , quem diligis Iſaac , atque offeres eum in Holocauſtum ſuper vnum montium,quem monſtrauero tibi,*Geneſ.c.22.v.2. Quare in Holocauſtum ? cur non alio ſacrificiorum genere ? nempè in Holocauſto res oblata tota comburebatur Deo , & in fumum reſoluta aſcendebat ad illum:igitur Holocauſto ignis cooperabatur : Sed quare non ſine ignibus victimari potuit chariſſimus Iſaac?adumbrabatur ſcilicet Chriſtus paſſurus:abeſſet igitur à tanto opere Spiritus , Amor ille infinitus , qui Patrem mouit , vt pro tranſgreſſoribus gnatum morti traderet acerbiſſimæ?& miratus Dilectionis ſummã Ioãnes exclamat c.3.v.16.*Sic enim Deus dilexit Mundum , vt filium ſuum vnigenitum daret:* Quomodo verò Spiritum ſanctum interfuiſſe putaremus,cùm omnia myſticè adumbrarentur,niſi de ignibus ſciremus ? cerne autem expreſſiùs adhuc:*Tulit quoque*(ait)*ligna Holocauſti,& impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum : ipſe verò portabat in manibus ignem,& gladium:*Quis portabat?Secũdum Hiſtoriam Abraham,per Allegoriam verò Deus Pater Ambroſio adſtipulante lib.1.de Abraham c.8.gladio autem ſignificatur Verbum,nã omni macherâ & ferro penetrabilior ſermo Dei viuus:igne denotatus Spiritus ſanctus:his comitatus antiquus dierum graditũr Pater , à quo omnis Paternitas: Spiritus ſanctus amorem ſuggerit , quo Genitor ſtimulatur,vt & filij necem permittat,talem, quæ ſaturetur opprobriis : filius corpus parat alapis, & verberibus,& clauorum fixuris.

Geneſ. 22 2.

*In Iſaaci ſacrificio Paſſionis figurâ, per Gladium, Verbum ; per ignem Spiritus S. exprimitur.*

Ioan.3.16.

Geneſ.22.6.

Ambroſ.

45. Nihílne tantis Verbi rependat officiis Spiritus ſanctus totus mellifluus & ſuauis? certè ad eũ ſingulariter ſpectabat,vt in quinquageſimo die ſuper Apoſtolos deſcenderet,quos ad prędicandum inflammaret:dilapſus eſt quidẽ, ſed quali normâ? *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuprà ſingulos eorum?* Actor.c.2.v.3.cur non globi in morẽ,aut columnæ ad inſtar, vel ſyderũ tractu?nempè,decens erat cum Verbo partem diſtribuĩ:igitur flamma ad Spiritum ſanctum denotandum:linguæ figura Germanitatis cum Verbo cauſâ:communiora hæc ſunt;meditemur exquiſitum aliquid. Spiritus ſancti opus conceptio Saluatoris in vtero Virginali:*qui conceptus eſt de Spiritu ſancto* ait Symbolũ:nimirũ in æternitate Spiritus ſanctus eſſe habet à filio,nã comprincipium eſt cum Patre ad eum ſpirandum:in tẽporali igitur Generatione retribuit , Patris humani vice puriſſimis ſubſtitutâ modis : Nã Mariti præſtaſſe officium excellenti artificio in B.Virginis præparanda vulua,vt Chriſtum conciperet , noſter loquitur Salmeron tom.3. tract. 8. §. *Dicitur autem,* &c. Quæro tamen cur miſſus ab Olympo Nuncius ad immaculatã Puellam,cuius diligenter explorarit conſenſum?neque diſceſſerit, priuſquàm audierit:*Ecce Ancilla Domini,fiat mihi ſecundũ verbũ tuum.*Luc.c.1.v.38.Sed neque fœcundata ſit,vt ſacrum conciperet pignus,donec ita aſſenſit : Sanè,vt gratia infundatur in animam, quoniã hanc liberè perdidimus,offendendo per culpam, rectè quòd libera diſpoſitio noſtra deſideretur , antequàm reſtituatur : At in conceptione,quòd opus ex neceſſitate eſt,quorſum expoſtuletur?denique nec ab Adamo tale quid expetitum fuit , cùm de extaſim patientis latere formata eſt Eua : At expendamus,quidnam illud fuit,quod à Virgine requirebatur,antequam in eius clauſtrum Spiritus ſanctus dilaberetur:*ſermo* profectò , *Verbum,dictio* Reſponſuræ Miniſtro æthereo : Quoniam igitur OEconomia conceptionis Saluatoris pertinebat ad diuinum Flamen : cogitauit, quemadmodum Verbo adſcriberet quaquâ viâ : cernens autem actionem ad *extrà* inter Perſonas Triados , ipſimet adpropriari, neque ſic in Verbum poſſe conuenienter transferri , conſenſum præire Virginis decernit , vt cùm hunc Spiritus ſancti actio conſequutura ſit,à ſermone atque verbo dependeat, verbôque referatur ſuâ cum ſignificatione : Quo pacto Verbum Mariti geſſiſſe ſimilitudinem ; auriculam,Matris,Auguſtinus feſtiuè pronunciauit ſerm.24.in Appendice,inquiens:*O coniunctio ſine ſordibus facta ! vbi Maritus ſermo eſt , & vxor auricula.* Anteáque ſerm. 22. *Deus per Angelum loquebatur,& Virgo auribus imprægnabatur :* Simili quoque phraſi Zeno Veronenſis ſermone 3. de Natiuitate : *Mariæ ſuperbus emicat venter , non munere coniugali , ſed fide ; verbo , non ſemine* ; ſic igitur, quæ ad Spiritum ſanctum ſpectabat conceptio, locum nacta eſt, quemadmodum Verbo adiudicaretur pariter , iuxtà memoratam interpretationem.

Act.2 3.

*Spiritus S. deſcendit ſuper Apoſtolos in igne , ſed in Linguæ figura,quâ Verbũ ſignificatur.*

Salmeron.

Luc 1.38.

*Qua ratione Verbo quodãmodò adſcribatur ipſa Chriſti Conceptio quam in Virgine operatus eſt Spiritus ſanctus?*

Auguſtin.

Zeno Veron.

VESTIGA

# VESTIGATIO XVII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum decimumſextum Capitis primi Canticorum Cantici Salomonis.

*Textus:* Lectulus noſter floridus: Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra Cypreſſina.
*Cap.* 1. *verſ.* 16.

*Cui tribuenda Verba? an de geniali Thalamo, an de cubiculari lecto? Vtriuſque Deliciæ & ornatus, ex floribus ſingulariter: Domus ſaltus Libani quare nuncupata? Thalamus Genialis in viridario ſtratus: in Hortis Epulæ & confabulationes: Eſtheri fax: ædificiorum ſummitates in Palæſtina quales? Syluæ in domorum faſtigijs: laquearia cuius figuræ? magnificarum ſubſtructionum indicia, quemadmodum & Cedri, cupreſsíque Materia: vtriuſque præcipua Dotes incorruptio & odor: obiter illuſtrati ex Prophetis verſus aliquot: Cedrus an idem quod Citrum? Leuitici expenſa verba: Hieronymi diſcuſſus Textus: citreæ Menſæ quanto veteribus in pretio? ex Africa Aduectæ: Num etiam ex Ophir ad Salomonem? & an Thyina ligna, de quibus Regum tertio?*

### SECTIO VNICA.

1.
*Quis hîc loquatur? Sponſus an Sponſa?*

DVBIÆ quæſtionis, cuinam tribuenda Verba iſthæc, vt rectè à Genebrardo conſideratum, Sponſæne, an Sponſo: nam in vtramque partem fortaſſe declinauerit Textus: fœmineam eſſe omnem orationem vulgata opinio eſt: ſubdiuiſit Origenes homilia 3. ex quatuor; & Sponſæ conceſſit primam de lectulo ſententiam: ad Sponſum, quod de Tignis, & lacunaribus eſt, tranſtulit: ergóne aberrauit ſanè? Annon præcedenti clauſulâ amœbæum inceptum eſt carmen cunctorum iudicio, alterno contendentibus Sponſo & Sponsâ Metro de cuiuſque formæ pulchritudine? Curni, & modò proſequantur, Sponsâ offerente lectum, Marito ædium ſuperba culmina? Nonne quidem muliebris curæ eſt, thalamum adaptare, ſtragulas componere, in floribus verſari? quare muliebris ſermo ille eſt apud Parœmiaſten c.7.verſ.16. *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum Myrrhâ, & Aloë, & cinnamomo; veni, inebriemur vberibus*, &c. Tectorum autem magnificæ ſubſtructiones fœmineam excedunt imbecillitatem, qui & viris melioribus copioſus labor eſt: Verùm ne à communi deflectamus ſemita, Sponſa proloquatur totum, & dicamus laudare illam, & demonſtrare in procinctu eſſe, ſiue quæ ipſamet ornarit cum famulabus, lectum, qualiſcumque ille fuerit, demeſsâ camporum venuſtate, truncatis floribus conornantes: ſiue quæ ad Mariti induſtriam ſpectarint ædium magnifica politura in ſelectiſſimis lignis: ergo, vt à demandata Sponſæ prouincia exordiamur, cuius tandem generis lectulus, quem floridum nominat, an dormitorius lectus? an genialis thalamus? an tricliniare ſtratum, quo ad epulas decumbitur?

Prouerb.7. 16.

*Sponſa hæc ſint verba.*

2.
*Quiſnam hîc Lectulus, an genialis thalamus, an cubicularis lectus?*

Latina L X X. Seniorum tranſlatio cubile pro lectulo expreſſit; cuius vocis etſi lata quædam poſſit eſſe ſignificatio pro Accubitus quacumque regione; tamen ex vſu penetrale denotat, quo, ſomno indulgent Mortales: & in hoc quidem flores, quibus vel ſuffarciuntur culcitræ, vel aſpergitur pauimentum, vel irrorantur ſtragulæ veſtes: Apuleius Metamorph. lib. 10. *Quatuor Eunuchi confeſtim puluillis compluribus ventosè tumentibus plumâ delicatâ terreſtre nobis Cubitum præſternunt: ſed & ſtragulâ veſte, auro, murice Tyrio depictâ probè ſubſternunt.* Tertullianus de Corona Militis: *Iam verò & in ſinum conde, ſi tanta munditia eſt: in lectulum ſparge, ſi tanta mollitia eſt; in poculum crede, ſi tanta innocentia eſt.* Seneca epiſtola 36. *Nemo diſcit, vt ſi neceſſe fuerit, æquo animo in roſa iaceat; ſed in hoc duratur, vt tormentis non ſubmittat fidem.* Mallem tamen de geniali ſubintellexiſſe Thalamo, nam cubicularis lectus in nocturnam deſeruiens quietem placido ſtrato communis eſt omnibus hominibus: hoc autem loco peculiare innotatum aliquid operæpretium eſt, concedamus: Quid autem nuptiali venuſtius in ſpectaculo, genialis Thalami gloriâ, cuius in ornatum congeritur quod ſpecioſum, & peregrinum eſt vniuerſum: Lucanus lib. 2. Pharſ. agens de nuptiis Martiæ:

Apuleius.

Tertullian.

Seneca.



*Thalami genialis ornatus & gloria.*
Arnob.

*——gradibúſque accliuis eburnis*
*Stat torus, & picto veſtes diſcriminat auro.*

Arnobius libro 2. contra Gentes, quòd veteres mores negligerent, arguens: *Numquid enim, cùm in Matrimonia conuenitis, togâ ſternitis lectulos, & Maritorum Genios aduocatis?* Togâ vtpote ſternebant, quòd hac veſte foràs ad pompam progrederentur, quæ proinde ſtamine, & arte ſpectabilis: conferebant autem in Genialem thalamum, quod illuſtrius eſſet: ac ſanè in meditullio locatum, vt omnes intueri poſſint, innuit Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidos:

Catull.

*Puluinar verò Diuæ geniale locatur*
*Sedibus in medijs, Indo quod dente politum*
*Tincta tegit roſeo conchilis Purpura fuco,*
*Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris*
*Heroum mirâ virtutes indicat arte.*

Ac de genialis lecti ſplendore quodam eximio, multíſque diuitiis nos ſuperiùs Veſtigatione 6. numero 13. cæterùm, quemadmodum Romani inter ædium præclariſſima ornamenta, ſimul cum atriorum imaginibus, reponebant Domorum in ingreſſu genialem thalamum in memoriam pompæ Connubialis, diſce à Lipſio libro 1. Electorum, cap. 17. & Radero in Martialem libro 12. Epigrammate 54.

Lipſius.
Rader.

3.
*In Geniali Thalamo flores acu picti.*
Apuleius.

Verùm, quamobrem lectulum nuncupat floridum? Vel quidem ob pictas acu, Textrinâve florum amœnas figuras: Apuleius fabular. libro 10. ſub finem: *Et iam torus genialis ſcilicet noſter futurus, accuratiſſimè diſternebatur lectus, Indicâ Teſtudine pellucidus, plumeâ congerie tumidus, veſte ſericâ floridus.* De Periſtromatis, quibus Regia adornabatur Salomonis, Ioſephus lib. 8. Antiq. cap. 2. *Et tribus quidem ordinibus aulæis Babylonicis prætexebantur: quartus verò ſculptorum admirabile artificium oſtentabat; in quo effictæ erant variæ Arborum, ac Plantarum ſpecies frondibus, ac folijs tantâ ſubtilitate expreſſis, vt agitari quodammodò viderentur.* Vel ob cælatam Prati repræſentationem, nemorúmque & ſyluarum imitationes ſiue in Lectorum fulcris, ſeu in columnis, & Tabulato vniuerſo: tanti ingenij Naturam per Artes æmulantis Nyſſenus meminit Gregorius homilia 3. in Eccleſiaſten: *Quomodo autem narrari poſſent Tectorum opera ſuperuacanea, in quibus ligna, quæ fiunt ex Cedris, Artis ſubtilitate ita rurſus conuertuntur, vt putentur Arbores ex cælaturis, ramos, folia, & fructus producentes.* Equidem de domo ſaltus Libani, quam ædificaſſe Salomon recenſetur, Reg. 3. cap. 7. verſ. 2. nominis rationem perſcrutatus Theodoretus quæſtione 24. dictam autumat ob columnas cedrinas, quæ cedros ipſas imitabantur, cui Procopius adhæreſcit; Quod ego interpretari auſim, ob exſculptam in columnis, Montis viuam quandam ideam effigiatâ ipsâ Cedrorum altitudine, & ligno immarceſſibilis iuuentæ, nam aliàs in cætera tota etiam Baſilica Regiæ Habitationis, de cedro trabes, & fulcra Tectorum, adſtipulatur Adrichomius in Ieruſalem numero 42. cogitet tamen Lector, num magis floridus appelletur lectus, quòd in ipſorum florum ſinu ſterneretur, ſcilicet in media Hortorum area; qualem in ſuſpicionem Iuuenalis ducit Carmen, Satyra 10. de Meſſalina quidem:

Ioſeph.

Gregor. Nyſſen.

3. Reg. 7. 2.
Theodoret.

*Domus Saltus Libani, cur ſic dicta?*

*Num lectulus floridus quod in Horto ipſo florido ſtratus?*

Iuuenal.

*————dudùm ſedet illa parato*
*Flammeolo, Tyriúſque palàm genialis in Hortis*
*Sternitur, & ritu decies centena dabuntur.*

Ambroſ.

Legunt verò Græcorum Patres multi: *Lectulus noſter vmbroſus*, & Ambroſ. Octon. 4. in verſum 4. Pſalm. 118. *Acclinatio noſtra opaca*: Nam cùm epulandum eſſet ſub meridie, vt indicatum in præcedentibus verſ. 6. *Vbi paſcas, vbi cubes in meridie?* eò quòd verna adoleſceret Tempeſtas, ſub qua anni periodo Nuptiæ: ne Solis intolerabile fuiſſet iubar, quæſita eſt ſedes denſis & proceris circumſepta frondibus: Quare vulgatus Interpres rectè *floridus*, hoc eſt, viridis, ita enim Hebræa docent, nam vox deducta à Radice רען *Raan*, idem ac vireſcere: vireſcunt autem imprimis ante ætatem Arborum folia: cùm autem denſa & ſubuecta eſſet circumiacens ſylua, quam concedebat vmbram L X X. expreſſerunt: nec ab his differt altera verſio inquiens: *ad cubile noſtrum vmbroſus*, ſubaudiendus, Trames, nimirum ducens ad Genialem thalamum: Hoc enim mallem potiùs, quàm vt ſubintelligatur Sponſus, qui vmbroſus vocetur ob coronam è frondibus, quam vertice portabat: nam licet de nuptiali vſu coronæ geſtatio, ſed in alias quadrare Tranſlationes ſenſus nequeat.

*Variæ lectiones.*

L X X.

4.
*Cur in medio Viridario nuptialis thalamus?*

Quorſum autem in Viridario ſternatur Thalamus? Equidem coram geniali Thalamo Acroamata, & laudes Nubentium, & Conuiuiorum apparatus: cùm autem verna regnaret Temperies, multò iucundior in pratis feſtiua Hilaritas, quam ſub culminibus & Tecto, quanquam in teſſellato pauimento, & incruſtatâ parietum varietate, & conuexis ab auri, argentíque Bracteâ tremulâ ſplendentibus: Quare potentiſſimus Aſſuerus, quanquàm in vaſtiſſima Palatij amplitudine plurimas numeraret aulas, quarum incomparabilis elegantiæ decor, maluit ſub aprico ad ſympoſium inuitare, *in veſtibulo nempe Horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu conſitum erat.* Eſth. cap. 1. verſ. 5. Horatius frequentiſſimè de Ruris compotatione lib. 2. Carm. Od. 3.

Eſth. 1. 5.

Horat.

*Seu te in remoto gramine per dies*
*Feſtos reclinatum bearis*
*Interiore nota Falerni:*
*Quà Pinus ingens, albáque Populus*
*Vmbram Hoſpitalem conſociare amant.*

Similia lib. 1. Od. 38. libro eodem ſecundo, Od. 7. iterúmque Metro vndecimo.

Idem.

*Cur non ſub alta vel Platano, vel hac*
*Pinu iacentes ſic temerè, & Roſa*
*Canos odorati capillos*
*Dum licet, Aſſyrióque Nardo*
*Potamus vncti?*

Hanc ſanè ob cauſam in Nemore conſtructam à Salomone, & inter omnem Telluris pulchritudinem, inter canoros auium ſtrepitus, & properantium cum ſonitu lympharum curſus, Domum ſaltus Libani, de qua numero elapſo ſuggeſſimus, noſter commonſtrat Pineda in Eccleſiaſten in verſum 4. capitis 2. numero 5. De his ad Triclinium Romanum Ciacconi in Appendice Fuluius Vrſinus.

Pineda.

Ful. Vrſin.

5.
*Cur hîc de laquearibus ſermo?*

At ſi in Horto, intérque Ruris amœnitates genialis pompa, quiſnam de laquearibus ſermo, déque Tectis ex pretioſæ ſyluæ Materia? Equidem Hieronymo Aſſertore epiſtola 135. ad Sunniam & Fretellam: *In Palæſtina, & Ægypto, vel vbi ſcripti diuini libri, vel interpretati; non habent Tectis culmina, ſed Domata, quæ Romæ vel ſolaria, vel Mæoniana vocant, quæ tranſuerſis trabibus ſuſtentantur: Denique & in Actis Apoſtolorum* (c. 10.) *Petrus quando aſcendit in Doma, in Tectum ædificij aſcendiſſe credendus eſt: & quando Deuteronomij c. 22. vt faciamus Domati noſtro Coronam; hoc præcipitur,* vt

Hieronym.

*Quales in Palæſtina domorum ſummitates.*

*vt in tecto faciamus per circuitum quaſdam eminen-*
*tias, ne facilis in præceps lapſus ſit*: in his quidem
Amicorum Voluptates diebus ſeruili opere, tu-
multûque exemptis, inde conciones ad popu-
lum, ſacrificia prauis oblata Numinibus, ſpecta-
cula, & ludorum genera: vide, quibus iſta pro-
Maldonat. bentur Scripturarum fontes apud Maldonatum
ad verſum 5. cap.4. Matthæi, & in verſum 38.
Serar. cap.48. Ieremiæ, Serarium ad cap. 2. Ioſue quæ-
ſtione 10. & quidem eam ædificiorum normam
Beda. fusè deſcribit Beda quæſtione 13. in libros Re-
Eucher. gum: agnoſcunt in librum 3. Regum Eucherius,
Angelom. & Angelomus: ſubinnuit Explanatione in Eze-
chielem Richardus de Sancto Victore capite 17.
Richard. Victor. clarè teſtantur Nicolaus de Lyra ad cap. 1. Re-
Lyra. gum 4. Abulenſis quæſtione 113. in cap. 10. Mat-
thæi: longum eſſet Recentiores numerare: præ-
ter Scripturæ Interpretes, apud quos vulgaria
Nebriſſenſ. iſta, Nebriſſenſis in Quinquagena cap. 28. verbo
Adrichom. Mœnianum, Adrichomius in Ieruſalem, num. 42.
ac quidem huiuſmodi ſeu deambulacra, ſeu Te-
ctorum Pinnacula interdum ampliſſimi ſpatij,
quæ ſcilicet ad tria millia Hominum caperent;
Iudic. 16. nam referuntur Iudic. cap. 16. verſ. 27. de Tecto ac
ſolario circiter tria millia vtriuſque ſexus ſpe-
ctantium ludentem Samſonem.

6. Iam & in veterum luxu Nemorum atque ſyl-
*Nemora in ædificiorum tectis.* uarum affectatio in domorum faſtigiis: Seneca
Seneca. epiſtola 122. *Non viuunt contra naturam, qui Po-*
*maria in ſummis Turribus ſerunt, quorum ſyluæ in*
*tectis domorum, ac faſtigijs nutant, inde ortis Radici-*
*bus, quò improbè cacumina egiſſent?* necnon Tragœ-
dus in Thyeſte, Actu 3.

Senec. Tragœd.
—— *nulla culminibus meis*
*Impoſita nutat ſylua.*

Audiamus, quod plus miraculi, & ſtuporis affe-
rat, quod de Hieronis Syracuſarum Regis Naui
Athenæus. recenſet Athenæus Dipnoſoph. lib. 5. *In aditu*
*ſupremo* (inquit) *Gymnaſium fuit, & Ambulationes*
*ea conſtitutione, quæ Nauis magnitudini congrueret:*
*in his horti omnibus plantis ad miraculum vſque con-*
*ſiti, quibus lateritio, plumbeôve canali Aqua per am-*
*bitum ſuppeditabatur: præterea ex alba Hedera, &*
*vitibus Attegiæ, & Tricbilæ, quarũ ſtirpium radices in*
*dolijs terrâ plenis alebantur Hortorum modo ri-*
*gatis: ſubiectas ambulationes Attegiæ inumbrabant:*
Sed de ædificiorum arboribus Tibullus libro 3.
Elegia 3.

Tibull.
*Quidve domus prodeſt Phrygijs innixa columnis*
*Tænare ſiue tuis, ſiue Cariſte tuis*
*Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos*
*Auratáſque trabes, marmoreúmque ſolum.*

Num verò apud Hebræos huius figuræ aliquid?
Soliti illi nonnunquàm circumiacentium natio-
num mores imitari, Aſſyriorum ſpeciatim: No-
tum verò eſt, apud Babylonem penſilia extitiſſe
Viridaria Græcorum ad fabulationem vſque
Curtius. decantata Metris, vt Curtius memorat lib. 5.
Exordio: Sanè inter Salomonis delicias re-
gio in ædificio, Aulas, quæ ad iucundita-
Ioſeph. tem in æthera ſuſtollebantur Ioſephus enu-
merat libro 8. Antiq. cap. 2. Quis autem cre-
dat, quando in Palæſtina Solis tantus æſtus,
qui Triticeam ſegetem maturet antè exitum
Aprilis, vt docui Volumine 1. Anteloq. 5. nu-
mero 52. in patentiſſima Domatum area ver-
ſantes Iudæos, non aliquid, quò Solis auerte-
rent iubar adhibuiſſe? Quando & in theatris
ad hoc ſuperinducta tegmina & vela, de qui-
Lipſius. bus Lipſius de Amphitheatro cap. 17. & quid au-
tem optatius denſis arborum cacuminibus, &
florum aſpectu, mediâque penè in Olympi Re-
gione excreſcentibus plantis?

Si cui igitur hæc talia eſſe videbuntur, quæ 7.
veri ſpecie non indigna reputet; arbitretur qui- *Num in ædificij Domate Thalamus nuptialis, & quare floridus?*
dem in ſolario & Domate, vtpote ad Hilarita-
tem & Conuentus deſtinato loco, thalamum
compoſitum genialem, qui propterea, quòd &
floribus & odoratis Plantarum generibus, & ar-
borum meliori ſtirpe, circumuallatus, meritò &
floridus nominetur, & in Hortis eſſe cenſeatur,
& vmbrâ communitus: Sed idem quoque propè
tigna & laquearia: didicimus enim numero
quinto ex Hieronymo, trabibus quibuſdam ſuf- Hieronym.
fulcitam molem, ídque facilè vnuſquiſque ca-
piet: Has igitur contignationes ex Cedro fuiſſe
Sponſus ſuggerit: Aduertit & Sanctus Doctor
ex Deuteronomij cap. 22. verſ. 8. quod libenter *Quæ hic laquearia?*
concedunt de hac ædificiorum norma tractan-
tes, circumſeptum in gyro ambitum Peribolo &
Loricâ, quæ ab aliis corona nuncupatur, à qui-
buſdam murus, à nonnullis cancellus, quem ef-
fractum autumant, vbi Reg. 4. cap. 1. verſ. 2. *Ce-* 4 Reg. 1. 2.
*ciditque Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, quod*
*habebat in Samaria, & ægrotauit*: Siue igitur la-
quearia dicantur cum Nyſſeno Gregorio homi-
lia 4. in Cantica; *concinna quædam Tabulatorum*
*affixio, quæ variè Tecti venuſtatem ornent*: Siue,
quod Seruius Grammaticus innuit, in illud Vir-
gilianum ex 1. Æneid. *Pendent lychni laqueari-*
*bus aureis.* ab imagine lacuum, & ideo lacu-
naria vocata etiam: ſiue quòd laqueorum in
modum Mæandris implicantur, vt Zerdæ pla- Cerda.
cuit Aduerſariorum cap. 83. numero 7. Nihil
iſtorum repugnet effingi potuiſſe ad elegantiam,
in ſepto, quo propugnata eſt deambulatio à la-
pſibus: aptiùs intelligeremus, ſi modò ſtatui poſ-
ſit id quod apud nos contingit in Europæ parti-
bus: neque enim recreationibus aſſignata do-
morum in faſtigiis Deambulacra omninò ſub-
dialia ſunt, ſed teſtudine & camerâ in altum
ſuberectâ imbres, & niuem, grandinéſque arcent:
in eo autem fornice & contignationes ſunt, mo-
dicéque prominentia dolata ligna; & paſſim
non ſolùm laquearia cernuntur, ſed alia va-
ria cælaturæ anaglypha, arte in pretioſiori
quaqua materia effundente optimum ingenij
conatum.

His ſe verſibus Sponſus prodit de Optimatum 8.
numero fuiſſe, neque enim vel opus ædificij, *Hinc Sponſũ ex Optimatibus fuiſſe arguitur.*
quod laquearibus conſtaret, vel materia fabri-
carum, ex Cedro videlicet, & cupreſſo, patitur
vulgare & plebeium concipiamus: adſcribitur
vtrumque inſignibus Reipublicæ Membris: Se-
neca epiſtola 90. *Non enim Tecta cœnationum epu-* Seneca.
*las receptura: nec in hunc vſum Pinus, aut Abies de-*
*ferebatur longo vehiculorum ordine, vicis intrementi-*
*bus; vt ex illa lacunaria auro grauia penderent.* Et *Laquearia, vt & Cedrus & Cupreſſus, nonniſi in magnificis fabricis.*
epiſtola 114. *Deinde in ipſas domos impenditur cura,*
*vt in laxitatem ruris excurrant, vt parietes aduectis*
*trans maria marmoribus fulgeant, vt tecta varientur*
*auro, vt lacunaribus pauimentorum reſpondeat nitor.*
Athenæus libro 5. de Naui, quam Ptolomæus
Philopator extruxerat, inter alias laudes ſcribit,
*maximam partem, è cedro ſiſſili materiatam, cupreſſô-* Athenæus.
*que Mileſiâ.* Plutarchus in Artaxerxe, cùm Bru-
ma rigeret, & ſyluestria nulla eſſent ligna in fo-
cos, cultas Hortorum arbores à militibus exci-
ſas: *ita, vt ne Piceâ* (inquit) *& cupreſſo abſtinerent.* Plutarch.
Hieronymus epiſtola 17. ad Marcellam: *Vbi* (ait) Hieronym.
*ſunt latæ Porticus? vbi aurata laquearia? vbi domus*
*miſerorum pœnis, & damnatorum laboribus veſtitæ:*
Quare



Quare in Martyrum Templis, vbi expolita re-
nitere omnia decebat, ex ornamentis laquearia,
vt canit Prudentius in Paſſione Hippolyti Mar-
tyris:

Prudent. *Laquearia in Martyrum templis.*
*Stat ſed iuxtà aliud, quod tanta frequentia Templũ*
*Tunc adeat, cultu nobile magnifico.*
*Ordo columnarum geminus laquearia Tecti*
*Suſtinet auratis ſuppoſitus trabibus.*

Quamobrem diuinè propheticum oraculũ, quod
ſqualidam & inhonoram ſinerent eſſe Religioni
dicatam manſionem, Homines increpat, cùm
apud ipſos ædificiorum ſplendor eſſet exquiſitæ
Agg. 1. 4. venuſtatis: *Numquid tempus vobis eſt*, (Aggæi cap. 1.
verſ. 4.) *vt habitetis in domibus laqueatis, & domus*
Chald. *iſta deſerta?* Chaldæus ibi: *Siccine decet vos, vt habi-*
*tetis in domibus, quæ tectæ ſunt in tabulatis cedrinis,*
*cùm hæc ædes ſanctuarij deſtructa ſit?* Apud Ieremiam
Ierem. 22. 4. & minæ ſunt (cap. 22. verſ. 14.) *Væ qui dicit: ædifi-*
*ficabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui*
*aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pin-*
*gitque ſinopide.* Piè igitur Dauid Sanctus ad Na-
2. Reg. 7. 2. than, Reg. 2. cap. 7. verſ. 2. *Vidéſne, quòd ego habi-*
*tem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio*
*pellium?*

9. Quamobrem verò laudatæ in ædificiis tanto-
perè Arbores iſtæ, Vitruuius docet lib. 2. cap. 11.
Vitruuius. *Cur Cedrus & Cupreſſus in ædificijs commendatæ?* *Non minùs admirandum eſt de cupreſſo, & Pinu, quod*
*eæ habentes Humoris abundantiam, æquamque cætero-*
*rum mixtionem, propter Humoris ſatietatem in ope-*
*ribus ſoleant eſſe pandæ, ſed in vetuſtatem ſine vitijs*
*conſeruantur, quod is liquor, qui ineſt penitus in corpo-*
*ribus eorum, habeat amarum ſaporem, qui propter*
*acritudinem non patitur penetrare cariem, neque eas*
*Beſtiolas, quæ ſunt nocentes, ideóque quæ ex his ge-*
*neribus opera conſtituuntur permanent ad æternam*
*diuturnitatem: Item Cedrus, & Iuniperus eaſdem ha-*
*bent virtutes, & vtilitates: Sed quemadmodum ex*
*cupreſſo, & Pinu Reſina, ſic ex Cedro oleum, quod Ce-*
*dreum dicitur, naſcitur, quo reliquæ res vnctæ (vti*
*etiam & libri) à tineis, & à carie non læduntur. Epheſi*
*Cedrus & Cupreſſus incorruptibiles & odoratæ.* *in æde ſimulachrum Dianæ, & etiam lacunaria ex ea:*
*& ibi & in cæteris nobilibus fanis propter æternita-*
*tem ſunt facta.* Itaque ob æuum longinquum ad
excelſiores quaſque fabricas meritò eliguntur:
Plin. idem ex Plinio encomium libro 17. cap. 40. & 42.
Sed audiendus imprimis Ambroſius, quoniam
& verſiculo huic Salomonicæ Muſæ aptat li-
Ambroſ. bro 3. Hexamer. cap. 13. *Cedrus* (inquit) *ſuſpen-*
*dendis Tectorum apta culminibus, eò quòd huiuſmo-*
*di Materies & procera ſit ſpatijs, nec oneroſa parie-*
*tibus: lacunaribus quoque, comendíſque faſtigiis ha-*
*bilis eſt Cupreſſus: vnde & Eccleſia dicit in Canti-*
*cis: Trabes domorum noſtrarum Cedri, lacuna-*
*ria noſtra cupreſſi: in his eſſe declarans decora*
*ſui ornamenta faſtigij, quæ quaſi Trabes verticem*
*Eccleſiæ ſuâ virtute ſuſtineant, & faſtigium eius*
*exornent.* Incorruptioni proxima eſt altera Dos
pretij & Honoris, ſcilicet odoratum eſſe vtrum-
que lignum: Cedri quidem odore fugari noxia
ex Reptilibus, Georgic. 3. Virgilius monet,
Beda. quod Bedam ad hunc non latuit verſum, nam &
Carmina profert:

Virgil.
*Diſce & odoratam ſtabulis accendere Cedrum*
*Galbaneôque agitare graues nidore chelydros.*

Idem & in fabula Circæa Æneid. 7. memorat ac-
cenſam odoratam Cedrum in nocturna lumina
Homerum ſequutus, qui de eadem Circe Odyſ-
ſeæ quinto pangit:

Homer.
——— τηλόσε δ' ὀδμὴ
Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει.

*Ex longinquo odorem Cedri, & incenſæ Thyæ iuxtà*
*Sherlogi in Cant. Canticor. Tom. II.*
*inſulam olebant.* In Cypreſſo fragrantiam agno-
ſcunt Origenes hom. 3. ex quatuor: Theodore- Origen.
tus hîc: de vtriſque Hiſtoria Generalis Plantarum Theodoret.
tom. 1. lib. 1. cap. 11. 15. & 16. Rembertus Dodo- Dodonæus.
næus ſtirpium Hiſtoriæ Pemptadis ſextæ libro 5.
c. 7. & 17. quare Sapientiam eis, videlicet nobiliſ-
ſimis Arboribus Siracides comparat Eccleſiaſtici
c. 24. v. 17. inquiens: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in* Eccli. 24. 17
*Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion*: ex quibus
liquet Palæſtinam hoc Arborum genere com-
mendari: Ezechielis etiam Vaticinatio in pul-
cherrimæ Nauis delineatione c. 27. v. 5. *Cedrum de* Ezechiel. 27. 5.
*Libano tulerunt vt facerent tibi malum.*

Equidem Hieronymus in verſum 16. cap. 14. 10.
Zachariæ, *Et omnes, qui reliqui fuerint*, &c. cum Hieronym.
occaſione celebritatis Tabernaculorum, cuius fe-
ſti ibi meminit Vates, exponenda aſſumeret ea de
ſollennitate verba, cap. 23. Leuitici verſ. 40. *Su-* Leuit. 23. 40.
*metíſque vobis die primo fructus arboris pulcherri-* *Num Cedrus hîc ſit idem quod Citrũ?*
*mæ, ſpatuláſque palmarum*, &c. Viſus ſanè Ar-
boris pulcherrimæ nomen ad Cedrum trans-
ferre: ſententia nihilominus vulgata eò lo-
ci citrinum intelligit lignum, cuius pomum vo-
catur Medicum & Perſicum: anne igitur in Tex-
tum facilè mendum irrepſit, vt citreum ſcri-
berent Cedrum Librarij? Nam & caſtigato-
res Pliniani Textus ad lib. 13. cap. 15. vbi in-
quit: *Confines ei Mauri, quibus plurima arbor* Plin.
*Cedri, & Menſarum inſania, quas fœminæ viris*
*contra Margaritas regerunt*; legendum putant:
*quibus plurima arbor Citri*: Quicquid verò de
Plinij genuina lectione, quem de citro loquu-
tum eſſe capitis inſcriptio, & continuata ſeries
fortaſſe magis ſuadeat, quorſum Hieronymi vi-
tiatam eſſe dictionem, neceſſum ſit affirmare?
Nam Cedros Libani viſu pulchras admodum te-
ſtatur Abulenſis quæſtione 13. ad cap. 10. libro 3. Toſtat.
Regum: & noſter Sanctius ad cap. 31. Ezechielis Sanchez.
num. 3. oſtendit ex Biblicis Prouerbiis eſſe, vt
Cedrus pro re ſpecioſa vſurpetur: quin & fru-
ctibus venuſtam, quibus ſapor dulcis, color citri-
nus idem nuper memoratus pronunciat Epiſco-
pus: Citrones appellat, & grandes ad humani ca-
pitis magnitudinẽ Iacobus affirmat de Voragine
Oriẽt. Hiſtoriæ c. 86. quare ab antiquis Scripto-
ribus promiſcuè vſurpatas ſæpiùs voces Citri &
Cedri noſter commonſtrat Lælius Biſciola ſub- Biſciola.
ceſiuarum Horarum Tom. 1. lib. 10. c. 13. nec qui-
dem niſi in ſingularem aliquam arborem quadrat
illa tanta fragrantia, qualem Cedro Marcus ad-
ſcribit Tullius: delicatum enim pingens, cui ſuf-
fitus in voluptate, ait Tuſcul. 3. *collocemus in culci-* Cicero.
*tra plumea, Pſaltriam aduocemus, Cedrum incendamus:*
Quare apertè quidem Ioan. Goropius Becanus in Goropius.
Vertumno definit ſtatuens Citriam arborem Ce-
drum fœminam eſſe, & ex ſpeciebus Cedri pro-
priè vnam.

Quem autẽ in ſcopũ iſta à nobis recenſeantur? 11.
Sanè, quod citrei ligni ob nodos & maculas exi-
mius eſſet honos, pretium inſigne: Tertull. lib. de
Pallio c. 5. *Nullis vitijs adulor, nullis veternis parco,* Tertullian.
*adigo cauterem ambitioni, quâ M. Tullius quingentis* *Citrina Mẽſa quanto in pretio?*
*millibus nummûm orbem Citri emit; quâ bis tantùm*
*Aſinius Gallus pro menſa eiuſdem Mauritaniæ nume-*
*rat: Hem, quantis facultatibus æſtimauêre ligneas ma-*
*culas.* Seneca lib. 7. de Beneficiis cap. 9. *Video iſthic*
*menſas & æſtimatum lignum Senatoris cenſu, eò pretio-* Seneca.
*ſius, quò illud in plures nodos Arboris infelicitas tor-*
*ſit.* Idem de Tranquillitate Animi, capite 1.
*Placet Miniſter incultus & rudis vernula, argentum*
*graue Ruſtici Patris ſine vllo opere, & nomine*

*Artificis:& Menſa non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium Dominorum ſucceſſiones Ciuitati nota; ſed in vſum poſita, quæ nullius Conuiuæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat inuidiâ.* Ergo ſi concipiamus Cedrum, de qua contignationes ædium Sponſi huius tantæ fuiſſe gratiæ, quātus inde ſplendor? quanta opum æſtimatio, cùm quod ditiſſimi vix in Menſam adhibuerint, ille Tectorum fulcra iuſſerit eſſe? quales à macularum diſcriminibus illecebræ, à venarum tranſcurrentium diuerſitate? Profectò hanc Cedri naturam eandem cum Arbore, quę Thya nominatur, quam plurimùm Plinius commendat ob materiæ præſtantiam, propterque odorem: *cuius Radice* (ait lib.13.c.16.) *nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera*, citatus Goropius Becanus adſtruit: Rouillius etiam Hiſtoriæ Generalis Plantarum tom.1.lib.1. c.16. Quod eſſe lignum, quod Thyinum appellatur, Reg.3.c.10.v.12. Ophirinâ nauigatione delatum ad Salomonem, è quo fulcra domus Domini, & domus regiæ, & citharæ, lyræque cantoribus, ſubinnuere videatur Salianus tom. 3, Annal. anno Mundi 3033.n.22, Pineda lib.3.de rebus Salomonis c.18.§.2.n.3. ligna Thyina non abſimilia fuiſſe aſſerit piceis Libani Arboribus, in quibus Cedri eminebant.

*Quanta à Cedro Sponſi magnificētia.* — *Ligna Thyina quæ?* — Plin. — Rouill. — Salian. — Pineda.

12\. *Menſæ ex Cedro ſeu Citro ex Africa aduectæ.* — Martial.

Notum eſt ex Cedro, Citrôve lautiſſimas Menſas, de quibus loquuti ſumus ab Africa deportatas, ſuggerebat imprimis Mauritania, ideò apud Martialem lib.12.Epigram.54.

*Gemmantes primâ fulgent Teſtudine lecti,*
*Et Maurusiaci pondera rara citri.*

Vocat & in Apophoretis, Diſticho 79. *Atlantica munera*, quod in Mauritania Atlas ferret mons: Plinius lib.13.c.15. *Anchorarius Mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatiſſimam dedit Cedrum, iam exhauſtus Menſis, præcipuè Dos in venarum criſpis:* Petronius arbiter in Satyrico:

*———ecce Afris eruta terris*
*Citrea Menſa, greges ſeruorum, oſtrûmque renidens*
*Ponitur, ac maculis imitatur triſtibus aurum*
*Quod cenſum trahat.*

Plin. — Petron.

*Nū ex Ophir Cedrina Citrina, ſeu Thyina ligna Salomonis allata?*

Num igitur Salomonica claſſis, dum ex Indis ſoluit Orientalibus (ibi ſcilicet Tharſis & Ophir) & ſiue neceſſitate quadam commodioris Nauigationis, ſeu & variarum Prouinciarum diuitias adlegeret curioſi Imperatoris in gratiam, Arabiæ, Africæque percurrens littora ex Numidis aduexerit citreum lignum, quod Thyinum cenſeatur? At ſi inter domeſticas gazas Cedrus abundantiſſimè: nam 2.Paral.c.1.v.15. *Præbuitque Rex argentum, & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & Cedros quaſi Sycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magnâ;* quorſum longæ Nauigationis periculis quæſit? Reſponderi valeat, diuerſam fuiſſe Cedrum ab ea, quam Libanus produceret, ſeu ob alios in maculis colores, ſiue ob fragrantiæ alium modum, nam peregrinam fuiſſe arborem conſtat ex Reg.3.c.10,v.12. *Non ſunt allata* (inquit) *huiuſmodi ligna thyina, neque viſa vſque in præſentem diem. Aſpectu ficulneam Materiam retuliſſe* (ſcribit Ioſephus lib.8.Antiq.c.2.n.7.) *niſi quòd candidiora eſſent, & fulgentiora.* De cupreſſo animaduertendum, cum בְּרוֹתִים *Berothim* Interpres Cypreſſina verterit à *Beroth*, fortaſſe non ad communem Arborē reſpexiſſe, cùm hanc odore violentam eſſe memoret Plinius lib.17.c.33. Sed aliud ſignificaſſe cupreſſi nobilius lignum, cuius etiam Latina appellatio aliquam Hebræâ cum voce ſimilitudinē referat, *Bruta* namque dicitur, de qua allegatus Plinius lib.12.c.17. *Petunt igitur in Helinæos arborem Brutam cupreſſo fuſæ ſimilem, exalbidis ramis, iucundi odoris accenſam, & cum miraculo hiſtorijs Claudij Cæſaris prædicatam: Odore eſſe proximam Cedro addit:* atque huius coniecturæ nobis Rimator fuit Pineda de Rebus Salomonis lib.5.c.5.§.14.n.80. cæterùm Rembertus Dodonæus Hiſtoriæ ſtirpiū Pemptadis ſextæ lib.5.c.8. Thyam, de qua ſuprà locuti ſumus, & quam laudauimus ab odoris gratia, à Materiæ elegantia ob criſpas radices, docet ex Theophraſto in cupreſſi referendam Nemus, quòd ſimilis adeò ſit, vt Ramis, caudice, folijs, & fructu ipſam referat: Quæ ſi vera, non minor quidem æſtimatio cupreſſi, quàm cedrorum: Goropius tamen Becanus in Vertumno mauult Thuinum Theophraſti Cedrolaten maſculam eſſe; quia minùs habet Reſinæ, & plus nodorum.

2\.Paralip. 1.15. — 3.Reg.10.12. — Ioſeph. — *Ligna Cupreſſina quæ?* — Plin. — Pineda. — Dodonæus. — Gorop.

13\. Lectulus noſter, *dicit Sponſa quòd Coniugum bona ſint communia.*

*Lectulus noſter*, ait Sponſa; (nam illius eſſe verba ex communi Auctorum iudicio ſtatuimus:) *Tigna domorum noſtrarum*, &c. Sed vnde Sponſæ quoquo modo? Nonne ex Mariti crumena totum? Virgo enim quid habebat? Nata ex Pauperibus, quorum nec tempore creuit ſupellex: quamobrem igitur ſibi adſcribit, quod ad Sponſum pertineat ſolum Poſſeſſorem, & diuitem? Sanè, quia Sponſa eſt, & iure Matrimonij, quæ peculiaria erant viro, communia facta ſunt ambobus: Columella Præfatione ad librum duodecimum de Re Ruſtica; *Nihil conſpiciebatur in domo diuiduum, nihil quod aut Maritus, aut fœmina proprium eſſe iuris ſui diceret, ſed in commune conſpirabatur ab vtroque, vt cum forenſibus negotijs Matronalis ſedulitas induſtriæ rationem parem faceret.* Noſtra etiam dicimus, quæ dono quamuis, & liberalitate alienâ accepimus ſic vt quamuis beneficio Sponſi locupletata fuerit Puella: ſua tamen dixerit generali vocabulo: ita & in Dominicis precibus: *Panem noſtrum quotidianum* appellamus cùm tamen ab alio concedi expoſtulemus, quo de Scripturæ vſu Cantapretenſis aduertit lib.6. Hypotypoſ.cap.2, denique, quid amore Sponſi, atque Sponſæ coniunctius? quid illo arctius? At ſub fideli Amoris vinculo omnia communia ſunt: quare Bernardus ad hunc locum Sermone 46. in Cantica: *Nam, quod ait*, Noſter, *&* Noſtrarum, *non vſurpationis eſt ſignum, ſed Dilectionis, quod nimiæ videlicet fiducia charitatis, nihil eius, quem valdè diligit, à ſe æſtimet alienum: Nec enim ſe Sponſi contubernio, aut quietis eius putat arcendam conſortio, quæ ſemper non quæ ſua ſunt, ſed quæ illius ſunt quærere conſueuit: & hæc cauſa, cur ſibi, & Sponſo ſimul, ſiue lectulum, ſiue domos auſa ſit pronunciare communes: Dixit enim, lectulus noſter, & tigna domorum noſtrarum, & laquearia noſtra; audacter ſe in poſſeſſionem aſſocians, cui iunctam non dubitat in Amore.*

Columell. — *Noſtra dicimus quæ ab alijs dono accipimus.* — Cantapret. — Bernard.

Explanatio



# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

## *Textus:* Lectulus noſter floridus: Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. *Cap.1. verſ.16.*

*Chriſti Caro licet diu iaceret in ſepulchro, non corrumperetur vnquam: Veteres, quamobrem Cadauera defunctorum condirent? Quanta in funeribus priſca Ambitio? An combuſta ab Hebræis corpora morientium? ex ſecundo Paralipomenorum locus: Chriſtus patrijs ritibus morem gerens: muliebris planctus ab Buſtum: Ioannis interpretatio: Quanta gloria reſurgentis Seruatoris? Eccleſiæ de ſignis ſtabilitas, & firmitudo inter Aduerſa: illuſtrata ex Patribus: Vtilitatis Sacrorum Bibliorum encomium: eorum cognitionem obſcuram eſſe, contra ſectarios probatum.*

### SECTIO VNICA.

14\. *Lectulus floridus, Chriſti ſepulchrum, & quare?*

DEMIRATA Eccleſia reſurgentis Seruatoris pulchritudinem humanæ excelſiorem formæ iubare laudibus proſequuta eſt, inquiēs: *Ecce Tu pulcher es, & decorus;* modò vnde obſtupeſcat, ſubdit: *Lectulus noſter floridus:* Quis autem thalamus niſi ſepulchrum, quando & ibi ſomno locus? Quare in Pſalmo tertio de Reſurrectione quidem pangit Dauid verſ. 6. *Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me;* déque eadem olim Iacob, Geneſ. cap. 49. verſ.9. *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum?* Dicatam igitur fætoribus & corruptelæ habitationem contra vices rerum floridam & ſuaueolentem eſſe exclamat: At curni floridum Chriſti Buſtum? nonne inter flores & plantaria, quæ dulciter halant, in Horto ſcilicet excauatum? *Erat autem in loco vbi crucifixus eſt* (inquit Ioannes cap.19. v.41.) *Hortus; & in Horto Monumentum nouum, in quo nondum quiſquā poſitus erat: ibi ergo propter Paraſceuem Iudæorum, quia iuxtà erat Monumentum, poſuerunt eum:* Nonne ſub verna Tempeſtate ſepultus, & rediuiuus, quando natura ſinum expandit, periſtromata diffundit floribus variegata, & vel deſerta ipſa ſpecioſa redduntur, & colles accinguntur lætitiâ? Quamobrem titulo Pſalm.44. cuius inſcriptio ex Hebræis Originalibus quorundam iudicio: *Pro lilijs;* vel *Pro floribus;* Anaſtaſim Filij Dei ex Patrum ſententia adumbrare monuimus Tom.1.Anteloq.5. n.46. probè igitur floridus lectulus, qui Reſurrectionem indicat: *Tigna Domorum noſtrarum* (ſubnectit) *cedrina, laquearia noſtra cypreſſina:* Vt nihil eſſe in Saluatore poſt Tumulum, concipiamus, quod non immortalitatem ſpiret; cinerem, vermem, corruptionem abigat: ita Aponius hîc.

Pſalm.3.6. — Geneſ. 49.9. — Ioan. 19.41. — Aponius.

15\.

Sed ô quomodo de ſepulchro immortalis æui vigor? Quomodo non auſa eſt Putredo in Carnē vulneratam, & cōciſſam? Vbi eſt, ô Mors, ſtimulus tuus, vbi eſt Victoria tua? At quomodo verus probaretur Dauid, ſi non ita contingeret? Pſallebat enim Od.15.v.9. *Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: Quoniam non derelinques Animam meam in inferno: nec dabis ſanctum tuum vidêre corruptionem:* Verū quales nactus eximij oraculi interpretes! Petrum vtique Act.2.v.29. *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepultus; & ſepulchrum eius eſt apud nos vſque in hodiernum diem: Propheta igitur cùm eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius; prouidens locutus eſt de Reſurrectione Chriſti; quia neque derelictus eſt in inferno, neque Caro eius vidit corruptionem:* Paulum quoque inſignē Doctorem. Act.c.13. v.35. *Ideóque & alias dicit: Non dabis ſanctum tuum vidêre corruptionem: Dauid enim in ſua generatione cùm adminiſtraſſet, voluntati Dei, dormiuit; & appoſitus eſt ad Patres ſuos, & vidit corruptionem: quem verò Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionem:* Quamobrem ſcitiſſimè Chryſolog.ſerm.74. *Mutatur hic rerum ordo: Mortem, non mortuum deuorat hoc ſepulchrum:* idem verò præclarè admodū theologizat ſerm. ſequenti aſſerens: *Reſurrectionis gloria ſepeliuit iniuriam morientis:* Quonam more conſtaurata eſt illa iniuria? Nimirū, qui potuit obſiſtere Putredini & vermibus vitâ defunctus; potuit & mortē declinare: oblatus eſt igitur Paſſioni, quia voluit, propter nimiam in genus humanum charitatem: & hoc apud Dauidis Muſam indicabat exclamatoriis vocibus, Pſal.29. v.10. *Quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendero in corruptionem?* Siquidem ratione diuinæ Vnionis cū Hypoſtaſi Verbi oportebat cōſeruari Beatiſſimam Chriſti carnē à communibus ſepulchri dānis, quod obſeruatum ab Elia Cretenſi in orat.1. Nazianzeni, aiente: *Ob inhabitantem in ipſum Deū Verbum, à labe, à corruptione integrum ſeruabatur: atque admirabili modo hæc duo concurrunt; nempè vt omnium hominum Mors in Dominico corpore impleretur: & item Mors, ac corruptio propter ſocium Verbū, extingueretur,* nō igitur tali Deificâ virtute prędítus crederetur, ſi corruptioni obnoxia membra illius; ſublatâ autē Diuinitatis opinione, quæ vtilitas in ſanguine eius? redemit enim nos cruore ſuo, & promeruit nobis ſanctificationem, quia opera illius infiniti erant valoris. Audiamus S.Thomam in

Pſalm.15.9. — Act.2.29. *Chriſti Corpus in ſepulchro incorruptibile: non enim dabit Deus Sanctū ſuum videre corruptionē.* — Chryſolog.

S.Thom.

in 3. Partem, quæſt.51. art.3.ad 1. *Si autem corpus eius fuiſſet putrefactum, vel reſolutum, magis hoc fuiſſet in detrimentum ſalutis Humanæ, dum non crederetur in eo eſſe virtus diuina: Vnde ex perſona eius in Pſal.29. dicitur: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? quaſi dicat: Si corpus meum putreſcat: perdetur effuſi ſanguinis vtilitas.*

Pſalm.29.

16. Verùm, ſi putredini nequaquàm Seruatoris obnoxia Caro, quamobrem Nicodemus venerat, *ferens mixturam Myrrhæ & Aloës quaſi libras centum.* Ioan.cap.19. v.39. planè vt defuncti vngeret corpus: ſed Aromatibus non condiuntur emortua corpora, niſi vt durent aduersùs corruptionem: Silius Italicus lib.13. Punic.

Ioan.19.39.

Sil.Ital. *Mortuorum Cadauera vncta & cõdita ad eorũ conſeruationem.*

*——————Ægyptia tellus*
*Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo*
*Corpora, & à Menſis exanguẽ haud ſeparat vmbrã:*
*Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro*
*Ora virum, & longum Myrrhata reponit in æuum.*

Cicero.

Marcus Tullius 1. Tuſculanarum Quæſtionum: *Condiunt Ægyptij mortuos, & eos domi ſeruant. Perſæ etiam cerâ circumlitos condiunt, vt quàm maximè permaneant diuturna corpora:* Corrippus Africanus lib.3. de laudibus Iuſtin.

Coripp. African.

*Thura Sabæa crepant, fragrantia mella locatis*
*Infundunt pateris, & odoro Balſama ſucco,*
*Centùm aliæ ſpecies, vnguentáque mira feruntur*
*Tempus in æternum ſacrum ſeruantia corpus.*

Chryſoſt.

Equidem Chryſoſtom. hom. 84. in Ioannem vnctores Chriſti imperfectæ fidei arguit, quòd purum adhuc reputarent hominem, & generalibus ſubiacêre detrimentis arbitrarentur ſepulchri, quibus medicinam afferrent Thymiamate & vnguentis: ſed egregiè animaduertit Suarius tom.2. in 3. Partem, diſp.41. ſect.2. §. *Vnum verò*, &c. Vt condire vellent in plures annos, exenterandum fuiſſe ſacrum pignus, euiſceratôque vtero liniendas fuiſſe coſtas, ſic enim Ægyptij primi condîtorum Artifices corporum facere conſuetos memorant Herodotus lib.3. & Diodorus Siculus lib.2. Biblioth. exploratum eſt autem nunquam detractum aliquid inteſtinum Seruatoris; exterior itaque cùm fuerit ſolùm vnctio illa, ad honorem & Reuerentiam facta eſt, non autem ad præſeruandum à corruptione.

Suarez. *Vnctum eſt mortuũ Chriſti corpus ad honorem non ad conſeruationem.*
Herodot.
Diodor. Sic.

17. Neque exempla ab aliis robuſta aduersùm Iudæos nationibus: Gentes enim cùm eſſent demẽtiſſimis obcæcatæ erroribus, de corporũ haud cogitabãt Reſurrectione, proinde Amicorũ memoriã quibus poterant viis retinebant: Tertul. lib. de Reſurrect. Carnis, c.1. *Fiducia Chriſtianorum Reſurrectio mortuorum: ſed vulgus irridet exiſtimans nihil ſupereſſe poſt mortem: & tamen defunctis parentant; & quidem impenſiſſimo officio pro moribus eorum:* Iudæi autem fide Reſurrectionis imbuti erant, quorum mentibus vera affulſit Religio; Nam & ſecta apud illos etiam Reſurrectioni contradicens: oportet inſuper concedamus neque Ethnicos ipſoſmet ſemper vnxiſſe corpora, vt ſeruarent, nã poſt vnguentorum profuſiones flammis arſura tradebant, cum veſte pretioſa multa, cum odoribus, & ſertis: Quis igitur ſumptuum in funeribus magnorum finis? beneuolentiæ erga amiſſos, officij, honoris probatio: Virgil. lib.6. Æneid. de funere Miſeni, qui combuſtus eſt:

Tertullian.

*Vnguentis delibuta Cadauera ſæpe cremabantur.*

Virgil.

*——corpúſque lauant frigentis, & vngunt:*
*Fit gemitus: tum Membra toro defleta reponunt*
*Purpureáſque ſuper veſtes, velamina nota*
*Conijciunt.*

Tacit.

Tacitus lib.3. Annal. c.1. de Cineribus Germanici Romam allatis: *Atque vbi colonias tranſgrederentur, atratæ plebes pro opibus loci, veſtem, odores, aliáque ſollennia funerum cremabant.* Idem de Moribus Germanorum: *Funerum nulla ambitio: id ſolùm obſeruatur, vt corpora clarorum virorum certis lignis crementur: ſtruem rogi, nec veſtibus, nec odoribus cumulant.* Herodianus libro 4. *Igitur lecto in ſecundum Tabernaculum ſublato; aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbas, ſuccóſque omnes odoratos conquirunt, atque aceruatim effundunt:* Vnde Epigrammatarius ſalsè admodum libro 3. Epigram.9. ad Fabullum:

Herodian.

Martial.

*Qui non cœnat, & vngitur, Fabulle*
*Hic verè mihi mortuus videtur.*

De luxuria veſtium apud fœminas ſui qui, alludẽs ad combuſtos in vltima pyra amictus elegantiores, Tertullianus de Habitu muliebri: *Ideò omnia iſta damnata & mortuæ Mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta:* Papinius libr.5. Syluarum de Priſcillæ funere:

Tertull.

Statius.

*——omne illic ſtipatum examine longo*
*Ver Arabum, Cilicúmque fluit, floréſque Sabæi,*
*Indorúmque arſura ſeges, prærepta que Templis*
*Thura, Palæſtini ſimul, Hebræique liquores.*

Ex ſacro veteri inſtrumento Paralip.2.c.16.v.14. de Aſa Rege: *Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in Ciuitate Dauid: poſuerúntque eum ſuper lectum ſuum, plenum aromatibus, & vnguentis meretricijs, quæ erant Pigmentariorum arte confecta, & combuſſerunt ſuper eum ambitione nimiâ.* Quibus in verbis dubius eſt ſenſus, an ſcilicet corpus ipſum condîtum, atque combuſtum fuerit, quod inſinuat Mariana: an verò ſuper feretrum, quod lectus nuncupatur, proindéque & ſuper corpus loculo impoſitum, cremati ſint odores, vti ſignificant Pereira tom.4. in Geneſim, diſp.1.c.50. Conſaluus Ceruantes ad v.3.c.2. Sapientiæ: Quocumque modo acciderit funerale opus, cui ſimile aliud nullum poſt dátam legem ſub priſco fœdere, vt bene à Pererio obſeruatum; (Nam licet cremata ab habitatoribus Iabes Galaad cadauera Saul & filiorum eius, Reg.1.cap.31.v.12. Sed non cum ſuffimentis & aromatibus:) noſtro ſubſeruit inſtituto; Tantæ enim Aromatum flammis conſumptę diuitiæ, quid, niſi obſeruantiam in defunctum innuere valeant? Itaque prudentiſſimè Suarius cogitauit, ab Amicis Chriſti Reuerentiæ ſolius gratiâ vſque in centum libras profuſam vnguentorum copiam.

2.Paralip. 16.14.
*Num etiam apud Iudæos cremata defunctorum corpora?*
Perer.
Ceruant.
1.Reg.31.

18. Eſto autẽ, & Iudæi corpora ſpiritu viduata curauerint, ne computreſcerent: quanquàm Ioſephus & Nicodemus ſcirent, aliã Chriſti Membris debitam legem; tamen ne patrio abſtinerent vſu, quòd noſſent viuentem Seruatorem geſſiſſe morem conſuetudinibus Prouinciarum, communis ſcilicet vitæ cultorem, vngere ſtatuerunt: Habeo qui adſtruat Sanctum Aquinatem in 3. Partem, quæſt. 51. art. 2. *Ad ſecundum dicendum* (ait) *quòd in hoc quod Euangeliſta dicit, quòd ſepelierunt eum, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire, (ſicut Auguſtinus dicit ſuper Ioannem tract. 120.) admonuit, in huiuſmodi officijs, quæ mortuis exhibentur, morem cuiuſlibet Gentis eſſe ſeruandum: erat autem iſtius Gentis conſuetudo, vt Mortuorum corpora varijs Aromatibus condirentur, vt diutiùs ſeruarentur illæſa.* Quantis autem extinctos aut cognatos aut ſodales proſequerentur luctibus, quantôque lugubris pompæ apparatu, Ioſephus Flauius commonſtrat libro 2. de Bello, capitis primi initio; de Archelao enim loquutus: *Diebus* (inquit) *ſeptem in lugendo Patrem conſumptis, epuliſque feralibus prolixè populo exhibitis, (Hic autem Mos apud Iudæos neceſſariò*

*Vnctum eſt mortuum Chriſti corpus, ad ſeruandum patriæ morem.*
S.Thom.
*Lugubris ad buſtum planctus.*
Ioſeph.



*neceſſariò multos ad inopiam redegit: Nam qui eum neglexerat, impius æſtimabatur) candidâ veſte indutus procedit ad Templum:* fortaſſe in hunc etiam modum ex Orientalium nimirum vſu, quod Magdalena Buſtum vnguentis onerata viſitarit, introſpexerit Monumentum, adſtiterit, defleuerit, quòd in chariſſimorum obitu talia agitari conſueuerint, quibus ſimilia aliqua de notæ Pudicitiæ Matrona poſt viri fatum, apud Petronium in Satyrico poſt medium: *Hæc ergo, cùm virum extuliſſet* (inquit) *non contenta vulgari more funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere: in conditorium etiam proſequuta eſt defunctum: poſitúmque in Hypogæo Græco more, corpus cuſtodire, ac flere noctibus, diebúſque cœpit:* his vltimis nempè cognatum illud ex Ioanne cap. 20. verſ. 11. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans: Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum*, &c.

Petron.
Ioan.20.11.

19. Qualis verò, quantúſque rediuiuus Triumphator, & quam immortali gloriâ illuſtratus, cuiuſnam ingenium concipere valeat? bellè 2. ad Corinthios Apoſtolus cap.5. verſ.16. *Etſi cognouimus ſecundùm carnem Chriſtum: ſed nunc iam non nouimus:* Quando non cognouit Paulus? nempè, poſtquàm à mortuis liberatus eſt: Verùm, nonne idem reſurgit homo, qui interiit? planè quidem: cur itaque ignoratur Ieſus ex Tumulo Victor? nempe talis prodibat, tam formoſus, vt quanquam etiam in hac vita ſpecioſus præ filiis Hominum, tamen ſeipſo incomparandè ex gloriæ dotibus pulchrior factus ſit: adſentit Leo Papa ſermone 1. de Reſurrectione: *Non diſſonat, Dilectiſſimi, ab hac fide Magiſter Gentium Apoſtolus Paulus cùm dicit: Etſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus: Reſurrectio enim Domini, non finis Carnis, ſed commutatio fuit, nec virtutis augmento conſumpta ſubſtantia eſt: qualitas tranſijt, non natura defecit: & meritò dicitur caro Chriſti in eo ſtatu, in quo fuerat nota, neſciri: quia nihil in ea paſſibile, nihil remanſit infirmum; vt & ipſa ſit per eſſentiam, & non ſit ipſa per gloriam.* Cùm liuidus, & cruentatus Iſaiæ repræſentaretur Dominus Ieſus, exclamauit: *Quis credidit auditui noſtro?* c.53. verſ.1. Hícne ille candidus & rubicundus, electus ex millibus? Hícne pulcherrimorum inuidia? Hic tam radioſus & fulgens? *Non eſt ei ſpecies, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum:* Erítne igitur qui fidem noſtris adhibeat vaticinationibus cùm *quaſi leproſum* pingamus, *& percuſſum à Deo, & Humiliatum?* At modò vice alteratâ, quæ non dico vulneribus & plagis obſcuratam contemplata eſt formam Sponſa, ſed quæ intuita eſt lætos in vultu honores antequàm pateretur: tamen nunc talem cernit, vt non miraculi plus ſit, ſaucium & lacerum, venuſtiſſimum emerſiſſe: quàm tantam eſſe iucunditatis copiam à vertice ad pedes, vt comparata antiquæ formæ veſtigia, nomen ſpeciei amiſerint: itaque nihil ſcit dicere, niſi: *Ecce Tu pulcher es:* reliqua Cherubin intonet, Humanæ fauces indiſertæ ſint; & vtinam non ipſa etiam Seraphim obmuteſcant, quòd timeant, ne non poſſint ſatis Orationis adhibere.

2.Corinth. 5.16.
*Tam formoſus è tumulo prodit Chriſtus, vt etſi idem omnino ſit qui priùs, hunc tamen iam non noſcat Paulus.*
Leo.
Iſai.53.1.

20. Atque hic ſanè germanior Literæ intellectus: cæterùm & optima ſententia illorum quoque eſt autumantium, & lectulo & ædificiorum genere ipſammet ſubaudiri Catholicam Eccleſiam, quæ cùm iis rebus ſignificetur, quarum eſt velut immortale quoddam æuum, quaſíque interitus neſcium; polliceatur ſymbolicè Sponſus in fines ſæculorum duraturam contra inimicam vim, & omnium nequitiarum machinas, iuxta quod Petro de ſtabilitate Eccleſiæ promiſit Magiſter eius, Matth. cap.16. verſ.18. *Et ego dico tibi, quia Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam:* ô melleam vocem! ô ſermonem delectabilem in hora ſæuæ Tribulationis! Quantumuis ſe attollat Beſtia, & decumanos fluctus euomat, totúſque in aduerſum conſpiret orbis, ſaluabitur tamen Nauis Petri, imò & Halcyoniâ gaudebit Tranquillitate: inſectabitur enſis; melior de Perſecutione conſurget, fœcundior in ſobole Eccleſia: Hæretici inuadent; ſed purior, ſed ſtabilior ex contentione veritas: grauiſſimè igitur Leo Primus, ſermone 2. in Anniuerſario die Aſſumptionis ad Pontificatum, de fide Romanæ Eccleſiæ: *Hæc fides Diabolum vincit, & captiuorum eius vincula diſſoluit: Hæc erutos Mundo inſerit cælo, & portæ inferi aduersùs eam præualêre non poſſunt: tantâ enim diuinitùs ſoliditate munita eſt; vt nec Hæretici vnquàm corrumpere prauitas: nec pagana potuerit ſuperare perfidia.* Sanctus Martialis epiſt.1. ad Burdigal. cap.11. *Et inimicus, qui nunc à cordibus veſtris proiectus eſt, venturus eſt, vt ſuperſeminet populo Dei grana errorum: Sed firma Eccleſia Dei & Chriſti, nec cadere, nec dirumpi poterit vnquàm.* Lactantius lib.5. Diuinar. Inſtit. cap.13. *Cùm autem noſter numerus ſemper Deorum cultoribus augeatur, nunquam verò ne in ipſa Perſecutione minuatur: Quis eſt tam demens, tam excors, támque cæcus, qui non videat, in vtra ſit parte Sapientia?* eodémque capite paulò inferiùs: *Cùm verò ab ortu Solis vſque ad occaſum lex diuina ſuſcepta ſit, & omnis ſexus, omnis ætas, & Gens, & Regio vnitis, ac paribus animis Deo ſeruiant, eadémque ſit vbique Patientia, idem contemptus Mortis: intelligere debuerant aliquid in ea eſſe rationis, quòd non ſine cauſa ad mortem vſque defendatur: aliquid fundamenti, ac ſoliditatis, quòd eam Religionem non tantùm iniurijs, ac vexatione non ſoluat, ſed augeat ſemper, & firmiorem faciat.* Eximiè quidem cogitauit Firmianus, diuini & cœleſtis aliquid ineſſe Profeſſioni, quæ iis rebus, quibus ad finem & interitum pergere oportebat, corroboretur potiùs, ſcilicet ipſo impetu maximarum iniuriarum: Quare Sedulius in illa c.1. epiſt. ad Philip. *Nam ſcio*, &c. *Quòd mihi nocêre putant, in ſalutem proueniet: quia non ſolùm per Verbum, & Paſſionem meam, ſed etiam per odium Chriſti Eccleſia augmentatur.* Beatus Fulgentius libr.3. ad Monimum, cap.4. *Sed quibuſlibet arietibus Eccleſiam ſanctam Hæretici quatere nitantur, certi ſumus de Domino Deo noſtro, quoniam Ciuitatem ſupra montem conſtitutam ſubuertere non valebant: imò ſeipſos prorsùs ſubuertunt, & exterminant, qui Deum verum, Dei vnicum filium contumelioſis aſſertionibus exacerbant.* Vigilius Epiſcopus Tridentinus lib.1. contra Eutychen: *Sed nihil nouum, nihil peregrinum Eccleſiæ fortitudo experitur: talibus penè ab vniuerſis Hæreticis quæſtionum turbinibus agitata; Triumphum de contrarijs; & immobilitatem ſortita eſt de Aduerſis.* Guitmundus Archiepiſcopus lib.3. de veritate Sacramẽti Euchariſtiæ propè finem: *Sed ex tempore Chriſti, Eccleſia in Apoſtolis, & Apoſtolorum diſcipulis fuit; ſed neque poſtea vnquàm defuit: mentiretur enim Scriptura per Prophetas clamans: & Regni eius non erit finis: mentiretur Gabriel Archangelus idipſum B. Mariæ dicens:*

*Lectulo, & domibus Cedrinis, Eccleſia ſignificata.*
Matth.16.18.
*Eccleſiæ ſtabilitas, & in aduerſis conſtantia.*
Leo I.
S.Martial.
Lactant.
Sedul.
Fulgent.
Vigil.
Guitmund.

*mentiretur & ipſa Veritas, quæ ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi: ſed abſit hoc, vt mentiri poſſit veritas, vel in verbis proprijs; vel in tantis teſtibus ſuis.* Concinnè admodum Bruno Herbipolenſis in illud Pſalm. 128. *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea,* &c. *Bene dicit Eccleſia, expugnatam ſe à iuuentute ſua; vt intelligas, nunquam Eccleſiam finitam eſſe perſecutione improborum, quæ ita ſæpè eſt expugnata: creſcit enim Perſecutionibus, ſuâque contritione grandeſcit: Non poteſt igitur finiri, quæ ſuis detrimentis augetur.* Quamobrem ſapienter Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Eccleſia militante, inter optimas Eccleſiæ Catholicæ notas, hanc vnam, eámque ſingularem eſſe aduertit, cùm aliæ ſectæ potentiâ quamuis ſuffultæ humani Roboris, tempore ſolùm flòruerint aliquo: Quare dicti libri c. 6. cum Auguſtino effatur, libro de vtilitate credendi, c. 17. inquiens: *Dubitabimus, nos illius Eccleſiæ condere gremiò, quæ ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà Hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit?*

Bruno Herbipol.

Bellarmin. *Hæc ſtabilitas, vna de Catholicæ Eccleſiæ Notis.*

Auguſt.

21. Theodoret. *Lectulus, Scriptura ſacra.*

Nequaquam omittendam duximus Theodoreti expoſitionem de Biblicis Libris: *Lectum verò vt arbitror* (inquit) *appellat diuinam Scripturam; in qua & Sponſus & Sponſa conquieſcentes mutuò ſpiritali conſuetudine coniunguntur: ac Sponſus quidem præbet verbi ſemina: Sponſa autem, illa ſuſcipiens, concipit, & fert in vtero, & parturit, & clamat cum Propheta: propter timorem tuum Domine, in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus Spiritum ſalutis tuæ, quem geſtauimus ſuper terram:* Rectè pro hoc beneficio ſolenniter tripudiat Sponſa; Quid enim ad ſolatium beatius? Quid ad emolumentum, vtilius? Quid ad honeſtatem pulchrius? talibus ſubſidiis nouam præmuniri Rempublicam, cuius Decreta Hæretici fortiſſimè oppugnaturi erant, conueniens fuerat: mirificè namque Paulus epiſtola 2. ad Timoth. cap. 3. verſ. 16. *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit Homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Quam in ſententiam Philo Carpathius, in illa cap. 5. Cantic. *Oculi eius velut Columbæ,* &c. *Nihil enim feliciſſimi conſilij, nihil ſalutaris præcepti deſiderare poſſumus, quin omnia nobis è Scripturis ſanctis abundè ſuppeditentur; modò rectâ mente, & Animi ſinceritate legantur.* Atque eodem capite, in illud; *Guttur eius Dulcedo, & totum deſiderium,* repetitis encomiis, ait: *Incredibile eſt neſcienti, quàm ſuaue ſit de Deo Optimo Maximo ex ſacris Literis meditari, ac loqui: in his enim legendis Peccatores de proprijs erratis admonentur: quôque modo ſe caſtigent, corrigant, ac emendent, apertiſſimè docentur: & quicquid homines alter alteri, vel dicere verentur, vel ignorant; hoc ſacræ Literæ & ſanctiſſimè audent, & vberrimè nouerunt: ex his guttur noſtræ Mentis admirabili dulcedine repletur in Deum.* Opulento autem dicendi charactere Anaſtaſius Sinaïta (quibuſdam in libris cum Nicæni titulo) quæſtione 78. ex his, quæ in ſacram Scripturam: *Quamobrem, quicumque ſunt imperiti diuinarum Scripturarum, non poſſunt eſſe Patresfamilias: vt qui neque à ſe habeant, neque ab alijs accipiant; ſed ſeipſos decipiant pereuntes fame ignorationis: Nam quomodo fieri non poteſt, vt Terra non irrigata, etiamſi millies in eam deijciantur ſemina, ſpicas ferat: ita etiam fieri non poteſt, vt Animus diuinis Scripturis non irrigatus, etiam ſi quiſpiam mille verba effundat; vllum fructum oſtendat: Magnum ergo malum eſt, ignorare Scripturas: Hinc germinauit magna peſtis Hæreſum: hinc vita neglecta, labores inutiles, animæ cæcitas, deceptio dæmonis.* Legendus Ambroſius Proœmio libri 4. in Lucam, qui ex Vlyſſis fabula captâ ſimilitudine, monet quo pacto Scripturarum ſacrarum induſtriâ, vitandum ſit Animarum Naufragium.

2\. Timoth. 3. 16.

Philo Carpath. *Scriptura Sacra quanta vtilitas.*

Idem.

Anaſtaſ. Sinaït.

Ambroſ.

22\. *Scriptura, Hortus floridus & fœcūdus.*

Bellè autem *floridus* nuncupatur *lectus* ex Canonici Oraculi ſermonibus, eò quòd & viridarium ſit vtriuſque Pagina inſtrumenti: Ambroſius lib. 4. epiſtolarum, ep. 31. ad Sabinum: *Paradiſus eſt Geneſis liber, in quo virtutes pullulant Patriarcharum: Paradiſus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta: Paradiſus Euangelium, in quo Arbor vitæ, bonos fructus facit, & æternæ ſpei mandata diffundit per vniuerſos populos:* Floridum etiam Bibliū, quod diuinis eloquentiæ coloribus pictum, vt nihil tam ſolidè vernans in Poëtarum Rhetorúmve campis, quos prophana adorat ſchola: oſtendi Volumine 1. Anteloq. 11. ſect. 5. num. 36. In huius corpus nullum vnquam vitium, quod bonos Mores, & fidei offenderet Regulam, irrepſit; proinde meritò contignationes & laquearia de imputribili Sylua, ex Cedro nimirùm, & cupreſſo: Quis enim adeò vecors, vt putet toleraſſe Spiritum ſanctum, Eccleſiam Magiſtram Veritatis coluiſſe pro Verbo Dei próque reuelatis à ſempiterno Numine, ad fidem, Religionem, bonos mores ſpectantes errores? Nec prætereundū, quod à Septuaginta Senioribus, *vmbroſus lectus* iſte vocetur, ſeu vt alij legunt, *opacus*: Nemo enim arbitretur intellectu faciles eſſe ſacros codices, nec vulgi ſuperare captum; quanquàm nec ab hac tanta propugnanda dementia ſectariorum præceps & veſanum abſtinuit atramentum: itáne leuis illa Diſciplina, & quam ne mediocria vereantur ingenia, in qua tot Allegoriarum tam continuata ſeries? Quæ tantam ſupellectilem requirat ex Latinorum, Græcorum, Hebræorum opibus? Quæ bonarum omnium ſcientiarum præſidia deſideret? Age verò producamus in ſcenam ex infinitis teſtibus paucos aliquos, quorum ingenio (niſi inuidiam ſpiſsè, & audacter mentiri delectet,) nihil maius viderunt Athenæ vnquam, vel Romana Gymnaſia: de his Auguſtinus vnus, qui ad Voluſianum ſcribens ep. 2. *Tanta* (ait) *eſt Chriſtianarum profunditas Literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte ætate vſque ad decrepitam ſenectam maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere: præter fidem enim tam multa, támque multiplicibus Myſteriorum vmbraculis opaca, intelligenda proficientibus reſtant: tantáque non ſolùm in verbis, verùm etiam in rebus latet altitudo Sapientiæ: vt annoſiſſimis, acutiſſimis, flagrantiſſimis cupiditate diſcendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet: Cùm conſummauerit Homo, tunc incipiet.* Alter Hieronymus eſt, qui epiſt. 113. ad Paulinum, inquit: *Liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſtenditur; quem ſi dederis homini ſcienti Literas, vt legat, reſpondebit tibi: Non poſſum, ſignatus eſt enim: quanti hodie putant ſe noſſe Literas, & tenent ſignatum librum, nec aperire poſſunt, niſi ille reſerauerit, qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit? in Actibus Apoſtolorum Sanctus Eunuchus, imò vir, ſic enim Scriptura cognominat; cùm legeret Eſaiam, interrogatus à Philippo: putáſne intelligis quæ legis? Reſpondit: Quomodo poſſum niſi aliquis me docuerit: Ego, vt de me loquar interim, nec ſanctior ſum hoc Eunucho,* nec

Ambroſ.

LXX. *Scriptura, lectus vmbroſus, ſiue à profundis myſterijs obſcurus.*

Auguſtin.

Hieronym.



*nec ſtudioſior; qui de Æthiopia, id eſt, de extremis Mundi finibus venit ad Templum, reliquit aulam Regiam, & tantus Amator diuinæ legis, diuinæque ſcientiæ fuit, vt etiam in vehiculo ſacras litteras legeret: & tamen cùm librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, linguâ volueret, labijs perſonaret: ignorabat eum, quem in libro neſciens, venerabatur.* Atque hos excelſæ magnitudinis Heroas ambos ſequuti reliqui Tractatores Orthodoxorum dogmatum, quorum nonnullos citauimus præludiali labore noſtro, Anteloquio 4. ſect. 113. num. 101. & modò accumulamus Sanctum Ambroſium lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 19. ad Conſtantium, Baſilium Seleucienſem Orat. 6. in Noë, Ioannem Carpathiorum Antiſtitem in capitibus Hortatoriis ſecundi Ordinis, numero 58. fatentur imbecillitatem, diuinum implorant adiutorium, ſtudiorum pares non eſſe difficultatum nodis vigilias, erubeſcere non metuunt: quibus ſuffragabimur? His? an Nonatorum ſciolis? Satis de communi argumento: verſatum eſt ab omnibus penè, qui præludunt in ſcripturam: inſuper à Bellarmino libro 3. de Verbo Dei, cap. 1. Cornelio in Pentateuchum, de encomio ſapientiæ, ſect. 1. Adamo Contzen Politicorum lib. 1. cap. 26. §. 1. Creſolio Myſtagogi lib. 3. cap. 17. ſect. 4.

Ambroſ. Baſil. Seleuc. Ioann. Carp.

Bellarmin. A Lapide. Adam. Contzen. Creſol.

23\. *Maieſtatem ſcripturarum decet abſtruſa myſteriorum profunditas.*

Equidem Magnus ille Dionyſius Pauli lactatus mamillâ, dixit & verè admodum, decuiſſe Sacrorum Oraculorum Reuerentiam, vulgi abſcondi à luminibus, quibus ne paterent, ænigmatibus referta conſpiciuntur: de cœleſti Hierarchia lib. 1. cap. 2. *Hoc* (inquit) *occultis ſcripturis eſt digniſſimum, & conſentaneum maximè, abditis ſacriſque obſcuritatibus inuolui; nec Vulgo patêre aditum ad diuinam, & occultam diuinarum Mentium veritatem: neque enim omnes ſunt idonei & ſacri; neque omnium eſt, vt ait ſcriptura, fides, & ſcientia:* Nunc autem, quod olim amaro planctu deflebat Hieronymus: *Sola ſcripturarum Ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant:* hanc induxit plagam Pſeudo-Religio: parùm eſt Armentarios, & fullones, & lixas Prædicatores euadere, Mulierculæ etiam docent: Quæ in rerum vniuerſitate inſania eſt aliqua, niſi hoc furoris maximi genus computetur? in has fæces mirè inuectus Syneſius epiſt. 142. ad Herculianum: *Etenim in vulgus philoſophari (ita ille Doricè loquens ait) magnum, in Hominum genus, contemptum diuinarum rerum inuexit: quippè ego cum pleriſque verſari me memini non modò olim, ſed & nuper Hominibus; qui quòd temerè auguſtiores aliquot voculas audiuerant; ſibi ipſis non credentes ſe, vti reipſa, plebeios, atque imperitos eſſe: faſtûque diſtenti diuina dogmata corrumperent, eius Rei Magiſterium vſurpando, cuius nunquam erant rudimenta conſequuti: in id ego arrogantium hominum genus tanquam fucos quoſdam incidens, qui neque Doctrinas calleant, neque concupiſcant: Nationem iſtam peroſus, non aliam educationis illorum cauſam inuenio, quàm quòd ineptè, atque ante tempus, initio fortaſſe ab ſui ſimilibus, ad exquiſitiſſimarum rerum auditionem admiſſi ſunt.*

Dionyſ. Areopag.

Hieronym. *Apud ſectarios, ſcripturas vel mulieres explicant, docéntque.*

Syneſ.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

## *Textus:* Lectulus noſter floridus: Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina. *Cap. 1. verſ. 16.*

*Diuinam arguit charitatem Bonorum communicatio: Humanam auaritiam nolle alijs prodeſſe.*

### Sectio I.

24\. *Sponſa quanquam de ſuo pauperrima, dicit tamen* lectulus noſter, & domorum noſtrarum, &c. *ob bonorum Sponſi cōmunicationem.*

QVÆ Sponſæ pars, quam Peperit genitrix extremâ cum paupertate, ſub Arbore videlicet Malo, Nemorum in ſecretis, quæ Agnos ad paſtum ſequebatur, cum domibus cedrinis, & laquearis nobiliſſimarum Baſilicarum faſtigiis? Quamobrem igitur Tigna domorum *noſtrarum*, ac non magis viro dicat: Tua eſt domus, tua ſunt culmina, cuius eſt proculdubio totum? Noſce Maritum eius charitate vulneratum eſſe; diuina planè eius charitas: ob hoc verecundatur ſuum aliquid vocare; & ne ad iracundiam Sponſa prouocet, quamuis illa in paucis modeſta, gratiſſimíque ſpiritus, & libenter in Sponſum gloriam vniuerſam transferret, communem appellat lectulum, commune diuerſorium. Multùm iſti diſſimilis Puellæ fatuus ille, atque laſciuiens iuuenis, qui abiit in Regionem longinquam: *Pater* (inquit) *da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit,* Luc. cap. 15. verſ. 12. Quid eſt *Da mihi?* Hoc eſt, nolo indiuiduam eſſe cum tua, fratríſque ſupellectile; ne quod indè ad vos emolumentum: Heu miſer, ſi diuiſeris, conſumetur: Genitor in tua vult reſeruare lucra: ſine in patria latêre cuſtodia: proh morbum Humanæ ignobilitatis, & degeneræ vitium Mentis! vult perdere antequam communicet. Bernardus in hunc locum ſerm. 46. in Cantica: *Nam quòd ait:* Noſter, & noſtrarum, *non vſurpationis eſt ſignum, ſed Dilectionis; quòd nimiæ videlicet fiducia charitatis, nihil eius, quem valdè diligit, à ſe æſtimet alienum: dixit enim:* lectulus noſter, & tigna domorum noſtrarum, *audacter ſe in poſſeſſionem aſſocians, cui iunctam non dubitat in amore: Non ita illa, quæ propriæ voluntati nondum abrenunciauit, ſed per ſe iacet, per ſe habitat: magis autem non per ſe, ſed cum Meretricibus luxurioſè viuendo conuerſatur, concupiſcentiam loquor Carnis, cum quibus diſſipat Bona ſua, & portionem ſubſtantiæ, quam ſibi diuidi poſtulauit.*

Luc. 15. 12.

*Prodigus Sponſæ longè diſſimilis.*

Bernard.

25\. Vultis intueri charitatis ſtupendum exemplar! conſiderate eum qui aſſeruit: *Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,in me manet, & ego in illo*, Ioan. cap.6. verſ. 57. prodiga effuſio, cui non ſua tribuiſſe ſatis,dedit & ſemet:rectè Chryſoſtomus homilia 38. in Matthæum: *Quis Paſtor oues proprio paſcit cruore? Et quid dico Paſtor? Matres multæ ſunt,quæ poſt partus dolores,filios alijs tradunt nutricibus: Hoc autem ipſe non eſt paſſus: Sed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat*: Huius Sacramenti inſtitutionem adumbratam inſcriptione Pſalmi 33. exiſtimauit Auguſtinus: eſt autem Tituli Ratio: *Dauidi, cùm immutauit vultum ſuum coràm Achimelech & dimiſit eum, & abijt*: Sic enim & abſcondit vultum ſuum in Euchariſtia Ieſus: conſpiciuntur enim tantùm Accidentia panis & vini: cùm autem faciem ita immutaret, nonne deſpexit Rex? percipiamus ex Reg. 1. cap. 21. verſ. 15. *Et ait Achis ad ſeruos ſuos: Vidiſtis hominem inſanum: quare adduxiſtis eum ad me? an deſunt nobis furioſi, quòd introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente?* Quonam autem pacto in Chriſtum de inſania opinio quadrat? intelligite ab Auguſtino Concione 1. in Pſalmum 33. *Quaſi furor iſte, & inſania videbatur,dare carnem ſuam manducandam hominibus, & bibendum ſanguinem: ideò quaſi inſanus putatus eſt Dauid, quando dixit ipſi Achis: arreptitium hunc mihi adduxiſtis: Nonne videtur inſania: manducate carnem meam, & bibite ſanguinem meum? quaſi inſanire videbatur: Sed Regi Achis inſanire videbatur, id eſt,ſtultis & ignorantibus.* Hoc ipſum argumentum floridè pertractat Arnoldus Carnotenſis de ſeptem Verbis Domini, in illud: *Sitio*, &c. Annon de his, qui inſanire arbitrabantur, qui *litigabant Iudæi adinuicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Ioan. cap.6. verſ.53. quare inſanus iudicatur Filius Dei? ſcilicet, prudentia mundi *Meum*, & *Tuum* eſt: rapere bona aliena ſi poſſit, negare ſua confidenter: quod his aduerſetur, ſtultitia ab eis definitur, quibus re ipſa nihil aut cerebri, aut mentis eſt: Qui igitur de mundo ſunt, & talium dogmatum Magiſtri, cùm videant Chriſtum ita liberalem,vt poſt innumeros beneficiorum modos,nec ſibi parcat, vt apud ſe retineat ipſum ſemet,atque ſe immiſcere nobis, nóſque ſibi conſanguineos, & concorporeos facere; quidnam expectandum vt dicant, niſi inſanire illum, qui vſque adeò munificus ſit?

Ioan.6.57.

Chryſoſt. *Chriſtum dũ in Euchariſtia ſe totum nobis effundit, inſanire dicunt furioſi homines.*

Auguſtin. Pſalm 33.

1.Reg.21. 15.

Auguſtin.

Arnold. Carnot.

Ioan.6.53. *Prudentia Mundi,* Meũ & Tuum: *negare ſua, rapere aliena.*

26\. Reprehendit Mortales Dauid,quòd Deum neſcirent: *Multi dicunt:* (inquit Pſalm. 4. verſ.6.) *quis oſtendit nobis Bona?* Subdítque accuſationis iuſtiſſimam cauſam ſtatim: *A fructu frumenti,vini,& olei multiplicati ſunt:* quæ ad verba Theodoretus: *Senſus*(ait) *eſt cum Hyperbato: Multi dicunt, quis oſtendet nobis Bona? A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt: atqui, ait, qui hæc dicunt, omnigenis Terræ fructibus fruuntur: per has tres ſpecies humanæ naturæ vtiliſſimas, neceſſariò alia comprehendit bona: illorum inſcitiam redarguens; Quoniam etiam in manibus Dei munera ferentes, & magnificè eius bonis ſe delectantes,vt nihil recipientes dicere audent: Quis oſtendet nobis Bona?* Pace tamen Theodoreti, num fortè dicturi ſimus, non eſſe increpandos hos omninò quaſi ingratos: Nam de Benefaciente diſquirunt, cùm aſſerunt *Quis oſtendet nobis Bona?* Veſtigatio autem in eum ſcopum eſt,vt cùm nouerint, colant & venerentur pro conceſſis donis: pulchrè tamen redarguuntur, quòd diſputationis materiam putent eſſe,ſcire quis locupletarit illos: Quomodo enim Deum eſſe ignorare valebant: cui enim accepta referunt munera,niſi vel Deo,vel hominibus? Sed homines quando vnquam liberales extiterunt? Audi apud Lucam ex incraſſatis plurimorum nomine confabulantem vnum: *Deſtruam horrea mea* (inquit) *& maiora faciam: & illuc congregabo omnia,quæ nata ſunt mihi bona mea, & dicam Animæ meæ: Anima,habes bona multa poſita in annos plurimos: requieſce,comede, Bibe, epulare:* Luc. cap. 12. verſ.18. Ecce nullum inuitat præter ſui partem, quæ eſt Anima: Vt pauperes contemnat, & exteros non vocet: non habet ſaltem Amicum aliquem,aut conſanguineum, & fratrem, quocum iucundetur, & diſtribuat in hilaritate de promptuariis eructantibus ex hoc in illud? ô infauſtam ſub tanta ſingularitate vbertatem. Sed Homo eſt, proinde cum aliis diuidere renuit: ergo qui beneficiis ditabantur à fructu, frumenti, vini & olei; Deum ſtatim inquirere debuerant; Nemo enim Mortalium talia concedere aptus: bene itaque ob ingratitudinem perſtringuntur à Theodoreto: Verùm de Lucæ pauperrimo Diuite, proloquentem auſcultemus Zenonem Veronenſem, ſermone de duplici Tentationum ſpecie: *Igitur, quæ à Deo præbentur etiam ingratis,iſta ſunt: Terræ fœcunditas, aëris temperies, fructuum lætitia, boum ſubſidia, & omnia,quibus anni prouentus ſecundis ſucceſſibus adimplentur: quæ verò ab Homine procedunt, qualiáque ſint, videamus: anguſtus animus, & parum putans omne quod naſcitur: cuius abundantiæ deeſſe aliquid computans, tum deinde inhumanum propoſitum; impartiendi cuiquam cauſam nullam idoneam putat.*

Pſalm.4.6.

Theodoret. *Malè homines à fructu frumenti,vini & olei ditati inquirũt,vnde hæc bona? nam vnde niſi à Dei effuſa liberalitate? an aliquid ab hominum tenaciſſima auaritia?*

Luc.12.18.

*Diues Euangelicus ſibi ſoli congregat omnia.*

Zeno Veron.

Vocatus in agrum à Caino innocuus Abel, & occiſus: Teſtes ſceleris infandi elementa ſolùm, nec tacere æquum eſſe cogitarunt: Mater aperuit Tellus os ſuum, & inclamauit, Geneſ. cap. 4. verſ. 11. Quid accuſat vocibus ſuis Gleba? quid damnat? Scilicet, ad quos ab Adamo orbis Terrarum poſſeſſio tranſiret, duo tantùm Homines in vaſtiſſimis ſpatiis, iique germani, nec tamen alterum alius ſufferre potuit: éſtne in culpa Ambitio, quæ pares non ſuſtinet? imò Auaritia quidem abiectiſſimi Cordis: ideò non eſt paſſus Cain viuere, quocum angulum orbis diuideret vnum: Hoc igitur & muta obſtupeſcant elementa: Nam ratione licèt careant, ſed occultis inſtinctibus Creatorem imitantur: vident quemadmodum ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos æquè ac malos, vt cùm apud ſe viuere poſſit gaudioſus cum identitate Perſonarum in vna eſſentia, Angelos, homines,ſenſilia produxerit, quibus benefaceret: incomprehenſæ itaque Bonitatis diffuſiuam vim æmulatur ſolum terrarũ,quæ & ipſa indignos, ſimúlque,virtutibúſque fulgentes paſcit: ſulcatur vt alienos ditet,proſcinditur vt Meſſem ferat vel ingratis incolis: Talia quando præſtat, quæ longinquum æuum non expectat cum Beatis Ciuibus,quam ad ſuam repræſentationem Plaſtes nõ eſt commolitus, quænam vt agerent Homines, oportebat? cernit tamen illiberales ſuprà modum: cùm nondum extarent gentes,aut oppida, frater occiditur,ne quid eſſet quod alter occuparet: nuper allegatus Zeno Veronenſis ſerm. de Patientia: *Miratur orbis vacuus, ſe duobus anguſtum: mirantur elementa Hominem, qui factus ſit ad imaginem,& ſimilitudinem Dei poſſe iugulari,& hoc à fratre: erubeſcit rudis Terra pro ſanguine impiata: Solus Cain exultat infelix.* 27.

Geneſ.4. *Clamant Elementa in efferam Caini auaritiam qui vel fratrem impiè trucidauit,ne haberet, quocum terræ diuideret angulum vnũ.*

Zeno Veron.

Poſtquam



Poſtquam de Mundi exitio per aquarum diluuia Noë admonuit Dominus, inquit ad illum: *Ponámque fœdus meum tecum: & ingrediêris Arcam tu, & filij tui*, &c. Geneſ. cap.6. verſ. 18. legit Ambroſius: *& ſtatuam Teſtamentum meum ad te:* Num Dei Hæres futurus Noë, pro quo Teſtamentum compingitur? At nonne opus eſt, vt intercedat mors Teſtatoris, bonis vt fruatur Hæres? Quomodo autem extingui Numen valeat, cuius vita interminabilis? fruſtrà igitur Hæredem nominat, fruſtrà eſt Teſtamenti ſpecies: Verùm intellige quidem, alias eſſe Hominum leges,alium diuinum morem: Homines ſuam diminui gloriam non patiuntur, cum aliis diſtribuere recuſant, omnia in ſe congerentes, idcircò cautum eſt legibus apud eos, ne filius Regnum, aut fundos occupet, priuſquam genitor ex luce communi diſcedat iſtâ: Deus non ita: participes bonorum ſuorum vult habêre creaturas: ipſe ſe contemplando beatiſſimus: eundémque intuitiuè videntes Homo & Angelus Beati redduntur etiam: ipſe ſanctus per naturam, illi per donum, & gratiam; ipſe deliciis affluens, illi torrente voluptatis inebriantur: ſic non inuidet felicitatem ſeruis, nec ſolus vſurpat vniuerſa: Qui igitur talis conſideratur, rectè Teſtamentum ſcribit quanquam nunquam moriturus: non enim contriſtabitur, quòd Hæres ſimul opibus & ſplendore fulgeat: Ambroſius in nominata Geneſis verba libro de Noë, & Arca: *Et ideò, quia terrena omnia moriuntur diluuio, ſolus autem iuſtus in æternum manet, ad ipſum dicitur, ſtatuam Teſtamentum meum ad te; quia ipſe diuinæ eſt Hæres gratiæ,ipſe cœleſtis Poſſeſſor Hæreditatis,beatiſſimorũ conſors bonorũ: & Homines quidem cùm moriuntur,patrimonium ſuum Teſtamento conſcribere ſolent; nec cedit Hæreditas donec viuit Teſtator: Deus autem cùm ſit ſempiternus, transfudit iuſtis diuinæ Hæreditatem ſubſtantiæ: & ipſe non indigens donat ſua ſine vllo donationis diſpendio; quem non grauat ſuorum conſortes eſſe bonorum, magiſque fruitur eo, quo nos vtimur.*

Geneſ.1.18. Ambroſ. *Deus quanquàm immortalis bonorum ſuorũ hæreditatem legat Noëmo, more hominibus longè cõtrario, quorũ teſtamẽta ſolâ morte firmantur.*

Ambroſ.

29\. Luctabatur Iacob cum Angelo per totam noctem, cúmque ſtellæ ſe abſconderent, & Aurora punicei velaminis ſplendore illuceſceret rebus, abire tentauit qui palæſtrabatur cum Iacob: verùm ille: *Non dimittam te* (inquit) *niſi benedixeris mihi*, Geneſ.32. verſ.26. Nonne conſideras, ô Iacob, haud abſque muneribus Benedictionem concedi: qui tecum decertat, benedicendo locupletes facit: igitúrne à Pugnatore munera expetas: ſed amabo, bellorum quis finis ſit? nonne hoſtium deſpoliatio, atque vt in victoris manum tranſeant oppreſſorum gazæ: ergo aut viciſti,aut ſuperatus es: ſi pro te pugnæ melior ſors, cur deprecaris quem ſubiugaueris: ſin profligatus ipſe ſis,quonam more auſus ſis dicere Triumphatori, non dimiſſurum te illum, niſi benedictione & muneribus cumulet? Sciebat Iacob ſe luctari cum Deo; nouit autem gaudêre Creatorem bonorum diſtributione, charitas enim diuinæ generoſitatis ad hoc inſtigat. Atqui dicas: Nunc bella gerit, bellatoris eſt autem ſpolia diripere: verùm in humanis pugnis iſtamet: Dei tamen tanta munificentia eſt, eôque feruet œſtro benefaciendi; vt nec tum etiam, cùm maximè videretur ex humana coniectura non conceſſurus aliquid ob pugnæ morem, à locupletando abſtineat. Chryſologus in illud Ioannis: *Si quis ſermonem meum ſeruauerit*, &c. Serm.131. *Sic Iacob vianti conuiator occurrit, & ita ſe humano collegio ſocium præbet, vt prouocanti Homini Deus totus in luctam inferebatur: & tunc videbatur neruis, aut lacertis vincere, quando victor cœleſtia dat dona, munera dat diuina:* etenim in certaminibus humanis non victor munera diſtribuere conſueuit, ſed accipere: aliud eſt apud diuinitatem in ludis & concertationibus vſus: vincit, non vt diripiat, aut depauperet,ſed vt ditet. Spectaſtis Deum,cõtuimini Hominem: Vapulat Pharao; & ſæuiſſimis percuſſus modis, tandem aliquid indulget, & ait: *Ite, ſacrificate Domino: oues tantùm, & armenta remaneant:* Exod. cap. 10. verſ. 24. Quorúmne pecora, quæ remanêre iubet? equidem Iſraëlitarum: Nunc igitur compara Diuinum & Humanum Regem: diuinus Imperator, non ſolùm aliena non rapit, vt eſſet alienum quidpiam reſpectu illius; ſed quæ peculiari iure vendicare poterit, (loquimur iuxta conſuetudinem noſtræ mortalitatis,) nempe titulo belli, aut Gymnicorum certaminum, ab his non tantùm abſtinet, verùm nouis beneficiis onerat: Humanus Monarcha Pharao, ſua non contentus ſibi reſeruare, miſerorum etiam ſuppellectilem vi occupare tentat: & perpende, quàm ſit auidus Humanus Animus, vt in ſuam cuncta poteſtatem deriuet, nec cura ſit de reliquis, vt egeant; cùm diuexaretur toties, & ſub calamitate eſſet Ægyptus maxima, tamen vt aſportent greges ouium, & maiora Animantia vix flecti poteſt: Hildebertus Epiſcopus Cænomenſis ep. 47. loquens de Tentatore Dæmone Auaritiæ: *Pharaonem* (inquit) *cùm eſſet feruenti plagæ proximus; hoc frigore tamen induruit; quia labores manuum Iſraël indebitè vſurp uit.*

Geneſ.33. 26. *Benedictionẽ Iacobo in lucta aduerſario ſuo impertit Deus cumulatiſſimã.*

Chryſolog.

Exod.10.24. *Pharao Ægypti plagis profligatus, bona Iſraëlitarum dum eos dimittit occupare vult.*

Hildebert.

*Virginitas cultores ſuos quaſi immortalitati oppignorat.*

## SECTIO II.

VBi flores,ibi Virginitas;nota eſt ſymboli ratio: Lectus igitur floridus caſtos amplexus denotat, abſque Virginitatis detrimento: At cur ſub trabibus cedrinis, ſub laquearibus Cypreſſinis Thalamus? ſcilicet, quia coniuncta eſt Virginitati immarceſſibilis æui velut Merces quædam: certè de Empyreis incolis locutus Chriſtus, quando etiam corpus reſurget ad immortalitatem clarificatam: *In Reſurrectione enim* (inquit Matth. cap. 22. verſ. 31.) *neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo:* Quam de Virginibus interpretatur ſententiam Zeno Veronenſis ſerm. de Pudicitia: *Itaque in ſtatu, quo nata es, permanens Virgo gloriare, ſanctique pudoris florem nulli legi ſubiecta, fidei theſaurum cuſtodi: eſto ſancta & corpore, & ſpiritu; amore Chriſti ignem Carnis extingue; vt Reſurrectionis gloriam, quam hîc tibi vendicas, taceam: in qua, vt Dominus ait: neque nubent, neque nubentur, ſed ſicut Angeli erunt.* Dixit concinnè ex Metaphora quadam *Reſurrectionis gloriam hîc ſibi vendicare:* paruúſne Honor iſte? Teſtatur Apoſtolus, raptum ſe in Paradiſum: *Et audiuit arcana verba, quæ non licet Homini loqui*, Corinth.2.cap.12.verſ.4. quorum verborum cauſâ dubitatum à Theologis, num diuinam contemplatus ſit eſſentiam, & beatorum ciuium gaudiis perfruitus? ſunt, qui affirment non paucij, neque obſcuri nominis, ſed ipſimet hi pronunciant, quod certiſſimum ſit, ad breue interuallum Beatificâ donatum viſione: At qualem de Reſurrectione participat gloriam, num eâ

30\. *Lectus floridus Virginitatis ſymbolum, ſub tignis Cedrinis, quibus immortalitas deſignatur.*

Matth.21. 32.

Zeno Veron.

*Reſurrectionis gloriam ſibi vendicat Virginitas.* 2.Corinth. 12.4.

ad

ad punctum Virgo potiatur? durat in vitæ annos,qui numeroſi ſæpè: eſt igitur, in quo Apoſtolo Virgo quodammodò præferatur, cùm ſi illa de Reſurrectione hîc lætetur, quo more à Zenone explicatum ſit; non ad inſtans gaudeat,ſed in longum recreetur.

31. Hinc intellige, quamobrem in partu nullos experta dolores Maria intemerata: Virgo ſiquidem erat: igitur,vt oratoriè proloquamur, Virgo cùm eſſet,Reſurrectionis quaſi fruebatur priuilegio: huius autem Prærogatiua eſt impaſſibilitas: non itaque afflictabatur, quæ tanquam ſub impaſſibilitate erat: Sanctus Zeno iterum ſermone 3. de Natiuitate Chriſti: *Parturit Maria non dolore,ſed gaudio: naſcitur ſine Patre filius; non totus Matris; ſibi debens,quòd conceptus; donans Matri, quòd natus:* cur non adiunxit; *donans Matri quod natus abſque laboribus cæterarum fœminarum?* Venuſtè quidem: Nam quòd Virgo, & Marito incognita genuerit, quis non ſtatim animaduertit, opus eſſe ſummæ, atque infinitæ potentiæ? à ſæculo non eſt auditum tale: probè itaque affirmauit, donatum hac ſingularitate Matrem à Dei filio: cæterùm, ex ſuppoſitione huius diſpenſationis, miraculum (ſic dicamus) non videbatur, quod ſine grauaminibus parturiret, quæ Virgo eſſet: Docuimus namque ex Zenone vt in Virgines quadrent Reſurrectionis indulta, de quibus impaſſibilitas: Modò igitur Deipara pariens ſupponatur Virgo, oportet concedere impaſſibilem ſimul iuxta inſtitutæ Metaphoræ ſenſum: Quod ſi Virgo impaſſibilis tum cenſeatur ob Virginitatis honorem, cùm Saluatorem edebat,ſequitur vt ſtupendum non ſit abſque gemitibus filium enixam: Secundum igitur hanc oratoriam accommodationem Reſurrectionis vocabuli; dixit Matrem accepiſſe ex dono quod pareret: tacuit autem dono adſcribere, quod eadem in pariendo aliarum Matrum tributa non ſuſtinuiſſet.

Zeno. *Nullos in partu dolores ſentire potuit Deipara, quòd Virgo foret, ideóque Impaſſibilitate Reſurrectionis dote potiretur: Oratoriè dictum.*

32. Luc.1.26.

Exorditur ſupernæ legationis ad Mariam Narrationem Euangeliſta, & ait: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ,cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph*, Luc.cap.1.verſ.26. Quæ expendens Sanctus Athanaſius epiſtola ad Epictetum inquit: *Gabriel porrò ad illam ipſam legatur; neque ſimpliciter ad quamuis Virginem, ſed Virginem deſponſatam Viro; vt ex Sponſo oſtenderet Mariam verè Hominem eſſe:* Igitur ſi de Marito tacuiſſet Hiſtoria,aut Angelum, aut Deum crederemus Mariam? Sed nonne etiam ſuppreſsâ Connubiorum memoriâ alia adhuc indicia,quæ neque Deum, neque Angelum Virginem eſſe probent? annon carne & oſſibus conſtabat, quæ noſtræ eſſe conditionis docebant? Dicamus ita; quodam modo coniunctum eſſe Matrimonio interitum, Virginitati æuum perpetuum, atque indefectibile: in hunc morem libro 2. contra Iouinianum Hieronymus Nuptiis adſcribit,quòd de Moyſis obitu ſciamus: Virginitati, quòd ne ignea Vectatio Heliam extinxerit, & tam diu ſuperſtes: *Quòd ſi contentiosè* (inquit propè medium) *in Moyſe nuptias, in Helia Virginitatem dixerint demonſtrari: breuiter audiant: Moyſem mortuum,& ſepultum; Heliam igneo curru raptum,antè immortalem eſſe cœpiſſe, quàm mortuum.* Igitur ſi Virginitati cognata eſt immortalitatis quædam figura; Euangeliſta ſolius Virginitatis Deiparæ mentionem faciens,fundamentum quaſi præbuiſſe intelligeret, quam crederemus immortalitate communitam; cùm autem Deus & Angelus ſint, quibus ex naturæ dignitate conueniat Mortis expertes cenſeri, Deus, aut Angelus nominaretur: Vt igitur paſſibilem & mortalem eſſe ex vſu humanæ creaturæ conſtaret; monuit cum viro deſponſatam eſſe: audientes namque de coniugali fœdere, mortem non abeſſe iudicamus: Sic itaque conſtruendus Athanaſius, cùm inquit: *Vt ex Sponſo oſtenderet Mariam verè Hominem eſſe.*

Athanaſ. *Ideo Maria Virgo dicitur in Euangelio deſponſata,ne ſi de Sponſo tacuiſſet, aut Angelus aut Dea crederetur ſcilicet ex virginea immortalitate.*

Hieronym. *Moyſis Coniugati obitũ ſcimus: Eliæ Virginis in igneo curru abſque læſione vectationẽ audimus.*

33. Placétne intueri,quemadmodum ſeclusâ coniugij memoriâ qui Virginitate polleant Angeli cenſeantur? conſpecto è diuinis ſpiritibus nobiliſſimo quopiam, ad pedes Ioannes procubuit vt adoraret: vetuit cælicus Miniſter,inquiens: *Vide ne feceris,conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu*, Apoc. cap.19. verſ. 10. Quid eſt,conſeruus tuus ſum? hoc eſt,velut eiuſdem æqualitatis, nam & Te non Hominem, ſed Angelum reputo: quare verò Ioannes Angelus cenſeatur? Diximus nuper ex Athanaſio Deiparam Angelicæ eſſentiæ putandam niſi de Connubio aduertiſſet Euangeliſta: Ioannes Virginitatem Mariæ intactâ pudicitiâ conatus imitari: Hoc cùm fulgeret honore, & de coniugio nulla oboriretur ſuſpicio, quid reſtabat niſi Angelum intitulare? Si enim Mariæ tantùm obfuit, ne inter Angelos referretur cum Naturæ ſimilitudine (nam donis gratiæ & ſanctitudine infinitis ſuperabat incrementis)quòd Lucas poſt Virginitatis encomium, adiunxit de deſponſatione cum Viro; cùm Ioannes Virginitate emineat, & iugum non ſubiuerit nuptiale,nihil deeſt, quominùs Angelus iudicetur: Quod ſi Angelus quidem, inde quòd eiuſdem velut ordinis nobilitate præclarum alter Angelus vt veneraretur, non ſit paſſus: Sanctus Petrus Damianus ſermone 1. de Ioanne Euangeliſta: *Fratrem recognouit, ſocium iudicauit, ſubiectionis obedientiam non accepit: Quamuis enim in omnibus ſanctis ſemper ſit Angelicæ mundiciei contubernalis,& cognata Virginitas: Beatus tamen Ioannes tantò reliquas Virgines ſuperat, quantò Virginitati B. Mariæ per ſedulitatis, ac perpetuæ cuſtodiæ meritum appropinquat: à qua ſola videlicet præceditur.*

Apocal.19. 10. *Conſeruum ſuum vocat Angelus Ioannem Euãgeliſtã, quaſi foret eiuſdem ſecum natura: nimirum Virgo erat.*

Pet.Damian.

34. Sanè ob Virginitatis decus, commendaſſe morientem Seruatorem Ioanni Matrem ſuam Patres frequentiſſimè dicunt: Arnoldus Carnotenſis de Verbis Domini, in illud: *Mulier ecce,* &c. *Hanc interim gloriam propriè Virginitas meretur: per hanc in hunc gradum Diſcipulus ſublimatur:* Sed floridum eſt quod idem Auctor meditatur, nempè aſſignatum Ioannem vt Gabrieli Archangelo concuſtos eſſet pro Mariæ reuerentia, nam proſequutus Virginitatis encomia addit: *per hanc fuerat Gabriel Archangelus Mariæ domeſticus, imò tota militia cœleſtis multitudo circumfuſa vndique cognato cælibatui exhibebat reuerentiam: propriè tunc Gabriel,& Ioannes huic aſſignati officio, communibus ſtudijs communicabant:* Verùm, nonne oportebat famulantes Virgini ſimiles eſſe gratiâ, lineamentis, ornatu? Quippè videmus qui orbem hunc regunt ſummo eniti ſtudio, ſeruitia paria eſſe: non in puerorum claſſibus,ſed in equorum hoc quoque obſeruatum bigis,quas eſſe eaſdem penè omnis laus eſt. Atqui diſſimiles Ioannes,& Gabriel: quamobrem itaque deſtinati in Reginæ cuſtodiam? Sed hoc quidem verum, niſi & Ioannes inter Angelos numerandus: ſin autem Angelus Ioannes,nihil timendum, vt inuenuſta appareat regalis lateris cuſtodia, vbique ſimilitudo eſt, ideò à Carnotenſi pronunciatum;

non

Arnold. Carnot. *Gabriel & Ioannes Virgo, Angeli Mariæ Concuſtodes ſimillimi.*

Idem.



non ſolùm adſtitiſſe fidos vigiles Reginæ ambos ſed *communibus* inſuper *ſtudijs*, quod vtriuſque quaſi par geſtus videretur.

35. Angelos igitur Virginitas facit, quod immortalitatis donum pariat,atque ideò & Reſurrectio ipſa comparata eſt Virginibus, vt ſectionis exordio oſtendebamus,& Virgines Angelis: *Neque nubent, neque nubentur* (inquiebat ibi Matthæus) *ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* Celebrata Phœnicis vita, longiſſima illa quidem: Ambroſius lib.5. Hexam.cap.23. *Phœnix quoque Auis in locis Arabiæ perhibetur degere, atque ea vſque ad annos quingentos longæuitate procedere:* nec ſanè mortem reformidat, vltrò ſtruem aromaticam erigit, vltrò rogum intrat, ſecura vtique de Reſurrectione, vt ibi multis Ambroſius: *iuueneſcit* namque *occidendo*, quemadmodũ perbellè Sidonius pangit Apollinaris Carmine ad Magnum Felicem, quod eſt vndecimum, ſub fine: cur hæc immortalitatis quædam æmulatio inter volucres Phœnici tantùm conceſſa, quæ plurium alituum ſæcula exhaurit, quæ Buſtum non metuit? Perpende,num Virginitatis fortaſſe in typum: Quippe ex volatilibus hæc auis torum recuſat, Matrimonia odit, ſine coïtu degit, & reſurgit cùm emoritur: itaque Virgo perpetuùm eſt,quæ ſola eſt in orbe; & cùm ſoboleſcit, neque Patrem agnoſcit, neque vuluam ſarcinæ pondere grauat: Quando igitur Virginitati, quædam immortalitatis prælibatio quaſi debita ſit, rectè quod exemplum in volucre commonſtretur, in qua eminentis pudicitiæ & caſtitatis Notæ refulgent; proinde cùm de immortalitate, atque Reſurrectione contrà Ethnicos antiqui diſputarent, libenter à Phœnice ducebant argumenta; è quibus Zeno Veronenſis Serm. de Reſurrectione: *Similiter* (ait) *Phœnix, Auis illa pretioſa, Reſurrectionis euidenter nos edocet iura: quæ nobilitatem generis ſui non à Parentibus accipit, non liberis tradit: ipſa ſibi eſt vterque ſexus, ipſa omnis affectus, ipſa genus, ipſa finis, ipſa principium: non ex coïtu naſcitur:* (ecce vbi Virginitatis figuram indicat:) *non inuita,non imprudens moritur; ſed cùm maturi lethi tempus aduenerit, à ſemetipſa inuitatis ſacris ignibus libentiſſimè concrematur; ſepulchrum nidus, illi fauillæ nutrices: denique poſt monumentum feſto exultat in tumulo, non vmbra,ſed veritas, non imago,ſed Phœnix, non alia, ſed quamuis melior alia, tamen prior ipſa.*

Matt. 22. 30.

Ambroſ.

Sidon. Apoll. *Virginitas Phœnici inter aues Virgini,Reſurrectionis,& Immortalitatis ſymbolo bellè comparatur.*

Zeno Veron.

36. Chriſtus patriarum legum obſeruantiſſimus, etiam vſque ad Circumciſionem, nec recuſauit, cùm tamen de hoc ſtigmate Bernardus aſſerat Serm.3.de circumciſione, loquens de æterno genitore: *Si quomodo poſſit non agnoſcere filium ſuum, ex hoc maximè ſigno poterat ignorare eum, quod peccatoribus ipſe prouiderat, ob purgationem vtique delictorum:* qui igitur tam ſtudioſus Rituum; cur non de more illorum temporum, vxorem duxit? omnis enim tunc felicitas in ſobole: Recogita per Adami peccatum introductam eſſe mortem in orbem Terrarum, clausámque æternitatis ianuam: venit Chriſtus in mundum reparaturus damnum, quod irrepſit ex primo Homine, venit vt Paradiſi aperirentur valuæ, vt præſtaret immortalem gloriam ſanctificatis: cuius ergo talis ſcopus, quomodo Virginitatem non coleret? Nam ſi mortis deſtructio intentabatur, & Virginitatem immortalitas ſequitur, Virginem eſſe decebat, per quem corruptio, & interitus ſublatus fuiſſet: Magnus Baſilius libro de vera Virginitate: *Cùm legi in omnibus obtemperauerit, ſolum Coniugium renuit: oportebat enim, vt qui ex intemerata Virgine incorruptus etiam ſecundum Carnem natus erat,ne coniugij quidem corpoream experiretur corruptionem: cæterùm à corruptis per iugalem copulam, naturali integritati noſtræ incrementa ſuppeditans, quemadmodùm Adam præſentis vitæ ſemen per coniugij voluptatem fuerat: ita & ipſe ſemen futuri ſæculi per Virginitatis fieret integritatem.*

Bernard. *Chriſtũ maximè decebat Virginitas, quòd in mundum veniſſet, vt mortẽ deſtrueret, & immortalitatem pareret.*

Baſil.

37. Cùm Arcam intraret Noë cum filiis & vxoribus illorum,quaſi ſeparatos maſculos à fœmineo ſexu Scripturæ innuunt verba, dicit enim: *In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë, & Sem,& Cham, & Iaphet filij eius; vxor illius, & tres vxores filiorum eius*, Geneſis cap.7. verſ. 13. cùm de exitu poſtea ſermo, combinantur viri & fœminæ, cap.8.v.16. Hinc deducunt ex Patribus nonnulli abſtinuiſſe à coïtu, quoad Arcâ egreſſi ſunt: quare hoc? Num ob terrorem communis ſtragis? quaſi probroſum videretur etiam licitis frui amplexibus tum, cùm pœnitentiæ & luctus magis occaſio eſſet, nec parceret conditioni aut ſexui lethum omnino furibundum & circumquaque falce dementens: ſic Ambroſius de Arca & Noë, cap. 21. *Apertè igitur velut ordine ingreſſionis vocem quandam iuſtus emittit, tempus illud non eſſe concubitus, neque deliciarum, quo omnibus immineret interitus: mœroris igitur tempus illud, non lætitiæ erat, & indè iuſtus conſortio non delectabatur vxoris, vel filij iuſti petebant copulam coniugalem: Quàm enim indecorum, vt quo tempore viuentes morerentur, tunc perituri generarent?* Suggeramus aliud: Arca illa inſtrumentũ erat, quo Mortalitas effugabatur, quo conſeruabatur ad longa ſæcula genus humanum: itaque, quod erat interitus propulſabat Arca: Quando igitur hoc ei conceſſum, quaſi Virgineam apparêre decebat: Nam Virginitas quidem coïtum auerſatur: ad pudicitiæ itaque repræſentationem Veneri nihil indultum, proinde meritò ſaluatrix Arca nuncupatur, & quâ Mortis ſagittæ confractæ ſunt: Hieronymus lib.1.contra Iouinianum: *Arca illa iuxta Apoſtolum Petrum, typus Eccleſiæ fuit, in qua octo Animæ ſaluæ factæ ſunt: quando ingreditur in eam Noë; tam ipſe, quàm filij eius ab vxoribus ſeparantur: Quandò verò egreditur in terram, iunguntur paria: & quod in Arca, ideſt, in Eccleſia fuerat ſeparatum, in Mundi conuerſatione ſociatur.*

Geneſ. 7.13. *In ingreſſu Arcæ Noaci ſeparantur vxores à viris, in exitu verò iunguntur ſimul, quòd Arcam deceret eſſe quaſi Virgineam per quã genus ſeruabatur humanum.*

Ambroſ.

Hieronym.

---

*Sacerdotalis Honoris, quàm fulgida & ſublimis dignitas.*

## SECTIO III.

38. NIhil in Magnorum Principum ædibus laquearium opere ſplendidius, nihil quod plus excellat: Domus etiam ſancta Dei Eccleſia eſt, in hac pulchra viciſſitudo nobiliſſimarum partium, quod tamen præ cæteris eximium eſt, de cypreſſo lacunar, clerum & Sacerdotes demonſtrat: Bernardus ſerm. 46. in Cantica: *Laquearia verò, quæ à tignis firmiter pendent, domos inſigniter ornant, puto benè inſtituti Cleri manſuetos & diſciplinatos mores, ritéque adminiſtrata officia deſignare.* De hac etiam cypreſſo Sponſi Baſilicæ Aponius: *Cypreſſinum namque lignum manu Artificis concinnatum, decorum præſtat aſpectum, & odorem iucundiſſimum reddit, & ad multas paſſiones corporis medicinæ virtutem in ſe continêre probatur; Quæ caſtitatem, pudicitiam, obedientiam, humilitatem, charitatem, & miſericordiam conſeruantium formam; venerantium Sacerdotum honorem exprimere intelliguntur.*

*Laquearia Cypreſſina Clerum & Sacerdotes figurant: præcipuã Eccleſiæ partem.*

Bernard.

Apon.

*telliguntur* O Sacerdotij lumen! ô decus excelſum! pudeat vilibus occupari faſtigia Maieſtatis adeptum: Leuit.c.4.v.3. mandatum, ſi fortè Sacerdos peccauerit, delinquere faciens populum, *offerat pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino*: eodémque rurſùs cap. verſ. 13. præcipitur, quòd ſi omnis turba Iſraël deliquerit, non niſi vitulum ad expiandam culpam offerat: quamobrem ab vnius Sacerdotis piaculo tantùm exigitur, quantùm ab vniuerſo populo? Nonne vides eaſdem ſoluere pœnas, qui vnum ſuffuretur aureum nummum, ac qui plures argenteos, plurimóſque æneos? quæ cauſa eſt parium ſuppliciorum? nempè licet vnus & ſingularis ſit aureus Nummus, ob pretium tamen ex Metalli præſtantia æquiualet multis argenteis nummis: Quare omnibus cùm reſpondeat, omnium pœnas ſubit qui aurum diripit: Spiritaliter autem Sacerdos aurum eſt, plebs aut argentum, aut ſtannum: æquiualet igitur Sacerdos vnus ob dignitatis eminentiam vniuerſo populo: tale igitur reputatur huius vnius præuaricatio, atque illorum omnium, quando omnibus vnus quaſi æquiualet: inde igitur eſt, quod vtrobique eadem pendatur Hoſtia, Vitulus nimirum, quo Sacerdotij gloriam intelligamus, quod tanquam aurum ſit comparatione promiſcui generis humani: Iſichyus in nominatum Leuitici locum; *Idem præcipit in ſacrificio turbæ, & Sacerdotis, vitulum ſcilicet immolari: Vnde apertiſſimè oſtendit eadem eſſe peccata Sacerdotis, & plebis: quare idem ſacrificium pro vtriſque oblatum.*

Leuitic. 4.3.

*Tantundem pro ſuo piaculo offerre iubetur Sacerdos, quantùm pro totius populi ſcelere, vitulum nempè in ſacrificium.*

Heſychius.

39. Parum eſt vt arbitremur humanæ multitudini quanquàm vniuerſæ velut æqualem vnum Sacerdotem, opus eſt vt Angelis aſſimilemus: de Pſeudo-prædicantibus admonens Galatas Apoſtolus, inquit cap.1. verſ.8. *Sed licet Nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*: quem vocat Paulus, aut quorum ad differentiam, Angelum de cœlo? Nonne omnes adminiſtratorij Spiritus intra cælorum ambitum continentur? illorum Regio eſt felix & ter beata ſtatio, vbi vident faciem Patris, & aſſiſtunt iugiter throno incircumſcripto: Homines ſunt qui in hoc exilio gemunt, & in domibus luteis habitant: Quoſnam igitur terrenos Angelos appellat? Audite Malachiam, genus Angelorum, quod in Terris verſetur, deſcribentem cap.2.verſ.7. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt*: Sacerdotes itaque, quibus diuinarum functionum onus incumbit in terris, Angeli ſunt, per quos quando Euangelium promulgari ſoleat, inquit Doctor gentium: non ſolùm his non Angelis fidem adhibendam, nouum Euangelium introducere conantibus, ſed quanquam è cælo ex ſpiritibus quiſquam deſcendat; ſi tamen contraria Pauli doctrinæ, qui Spiritus ſancti oracula certiſſima declarauerit, quaſi per impoſſibile, docêre tentaſſet; non eſſe auſcultandum ei: Chryſoſtomus in Epiſtolam ad Galatas: *Non temerè dicit, de cœlo; quoniam Sacerdotes quoque dicti ſunt Angeli: labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam* (Malach.cap. 2.) *& legem exquirunt ex ore eius, quoniam Angelus Domini Omnipotentis eſt: ne quis exiſtimet de his Angelis nunc verba fieri, addita particula de cælis, ſupernas virtutes innuit.*

Galat. 1.8.

*Sacerdotes, Angelis æquales.*

Malach. 2.7.

Chryſoſt.

40. Stella Magos excitauit, vt longâ peregrinatione Ieſum in præſepi vagientem quærerent: poſtquam adorauerunt, ab Angelo in ſomnis moniti ſunt, ne redirent ad Herodem: ſic Matthæum cap.2. verſ.12. interpretatus Chryſoſtomus homilia 6. in eius Euangelium, inquiens: *Denique, quos vocauerat, & ad præſepe ipſum ſtellâ præeunte duxerat: eis iam non per ſtellam, ſed per Angelum loquitur*: Quamobrem non & ſydus modò qualem qualem illam emittit vocem, vt in patriam reuertantur; quâ adhortatus eſt, vti Domeſticos relinquerent? difficiliúſne imperaſſe, lares vt deſeras, quàm vt recuperes? auſcultemus quid idemmet Chryſoſtomus homilia ſequenti dicat: *Poſtquam Puerum adorauerunt; non iam ſtella eos, ſed Angelus ſuſcipit: quia ſcilicet adorando facti ſunt Sacerdotes*: Verùm concedamus aureæ eloquentiæ Doctori Sacerdotio honoratos: Num Sacerdotes aſtra regere non valeant? cur Magum ſtellarum ignes ductant, Sacerdoti neceſſarium eſt Angelus aſſiſtat? Perſpice: Deus eiuſmodi vel Pædagogos, vel itinerum comites adhibet; quorum conditio propior accedat Diſcipulorum ad indolem, ipſorúmque ſtudiis, & impulſibus cognata ſit: ac proinde, quòd noſſet ſyderum contemplationi addictos Magos, ſtella vocauit grato imprimis nuncio cælorum Philoſophis, id, quod bellè admodum conſiderauit Chryſoſtomus memoratâ iam homilia 6. aiens: *Et qua ratione, inquias, Magos per ſtellam duci ad Chriſtum, & quonam modo? oportuit Prophetas mitti potiùs: Sed nequaquam Magi credidiſſent Prophetis: aut voce aliquâ deſuper ſonare: nec hanc quidem tantoperè curarent: aut Angelum mittere: Verùm hunc quoque forſitan præteriſſent: propterea igitur omnia huiuſmodi derelinquens, per ea illos vocat, quæ familiaria eis conſuetudo feciſſet; mirâ quidem diſpenſatione Pietatis, ad Hominum condeſcendens ſalutem*: Iam verò, vt hauriebamus ex Chryſoſtomo, Saluatorem adorando Sacerdotes facti ſunt; quod ſi initiati, & Myſtæ quidem, etiam Angeli conſtituti, Nam Sacerdos, vt ex Malachiæ vaticinatione didicimus numero præcedenti, Angelus Domini exercituum eſt: Angeli itaque cùm poſt venerata incunabula Filij Dei cenſerentur ad Sacerdotium; Angelos, non ſtellas, itineris ſocios nanciſci operæpretium: quippe vt diximus, Numini moris eſt Naturis rerum dona accommodare: rectè ergo cùm patriâ diſcederent, ſydere præuio vſi ſunt, quia tunc Aſtrologi, quibus ſtellarum amor eſt, in quibus & voluptas: Sed rectè quoque poſt adorationem Angeli occurrunt, quoniam iam ipſi Angeli, & Angelis familiares ſun alij Angeli, potiùs quam ſydera.

Chryſoſt.

Idem.

*Stella Magos in Bethleem ducit, Angelus verò eos redeuntes comitatur, quia ſcilicet adorando facti ſunt Sacerdotes (ait Chryſoſt.) & inde Angeli, vnde ſocios Angelos nanciſcuntur.*

Chryſoſt.

41. Num etiam Angelicæ licet gloriæ magnificæ prælatum nonnunquàm Sacerdotium? Ingreſſus in templum Chriſtus, cùm inueniſſet vendentes oues, & boues, & columbas, & vidiſſet Nummulariorum menſas; *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo*, Ioannis cap. 2. verſ.15. Sanè Hieronymus in cap.21. Matthæi, affirmat, Sacerdotum nomine, qui quæſtum faciebant, in templi exedrâ verſatos: idipſum teſtantur duo Pontifices, Anacletus epiſtola 2. & Pius Primus epiſtola 1. quos Toletus citat Annotatione 19. in cap. 2. Ioannis, quin & docent ipſoſmet Sacerdotes à Chriſto vapulaſſe, & Templo propulſatos: Quo in facinore non quidem demiror pœnis caſtigatos audaces Homines, ſtupeſco tamen non alio criminum vindice, quàm ſeipſo, vſum Ieſum. Memini Ambroſium cogitantem, vt cùm Deus è ſupernis deſcenderit ad intuendam Sodomitarum enormitatem, non tamen per ſeipſum caſtigarit, ſed per

Ioan. 2.15.

Hieronym.

Anacletus.

Pius I.

Tolet.

*Sacerdotum crimina non per Miniſtros ſuos, ſed per ſeipſum punit Chriſtus; Inde ſceleris enormitas indicatur.*

Ambroſ.



per Angelos; cauſam ſuggerere lib. 1. de Abraham cap. 6. ſub initio: *Vbi Gratia* (inquit) *largienda eſt, Chriſtus adeſt: vbi exercenda ſeueritas, ſoli adſunt Miniſtri, deeſt Ieſus*: Secundùm hanc igitur conſuetudinem, quamobrem non alieno vtitur miniſterio Chriſtus, & per Angelos punit, vel immiſſis Belluarum monſtris, vel deiecto è cælis fulmine, aut Terræ hiatibus? Solent orbis Monarchæ acceptas ab Hoſtibus iniurias vlciſci conſcripto milite, & nominatis ducibus qui ferro aggrediantur, & inimica depopulentur arua, cùm interim ipſi domi reſidentes in quiete & otio Aulæ fruantur voluptatibus: cæterùm, ſi quando Hoſtis nimium contempſit, & exacerbauit; quò iræ magnitudinem demonſtrent, valere delicias iubent, loricam induunt, caſſide muniuntur, clypeum arripiunt, haſtam vibrant, & feroces redditi aciem ipſimet ductant, & in pellibus frigora, æſtúſque perferunt: ergo quod Monarcha ipſemet in pugnam vadat, manúmque conſerat cum Hoſte maximarum irarum feruêre æſtibus innuit: Hunc itaque ad modum de Ieſu intelligamus; quòd Angelos reſpuat, qui percutiant, quòd elementa & creaturas omnes, ad ſignificandam iniuriæ enormitatem facere: grauiſſimum eſt piaculum quod à Sacerdotibus Deo conſecratis Hominibus geritur: ô attendite genus electum Sacerdotale, neque enim mediocria vobis ſupplicia intentantur: exurget Deus ipſe & iudicabit cauſam ſuam, tanquam parturiens loquetur, & diſſipabit omnia ſimul; ipſe, & non alius occurret vobis, & conſumet vos vſque ad fundamentum.

Ambroſ.

42. Benè iſta, ſed nondum pro inſtituti noſtri ſcopo: neceſſum eſt enim perhibeamus, honoris eſſe, quòd Sacerdotes Chriſtus ipſe manu ſuâmet puniat: Nam etiam verberatos Sacerdotes, Templôque propulſatos ex Anacleto, & Pio aduertimus: equidem olim Deus longè priuſquam ſub humana forma apparuit, ab exordio rerum, ſuperbientem Luciferum cum factioſis ſpiritibus compreſſit, imúmque in Tartarum deiecit: ſed quonam id pacto? ipſéne iniuriarum vindex, an alius? profectò Michaëlem deputauit, qui ſeditioſis reſiſteret: *Et factum eſt prælium magnum in cælo.* (Apoc.cap.12.verſ.7.) *Michaël, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius; & non præualuerunt, neque locus inuentus eſt eorum ampliùs in cælo.* Quare igitur Luciferum ſtellam illam matutinam fulgentiſſimam in Paradiſo Dei, cuius ornamentum omnis lapis pretioſus, per Michaëlem Olympo deturbat? peccantibus autem Sacerdotibus in diebus carnis ſuæ, quaſi reuerendæ Auctoritatis quodammodò oblitus, ipſe flagelli Artifex, ipſe manu arripit, & caſtigat? Solet in familia numeroſa contingere, vt vel famulantium ſeruitia delinquant; vel filius, vxórve peccent: Equidem ex ſeruorum grege delinquente aliquo vocatur conſeruus alius quiſpiam, qui vel alapâ, vel fuſte percutiat; indecorum enim reputaretur, talia ſi Dominus ipſemet exequeretur: Si verò aut vxor, aut filius oberrauit; iam hos non ſeruorum quiſpiam tangit, ſed vxorem Maritus corripit, filium genitor: atque hanc ſuppliciorum differentiam ratio maioris excellentiæ intulit: Quoniam enim digniores famulis gnatus & vxor ſunt; Reuerentia expoſtulat, vt corrigantur, non ſubdi miniſtris domus, ſed Poſſeſſori eius: penès hæc igitur & opinari valeamus; vt intelligeremus in Sacerdotio aliquid eſſe maximè ſublime, & propè diuinum, vt quibus poteſtas Chriſti conceſſa ſit; Angelos quidem proteruè elatos Deus per alios Angelos ſeuerè corripuit: Sacerdotes verò ipſemet Deus Homo factus, per ſeipſum punire dignatus Vicario nequaquam in pœnas ſubſtituto.

*Sacerdotalem honorem ex eo infer, quod ſolâ Chriſti manu puniantur.*

Apocal. 12. 7.

43. Canit in Pſalm.138. Dauid, de die, in quo plaſmatus eſt Adam v.5. aſſerens: *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam*: Nonne iuſſu & voce formare poterat, quin manibus etiam limum attrectaret: cur igitur & more humano digitis puluerem coagmentat, & diſtendit? Num Pontificalis Ritus prælibatio illa eſt, quod Antiſtes manuũ impoſitione liturgos conſtituat? Sed quorſum Sacerdotem Adamum facere Numen optet, quaſi manuum impoſitione tale quidpiã innuat? Tunc quidem dilectiſſimum opus ſuum, & inter mundana nobiliſſimũ omnibus exornare modis Deus procurauerat: congeſſit itaque mille gratiarũ dona, mille honorum titulos: cogitans autem fulgentiſſimum eſſe Sacerdotij nomen, & quod hominis dignitatem mirificè commendaret, ratus abſque hoc, non vndequaque glorioſum futurum Adam, impoſuit ei manus, vt Sacerdotio tanquam initiatum conciperemus: Video Literæ non plurimùm quadrare expoſitionem, ſed quoniam Patronum habet ex antiquis non ſpernẽdum Moyſem Barcepham, inſerendam duximus, is 1. parte de Paradiſo, cap.28. enumerans conceſſas Adamo prærogatiuas decimo loco Sacerdotium recenſet, aiens: *Decimò, auxit ipſum Sacerdotij munere: Nam fuiſſe Sacerdotem ex Dauidis Pſalmiſtæ verbis cognoſcitur, dum veluti loquentem cum Dẽo Adamum inducens, ait: finxiſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: Sacerdotium enim manuum impoſitione confertur ſicut & Baptiſmus*: Quibus non votis filium domus heredem exoptauit Abraham? natus ei tandem Iſaac belliſſima ſoboles, longæ expectationis digna tamen recompenſatio, adoleuit ſe melior ſemper, atque in iuuentutis flore pulcherrimus iuuenis, è cuius vita Matris, Genitoriſque pendebat ſolatium, deſtinatur ad victimam: Non frontem contrahit, non reluctatur Abraham: cur in Vnigeniti morte tam conſtans? Primò: quoniam diuinum vrgebat imperium: Secundò; quoniam ſtimulabat vtilitas: Scilicet, ex Victimatione Sacerdos futurus: audiamus à Zenone Veronenſi ſermone 1. de Abraham: *Abraham* (inquit) *Dominum filio, Sacerdotem prætulit Patri: nec pium ſe credidit niſi probaſſet fidelem*: Hæreo in clauſula illa: *Sacerdotem prætulit Patri*: Hoc eſt, quidem Sacerdotis denominationem Genitoris nuncupationi: Pater ſimul dici non potero & liturgus: niſi enim ſacrificauero, Sacerdotem non appellabunt: ſin vero Hoſtiam feriturus ſim, filius vnicus peribit, quem de Sara ſuſcepi, & abſque liberis, Pater non vocabor: ô dulce Genitoris nomen; ô ſuauia vocabula, Pater & filius! Sed ô ſublimem Sacerdotij Titulum, & vltra Regis inſcriptionem, excelſum! vincat Religio, pereat affectus: diſcat à nobis Nepotum ventura ſeries, quanti in Sacerdotis appellatione theſauri, pro qua filius ad necem offertur: cætera pro Iſaaco, ſi opus, expendantur, Honor, valetudo, diuitiæ, vitæ iucunditates: Vtinam iſtorum iacturâ charum redimi caput potuiſſet! at cùm pro Iſaaco reliqua expendantur, verùm pro Sacerdotio & ipſemet expendatur Iſaacus: nihil igitur Sacerdotij pretio æquale, quando Sacerdotio deſideratiſſima quæque poſtponuntur.

Pſal. 138. 5.

*Adamũ quaſi Sacerdotem ordinat Deus, dum in eius conditione, ei manus impoſuit.*

Moſ. Barceph.

Zeno Veron.

*Abrahamus vel ipsâ vnigeniti filij nece Sacerdotis nomen ſibi vult vendicare.*

*Indigna laus eſt, quam affectus, non autem Merita conciliant.*

## SECTIO IV.

44\. *Non multa ſplendida domus ex Cedro ornamēta pulcra licèt laudat Sponſus, ſed tigna & laquearia, quæ ſcilicet robuſta ſunt & valida.*

NOnne in domo formoſa Principis ex Cedro, atque Cypreſſo cubilium Tabulata, aularum ianuæ, atriorum columnæ, patentiora quęque ædium ornamenta? quamobrem igitur cæteris omiſſis partibus, faſtigij trabes laudat, & pendētia culminibus laquearia? In thalamo quidem, & in aula Regis ex Cedro, & de Cypreſſo opera admiranda, ſed pulchra ſunt illa tantùm, non verò & fortia pariter: etiam in ſuperioribus venuſta conſpiciuntur, laquearia namque elegantiæ deſeruiunt, ſed trabes ibi, quæ licet inimicum ſuſcipiunt imbrem, & ventorum flatus, reſiſtunt ſtrenuè: igitur illa, & robuſta ſimul, & decora: ergo alij extollant plurimùm cubicula & Aulas, nam ſpeciei amore rapti, ardenter depereunt loca ambitioſæ Artis, & affectus eis encomiorum Iudex eſt: Sponſus autem, qui prudentiſſimè omnia diſcernit, illa potiùs commendet quæ robuſta & valida ſunt, quæ laborant, & onus graue ferunt cadentium pluuiarum, ſonantium grandinum: equidem & in Republica, & in ſingulari congregatione reperire eſt viros, qui deforis ſpecioſi apparent ementitis virtutum coloribus: alij calloſi ſunt, & pondus ſuſtinentes, qui ſuffulciunt Templum Domini maſculo vigore præditi, quos tignis cedrinis delineari

Bernard. optimè aduertit Bernardus ſerm. 46. in Cantica: ſed heu vitium! heu improbitatem! extolluntur pulchelluli illi, Principum latera ſtipant, Prouinciarum habenas capeſſunt: ſcilicet, placuêre optimatibus, & delicias ſuas magis regnare volunt: Affectus non Ratio delectum facit: ô citò caſuras Nationes talibus ſub Præfectis! iacent obliuione conſepulti Atlantes, viri, ſuper quibus requieuit Spiritus ſcientiæ & pietatis, Spiritus conſilij, & fortitudinis, & Spiritus timoris Domini: tolerabile hoc, niſi & miſellos, & ineptulos, tanquam de ſemine gigantum, reuereri & laudare cogamur, contra Sponſi vtique iudicium, qui deferenda præconia non niſi meritis eximiis, tignorum potiùs, quàm Aulæ & Cubiculorum commendatione declarat.

45\. Iob 1.8. *Magnificum aliquid Iobi laudibus addit Deus, poſt toleratos ab ipſo incōcuſſo animo ſæuos aduerſæ fortunæ caſus.*

Laudauit Iobum Dominus Aduerſario Dæmoni: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra, Homo ſimplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* cap. 1. verſ. 8. Laudauit ſecundò iiſdem verbis, adiunxit inſuper: *Et adhuc retinens innocentiam?* cur priori encomio non hanc ſuperaddidit clauſulam? Nam ſi Iobus in eum diem & rectus, & ſimplex, hoc quidem eſt eſſe innocentem: Quamobrem itaque de innocētiæ gloria tacuerit? cæterùm aliud eſt, mitem ſe præbuiſſe & immaculatum Principis fruentē beneuolentiâ: aliud, poſtquàm is quaſi contempſiſſe videatur, & Hoſtium permiſiſſe ludibriis! ô quanta eſt illuſio in Humana Natura, blandiente ſibi de Humilitate, & virtutum opinione ſub fauore Antiſtitum! neque enim ideò cōpoſiti ſunt, quòd Honeſtatem in viſceribus ament, ſed quia eâ Modeſtiæ ſimulatione Ambitio opus habet: procul caſſet ſuperior, iniuriâ affeciſſet, vah in quas exarderent furias! quibus proſcinderent maledictis famam, pro cuius inculpato honore toties digladiati ſunt, cùm lenior demulceret aura Gubernatori chariſſimos! emphaſim igitur illa continēt: *Et adhuc in innocentia ſua!* Quid eſt *adhuc*? poſtquā filiis orbatus eſt, poſt latronum rapinas, poſt igne è cælis cadente combuſtas oues cum pueris: ergo nec tum deſeruiſſe antiquum candorem præclariſſimum Decus eſt: nihil hac laude ſublimius: noluit tamen Iobo eam concedere Numen, quoad expleſſet certamen; alioqui, affectui, non meritis deferre videretur: præcedat operum ſeges pulcherrimorum, ſubſequatur fama, eò ſtabilior, quò non ventoſa, eò cumulatior quò non futilis, denique perennis & duratura, quoniam veritate, non mendacio exorta: Chryſoſtomus tom. 1. homilia 4. de patientia Iob: *In primo teſtimonio minimè dixit Deus: Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quoniam non eſt ei ſimilis in terra, Homo irreprehenſibilis, & timens Deum! iuſtus, vērax, & recedens ab omni opere malo: Et adhuc retinens innocentiam, non appoſuit: poſt certamen verò, póſtque Victoriam; quaſi coronam adducit famæ celebritatem ſuis certaminibus conuenientem: cùm enim mille, decémque millibus modis patiens, abſque malitia tuliſſet calamitatem contra Dominum, non blaſphemans: coronam ſibi plectit malitiâ vacuam, & dicit: quoniam non eſt Homo ei ſimilis retinens innocentiam.* Chryſoſt.

46\. *Paternam benedictionē muliebri induſtriâ, non laborum ſuōrum merito aſſecutus Iacob, peregrè proficiſcitur, quò multis laboribus, multâ fortitudine glorioſus lares repeteret paternos.*

Paternam Benedictionem miro ſtratagemate Iacob adeptus ſtatim fugam meditatur in Meſopotamiam ad domum Bathuelis: cur abſcedit, cùm ſi vnquam fuit tempus, quo domi reſidere exoptandum eſſet, hoc illud maximè, cùm Primogenituræ titulo inclareſcat, proinde & familiæ ornamentum, quin & Rector, nam longæuus Pater caligat, nec eſt qui vices gerat niſi Primogeniti honore ornatus? Non videt & breui ex Mortalium ſodalitio abiturum Iſaac: tum eo abſente occupandam ab Eſau ſupellectilem vniuerſam? maneat igitur apud Genitorem, nec tentet diſcedere. Ita quidem eſt, Iacob Benedictione paternâ conſilio Matris potitum, neſcio tamen, an quaſi propudêret egregium Adoleſcentem, conquiſitam eam velut Artis ſagaci quodam ſtudio, potiùs, quàm meritis: Nam quibus Genitoris promeruiſſe Beneuolentiam legitur? Quid ſiue in Bello, ſiue in pace geſſerit? reſarciturus igitur geſtorum maciem, laribus ſe proripit, nec reuertitur niſi poſt multa luſtra: ſcilicet interim patientiæ dotibus effulſit, Labanum frequenter iniquum ſuſtinens; fortitudinem probauit, auſus cum Angelo nocte totâ colluctare: in diuinam quoque familiaritatem admiſſus, cùm dormienti cælorum patuerunt Valuæ: his, aliíſque monumentis famam conſequutus inſignem, natalia repetit: Tum omnes acclamare meritò à ſapientiſſimo Genitore Eſau prælatum, talem Primogenituræ inſulis dignum vnicè virum, illuſtrium facinorum rumore celeberrimum: ô Heroum eximium, cui verecundia, vt exiſtimatur, ad Primogenituræ conſcendiſſe glorioſum culmen, non ob merita, ſed fœmineam propter induſtriam! latêre placet, exulare, donec hæc aboleatur ſuſpicio: Zeno Veronenſis ſermone de Patientia: *Iacob, per patientiam, & Benedictionem lucratus eſt fratrem: dat iracundiæ locum ſecurus vt redeat domum: Patri commendat: ſenſim, mitiſque diſcedit, vt probet ſe meruiſſe, & non ambiſſe quod meruit:* Recogita illud: *vt probet ſe meruiſſe.* Bonis enim viris infauſtus Honor eſt, quem Merita non pepererunt: non ornari ſe putant, ſed labe infici: ô confuſionem honeſtiſſimam, ſed à noſtri ſæculi plurimis alienam! Zeno Veron.

Obauditas



47\. Pſalm.4.2. *Deum Iuſtitiæ dum ſuas exaudit preces, non verò Deum Miſericordiæ appellat Dauid.*

Obauditas à Numine preces ſuas lætis pangebat verſibus Dauid Pſalm. 4. verſ. 2. inquiens: *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ:* Quidnam ſignificet, cùm *Deum iuſtitiæ* appellat? magis Deum Miſericordiæ nuncuparet; miſericordiæ namque opus eſt, ſubuenire inopi, eiuſque obſecrationi concedere: An denotat non niſi iuſtè fuſas orationes ſuſcipere? iuſta autem oratio eſt, quâ & recta, & debito modo poſtulamus: Perpende Dauidem formâ venuſtiſſimâ

1.Reg.16. 12. præditum, *erat enim pulcher aſpectu, decorâque facie*, Reg. 1. cap. 16. verſ. 12. conſidera robore præſtantiſſimum: Nam & Leonem & Vrſum ephebus interfecit, cap. 17. verſ. 36. tranſi ad poſteriores glorias, & vide Iudææ imperantem, purpurâ & ſceptro conſpicuum: Quæro, cùm exaudiebat Numen, & indulgebat precibus, an faciei mouebatur decore? apage: Num ob toroſos lacertos? haudquaquam: Num denique ob reuerentiam ſolij ſuperbi & Diadematis? profectò neque ob iſta? Quâmobrem igitur? propter *iuſtitiam* & æquitatem; ideò teſtatur, *exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ:* ô præcellentem Gubernatorem, quem non externi, & aduentitij futilium nominum tituli mouent, ſed ſola iuſtitiæ, & æquitatis ratio: perpendit ſingulariter Zeno Veronenſis Commentario in dictum Pſalmum:

Zeno Veron. *Et ideò* (ait) *non dixit Propheta: exaudiuit me, ſed iuſtitiam meam, ſuam in Deum fiduciam oſtendens, & quod cum ea ſemper ad eum accedit: Nec verò putet quiſpiam cùm hæc dicit, ſe iactare, & glorioſè loqui: Non enim hæc dicit ſe volens extollere; ſed doctrinam quandam, & admonitionem communem valdè vtilem afferens: Ne dicat enim quiſpiam: Ille fuit exauditus, quoniam erat Dauid; ego verò non exaudior, quoniam ſum puſillus, & abiectus: oſtendit; quòd nec illum audit quomodocumque, nec te non audit temerè, & nullâ ductus ratione; ſed ſemper res, & facta exactè contemplatur.*

48\. Pſalm.4.3. Sic de Numine cecinit Dauid, ſtatímque ad Mortales conuerſus eodem Pſalmo, verſ. 3. inquit: *Filij Hominum, vſquequò graui corde? Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* In quæ verba memoratus nuper Beatus, idémque eloquentiſſimus Martyr: *Vanum enim illud dicitur, quod eſt inane, quando nomen quidem fuerit, res nequaquàm: quis eſt ergo adeò vecors, vt quærat nomina, quæ rebus deſtituuntur?* Equidem ſub confuſiſſima huius Mundi Regione non pauci eorum, qui & honores, & opes conferre poſſunt, iis diſtribuunt, non quibus debiti ſunt ob doctrinam, ob conſilium, ob militarem laudem, ob vitæ conſpicua ornamenta, ſed in quos prauus diuertit affectus: itaque vel puerorum, vel muliercularū gratiâ liberales, aut in Paraſitos, vel Muſicos, vel rerum peſſimarum inuentores, Iudiciarios, Ariolos, & ſimilia monſtra: Quia tamen ij videri cupiunt, qui iuſtè & ſecundum prudentiam officia, & gazas diuidunt, cùm ſolidum nihil crepent, quos euexerunt, ſpargunt falſiſſimos rumores, vitiis nomina imponentes honeſta; ſic temeritatem fortitudini adſcribunt, viles & timidas mentes, humiles vocant, & id genus alia: Hoc autem nihil aliud eſt, quàm vt dicebat Pſalmus, *diligere vanitatem, & quærere mendacium:* ita igitur comparabat Deum & Homines: quod ſummus ille Pater, in iudicium & æquitatem feratur: ô auream gubernandi rationem; vbi verum ſecernitur, verum quæritur, & quicumque de vero eſt, is Deo charus, ſiue Græcus, ſiue Armenus, ſiue Indus ille ſit: propterea *Deum iuſtitiæ* congruentiſſimo nomine Dauid appellabat: ſed non filij Hominum tales: Vanitatem amant, & mendacium ſectantur: ideò in Gentibus, ideò in Congregationibus ipſis toties ſeditiones atque tumultus, malè ferentibus iis, qui ſtrenuè pro publico laborarunt Bono, ſuis illudi conatibus; dum fæces hominum anteponuntur viris conſtantibus.

Zeno Veron. *Carpuntur Principes homines, qui in diſtribuendis muneribus diligunt vanitatem, & quærunt mēdacium.*

Verùm rursùs Dauid auſcultandum: neque enim latebat, futuros, qui tantæ inuiderent celſitudini, & in cælum os ſuum ponerent, quòd minorem natu in fratribus ab ouium caulis ad regium apicem Numen euexerit: Horum igitur inanes eſſe aduersùm diuinam Prouidentiam querimonias, volens oſtendere intonabat carmen, Pſalm. 128. verſ. 2. inquiens: *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea; etenim non potuerunt mihi:* Perpendite, qui conuitiamini nobis, non ſediſſe nos in vmbra, otio, & blandimentis ſegnes: in puluere, & acie verſati ſumus, non ab heri, aut nudiuſtertius, ſed ab Adoleſcentiæ rudimentis primis: Deum immortalem! quoties laceſſiti ſumus; quoties tentati? Semper in conflictibus, nunquàm omninò ſuperauit Hoſtis: *Etenim non potuerunt mihi:* de ipſiſmet lapſibus triumphauimus: Nam fateor, Vriæ Hethæi vxorem concupiuimus, ſed fortiores ex ictu ad prælium rediuimus; Hæc geſtorum noſtrorum ſeries: ergóne iniuſtum Numen, qui clarificauit poſt tot exantlatos labores? Saülis in throno ſedemus, Palæſtinæ dominamur, & finitimarum Regionum partibus: per enſem tamen quæſita eſt tanta Gloria: Nemo arbitretur quaſi feriantibus conceſſam poteſtatem: Non Philiſtæus toties fugatus patietur ſemiuiros nos dici: Non Saul quanquam liuore multo exæſtuans: deſinat igitur inuidia oblatrare: neque enim, vt homines quandoque, id vnquam Deus conſentit; ſtrenuos vt contemnat; effæminatos charos habeat: in hunc etiam Pſalmum ſæpè allegatus Veronenſium Antiſtes Zeno Martyr: *Non otioſa* (ait) *ætas viri Religioſi eſt, neque quietam exigit vitam: impugnatur iam ab ipſis iuuentutis ſuæ initijs, & impugnatur ſæpè: non nouella itaque, neque rara impugnantium odia ſunt, ſed ea ſæpè etiam ab ipſis initijs ætatis infeſta ſunt: & idcircò hæc ſunt, quæ fidem probant, quæ patientiam teſtantur, quæ inuictæ virtutis coronam merentur.* Zeno Veron. 49.

Pſal.128.2. *Ne quis in Diuinam prouidentiam obmurmuret, quòd Dauidē in thronum euexerit immeritum, ſua præclara facinora celebrat ipſe Dauid.*

Benedixit Iſaac filio ſuo Iacob, inquiens: *Det tibi Deus de Rore cæli, & de pinguedine Terræ abundantiam frumenti, & vini, & ſeruiant tibi populi*, &c. Geneſ. cap. 27. verſ. 28. Acceſſit poſt fratrem Eſau, cúmque non ſupereſſe nouam Benedictionem Pater ſuadêre tentaret, eiulatu, & importunitate extorſit ferè priori ſimilem: *In pinguedine Terræ* (ait) *& in Rore cæli deſuper erit Benedictio tua: Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies*, &c. Sed ecce nihil in Verbis de Numine, neque enim ſicut quando optimè imprecabatur Iacob, dixit, *Det tibi Deus de Rore cæli:* Significauit, quæ Iacob accepturus fuiſſet à Creatore emanatura, id quod animaduerſum eſt à Gloſſa Græca: *Ille* (inquit de Iacob) *fructibus vberis ſoli, tritico, vinôque fruetur: hic in vbere quidem ſolo habitabit; ſed ad victum comparandum gladio vtetur in prædis: quocirca adÿcere noluit: Dabit tibi Deus.* Verùm, quamobrem non & concedere etiam Eſau Deus feratur? Equidem à Deo omnia munera: Nam & ſolem ſuum oriri facit non ſuper bonos ſolùm, ſed quoque ſuper malos: 50. Geneſ.27. 28. Gloſſa Græc.

*Benedictionē Iacobo Dei vocato nomine largitur Iſaac: non itē dum Eſau immeritum benedicit, quòd à Deo non emanet eiuſmodi extorta benedictio.*

Scitè tamen ad noſtram doctrinam, cùm ditari Eſau legimus, Deus ſubticetur, tanquam non indulſerit: quamobrem iſtud? Scripſit feſtiuè Gregorius Papa homilia 30. in Euangelia: *exhi-*
Gregor. *bitionem operis probationem eſſe Amoris:* Si ergo de Numine legeremus, Beneficiis proſequutum Eſau: de operum manifeſtatione colligeremus, diligi ab eo: eſto verò, inquias, notum fuiſſet, Deo charum eſſe Eſau, quodnam inde abſurdum? Primùm: difficultas in Malachia,& Pauló explanandis: Nam alter Vaticinationum cap. 1.
Malach.1.3. verſ. 3. ſub Perſona Creatoris inquit: *Dilexi Iacob, Eſau autem odio habui.* Alter vſurpat &
Rom.9.13. repetit ad Roman. cap. 9. verſ. 13. Quomodo igitur ſi duo atteſtantur, Deum odio habuiſſe Eſau: nos affirmaturi ſimus dilectum, & charum illi fuiſſe pignus? Secundò: Hominum Gubernationi haud ita commodum potuiſſet eſſe exemplum: Cùm enim non raró eis contingat meliores ſupprimere, euectis ad loca Regum amplitudini proxima, viris, neque morum ornamentis, nec aut armorum aut ſcientiarum encomiis celebratos, non Prudentiæ, vel æquitatis rumore inſignes; potuiſſent ſeuerioris Diſciplinæ contrà frendentibus reſpondêre Hominibus; etiam Deum inter familiares & charos ſibi numerare Mortalium atrociſſimos, nam de hac turma vnus quiſpiam Eſau, quem tamen beneficiis multis affecerit, nam & de pinguedine terræ, & de rore cæli ei indulſit: Ne igitur huiuſmodi ſermonibus malitiâ ſuâ obfirmarentur Antiſtites iniqui, & licêre exiſtimarent præmia egregia immerentibus diſtribuere, & laudare impietatem; venuſtè admodum, non cùm recenſentur quæ malus Eſau acceperit dona, perhibetur conceſſiſſe Deus, ſed tum ſolùm, cùm Narratio eſt de Beneficiis in multis nominibus præclariſſimum Iacob Patriarcham collatis; ideò tunc: *Det tibi Deus de Rore cæli,* &c.

CAPVT



*CAPVT SECVNDVM.*

# VESTIGATIO XVIII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum primum & ſecundum Capitis ſecundi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus:* Ego flos campi, & lilium conuallium.
Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias.
*Cap.2. verſ.1. & 2.*

*Alba Veſtis lætitiæ indicium: Matthæi illuſtratio: Nobilitatem à plebe diſtinguit: examinata ſententia ex Iacobi epiſtola: epulaturi in candido amictu: Apocalypſis locus: Marcus ſeriò enucleatus: Sindon quid? Paræmiaſtæ lux: Nubentium veſtes candidæ: iterum Apocalypſi fax: Byſſus quidnam? Subtilia indumenta: Verſus ex Pſalm. 44. particularis intellectus: immaculatam Deiparæ Conceptionem, quonam modo Salomon teſtetur hîc?*

### Sectio I.

1. *Hic ſub nomine Lilij agitur de Nuptiali veſte candidâ.*

VARIÆ opiniones & priſcorum & Recentium de Perſona, quæ modò in ſcenam producatur, Spóſúſne ſcilicet dicat, an Sponſa? conabimur ea proferre, quæ ſiue vni, ſiue alteri conceduntur, inoffenſo tramite Hymenæi procurrat connexio: ac quidē ante omnia ſtatim vellemus, ſeu vir ſeu Puella loquatur, agi ſanè his verbis de nuptiali Veſte, quam, cùm niueam atque albentem eſſe oporteret, candor liliorum colore ſignificetur lacteo: itaque, cùm poſt monilia & aromata, veſtiúmque acu pictos labores, tandem & thalamum genialem abſolutum, & locum Conuiuiorum affabrè inſtructum docuiſſent ambo coniuges; nunc ſuggerunt & lineam paratam eſſe ſtolam, quæ connubialis gaudij ſit ornamentum, tam puram verò & candidam eam, quæ cum liliis exquiſitiſſimis, quæ nimirum ſepto clauduntur ſpinis horrido, de niueæ pulchritudinis gloria optimè concertare valeat: hoc eſt lilium nominari ſeu Sponſum, ſiue Sponſam, non fortaſſe quòd amictu liliorum effigies portarent inſcriptas, ſed quòd aſpectus ad liliorum candorem proximè accederet: Quam etiam ob cauſam Matthæi cap. 6. Chriſtus Salomonem cùm fulgentior in publicum exibat, liliis comparauit, inquiens verſ.28. *Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis?* Matth.6.29.
*conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant; neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis.* Solebat enim auguſtiſſimus Monarcha, cùm ad recreationem prodibat, & videri optabat à populis elegans & Hilaris, candidâ in veſte conſpiciendum ſe præbêre, quemadmodum Flauius Ioſephus his teſtatur verbis comitatum magnificum ſimul deſcribens, & viſendi decoris: *Ideo in Euāgelio Salomonis gloria comparatur Lilio: quòd cùm in publicum prodiret elegans, candidâ in veſte conſpiceretur.*
*His* (inquit lib.8.Antiq. cap.2. numero 7. intelligens quadrigas & equorum ſtabula) *decus addebant equites, flos iuuentutis, procerâ ſtaturâ, promiſſôque capillitio conſpicui, & tunicas è Sarrana purpura induti: adhæc ramentis auri quotidie capillum ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contactum fulgor è capitibus eorum reflecteretur: Hi armati & pharetris ſuccincti regium currum ſtipabant, quo ſublimis inuectus, & amictus Veſte candidâ, manè ſolebat vrbem egredi: aberat ab Hieroſolymis duorum ſchœnorum ſpatio prædium nomine Hettan, hortis & inductis fontibus amœnum, ſimul ac opulentum: in eum locum vectari delectabatur.* Hoc pariter ſubinnuit Titulus ex verſione peculiari Hieronymi & aliorum Pſalmi 44. prænotatur enim: *pro lilijs:* quibus veſtem genialem Nubentium, quod in ea liliorum natura effigiata eſſet, indicatum eſſe viri docti ſenſerunt: Nos de indumentorum coloribus interpretari poſſe, quod ex more connubialis lætitiæ candida eſſent, non inſcitâ conſtructione arbitrabamur. Ioſeph.

Equidem Veteres, quoties vel Honoris, vel 2.

*Amictus albus lætitiæ, honoris, gloriæ indicium; vnde in ſpectaculis, Conuiuijs, ſolemnitatibus, veſte albâ induebantur veteres.*

gloriæ rationes ſpecioſiori induebantur cultu, in
albis procedebant, ſed id fiebat maximè ad læti-
tiam demonſtrandam, quare & in ſpectaculis & in
Conuiuiis & omni ludorum genere eo plurimùm
delectati colore: Valerius Maximus lib.2. c.1. *Se-*
Valer. Max. *natus* (inquit) *poſt Cannenſem cladem decreuit, ne*
Plutarch. *Matronæ vltra trigeſimum diem luctus ſuos extende-*
*rent: itaque Matres, ac filiæ, coniugéſque, & ſorores*
*nuper interfectorum abſterſis lachrymis, depoſitis*
*doloris inſignibus, candidam induêre veſtem.* Plu-
tarchus in Artaxerxe: *Allato hoc oraculo, cùm*
*Achæi cuncti gauiſi ſunt, tum Sicyonij præcipuè; qui*
*conuerſo in feſtum luctu, protinus corpus, Ægio*
*coronati, & candidis amicti veſtibus, carminibus &*
*tripudijs in vrbem ſuam deduxêre:* Hinc apud Ioan-
nem c.20.v.12. Angeli poſt Chriſti Reſurrectio-
nem albis veſtiti cernuntur, quòd lugendi tem-
pora finem accepiſſent in Seruatoris morte, eiúſ-
que Anaſtaſis gaudium incomparabile Mortali-
bus attuliſſet: ita omnis penè interpres, è quorum
Gregor. numero Gregorius hom.21. in Euangelia: *Qui ſto-*
*lâ candidâ coopertus apparuit, quia feſtiuitatis noſtræ*
*gaudia nunciauit: candor enim veſtis ſplendorem noſtræ*
*denunciat ſollennitatis.* Quemadmodum verò motis
fuerit, vt qui ad publicos ſpectandos ludos con-
gregarentur, candidam vel induerent togam, vel
Rader. lacernam, oſtendit Raderus lib.1. Martialis Epigr.
Lipſius. 25. ad Ruffum, & lib.4. Epigr.2. de Horatio. Lip-
Pineda. ſius Electorum lib.1. c.13. Pineda in Eccleſiaſten.
c.9. verſ.8. num. 3. certè in Triumphis comitan-
tium ordines vniuerſi, vnde Epigrammatarius li-
bro 8. Epigr.61. ad Domitianum:

Martial. *Hic lauro redimita comas, & candida cultu*
*Roma ſalutauit voce, manûque Ducem.*

Herald. Ibi multa quæ confirment Heraldus ſuggerit:
ſimiliáque his Ioannis in Apocalypſi de Verbo,
Apocalypſ. quod triumphabat cap.19. verſ. 14. *Et exercitus*
19.14. *qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis, veſtiti*
*byſſino albo, & mundo.*

3\. Neque gratus color ſolùm, verùm honoris
*Candida veſtis Nobilitatem à plebe diſtinguit.* pariter, & qui à plebeio ingenuum, & nobilem
ſequeſtraret; Quamobrem Romani ſeruos cùm
manumitterent, cùm annulo donarent ingenuos
teſtante, pariter & candido amictu idem conſi-
gnificante Tertullianus de Reſurrectione Carnis,
Tertullian. c.37. *Oro te, ſi famulum tuum libertate mutaueris: &*
*veſtis albæ nitore, & aurei annuli honore, & Patroni*
Athenæus. *nomine, ac tribu, menſáque honoratur.* Athenæus li-
bro 4. Dipnoſ. cap. 10. cùm de Perſarum luxu,
memorat, qui cœnanti miniſtrarent, pulchris ſeu
elegantibus indutos veſtibus, aut potiùs al-
bis, nam quædam exemplaria non καλὰς ha-
Cauſabon. bent, ſed λευκὰς, vt Cauſabonus Animaduerſio-
Ambroſ. nibus obſeruauit: Ambroſius planè diſtinguit
à vulgo, libro 1. officiorum cap. 19. *Non pre-*
*tioſis & albentibus indutus veſtimentis, ſed commu-*
Bernard. *nibus.* Feſtiuè Bernardus ſermone 4. de Nati-
uitate Domini: *Vtilior quippè in conflictu lorica*
*ferrea, quàm ſtola linea, licet oneri ſit illa, hæc*
*honori.* Equidem ſuprà vulgi cenſum ſpondebat
quidpiam Ioannis in Apocalypſi Pollicitator, in-
Apocal.3.5. quiens cap.3. verſ. 5. *Qui vicerit, ſic veſtietur*
*veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de li-*
*bro vitæ.* Inſignior verò locus eſt ſcopo no-
Iacob.2.2. ſtro apud Iacobum cap. 2. verſ. 2. *Etenim ſi*
*introierit in conuentum veſtrum vir aureum annu-*
*lum habens in veſte candida; introierit autem, &*
*Quid* Candida veſtis. *in Iacobi Epiſtola?* *pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum,*
*qui indutus eſt veſte præclarâ*, &c. quâ ſententiâ
illuſtres à proletariis ob candidam veſtem di-
ſcriminantur: Scio non paucos eſſe Theologos
Iacobi interpretes, qui candidæ veſtis appellatio-
ne, non niueum aliquod ſignificari indumen-
tum arbitrentur, ſed conſpicuum aliquem ami-
ctum cuiuſcumque demum coloris fuerit: His
ego ſanè libens concedam, Græcam dictionem
λαμπρὰ, pro qua ordinarius Tranſlator vertit
*candidam* non alborem tantùm ſignificare, ſed
quod illuſtre, & ſplendidum, nam vbi paulò in-
feriùs eadem reperitur vox, expreſſit veſtem
præclaram: cæterùm quòd candidi nomen apud
Latinos alterius coloris lucem denotet, neſcio
quonam id fundamento dicatur: Verum eſt Pe-
trum Fabrum in Agoniſtico aſſerere libro 2. Petr.Faber.
cap.12. & 25. album & candidum non raro ſi-
gnificare quod puniceum ſit, aut coccineum, &
iuxta hunc ſenſum, Apocal. cap.7. legi verſ. 14.
*Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, &* Apocalyp.
*lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſan-* 7.14.
*guine*, hoc eſt, rubicundarunt quidem, nam
dealbare idem eſt cùm de purpureo dicatur: ſed
Fabrum ſatis confutarunt noſtri, Alcazarius Alcazar.
in capite 7. Apocal. verſ. 9. in Commentario;
Lorinus ad memorata Iacobi Apoſtoli ver- Lorin.
ba: Quanquam autem in Apocalypſi aliter *De-*
*albandi* vſurpare vocem cogeret Literæ germa-
nior interpretatio, quòd ſanguinis aſperſio
aliter capi non poſſit: in Iacobi autem textu,
nihil eſt, quo vrgeamur, alio modo vocabulum
conſtruere, quàm merè vt ſonat; igitur de can-
dida veſte exponendus, quam ipſam poſtea de-
clarat præclaram eſſe, Nobilium ſcilicet deſtina-
tam pompæ: Rectè etiam mihi obſeruaſſe viſus
Iuſtus Lipſius Elect. lib. 1. cap. 13. quem ſequuti Lipſius.
Raderus lib. 1. Mart. Epigram. 25. Roſſinus An Rader.
tiquit. Roman. lib. 5. cap.32. quam Græci Ve- Roſin.
ſtem appellant λευκὴν, Latini *albam* natiuum
lanæ colorem indicare: quam iidem λαμπρὰν
dicunt, à nobis *candidam ſplendentem* poſſe vo-
cari, quod Naturam Ars promoueret, cretâ
nitidiorem reddens amictum, cuius miniſterij
homines fullones nuncupati; quare de Chriſto
transfigurato Marcus cap.9. v.2. *Et veſtimenta eius* Marc.9.2.
*facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix,*
*qualia fullo non poteſt ſuper terram candida face-*
*re.* Quod autem fulgentia memorat, id ex in-
genio, vt candor radios quoſdam effunderet dum
micat. Seneca lib.1. de Tranquillitate cap. 1. *Pla-* Seneca.
*cet non in ambitionem compoſitum cubile, non ex ar-*
*cula prolata veſtis; non ponderibus, aut tormentis*
*ſplendêre cogentibus preſſa.* Itaque Iacobus cùm
Diuitis pallam λαμπρὰν nuncupat, non albam vt-
cumque fuiſſe monet, ſed in qua laborauerit Ars
poſt Naturæ induſtriam, & quæ non ſolùm can-
didior reddita ſit fullonum ſtudio, ſed inſuper
fulgens, & ſplendida euaſerit.

Tranſeamus ad Epulationes, & Conuiuia: nam 4.
eùm in his genialis pompæ feſtiuior portio, ope-
ræpretium fuerit monſtraſſe, non niſi candidâ ac-
cubuiſſe in Veſte: Cicero in Vatinium: *Atque* Cicero.
*illud* (inquit) *ſcire ex te cupio, quo conſilio, aut quâ* *In Conuiuijs*
*mente feceris, vt in epulo Q. Arrij familiaris* *olim veſtis*
*mei cum toga pulla accumberes?* paulóque inferiùs *candida.*
ſubnectit: *Quis vnquam cœnauit atratus?* Horatius
Flaccus lib.2. Sermonum, Satyr.2. de celeberrimis
ſympoſiorum diebus:

*Ille repotia, Natales, alióſve dierum* Horat.
*Feſtos albatus celebrat.*

Qui ex humanis plurima deſideret, adeat Sukium Sukius.
lib. 2. Conuiuialium Quæſtionum, cap. 16. Nos
ex ſacratiori penu depromemus aliqua: Salomon
in Eccleſiaſte poſtquam de cibatione, cap.9. v.7. Ecclis.9 7.
inquit:



inquit: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum,*
*& bibe cum gaudio vinum tuum*; Subdit continuò
de ornatu Hoſpitum: *Omni* (ait) *tempore ſint veſti-*
*menta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat,*
Apoc.3.18. Expreſſiùs multò capite Apocal.3. verſ.18. *Sua-*
*deo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locu-*
*ples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appa-*
*reat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos*
*vt videas.* Quem in finem veſtis candidæ præpa-
ratio? nempè ad conuiuandum, nam ſtatim ad-
dit: *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vo-*
*cem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad*
*illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum:* Quod ve-
rò ad epulas iturum monet collyrio inungere
oculos, perſpicacem in videndo oportêre eſſe
ſuggerit, quod circumſpectio in verbis & geſti-
bus neceſſaria ſit, nam & monitum conuiuiale
Prouerb. hoc eſt apud Salomonem Prouerb.cap.23.verſ.1.
23.1. *Quando ſederis, vt comedas cum principe, diligenter*
*attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam:* Hinc
illud intelligi valeat, quod Marc. cap. 14. v.51.
Marc.14.51. *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus*
*Sindone ſuper nudo, & tenuerunt eum: at ille reiectâ*
*Sindon, quid?* *ſindone, nudus profugit ab eis:* Nam quid ſindon?
lini quidem, cuius inſigne fuerit pretium, ſpe-
Athenæus. ciem fuiſſe Athenæus lib.9. c.18. indicat: *Mantilia*
*præbuerunt* (inquit) *ſplendida è Sindone texta, &*
*vnguenta ambroſiam ſpirantia.* Eôque more intelle-
Dalechamp. xit Dalechampius Annotationibus in memora-
Iul. Pollux. tum caput: ſed & Iulius Pollux in Onomaſtico
lib.7. cap. 16. de lineis veſtibus, inter eas ſindo-
nem, quam *Ægyptiacam* appellauit, commemo-
Bayfus. rat: cui Lazarus Bayfus libello de re veſtuaria
Seber. credidit, Vvolfangus Seberus Notis in dictum
Salazar. Pollucis caput, Salazarius, in verſum 24. cap.
Rader. vltimi Prouerbiorum, Raderus in Martialem
lib.4. epigram. 19. vbi de Endromide ſub finem
pangit:

Martial. *Ridebis ventos hoc munere tectus, & imbres,*
*Non ſic in Tyria Sindone tutus eris.*

Quibus innuit ſubtilem fuiſſe & aëream, nec ad
arcendum Temporum iniurias vtilem, ſed ad
Forer. luxum & delicias: quare Forerius in verſ. 23.
cap. tertij Iſaïæ, ſimile putauit tenuiſſimo lino
Cameracenſi, quod *Cambray* vulgus nominat:
aduertunt autem præfati Auctores non ideò exi-
ſtimandum punicei fuiſſe coloris, quod Tyriam
Epigrammatiſta dicat Nã à Sidone vrbe, quæ pri-
ma texere cœpit Sindonẽ appellatam coniectan-
tur, cui cùm Soror eſſet Tyrus, epitheto nuncu-
pata eſt Tyria: Quamobrem rectè quidem Salo-
mon de gnaua Matrona, Prouerb. cap. 31. v. 24.
Prouerb. *Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit*
31.24. *Chananæo*, hoc eſt Phœnicibus, qui maritima Sy-
riæ occupant, & ex Tyro Sidone maris oſtiis na-
uigant in externas Prouincias, balteum ex nobili
lino, confici enim ex eo docet Pollux loco ſupe-
riùs allegato: legitur & Chriſtus poſt mortem Si-
Matth.27. done inuolutus mundâ, Matth. cap.27. verſ.59.
Ioann.19. quem linteis funeratum Ioannes refert, cap.19.
*Quorſum* (*dũ capitur Chriſtus*) *Adoleſcens quidã* amictus Sindone? verſ. 40. Iam igitur, quorſum iuuenis Sindone
tectus? nimirum ob paſchales epulas ſollennis
era Nox illa: cùm igitur alterâ ædium parte Ho-
ſpes cum familiaribus accumberet, auditis tu-
multibus de comprehenſo Seruatore, ſic vt
erat conuiuialem indutus togam, candidam ſci-
licet, de lino ſiquidem, turbis ſe immiſcuit cœ-
naculo proſiliens, quem Hoſtes tenêre cùm ſtu-
derent, relictâ eis cœnatoriâ veſte in manibus,
profugit: Ita penè de Adoleſcente quidem Car-
Baron. dinalis Baronius tom. 1. Annalium, anno Chri-
ſti 34. num.39. cæterum, quod obiici à nonnullo
poſſit, frigidam noctem extitiſſe illam, quando
Petrus calefiebat ad ignem atrij in medio, Luc. Luc.22.
cap. 22. veſ. 55. proinde intellectu difficile eſſe,
quòd tam rara & ſubtilis deſcribatur Sindon,
cùm eâ ſolâ cooperiretur, tectus enim erat Sin- Super nudo
done ſuper nudo: Reſpondeo nudum appellari, *quomodo in-*
non quòd veſtibus ad interulam vſque careret, *telligendum.*
ſed quòd togam depoſuiſſet, vt conuiuiali appa-
reret cum amictu: Nudos autem nos eſſe tum
quoque dicere conſueuimus, cùm indumentis
ſpoliamur, quibus coram exteris auctoritatem
conciliamus: ita, cùm Ioannis cap.21. verſ.7. Pe-
trus in naui inter commilitones nudus refertur,
non omni tamen caruiſſe veſte, (Hoc enim non
ſatis Apoſtoli dignum modeſtiâ cenſeatur) Mal- Maldonat.
donatus, atque Toletus ſenſerunt: ſtabile igitur Tolet.
videatur candidum fuiſſe conuiuialem amictum,
ex Sindone vtique, albo ad miraculum Lino.

Quanquàm autem ex his pro nuptialis veſtis 5.
colore non leue argumentum: ſi enim in feſtiuis
candida ſemper, vbi maior Hilaritas, quàm in *In Nuptijs*
geniali tripudio? oſtendamus tamen ſpeciatim *candidæ ve-*
de nuptiis: extat venuſtus locus apud Sidonium *ſtes.*
Apollinarem lib.5. epiſt.7. Thaumaſto, de his, Sidon. Apoll.
qui omnia inuertunt: *Nam libenter* (ait) *incedunt*
*armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Eccle-*
*ſias, pullati ad nuptias:* ſiquidem vt deferrent Gen-
tium vſibus è diuerſo quidem, albati ſcilicet ad
nuptias, pullati ad funus proceſſiſſent: ſed præ-
ſtat ſubtexere, quæ eo loci, ex Petro venerabili
Ioannes Sauaro tranſcripſit, qui lib.5. epiſt. 16.
inquit: *Veſtes candidas magis gloriam, quàm abie-* Sauaro.
*ctionem, magis gaudium, quàm mœrorem antiquitus*
*deſignaſſe: indè bonus, & doctus vir, Sidonius Ar-*
*uernus Epiſcopus, quorundam vitia mordaci repre-*
*henſione irridens, inter alia, quibus in eos inuebitur;*
*procedunt, inquit, albati ad exequias, pullati ad nu-*
*ptias; oſtendens eos in tantum moribus & actu confu-*
*ſos; vt apparatum funereum nuptiali, nuptialem fu-*
*nereo, peruerſo ordine permutarent: Nam, qui mo-*
*rem communem temporis illius ſeruabant, non albati*
*ad exequias, pullati ad nuptias, ſed albati ad nuptias,*
*pullati ad exequias procedebant; vt albati nuptiali*
*gaudio, pullati luctui funereo concordarent.* Quam-
obrem in adagia tranſlatum de iis qui præpoſte-
ro ordine quæ Hilaria ſunt triſtibus commodant,
atque è diametro, vt albati ad exequias pergere
referantur, cùm ad nuptias tali cum habitu pro-
ficiſcendum magis, v Gilbertus Cognatus in ſyl- Gilb.Cogn.
loge Parœmiarum aduertit, qui & Auctorem
citat Staniſlaum Hoſium in explanatione Synodi Stan.Hoſius.
Petricouienſis: ſed Sponſa ipſa prodeat apud
Ioannem cap. 19. Apoc. verſ. 7. *Gaudeamus, &* Apoc.19.7.
*exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ* *Byſſus, quid-*
*Agni, & vxor eius præparauit ſe: & datum eſt illi, vt* *nam?*
*cooperiat ſe Byſſino ſplendenti, & candido:* Byſſum,
genus lini tenuiſſimi, ac ſubtilis eſſe Plinius do- Plin.
cet lib. 19. cap. 1. Pollux in Onomaſtica lib. 7. Pollux.
cap.17. adſentiunt Alcazarius cap.1. Apoc. v.13. Alcazar.
Notat. 11. Alapide in cap. 25. Exod. Sanchez in A Lapide.
cap. 16. Ezech. éſtque receptum pronunciatum. Sanchez.
Sanè, Reg.2. cap.6. verſ.14. de Dauide, *Erat accin-*
*ctus Ephod lineo.* Eadem recenſita 1. Paralip. c.15. 2.Reg. 6.14.
verſ. 17. *Porrò Dauid, erat indutus ſtolâ byſſinâ:* 1.Paralip. 15.17.
linum autem cùm ſit, quis dubitet candidam
eſſe? Anaſtaſius Sinaïta lib. 6. Hexameri: *Nam* Sinaïta.
*Byſſus quidem, quæ pluſquam Nix refulget, oſtendit*
*ſymbolum lucis, quæ procedit ex luce Dei Verbi*, &c.
Ioannes Alexander Braſſicanus in ſymmictis ex Io. Alex.
Plutarch. Apophthegm. refert *Byſſinis vti verbis* Braſſ.

*cum principe*, idem eſſe, atque apertè, & manifeſto vero cum eo loqui, quod in Byſſo ſubobſcurum nihil & vmbroſum appareat, ſed alba vniuerſa: Sponſa igitur quæ Byſſinis cooperitur ob nuptias, planè in candido amictu eſt ob geniale gaudium.

6. Pſalm.44. His verò opponas, quod in Carmine nuptiali Pſalm.44. verſ.14. deſcribatur Sponſæ veſtis, quæ cum auro ſit *circumamicta varietatibus*, non autem fulgens & candida: & Iulius Capitolinus in Maximino Iuniore, auratos amictus fuiſſe memorat quos nouæ Nuptæ Iuniæ Fadillæ antenuptialia dederit munera: Quis etiam renuat purpurâ condecoratas quæ deſponſabantur? Claudianus in Epigrammat. de laude Serenæ:

Iul Capitol. *Aurati & purpurei amictus in nuptijs, ſed ſub ſtola ex byſſo candida.*

Claudian.

*———me iungeret auſpex,*
*Purpura me, ſancto cingeret aula choro.*

Et de geniali thalamo Iuuenalis Satyra 10. verſ.335.

Iuuenal.

*———Tyriuſque palàm genialis in Hortis*
*Sternitur.*

Catull. Vti & Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos: Admitto quidem nuptiis traditas geſtaſſe purpuram auro intextam, variiſque cum laboribus pictam, ſeu modò cum animantium figuris, ſeu cum herbarum, aut ſyderum imaginibus: Verùm deſuper ſtolâ byſſinâ coopertam tantam gazam, quæ tamen propter ſummam Byſſi ſubtilitatem tota apparebat contueri deſiderantibus: Seneca epiſtola 90. *Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas quibus veſtis nihil celatura conficitur?* Et libro 7. de Benef. cap.9. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi corpus poſſit:* huius Generis Byſſus, quod ideo Plinius lib.19. cap.1. tenuiſſimi lini genus vocat, & fortaſſe aërij lini nomine indicatur ab Elia Cretenſi in orationem decimam Nazianzeni de funere Cæſarij fratris: Cameracenſi delicatiſſimo & aëreo planè lino ſimillimam putat Delrius Commentario in Hippolytum Senecæ in verſum 386. Talibus ornabantur ad fœdera connubialia progreſſuræ: Petronius in Satyrico:

Seneca. Idem. Plin. Elias Cret. *Veſtes ex lino ſubtiliſſima.* Delrius.

Petron. *Quid, ventus textilis?*

*Æquum eſt inducere nuptam ventum textilem?*

Turneb. *Ventum textilem* (inquit Adrianus Turnebus libro 1. Aduerſ. cap.19.) *Veſtem ventoſam, & tenuiſſimam, æquantémque propemodum ſubtilitate ventos, appellauit.* Ezechielis cap.16. verſ.10. ad ingratam Sponſam Maritus: *Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te ianthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus:* ſtatimque iterum: *Veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus:* Hinc explananda Dauidis Muſa ſuprà, Pſalm.44. verſ.14. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus:* nam varium indumentum eſt, quod ab Ezechiele nuncupatur polymitum & diuerſorum colorum, & cùm hæc eſſet illuſtrior pars ornatus Sponſæ, tegeretur autem ſtolâ byſſinâ, dixit bellè, intus celari quod ſplendidius eſſet: quare miro ingenio Lucanus 2. Pharſal. de Martiæ infauſtis nuptiis, quando læta vniuerſa in funeſta tranſierint, docuit byſſo, & ſubtilibus amotis, Purpuram ne videretur lanâ tectam ab illa:

Ezechiel. 16.10. Pſalm.44.

Lucan.

*Obſita funereâ celatur Purpura lanâ*
*Non ſoliti luſêre ſales.*

Hæc de albis veſtibus in omni ſollennitate, nuptiis autem ſingulariter fuſiùs proſequuti ſumus, quòd multa ſint in hoc Epithalamio, eiuſmodi quæ Tractationem deſiderant: ſicut cùm Sponſi *Venter eburneus* aſſeritur cap.5. verſ.15. de Thorace enim explicant aliqui, quem eburneum dictum volunt ob niueum colorem: Venter item Sponſæ cap.7. verſ.2. *lilijs* perhibetur *vallatus:* atque eadem cap.8. verſ.5. ex verſione LXX. & Græcorum Patrum dealbata aſcendere ex deſerto nunciatur: fortaſſe etiam, quod Sponſus cap.5. verſ.10. *Candidus & rubicundus* depingitur, de purpuræ amictu eſt ſermo, quem ſuperimpoſita velabat Byſſi tela, ita vt proderet quoque ob ſubtilitatem.

Cantic.5.15. Et 7.2. Et 5.10.

Sponſæ vt commodemus verba iſta, & Vulgati & LXX. conſentientem interpretationem declaremus: primo quidem capite, cùm virum ſuum faſciculum Myrrhæ & Botrum Cypri nominauit, loquutam diximus eius de veſtimentis, in quibus talium ex Arte textoria, inſcriptio: Modò igitur de ſuis veſtibus, ait; quòd ad ingenium operis ſpectet, agri totas diuitias effigiatas eſſe tantâ quidem æmulatione Naturæ, vt flos meritò campi nominari poſſit: quòd pertineat ad colorem ob ſuperinductam laboratis veſtibus candidiſſimam lineam telam pro more nuptarum, lilium poſſe vocari: Quidam putarunt, de lilio paruo eſſe memoriam, quòd appropriatâ voce, conuallium appellatur: hoc etiam candore præſtare docet Auctor Hiſtoriæ Generalis Plantarum tom.1. lib.7. cap.26. Verùm Genebrardus, Delrius & alij obſeruant Hebræâ dictione, nimirùm שׁוֹשַׁנַּת *ſchoſchannath*, lilium maius ſex foliorum indicari: comparauit autem ſe Sponſa pro modeſtia ſua, liliis quæ paſſim abſque Hortenſi induſtriâ, apertis naſcuntur in locis, vt ſunt conualles: corrigit eam vir illius; ſubditque, parem videri eximiis liliorum, his ſcilicet quæ magnâ enutriuntur curâ inter viridaria, ad quæ ne tranſeuntium viatorum ingrediatur vulgus, ex ſpinis ſepimenta circumquaque ambiunt: de ſepibus ex ſpinæ aculeis Marcus Varro lib.1. de Re Ruſtica: & quidem in Palæſtina, cùm ob glebæ felicitatem etiam in ſilueſtribus Angulis Roſæ, liliáque prouenirent, & odoratarum plantarum numerus copioſus: iucundiſſimum lilij genus eſſe oportuit, quod ſub cuſtodia ſpinarum eſſet: Quamobrem, non æquum eſt eorum iudicium, qui de noſtra verſione ſuſpicantur minùs propterea germanam, quòd lilium expreſſerit, & non Roſam, ſiquidem Roſæ Natura tribuit, vt de ſpinis oriretur: ſed oſtendimus ſententiam non eſſe de candice Roſarum, aut liliorum, verùm de Hortorum propugnaculis, quæ ſunt ſpinæ arbores. Cæterùm, quòd noſter Textus florem campi nominat ex virtute primarij idiomatis Roſam transferri potuiſſe, multi ſunt qui admittant, quin & Roſam communibus verbis ſignificaſſe interpretem, quòd florum Regina exiſtat, vt aſſeuerat Plinius lib.21. cap.4. tamen dictionẽ eam, nempè חֲבַצֶּלֶת *chavatſſeleth*, Vulgatus apud Iſaiam cap.35. verſ.1. *Lilium* tranſtulit: *& florebit quaſi lilium*, vti & LXX. quoque, ἀνθήσει ὡς κρίνον: neque ſanè cuiuſcumque agri vel Roſam, vel lilium, ſed campi *Saron:* in Hebræo namque הַשָּׁרוֹן *haſchſcharon:* montem eius nominis fluminibus, Hortis & vineis delicioſum iuxta caſtrum Lamberti non longè à mari ſtatuit Adrichomius in Aſer numero 73. Qui in Ephraim numero 87. Regionem campeſtrem Hieronymum opinor ſequutus in Hebraïcis nominibus, eſſe memorat inter Cæſaream Palæſtinæ & Ioppen, pecoribus aptam ſaginandis: certè laudatus collis ab Iſaia loco ſuperiùs indicato, qui nec Libano, nec Carmelo cedat: Quòd ſi quidem Roſam ſignificari iuuat; alluſio eſt ad veſtem

7\. *De quonam Lilio hic fiat mentio?* Varro. *Lilia in Palæſtina ſylueſtribus.* *Quid hic flos campi?* Plin. Iſai.35.1. LXX. Saron *quid?* Adrichom. Hieronym.



Sponſæ ex purpuræ coloribus; ac mox, cùm liliorum ſequitur mentio, indicatur byſſina ſtola, quâ muricis cooperiebatur gloria: nobilius verò Roſarum genus ſuboſtenditur, cùm Patria Saron adſcribitur: ſin autem vbique de lilio eſt oratio ita vt etiam flore campi denotetur; cùm omnibus liliorum ſpeciebus comparetur Sponſæ ornatus: ex tanta Repetitione oportet hauriamus, ſingulariter mirabilem fuiſſe veſtium candorem; cui vna liliorum forma declarandæ par non erat.

8\. Ex his, inquias, liquet, falſam eam eſſe lectionem, quæ ait: *Sicut Roſa inter Spinas, ſic Amica mea inter filias:* quòd ſi hæc quidem repudietur lectio, vndenam conſtet his verbis præfiguratam Virginis Dei Matris ſine labe conceptionem, neque enim lilia Rubus aut ſpineta pariunt; & Roſam dicere genuina conſtructio vetat: quonam igitur modo factum, vt hinc argumentum promſerint viri ſanè laudatiſſimi, & diligentes, quales Bellarminus tom.4. lib.4. cap.15. Galatinus lib.7. de Arcan. cap.5. Suarius tom.2 in. 3. part. diſp.3. ſect.5. Valentia tom.4. diſp.2. quæſt.1. Punct.2. Ægidius de Præſentat. lib.3. de concept. quæſt.5. art.6. §.5. vt alia minora capita omittam. Reſpondeo præfatos Auctores excepto Galatino, de Lilio, non autem de Roſa loquutos eſſe: ſupponebant autem id quod Matthæi verba innuunt cap.6. verſ.28. *conſiderate lilia Agri*, &c. etiam in locis horridis, & incultis apud Palæſtinos lilia ſurgere: id quod à ſe conſpectum fuiſſe Brocardus Monachus refert part.2. Deſcriptionis Terræ ſanctæ cap.1. Ad hæc ergo lilia, quæ inter paliuros & Rhamnos gleba Deſerti emittebat, alludunt qui illibatæ Virgineæ Conceptionis typum indè hauriunt: Nam ſicut mirabile eſt inter ſenticoſa & ferruginea lilium vndequaque formoſum, & blandulum, & candidulum prodire: ſic ſtupendum fuit corruptâ generis humani maſsâ, cunctiſque ſpinâ Originalis delicti tranſuerberatis, Mariam abſque næuo concipi: Equidem non ſpernendam eam Tranſlationem docuimus, quæ pro flore campi, exprimit, Roſam Saron: atqui de Saronis aliqua parte memorat Procopius Gazæus, ſolo conſtare paludinoſo & veprium fertili, ita namque ait in v.9. cap.33. Iſaiæ: ἡ χώρα ἡ καλουμένη σαρὼν ἢ ὁ σαρώνας ἑλώδης ἐγένετο, ἢ ἀχρεῖος, ἐξ ἀκανθῶν ἐμπλησθεῖσα θρασύτητος: *Regio ipſa, quæ Saron, ſiue Sarona vocatur, paludis effecta eſt, ſiue infrugifera, aſperitate ſpinarum referta.* De Roſa itaque has inter ſpinas edita, quæ de Virginis conceptione antiquiſſima in Eccleſia opinione, Sedulio canente 2. Paſch. operis:

*Quomodo his verbis præfiguretur Immaculata Deiparæ Cõceptio?* Bellarmin. Galatin. Suarez. Valentia. Ægidius. Matth.6.28. Brocard. *Lilia inter paliuros & ſpinas in Palæſtina.* Procop. Gazæus. *Saron qualis regio?*

Sedul.

*Nam velut è ſpinis mollis Roſa ſurgit acutis*
*Nil quod lædat habens, matrémque obſcurat honore:*
*Sic Euæ de ſtirpe ſacra veniente Mariâ*
*Virginis antiquæ facinus noua Virgo piauit.*

Conſiderandum tamen, ne quod à Procopio aſſeueratum eſt, Saronem in paludem conuerſam, multò poſteriùs ad Salomonis ætatem contigerit, eſt enim prædictio Iſaïæ vatis dicto cap.33. verſ.9. vernantiſſimâ amœnitate orbandam: *Et factus eſt Saron* (inquit) *ſicut deſertum:* alia lectio in paludem tranſmutatam ſuggerit: propterea Hieronymus in locis Hebraicis: *Saron, cuius & Iſaïas meminit dicens: in paludes verſus eſt Saron; vſque in præſentem autem diem Regio inter montem Thabor & ſtagnum Tiberiadis, Saronas appellatur: ſed & à Cæſarea Palæſtinæ vſque ad oppidum Ioppe, omnis terra, quæ cernitur, dicitur Saronas:* itaque, quod de lilio inter ſpinas creſcente ex trita ſententia aſſeruimus, ſolidius eſt.

Iſai.33.9. Hieronym.

---

*Virum foras verſari decet, fœminam penetralibus claudi: Eunuchi mulierum olim cuſtodes: Nomen quid ſignificet? Deuteronomij verbis elucidatio: Item Oſeæ vatis: Quod liliorum genus deſcribat Sacer Poëta? num Periclymenon ſeu Matrem ſyluæ? lilium Amantibus gratum: fœcunditatis ſymbolum: ſpei celſioris Emblema.*

## Sectio II.

Verùm, vt ad alias horum verborum expoſitiones pergamus: Literæ quidem germanam, ſi quam aliam putamus; vt Sponſus ſibi quidem tribuat florem eſſe campi, & lilium Conuallium; Sponſæ verò referat, lilium inter ſpinas ſubintelligi: eſt autem Metaphoræ Ratio huiuſmodi: ſiquidem abſolutâ omni genialis pompæ curâ, de connubiorum Luce, déque maioribus epulis proximè meditandum erat: quo ſanè die, populorum ingentes futuri concurſus ad nouos intuendos coniuges, ádque contemplandam pompæ magnitudinem: Quoniam igitur Sponſa huius Carminis, quòd ruri educata, vrbanos ignoraret oppidanorum ritus, inſtruitur à Sponſo: ſub connubiali (inquit) lætitia, ego qui vir ſum, foras prodibo, cum omnibus verſabor ſeu familiaribus, ſeu externis; perſpiciam, quemadmodum Triclinium diſponitur, ludi & acroamata præparantur, Muſicorum concinunt organa & voces: Te autem pro Hebræarum more fœminarum oportet interiori verſari in domo circumſeptam famularibus ancillarum legionibus & ob auctoritatem, & ob cuſtodiam. Itaque virilis ſexus eſt in publicum exire, ædium progredi liminibus, in plateis, in foro, in curia ſtare cum ſenatoribus Terræ, propterea florem me nomino, liliúmque, non tamen vallo conſtrictum, ſed liberiori aurâ fruentem mediâ in planitie, omniúmque viatorum aut fauori, aut iniuriæ obnoxium: fœminam autem ſemoueri à turba decet, Gynæceo recondi, virorum affatus ſolicitè fugientem muliebri in comitatu tantùm aſpici, domus curam habentem in iis, quæ ad lanificium, puerorum educationem primam, cibos, aliáque id genus ſpectant, externam non deſiderantia operam: eleganter Columella Præfatione in lib.12. de re ruſtica: *Iure, vt dixi, à natura comparatum eſt, opera mulieris ad domeſticam diligentiam: viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam: itaque viro frigora, & calores perpetienda, tum etiam itinera, ac labores pacis, ac belli, id eſt, ruſticationis, ac militarium ſtipendiorum, diſtribuit: Mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit: & quoniam hunc ſexum cuſtodiæ, & diligentiæ aſſignauerat, idcirco timidiorem reddidit quàm virilem: Nam metus plurimùm confert ad diligentiam cuſtodiendi: quod autem neceſſe erat foris & in aperto, victum quærentibus, nonnunquam iniuriam propulſare; idcirco virum, quàm mulierem, fecit audaciorem.* Quamobrem diuinè Apoſtolus 1. ad Timotheum cap.2. verſ.11. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: docêre autem Mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio.*

9\. *Florem cãpi ſe dicit Sponſus, quòd Virilis ſexus ſit in publicum exire; mulieris verò domus curam habere.* Columell. 1.Timoth. 2.11.

Quantum

10. Quantum ſtudium Hebræorum vxoribus præſertim, vt à virorum abſconderentur oculis perpendimus Veſtigatione 3.numero 24. atque eam ob cauſam ſanè intrà eiuſdem ambitum ædificij ſeparatas virorum, & mulierum habitationes,

Delrius. Sauaro. *Mulier clauſa ſimilis flori.*

qua de re Delrius in Agamemn. Senecæ ad verſum 950. & Ioannes Sauaro in epiſtolam ſecundam ex libro 2. Sidonij in illa: *Hinc egreſſis frons triclinij Matronalis*:parum hoc,ad muliebrem cuſtodiam additæ ſunt & famularum mandræ, quæ obſeruent paſſus atque geſtus : ſub talibus munimentis,qualis de floribus nobilior aliquis,quamdiu horridiori muro ſpinarum arcentur & Bruta & pueri, ne tangant,& inquinent attritu, ſuauiſſimus & iucundiſſimus: talis vxor cuſtodita & clauſa , nimirum gratiâ pulchritudinis , & morum fragrantiſſimo rumore liliis inter ſpinas æmula : rectè itaque Chryſoſtomus multoties ſeu in Ioan. homilia 60. ſeu in primam ad Timoth.

Chryſoſt.

oratione 10. ſeu tertio de Sacerd. *Virginem* (ait) *oportet vndecumque tanquam muro circumſeptam eſſe , & toto anno perrarò domo egredi , ídque demum, cùm inexcuſabiles , ac neceſſariæ cauſæ vrgebunt:* quamobrem de Penelopa, quam fidam & verecundam vxorem ſemper Homerus pingit :

Homer.

Οὐκ οἴη ἅμα τῇγε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο.

*Haud ſola eſt , ſed illam famulæ binæ comitatæ.* Additus muliebribus excubiis virorum exſectorum numerus , Eunuchorum ſcilicet, de quibus Na-

*Eunuchi Mulieribus cuſtodes adhibiti.* Nazianzen.

zianzenus falsè admodum oratione in Sanctum Baptiſmum , ad eum hortaturus : *Hunc tibi Pudicitiæ* (inquit) *Cuſtodem adiunge,innumeris Eunuchis, & ianitoribus tutiorem.* Ex illis in Cleopatræ famulitio vt pangit Lucanus lib. 10.

Lucan.

*Necnon infelix ferro molita iuuentus*
*Atque exſecta virum.*

Chryſoſt. *Eunuchi à grauioribus muneribus prohibiti.*

Chryſoſtomus homilia 21.in Matth. *Propter hanc enim gloriæ cupiditatem , Homines & ſeruorum greges, & Eunuchorum cateruas conquirunt :* Quare indecorum videbatur , ſi grauium virorum quiſpiā ſpadones vt miniſtrarent,admitteret,aut ſi ad Rempublicam moderandam extuliſſent,vt qui in fœminas penè degeneraſſent , neque aliis niſi muliebribus exercitamentis apti : Ælius Lampridius in Alexandro Seuero eius animi conſtantiam Heliogabaleis voluptatibus opponens , ait:

Lamprid.

*Eunuchos de miniſterio ſuò abiecit,& vxori vt ſeruos ſeruire iuſſit : & cùm Heliogabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet,ad certum numerum eos redegit , nec quicquam in palatio curare voluit , niſi Balneas fœminarum ; cùm pleroſque Eunuchos rationibus,& procurationibus præpoſuiſſet Heliogabalus :* Hinc in Eutropium Eunuchum excandeſcit Claudianus, quod militaribus turmis leges dare non vereretur,& caſtra diſponere:

Claudian.

——————*quid te turpiſſime Bellis*
*Inſeris ? aut ſenis pertentas Pallada campis ?*
*Tu potes alterius ſtudijs hærêre Mineruæ,*
*Tu telas,non tela pati,Tu ſtamina noſſe.*

Quamobrem mirum non eſt à præſtantioribus officiis depulſos inter Paganos ſano iudicio præditos , cùm etiam lege ſua per Moyſem Deus vetuerit , ne ad munia Honoris in Iſraël admitterentur.

Deuteron. 23.1.

Deuteron.cap.23.verſ.1. *Non intrabit Eunuchus , attritis , vel amputatis teſticulis , & abſciſſo veretro Eccleſiam Dei.* Nomine autem Eccleſiæ plerique Doctorum Magiſtratus , & Dignitatum gradus quoſque intelligunt : odioſa enim illis temporibus ſterilitas : Iſaias autem capite 56.

Iſai. 56.5.

verſ. 5. cùm ſpadonibus locum eminentem in domo pollicetur Domini , de Euangelico cælibatu intelligendus eſt ex Catholicorum ſcriptorum vulgata opinione : Quemadmodum autem Virginum Gynæceis præficerentur , latè commonſtrat Eſtheris caput ſecundum. Sciendum

Eſth. 2. *Eunuchus vnde dicatur?*

tamen obiter Eunuchi vocem non denotare caſtratum , ſed cubilis vigilem ab εὐνὴ. quo *thalamus*,& *cubile* ſignificatur, & ἔχω , *cuſtodio:* & in aula quidem eximiis functi miniſteriis , idcircò Hebraicè סָרִיסִים *Sariſim* , Principes ſcilicet in domo Regia : & ipſi liberorum Parentes : ita,cuius filiæ poſtea Ioſephus Matrimonio confœderatus eſt, Putiphar Eunuchus Pharaonis , & Magiſter militum nominatur.

*Idem aliquando quod Satrapa vel Princeps.* Geneſ. 37.

Geneſ.cap.37.verſ.36. vbi Chaldæus in Eunucho vertit רַבָּא *Rabba*, id eſt, Satrapa , vel Princeps : poſtquàm verò & Reginarum concredita eis eſt pudicitia , exſecti ſunt , & ſpadones facti vnà antiquam gloriam amiſerunt, deinceps muliebria iuſſi penſa de more Puellarum , quas cuſtodiebant, perſoluere, nec aut pacem , aut bellum regere : certè de Legionariis Vegetius libro 1. de Re militari, cap.7.

Vegetius.

*Dulciarios , linteones , omnéſque , qui aliquid tractaſſe videbuntur ad Gynæcea pertinens , longè arbitror pellendos à caſtris :* præter & fœminarum , & Eunuchorum vigilias, Canes ſuppoſiti quoque. Tibullus lib.2.Eleg.4.

Tibull.

——————*Hinc clauem ianua ſenſit*
*Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.*

Tertull.

Tertullianus in hæc alludens libro de Pœnitentia : *Ergo nec à furto manus auertamus , niſi clauſtrorum duritia repugnet : nec oculos à ſtupri concupiſcentijs refrænemus , niſi à cuſtodibus corporum obſtructi ; ſi Nemo Domino deditus delinquere deſinat.*

11. *Conſtructio Textus.* *Verba Sponſæ.*

Tribuamus Sponſæ initialem verſum : *Ego flos campi & lilium Conuallium:* nempe putemus in Sponſum referre voluiſſe felicitatis omnem ſplendorem : Hucuſque ego Libani decor , & montoſæ Regionis , nam in collibus edita in collibus verſabar , clara ob pulchritudinem , atque ingenij , & Modeſtiæ ornamenta : nunc & in campeſtribus regno,& in Conuallibus, nam quæ mecum ex Ruralibus Nymphis decertare audeat, quæ per te Regina & Imperatrix facta ſum? Tuum eſt quicquid in nobis refulget pompæ: Vides Dilecte , quàm deſtituta & contempta florum ſors enaſcentium in pratis ? Nemo glebam impinguat,Nemo effodit,Nullus circundat teneram plantarum ætatem ſtipitibus contra ventos,contráque iniquos Beſtiarum morſus , Nullus ſpeculatur contra inſidias : Talis ego fueram : Natura quidem florum gratiam conceſſit, nam ornauit purpurâ & lacte genas & indidit ſuaues mores : iacebam tamen pauper & deſpecta inter agreſtia nemora ſine honore , ſine diligentia : euecta per Te ſum altiſſimè , vt etiam quod Reginis in poſterum inuideam,nihil ſit:me ſyluæ adorant ; me Decus ſuum Rura venerantur : ſed mea induſtria nihilum ; tua quidem indulgentia , vniuerſa.

*Reſpondet Sponſus.*

Reſpondet iſtiſmet Sponſus : *Sicut lilium inter ſpinas , ſic Amica mea inter filias :* hoc eſt : Ne quando tantorum Beneficiorum obliuiſci Te dulciſſimam Sponſam contingat , vt alios deflectas ad Amatores : Hoc enim nonnunquam accidit feruentiſſimè diligentibus; à Matrimonij exordiis ; dabo , quæ ſtipent latera tua Matronarum , & Virginum cateruas: Harum vigili curâ quaſi ſpinis quibuſdam pungêris , ne vllo audeas Tempore , datam ſocio fidem violare : Quibus in verbis ſimilia continere videantur , qualia ſunt , quibus Maritus proſtitutæ



Oſee 2.8.

tutæ vxori comminatur : *Et hæc neſciuit* (ait c.2. verſ.8.) *quia ego dedi ei frumentum , & vinum , & oleum , & argentum multiplicaui ei , & aurum , quæ fecerunt Baal :* tantis cumulauit donis : ſed illa, quæ ante Sponſi liberalitatem miſeranda & egena , honore & gazis ſuperba , pactum negauit, alios ſequuta Procos : quibus vt occurrat deinceps malis , poſtquàm reuerſa eſt vxor ad priores

Oſee 2.6.

thalamos : *Propter hoc* (ait) *: ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis , & ſepiam eam maceriâ , & ſemitas ſuas non inueniet :* itaque ſpinæ adhibentur , quæ à ſecundo conuitio deterreant : & ideo noſtri Hymenæi lilium , quod eſt Sponſa ſpineo circumcingitur vallo.

12. Sanè , qui hoc Dramate , Sponſam Paſtricem cogitant,neque à rure & Hœdorum curâ auocant in aulæ delicias , crederent fortaſsè , quemadmodum primo verſu, his quæ obuia ſunt ſe comparauit , floribus ſcilicet ſponte latiſſimis in aruis , naſcentibus , & exiguis vallium liliis : ita & ſecundo Metro aſſimilari eandem non candido ſex foliorum lilio , quod naſci inter ſpinas,

*An hîc liliū ſumatur pro Periclymeno ſeu Caprifolio?*

rariſſimum eſt , ſed Periclymeno , id eſt , noto populis vocabulo Matriſyluæ : cùm enim in dumetis & ſepibus emergat , vbi ſpinæ erumpunt, *lilium inter ſpinas* appellatum , quod nomen etiam Medici non auerſantur , ſicut obſeruatum

Renodæus.

à Ioanne Renodæo lib. 1. de Materia Medica, ſect.4. cap. 77. fruticis partus iucundus in flore candido , & paululum flaueſcente : odor recreat: equidem quemadmodum vrbana multitudo Roſis , violâ , & liliis oblectatur , ſic iſto frutice Ruricolæ lætantur : Hoc ergo lilium de quo

Cantic. 2.16.

iterum huius 2. capitis verſ. 16. *Dilectus meus mihi , & ego illi , qui paſcitur inter lilia , donec aſpiret dies , & inclinentur vmbræ :* Sermo enim eſt de grege paſcente in ſyluis : ibi verò , quænam lilia excepto Periclymeno ? multò autem cla-

Cantic. 4.6.

rius cap. 4. verſ. 6. *duo vbera tua , ſicut duo Hinnuli capreæ gemelli , qui paſcuntur in lilijs :* vbi verò paſcuntur capreæ niſi in Dumetis ? ſed ibi quænam lilia niſi Mater ſyluæ? quare appellata eſt caprifolium , quod eâ veſcatur promptiſſimè laſciuiens & petulcum Animal : Nihilominus de magno Lilio & generoſo intelligendam eſſe

Hieronym. Genebrard. Delrius. Giſlerius. *Suſanna, i. lilium , vt & Suſa.* Alapide. Sanchez. Lanſelius. Serarius.

vocem *ſuſannah* contendunt , & quidem Hieronymo Nomenclatore Genebrardus , Delrius, Giſlerius à radice שש *ſcheſch* , id eſt , *ſex* , quoniam ſexaphyllon eſt , in ſex nimirum folia expanſum , à qua & Suſæ vrbis vocatio ob liliorum copiam , & Suſannæ quoque , vt animaduertit Alapide in verſum 2. cap.8. Danielis : Sanctius partim eodem capite , partim cap. 13. Petrus Lanſelius ſupplemento ad Marianam Danielis item cap. 13. Serarius in cap. 1. Eſth. quæſtiuncula 11. eſt enim comparatio Sponſæ ad alias fœminas , quarum forma tantùm differat à Sponſæ venuſtate , quantùm nebuloſus & ferrugineus color ſpinarum à liliorum albedine , & ſummâ gratiâ : Arbitror autem filiarum vocem abſolutè poſitam , quod in muliebri ſexu excellens & nobilius eſt ſignificare , & fortaſſe hoc loco Ieroſolymitanas nurus , quæ in Libanum venerunt ad genialem lætitiam : vt cùm ſe Sponſa dixerit ruri educatis Puellis pro verecundia ſua tantùm excellere : Sponſus addat infinito etiam interuallo vel Metropoli nutritas vincere.

13. *Lilium , flos Amoris.*

Cur autem ex liliis ſpeciatim comparatio? Num,quia Amantes tali delectantur flore,& ideo Veneri charum fingebant , Athenæus lib.15. Dipnoſoph. cap.8.ex Nicandri 1. Georgicorum lib.

Athenæus ex Nicādro.

*Niueis floris folijs , croceo colore in medio tincta*
*Lilia, quæ leiria nuncupant alij Poëtæ:*
*Ambroſiam alij : multi Veneris oblectamentum*
*Quoniam Diuæ color is placet:*

*Liliorum fœcunditas, quanta.*

An verò magis ob fœcunditatis deſiderium , cùm nihil illis temporibus dulcius eſſet poſteritate, atque ob eandem cauſam toties vocetur Sponſa columbarum nomine, quarum inſignes ſunt partus? equidem de lilio Plinius lib.21.cap.5. *Nihilque fœcundius,vnâ radice quinquagenos ſæpè emittente Bulbos.* Num denique , quod lilium præclarioris ſpei ſymbolum , grandiúmque euentuum?

*Lilium grandioris ſpei ſymbolum.*

quare Latinus Poëta Æneid. 6. de Marcello ingentia pollicitus , nam cantauerat in laudes eius:

Virgil.

*Nec puer Iliacâ quiſquam de Gente, Latinos*
*In tantum ſpe tollet auos.*

Mox plenis conuehi manibus lilia optat : certè Sponſa ex tenui exordio in maximam tranſlata fortunam : rerum igitur ſtupendarum ex arcana Gentium in Hieroglyphicis philoſophia præſagum Lilium colit Sponſa :

*Lilium rerū ſtupendarum præſagum.*

Quid ſi & gemmâ cælatum portarit lilium aut veſtibus ipſis acu, Textrinæve opere effigiatum noua quidem limbi forma , cùm venuſtiſſimam plantam ſpinæ circumambirent , non ad Naturæ ſignificationem, quæ inter vepres lilium non producit , ſed ad doctrinæ ſapientiam , vt diſcerent honeſtæ Virgines bono eſſe animo , nec deſperatio animum frangeret , cùm cernerent Sponſam de Aduerſitate & inopia Triumphatricem ? Subiiciam iſtis germana quædam ex noſtro Cauſſino in Polyhiſt. ſymbolico lib.10.num.47.allegat verò libellum de Ordin. militar. ſic aientem :

*Liliata Sponſæ veſtis.*

Cauſſin. *Ordo Equitū Cardui B. Mariæ à Ludouico Borbonio inſtitutus.*

*Ludouicus ſecundus Dux Borbonius recens ex Africæ , in quam exercitum contra Barbaros duxerat , Equitum è Carduo Beatæ Mariæ ordinem inſtituit : cuius Torquis erat aureus ex lilijs contextus , interſtinctis æqualibus interuallis cardui folijs , è quibus crux pendebat cum hoc lemmate:Spes.* Siquidem & Carduus ſpinoſus etiam eſt,aculeóſque habens:viſus optimus princeps aliquo modo ad Canticorum Lilium , quod inter ſpinas eſſe narratur, alluſiſſe.

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Ego flos campi, & lilium conuallium.
Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias.
*Cap. 2. verſ. 1. & 2.*

*Ab Aſcenſione Chriſti, an prædicare Gentilibus licuit Apoſtolis? Matthæus enucleatus: quonam anno in Prouincias diſperſi ad Euangelizandum? Pauli ad Galatas locus: Num Apoſtolorum ætate, promulgata lex Gratiæ vbique? Veteribus an nota America, & illuc Apoſtoli introierint? Sanctus Thomas Apoſtolus quæ Regna peragrarit? quæ Iacobus Zebedæi? an Ibernos docuerit? Marci verbis ſatisfactum: ad grandia Geſta infirmis vtitur Numen inſtrumentis.*

### Sectio Vnica.

14. QVANQVAM ad longum diſputata ſuperiore Explanatione de candida Nubentium Veſte, ad beatiſſimam primitiuæ Eccleſiæ innocentiam referri valeat, excultiſſimóſque Chriſtianorum mores: déque eorundem cœleſti conuerſatione, (nam in contemplandis diuinis aſſidui erant,) Linum Byſſinum nec Allegoria quidem coacta, interpretari poſſimus: Quoniam tamen Literæ proximiorem ſenſum docuimus, qui campeſtrium florum vocabulo ſubintellectum Sponſum arbitrabatur, quod ad virum pertineret extra domum, Belli, pacíſque diſtentum curis, verſari, huius ſymbolicam enucleationem latiùs proſequemur: Quando igitur hactenus proſequuti ſumus Eccleſiæ Catholicæ ornatum, Chriſtíque geſta per quadraginta dies poſt Reſurrectionem: Nunc putamus his adumbrata verbis, quæ paulò antequàm ad Patrem remearet, cum Diſcipulis habuit de procuranda Gentium ſalute: *Data eſt* (inquit apud Matth. cap. 28. verſ. 18.) *mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.* Et Marci cap. 16. verſ. 15. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ:* Hoc eſt; Nolo deinceps vos vnius Iudææ ambitu contineri, quà latè patet orbis Terrarum, ite, & illuminate omnem Hominem venientem in hunc mundum: itaque hucuſque quidem ego flos velut Pomœrio concluſus, quia dicebã vobis me non eſſe miſſum niſi ad oues, quæ perierant domus Iſraël, & prohibebam, ne in viam Gentium, aut Samaritanorum iretis: iam huius edicti dilato anguſtias & præcipio in quaſuis oras tendere; propterea & flos & lilium nominari volo, à quo nemo arceatur ſiue diues, ſiue pauper, ſeu generoſæ lineæ, ſeu plebeiæ: ſic intellexiſſe viſus Ambroſ. Octon. 5. in Pſal. 118. *In totam enim Terram fides populi credentis exiuit, & in ſpatioſo poſuit pedes ſuos Chriſtus: & ideò pulchrè ait, florem ſe eſſe campi.* Idem ſubindicare Origenes iudicetur homilia 2. ex duabus, cùm ait: *totius campi, id eſt, totius mundi, & vniuerſæ Terræ flos factus eſt:* Pari modo Caſſiodorus, Beda, VVolbero Abbas, Petrus de Alliaco.

*Chriſtus, flos campi, dum Apoſtolos & diſcipulos in omnes terrarum plagas fidem prædicaturos mittit.*

Matth. 28. 18.

Marc. 16. 15.

Ambroſ.

Origen.

Caſſiodor. Beda. VVolbero. P. de Alliac.

15. Si vera iſta met ſint, inquias: igitur reſeratum fuit oſtium Euangelij Ethnicis ante Seruatoris Aſcenſionem: Hoc autem communi aduerſatur placito ſupponenti Apoſtolis vetitum fuiſſe prædicare Gentilibus, quoad Petro per viſionem Lintei, Actor. cap. 10. ſignificatum eſt in Cornelij Baptiſmo, oſtium deinceps patére omnium Mortalium generibus: De hoc quæſito monui ſuperiùs Veſtigatione 9. numero 10. ſollennis publicationis factam demonſtrationem, cùm vas illud linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia Terræ, & Volatilia cæli, oſtenſum eſt Apoſtolorum Coryphæo, cæterùm & ante hoc licuiſſe Gentiles docere, & ad Baptiſmum allicere: Nam certè quidnam obſtaret? Scilicet, Chriſti mandatum, ne in viam Gentium & Samaritanorum abirent: Verùm iuniori hoc altero præcepto, quod ex Matthæo & Marco tranſcripſimus Numero elapſo, antiquum illud deletum eſt, id quod præter Auctores memorato loco productos, ex Patribus Hieronymus teſtatus eſt in cap. Matth. 10. exponens illud: *In viam Gentium ne abieritis, & in Ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis,* & comparans oppoſito imperio, Matth. cap. 28. *Euntes ergo docete omnes Gentes, &c. Non autem* (inquit) *contrarius locus iſte ei præcepto, quo poſteà dicitur: Euntes docete omnes Gentes: quia hoc ante Reſurrectionem, illud poſt Reſurrectionem præceptum eſt:* docet Abulenſis quæſtione 191. in cap. 24. Matth. Maldonatus in caput 28. eiuſdem: Suarius de legibus lib. 10. cap. 4. numero 19. aſſerens, nunquam prohibitum fuiſſe Apoſtolis poſt Chriſti mortem prædicare Euangelium Gentibus, neque fuiſſe præceptum priùs promulgandi illud Iudæis, quàm Ethnicis: Salas de legibus quæſtione 103. tract. 14. diſputat. 23. ſectione 7. numero 36. vbi rectè aduertit, quodcumque fuiſſet in lege veteri præceptum de non prædicando Gentilitati, Chriſti fuiſſet morte ſublatum, quando in eius obitu iudicialia & cærimonialia legis Moſaïcæ præcepta irrita facta ſint, ac proinde tũ ceſſauerit quælibet obligatio: Caietanus in eadem ſententia ad cap. 16. Marci: ſuggeſſi Bellarminum, cum Vazquezio, Turriano

Actor. 10.

*Num Apoſtolis prohibuit Chriſtus ne Gentibus prædicarent Euangelium ante Aſcenſionem?*

Hieronym.

Matth. 28.

Toſtat. Maldonat. Suarez.

Salas.

Caietan. Bellarmin. Vaſquez. Turrian.

&



& aliis loco indicato Veſtigationis 9. ciúſque ſunt plerumque opinionis, qui Tractatus ediderunt pro Sancti Zebedæi in Hiſpaniam aduentu ad prædicandum.

16. At ſi Chriſti mandato de Gentium Conuerſione ſublata eſt, quæ Iudææ finibus egredi vetabat lex, & Nationibus Euangelium publicare, quid eſt, quòd poſt Seruatoris diſceſſum, intra Palæſtinam tamdiu Apoſtoli demorati ſint, nempè vt minimùm vſque ad annum Redemptionis 41. tum quippe Petro Reuelatio facta eſt Cornelij in domo cùm oraret in ſuperioribus ædium, Gentibus vt latiſſimum aperiret oſtium de quouis Mundi angulo venturis: Quin & Apollonij geſta cùm texeret Euſebius Pamphilus lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 17. ſub fine, ex eius quodam libro memorat inquiens: ἔτι δ' ὡς ἐκ παραδόσεως τὸν σωτῆρα φησὶ προστεταχέναι τοῖς αὐτοῦ ἀποστόλοις, ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ: *Præterea, ait, ſe traditione accepiſſe Seruatorem Mandatum ſuis dediſſe Apoſtolis, ne ad duodecim annos Hieroſolymis decederent:* Verùm hæc Apollonij traditio etiam illis, qui protrahunt Apoſtolorum diuiſionem, & ſeriùs factam arbitrantur, ſuſpecta: neque enim vel Lucæ de Apoſtolorum Actis Narrationi quadrare poſſit, vel grauiori Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, quæ antè hoc tẽpus Iudæã reliquiſſe Apoſtolorum nõ paucos affirmat, quare Apocryphis ex monumentis deprompta cenſent: qui autem mitiùs loquuntur, ſignificare putant, non licuiſſe vt Apoſtoli omnes penitùs Iudæam deſererent ante expletos duodecim annos: Quãnam igitur annorũ periodum cõmorationi Apoſtolorũ in Palæſtina, aſſignaturi ſimus, priuſquàm diſpergerentur varia in Mundi climata? perplexa Quæſtio eſt: Sanè ex veterum doctrina intelligimus, priuſquam ſepararentur Apoſtoli, fidei noſtræ præſtantiſſimos articulos Symbolo colligatos ab eis: teſtatur Clemens Romanus epiſt. 1. ad fratrem Domini. Auguſt. ſerm. 115. de Tempore, Ambroſius ſerm. 38. Leo I. epiſt. 13. ad Pulcheriam Auguſtam: Ruffinus in eiuſdem Expoſitione & Rituũ Eccleſiaſticorum Scriptores, Rabbanus & alij paſſim: Tum etiam illud conſentaneum eſt, ſubſtitiſſe aliquamdiu, vt de forma inſtitutionis Gentium conferrent, déque Miniſtris & Altaribus, omnîque Orthodoxo placito, quoad ieiunia & feſtorum obſeruantiam, traditorúmque à Seruatore praxi: nec ſubitâ etiam peregrinatione Iudæorum exacerbare animos placuit, quanquàm enim iam ſub Chriſti, & Apoſtolorũ doctrinâ, ſed nondũ ita corroborati, vt ægrè non ferrent poſthaberi Gentibus; Denique ſuperueniens intra ſeptem aut decẽ menſes poſt Redemptoris in cælos abitionẽ, Stephani Proto-Martyris Nex, & hanc comitata grauis Perſecutio, quæ fideliũ plurimas diſperſit turmas, cogebat ſtare adhuc paululum: Quamobrẽ ſi ob has quidem rationes duobus ferè poſt Magiſtri diſceſſum Iudææ contentos limitibus annis aſſeramus, ita vt Diuiſio exequi cœpta ſit ſub finem anni Seruatoris 34. qui eſt ſecundus poſt Aſcenſionem; vel vt producamus ſub exordio 36. Fortaſsè id dicturi ſimus, quod veritati proximius cenſeatur: Quoniam & hoc Menſium excurrente ſpatio ea potuiſſe componi videantur, quæ ſimul congregari Apoſtolicam manum expoſcebant: finitis autem, quæ pertractatione digna erant, negotiis, præceptum Chriſti de Gentium illuminatione apud Matthæum & Marcum ſub exitu Euangelicæ Hiſtoriæ, vrgebat: & quorſùm arbitrabimur Spiritus ſancti vaporatos æſtuantibus flammis ad Mundi totius exuſtionem, tantas produxiſſe moras, vnius intra Regionis, neque admodum vaſtæ ambitum?

*Cur ſi nulla de Euangelio Gentibus prædicando prohibitio, Apoſtoli tamdiu in Iudæa poſt Chriſti mortẽ remanſerunt?*

Euſeb. Pamphil.

Clem. Rom. Auguſtin. Ambroſ. Leo I. Ruffin. Raban.

17. Flauius Lucius Dexter Chronico omnimodæ Hiſtoriæ ad Chriſti annum 34. aſſerit, *Sanctos Dei Apoſtolos, quadraginta & octo diebus plus, minúſve poſt aduentum Spiritus ſancti, conueniſſe in cænaculo Sion, ac habito conſilio, ſortitione diuinâ, Prouincias Mundi prædicationis causâ inter ſe bipartitos eſſe:* Omnes facilè aſſentiuntur, poſtquàm B. Petro Reuelatio de quadrupedium ſymbolo facta eſt, Cornelij in ædibus, Actor. c. 10. ſubſequutam breuiſſimè Apoſtolorum diuiſionem, quoniam ex diuino patebat monito oſtium Euangelij Nationibus: at in ſecundum annum poſtquam ad Patrem Chriſtus aſcenderat, Chronicon reiectat Alexandrinum ſub initio tom. 15. Bibliothecæ Magnæ Colonienſis, aſſeuerans: *Hoc ſecundo ſecundũ Chriſti in cælum aſcenſum anno, Philippus Apoſtolus Eunuchũ Candacis Reginæ Æthiopum Gentiũ primitias Chriſti doctrinæ ſubiecit: Hoc eodem anno in Palæſtina Cæſarea Cornelius cum tota familia ſua diuinitùs per Apoſtolum Petrum, Chriſti fidem edoctus recepit.* Iacobi quidem in Hiſpanias aduentum Flauius Dexter ſub annum Chriſti 36. videlicet tertio ab eius morte inchoante, affirmat, de qua illius ex Hieroſolymis peregrinatione Iulianus Petri in Chronico. Num. 5. *Vt traditio conſtans eſt, ab Apoſtolorum hucuſque ducta temporibus, multorum etiam veterum Torquati, Theſiphontis, Honorati, Melantij, Dextri, M. Maximi, Iſidori, Bedæ, aliorúmque teſtimonijs, anno Domini 36. ſatis honorifica cauſa. S. Apoſtolus Zebedæi filius, Hiſpanias adijt, vrbes omnes eius luſtrat, &c.* Et paulò pòſt: *Venit autem duobus poſt mortem Saluatoris annis,* neque enim 34. quo paſſus eſt, & quo in cælum abiit computo ſubmitit Iulianus: Nouimus Euſebij Chronicon ſub hæc tempora ipſam Iacobi necem ſuggerere, id quantum faueat quiſque iudicet, quando iam eruditorum labore, quæ de Iacobi in Hiſpaniam profectione aliquãdo erat Controuerſia, extra aleam poſita ſit: Non diu igitur, quando vix Biennio ſanè, poſt ſancti Flaminis delapſum Iudæa Apoſtolicum ſubſtitit Collegium: quare Euſebius Cæſarienſis Hiſt. Eccleſiaſticæ lib. 2. c. 3. *Ita quidem certè cæleſti, diuinâque virtute, & præſidio repentè, nullâ ferè morâ interpoſitâ, tanquam quoddam ſolis iubar, ſalutare Dei Verbum vniuerſum orbem terrarum ſuo ſplendore colluſtrauit:* Quomodo autem ſine mora aliqua, cùm Palæſtina demorati ſint Apoſtoli annis ad minimum octo? quid ſi duodecim? Nicephori Callixti æqualis eſt oratio lib. 2. c. 8. ſed quod poſtquàm Spiritus ſanctus afflauerit ignitis linguis nõ multo diſceſſerint, Auguſtinus inſinuat ſerm. 181. de Tempore. Chryſoſtomus hom. in illa verba, *ſalutate Priſcam & Aquil.* ad Rom. c. 16. Leo Magnus ſermone 1. de Natali Apoſtol. Petri & Pauli. Damaſcenus in vita Barlaan, & Ioſaphat. c. 1. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus Quæſtionibus in nouum Teſtamentum, Titulo in Acta Apoſtolorum: Hoc de 37. Chriſti anno, tertio poſt Aſcenſionem interpretantur Cornelius à Lapide ad c. 12. Actorũ, Franciſc. Viuarius, Cõmentario in annum 34. Dextri. n. 2. alijs lõga hæc expectatio, & quãquàm de anno ferè nõ ſtatuũt, ſignificãt tamen breui diſtinctũ interuallo Spiritus diuini illapſum, atque Apoſtolorũ diuiſionem ob itinera ad nationes: ſic de noſtris Chriſtophor. de Caſtro Hiſtoriæ Deiparæ c. 18. q. 3. 2. concluſione Gaſpar Sãctius tractatu de Aduentu S. Iacobi. cap 6. & ſequentibus, Thomas Maſſutius lib. 3. vitæ ſancti Pauli cap. 5.

F. L. Dext.

Actor. 10.

*Quonam anno Apoſtoli ad Euangelizandum diſperſi?*

Chronic. Alexandr.

Iulian. Petri.

Euſeb. Cæſar.

Nicephor.

Auguſtin. Chryſoſt. Leo.

Damaſcen. Eucher. Lugdun.

A Lapide. Franciſc. Viuar.

De Caſtro. Sanchez.

Maſſut.

De Ozea. D.Caſtillo. Galat.1.18.

& Hiſpano idiomate Ferdinandus de Ozea Dominicanus de Aduentu B. Iacobi cap. 15. Doctor Didacus de Caſtillo eodem de argumento c. 23. & 24. Robur afferunt Pauli verba illa ad Galat. cap.1. verſ.18. *Poſt tres annos veni Ieroſolymam videre Petrum: alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini:* eſt verò tertius hic annus de quo memorat, tertius ab eius Conuerſione: conuerſum autem eum decimo poſt Chriſti Aſcenſionē menſe ex veterum quidē Auctoritate commouſtrat noſter Iuſtinianus diſp.3. ex prælūdialibus in Paulum c.4. n.3. ſed non niſi octo tranſactos fuiſſe menſes eruditè comprobat noſter Maſſutius lib.2. vitæ Pauli c. 1. At cur neminem alium contemplatus ſit Apoſtolus? ſanè, quod iam tum diſperſi eſſent ad prædicandum Gentibus: quæ fuit Hieronymi manifeſta opinio, aſſerentis Commentario in Galatas: *Non vidit autem eos, non quòd contemptui duceret, ſed quòd illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant orbe diſperſi:* rectè, toto quidem orbe, non verò ſolius Palæſtinæ circulo: verba omnia Hieronymi Claudius Altiſſiodorenſis Explanatione in eandem epiſtolam tranſcripſit: Anſelmus verò: *Cæteri* (ait) *Apoſtoli iam per orbem erant ad prædicandum diſperſi:* vtuntur hoc ſcipione libenter quotquot citaui affirmare, non diu poſt elapſam Pentecoſtem, diuiſos eſſe Apoſtolos ad Euangelizandum Paganis.

Benedict. Iuſtinian. *Cæteros à Petro & Iacobo Apoſtolos non vidit Paulus, quod per orbem diſperſi forent.* Hieronym. Claud. Altiſiod. Anſelm.

18. *Quomodò Apoſtoli, cùm eſſent pauci, potuerūt Orbem vniuerſum peragrare.*

Verùm hoc ſublato obice, alia iterùm remorantur: ſi enim florem campi ſe propterea Chriſtus adſtruat, quòd ad omnia pergere Mundi climata Apoſtolis imperauerit, quomodo his mandatis illi obtemperauerint? Nam vel potuerunt ſanè Vniuerſa peragrare, aut eis impoſſibile fuit: Primum ſi dicamus, quomodo culpæ non arguerimus? ſecundum vt placeat, cur ad impoſſibilia Magiſter aſtrinxerit? Hac ſe Charybde aliqui facilè expediunt: & Paulum eodem declarant Interpretationis genere referentem Dauidis ſententiam ex Pſalm.18.v.5. ad publicatum vniuerſo in Mundo Euangelium, Romanorum c.10.v.18. *Sed dico: Numquid non audierunt? & quidem in omnem Terram exiuit Sonus eorum, & in fines orbis Terræ verba eorū*: nempè, vel quod maxima pars per ſynecdochen pro toto vſurpetur: vel quod Hyperbolica ſit locutio innuens paucorum induſtria quantum valuerit, cùm exiguus Apoſtolorum manipulus tot illuminarit Regiones: ſic Auguſtinum ſequuti ep.80. ad Heſychium, & Origenem tract. 28. in Matth. Toletus in nominatum ex epiſt. ad Rom. caput Annot. 11. Pererius diſput.4. Benedictus Iuſtinianus in verſ.18. Maldonatus ad v.14. cap. 24. Matth. Ianſenius Concordiæ cap. 122. Maluenda de Antichriſto lib.3. cap.26. Attamen, propagatam vbique terrarum Euangelij notitiam Apoſtolorum æuo, ſunt quæ perſuadeant non pauca argumenta. Primum, quod vt nemo renuat concedere, multò ſyncerius Apoſtoli intelligantur verba, in proprio nimirum ſenſu: quadrátque eiuſdem dicto ad Coloſſ.c.1.v.5. *propter ſpem, quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij; quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit:* Secundò, quòd in Chriſti gloriam propè infinitam cedit, potuiſſe ab exigua manu Hominum, quorum neque clarum in Academiis nomen, neque apud Imperatores gratia aliqua, extinctis pleriſque ante annos prædicationis triginta, orbem perluſtrari vniuerſum, edoceri Gentes multitudine innumeras, ſæuitiâ feroces, ritibus & vſu diuerſas: Hinc Chryſoſtomus in cap. 24. Matth. hom. 76. cùm relatis ex Paulo ad Coloſſ. verbis oſtendit Euangelij vbique rumorem: *Quæ res* (ait) *maximum argumentum omnipotentiæ Chriſti eſt: viginti enim annis, aut ad ſummum triginta ad omnes oras orbis Euangelium tranſcurrit.* Sequuntur Euthymius & Theophylactus: Victor Antiochenus in cap.13. Marci: *Porrò autem tanto illo tempore, puta viginti plus, minus annorum ſpatio, Euangelij doctrinam, vſque ad orbis Terrarum fines peruaſiſſe; illud euidens, planéque inuictum virtutis Chriſti argumentum extitit.* Tertiò, quod vel prædicatum in quibuſlibet ſub cœli axe Regnis, vel circumlatam ad minimum ex vna Prouincia in aliam, (ita vt lux aliqua affulſerit vbicumque, & excitari potuerint Mortales ad veſtigationem ſalutaris nuncij) famam; multi ſint qui proteſtentur, exceptis nuperè recenſitis: Hieronymus in cap. 24. Matthæi in illud: *Et prædicabitur hoc Euangelium,* &c. *Non enim puto aliquam remanſiſſe gentem, quæ Chriſti nomen ignoret: & quanquam non habuerit prædicationem: tamen ex vicinis Nationibus opinionem fidei non poteſt ignorare:* Hilarius ſubobſcurior eſt Canone 25. in Matthæum Hieronymo conſentit Auctor Expoſitionis in Paulum cum Ambroſij titulo: Nam in cap.10. ad Rom. *Vbi enim præſentia Hominis prædicantis defuit* (inquit) *ſonus tamen & fama peruenit:* Sanctus Thomas in cap.24. Matth. *Tamen, nulla Gens fuit, ad quam non perueniſſet fama:* Chriſtianus Druthmarus & Lyra eodem modo ibi; Abulenſis quæſt. 191. in caput verò decimum Epiſtolæ ad Romanos Dominicus Sotus, Cornelius Muſus Epiſcopus Bitontinus & Guilielmus Eſtius: Euſebius lib.2. Hiſt. Eccleſ. c.3. locum Pſalm.18. *In omnem Terram,* &c. explanat ſimili forma, & alij non pauci apud Maluendam lib. 3. de Antichriſto cap.2.

Rom.10.18. Auguſtin. Heſych. Origen. Tolet. Perer. Ben Iuſtin. Maldonat. Ianſen. Maluenda. 1.Coloſſ.5. Chryſoſtom. Euthym. Theophyl. Victor. Antioch. Hieronym. Hilar. Ambroſ. S.Thom. Druthmar. Toſtat. Dom.Sot. Corn. Muſ. Eſtius. Euſeb. Maluend.

19. *Nū in Americā ingreſſi ad prædicandū Apoſtoli.*

Contra hæc, vulgaris quāquàm, ſed grauis admodum eſt Difficultas: Nam omiſſis aliis Terrarum partibus, quas adire vel ob Nauigationes, vel ob ſemitas glebâ continuatas, mortalis fuiſſet induſtrię opus, quomodo in nouū tranſuehi orbem, & Peruanas, Mexicanáſque conuolare in Regiones, cuipiā poſſibile? Multorum iudicium eſt, veteribus ſub Gentiliſmo Relatione & famâ nouū cognitum Mundum: probant ex Timæo Platonis, ex 3. libro Var. Hiſtor. apud Ælianum cap.18. ex Marone.6. Æneid. verſ.795.

*———Iacet extra ſydera Tellus,*
*Extra anni, ſoliſque vias:*

Quin & vaticinandi enthuſiaſmū Senecæ tribuēre quidā Medeę Act.2. dū quaſi addiuinat canens:

*———Venient annis,*
*Sæcula ſeris: quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxet, & ingens*
*Pateat Tellus, Tiphyſque nouos*
*Detegat orbes, nec ſit Terris*
*Vltima Thule.*

Fortaſſe in ſibyllinum aliquod incidit Oraculum, quod ſuis Carminibus inſeruit: referuntur & Nauigationes Phœnicū, & Carthaginenſiū, & Romanorum in ſepoſitas Mundi oras: de his tractarunt, à quibus Lector cōquirere valeat, Goropius Becanus in Originibus Antuerpian. lib.9. Ioſephus de Acoſta de Natura noui orbis lib.1.c.11. Baſilius Legionenſis Variarum quæſt.8, expoſitiua cap.1. Maluenda lib. 3. de Anti-Chriſto c.15. Marcus Velſerus apud Pontanum in nominatum ex Virgilio locum, & ibidem De la Cerda, non quidem Maronis carmen de iſtiſmet exponens, ſed relatos ex Senecæ Medea verſus: exactiſſimâ diligentiâ

Plato. Ælian. Virgil. Seneca. *Nouus Orbis veteribus an cognitus.* Gorop. Acoſta. Bat.Legion. Maluend. Velſer. Pont. Cerda.



Ioan. Euſeb.

diligentiâ P. Ioannes Euſebius Nierembergius Volumine Hiſtorię Naturalis, lib.5. Quid ſi apud Occiduos Indos Salomonis puppibus veſtigata toties Ophirina diues Regio? latuiſſe arbitrabitur quiſquam, licet oblitteratam ſubſequutis ætatibus in longam memoriam fateatur? ſunt verò qui Peruano ſub axe collocarunt, Arias Montanus libello, quem inſcripſit *Phaleg*, ſeu de prima Gentium migratione cap. 9. Genebrardus lib. 1. Chronographiæ: Goropius Becanus in Hiſpanicis: Poſſeuinus lib.2. Biblioth.c.5. Bozius de ſignis Eccleſiæ, lib.2. cap.3.

Ar. Montan. Genebrard. Gorop. Poſſeuin. Bozius.

20. *Quâ viâ in Americam delati ex poſteris Noë aliqui poſt diluuium?*

Eſto inquias, Rumor aliquis falſis quanquam multis opinionibus inuolutus, at traiectus illuc naturali virtute impoſſibilis ob infinitā littorum diſtantiam: ſed amabo, quonam modo Hominum & Animantiū Generationes illuc perlatę, cùm cataclyſmus omnia extinxerit? neceſſum eſt affirmemus ex poſteris Noë in Americam delatos, à quibus illæ populorū myriades: Rectè igitur ſentiūt, qui cū habitatis aliis orbium partibus, pręſertim cum Aſia, quà latè patet, Americam aut occultis ſemitis cōtinuari, aut breui aliquo freto diſtingui putant: in medio etiam Oceani curſu non raræ Inſulæ quaſi ſcalarum vice: per has vias ferri & Homines & Bruta potuerunt, vt ſileam naufragio præter ſpem appulſos in vaſtiſſimas plagas: lege accuratam diſſertationem Auguſtini Tornielli tom.1. Anno Mundi 1931. à n.45, & pleroſque eorum, quos recenſuimus Numero antecedenti: per hæc igitur oſtia introierunt, de quibus placuit ſempiterno Numini, ex Apoſtolorū Collegio, ad orbem auorum noſtrorum ferè memoriâ reuelatum Occiduo ſub Phœbo: & ſanè illuſtria monumenta antiquæ olim Religionis proferunt nominati ſuperiùs Scriptores, præſertim Io. Euſebius Nierembergius: & putamus Angelorum defuiſſe obſequia? certè, cùm apud Babylonem non deeſſent prandia, quibus Daniel refici potuiſſet, voluit Habacuc celeriter per aërem longo duci Tractu Angelorū miniſterio, qui cibos portaret, Danielis c.13. Ad Virginis intemeratę extremum excipiendum anhelitum cum hymnis, & gaudiorum lachrymis qui ſuperuixerant tunc Apoſtoli, vel nube tranſlati, vel Angelorum officio, quemadmodum in vita Sancti Areopagitæ c. 6. noſter Halloix ex Michaëlis Syncelli, Metaphraſtis, & aliorum fide recenſet; noſter quoque Chriſtophorus de Caſtro Hiſtoriæ Deiparę, c.20. num.7. Ioannes Ludouicus de la Cerda de excellentia cæleſtium ſpirituum c. 8. n. 13. Dulciſſima Virgo Sancta Lydvvina, vt ex eius vitæ Actis c.8. apud Surium 14. Aprilis conſtat, ab Angelis ſæpiùs aſportabatur vel ad ſanctas contuendas Deiparæ Mariæ effigies peregrinationibus fidelium celebratas; vel non raro ad loca iucundiſſimæ amœnitatis Elyſiis cognata. Hunc itaque in morem tranſlatum Apoſtolorum aliquem ad Peruanum Tractum, nouámque Hiſpaniam exiſtimat Stephanus Salazar Diſcurſu 16. in Symbol. Apoſtol. cap. 3. Nonne quidem Angelis de prædicatione Euāgelij cura Deo iubente? Quid Paulo nocturnâ in viſione accidit? *Vir Macedo quidam erat ſtans* (Actor. cap.16. verſ.9.) *& deprecans eum, & dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Angelus nimirum Macedonico in habitu fuiſſe communiter aſſeueratū: ex noſtris Alphonſus Barcena vir Apoſtolico exæſtuans incendio Peruanis in deſertis nonnunquam ab Angelis tranſuectus vbi paratior ſeges Animarum, pauciſſimis diebus ea percurrebat ſpatia Terrarum, quæ annorum moras deſiderabant: Præbeamus verò, æthere nequaquam ſubleuatos ex Seruatoris Gymnaſio magnos Pręcones; dum tamen Spiritus ſancti vapore adigerētur nouas explorare Regiones incredibili conatus ſtudio, non credimus Angelos edocuiſſe de abſtruſis ſemitis, quibus pergerent itineribus oſtendiſſe, niſi fortè liberaliores cæleſtes Spiritus in minoris notę ſancta licet capita, arbitremur? de eximio Patriarcha Benedicto P. Damian. ſerm.8. in eius Vigilia: *Cùm per ignota loca ſolus Viator incederet, vbicumque biuium occurrebat, duo protinus iuuenes videbantur aſſiſtere, qui ſibi, quò progreſſus dirigere debebat, indicarent: Qui nimirum iuuenes, qui alij ſunt credendi, niſi Angelici Spiritus ad ſancti viri cuſtodiam deputati?* Similia refert Thomas Cantiprat. lib.2. Apum.c.54. & noſter Ludouicus de la Puente in vita Balthaſaris Aluarij cap.25.

Ioan. Euſeb. *Nū in Americam delati ab Angelis Apoſtoli?* Daniel.13. Halloix. Mich. Syncell. De Caſtro. Cerda. *S. Lydvvina ab Angelis ſæpe aſportata.* Surius. Steph.Salaz. Actor. 16.9. *Alphonſus Barcena ab Angelis trāſuectus.* *Duo Angelo S. Benedicto in itinere aderant.* Pet.Damian. Thom. Cantapret. De la Puēte.

21. *Apoſtoli, Sagittæ, Nubes, Columbæ, ob eorum in varias regiones celerrimos diſcurſus.*

Incredibile nonnullis videbitur, potuiſſe tot Regiones obire Chriſti Diſcipulos: Verùm conſiderent Spiritus ſancti copioſam gratiam, pedibus & infirmo corpori alas velut addidiſſe: Hinc ob miram in diſcurrendo celeritatem ſagittæ vocātur, quòd tanquam hac emiſſâ ocyùs pergerent: Pſalm.44.v.6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis. Angelos veloces* Iſaias nuncupat c.18.v.2. & idem c.60.v.8. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Præclarè nubes flatu agitatas dixit: & columbarum laudatiſſima eſt celeritas: Sed quid dubitamus magnis volaſſe paſſibus, quorum pariter nomine Apoſtolus inquiebat: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* (ad Rom.c.8.v.35.) *Tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* Proponamus vnum aliquem Thomam videlicet Didymum. Quæ non ille peragrauit Regna? de quo Romanum Martyrologium 21. Decembris, Perſis, Medis, Hyrcanis, ac Parthis Euangelium prædicaſſe, ac deinde penetraſſe ad Indos: confirmat veterum teſtimoniis ibi Cardinalis Baronius: etiam de Æthiopia meminit Chryſoſtom. hom. in duodecim Apoſtolos; præter ibi recenſitos Scriptores: de Perſis docet Venantius Fortunatus lib.5. Carm.2. de India generatim, quam ingentem & frequentiſſimam Prouinciam eſſe ſuggerit, Damaſcenus in Vita Barlaam & Ioſaphat, Freculphus Epiſcopus Lexouienſis Chronicorum tom. 2. cap.4. ad Orientis ſolam Indiam reſtringit Metellus Monachus Tegerſeenſis in ſuis Quirinalibus apud Henricum Caniſium tom. 1. Lectionum antiquarum, inquiens:

*Indiæ de finibus, ortus dat vbi Diem Sol,*
*Quæ tenet arua Thomas.*

Ac quidem de Orientis per eum Luſtrationibus Hieronymus Oſorius Syluenſis Epiſcopus libro 3. de rebus geſtis Emmanuelis Regis, Ioannes Petrus Maffæus lib.2. rerum Indicarum: cæterùm & Peruana intraſſe arua quoque Pater Ioannes Euſebius Nerembergius, quo dixi libro Naturalis ſuæ Hiſtoriæ, qui nunc ſub prælo ſudat, commonſtrat: neque de Thoma videbuntur iſtiuſmodi eſſe hæc, quæ fidem ſuperent perpendenti, quas circumierit Nationes vndecim annorum interuallo admirabilis Xauier. Sed & Iacobus Zebedæi, quem Flauius Lucius Dexter anno Chriſti 37. ex Palæſtina in Hiſpaniam veniſſe narrat, & reducem in patria littora Herodiano ſublatum gladio anno 42. ſub hoc vnius luſtri ſpatio, non ſolùm per Hiſpanias vagatus, ſed Gallia quoque eum contuita, & Britannicę exceperunt Inſulæ, vt idem prodit anno Seruatoris 40. Porrò Britānicarum Inſularū vocabulo & noſtram

Pſal.44.6. Iſal.18.2. Et 60.8. Rom.8.35. *Quaſnam peragrarit Prouincias S. Thomas Apoſtolus?* Baron. Chryſoſt. Ven Fortun. Damaſcen. Freculph. Metell. Monach. apud Henr. Caniſ. Hieronym. Oſor. Maffæus. Ioan. Euſeb. Fl.Luc.Dext. *In quas regiones peruenerit Iacobus Zebedæi?*

*Num Ibernos docuerit S. Iacobus Maior?*

ſtram comprehenſam Iberniam Lector nouerit, ſic enim Dextrum exponit Iulianus Petri in Aduerſariis, n. 136. *Legi apud Dextrum Barchinonenſem, ſanctum Iacobum ex reditu ab Hiſpaniis, in Hibernia prædicaſſe: aſcendit Nauem in portu Galleciæ Bragantino: profectus cum Ariſtobulo, vel Zebedæo, Patre illius, qui dicitur ibidem relictus primus Epiſcopus: & indè tranſiit in Britanniam: Reliquit in Hibernia Epiſcopos, ac Preſbyteros, ac Diaconos multos:* & num. 167. *Sanctus Iacobus rediens ex Hiſpania, Gallias & Britannias adiit, & in Hibernia prædicat: nec deſunt, qui in Belgio, Germaniâque prædicaſſe dicant.* Etiam Rauennates ab eo Chriſtianè eruditos ſubindicat num. 428. frequentiſſimus in tuenda Iacobęa apud Hibernos prędicatione Iulianus: ſuggerit Aduerſariorum n. 60. iterum n. 208. vbi ex Hiſpanis oriundam Gentem noſtram aduertit, quam ſanè opinionẽ & Annalium & veteris Traditionis auctoritas conſtabiliuit, vt ad Inſulam Hiſpaniæ Appendicem, & conſanguineæ ſtirpis digreſſum Apoſtolum, nemini inſolens appareat: pergit n. 409. dicere, Diſcipulos quos in Hibernia fecerat, ſacri corporis beatiſſimum pignus ex Iudæa Angelo Nauclero ad Herculeas detuliſſe columnas, exin profectos ad Iriam Flauiam: rurſum de indiuiduis eius comitibus agglutinatis in Ibernia n. 428. denique certè non niſi ab huius Inſulæ portu tranſmiſſam Canonicam, quæ Iacobi intitulatur præter dubium, Maioris autem eſſe Iulianus contendat, ad Hiſpanos Epiſtolam, quâ valedicebat rediturus Ieroſolymam aſſeuerat n. 434.

*Nec quæ Dexter Flauius nec quæ Iulianus aſſerit, Oracula ſunto.*

Nec tamen, quia blanditur patrię noſtrę Iulianus, idcircò oracula eſſe omnia, quæ eius ſub inſcriptione nuper prodierunt exiſtimamus: Habet & menda ſua ſicut nonnulla Flauius etiam Dexter, Temporum & Homuncionũ iniuriis aſſuta: quoties veritatis ſplendor affulſerit, reputentur loqui Dexter & Iulianus: ſi quando monſtri ſimile aliquid emergat, transferatur in audaciam Nebulonis alicuius: equidem, non eſſe hæc reiectanda à ſapientioribus ob vindicatã Hiſpanorũ Patrono Iacobo Canonicam epiſtolã (quam primam Noui Teſtamenti ſcripturam appellant memoratus vterque Auctor quòd ante Euangeliſtas & Apoſtolos ſcripſerit) ſatis propugnatum ex noſtris à Sanctio tract. 3. de Aduentu B. Iacobi in Hiſpaniã cap. 12. n. 4. Daza Præludio in eandem ep. Franco quoque Viuario Ciſtercienſi, Commentario in annum Dextri 37. n. 6. nec eſſe deſpicienda, quòd tam altè repetamus Euangelicæ Religionis apud Hibernos exordia Con-Prouincialis noſter Philippus Oſuleuanus Bearrus venuſto opere Patritianæ Decados oſtendit lib. 2. c. 1. Aſt hæc Nos eâ tantùm de cauſa, vt ſignificaremus, cùm Iacobus Maior quinquennio, Hiſpaniam, Gallias, Angliã, Hiberniam, & aliquorum opinionibus, Italiam, Belgium, Germaniam inuiſerit: non eſſe obſtupeſcendum, ab aliis Commilitonibus, quorum vitæ longa Periodus, luſtratas fuiſſe propè innumeras orbis Terrarum Regiones.

Sanchez. Daza. Franc. Viuar. Philipp. Oſculeuan.

22. Supereſt omnium difficillimus Nodus: quippe inter notas conſummationis ſæculi vna eſt præter Controuerſiam omnem, prædicationis Euangelij vbique Terrarum: atteſtatur Matthæus, c. 24. v. 14. *Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet conſummatio:* Quomodo igitur nos aſſeueramus Euangelij famam temporibus Apoſtolorum, in omnes pertranſiſſe oras, cùm Mundi nõ ſit exitus ſubſecutus iam per mille ſexcentos annos? verum quidem eſt, quin ex fide certum pronunciat Suarius tom. 2. in 3. part. diſp. 56. ſect. 1. ante communis iudicij diem prædicandum Euangelium cunctis gentibus terrarum: ſed veterum non pauci, quos idem citat, Matthæi verba non tam de orbis conflagratione & interitu, quàm de Ieroſolymorum clade, & vaſtatione per Romanum militem intellexêre: aſſentiuntur Ianſenius Concordiæ c. 122. Benedictus Iuſtin. in v. 18. c. 10. ad Romanos: Noſter Maldonat. in allegatã ex Matthæo ſententiã. certum eſſe affirmat prædicandũ Euangelium ante Mundi vltimum finem: *Illud incertum* (ait) *an ſimul atque prædicatũ fuerit, finiendus ſit mundus:* Sed ab hoc vtroque abſtineamus patrocinio: nos cum Pſalmiſta, cum Paulo, cum turma pręclara veterum & Iuniorum contendimus ſolùm Rumorem de Euangelio auditum: Matthæus autem de verbi prædicatione apertè fatur: itaque notitia Euãgelij promulgationis abditiſſima Regna peruaſit: Apoſtoli in cunctis Prouinciis legem non diuulgarunt Gratiæ: vel quod vitæ curſus interruptus, vel quod Numen expectarit commoueri ad famam Nationum populos, & pergere in occurſum ſalutis auidas, vel quod Meſſis diſpoſita non eſſet, & in præiudicium cederet obſtinatis cordibus, vel denique in ſcelerum atrociſſimorũ pœnam: igitur ante Mundi euerſionem, præter Rumorem Euangelij, quem iam olim hauſerunt, prædicabitur viuo docentiũ ſermone in ſingulis Regnis & tum ſubſequetur conſummatio orbis.

*Quomodo ſi in omnes orbis plagas peruenerunt Apoſtoli, non ſtatim ſubſecuta eſt ſeculi cõſummatio?*

Matth. 24. 14. Suarez. Ianſen. Ben. Iuſtin. Maldonat.

Fortaſſe etiam, quod ſe florem campi nominat, qui vilior eſt, minoríſque pretij, ſui indicat ſub Titulo, quales ad Mundi conterendam ſuperbiã, elegerit viros, ſine diuitiis, abſque doctrinæ famâ, ſine potẽtium ſpe & Amicitiis, quorſum verò ita ſtatuere placuerit, Apoſtolus declarat priori ad Corinth. c. 1. v. 26. *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes; & infirma Mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia Mundi, & cotẽptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* Apoſtoli ſtylum quaſi imitatus Auguſtinus in Pſalm. 65. inquit: *Ne quælibet Perſona glorietur in Carne, infirmos elegit Chriſtus: elegit enim poſtea Oratores, ſed illi ſuperbirent, niſi priùs eligeret Piſcatores: elegit Diuites, ſed dicerent merito diuitiarum ſuarum ſe electos, niſi primò elegiſſet Pauperes: elegit Imperatores poſtea: ſed melius eſt, vt Romam cùm venerit Imperator, depoſito diademate ploret ad memoriam Piſcatoris; quàm vt Piſcator ploret ad memoriã Imperatoris: infirma Mundi, & cõtemptibilia elegit Deus, vt non glorietur omnis caro in cõſpectu eius.* Chryſoſtomus hom. 1. de Pentecoſte: *Peragrarunt Piſcatores orbem Terrarum, & infirmum eum inuenientes, ad ſanitatem reduxerunt; & in ruina poſitum ad ſtabilitatem reuocarunt: non ſcuta mouentes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecunias largiẽtes, non eloquentiâ confidentes.* Sancta Birgitta Reuelat. lib. 4. c. 113. *Similiter ad prædicandum Euangelium non elegi doctores, ſed Piſcatores, ne gloriarẽtur de ſapientia ſua, & vt intelligant omnes, ſicut Deus in ſe eſt mirabilis, & inexcogitabilis: ſic & opera eius inſcrutabilia ſunt, & in minimis maxima operatur.* Paria ſuperiùs eodẽ lib. 4. c. 76. & ſuis in Notis illuſtrat ibi Conſaluus Durantus: quo etiã modo de Apoſtolorum electione, cùm idiotæ & inrobuſti eſſent, ad tam grandia, loquuntur Gregorius Papa lib. 1. Moral. c. 17. Leo Magnus ſerm. 1. de Apoſtolis Petro, & Paulo, Theodoretus q. 11. in Exodum, Bernardus ſerm. 33. in Cantica: Theodotus Ancyræ Epiſcopus hom. de Natiuitate Saluatoris.

23. *Vt fortia huius mundi confunderet Deus; elegiſſe infirma & decẽs & glorioſum fuit.*

1. Corinth. 11. 26. Auguſtin. Chryſoſtom. S. Birgitta. Conſal Durant. Gregorius. Leo. Theodoret. Bernard. Theodot.





# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus:* Ego flos campi, & lilium conuallium.
Sicut lilium inter ſpinas, ſic Amica mea inter filias.
*Cap. 2. verſ. 1. & 2.*

*Animarum culturæ nauantibus, expedit ſanctæ quandoque licet actioni, ſe ſubtrahere, & ſpiritalibus vacare exercitijs.*

## SECTIO I.

24. *Lilium inter ſpinas, etiam flos campi dicitur, quòd Animæ puræ quæ inter peccatores ad eorum ſalutẽ verſantur, etiã in agrum Contemplationis ſecedere debeunt.*

MIRVM equidem eſt, inter ſpineta lilium conſurgere, nec eius aliquo modo obſcurari pulchritudinem infauſtâ veprium Societate: ſanè lilia ſunt puriſſimæ Animæ, quæ diuino afflatæ œſtro Proximorum ſaluti incumbunt, neque vllis parcunt laboribus, vt Chriſto lucrifaciant, pro quibus Olympo deſcendit: itaque parum eſt, quod inter tepidos verſentur Catholicos, Hæreticorum inuadunt arua, ad Saracenos, ad infideles proficiſcuntur: quid non illic flagitiorum? quæ non ſcelerum licentia? quomodo igitur apud nationes prauas non corrumpantur? non & ipſi pariter capiantur voluptatum illecebris? denique picem tangentes non coinquinentur? Attende, qui lilia nuncupantur, eoſdem & florem campi vocatos: Deſertum igitur petunt quandoque Vrbium relicto tumultu, & in hoc petunt, vt humanis ſubſtracti curis, de æternitate conſiderent, de Numine ſempiterno, eiúſque attributis intelligant: Hoc medicamento ſic præſeruantur, vt cùm poſtea ad vepres deſcendant & aculeos, peccatores nimirum, quibuſcum conuerſari oporteat; nulli ſint offendiculo improbi eorum mores Deo ſatiatis per vitæ contemplatiuæ lumen, neque liliorum inſtar candidi vnquam denigrentur: Ambroſius de inſtitutione Virg. cap. 14. & Octonar. 5. in Pſalm. 118. cùm de Eccleſia ſermonem eſſe dixerit: *Sed hoc lilium* (inquit) *in medio ſpinarum, hoc eſt, inter Iudæos, & Hæreticos, hoc eſt, inter ſollicitudines huius ſæculi, quæ mentem Hominis, animúmque compungunt.* Alibi verò de flore campi, & receſſu idem libro 3. de Virginibus: *Et quoniam de Deſerto Tractatus hic ſumitur, vbi quærendus ſit Chriſtus etiam ipſe monſtrat: ego flos campi & lilium Conuallium*, &c.

Ambroſ. Idem.

25. Pergebat Iacob in auunculi domum, & ſub dio pernoctans, dum ſoporatur, ecce vidit inter quietem, *ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes, & deſcendentes per eam.* Geneſ. cap. 18. verſ. 12. quid viſio portendebat, & Angelorum alterni diſcurſus modò in ſublimia, modo in iacentia & inferiora? Equidem, quòd in terras deſcenderent communi Patrum iudicio ſignificatur, normam præſcripſiſſe viris Apoſtolicis, quemadmodum procurandæ animarum ſaluti diligenter incumberent: ſed quoniam Prouincia licet altiſſimi meriti, periculis coniuncta, timor enim eſt, ne & voluptatum incentiua, & ſcelerum morbi contra ipſummet audeant Medicum; idcircò poſtquam cum Hominibus verſati fuerint aliquamdiu, per gradus aſcendant, quoad faſtigium attingant, & bipatentibus valuis cælorum intromittantur: ibi contuentur futiles eſſe ſæculi diuitias, oblectamenta non tantùm fugitiua, ſed in breuiſſimo interuallo exiguæ ætatis, amaritudinibus plena cernunt; amentiæ furorem eſſe, Dei prouocare iuſtitiam ad vltionem terribilem pro caducis iſtis: his armati cogitationibus aduerſùm inſidias feralium poteſtatum, ſine metu reuertuntur ad ſæculi iterum reformationem: ſed quare Iacob iſta præmonſtrantur, & tum ſpeciatim, cùm ad Labanis ædes iter inſtitueret? Equidem ſub Auunculo gregum cuſtos futurus erat, quos multos in annos ſedulâ pauit induſtriâ: illo vitæ exercitamento præadumbrati qui poſtea in Eccleſia Dei, animarum Paſtores deſignandi erant: docebantur igitur hi Angelorum exemplis, quemadmodum rationalem Animarum gregem tractarent, cuius quidem ſollicitudine diſtraherentur, ſed inter pios labores meminiſſe oporteret, vt relictâ interdum actione, colligerent ſe ad vacandum ſoli Deo; vt ſi quid mundi titillarunt illecebræ, ſi quid puluis fuliginauit, ſanctarum Meditationum ſtudio emendarent, & contemnerent facilè pompæ ſolam effigiem: Quamobrem vt viſionis ſe obtemperaſſe monitis Iacob probaret, nequaquam vni ex ſororibus tantùm coniugali vnitus eſt fœdere, duxit ambas: data eſt prior Lia, quæ actionem repræſentabat; veritus, ne huius negotia obruerent, Rachelis concupiuit amplexus, tum deinceps beatum habuit Matrimonium; quicquid enim Liæ tumultuoſa ſocietas attulit incommodi, Rachelis Theoriâ compenſabatur: Hildebertur Cænomanenſis epiſtola 37. *Vna eſt, & eadem ſcala, qua Iacob aſcendentes Angelos vidit, & vidit deſcendentes: eius ſummitas dum cælos tangere deſcribitur, quòd ad cælos per eam ſit tranſitus, demonſtratur: per hanc frater & Tu aſcendiſti, vidiſti quid agatur in Ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius; nunc autem de Deſcenſu conquereris, ſed faceſſat quæſo querimonia tua, faceſſant ſuſpiria tua, quoniam Lia quoque ſortitur hæreditatem in prole ſua: Non enim vel ſola Rachel; vel tantùm Lia Iacob ad patriam eſt comitata reuertentem: comitata eſt Rachel virum, viro grata*

Geneſ. 18. 12.

*Scala Iacob viris Apoſtolicis documentum ſit.*

*Paſtor egregius Iacob & Liam & Rachelem, i. vitam & Actiuam & Contemplatiuã, Sorores duas in matrimonium ducit.*

Hildebert. Cœnoman.

*propter ſpeciem: comitata eſt eundem Soror eius, eundem complexata propter prolem.*

26. Veteris Sacerdotij duæ Tunicæ; altera multicolor, ſcilicet veſtis operoſa, cuius in diuitias congerebatur aurũ,& Hyacinthus, & purpura & Coccus bis tinctus,byſſúſque:altera vnius faciei, linea nimirum tota, Exod, cap,28. verſ.6. & 40. quidnam iſta indicabant? Sanè officij memorem debere eſſe amictus ſuggerebat: Nam quod altera veſtis multicolor eſſet, & in plura diuideretur, actuoſam denotabat vitam, & plurimorum officiorum diuerſa miniſteria, quibus perturbari mentem neceſſe eſt; & hæc ſollicitudo Marthæ quidem eſt; ſpecioſa ſanè hæc veſtis eſt ob colorum multiplices imagines, ſed grauis & oneroſa, ob curarum pondus: eius igitur in ſolatium altera quandoque aſſumenda eſt Tunica de Lino contexta, ibi enim vnum illud cernitur, quod in Maria collaudatum eſt, quæ ſecus pedes Domini audiebat verbum, & in meditatione illius exardeſcebat ignis. O lineæ Tunicæ ſacrum priuilegium! ô Contemplationis diuinam efficaciam! Hæc eſt, quæ ordinat charitatem erga proximos, dum monet de Zelo indiſcreto,dum tepidos ad laborandum excitat,dum plus aliorum ſaluti,quàm propriæ attendentes ſobriè corripit, dum ſuggerit Principum in aula verſantibus, momentaneum eſſe Regium decorem, & omnia ſtercora arbitranda præ Chriſto: Philo Hebræus lib. de Temulentia: *Quoties ab humanis ſtudijs ſecedens vir ſapiens, eum qui eſt, ſolum adorat, debet vnicolorem veritatis ſtolam induere, quam nihil mortale attigit; eſt enim linea, quæ materia non enaſcitur è mortalibus: Rurſum, quoties tranſit ad curam Reipublicæ, debet alteram pictam, & adſpectu mirandam aſſumere, cùm enim magna ſit in vita varietas, opus eſt variâ ſapientiâ tenenti clauum Gubernatori.*

Exod.28. *Sacerdotis Aaronici multicolor veſtis, vitã actiuã, erga plurima ſolicitam: linea verò vitam Contemplatiuam vni neceſſario intẽtã figurabat.*

Philo Hebr.

27. Verùm inquias, quod contemplationi, & ſpiritalibus exercitiis conceditur, in auxilij Animarum detrimentum, cum illo vacationum interuallo, à colligendis fructibus ceſſatio eſt? imò quidem nihil ad copiam, & vbertatem magis conducit. Pharao Exod. cap.5. verſ.5. *Multus eſt populus terræ: videtis, quod turba ſuccreuerit: quantò magis ſi dederimus eis requiem ab operibus?* Intuêris Pharaonem tum ſingulariter metuere, ne vulgus excreſcat quando feriatur quidem?Sanè Pharao Diaboli typus eſt: Iſraëlitæ verò qui peſſimis Ægyptiis Tabernacula ædificant,fideles prædicatores ſunt, qui ſceleratos quoſque in viam ducere tentant, vt Creatorem agnoſcant, & venerentur: ergóne Pharao conetur,vt hi laborent dies noctéſque indefeſſo ſtudio? ſed quis hoc credat? Nonne conſiderat deteſtandus, quo plus conſudauerint Animarum miniſtri, eius plus minuendam ſuperbam poteſtatem? contra ſe igitur ſtimulabit ad laborandum ſine otij parte aliqua? ô callidam Hoſtis aſtutiam! Nouit ille perturbator, ipſis piis deſideriis maioris Animarum profectus veneni quidpiam immiſcêre, dum aut paulatim ſpiritalis Dilectio in carnalem tranſit Amicitiam, aut voluptates ſeducunt, vel Ambitio inſufflat: nouit inter negotiorum ſtrepitus haud poſſe facilè artis ſuæ ſcopum animaduerti, quod tamen in Meditatione & exercitiis contingit: Hinc verò accidit conatum remitti, ſegnes procedere operarios, vt qui penè & ipſi de Mundo eſſe velint: igitur, non ab horis illis ſubceſiuis ſpiritalium exercitiorum detrimentum fructibus Animarum, alioquin ab iis non reuocaret Pharao, qui eſt Diabolus: ſed niſi Meditatio ſuccedat interdùm actioni, nonnunquam eueniet, vt nec ſibi, nec aliis proſint, qui columnæ futuræ videbantur in Eccleſia Dei: Cyrillus Alexandrinus lib.9. in Ioan. c.19. *Quòd autem hæc conſuetudo Diaboli ſit vel à figuris cognoſcemus: ſubiecit Iudæos ſibi Ægyptiorum tyrannus, quos luto, atque lateribus amariſſimè vexabat; quibus nec tempus quidem orandi Deum præbebat: præfectis quoque iuſſit, vt grauiora illis opera adferrent, ne ſermonibus vanis dare operam poſſint: appellabat autem vanos ſermones eos, qui de libertate haberentur, & ad meliora inflammarent, quibúſque ſeruiendi conditionem deplorarent, & à Deo poſcerent meliora.* Sed graphicè admodum Magnus Baſilius in Pſalm. 45. in illa: *Vacate,& videte,*&c. *Nonne vides, quòd in ſpinas dilapſum verbum à ſpinis ſuffocatur? ſpinæ namque Carnis voluptates,& diuitiæ, & curæ ſunt huius ſæculi: extra hæc omnia conſtitutum eſſe opus ſit eum, qui cognitionem Dei deſiderat: Nouit hoc & Pharao proprium eſſe hoc liberiore otio fruentium, vt Deum inquirant: atque ideo opprobrabat Iſraëli dicens: vacatis, otioſi eſtis, ac ideo dicitis: Dominum Deum noſtrum adorabimus.*

Exod.5.5.

*Metuit Pharao ne, ſi aliqua detur populo Iſraëlitico requies, excreſcat magis: Sic fœcundos ſpiritalis otij ſeu Contemplationis fructus nimijs curis ſuffocare nititur Dæmon.*

Cyrill. Alex.

Baſil.

28. Poſt longam in Iſraël ſiccitatem, quæ famem miſerandam attulit, Carmeli vertice conſcenſo Elias poſt fuſam orationem, Puero iuſſit vt proſpectaret contra mare, quod cùm ab eo ſæpiùs factum eſſet, tandem pluuiis grandibus madefacta eſt Terra, Reg.3. cap.18. verſ.42. Iacobi c.5. verſ. 18. ſed obſecro, quamobrem Propheta non in ciuitate orauit cubiculo clauſus? Nonne & in mediis vrbibus ſupplicantem Numen exaudiret pariter? Quid igitur abſtrahitur à multitudine, & Deſerto reſtitutus ibi deprecatur? ſanè credo, licet in oppido Deum obteſtaretur Helias, voti futurum compotem; noſtram verò ad inſtructionem optima ſeceſſus Ratio: Arentis namque glebæ figurâ ſiccitas ſpiritalis Animæ deſignatur, cùm præ macie vix oſſibus adhæret cutis; tales conſueuerunt eſſe, de quibus Oſeæ cap.7. verſ.9. *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit.* Alienorum quippe nomine intelliguntur ſeculares mores, quibus aliquando aſſuefaciunt ſe, qui præcipiti impetu in exteriora ſe effundunt, quæ foras ſunt tantùm curantes, & internæ deuotionis obliti, cuius ſuauiſſimo oleo deficiente ſic areſcunt, vt de Religioſa profeſſione nihil præter indicia veſtitus atque tonſuræ retineant, vt Bernardus venuſtè obſeruat præfatum Oſeæ locum exponens ſerm. 2. de quadrag. Quando igitur in hanc imperfectionem Anima delapſa fuerit, quòd neſcierit prudenter vacare aliorum ſaluti; ad priſtinum recuperandum vigorem, ſuccúmque corporis, opus eſt, relicto tumultu, locum repoſcat quietum, placidúmque, in quo ſibi attendat ſolùm, qui nimirum aliis ſe commodauerat: ſic meditantem pluuia irrorabit de cœlo veniens, & quæ priùs exſiccata fuerat Tellus, germinans germinabit, & florebit quaſi lilium: Richardus de S. Victore in Cantica Canticorum cap.16. *Cùm ergo ſiccitas hæc euenerit, & facta fuerit Anima, ſicut Terra ſine aqua, expandendæ ſunt manus ad Deum in oratione, & cum Elia poſt ſiccitatem trium annorum pluuiam poſtulante, ſecedendum eſt ad orationem, & pro pluuia gratiæ poſtulandum: ille puerum miſit iterum, atque iterum ad comprobandum ſi preces eius exauditæ eſſent, nec factum eſt ante ſeptimam vicem, ita mente ſiccatâ longo tempore à deuotionis gratia, orandum eſt, & multis vicibus inſiſtendum, nec à prece ceſſandum, donec quies Mentis (quæ per ſeptenarium intelligitur) & gratia, quæ ſeptiformis eſt, operetur; ſine enim magnâ inſtantiâ, & laborioſâ prece exſiccata Mens à Gratia, illam recipere non meretur:* Deinde pergit idem Auctor oſtendere, Carmeli ſpeciatim faſtigio oraſſe, qui Mons cùm interpretari ſolear *cognitio circumciſionis*, admonet talibus intentos ſtudiis ſub diebus ſpiritalium exercitiorum omnem debere vitare congreſſum cum ſæcularibus, & amputare vniuerſa, quæ Mentis deſideratam quietem præpedire quouis modo valeant.

3.Reg.18. Iacob.5. *Non in Oppido Elias, ſed in Montis Carmeli ſeceſſu orat, & impetrat cæleſtem imbrẽ.*

Oſee.7.9.

Bernard.

Richard. Victor.



29. Equidem viri Apoſtolici, ſi quando eos Animarum copioſior meſſis expectat, antequam difficilem aggrediantur prouinciam, in dies aliquot recluduntur, & largo Orationis pabulo ſe corroborant: idcircò abiturus ex hoc Mundo Seruator, cùm Apoſtolis intimaſſet, vt in mundi plagas omnes ad Euangelium docendum proficiſcerentur, monuit tamen ſubſiſtere aliquandiu perſeuerantes nimirum in Oratione in Cœnaculo, Actor.1. verſ. 14. *Vos autem ſedete in Ciuitate* (aiebat per Lucam cap. 24. verſ. 49.) *quoadusque induamini virtute ex alto.* Sed quemadmodum ſe Meditationibus præparant antequàm adoriantur; ita ſub Meſſis tempora ad eandem ſe colligunt rurſus, aut quidem abſoluta, timentes, ne fortè cùm aliis prædicauerint, ipſi reprobi effecti ſint quoquo modo, quòd ex ſæcularium familiaritate vitium contraxerint, vel Spiritu ſaltem intepuerint. Strenuiſſimus ille Samſon, poſtquam ingenti clade Philiſtæos conterruit, *deſcendens habitauit in ſpelunca petræ Etam*, Iudic. cap.15. verſ 8. cur latebras petit, & cauernâ abſconditur fortiſſimus virorum? Eſtne quòd Philiſtæi præualeant, & fugâ quærenda ſit ſalus? nequaquàm metuebat Hoſtes vir præclariſſimus, quomodo tamen Animarum pugnare deceat Miniſtros, edocebat: Siquidem licet talis quiſpiam euadat, vt Samſon eſſe videatur propter incomparandam Domini gratiam in animarum captura; itaque vel Gentes conuerterit plurimas, vel Hæreticos vel Iudæos cæcitate,& malitiâ liberauerit; tamen ſubinde cùm glorioſa reportat & diuidit ſpolia Victor, ſpeluncam adeat, vt requieſcat paululùm, non tam à labore corporis, quàm vt ne Spiritus laſſetur, aut infringatur quidem! ô ſi hoc vel Samſoni neceſſarium, vel ipſis magnis Imperatoribus, quid nobis Homuncionibus præſtandum, quorum eſt tam imbecilla virtus?

*Iubet Chriſtus Apoſtolos antequam Euangelium diſſeminent, ſedere in Ciuitate & orare quoad vſque induãtur virtute ex alto.* Actor.1. 14. Luc.24.29.

Iudic. 15. 8. *Profligatis generosè Philiſtæis deſcẽdens Samſon habitat in ſpelunca petræ Etam.*

---

## *Ad Caſtitatis illibatam gloriam, optimus Cuſtos Humilitas.*

## SECTIO II.

30. Lilium ob candorem niueæ Symbolum Virginitatis; conſidera autem vbi naſcatur? in Conuallibus nimirùm, locis videlicet depreſſis & humilibus: *Quid dicis, Virgo ſuperbe?* (ait Bernardus homilia 1. ſuper Miſſus eſt.) *Maria Virginem ſe oblita gloriatur de Humilitate: & Tu negligendo humilitatem blandiris tibi de Virginitate? Reſpexit (ait illa) Humilitatem ancillæ ſuæ: quæ illa? Virgo vtique ſancta, Virgo ſobria, Virgo deuota: Numquid Tu caſtior illâ? Numquid deuotior? An numquid tua fortè Pudicitia gratior caſtitate Mariæ? Vt tu ſcilicet ſine humilitate placêre ſufficias ex tua, quod illa non potuit ex ſua?* Itaque non in montium apicibus, quibus ſuperbia indicatur, ſed in cauatis partibus, quæ ſubſidunt, & vbi humilior eſt gleba, lilium conſurgere naſcendo perhibetur, vt nonniſi affinem Humilitati & ſubmiſſioni, Caſtitatem eſſe intelligamus: Ambroſius de Inſtitutione Virg.cap.15.& lib.3.de Virginibus: *Eſt verò & lilium Conuallium, id eſt, humilium animarum, & mitium: eſto ergo mitis, humilis, atque manſueta, vt in te ſicut lilium germinet Chriſtus: Chriſti enim lilia ſunt ſpecialiter ſacræ Virgines, quarum eſt ſplendida & immaculata Virginitas, vnde plerique accipiunt quod Eccleſia videâtur dicere: Ego ſum flos campi, & lilium conuallium.* Latebat in ſpelunca Helias, & Dominus eum viſitauit: iuſſus eſt venientem foras præſtolari: *Egredere, & ſta in monte coram Domino, & ecce Dominus tranſit, & Spiritus grandis & fortis ſubuertens montes*,&c. Reg.3. c.19. verſ.11. Stetit Propheta in limine, & expectauit venturum, ſed ſtetit quidem pallio vultum coopertus: cur faciem obuelat? Anne poſſit aliquid optatius viro præſertim ſancto, quàm Deum Maieſtatis intueri? Cur igitur ſibi ipſe denegat conſpectum deſideratiſſimi oris? Sanè Humilis erat, & indignum ſe arbitrabatur, qui Dominum contueretur, idcircò faciei lineamenta occultat: Richardus Victorinus in Cantica cap. 5. *Helias poſt auditum ſibilum auræ lenis, in qua Dominum eſſe didicit, pallio vultum operuit, & in oſtio ſpeluncæ ſtetit: Sic Homo perceptâ gratiâ, & per hanc cognitâ imperfectione ſuâ, vultum pallio operit, quia quantâ ignorantiâ tegatur, agnoſcit: & in oſtio ſpeluncæ ſtat, quia poſt noctem cognitæ cæcitatis, de corruptionis vitio exire, ad illuceſcentem ſibi diem gratiæ venire deſiderat.* Ita igitur declinauit Elias vidêre faciem Domini ob Humilitatem: At intueamur de Moyſe quidnam fecerit? *Oſtende mihi* (inquit Numini, Exod.cap.33.verſ. 19.) *gloriam tuam*: nec certè cogitauit de vultu contegendo, quin opus fuit, vt ipſe qui appariturus erat, dexterâ protegeret, quoad tranſiret: Quid hoc eſt? alter Prophetarum confunditur Deum intueri, alter vehementer exoptat, & vix cohibetur? Annon Moyſes humilis eſſe velit? annon & eſſe oporteat? cur igitur viam Humilitatis repudiat, quæ Elias amplexatus eſt? Equidem latentis ſuperbiæ correctio manifeſta conſueuit eſſe luxuria: Virginitate excidit plerumque arrogans: Moyſes autem vxorem & liberos habebat: vnde licet minùs humilis videri poſſit, Dei incircumſcriptum vultum contemplari deſiderans, tamen Virginitas, quâ vtpotè non excellebat propter coniugale fœdus, caſtigari non poterat: Helias Virgo erat, torum perpetuò auerſatus: ne igitur magnitudo viſitationis diuinæ extolleret, faſtus Virginitatem labefactaret, ſubmittit ſe, & vilipendit: atque ideò pallium obtendit luminibus veniente Domino in ſibilo tenui.

*Lilium Virginitatis ſymbolum in conuallibus.j. locis humilibus naſcitur.* Bernard.

Ambroſ.

3.Reg.19. 11.

Richard. Victor.

Exod.33.19. *Moſes coniugatus faciem Dei videre ambit, Helias Virgo hanc ne videat vultum operit, ſcilicet Virginitati cuſtodem adhibens Humilitatem.*

31. Perſequebatur eundem vatem Iezabel Regina crudelis & effera, timuítque, & *ſurgens abijt quocumque eum ferebat voluntas*, Reg.3.cap.19.verſ.3. cur fœminam veretur qui antè viros nunquam trepidauit, ne coram Achabo impiiſſimæ fœminæ conſorte? Diximus aliàs fugere, quoniam mulier perſequebatur, quæ ne irata expectanda eſt, Nam furor in blanditias citò tranſit: mulierem vtcumque deuitet qui caſtus eſſe anhelat: comitemur diſcedentem pauliſper: recubat mœſtus ſubter vnam Iuniperum & vitæ exoſum Angelus ſolatur vaſculo aquæ, & ſubcineritio pane: quamobrem ſubcineritius? non de piſtrino attuliſſe poterat, certè & oleata placenta aliqua Bellariorum ſecundæ Menſæ Principum leniret faſtidium triſtantis animæ: Stephanus Cantuarienſis

3.Reg.19 3.

Stephan. Cantuar.
*Dum mulierẽ fugiebat caſtus Ælias, ſubcineritiũ panem ei offert Angelus, qui propriæ abiectionis memoriã Virgini ingereret.*

rienſis in Allegoriis Tilmanni ad cap. 29. Geneſ. *Hic eſt panis ſubcineritius* (inquit) *qui datus eſt Heliæ, noſtræ ſcilicet abiectionis memoria:* Sed quorſum oporteat Heliam humanæ conditionis infirmitatis meminiſſe? Num vt ſuperbire deſinat? planè ad hoc vtilis recordatio obſcuri noſtri exordij: atqui hoc remedium ſalutare quidem ſecundis in rebus leni flante Zephyro altioris fortunæ; quare in triumphis olim eam ob cauſam Victoris à tergo, qui crebrò ſuggereret communis eum Naturæ eſſe, proinde ſciret, non eſſe quamobrem ſub tantis acclamationum felicium vocibus ſuperbiret: at verò Helias hac in fuga extremis laſſatur damnis; non argentum eſt, non ſupellex, non domus, non agri, non cognati, non amici, non famuli qui aſſiſtant: ſub tanta adhuc inopia recordabitur miſeriarum, quibus obiacet mortalis conditio? atque iſtud ne intumeſcat, vt humilietur profundè? Sanè ita, & rectè equidem: Scilicet mulierem fugiebat Helias, caſtus fœminam exhorrebat: Verùm fugâ quid conſequebatur, & deſerti ſolitudinibus, niſi vt corporis integra eſſet Virginitas fœmineis ab amplexibus? ardêre tamen vel in eremo prauis cupidinibus ſpiritus poterat, vacillare, concuti: Quando igitur fugâ corpori conſultum, quo carnis integritati Animi ſocietur incorruptio, atque ita & carne, & mente Virgo ſit Helias, apponatur eſurienti de quo manducet ſubcineritius panis; vt quando ex cineris intuitu ſubeat ex puluere compactum, in puluerem reuerſurum, ſi quid in Animo de ſuperbiæ afflatu relictum eſt, ocyùs expellatur: ſuperbiâ autem omnino exterminatâ, tranquillus vigeat animus & ſyncerè caſtus, Virgineum etiam cum pace regat corpus.

32. Cantic 3. 8.

De noſtri Sponſi thalamo Hymenæographus inferiùs cap. 3. verſ. 8. *Sexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël; omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos:* Femore pruritum Carnis ad libidinem incitantis, ſignificari, commune iudicium eſt, Richardus de Sancto Victore cap. 11. in Cantica: In femore notatur propagatio carnalis, dum per femur intelligi poſſunt motus carnales: ad hos igitur comprimendos gladius ſubſeruit: ſed quidnam gladio denotatum? Verbum quidem Dei, quod in Scripturis eſt: audiamus de penu Richardi iterum: *Sic armati ſumunt verbum Dei quaſi gladium, quo & ſe tueantur, & Hoſtem feriant; viuum eſt enim verbum Dei, & efficax, & quaſi gladius penetrans, & cogitationes maligni diſcernens; fortes ergo Salomonis noſtri omnes tenent gladios, quia ſacram Scripturam amplectuntur, & memoriâ retinent, & huic mente inhærent, in qua diuerſa documenta habent, quibus callidi Hoſtis inſidias cognoſcant, atque ſuperent.* Præclarè equidem gladio muniuntur contra nocturnas inſidias, Num cùm verbum Dei ſit, iſtud lux eſt, luce autem diſſipari caliginem, & tenebras neceſſum eſt; ſubdit memoratus Auctor ſtatim; *quia per intelligentiam Scripturæ erudiuntur, & per operationem illuminantur, ſicut Pſalmiſta dicit, in intellectibus manuum ſuarum, id eſt, per operationem, reduxit eos:* atque idem planè de Scripturis Pſalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum:* Sed operæpretium eſt diligentiùs perſcrutemur, quidnam iſti timores nocturni ſubindicant? fortaſſe nihil congruentius repræſentare dixerimus, quàm Mentis ſui laborantis ignorantiâ caliginem: eſt autem ſuperbiæ proles cæcitas iſtiuſmodi, nam ſuorum defectuum oblita hallucinatrix Anima, putat ſe diuitem, & inaniter gloriatur, cùm bonis omnibus ornamentis deſpoliata ſit: *Quæ Nox tantò magis* (inquit Victorinus) *timenda eſt, quantò etiam neſcientes in multis peccamus, quæ peccata Dominus nouit, quamuis nos ignoremus, & ideò nos excæcari permittit;* quoniam igitur hæc obtenebratio ſuperbiam indicat, ſuperbia verò eſt quæ potiſſimum luxuriæ famulatur; propterea Virginitatem ſartam tectam cuſtodire deſiderantibus, antè omnia caueant, aduertit, ne rimam aperiant quampiam elationi, & faſtui: Mirabile eſt cùm gladio armauerit ad caſtitatis defenſionem; non tamen contra gulam incitat, non contra veſtium ſumptus, nõ aduersùs ipſa muliebria blandimenta: quaſi in omnium capitaliſſimum Hoſtem, in vnius ſuperbię deſtructionem ſtimulat, velut hoc proſtrato inimico ratus ex cæteris facilem haberi Victoriam: tum illud etiam cogitatione dignum eſt, non cum aperto Aduerſario pugnam inſtitui, ſed cum ſolo inimici Rumore, atque metu; *propter timores nocturnos,* ait: nihil leue eſſe permittit cùm de Virginitate ſermo eſt, quod cum ſuperbia coniunctum eſſe valeat.

Idem.
*Qui Virginitatem ſeruare cupit, aſſumat gladium. i. Verbum Dei, ſuper femur ſuum, hoc eſt, carnis pruritum, contra timores nocturnos. i. ſuperbam ſui ignorantiam.*

Idem.

Pſalm. 118.

Richard. idem.

33. Gloriosa caſtitas Ioſeph, quam nec fœminea blandimenta eneruarunt, non muliebris ira, quâ nihil vehementius, conterruit: ſed ecce Victoriæ præmium carcer, & facinoroſis dicata ſubterranea: *Tradiditque Ioſeph in carcerem, vbi vincti Regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus,* Geneſ. cap. 39. verſ. 20. *Pudicus iuuenis* (ait Cyprianus libello de Pudicitia) *quia delicto conſcientiam non miſcuit, in imum Carceris truditur:* Sed obſecro Domine, quando apud te ſub altiſſimorum Decretorum conſiliis ita præfinitum ſit, vt Ioſephus gratiam coram Pharaone inueniat, & ſtolâ byſſinâ ornetur, atque torque aureo collum refulgeat, cur non hanc iniicis mentem Regi ſtatim? excitabuntur exemplo multi ad decertandum pro caſtitate, ſi honorari virtutem intueantur. Num ideò dilata eſt gloria Adoleſcenti, ne ſubitò, & ſine agonibus quiſpiam tentet culmina aſcendere rerum? Verùm vſque modò & in laboribus ſatis Ioſeph, nam & in ciſternam veterem miſſus eſt, & diuenditus Iſmaëlitis à fratribus, & dimicauit egregiè pro caſtitate, hæc præmiorum ampla ſeges? Vide, qui conceſſit Ioſepho, vt triumpharet cũ pudicitia, idem volebat ne deinceps caſtitas periclitaretur ſub grauiori Hoſte, quàm fuiſſet Dominæ vultus, quàm amatoriæ ardentis libidine pollicitationes: Si igitur Ioſeph continuò remuneratus, forſitan ſuperbiret ex fortunæ alacritate, elatio autem maius diſcrimen attuliſſet, quàm Heræ congreſſus: Victor itaque caſtitatis humiliatur ſqualore carceris, quò caſtitas deinceps tuta ſit: Sed nonne etiam in carcere ſuperbire poterat, quòd Heram ſuperaſſet, imò ob carceris ipſius habitaculum, neque enim reorum more intrauit, ſed quod contaminari non ſit paſſus? decus autem eſt ſic vinciri ergaſtulo: ita ſanè contingere potuiſſet, ſi poſt modicam cuſtodiam extraheretur, at detentus eſt biennio, quo tam longo tempore non tam exerceri ad patientiam animum culpis omninò vacuum exiſtimare poſſit; quàm potiùs delicta aliqua, quanquam non grauia, puniri: confundebatur itaque modeſtiſſimus iuuenis & metuebat ne in ipſo caſtitatis triumpho admiſiſſet quod expiari debuerit: Quare mancipari ergaſtulo ideò permiſſus videatur, vt Humilis fieret: humiliabatur autem in Caſtitatis tutelam, quòd hæc ſubmiſſione conſeruetur.

Geneſ. 39. 20.

Cyprian.
*Vbi de fœmineis blandimentis triũphauit glorioſè caſtiſſimus Ioſeph, ſtatim detruditur in carcerem, ibique per duos annos humiliatur.*

Deſcribit



34. Deſcribit Reginam Sponſi vxorem, quibus agminibus fœminarum comitata in Templum progrederetur Dauid Pſalm. 44. inquiens verſ. 15. *Adducẽtur Regi Virgines poſt eam: proximæ eius afferentur tibi, afferentur in lætitia, & exultatione; adducentur in templum Regis.* Obſeruauit acutè Magnus Baſilius Commentario huius loci, quanquam omnium Virginum prærogatiua ſit Sponſæ eſſe ſodales, & cum ea Regis intromitti in ſacrarium, non tamen cunctarum eſſe, vt hilares, & cum tripudio illam ſectentur ſed earum, quæ proximæ ſunt, idcircò de his ſpeciatim: *afferentur in lætitia, & exultatione:* Duas Virginum turmas meditari valeamus: alteram earum, quarum robuſta, atque fortis eſt caſtitas; quòd ſciant quidem ſtrenuè Tentationibus reſiſtere, ſed quoniam Bella experiuntur multa, & in acie ſtare quaſi perpetuò cogantur, glorioſa quidem eſt earum Pudicitia ob crebras Victorias, at non ſuauis, non læta & hilaris: altera Animarum quarundam, quibus Virginitas ita blanditur, vt motus effrænes conſopiuerit, rariſſimè aut nunquam penè vel cogitatio illudat, quare Angelorum velut priuilegio fruantur adhuc mortales: hanc igitur gratiam conſecuturas eas, quibus Sponſæ proximas vocari datum ſit, Pſalmodus adſtruit, vt ſine onere, abſque moleſtia Virginitatis iugum ferant, quo nihil iucundius eſſe poſſit: iam ergo intueamur, quid ſit Sponſæ Proximas cenſeri? Puta vxorem Sponſi hoc Epithalamio præter Eccleſiam, ſpeciali Titulo Virginem Deiparam intelligi, vt Carthuſianus, Incognitus & alij ſcribunt: huius Beatiſſimæ Genitricis Proximæ vocantur Mentes, quæ imitatione propiùs ad eius Virtutes accedunt: quænam autem Virtus in Chriſti matre ſingulariter eluxit, ni Humilitas ſanè? Quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ (cantauerat ipſa,) ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes Generationes: igitur Proxima Sponſæ, illa mer eſt Anima, quæ Humilitate ſpeciatim excellit: quid verò referent mercedis ex Humilitatis tali ſtudio? vt quàm facillimum ſit eis Virginitatem colere; tantùm non grauentur, imò hilares & iucundæ incedant; propterea Vates ſpondet: *afferentur in lætitia, & exultatione,* &c.

Pſal. 44. 15.

Baſil.

*Virgines robuſtæ & quarũ ob crebras victorias glorioſa Pudicitia, Deiparæ, cuius Humilitas maxima, Comites ſunt.*

Carthuſian. Incognit.

35. Geneſ. 49. 4.

Moriturus Iacob, benedixit filiis, & alloquutus Rubenem Primogenitum, inquit: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile Patris tui, & maculaſti ſtratum eius.* Geneſ. cap. 49. verſ. 4. Pœnáne hæc, an Remedium? Quid eſt, non creſcas? hoc eſt, præ alij tribubus, quæ tuo ex nomine, minus fœcunda: Rectè ſanè, vt qui contra vterum peccauit cum Bala Genitoris Concubina laſciuiens turpiter, vtero plecteretur, & fierent vuluæ ſteriliores eius in tribu: Anne tamen amplius quidquam denotent illa *Non creſcas?* Hoc eſt, neque opibus ſplendeas, non Magiſtratus ſublimioris gloriâ, non facinorum præclariſſimorum vberi encomio; deprimaris & humilieris plurimùm: quorsùm iſta? Nam quamuis acerbè peccauit, luxuriæ tamen fuit delictum, non ex ſuperbia vitium: atqui Humiliatione ſuperbia caſtigatur, ſufficit incontinentiam ſterilitate plecti: Cerne optimi Patriarchæ ſtudium. Volebat Deo annuente filium in Nepotibus ad terrorem vitiorum, ſceleris exoluere debitum ſupplicio inflicto, proinde damnauit ad ſterilitatem: Volebat inſuper Medicamentum adhibere aduersùs incontinentiam, idcircò humiliat & deprimit præ aliis tribubus: Ruben antidoto eget aduersùs luxuriam; ſit humilis, & continens erit, nam continentiæ præſeruatrix Humilitas eſt: quò autem humilis euadat ſuperbiendi dematur occaſio; deprimatur itaque, & non creſcat quoquo excellentiæ modo. Fortaſsè hinc in myſterij figura pugnaturus Dauid cum immani Philiſtæo, reſpuit indui Saulis armis, Reg. 1. cap. 17. verſ. 40. quippe Dauid tum cælebs cum Turre Carnis Goliatho congreſſurus, præadumbrabat cælibatus cum luxuria duellum: At cur præferuntur quinque limpidiſſimi de torrente lapides galeæ & loricæ Saulis? erant arma illa, nimirum quibus Rex ipſemet vtebatur; exquiſitæ materiæ, & politioris operis: tantis ornamentis nunquam antea Dauid aſſuetus annon fieri poſſit, vt ſuperbiret? ſaltem adepta Victoria ſuis conatibus aliquid adſcriberet, cum Triumphi adiumentum haberet Saulis arma: Vt igitur moneret Carnis vincendam eſſe petulantiam humilitate, quâ deuictâ, Caſtitas ſecura eſt; nihil in pugnam ſumpſit, quod ſuperbiam redoleret, propterea excuſauit, ne regiis effulgeret in armis: Humilis proceſſit in aciem cum baculo & lapidibus ſolùm, iiſque mole exiguis.

*Rubenis laſciuia ſterilitate punitur in poſterorum terrorem: quo doceantur Humilitatem Continentiæ præſeruatricẽ eſſe.*

1. Reg. 17.
*Humilis contra Goliathũ, carneam molem, in certamen deſcẽdit Dauid.*

*Labores pro Animarum ſalute Chriſti imitatoribus non ſarcina, ſed voluptas.*

## Sectio III.

36. Vocabat ad thalamum genialem, locum planè deliciarum Sponſa Dilectum, atque vt alliceret, vernam repræſentare iucunditatem aſſerebat, inquiens, *lectulus noſter floridus:* ille camporum gratiora ſibi eſſe ſpatia refert: *Ego flos campi* ait: quid, ô Tu delicate, ô virorum pulcherrime, cubili præfers vmbroſo & placido ruris labores? præſtátne magis ſub æſtiuo Leone comburi patentibus in aruis, an odorato in pauimento iacuiſſe in aulæis ſupinum ad Lyræ ſonitum, ad confabulationes ſodalium dulciſſimorum? Quid ſi & ad lætitiam in campum procedat Spõſus? Verè Iesvs meus iſte eſt, & quicunique eius hauſêre Spiritum, cui Ager thalami otio ſuauior eſt, quanquàm ibi non niſi fatigatio & afflictio plurima: Ager fuit mundus iſte: proh quantum ſuſtinuit, vt Hominem recuperaret, in præſepi, ſub Herode, in Ægypto, in tenui & anguſta domo, à Scribis & Phariſæis, quoad demum ſuſpenſus eſt de patibulo! in his omnibus lætus & alacer ſemper, nam tanquam gigas exultauit ad currendam viam; itaque propter mortalium ſalutem conuerſus eſt labor in oblectamentum, vſque adeò vt thalamo quieto & pacifico campi duras prætulerit exercitationes: Bernardus ſermone 47. in Cantica: *Illa ergo monſtrante lectum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat: Ego flos campi: ſanè, vtrumuis in hoc ſermone intelligi datur, vel quòd ſit videlicet pugnantis forma, vel quòd gloria triumphantis.* Eodem modo Petrus de Alliaco. Perpende, ſi non hilaris etiam cùm magis laſſatur: Baſilius Seleucienſis oratione 26. de oue Paſtoris amiſsâ: Luc. cap. 15. *Montes, & ſyluas obire non recuſat, obit præcipitia, cúmque deerrante venit in partem errationis & ſubijciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem: gaudet ipsâ fatigatione, ouium inuentionem ratus eſſe laſſitudinis leuamentum.*

*Dum ad Lectulum floridum inuitat Sponſa Dilectũ, ipſe ſuas in campis delicias eſſe aſſerit dum dicit, Ego flos campi.*

Bernard.

P. de Alliac.

Baſil. Seleuc.

De Verbi in Terras illapſu ſub Carnis indu- 37.
mento

Iſai.45.8.

Syrus.

mento Iſaias cap.45.verſ.8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur Terra & germinet Saluatorem:* Syrus vertit: *Iucundamini cæli deſuper:* agnoſco facilè lætitiam Olympi in Iesv natiuitate, tunc enim Angelorum concentus auditi, quibus mulcebatur æther: Verùm quid ſit terram aperiri? τὸ *aperiatur* vernam ſignificare temperiem noſter arbitratur Sanctius, quod Aprilis vernæ celebritatis menſis ab aperiendo dictum eſſe Naſo in Faſtis memoret, ſcilicet, quòd tum gleba ſinum diſtendat, & vuluæ diuitias commonſtrêt per florum colores, & habitus admirabiles: Veris has gazas de Mariæ clauſtro, & quidem cùm ederetur in lucem filius beatiſſimus, Auguſtinus ſermone 20.de Tempore,interpretatur, ſi fortè tamen certus ille Auguſtinus: *Expandat nunc fides ſplendentis vteri pulchra tentoria, Spiritus ſibilet naturali calore depulſo, tenuis Virginem aura reſoueat, & flente refrigerio ſpiramentis caleſtibus ventiletur, aluus Virginalis ſertis verecundiæ coronetur,flammeus ibi Roſæ fulgor anhelet, albens Lilium candicet, mollis Viola rutilet, purpurei ſpargantur flores,& vario nitore depictus Chriſti thalamus exornetur.* Ergóne Chriſto naſcente veris ſuauiſſimus Tepor, & ſibili lenes Zephyrorum, cùm magis perflaret Boreas,& grandinaret ſæua Hyems, fluuij conſtringerentur? Sanè, non ſolùm Natiuitatis Chriſti tempora immitia fuêre, ſed vitæ totius linea triſtis, ſub ærumnis infinitis,& Perſecutione continuâ; itaque horrida Brumæ facies vbique, & nebuloſum deſuper cælum: quoniam autem propter charitatem erga genus humanum dulcia quæcunque videbantur onera; non hyemem Propheta tempus illud vocat, ſed quia per vernam amœnitatem vniuerſa hilareſcit natura,ad innuendam Chriſti lætitiam in doloribus ob hominum ſalutem, vernâ gauiſum ſemper iucunditate affirmat,omnem abfuiſſe mœrorem dicit.

Sanchez.
Ouid.
*Chriſtus quanquam in media naſcatur brumâ, dicitur tamē tunc Terra aperiri vernâ amœnitate, & germinare Saluatorem.*
Auguſtin.

38\. Paſſioni Iesvs proximus Genitorem alloquitur: *Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum,ſicut & nos:* Ioan.cap.17. verſ.11.& 24. loquitur de iis, pro quibus crucifixus eſt; ſed nonne pretio illos comparauit, nonne emit ſanguine è ſacris profluente venis, & certè infinitus valor in cruore tanto? Quorſum igitur nunc velut dono acceptos affirmat? Pater, *quos dediſti mihi?* Equidem magna eſt differentia lætitiæ eius, qui ex gratia & munificentia locupletatur,præſertim ſi quod confertur, æſtimatione dignum cenſeatur, atque illius qui vel agrum vel donum perſolutis iuſtis ſtipendiis numerati argenti, vel auri comparauit: Secundum enim iſtum curæ vexant: ſi fortè quod emptum ſit, caſu aliquo antea pereat, quàm Domino commodum afferat: priori licet iſtud contingat, nihil deperditum eſt, cùm nihil ſubſtituerit pro adeptis: Chriſtus igitur vt denotet, tum cùm pro hominibus conſpueretur, conuitia ſuſtineret,& verbera,denique & ad lethum traheretur, eâ ſe perfuſum lætitiâ,quantâ fruatur,cui accidit Beatum,& diuitem fieri ex aliena liberalitate, indicat partam Crucis Victoriâ Hominum ſalutem velut non pretio, aut ſudoribus comparatam quodammodò, ſed ex dono tantùm acceptam: Richardus de Sancto Victore cap. 10. in Cantic. Cantic. *Acerbiorem Martyrij dolorem aſſumpſit, & pati voluit, quàm vllus Hominum vnquam paſſus ſit, vel pati potuerit, vt incomparabilem demonſtraret Charitatem: quæ charitas circa eorum ſalutem tanta fuit, quòd cùm eos pretio ſuæ mortis redemiſſet, non tam redemptos à ſe,quàm à Patre ſibi datos commemorat,quodam loco ita dicens: Pater, quos dediſti mihi, volo,vt vbi ego ſum,& ibi ſint mecum: in tantùm de ipſorum redemptione exultat,vt non putaret, magnum id,quod pro eis pertulit; ſed videatur eos,quos accepit, datos ſibi potiùs in munere, quàm emptos pretio, vel recompenſatione.*

Ioan.17.11.

*Quos Chriſtus ſui ſanguinis pretio cariſſimè emit, quomodo à Patre ſibi datos dicit?*

Richard. Victorin.

39\. Verbi in terras deſcenſum pulchrè venationis ludo aſſimilauit Theodotus Ancyræ Epiſcopus homilia de Natiuitate: *Propterea* (inquit) *non venit cum imperiali faſtigio, nec ſatellitium inducit Archangelorum: non mouit Angelorum exercitus: Non enim terrêre volebat fugitiuum ſuarum legum, ſed venit omnium Dominus in ſerui forma, paupertatem circumamictus,vt prædam non abſterrêret, vt ſine ſtrepitu ad ſalutem Hominem venarêtur:* Solent delicati Principes interdum, cùm ſæuior rigeſcit hyems in diebus niuis,aut gelu vinctis amnibus, vaſtam petere eremum, vbi plurima ferarum teſqua, vbi Vepres, & paludes: & patiuntur dura modò à ventis, modò à frigoribus, modò à ſtipitibus ſyluarum,& effoſſis Voraginibus, modò ab iis,quæ perſequuntur,animantibus: nihil tamen eis feſtiuius tali luce, & cùm epulari poſſint ſub aurata camera ad citharæ dulcioris numeros,cùm foco aſſidêre, cùm ſpectaculis intereſſe mimicarum fabularum, gaudent inter montium altiſſimorum horrores in deſerto verſari;ſcilicet amor ex ferarum ſpolio & vulneribus aulâ lætiorem reddit ſolitudinem: Hunc igitur in morem, licet Verbum in terras dilapſum, & humano indumento circumamictum, aſpera tolerauerit plurima, vitæque ſeries in amaritudinibus fuerit, tamen humanæ prædæ deſiderium ſic delinibat, vt quod difficile apparebat,iucundiſſimum fieret,& delectaretur ludens in orbe terrarum,nempè venatio erat Animarum: inde vt eius exemplo, qui Proximorum ſaluti vacarent, labores & pericula voluptatem ducerent, quaſi venationi ſe incumbere putarent,Ieremiæ hortatur oraculo cap. 16. verſ.16. *Poſthac mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle & de cauernis petrarum.*

Theodot.
*Vt prædâ captâ delectatur Venator, laborum immemor, cui ipſa gratiſſima eſt,quanquam laborioſa venatio: Sic Chriſtus in Hominum venatione deliciatur.*

Ierem.16. 16.

40\. Plorabat ad Saluatoris Buſtum Magdalena illachrymans, triſtabatur ingenti mœrore:tandem apparet, quem ſingultibus inuocabat Magiſter ſuauiſſimus, & fœminam conſolaturus, inquit: *Vade ad fratres meos,& dic eis: Aſcendo ad Patrem meum,& Patrem veſtrum,*&c. Ioan.cap.19.verſ.17. Siccine, ô Domine, Mariæ planctibus ſuccurris acerbiori doloris vulnere? Nam ſi ideò plorabat, quoniam tuâ frui præſentiâ non licebat,quomodo non modò iterum ploratura ſit, cùm abs te diſcedere cogatur? Equidem nunciam faciens Mariam, eius quæ ad Apoſtolos eſt legationis, Euangelizatricē quodammodò faciebat,& Prædicatorum honorabat functione: audiamus Cyrillum Alexandrinum libro 12.in Ioannem c.51. *Non conceſſit corporis ſui tactum mulieri quamuis cupienti; mercedem autem perſeuerantiæ, lachrymarúmque ſuarum illicò reddidit, quia mittitur ad Diſcipulos, vt eis hoc Euangelium adferat, quòd Chriſtus iam ſurrexerit, & aſcendit ad Patrem: largitur ergo illi Dominus mirabilem quandam pedum pulchritudinem: pulcherrimi enim ſunt, vt Propheta dicit* (Iſaiæ cap. 52.) *pedes Euangelizantium bonum:* At quænam conſolatio eſt Apoſtolico velut condecorari titulo? Nonne enim Apoſtolicorum virorum eſt,pericula obire multa,ærumnas pati infinitas? Hæc verò mœrorem potiùs conduplicant, quàm adimant: Sanè ita apparet externa conſide-

Ioan.19. 17

*Vt mœſtam Magdalenam recrearet Saluator, huic Euangelizatricis munus demandat.*

Cyrill.Alex.

Iſai.52.



-rantibus; cæterùm verè inter labores, & onera tantâ perfunditur hilaritate Animus, vt nulla ſit comparabilis lætitia ſolatio Spiritus eorum, qui pro Chriſto Euangelizant: Quando igitur Euangelizantium miniſterio cognata eſt puræ voluptatis iucunditas; aptè Seruator, quo obnubilatum Mariæ recrearet animum, & lætitiæ reſtitueret eminenti, Euangelizatricem quaſi conſtituit.

41\. Interrogabat Sponſa de ſuo Dilecto cap.1.huius Epithalamij, verſ.6.*vbi paſceret, vbi cubaret in meridie?* Locum igitur ſoporis, locúmque epularum requirebat ſollicitis votis: quid ſi in crucis ligno conueſcatur & dormiat nouus ſymposiator,nouus dormiens? credo in Triclinio percunctata eſt de illo Sponſo,credo in cubili: miratur non inueniens, quò progreſſus ſit ad pabulandum,ad quieſcendum: intelligamus de eo quid referat Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Ergo in Cruce manducauit, & bibit,& ebriatus eſt,& dormiuit: riſit verenda eius maledictus Cham, filij autem reuerentes altiſſimi ſoporis myſterium,pallio contexerunt: immiſit quippè Dominus ſoporem in Adam: manifeſta Res eſt, quia dormitauit Chriſtus, & ſoporatus eſt, & de latere eius quotidie ædificatur Eccleſia:* Hactenus quidem bene,quòd in cruce & recubauerit, & manducarit, verùm ſequentia ſcrupulo non carent, ait enim non alio delectari loco, ſiue ad manducandum, ſiue ad quieſcendum, quàm Cruce,ſed nec alibi veſtigatum, quamuis reperiendum: *Circuire poſſum Domine cælum, & terram,& mare,& aridam,& nunquam te inueniam niſi tantùm in Cruce; ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie:* Quomodo in Cruce quaſi ſemper dormiens,& bibens,cuius eſt poſſeſſio totus orbis terrarum? annon & alibi delectet quandoque epulari & requieſcere? Solent optimates,licet in ampliſſimis habitent domibus,ſic ad vnam aliquam partem affici, ibi vt tantùm ludant,confabulentur,veſcantur,ſomnos capiant; quod cur faciant interrogati ſerui, reſpondent,Heri delicias locum eum, proinde ibi continuò reſidêre ob voluptatem: Quoniam igitur per Crucem ſpecialiter Hominum Redemptio & ſalus, Nam licet omnes vitæ Chriſti actiones cooperabantur, in Paſſione tamen conſummatio; vt ſignificet, quantum ex Hominum de captiuitate liberatione lætitiam hauriat; à Cruce non recedit ſiue vt dormiat, ſiue vt manducet.

Cantic. 1. 6.
*Sponſus optimus Chriſtus in Cruce pro ſalute hominum cubat, requieſcit, oblectatur.*

Drogo.

Idem.

*Renouatio Votorum Religioſis Medium perutile ad vitæ ſpiritalis incrementa.*

## Sectio IV.

42\. ET lectulus floridus, & flos in campo enaſcitur, ſed alia & longæua magis gloria florum in agro,quàm in cubili: quippè in thalamo decerpti nimirum flores,& conſperſi in ſtragulas & pauimentum,breuiſſimo marceſcunt interuallo: campus Natale ſolum diuturnis conſeruat amœnitatibus, quamobrem in lecto opus eſt crebrò florum ſparſiones redintegrare: ô certè ibi, vbi ver perpetuum eſt Elyſiis in pratis durant æternâ iuuentute lilia & Roſæ, & violæ, ibi nunquàm Spiritus detrimenta patitur,ſed & hîc etiam excelſæ quædam Mentes eunt quotidie de virtute in virtutem: in nobis, qui retrouertimur & intepeſcimus, ſi quid Gratiæ & virtutum, floſculi ſunt citò pereuntes: Heu langueſcimus, & ideò lectulo iacemus miſerrimi! igitur, ne ſi floribus cubile vacuum, de nobis proferatur: morbidus eſt,fœtet; labor ſit renouaſſe flores,ſcilicet,quæ Deo nuncupauimus vota in Monaſteriis,non rarò iteraſſe; vt ſi contingat primos illos animi robuſtos impetus, quibus valedixímus ſæculo cum pompis eius,eneruari, cùm ſecundò & tertiò inſtauramus, pigeat degeneraſſe, ſtimulemur ad priſtinam recuperandam laudem, & renouetur ſicut Aquilæ iuuentus: Hoc ſalubri more detergendæ ſpiritalis vetuſtatis noſtrum bis in annos ſingulos vtitur Sodalitium: Bernardus ſermone 47. in Cantic. *Et in campo quidem, & in Horto oritur flos, in thalamo autem minimè; redolet, & lucet in eo, non tamen erectus, & ſtans, vt in Horto, vel Campo, ſed planè iacens, tanquàm qui illatus ſit, non innatus: proinde neceſſe eſt ſanè reparare frequenter, & ſemper recentiores apponere flores; quòd diu odorem ſuum minimè retineant, nec decorem: Hoc, in thalamo; in Horto autem non ita, ſed neque in campo ſimiliter: ex ſe enim productis floribus aſſiduè ſubminiſtrant, vnde diu in ipſis decus ingenitum perſeueret.*

*Lectuli flores citò marceſcunt, niſi crebrò renouentur.*

Bernard.

43\. Ioſue Duce,Hebræis cum arca fœderis Iordanem pertranſeuntibus, ſacer amnis diuiſus eſt, & retrogreſſa eſt pars aquarum ad fontem, caputque ſuum: celebrauit Dauidis Muſa Pſalm. 113. verſ.5. *Quid eſt tibi mare,quòd fugiſti: & Tu Iordanis,quia conuerſus es retrorſum?* Etiam cùm exiret de domo ſeruitutis populus, mare Rubrum exſiccatum eſt,ſteterúntque Aquæ velut murus à dextera eorum,& læua,Exod.cap.13.verſ.23. Sed non legitur in caput ſuum rediiſſe fluentum: Quamobrem Iordanis latices principium repetunt, Erythræi ſtant fluctus? Ambroſius de Baptiſmo interpretatur per quem Homo antiquæ innocentiæ,quam habuit in Paradiſo, velut reſtituitur, ſic inquit ſermone 1. de quadraginta, qui ordine eſt 23. *Illic introeunte Iſraëlitâ in aquam fluminis, vnda ſubterfugit: hîc,deſcendente Chriſtiano in fontem,criminum peccata diffugiunt: & mirum in modum illuc retrorſum conuerſus fluuius in originem ſuum reuertitur; hîc in poſterum reuocatus Homo in Originis ſuæ infantiam reparatur: ibi exinanitur alueus fluctibus: hîc euacuantur corda Criminibus:* Verùm & certè communi Patrum Allegoriâ, diuiſio quoque vndarum in Rubro æquore Baptiſmum præfigurabat; debuiſſent itaque & pari modo ibi latices ad locum, vnde exierunt, reuertiſſe: noſtro igitur propoſito ſic aptauerim: Notum eſt Iſraëlitarum peregrinatione in eremo, & prolapſu ex Ægypto,ſæculi fugam adumbratam, qualem ineunt, qui vitæ Religioſæ ſe mancipauerunt: Quòd ergo idipſum repetunt Iordanem tranſituri, quod initio diſceſſus contigit, ſcilicet, vt per media aquarum incolumes tranſcurrant,Renouatio indicatur Votorum quæ ſub exordio Conuerſionis Monachi emiſerunt: Tum,non opus,vt ad fontem latices reuocarentur,quia nondum à fonte progreſſi, erant enim vitæ melioris ipſamet illa initia: Heu poſtea Iordanis,quamuis tot prodigiis inſignis fluuius, tot nominibus ſacer & beatiſſimus Amnis à fonte & capite diſcedere cœpit! & quonam putas? tædet præ dolore meminiſſe: puriſſimæ illæ lymphæ,quibus tingenda olim Saluatoris Caro, in mare mortuum deſcendebant: & ita,qui fuerant Nazaræi candidiores niue, ſuper carbones denigrati ſunt: quò igitur lymphæ præclariſſimæ veteris nitelæ reſtituantur decori, & repetat Iorda-

Pſal.113.5.

Ambroſ.
*Cùm ex Ægypto fugientes mare rubrum tranſeunt Iſraëlitæ, ſtát vtrinque fluctus, cùm poſtea Iordanem tranſeunt in fontem ſuum reuertitur fluuius: Hinc Renouationis votorum documentum ſume.*

nis fontem ſuum : age Iſraëlitis contingat rurſum, quod in principio accidit : iteretur crebrò quod Conuerſionis exordio perpetratum eſt, eadem nuncupentur vota frequenter.

44. Pſalmus quadrageſimus quartus, quod Connubium Verbi & Animæ pangit, ſpecialiter quidem eſt, de Anima quæ ſæculum calcauit, & tribus ſe votis in clauſtro Numini adſtrinxit: idcircò loquitur ad eam Pater Verbi, verſ. 11. *Obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum:* quo pacto intellexit Paphnutius Abbas apud Caſſianum Collatione 3. cap. 6. Alcuinus quæſtione 154. in Geneſim, quamobrem intitulatur Metrum illud, *Canticum pro Dilecto*, ſiue vt alij legunt *Canticum dilectionis & Amoris*, quòd Verbum maximè diligat Sponſam, cuius ibi torus immaculatus deſcribitur : Sed percipe rurſus alterum inſcriptionis membrum : *In finem pro ijs, qui commutabuntur:* quinam ſunt hi, qui immutantur? certè qui & renouantur, Num ea eſt vera immutatio, quæ & priſtini vigoris recuperatio : Anima igitur Religioſa intepeſcit, deficit, laſſatur in itineribus vitæ, & illa, quibus ſe ab initio vinculis circumſtrinxit ſacrorum votorum, quaſi pretioſis monilibus, niſi interdum graui caſu diſſoluantur, rubigine tamen ferrugineâ apparent, impulchraque viſu : opus eſt itaque redintegrare ſuſcepti inſtituti propoſitum, & in alterum commutari virum, eum qui ſecundum Chriſtum fuit ſub adoleſcentia Religioſę ætatis. O iuuentutis illius claram memoriam, quando neque macula, neque ruga in formoſiſſimi vultus ſpeculo! pro animabus igitur, quæ ſic renouantur, eſt ſingulariter Epithalamium, & Canticum, quod amoris appellatur Sponſi : Sanctus Baſilius in dictum Pſalmum : *Quoniam verò non omnibus eloquia Dei ſcripta ſunt, ſed habentibus aurem ſecundùm interiorem Hominem : inſcriptionem huic indidit Pſalmo: Pro ijs, qui immutabuntur: ijs videlicet, ita enim arbitror, qui ſuiipſorum ſedulò curam gerunt : quique per exercitia Religionis maiore ſemper incremento virtutum promouent: Mutatio igitur vera, & propria interioris eſt Hominis, qui de die in diem renouatur.*

Pſal 44. 11.

Caſſian.
Alcuin.
*Pſalmus 44. qui Connubium ſpiritale Chriſti & Animæ Religioſæ pangit, inſcribitur* Pro iis qui commutabuntur, *i. renouabūtur.*

Baſil.

45. Mortuus feriâ ſextâ pro Hominum ſalute Chriſtus : quare non aliâ hebdomadis luce? nempè fuit dies ille, in quo conditus eſt primus Homo cum iuſtitia Originali, & Gratiæ incomparabilis donis : enitebatur verò Redemptor noſter paſſione, vt Hominem à peccato, in quod per Adæ præuaricationem, incurrerat, liberaret; & innocentem, ſanctúmque faceret, reſtitueretque antiquam ſimilitudinem cum Deo, quæ iuſtitiâ fundabatur : quò igitur doceret viam aptam ad priſtinum recuperandum Spiritus vigorem eſſe, ſi ea iterum repetantur, quibus ab exordio ſalus parta eſt; quo die creauit, eodem reſtaurat : vt ſi feria ſexta initium attulit ſanctitudini, eâdem ſecundò amiſſam ex protoplaſti delicto rectitudinem conciliet : ita & in Religione conceptum Perfectionis Spiritum per tria vota, ſi deinceps amiſiſſe contingat ob teporem & negligentiam, vt recuperemus vtiliſſimum remedium eſt inſtaurare primum rurſus propoſitum : atque eandem ob cauſam in prima Sabbati Chriſti Reſurrectio facta eſt, ſcilicet quòd eo die Mundus conditus ſit, & cùm per Hominis inobedientiam corruerit, quando Seruatore reſurgente exurgat iterum quæ ad primigeniam lux ſubſeruiit pulchritudinem, eadem prodeſſe debuerit ad formæ redintegrationem : Gaudentius Brixienſis tract. 1. in Exodum : *Nam ſexta feria, quæ Hominem fecerat, pro eodem paſſus eſt : & die Dominica, quæ dicitur in Scripturis prima Sabbati, in qua ſumpſerat Mundus exordium, reſurrexit : vt qui prima die creauit cælum, & terram (vnde poſtea Hominem faciens figurauit) prima etiam die omnem repararit Hominem, propter quem fecerat Mundum.*

*Quo die hominem creauit Deus, eodem redemit, i. feriâ 6. Hinc ſpiritalis propoſiti inſtaurationē docemur.*

Gaudent. Brixienſ.

46. Diſputabat de Baptiſmo Ieſus cum Nicodemo, & aiebat? *Amen, Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt vidère regnum Dei*, Ioan. cap. 3. verſ. 3. ſtupebat nondum Literam tranſcendere doctus ad inſolitum effatum : *Quomodo poteſt* (obiiciebat ille) *Homo naſci, cùm ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem iteratò introire & renaſci?* Sed Chriſtus loquebatur de ſpiritali regeneratione per ablutionem fontis: cæterùm, quemadmodum hæc ſecunda Natiuitas in aquas ordinatur ad veteris Adæ figuram deponendam; ſic & in vita ſpiritali, qualis eſt Monaſtica diſciplina, opus eſt generari non ſemel, ſed ſæpiùs; Generatio autem iſta eſt votorum crebra iteratio : peperit enim nos tunc Religio propriè, cùm per vota deuinxit ſibi. O priuilegium Cœnobitici ſtatus, in quo liceat reflorère, & in iuuentæ primam gratiam reſtitui! ſub hoc ſenſu Galfridus in Allegoriis Tilmanni, ait : *Expauit Nicodemus & admiratione percuſſus eſt, audiens à Saluatore, quòd denuò naſci Homines oporteret : Sed oportet naſci denuò, & donec ter & quater nati fuerint, non peruenient ad plenitudinem ſtatus ſui :* Secundum hæc, & dicebat Galatis Paulus : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*, cap. 4. verſ. 19. poſt primam natiuitatem adhuc rudes & imbecilli; quid faciat Apoſtolus? quò pulchri & fortes euadant, iterum parturit : renouatur Generatio, quoniàm per renouationem, ſcit euaſuros tales demum, in quibus Chriſtus formetur : Sanctus Baſilius homilia de Pœnitentia Dauid: *Currebatis benè : Vides quantis in rebus illos excelluiſſe dicat? audi delicta : Nunc carne, inquit, conſummamini : quid poſt iſta infert, vt locum det renouationi? filioli mei, inquit, quos iterum parturio : ſemel illos genuerat : at qui ſemel genuerat, non detractat eos denuò ad ſalutem gignere:* igitur qui aliquando benè currebant, cùm defecerint in via, iterent primam Natiuitatem, & aſſument pennas quaſi Aquilæ & volabunt.

Ioan. 3. 3.
*Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei, ex doctrina ipſa Chriſti.*

Galfrid.

Galat. 4. 19.
*Filios ſuos ſpiritales iterum parturit D. Paulus, vt ſic renouetur generatio & formetur in eis Chriſtus.*

Baſil.

47. Numquid Euangeliſtæ aſſerenti : *Cælum & terra tranſibunt.* Matth. cap. 24. verſ. 35. Salomon contradicit Eccleſiaſtæ cap. 1. verſ. 4. inquiens : *Generatio præterit, & Generatio aduenit : Terra autem in æternum ſtat?* quomodo enim ſi tranſitura eſt Terra ſub Mundi finem, Rex ſapientiſſimus memoret duraturam æternùm? Sed percipe : conflagrante orbe non deſtruetur Tellus, ſed renouabitur in meliorem vultum; imò quidem vt æternùm conſiſtat, plurimum conducet ſi tranſeat & renouetur : felix quidem congregatio, vbi Renouationis vſus eſt per votorum ſacrorum repetitionem, aliôve modo : quoad iſta vigeant, nihil erit quod peſſundare valeat, durabit in ſæculorum finem : ad incrementum eſt Renouatio & tranſitio, non ad imminutionem : Salonius Commentario in dictum librum : *Quare Salomon dicit Terra in æternum ſtat, cùm Dominus in Euangelio dicat, cælum & Terra tranſibunt? verè iuxtà Domini ſententiam cælum, & Terra tranſibunt*

Matth. 24. 35.
Eccliſ. 1. 4.
*Terra in æternum ſtat, dū in melius renouatur.*

Salonius.

per



*per meliorationem, ſed non per ablutionem, quia igne iudicij purgata meliorabuntur, quoniam renouabuntur, ſed penitus non deſtruentur : ergo iuxta ſententiam Salomonis, Terra in æternum ſtabit, quoniam nunquam deſtruetur : Veruntamen renouabitur, & meliorabitur :* Fertilior & modò Tellus, atque vernantior quoties renouatur, quamuis per flammam, quâ ſpinæ comburuntur : nihil toleratu arduum, dummodo in renouationem finiat : Chryſologus ſermone 164. in illud Luc. cap. 11. *Ignem veni mittere in Terram*, &c. *Ager quoties longa iniuria ſylueſcit, peritiſſimi cultoris vtique ſemper aperitur, & purgatur incendio, vt exuſtis ſentibus reueletur prima facies campi.*

Chryſolog.

---

*It velox Elizabetham viſitare Deipara, vt Ioannes ſanctificetur.*

## SECTIO V.

48. Reliquæ Matres cum ſpinis & aculeis, quia in doloribus cùm fœtum portant, cùm in lucem edunt, cùm ad vbera geſtant : Sola Maria nec onus ſentit, dum in vtero, nec mœſtitiam quando edidit, nec faſtidium dum Mammam ſugeret : enituit multoties priuilegium, ſed primùm tunc, cùm ex Spiritu ſancto concepit & recèns grauida Montana conſcendit cognatam viſura Elizabetham : Matthæus Cantacuzenus hîc : *Sola Virgo in medio earum, quæ in triſtitia ſunt, filiarum Adam, gaudium, & lætitiam ex Dei nuncio eſt conſequuta :* ô certè, tantúſne conſanguineorum ardor ſacrato in pectore, vt moram abrumpat omnem deſiderio intuendi Ioannis Matrem, & congratulandi fœcundam in ſenectute vuluam? Sanè ſpiritalibus viris interdicta eſt familiaritas cum affinium, & cognatorum turbis, Nam & populum obliuiſci, & domum Patris ſui iuſſi ſunt, cùm Deo ſe adſtrinxerunt contubernio; quomodo igitur quæ gratiâ plena eſt ſubitò pergit in cognatos lares? planè Magna Virgo ex Spiritus ſancti nouit diſciplina, Beatiſſimi pignoris, quem ventre ferebat, ingreſſu in domum Elizabethæ Præcurſorem ſanctificandum iri, noxâque expiandum Originali : properabat igitur ad deſtructionem peccati, vt purgaretur infantulus. O lilium inter ſpinas in ſpinarum exitium! Nam ſi ſpinis delicta ſignificantur : Mariæ primum & celerrimum ſtudium, filij munere, antiquam Adæ in Ioanne culpam abolêre : Quamobrem Siracides cùm variis & floribus, & plantis comparauerit, meritò ſpeciatim Galbano etiam aſſimilauit : *Et quaſi ſtorax, & Galbanus, & vngula, & gutta*, &c. Eccleſiaſtici cap. 24. verſu 21. Galbanus quippe ſerpentes fugat : ſerpentis autem caput myſticè conterere, eſt peccato Originario dominari : Virgo autem intemerata, non ſolùm ipſa primæ expers noxæ, ſed ſtatim atque vtero Verbum concepit operâ diuini Spiritus carnem indutum, feſtinat, vt in Ioannem eiuſdem Verbi poteſtate Originalis deleatur macula, rectè propterea Galbanus, quæ ſerpentem ita exagitat : Hugo de S. Victore ſermone 55. de feſto B. Mariæ : *Ego quaſi ſtorax & Galbanus : ſtorax, vt Phyſicorum libri narrant in potu ſumptus raucitatem aufert, vocem clarificat : vnde congruè gratiam diuinæ laudationis figurat : quam gratiam Beata Maria luculenter habuit : Galbani quoque fumigatio ſicut eorumdem libri atteſtantur, Reptilia fugat : Reptilia verò turpium cogitationum in humanis cordibus irreptionem aptè ſignificant.*

*Maria lilium inter ſpinas, dum recèns à Spiritu S. grauida viſitat Eliſabetham, vt peccati ſpinas à Ioanne adhuc in matris vtero arceat.*
Cantacuzen.

Eccli. 24. 21.
*Maria Galbano comparata, & quāobrem.*

Hugo Victorin.



49. Poſt Iordanis tranſitum prima Bellorum Materia fortiſſimo Ioſue Vrbs Ierichuntina : quomodo autem expugnata eſt ab eo? num militari robore? haudquaquam, ſed ſacrâ potentiâ : quippè circumducta eſt Arca fœderis ad cuius viſum clangentibus buccinis, muri funditus corruerunt, & expoliata eſt Ciuitas, Ioſue capit. 6. verſu 5. Typus Mariæ Arca illa : Nunc igitur quando IESVS cœperit vaſtare Regnum peccati, quod vt faceret, Carnem paſſibilem induit; vult exordium per Mariam auſpicari à Ioannis ſanctificatione, incitat proinde vt cognatæ lares petat, quos vt intrauit, ad conſpectum Arcæ, eius tamen in virtute, quem Arca ferebat, dilapſa eſt maceria veteris Adæ peccati in Præcurſore & mundatus eſt à coinquinatione : Stephanus Cantuarienſis in illa Exodi cap. 25. *Fac tibi arcam*, &c. in Tilmanni catena : *Arca eſt B. Virgo, quæ deaurata fuit : Hæc eſt Arca, quæ circumferebatur, & corruerunt muri Hiericho; quia populus in laude B. Mariæ Virginis gloriatur; & quandoque per eius exemplum, & prædicationem de ea, muri, id eſt, Peccatores corruunt, & conuertuntur ad Dominum.* Porrò meminiſſe iuuat à Luna Ierichuntis ſignificationem quoſdam deriuare, vt aduerti Anteloquio 4. numero 62. Luna verò ſymbolum defectuum, & corruptionis : At certè Maria Ioanni demonſtrata eſt, Apocal. cap. 12. verſu 1. ſub cuius veſtigiis Luna premebatur : Siquidem iamdiu præuaticinatum eſt, Geneſ. cap. 3. verſ. 15. conterendum ab ea ſerpentis caput : Serpens autem origo malorum eſt, per quem ſeducti principes humani generis : quæ ergo vitiorum omnium ſubiugatrix, meritò ſub plantis illius & Luna & ſerpens ingemiſcunt captiui, auſcultemus de Luna, de qua modò præcipuè actitamus, Bernardum ſermone in illud Apocalypſ. *Signum Magnum*, &c. *Solet defectum corruptionis ſignificare : nam & defectus omnis ſub ea, & quicquid fragilitatis, ſeu corruptionis eſt, excellentiſſima quadam ſublimitate præ omnibus excedit, & ſupergreditur Creaturis, vt meritò ſub pedibus eius eſſe Luna dicatur :* Quando igitur Iericho Luna ſit interpretata, & Maria in Lunam triumpharit, quòd Iericho proſternatur muris effoſſis & dilapſis; rectè in Arcam quæ Maria eſt transfertur : Hoc itaque ſibi à filio conceſſum imperium ob Maternitatis honorem, quò non vanum eſſe probet, penè ſimul ac Mater efficitur, cum gnato per montium iuga procedit, vt ab eo ſanctificetur Baptiſta.

Ioſue 6.
*Vt ab expugnatione Ierichuntina Arcæ beneficio triumphos ſuos auſpicatur Ioſue: Sic Ieſus per Mariam fœderis Arcā in Ioannis ſanctificatione ſuas de peccato victorias exorditur.*

Stephan. Cantuar.

Bernard.

50. At non ſatis Deiparæ Montana conſcendere, niſi etiam cum feſtinatione percurrat : de ea pulchrè Epithalamij noſtri Muſa inferiùs cap. 4. verſ. 6. *Duo vbera tua, ſicut duo Hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs, donec adſpiret dies, & inclinentur vmbræ.* Richardus de Sancto Victore cap. 23. in Cantica : *Poſſunt autem hæc vbera ad Beatam Virginem transferri : ipſa enim habet duo vbera geminæ Dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam, & iuſtis gratiam :* Et priùs dixerat : *Hæc vbera lacte replentur Charitatis, quo iuniores, & teneriores reficiunt, & quaſi Matres lactant, & alunt :* Si igitur Mariæ

Cantic. 4. 6.

Richard. Victorin.



in

*Duo Mariæ vbera quæ reis veniam & iuſtis gratiam impetrant, in Ioannem effunduntur.*

in hoc vbera, vt abſtergat & mundet coinquinatos, gratiam à filio impetrans, atque vt infantilem enutriat ætatem, præclare quòd ad Ioannem ocyùs tendit: qui rudis adhuc Genitricis in clauſtro, & reus ob Adæ culpam: Quod ſi certè huiuſcemodi vbera non niſi in liliis paſcuntur, nimirum, vt idem exponit Doctor *in munditia bonorum, & bono odore conuerſantium*; quonam pacto ſuſtineret filius vt Matris ad præſentiam Ioannes non de ſpina horrida, & ferruginoſa in lilium tranſiret? Sed quòd non interpellata à Præcurſoris Matre vltrò ad intuendam perrexerit, quòd Nemora & colles pertranſierit non ſpatioſis paſſibus, ſed concito gradu, annon hæc indicent manifeſtè Hinnulis mirâ congruentiâ affectum comparatum eſſe, qui in corde cuius inter vbera locus, reſidet: nam & ipſum noſtrum diuinum hoc carmen pernici volatu raptari Hinnulos per montium faſtigia teſtatur hoc ſecundo capite verſ. 8. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt Dilectus meus capreæ Hinnuloque Ceruorum:* Sic ergo & Maria inuocata licet, ſtudio purgationis Baptiſtæ, cum feſtinatione ſublimia, & ardua quæque pertranſit: nominatus iam Richardus; *Meritò ergo miſericordia eius curſui Hinnulorum comparatur; per mundum currit, mundum irrigat, & infundit: Hinnulorum velocitati comparatur, quia velociùs occurrit eius pietas, quàm inuocetur, & cauſas miſerorum anticipat.*

Idem Richard.

51\. Sed extra Virginis tantæ grauitatem, inquias, eſt, videri inceſſu cōcitam, & feſtinam, quanquàm per ſolitudinem iter, vbi minor frequentia occurſantium: Verùm obſecro animaduertere pergas viæ cauſam inſignem Ioannis fuiſſe munditiem, peccati occubitum; cùm delenda eſt noxa, Modeſtiæ eximia laus eſt, properaſſe. Reuertebatur in patriam domum iuuenis, qui ſubſtantiam dilapidauerat, & inquit Euangeliſta: *Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum Pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Luc. cap. 15. verſ. 20. igitur diſtabat Adoleſcens, nam à longè erat, & nihilominus accurrit Genitor? Quis verò Genitor, aut qualis vir? Scilicet antiquus dierum, capilli eius candidi ſicut nix: ille qui ſedet cum ſenatoribus terræ, purpura & byſſus indumentum eius: & ſi maiora deſideras, auſim narrare de eo, quod in ſolio Gloriæ ſedeat cum maieſtate terribili, & ſcriptum habeat in femore, Rex Regum & Dominus dominantium: Hiccine igitur, ante quem exercitus contremiſcunt cæli obuiam procedat infauſto Adoleſcenti, qui nudiuſtertius porcorum abiectiſſimus vigil? & non veretur irrideri à circumſtantibus auctoritatem, ſi currere, & velociter moueri aſpiciant? At nihil iſta facit & grauiſſimus & prudentiſſimus ſenex: feſtinationi occaſionem ſuggerit Peccatoris reconciliatio: dummodò pergat ad culpam interimendam, nihil metuit, quanquàm celer feratur: eſt quando & velocem eſſe ipſammet oporteat modeſtiam: Guerricus Abbas in catena Tilmanni: *Sic feſtinabat abſoluere Reum à tormento conſcientiæ ſuæ, quaſi plus cruciaret miſericordem compaſſio miſeri, quàm ipſum miſerum Paſſio ſui: neque hoc dicimus, quod in natura incommutabili humanos ponamus affectus, ſed vt in amorem illius ſummæ Bonitatis noſter affectus dulceſcat, dum ipſum plus non amare, quàm ipſi nos amemus ex ſimilitudine diſcimus humanâ.* Sic igitur & Maria Beata cum feſtinatione aſcendit in Montana, propè currit, & volat; ſed quoniam acceleratio eſt contra peccatum, quod in Ioanne delendum, grauitas eſt curſus, pudor & verecundia & concitatio ocyùs gradientis.

Luc. 15. 20. *Et Maria cū feſtinatione pergit in mōtana, & venerabilis Prodigi filij Pater feſtinus accurrit ad filium in peccati exterminium.*

Guerric. Abb.

52\. Cùm prodere Seruatorem Iudas niteretur, cogitantem de immaniſſimo facinore Magiſter optimus ſegnem tanquam excitare viſus, inquiens: *Quod facis, fac citiùs*, Ioann. cap. 13. verſ. 27. Itáne Mortis Ratio tam ſuauis futura, quam accelerari exoptaſſe æquum ſit? Heu conuitiorum formas! Heu pœnarum modos! Sed eſto, nullus ab his terror; altiſſimi momenti Res eſt, qua ſtat nimirùm ætatum cunctarum ſalus: tali in materia, lentâ conſideratione opus: quid igitur, qui viderint ſapientiſſimum præ angelis & Hominibus moras quaſi non ſuſtinere in ſæculorum negotio? imò ſanè, quia Mortalium ex captiuitate Redemptio tractatur, & quemadmodum Mors & infernus vapulet, & Paradiſi ianua aperiatur, quam clauſit Adæ inobedientia: Hinc igitur eſt, quòd properet IESVS, quoniam Regnum peccati deſtruendum ſit, cuius propter ruinam nulla feſtinatio indecora cenſeri poſſit: aliàs cunctanter procedendum, at in peccati abroganda auctoritate, velocem eſſe præſtat: Cyrillus Alexandrinus & Theologice & diſertè libro 9. in Ioan. cap. 17. *Sed Age rursùs, cur accelerari iubet conſideremus? feſtinabat verò Chriſtus: caſuras namque per crucem Diaboli artes, deſtrui mortem, liberari à priſca maledictione genus humanum, ianuas Paradiſi patefieri, omnia hæc poſt paſſionem futura videbat: Cùm igitur tam multa per crucem ventura bona non ignoraret, quomodo non debuit qui ſalutem noſtram ſemper optauit, qui propter nos Homo abſque peccato factus eſt; ſalutis noſtræ iam adeſſe tempus perſpiciens, non maturare? Aut quomodo non oportuit eum malignitatem Diaboli contemnere, & ad optatam hanc ſollennitatem citiùs peruenire, ſtudêre? ignoranti ergo hæc omnia Diabolo, nec intelligenti patibulum Crucis ſuarum virium fore detrimentum, dicebat: quod facis, fac citiùs: ita minitantis magis, quam Hortantis hæc oratio eſt.* Genitrix itaque pari cum filio Spiritu, quoniam Originalis in Præcurſore næuus extergendus eſt, non pauſat, non lentum trahit gradum, ſed cum feſtinatione Montana perambulat.

Ioan. 13. 27. *Dum de noſtra à peccato Redemptione agitur nulla in Chriſto mora eſt, etiā Iudam proditorem compellens monet: Quod facis, fac citiùs.*

Cyrill. Alex.

---

*Quantâ vigilantiâ opus viris vtcumque ſpiritalibus, dum cum huius vitæ periculis conflictantur.*

## SECTIO VI.

53\. O Lilium Naturæ in plantis decus! ô Hortorum gloria! Quis furor deſeruiſſe compta viridaria vbi cuſtos, vbi muri, & in ſolitudinem profectum eſſe, inter vepres medium conſtitiſſe? dices ab Adamo introductas eſſe ſpinas & tribulos, extra Paradiſum iamdiu verſari, nec excuſabilem aculeorum ſocietatem. O igitur certè, quando ſine punctionibus eſſe non liceat, attende quàm ſit lubrica ſtatio, & vt nihil fidele ſit, cùm vndique cuſpides vulnera intentant, quocumque conuertaris, non niſi ſpinas videas horribiles: diuinè Bernardus in hunc

*Vt Lilium inter ſpinas ſic Sancti viri inter pericula.*



hunc verſum ſermone 48. in Cantica. *O candens lilium! ô tener & delicate flos! increduli, & ſubuerſores ſunt tecum, vide, quomodo cautè ambules inter ſpinas: plenus eſt mundus ſpinis: in Terra ſunt, in aëre ſunt, in Carne tua ſunt: verſari in his & minimè lædi, diuinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ:* Sanè & ipſa magna ſanctitas excellentiſſimorum Heroum, lucis nomine indicatur: Vnde in Euangeliis, & Apoſtoli dicuntur lux mundi, & Præcurſor Domini appellatur lucerna ardens & lucens. O flammam omni encomio dignam, quando & refulget ſimul & calefacit, verumtamen niſi confirmati in Gratia, cæteri obnoxij, ne quod lumen eſt, tenebræ fiant: quippe venti perflant, Tentationes impugnant, & ſi quæ domus noſtra eſt, lutea caſa, quæ flabra ventorum non repellere valeat. Sponſa noſtri Epithalamij in domo cedrina habitabat, quâ firmior nulla, nuper quippe audiuimus referentem de ædibus ſuis: *tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina*, & cùm Turrim haberet, ex qua mille clypei penderent, atque ipſa *Terribilis* eſſet, *vt Caſtrorum acies ordinata*, quia tamen lucebat quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol; ne quam per rimam ventus intret & lumen extinguat, conſultant Amici, & decernunt, compingendum oſtium tabulis cedrinis, Cantic. cap. 8. verſ. 9. Verùm de lucernæ periculo facundè Bernardus ſermone 3. in Vigilia Natiuitatis Domini: *Iam autem ſic ardens & lucens, nondum in domo ſe eſſe confidat, vbi ſine omni timore ventorum accenſum lumen ſoleat deportari, ſed meminerit ſe eſſe ſub dio, & vtrâque manu ſtudeat operire quod portat, nec credat aëri, etiamſi videat eſſe tranquillum: repentè enim, & hora, quà non putauerit, mutabit. & ſi vel ad modicum manus remiſerit, lumen extinguetur: Si eſſemus in domo illa non manufacta, æterna in cœlis, vbi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil eſſet timendum; Nunc verò tribus maligniſſimis, & validiſſimis ventis expoſiti ſumus, Carni, Diabolo, & Mundo, qui Conſcientiam illuminatam moliuntur extinguere, inſufflantes in cordibus noſtris deſideria mala, motus illicitos: ideò vtriſque manibus & cordis, & corporis, Anima eſt retegenda ne fortè quæ iam illuminata fuerat, extinguatur.*

Bernard.

*Quamuis Sponſa in domo habitaret Cedrina, ex qua mille clypei penderent, & ipſa eſſet terribilis vt acies, tamen adhuc compingitur oſtiū tabulis Cedrinis: ſcilicet vel ab aliqua rima caueatur.*

Bernard.

54\. Properabat in deſertum Helias Iezabelam fugiens, ibat mœſtus vſque ad vitæ tædium: *Proiecitque ſe & obdormiuit in vmbra Iuniperi.* Reg. 3. cap. 19. verſ. 5. Sed nec hoc qualicumque ſolatio recreari ab Angelo paſſus, tetigit eum ſemel, iterúmque, & ait, *Surge, comede, grandis enim tibi reſtat via*; Iuniperum arborem velut ſpinis & aculeis duram monet eſſe Hugo de Sancto Victore libro 7. Allegoriarum cap. 14. qui ibidem Helia ſignificatum memorat Religioſæ profeſſionis virum, ſed quidem tepidum & remiſſum præfiguratum cogitare poſſimus, cùm dormitaret tunc præ tædio Anima Prophetæ, & nauſearet dulciſſimum Mortalibus vitæ aſpectum huius: ô quidem & ſoporatur Monachus in vtramque aurem, & omnes clauduntur ſenſus, & tamen ſupinus atque negligentiſſimus ſub Iunipero, cuius ſpinis conterebrari poſſit, requieſcit? cur non ſub platano, aut Phœbi Lauro, vel odorata cupreſſo, aut in Cydoniis Malis, ſub aromaticis frondibus? nec tum etiam ſecura omnino indulgentia! nam licet arbor parceret, Bruta fortaſsè non peperciſſent, ſuperueniens inimicus inuigilem confodiſſet: iam præter hæc externa pericula, ſtipitis quoque addidiſſe hoſtiles punctiones quis ferat? præclarè igitur Angelus, ſub cuius tutela miſer Homo, propulſat & excitat ſomno occupatum: vt recumbere voluptas ſit Iuniperi ad vmbram, ſaltem non dormiat: ſed nec quoque apertis luminibus ſingula intuentem, cum ſpinis verſari expedit: rectè itaque à Iunipero longè coactus in deſerti interiora: Sanè de tepidis Cœnobitis intellexit ad nominatum Regum caput, Odo de Morim in Catena Tilmanni, aiens: *Vel quoniam fatigati quieſcere eſt, ſub vmbra quieſcit Iuniperi, qui in propoſito Religionis à diſtrictione ordinis ſe relaxat,*

3\. Reg. 19. 5.

Hugo Victorin.

*Eliam ſub Iunipero Arbore ſpinoſa ſomnolentum ſtatim excitat Angelus.*

Odo de Mor.

55\. Circumſpice Pontificium Aaronis amictum, glorioſiſſimum planè indumentum, ſed benè vinctum: tot in Rationali catenæ, tot annuli; connectitur Humerali, & ſuper his vniuerſis Balteus apponitur, qui omnia ſtrictè comprimat. Exod. cap. 28. & 39. Quod ſi quidem iſta myſticè denotent, oportêre ſalutis Animæ diligentiſſimam eſſe curam, nullámque nimiam putandam eſſe reſtrictionem, ſed tamen alia eſt proficientium lex, aliud conſummatorum priuilegium: Sacerdos Maximus perfectos in Eccleſia viros adumbrat, Num etiam & hos toties ligari neceſſum fuerit? annon ætati laxationis concedendum aliquid? annon triumphis de Hoſte plurimis? fateor, merentur vinculis tantis exolui, vereor tamen, vt ipſi viri ſapientiſſimi liberari ſe permittant: gaudent catenati eſſe; norunt quippè longa experientia meliùs, quàm alius quiſpiam, fragilem eſſe humanæ Mentis conſtantiam, nihílque tutum eſſe ſub indulgentia: ergo, non fibulæ, non annuli, non catenulæ ſufficiant, neque Rationalis & Humeralis innexio; complicentur præterea balteo omnia, vt nullus euagandi locus ſit, ſub diſciplina & rigore cuncta: Arnoldus Carnotenſis de ſeptem Verbis Domini, egregiè quidem in illud: *Conſummatum eſt*, &c. *Aderat præter has ligaturas Balteus, tam tunicam hyacinthinam, quàm ipſum ſuperhumerale & Rationale supernè conſtringens, tantâ firmitate, vt trium indumentorum vna ſpecies eſſe videretur, & omnia ſibi ſtrictè cohærerent: Vt daretur intelligi, quanta ſit diligentia ſanctitatis obſeruanda, cui etiam poſt tantæ excellentiæ gloriam, poſt dona virtutum, poſt agones & colluctationes, & Victorias innumerabiles, reſtant plerúmque circa nouiſſima etiam Carnis pericula: & neceſſe vt ſemper huiuſmodi ſollicitudo & intùs, & extra inuigilet, vt actionum, & meditationum in finem gloria illibata perſeueret: Etiam feriunt ſummos fulmina montes.*

Exod. 28. & 39. *Sacerdotis Aaronici indumentum, tot catenis, tot annulis vinctum, ſpiritalis viri ſollicitam curam notat.*

Arnold. Carnot.

56\. Sciſcitata Sponſa noſtri Hymenæi à filiabus Ieruſalem, qualis eſſet Dilectus eius? reſpondit: *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Cantic. cap. 5. verſ. 10. quare candidus? Equidem, quia immaculatus, neque enim in ore eius inuentus eſt dolus, & cum eius iuſtitia nulla eſt comparatio neque in cælo, neque in Terra aut Angelorum, aut Hominum: At quorſum rubicundus inſuper? ob ſtolam Paſſionis, ob iugem totius vitæ mortificationem. Verùm ſi peccare non valebat, neque ſanctitate excidere, ſed ne intepeſcere modicum aliquid, quare puriſſimam carnem quaſi in ſeruitutem Spiritus redigere velle appareat cum maccrationibus vigiliarum, ieiuniorum, aliíſque ſacris tormentis? neque enim fomes in eo, aut concupiſcentiæ illicitos parientis motus, veſtigium leuiſſimum:

Cantic 5. 10. *Sponſus ipſe candidus innocentiâ, & Paſſione rubicundus, gladio tamen accingitur, ad noſtram eruditionem.*

mum: Sic pariter apud Dauidem cùm oleo delibutus præ participibus delinearetur Pſalm.44. armatus tamen velut in prælium iturus conti-
Pſalm.44.4. nuò pingitur verſ. 4. *Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime: ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* O munitum Bellatorem, cùm tamen vulnerari illum quoquo modo impoſſibile: Verùm hæc operatur ſummus & fortiſſimus Imperatorum vt militem timêre doceat: Si enim is, in quem nihil mali aut pœnitentiæ cadere poteſt, ſic præparatur & inuigilat: quàm deceat eſſe ſollicitum, cuius ſalus in dubio poſita eſt? itaque Dilectus Rubicundus eſt, & patitur, & laborat velut in candoris præſidium, vt prouocet exemplo ſectatores, dummodò candidi eſſe velint, ſeu iuſtitiæ vniuerſim candor ille eſt, ſeu ſpecialis virtutis, arbitrare quidem caſtitatis, vt citandus Patronus arbitratur, norint pugnandum eſſe, & dealbationem ſanguine tuendam eſſe: Galfridus in Catena Tilmanni ad
Galfrid. cap. 16. Marci: *Et quidem dilectus Eccleſiæ candidus, & Rubicundus, vt ipſa perinde tanquàm mulier fortis domeſticos ſuos ſtudeat veſtire duplicibus: ab ipſo enim non ſolùm Pudicitiæ ſicut ab Angelis, ſed etiam patientiæ, quod non ab Angelis, ſumet exemplum.*

57. Exod.12. *Etſi nudis pedibus, vbi terra ſancta eſt incedere Dominus iubeat, calceari tamen pedes monet vbi aliquod ſubeſt periculū.*

Iſraëlitæ, qui Agnum comeſturi erant in Ægypto, iuſſi ſunt vt renes accingerent, & calceamenta in pedibus haberent, Exod. cap. 12. verſ. 11. Moyſes, cùm tentaret Rubi ardentis, & incombuſti ſpectator eſſe, monitus eſt calceamentum de pedibus ſoluere, Exod. cap. 3. verſ. 5. cur modò prohibiti calcei, modò admiſſi? Scilicet, vbi Moyſis premenda Veſtigia, Gleba ſancta erat, & patriam Ciuium Beatorum repræſentabat, illic nudas & intectis plantis quanquā deambulent, periculum nullum eſt vel à ſerpentibus, vel à ſpinis, aut lapidibus: Ægyptus mundum iſtum denotat: locus eſt, quo inſidiatur calcaneo ſerpens, quo tribuli pungunt & lacerant, quo ſilices vulnerant, vbique Timor & ſollicitudo: oportet igitur munitos procedere Viatores: Gaudentius Brixienſis tract. 5. in
Exodum: *Ibi ſoluitur quæſtio, vbi calceamenta ſol-* Gaudent. Brix.
*uuntur, dum ſtatim cauſa adijcitur: Solue, inquit, calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt: oſtenditur ergo Terra Ægypti (vbi datur præceptio illa ſuperior) ſancta non eſſe, & ideò habenda ibi mandantur calceamenta: in ſancta autem Terra decernuntur eſſe ſoluenda:* Sed quid illud in nouo fœdere, vt quandoque præcipiatur
Apoſtolis calceatos incedere, Marc. cap. 6. Marc.6.
verſ. 9. quandoque abiicere calceamenta, Matth.
cap.10. verſ.10. nimirùm aliàs Apoſtoli conuer- Matth.10.
ſantur cum ſanctis & piis ex fidelium numero, quorum conuerſatio in cælis, & vita proinde imitatrix beatæ illius, quæ ſursùm eſt in Olympo; tunc dimittere calceamenta paululùm fas eſt: iidem verò ſæpius cum Paganis & impiis tractant, vt Deo & Religioni puræ concilient: & quia ab horum familiaritate diſcrimen impendeat animabus, cautos progredi neceſſum eſt, & veſtigiorum nuda occultare: idemmet Gaudentius Brixienſis Epiſcopus dicto iam Tra-
ctatu: *Propter incredulos, & paruæ fidei homi-* Gaudent.
*nes, iubentur in via prædicationis calceamenta habêre Apoſtoli, vt Verbum Dei calceatum, & contectum in myſterio propter ſpinas & tribulos Blaſphemantium prædicent: ad eos autem, qui fideli mente audiunt, quaſi iam in ſancta Terra, iubentur non portare calceamenta: videlicet, vt aperta ibi figant Veſtigia diuinitatis eius.*





# VESTIGATIO XIX.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum tertium Capitis ſecundi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus:* Sicut malus inter ſigna ſyluarum, ſic Dilectus meus inter filios: ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. *Cap.2. verſ. 2.*

*QVONIAM ſacerrimam hanc Parabolam in Actus diuidimus, & placiturum ſit curioſis, noſſe quando quiſque incipiat Actus monemus ab hoc in-* Sacri
*cipere verſu Epithalamij ſecundum Actum, quòd peractâ præparatione ea-* Dramatis
*rum rerum, quæ ad pompam requirebantur genialem, Nuptiæ & Conuiuia in-* ACTVS II.
*cipiant, vt latiùs docemus, num.7.*

*Mali vocabulo an pomum commune ſignificatum, an Citriorum arbor? Mala Heſperidum, & Cydonia amoribus dicata, honeſtiſne, an ſpurcis? Tabernaculorum vſus in feſtorum lætitia; Eſdræ & Leuitici illuſtratio: Scenopegiam Iudæorum imitati cultores Bacchi; Dauidis, Matthæi, Apocalypſis ſententiæ claritas; florum, frondiúmque vſus in nuptijs, aliiſque celebritatibus: pallio cooperiri nouam nuptam quid ex Hebræorum Rituali? Obumbrare, vox Matrimonij index.*

### SECTIO VNICA.

1. *Sponſa viciſſim laudat Sponſum; ex vulgatiſſimâ constructione.*

PERSTAT adhuc Neotericorum iudicio amœbæi Carminis ratio, nam etiamnum & alternis certant laudibus Amantes: Sponſus, cùm intueretur in conuocatas ad gaudiale Nuptiarum feſtum, ſeu matronas ſeu Virgines, licet comptas & decoras, Sponſæ tamen comparatas, deformes putauit, nec reticuit quod cenſeret, apertè teſtatus, viſas, quaſi ſi comparentur ſpinis lilia: Quoniam verò amœbæum poſtulat Metrum, vt qui reſpondet, maiora adiiciat, id Sponſa exequitur, dum ad genialem pompam congregatos optimates, atque equeſtris ordinis viros, tanquam ſylueſtria ligna nominet cum pomiferis aſſimilata arboribus, quæ & odore, & guſtu, tactûque, & viſu excellunt: Siquidem & lilia quoque oculos delectant, ſpirántque ſuauiſſimè, at neque palatum, neque ſtomachum recreant, excedit igitur Sponſæ laudatio: concinnè admodum Theodoretus: *Magna*
*eſt*, (inquit) *differentia inter pomum, & lilium: Hoc* Theodoret.
*enim, nempè lilium, oculos tantùm, & odoratum delectat; pomum autem & ſpectandi, & odorandi, & guſtandi ſenſus afficit voluptate, veſcibile enim eſt, atque eſui opportunum: proinde Sponſa quidem lilium nuncupatur; Sponſus autem Pomum:* atque hæc ſanè iſtius loci vulgatiſſima conſtructio, à qua Recentiorum vix vnus diſcedit, nam arbitrantur omninò ſyluarum lignis infrugiferas intelligi arbores; iuuat tamen expendiſſe, num vndequa-
que ſatis firmum commune pronunciatum. Equi- *An apta hæc*
dem Hymenæus cùm ita cantaretur, vt omnium *conſtructio?*
circumſtantium aures feriret, à cunctis perciperetur (alioquin, quæ gratia encomiis niſi intelligerentur?) quem non moueat, Hoſpites pro beneuolentia, conuitio affici? Nonne, qui ſe propè Narciſſos iudicabant, ægrè laturi eſſent horridis ſtipitibus incultorum nemorum comparari? Quid verò in fœmineo ſexu, cui nihil aſperius pulchritudinis condemnatione?
Deinde obſeruandum maximè id eſt de Palæ- *Quæ ligna*
ſtina, glebam ſic vberem fuiſſe, vt in monti- *ſyluarum in*
bus feliciſſimæ naſcerentur arbores, quales Ce- *Palæſtina?*
drus, abietes, Laurus, Myrrha, & aromaticæ plantæ multæ; Limones, Citros, Anarangos paſſim conſpici, atque eodem modo communia agrorum ſpatia noſtris æmula Viridariis Brocardus Monachus tradit libello de Terra Sancta Parte 2. cap. 1. Vt igitur concedamus deſertorum locorum Arbores ſignificari in lignis ſyluarum, non tamen ſteriles & indignæ Arbores illæ, ſed plurimi honoris. Accedit Biblicâ phraſi lignis ſyluarum iuſtos, ſanctóſque adumbrari: Pſalm. 95. verſ. 12. *Tunc exultabunt om-*
*nia ligna ſyluarum ante faciem Domini, quia ve-* Pſal.95.12.
*nit:* Sermo eſt de iuſtorum exultatione Chriſto ad iudicium veniente, vt obſeruatum in hæc
verba ab Aponio, & notauit Cyrillus lib. 5. in Apon.
Iſaiam: quare & veterum non pauci hîc per li- Cyrill.
gna ſyluarum Beatos homines & Angelos intel-

Origen. Ambroſ. Gregor. Caſſiodor. Orgelit. Beda. Volbero. P.De Alliac.

ligunt, de quibus dici nequeat infructuoſa germina eſſe; Origenes nimirum hom.2. ex duabus, Ambroſius ſerm.5.in Pſalm.118.Gregorius Papa, Caſſiodorus,Iuſtus, Orgelitanus, Beda, Vvolbebero, Petrus de Alliaco.

2\. Quamobrem conſiderandum,an fortè hoc loco, non de vulgari Pomorum arbore ſermo, magis autem de Malis citriis, de Medico & Heſperidum fructu,id, quod Sotomaior & Delrius animaduerterunt : equidem Amantibus aurea eiuſmodi poma, quemadmodum & Cydonia, in quibus auro proximus color, perchara fuiſſe Theocritus Idyllio 3.5.& 6. denotat, Maro Eccloga.3. Athenæus lib.3. cap.6. & lib. 12. cap.13. legendi ſcholiaſtæ eorum : Pierius lib. 54. Hieroglyph. Alcazarius noſter ad calcem Voluminis 2. in Apocalypſ. & ſingulariter Goropius Becanus in Vertumno:Nam Aſclepiadem adhibet, qui ex fabularum ritu aſſerat à Tellure in Iouis, atque Iunonis Connubio oblata antenuptialium munerum vice aurea Mala : Eriphus verò in Melibœa apud Athenæum nominati lib. 3.cap.7. Venerem ipſam Amorum Diuam, fuiſſe quæ in Cypro Inſula conſeuerit, pangit inquiens:

*De quonam Pomo ſit hîc ſermo*

Sotomaior. Delrio. Theocrit. Virgil. Athenæus. Pierius. Alcazar. Gorop.

Athenæus.

———τιὼ γδ Αφροδίτιω ἐν Κύπρῳ

Δένδρον φυτεῦσαι τοῦτο φασίν.

*In Cypro namque Venerem Arborem hanc ſeuiſſe fama eſt*;id, quod Ouidius pariter decimo Metamorph. memorat:contendit Iuſtus Lipſius antiquar.lect. lib. 3. Pomi verbum inter obſcœna priſcis fuiſſe: Agnoſco ſua ad deliria libidine temulentos tranſtuliſſe nonnunquam poma ; tamen vſurpatio, & digna fructus pulchritudine vt & benè à noſtro conſideratum Roa Parte 2. ſingularium S. ſcripturæ lib.1. cap.3. ab Amore verecundo & honeſto : vnde apud Athenæum ſub finem lib.12. cùm diſquiſitio eſſet, quamobrem Amantes præſertim,manibus flores, Poma, & id genus alia ferre ſoliti? Reſpondet : *Fortaſſis etiam, quòd rerum honeſtarũ ſimus cupidi:grata nobis eſſe quæ honeſta ſunt, arguit,quòd formoſa placent:* Equidem Solonem,quẽ tantopere venerata eſt antiquitas, quod leges ad morum emendationem, tradiderit, tamen nouis Coniugibus poma dari Cydonia iuſſit, vt eius ex ſuauitate diſcerent Matrimonio vinctos oportere placidâ eſſe indole : luſit Emblemate Andreas Alciatus:

Ouid. Iuſt.Lipſ.

Roa.

Athenæus.

*Mala Cydonia Coniugibus data, & quare?*

Alciat.

*Poma nouis tribui debere Cydonia nuptis*
*Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.*
*Grata ori, & ſtomacho cùm ſint, vt & halitus illis*
*Sit ſuauis, blandus manet ab ore lepos.*

Denique, ni pudica recreatio à pomorum fructibus, quorſum ſtatim in caſtiſſimo Epithalamio: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo?*

3\. Si igitur Mali voce non ordinarium intelligamus lignum, ſed quod Perſicum appelletur, aut veriùs quod Heſperidum citria ferens poma præſertim, concipiemus & Sponſum formâ prælatum conuiuis omnibus, nihílque prolatum Hoſpites quod offendere poſſit : Nam certè fuerint illi non informes arbores, ſed plurimùm decoræ nam licet eſſe per comparationem cedrorum inſtar, laurus, & platani : tales nihilominus cùm appareant, à Sponſo vincantur : ſiquidem Arbor, quæ citria portat mala ſingulari encomio pulcherrima nominatur, de ea namque communi iudicio interpretum, Leuit. cap. 23. verſ. 40. in feſto Scenopegiæ ; ſiue Tabernaculorum : *Sumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatuláſque palmarum*, &c. rurſum de eadem ſolemnitate Eſdræ lib.2.c.8.v.15. *Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes Myrti*, &c. Quemadmodum itaque hæc eſt Arbor, quæ in longa Nemorum varietate inter ſyluarum diuitias pulcherrimæ nomen abſolutè vindicat : ita quamuis formoſi Sponſi ſodales, neque ſpeciei vulgaris ſit commendatio : Sponſus tamen eſt, qui pulcherrimus ſimpliciter dici intelligatur : Hæc autem non ita conueniant, ſi de plebeio conſtruamus Pomo, ſed neque in Amantum delicijs nobiliorum imprimis, niſi quod exquiſitum, & pretioſum cenſeatur.

*In hac Comparatione, præfertur Sponſus Conuiuis omnibus, nec ijs vlla offenſionis cauſa datur.*

Leuit.23.40.

2.Eſdr.8.15.

4\. Sanè in magnis feſtorum pompis conſuetum veteribus de arborum ramis Tentoria facere, ſeu in domorum planis ſummitatibus, ſeu in atrio, aut plateis, nonnunquam extra vrbem ad fluminum ripas, vel in iucundioribus pratis : Tibullus lib.2. eleg.5.

*In ſolemnibus Iudæorũ feſtis, Tabernaculorum, ſeu tentoriorũ de arborum ramis vſus.*

*Tunc operata Deo pubes diſcumbit in herba:*
*Arboris antiquæ quà leuis vmbra cadit:*
*Aut è veſte ſua tendent vmbracula ; ſertis*
*Vincta, coronatus ſtabit & ipſe calix.*

Hoc lætitiæ genere vſi Hebræi in eo, quod diximus Scenopegiæ gaudio : quare nuper allegatus Eſdras : *Et egreſſus eſt populus & attulerunt* ( nempe frondes arborum quas ibi memorat, oliuæ, Perſici Mali, myrti, palmarum ) *feceruntque ſibi Tabernacula vnuſquiſque in domate ſuo, & in atrijs ſuis, & in atrijs Domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in placea portæ Ephraim.* Credidit Plutarchus Iudaicorum ſacrorum ignarus, Bacchum veneratos illos Tabernaculorum Hilariis, quòd in triẽnali Liberi Patris celebritate ſub vindemia Gentiles paria facerent epulando in tentoriis, lib.4.ſympoſiach.quæſt.5. *Primum*, inquit, *maximæ & perfectiſſimæ Iudæorum ſollemnitatis & modus & tempus cum Bacchi ſacris congruit : quod enim ipſi vocant Ieiunium, id ſic celebrant, vt maximè feruente vindemiâ proponant menſas, in quibus expoſitæ ſint omnis generis fruges : & ſub Tabernaculis deſident potiſſimum è palmitibus & Hedera, quæ contexuntur: & diem,quæ feſtum antecedit, Tabernaculariam nominant:* alia propè in eandem ſententiam, ſed confusâ ſuggerit narratione, vt mos eſt paganis ſcriptoribus, cùm in Hebræorum arcana incidêre: His nonnihil ſimile Carneorum feſtum apud Lacedæmonios, de quo Athenæus lib. 4. cap. 9. *Etenim* (ait) *loca eſſe numero nouem, quæ vmbracula vocant, tentorijs nonnihil ſimilia, in quorum ſingulis nouem cœnent Homines, nimirum tribus ex curijs terni delecti, mandato publico, præconéque denunciante, ibi omnia geri, prorogarique feſtum illud in nonum diem :* de vmbraculis Martialis lib.14.epig.28.

Plutarch.

*Bacchi apud Paganos feſta ad Scenopegiæ Iudaïcæ imitationem.*

Athenæus.

Martial.

*Accipe, quæ nimios vincant vmbracula ſoles*
*Sit licet & ventus, te tua vela tegent.*

De tentoriis in diebus feſtis figi ſolitis ex norma Ethnicorum in Athenæum, Cauſabonus ad ep.6. lib 5.ſed & Gregorius Papa indictione 4.ep.71. ad Mellitum Abbatem, in Natalitiis Martyrum in ambitu Eccleſiarum, Tabernacula ex frondibus erigi permittit ad Religioſæ iucunditatis lætitiam & epulas.

Cauſab. Gregor.

5\. Igitur, cùm in plano ædificiorum tecto, quod Doma nuncupatur pro more Palæſtinorum Menſæ & accubitus ſtrati eſſent ad maximum & ſollenniſſimum Nuptiarum ſympoſium, de meliorum Arborum ramis Tentoria & vmbracula quæ Phœbi radios arcerent, compacta fuêre, vt monſtrauimus in vltima illa verba capitis præcedentis : *Lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum*

*Sponſi vmbraculũ nuptiale ex ligno præſtantiſſimo, Citrio nempe.*



*rum cedrina*, &c. Quoniam verò in hac pompa Sponſum optima quæque obtinêre decebat,aliorum vmbracula, cùm ſiue ex Myrto, ſiue ex palma, ſeu ex oliua, Sponſi tamen Tabernaculum ex omnium formoſiſſimo ligno,ſcilicet Malo citrium geſtante:id Sponſa innuit,cùm Amicorum Tentoria ex arboribus ſyluarum conflata aſſerat, Dilecti autem ex pomifera:Quoniam vero Sponſa ſimul cum Sponſo eſt, eiuſque adhæret lateri, nam de ea canit alterum Epithalamium, Pſal. 44. verſ.10. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate :* Et Matth. cap.25. verſ. 1. *Exierunt obuiam Sponſo & Sponſæ* ; nimirum,quia Virgo procedebat innitens Marito, vt pingitur à Salomone iſtomet in Cantico cap. 8. verſ.5.*Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens innixa ſuper Dilectum ſuum?* atque hoc eſt,de quo in nouæ ſimilitudinem Nuptæ Apocalypſ. c.21.v.2.*Et ego Ioannes vidi ſanctam Ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo, paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo :* Gloria enim Sponſę maxima erat,non niſi ipſo ſuffulcitam Sponſo, cùm tot eſſent famulantium turbæ, ex thalamo ad pompam genialem pergere : itaque in feſtis nuptialibus ſociati coniuges, proinde & ſub eodem Tentorio ad ſollenne Conuiuium fœderis matrimonialis : Poſtquam igitur Tabernaculum Sponſi à citriis commendauit frondibus, exultans pronunciat,eius ſe conſediſſe ſub vmbra inter epulandum ; atque huius conſeſſus à ſe valde exoptatam Horam, quæ ſtabili videlicet nexu inopem & ruſticanam adoleſcentulam optimatum præſtantiſſimo coniungebat : quare Arboris,ſub qua tantum conſequuta ſit beneficij, non poſſe non ſuauiſſimum eſſe palato fructum : niſi placeat non metaphoricè extollere fructum, ſed ad Literam, quoniam & eſu placidus eſt, & colore, halitûque dulciſſimus : Singulariter autem charus ſit, quoniam in venena potens, & deliquio medela, quo ſæpe Sponſa exanimata eſt : Quas virtutes pomo Athenæus concedit libro 3. cap.7.

Pſal. 44. 10. Matth 25.1.

*Sponſa ſub eodem cum Sponſo Tabernaculo.*

Cantic. 8. 5.

Apocal.21.2.

Athenæus.

6\. Sin autem de tentoriis reſpuamus ſermonem, quod ex Iudæorum ritu non niſi per autumnum ſub feſto ſcenopegiæ eorum vſus ; tamen quæ præcedenti verſu de floribus & liliis, quibus & lecti, & pauimentum, & Triclinium conſpergebantur in magna iucunditate, & ornabantur peregrini, atque domeſtici, agere, concedendum ſit : Hoc autem verſu de frondibus, quibus condecorabantur portæ,atque feneſtræ:& loca caloribus infeſta confrigerabantur ; vt cùm reliqua ad nuptialem ſpectantia oſtentationem,in promptu ſint ; doceant,neque flores,neque frondes in amœnitatem deſiderari : de floribus generatim Tertullianus de Corona Militis : *Vtere itaque floribus viſu, & odoratu, quorum ſenſuum fructus eſt : Hoc ſint tibi flores, & inſerti, & innexi, & in filo, & in ſcirpo, quod liberi, quod ſoluti, ſpectaculi ſcilicet & ſpiraculi res : iam verò & in ſinum conde, ſi tanta munditia eſt ; in lectulum ſparge, ſi tanta mollitia eſt; in poculum crede, ſi tanta innocentia eſt ; tot modis fruere, quot & ſentis.* Auguſtinus, aut alius Auctor ſermone 1. de tempore, de natalitiis feſtiuitatibus : *Conſiderate fratres, quando aliquis Homo potens, aut nobilis Natalem ſuum, aut filij ſui celebrare deſiderat, quanto ſtudio antè plures dies, quicquid in domo ſua ſordidum inuenerit, ordinat emundari : domus, ſi obſcura fuerit, dealbatur, pauimentum ſcopis mundatur, & diuerſis reſperſa floribus adornantur : Vt quid iſta, fratres, niſi vt dies natalitius cum gaudio celebretur?* Taceo nimium luxum, qualem de Heliogabalo memorat Lampridius, & de Gallieno Trebellius,& de Ptolomæi Philadelphi tentorio lib.10. Athenæus, venio ad nuptialia : Chryſologus ſermone 22. *Thalamus ornatur Sponſæ, verecundiæ roſis, lilijs caſtitatis, pudoris violis :* de infauſtis nuptiis Lucanus 2.Pharſal.

*Frondibus, floribuſque ornata aditũ portæ, feneſtræ, aulæ, &c. in nuptiali ſympoſio.*

Tertullian.

Auguſtin.

Lampri Trebel Athen Chryſc

*Feſta coronato non pendent limine ſerta*
*Inſulaque in geminos diſcurrit candida poſtes.*

Lucan.

Apuleius lib.6. Metamorph. *Horæ roſis* ( loquitur de cœna nuptiali ) *& cæteris floribus purpurabant :* iam de frondibus Tertullianus libro 2. ad vxorem cap.6. *Et procedit de ianua laureata, & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinum publicarum.* Iuuenalis Satyra 12. in lætis Amicorum aduentibus :

Apulei

Tertul

*———atque omnes violæ iactabo colores:*
*Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos.*

Iuuena

Ad Satyram autẽ quintam Perſij, vbi de Herodis Natali, Scholiaſtes illius : *Herodiani obſeruant Sabbata, quo die lucernas accenſas, & violis coronatas, in feneſtris ponunt.* Latinus Pacatus in Panegyr. Theod. Aug. *Quid ego referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum? quid portas virentibus ſertis coronatas?* De nuptiis Apuleius libro 4. Metam. *Domus lauris obſita, tædis lucida ſtrepebat Hymenæum*,&c. docebat itaque verſu antecedenti liliorum,& omnis generis florum, quæ vel pratis enaſcantur, vel conuallibus, copiam eſſe: modò inſinuat frondes, quibus poſtes & atria cingantur, ex nobiliſſimi ligni ramis eſſe, videlicet ex citri arbore, ſub qua iucundiſſimum fuerit vnà cum Sponſo vmbram, auráſque captare.

Schol. Perſij.

Lat.Pac

Apul.

7\. Animaduertere oporteat Hebræorum ex conſuetudine, cùm vxorem Maritus accipiebat, pallij extimâ parte Sponſæ obtegiſſe caput, iuxta quem morem ex Ruthæ libro illa exponunt c. 3. verſ.9. *Ego ſum Ruth ancilla tua, expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es :* Hoc eſt, quoniam propinquitatis titulo mihi deſponſandus, oſtende pallij ſuperextenſione velle habêre me thalami conſortem : ſic Nicolaus, Abulenſis,Dionyſius,Sa,Serarius, Oleaſter ad cap.11. Exodi verſum 8.Giſlerius,& Sanctius hunc in locum : conſule dicta in conſimili argumento à nobis Veſtigatione 4.num.10. Alij pallio quidem demonſtrari fœdus connubiale, ſed non viri chlamyde,at thalami nuptialis vmbellâ & conopœo, ſub quo noui coniuges ſedent ; docet hîc ex Elia in Tisbi Sanchez, in hunc ſenſum, credo, aiebat Iſidorus Peluſiota epiſtola 146. *Pupillæ in oculis, veluti Virgines in thalamo ſunt collocatæ, cilijs, ſeu palpebris tanquàm velis tectæ : æquum itaque fuerit prudenti ratione eas regi, ac tutari, vt aſſiduè quidem erubeſcant, pudeátque eorum, quæ oportet.* Multi in flammeum transferunt, aut velamen, inde nomen ex Ambroſio exhortatione ad Virgines: *Namque à nubibus verbum Nubentium tractum arbitror ; denique operiuntur & Nubes, cùm acceperint nupturæ velamina : & verè graues Nubes, quæ ſuſtinent ſarcinam Matrimonij :* Quocunque autem modo ex his tribus accidat Matrimonij demonſtrari nexus, apertum eſt inumbrari, tectos nimirum, vmbraculi inſtar eſt ſiue pallium quod abſcondit, ſeu conopœum, aut velamen : Hinc obumbrandi vox ad maritalia fœdera tranſlata, vt obſeruant hîc nominati aliàs Giſlerius,& Sanctius, probátque Nouarinus Sacrorum Electorum parte 2. libro 4.cap.1.& 2. num. 13. vbi & iſta ex Cantico Salomonis pertractat : & quoniam Mariti vices

*Pallij ... na ... Sponſæ tegebu ritus ... braeu.*

Ruth.

Lyra. Toſta Diony Sa. Serar. Oleaſt Giſler. Sanche

Iſidor. Peluſic

*Nubere nubibu ... tum.*

Ambro

Obum *vox A... lu.*

Giſler Sanch Noua

 ſubſtituit

ſubſtituit altiſſimâ, limpidiſſimâque actione potentiæ ſuæ Spiritus ſanctus in conceptione Saluatoris intra vterum Virgineum, propterea à

Luc. 1. 5.

legato dictum ei, Luc. cap. 1. verſ. 5. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, ad quæ alludens Anonymus in Rythmo de laude Virginitatis, concinnè expreſſit, illam Beatiſſimi flaminis operationem, qua inumbrauit, pallij inſtar fuiſſe quodammodò, quod ſuper nouam Nuptam expanditur more ſuperiùs indicato:

*Vmbra ſancti Spiritus*
*Dedit ei cælitus*
*Spiritale pallium:*
*Vt non lædat Virginem*
*Nec pudoris cardinem*
*Pariendi vitium.*

8.
*Conſtructio huiuſce verſus, & connexio cum præcedentibus.*

Quando igitur optimorum Auctorum iudicio verbis iſtiſmet ſignificetur, quòd connubialis fœderis indiſſolubilem nexum declaret, intelligere valeamus iuxta Dramatis ſeriem, paratis vniuerſis, quæ vel ad lautitiam vel ad neceſſitatem genialis deſiderabantur pompæ; Sponſos in eum locum proceſſos (qui vt putabamus ad finem præcedentis capitis, erat ſolarium & mænianum in ædificiorum faſtigio, locus nimirum feſtiuitatibus dicatus ex vſu Hebræorum) vbi thalamus ſternebatur genialis ſub Tentorio ex odoratis lignorum nobilium frondibus: Hîc conſidente Sponſo, ſub Ramis & papilione, qui thalamus connubiorum; ſeu ipſe, ſeu chorus Muſicorum illius nomine Virginem commendauit, quòd lectiſſimis per quàm ſimillima liliis, iis videlicet, quæ ne Bruta, ne alij florum latrones decerpant, ſpinis vallantur, innuens, eius ſiue pudicitiâ, ſeu formâ nihil reperiri excellentius: Sponſa vt rependat encomio, pulcherrimo Nemorum ligno Dilectum comparat, citrio vtpotè, & introgreſſa cum eodem thalamum nuptialem, quem huius arboris rami tegebant, de acri, longâque Connubiorum ſpe adimpletâ gaudens; iam ſe eſſe coniugem certâ fide exclamat, iam deſiderio frui, iam excidere non poſſe Sponſi gratiâ: *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi*: obumbrauit mihi dilectus, Maritus ſollenni ritu declaratus eſt: ô diem celebrandum perenni memoriâ! ô candidam lucem! Hîc ergo ſecundus exorditur Actus ſacræ iſtius Comœdiæ, nempè à publicis Matrimonij teſtimoniis, ab epulis & ludis, quæ ſtatim inſequentur, & de quibus volente Numine dicemus: ſubiicit: *Et dulcis fructus eius gutturi meo*: cur non dixit, gutturi noſtro, quemadmodum ſuprà: *lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum*, &c. atque infrà iſto capite, *flores apparuerunt in Terra noſtra, vox Turturis audita eſt in terra noſtra?* arbitror; quoniam cùm diues eſſet Sponſus, nobilitate & gloriâ inſignis, ex Sponſæ connubio, quæ contempti generis erat, pauperiſque cenſus nullum familiæ incrementum expectabat, quamobrem deſponſatio Virgini integrè commoda fuiſſe videatur, euecta eſt enim ad diuitiarum & Honoris apicem; Hanc itaque vt Sponſo concedat laudem, quantóque ſe illi obſtrictam ære eſſe oſtendat, palàm faciat Connubiorum teſtibus, fructus eſſe aſſeuerat, non à quibus Sponſus dulcedinem accipiat, neque enim indigebat, ſed qui Sponſæ faucibus æternùm ſuauiſſimi futuri ſint.

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus*: Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic Dilectus meus inter filios: ſub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. *Cap. 2. verſ. 3.*

*Chriſti Aſcenſionis Gloria: cum ad Patris dexteram ſedêre quid innuat poteſtatis & honoris? Dextera conceſſa auctoritate minoribus, Amicitiæ & reuerentiæ causâ: Nuptiæ Eccleſiæ in diem Pentecoſtes referendæ: Lex vetus quando interiit? Noua quando obligare cœpit?*

### Sectio Vnica.

9.
*Chriſtum in cœlum glorioſè aſcendentem laudat Sponſa.*

STATVIMVS in præcedentis Verſus Myſticâ Explanatione, idcircò nominari ſe florem campi à Sponſo edoctum, quod intra Palæſtinæ ambitum deinceps concludi ſacrorum Myſteriorum lucem nollet, ſed omnibus patêre Gentibus, quæ ſub cælo ſunt ex Apoſtolorum legatione, quare paulò antè quàm ad Patrem aſcenderet iuſſit prædicari Euangelium omni creaturæ; monuit inſuper ſedêre in Ciuitate, quoad induerentur virtute ex alto: iámque præſtituto aduentante tempore migrationis in locum, ex quo deſcenderat, *Eduxit* (ſcilicet amantiſſimos diſcipulos) *foras in Bethaniam: & eleuatis manibus ſuis benedixit eis: & factum eſt, dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum*; Luc. cap. 24. verſ. 50. aderat ibi antè omnes Beatiſſima Genitrix eius, aderant & aliæ Religioſiſſimæ fœminæ, imprimis, quæ ardebat egregio charitatis incendio Magdalena: & fortaſsè ob huius gratiam Bethaniam vſque perrexit, neque enim ibi ſubſtitit, cùm attolleretur in Empyrea, ſed in monte Olиueti, qui propior eſt Ieroſolymæ, quàm Bethania, ſuâque prominentiâ aſpectum Metropolis intuentibus eripit ex Adrichomio in Ieruſalem, num. 179. Nam Lucas Actor. cap. 1. poſtquam

Luc 24 50.

Adrichom.

ſubuectum



ſubuectum in æthera Chriſtum memorauit, ſubiicit verſ. 12. reuerſos diſcipulos Ieroſolymam, à monte qui vocatur Oliueti: cùm itaque ferretur in ſublimia, ſanctorum comitatus agminibus, quotquot limbus aſſeruarat à morte iuſti Abel, ſtiparéntque ex Angelicis Legionibus millia millium, & decies centena millia altiùs gradientem vniuerſis, & infinitis meliorem honoribus, formæque irradiantem mirabili claritate,

Origen.

Sponſa laudauit, inquiens: *Sicut Malus inter ligna ſyluarum, ſic Dilectus meus inter filios*: Prætulit ſcilicet vtrique naturæ angelicæ & humanæ vt cogitat Origenes homilia 3. ex duabus: & quamuis ad ſtuporem decori ſiue qui ex Hominibus, ſiue qui ex ſpiritibus beatis Seruatorem comitabantur, tamen IESV comparatione propemodum videbantur tanquam ſi ligna ſaltus conferantur horrentia, & acida multis curis ſuauiſſimo in viridario enutritæ citriæ arbori pulcherrimis onuſtæ pennis, vt idemmet Adamantius graphicè expendit homilia ſecunda ex duabus.

10.
*Quid eſt, Chriſtum ſedere ad dexteram Patris?*
Act. 2. 34.
Pſalm. 109.
1. Petr. 3. 22

Huius autem diei eximia Gloria, variis vtriuſque locis inſtrumenti conſignificata eſt, metaphorâ ab humanis deductâ ſeſſionis ad dextram Dei, vnde Petrus Actor. cap. 2. verſ. 34. ex Pſalmo 109. *Non enim Dauid aſcendit in cælum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: idémque priore ep. cap. 3. verſ. 22. *per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt in dextera Dei*: Et Paulus ſæpenumero, ſingulariter verò ad Hebræos cap. 1. verſ. 4. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?* &c. Quidnam autem iſtiuſmodi voces portendunt, quod vel in ſingularem Chriſti laudem cedant, vt cedere neceſſarium eſt fateri; vel diuinis Perſonis vſquequaque adaptari valeat, in quibus omnia paria, dexteræ autem honor ſublimius aliquid denotet ab eo, qui ad læuam reſidet; explicatu haud facile ſit: Nihil quidem ſiniſtri omninò in cælis conſiderandum eſſe, ex Beato Auguſtino lib. 1. de Symbolo cap. 4. circa medium, quoniam ibi nihil miſeriæ eſt, profert Angelicus Doctor in 3. part. quæſt. 58. artic. 1. ad 2. quamobrem, ſi ibi dexteræ ad ſiniſtram relatio non eſt, omnia cùm ad dexteram ſpectarint, æqualia erunt: & hunc iuxta ſenſum, nihil aliud filium ſedêre ad paternam dexteram, quàm in diuinitatis gloriâ, maieſtate, potentiâ æqualem eſſe cum eo, vt declarat Baſilius lib. 1. contra Eunomium: *Præterea, ſi Dei ſedes vt nos quidem credimus dignitatis nomen eſt, à dextris determinata Filio Patris ſedes, quid aliud, quàm dignitatis æqualitatem ſignificat?* Quæ fuit adamata Expoſitio à pleriſque veterum Græcorum Patrum, quos numero multos aggregauêre noſtri Bellarminus tom. 1. lib. 3. de Chriſto Mediatore c. 14. Ioan. Antonius Velaſquez tom. 1. in epiſt. ad Philipp. c. 2. à v. 9. ad vndecimum in Literæ Expoſitione n. 50. Verùm ex his fiat, ſi omnia in cæleſtibus dextera, Beatis ſingulis conuenire vt in dextera eſſe Dei parte cenſeantur, proinde Chriſti non erit peculiaris honor contra S. Thomam dictâ q. art. 4. inſuper ſeſſione ad patris dexteram aliquid ſubindicatur excellens, quod per Aſcenſionem Chriſto obuenerit, & ſanè in Humanitate, vt bellè quicumque ille eſt ſcriptor Cómentariorum in Paulum inter Ambroſiana opera, inquit enim ad illa c. 1. ad Hebræos: *Sede ad dexterã meam, &c. Victori filio, & per ſanctam Incarnationem totius mundi Triumphatori, poſt Reſurrectionis gloriam honorabilis conſeſſus paternæ maieſtatis offertur: vt per hunc ſitum ſuſceptæ Humanitatis gloria declaretur, quæ nemini Angelorum deferri debuit*: Atquin loquendo formaliter de Chriſto vt Homo eſt, & ſupponendo æqualitatem in diuinitate τὸ *ſedêre ad dexteram Dei* innuere; tamen hoc per Incarnationem conſequutus fuerit, per quam vnita eſt diuinitas Humanitati, ab inſtanti enim conceptionis hic Homo Chriſtus æqualis fuit Patri æterno, cuius filius naturalis erat, in diuinitate.

Nihil ſiniſtrũ in cœlũ.
Auguſtin.
S. Thom.

Baſil.

Bellarmin.
Velaſquez.

Ambroſ.

Equidẽ, hoc ſe nodo expeditè liberant, qui generatim cenſent, potiorẽ eſſe læuam dexterâ, tum ſanè rectè quòd Chriſtus quantùm Homo minori dignitatis loco æterno Genitore, ad ſiniſtram vtpotè: eâ fortaſsè de controuerſiâ nos propediem, in illud: *læua eius ſub capite meo*, &c. modò præbeamus excellẽtiorem dexteram: & quidem omninò ex Scripturæ vſu (licet ex profano ritu aliter opinandũ) exiſtimãt Suarius tom. 2. in 3. part. diſp. 51. ſect. 3. §. Vna verò, &c. Ribera in c. 1. epiſt. ad Hebræos, in illud: *Sedet ad dexteram maieſtatis*, &c. Verùm inter Homines ipſos, apud quos ea lex nata eſt in egregię amicitiæ ſymbolũ, aut in maximorũ geſtorũ retributionẽ, quorum minor cognoſcebatur auctoritas ad dexterã ſtatuere cõſueuerunt; nõ quod timerent fore, qui potiores arbitrarẽtur, ſed vel ad compenſationem, vel ad obſequiũ: in hunc morem Euſebius Pamphilus Vitę Cõſtantini c. 13. libri primi, eundem, cùm etiamnum Adoleſcens eſſet Conſtantij Imperatoris dexterum occupaſſe latus: *In qua ætate & honore* (ait) *nos eum vidimus, cùm Palæſtinorum regionem vnà cum Imperatore, qui cæteros anteibat ætate, peragraret: ad cuius dexteram aſſiſtens*, &c. Quam officij humanitatem, quod Hoſpes eſſet, erga Tiridatem Armeniæ Regem Nero oſtendit: Suetonius eius in vita, cap. 13. *Perductum deinde in theatrum, ac rurſus ſupplicantem, iuxta ſe latere dextro collocauit*: Valerius Maximus libro 5. c. 5. n. 3. de Druſi caſtrorum Imperatoris ſummâ erga fratrem beneuolentiâ, cùm lecto affixum inuiſeret: *Præcepit etiam dexterâ in parte prætorium ei ſtatui, & conſulare, & Imperatorium nomen obtinêre voluit.* Sed Eutropij imprimis verba affabrè probant, loquens de Claudio lib. 7. *Tam ciuilis autem circa quoſdam amicos extitit, vt etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica, multa, ac egregia fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & conſcendenti capitolium læuus incederet.* Ita & Salomon, poſtquam imperij habenas tractauit, non ſuſtinuit tamen, quin Matri ad dexteram partem thronus apponeretur, Reg. 3. c. 2. v. 19. & Sponſa deſcribitur, Pſal. 44. v. 10. quæ Regis à dextris adſtat in Veſtitu deaurato: Quoniam igitur Regni Eccleſiæ gubernatio & poteſtas iudiciaria ſingulariſſimè Chriſto vt Homini Deo conceſſa eſt à Patre æterno ſecundum illa Ioannis Euangelij c. 5. v. 22. *Neque enim Pater iudicat quẽquam: ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*; propterea licet ob Humanitatem Genitore inferior, & ex diuinitate eidem æqualis; tamen ad ſignificandam hanc excellentiam, eámque humanis intimandam ingeniis; quemadmodum ipſi dexteram quandoque pares ob cauſas, vel æqualibus, vel inferiori gradu poſitis concedunt: ſic & introducitur Pater æternus, qui filio honoris gratiâ dexterum concedat latus.

11.

Suarez.
Ribera.
*Dextera vel æqualibus vel minoribus conceſſa, amicitiæ & honoris causâ à ciuiliſſimis.*

Euſeb. Pamphil.
Exempla.

Sueton.

Val. Max.

Eutrop.

3. Reg. 2.
Pſalm. 44.

Ioann. 5. 22.

12.
*Hæc doctrina Patrum auctoritate ſtabilitur.*
S. Thom.

Iuxta hæc Sanctus Thomas in 3. parte quæſtione 58. art. 3. in corpore: *Sic igitur: ſi ly ſecundum quod, deſignet conditionem naturæ, Chriſtus,*

*ſecundum*

*ſecundum quod Deus, ſedet ad dexteram Patris, id eſt, in æqualitate Patris: ſecundum autem quod Homo, ſedet ad dexteram Patris, id eſt, in bonis paternis potioribus, præ cæteris creaturis; id eſt, in maiori beatitudine, & habens iudiciariam poteſtatem.* In eandem propè ſententiam Primaſius in illa cap. 1. epiſt. ad Hebræos: *ſedet ad dexteram maieſtatis*, &c. *Nam non eſt putandum* (ait) *quòd omnipotens Pater dexteram, aut ſiniſtram habeat, ſicut nos habemus: aut quod ita ſedeat in dextera illius filius eius, ſicut ſolent filij Regum ſedêre iuxta Patrem appoſito ſibi ſolio, ſed ſicut dicimus, dextera pro gloria & honore accipitur.* Venuſtiſſimè autem, & noſtro propè ſcopo Sanctus Maximus ſermone 60. *Secundum conſuetudinem noſtram illi conſeſſus offertur, qui aliquo opere perfecto victor adueniens honoris gratiâ promeretur, vt ſedeat: ita ergo & Homo Ieſus Chriſtus paſſione ſua Diabolum ſuperans, Reſurrectione ſuâ inferna reſerans: tanquam perfecto opere ad cælos Victor adueniens, audit à Deo Patre: ſede ad dexteram meam.* His nonnihil conſentanea apud Athanaſium lib. de Incarnat. Chriſti, Gaudentium ſerm. 19. ad Neophytos, Paſchaſium lib. 12. in Matthæum, ad illa c. 28. *data eſt mihi omnis poteſtas*, &c. Quanquam verò & Chriſtus Homo ratione gratiæ vnionis dominio excellentiſſimo in omnes creaturas præditus ante Aſcenſionem, id tamen negari nequeat, quin poſt Aſcenſionem conſequutus ſit, vt hæc tanta poteſtas diuulgaretur magis, magiſque, & clareſceret omnium creaturarum famâ atque rumoribus; quod ſignificaſſe Paulum veterum & iuniorum multi exiſtimarunt ad Philipp. c. 2. aientem v. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris:* De his fuſiùs Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. allegata 51. ſect. 3. Pater Velazquez tom. 1. in epiſtolam ad Philip. cap. 2. verſ. 9. 10. 11. in expoſitione Literæ, num. 52.

Primaſius. — S. Maxim. — Athanaſ. Gaudent. Paſchaſ. — Philipp. 2. 9. — Suarez. Velazquez.

13. *Voces admirabundæ Angelorum in Triumphali Chriſti Aſcenſione.*

Cùm igitur Natura humana in Chriſto prætergrederetur omnes Angelorum ordines, & proximè ad Deum accederet, quantum fas creaturæ, tantiſque honoribus Numen proſequeretur, vt à dextris conſedêre faceret, quâ loquendi metaphorâ immenſum decus ſignificatur; cernentes Angeli ita ſubvehi arborem inter ligna ſyluarum, id eſt, Hominem quondam paſſibilem, & Mundi huius deſerto verſatum, præ admiratione interrogabant: *Quis eſt Rex gloriæ?* Pſalm. 23. verſ. 8. *Aſcendebat enim* (ait Auguſtinus ſerm. 178. de tempore, qui eſt de Aſcenſione quintus) *cruoris rubore perfuſus, à trophæis victricibus laureatus: viderunt cælites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia caſtris tyrannicis reportata; & admirantes fulgentia diuinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducúntque lætantes: Quis eſt iſte, inquiunt, Rex gloriæ?* Aliorum voces Iſaïas memorat capite 63. verſ. 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Bozra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* quem in vatis locum Cyrillus in Exegeſi ad Achatium: *Ad cœlum* (ait) *vnigenitus Dei vnà cum carne ſibi vnitâ redit, erátque nouum hoc in cœlis ſpectaculum; obſtupuit enim ſanctorum Angelorum multitudo, cùm Regem gloriæ, exercituúmque dominum in forma humana cerneret: aiebat enim, Quis eſt iſte, qui venit de Edom, id eſt, ex terra?* Apud vtriuſque loci interpretes multa Sanctorum dicta in ſimilem ſcopum: ſi quem verò delectat & quæ ſequuntur de vmbra Nubi accómodare, quæ tuntem ad conuexa Redemptorem noſtrum ſuſcepit, quemadmodum præſtet Ambroſius, docebit ſerm. 60. ad finem, qui eſt ſecundus in feſtum Pentecoſtes.

Pſal. 23. 8. — Auguſtin. — Iſai. 63. 1. — Cyrill. — Ambroſ.

14. *Eccleſia à Sancto Spiritu in die Pẽtecoſtes obumbratur.*

Certè abiit Dilectus in Olympi faſtigium, nec decima præteriit Lux, cùm promiſſi memor, Spiritus ſanctus in nouæ Eccleſiæ congregationem delapſus eſt, quali more Actorum Apoſtolicorum Hiſtoria delineat c. 2. & quoniam ad diuinum Flamen obumbrationis ſpectat ratio, quippè olim dimiſſus etiã, vt Virgini Beatiſſimæ obumbraret, propterea quæ Spiritum ſanctum accepit, *ſub vmbra* conſediſſe affirmat: vide, quàm aptè Athanaſius ſerm. de ſanctiſſima Deipara: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: vt in Apoſtolos virtus iſta ideo deſcendit, vt contra omnẽ aduerſariam virtutem vigerent, ideóque ſpiritus ſuperuenit eſſentialiter: ita quoque Spiritus ſanctus in Virginem deſcendit:* Quoniam autem n. 7. oſtendimus obumbrandi vocabulo connubiale deſignari fœdus, ideo obumbratur à diuino amore Eccleſia, vt iam vxorem & nuptam eſſe concipiamus, antequam ex humanis tolleretur Chriſtus alloquutus diſcipulos: *Paraclitus autẽ Spiritus ſanctus* (inquit) *quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. Ioan. cap. 14. verſ. 26. quid eſt, in nomine meo? Theophylactum, atque Euthymium ſequutus Maldonatus exponit; hoc eſt, qui pro me venturus eſt, mihi vt ſubſtituar, meas vt vices gerat: atquin hoc, quod in Nuptiis Procuratores agere conſueuerunt, coràm adeſſe Maritus quoties non valeat: filij igitur vicarius Spiritus ſanctus ad Eccleſiæ coniugium; & propterea concinnè Pater dicitur miſſurus eſſe Spiritum ſanctum Verbi nomine, quoniam ad Genitorem Sponſi attinet deſtinare, qui Gnati præſentiâ funguntur, ſicut Abraham memoratur Geneſ. c. 24. ſeniorem domus ſuæ miſiſſe, per quem deſponderetur Iſaaco Rebecca: neque abſque nuptialis pompæ quadam imitatione deſcenſus: Nam faces, quibus prælucêre mos eſt, ignis velut demonſtrabat, & clamor ad Sponſi proceſſum facto repentè de cœlo ſono indicatus: latebat etiam in Ieroſolymitano cœnaculo Virgo noua Eccleſia, quòd deſponſatam prodire vſus non ſit vſque in genialem plauſum: denique per Spiritum ſanctum obumbrari Eccleſiam omnino conueniens erat, quoniam huius quæ interuentu fœcundatur, eadem, & Virgo manet, & Genitrix eſt numeroſæ ſobolis quod Eccleſiæ & Beatæ Mariæ, quibus hoc diuinum obumbrauit Flamen, contigit: vnde Ambroſius libro de Virginibus: *Sancta Eccleſia immaculata coïtu, fœcunda partu, Virgo eſt caſtitate, Mater eſt prole: nutrit vos Virgo, non corporis lacte, ſed lacte Apoſtolorum: Virgo eſt Sacramentis, & virtutibus, Mater eſt populis, cuius fœcunditatem Scriptura teſtatur, quoniam plures filij deſertæ, quàm eius quæ habet virum:* Verùm certè ab huius viuifici ſpiritus delapſu Mater pulcherrima continuò Petro concionante tot enixa filios: quare Beatus Antonius de Padua, ex vltimo Epithalamij iſtius capite deſumptis verſibus ait ſermone in ſeptuageſ. *Soror noſtra (id eſt primitiua Eccleſia) paruula eſt numero fidelium: & vbera non habet, quibus filios ſuos lactet: nondum enim grauidata fuit Spiritu ſancto, & ideo dicebant ibidem: Quid faciemus Sorori noſtræ in die Pentecoſtes, quando alloquenda eſt allocutione Spiritus ſancti?*

Athanaſ. — Ioan. 14. 26. — Theophyl. Euthym. Maldonat. — *Miſſus Spiritus S. Verbi nomine quaſi Procurator nuptiarum.* — Geneſ. 24. — *Nuptialis Eccleſiæ apparatus.* — Ambroſ. — S. Anton. Paduan.

Obiicias



15. *Obiectio circa Nuptiarũ Eccleſiæ tempus.*

Obiicias: ab eo maximè tempore Eccleſiæ cognoſcendas nuptias, à quo data ei Sacramenta obligare cœperunt, niſi enim iam tum Sponſi Ieſu Seruatoris vxor, quorſum tantâ poteſtate fulgens, cui tanquam Reginæ obtemperandum eſſet? neque ab alio, quàm à Marito auctoritatem inſignem mutuata eſt: atquin à morte Chriſti Baptiſmus, exempli causâ, obligabat: Demonſtro hoc pronunciatum: Quippe in inſtanti mortis Chriſti lex vetus interitum ſuſtinuit: Nam ait Paulus ad Hebræ. c. 7. v. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati*, ſcilicet deſiit alio exoriente, de quo ſtatim idemmet: *introductio verò melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum:* & rectè quod priſcum Teſtamentum reprobatum ſit nouo ſubſtituto, de quo Apoſtolus cap. 9. verſ. 17. *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt.* Si igitur per Chriſti mortem nouum Teſtamentum: huius in in quem finem natiuitas, niſi vt antiquum deperiret? Quamobrem diuinè eiuſdemmet epiſt. c. 7. verſ. 11. *Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat:* Alia de ſciſſo velo Templi, Matth. cap. 27. in ſignum abrogationis legis Moyſi, atque ex Patrum auctoritate Bellarminus lib. 1. de Baptiſmo cap. 5. Propoſit. 3. Ludouicus Mæracius tom. 1. tractatu de legibus, diſp. 18. ſect. 2. num. 8. multos citauimus Patronos Anteloq. 3. ſect. 4. num. 112. iam igitur ſi lex mortua fuit Redemptore moriente: igitur & legis principale fundamentum Circumciſio mortua eſt, vt deinceps ad ſanctificandos ab Originali paruulos Iudæorum, vtilis non extiterit, alioquin quonam pacto mortua, quæ vigebat? itaque ſi mortuam atque euanidam Circumciſionem fateamur à Chriſti obitu, expedit concedamus operatum eſſe Baptiſmum exinde: ſi enim hoc remedio deſtituti Iudæi, cùm non valeret Circumciſio, cogimur aſſeuerare non manſiſſe quidpiam, quo tolleretur macula primæ culpæ in recèns natis: Hoc autem dictum quomodo non inuidiam pariturum ſit diuinæ prouidentiæ ſuauibus curis in humani generis ſalutem.

Hebr. 7. 8. *Lex vetus quãdo deſiit?* — Et 9. 17. — Et 7. 11. — Matth. 27. Bellarmin. Mæracius.

16. *Præcedentis Obiectionis ſolutio.*

Concedamus, quod vero cognatum exiſtimamus, à puncto mortis Chriſti nouam obligaſſe legem (Nam quod de remedio paruulorum inter Iudæos non incongruè illi, qui adſtruunt euacuato quidem Circumciſionis robore per Seruatoris necem, Hebræis, ad quos Baptiſmatis nulla peruenit cognitio, vſui potuiſſe eſſe Circumciſionem, non vt remedium legis per Moyſem datæ, & iuſtificandi virtutem habens, nam hanc efficaciam amiſit extincto Redemptore; ſed vt remedium legis naturæ, quod adhuc perſtabat, ſitúmque erat in Parentum fide minoribus applicatâ: quam fidem ſicut Gentiles teſtabantur applicatâ exteriori aliquâ cærimoniâ: ita Iudæi circumciſione indicare poterant eius cærimoniæ loco: de his conſule Sotum lib. 2. de Iuſtitia & iure, quæſt. 5. art. 4. aliis ſaluat modis P. Vaquez diſp. 181. cap. 3. concedamus inquam, obligaſſe Baptiſmum, atque alia quædam editorum, quæ ad Euangelium ſpectabant; dicimus tamen conſentaneum eſſe Nuptiarum ſollennem pompam in diem transferre Pentecoſtes, ſiquidem tunc initum coniugium opinari iuuat, cùm ornata & perfecto cum decore in publicum Sponſa prodire valebat; præparantur namque Virgines adhibito cuti medicamento comparatiſque monilibus, & gemmis, veſtium diuerſis generibus ante feſtiuam & apertam Connubiorum lætitiam; quâ in præparatione verſatum hactenùs Epithalamium tota noſtra Commentariorum oſtendit ratio: Verùm Sponſa Eccleſia nondum ſatis ornata vſque in diem Pentecoſtes, ſiquidem ad hoc moratus in Terris Chriſtus quadraginta diebus, vt & conderet ex Sacramentis Pœnitentiæ quod appellatur, Ioan. cap. 20. & doceret de Ritibus multis, déque Eccleſiaſtica Hierarchia: Petrum autem vicarium ſuum in Terris, & ſummum Paſtorem declararet, Ioan. cap. 21. v. 17. *Paſce oues meas*, vt fusè demonſtrat Suarius contra Regem Angliæ lib. 3. c. 10. num. 16. igitur ante Pentecoſten non ſunt conſtituendæ Nuptiæ Chriſti, atque Eccleſiæ: Sanè an lex noua obligauerit à puncto mortis Chriſti; vel cùm è mortuis reſurrexit dubium eſt Theologorum in ſchola: at verò, obligaſſe ſaltem à die Pentecoſtes, eorundem Scholaſticorum commune eſt iudicium, vt rectè animaduertit Suarius de legibus lib. 10. cap. 4. verſ. 13. igitur æquum magis eſt Nuptialem pompam in eam transferre periodum, de qua penè altercatio non eſt; quàm in illam, quæ Controuerſiis, & litibus iactatur: pæter has, alias adhibuimus coniecturas volumine 1. Anteloquio 3. ſect. 4. à num. 118.

*Circumciſio apud Iudæos an poſt Chriſti mortẽ perſeuerare potuit?* — Sotus. Vaſquez. — *Cur in diem Pentecoſtes dilatæ Chriſti & Eccleſiæ Nuptiæ?* — Ioann. 20. — Ioann. 21. 17. Suarez.

Explanatio

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus*: Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic Dilectus meus inter filios : ſub vmbra illius,quem deſideraueram,ſedi : & fructus eius dulcis gutturi meo. *Cap.2. verſ. 3.*

*Aſcenſionis Chriſti regia Maieſtas vſque in beatorum ſpirituum ſingularem ſtuporem.*

## SECTIO I.

17. *Chriſtus in Aſcenſione ſicut Malus inter ligna ſyluarum.*

MONSTRAVIMVS Sponſam,necnon & Angelorum legiones perculſas magnitudine gloriæ aſcendentis Saluatoris, cùm excelleret inſinitis laudibus comitatui vniuerſo, Malo inter ligna ſyluarum aſſimilatum:planè glorioſa ouatio, cùm regiis effulgeret ornamentis captiua turba limbo extracta :non ſic humanæ Victoriæ pompa quæ ſceptro decoros olim ſeruilibus mancipat officiis : Imperator meus IESVS famulos in diadematos tranſcribit: De Verbi carnem aſſumpturi in terras lapſu Sapientiæ Auctor cap.18. verſ.15. *Cùm nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus, durus bellator in mediam exterminij terram proſilиit.* Ergo in Olympo manſiones plurimæ, & regij quidem apparatus : Quænam principum multitudo tantas habitatura Baſilicas?nulla adhuc mortalis creatura intra Olympum, quibuſnam anticipantur aulæ ? nimirùm, reſtauraturus erat Chriſtus Angelorum æterno & miſerabili exilio vacuatas ſedes : Verùm non ſufficiebat vtcumque donaſſe honoribus, voluit & ad regium attollere faſtigium, ideo & præparauit regalem vnicuique domum : huic autem ſpectaculo nouitatis exordium attulit hodierna lux : quare demirata Angelica Natura præter triumphorum morem, nihil non dicam mœſtum in comitatu, ſed ne medïocris pompæ,coronâ ſiquidem cunctos inſigniri intuebantur, exclamabant : *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Pſalm.23.verſ.8. iſte videlicet, apud quem infimus honor regius eſt? cui ſordent Marchiones,Duces, palatini : de Sapientiæ loco ingenioſè Alcuinus ſermone de amiſſo Puero IESV: *Et ideò fortaſſe à regalibus ſedibus venit, quia in domo Patris eius manſiones multæ ſunt,& regnabunt cum illo in æternum, cùm acceperit regnum, quod paratum eſt ab initio ſæculi : vnicus enim Regis erat, ſolus regnum habuit; ſed quia ad conregnandum ſibi fratres adoptare venit, iam non à ſede regali, ſed à ſedibus regalibus venire debuit.*

Sap.15.18.

Pſalm.23.8.

Alcuin.

18. Ita pergentẽ cùm ſtupore diſcipuli intuebantur : ecce autem, *duo viri adſliterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt : Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*, Actor.cap.1.verſ.10. Sed interrogo,quamobrem non plures, quàm bini ab æthere delapſi Angeli? Sanè inter feſtiuas Seruatoris memorias, principatũ Aſcenſioni concedit Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, Oratione de Aſſumptione Ieſu Chriſti, inquiens : *Celebramus enim Chriſti Domini noſtri ſecundùm carnem Aſcenſum : quod ſanè feſtum inter Dominica faſtigium obtinet.* Iam igitur perſpiciamus, quid in Dominica contigerit Natiuitate : Scilicet Angelus ſtetit iuxta Paſtores, qui euangelizauit eis Gaudium magnum : *Et ſubitò* (addit Lucas cap. 2. verſ. 13) *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altiſſimis Deo*, &c. Ibi multitudo, hîc duo tantùm : Quamobrem non in hac, quæ principalior lux eſt, turmæ Angelorum? Equidem,vbi miraculum, vbi ſtupor, ibi beatorum Spirituum copioſior numerus : Chriſto igitur naſcente, miraculum in terris erat,quòd enim in cælo habitaret Deus nulla commotio eſt, maieſtate quippè dignus locus Empyrea habitatio : prodigium inter ſtipulas & fœnum, inter bruta iacêre orbis rectorem : deſcendebant itaque ad intuendum aligeræ cohortes confertâ multitudine : At verò, cùm ſublime cælorum ad Genitorem reuerſus peteret Saluator, tum ſtupeſcendi occaſio non in terris,ſed in conuexo : cernebant non multò antea vulneribus in cruce liuidum, & non habentem ſpeciem,neque decorem,excelliſſimis anteferri ſpiritibus : aſpectabant comitatum omnem regiis ſplendeſcere ornamentis : contuebantur ſydera & Zodiacum inclinari in aduentum Principis : igitur, ( more humano ita concipiamus, ) tantæ pompæ oſtentationi abeſſe quaſi ægrè ferebant : amandarunt ergo ex ſodalium contubernio pauciſſimos, duos videlicet ſolos : & hi ipſi paululùm inferiùs demorati cum feſtinatione auolarunt : tantum ſtudium videndi ingentem lætitiam Odo de Morin in Allegoriis Tilmanni concinnè ad cap. 1. Actor. *Nato Domino Angelorum chorus canebat : Gloria in excelſis Deo : aſcendente eo, niſi duo, apparuêre : dicamus cauſam, ſed cauſam fortaſſè deuotioni magis, quàm rationi ſeruientem : aſcendente Domino, & nouam in cælis ſpeciem naturæ ingerente, ſuperna illa Curia admirata, feſtiuo apparatu exijt ei obuiam, & Canticis ſpiritualibus laudes cecinit Triumphanti : fortaſſè idcircò tam pauci venêre, ne tam feſtis deeſſent ſolennijs : & qui venêre regreſſu celeri, nouis ſe gaudijs ſociarunt.*

Act.1.10.

Epiphan.

Luc.2.13. *In Chriſti Aſcenſione duo tantùm Diſcipulis apparent Angeli eleuato Chriſto, quaſi omnes alij ægrè tuliſſent à tanta cæleſti ſolennitate abeſſe.*

Odo de Morin.

19. Audiamus, qui conſolatum diſcipulos venerant duo illi viri in candido veſtimento, quid nuncient? *Hic Ieſus* (aiunt) *qui aſſumptus eſt à vobis in cælum ſic veniet*,&c. Auguſtinus legit : *Hic eſt Ieſus,qui aſſumptus eſt*,&c. Verùm,quorſum doceant IESVM eſſe?num ignorare poterant quocum tamdiu verſati ſunt,qui luminibus vix antè ante momentum ereptus? Sed Chriſtus in terris verſatus gloriam occultabat,& ſimilis hominibus aliis apparebat; ſubuectus in æthera,decorem induit, induit fortitudinem,& præcinxit ſe virtute; gloriæ itaque inſolitæ plenitudine velut ſtupefacti Apoſtoli,quaſi addubitabant,num ipſe is eſſet, quem dimiſerant; tanquàm ſi neceſſum eſſet teſtimonio comprobare,deſcendunt ex comitatu,qui aſſeuerent:nominatus Pater in illud Pſalm.26. *Dominus in voce tubæ*,&c. *Viri Galilæi* (inquit) *quid hîc ſtatis? Hic eſt Ieſus; quaſi illi non ſcirent, quia ipſe eſſet Ieſus : ante ſe paulò antea eum viderant; ſecum loquentem non audierant? nempè non ſolùm ſpeciem viderunt præſentis, ſed & membra contrectauerunt : ipſi ergo neſciebant quòd ipſe eſſet Ieſus? Sed admiratione ipsâ præ gaudio iubilationis tanquàm mente alienatis loquuntur Angeli; ipſe eſt Ieſus*, &c. Quid autem mirum eſt humanam obturari aciem, quando & apud Dauidem Pſalm.23.verſ.8.Angeli percunctantur: *Quis eſt iſte?* de quo Pſalmi Hemiſtichio Gregorius Nyſſenus oratione de Aſcenſione Domini : *Occurrunt ei cuſtodes & portas iubent recludi, vt in ipſis rursùm gloriam aſſequatur: Verùm, non agnoſcunt eum, qui ſordidam vitæ noſtræ ſtolam indutus eſt; cuius rubra ſunt veſtimenta ex humanorum malorum torculari:itaque rursùs comites eius vocibus illis interrogantur: Quis eſt iſte Rex gloriæ?*

Act.2.10.

Auguſtin. *Dum Chriſtus in cælum aſcendit, docent Apoſtolos Angeli, ipſum eſſe Ieſum qui triũphat, quaſi præ tanta gloria addubitaſſent:num ipſe eſſet.*

Auguſtin.

Nyſſen.

20. *Chriſtus aſcendit vt vniuerſorum Iudex,ideo tã glorioſa pompa debetur Iudiciariæ eius Poteſtati.*

Cauſam verò admirandæ pompæ opinor adſtruunt,cùm ſubnectunt : *Sic veniet,quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum* : Quando venturus ſit tali more cum verenda Maieſtatis forma, ſtipantibus latera Hominum, Angelorúmque Sanctorũ innumeris,fulgentiſſimíſque caterуis? nimirum, cùm deſcendet in ſono tubæ ſub fine ſæculorum iudicare orbem vniuerſum : iudiciariæ igitur poteſtati tantus debetur honoris exceſſus : atquin hodie ad dexteram paternam conſcendit,ſingulariter quidem vt hæc poteſtas effulgeat, vt docebamus numero duodecimo ex S.Thoma, & aliis, inſigni proinde cum lętitia ſubuectari oportebat: feſtiuè admodum Leo Magnus de Natiuitate & Paſſione Chriſti, quamobrem ſcilicet naſciturus abiectum & humile antrum elegerit,patibuli autem opprobriis & verecundię theatrum ampliſſimum ad ignominiæ cumulum : *Sed qui ſerui ſuſceperat formam*(ait ſerm.1.de Epiphania)*& non iudicare venerat,ſed iudicari; Bethleem prælegit Natiuitati, Hieroſolymam Paſſioni :* Perpende ſententiæ energiam:*Et non iudicare venerat,ſed iudicari:*Hoc eſt, propterea in tanta humilitate, qui Reorum adſcribendus turmis, & cum iniquis computandus : Nunc itaque quando mutatis temporum naturis ſedet à dexteris Patris, donec ponat inimicos ſcabellum pedum ſuorum, & Genitor omne iudicium dederit in manus illius, operæpretium exurgat in pſalterio & cithara,& omnis cælorum,terrarúmque lætitia plaudat ante eum,ſítque gloria illius,qualis non fuit vnquam à principio.

Leo.

21. In Salomonis operoſo ſacrorum ædificio diuiſæ honoris partes:exteriori in atrio omnibus promiſcuè Iſraëlitis verſari conceſſum:interiorẽ ſoli Sacerdotes exedram penetrabant : at religione eximiâ venerandum Adytum etiam Leuitarũ ordini negabatur,ſummúſque tantùm Pontifex admittebatur:Sic igitur & quod de foris & cælorum aſpectabile hoc firmamentum pennatum genus





tranſcurrit : Elyſiâ atque interiori iucunditate Beati perfruũtur Ciues ex humana, Angelicáque ſpecie : eſt verò apud Patrẽ locus ſummi faſtigij, ad dexteram nempe illius conſeſſus:Huc filio penetrare datum:non ad talem apicem Angelorum quiſpiam pertigerit,Paulo monente ad Hebræos cap.1. verſ. 3. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis,tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditauit.* Percipiamus de his allegorizantem Sinaïtam libro 2. Hexam. *Etenim in exteriori parte Templi ſtabat magna multitudo Iſraëlis; in interiorem autem ſolùm ingrediebantur Sacerdotes; in eam, quæ eſt intra ſecundum velum ſolus Pontifex : quomodo etiam in cælis inuenies : in exteriori quidem cælo, & quod apud nos eſt, in firmamento, inquam, aëreo, volucrum genera ſimul verſari, quæ ſignificant gregalem Iſraëlis multitudinem : intra firmamentum autem quod apparet, & ingredi, & degere, & ſeruire intelligentes poteſtates, & iuſtorum animas : ſuprà ſecundum cælum ( quodnam ſit autem non intelligo) hoc eſt, ſecundum velum, nemo eſt ingreſſus niſi ſolus verus Pontifex Chriſtus : Superius autem cælum exiſtimo eſſe ſinus paternos.* De huius gloriæ ſublimitate, & lætitiæ idcircò magnitudine, eloquentiſſimâ oratione Leo Papa ſermone 1. de Aſcenſione : *Et reuera magna erat, & ineffabilis cauſa gaudendi, cùm in conſpectu ſanctæ multitudinis ſuper omnium creaturarum cæleſtium dignitatem, humani generis natura conſcenderet, ſupergreſſura Angelicos ordines, & vltra Archangelorum altitudines eleuanda : nec vllis ſublimitatibus modum ſuæ prouectionis habitura, niſi æterni Patris recepta conſeſſu, illius gloriæ ſociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in filio.*

*Vt in Sancta Sanctorum intrabat ſũmus Sacerdos:Sic in ſinũ Patris ſolus Chriſtus admittitur in Aſcenſione ſua.*

Hebr.1.3.

Anaſtaſ. Sinaïta.

Leo.

*Conſcientiæ examen felicitatis & coronæ Beatorum velut pi nus quoddam.*

## SECTIO II.

22. SVb vmbra pomiferæ arboris ſediſſe Sponſa narrat, quamobrem non ſtetit, non cubauit? auram Paſtores ſub opacis captant frondibus, at reſupini; Sponſa tamen ſedet : Equidem ſedendi vox in Scripturis frequenter ad iudiciariam refertur poteſtatem : Ioelis cap. 3. verſ. 12. *Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallem Ioſaphat : quia ibi ſedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu :* Sub hac ſignificatione expoſuit Cardinalis Alliaco; inquiens : *Sub odore vmbraculi lætabunda ſedi, ſcilicet docendi auctoritate prædita, regendi dignitate ſublimata, & iudicandi poteſtate honorata :* Verùm quos iudicatura ſit Sponſa? puto quidem ſeipſam : Nam Anima iuſta, dum adhuc ſub vmbra eſt, in ſpeculo atque ænigmate longè facta à claritate Domini, denigratur à puluere humanorum negotiorum, ab æſtu concupiſcentiæ, & tentationum : opus eſt igitur ad iudicium crebrò vocare opera vniuerſa,ſiue quæ latent,ſiue quæ produnt, vt intemerata ambulet in conſpectu altiſſimi : rectè Gregorius Papa lib. 19. Moral. cap. decimo: *Vnde & ſancti omnes foris ſe, intúſque circumſpiciunt; & vel reprehendendos ſe exteriùs, vel iniquos ſe interiùs videri inuiſibiliter timent : Hinc eſt, quod animalia, quæ per Prophetam videntur, in circuitu, & intus plena oculis eſſe memorantur : Quiſquis enim exteriora ſua honeſtè diſponit,*

*Sedendi vox ad Iudiciariã ſæpe refertur poteſtatem.*

Ioel.3.12.

Alliac.

*Sub vmbra Pomi ſedet Sponſa ſeipsâ iudicatura.*

Gregor.



*ſed*

*ſed interiora negligit, in circuitu oculos habet, ſed intùs non habet:* Fiet autem, vt quæ in his perſtiterit Sponſa, audiat hilaris vocari ſe ad coronam, coniuncta eſt enim conſcientiæ examini gloriæ æternæ retributio, ad quam inuitatur Anima, quæ nunc iudicans ſub vmbra ſedit, cùm inferiùs dicitur cap. 5. verſ. 8. *Veni de Libano Sponſa, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.*

Cantic. 5. 8.

23. De his pulcherrimè vaticinatus olim Iſaias: Nam clauſtrales alloquutus, vt placuit Dionyſio Carthuſiano, inquit Religioſæ perfectionis ſtudioſis: *Et habitabit in ſolitudine, iudicium, & iuſtitia in Carmel ſedebit; & erit opus iuſtitiæ pax & cultus iuſtitiæ ſilentium:* Quorum namque eſt in ſolitudine degere niſi Monachorum? Hi igitur à tumultibus diuiſi tribunal mentis conſcendunt, ad quæſtionem vocant dicta, facta, & concupita: Sed quales examinis fructus? *Et erit opus iuſtitiæ pax*, nimirum tranquillitas Conſcientiæ, quâ nihil beatius: *Et cultus iuſtitiæ ſilentium*; videlicet & oris pariter exterior compoſitio & modeſtia in verbis, & inceſſu: nihilne vlterius? ſubdit Propheta ſtatim: *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta:* Certè ſedebit in pace: quia non ad horam Mentis tranquillitas, ſed in annos & luſtra: habitabit in tabernaculis fiduciæ, quoniam licet adhuc in huius corporis, quod corrumpetur, moratur tabernaculo, ſpem tamen habet ſingularem vitæ æternæ. O iudicij ſecreti theſaurum! ô examinis conſcientiæ mercedem! cùm, non ſolùm requies concedatur in hac vita conſopitis terroribus animam affligentibus, ſed beatæ felicitatis dulce quoddam Teſtimonium voluptate Spiritum inebriat: Tractatus de Inſtitutione Monachorum cum titulo Ioannis Hieroſolymitani, cap. 21. exponens hunc Iſaiæ locum, ait de Monachiſmo Carmeli: *Primò quidem ipſi inhabitantes ſoli, in cellis montis Carmeli, citabunt quotidie ſeipſos ad iudicium diſcernendi in propria mente ſi cogitationes accuſarent, vel defenderent eos de aliquo iniquo: Secundò, dum teſtimonium non reddebat illis conſcientia de quocumque iniquo, commendans eorum Vitam Dominus prædixit: & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, ſcilicet internæ; & in tabernaculis fiduciæ, de obtinenda ſcilicet iucunditate ſupernæ Gloriæ, & in requie mentis opulenta, videlicet, ex guſtu & contemplatione deliciarum procedentium de torrente voluptatis diuinæ.*

Dionyſ. Carth. — Iſai. 32. 16. — Iſai. 32. 18. — *Iis qui conſcientiam ſæpe diſcutiunt promittitur pulcritud. pacis & requies opulenta.* — Ioann. Ieroſolim.

24. Prodeat eximius ſcrutator Mentis Iobus: *Iuſtitiâ indutus ſum,* (inquit cap. 29. verſ. 14.) *& veſtiui me, ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo:* Quoniam enim vniuerſa circumſpiciebat acta ſua, proptereà iuſtitiâ indutum ſe aſſeuerat quòd amictus omnia operit: Sed quare iudicium iſtud Diademati comparauerit? nempe, quòd in ea ſpem retributionis æternæ quaſi fundet: Quis enim ſub huius vitæ mortalis decurſu aduerſum ſemet iudex irremiſſus eſt, & commiſſa vindicat, cùm ad æterni iudicis peruenerit ſubſellia, remuneratorem experietur, coronabitur ab eo, & non plectetur: Quod dum Iobus noſſet, fidenter atteſtatus eſt, iudicium ſibi in diadema conuerſum: Gregorius Papa libro 19. Moral. cap. 16. *Iuſtorum iudicia rectè diademati comparantur, quia per magni operis gloriam ad Retributionis ducunt coronam; vnde benè quoque per Salomonem dicitur: cogitationes iuſtorum iudicia: iuſti quippè ab omni ſtrepitu ſæculari ad Corda ſua redeunt, ibique aſcendunt tribunal mentis:* Hinc concipe de illo qui ingreſſus eſt ad cœnam genialem non habens veſtem ad morem diſcumbentium in nuptiis: Nam cùm vſu contingeret, vt qui ad ſympoſium inuitarit Dominus Conuiuij Hoſpites coronis donare aſſueſceret, vti monſtrauimus Veſtigatione 13. numero 10. pannoſus iſte tantùm non donatus eſt Coronâ, verùm cœtu hilariſſimo exturbatus, atque manus, pedéſque ligatus in exteriores proiectus tenebras, Matth. cap. 22. verſ. 13. Quamobrem tali contumeliâ affectus? arbitror, quoniam examen contempſit: audi ex ſympoſialibus regulis vnam Parœmiaſte Auctore cap. 23. Prouerb. verſ. 1. *Quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam:* Quem in finem conſideratio iſta? Scilicet, vt eo accedat cum indumento, iis cum moribus, quos Principis conuictus deſiderat, ne aut ſordidus aut inurbanus appareat: quoniam igitur diiudicare Menſæ auctoritatem quâ recubiturus erat, iſte omiſit, non coronam accepit, ſed ergaſtulo occluſus eſt malè compoſitus.

Iob. 29. 14. — *Iobus Iudicium quo ſeipſum examinabat in Conſcientiæ ſuæ tribunali, Diademati comparat.* — Gregor. — Matth. 22. 13. — Prouerb. 23. 1.

25. Sedebat in deaurato throno pretioſis lapidibus refulgente Aſſuerus, erátque aſpectu terribilis; ingreſſa vt alloqueretur Eſther Coniux, non potuit ſuſtinêre maieſtatem tantam, defecit Spiritus, & exanimata collabebatur, cùm appropinquans Monarcha extenſo blandiebatur ſceptro, aureámque Virgam poſuit ſuper collum eius, Eſth. cap. 15. verſ. 15. Huius facti myſticam expoſitionem ſuppeditat Richardus de Sancto Victore lib. 1. in Apoc. cap. 4 *Quem ego* (inquit) *in hoc loco Aſſuerus Rex ſignificat, niſi Deum? quem Eſther niſi animam? Quid ardor oculorum niſi ſuperni iudicij figurat terrorem? Eſther intuita Regem expaueſacta cecidit: & anima Deum, & diſtricta Dei iudicia contemplando, coram diuina maieſtate contremiſcit:* rectè hactenus; Verùm, quid illa ſceptri protenſio denotat, & aurea Virga collo admota? nimirum, ſecuritatem & fiduciam iis notis Eſtheri Rex pollicebatur, neque eſſe quamobrem metuere debuerit, nam & conſortem imperij volebat: Sunt quos abſterret dæmon à peccatorum recogitantia, quaſi aduocatâ ante tempus formidabili horâ diuini examinis: Verentur enim, ne ſupra modum conterriti, in barathrum deſperationis cadant: Heu quantus error! imò quidem talium exercitiorum frequentiâ ſalutis admirabilem conciperent fiduciam: Nonne intuemini, vt non ad pœnam Eſtheri Virga ſuppliciorum Magiſtra fuerit, ſed in lacteæ ceruicis ornamentum, in Regni pignus?

Richard. Victor. — *Aurea Aſſueri Virga ſuper Eſtheris collum extenta, non ad pœnam ſed ad fiduciam.*

26. Dormientibus colonis, venit inimicus Homo, & superſeminauit Zizania in medio tritici: illis ſuccreſcentibus Patremfamilias rogarunt, vt euelli peſſimũ germen ſineret: reſpuit, inquiens: *Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis, dicam meſſoribus, colligite primùm Zizania,* &c. Matth. cap. 13. verſ. 30. Quorſum differri in meſſem placuit? Nonne ſatius purgari abſque mora agrum? Sanè Aduerſarius ille Homo Tritico notam Zizaniorum inurere cupiebat, vt nimirum putarent mortales noxium & infelix ſemen eſſe, quod optimum fuiſſet, hoc autem opprobrio non liberabatur Triticum in herba decuſſis Zizaniis, quod tunc vtrumque ſimilimum appareret: impellebat Agricolam aliud inſuper: neque enim ſufficiens videbatur Triticum expurgari malignitate, niſi idipſum fieret & cum Hoſtis iniuria, & cũ inſigni quodã frumentorum honore:

Matth. 13. 30. — *Iudicium finale iis qui ſe quotidie examinant & iudicant, horrori non fore oſtenditur ex Zizaniorum parabola.*



honore: vtrumque autem ſub meſſis tempore, ſiquidem tunc vſus erat frumenta coronare florum ſertis, ſingulariter autem diademate liliorum, vt noſtrum ſubindicat inferiùs Epithalamium cap. 7. verſ. 2. *Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus lilijs:* tum quoque nos colligere Zizania in faſciculos, & ignibus tradere: Quantum id dedecoris inimico, cùm publicè damnari ſtudia ſua conſpiceret, gloriâ affici quod perſequebatur triticum? Sed accedamus propiùs ad noſtrum inſtitutum: Patres communi explanatione per meſſem diuini iudicij examen intelligunt: Quæ Meſſis conuenientia cum iudicio? nam in meſſe omnia gaudioſa ſunt, vnde de magna hilaritate Iſaias cap. 9. verſ. 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe:* iudicium verò horrorem incutit & metum, planctúmque innumeris adfert: Sanè, aliud eſt, ad iudicium pergere more Zizaniorum: aliud in Tritici ſimilitudinem: Nam improbi, quorum figura Zizanium eſt, nunquam iudicij ſpeciem ante iudicis improuiſum aduentum, ſibi obiecerunt, proptereà iudicium eis damnatio, & ſupplicium eſt: Sancti autem Tritico adumbrati Mentis continuo examine familiarem ſibi fecerunt iudiciorum normam, idcircò his non formidinis occaſio iudicium eſt, ſed coronæ & felicitatis: rectè igitur Meſſis, quæ propriè de frumento intelligitur, ſub qua triticum coronatur; iudicium repræſentat, cuius memoria iuſtis, regni & diadematis ſpem conciliat.

Cantic. 7. 2. — Iſai. 9. 3.

---

*Euchariſtiæ Sacramentum aduersùs tentationum genera omnia, munimen fortiſſimum, ſuauiſſimúmque.*

## Sectio III.

27. Pomum, quod inter ſyluarum vniuerſa excellit ligna, Seruatorem in Euchariſtia velatum Aponius, Philo Carpathius, aliíque Patrum narrant; eius tutiſſimam vmbram & mollibus blandam Zephyris, quæ tentationum æſtibus laſſatur Anima, mirum concupiſcit in modum, ſcit enim medicinam afferre languori, ſcit venenatas fugare beſtias: ô amœnam ſtationem! ô inexpugnabile Vallum! ô Sponſæ deſiderium! dicat de Arbore, dicátque de vmbra melodis vocibus Bernardus ſermone 48. in Cantica: *Solus tamen Dei Sapientia Chriſtus lignum eſt vitæ, ſolus panis vitæ, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo, ideò ait: ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: meritò eius deſiderauerat vmbram, de quo & refrigerium eſſet, & refectionem pariter acceptura; nam cætera quidem ſyluarum ligna, etſi vmbram ſolatij habent, ſed non vitæ refectionem: Non Moyſes* (inquit) *dedit vobis panem hunc de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum: propterea ergo Chriſti potiſſimum deſiderauerat vmbram, quòd ſolus ſit, qui non ſolùm ab æſtu refrigerat vitiorum, ſed & replet delectatione virtutũ.* Gradiebatur Iſraël per eremum: Dominus autem præcedebat ad oſtendendam viam, *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Exod. c. 13. v. 21. cur nube altiſſimus? vt præadumbraret Sacramentum viuifici corporis, cùm ſub integumentis accidentium apud nos in altaribus maneret: Quamobrem verò per diẽ in nube, & non cùm terras caligo opprimit? Scilicet ad refrigerandũ Nubes eſt, ſolis enim abſcondit iubar, quoniã igitur ſol per diem vrit (noctẽ quippè temperant minutæ pluuiarum ſtillæ, vnde Spõſus Hymenæi c. 5. v. 2. *quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*) probè, quod ſub diem in nube apparet: ô dies ſæculi, vbi totum eſt æſtus & conſumptio ab ignibus nequiſſimis: flamma eſt auaritia, flamma libido, flamma iracundia, & nihil non incendium, quia tentatio eſt vita hominis ſuper terram: Quis à carbonibus deſolatoriis liberabitur, Iesv bone, niſi in corporis & ſanguinis tui ſacratiſſimo abſcondatur velamento: illuc non appropinquabit malum; neque nocebit commoranti inimicus, aut filius iniquitatis: Drogo Hoſtienſis libello de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Gradere nunc nobiſcum Domine, ne deſolemur, & triſtemur in via hac, qua ambulamus; quoniam tu ipſe quondam præcedebas filios Iſraël in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem; Quæ eſt Nubes, quæ præcedit veros Iſraëlitas, niſi veriſſimum, & ſanctiſſimum corpus tuum, quòd in altari ſumimus, in quo velatur nobis altitudo diei, immenſitas Maieſtatis tuæ, cuius calorem, & ſplendorem mortalis infirmitas ſuſtinêre non poteſt, niſi mediatrix nubes interpoſita, & ardorem temperet deſuper, & tutam ſubtus viam demonſtret.*

*Malus inter ligna ſyluarũ Chriſtum in Euchariſtia adumbrat.* — Bernard. — Exod. 13. 21. — Cant. 5. 2. — *Chriſtus in Euchariſtia nubes eſt, ſed per diem quò ſolis ardores temperet.* — Drogo.

28. Quid Stephani virtute conſtantius, cùm pateretur? crepitabat ſaxorum imber in Verticem Leuitæ, & quaſi vulnerum immemor pro hoſtibus deprecabatur, inquiens: *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum*: Actor. cap. 7. verſ. 58. vndenam mortis contemptus ſonante lapidum grandine? Animaduerte: ſub pugnæ impetu, videndum ſe exhibuit Chriſtus Iesvs: *Ecce video cælos apertos,* inquit, *& filium Hominis ſtantem à dextris Dei:* Corroboratur Redemptoris præſentiâ miles inuictus: dummodò Principem contueri licebat, inanem reputabat inimicorum ſæuitiam: acutè Hilarius Arelatenſis ſermone in feſto Sancti Stephani: *Iuſtè, incunctanter offert ſanguinem ſuum, qui præ oculis habet Regem ſuum, ſimul & brauium ſuum: Vides, quod expectantis intuitus armat conſtantiam triumphantis:* Heu, quales iaculatur ſcopulos in Dei athletas impiiſſimus Satan! quibus impugnat modis! nulla vnquam præliorum feriatio: & in nocte tentat & in die, ſi orent, ſi comedant, ſi ieiunent, ſi plangant: cernas tamen ridêre impetum fortiſſimos pugiles, & quaſi imbellem, ſegnémque laceſſere ad Martis opus: Quis tam ſtrenuos reddidit? Videlicet, præſentem habent in Eccleſiarum ſacrariis, in Miſſarum Liturgiis Seruatorem mundi Iesvm, ducem & Imperatorem ſuum: ſub vmbram alarum eius confugiunt, & Deificæ præſentiæ ita roborantur obtutibus, vt quaſi cum Agno, cum Dracone ludant, qui circuit quærens quem deuoret; ô præſidium aduerſus animæ hoſtes à vera & conſubſtantiali præſentia Filij Dei ſub vmbraculis accidentium in Euchariſtia! ô arcem! ô mœnia! ô ciuitatem ſubiugari neſciam! recipe me in populum tuum, adſcribe ciuibus tuis, vt per te ſaluus fiam.

Act. 7. 58. — *Vt Stephanus Chriſti præſentiâ in agone ſuo roboratur: Sic fideles Euchariſtiâ firmantur.* — Hilar. Arelat.

29. Poſtulabat mulier Chananæa pro filiâ à dæmonio vexatâ, & reſpondit Chriſtus: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. cap. 15. verſ. 26. vrget illa: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum:* Quare pro mica ſupplicat, & non offam petit integram, aut ſaltem partem panis? communis ſenſus eſt, quaſi præ verecundia non auſam grande aliquid efflagitaſſe: Fortaſſe tamen minutâ petitione famis indicat magnitudinem, qui enim vehementer eſuriunt,

Matth. 15.

aut ſitiunt, non horrea plena exoptant, aut aquarum ſtagnantia flumina; ſed breuem lymphæ ſitulam: ita diues Helluo cùm ſiti cruciaretur immaniſſimâ, & Lazarum mitti in ſolarium deſideraſſet, petebat tamen ſolùm, vt intingeret extremum digiti ſui in aquam; vt refrigeraret linguam eius, Lucæ cap. 16. verſ. 24. in hanc itaque normam, quæ fame tabeſcebat, micam poſtulat: Nazianzenus oratione in Epiphaniam: *Qui denique Chananææ more deprimitur, ac miſericordiam implorat, & micas depoſcit, hoc eſt, Canis vehementi fame correpti pabulum.* Vides caninæ aſſimilaſſe fami, quâ aliâ nulla infeſtior! Verùm præbeamus eo verborum charactere famem indicari maximam, at quomodo in huius remedium micam expoſcit? Nam ſicut magna incendia exiguis aquarum guttis non conſopiuntur, ſed creſcunt magis: ita inſignis fames breui alimoniâ acuitur magis, quàm refoueatur; ſtultum itaque eſt micam depoſtulaſſe: Verùm Tu conſidera, quid myſticè Panis ille denotaret, nimirùm ſacratiſſimum Domini Chriſti corpus: perpende inſuper diligentiùs quem in ſcopum pro pane magis quàm pro alia aliqua eſca mulier Chananæa rogauerit nempè, vt à dæmone liberaretur filia: Si igitur ouum aut piſcem concupiſceret, forſitan deſideraſſet integrum, quia non parte oui, vel piſcis dæmon ſuperatur: ſed ô viuifici Sacramenti poteſtatem! Mica illius quæuis ſatis eſt ad famem quamcumque depellendam, ad dæmones fugandos, terrendóſque; ideò prudens fœmina exiguo fruſtulo contenta: Quid turbaris Chriſtiane, quid formidas ad tartareæ Beſtiæ minas? comede ex hoc pane vitæ, eiúſque in virtute profligabis aduerſarium, ſuperabis tentationes.

*Solam Panis micam petit Chananæa; Euchariſtiam intellige.*

Nazianz.

30. Neque ſatis eſt Beatiſſimæ Menſæ huic arma ſuppeditaſſe contra eos qui tribulant nos: ipſam tentationem, ipsúmque errorem vertit in medicinam, atque ſalutem: Venêre ab Oriente Magi, percunctantes de recèns edito in vitam Iudæorum Rege: excitati, vt veſtigarent à fulgentiſſimi ſyderis claritate, ductauit & per viam: Qua de cauſa ſtellæ docentur iubare? cur non alio eruditi præceptore? nimirum, errandi occaſio ſtella fuerat, quòd diuinitate prædita crederent aſtra, & humanis dominari rebus, voluit igitur ſcientiam ingerere per ea, quibus ſeducti fuère: Chryſologus ſermone 157. *Quare Magi, quare ſtella? vt per Chriſtum ipſa materia erroris ſic fieret cauſa ſalutis, quemadmodum per Chriſtum mortis cauſa facta eſt cauſa vitæ: Hoſtem proprio mucrone turbare, ſingulare eſt inſigne virtutis:* Sed quamobrem, cùm alios conuertit, exempli gratiâ Matthæum, non etiam per telonium ad ſe adduxit, vt erroris materia Animæ ſubminiſtraret valetudini? Chriſtus recèns editus in Bethleem iacebat, quæ domus panis interpretatur, quâ Menſa Euchariſtica delineabatur, vt Gregorius monet homilia 8. in Euangelia: vt igitur, quale ex hoc Conuiuio munimen oportêre Chriſtianos ſperare contra dæmonum nequitiam, oſtenderet; non fuit ſatis inimici liberare inſidiis, & laqueos diſſipare malignitatis, niſi & ipſum tentationis fomentum, aſtri videlicet ſplendorem, in remedium, atque ſalutem verteret: idcircò per ſtellam vocauit, quoniam ex Bethleem accerſiuit.

*Chriſtus per ſtellam aſtrorum adoratores Magos ad ſe vocat in Bethleem j. domum panis, Euchariſtiæ figuram, ſcilicet & tentationes in ſalutem conuertit.*

Chryſolog.

Gregor.

31. Chriſtus horâ ſextâ paſſus eſt in ligno: quare non aliâ diei horâ, aut ſub ortu lucis, aut ſub occaſu? nimirum prandij hora illa eſt, câque in Paradiſo Adamus de vetito guſtauit pomo; volebat autem Seruator tum recuperare humanum genus, quando per Protoplaſtum infectum fuit: Procopius Gazæus ad cap. 3. Geneſ. *Chriſtus amaram paſſionem paſſus eſt illis ipſis horis, quibus Adam edit, ſcilicet ab hora ſexta vſque ad nonam: Adam horâ ſextâ vetitum cibum in ilia dimiſit; eſt enim ea hora quaſi certa regula Hominibus conſtituta, vt cibum capiant:* Hoc nos ſic interpretamur: Adam prandendo ex negatæ arboris fructu Mortalibus, quas patiuntur calamitates attulit, nam ſtipendium peccati mors: inde perturbata voluntas, inde obcæcatus intellectus, inde ſuperbiunt caro, & mundus, atque infernus contra nos: Dum igitur ad ſalutem & prandij horam Redemptor eligit, intimare cupit vnius prandij damna alterius prandij beneficio redintegranda eſſe. O quale hoc prandium, amantiſſime Iesv, niſi cùm Tu filius accreſcens, pulcherrimus Ioſeph in meridie cum fratribus accumbis! Geneſ. cap. 43. verſ. 25. ô vos filij Adæ, quos graue iugum paternum onerat, venite ad prandium iſtud, & comedite, & inebriamini de genimine vitis huius, & inuenietis requiem animabus veſtris: Nonne videtis, quas de huius prandij ſuauitate laudes Sponſa intonat? *Et dulcis* (inquit) *fructus eius gutturi meo.*

Procop. *Adam horâ prandij peccat, Chriſtus eadem prandij horâ nos redimit.*

Geneſ. 43.

---

*Chriſtus, tum ſingularis, & fidiſſimus auxiliator, cùm maximo in diſcrimine verſantur res mortalium.*

## Sectio IV.

32. Mali vocabulo pulcherrimam innui arborem, quòd inter ſilueſtria natum ſit ligna ex trita opinione ſuggeſſimus, & Origenes manifeſtus Patronus eſt hom. 2. ex duabus: *Omnia ligna* (inquit) *omnes ſyluæ arbores ad comparationem ſermonis Dei ſyluæ inferaces exiſtimantur; ad Chriſtum ſaltus eſt omne, quod dixeris, & infructuoſa ſunt omnia; ideò vt Malum in lignis ſyluæ, ita fratruelis meus in medio filiorum:* Sed quis bonus arboris iucundiſſimæ Sator, qui montium exilio, & neglectis honoribus donauit, cùm meruerit cultiſſimo in viridario Principum verſari ad delicias? Fortaſſe miſeratus eſt Nemoris, quod ſpecioſum nihil in eo conſurgeret, omníque deſtitutum pulchritudine, elegantiſſimis conſolari frondibus voluit: certè, quem Allegoria deſignat Iesvs dulciſſimus, talis eſt, qui extremis libentiùs opituletur malis: nihil vernans, nihil concupiſcibile, nihil lætum, nam lucum vndequaque ſylueſtria occupauerunt, & tamen ibi Chriſtus Iesvs, vt decorem infauſtis conciliet iugis, maledictas exornat arbores: ô mũdis contrariam naturam! cùm labor vrget & infelicitas, abeunt ſodales: Iesvs ſub calamitate blanditur magis, & quò triſtior ruina, plus indulget. Vidiſti in ſyluis, aſpice venientem in nocte: *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia,* (Sapientiæ c. 18. v. 14.) *& nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cælo à regalibus ſedibus proſiliuit:* Vtique veniebat ad nuptias, quæ per Incarnationem, ac propterea tanquam Sponſus procedens de thalamo: ibat gaudioſus & proſper exultabat vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, ſed tamẽ in medio noctis progrediebatur: *Mediâ autem nocte* (inquit Matth. c. 25. v. 6.) *Clamor factus eſt: ecce Sponſus venit, exite obuiam ei:* quare nõ in prima vigilia, aut in quarta? Sanè, quẽadmodum Phœbo lucente ſplendidiſſima claritas eſt, & qua cuncta illuſtrantur ſub meridie: ita circumfuſo mundo tenebrarum caligine, ſub noctis medium denſiſſimæ incumbunt vmbræ: quò verò ſpiſſior eſt caligo, exoptabiliores tunc luminis radij: Quoniam itaque Chriſto mos tum imprimis ſubueniſſe, cùm ſuprema inſtat neceſſitas; ideo faces geniales, & tædas in lucem nocturnam profert, cùm exigeret maximus tenebrarum horror: Spiritaliter verò intellectio eſt de peccatorum opaca nocte: Quando igitur ſeneſcens orbis ſub craſſiſſima verſaretur ignorantia, tunc Verbum Caro factum, vt illuminaret ſedentibus in vmbra mortis: Alcuinus ſermone de amiſſo Puero Iesv: *Peccatum ad ſummum incrementum venerat, quaſi nox in ſuo curſu medium iter habebat: Vide igitur ordinatiſſimum diuinæ diſpenſationis conſilium: Quando omnis recuperandæ ſalutis ſpes perierat, peccatum ad ſummum venerat; tunc omnipotens ſermo liberandis mittitur, vt amplius diuinæ gratiæ munus commendetur.* Et propè in eandem ſententiam loquens de aduentu Chriſti Incertus Chryſoſtomus, in illa: *Cùm natus eſſet Ieſus in diebus Herodis Regis,* &c. nempè, quòd ſub alienigena Monarcha, non vt olim conſuetum, Prophetæ deſtinati, verùm æternus Dei filius, ſub humano exuuio: *Quamdiu* (inquit) *gens Iudaica, quamuis ſub peccatoribus, tamen Iudaicis Regibus tenebatur, Prophetæ mittebantur ad remedium eius: qualis neceſſitas, tale auxilium: Nunc autem, quando lex Dei ſub dominatione Romana premebatur, naſcitur Chriſtus, quia magna, & deſperabilis infirmitas Medicum artificioſiorem quærebat,*

Origen.

Sap. 18. 14. *Chriſtus in media nocte, j. cùm Mundus in vmbra mortis ſederet, de cœlo à regalibus ſedibus veniet.*

Matth. 25. 6

Alcuin.

Incert. Chryſoſt.

33. Sedebat ad menſam genialem in Cana Galileæ Iesvs cum Matre & diſcipulis: deficiente vino Genitrix interpellat, inquiens, *Vinum non habent:* Viſus filius, quaſi Matris non excepiſſe benignè petitionem; reſpondit quippè: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea:* Ioan. cap. 2. verſ. 4. Quare nondum? nonne dulcis hora conuiuij, qua Matrem agnoſcas & honores? Quando igitur veniet hora illa deſiderata, qua glorifices eam, quæ te vtero portauit? diſcamus ab Auguſtino tract. 8. in Ioannem: *Sed ne putes, quod te negem Matrem, nondum venit hora mea: ibi enim te agnoſcam, cum pendêre in Cruce cœperit infirmitas, cuius Tu mater es:* ergo in vitæ exitum differt Matrem condecorare; tunc laudauit, tunc conſolatus eſt inter dolores, & opprobrium: Ambroſius libro de Inſtitutione Virginis c. 7. *Teſtatur de Cruce Dominus Ieſus, & pauliſper publicam differt ſalutem, ne matrem inhonoram relinquat: ſubſcribitur Ioannes in teſtamento Chriſti: legatur Matri pudoris defenſio, teſtimonium integritatis: legatur & diſcipulo Matris cuſtodia, pietatis gratia commendatur:* Sed cur in hanc periodum ſigillatim diſtulit? Sanè, quod in Conuiuio ad blandiretur, inter hilaritates & gaudia, haud omninò pietatis nobile indicium, quippè & Homines ſæculi ridente fortunâ Amicis obſequuntur: Quando igitur Seruatoris erga Matrem charitatem enitêre decebat? Equidem premente calamitate: atquin ſub patiendi temporibus aufugêre diſcipuli, vacillauit Petrus, infremebant Iudæi, Genitrix in orbitate: Quoniam itaque ad Iesvm ſpectat fractis & penè deploratis rebus ſuccurrere; qui inter conuiuia, atque epulas duriori ſermone reſpondiſſe videbatur; cæteris ob aduerſitatem recedentibus, cùm inſtaret neceſſitas, benignè conſolatus eſt, ſubſtituto in filij vicem Ioanne.

Ioan. 2. 4. *In Nuptijs Canæ nondum venerat Chriſti hora, quâ ſua in matrem pietas magis elucere debebat.*

Auguſtin.

Ambroſ.

34. Seminauerunt famuli bonum ſemen, Tritici videlicet granum, in agro Patrisfamilias; ſed ecce; vt noua Herba erumpere cœpit, aperuit & Zizanium: demirati ſerui Herum adeunt, percunctantur: reſpondet ille: *inimicus Homo hoc fecit.* Matth. cap. 13. verſ. 28. At obſecro, quis nunciauit Villico ab aduerſario ſuperſeminatum Zizanium? Numquid enim non ſuprà Euangeliſta aduerterat, cùm dormirent Homines, Hoſtem irrepſiſſe? Verùm & tum Herus dulces captabat etiam ſomnos, neque enim niſi poſt dominorum quietem lecti ſolatio feſſa membra fideles refouent ſerui: totâ igitur ſoporatâ domo, à quo perſpectus eſt inimicus? ô Patremfamilias æternis euehendum encomiis, cuius in vigilando tanta eſt diligentia; ipſe hoſtem vidit, ipſe Satanam contuitus eſt: Siquidem perſuadebat ſibi venerandus Agricola exigui eſſe meriti, tunc inimici obſeruaſſe fraudes, cùm omnes expergiſcebantur, & neminem latebat: Quando igitur ſeminibus diſcrimen impendebat? nimirùm, cùm familiæ vniuerſæ oculos ſomnus clauderet: tunc itaque, cùm periculi vehementiſſima occaſio, inuigilat Herus: ô Imperator noſter fortiſſime Iesv, niſi in ſummis periculis tu vigilaſſes ſollicitus, nobis in vtramque aurem ſtertentibus, fuiſſemus planè quaſi Sodoma & Gomorrha: Tu vnicum leuamen, Tu ſpes ſecura: nam tum ſingulariter opitularis, cùm vniuerſi deſtituunt: Chryſologus ſerm. 97. *Eſto, quòd dormierint ſerui, numquid & Dominus dormiebat? eſto, quod oculos ſeruorum ſopor clauſerit poſt laborem, numquid & dominantis oculos vlla vicerit laſſitudo? Inimice, lucis refuga, laboraſti, ſed non latuiſti: Nam dormientibus ſeruis, Dominus ipſe te vidit.*

Matth. 13. 28. *Dormientibus famulis vigilat bonus Paterfamilias, & inimicum ſuperſeminantem Zizania nocte obſeruat.*

Chryſolog.

35. Poſtquàm in vinea laborauerunt conducti operarij, accedentes ſub veſperam, vt ſudorum mercedem reportarent, iuſſit Dominus vineæ Procuratori, vt inciperet à nouiſſimis, qui ſub horam vndecimam introgreſſi fuêre; iuſsítque denarium accipere ſicut qui primo manè ad opus accincti ſunt, & portauerunt pondus diei & æſtus: neque illi tacuerunt, nam apud Patremfamilias conqueſti, pares euaſiſſe, qui vnâ tantùm horâ laborarunt: At nonne quidem recta indignationis cauſa? cur enim ſimili afficiantur præmio ſudoribus, & gloriâ inæquales? Verum ô conſiderate fortes operarij, nihil veſtris coronis detractum, quod enim debitum erat, retuliſtis: quòd ſi diues in miſericordia erga nouiſſimos optimus Dominus, congratulari oportebat ſociis, & non ſubſtomachari? An ignoratis vineæ magnæ poſſeſſorem ampliùs indulgere vbi ſuperabundat miſeria, atque neceſſitas: cùm igitur miſerabiliores reliquis eſſent, qui circa horam vndecimam venerunt, eóſque ſæuior premeret egeſtas; cui mos eſt grauiori calamitate oppreſſis largiùs ſuccurrere; præ cæteris indigentes conſolatus eſt abundanter: Auctor operis imperfecti homilia 34. in Matthæum: *hoc loco ſecundum rem quidem erat, vt primi priores acciperent ſuam mercedem: ſed, vt oſtendat Deus ineffabilem miſericordiam ſuam, primùm Nouiſſimis & indignioribus reddit mercedem, poſtea primis; ita nimia miſericordia ordinem non aſpexit.*

*Quòd reliquis miſerabiliores forẽt qui circa horam 11. ad vineæ labores vocati ſunt, ijs & æquale præmium & prius cæteris datur ab optimo Patrefamilias.*

Imperfect.

# VESTIGATIO XX.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum quartum & quintum Capitis ſecundi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus :* Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. *Cap. 2. verſ. 4. & 5.*

*Ex vino integrum Conuiuio nomen : Connubialis Ritus, vt prægustatam phialam vxor nouo porrigeret Marito : quem id in finem? Dauid bis enucleatus; Matthæus ſemel, itémque Lucas : Philoteſius Crater qualiſnam? Amicitia ex conuictu : Ordo in militaribus, firmitudo Caſtrorum : Amoris exercitus robuſtiſſimus: Ioannis enodatio : Procorum bellicis contentionibus emptæ Sponſæ : Actorum locus & Pauli : latrunculorum ludus militarium idea certaminum : ex Sapientiæ libro verba.*

### SECTIO I.

1. MIRA introductio honeſtiſſimæ Virginis in apothecam Vini : quem enim in ſcopum? ad compotandum ſi Deo placeat? Sed halitum Lyæi Matronæ graues vix ſuſtinent, nedum toleret moderatiſſima Puella; quamobrem ſanè rectius per *cellam*, ſiue vt LXX. exponunt, per *domum vini* Triclinium concipiamus ſolemnibus deſtinatum epulis, quale eſſe primum geniale epulum conſueuit, vt glorietur nimirum Sponſa, concupitam ſummis deſideriorum votis aduentaſſe lucem, & conuiuio frui datum, quod honoris, quod voluptatis pleniſſimum, quod firmum attulerit coniugio nexum : & huius ſanè opinionis fautor Adamantius homilia 2. ex duabus clariùs autem libro 4. Homiliarum, diſcurſu 3. *Sponſæ* (ait) *verba adhuc ſunt, ſed ad amicos, & familiares Sponſi, vt arbitror, diriguntur : à quibus videtur expoſcere, vt introducant eam in domum lætitiæ, vbi vinum bibitur, & epulæ parantur : quæ enim iam viderat cubiculum regium, deſiderat etiam nunc regale introire conuiuium, & frui vino lætitiæ.* Eandem propè in ſententiam Ambroſius lib. 5. de Sacram. cap. 2. *Induxit me Rex in cubiculum ſuum : Græcus, in promptuarium ſuum, & in Cellarium ſuum habet : vbi bona libamina, vbi boni odores, vbi mella ſuauia, vbi fructus diuerſi, vbi epulæ variæ, vt plurimis epulis tuum prandium condiatur :* Quod autem de vino ſolùm fiat memoria, cùm ciborum diuerſitate pariter Menſæ inſtructæ, idcircò contingat, quoniam in lætitiæ, & hilaritatis gratiam Conuiuiorum ſplendidior luxus : at vinum eſt, quod exhilarat animos, ſine quo dapes iniucundæ: quare Pſalmodus cùm ex humano ſympoſio æternas, ſpiritaléſque exponeret epulas beatorum ciuium, latice declarauit : *Inebriabuntur* (inquit Pſalm. 35. verſ. 9.) *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos :* Et de exhibito fratribus conuiuio à Ioſepho, Geneſ. cap. 43. v. 34. *Biberúntque, & inebriati ſunt cum eo.* Lege ſuperiùs Veſtigatione 13. num. 6. quemadmodum ex Græcorum, Hebræorúmque vſu à compotando ſympoſij locus nominatus.

LXX. *Cella Vinaria .j. Triclinium.*

Origen.

Ambroſ.

*Vinum in Conuiuijs præcipuum.*

Pſal. 35. 9.

Geneſ. 43. 34.

Sin autem ſtrictè cellam vinariam doceamus locum eſſe, quo Bacchi reconditur munus ſimul cum vaſis, quæ compotationi deſeruiant, ſeu canthari, ſeu crateres & mille poculorum formæ, intromiſſam Sponſam propterea colligemus, vt ex nuptiarum ritu, ſcyphum eligeret materiâ & ingenio egregium, quo Sponſum donaret, & vinum licet non potaret, in Sacramentum tamen fœderis coniugalis libaret primo ore, leuiſſiméque deguſtatum, Sponſo exhauriendum tranſmitteret : Athenæus libro 13. Dipnoſoph. cap. 5. de accita coram riualibus Odadite à Parentibus ad epulas : *Nos, inquit, Odati, nuptias tuas nunc facimus : Omnes Tu circumſpice, & contemplator : auream phialam vino plenam ſume & ei trade, quem tibi maritum optas : illius eſſe coniugem te proclamabimus.* Eodem capite memorat ex Ariſtotele de Republica, Maſſilienſium parem in coniugiis ineundis modum : *Sic porrò fieri nuptiæ conſueuerant : poſt cœnam Virgo intrabat : temperatámque phialam porrigebat, cui vellet ex adſtantibus procis; cui tradidiſſet, is Sponſus erat.* Cauſabonus animaduerſionibus in hanc Athenæi Narrationem, à ſocero phialam munere datam Sponſo memorat ex Pindaro in 7. Olympionicarum : credo hunc eſſe calicem quem Himmerius Sophiſta Scyphum nuptialem appellat (ex Photij Bibliotheca pag. 1115. Epithalamio, cuius eſt ad Seuerũ Præfatio, aiens: *Fortunæ, & Cupidinibus, & generalibus dijs vota faceremus; his vt ad extremum vſque ſagittas vibrarent; illi, vt vitam daret; tertijs denique, vt legitimæ prolis generationem largirentur; vt vnâ cum ſcypho nuptiali & curam de natalitijs adhiberemus.* Aquam mulſam propinatam futuro Marito à Sponſa ex phiala, ſingulari ex Hiſtoria Cammæ & Sinotricis Plutarchus docet ſermone, ſeu diſputatione amatoriâ prope finem : hac de materia eruditè noſter Sanctius in illa cap. 8. Canticorum : *& dabo tibi poculum ex vino condito*, &c. num. 19. vbi ex Hebræorum Rituali narrat, in Connubiali fœdere benedici calicem à ſacrificante, & tradi viro, Puellæque nupturis, quem deguſtent : fortaſsè in hæc alludat Pſalmus 15. verſ. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi :* ſcilicet piæ & religioſæ menti pro ſubſtantia, & diuitiis Numen eſt, ideo Hæreditas : idémque pro dilectiſſimo Sponſo, & Marito, propterea, calicis pars, quòd ſcyphus nuptiarum pignus fuerit. Apud Macedonas autem noui coniuges de eodem comedebant pane; vnde Curtius de Alexandri cum Roxane Matrimonio, lib. 8. inquit : *Et Rex medio cupiditatis ardore iuſſit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones ſanctiſſimum coëuntium pignus) quem diuiſum gladio vterque libabat.* Apud Athenienſes verò Sponſa cum Sponſo concludebatur, vt malum Cydonium cum eo voraret, vt perhibet in Solone Plutarchus; quod, quamobrem fieri iuſſerit, idem in præcæptis Connubialibus exponit; forſan eiuſmodi pomum, de quo nuperrimè Sponſa collaudans, aiebat; *Et fructus eius dulcis gutturi meo;* quòd manderet ſimul cum Sponſo ex lege nuptiarum de eodemmet pomo; cuius poſt eſcam, proceſſit, vt calicem libans Marito porrigeret eandem ob cauſam, atque ideo ſubiunxit pomorum eſui prælibationem Scyphi genialem; & proinde introductam ſe in cellam vinariam, ſeu in domum vini ſuggerit.

2. *Sponſa nouo Marito prægustatam pateram porrigebat.*

Athenæus.

Idem ex Ariſtot.

Cauſabon.

Pindar.



Phot. Himmerius.

Plutarch.

Sanchez.

Pſalm. 15. 5.

*Noui Coniuges de eodem comedebant pane.*

Curtius.

*Malum Cydoniũ Sponſis incluſis diuiſum.*

Plutarch.

3. Quem autem in ſcopum præmeditati huiuſmodi ritus? Curtius paulò antea citatus, de pane quid ipſe ſentiat, monet inquiens : *Credo eos, qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe iungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent:* optima omnium viſa mihi eorum cogitatio, quibus ſentẽtia eſt, Panis & vini communione, eiuſdemque alimoniæ ſocietate, Amicitiæ perfectiſſimum indicari vinculum, quæ parata ſit in omnem cum ſocio fortunam deſcendere, vt nec læta, nec triſtia diſſipent. Quare Athenæus Dipnoſoph. lib. 5. cap. 1. *Videtur autem Vinum* (ait) *ad conciliandam, alliciendámque amicitiam vim quandam habêre, vt quod animum diffundat & calefaciat :* Hinc celeberrimum poculum ſcyphi cum Bacchoad fœdera ineunda, qui idcirco noto vocabulo dicebatur Κρατὴρ φιλοτήσιος, de quo plurimus Eraſmus in Adagialibus : & propinationem, quâ fœdus iniebatur, *philoteſiam* appellat Iulius Pollux Onomaſt. lib. 6. cap. 6. venuſtum eſt, quod ex Ægidio Corrozeto noſter refert Cauſſinus Polyhiſtoris ſymbolici lib. 3. n. quinquageſimo ſecundo, Philippum Auguſtum Francorum Regem, anno ſalutis 1214. contra Othonem Imperatorem pugnaturum, buccellas panis vino tumentes aureo in diſco optimatibus propinaſſe: *Bibite ex hoc, exclamabat : commune aut laudatiſſimæ mortis, aut victoriæ poculum erit :* nimirum, quamcumque ſubire aleam oportebat ex eodem potantes calice : ita cùm filiis Zebedæi regnum procuraret Mater, ſignificaturus Chriſtus, & in mortem pariter, ſocios eſſe decêre inquit : *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Matth. c. 20. verſ. 22. Amicitia ſyncera in vtrumque parata eſſe debet : at idem Dominus Chriſtus, cùm erga diſcipulos intimum affectus nexum demonſtraret, menſæ comparticipationem ſubinnuit: *Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo,* Lucæ cap. 22. verſ. 29. conqueſtus & apud Dauidem, quòd, qui in eadem paropſide intingeret, dolum machinatus fuerit; Pſalm. 54. verſ. 14. *Tu verò Homo vnanimis, dux meus, & notus meus : qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.* Sic & Telamonis cum Hercule arctiſſimam ſocietatem ex menſæ eiuſdem contubernio Theocritus inſinuat, Idillio 13. quod inſcriptum *Hylas*:

Athenæus.

*Crater Philoteſius qualis.*

Corrozet.

Cauſſin.

*Idem Poculũ eiuſdem aleæ & diſcriminis ſymbolũ.*

Matth. 20. 22.

Luc. 22. 29.

Pſalm. 54. 14.

Οἳ μίαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τράπεζαν.

*Qui ſocij exiſtentes ambo, eandem ſemper ad menſam cœnabant :* de ouicula illa Paſtori chariſſima, Reg. 2. cap. 12. 3. *De pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens: erátque illi ſicut filia.*

Theocrit.

2. Reg. 12. 3.

4. Igitur ſi vini conlibatio inſtituta generatim ad concordiam ſanciendam, ad fœderis immortalitatem; cùm in Matrimoniali vita nihil optatius perenni coniugum affectu in idem conſpirantium ſublatis altercationum diſſidiis; vt æternam futuram pacem Sponſa innuat, docet introductam ſe in domum vini, vt ex ſcypho nuptiali induraturæ amicitiæ pignus ſimul cum Sponſo eodem guſtaret de liquore : Quoniam verò ſacramento inici fœderis obſtringebatur, non ad ſolius lætæ fortunæ euentus, ſed multò magis ad caſus aduerſos ferendos hilari vultu, ſubiecit ſtatim : *ordinauit in me charitatem*; vbi verbum militare diſpoſiti agminis, ac proinde ob ordinem inuicti, clari multi annotarunt interpretes; vt quàm ſit ſtrenua compacta militia, tam ſit futurus Amor eius robuſtus contra fortunæ ludibria: ſingulare eſt, quod de Germanorum Tacitus refert moribus, cùm nuptias diſponunt : *Dotem* (inquit) *non vxor Marito, ſed vxori Maritus offert : interſunt Parentes, & propinqui, & munera probant, munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus noua nupta comatur; ſed boues, & frænatum equum, & ſcutum cum framea, gladióque : in hæc munera vxor accipitur, atque inuicem ipſa armorum aliquid viro offert.* Quorſum vero vtrinque data, acceptáque arma, declarat ſtatim : *Ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extráque bellorum caſus putet, ipſis incipientibus Matrimonij auſpicijs admonetur, venire ſe laborum, periculorúmque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram, auſurámque: hoc iuncti boues, hoc paratus equus, data arma denunciant :* Quemadmodum ergo datis, receptíſque inuicem iiſdem muneribus, ſignificabant parem futuram Nubentium conditionem ſeu bella ipſa minentur, nec degenerem Marito vxorem vel ſæuiſſimis in periculis : ita ex Iudæorum ritu de eodem compotantes Scypho noui coniuges, ſpondent firmiſſimos amicitiæ nexus, quos nec certaminum vis diſſoluat, in quæ parata ſit Sponſa; cuius propterea ordinata Charitas cenſeatur.

*Connubiale fœdus in vtramque fortunam.*

Tacit.

5. Porrò, cùm in Hebræo nomen ſit, quod originem trahat à verbo דֶּגֶל *Deghel*, quo vexillum exponitur, à plurimis idcircò recepta Tranſlatio, quæ vertit *vexillum eius ſuper me Charitas, ſiue Dilectio :* ea de re doctè pertractat Giſlerius expoſitione 1. in verba iſta; *ordinauit in me charitatem:* certè haud incongrua lectio, neque ab ordinaria

Hebr.

Giſlerius.

*Ordo in militia & exercitu quàm neceſſarius.*

diſſentiens, ſi quidem vocem ordinandi ex caſtris mutuatam intelligere placeat: Omnis enim caſtrorum ordo ſitus in ſignorum & vexilli propinquitate, ab his enim diſcedens vel paſſum vnum extra lineam vbi ſigna, ordinem perturbaſſe cenſebatur, quod maximum in Bello piaculum, morte namque caſtigabatur militis audacia; vide Lipſium libro 4. de Militia Romana, cap. 4. iam verò quem lateat, quantum in prælijs adiumenti Victoriæ afferat conſtipari turmas, & ordinem, locúmque ſeruaſſe? miraculi penè inſtar ſit fugari rectè diſpoſita agmina: Quamobrem nihil antiquius fuiſſe Lacedæmoniis, quàm vt ne ordinem perturbari ſinerent docet Pauſaniæ Meſſenica; quod ipſum de Spartiatis memorat Plutarchus in Pelopida, inquiens: *Quamuis rei militaris omnium Spartiatæ peritiſſimi, & ſummi Artifices; nulla in re æque laborabant, ac ne diſſolutis ordinibus inconditi fluctuarent*: ea de materia Flauius Vegetius libro 1. de Re militari, cap. 26. cuius illud effatum eſt de pugna lib. 3. cap. 14. *Si imperitè diſponatur, quamuis optimi bellatores ſint, malâ ordinatione franguntur*: Iulius autem Frontinus libro 2. Stratagematum, cap. 4. à numero 12. multis confirmat exemplis, vti confuſo acierum ordine, protritæ ſunt: Naturâ Magiſtrâ hauſêre & bruta Animantia: militari penitùs normâ Delphinos flumina tranſnatare ſcribit Ælianus libro 10. de Animalibus cap. 8. de muribus, cùm ex Ægypto fugam meditantur, parem tradit induſtriam lib. 6. cap. 41. eámque formidabiles ob cauſam Elephantos Leonibus eſſe narrat lib. 7. cap. 36. Quando igitur ordinatam charitatem ſignificat; ſtrenuam, robuſtámque innuit: ô præclaram ordinis virtutem! ô firmam Sponſæ dilectionem, quæ fundata eſt ſupra petram, & neque altitudo, neque profundum, non mors, non inferorum Erynnes poterunt ſeparare à charitate, quę eſt in Chriſto I e s v.

Lipſius. Plutarch. Vegetius. Frontin. *Ordinem etiã brutas Animãtes docuit Natura.* Ælian.

6. *Habet Amor ſua caſtra, ſuam militiã.*

O Sponſi ſapientiam! vt Sponſa nunquam metueret, iuſſit ſub Amoris ſigno militare: eſt namque Dilectioni puluis caſtrorum, & agon, ſuáſque ducit cohortes: Athenæus lib. 13. cap. 2. ex Chæremone Poëta Tragico, in Saucio de Amantibus:

Athenæus. Chæremon.

*Illos enim oportet veluti milites, paratiſſimos*
*Eſſe, ferréque maximè poſſe laborem corporis*
*In rerum difficultatibus oculatos, miſeriarum patientes.*

Egregius Amator Paulus, ſed miles idem; ſingularis Bellator tamen, cùm ſine humanis inſtrumentis: *Nam arma militiæ noſtræ* (inquit 2. Corinth. cap. 10. verſ. 4.) *non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum*: Fateor ex Marte periculum; ſed quem Amor ſtimulat, quid metuat? nihil Amoris legione robuſtius: Ælianus de varia Hiſtoria lib. 3. cap. 9. *Quis cum Amatore, qui ipſe non amet, cùm pugna committenda, ferrôque de rebus decernendum eſt, manus conferat? Nam expers amoris fugit & declinat ſemper Amatorem tanquam profanus, nec initiatus numini: tantúmque audet, quantum & animo valet, & corporis rebus pollet: extimeſcit autem illum alterum, quaſi diuino furore correptum, & non ſolùm à Marte, quod quidem commune eſt, verùm etiam ab amore concitatum: Nam qui ſolùm ab altero horum Deorum ſunt concitati, quorum vnum perinde ac Martem Homerus dicit graſſari, cùm vnum ſolum Numen habeant, rectè, benéque pugnant tantùm, quantùm animi poteſt ſemel vnum per ſe numen ſuppeditare: Amoris verò miniſtri pugnantes & Mauortio impetu, & amoris ardore ſtimulati, cùm duplicem cultum, ac Numen ſuſtineant, non iniuriâ dupliciter quoque egregios, ac fortes ſe præſtant: Non igitur quiſquam reprehendet, ſi armatus aliquis ſolùm ab vno Deo pugnans, non à duobus; alteri, quem Mars ſimul & Amor ad pugnam iuuant, ſe opponere dubitet.* Proferamus Athenæum nec minùs dilucidè ſcribentem libro 13. cap. 2. *Lacedæmonij ante inſtructas acies Amoris rem diuinam faciunt, quòd in militarium ordinum amicitia, ſita Victoria ſit, & ſalus: Cretenſes ad conflictum iam expedito milite, ex ciuibus fortiſſimos diligunt, qui Amorem inuocantes, ſacris operentur, vt ſcribit Soſicrates: Quam apud Thebanos ſacram cohortem, aut turmam vocant, ex ijs conſtat, qui amant, & amantur: in eorum virtute atque fortitudine Dei profectò Maieſtas eluceſcit, cùm decoram ij mortem, turpi, ac probroſæ vitæ anteponunt*: Quemadmodum verò Amor imbecillibus licet, timidíſque animis fortitudinem inſpirat, mortíſque reddat contemptores, quos inflammat ſemel, idem commonſtrat dicti libri. cap. 8. Ælianus ſæpe, & Hominum & ferarum exemplis edocet Hiſtoria de Animantibus libro 4. cap. 1. lib. 6. cap. 44. libro 3. c. 46. Si in tanta ſæcularis audet Amor, & fugitiuæ voluptatis: quid de entheo & ſacrato cenſebimus? Quare diuinè imprimis contra vniuerſam orbis faciem miſſurus Dominus I e s v s, vilem & exiguam Bellatorum manum, è reti & cymbula vocatos piſcatores, futuri exercitus ducem Simonem Petrum, ſeriò examinauit de charitate *Simon Ioannis diligis me?* Ioannis c. 21. verſ. 16. atque hac explorata, facilè gregem concredidit, nihil veritus vt deinceps ad vocem Puellæ fluctuaret, qui nec furentis ſæuitiæ Neronianum timuit gladium: affabrè igitur & qui Sponſam maſculo præditam robore contueri deſiderabat, ſub *Amoris vexillo* militare compulit; ſeu quod idemmet ſignificat: *ordinauit* in ea *Charitatem.*

2. Corinth. 10.4. Ælian. Athenæus. Ælian. Ioan. 21.16.

7. Rabbini. *Vexillum in ſacratiori caſtrorum loco.* Tertullian.

Rabbinorum antiqua ſatis lectio eſt: *magnificate, ſeu inſignem facite in me charitatem*: metaphora deducta ex proprietate vocis Aquilas, & ſigna denotantis, quod in caſtris, omnium ſacratiſſimus, & longè eximius locus exiſtimatus ſit, quo vexillum reponeretur, vt Tertullianus indicat in Apolog. cap. 16. certè ad ſtuporem erga Sponſam inſignis Dilectio, quod poſthabitâ patriâ nobilitate, affinitate, opibus; Virginem prætulerit exteram, neque Gentilitiis ſplendoribus, neque diuitiarum laude famoſam: quæ ad Chriſti in Eccleſiam amorem, quam pauperem elegit, & de ſtercore erexit, facillimum eſt accommodare: Alia quæ ſingularis magis nos inuitat explanatio, ſiquidem de acie inſtructa, quæ ab ordinando Dictio eſt, monet, & vexilli mentio idipſum ſuggerit; conſiderandum fortè eſt, num Sponſa inſinuet, eius pro thalamis decertaſſe Sponſum: Vetus enim mos obtinuit, vt qui Virginis ambirent coniugium, haſtis & pugnâ contenderent, Victoríſque ſpolium nuptiæ eſſent: Acontius Cydippæ apud Naſonem:

*Procorum pro puellis in coniuges ducendis pugna.* Ouid.

*Per gladios alij placitas rapuêre puellas*
*Scripta mihi cautè Litera crimen erit?*
*Heſionem Telamon, Briſëida cepit Achilles*
*Vtraque Victorem nempè ſequuta virum.*

Photius in Bibliotheca ex Narrationibus Cononis, pagina 442. numero 34. *Paride mortuo Helenus, & Deiphobus Priami filij ſuper Helenæ nuptijs contenderunt, vicítque per vim & potentium opem Deiphobus ætate licet minor*: Feſtiuè Claudianus lib. 1. de Raptu Proſerp.

Photius. Claudian.

*Perſonat aula procis; pariter pro Virgine certant*
*Mars clypeo melior, Phœbus præſtantior arcu;*
*Mars donat Rhodopen, Phœbus largitur Amyclas*
*Et Delos, Clarióſque lares.*



*Num certarit Sponſus pro Sponſæ thalamis.*

An verò Carminis huius Sponſo tale aliquid contigerit, arduum eſt probaſſe ex verſibus Epithalamij: autumari quiſpiam poſſit, eius recordatione ſummi diſcriminis perculſam Sponſam, quando conſternata proclamabat: *neſciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Cant. cap. 6. v. 11. id quidem perquàm veriſimile eſt, à cognatis, & affinibus dura ſuſtinuiſſe multa, quod peregrinam & ignobilem Virginem anteponeret domeſticæ nobilitati; Num autem tunc & vſque ad ſanguinem reſtiterit, armíſque dimicare opus fuerit, incertum eſt: ad magnum tamen aliquod certamen viſus alludere, infrà cap. 8. verſ. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: ſi dederit Homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.*

Cantic. 6.11. Et 8.7.

8. *Certamina Procis pro Puellis indicta.*

Verùm Poëtica hæc ſunt, ais, quæ de procorum rixis, & ex Mileſiarum fabulis, proinde excelsâ Salomonis Muſâ indigna: At obſeruare oportet, quòd in prælium deſcendere cogerentur, propterea accidiſſe, quòd eo præclariſſimorum facinorum genere, quam optabant Virginem, emere cogebantur, ſicut alij, quibus militaris deerat gloriæ, diuitiis Puellam comparabant; percipe ex Claudiano de laudibus Serenæ:

Claudian.

*Antiquos loquitur Muſarum pagina Reges*
*Quòd durâ ſub lege procos certare iuberent*
*Empturos thalamum dulcis diſcrimine lethi,*
*Et ſua crudeles gauderent pignora mortis*
*Ambitione peti.*

An non his cognatum illud, quod ex Regum lib. primo cap. 8. verſ. 27. de Dauide: *Et percuſſit ex Philiſtiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumerauit ea Regi vt eſſet Gener eius: dedit itaque Saul ei Michol filiam ſuam vxorem?* An non emptionem per vulnera adquiſitionis ſonat vox Actorum cap. 20. verſ. 28. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo?* Paulus quoque ad Epheſios cap. 5. verſ. 25. *Viri, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*: Quod igitur pugnaſſe Sponſum pro dilecta Coniuge ob amorem erga eam ſubindicare cupiamus, atque hoc eſſe, quod vexillum ſuper eam charitas Dilecti illius, leuauerit; quoniam Triumphator ſuperauit, ſicut qui vrbem expugnat, mœnibus ſigna extollit ad victoriæ clamorem; quid innuere exoptemus niſi exceſſum Dilectionis in Seruatore, qui non dubitauit pretioſam animam pro Eccleſia dare poſt ignominias & plagas, vt arctius ſibi deuinceret, quam tantis comparauit ſumptibus, & vt exhiberet ſibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam?

1. Reg. 18.27. Act. 20.28. Epheſ. 5.52.

9. *Ludicra calculorum pugna.* Athenæus.

Quando autem de Procorum certaminibus narrationem, ſacris deſeruire myſteriis fecerimus; non pigebit, quæ ludicra de eorundẽ pugna calculorum luſibus Athenæus refert adſcribere: is libro 1. Dipnoſoph. cap. 14. *Appion Alexandrinus* (inquit) *ſe ab Ithacenſi Cteſone audiuiſſe memorat, qualis eſſet apud procos ille latrunculorum ludus: centum enim, ac octo fuiſſe procos qui totidem, quot eſſent ipſi, calculos inter ſe contrarios, numero pares ſtatuerint; vt ex vtraque parte quinquaginta quattuor eſſent, intermedio quodam relicto ſpatio, quod vacuum eſſet: in ea, quæ acies & ordines diſcernebat area, calculum vnum collocaſſe, quem Penelopen nominabant: pro ſigno, ac ſcopo is erat, ſi quis altero calculo ferire poſſit: cui iaciendi ſors obuenerat, in illum collimans dirigebat calcem, & ſi fortè attigiſſet Penelopen, antrorſúmque è ſua ſede perpuliſſet, calculus eius qui miſerat, in eiecti, ac protruſi locum deponebatur: & cùm denuò Penelopen in eam ſedem, quam obtinebat prius, reſtituiſſet, ſecundò alterum calculum rurſum mittebat, ac ſi percuſſiſſet, nullo ex cæteris calculis icto, vincebat, optimámque ſpem concipiebat de Penelopes coniugio.* Equidem Ludus omnino ad Belli normam confictus Martialis lib. 14. epigr. 17. Calculi:

*Latrunculorum ludus bellica certamina refert.*

*Inſidioſorum ſi ludis bella latronum*
*Gemmeus iſte tibi miles & Hoſtis erit.*

Clarius expreſſit quicumque ille eſt Auctor Panegyrici Metri ad Piſonem inter Ouidij opera:

Ouid.

*Sed tibi quis non terga dedit? quis te duce ceſſit*
*Calculus? aut quis non periturus perdidit Hoſtem?*
*Mille modis acies tua dimicat.*

Hieronymus Vida Chriſtianus Poëta florẽti Ludum, quem Scacchiæ appellauit, carmine deſcripſit, Bellum tamen ſe pingere, cantat & oppoſitas turmas inſtruit:

Hier. Vida.

*Ludimus effigiem Belli, ſimulatáque veris*
*Prælia, Buxo acies fictas, & ludicra regna*
*Vt gemini inter ſe Reges, albúſque, nigérque*
*Pro laude oppoſiti certent bicoloribus armis.*

Et quidem ad caſtrenſem hauriendam diſciplinam, quaſi ab imitamento: Donatus in Eunucho Actu 4 ſcena 7. *Rex Pyrrhus peritiſſimus ſtratagematum, primus, quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit*: Palamedem inuentorem Pauſanias in Phocia memorat: nihili intereſt: probare tantùm conati ſumus ludum, quem *Alxedreſium*, vulgus appellat, Belli exhibêre modum, vt proinde Amatores certamen pro thalamis Virginum, repreſentare valuerint: ô vtinam pro Sapientiæ amplexibus nos depugnemus! Nam habet & Riuales ſuos Beatiſſima ſapientia, è quibus ardentior vnus teſtabatur: *Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea* (Sap. cap. 8. verſ. 2.) *& quæſiui Sponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius*: felix nuptiarum ambitus, nam cum Sapientia omnia veniunt pariter bona, verùm non ſine labore coniugium, exercet enim procos; Nam & iuſto (Sap. cap. 10. ver. 12.) *certamen forte dedit, vt vinceret.*

Donat. Sap. 8.2. Sap. 10.12.

---

*Animi Deliquium vnde proueniat? gignitur nonnunquam ab amore: Amor diuinus ecſtaticus; ſomno quamobrem comparatus? Moyſis & Dauidis ſententiæ Concordia: Languoris ſacri origo; extaſim pati quibuſnam concedatur? potentias exteriores cur Amor Beatificus non fatigat? Amantes pomis & floribus delectantur, & quas ob cauſas? Num in Palæſtina regnante Salomone Mala Medica? Leuitici enodata verba: exquiſita interpretatio loci Prouerbiorum de malis aureis: placentæ & Bellaria in pompis publicis.*

## Sectio II.

O Miraculi ſtuporem! nuperrimè in caſtris, inter lituos, & diſpoſitas cohortes, ſub ducum vexillis, nam audiuimus, *ordinauit in me charitatem: vexillum eius ſuper me charitas*: modò languor 10.

languor & tædium, & Spiritus fuga: modò in ſtratum Violæ atque Roſaria cum liliis, & Hyacintho; modò in voluptatem & mollitiem Citrium, & Perſicum formoſis direpta arboribus poma? quonam pacto tam citò eneruata eſt ani-

*Sponſæ deliquium: vnde?*

mi conſtantia? Ne miremini, Amor volubilis eſt, ſed & idem potens quoque eſt, conturbat ſiue in mœrore, ſiue in gaudio vſque ad defectionem Mentis quanquam fortiſſimæ: Virgo igitur inter epulas, dum cogitatione rememorat, quale ad faſtigium inexpectatæ gloriæ euecta ſit beneficentiâ amantiſſimâ Sponſi, cui non ſatis fuit ad thalamum, & primariæ vxoris honorem admiſiſſe tot modis inæqualem, niſi & prælio & ſanguine quæſierit inſuper; tantarum gratiarum obruta cumulo, non valens ſuſtinêre amoris pondus, dum & gaudet maximoperè ex lætiſſimis euentibus; & mœret tamen dulciter, quoniam retribuendo imparem ſemet intueatur, diuerſis animi paſſionibus, honeſtiſſimíſque ambabus, quaſi fluctibus agitata, ceſſit iucundæ tempeſtatis procellæ, abiítque extra ſe; dum autem in extrema deficeret verba, ſuauioris Medicinæ haud oblita omninò, inuocauit Amantium ſolatia, Pomœrij & camporum dona exoptans, ad puellares mandras quæ circum ſtipabant, conuerſa, inquit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo:*

*Animi deliquium, quid?* Plutarch. Theophr. Phot.

Vnde autem Spiritus illa tabes robore exhauſto, nonnihil Plutarchus libro 6. quæſt. Conuiual. quæſtione 8. & libro de Homero ſub finem: tranſcribam ex fragmento Theophraſti apud Photium in Bibliotheca, pag. 1567. *Animi deliquium* (ait) *priuatio eſt caloris, vel frigiditatis circa pulmonem; id etiam contingit ab ipſo calore: maior enim ignis tollit minorem, id experientia teſtatur: Nam ab æſtu præfocante, & alio calore, & maximè condenſato, cùm hæc nos opprimunt; animo deficimus, & deliquium patimur: fit verò animi defectibus deficientibus his, in quibus calor naſcitur, vel ſanguine, vel ſimpliciter naturali humore:* Mox de cauſis extrinſecis exanimationis fatigati Spiritus: *Propter labores* (inquit) *fiunt deliquia: Gaudium quoque, ac mæror animi deliquium generant: per vtrumque enim humorum copia naſcitur: Gaudium quidem liquefaciendo, ac dilatando: mæror verò coarctando: Cùm autem ad pulmonis ſedem humor peruenerit, hinc animi deliquium patimur:* de lætitia proinde nimia in Laodamia Ouidius:

Ouid.

*Quando ego Te reducem cupidis amplexa lacertis*
*Languida lætitia ſoluar ab ipſa mea?*

Ælian.

Etiam in Brutis ab amore dolor & conſumptio, apud Ælianum libro 6. de Hiſtoria Animal. c. 17. & libro 7. cap. 34. infirmitas & morbus in Hominibus: de Chariclea Heliodorus Æthiopicorum libro 10. apud Photium, Bibliothecæ pag. 158. Nec tamen libidinoſi æſtus ſolius progenies languor, & inualetudo, & interdum mors ipſamet: Quò enim generoſior, atque nobilior eſt Amor (talis verò qui caſtus & purus) eò & fortiores vires: ſanè pudicam Charicleæ flammam vbique Heliodorus proteſtatur; quæ tamen in connubium honeſtum ardebat, lecto decumbere coacta eſt, & introductus Medicus: apud eundem lib. 4.

Heliodor.

Æthiopicor. profatur iacenti: *Annon, inquit, etiam ipſi Puellæ notum eſt? affectum eſſe animæ, & morbum Amorem manifeſtum: Annon vides, quod illi turgeſcunt oculi, & aſpectus diſtortus eſt, & facie pallet, cor non accuſans? adhæc animo errat, & quiduis oblatum loquitur, & vigilias abſque cauſa ſuſtinet; denique ſuccum corporis, & iuſtam amplitudinem ſubitò amiſit.*

11\. Quod autem Amor, quò excellentior, eò ſit potens magis ad corpus opprimendum, diuinum ſanctarum mentium commonſtrat incendium, dum enim altiſſimâ vi igneſcunt eleuari Spiritus, & ſuccenditur voluntas Theoriæ illuſtrationibus, in mortem penè externæ conſopiuntur operationes, & neque vident, neque auditu percipiunt, quoad expergiſcuntur iucundiſſimâ obliuione: quorum vt nos doceret effectuum cauſam, perbellè in Barlaami, & Ioſaphat à Damaſceno cap. 38. ſcriptum eſt: *Nam cùm diuinus Amor animum ſemel obſederit; multò acrior, ac feruentior eo eſſe ſolet, qui à Natura manat.* Acrior ergo cùm ſit, mirum non eſt robuſtiùs in mentem, corpúſque dominari: De hoc quidem amore magnificè, vt ſingula, Dionyſius de diuinis Nominibus cap. 4. *Adeò* (inquit) *Amor in diuinis locum habet, vt illis propriè, & maximè conueniat, nec aliarum rerum, quàm diuinarum ſit verus Amor, ſed ſimulacrum amoris duntaxat, & à vero amore defectio.* Quibus autem modis afficiat, quem ardêre cogit, declarat ſtatim: *Amoris porrò effectus ſunt, Amantes extrà ſe ponere, & quaſi de ſtatu dimouêre, nec ſinere illos eſſe ſuos, ſed eorum quos amant: Hinc Magnus ille Paulus diuino amore captus, & virtute eius extaticâ correptus ore diuino dicebat: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus: nempè, vt verus amator, & extrà ſe in Deum raptus, nec ſuâ iam vitâ viuens, ſed vitâ Dilecti vt admodum amabili.* Hanc autem in Amore Extaſis rationem & ipſimet Deo venuſtè accommodat noſter Leſſius lib. 9. de Perfectionibus diuinis, cap. 3. numero 13. velut enim extra ſe Deum rapuit, cùm vt Homo fieret mouit, & tanquam ſui oblitus factus eſt temporalis, cuius ſine principio, ſine fine æuum; egenus atque pauper, cuius eſt omnis poſſeſſio; tantôque noſtræ procurandæ ſaluti conamine indulſit, vt de ſuis nihil cogitaret commodis, quò nos recuperaret.

*Diuinus Amor ecſtaſim parit.* Damaſcen. Dionyſ. Leſſius.

12\. Sed quia in merè creata verſamur dilectione Animarum earum, quæ ſenſibus corporeis interdum deſtituuntur ob magnitudinem caloris ſancti, redeamus ad eum, quem nobis Dionyſius propoſuit, Gentium Præceptorem Saulum: is igitur, cùm de ſuo vſque ad tertium cælum raptu ſcriberet 2. Corinth. cap. 11. verſ. 2. addidit: *Et ſcio huiuſmodi Hominem ſiue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit; Quoniam raptus eſt in Paradiſum,* &c. Eâ quidem loquendi formulâ, vt nonnulli opinantur, indicare voluit extaſis ſublimiſſimæ vim, quâ in diuinorum contemplationem Mens ſic transferebatur, vt quid cum corpore ageretur, prorsùs velut ignorauerit, an ipſa etiam vegetandi facultate orbaretur: Quam in expoſitionem Auguſtinus deflexit lib. 12. de Geneſ. ad Literam cap. 5. Sanctus Thomas 2. 2. quæſtione 137. art. 6. Petrus de Alliaco opuſculo Compendij Contemplationis cap. 3. num. 4. de hoc raptu loquutum Dauidem Pſalm. 67. verſ. 28. *ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*, docuêre Auguſtinus & Hieronymus cum pluribus aliis veterum, & iuniorum: cuius in Odæ verbis conſiderare operæpretium eſt, Hebræam dictionem רדם *Rodem*, pro qua Ordinarius Interpres, *Mentis* vertit *exceſſum*, denotare, altiſſimo ſopore merſum, vt aduertunt Bellarminus, Genebrardus & alij; videlicet, quemadmodum qui ſic profundè dormiunt, humanorum ita deſtituuntur ſenſuum præſidio, quaſi ad mortuos tranſiuerint: ita qui rapiuntur in Deum fortiſſimâ quadam violentiâ, rigeſcunt ſenſibus & toto

Dionyſ. 2. Corinth. 11. 12. Auguſtin. S. Thom. P. de Alliaco. Pſal 67 28. Auguſtin. Hieronym. Bellarmin. Genebrard. *Ecſtaſis Sopori cur comparetur?*



toto corpore, tanquam ſpiritus omnino valedixerit antiquę habitationi: audiamus ſuper his peritũ Doctorem Richardum de Sancto Victore in Benjamin maiore Par. 1. lib. 4. cap. 22. *Hanc ſubleuati animi pacem Pſalmiſta paucis verbis comprehendit, cùm dicit: in pace in idipſum dormiam, & requieſcam: in hac pace obdormit, quando ad ſummam tranquillitatem conſopita, quicquid ſobriâ cogitatione conſueuerat, ei in obliuionem venit: qui enim dormit, quæ circa ipſum ſunt, imò & ſemetipſum omnino non nouit: rectè ergo per ſoporem Mentis alienatio exprimitur: per quam ab aſſuetis abſentatur, & quaſi per ſomnum occupata à rebus humanis diuinarum rerum contemplatione peregrinatur.* Capite verò ſequenti concinnè idemmet: *Et mirum in modum reminiſcentes non reminiſcimur* (loquitur nomine Contemplatiuorum) *& non reminiſcentes reminiſcimur, dum videntes non peruidemus, & aſpicientes non perſpicimus, & intendentes non penetramus:* nimirum ad ſacrata & interiora vigilant, ad temporanea obſurdeſcunt: ſed meliùs nunquam, quàm part. 2. Annot. in Pſalm. 2. cap. 4. ſub finem: *Cogita, quid faciat ſomnus exterior circa Hominem exteriorem; hoc facit ſomnus huiuſmodi circa Hominem interiorem: ſomnus corporeus exuperat ſenſum corporeum, aufert enim officium oculorum, officium aurium, cæterorúmque ſenſuum, atque membrorum: ſicut autem per ſomnum exteriorem ſopiuntur omnes ſenſus corporis; ſic per hunc, de quo loquimur interioris Hominis ſomnum exuperantur omnes ſenſus mentis: ſimul enim abſorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, vt conſtet quod Apoſtolus ſcribit, quia exuperat omnem ſenſum.* In eandem ſententiam Alliaco Cardinalis ſpeculo conſiderationis, cap. 6. num. 6. *Quando intimâ illâ ſupernæ, & æternæ ſuauitatis abundantiâ potata, imò plenè inebriata, quid ſit, quid fuerit, penitus obliuiſcitur.*

Richard. Victorin. Idem. Idem. Alliac.

13\. Nec peregrinum apparere debeat, quod Beniamini exceſſum, ad ſomnum retulerimus, ſiquidem in cubili & ſtrato decumbentem inuenimus apud Moyſem Deuteronomij cap. 33. verſ. 12. *Benjamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Pulchrè, cui Dauid ſoporem tribuit, lectum, in quo ſuauiſſimè dormiret, Moyſes conceſſit: ſubaſſentit Richardus Part. 1. in Benjamin minore cap. 85. *Mirum ergo non eſt, cur iſte Benjamin totâ die quaſi in thalamo commoratur, qui talis Sponſæ dulcedine fruitur, & inter humeros illius requieſcens, eius amore iugiter delectatur: Quàm putas frequentes mentis exceſſus patitur, quàm ſæpe in extaſim raptus ſupra ſeipſum ducitur, dum pulchritudinis eius magnitudine attonitus, in eius admiratione ſuſpenditur, & impletur abſque dubio, quod de eo legitur: Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu?*

Deuteron. 33. 12. Richard.

*Sacri Lãguor Amoris.*

Sed vereor ne, qui lecto affixus eſt, infirmitatem patiatur: Heu ſi tabeſcit, & languet! ô Amoris vices! modò corroborat, modò frangit, & extenuat: fortaſsè, cum quo tota die commoratus Benjamin, nocte aduentante abiit, & ſuper eius abceſſu triſtatur & languet, noctéſque incuſat laborioſas: Nam & Iobus noctem vituperat, cap. 3. verſ. 6. & Sponſa noſtri Hymenæi de noctibus conqueritur, cap. 3. verſ. 1. planè ob dilecti fugam; inde itaque Languor: memoratus Richardus de gradibus charitatis, cap. 2. *Et hic eſt Languor Amoris quod non eſt aliud niſi tædium impatientis deſiderij, quo neceſſe eſt affici mentem vehementer amantis abſentem, quem amat: ô præſens abſentia, & abſens præſentia eius, qui ſimul perditur, & habetur! fruſtra, ni fallor, ſic Languentis animæ conatur quis lenire dolorem, temperare mœrorem, cùm deintus curari oporteat dulce vulnus amoris: nullo proindè humano ſolatio mitigatur ſecreti doloris ſacra amaritudo:* Ab hoc languore quemadmodum ſauciata fuerit Virgo intemerata, cùm filij intimè concupiſceret aſpectum, mellitè declarat Guarricus Abbas ſerm. 2. de Aſſumpt. cuius felici conſumptione animam exhalauit, ob amorem ſiquidem defuncta eſt, conſumptis vitalibus ſpiritibus ex vehementia deſiderij eius, quem ſummè diligebat, quæ eſt liquefactio Animæ charitate deflagrantis, de qua hunc Epithalamij locum doctiſſimè exponit Leſſius noſter lib. 2. de ſummo Bono, & æterna Beatitudine, cap. 12. num. 95. & Theologicam medicinam adhibet pluribus loquendi formulis Anagogicarum Contemplationum; quem iuuat legiſſe.

Richard. idem. Guarric. Leſſius.

14\. Quanquam verò extaſes, raptúſque, & cætera fugientis Animæ prodigia, nonnunquam vel à naturali ſpeculatione vehementiſſimæ cogitationis, vel à ſubtili dæmonum arte, vt de Natura quidem Leſſius admonuit lib. 2. de ſummo Bono, cap. 12. num. 89. de hac, ſimúlque Angelo Satanæ Emanuel de Moura Opuſculo de Incantationibus, ſeu Enſalmis ſect. 2. cap. 3. Concluſione 2. num. 3. tamen quibus Auctor eſt Numen, iis rariſſimè frui datum niſi eximiâ ſanctitudine præditis: Quamobrem in hoc noſtro Epithalamio, ſodalibus & Amicis velut quibuſque Sponſus indulget, vt conueſcantur & manducent, ſobriè etiam potent, hoc eſt quidem optimum Meditationis donum: At bibere vſque in ſenſuum quaſi interitum, ſcilicet contemplando altiſſimè volare, abſorptâ rerum humanarum prorſus memoriâ, & gelidum eſſe corpus, apertíſque nihil intueri oculis, ſonos auditu non excipere, nihil guſtu diſcernere, tanquàm ſi Hoſpiti valedixiſſet Anima diuiſis ſpatiis, paucorum id eſt, quos benignior adamauit Iupiter; ſolétque frequentiſſimè ob exantlatos inſignes labores ad tantam familiaritatem admittere: *Comedite* (inquit Cant. cap. 5. verſ. 1.) *Amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi:* quas in Sympoſij lætas voces Richardus de Sancto Victore in Beniamin maiore lib. 4. c. 16. *Certè, qui comedunt, dum ſumptum cibum maſticant, non ſine mora, vel qualicumque labore illud, in quo delectantur, traijciunt: qui verò bibunt, cum ſumma velocitate, vel facilitate illud, quod ſitiunt, traducunt: Numquid ergo non illi tibi videntur comedere, qui cum multo ſtudio, & longa meditatione vix poſſunt ad veritatis delicias pertingere? Bibunt autem quodammodò qui ex diuinis Reuelationibus ſummâ cum facilitate, & iucunditate hauriunt, quod de intima veritatis ſuauitate ardenter concupiſcunt: chari ergo comedunt, ſed chariſſimi bibunt, quia ſecundum menſuram Dilectionis diſpenſatur & modus manifeſtationis: ebrietas autem mentis alienationem efficit, & ſupernæ quidem reuelationis infuſio eos duntaxat, qui chariſſimi ſunt, in mentis exceſſum abducit:* De hac ſpiritus ebrietate idemmet egregiè Auctor Annot. in Pſalm. 2. cap. 4. ſed tamen cùm dicit *chariſſimos* eos, qui extaſes, & raptus ſuſtinent, intellige verum eſſe, quoties eiuſcemodi talis, qualis magnus Gentium Præceptor in tertium ſubleuatus cœlum, qui nimirum incredibili amoris æſtu in Deum, proximóſque ferueat, qui infinitas pro Chriſto deuorauerit moleſtias: Nam qui harum rerum laudibus excelleret, etſi Mentis inter orandum abalienationem non pateretur, meritò præferendus fuiſſet illis, qui tali carentes encomio, pro Numinis tamen beneplacito, extra

Leſſius. De Moura. *Quibuſnam Ecſtaſis cõcedatur?* Cantic. 5. 1. Richard. Victorin.

extra ſe raperentur Contemplationibus vacantes.

15. *Quomodo ſi ab Amore deliquium & Ecſtaſis, Amor beatificus corporis potentias non fatigabit?*

Verùm, inquias, ſi quò Amor ſublimioris eſt excellentiæ, eò plus dominatur per affectus animæ in corporis habitaculum, & ſenſibus imperat exterioribus; Quamobrem Amor, qui in ciuibus eſt patriæ beatæ omninò rapidiſſimi impetus, (neceſſarius eſt enim, obiecti infinitâ pulchritudine clarè & intuitiuè viſâ arbitrij ſuperante libertatem) corporis non fatigat potentias ita, vt ſolito vti officio ægerrimè vel liceat, aut ne vllo quidem pacto liceat? Reſpondeo, quòd pro huius vitæ curriculo, dum adhuc corpus mortale imbecillum eſt, & Originariæ culpæ damni vectigal ſuffert in defectu, & corruptionibus, Extaſis ſenſus quaſi obtundit, imperfectionis eſſe: Quoniam pro hoc ſtatu, animâ ad vnum obiectum vehementer attendente, aliorum prouidentiam deſerit: vel quod potentiæ inferiores, Spiritibus ad exercitamentum neceſſariis deſpoliatæ, moueri nequeant: Spiritibus autem deſtituuntur, quòd ſurſum traxerit mens, imaginationi profundæ, & theoriæ deſeruituras: Anima verò glorificata ſimul cum corpore imaginationis & Phantaſiæ adminiculis non eget, cæleſtibúſque dotibus & Cor & caro ſic roborantur, vt ſimul & indefeſsâ contemplatione in Deum ferri valeat, & inferioribus vti adamuſſim viribus: Quare modeſtiſſimè Paulus de eo ſuo raptu admirando in tertium cælum 2. Corinth. cap. 12. verſ.2. *Et ſcio huiuſmodi Hominem, ſiue in corpore ſiue extrà corpus, neſcio; Deus ſcit*, &c. Vt ſcilicet indicaret, non tali ſe donatum Beatitudinis perfectione, qualem habituræ Animæ cum ſuſcitatis corporibus ad gloriam, quæ optimè noſcent, ſe talibus circumdatas honoris vaſibus: Significauit Auguſtinus libro 12. de Geneſi ad Literam, capite penultimo: *Apoſtolo arrepto à Carnis ſenſibus in tertium cælum, hoc defuit ad plenam, perfectámque cognitionem rerum, quæ Angelis ineſt; quòd ſiue in corpore, ſiue extra corpus eſſe neſciebat: Hoc itaque non deerit receptis corporibus in reſurrectione mortuorum, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem.* Atque hic modo Excurſus de prouenientibus ab Amore Sancto deliquiis ſufficiat: de quibus etſi Veſtigatione 2. ſectione 4. egerimus; tamen hæc ſuperaddidiſſe placuit: ne ſciolus offendatur, putans vbi morbus, & inualetudo ab Amore; non poſſe non de Veneris Regno intelligi: Sed reuertamur, vnde prolapſi ſumus, ad humanæ Sponſæ conſternationem.

1. Corinth. 12.2.

Auguſtin.

16. *Flores & Poma in Amantum delicijs.*

Igitur noua cùm indicaſſet Nupta ab amore ſe vulneratam vſque in tabem & languorem defeſſi corpuſculi, flores & pomorum fructus in ſolatium exoptat: commodauit diuinus Poëta Muſam Amantium ingenio, quibus nihil in vſu dulcius florum gratiâ, & malis, quapropter vbicumque in ſæculari verſu aut Venus, aut Cupido, omníſque amor corporum; ibi flores & poma: Claudianus Epithalamio Palladij & Celerinæ de Amorum Dea Cypride:

Claudian.

*Denſáque ſydereos per gramina fuderat artus*
*Acclinis florum cumulo.*

Deinde de Cupidinibus, qui ſtipabant, legentibus Mala, quæ ſingulariter Veneri appropriantur:

Idem.

*Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur,*
*Scrutantur nidos auium; vel roſcida læti*
*Mala legunt donum Veneris.*

*Veneris crines floribus innexi.*

Nexus crinium Veneris ex floribus: Himmerius Sophiſta in Epithalamio apud Photium Bibliothecæ pag. 1114. *Venerem etiam in curru Gratiarum, & amorum chorum colludentem ducit, & crines flore hyacintho conſtringens, præter eos, qui fronte diuiduntur, reliquos vento ſpargi permittit*: Et inferiùs paulò de nuptiali Sponda: Ἔρωτες δ' ῥόδων στεφάνους πλεξάμενοι, οὓς ἐξ Ἀφροδίτης κήπων ὅταν θέλωσι, δρέπονται, τὴν παστάδα πᾶσαν ἀνάπτουσι: *Cupidines è roſis corollas nectentes, quas è Veneris decerpunt, cùm libet, Hortis, thalamo ſuſpendunt*: Heliodorus, 3. Æthiopicorum, de fœminea turba, quibus Theagenis forma placuit: ἤδη δὲ ὅσαι δημώδεις γυναῖκες, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς πάθος ἐγκρατείᾳ κρύπτειν ἀδύνατοι, μήλοις τε καὶ ἄνθεσιν ἔβαλλον, εὐμένειαν ἀπ' αὐτοῦ τινά, ὡς ἐδόκουν, ἐφελκόμεναι: *Denique peruulgatæ mulieres, & quæ affectum animi continentia occultare non poterant, malis & floribus eum petebant, beneuolentiam quandam ab ipſo, vt videbatur, captantes*: Sic & pro caſtiſſimarum more nuptiarum in Actis Sanctiſſimæ Virginis Dorotheæ apud Surium die 7. Februar. cùm præclariſſima Martyr in Paradiſo Sponſum Chriſtum ſe habere gloriaretur, Theophilus curiæ aduocatus irridens; *Ecce, inquit, Tu Sponſa Chriſti, mitte mihi de Paradiſo Sponſi tui mala aut Roſas*: nec diu Voti inexpers: ſtetit iuxtà Puer cum Orario, in quo ferens tria Mala magnifica, & tres Roſas elegantiſſimas, dixit ei: *Ecce, ſicut petenti promiſit Virgo ſacratiſſima Dorothea, tranſmittit hæc tibi de Paradiſo Sponſi ſui.* Mortuo Adonide emarcuiſſe flores Poëta Græcus fingit; Bion nimirum Smyrnæus Idyllio 1. quod Epitaphium Adonidis:

Himmer.

Heliodor.

Surius.

Βάλλε δ' ἐνὶ στεφάνοισι καὶ ἄνθεσι πάντα σὺν αὐτῷ
Ὡς τῆνος τέθνακε καὶ ἄνθεα πάντ' ἐμαράνθη.

Bion.

*Depone eum inter Coronas, & flores omnes cum eo; vt ille mortuus eſt, omnes inquam flores etiam contabuerunt*: Quoniam ergo omnis Amor in floribus & malis; rectè pro Amantium conditione, quæ Dilectione tabeſcit, atque emoritur, auet fulciri floribus, malis ſtipari.

17. *Cur Pomis & floribus delectantur Amantes?*

Cur verò Amantes pomis, ac floribus mirum delectantur in modum? An quod iſtorum venuſtate nihil formoſius? Siquidem & Salomon in omni gloria ſua coopertus non ſit par vni ex liliorum agri numero, Matth. cap. 6. verſ. 28. *In Amatorijs Clearchus Solenſis* (teſte Athenæo lib. 12. capite vltimo) *cur manibus flores, poma, & id genus alia geſtent, ſciſcitatur: an quòd qui delectantur illis, pulchritudinis appetentes eſſe Natura demonſtret? itaque propter illud naturæ ipſorum veluti ſpecimen, quæ pulchra habent in manibus, & illis gaudent.* Eodem propè modo Plato in Sympoſio: *Inter deformitatem porrò & amorem eſt pugna perpetua: coloris quoque decorem aſſidua inter flores habitatio huius Dei ſignificat: in eo ſiquidem quod floribus caret, aut defloruit, ſiue animus, ſeu quoduis aliud ſit, Amor ipſe non inſidet; vbicumque verò floribus, & odorifer eſt locus, gratiſſimè conquieſcit.* Alia non pauca ex eodem apud Stobæum ſermone 61. & 62. Diogenes Laërtius in Platonis vita ad morale transfert documentum illo Auctore; quòd ſcilicet floribus, & pomis, quæ ſubitò marceſcunt, de pulchritudinis breuitate eruditio eſſet probè conſiderantibus: nihil iſtorum decore mage volatile: notum eſt Iſaiæ de floribus pronunciatum cap. 40. verſ. 6. *Omnis Caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri: exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* De pomis verò, quæ citò corrumpuntur Iobus cap. 9. verſ. 26. *Pertranſierunt quaſi Naues poma portantes, ſicut Aquila volans ad eſcam*: at producamus ipſum Platonis Epigramma in Agathonem:

Matth. 6.

Athenæus.

Plato.

Stobæus.
Diog. Laërt.

Iſai. 40.6.

Iob 9.26.

*Malo*



Plato.

*Malo ego te ferio: Tu me ſi diligis, illud*
*Suſcipe, me imperti & Virginitate tua.*
*Hoc fieri ſi poſſe negas, hoc ſuſcipe Malum; &*
*Quàm pereat paruo tempore forma, vide.*

Quanquam puellabus cùm tribui ſoleat cum floribus pomorum Delectatio, in Virginitatis ſymbolum fiat, quam floribus ſignificari crebrum eſt: Claudianus lib. 3. de laudibus Stiliconis:

Claudian.

*Non ſic Virginibus flores, non frugibus imbres*
*Vt tuus aſpectus populo.*

*Sponſa propter deliquium mala expetit, & quidem citria.*

Non incongruæ Rationes iſtæ: Quamobrem tamen Sponſa Carminis noſtri flores & poma expetit, animæ diſcedentis confortatio cauſam ſubminiſtrat: Sanè citria hæc eſſe Mala, quæ & aurea, & Heſperidum, & Medica vocantur, aduertimus tom. 1. Anteloquio 5. num. 50. Nam temporis Ratio, (cùm ver nondum exitum habuiſſet) de his intelligi oportêre Malis cogit, quæ aliis decidentibus alia ſemper naſcuntur anni quaque tempeſtate: cæterùm eadem præter odorem, ſuccum, coloríſque gratiam, virtute præſtant contra venenum, cordíſque labores, Spiritus mirificè exhilarant, vt præter memoratos dicto loco Auctores Ludouicus Nonnus comprobat lib. 1. de Re Cibaria cap. 32. & noſter Alcazarius tom. 2. in Apocalypſim: Cùm itaque deficere Mentem Sponſa agnoſceret ex Spirituum remiſſione; quæ priſtino vigori reſtituere queant, Mala exoptat Heſperidum, ſeu velis eſſe limonia, ſeu quæ nominantur Aurantiæ: huius quoque concupiuerit flores, nam cùm ſuauiſſimâ ſpirent fragrantiâ (vulgus materno idiomate appellat *Azar*) cordi opem ferunt dulciſſimam: Vides igitur, quàm puras, limpidáſque ob cauſas, ſeu pomorum, ſeu florum voluptate inardeat Sponſa?

Nonnus.
Alcazar.

18. Alcazar. *Num in Palæſtina Salomonis tempore mala Medica, & quomodo vocata?*

Verùm Alcazarius noſter Tractatu de Malis Medicis ad finem Commentariorum in Salomonis Canticum ſectione 2. & 3. contendit, Iudæorum arua, nequaquam Heſperidum quæ dicuntur produxiſſe Mala Salomonis æuo, cùm ne illius viſa fuerint ſæculo, qui Eccleſiaſtici librum ediderit, qui multis ætatibus iunior comprobatur; alioqui cap. 24. cùm ſelectiſſimas nemorum, viridariorúmque arbores cogitauerit, quibus Sapientiam aſſimilaret, non præteriiſſet gratioſum in paucis lignum: At nos reſpondemus hanc arborem eſſe, cuius vſus ad lætitiam & iucunditatem, in Feſto Scenopegiæ; arboríſque pulcherrimæ vocabulo denotatur Leuit. cap. 23. verſ. 40. Quanquam enim Hebræa vox חָדָר *Hadar* propriè decorem & pulchritudinem innuit; tamen eiuſmodi loquutione ob arboris ſingularem in pomis venuſtatem, óbque perpetuam iuuentam, & fœcunditatem citrium lignum, quod cum Medico idem eſt, ſignificatum eſſe, peruagata, opinio eſt: Nam & Ioſephus Auctor eſt Antiq. lib. 3. cap. 10. τοῦ μήλου τοῦ τῆς περσέας προσόντος; *ex quibus Mala Perſeæ dependeant*: Perſica autem Mala, citrea exiſtimantur: Rabbi Moyſes Ægyptius libro 3. Mor. cap. 44. Chald. Paraphr. Lyranus in dictam Leuitici ſententiam: ibidem Toſtatus quæſtione 28. ex Iunioribus, Vatablus, Sà, Oleaſter, Antonius Senenſis, à Lapide, Bonfrerius, Leonardus Marius: Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 4. ad decimum: Hiſtoria Scholaſtica in Numeros cap. 47. Ribera de Templo libro 5. cap. 13. Ioannes Fernandez tom. 1. Theſauri verbo *Arbor*: Deinde, quodcumque tandem illud ſit, quod lecti nomine Parœmiaſtes ſubindicat Prouerb. cap. 25. verſ. 12. inquiens: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo*; Siue quidem thalamus genialis, in cuius fulcro exſculptæ pomorum repræſentationes; ſeu theca à collo in pectus dimiſſa cum figura malorum, & ſuauium vnguentorum exhalatrix: ſeu calathus arborem Medicam cum fructibus portans: Equidem ſatis probabile à veris pomis ſimilitudinem tranſlatam: Ac ſanè cùm docuerimus Veſtigatione præced. num. 5. thalamum genialem, ſimúlque conuiuialem lectum domate ſeu mœniano in apertis, ſtratum: Phœbi verò contra radios tegumentum arte confectum ex citri arboris frondibus natiuis, de quibus aurea penderent mala; lectus autem ex argento fuerit propterea, quòd niueus color lætitiam doceat, eámque ob cauſam Nubentium candidæ Veſtes, de quibus latè Veſtigatione 18. à numero 1. non video quamobrem diſplicêre debeat, huiuſcemodi reſpicere ad ornatum Salomonis parabolam; Quod ferè eſt noſtri Roæ iudicium parte 2. libro 1. Singularium ſacræ Scripturæ capite tertio. Quin & Siracides Eccleſiaſtici cap. 24. dum Cedro Sapientiam exprimit, fortaſsè de Cedri genere agit, quod ex nonnullorum opinione Medicorum ſpeciem quandam pomorum oſtentat, geſtátque: Conſule Veſtigationem 17. numero 10. Sed quis arbitraretur Salomonem, cùm ſtudium impensè traduxerit ad Hortorum elegantiam, vt ipſemet fatetur vltrò, Eccleſiaſtæ cap. 2. non aut in Perſidem, aut Libyam miſiſſe, qui aurei pomi ſurculos in Iudæam tranſplantarent? Poſtremò, Nos tom. 1. Anteloquio 5. numero 43. Vernam fuiſſe temperiem oſtendimus, ad quam alludant, quæ hoc conſcribuntur Epithalamio; quo tamen nouorum pomorum memoria eſt cap. 7. verſ. 13. *Poma noua, & vetera ſeruaui tibi*: Sed recentium pomorum nondum tunc occaſio, quæ ſeriùs proueniunt, exceptis quidem citriis Malis, de quorũ Matre Athenæus lib. 3. c. 7. *Nullo non anni tempore pomifera eſt, alijs cadentibus malis, decerptis alijs, alijs floreſcentibus*: Languentis etiam ſolatium ab his, quæ cordi ſubueniunt petitum iuuamen, indicat; itaque regnante Salomone, eiúſque ante tempora Palæſtinę cognita poma aurea, ſeu Medica: Quando autem Europæ, aliiſque innotuerint regionibus, diſce ab Alcazario & Nonno citatis ad calcem Numeri præcedentis.

Leuit. 23.

Ioſeph.
R. Moyſ.
Chald.
Lyra.
Toſtat.
Vatabl.
Sa.
Oleaſt.
Anton. Sen.
À Lapide.
Bonfrer.
Leonard.
Marius.
S. Thom.
Hiſt. Schol.
Ribera.
Io. Fernand.



Prouerb. 25. 12.

Eccli. 24.

Eccliſ. 2.

Cant. 7.13.

Athenæus.

Alcazar.
Nonnus.

19. LXX. R. Salomon.

Atque hactenus de floribus quidem ex vulgata ſcilicet interpretatione: aliter LXX. στηρίσατέ με ἐν μύροις: *confirmate me in vnguentis*: Rabbi Salomon: *ſolidate me in lagenis*, quas exponit cados vinaceos: Aben Ezra phialas vitreas nuncupat Baccho relucentes: & ſiue quidẽ vnguenta, ſeu muſti liquorem exoptauerit Sponſa, rectè in languoris fulcimentum, nam ęgrotationibus eiuſcemodi vtrumque opitulatur: tanta verſionum diuerſitas, quod originalis verbi non explorata omninò ſignificatio, nẽpè אֲשִׁישׁוֹת *Aſchiſchoth*: Diximus nuper ex nuptialiũ ritu cærimoniarum, ex eodẽ comediſſe pomo Nubentes ambos, de quo Puella affirmarit: *Et dulcis fructus eius gutturi meo*: ſimul addidimus introductã in vini apothecã, vti prægustato calice Marito porrigeret: Quoniã igitur hæc erant ſtabilia Connubiorum pignora, tanta inde lætitia exorta eſt, vt cùm animus ferendo ſatis non eſſet, corporis oppreſſerit vires, & deliquium attulerit: vulnerata eſt itaque amatoriis iaculis per lagenas, & poma: Amantes autem conſueuerunt ab iiſdem ſolatia poſtulare, à quibus ſauciati

Aben Ezra. *Variæ verſiones.*

fuerunt; eſt enim Medicina fruitio illius qui percuſſit: hunc ergo in morem cùm plagam acceperit à Lagenis & Malis; ab iiſdem curationem deſiderat. Noſter Sanctius in hunc locum, n. 21. ſuſpicatur relatâ voce generatim indicari, quod eſt in deliciis voluptuoſum, non flores pratorum, & arborum ſolos fructus, ſed placentas, & Bellaria, aliáſque cupedias, nam & talia Amor quoque affectat, quare de ferculo, quo Adonidis portabatur ſimulachrum, quem Amores ſtipabant conglomeratim, Theocritus Idyllio. 15. quod Syracuſiæ; de Arſinoës ſtudio loquens:

Sanchez.

*Placenta, Bellaria, Cupedia in hilaribus, & genialibus feſtis.*

Theocrit.

*——— Multifarijs bonis ornat Adonidem*
*Iuxta eum enim matura iacent quæcumque ferunt arborum apices,*
*Adſunt & molles hortuli, incluſi calathis*
*Argenteis, & aurea alabaſtra plena Syrio vnguento*
*Et ciborum quicquid mulieres in ſartagine parant*
*Miſcentes varios flores vnà cum alba farina*
*Quæque ſiunt ex dulci melle, quæque ex liquido oleo.*

Niſi fortaſsè ex hilaritate geniali iactus, & ſubfultio pomorum cum floribus: Steſichorus in Helena apud Athenæum lib. 3. cap. 6.

Athenæus.

*Multa Cydonia tum mala iaciebant in ſellam Regi,*
*Multa etiam Myrti folia, roſarúmque, ac violarum elegantes coronas.*

Et in ſacrificali pompa ab Heliodoro Æthiopic. lib. 3. ſub initio, virginum turmæ in duos recenſentur diſtributæ choros: *Quæ in primo fuerant, ferebant quaſillos florum, & fructuum plenos: in altero autem Bellaria, & aromata calathis ferentes, locum odoris fragrantiâ replebant*: Itaque Puellarum voluptas in floribus, pomis, Bellariis, vt mirum non ſit hæc à Sponſa languente, & flaccidâ anxiè inuocata fuiſſe, quibus oblectaretur, morbíque ſuperaret violentiam: Niſi etiam illud conſiderandum fuerit: Sponſum paulò ſuperiùs, florem campi appellatum, ſtatímque eundem Malum inter ligna ſyluarum dictum: Amor itaque cùm vnitiuus ſit, & diligentem quoad fieri valeat in dilectum transferre conetur, nunc meditatur quemadmodum idipſum fiant pariter Sponſus, Sponſáque: quò ergo & ipſamet aliquo pacto ad viri imitationem flos campi euadat, & Mali arbor cum fructibus, ſícque quàm proximè ad Mariti ſimilitudinem, cuius amore tabeſcebat, accederet, niſi fieri Malum & flos valeat, his tamen circundari optat, vt nihil circum ſe adſpiciat, niſi id quod eſt Sponſus, flores videlicet & Mala Heſperidum.

Heliodor.

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus*: Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.
Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. *Cap. 2. verſ. 4. & 5.*

*Nuptiæ Eccleſiæ in Pentecoſte ſub Hieroglyphico ſcyphi: Apoſtoli per ſancti Spiritus dilapſum ex timidis conſtantiſſimi facti: in Gratia deinceps conſtabiliti; Donum confirmationis in gratia quo pacto declarandum? Charitatis diſtributio, & ordo: prudentia in vita ſpirituali ad moderandos indiſcretos feruores ſummè neceſſaria: locus contra Caluinum de fide & operibus iungendis: Euangelicæ prædicationis exordium à Virginitate; infiniti eius amatores omni tempore in Eccleſia Catholica: ob hanc gloriam quantum Synagogæ excedat? Hæreſes fundatæ in impudicitijs.*

### Sectio I.

*In Pentecoſte nuptiali Eccleſia feſto diuino muſto inebriati Apoſtoli.*

20. NVptias Eccleſiæ tum publicè concelebratas, cùm diuinum Flamen ſonorè linguarum in imagine deſcendit, monuimus ad præcedentem verſum: ſtupefacta multitudo ſubitò eruditos factos, variôque idiomate proloquutos, ex vini prodiiſſe apothecâ referebant, cùm muſto plenos dicerent, Actor. c. 2. v. 15. vtique inebriati quidem, ſed aliter quàm ſugillabant iniqui, ſcilicet torrente diuinarum conſolationum, cuius temulentia ſobrios & quietos facit: percipiamus quàm hunc locum ſuauiter Bernardus declaret ſerm. 49. in Cantica: *Tamen, ſi ad Eccleſiam referatur ſermo, cùm repleti Spiritu ſancto diſcipuli, muſto ebrij à populo putarentur: tunc tanquàm amicus Sponſi pro Sponſa ſtans Petrus in medio eorum: Non, inquit, ſicut vos æſtimatis hi ebrij ſunt: attende interim quòd non omnino ebrios, ſed ebrios ſicut ab illis æſtimati ſunt, denegauit: erant enim ebrij, ſed Spiritus ſancti muſto: & quaſi teſtificarentur ad plebem, reuera in cellam ſe fuiſſe vinariam introductos, rurſum Petrus pro omnibus: ſed hoc eſt (ait) quod dictum eſt per Prophetam Ioël: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus: effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ: iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt: Annon tibi cella fuiſſe vinaria videtur illa domus, in qua erant diſcipuli pariter congregati, cùm factus eſt repentè de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes, adimpleuitque Prophetiam Ioëlis? Et nonne vnuſquiſque eorum*

Act. 2.

Bernard.

Ioël. 2. 28.



*exiens inebriatus ab vbertate domus illius, & torrente voluptatis tantæ potatus, dicere meritò quibat; introduxit me Rex in cellam Vinariam?* Pariter & de Apoſtolorum Spiritus inebriatione Iuſtus Orgelitanus exponit. Et quoniam in humana Literæ expoſitione diximus ad nuptiales ſpectaſſe cærimonias, vt ſcyphus à Virgine Marito propinaretur, ecce & cum hoc ſymbolo analogiam in Eccleſiæ coniugio Spiritu ſancto in Apoſtolos deſcendente; Nam eo tractans de Feſto Sancta Mecthildis libro ſpiritalis Gratiæ inſinuationum, ait eruditam ſe à Domino in hunc modum: *Spiritus ſanctus* (inquiebat) *Apoſtolis tria pocula propinauit, quibus eos tam affluenter repleuit, vt non immeritò eos populus ebrios æſtimaret: primò, vino amoris tam abundanter repleuit, vt velut ebrios ſeipſos exiſtimarent, obliuionique traderent, non iam honorem, aut aliquod corpori commodum appetentes, ſed Dei ſolius gloriam; Secundò tali modo diuinæ conſolationis redundare fecit, vt nullum deinceps terrenum gaudium ſeparare poſſet: Tertiò, amore cæleſtium quaſi nectareo poculo eos inebrians quaſi inſanire fecit: vnde ineffabili deſiderio accenſi, ad Dominum, ſi fieri poſſit, per mille mortes tranſire cupiebant.*

*Tria pocula Apoſtolis propinauit Spiritus S. in feſto Pētecoſtes.*

S. Mecthild.

21. Quid verò hauſtus ſucci excellentioris contulit in die magnarum epularum ob Sponſi nuptias? nimirum, corroborata eſt exinde charitas, quæ antea vacillabat infirma & debilis: Hoc eſt *ordinari charitatem*, in caſtrorum videlicet modum, cuius eæ turmæ inconcuſſæ Virtutis, quæ benè diſpoſitæ atque ordinatæ: itaque non deinceps in Petro, non in cæteris cōmilitonibus trepidatio, vt cùm Magiſter pateretur: Auguſtinus ſerm. 185. de Tempore, quæ eſt homil. 9. de miſſione Spiritus ſancti: *Ante aduentum verò Spiritus ſancti ſub ipſo crucis Dominicæ tempore, alij ex diſcipulis effugantur, alij vnius ancillæ voce terrentur, & metu corda trepida penetrante, Dominum ſuum negare coguntur: poſt illuſtrationem verò Spiritus ſancti, & confirmationem, cuſtodijs excruciati, verberibus afflicti, ibant gaudentes quia digni eſſent pro Chriſti nomine contumeliam pati: & qui antè negauerant cum iuramento, quia non nouimus hominem iſtum: nunc propter eum in ſupplicijs gloriantur, & operante in ſe Spiritu ſancto; parum putant eſſe quod pro Chriſti amore patiuntur.* Sed quēadmodū conſtabilita ſit charitas, egregiè Leo Magnus ſerm. 2. de Pentecoſte: *Oportebat capacitatem eorum, qui docebantur, augeri, & multiplicari conſtantiam illius charitatis, quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem Perſequentium non timeret: Quod vtique Apoſtoli, poſteaquàm Spiritus ſancti nouâ abundantiâ ſunt repleti, ardentiùs velle, & efficaciùs poſſe cœperunt, proficientes à præceptorum ſcientiâ ad tolerantiam paſſionum: vt ſub nulla iam tempeſtate trepidantes, fluctus ſæculi, & elationes mundi, fide ſupergrediente, calcarent, & morte contemptâ, omnibus gentibus Euangelium veritatis inferrent.* Gregorius Papa hom. 30. in Euangelia: *Quales namque Doctores Sanctæ Eccleſiæ ante aduentum huius Spiritus fuerint ſcimus: & poſt aduentum illius, cuius fortitudinis facti ſint, aſpicimus: certè iſte Paſtor Eccleſiæ, ad cuius ſacratiſſimum corpus ſedemus; quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante aduentum Spiritus fuerit, ancilla oſtiaria requiſita dicat: vnâ enim mulieris voce percuſſus, dum mori timuit, vitam negauit: Sed vir iſte tantæ formidinis, qualis poſt aduentum Spiritus, exiſtat, audiamus: fit conuentus Magiſtratus, atque ſeniorum; cæſis denunciatur Apoſtolis, ne in nomine Ieſu loqui debeant: Petrus magnâ auctoritate reſpondet: obedire oportet Deo magis, quàm hominibus: & rurſùm: ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire, quàm Deum, iudicate.* Tertullianus contra Prax. cap. 34. & de Trinit. (ſi fortè ipſemet) cap. 29. loquens de Spiritu ſancto: *Hic eſt enim, qui ipſorum animos, mentéſque firmauit, quo confirmati pro nomine Domini, nec carceres, nec vincula timuerunt; quinimò ipſas ſæculi poteſtates, & tormenta calcauerunt, armati iam ſcilicet per ipſum.* Chryſoſtomus homilia 4. in Acta Apoſtol. in illa cap. 2. de Petro: *Eleuauit vocem ſuam, &c. multâ cum fiduciâ loquebatur: id autem facit, vti cognoſcerent Spiritus eſſe gratiam, cùm is qui vilis Puellæ non tulerat percunctationem; nunc in medio populi cunctis vociferantibus, tantâ cum fiduciâ diſſerat.* Bernardus ſermone 1. in Feſto Pentecoſt. *Manifeſtum enim fuit indutos eſſe virtute ex alto, qui de tanta puſillanimitate Spiritus ad tantam deuenêre conſtantiam: Non eſt iam fugere, non eſt abſcondi propter metum Iudæorum: conſtantiùs modò prædicant, quàm deliteſcerent antè timidiùs: denique mutationem illam dexteræ Excelſi manifeſtè declarat principis Apoſtolorum, priùs quidem inter ancillæ verba formido; poſtmodum inter Principum verbera fortitudo.*

*Apoſtoli Spiritus S. aductu ex timidis conſtantiſſimi euasêre.*

Auguſtin.

Leo Magn.

Gregor.

Tertullian.

Chryſoſt.

Bernard.

22. Illud verò longè digniſſimum eſt, non ſolùm corroboratos mirificè Apoſtolos ad toleranda dura quæcumque, ſed gratiâ & charitate ita fundatos, quam nunquam deinceps amiſſuri eſſent; confirmati enim ſunt in ea, quòd firmos in bono eſſe deceret Eccleſiæ primos Magiſtros, vt Angelicus Doctor aduertit quæſt. 24. de Veritate, art. 9. ad ſecundum: eiuſdem priuilegij meminêre noſtri Benedictus Iuſtinianus diſputatione 1. ex præuiis in Paulum c. 5. n. 7. Thomas Maſſutius lib. 2. vitæ Pauli c. 7. & locupletiùs ad verſum 3. c. 2. Actor. Cornelius à Lapide: At inquias, nonne libertate vel ad benè, vel ad malè agendum præditi? Nam & Paulus, qui & ipſe in gratia confirmatus, quaſi ruinam ſubueritus metuens aiebat 1. Corinth. c. 9. verſ. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus fiam*; Quomodo igitur inamiſſibilis gratia, quâ excidere poterant? & niſi quidem inamiſſibilis, quæ prærogatiua confirmationis in ea? Sanè, vt eximium & ſingulare quoddam eſſe Donum confirmationis in gratia intelligamus, ſicut vniuerſi ſupponunt, operæpretium eſt concedamus tanti ad muneris cumulum auxilia maiora præparari à Deo, quàm quæ de lege ordinaria tribui conſueuerint prædeſtinatis: hæc autem entitatiuè adeò valida & intenſa ſunt, vt non conferant ad vincenda quoquo modo peccata lethalia vſque in vitæ exitum, ſed ad eadem delectabiliter, & facilè omnino ſuperanda: Qua ex tanta eorum virtute fiat, vt quamuis maneat libertas phyſicè, ad delinquendum grauiter, potens: moraliter tamen impotens cenſeatur: hoc eſt, ita redditur virtus ſuauis, vitium autem tam horridum & iniucundum eſt, vt ex prudentum iudicio impoſſibile appareat, vt labantur eiuſmodi: Quod ſi quidem in gratiæ & donorum plenitudinem hic refundendus eſt vigor, quòd talia futura eſſe præuiderit Numen, quibuſcum feliciſſimè ſemper operaretur voluntas nunquam graui ceſſura næuo: nemini dubium eſt abundantiſſimè ditatos Apoſtolos, qua de largitate egimus Veſtigatione 6. n. 21. Hoc igitur eſt ordinatam illis in proceribus charitatem fuiſſe: Hoc, quod ſecundum verſionem LXX. Seniorum confirmari in vnguentis optant: Vnguenta enim chariſmata ſunt diuini Spiritus, vt eleganter diſſertat Nyſſenus homilia 4. in Cantica.

S. Thom.

Bened. Iuſtin.

Th. Maſſut.

A Lapide.

1. Corinth. 9. 27.

*Quomodo Apoſtoli in gratia confirmari ſtante libero arbitrio?*

Nyſſen.

23.
*Charitas ordinata.*
Hieronym.
Verùm, quòd ordinari in ſe Dilectionem concupiſcit, Patres communiſſimè exponunt de methodo, & normâ ipſiuſmet charitatis, cùm enim ferueret Amor, metuendum erat ne ardore fines aliquando prætergrederetur, quare de his Epithalamij verbis ſingulariter Hieronymus ep. 8. ad Marcellam: *Dilectio ordinem non habet, & impatientia neſcit menſuram: vnde in Cantico Canticorum quaſi difficile præcipitur, ordinate in me charitatem.* De hac diſpoſitione ſanctæ charitatis
Auguſtin.
Auguſtinus ſæpè: lib. 1. de Doctrina Chriſtiana, cap. 27. De Nat. & Grat. cap. 70. lib. 7. de Verb. Dom. & imprimis lib. 15. de ciuitate vbi hunc declarat locum, cap. 22. tractant & plerique Carminis huius interpretes, ſigillatim Adamantius hom. 2. ex duabus, & prolixiùs hom. 3. ex
Origen. Bernard. Gulielm. Paruus. Volbero. P. de Alliaco. Vvilleramm. Thom. Ciſterc. Greg. Nyſſen.
quattuor: Bernardus ſerm. 49. & 50. in Cantica Guillielmus Paruus, Vvolbero Abbas, Petrus de Alliaco, Vvillerammus, Thomas Ciſtercienſis: omittendam non cenſui Gregorij Nyſſeni Orationem hom. 4. in Cant. *Oportet ergo ſcire ordinem charitatis, quam per legem exponit, nempè quemadmodum Deum oporteat diligere, & vxorem, & inimicum, ne fortè inordinata, & inuerſa fiat charitatis adimpletio: oportet enim Deum quidem diligere ex toto corde, & anima & potentia, & ſenſu: proximum autem tanquam ſeipſum: & vxorem, ſi purioris quidem eſt animæ, ſicut Chriſtus Eccleſiam: ſin autem eſt animæ paulò magis obnoxiæ animi perturbationibus, ſicut corpus proprium; ſic enim iubet, qui hæc ordinat Paulus: inimicum autem in eo quod non reddamus malum pro malo, ſed pro iniuria faciamus beneficium.* Hæc autem qui partiatim ſingula ſcholaſtico rigore diſcuſſa legere deſideret, adeat ex hoc Canticorum loco differen-
S. Thom.
tem S. Thomam 2. 2. quæſt. 26. per tredecim articulos commonſtrantem, quod Numini debeamus, quod ſociis, quod nobiſmet ipſis; ibidémque Commentariorum ſcriptores plurimos.

24.
*Prudentia in vita ſpirituali, quàm neceſſaria, ad indiſcretos feruores moderandos.*
Quoniam autem locus iſte ſanctiſſimi Epithalamij non de qualicumque ſpiritus profectu intelligendus, ſed de eo, qui maximo quodam cum animi exæſtuantis & ebullientis ardore coniunctus eſt, diuinè ſubdidit eiuſmodi ſpiritus ebriamen moderandum eſſe altiſſima prudentiâ, non Carnis, vt aliqui imperitè effutiunt, ſed quæ de ſurſum eſt à patre luminum deſcendens: qui enim huius gubernationem contemnunt, vltra menſuram corpuſculum affligunt indiſcretâ maceratione, tum & illis latens ſuboritur iactantia, vt pios & Religioſos nullos exiſtiment niſi qui in exteriore verſantur aſperitate mirandâ quadam, & ſupra moderatum vſum: tale hominum genus quemadmodum hiſce inſtruatur verbis percipiamus à Bernar-
Bernard.
do ſerm. 49. in Cantica: *Sequitur, ordinauit in me charitatem; omninò neceſſariè: importabilis ſiquidem abſque ſcientia eſt Zelus; vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis: ſemper quidem Zelus abſque ſcientia minus efficax, minúſque vtilis inuenitur, plerumque autem & pernicioſus valdè ſentitur: quò igitur Zelus feruidior, & vehementior ſpiritus, profuſiórque charitas; eò vigilantiori opus ſcientiâ eſt, quæ Zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem; proinde ſanè, ne tanquàm nimia & importabilis pro impetu ſpiritus, quem è cella videtur vinaria reportaſſe, præſertim ab adoleſcentulis Sponſa timeatur; iungit, quod diſcretionis eſt etiam ſe pariter accepiſſe, id eſt, ordinem charitatis: diſcretio quippè omni virtuti ordinem ponit; tolle hanc, & virtus vitium erit.* Palladius initio Lauſiacæ Hiſtoriæ, epiſt. ad Lauſum Præpoſi-
Pallad.
*Melius eſt vinum bibere cum ratione, quàm aquam cum faſtu.*
tum: *Si ergo & ratione participes, & ratione abſtineas, nunquam peccabis; diuina enim in nobis eſt Ratio, quæ ab ijs quæ ſunt in nobis, monitionibus exterminat quidem ea, quæ ſunt noxia, aſſumit autem ea, quæ ſunt vtilia: melius eſt ergo vinum bibere cum ratione, quàm aquam cum faſtu, & ſuperbia: atque mihi quidem aſpice eos, qui cum ratione pietatis, ac Religionis vinum bibunt, eſſe viros ſanctos; eos autem, qui inconſideratè, & citra rationem cum arrogantia aquam biberunt, eſſe homines profanos, & corruptos: & nec amplius vituperes materiam cibi, & potus, ſed beatam, vel miſerandam iudices mentem eorum qui rectè, vel malè vtuntur materiâ: bibit aliquando Ioſeph vinum apud Ægyptios, ſed non fuit mente læſus, erat enim animo munitus: aquam autem biberunt Pythagoras & Diogenes & Plato, inter quos etiam Manichæi, & reliquus cœtus Theologorum philoſophorum; & eò eos vanæ perduxit opinionis intemperantia, vt ipſum Deum vniuerſorum effectorem ignorarent, & inania ſimulachra adorarent.*
Richard. Victor.
Richardus de Sancto Victore in Benjamin minore cap. 57. *His ſtimulis exagitata quorundam mens, ſæpe inchoare præſumit, quæ nullatenus valeat conſummare: hinc illa indiſcreta abſtinentia, quæ non ſolùm vires corporis, verùm etiam euacuat virtutem mentis; cognouimus per immoderatam abſtinentiam tam grauiter corruiſſe, vt nulla poſtmodum deliciarum copia, nullu coquorum diligentia poſſet eis ſatisfacere: ô viros inconſultos, qui dum hic præſumunt, quod efficere non poſſunt, illud etiam amittunt, quod efficere potuerunt.* Iuuat etiam puriſſimæ Virginis Eliſabethæ ex viſionum lib. 3. cap. 16. de via Eremitarum, ſententiam dare
S. Elizabeth.
auream prorſus: *Multi* (inquit) *in præſumptione ſpiritus ſui ambulantes, vitam ſuam nimiâ afflictione extinxerunt, & perierunt in adinuentionibus ſuis: multi menſuram ſuam excedentes, humanum intellectum in ſeipſis ſubuerterunt, & inutiles facti ſunt, & ſimiles iumentis inſipientibus; multi per immoderatam fatigationem in tædium adducti ſunt, & elanguit virtus eorum, & abierunt retrorſum, & reuoluti ſunt ad voluptates carnales, factique ſunt in deriſionem ſpiritibus nequam: Bona eſt vexatio carnis, quia aduerſatur concupiſcentijs immunditiæ, ſed ſi menſuram exuperet, inutilis eſt, quia ſuffocat deuotionem contemplationis, & lumen eius extinguit: propter hoc memento Homo fragilitatis tuæ, vt cautè gradiaris in via dura, quam ingreſſus es, & patienter agas in feſtinatione tua, ne ruinam patiaris: dirige in conſilijs ſapientum cunctos labores tuos, non in proprio ſenſu, & non confundêris in exitu tuo: dominatorem cœli ne tentes, ſi ut qui incautè ſui curam abijciunt, & habent fiduciam, quod mirificetur in eis potentia domini ſecundum dies antiquos; ad hæc ſume tibi eruditionem, & diſciplinam contemplationis, quam annunciaui à Domino:*
S. Birgitta. Thom. à Kempis. Gerard. Zutphan.
Eadem ſuggerit documenta vitæ ſpiritalis Sancta Birgitta Reuelat. lib. 4. cap 17. & ſingulariter lib. 6. cap. 121. Thomas de Kempis tract. de diſciplina Clauſtralium c. 9. Gerardus Zutphanienſis Opuſc. de ſpiritualibus Aſcenſionibus c. 67.

25.
Caſſiodor. Gregor. Beda. Orgelit. Anſelm. Rupert. Bernard
Sed quæ amore languet, ſiue vt alij transferunt quæ charitate vulnerata, quorſum flores & poma exoptarit? Latini Patres, qui vulgatam amplexantur interpretationem fidei, & operum coniunctionem intelligunt: Ita Caſſiodorus, Gregorius Papa, Beda, Iuſtus Orgelitanus, Anſelmus, Rupertus, Bernardus ſem. 51. benè Vvolbero: *Alio quoque modo vtilitatem & profectum*



Volbero.
*Fidei & operum coniunctio adſtruitur hic contra Caluinum.*
*filiorum Eccleſia deſiderat per fidem, & operationem, vt tunc dicatur fulciri floribus, quando ornatur credentium fide, quæ eſt Religionis exordium, & quaſi primò ſurgens flos ſanctitatis: Sed quia fides ſine operibus mortua eſt, ſtipari dicitur malis, quando ipſorum credentium multipliciter fructificantium pijs gaudet operibus quaſi maturis iam fructibus.* Locus aduer-
Caluin.
sùs Caluinum vtilis qui vt ſummam malè agendi licentiam euacuatis honeſtis operibus ſubintroduceret lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 13. Somnium appellauit iuſtitiam ex fide & operibus conflatam; ſed charitatis Dei ſtolâ nudatus Apoſtata, operum neglector bonorum factus eſt; vbicumque tamen Beata illa feruet Dilectio, opera continuò adſiſtunt egregiæ laudis, & meriti ſummi: quare di-
1. Ioan. 5. 3.
lectiſſimus Apoſtolus 1. Ioan. cap. 5. verſ. 3. *Hæc eſt enim charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus.* Cernis Amoris notas Mandatorum cuſtodiam? idémque Ioannes de Amicis Sponſi, ſcilicet in quibus ardebat charitas, cap. 15. verſ. 14. *Vos*
Ioan. 15. 14.
*Amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis:* capite verò 14. expreſſiùs verſ. 15. *Si diligitis me,*
Et 14. 15. v. 21.
*mandata mea ſeruate*, Et verſ. 21. *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit.* Qua-
Cyrill.
re Cyrillus in dictum Euangeliſtæ caput: *Nam ſi ſeruare mandata diligere eſt, non ſeruaſſe mandata odiſſe neceſſariò eſt: Signum enim non diligendi, eſt mandata paruipendere, & præcepta quaſi iniuriam inferant, contemnere.* Celebre autem eſt
Gregor.
Gregorij Papæ effatum homilia 30. in Euangelia: *Probatio ergo dilectionis exhibitio eſt operis: hinc in epiſtola idem Ioannes dicit: Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt; verè enim diligimus, ſi mandata eius ſeruamus:*
Beda.
Beda homilia in Feſto Pentecoſt. *Vbi omni intentione conſiderandum, quia Chriſtum verè diligere eſt, non ipſam dilectionem labijs profiteri, ſed mandata Chriſti, quæ diſcendo habemus, operando ſeruare: vnde & Ioannes admonens ait: filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Nihil tritius hac doctrinâ in Patrum ſcriptis: Taceo, quali bonorum operum comitatu incedentem charitatem Paulus memoret priori
1. Corinth. 13. 4.
ad Corinth. cap. 13. verſ. 4. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, congaudet veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat:* Præclarè igitur Sponſa, quæ Amore, cuius deliciæ ſunt eſſe in operibus, conſumebatur, noluit ſolam fidem ad ſocietatem admittere; quid enim profutura abſque operibus?
Iacob. 2. 20.
inclamat namque Iacobus c. 2. verſ. 20. *Vis autem ſcire ô Homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham Pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt? Similiter & Rahab meretrix nõne ex operibus iuſtificata eſt? Sicut enim corpus ſine Spiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt:* Sed vt in hoc refutando errore moras trahere non ſit ne-
Bellarmin.
ceſſum, debemus Bellarmino, qui copioſiſſimè obtruncat lib. 1. de Iuſtificatione c. 12. & lib. 4. à
Gaultier.
capite primo: ſolidè etiam Gualterius per omnia Chronographiæ ſæcula, veritate 5.

26.
*In hanc hæreſim rectè primùm inſurgit Eccleſia, quòd ſceleribus omnibus habenas laxet.*
At quamobrem contra hanc potiſſimum Hæreſim prima ſpicula dirigens recens coniugata Eccleſia? Num quia malarum opinionum deterrima? ad omne quippe ſcelus laxat habenas, quando vnius fidei curam imponit: quare dogmatis impiiſſimi occaſione Lutherani in tantam Vitiorum amentiam prolapſi fuêre, vt viſitationem inſtituere, & retractare quæ aduersùm opera bona docuerat Lutherus ipſemet coactus ſit, non ferre valens quanquàm horrendè ſceleratus tantam
Coclæus.
morum corruptelam, vt ex Ioanne Coclæo & aliis refert Bellarminus libro 4. de Iuſtificatione
Bellarmin.
cap. 1. §. *Quintò probamus*, &c. Sub initio autem Apoſtaſiæ Homo totus à Satana poſſeſſus, vt rudiorum animis placidum inſtillaret venenum in tabula quadam, in qua extremi iudicij delineata
Florim. Rem.
forma Auguſtæ Vindelicorum inſcribi fecit: *In hoc die vnuſquiſque ſecundum fidem ſuam mercedem accipiet:* recenſet Florimundus Remundus de Origine Hæreſum lib. 1. cap. 16. num. 3. Fortaſſe tamen Sponſam aliquid pulſauerit, quod propè in ianuis fuerit: Quippè eodemmet loco Florimundus aduertit, hanc primum excitatam Hæreſim à Simone Mago, qui Dux & caput Hære-
Bellarmin.
ſiarcharum: ex antiquorum dictis Bellarminus commonſtrat libro 4. de Iuſtificatione cap. 8. ſub initio, iam tùm Apoſtolorum æuo hanc introductam vecordiam nominatim à Simone infando: Quoniam igitur propè in limine contagium, præmunit Sponſa, adhortans, ne ſolis floribus contenti poma aliquo modo reſpuant, ſed fidem ſimul, atque opera connectant: Quid ſi & ab huius erroris præſcientia languet & infirmatur ob amorem in Sponſum, ínque eius charum gregem, quem ferox lupus deuoraturus ſit peſtilenti doctrinâ, Sponſa amantiſſima? certè Beatus Antonius Monachorum Pater, cùm viſione prænoſceret, ſtragem, quam Arriana Hæreſis, editura, obortis ſæpenumero lachrymis, ſingultus vix cohibere potuit, planè inconſolabili triſtabatur lamento, vt Auctor eſt in eius vita
Athanaſ.
Athanaſius.

27.
*Vt Synagoga Coniugali fœcunditate, ſic Eccleſia Virginitate delectatur.*
Neſcio tamen, an in Synagogæ aliquam ſugillationem nouis leniri medicamentis infirmitatem ab amore iunior ſuſpirat Eccleſia, ſcilicet vetus illa congregatio Matrimoniis & ſerâ Nepotum lineâ delectabatur: ſolatium adoleſcentioris cœtus Virginitas & cælibatus, quorum ſymbola flores & poma: de floribus perbellè ad hunc locum Guarricus Abbas ſerm. 4. de Aſſum-
Guarric.
*Flores & Poma, Virginitatis & Cœlibatus ſymbolum.*
ptione Deiparæ: *Decebat namque, vt non niſi Virgo Virgini deſeruiret, quatenus & Virgo Beata diuino languens præ amore, floribus fulciretur caſtitatis; & Virginitas Adoleſcentis id interim perciperet remunerationis, vt de contubernio proficeret tantæ ſanctitatis.* De pomis autem S. Hildegardis Viſio-
S. Hildegard.
num lib. 1. viſione 2. numero 25. *Et ideò Virginitas eſt pulcherrimum pomum inter omnia poma Conuallium: & magna perſona in omnibus perſonis, quæ in palatio indeficientis Regis ſunt, quia vnigenitum meum Mundo edidit.* Verùm, quo pacto, quæ amore æſtuat, non magis in prolem æſtuat, quàm in ſteriles amplexus? Quoniam dilectio Sancta eſt, cuius eſt indiſſolubilis nexus cum continentia: Richardus de Sancto Laurentio
Richard. à S. Laurent.
lib. 12. de laudibus Virginis: *Maria lilium, candor floris caſtitas, aureus color ſignat charitatem: aurum verò Metallorum pretioſiſſimum, quia caſtitas procedens ex charitate, ſcilicet quando quis continet propter amorem Dei, & exemplum proximi, pretioſiſſima eſt ante Deum.* Equidem altiſſimæ perfectionis conſilia huic dulciſſimæ Sponſæ ſuæ Chriſtus antequam ad Genitorem proficiſceretur, quæ humanis perſuaderet mentibus commẽdauit, rerum videlicet humanarũ contemptũ, ingem Mortificationẽ, abnegationẽ voluntatis propriæ, tum & diſperſionem Euangelij per infinitas
*Virginitas ad Euangelij Prædicationem aptiſſima.*
laborũ ærumnas ad vltimos vſque terrarũ limites; & horũ publica exordia poſt Sancti flaminis delapſum: Amor tædiorum impatiens, quo deflagrabat, ad continuam vrgebat obedientiam: Sed quinam Prouinciæ difficillimæ idonei? omninò

1.Corinth. 7.32.

Virgines: *Qui ſine vxore eſt* (inquit Apoſtolus 1. Corinth.cap.7. verſ. 32.) *ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt:* in hunc ſcopum Euſebius Cæſarienſis lib.1. Demonſtrat. Euang.cap.9. poſt diſquiſitionem cælibatus in noua lege:

Euſeb. Cæſar.

*Quippe cùm Deo fauente* (inquit) *per Euangelicam Saluatoris noſtri doctrinam, innumerabiles gentes, & populos, in vrbibus, & regionibus, & agris liceat nobis oculis intueri, eodem animo feſtinantes, & ad ſancta Euangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes, quibus quidem ſatis, ſupérque ſit, ſi Doctores ac prædicatores diuini verbi omnibus & vitæ vinculis, & ſollicitudinibus liberati, ſufficere poſſint: his autem ipſis maximè in præſentia, vt melioribus ſtudijs vacent liberiùs, ſeiunctus à re vxoria victus adamatur, velut ijs, qui diuinâ & incorporeâ ſobole propagandâ occupati teneantur: & non vnius, neque duorum liberorum, ſed aceruatim innumerabilis multitudinis educationem, ſanctámque diſciplinam, ac reliquæ inſtituendæ vitæ curam ſuſceperint.* Apprimè Sancta Birgitta Reuelat. lib.2.c.7. & lib. 8. cap. 1.

S.Birgitta.

*Petrus fuit alligatus coniugio; qui videns coniugium cum officio clerici non poſſe conuenire, & rectitudinem mentis ſuæ ex incontinentia periclitari perpendens: ſeparauit ſe quantùm ad commixtionem à coniugio quamuis licito, & perfectâ mente adhæſit mihi: Paulus autem caſtitatem ſeruauit, & ſe immaculatum à toro cuſtodiuit.* Vniuerſim de Apoſtolorum collegio Hieronymus Apologiâ pro libris contra Iouinianum:

*Apoſtoli aut Virgines aut cælibes.*
Hieronym.
Tertullian.

*Apoſtoli* (ait) *aut Virgines, aut poſt nuptias, continentes*; cuius propè opinionis Tertullianus lib. de Monogam. cap. 8. Quoniam itaque ad animarum fructus, ad verbi prædicationem, ad functiones Eccleſiaſticas, ad penitiora Religionis arcana; impedimentum familia cum vxore & liberis, his expeditas obſtaculis Virgineas legiones Sponſa anxiè implorat, quæ Sponſi iuſſa velociter & exequantur in ſe aliíſque, & deferant vſquequaque.

28.

*Quàm multi in Euangelica Lege Virginitatis cultores.*

Sed cur ſtipari Malis concupiſcit, quaſi voluptas non ſit, niſi vndique circumeffluant poma, & vallo condenſo ambiant? vt nouæ legis gratiam, & virtutem indicet: cùm in eum diem apud mortales vix quidpiam magè peregrinum Virginitatis deſiderio, talis poſtea increuerit ardor ſub Euangelio, vt cælebs quodammodò mundus totus factus ſit: atque hoc ſtatim ab initio Apoſtolorum ante Lumina & oculos ipſis cohortatoribus; atque hæc ſunt illa ſacratiſſimarum Virginum examina de quibus Philo Hebræus de vita contemplatiua, cuius ex teſtimonio probat Euſebius Hiſt. Eccleſ.lib.2.cap.16. eadem, quibus ſalutem mittit Ignatius ep. ad Philipenſes ſub fine, inquiens:

Philo Hebr.
Euſeb.
Ignat. Martyr.

*Saluto Collegium Virginum, & cœtum viduarum*; quibus ex verbis probè colligit noſter Gualterius Chronol.ſæcul.1. veritate 8. §. 17. eo tempore fuiſſe Virginitatem profitentium fœminarum plurimam multitudinem: ſiue quidem Ignatius primus Antiochiæ in cœtum conſtrinxerit, ſeu numero & honore amplianerit, vt noſter Halloix in eius vitæ cap. 7. expendit, Notíſque ad eandem, & citatam epiſtolam: ſanè locum Pſalmi 44. verſ.15.

Gualterius.
Halloix.
Pſalm.44.15.

*Adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi*, de primis Credentibus Remigius exponit Antiſiodorenſis; & Thomas Vvaldenſis generatim de æuo illo tom.1. lib.3. art.1. c.6. loquens de poſterioribus cœnobitis:

Remig. Antiſiod.
Thom. Vvald.

*Planè* (ait) *imitantur Apoſtolos, primos credentes; de quibus etiam tunc vel multi, vel maior pars Religioſi erant, & adſtricti regulis Religionis perfectæ, & diſtinctæ à Religione Chriſti vulgari*: nec primi ſæculi gloria tanta fertilitas innuptarum cohortium, dolebat Fauſtus Manichæus de nimiis incrementis, & Auguſtino obiectabat: lib.30.contra Fauſt. cap. 4.

Auguſtin.

*Nec videtis hinc & Virgines veſtras dæmoniorum doctrinâ captas notari, & vos eſſe Antiſtites dæmoniorum, qui certatim ſemper ad hanc eas incitetis profeſſionem ſuaſionibus veſtris; vt penè iam maior in eccleſijs omnibus Virginum apud vos, quam mulierum numeroſitas habeatur.* Ambroſius lib.3. de Virginibus ad medium:

Ambroſ.

*Diſcite quantas Alexandrina, totiúſque Orientis, & Africana Eccleſia quotannis ſacrare conſueuerint: pauciores hîc homines prodeunt, quàm illic Virgines conſecrantur.* Chryſoſtomus hom.8. in Matthæum loquens de Ægypto:

Chryſoſtom.

*Eſt enim cernere tota illa regione diffuſum exercitum Chriſti, & admirabilem illum regium gregem, virtutúmque cæleſtium conuerſationem in terris micantem: atque non in viris ſolùm, verùm etiam in fœminis ſplendêre conſpicias; nam illæ quoque non minori, quàm viri virtute decorantur; Non ita varijs aſtrorum choris cœlum refulget, vt Ægyptus innumeris Monachorum, ac Virginum diſtinguitur, atque illuſtratur habitaculis.* Paulus Oroſius lib. 7. c.33.

Paul Oroſ.

*Vaſtas illas tunc Ægypti ſolitudines, arenáſque diffuſas, quas propter ſitim, ac ſterilitatem, periculoſiſſimámque ſerpentum abundantiam, conuerſatio humana non noſſet; magna habitantium Monachorum multitudo impleuerat:* Palladius in Lauſiaca c.135. in Ancyra ad decem Virginum millia fuiſſe ſcribit: Ruffinus autem in vitis Patrum lib.2. cap.5. de Oxyrincho Thebaïdos vrbe, reſponſum à ciuitatis Antiſtite, viginti millia Virginum, & decem millia Monachorum inibi haberi: concludam Theodoreti verbis in Philotheo c. 30.

Pallad.
Ruffin.
Theodoret.

*Multæ enim aliæ partim quidem vitam amplexæ ſunt ſolitariam, partim autem viuere amarunt cum pluribus, adeò vt ducentæ & quinquaginta & plures, & pauciores ſimul viuant, vno cibo veſcentes, ſuper ſolas ſtoreas ex inſtituto dormientes, & manus quidem lanæ attribuentes, hymnis verò linguam conſecrantes, ſunt autem eiuſcemodi innumerabilia ſapientiæ gymnaſia, non ſolùm in noſtra regione, ſed etiam per totum Orientem: ijs autem plena eſt & Palæſtina & Ægyptus, & Aſia, & Pontus, & tota Europa: ex quo enim Chriſtus Dominus honorauit Virginitatem, prata Virginitatis natura germinauit, & hos ſuaueolentes, & qui non marceſcunt, flores offert creatori; non virtutem in maſculo & fœmina diſcernens, nec in duas differentias diuidens philoſophiam: eſt enim differentia corporum, non animorum.*

29.
Lutherus.

Abeat nunc brutum illud pecus Martinus Ludther, qui ſpurciſſimo calamo vulgauit ſerm. quem anno 1522. de Matrimonio habuit, & operum tom. 5. propè finem legitur; non minus in viri fœminæve poteſtate eſſe cælibem amaſſe torum, quàm aut non virum, aut non fœminã eſſe: neque meliora Caluinus in Harmonia ad c. 19. Matth. ſed bene eſt, quod quemadmodum in ſcortationibus & impudicitiis fundata eſt à principio omnis Hæreſis, vti egregiè demonſtrat Thomas Bozius tom.1. de ſignis Eccleſiæ, ſig.51. cap.1. ita & in caſtitate Eccleſia cõſtabilita ſit Catholica, cui nihil antiquius Virgineis cœtibus, quos apto vocabulo Cyprianus glorioſiſſimus condecorauit Martyr, libro de diſciplina, & habitu Virginum:

Caluinus.
*Vt Hæreſes in impudicitia, ſic Eccleſia in Caſtitate ſtabilitur.*
Bozius.
Cyprian.
*Inter veræ Eccleſiæ Notas, Caſtitas refertur.*

*Florẽ*, appellans, *Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, illuſtriorem portionem gregis Chriſti.* Quamobrem ſapienter mihi feciſſe viſus nuper allegatus Bozius, qui dicti Voluminis lib.11. cap. 6. inter notas veræ retulit Eccleſiæ,





ſignum faciens 48. Quare veteres Patres, cùm pro Orthodoxa Religione contra Pagana mendacia Tractatus ſcribunt Apologeticos, ad confirmandam de ſanctitate opinionẽ, libenter vſurpant ex Virginitate encomium: Athenagoras pro Chriſtianis Apolog. propè finem:

Athenagor.

*Inuenias autem multos ex noſtris & viros, & fœminas, qui in cælibatu conſeneſcant, quòd Deo coniunctiores ſe futuros ſperent.* Minutius Felix in Octauio poſt medium:

Minutius.

*Plerique inuiolati corporis Virginitate perpetuâ fruuntur: potiùs quàm gloriantur: tantùm denique abeſt inceſti cupido, vt nonnullis rubori ſit etiam pudica coniunctio.* Diſertiſſimè verò Athanaſius Apologiâ ad Conſtantium Imperatorem, loquens de Chriſto Seruatore ait:

Athanaſ.

*Inter cætera dona largitus eſt nobis in Virginitate exemplar Angelicæ ſanctitatis; certè puellas eâ virtute præditas, Sponſas Chriſti Catholica Eccleſia appellare ſolita eſt, quas Ethnici conſpectas, vt templum Verbi admiratione proſequuntur: nuſquàm enim alibi ſanctum illud, & cæleſte æternæ Virginitatis mandatum, etſi duntaxat apud nos Chriſtianos: atque in eo magnum documentum eſt, planè apud nos eſſe veram Religionem.*

30.

*Quantùm Eccleſia Synagogam antecellat Virginitatis gloriâ.*

Quod ſi quidem & Synagogam non alios ob titulos ſuperaſſet Eccleſia ex Gentibus, tamen ſola huius virtutis fama nobilitaſſet eximiè: eius præſtantiæ dotes ex Patribus coaceruarunt Bellarminus de Monachis lib. 2. cap. 28. Leſſius Opuſculo de Bono ſtatus caſtitatis in ſæculo cap. 3. Gualterius in Chronologia, veritate 8. de qua illud ſummum eſt, quod Zeno Veronenſis affirmat ſermone de continentia, inquiens:

Bellarmin.
Leſſius.
Gaultier.
Zeno Veron.

*Denique, ſi eſſet aliquid Virginitate melius Dei filius hoc magis potuerat ſuæ Matri præſtare, cui præſtiterat vt diuinæ Virginitatis honore polleret.* Quare etſi veteri ſub inſtrumento Heroës fortiſſimi, tantam nihilominus aggredi prouinciam quaſi veriti ſunt, de quibus propterea Chryſoſtomus homilia 9. de Pœnitentia:

Chryſoſt.

*Talis enim erat Virginitas, vt eam potuerit Nemo veterum conſeruare; grauis enim erat Virginitatis profeſſio, vt hac ſe nemo religaret: Noë iuſtus erat, & à Deo teſtimonium accipiens, ſed mulieri adhæſit; ſimiliter Iſaac: Ioſephus caſtus adulterij facinus ſe patraturum negauit, ſed hic cum muliere conſuetudinem habuit: Nemo igitur veterum poterat Virginitatem tenêre.* Quamobrem Ioannes, Hymnum, quem in cæleſtibus præcinebant caſtitatis gloriâ fulgentes, Canticum nouum fuiſſe memorat Apocal. cap. 14. verſ. 3.

Apocal.14.
Rupert.

Scilicet quod ad noui fœderis ſpectaret omninò tempora, inquit Rupertus libro 9. in Apocal. Concinnè Guilielmus Paruus Prologo Commentariorum in hoc Salomonis Epithalamium:

Gulielm. Paruus.

*Canticum, quod cantant, nouum eſt, quia noua eſt Virginitas, id eſt, cum integritate mentis Deo dicata Carnis integritas: olim enim Carnis integritas Deo minimè dicabatur, quando videlicet per legem terribiliter clamabatur; maledictus, qui non fecerit ſemen in Iſraël.* Sancta Hildegardis Viſionum libro 2. viſione quinta, numero 9.

S.Hildegard.

*Videlicet, quoniam velox iter habens, Canticum illud in nouitate libertatis mirabiliter promit, quod antequam vnigenitus Dei, qui verus flos Virginitatis eſt, Incarnatus de mundo ad cælos rediens, ad dexteram Patris reſedit; auditum non eſt.* Iam verò, in altero huic conſimili Hymenæo, qui eſt Pſalmus 44. cùm Pater Sponſi nurum alloquitur verſ. 11.

Pſal.44 11.

*Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris*, ſermo parænecticus eſt ad Virginem beatam, ne morem patrium in Connubiis ſequatur, ſed peregrina calcata ſemita, inuiſum prioribus ſæculis etiam apud gentem veri numinis cultibus deditam, caſtitatis perpetuæ, & immaculatæ pudicitiæ, vexillum prætendat: Sic Bernardus homilia 3. ſuper Miſſus eſt, cuius illa ſunt verba:

Bernard.

*Meritò concupiuit Rex decorem Virginis: fecerat enim quicquid longè antea præmonita erat à Patre ſuo Dauid dicente ſibi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui; & ſi hoc feceris, concupiſcet Rex decorem tuum: audiuit quippè, & vidit & inclinauit aurem ſuam ad obedientiam, & Cor ſuum ad diſciplinam, & oblita eſt populum ſuum, & domum Patris ſui; quia nec populum ſuum augêre prolis ſucceſſione, nec domui Patris ſui relinquere curauit Hæredem.* Parem interpretantur in modum ex Græcis Chryſippus Ieroſolymitanus ſermone de Sancta Maria Deipara, Gregorius Thaumaturgus ſermone 1. de Annunciatione, Athanaſius epiſtola ad Marcellinum, Leo Imperator cognomento Sapiens homilia de Incarnatione Filij Dei: ex Latinis ad Pſalmum 44. Hugo Cardinalis, Dionyſius Rikelius, Sanctus Thomas, Incognitus, Iacobus de Valentia: inſuper Richardus à Sancto Laurentio libro 6. de Mariæ laudibus, Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt cap. 182. Sanctus Thomas de Villanueua Concione 2. de Annunciatione, Ioannes Garçia Barcinonenſis Epiſcopus ante centum annos ſermone 5. de Transfiguratione, qui eſt in ordine 97. Bernardinus de Buſto 4. parte Marialis ſermone 4. de virtutibus Beatæ Virginis, Caniſius libro 2. Mariano, cap. 15.

Chryſipp.
Thaumat.
Athanaſ.
Leo Imperator.
Hugo Card.
Richelius.
S.Thom.
Incognit.
Valentia.
Richard. à S. Laur.
Albert. Mag.
Villanoua.
Iean Garcia.
De Buſtis.
Caniſ.

His ſi annectere Lectori placuerit, quæ à nobis fusè tractata ſunt Volumine 1. Anteloquio 7. ſectione duodecima; fortaſſe iſtius argumenti ſufficientem reperiſſe ſe probationem arbitrabitur: itaque ob Virginitatis decorem præſtare inſigniter Eccleſiam Catholicam Synagogæ teneamus: Quamobrem mirum non eſt, quod charitate ſuperinduta cùm prodit ex Cella Vinaria, ab hac exorditur virtute ſermonem: eſt enim quaſi Gentilitij cuiuſdam ſtemmatis inſtar, qua facilè ab aliis ſectis diſtinguatur, ob quam clariſſima eſt memoria eius apud Deum, & apud homines, qui non ſunt ex ſanguinibus neque ex voluntate Carnis, neque ex voluntate viri, qua ſit contubernalis incorporeis Spiritibus: Quod ſi quidem præliatura ſit ſtatim (iam enim deſcendit ſuper eam Paraclitus) cum rectoribus tenebrarum contra nequitias Paganiſmi, & altercatio futura ſit horribilis: quippe fremuerunt gentes, & populi conuenerunt in vnum aduersùs Chriſtum eius, quonam modo pugnam inſtruat abſque hac auxiliari cohorte, quæ fortiſſima Belli pars? itáne coniugati futuri illi per quos in omnem orbem ſpargatur ſonus Euangelij per vulnera, per mortem, & cædes? audiamus facundiſſimè diſſertantem ex Matrimonij & Virginitatis comparatione Iſidorum Peluſiotam lib. 3. epiſtola 351.

Iſidor. Peluſiot.

*Illa enim primas partes in acie tenet, ac phalangis frontem exornat, illuſtriaque trophæa ſtatuit: hoc autem, cum mediocre ſit, & imbecillioribus adminiculi loco conceſſum, poteſt quidem eos, qui ipſum illæſum cuſtodiunt, ſeruare; at non item ad Virginitatis faſtigium ſubuehere; vnde etiam Spiritualibus lex, eos qui vxorem duxerant, ac vites plantauerant, ad bellum illud, quod cum ſpiritualibus nequitiæ ſuſcipitur, vetuit: Quæ cùm ita ſint, non in ea opinione verſentur ij, qui huiuſmodi vinculis conſtricti ſunt, vt cum ijs qui ſoluti, ac liberi ſunt, certare ſe poſſe exiſtiment, nec enim id fieri poteſt.*

*Patres abſolutè docentes Deiparam fuiſſe, quæ prima Virginitatem coluit, quo more interpretandi? item & Bibliorum verba, quæ idipſum ſuggerant? Prima tempore ex omnium mortalium cœtu Virginitatis ſe voto obſtrinxit: Sanctum Bartholomæum eius fuiſſe opinionis oſtenditur: reuelatum Beatæ Mechthildi idem: fuiſſe Catholicorum ſemper Auctorum vulgare placitum, commonſtratur: Ioannes Hieroſolymorum quadrageſimus quartus Antiſtes quibus infectus erroribus? quàm de eo acerbè graues ſentiant Scriptores? Num Parens operis de inſtitutione Monachorum & quali fide dignus liber? Nazaræatus in priſca lege Votum, quare Magnum nuncupatum?*

## SECTIO II.

31. *Virgo Beatiſſima prima omnium Virginitatem Deo vouit.*

VIdeo, ſtatim vt de Virginitate orta eſt ſacro in Epithalamio mentio, grauium Expoſitorum iudicio, continuò ſollicitos de Mariæ intemeratæ præconiis, vulgaſſe in eius laudem, primam fuiſſe, quæ Deo pudicitiam Voto obſtrinxerit: Sic Aponius in verſum 12. huius 2. capitis: *Vox Turturis audita eſt*, &c. *congruè ſatis huius caſtiſſimæ auis vox, glorioſæ Virginitatis, in ſupradicto tempore per Beatam Mariam primùm audita eſt in terra noſtra:* Sequuti ad eundem verſum, monentes inſuper, primam extitiſſe, quæ Votum caſtitatis Deo nuncupauit, Delrius, Giſlerius expoſitione 4. §. vltimo, Ludouicus de la Puente tom. 1. in Cant. lib. 3. exhortatione 25. §. 4. Rupertus Abbas in illud cap. 4. *In vno crine colli tui*, &c. *hoc ſcientes dicunt, & verè dicunt Amici, quia votum egregium Deo prima vouiſti, votum Virginitatis.* Guilielmus Paruus in verſum 6. cap. 3. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum*, &c. Interpretatione mixta apud Delrium: *Nihil* (inquit) *aptius per deſertum, quàm Virginitas figuratur: quid enim illis diebus tam neglectum, atque deſertum, quàm Virginitas? Da mihi vel vnum, vel vnam illius temporis, qui titulo Virginitatis effulſerit; & quidem nulla ſanctarum fœminarum legitur Virginitatem amplexa, dum ratio temporis officium propagationis expoſceret: porrò aliqui ſanctorum Virorum, pauciſſimi tamen Virginitatem eo tempore ſeruaſſe creduntur: Maria princeps per hoc deſertum aſcendit, quæ prima Hominum Omnipotenti Deo, immaculati corporis, & Cordis ſacrificium ſtuduit offerre.* Philippus Abbas in verſ. 9. cap. 1. collum tuum ſicut monilia, &c. lib. 1. cap. 7. *Nec nouum quidem, & ſubitum erat ei diuinis monitis obedire, quæ diebus retrò quàm plurimis Deo conſueuerat deſeruire, ita vt fideli propoſito manſuram quoque Virginem ſe voueret: Vnde tamen vel mandatum in Scripturis, vel formam in præceſſoribus non haberet, ſolo eius Doctore Spiritu, qui dignanter interiùs præſidebat, ipſa ſuam caſtitatem illibatam ſeruare diſponebat.* Ioannes Picus ex Carthuſiana familia grauis Auctor lib. 1. in Cantic. cap. 11. *Tu autem pientiſſimo propoſito virum nunquàm cognoſcendum, ſine conſilio, præter præceptum, ac ſuprà exemplum vouiſti.* Ita pro ſcientiæ opinione, pro animi affectu erga inclytiſſimam Reginam datâ opportunâ anſâ vulgarunt, quem à Deo honorem acceperat, vt cælibum Legionum præclariſſimarum ductatrix & vocaretur, & eſſet: Quando igitur hoc nos loco inſinuari Virginitatis priuilegium in lege noua arbitremur, ipsâſque ad claſſicum cieri cohortes publico Sponſæ hortatu: æquum eſt deuoto probemus Lectori, Deiparam ſemper intactam, quæ ſignum prima erexerit, fuiſſe ex omni hominum genere.

Aponius. Delrio. Giſler. De la Puēte. Rupert. Gulielm. Paruus. apud Delr. Philipp. Abb. Ioan. Picus.

32. *Patrum auctoritate ſtabilitur.*

Certè, nihil in Patrum ore frequentius, quàm vt *Primiceriam* Virginum appellent, *Anteſignanam, Vexilliferam & primipilam*, quod ſcilicet prima extiterit, quæ caſtitatem perpetuò illibatam ſeruare docuerit: ita Origenes in illud cap. 13. Matth. & factum eſt, cùm conſummaſſet IESVS, &c. Epiphanius Hæreſi 87. Auguſtinus tract. 10. in Ioannem propè initium: Hieronymus ep. 22. ad Euſtochium, atque epiſtola 74. ad Pammachium, Ambroſius libro 1. de Inſtitutione Virginis cap. 5. Damaſcenus libro 4. de Orthodoxa fide cap. 25. Beda in cap. 1. Lucæ, Iſidorus lib. 1. de Eccleſiaſticis officiis cap. 17. Apponius loco numero præcedenti allegato, Idiota in contemplatione de B. Virgine, Ildephonſus ſermone 5. de Aſſumptione, Bernardus tract. de Paſſione Domini c. 31. & ſuper Miſſus eſt homilia 4. vbi expendit Neminem in Auorum ſerie, neque ex omnibus tribubus Gentis, quem imitaretur, reſpexiſſe: Amedæus Epiſcop. Laur. homilia 8. de laudibus Virginis, Richardus à Sancto Laurentio lib. 10. de laudibus Mariæ: Titulo; *in hoc templo*, &c. Sancta Eliſabetha viſionum libro 3. cap. 13. de via continentium; §. *Poſthæc vna*, &c. Hanc Virginis excellentiam celebraſſe viſus Dauid Pſal. 44. v. 11. & 15. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris*; quibus monitam blandimentis, vt contra Nationis vſum Virginitatem Deo ſacraret, ex decem & ſex pleriſque inſignioris notæ Doctoribus oſtendimus numero 30. Quoniam igitur in hoc ſtadio Magiſtra futura erat, & quæ præeundo ante cæteras glaciem frangeret, quemadmodum eius premeret veſtigia turba ingens caſtarum, ſubiunctum continuò: *Adducentur Regi Virgines poſt eam; proximæ eius afferentur tibi.* De Sanctimonialibus loquutum Pſalmiſtam Hugo arbitratus Carenſis: generatim Angelicus Doctor ibi: *vel poſt eam* (inquit) *id eſt poſt beatam Virginem, quia ad Chriſtum Virgines ducentur ad ſeruandum caſtitatem.* Typus & encomij huius, cùm ſuperato ab Hebræis rubro æquore Maria tympanum ſumpſit; *Egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino*, &c. Exod. cap. 15. verſ. 20. Nam innuit Virginem Beatam ductricem eſſe fœminarum, non quarumcumque, ſed earum, quæ Ægypto, Mundo videlicet ſpreto, in eremum, qua ſtatus Religionis adumbratur, pergunt: *Qualis erit illa dies* (inquit Hieronymus ad Euſtochium de ſeruanda Virginitate) *cùm tibi Maria Mater Domini, choris occurret comitata Virgineis? cùm poſt rubrum mare ſubmerſo cum ſuo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet reſponſuris: Cantemus Domino*, &c. Similiter ferè Ambroſius libro 2. de Virginibus, & Chryſologus ſermone 146. Richardus à Sancto Laurentio libro 4. de laudibus Mariæ Titulo; *Maria dulcis: vnde inſignita eſt Exod. 15. per Mariam Prophetiſſam, quæ ſumpto tympano cecinit Canticum illud: Cantemus Domino glorioſè*, &c. ipſa enim dux eſt chori Virginei: Hieroglyphici inſtar thronus ille Salomonis, de quo Reg. 3. cap. 10. verſ. 18. Nam Beatam præfiguraſſe Virginem Nemo ignorat: Damianus ſerm. 1. de Natiuitate

Origen. Epiphan. Auguſtin. Hieronym. Ambroſ. Damaſcen. Beda. Iſidor. Aponius. Idiota. Ildefonſus. Bernard. Amedæus. Richard. à S. Laur. S. Eliſabetha. Pſal 44. 11. v. 15. Hugo Carenſ. S. Thom. Exod. 15. 20. Hieronym. Ambroſ. Chryſolog. Richard. à S. Laurent. 3. Reg. 10. 18. P. Damian.



Virginis, Guarricus Abbas ſermone 1. de Annunciatione, Philippus Abbas ad finem ſecundæ Expoſitionis in Cantica, qui duo poſteriores plurimùm demirantur à Scriptura pronunciari; Non fuiſſe in eum diem in cunctis Regnis ſimile conſtructum opus: *Glorioſus prorſus ille thronus* (ait Guarricus) *ac mirabilis, de quo Scriptura perhibet, quia non eſt factum tale opus in vniuerſis Regnis:* Philippus verò exclamat: *ô quàm admirabilis eſt iſta concluſio: verè tale opus in vniuerſis regnis factum non fuit:* Benè; quia eboris candore, & frigiditate Virginitatem indicabat, cuius thronus non inueniebatur, quoad Virgo ſacrata peregrino, & fortiſſimo auſu repudiauit thalami connubialis humana gaudia: Venuſtè interpretatur Richardus à Sancto Laurentio libro 10. de laudibus Mariæ; Titulo, *Maria dicitur Arca*, &c. *Siquidem vſque ad Beatam Virginem non habuit Chriſtus thronum de ebore, ſed quaſi ſedem plebeiam, & communem, ſed in ipſa thronum de ebore habuit, quæ prima Virginitatem vouit: Maria, quæ prima Virginitatis votum emiſit, Regem filium Regis magni ſublimiter exaltauit, & in corde & vtero Virginali velut in throno eburneo grandi collocauit, & ſuper omnes Reges mirabiliter magnificauit: ſicut Salomon ſuper omnes Reges terræ magnificatus eſt, eò, quod fecit ſibi thronum grandem.*

Guarric. Philipp. Abb. Richard. à S. Laurent.

33. *Num primatu temporis, an ſolùm dignitatis dicatur Deipara Virginum Primipila?*

Hæc tamen ſolùm probare quiſpiam aſſerat, Virgini mundiſſimæ præcipuam in caſtitate dignitatem tribuendam eſſe, nobilior eſt enim longè eius pudicitia, quàm cuiuſquam alterius puræ creaturæ; omnes adſentiuntur facillimè; ſed non adſtipulantur, primam tempore fuiſſe (eſt verò de primatu temporis Controuerſiæ articulus, quæ à Carnali generatione abſtinuerit, cùm frequentiſſimè Eccleſiæ Doctores ex veteri inſtrumento nonnullos recenſeant, qui cælibes traduxerint annos: vide, quos proferat Ignatius epiſtola ad Philadelphienſes: *Vtinam veſtrâ fruar ſanctimoniâ, vt Heliæ, & Ieſu filij Naue, vt Melchiſedech, vt Eliſei, vt Ieremiæ, vt Ioannis Baptiſtæ, & dilecti diſcipuli, vt Timothei, vt Titi, vt Euodij, vt Clementis, qui in caſtitate vitam exegerunt.* Reſpondeo: cùm æquè ſit aliis virtutibus commune, atque Virginitati, Deiparæ actus ſeu ieiuniorum, ſeu obedientiæ, ſeu taciturnitatis, &c. præſtare gradu & nobilitate aliorum omnium Sanctorum actibus; cùm de aliis virtutibus ſileant Patres, & de caſtitate ſigillatim proloquantur, quidpiam extra ordinem vulgarem innuere, quod nominatim de caſtitate intelligendum ſit, quàm de generali primatu cunctarum virtutum: eôque hoc certius eſt, quòd ſimul innuant, Neminem in Virginitate præceſſiſſe, cuius in exempla conaretur, ſed nec tempora aliquo modo fuiſſe illa, quæ caſtitati gratiam deferrent: alia verò ex parte, haud negare poſſibile ſit; Patres crebrò docêre de aliquibus, etſi paucis ſanè, à quibus Virginitas obſeruata fuerit; quales nominauit ſuperius Theophorus Ignatius, quibus aſſociari conſueuêre Daniel cum tribus adoleſcentibus: ergóne ſibi contradicentes toties fulgentiſſimarum ſcientiarum lumina? tollamus diſſidij ſpeciem ex noſtri Vazqueſij animaduerſione tom. 2. in 3. part. diſputatione 124. cap. 1. Siquidem & Virginitas ſolitariè perpendi valeat; eadémque voto nimirum comitata: Cùm ergò Patres tradunt, Neminem omninò extitiſſe ante Beatam Virginem, à quo caſtitas adamata ſit, ſumptâ cum omni rigore verborum formulâ, ſubſiſtere nequeat, quare neque hoc ſenſu illam et Virginum prima, ductatrix & Anteſignana: ſin autem de voti ſodalitio conſtruamus; oportet concedamus, primam tempore fuiſſe, quæ voto perpetuùm duraturo caſtitatem obſignauit Deo: Hanc itaque vindicare ei gloriam cupimus: Cùm enim ſpecioſiſſimis titulis, ídque maximo iure, Eccleſiaſtici Doctores quoties de Virginitate memoria incidit, illam adornent, ex voti fœdere eadem ſublimior facta eſt, & difficilior plurimum: huius igitur inuentricem nominari non poteſt non Virgini eximiam comparare laudem: At vndenam hauriemus hanc reſeruatam Deiparæ prærogatiuam?

Ignat. Mart. Vazquez.

34. *Prima prioritate Temporis Sacra Maria Virginitas fulcitur.* *Abdias Babylonicus qualis Auctor?*

Primùm, Scriptura non leuiter inſinuat locis expenſis numero 32. Deinde Traditio communiuit, quæ dimanauit ab Apoſtolis: Abdias Babylonicus in geſtis Sancti Bartholomæi, prodit de Chriſti genitrice dicere ſolitum: *Hæc autem Virgo, cùm execraretur omnem virum, & ipſa ſeruandæ Virginitatis votum prima Omnipotenti Deo vouit: primam autem dixi, quia, ex quo homo factus eſt ab initio ſæculi, nulla hoc votum Deo obtulit:* addítque ſtatim: *cùm hoc à nullo Homine nec verbo didiciſſet, nec exemplo:* At hæc puſilli eſſe momenti contendas, eò quòd Abdiæ inſcriptione intitulatus liber de Apoſtolorum vitis inter apocryphos numeretur codices, vt teſtatur Sixtus Senenſis lib. 2. Bibliothecæ, Litera A. §. *Apoſtolorum æuo*, &c. Fabulis ſimiliores, quàm veris narrationes indicat Bellarminus de Scriptoribus ſub finem ſæculi, proinde nullius eſſe auctoritatis, quæ inde promantur: Cedo quidem, apocryphum illum eſſe librum, proinde dubiæ & obſcuræ fidei; ſed non continuò reiectanda penitùs quæcumque apocryphis continentur monumentis. Nam certè quis inſicias iturus eiuſmodi quædam Abdiæ in volumine ſparſa eſſe, quæ vel limatiſſimæ Apoſtolorum Hiſtoriæ referunt? iam & illud ſcientibus notum eſt, Henoch tributum codicem à Patribus iudicatum inter apocrypha, quòd fabularum portentis ſcateret, Tertulliano libro de Habitu mulierum, cap. 3. Auguſtinóque libro 15. de Ciuit. cap. 13. aſſertoribus, aliíſque multis apud Salianum tom. 1. anno Mundi 987. numero 14. & tamen inde Iudas Apoſtolus hauſit, quæ Epiſtolæ verſ. 12. conſcripſit, quorum veritati nihil obfuit, ex incerto generatim volumine, tranſcripta eſſe, quòd inter plurimum lolij ſpicæ tamen triticeæ paucæ ſaltem remanſerint, vt grauiter conſiderarunt Ambroſius Catharinus lib. 1. contra Caietanum, §. *Deinde annotauit quæ adiecit*, &c. Michaël de Medina de recta in Deum fide, §. *Non iam rationes*, &c. Cornelius à Lapide in Iudam, Tena lib. 3. Iſagogæ ſacræ Scripturæ, difficultate 15. ſectione 3. §. *Licitum itaque eſt*, &c. Quamobrem pro doctrinæ excellentia, in libris apocryphis inanium ſagax deprehenſor, hanc tamen Abdiæ de Sancto Bartholomæo narrationem in pretio habuit noſter Bellomontanus cùm hoc pronunciatum ſtabiliret tom. 2. in 3. part. diſputatione 124. cap. 3. numero 85. idémque ex ſodalibus eius Chriſtophorus de Caſtro in Hiſtoria Deiparæ, cap. 3. numero 18. Doctor Petrus Morales in cap. 1. Matth. lib. 1. tract. 11. numero 15. Melchior Inchofer Tractatu de vindicata epiſtola B. Mariæ Virginis ad Meſſanenſes cap. 2. §. *Non me latet*, &c. Sed nec Abdiam allegare veriti ſunt tum cùm preſsè agerent, ſcilicet acri aduersùs Hæreticos diſputatione viri, duo eruditionis & pietatis laude

Abdias Babylon. Sixt. Senenſ. Bellarmin. Tertullian. Auguſtin. Salian. Ambr. Catharin. Mich. Medina. A Lapide. Tena. Bellomon. Chr. à Caſtro. Petr. Morales. Inchofer.

Lud. Bloſius.
Caniſius.

laude fulgentiſſimi, Ludouicus Bloſius, facula pro illuminandis Hæreticis, cap. 3. Caniſius contra Magdeburgenſes Centuriatores libro 2. de B. Virgine cap. 14. §. *Roget fortaſſe*, &c. meminit & dicti, quod Bartholomæo adſcribimus Apoſtolo in vitæ illius compendio Ioachimus Perionius: eſto autem nouus & ſuppoſititius liber ſit,

Ioachim. Perion.

qui cum Abdiæ titulo vulgatus eſt, ſcimus in Sancti Bartholomæi Actis eandem inſertam Bonauenturæ Cardinalis ætate ſententiam, quippè

Bonauent.

ille Pharetræ libro 1. cap. 5. *Beatus* (inquit) *Bartholomæus, vt habetur in legenda, aiebat: Hæc prima inter fœminas hoc conſtituit in corde ſuo, vt diceret Deo: Domine, offero tibi Virginitatem meam, cùm hoc à nullo homine nec verbo didiciſſet, nec exemplo ad imitationem inuitata fuiſſet*; teſtis quoque Richardus à Sancto Laurentio, quem qui edidit Scriptorem facit quadringentorum annorum, libro 3. de

Richard. à S. Laurent.

laudibus Mariæ, titulo; *duodecim priuilegia*, &c. *Bartholomæus* (inquit) *Apoſtolus dicit manifeſtè, quod prima vouit Virginitatem, & ideò prima, quia ante eam nulla; nec timuit maledictum ſcriptum Deuteron. 7. Vt offerret Deo gratiſſimum ſacrificium Virginitatis abſque omni humano præcepto, conſilio, & exemplo, ſolâ inſpiratione Spiritus ſancti.*

35.
*Theologorum hac in opinione conſenſus.*

His ſuccedat tertia probatio, cuius in quæſtionibus de facto eſſe vt aſſerunt, ſumma eſt auctoritas, nempè conſenſus Theologorum, vix enim ex his qui conſtanter diſputarunt, reperietur nobis contrarius; placuit verò extra morem noſtrum & minoris famæ capita aliqua inſerere, vt omnium ordinum fuiſſe opinionem Lector animaduertat; antequam verò hæc diſponere caſtra tentemus, quod ad Reuelationum genus ſpectat, quid ſibi propheticè manifeſtatum Beata Virgo Mecthildes edoceat, referre: libro 1. Sanctarum inſinuationum ſpiritalis Gratiæ iuxta principium, dum quali modo Chriſti genitricem ſalutare deberet, innuit, à Domino eruditam ſe affir-

S. Mecthild.
*Reuelata B. Mecthildi.*

mat: *Saluta, inquit, Virgineum Cor meæ matris in affluentiam omnium bonorum, quibus Hominibus perutile fuit: primò ſcilicet, quod fuit puriſſimum; vnde prima votum Virginitatis emiſit: Secundò humillimum*, &c. Vt ergo taceam ex Patribus recenſitum copioſum numerum ſuperius huius ſectionis exordio, qui, vt oſtendimus, ſibi contrarij æſtimandi, niſi de emiſſo à Deipara primo Virginitatis voto intelligantur; vt nihil referam de Phi-

Philipp. Abb.
Rupert.
Gulielm.
Richard. à S. Laurent.
Bonauent.
Arnold. Carnot.

lippo Abbate, Ruperto Tutienſi, Guilielmo Paruo, Richardo à Sancto Laurentio, & iuniorum quibuſdam expreſſis fautoribus allegatis numero 31. denique & Bonauentura citato ad calcem numero 34. Auſpicemur denſiſſimum agmen ab Arnoldo Carnotenſi, Tractatu de laudibus Matris Chriſti; *Nullum de Virginitate à Domino datum erat præceptum, ſed nec erat Apoſtolus, qui daret conſilium; acceperat tamen hoc ipſum à Deo per Spiritum ſanctum familiare mandatum; non ex reſponſo Angelico, ſed ex inſpiratione ſecreta, quæ ei & affectum Virginitatis intimauerat, & vſque ad neceſſitatem voti purum deſiderium alligauerat.* Hugo

Hugo Victor.

de Sancto Victore tom. 3. inter eruditiones Theologicas, opuſculo de Mariæ perpetua Virginitate, capitis primi calce poſt confirmatum indefectur æ caſtitatis votum: *Et pulchrè* (inquit) *prima inter fœminas Virgo Maria pro amore caſtitatis maledictum legis in carne ſua pro nobis ſuſcipiens, à maledicto legis liberauit: Vnde meritò ei ſoli datum eſt, vt filium pareret, & Virgo permaneret: Vt quia prima fœcunditati Carnis Virginitatem ſponte prætulit, nunc & fœcunda ſit carne, & integra Virginitate.*

Godfrid. Vindocin.

Godfridus Abbas Vindocinenſis antè ſexcentos annos ſermone 8. in Feſtiuitate B. Mariæ: *Vnde Dei filio hæc Sancta Virgo tantùm placuit, ſi quæratur? dilectione videlicet & humilitate, qua prima Domino Virginitatem deuouit.* Petrus Bleſſenſis ſermone 1. de Aſſumptione B. Virginis, qui eſt ordi-

Petr. Bleſſenſis.

ne 28. *Lege enim ſtante ex aduerſo; Moyſe pœnam mininante, qui à filiabus Iſraël ſobolem exigebat, licet non accepiſſet præceptum à Domino; de Virginibus nondum erat Apoſtolus, qui conſilium daret; prima votum Virginitatis glorioſum ſanctimoniæ munus obtulit Deo.* Albertus Magnus ſuper Miſſus eſt, c. 182.

Albert. M.

*Beata* (ait) *Virgo eſt Mater omnium in Virginitate, quia prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo, glorioſum Virginitatis munus Deo obtulit.* Vincentius

Vincent. Bellouac.

Bellouacenſis tom. 3. in ſpeculo Morali libro 1. diſtinctione 96. part. 3. §. *Tertium quod*, &c. *Primò, quia Chriſtus eſt amator Virginum, quod patet in eo, quòd ſuper omnes mulieres elegit habêre in Matrem Beatam Virginem; & quia ea primò eis obtulit votum Virginitatis.* Sanctus Antoninus 4. parte ſummæ,

S. Antonin.

cap. 20. §. 10. agens de ſeptimo Virginis priuilegio: *Beata Maria* (inquit) *eſt mater omnium in Virginitate: quia prima ſine præcepto, conſilio, vel exemplo glorioſum Virginitatis munus Deo obtulit, & per votum Virginitatis ab ea emiſſum, Virginitatis opprobrium abſtulit:* conſona idem 1. parte Hiſtoriæ, titulo 4. cap. 1. § 11. Sanctus Thomas de Villanue-

Thom. de Villanueua.

ua Concione 2. de Annunciatione: *Tu Virginitatis inſtitutrix, Tu Religionis huius ſacræ prima fundatrix: ipſa prima homines docuit cælibatum, prima Virginitatem ſuam Deo vouit.* Abulenſis quæſt. 12.

Toſtat.

ad cap. 30. Numerorum: *In veteri* (ait) *teſtamento in mulieribus non reperitur obſeruatio Virginitatis cum voto, aut ſine voto, ſed omnes accipiebant viros: Domina autem noſtra fuit prima, quæ Virginitatem obſeruauit & vouit: De viris autem magis reperitur: Nam quanquàm non habeatur expreſſum votum Virginitatis; patet tamen quod aliqui obſeruauerunt illam, ſicut fuit Hieremias*, &c.

36.

Sed longum omnium verba recensêre, cantant tamen pari gutture vniuerſi, quos referemus, experimentum capiat incredens fontibus rimatis, Petrus de Natalibus in menſe Septembri cap. 51.

Dionyſ. Carthuſ.
Incognitus.
Ludolph. Carthuſ.
Ioannes Lanſperg.
Thomas VValdenſ.
Adamus Sasbout.
De Buſtis.
De Porta.
Ioan Raulin.
Iudocus Clitouæus.
Ekius.
Ioan. Garcia.

Dionyſius Carthuſianus in illud Pſalm. 44. *adducentur Regi Virgines poſt eam*, &c. Michael Aignanus, alio vocabulo Incognitus, ibidem: Ludolphus Carthuſ. vitæ Saluatoris part. 1. cap. 2. Ioannes Lanſpergius ſermone 2. in Feſto Annunciationis, Thomas VValdenſis tom. 2. de Sacramentis, cap. 30. Adamus Sasbout homilia de Aſſumptione Virginis, Bernardinus de Buſto 4. parte Marialis, ſermone 4. de virtutibus Beatæ Virginis, tertio Concionis membro, Sancius de Porta ſermone 2. de Incarnatione parte 4. Ioannes Raulin part. 1. ſermone 3. de Annunciatione, qui ordine eſt 76. Iudocus Clitouæus tom. 2. ſermone de Præſentatione, Ioannes Ekius tom. 3. hom. 1. de Annunciatione Ioannes Garçia Barcinonenſis Epiſcopus ſermone 5. de Transfiguratione, qui

Lud. Granat.

aliàs ordine eſt 97. ad finem, Ludouicus Granatenſis tomo de Sanctis Concione ſecunda de Annunciatione, & in Meditationibus de vita

De la Vega.

Chriſti cap. 2. Petrus de la Vega Generalis Hieronymianorum libro de vita, & laudibus B. Mariæ

Galatin.
De Oroſco.
Viguerius.
Soto.

cap. 3. Galatinus libro 7. de Arcanis Cathol. cap. 14. Alphonſus de Oroſco Declamatione in Feſto Annunciationis, Ioannes Viguerius Inſtitut. Theologicarum cap. 20. §. 9. Dominicus de Soto in 4. diſtinctione 30. quæſtione 2. art. 1. §. vl-

B Medina.

timo, Bartholomæus de Medina ad art. 4. quæſtionis



Fr. Siluius.
Baſil. Legion.
Did. Stella.

ſtionis 28. tertiæ partis, Franciſcus Siluius ibidem, Baſilius Legionenſis libro 1. de Matrimonio cap. 19. numero 3. Didacus Stella ad illud. Luc. cap. 1. *Quoniam virum non cognoſco*, &c. Ru-

Rut. Benzon.
A. de Paz.
Carthagena.

tilius Benzonius libro 2. in Canticum Magnificat, dub. 13. cap. 17. Angelus de Paz tom. 3. lib. 2. in Lucam cap. 31. Ioannes de Carthagena tom. 1. Homiliarum de Arcanis Deiparæ libro 3. hom. 5.

Ioan. Lopez.

ad longum, Ioannes Lopez Monopolitanus Epiſcopus in Epitoma Sanctorum, tom. 3. de Annun-

P. ad Boues.

ciatione B. Mariæ numero 4. Petrus ad Boues quondam à confeſſionibus Reginæ Galliarum de

Peralta.

Sanctis ſermone 17. Ferdinandus de Peralta libro de Iesv & Maria ſermone de Præſentatione, Di-

De Morillo.
De Piſis.

dacus de Morillo tom. 1. de excellentiis Virginis tract. 3. diſcur. 5. Bartholomæus de Piſis libro 2. de vita, & laudibus B. Mariæ, fructu 4. Didacus

Did. Yang.
Chryſoſt. à Viſitat.

Yanguas tomo Concionum de vita Chriſti lib. 3. ſermone 1. de Sancto Ioſepho, §. Sed lex erat, &c. Chryſoſtomus à Viſitatione opere de Verbis Dominæ, id eſt, B. Virginis libro 1. cap. 11. & 13. Bar-

De Montaluo.
Fonſeca.
Portillo.

nabas de Montaluo in Chronico Ciſtercienſi libro 1. cap. 2. Chriſtophorus de Fonſeca tom. 1. de vita Chriſti libro 1. cap. 8. Rodericus de Portillo, opera de Chriſto & B. Virgine, tract. 3. de

Melch. Caſtro.
Al. Nouarin.

Deipara, §. 1. Melchior Caſtro Magiſter Complutenſis de encomiis B. Virginis lib. 2. cap. 7. Aloyſius Nouarinus in vmbra Virginea cap. 10. excur. 11. numero 153. Sed verò ex Societate noſtra, præter duos nominatos ſuperiùs numero 31.

Suarez.
Vaſquez.
Caniſius.

Suarius in 3. part. tom. 2. diſputatione 6. ſectione 3. §. *Ad hæc*, &c. Vazquez ibidem tomo quoque 2. diſputatione 124. cap. 5. numero 88. Caniſius libro 2. de Deipara cap. 14. §. Iam conſentien-

Henriquez.
Salmeron.
Barradas.

ter, &c. Henriquez tom. 2. libro 2. de Matrim. cap. 5. numero 5. Salmeron tom. 3. in Euangelia tract. 4. §. Ad ſecundum, &c. Barradas tom. 1. Concord. lib. 7. cap. 8. ad illud Luc. 1. *Quomodo fiet*

Morales.
Vincent. Regius.
Chr. à Caſtro.
Tannerus.

*iſtud*, &c. Morales in cap. 1. Matth. tract. 11. numero 15. Vincentius Regius tom. 1. in Euang. lib. 1. cap. 5. Digreſſione Morali 3. num. 2. Chriſtophorus de Caſtro Hiſtoria Deiparæ cap. 3. numero 18. Tannerus vocans communem Patrum ſententiam tom. 4. diſputatione 2. quæſt. 1.

A Lapide.
Ludouic. de Torres.

dub. 5. Cornelius à Lapide in illud Apoc. 12. *& in capite eius corona ſtellarum*, &c. Ludouicus de Torres Selectar. diſputationum Theologicarum part. 2. diſputatione 21. dub. 3. Franciſcus de Men-

Mendoça.
Fernandez.
Ribadeneira.

doça in Viridario libro 2. Problem. 6. num. 40. Fernandez in Geneſim tom. 2. ſectione 11. in c. 29. Geneſ. numero 15. Ribadeneira in vita B. Virgi-

Coſterus.
Pinell.
Vin. Bruno.

nis, Coſterus in vita eiuſdem, Meditatione 4. Pinellus in Meditationibus de eademmet, in Hiſtoria Deſponſationis, Vincentius Brunus tom. 1. Meditationum, Meditatione de Incarnatione

M. Sandæus.

parte 2. numero 2. Maximilianus Sandæus in Aureo Mariano oratione 6. Symbolo 6. §. *Quàm rara*

P. A. Spinell.
Arias.

*olim*, &c. Petrus Antonius Spinellus opere de B. Virgine cap. 23. numero 23. Arias de vnitate Vir-

Hammerius.

ginis cap. 26. & 27. Petrus Hammerius ex Concionibus in Aduentum, ſermone 9. Alphonſus

Al Ezquerra.
I. E. Nieremb.

Ezquerra de B. Virgine Paſſu 1. cap. 7. & 8. Ioannes Euſebius Nierembergius libro de affectu erga Deiparam cap. 7.

37.

Neminem verò commouêre debeat, quod ex his Auctoribus nonnulli affirment; Beatam Deiparam fœminarum primam extitiſſe, quæ voto caſtitatem muniuerit, neque enim hoc propterea agunt velut ſupponant, ex virili ſexu aliquem præiuiſſe exemplo, cùm nunquàm aſſignetur quiſnam ille fuerit, cùm tamen exprimantur ra-

*Votum Caſtitatis emiſit Chriſtus.*

riſſimi illi, qui ſimplicem & innodatam obſeruarunt Virginitatem: ſcopus verò eis eſt Chriſto Seruatori tribuiſſe, vt inter mares primus ſit, qui Virginitati voti adiunxerit nexum (nam emiſiſſe

Suarez.

Iesvm quoque Votum caſtitatis docent Suarius tom. 2. in 3. part. diſputatione 28. ſectione 2. §. *Ex*

A Lapide.
Salmeron.
Tanner.
Iuſtinian.

*quo aliqui*, &c. Cornelius à Lapide in verſum 2. c. 5. Actorum, & apud eundem Salmeron tom. 5. tract. 4. Tannerus tom. 4. quæſtione 2. dub. 4. numero 106. Iuſtinianus diſputatione 1. ex præludialibus in Paulum cap. 5. numero 11. & 13.) at-

Caniſius.

que ita Caniſius libro 2. de Maria, cap. 12. *Quid multis?* (inquit) *Semper id credidit, ſemper docuit, atque confirmauit antiquitas, quod apud Damaſcenum legimus, Chriſtum virorum Virginem, Mariam verò fœminarum caput.* Vnde Bonauentura in 4. diſtin-

Bonauentura.

ctione 30. quæſtione 2. *Decuit* (ait) *Virginem Deo Virginitatem vouêre, vt eſſet mulieribus totius Virginitatis exemplum: Sicut enim Deus Chriſtum viris propoſuit in exemplum, ſic eius Matrem propoſuit in exemplum mulieribus:* Cæterùm plerique loquuntur, Virginem tempore primam omnino cenſendam, quæ ſiue inter viros, ſeu inter fœminas voto caſtitatem confirmauit, neque enim dubij aliquid eſt antequam Chriſtus conciperetur iam ab illa emiſſum votum: Nam vt ex communi iudi-

Torres.

cio Catholicorum aduertit noſter Torres ſelect. diſputationum Theologic. parte 2. diſputat. 21. dub. 2. priuſquam è cœlis miſſa legatio auribus inſonaret, perpetuo voto Virginitatem obſerauit: eam ob cauſam fœtum pollicenti Angelo:

Luc. 1. 34.

*Quomodo fiet iſtud* (inquit Luc. cap. 1. verſ. 34.) *quoniam virum non cognoſco?* Significans voto ſe impeditum continentiæ, vt nunquam experiri poſ-

Bellarmin.

ſit, vt ex Patribus latè roborauit Bellarminus de Monachis libro 2. cap. 22. Sed nondum tunc conceptus Chriſtus: quibus & manifeſtè comprobatur, vt concedamus à Magno Præcurſore Baptiſta nuncupatum caſtitatis votum, Mariam tamen præceſſiſſe, cùm niſi ad huius Chriſto grauidæ conſpectum, ob virtutem pignoris vtero incluſi acceleratum eſt Ioanni Lumen Rationis, quod tum admiſit, cùm exultauit Materno in

Maldonat.
Tolet.

clauſtro, vt docent Maldonatus ad verſum 44. cap. 1. Lucæ, & Toletus Annotatione 118. ſatiſque piam eorum conſiderationem opinamur

Iac. Chriſtopol.
*In primo Conceptionis ſuæ inſtanti B. Virgo Virginitatem ſuam Deo ſacrauit.*

apud Iacobum Chriſtopolitanum Epiſcopum, in illud Cantici Magnificat, *quia fecit mihi magna qui potens eſt*, &c. In ipſo conceptionis inſtanti dicatam Numini à Deipara Virginitatem cum voti tributo: Nam tum pleniſſimè irradiatus eſt intellectus; quippè & eleuatam in tranſitu ad videndam clarè & intuitiuè diuinam eſſentiam

Salazar.

atteſtantur non pauci apud Salazarium de Conceptione capite 32. §. 4. Vidit præſeruatam ſemet ab originalis peccati debito; pro vtroque Beneficio, aliiſque infinitis donis gratias actura, vouit duraturam ſemper caſtitatem: hoc forſan Oratio Eccleſiæ ſubinnuit:

Offic. Roman.

*Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti*, &c. Præparata eſt Anima, quòd ſemper pulchra extiterit, ne debito quidem culpæ Originalis contracto: præparatum eſt corpus ob ſigillum voti caſtitatis, & vtrumque ex munere Spiritus ſancti: decebat quoque & gnato aſſimilari, nam & ipſe vota ſua prompſit ab initio, Paulo ad Hebræos vſurpante carmen ex Dauidico Hymno c. 10. v. 5.

Hebr. 10. 5.

*Ideò ingrediens Mundum dicit: hoſtiam, & oblationem*

*nem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi; tunc dixi, ecce venio*,&c.

38. *Obiectio à Ioanne Ieroſolymitano petita, de Eliæ votiua Caſtitate.*

Eſt autem,qui nobis opponatur Ioannes Ieroſolymorum Quadrageſimus quartus Antiſtes: Nam Tractatu, quem de inſtitutione Monachorum edidit, quem Bibliotheca Magna Colonienſis tom.4. complectitur, totus eſt in probanda Heliæ, & diſcipulorum eius, qui filij Prophetarum, Religioſâ diſciplinâ cum trium Votorum nexibus, cuius viuendi planè diuini moris primum Artificem memorat fuiſſe, & locuplete donatum ſobole,multíſque conuentibus ante Euãgelij ſplendorem: denique ab hoc Vate Mariam Deiparam hauſiſſe,vt caſtitatem Numini manciparet, cùm antea id nulla mulierum feciſſet; ſic

Ioann. Ieroſolymit.

enim inquit cap. 34. *Beata Dei Genitrix præputium impudicitiæ ſciuit exemplo Heliæ à ſe penitus circumcidere (dum quaſi Veſtigium Hominis illius) elegit prima fœminarum propter Deum Virginitate*

*Quis hic Ioannes Ieroſolymitanus?*

*perpetuâ viuere.* Porrò Ioannem præter ſedis tantæ infulas etiam antiquitas commendat, nam floruit ſæculo quarto: Deinde,cùm Quadrageſimus quartus extiterit,is eſt qui Cyrillo ſucceſſit,

Nicephor.

vt tradit Nicephorus Conſtantinopolitanus in Chronico tom.9.Bibliothecæ Magnæ PP. part.1. porrò Cyrilli ſucceſſorem Ioannem Hierarcham,

Theodoret. Nicephor. Ithacius.

Theodoretus lib.5.Hiſtor.Eccleſ.cap.35. *Virum planè inſignem* appellat; Nicephorus *diuinum* vocat libro 14.cap.30. Ithacius in Chronico *Sanctum* dicit, quo pacto vocant Breuiaria quædam vetera cùm de inuentione Reliquiarum Protomartyris Stephani agunt, is enim fuit Ieroſolymorum,qui interfuit Epiſcopus: Taceo in additionibus Molani ad Vſuardi Martyrologium ad

Molanus.

Ianuarij duodecimum Ioannis Ieroſolymorum Epiſcopi memoriam coli,ſicut & in Menæo Sanctorum Petri Galeſinij eodem die: At hunc eum

Galeſin.

fuiſſe Ioannem, de quo locuti ſimus, quænam probent præſertim cùm alij recenſeantur Antiſtites poſteriores eiuſdem nominis apud citatum Nicephorum Conſtantinopolitanum, de quibus eſſe potuerit? Quid quod Carmelitam eum vtrobique legimus, cùm tamen de Ioanne Ieroſolymorum 44. Antiſtite tractans Bellarminus in

Bellarmin.

ſcriptoribus ad annum 390. affirmet, inauditum prorſus tunc Carmelitani inſtituti nomen fuiſſe.

39. Sanè Ioannes Ieroſolymitanus inter Eccleſiæ illius Pontifices quadrageſimus quartus, cùm is ſit,quem acerrimis Epiſtolis inſectantur Hiero-

Hieronym. Epiphan. *Ioannes Ieroſol.multis hæreſibus infectus, à Hieronymo & Epiphanio taxatus.*

nymus & Sanctus Epiphanius, cùm aliis vitiis famam ſuam turpiſſimè commacularit, vt eæ teſtantur Literæ, tum imprimis multorum Hæreſum patrocinio, ſingulariter autem Origenis erroribus infectus eſt: Porrò quis vnquam eas epiſtolas à legitimis Hieronymi operibus ſecernere auſus tanquam ſuppoſititium fœtum? vt rectè

Vaſquez.

aduertit noſter Vazquezius tom. 1. in 3. part. diſputatione 105.numero 23.approbat integrè Bel-

Bellarmin.

larminus de ſcriptoribus ad annum 370. ne quidem inſertam ab aliis ſententiam eam, quæ ſacrarum adorationi imaginum minùs fauêre à

Mar. Victor.

quibuſdam putata eſt,demonſtrat Marianus Victorius (quoniam opinio ſecundum Hieronymi mentem ſana eſt) Notis ad finem epiſtolæ ſexageſimæ: Vnde, niſi ex harum epiſtolarum contextu, pateat Hæreſeos accuſatum Ioannem ab

Bellouac.

Epiphanio & Hieronymo? Quod perhibent Bellouacenſis ſpeculo Hiſtoriali lib.17. cap. 99. An-

Antonin. Trithem.

toninus ſecunda parte Chronici tit. 10. cap. 10. §.1.Trithemius in Ioanne Ieroſolymitano: Quod ſi Hieronymi calculis reprobatus, quænam ſupereſt fiducia defenſionis, cùm Gelaſius in decreto,ea ſe reiectare, quæ in Ruffino Hieronymo diſplicuerant,aſſerat? *Et non ſolum de Ruffino* (in-

Gelaſ.

quit) *ſed etiam de diuerſis,quos vir ſæpiùs memoratus, Zelo Dei, & fidei Religione reprehendit:* atquin Ioannem largè reprehendit: & quidem ob hoc Gelaſij Papæ effatum Euagrium Ponticum maximè condemnat Fr. Ioannes Maria Braſich. Magiſter Sacri Palatij in expurgandorum librorum Indice, quod à Hieronymo videret de Hæreſi taxatum: At quotuſquiſque eſt doctiſſimorum, qui cum induſtria Hieronymum perſcrutatus, & non ſtatim fœtêre ab Hæreſi Ioannem ſenſerit? ob quam cauſam modò nominatus Magiſter tom. 1. dicti Indicis pag.291.cùm auferri præfixum Diui titulum iuſſiſſet, ſubnectit: *Nam qui res huius Ioan-*

Ioann.Mar. Braſich.

*nis,cui ſæpius cum Sancto Epiphanio, Sancto Hieronymo, & Theophilo Alexandrino altercationes fuêre, probè cognouerit,ſatis videbit, quàm indignus nomine Sancti, vel Diui extiterit.*

40. *Ioannis Ieroſolymitani varia vitia.*

Baronius verò eminentiſſimus Cardinalis prodit tom.4. anno Chriſti.386. ante infulas & Epiſcopatum Catholicos auerſatum eſſe: tempore Perſecutionis ſub Valente, cum Arianis & Macedonianis communicaſſe,factúmque Orthodoxum ſpe,& pollicitatione Præſulatus Hieroſolymitani; Deinde, vt eâ in ſede ſe geſſerit, deſcribit eodem tomo,anno Seruatoris 393. nempè qui Origenis Hæreſes impensè defenderit, quarum multis infectus ipſe; quem inſuper *calum-*

Baron.

*nioſum,& mendacem, turpémque adulatorem* conuincit: idem nihilominus tom. 5. anno ſalutis 399. ad meliorem frugem conuerſum Auguſtini teſtimonio edocet; *ſed in ſententia* (addit) *minimè per-*

Idem.

*ſeueraſſe vſque ad finem,quæ dicentur inferius declarabunt*; commonſtrat autem Pelagij vindicem factum duobus ante obitum annis; hanc ob cauſam apud Occidentales malè audire cœpiſſe, ipsôque,quo defunctus eſt, anno, non leuiter de illo ſuſpicatum, cùm Pelagij defenderet partes, eius in gratiam à Pelagianis in Bethleemiticum ſæuitum eſſe Monaſterium; ſic nominato quinto Annalium tomo, annis 415. & 417. Marianus

Mar.Reat.

Reatinus Epiſcopus in Hieronymi à ſe ipſius ex ſcriptis coagmentata Vita, (quam dignam iudicauit Surius, quæ cæteris prælata Narrationibus

Surius.

antiquioribus,eius Sanctorum adornaret Hiſtoriam) Origeniſtam declarat, rursúmque Notis ad epiſtolam 61. contra errores Ioannis Hieroſolymitani, ad illa, *vt verba exprimamus*, &c. Idem Petrus de Ribadeneira in vita Maximi Doctoris:

Ribaden.

At candem vitam diligentiſſimè concinnarunt ex Hieronymiano ſodalitio duo, quorum alter Hieronymus de Guadalupe libro 2.cap.23.à ſcri-

Guadalup.

ptoribus nonnullis quaſi ſuis coloribus depictum, aſſerit, cùm *vafrum* dicunt, *lubricum*, *ſycophantem,& tyrannicæ cuiuſdam inſolentiæ, execrando denique Arij Hæreſiarchæ errore contaminatum*, &c. alter, Ioſephus de Siguença libro 5. diſcurſu 8.

Ioſeph de Siguença. Maldonat.

ferè eademmet omnia congerit in eum, quæ ex Baronio ſuprà tranſcripſimus: Maldonatus noſter ad cap.24.Lucæ, in verſum 42.cum Origene malè de corporum Reſurrectione ſenſiſſe, ad-

Roſvveid.

ſtruit: Origeniſtam Roſvveidus.Notis ad vitam Fabiolæ numero 11. pag.400. Fautorem errorum Origenis narrat extitiſſe Dionyſius Petauius in Rationario temporum,parte 2. libro 7. cap. 13. §.*Per idem tempus*, &c. F. Nicolaus Coeffeteau

Dion. Petau. Coeffeteau.

ordinis Prædicatorum, deſignatus Epiſcopus Maſſilienſis Apologetico contra Marcum Antonium



nium de Dominis Archiepiſcopum Spalatenſem tom.1. in diſcuſſione cap.7. lib.2.pag.515.ſuſpectum de Hæreſi notat; & pag. 517. Origenis importunum defenſorem,ac eius dogmata totis viribus propugnantem: & in diſcuſſione c.12.eiuſdem libri pag.749.improbum Monachum vocat.

41. Theodoret. *Laudibus Ioannis Ieroſol.ſatisfit.*

Iam, quod Theodoretus collaudauerit, haud multi faciendum eſt, nam hominem ſceleſtiſſimum Theodorum Mopſuaſtenum idemmet Hiſtoriæ Eccleſ. lib.5. cap.39. diuinum appellat virum,egregiíſque honorat titulis:minoris facienda Nicephori, vtpotè Schiſmatici auctoritas:

Ioan. Maria.

Quare Magiſter ſacri Palatij Ioannes Maria in expugnandorum indice, cùm Euagrium Ponticum arguat, nihili pendit, quod aut Socrates, aut Gennadius, aut Sozomenus extollant; eſt enim inter alia non pauca & hoc Græcorum multorum Hiſtoricorum ex Chriſtianis licet, mendum,quod pro ſchiſmatis affectu vituperatione dignis famam concilient; vide Canum de

Canus.

locis lib.11.cap.6.§.*Præterea in Synodi*, &c. Quod verò ad Idacium Clarum ſpectat, de eo non ſatis clarum, neque gratioſum elogium eſt in Seuero

Seuer. Sulpit. *Sancti nomen olim commune Chriſtianis, maximè Eccleſiaſticis.*

Sulpitio ſub finem ſecundi Hiſtoriæ libri: at ſit ille à vitiis purgatus, quod tamen aut ipſe, aut Breuiaria antiquiora, cùm de Protomartyris Stephani inuentione tractant, *Sanctum* nuncupent Ioannem Hieroſolymitanum, exigui momenti totum eſt: erat enim latiſſima vocis ſignificatio priſcis temporibus, cùm eo ſalutarentur nomine inter Chriſtianos Eccleſiaſticâ dignitate præſertim conſpicui: Quamobrem Bellarminus in Scriptoribus ad annum 374. in obſeruationibus ad Sancti Ambroſij opera §.*Quartò quia*, &c. adſentit Hilarium Diaconũ Romanum, qui Luciferi ſchiſma propagauit, cum ſancti allegatum titulo ab Auguſtino lib. 4. contra duas epiſtolas

Bellarmin.

Pelagianor. cap. 4. *Sed nihil mirum hoc* (ait,) *cùm nuncupatio ſancti tunc ſatis communis fuerit Chriſtianis,præſertim Eccleſiaſticis*; Modò autem, quando eius vocis intellectus reſtrictus eſt, Iudicibus expurgandorum librorum Romanis,& Hiſpanienſibus animaduerſum ſeriò, ne ſancti inſcriptio Ioanni affigatur Ieroſolymitano: ergo, ſi variarum Hæreſum erroribus commaculatum Ioannem oſtendimus, neque ab aliorum criminum accuſatione immunem; eius, quo in loco habenda ſit auctoritas,Nemo non perſpiciet.

42. *Tractatum de Inſtitutione Monachorum quis ſcripſerit? num Ioannes Ieroſolymitanus?*

At fuerit Hieroſolymitanâ cathedrâ ob morum præſtantiam digniſſimus Ioannes Quadrageſimus quartus Antiſtes: Verùm,quænam hunc Tractatus de inſtitutione Monachorum elucubratorem extitiſſe ſuadeant? Siluêre, cùm de eo tamen meminerint,Gennadius, Honorius Augu-

Gennad. Honor.Aug. Trithem. Bellarmin. Ioan. Maria Barriſch. M. de la Bigne. Tirinus. P.L.Beliſſa.

ſtodunenſis,Trithemius:Bellarminus de Scriptoribus ad annum 390. ſtylum hominis Latini, & temporum poſteriorum affirmat, ipsúmque hoc Fr. Ioannes Maria Barriſch. in Romano expurgandorum Indice,Magarinus de la Bigne tom. 8. tertiæ editionis Pariſienſis Biblioth. SS. PP. & tom. 4. editionis Colonienſis, Iacobus Tirinus Syllabo Auctorum ad calcem tertij Voluminis in Biblia: Petrus Lucius Beliſſa Carmelita floruiſſe Tractatus inuentorem contendit anno ſeptingenteſimo ſexageſimo, cùm alter Ioannes ſæculo viguerit quarto, Hieronymo coætaneus:

Chr. de Caſtro. P.A.Spinell.

ex noſtris Chriſtophorus de Caſtro & Petrus Antonius Spinellus, vterque opere ſeu de Hiſtoria ſeu de laudibus Deiparæ in Auctorum quos citant breui Apparatu, quod legerent apud Nicephorum Conſtantinopolitanum in Serie Epiſcoporum Hieroſolymitanorum, præter hunc 44. Pontificem alios binos eiuſdem nominis, videlicet 52. & 57. ex his primum, nempe 52. Antiſtitem,quem vixiſſe putant anno Reparationis humanæ 795. libri ſtructorem definiunt: ita cùm nihil certi de compoſitore Tractatus; ſanè ab Auctore nihil firmum deriuari queat ad libri aliqualem gloriam.

43. *Quale de hoc Tractatu de Inſtitutione Monachorum ferendum iudicium?*

Quod ſi quidem aſſeratur, tantam eſſe Scripturæ ipſiuſmet profunditatem ſimul cum decore, vt à quocumque prodierit, talis cenſeri debeat,quæ fidem,auctoritatémque conciliet maximam, verùm grauiſſimis hominibus longè aliter viſum eſt, nam fabulis & commentis ſcatêre putant; id quod Cæſar Baronius Cardinalis apertis docuit verbis tom.6. anno 444. num. 18.

*De Carmelitani Ordinis Origine.*

Figmenta autem vocant quod de Carmelitarum inſtituto cum Eccleſiæ infantiâ aut orto, aut propagato refert, nam talium Religioſorum planè inauditum tunc fuiſſe nomen Bellarmi-

Bellarmin. Mag. Sacri Palat.

nus adſtruit; Magiſtri ſacri Palatij verba ſunt: *Et liber ipſe fide vacillare deprehenditur, cùm multa de Monachis Carmelitis, primis Eccleſiæ temporibus iam vigentibus, prodat.* Scio eſſe qui huius familiæ initia tranſcribant aut in Honorij quarti, aut in Alexandri tertij Pontificatum,annis poſt Chriſtum ſupra mille: Antoninus ſcili-

Antonin.

cet 2. parte Chronicorum, titulo 20. cap. 5. eiúſque ibi Scholiaſtes ex noſtris Petrus Ma-

P.Maturus. Sabellic.

turus: Sabellicus tom.2. Ænead. 9. libr. 5. propè finem, Belli ſacri continuator libro 5.cap.3. Volaterranus Anthropolog. lib.21. titulo, *Ere-*

Volaterr. Caſſan.

*mitarum ordinis viri*, &c. Caſſanæus in Catalogo Gloriæ mundi 4. parte,conſideratione 70. Poly-

Pol.Virgil. F. del Caſtillo. Gordon. Hier.Rom. Illeſcas. Baron.

dorus Virgilius lib. 7. de inuentoribus Rerum, c.3.Ferdinandus del Caſtillo tom.1.Hiſtoriæ Dominicanæ lib.2. c. 65. Gordonus ad annũ Chriſti 1141. Hieronym.Romanus lib. 2. Defenſorij ſui ordinis c.8. Illeſcas tom.1.in Innocentio tertio, pag. 234. Denique Baronius hanc conſtantiorem Hiſtoricorum Aſſertionem vocat tom. 12. anno Chriſti 1181. At certè per nos habeat venerandus ille cœtus qualem cupiat ornatiſſimi ſodalitij antiquitatem, dummodò non procurrat in anteriora Euangelio ſæcula: Quod enim ſub veteri inſtrumento dicantur floruiſſe caſtarum ex voti obligatione ſeu Virginum, ſeu Monachorum Collegia, cùm ex omni Hebræorum multitudine rariſſimi Virginitatis quoquo modo cultores, tantum nobis qui exigui ſumus, auctoritatis non aſſumimus, vt impoſturæ aut commenti afficiamus vocabulo:Si quid tamen in Patrum, vel Theologorum cuiuſque ætatis lectione ſtudendo profecimus, eiuſmodi ſemper auerſatos fuiſſe pronunciatum arbitramur: certè tot à nobis recenſiti ſcriptores huius exordio ſectionis, nihil in laudibus Virginis maius ponunt, quàm quòd Iſraëlitarum conſuetudini, quibus gloria in fœtu & Matrimoniis, generosè contradicere auſa ſit: probauimus item ad longum Volumine 1. Anteloq. 7. ſectione 12. Nam ſanè quid auſterius priſca ætas illâ tulit Rechabitarum obſeruantiâ? Legendum Ieremiæ ca-

Ierem.35.

put 35. quo vitæ eorum actio deſcribitur planè ſingularis pro temporum illorum ratione, de quibus propterea Abulenſis ad cap.2. lib.1. Paralip. quæſtione 211. *Fuerunt iſti viri Rechabitæ virtuoſi inter omnes viros veteris teſtamen-*

Toſtat. Theodoret. Sanchez. A Lapide.

*ti.* Sed vxores habuerunt, vt eodem loco Toſtatus admittit; in nominatum Ieremiæ locum Theodoretus, Gaſpar Sanctius, Cornelius,

Serar. Becan. Th à Ieſu Ioan. Ieroſ.

Serarius Trihæreſij lib. 3. c. 9. Becanus Analogiæ c. 10. n. 12, Thomas à Iesv lib. 1. de antiquitate Ordinis Carmel. cap. 2. denique ipſe Ioannes Hieroſolymitanus palam teſtatur Tractatu de inſtitutione Monachorum c. 25. Sed & de Prophetarum filiis in verſum primum c. 4. ex lib. 4. Reg. *Mulier autem quædam de vxoribus Prophetarum*, & Abulenſis ibi quæſtione 1. *Et dicitur de vxoribus Prophetarum; nam Prophetæ licet eſſent viri ſancti, tamen vtebantur matrimonio, quia tunc non erat Religionis votum, nec ſtatus continentiæ, qui poſtea in nouo Teſtamento inſtitutus eſt*: Caietanus ibidemmet: *de vxoribus Prophetarum, hoc intelligendum eſt de vxoribus filiorum Prophetarum, hoc eſt, diſcipulorum; genus enim diſcipulorum huiuſmodi vacabant diuinis laudibus, habentes tamen vxores*: iam quod ad Eſſenos ſpectat oſtendimus Veſtigatione 24. vel Chriſtianos putandos; vel ſi Iudæi cenſendi, veræ haudquaquam dilectores Virginitatis extitiſſe: igitur, ſi tum à pauciſſimis concelebrata Virginitas; à nemine autem cum voti nexibus: mirum non eſt de libri fide & ſynceritate grauiorem ortam ſuſpicionem, qui paſſim vota Monaſtica, & collegia ſtrictè Religioſorum ante Chriſti proclamat ortum,

4. Reg. 4. 1. — Toſtat. — Caietan.

24\. Damaſcen. *Obijcitur ex Damaſceno magnum veteris Teſtamenti votum.*

Opponitur Damaſcenus, qui lib. 4. fidei Orthodoxæ, c. 25. *Nonne lex magnum Votum caſtitatem appellauit?* Optaremus quidem proferri Scripturæ ſententiam, quâ Virginitas ad priſcum ſpectans fœdus hoc commendabatur elogio: an fortè mendum irrepſit aliquod, & pro Nazareatu poſita ſit caſtitas? hoc enim titulo, quod à Nazaræis emittebatur Votum L X X. Seniorum verſio extollit: Numerorum cap. 6. v. 2. tractans de Nazaræis vulgatus interpres: *Vir* (inquit) *ſiue mulier cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare; à vino, & omni, quod inebriare poteſt, abſtinebunt*: L X X. autem transferunt: *Vir aut mulier quicumque magnè vouerit votum purificandi puritatem Domino, à vino & ſicera temperabit*, &c. Pagninus, Vatablus, Oleaſter pro illis: *Quicumque magnè vouerit votum*, legêre iuxta Hebræam ſignificationem: *cùm fecerint votum Nazaræi*, à dictione nimirum פָּלָא *Pala in Niphal*, quæ vti aduertit Oleaſter, *magnum, difficile, mirificum* denotat: agnoſcunt & Nazaræorum Votum appellatum eſſe magnum Philo, & Cyrillus Alexandrinus apud noſtrum Mendoçam tom. 1. in lib. 1. Reg. c. 1. v. 11. num. 14. in Literæ expoſitione: expendit optimè noſter Bonfrerius ex Hebræo & tranſlatione L X X. Seniorum in verſ. 2. c. 27. Leuitici, & in dictum ex libro Numerorũ caput. Verùm, quis ignoret Matrimoniis vacaſſe Nazaræos? & tamen qualecumque illorum votum de cærimoniis & ſtatutis quibuſdam pro ruditate illorum temporum, magnum & difficile apparebat: & putabimus caſtitatis fuiſſe votum, cùm Nazaræatus arduus haberetur? At cùm & Nazaræatus laxa fuerit obſeruantia; tamen qui perpetuò colituros ſe ſponderent in tanta Iudæorum copia, pauci inuenti fuêre, de quibus memoria eſt; Samſon aliquis aut Samuel, rarúſque vel inter illuſtriora capita.

Numer. 6. 2. *Nazaræatus, magnum Hebræorum votum.* — L X X. — Pagnin. Vatabl. Oleaſt. — Philo. Cyrill. Alex. Mendoça. Bonfrer. — *Nazaræi coniugati.*

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus*; Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.

Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. *Cap.* 2. *verſ.* 4. *&* 5.

*Ineffabilis voluptas & lætitia ingenijs ritè diſpoſitis ex ſacrorum Bibliorum lectione.*

## Sectio I.

25\. Origen. *Vinum (quod lætificat cor hominis) Diuinioris Sapientiæ ſymbolum, in qua maxima voluptas.*

Vinvm Sapientiæ diuinioris ſymbolum teſtatur Adamantius hom. 3. in Cantica: beatiſſima verò illa Sapientia eſt, quæ die noctéque verſatur in Meditatione legis Domini, in Prophetarum, Euangeliorúmque cæleſtibus ſententiis, & reliquâ vtriuſque doctrinâ inſtrumenti; non ita vinum lætificat Cor hominis, quemadmodum ab hoc puræ exhilarantur mentes ſtudio. O cellam vinariam! ô voluptatis ſecretum! ô gaudiorum fontes! meritò exultat quæ introduci meruit in apothecas iſtas fœminarum pulcherrima: Philo Carpathius: *Ordinatur autem charitas in anima fideli ex diligenti obſeruatione mandatorum, dum legit, & meditatur Scripturas ſanctas: ex quibus fructu ſuauiſſimo paſcitur, & interna quadam animi ſuauitate repletur, adeò vt in cellam vinariam (hoc eſt in arcana diuinitatis) contemplando ſæpè rapiatur; indéque ſic edocta, voluptates omnes rerum omnium humanarum facillimè abominatur, ac fugit.* Conſiderauit venuſtè Origenes, vti primos coniugiorum amores magni legis Patriarchæ ad puteos auſpicati fuerint: *Nuſquam receditur à puteis* (inquit) *nunquam deſiſtitur ab aquis: Rebecca inuenitur ad puteum; & Iacob ad puteum venit, & ibi inuenit Rachel; ſed & Moyſes ad puteum inuenit Sephoram filiam Raguel: An putas ſemper caſu contingere, vt Patriarchæ ad puteos veniant, & ad aquas coniugia ſortiantur?* Sed horũ arcanorum myſtica ratio non aliunde petendo, quàm ab eiuſdẽ doctiſſimo calamo: ſuggerit mox: *Sanctorum nuptias dico coniunctionem eſſe animæ cum Verbo: hanc autem coniunctionem certum eſt non aliter*

Philo Carpath. — *Coniugia Patriarcharum ad puteos incepta.* Origen.



Origen.

*fieri poſſe niſi per inſtructionem diuinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur: ad quos ſi quis veniat, & hauriat ex his aquas, id eſt, meditando in his ſenſum, intellectum percipiat altiorem, inueniet nuptias Deo dignas; coniungitur enim anima eius cum Deo*: Admitto libenter puteorum lymphis Scripturas deſignari, ſed quamobrem ad puteos ſingulariter nuptiæ? cur non in domibus, in Templis, aut ſi placeat in rure etiam? Quid nuptiis cum aqua, in quibus vinum potatur, atque ideo Mater ſuggerebat ſedente ad nuptiales epulas filio, *Vinum non habent*, Ioan. cap. 2. verſ. 4. Sanè nihil lætius, nihil feſtiuius geniali apparatu; illuc confluit quicquid eſt iucundum in Muſicis, quicquid in ſpectaculis, quicquid in ſaltationibus & conuiuiis; denique mœror & inſuauitas longiſſimè abſunt: Quoniam itaque puteorum laticibus ſacri deſignantur codices, vt in his voluptates dulciſſimas reperiri concipiamus, vbi putei, ibi & nuptiæ cernantur; neque enim cum genialibus gaudiis non coniunctæ ſemper delectationes.

*Puteorum aquis Scriptura deſignata.* — Ioan. 2. 4.

46\. Geneſ. 27. 28.

Benedixit Iacob ſenex Genitor, inquiens: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*, Geneſ. cap. 27. verſ. 28. acceſſit Venator Eſau, & cùm inſtaret pro benedictione eiulatu magno flens, extorſit ſimilia: *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit benedictio tua*: ergóne peruerſum gnatum Eſau iiſdem cumulabit donis? Vide arcanum: Eſau ſeniorem populum Iudaïcum figurabat maior ipſe natu, Iacob adoleſcentior filius Chriſtianos denotabat; Sed vtriſque quomodo eadem impertita benedictio? Si enim de legalibus fiat ſermo, cærimoniæ & iudicialia ſimul cum Synagoga extincta fuêre: Sin verò de Sacramentis Catholicorum dicendum; negata fuêre antiquis Patribus; quænam itaque paris benedictionis ſimilitudo? ecce vtrobique Verbum Dei ſcriptum, ſanctum teſtamentum, locutio in vaticinatione infallibili Deo inſpirante: igitur & hic & illic par Benedictio: ac propter hoc Eſau dictum, quoniam ſeruiret fratri, maior videlicet minori; & Iacob promiſſum incuruandos ante eum filios Matris: cæterùm, quando reuertente Iacob ex auunculi domo in paternos lares pronus & ſubmiſſus Eſau proſalutauerit, quonam pacto adimpletum, vt magis Iacobo Eſau proſterni debuerit? Auguſtinus ſermone de luctatione Iacob, qui eſt primus quadraginta editorum à noſtro Sirmondo: *Quomodo ergo maior ſeruiet minori, quando minor videtur adorare maiorem? Sed ideò iſta in Hiſtoria non ſunt impleta, vt intelligantur de futuro dicta: Iacob minor filius accepit primatum, & maior filius populus Iudæorum perdidit primatum: Sparſi Iudæi per orbem terrarum facti ſunt quaſi cuſtodes librorum noſtrorum: Quomodo ſerui quando eunt in auditorium Domini ipſorum, portant poſt illos codices, & foris ſedent: Sic factus eſt filius maior filio minori: Nam aliquando mouent nos aliqua in Scripturis, & de Iudæorum codicibus certi aliquid cognoſcitur: ideò ergo ſparſi ſunt, vt nobis libros ſeruent: maior ergo minori ſeruit*: Quando igitur in myſterio, de Scripturis Iacob, & Eſau Benedictio intelligenda, cur Roris & pinguedinis vocabulis præadumbrata? certè genuinè in rore quidem, nam idcirco Moyſes Deuteronomij cap. 32. v. 2. *Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt Ros eloquium meum*, &c. quid rore ſuauius? quid tranquillius? imò quid dulcius quando & mella parit? lætitia eſt ſegetum, camporum riſus, florum deſiderabile: nihil etiam hilarius telluris optatiſſimâ portione, quæ medulla, & pinguedo illius: Quia igitur Scripturarum accurata lectio amœniſſima eſt, & humanâ pluſquàm iucunditate exuberat; benè iis ſignificatur argumentis, quæ lætitiam pariunt, in quibus dulcedo ſumma quædam eſt, cuius generis & ros ætheris, & terræ adeps.

*Et Chriſtianus & Iudæus in Iacob & Eſau, vterque benedicitur ab Iſaaco de rore cæli, j Scriptura ſacræ dulcedine*, &c. — Auguſtin. — Deuteron. 32. 2. *Ros, Scripturã S. adumbrat.*

47\. Genel. 27. 27.

Sed & caligans Iſaac, vt ſenſit fragrantiam odoris veſtimentorum filij, exclamauit: *Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Geneſ. cap. 27. verſ. 27. Sanè in veſtium exhalationes ſuffumigantur de aromatum lignis & confectionibus, curantur & pretioſis vnguentis, atque adeò in Pſalm. 44. de ſuaue ſpirantibus verſ. 9. *Myrrha, & Gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis*: quamobrem itaque non aut pigmentis comparauit, aut ſyluis Arabum, in queis odoratæ gignuntur ſtirpes magis quam prati diuitiis? doceamur à Gregorio Papa quid veſtimenta innuerẽt, quibus indutus eſt Iacob: *Veſtimentis autem fratris maioris* (inquit homilia 6. in Ezechielem) *induitur, quia Sacræ Scripturæ præceptis, quæ maiori populo data fuerant in bona operatione veſtitus eſt, & eis minor in domo vtitur, quæ maior foras exiens intus relinquit; quia illa gentilis populus intus tenet in mente, quæ Iudaicus populus habêre non poterat, dum ſolùm in eis Literam attendit*: Perpende nunc Symboli rationem: Nihil inter naturæ gazas pulchrius campo mille florum differentiis variegato, nec quod plus recreare valeat: inuitantur hilaritate ad ludos bruta animantia, tranſcurrunt, ſaltant, & iocoſo dimicant impetu: effunduntur mœniis atque vrbibus Homines, & vel choreas ducunt, aut epulas inſtruunt, aut aues ad canendum fidibus prouocant, gutturiſque delicato ſono: ô quidem ſicut odor agri pleni veſtimentorum! Nam in Scripturis voluptas inenarrabilis, quæ omnem exſuperat ſenſum: Hinc diuinæ paginæ ardentiſſimus in ſanctis Patribus amor: laborabant tota die cum proximis, laboris verò ſolatium vigiliæ nocturnæ percurrentium ſeu Moyſen, ſeu Dauidem, ſeu Cantica & Prophetas, & legis gratiæ ſermones; non frigora, non ieiunia, non æſtus ſentiebant; vna querela tantùm breues eſſe horas: talis Auguſtinus, talis Hieronymus, talis Ambroſius, atque alij innumeri.

Pſalm. 44. 9. *Scriptura eſt fragrantia veſtimentorum, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Gregor.

Frigeſcebat Dauid, & quærebatur ſpecioſa inter filias Iſraël Virgo Adoleſcentula, quæ calefaceret Regem: inuenta eſt Abiſag Sunamitis *pulchra nimis, dormiebátque cum Rege & miniſtrabat ei* (Reg. 3. c. 1. verſ. 4.) *Rex verò non cognouit eam*: ducitur ad thalamum Puella ſingulariter decora, lectum intrat, & ille qui quondam Vriæ Hethæi violauit Matrimonium, à legitimis abſtinet amplexibus: intuere Babylonico incendio non minorem flammam, ignis enim Puellarum ſpecies: Sed quemadmodum in fornace Pueri nihilum læſi ab æſtibus, imò voluptatem ceperunt maximam, nam Angelus Domini *fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem*, Dan. c. 3. v. 50. Ita Dauid à carbonibus deſolatoriis non eſt exuſtus, ſed confortabatur, & inualeſcebat: Quænam igitur hæc Sunamitis eſt, cuius in conſolando tanta eſt virtus, cui tam copioſa iucunditatis abundantia, vt etiam terribiles ignes in ſuauiſſimam conuertat temperiem? Hieronymus ep. 2. ad Nepotianum: *Quæ eſt iſta Sunamitis vxor & Virgo, tam feruens, vt frigidum calefaceret? tam ſancta, vt calentem ad libidinem non prouocaret? Exponat* 48.

3 Reg 1. 4. *Abiſag Sunamitis quæ frigidum Dauidem calefacit nec in libidinem prouocat, Scriptura Sacra figura.* — Dan. 3. 50. — Hieronym.

*ſapientiſſimus Salomon patris ſui delicias,& Pacificus bellatoris viri narret amplexus : poſſide ſapientiam, poſſide intelligentiam ; circumda illam & exaltabit te , honora illam , & amplexabitur te , vt det capiti tuo coronam gratiarum :* ô voluptatis potentiam, quam nec ignes extinguere valuerunt ! ô diuini Bibliorum ſtudij optandam in primis amicitiam, quæ laſſos reficit,triſtibus medetur,ſolatio eſt dolentibus , omnéſque vitæ amaritudines gaudio ſubleuat !

49. Loquebatur cum Domino·Moyſes , quémque decebat ex affatu emendatiorem procedere, quaſi retroceſſiſſe viſus:*Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri,& nudiuſtertius:& ex quo locutus es ad ſeruum tuum,impeditioris,& tardioris linguæ ſum,*Exod. c.4. v.10.Quis linguam religauit?vnde turbatio voci? nempè Moyſes eruditus erat in omni ſapientia Ægyptiorum , & ſæculares facultates humanæ ſcholę percallebat:harum imbutus diſciplinis ſeu cùm dicendum eſſet,ſiue cùm lectitandū,magnas hauriebat voluptates:ſunt enim & in prophanis ſtudiis deliciarum ideæ,itaque eius oratione nihil ſuauius,mel námque & Ambroſiam propinabat eruditus ſermo : Sed tamdiu hæ perſtiterunt illecebræ,gaudiorúmque tantùm ſimulacra, quãdiu Numinis confabulatio negata : vbi verò primùm diuinæ loquutionis auribus increbruerunt, omne illud quod recreare conſueuerat externæ Sapientiæ melos,in ſtridulum & impacatum ſonum conuerti cœptum eſt : rectè igitur affirmat poſtquam cum Deo colloquutus ſit,eiúſque hauſerit verba,humanæ eloquentiæ nullum remanſiſſe guſtum ; vt quantum raucas brutorum voces dulcedine excedant Hominum comptiſſimæ ſententiæ,tantùm (ſi modò comparationi locus ) diuini præcellant humanis ſermonibus : Origenes homilia 3. in Exodum : *Sed quo faciliùs quod dicimus poſſit aduerti , vtamur huiuſmodi ſimilitudine : multis animalibus , quamuis ſit imperitus , & indoctus , rationalis Homo ſi comparetur , videbitur eloquens ad comparationem eorum,quæ & rationis & vocis expertia ſunt : Si verò eruditis , & eloquentibus viris , atque in omni Sapientia probatiſſimis conferatur , ineloquens & mutus videbitur : at ſi ipſum quis contempletur diuinum Verbum , ipsámque diuinam reſpiciat ſapientiam , quantæuis ſit eruditionis,& quantæcumque ſapientiæ , multò ampliùs quàm apud nos ſunt pecudes , ipſe apud Deum mutum ſe animal profitebitur : Hoc nimirum erat Moyſes : Quod & Beatus Dauid intuens, & tali ordine ſemetipſum ad diuinam ſapientiam librans dicebat ; vt iumentum factus ſum apud te : Secundum hoc ergo & Prophetarum maximus Moyſes in præſenti lectione dicit ad eum ; quod gracili voce ſit , & tardus linguâ,quod & non ſit eloquens.*

Exod.4.10.

*Antè quàm cum Deo colloquutus fuiſſet Moyſes diſertus erat , & eloquens,ſed vbi ad diuinum admiſſus eſt ſermonem, prior eloquẽtia ſua balbuties pra Diuinis eloquijs ſibi viſa eſt.*

Origen.

50. Quid autem Moyſi loquebatur Numen , cùm legatum deſtinaret ad Pharaonem , & Ægyptios? *Et dixi , vt educam vos de afflictione Ægypti ad terram fluentem lacte,& melle,*Exod.c.3.verſ.17. ergóne hoc magnum aliquid eſt ? Annon in Ægypto caprarum greges,pleniſque vberibus vaccæ, è quibus lactis copia ? Non & ibi mellificio apes incumbunt ? quorſum ob hæc munera Ægyptum deſerant?Vtique pollicer etur littora Margaritorum, & purpuræ conchyliis pretioſa ; vrbes offerret peramplas cum ædificiorum pulchritudine , montes cum auri & argenti venis , oliueta, ſegetes lætas , vineas ; hæc ad fugam meditandam ſtimulare poterant , non verò agreſtia lactis & mellis dona : placet reſpondere ex Aloyſio Lippomano Veronenſi Antiſtite in hunc locum: *Non de lacte caprarum , aut ouium, & melle apum eſt ſermo : nam multæ aliæ regiones in huiuſmodi fertiliores ſunt ; ſed per lac intelligunt ſancti ſapientiam rerum diuinarum ; per mel verò guſtum ipſarum : lacti autem comparatur ſapientia , quia paſcit illos, de quibus dicitur Matth.18. Niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum: quo lacte abundauit terra illa : quia inde venit Euangelium, prophetia, & lex, quantumuis in Sina data fuerit , cum Sina teſte Apoſtolo ad Galat. 4. iungatur Ieruſalem , coniunctione videlicet ſuperna :* Quoniam igitur eâ in regione publicandum erat Euangelium, veteriſque obſeruandæ inſtrumenti cærimoniæ,quoad emorerentur ; vt quanta in diuinis lateat voluminibus dulcedo ſignificaretur , glebam illam lacte affluituram & melle dixit , innuens ſuauitatis vberrimam abundantiam.

Exod.3.17. *Promittitur Moyſi & populo Iſraëlitico terra fluens lacte .j. verum diuinarum ſapientiâ, & melle.j.earum guſtu.*

Aloyſ. Lippoman.

Matth.18.

51. Regula illa aurea quinquaginta ſiclorum, quã concupiſcẽs abſtulit,& abſcondit in terra Achan, Ioſue cap.7.verſ.21.Sapientiam,quæ humanarum actionum directrix eſt , reguláſque , & Canones benè viuendi præſcribit,adumbrabat, cuius vſum negantes ad proximorum commoda , latronibus aſſimilantur:Stephanus Cantuarienſis in Allegoriis Tilmanni:*Aurea Regula eſt ſapientia,quæ vitam noſtram quaſi regula lineam in rectum dirigit:hanc furatur , qui ſapientiam retorquet ad aliud , quàm ſibi à Domino datur , ad multiplicanda ſcilicet temporalia :* Verùm , quamobrem regula hæc quinquaginta fuiſſe ſiclorum memoratur , potiùs quàm triginta,aut ſexaginta ? nimirum lætiſſimæ celebritatis erat apud Hebræos numerus quinquagenarius quòd Iubilæi præſignaret annum : quantæ autem iucunditatis annus ille Leuitici cap. 25. commonſtratur , nam tum remiſſio debitorum , ſeruitutis , & bonorùm alienatorum : dabatur itaque pleriſque mortalium tripudij, & lætitiæ ſingularis occaſio : quo ergo doceat ſapientiam,imprimis verò quæ aurea,ſacri videlicet codicis lucubrationem eſſe,quæ hominibus quietem & remiſſionem afferat,curiſque liberet,gaudia intromittens pro moleſtiis,Iubilæi in modum , quinquagenarij eſſe ponderis aduertit : nominatus iam Auctor eodem loco : *Quod autem hæc Regula quinquaginta ſiclorum fuiſſe dicitur, qui numerus eſt remiſſionis , hoc deſignat ; quòd ad hoc data eſt homini , vt inde remiſſionem acquirat ; hanc regulam abſcondit in terra,qui terrenis inhiat , qui terrena cogitat & ſectatur.*

Stephan. Cantuar. *Numerus quinquagenarius Hebræis lætus & celebris: Inde Aurea Regula (Ioſ. 7) 50. ſiclorum Sacram Scripturæ ſapientiam indicabat.*

Idem.

---

*Viri diuerſarum Gratiarum laude excellentes,debent ſuppreſſis particularibus affectibus,pro Eccleſiæ bono in vnum conſpirare.*

## Sectio II.

52. HOmines pro imbecillitate conditionis,nonnunquàm & pro vitio mentis licet magnis præditi à Numine donis,ad ſcandala & rixis conceſſis abutuntur muneribus,nam aut ægrè ferunt gloriæ in partẽ alios tranſire,aut ipſiſmet nõ vniuerſa ſubdita eſſe,quamobrẽ Dei contempto honore,quẽ amplificaſſent incredibiliter, ſi concordiam amaſſent, clãdeſtinis altercationibus pacem interturbãt Matris Eccleſiæ,piorũ cum luctu,Hęreſis cum exultatione,& auctuario; de his,vtpotè in quibus nihil ſolidæ & ſpiritalis dilectionis Chryſoſt.hom.25.in ep.ad Rom. *Apud homines,ſi quem alius diligit, dilexeris , repugnabit illius amator: Deus verò ſui te amoris communicatione ita dignatur, vt non communicantem oderit : humanus quidem amor zelo,& inuidiâ plenus eſt:diuinus verò ab omni huiuſmodi affectuum morbo liber eſt,& ideò quærit qui ſecum in amore communicent :* Igitur Sponſa , per quam Animæ excellentiores denotantur , introducitur in cellam vinariam, vbi pro diſpoſitione æterna Numinis diſtribuentis prout vult dona ſua , inebriantur quidem plurimi magnis acceptis gratiis,ſed alius ex hoc vino bibit,alter ex illo, quoniam alij datur Prophetia , alij ſermo ſapientiæ, alteri Spirituum diſcretio:Verùm ne contingeret doctrinâ conſpicuum cuncta ad ſe trahere velle in abuſionem eorum,quorum eſt in aliis muneribus laus , eóſque contra hunc inſtigatos vindictam meditari,communémque Eccleſiæ vtilitatẽ partialibus ſuffocare odiis , dum ſuæ gloriolæ quiſque pluſquam Deo attendit, egregiè ſubiungitur,ordinatam in eis,qui Cellam vinariam ſubintrauerunt,charitatem, quo idem ſapientes neglectis commodis priuatis publico ſtudeant cõmodo;Bernard.ſerm.49.in Cantica:*Factum eſt autem hoc,cum in Eccleſia quoſdam quidem dedit Apoſtolos,quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Paſtores,& Doctores ad conſummationem Sanctorum:Oportet autem vt hos vna omnes charitas liget & contemperet in vnitatem corporis Chriſti, quod minimè omninò facere poterit,ſi ipſa non fuerit ordinata : nam ſi ſuo quiſque feratur impetu ſecundum Spiritum, quem accepit , & ad quæque volet indifferenter prout afficitur , & non rationis iudicio conuolarit , dum ſibi aſſignato officio nemo contentus erit , ſed omnes omnia indiſcretâ adminiſtratione pariter attentabunt : non planè vnitas eſt , ſed magis confuſio : ordinauit in me charitatem,*&c.

Chryſoſt.

*In ijs qui in cellam vinariam diuinarum gratiarũ introducti ſunt, ordinatur ſtatim charitas.*

Bernard.

53. Condebatur orbis,& alia Verbum operabatur, alia Spiritus;illud imperabat,fiat lux, & facta eſt: hic ferebatur ſuper aquas:Genitor quaſi vacabat interim ſecundùm humanam cogitationem ; ita ſolùm quoad Homo nõ eſt formatus:iſtius adortâ molitione conſpirant ſimul tres Perſonę,atque indiuiduo affectu; *faciamus* (aiunt Gen.c.1.v.26.) *Hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtrã.* Equidem licet diuinis Perſonis opera ad extra cõmunia,quemadmodũ & intrinſecæ perfectiones omnes abſolutę;tamẽ aliud appropriatur à nobis vni, aliud alteri ; ſic genitori potentiam adſcribimus, Verbo ſcientiã, Flamini dilectionem:Quamobrẽ itaque in creaturarum irrationabilium, ſensûque carentiũ quaſi diuiſæ in operibus Perſonæ,vt alia hoc,altera illud perficiat ; in homine autem effigiando coadunantur ? Nimirum homo condebatur,qui Deum laudaturus eſſet in hoc mundo,vitæque recto peracto curriculo in cælis perpetuâ fruiturus eſſet beatitudine:ergo patiamur quidẽ, tanquàm diſſidiorum aliquid eſſe,vbi de iis rebus tractatio eſt,quæ ad animæ non ſpectant ſalutem, nec rationalium fini vltimo deſeruiunt:cæterùm ea in materia , quæ ad vitæ ſempiternæ acquiſitionem pertinet , quæ proximorum ſpiritalibus emolumentis conducit,expedit factionum depoſitis ſtudiis ſummâ conſenſione in bonum rapi cõmune ; vt nec qui potentiâ excedit doctrinarũ laude conſpicuo aduerſetur, neque ambo Amoris fulgẽti dotibus,ſed tunc quaſi ex vno corde,vnôque labio,*faciamus* vnanimiter audiatur Trinitatis Sacroſanctæ ad imitationem : Rupertus lib.2. in Geneſim c. 1. *Magnum planè conſilium in illo talium perſonarum Patris,& Filij,& Spiritus ſancti,non tam ſenatu,quàm ſoliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum eſt : planè ibi omnis noſtra in medio cauſa poſita eſt , mors , vel perditio noſtra futura , & quicquid eſſe nos actum,vel agendum eſt;atque ita communi totius Trinitatis conſilio dicitur, faciamus hominem,* &c. O ſi animarum curatores interdum non diſſimularent ! Heu ſi & prætendant enixè ne inter diſcipulos ſonaret : Ego ſum Pauli ; Ego ſum Apollo ; Ego Cephæ ; quanta cerneretur in populo Chriſtianorum reformatio ab exhortationibus,cæteríſque ipſorum miniſteriis !

*Quamuis varia diſtinctis Perſonis in varia rerum molitione tribuantur , tamen tres Perſonæ velut coadunantur in Hominis formatione,dum dicitur* Faciamus, *&c.*

Rupert.





54. Duo Cherubin fabricari Numen iuſſit , quæ vtrumque latus propitiatorij tegerent : perpende autẽ quid moneat; *reſpiciántque ſe mutuò verſis vultibus in Propitiatorium,quo operienda eſt Arca,*Exod. c.25.v.20.pulchrè ſanè,quòd lumina in Propitiatorium,Deum ſcilicet repræſentans,cõuertere iubeantur:ſed quamobrem,ſi Dei contemplanda eſt facies,Seraphin apud Iſaiam alarum protenſione ne videatur ſedens ſuper ſolium excelſum, & eleuatum prohibent? *Sex alæ vni,& ſex alæ alteri,duabus velabant faciem eius,*Iſaiæ c.6.v.2.Nimirum,Seraphin virtutes Angelicæ ſunt inflammati ardoris,charitate exuberant,amores euomunt:vbi igitur ſyncera regnat Dilectio , nullus metus eſt ne Deus præferatur Creaturis ; ſeu videatur,ſeu abſcondatur , ab amore vero ſemper colendus impensè fuerit : Verùm Cherubin plenitudo ſcientiæ interpretantur ex Greg.hom.6. ſuper Ezech. Scientia autem inflat;inde tumor & faſtus:ô Doctorum pericula ! Omnis igitur in Propitiatoriũ, omnis in Deum contuitus : Siquidem à Numine declinauerint aciem , ſe atque ſua proſpectauerint:ecce ambitio ſtatim,ecce tumultus ! Putas,& non contenderint,quem deceat ſiniſtrum , quem dexterum Propitiatorij occupare latus ? Putas, & non decertabunt , vt in ſcholæ cuiuſque opiniones mundus iuret vniuerſus ; dúmque ciuili hoc altercantur bello , Matris Eccleſiæ negligantur arua , ſquallent ſine cultoris induſtria , carduóſque & vepres producunt : ô miſerandam ſub talibus paranymphis Sponſam ! Hoc itaque ne eueniat malum , bellè quòd ſcientiarum pleniſſima Cherubim in propitiatorium lumina dirigunt : Interlinearis in illud : *reſpiciántque ſe mutuò* , &c. *quia* (ait) *concorditer prædicant :* Sed in totam periodum Cyrillus Alexandrinus ſcholiis de Incarnatione Vnigeniti,cap. 13. *Propitiatorium namque per fidem factus eſt nobis Emanuel cæterùm cerne Cherubim circumſtantia Propitiatorium , ſuperobumbrantia quidem pennis , conuerſa autem ad Propitiatorium , & penè nutui Dominico oculum intendentia ; ad Dei enim voluntatem tantùm reſpicit Sancta cæleſtium multitudo :* en probos & fideles omninò Miniſtros , qui Dei ſolùm voluntatem , ac proinde & eius ſolam exquirunt laudem : hinc Pacis & concordiæ vinculum.

Exod.25.20. *Duo Arcæ Cherubini, reſpicere ſe mutuò,vultu in Propitiatorium verſo iubentur , vt abſit omnis ab ijs diſſenſio.*

Iſai.6.2.

Interlin.

Cyrill.Alex.

55. Creabat Verbum ſigillatim mundi partes , lucéque,aut tellure ornatâ , aliiſve elementis, ſubnectebat Moyſes de Numine approbante,& vidit Deus quod eſſet bonum;omni abſolutâ operatione,inquit:*Viditque Deus cuncta,quæ fecerat, & erant valdè bona,*Geneſ.cap.1. verſ.31. cur finito labore ad exaggerationem poſitum ; *Et erant valdè bona?* Sanè etiam elementaris hic Mundus non illaudato ſono Dei proclamat gloriam Pſalmiſtâ atteſtante : *Cæli enarrant gloriam Dei,* &c. Pſalm. 18. verſ.1. Quòd igitur ſeorſim Dei quiſquam encomium decantet,pulchrum eſt, at non omninò arduum : ab iiſdem verò non obmuteſcere corã aduerſario,eiúſque in vindictã,incomparandi velut meriti eſt : Quidnam itaque ? eſto laudauerit Numen elementum aquarum ſuo in regno imperans;

*Abſoluto mundano opificio laudatur creaturarum vniuerſitas,quòd ſimul fœderata quamuis ex qualitatibus repugnantibus, in gloriam Dei vnà conſpirent.*

Pſal.18.1.

ranſ:at quòd ignis accedente elemento non conticeſcat, verùm inimicitiis depoſitis in Mundi conſeruationem fœderetur, calórque & humor cum temperamento rebus generandis ſubſeruiāt; iſtud demum eximium, atque immortale: rectè igitur de hoc amabili concordia Narrator opificij mundani, & erant valdè bona: Auguſtinus de Geneſ. ad Lit. lib.3. c.24. *Non fruſtra additum eſt valdè, quia & corporis membra etiamſi ſingula pulchra ſint: multò ſunt tamen in vniuerſi corporis compage pulchriora.* Heu ſaltem diſcamus ab elementis! Non mutuò ſe euertunt quanquam propenſione hoſtilia; ſi ad internecionem, atque ruinam pugnarent, orbis diſſiparetur, orbe autem diſſipato, Dei ex parte gloria ceſſaret: malunt itaque Numen glorificari, quàm priuata creſcere imperia, & ideò calor obſecundat humori; ignis & aqua dexteras conſerunt: quantò magis iuuat eos idipſum ſapere, de quibus dictum eſt; Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum!

Auguſtin.

56. Habebant promiſcuos greges ouium, armenta, & tabernacula Abraham, & Lot; cúmque ob nimiam ſubſtantiam eos Terra non caperet, exortæ ſunt rixæ: tulit acerbè Patriarcha, & iuniorem Lot deprecatus: *Ne quæſo* (inquit) *ſit iurgium inter me, & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos; fratres enim ſumus.* Geneſ.c.13.verſ.8. An fortaſsè emphaſis illis lateat in verbis; *inter Paſtores meos, & Paſtores tuos?* tanquam dicat: Si è numeroſa famulorum turba alij, quàm qui gregum curam habent, contenderent, ſuſtinere potuiſſemus; ſed in Paſtoribus nullæ tolerandæ rixæ: Quare in Paſtoribus ſpeciatim? Quippè tale ſeruorum genus in Eccleſia eos deſignabat, quibus animarum paſcendarum commiſſum eſt onus, ſiue quod ſint Antiſtites Prouinciarum, vrbiúmque; ſiue, quia è loco ſuperiori viam ſalutis docent, ſiue demum alio quocumque modo ad Beatitudinis adoptionem Hominibus cooperantur: Nihil igitur perniciosius, quàm ſi inter iſtiuſmodi cõtentiones & inuidiæ exoriantur; inde enim ſequi neceſſum, vt quam impendebant antea diligentiam emolumentis Rerum publicarum, eām deinceps in ſtudia conuertant priuata læſi animi, querelarum, & vltionis: Proh interim, cùm ſeparatos viderint Principes iniquitatum, Rex Chodorlahom or, & Amici Toparchæ, pugnâ aggredientur, direptíſque bonis omnibus miſerum Lot captiuum ducent: ô certè iuſtâ ſententiâ punitum, qui diſcordiæ Pater fuit: *Ecce enim vt diuiſus eſt à iuſto* (inquit Chryſoſtomus homilia 35. in Geneſim) *& putabat ſe in maiori eſſe rerum vbertate, & copia, & potiora aſſequutum, & abundare; repentè factus eſt ſeruus, carens domo, carens & foco; vt diſcas, quantum malum ſit diuiſio, & quantum bonum concordia:* Verùm Abraham, cùm à Numine ad Palæſtinos inſtructor miſſus fuerit, qui è tenebris erutos ad veram diuinitatis cognitionem traduceret; alieniſſimum exiſtimabat ab officij ratione, vt in rixas diſtraheretur; fecit ob eam cauſam libenter temporalium bonorum iacturam: Apoſtolico enim viro concordiâ quodcumque minus habendum: Chryſoſt.hom.33. *Attende enim, quomodo & nunc videns Paſtores confligere, ſtatim in initio tentat reſtinguere incendium, quod erupturum erat, & contentionem ſedat: debebat enim ipſe, vtpotè miſſus omnibus Palæſtinæ cultoribus ſapientiæ Doctor nullam ſcandali dare occaſionem, vel anſam concedere, ſed morum lenitate tuba clariùs omnes erudire, & ſuæ virtutis facere imitatores.*

Geneſ.3.8.

*Iurgia inter Paſtores & ſuos & Nepotis Lot quâ poteſt viâ remouet Abrahamus Paſtores hi Eccleſiæ Paſtores ſeu Prælatos figurāt.*

Chryſoſt.

Idem.

57. O quales reportaret de Gentilitate, quales de Hæreſi triumphos Mater Eccleſia vincens in millibus, ſi frater adiuuaretur à fratre! *Filij Salma, Bethlehem, & Netophati* (Paralip.1.cap.2. verſ.54.) *Coronæ domus Iacob:* Quorſum iſti gloria & ornamentum? *quia mutuâ Societate* (reſpondet Interlinearis) *in prælis vtebantur:* Nam quidem licet viribus & potentiā aliis eſſent inferiores: tamen animorum concordibus efficiebant votis, ne ſuſtinêre aduerſarij robur aliquo modo poſſint: Hi ſunt qui ſpiritaliter in Eccleſia excellunt: Quod ſi quidem factioſos alios iurgiis publico incommodantes bono, quales ſint dignoſcere iuuat, reſpiciamus ad ſacrificium Abrahæ de animantibus terreſtribus atque aëreis: Siquidem *& vaccam triennem* aſſumpſit, *& capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam,* Geneſ. c.15.v.9. monet autem Textus, cùm mactarentur animalia, eadem poſtea per medium diuiſa, & vtraſque partes contra ſe altrinſecùs poſitas; aues autem haudquaquam diuiſas: huius autem differentiæ myſtica egregiè ab Iſidoro Hiſpalenſi, cauſa declarata eſt, inquit enim: *Per Turturem, & columbam ſpirituales populi, filij promiſſionis, & hæredes regni futuri, quorum ætas tacetur, quia æterna meditantes, temporalia tranſgrediuntur: animalia trima contra ſe partibus conſtitutis diuiduntur; quia carnales & in veteri populo, & nunc abinuicem ſeparantur: aues non diuiduntur; quia ſpirituales nec ſchiſmate, nec hæreſi ſeducuntur, ſed pace fruuntur? ſiue ſolitarij vt Turtur; ſiue cum aliis, vt columba, conuerſantur.* Veriſſima planè eſt hæc magni Iſidori doctrina; itaque ſi quem Tu perſpexeris, ſiue in Cœnobio, ſeu in alia quauis laudabili Eccleſiaſtica congregatione, cuius ſtudium ſit aut clancularijs inſidiis, vel aperto dolo perturbare vnitatem concordiæ, eóſque qui impetu inſigni ferebantur contra Hæreſis, & vitiorum imperia retardare ob friuolas accuſationes, licet ſermonibus zelum buccinet; ne dubita ex carnalibus, & ſiniſtris eum eſſe: Nam qui contemplatiui ſunt, verúmque Spiritus tramitem ingreſſi fuêre; nihil antiquius colunt gratiâ tranquillitatis: & ſiue per hunc, ſiue per illum Deus admiranda operetur; congratulantur, adiuuántque.

1.Paralip. 2.54.
Gloſſ. Interlin.
*Filij Salma, Bethleem & Netophati dicuntur coronæ domus Iacob propter mutuam in prælijs ſocietatem & cõcordiam.*
Geneſ. 15 9.

Iſidor. Hiſpal.

*In Abrahæ ſacrificio non diuiduntur Aues, quibus ſpiritales innuuntur viri.*

58. Tentarunt Homines inſani vrbem condere, in eâque Turrem erigere, cuius culmen pertingeret ad cælum, nimirum vt tali ſemitâ vel Numine inuito, Olympum penetrarent; diſplicuit æterno Rectori āmens cogitatio, nec enim fortitudine corporis, ſed animi robore itur in cæleſtia, diſſipare volens conatus impios, *Venite* (inquit) *deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui,* Geneſ.c.11. v.7. Sed quando Deo ſcopus vanam ne proſequerentur operam, cur ad hoc ſpeciatim idiomatum electa eſt varietas? Numquid non poterant linguas peregrinas mutuò addiſcere, earúmque conceptâ notitiâ perficere quod aggreſſi fuerant? Non aptius, luminibus & viſu vt orbaret, brachia vt arefaceret, angelorum vt miniſterio in mundi extremas ablegaret plagas? Dicamus myſticè repræſentari; ſi fortè, quorum eſt doctrinâ & illuminatione iter pandere ad ſuperna, ipſi inter ſe diſſentiant, vt alter alterius Nemo ſermonem intelligat ob liuorem & ſuperbiam; tum contingere vt & ſibi, & fidelibus aditum ad cælos præcludant: Quid enim certi hauriant inter confuſiones rixantium? Hoc igitur vt indicaret, quanquam à cœptis vt deſinerēt, alio modo facere potuerit; maluit idiomatum pugnâ. Vſquequo ſuſtinebis, dulciſſime Ieſu, qui conturbant profundum maris falſitate linguarum? ſaltem eiice de loco ſanctorum qui nec ſe, neque alios introïre permittunt in regnum tuum, regnum beatum ſempiterni decoris: Rupertus lib.4. in Geneſ.c.41. *Quoniam peruersâ viâ tendere volunt ad cœlum, veram viam abſcondamus ab eis, quâ veraciter itur ad cœlum: confundamus linguam eorum,* &c.

Geneſ.11.7.
*Vt ſolâ linguarum confuſione diſſipati ſunt eorū conatus qui turri Babelicâ iter in cælum moliebantur; Sic ſtudia ſpiritalium Præceptorum diſſenſione fiunt irrita.*



Rupert.

59. Habebant ſanè legis Iudæi libros, habebant & Samaritani: oculi tamen eorum tenebantur, ne perciperent, cæci erant & duces cæcorum; plurima culpa in Iſraël, ſed maxima in Samaritis; nempè altercabantur ad inuicem, contendebant ſemper, & ideo liber ſignatus erat; putei, qui ab ore grandem reuolueret lapidem, non inueniebatur: quid prodeſt ſapientia? quid Magiſterij auctoritas, vbi lites, vbi inuidiæ? vbi Chriſtus diuiſus eſt? vbi iniquitas meditatur, quemadmodum fratrem ſupplantet? Hic eſt ille puteus, quem profectus in terram Orientalem vidit Iacob; *& os eius grandi lapide claudebatur,* Geneſ.c.29. v.2. Hic eſt ille *puteus altus* Ioan. cap.4.v.12. ſupra quem fatigatus ex itinere ſedebat Ieſus: & quia in Samaria erat, nolebat mulier, eò quòd Iudæus eſſet, dare illi bibere; non enim coütuntur Iudæi Samaritanis: cerne antiquum odium, vide æmulationem: audiamus Rupertum in præfata Geneſeos verba lib.7. cap.29. *Nam & Iudæi, & Samaritani ſcripturam eandem habentes, ſic ab inuicem erant diſgregati, vt ſicut Euangeliſta teſtatur, nec in hauſtu putei elementaris coüterentur Iudæi Samaritanis; & Gentiles ab vtriſque longè diuerſi erant, quippè qui nec Deum cœli colebant, & tamen eandem ſcripturam per ſeptuaginta interpretes tranſlatam ſcire tendebant: ſed fruſtra & hi, & illi taliter accubabant: Nam ſcripturæ ſacræ puteum Scribæ & Phariſæi grandi lapide clauſerant propter traditiones ſuas; vnde Dominus illis improperat; væ vobis legis peritis; quia tuliſtis claues ſcientiæ, & ipſi non introiſtis, & eos qui introibant, prohibuiſtis; & alibi: quare vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras.*

*Dum malè ſimul altercantur Iudæi & Samaritani, Sacra ſignata ſunt illis volumina; Scripturarũque Puteus altus grandi lapide obſtructus.*
Geneſ.24.2.
Ioann.4.12.

Rupert.

---

*Amor maieſtatem excludit, familiares & pares reddit diligentes.*

## Sectio III.

60. QVamuis ſincera horum verborum lectio ea eſt, quæ ſimpliciter vertit: *Introduxit me in cellam vinariam,* quemadmodum correcta Biblia habent, & in Romanis caſtigationibus ſuis Franciſcus Lucas aduertit; veterum tamen Latinorum multi *Regem* addunt, atque ita ſcribunt; *Introduxit me Rex in cellam vinariam;* ex horum numero Bernardus, qui viſus diſquirere, quamobrem modò Regem nuncupet, Maieſtatis vtique vocabulo, cùm aliàs non niſi Dilectum, ſeu quem diligit anima eius, appellat? Verùm, aliud eſt Sponſam Maritum alloqui ſuum in publico coram aliis; aliud in ſecreto & penetralibus: ſcilicet publica alloquutio reuerentiam expoſtulat; angulus & ſecretum amoribus deſtinatur: Quia igitur modò coram Puellarum turba ſermocinatur, verba quæ auctoritatem innuunt, pronunciat: in penetralibus autem, quia ex amore confabulandum eſt, quamuis vt ſæpè monuimus, nobilitate, gazâ, honoribus longè viro diſſimilis Sponſa, paribus vtrinque ſe titulis cognominant; amor enim faſtum amouet, dignitatis obliuiſcitur, coæquat ſe dilectori in omnibus; & niſi iſta faciat, ab amoris genuinâ deficit conditione. O Amor humilis & ardens, potens & infirme! Bernardus hom.49. in Cantica ſub initio: *Quando præſens eſt Sponſus, & Sponſa ad ipſum ſermonem dirigit; tunc Sponſus dicitur aut Dilectus; aut quem diligit anima mea inquit: loquens verò de ipſo adoleſcentulis, Regem nominat; ad quid hoc? propterea credo; quia & Sponſæ amanti, atque dilectæ conueniat vti familiaribus (quod à ſe eſt) amoris nominibus: & adoleſcentulis tanquam diſciplinâ indigentibus, opus ſit reuerendo premi vocabulo maieſtatis; introduxit me Rex,* &c.

Franc. Lucas.
*Sponſum Regem quidem appellat Spõſa dum hunc in publico alloquitur: in penetralibus verò Dilectū eum familiaris compellat.*

Bernard.

61. Lego de duabus Trinitatis perſonis ſub exordio rerum: Verbum iubet: fiat lux, & emergit ſtatim radioſa & ſplendeſcens; Flamen Lymphas diligit: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas,* Geneſ. cap. 1. verſ. 2. exponit ſecundum latitudinem ſignificationis vocis originariæ Hieronymus in quæſt. Hebræis, aiens: *id eſt, incubabat aquis, vel fouebat eas more volucris oua calore animantis; intelligimus ergo non de ſpiritu mundi dici, vt putant multi ſed de Spiritu ſancto, qui & ipſe eſt omnium viuificator:* An quidquam eſſe familiarius hac Spiritus ſancti indulgentiâ poſſit? quid tam mite, tam benignum & domeſticum? Quamobrem igitur filius introducitur cum imperio & grauitate magna? Spiritus autem ſanctus inclinans & beneuolus ſicut mater eſſe cum prole conſueuit; & quemadmodum Gallina congregat pullos ſub alis, eodem recubans ſtrato, iiſdem veſcens granis? Nempè ad Verbum cognitio ſpectat; ſcientia autem in magnis & mirabilibus ambulat: inſuper, Verbum cùm ſub Dei nomine in principio creaſſe cœlum & terram narratur; quæ in Hebræo eſt dictio, iudicem innuit; ad iudiciariam verò poteſtatem pertinet grauitas & terror; benè itaque cum maieſtate Verbum introducitur: Spiritus autem ſanctus dilectionis ineffabile vinculum eſt, amor eſt conſubſtantialis, charitas infinitè ardens: quia ergo de amoris natura eſt ad ſodales inclinari & ſubmitti, iiſdémque contentum eſſe officiis: cùm Spiritus ſanctus Amor ſit; rectè deſcribitur, qui creaturæ, ſuæ, quam diligit condeſcendat, tanquam in vilibus & abiectis exerceatur, volucrum ſimilitudine calore vitam inſpirans.

Geneſ.1.2.

Hieronym.
*In rerũ exordio Verbum cũ Majeſtate inducitur; Spiritus ſanctus, qui Diuinus eſt Amor cũ ſumma indulgentia & familiaritate.*

62. Hominis molitionem aggreſſurus Deus; *Faciamus* (inquit) *ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram,* Geneſ.cap.1.verſ.26. quare ad imaginem Creatoris? communis Reſponſio eſt, ad Rationalis humanæ creaturæ nobilitatem indicandam: verùm pro noſtri ſcopi meta: ſolus Homo ex inferioris mundi creaturis futurus erat capax amicitiæ cum Deo: ſed quomodo Beneuolentiæ amore, qui in amicitia ſupremus eſt, ſibi diſparem Numē diligeret? quò igitur fœdus cum Homine inire poſſit, eum diligendo, ſimilem fecit cum imagine ſui, ſine hac enim æqualitatis idea Amicitiæ imperfectus extitiſſet Titulus: & quidem Amor cùm potenter dominatur, mentíque ſublimis inſidet, vſque in bonorum omnium communionem deſcendit, nulla tum differentia Natalium, nulla officiorum, nulla diuitiarum: ergóne omnium bonorum Dei particeps factus Homo ex ſimilitudine cum illo, eò quòd amare decreuerit ob iuſtitiam & ſanctitudinem? diſcamus à Gregorio Nyſſeno libro de opificio Hominis, c.16. *Perfectè nimirum ſe bonum oſtendit, cùm Hominem de*

Geneſ.1.26.
*Deus Hominem ad imaginem ſuam formauit, quòd hunc Amicitiæ ſuæ capacem conderet.*

Nyſſen.

*de nibilo conderet, omnîque bonorum copiâ inſtrueret: quæ quidem adeo multa ſunt numero, vt recensêre ſingula commemorando difficulter poſſint: idcircò breuiter vniuerſa his verbis comprehenduntur, quibus Homo ad imaginem Dei factus eſſe dicitur: valent enim illa tantumdem, ac ſi diceretur, Naturam humanam à Deo in omnium bonorum Societatem vocatam eſſe: Nam ſi Dei natura perfecta quadam copia eſt bonorum omnium, Homo autem eius eſt imago: haud dubium ſimulachrum hoc Dei princeps exemplum ita referet, vt & ipſum bonis omnibus abundet.* Sed Homo peccando Dei velut excuſsâ ſimilitudine, in Brutorum quaſi naturam tranſiit, vt idem capite ſequenti Nyſſenus expendit ex Pſalm. 48.

Pſal.48.13.

verſ.13. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* At iterum miſericordiæ & miſerationes Domini ſuper eum: amauit in exceſſum vſque; *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret,*

Ioan.3.26.

Ioan.cap.3.verſ.26. Verùm ſimilitudinem Amor exigebat: Quid fiat? Homo noluit Deo ſimilis videri: igitur, ne ſimilitudo abſit, modúſque æqualitatis ab amore, ſi Deo aſſimilari Homo recuſet, Deus Homini ſimilis fiat. O flammam ignitam! ô magnum Dilectionis incendium! exinaniuit ſemetipſum formam ſerui

Origen.

accipiens: Origenes homilia 1. in Geneſ. *Saluator noſter, qui eſt imago Dei, miſericordiâ motus pro Homine, qui ad eius ſimilitudinem factus fuerat, videns eum depoſitâ ſuâ imagine, maligni imaginem induxiſſe: ipſe motus miſericordiâ, imagine Hominis aſſumptâ, venit ad eum, ſicut Apoſtolus conteſtatur, dicens: Cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt Homo,*&c.

63.
Exod.3.15.

Alloquitur Moyſem Deus & inquit profecturo in Ægyptum: *Hæc dices filijs Iſraël: Dominus Deus Patruvi veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos,* &c. Exod. cap. 3. verſ. 15. Quid Deus Abraham? annon eſt cognominari famulum ab Hero? planè ita: Sed vnde nouum hoc? Siquidem Dominorum titulos ſerui vſurpant, ídque honori ducunt eximio, ſed nunquam à miniſtro qui imperat, appellationem mutuatur, ſubiectionis enim argumentum eſt, nomen deſumpſiſſe ab altero: notauit egregiè Chryſoſtomus homilia 4. de fide Annæ: *Apud Homines à Dominis ſerui, à maioribus minores appellationem ſumunt; apud Deum autem è contra; non ſolùm enim Abraham Dei dicitur, ſed Deus etiam Abrahami, atque ita Dominus à ſeruo denominatur; vnde Paulus: & non confunditur vocari illorum Deus.*

*Dum ſe Deū Abraham, Deum Iſaac, &c. nominat Deus, cognomen à ſuis ſeruis mutuatur, quòd ijs per Incarnationem amanter aſſimilari vellet.*

Quare ſic condeſcendit numen & Creaturæ indulget? Nimirum, antequàm hæc pronunciaret, Incarnationis Sacramentum Moyſi in ſymbolo rubi ardentis, ſed non combuſti, præmonſtrauit; hac autem teſſerâ, ſi quo vnquam pignore, amorem erga humanum genus oſtendit, maiorem enim charitatem Nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; iam igitur Amor vbi vehementer excreuit, quidnam operetur? Sanè vt etiam, qui ob celſitatis faſtigium, orbem portant; tamen cùm amando vacant, licet quæ diligitur inferioris ſit notæ Perſona, iiſdem ſe titulis & nominibus promiſcuè appellant: Amor quippè faſtidit Reuerentiæ ſeueritatem, & foras mittit timorem; tum nec famuli, nec Heri diſcrimen aliquod eſt, nam Dilectio pares conſtituit: Vt igitur Dilectionis immenſitatem Crearor declararet, eò vſque progreſſus eſt, vt parem quaſi fecerit ſe ſeruis, dum ſicut illi vocabantur à Domino, ita ab eis viciſſim appellaretur Deus; innuit Aug. in Lippom. Catena in

Auguſtin.

Exodum dicens: *Poſito nomine æternitatis; Ego ſum, qui ſum,*&c. *Dignatus eſt habêre nomen miſericordiæ; Ego ſum Deus Abraham,*&c. *Laudemus ergo ineffabiliter eius eſſentiam, & amemus miſericordiam; cùm dicit, Ego ſum, qui ſum; & qui eſt, miſit me,* &c. *Diuinitatis ſubſtantiam ſignificat: cùm autem dicit, Ego ſum Deus Abraham,* &c. *Myſterium ſuſceptæ Incarnationis inſinuat, quia de illis ſecundum carnem generatus agnoſceretur.*

64.

Chriſtus moriturus alternâ commendatione & genitricem & quem amabat ex diſcipulis ſolari voluit; primùm Matri: *Mulier, ecce filius tuus;*

Ioan.19.27.

*deinde dicit diſcipulo; Ecce mater tua,* cap. 19. v. 27. qua de Seruatoris commendatione Sanctus Petrus Damianus ſermone 2. de B. Ioanne Euangeliſta:

P.Damian.
*Chriſti in Mariam vices ſupplet Ioannes, nēpe Diſcipulus erat quem diligebat Ieſus; Amor ſiquidem trāsformat Amātes, & velut æquales facit.*

*Intentis in Ioannem oculis, ait ei quæ ſola abſque nuptiali conſuetudine Mater eſt, Ecce filius tuus: idémque rursùs ad illum, Ecce Mater tua; alteram alteri pro ſemetipſo commendans;* hoc eſt, vice ſuimet alterum alteri reciprocâ legatione ſubſtituens, vt Ioanni Maria Chriſtus velut reipſa eſſet; itémque in Ioanne Seruatorem Deipara contemplaretur; Verùm propriiſſimè admodum, quod Nati perſonam Virgo ſupplêre aſſeratur, nam eiuſdem ſubſtantiæ genitrix & filius, idem cum Chriſto Mater benedicta, quia carnem de Matre traxit, idem planè ſecundum quod filius Hominis Chriſtus Iesvs: potuit itaque Regina intemerata optimè gnati loco reponi, quoniam Matrem intuendo Ioannes non ſimilitudinem & analogiam contemplabatur tantùm, ſed eam de cuius ex carne Caro proceſſit: & ita de illa, quæ enixa eſt Iesvm: Aſt quomodo Ioannes pro Chriſto ſupponatur, quando non idem cum Chriſto neque ſecundum diuinitatem, neque ob humanitatem? non erit igitur vera Damiani hac ex parte ſententia: Sed attende amoris potentiam: Amor transformat amantes, Amor vnum conſtituit ex diligentibus, magíſque qui diligit in eo quodammodò qui diligitur, quàm in ſemetipſo: ergo & in Chriſto Ioannes, & Ioannes in Chriſto, erat námque diſcipulus, quem amabat I e s v s: Quoniam itaque pares Dilectio facit amantes, & æquales reddit faſtu ablegato, Redemptor noſter velut oſtenſurus quantùm dilexerit Ioannem, cum tanquàm ſibi parem fecerit, abiturus ex hac vita pro ſe Matri relinquit, alterum videlicet ipſum.

65.

Peccauit Iſraël contra Deum, Moyſémque inſignibus propoſitis honoribus, ne vindicaturo ſe opponeret, multitudiníſque ageret cauſam, Numen inducebat: *Dimitte me, vt iraſcatur furor*

Exod.32.10.

*meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in gentem magnam,* Exod. cap. 32. verſ. 10 reſpuit optimus Gubernator, fortunatúſque eſſe populo dolente renuit: *Aut dimitte eis* (reſpondit) *hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti:*

*Moyſes quòd populum ſibi commiſſum diligeret, ſuos populo communicari vult honores, dum confidēter Deo loquitur; Aut dimitte eis,* &c.

ſolet nōnunquam illuſtrior ciuium portio in Ducum, aut comitum aulas vocari, ſiue ad epulas feſtiuæ lætitiæ, ſeu ad theatralia, ſiue ad ſpectacula Circenſia: ſtipant Dominorum latera copioſi famulantium greges, adhæret & filiorum ſuauiſſima cohors: cùm ad ianuas Palatij ventum eſt, ſi fortè Nomenclator reſpuat ad pompam ſeruos admittere, repulſam ingrauatè fert Herus; ſi tamen chara filiorum abigere tentet pignora, excandeſcit, atque in furias agitur, baſilicámque intrare contemnit, quam ſine gnatis ingredi



ingredi cogatur: Quamobrem igitur, à ſeruis diuidi patiatur, ſeiungi à prole non toleret? Equidem ad ſeruos Timor ſpectat, ad filios amor: timor verò grauitatem & maieſtatem ſupponit: ad Domini enim auctoritatem pertinet, ne coæquetur ſeruus cum illo: Hero igitur intrante ad ſollennia, foràs miniſtri remaneant: quæ autem eſt Amoris conditio? parem ſe agere ad Dilectum, nullo vti faſtu, iiſdem frui ſolatiis: cùm igitur Genitoris ad filium ſit Dilectio, rectè quod non ſuſtineat Pater honorari filio inhonorato, proinde aut extrà remanſurus cum ſobole amata, aut ſimul vterque ingreſſurus: iam de Moyſe; Hic quidem affectu tenerrimo diligebat populum, vt non plus Mater ſobolem deperiuerit: vocatus ergo à Numine, vt fieret in gentē magnam; reſpuit ſubmiſsè: quorſum recuſat? nempe, eò quòd populus, quem filij loco reputabat, à gaudio repelleretur: Hoc eſt Antiſtitem eſſe, diligere ſcilicet ad æqualitatem: Bernardus ſerm. 12.

Bernard.

in Cantica: *Denique ſi dimittis* (ait,) *dimitte: ſin autem, dele me delibro tuo, quem ſcripſiſti: ô verè Hominem vnctum vnctione miſericordiæ! loquitur planè Parentis affectu, quem nulla poſſit delectare felicitas, exortibus, quos parturiuit: verbi gratiâ: Si Diues quiſpiam mulieri pauperculæ dicat: Ingredere Tu ad prandium meum, ſed quem geſtas infantulum, relinque foris quoniam plorat, & moleſtus eſt nobis; numquid faciet? Nonne magis eliget ieiunare, quàm expoſito pignore charo ſola prandêre cum diuite? ita nec Moyſes ſe vult ſolum introduci in gaudium Domini ſui; foris ſcilicet remanente populo cui licet inquieto, & ingrato, vice pariter, & affectione Matris inhæret.*

66.

Deſcribit nuptiarum genialem pompam Matthæus, narrátque cap. 25. exordio, Virgineam turmam Puellarum cum lampadibus exiiſſe obuiam Sponſo, Sponſæque pariter; expergiſcuntur ſub media nocte eædem adoleſcentulæ, & vox percellit inquiens verſ. 6. *Ecce Sponſus venit,*

Matth.25.6.
Hilarius.
*In nuptiali Euangelij parabola, Sponſæ nomē omittitur, quòd nempe par eſſet, idémque Sponſi & Spōſæ honor.*

*exite obuiam ei:* Quæſiuit Hilarius Canone 27. in Matthæum, cur hoc loco omiſſa eſt Sponſæ recordatio: An non ſimul progrediebantur noui coniuges? planè quidem, nam in hoc lampades arſerunt, vt chorus Virginalis præluceret obuiam procedens Sponſo & Sponſæ: quodnam igitur ob myſterium ſuppreſſa eſt ſecundo loco ab Euangeliſta Sponſæ memoria? Ecce, docuit quidem Narrationis principio recens fœderatos eſſe coniuges, Sponſos nimirum: hoc autem ipſo inſinuauit ardentiſſimo amore coniunctos, nulla enim charitatis vis potentior nouorum coniugum amore: cùm ergo iſtud ſatis docuerit, quaſi ſuperuacaneum iudicauit, poſtea ſigillatim monuiſſe, obuiam factas Virgines Sponſo, vnáque Sponſæ: Quare inneceſſarium putauit? nempè, colligere palàm Lector potuerat, non paſſurum Sponſum, vt quibus ipſe afficeretur honoribus, iis Sponſa aliquo modo caruiſſet: Amoris quippè lex eſt, diligentibus eadem exhiberi officia, non enim ſuſtinet Dilectio ambitionem, aut faſtum, vtque Amantium extollatur vnus altero depreſſo; Cùm itaque Sponſus amaret vehementiſſimè Sponſam; non toleraſſet, vt ipſi Sponsâ contemptâ obuiam Virgines progrederentur, quoniam ſi hoc permiſiſſet, Sponſi titulo indignus fuiſſet; qui enim Sponſus eſt, Amoris ſuccenditur flammis: quem verò Amor torret & depaſcitur, is nequaquam patiatur honorari ſe ſupra dilectum, quia Dilectioni auctoritas exoſa eſt; ſatis itaque fuit, indicaſſe ſemel Sponſos eſſe, ac proindè diligentes; vt deinceps, ſiue vnus tantum nominetur eorum, ſeu vterque; ambobus obuiam proceſſiſſe Virgines cum luminaribus, cogitemus.

---

*Antiſtes, ſubditis, quæ ad honeſtam vitæ rationem neceſſaria ſunt, ſubminiſtret: & tum, quæ iubêre conueniens eſt, imperet*

## Sectio IV.

67.

QVid hoc eſt? ſitítne Sponſa? afferte craterem & bibat; ſi parum hoc, amphoram, vel hydriam producite! ô nouum in ſiti monſtrum! non placatur niſi toto exhauſto Cellario: Gregorius Nyſſenus Orat. 4. in Cantica: *Vſqueadeò autem augetur ſitis, vt è ſapientiæ cratere non hauriat, neque ad ſedandam ſitim ſatis eſſe putet, ſi totum craterem in os infundat; ſed rogat, vt deducatur in ipſam cellam vinariam, & ipſis torcularibus os ſubijciat, & dulce vinum ſcatens adſpiciat.*

Nyſſen.
*Sitientē Spōſam in Cellā vinariam introducit Spōſus, quam poſtea ad duram militiæ palæſtrā hortatur.*

Verum Tu ſingulariter perpende, vt magna quidem ſit Sponſæ ſitis, maximam tamen eſſe Sponſi liberalitatē; non triſtatur, non ingemiſcit, non conqueritur, nimios eſſe ſumptus, vnius ad ſitim mitigandam totum aperiri cellarium; videt tantæ ſiti tantum neceſſarium eſſe ſolatium; indulget lubens: Verum, qui ita in ſubditos beneuolus eſt Sponſus; idemmet fortiter exercet, cùm opus; cui apotheca plena donata eſt, ſubnectit continuò: *ordinauit in me charitatem,* ſeu vt legebamus in ſuperioribus ex aliorum verſionibus: *vexillum eius ſuper me charitas;* Quod ſcilicet ad duram militiæ palæſtram extraxerit, laboréſque ſuſtinere caſtrenſes coëgerit, nam in amore militia eſt: quomodo Regi & Ducibus fidelem æſtimabimus legionarium, cui ſtipendia non perſoluantur? quomodo à rapinis abſtinêre credemus ſeruos incompenſatis operibus? miſerandum tamen fuiſſet ſi quoque in Cœnobiis neceſſaria deeſſent alimenta: Nam quæ ſpes ſtrictioris obſeruantiæ ſi cogatur vnuſquiſque ſollicitus eſſe de his, quæ aut manducare, aut bibere, aut veſtire neceſſarium ſit humanæ fragilitati? an imperabit ſuperior quibus non ſubuenit? aut quomodo auſcultabunt, qui non aluntur?

68.

Formauit Hominem Deus extra Paradiſum, adaptatôque ei belliſſimo voluptatis loco, tranſlatus eſt illuc ab eo, Geneſ. cap. 2. verſ. 15. Quamobrem antequam tranſplantaretur Adam, compoſitum eſt viridarium, fructibúſque, & amœnitate multifariâ locupletatum, vt nihil concupiſci vlterius poſſit? Lippomanus: *Ecce, quomodo Deus beneficijs ſuis Hominem velut obrueret, antequam conderet, omnibus antè creatis, quibus eſſet opus habiturus ad gaudium, oblectationem, ac vſum; quò prouocaretur Homo ad Deum tam beneficum ſibi Patrem amandum ardentius:*

Lippoman.
*Adamo etiā ante ipſius formationem paradiſū parat Deus amœniſſimum, tum ei præceptum de non comedēdo arboris vnius fructu imponit.*

debuit profectò amaſſe, qui non ſolùm prouidit ei, ſed etiam honorauit; Nobiliſſimo enim cuique inter mortales ſolùm mos eſt; antè Hoſpitium opulentè componi, quàm adueniat: Dicimus nos: Homini erat Deus imperaturus, ne de vnius ligni pomis conueſceretur: ne qua igitur obmurmurandi occaſio daretur propter præceptum, ſi aliqua deſiderarentur ex iis, quæ concedenda videbantur, largitur priùs, quæ ſtatus & conditio Perſonæ requirebant; vbi ſatisfactum eſt abundè, tum ſeueritatis aliquid, mandátque: *De ligno autem ſcientiæ boni,*

Geneſ.2.17.

*& mali, ne comedas; in quocumque enim die comederis*

ex

Chryſoſt.

*ex eo morte morieris*, Geneſ.cap.2. verſ.17. Chryſoſtomus homilia 14. in Geneſ. *Hæc faciebat quaſi Dominus aliquis liberalis domum magnam alicui concredens, & vt Dominium ſibi ſaluum maneat, paruam tantùm pecuniam dandam ab illo præſcribat: Sic ſanè & miſericors noſter Dominus conceſſo omnium, quæ in Paradiſo ſunt fructu, ab vno tantùm ligno abſtinêre iuſſit; vt ſcire debeat, quod ſit ſub Domino, cui obedire debeat, & parêre, ſi quid ille imperauerit.*

69\. Rectè quidem Homini, antequam formaretur, locus habitationis præparatus eſt cum alimoniâ longam conciliaturâ iuuentutem, videbatur enim ſingularis honoris quidpiam tantæ creaturæ expoſtulare dignitas: Sed quare etiam iumentis & Beſtiis terræ coaceruatus eſt, priuſquàm conderentur, victus? ante enim iſtorum productionem, Terra iuſſa eſt germinare herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, de quibus cibi iumentorum? Nempe, Homo ſtatim atque exoriretur, conſtituendus erat Brutorum Rex: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram*, Geneſ.cap.1.verſ.28. Donatus verò Adam imperij hac ampliſſimâ poteſtate fortè quaſi grauaretur, quemadmodum ſubditis neceſſaria ad vitam ſuggerere poſſit, exiſtimarétque, non ſatis decorum, vt præciperet, quibus non ſubueniret ad ſalutis conſeruationem: Hæc igitur ne eum cura ſub exordio Gubernationis vexaret, anticipauit conceſſioni principatus creator, herbas & fœnum producens ad ſuſtentationem Brutorum: quare ſtatim ac Regem declarauit Hominem, ſubiunxit: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuum ſuper terram, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli*, &c. quaſi aſſerat: Ne timeas Adam præcipere Brutis, vt obediant: iam enim noſtrâ benignitate, quæ ad vitæ conſeruationem neceſſaria ſunt, Terra præbuit: Chryſoſtomus homilia 10. in Geneſim: *Magna Domini erga hominem, quem condidit, oſtenditur cura: nam quia ipſum produxit, & omne ei Dominium creaturæ tradidit: ne ſtatim ab initio iumentorum multitudinem videns, ſtomachari poſſit, quaſi non ſufficeret ad alenda tot, ac tanta animalia; priuſquam de hoc cogitaret bonus Deus præueniendo demulcet eum (vt ita dicam) & oſtendit, quod tam ipſe quàm iumenta, & bruta omnia, præcepto Domini omnem copiam terra ſuppeditante, ſit habiturus: Nam poſtquàm dixit, erit vobis in cibum; mox ſubiunxit: & omnibus beſtijs terræ, & volatilibus cæli*, &c.

Geneſ 1. 28.
*Præfecturus Adamum beſtijs Deus, ijs etiam ante eorũ creationem neceſſaria omnia præparauit, ne de Adamo Rectore ſuo queri poſſent.*

v.29.

Chryſoſt.

70\. Cùm Dauidem puniret Deus ob populi numerationem, per Gad videntem, trium ſuppliciorum electionem obtulit, nempè famis, gladij, peſtilentiæ; elegit contagium, inquiens: *Melius mihi eſt, vt incidam in manus Domini, quia multæ ſunt miſerationes eius, quàm in manus hominum*, Paralip. 1. cap.21.verſ.13. Sed quare gladium, & famem recuſat morbo prælato? Videlicet, ſi famem optauiſſet, cùm ſubditorum opitulari non valeret neceſſitatibus, culpæ verteretur ei ab eſurientibus, præoccupare enim malum debuerat accerſitis aliunde frumentis cum tempore: ſi etiam Bello cederet; fuiſſent, qui accuſarent plurimi; ſeu quod pugnæ occaſio ab eo oblata eſt: ſeu quia de fœdere Pacis non tractarit: Quid ſequatur ex querelis iſtis? nempe, vt timidè auderet populo imperare, vt cogeretur in multis conniuêre & diſſimulare: quam enim obedientiam ab iis expectare debuiſſet, qui vtilitatis ſubditorum negligentem exiſtimabant? qui fame, qui enſe vaſtari ſineret? Euitandum eſt ſummoperè Imperatori optanti, vt ſubditi auſcultent, ne apud eos generetur opinio ob Magiſtratus incuriam, nedum malitiam, affligi Rempublicam & Ciues, neceſſariíſque deſtitui remediis; vix enim celſum aliquid vnquam eius ob gratiam, dum ita cogitauerint, aggredientur: prudenter itaque Dauid ab illis declinauit plagis, quorum in ipſum culpa quoquo modo conijceretur; Contagio autem à Deo immittebatur, propterea dicebat; *melius mihi eſt, vt incidam in manus Domini*; à Numine autem immiſſum ſupplicium mortalis prouidentiæ induſtriam vincit; cui & Rex non minùs quàm alij, obnoxius: Gloſſa ordinaria: *Si famem eligeret, contra alios facere videretur; quia habens multa frumenta, inopiam cum alijs non pateretur: Si vinci ab hoſtibus per tres menſes eligeret, habens ipſe circa ſe viros fortiſſimos, nihil metueret, cùm exercitus neci ſubiaceret: communem ergo ſibi & alijs paſſionem elegit, in qua omnibus timor eſſet æqualis.*

1.Paralip. 21.13.
*Peſtem in ſui punitionem è tribus flagellis ſibi oblatis eligit Dauid, vtpote quam humana cura amouere non poteſt, ad vitandas populi ſi aut famem aut bellum elegiſſet querelas.*

Gloſſa Ordin.

71\. Miſit exploratores in Regionem promiſſæ Telluris Moyſes, ſingulos ex ſingulis tribubus de principum numero: inter hos ex tribu Ephraim Oſee filium Nun; ſed huic vni commutauit nomen *Ioſue* appellans, Numer.cap.13. v.17. interpretatur autem *Ioſue* Saluator: Verùm, quamobrem hac inſigniuit voce? deſignatus fuerat à legiſlatore qui ſociis præeſſet, principúmque Princeps renunciatus: Volebat itaque ex Nominis eum ſignificatione ediſcere, qualem oporteret eſſe aliis dominantem; cui ſcilicet nihil antiquius eſſet ſubditorum commodis, ac valetudine, proinde beneficenter ſubminiſtraret quæ ad hos vſus deſiderarentur: huius autem doctrinæ quiſnam finis? erat expeditio illa ardua ſatis, & periculis circumuoluta grandibus, proinde requirebatur obedientia fortis & prompta: de hac vt ſpem magnam conciperet Ioſue, Saluatorem ſe gerat erga ſubditos, adhortatur; nihil deeſſe patiatur quod honeſtum, decorúmque futurum ſit: Hoc ſi perficiat, ſtudioſè & hilariter mandatis ſubditi obſequentur; neque enim grauia & importanda aliqua eius eſſe poſſunt præcepta, quem ſubditi velut Nutritium agnoſcunt ob prouidentiæ diligentiam ſuauiſſimam: Abulenſis quæſtione 37. in cap. 13. Numerorum: *Tertiò, poteſt accipi hoc factum ad ſignificandum, quod Moyſes præficiebat iſtum Ioſue alijs vndecim exploratoribus; ideò vocauit eum Saluatorem, id eſt, quòd haberet curam de ſalute aliorum, & bonâ diſpoſitione illorum in via; quod multi tenent, & ſatis rationabile eſt: quia antè hoc in bello contra Amalecitas conſtituerat Moyſes ipſum Ioſue ducem omnium bellatorum Exod. cap. 17. à fortiori ergo conſtituerat eum nunc Principem vndecim exploratorum.*

Numer. 13.
*Quem Moſes populi Hebræi Principẽ conſtituere ſtatuerat, hũc Ioſue .i. Saluatorem nominat, vt ex ſuo nomine de ſubditis ſolicitudinem & curam aiſceret.*

Toſtat.

72\. Arguit Sacerdotes populorum Magiſtros Numen, quòd de peccatis diſſimularent, & in vitia præcipites non corriperent: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum*, Oſeæ cap. 4. verſ. 8. Hieronymus, *Sacerdotes diſſimulant, atque laudant peccata populi; vt plurimæ ad eorum quæſtum afferantur Hoſtiæ, & ita populum ſpoliant, atque comedunt, de quibus dictum, Pſalm. 13. Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.* Sed quamobrem hunc ſpeciatim populum ſacri Homines increpare vehementiùs debeant? nempè illi ſuppeditauerat Deus abundantiſſimâ largitate non

Oſee 4 8.

Hieronym.

Pſalm. 13.



*Sacerdotes peccata populi diſſimulantes ſeuerè corripit Deus quòd populo omnia abundãtiſſimè vel ad delicias ſubminiſtrarit.*
Pſalm. 4.

ſolùm quæ ad vitæ humanæ neceſſitatem ſubleuandam requirebantur, ſed quæ iucunditatem afferre poſſint maximam; hoc namque eſt, quòd introduxerit in Terram lacte & melle fluentem; hoc quod à fructu frumenti, vini, & olei multiplicarit, vt canit Pſalmodus, Pſalm. 4. v. 8. Quando igitur temporalia ſuggeſſerit bona, & vitæ prouiderit vberrimè alimenta; nullam eſſe cauſam, quamobrem non ob vitia corripiantur à Sacerdotibus, quos Deus præceptores, & Antiſtites dedit: & ne ipſi Leuitæ & Sacerdotes minus promptè Hierarchis obedirent propter egeſtatem, rerúmque ad ſalutem neceſſariarum, inopiam, præcepit Deus per Moyſem filiis Iſraël, Num.cap. 35. v.3. vt darent Leuitis de poſſeſſionibus ſuis vrbes ad inhabitandum, & ſuburbana pecoribus & iumentis.

Numer. 35.

---

*Magiſtratum non ambire, ſed alieno ex impulſu, & velut coactum admittere iuuat.*

## Sectio V.

73\. Non muneribus, non prece, non blanditiis aſſecuta eſt Sponſa, vt Cellæ præficeretur vinariæ, ſed nihil ambientem à Sponſo vocatam, & intromiſſam aſſeuerat: quippè nouit periculoſam eſſe vini adminiſtrationem: vinum doctrina ſapientiæ eſt; proh quantæ molis opus fortunatè, prudenter potaſſe ſubditos! quid ſi vſque in amentiam bibant, & aduerſùs promum conuertantur inſanientes? Quid ſi quibus congruebat dilutus Bacchus, merus propinetur? Quid ſi lactentes, & paruuli ſiti deficiant Lyæi non valentes odorem ſuſtinêre? ô frequentem timorem! ô crebra diſcrimina! & tamen ſunt qui concupiſcunt in throno ſedêre quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; non talis Sponſa, quæ introducitur à Rege, nec talis Sponſi Amicus Moyſes: non ille ſicut Abſalom populi venabatur gratiam vt regnaret; præter animi cogitationes vocauit ex Rubo, quem flamma non læſerat, Numen, & multitudinis Hebræorum Ducem cõſtituit: remoratur adhuc humilis & fidelis ſpiritus; & ſi quo modo valeat, Deo perſuadêre tentat, ne Principatu donet: *Obſecro Domine non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius, mitte quem miſſurus es*, Exod. cap. 4. verſ. 20. Gregor. 1. p. Paſtor. cap. 7. *Hinc ergo quique præcipites colligant, cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præeſſe non metuant, ſi ſancti viri plebeium ducatum, Deo etiam iubente, timuerunt: Moyſes trepidat ſuadente Domino; & infirmus quiſque vt honoris opus ſuſcipiat, anhelat? Teipſum portare vix potes, nec ſupra pedes tuos ſtare, & humerum ponderibus ſubmittis alienis? quæ egiſti ferre non vales, & auges quæ portes?*

*Nec prece nec blanditijs aſſequitur Spõſa vt Cellæ vinariæ præficiatur, ſed à Sponſo ad id muneris nil ambiens vocatur.*

Exod. 4 10.

Gregor.

74\. Adamum extra Paradiſum formauit Deus, creatúmque Angelorum ſubuectione Paradiſi collocauit intra ſepta; ita námque Geneſeos verba cap. 2. verſ. 15. exponere Interpretes conſueuerunt: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis*: Quamobrem non ipſe illuc progreſſus, ſeu veſtigiis Terram calcaret? ſeu ex animantibus iuberet pulcherrima & robuſtiſſima dorſum inclinare, & ſupportare regio ſplendidum decore? ſcilicet infirmabatur, & laſſus decumbebat? ſed nihil eius fortius iuuentâ: non audet tamen ſe motore ingredi, Dei cum ferant adminiſtratorij ſpiritus oportet, quaſi hoc certus pignore, Numinis ſingulari quodam imperio tranſuectum: vt quid de ſua formidat voluntate? vtique loco delicioſo reponebatur, vt operaretur & cuſtodiret illum: vah leuem oneris Sarcinam! quanta eſt defenſio, vbi nullæ metuantur inſidiæ nec à ferarum generibus, neque ab hominibus? Bruta auſcultabant promptè tum: nondum ex mortalibus qui inimicaretur: exiguus etiam in agricolatione labor, nullúſque triſtitiam allaturus glebâ adhuc beatâ, & ſponte in gazam exuberante: ſin autem myſticè interpretemur ex Ambroſio libro de Paradiſo, cap. 4. de virtutis proceſſu; etiam in ſtatu iuſtitiæ originalis facilis virtus: Si ergo nihil arduum Paradiſi Gubernatori Adæ, vt quid cunctatur ſponte pergere, alienúmque impulſum deſiderat atque expectat? Heu gubernatio eſt vtcumque, & licet mille ſubſidiis adiuuetur, velut formidat tamen, nec capeſſere habenas audet niſi leniatur ſolatio, non arreptæ aut concupitæ Dominationis, ſed traditæ ab eo, qui poteſt cum regimine ſpiritum pariter & vires concedere ad imperandum: Ambroſius loco relato legens: *Et apprehendit Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in Paradiſo*, &c. *Vides, quoniam qui erat apprehenditur? erat autem in terra plaſmationis ſuæ: apprehendit ergo eum virtus Dei ſpirans proceſſus, & incrementa virtutis; & in paradiſo eum collocauit, vt ſcias apprehenſum quaſi afflatum diuinâ virtute.*

Geneſ. 2. 15.
*Nõ venit pedibus in Paradiſũ recens formatus Adam ſed ab Angelis illuc tranſportatus eſt, vt ibi dominaretur.*

Ambroſ.

75\. Metuenda Reipublicæ Dominatio, quæ ambitu, violentiâ, muneribus acquiſita eſt, denique cuius non Auctor Deus, ſed Homo ipſe; difficile eſt popularem ſtatum tum vitiis non laborare plurimis, neque vltio procul abeſt: conqueritur de Hebræis Numen, Oſeæ cap. 4. verſ. 3. *proiecit Iſraël bonum, inimicus perſequetur*; ſcilicet contaminata eſt Iudæorum vita; Hoſtis excitatur qui puniat; vndenam hæc incommoda? *Ipſi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt & non cognoui*; qua de vaticinatione Gregorius Papa 1. p. Paſtor. cap. 1. *Ex ſe namque, & non ex arbitrio ſummi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquàm diuinitus vocati, ſed ſua cupiditate accenſi, culmen regiminis rapiunt, potius quàm aſſequuntur.* Origenes hom. 4. in Iudices: *Audacter fortaſsè aliquid dicimus, tamen quod ſcriptum eſt, dicimus: Non ſemper princeps populi & Eccleſiæ iudex per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt: ſi mali ſint actus noſtri, & operamur malignum in conſpectu Domini, dantur nobis principes ſecundum cor noſtrum, hoc tibi de Scripturis probabo; audi namque quod Dominus dicit: fecerunt ſibi Regem, & non per me, & principem & non per conſilium meum: & hoc dictum videtur de Saul illo, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & regem fieri iuſſerat; ſed quoniam non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſecundum peccatoris populi meritum fuerat electus; negat eum cum ſua voluntate, vel conſilio conſtitutum; tale ergo aliquid intelligamus etiam in Eccleſijs fieri, quia pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens à Deo tribuitur Rector Eccleſiæ: aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini; talis Eccleſiæ iudex datur, ſub quo famem & ſitim populus patiatur: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi Verbum Domini.*

Oſee. 4. 3.
*Quòd Principes Hebræi populi ex ſe regnarent, & non ex Deo, ideirco proiecit Iſraël bonum & inimicus perſecutus eſt.*
Gregor.
Origen.

76\. Dimiſit columbam Noë ex arca, vt exploraret num recedentibus aquis Terra habitabilis facta eſſet: vt autem conſpexit in ore remeantis ramum Oliuæ virentibus foliis, credidit liberatam vndis glebam: maiori tamen adhuc vſus experimento, adapertâ Arcæ feneſtrâ, ſ[illegible]is contemplatus

*Quamuis exſiccatam à columba didiciſſet terrã Noë, diuinum tamen expectauit mandatum, vt ex arca egrederetur in terram, totum orbem moderaturus.*

Geneſ. 8.15.

templatus luminibus ſuperficiem Terræ exſiccatam fuiſſe: Sed quorſum hæ ſpectarunt induſtriæ? Nonne quidem vt poſt diluuia & tempeſtates ſolo conſiſtere liceret, & Naturæ muneribus, quæ terra parturit, frui? nec tamen pedem arcâ effert, quoad ſupernis moneatur oraculis: *Locutus eſt autem Deus ad Noë dicens: egredere de arca Tu & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum,* Geneſ.cap.8. verſ.15. Quod ſi diuinis regi imperiis propoſitum eſt in agendis, quamobrem ſine diuino monito littoribus receptus altare ædificauit, & holocauſta obtulit? Sanè, quod ſacrificio Deum veneratus ſit, grati animi pignus erat; vſurpauit autem licentiam, cùm in facto nullum eluceret periculum: arcam verò relicturus, proſiliturus in arenam, ſecundi, reſtitutíque orbis ſupremus declarabatur Gubernator; nam vide, quantam accipiat poteſtatem: *Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram; omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt,* Geneſ.cap.9.verſ.2. Cùm igitur ad hoc Naui emigraturus eſſet, vt regnaret; noluit quaſi à ſemetipſo fungi Magiſtratu, Dei expectauit impulſum, ratus non niſi eo ſuaſore tantum aſſumendum oneris: Ambroſius libro de Noë, & Arca, cap.21. *Et dixit Dominus Deus ad Noë, exi de arca Tu & vxor, &c. Itaque recedente aquâ & ſiccatâ terrâ exire potuit Noë de Arca; ſed iuſtus nihil ſibi arrogat, ſed totum ſe diuino committit imperio: verecunda enim iuſtitia eſt, quia inuerecunda iniquitas, quæ vſurpat indebita, nec reueretur auctorem.*

Geneſ.9.2.

Ambroſ.

77. *Ambitioſus Adonias, regnum affectans, repellitur, Salomon verò eligitur.*

Adonias repellitur à ſceptro, cùm tamen ætatis, & primogenituræ deberetur ei titulis regnum: quare Salomon præfertur, ſoliúmque occupat paternum? nimirum Adonias anhelabat ad Magiſtratum & inſperatâ Genitoris benedictione, Abiatharis & Ioab fiſus robore & auctoritate nitebatur quaſi per vim & tumultum ſalutari Imperator; Salomon oneris pauidus neque Matrem, neque Prophetam Nathan, qui Dauidi morituro commendarent, ſollicitauit, Numinis relinquens prouidentiæ quod optimum eius fuiſſet in oculis, qui Procuratores excitauit Bethſabeam, & Vatem Nathan: Dauid igitur ſciens, infauſtam procedere gubernationẽ, quando non per oſtium eſt ingreſſus, Deo nimirum vocante ad cathedram, nam tales lupi euadere rapaces conſueuerunt; è conuerſo autem, cùm à Numine eſt Rector, qui monit & inſpirauit electoribus, proſperè contingere omnia; cùm Reipublicæ & ciuium ſtudioſus eſſet; reiecit Adoniam, qui impetu & voluntate regnare deſiderabat; Salomonem nihil ambientem Hæredem nunciauit: ô vitæ Dauidis ſingularem periodum reiectantis è dominatione, quem affectare coronam nouerat! Toſtatus quæſt.25. in cap.1. lib.3. Regum: *Adonias tamen non expectatâ determinatione Dauid vnctus eſt in Regem; nec erat indignum, quod ex hoc ſolo priuaretur omni iure ſuo, ſi quod haberet ad ſucceſſionem regni; & ita factum eſt: nam Dauid priuauit eum, iubendo Salomonem vngi.* Quamobrem accepto diſceſſus ex hac mortalitate nuncio Moyſes, in finem dilexit ſuos, itaque in populi gratiam à Numine ſummoperè rogandum arbitratus eſt, vt ſucceſſorem deſignaret, cognoſcens Reipublicæ nihil vtilius, quàm ſi non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo Gubernator prodeat; itaque orat: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante eos,* &c. Numerorum c.27. v.16. eleganter Adamantius homilia 22. in Numeros: *Receſſurus de ſæculo orat Deum, vt prouideat ducem populo: Quid agis Moyſes? Numquid filij tibi non ſunt Gerſon, & Eleazar? aut ſi aliquid de ipſis dubitas, non ſunt filij fratris magni, & egregij viri? quomodo non oras Deum pro ipſis, vt eos conſtituat populos duces? Sed diſcant Eccleſiarum principes, ſucceſſores ſibi non eos, qui conſanguinitate generis coniuncti ſunt, nec qui carnis propinquitate ſociantur, teſtamento ſignare; neque hæreditarium tradere Eccleſiæ principatum; ſed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, ſed Dei iudicio totum de ſucceſſoris electione permittere.*

Toſtat.

*Moyſes moriturus Deum pro ſucceſſore rogat.*

Numer.27.16.

Origen.

78. Ita Moyſes & Dauid, quod intelligerent Numen ſingulari prouidentiâ illis aſſiſtere, qui ab ipſo vocantur ad regnandum. Clamabat ad Patrem de cruce Saluator; *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. cap.27. verſ.46. Arnoldus Carnotenſis in hoc dictum IESV: *Non improperat Patri, nec derelictum ſe dicit, quaſi contumelia Crucis contra propoſitum videatur appoſita; vltrò enim & vlnas patibulo, & palmas ferro expoſuit; ſed quantum ſit obedientiæ fundamentum, & culmen interrogans innuit, cùm ſe & minorem, & æqualem innuit.* Quæ ita conſtruenda, vt piè queratur filius tanquam obedientiæ non ſatisfactum appareat: Redemptor itaque lignum ſubiens, Principatum iniit, nam de ſtipite eo Iſaias cap.9. verſ.6. *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius:* hunc autem principatum gnatus admiſit genitoris ex præcepto, mandatum námque accepit, vt pro hominibus occumberet *humiliauit ſemetipſum* (ait Paulus ad Philipp. cap.2. verſ.8.) *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis:* Quoniam igitur Patris iuſſu ad Principatum tranſiit, eidem quæſtionem proponit, quamobrem ab eo tanquam derelinquatur? Siquidem derelinquere Numen conſueuit aliquando, verùm eos, qui ex propria voluntate ſibi aſſumunt, vt regant: cùm ergo Chriſtus regnauit à ligno propter Genitoris mandatum, quaſi non derelinquendus vſquequaque fuerat; Hoc itaque eſt, pro quo ſubmiſsè & reuerenter apud Genitorem expoſtulat.

Matth.27.46.

Arnold. Carnot.

*Cùm Chriſtus ex Patris imperio Crucis principatũ aſſumpſerit, piè queritur ſe à Patre derelictũ, quaſi eum qui propriâ voluntate in id faſtigium ſe eleuarit.*

Iſai.9.6.

Philipp.2.8.

---

*Cum nouitijs animabus non in furore, ſed ex lenitate agendum.*

## SECTIO VI.

79. *Sponſa è cella vinaria diuini Amoris egreſſa Ordinata eſt charitas, inde Adoleſcentulis nouitijs nil ab ea metuẽdum, quòd ſe eorum imbecillitati ſciret contemperare.*

REferebat Sponſa iuuenculabus (quibus nouitiæ ſignificantur animæ) quemadmodum à Sponſo in cellam vinariam introducta eſſet; ne autem deſperarent, quòd inde zelo plenam exeũtem ſuſtinêre non valerent, & fugerent ſeueram timentes Magiſtram, adiungit, ordinatam in ſe charitatem, quæ nimirum præſcriberet, quid ſtatibus conueniret ſecundum cuiuſque profectum; non eſſe proinde quod metuerent, nouerat quippe lacte alendos infantulos, & alias eſſe conſummatorum in Spiritu & virtute Dei, alias incipientium vias; Bernardus ſermone 48. in Cantica: *Proinde ſanè, ne tanquam nimia, & importabilis pro impetu Spiritus, quem è cella vinaria videtur reportaſſe, præſertim ab adoleſcentulis Sponſa timeatur; iungit, quòd diſcretionis eſt ſe pariter accepiſſe, id eſt, ordinem charitatis.* Enecari recèns natos Hebræorum conſeruato fœmineo ſexu obſtetricibus Pharao iuſſerat; ſed illæ timentes Deum non fecerunt iuxta præceptum Regis: *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus, ædificauit eis domos,* Exod. cap.1. verſ.21. diſcamus ab Origene hom.2. in Exodum, quinam illi paruuli obſtetricum gratiâ ſalui facti? *Ab his ergo animæ, quæ naſcuntur in Eccleſia velut obſtetricibus medicantur, quia ex Scripturarum lectione cuncta in ea eruditionis medicina confertur:* Obſtetricum verò perſonis intelligamus Magiſtros in quibuſuis Eccleſiarum cœtibus, qui rudes informant mentes ad bene, honeſtéque viuendum: hoc autem qui in genere excellunt, id conſequuntur, vt domus eis ædificentur à Numine, hoc eſt, longa & duratura nepotum ſeries cum omni laude: ita Diodorus exponit catena Græcorum PP. in Pentateuchum aiens: *Fecit illis domos, hoc eſt, adauxit earum genus; atque familias ita vt ex ea re celebrarentur.* Videant itaque quibus Nouitiorum in ſacris Cœnobiis commiſſa eſt inſtructio, quanti momenti ea ſit Prouincia, cuius profectò ab accurata Tractatione futuræ in Religionibus meſſis aut ſteriles, aut læti prouentus dependeant.

Bernard.





Exod.1.21.

Origen.

*Teneris infãtium animabus parcunt obſtetrices.*

Diodor.

80. Per longos circuitus, variáſque ambages ducti Iſraëlitæ; poſt quadraginta annos optatas Chananæorum poſſedêre regiones: cur non recto perrexerunt itinere breui peregrinationem finituri ſpatio dierum? reſpondet ſacer textus Exod. c.13. v.17. *Igitur, cùm emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſtijm, quæ vicina eſt, reputans ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet aduerſùm ſe bella conſurgere, & reuerteretur in Ægyptum; ſed circumduxit per viam deſerti, quæ eſt iuxta mare rubrum,* &c. Sed eſto Hebræorum multitudinem delêre tentaſſent Philiſtæi; nonne vel pelago ſubmergere numen potuiſſet, quemadmodum ſubmerſus eſt Pharao & exercitus eius ab eodem? vel Angelus necaret ſicut percuſſit legiones Sennacherib? aut terra dehiſcens voraret? quare extinguuntur Ægyptij, & reſeruantur Philiſtæi? Equidem, cùm Philiſtinorum arua Hebræi occupaturi eſſent, ne rebus ſecundis elati ſuperbirent contra Deum, voluit Numen ex hoſtibus ſupereſſent qui pugnando caſtigarent quoties beneficiorũ obliuiſcerentur; in hoc igitur remanſerunt Philiſtiim: at hæc certamina reſeruanda erant cùm iam profeciſſent, & maturiores extitiſſent: Quoniam verò tum quando Ægyptum deſeruerunt, tyrones & nouelli erant, iudicauit creator à bellis parumper abſtinendum; quoad conualeſcerent, vti Spiritalis militiæ nobis documenta præberet, & conciperemus cum rudi incipientium turba, blandè atque ſuauiter actitandum; ne ſi horrida & ſeuera proponuntur, propoſiti diſpliceat eos, & canes ad vomitum reuertantur, ſeculóque poſtliminio redditi, fiant nouiſſima eorum peiora prioribus: Rupertus Abbas lib.2. in Exodum, cap.26. *Sed numquid Dominus contra Pharaonem & Ægyptios pro Iſraël pugnare poterat, & contra Philiſtæos non poterat? planè & contra illos poterat, ſed illa gens erat, quam Dominus Iſraëli reſeruare decreuerat vtiliter, vt per illam exerceretur, & quaſi proximo flagello caſtigaretur, quoties legem Dei ſui relinquerent: igitur, non quaſi timidus, vt ſimplex ſermo ſonare videtur, ſed benè prouidus, non eos duxit per viam terræ Philiſthijm,* &c. *Sed circumduxit, & circumducendo erudiuit, ſicut Moyſes ipſe in Cantico dicit: circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui:* Huius facti pulcherrima legenda Allegoria, quemadmodum nouitiæ in Spiritu tractandæ mentes, apud Gregorium Papam lib. 24. Moralium, cap.13.

Exod.13.17.

*Ab Iſraëlitis dum ex Ægypto nouiſſimè exeunt, bellorum occaſiones auertit Deus, ne animis fracti ad vomitum redirent.*

Rupert.

81. Minabatur Eliæ Iezabel, timuítque, *Et ſurgens abijt quocumque eum ferebat voluntas, venitque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum viam vnius diei,* Reg.3. c.19. v.3. Quamobrem nunc Puerum dimittit, cùm maxime eius ſolatio, & comitatu opus: abit enim plenus triſtitiâ Vates, adeò vt animæ ſuæ mori deſideret: Quis miniſtrabit ſoli? Quis miſerebitur calamitatum? Sine ô, Puer gradiatur tecum! Videte præclarum Magiſtri exemplar viri Spiritales: ſunt quidem inter homines bonæ voluntatis, eximiæque conuerſationis, qui cùm rigidiorem vitæ metam capeſſiuerint, atque omni Mortificationis genere, exterioris ſingulariter, præſtent; alios neque complexionis, neque virium, neque profectus ratione habitâ; in eadem compellere ſtudeant; vnde fit, vt expaueſcentes, vel ab incepta Perfectionis ſemita retrouertantur; vel ſi præceptorũ metu & inſtigationibus ordiantur, citò fatigatione victi, reſiliant; non igitur hunc quidem in modum peritiores faciunt, ſed Eliæ ad formam: ſibi auſteri ſunt, ſibi ardua imponunt onera, verùm aliis compatiuntur, præſertim ſi quiſquam Spiritu adhuc iuuenculus eſt, atque Tyro: Hoc vt doceret Elias, in ſolitudinem abiturus, locáque beſtiarum terroribus plena, & humanis ciborum, victúſque adiumentis fraudata; noluit admittere, Puer vnà vt pergeret; Elias quidem ob virtutis inſigne robur tolerare poterat; ſed Puer deficiet, quoniã mente etiamnum, Puer & nouellus eſt: Odo de Morin in catena Allegoriarum Tilmanni: *Dimiſſo verò puero ſecurè iam pergitur in ſolitudinem: puer enim ſqualorem eremi, laborem itineris tolerare nequiret; ardorem ſitis, famis inopiam ferre recuſaret: quanti cum Puero pergunt in ſolitudinem & eius impedimento deficientes in via, non perueniunt ad montem Dei Oreb! Solitudo ſiue deſertum Religionis profeſſio eſt, & diſciplina de cœlo cœleſtis: deſertum quia deſerit noxia, abdicat inhoneſta; ſolitudo, quia vnitatem diligit, ſolum quod bonum eſt, exequitur:* Didicítne à Sapientia Elias? Nam *ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Prouerb.c.9. verſ.1. arx hæc erat muro vallata: vbi milites? vbi Bellatorum paratura, haſtæ, & loricæ & galeæ? annon ita decebat? annon ſic noſtrum pangit Epithalamium cap.4. verſ.4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium?* in Sapientiæ verò ædibus epulæ & iucunditates: *Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam:* Quæ hæc differentia eſt? quæ tam oppoſita in arcibus ſtudia? nempè Turris illa Canticorum ſtrenuos expectabat, nam & bellatrix Sponſa ipſa, videlicet terribilis vt caſtrorum acies ordinata, taléſque ſociæ qualis earum dux; & Sponſi comites etiam ſexaginta ex fortiſſimis Iſraël; pro his itaque rectè Martis fieri inſtrumenta: Verùm ad Sapientiæ præſidium Tyrones & imperfecti vocandi erant, hi blandè & amœnè excipiendi erant, quoad creſcerent, propterea cõuiuium ibi: *Si quis eſt paruulus* (inquit) *veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis,* &c.

3.Reg.19.3.

*Elias bonus Magiſter Puerum ſuum, quippe tenellum in ſqualida eremi horrorem, vbi multa paſſurus erat, ſecum ducere noluit.*

Odo de Morin.

Prouerb.9.1.

Cant.4.4.

Prouerb.9.

82. Iuſſit Numen duas argenteas fieri tubas, quibus conuocaretur multitudo, cùm mouenda eſſent caſtra, addidit: *Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſraël; ſi autem prolixior, atque conciſus clangor increpuerit, mouebuntur caſtra,* &c. Numerorum cap.10. verſ.4. Quare Optimates ad primam tubæ vocem pergere iubẽtur, & ſeriùs aduenire populo cõceditur? imò quidẽ Principibus mora indulgẽda, nã diu & ſpatioſè

Numer.10.4.

ſtertunt in lectis eburneis,epulantur ad longum, ludunt,choreas ducunt,vt veſtiantur ſolùm,anno integro opus eſt; plebs eſt quæ breuiſſimè abſoluit;multitudini itaque celeritas & feſtinatio pręſcribenda,non Dynaſtis:Sed quamuis ita ex Hominum abuſu,aliter tamen coram Deo & in mũdo Spiritali;in hoc enim virtutis orbe Potentes ij ſunt,qui virtutum maximarum gloriâ florent: vulgus & multitudo ſunt imperfectorum turba: Validos ergo & fortes in Spiritu Deus ſeuerè exercet,ad ſonitum clangoris paratos eſſe mandat; cùm imperfectis mitiùs agit, non quòd potiores iſti ſint, ſed quoniam imbecilles ſunt, & niſi indulgentiùs tractentur,oneri facilè ſuccumbant. Stephanus Anglicus apud Tilmannum: Nota,quod vno clangore venerunt Principes:*Sic & Prælatos* (ſcilicet qui perfectiores eſſe debent) *vna ſola admonitione facere oportet, quæ ſpectant ad cultum Dei: & nota, quòd populus prolixiori clangore vocabatur,quàm princeps, quia prælati ſemper primi debent in bono opere inueniri.*Hinc ille viginti annis in paſcendis gregibus conſummatus Iacob, cùm vt citatis graderetur paſſibus vrgeret Eſau; *Noſti Domine,quod paruulos habeam teneros,& oues, & boues fœtas mecum: quas ſi plus in ambulando fecero laborare,morientur vna die cuncti greges*, Gen. cap.33. v.13. Quinam ſint paruuli hi Rupertus edocet lib.8 in Geneſ.cap.8. *Paruulus enim eſt & tener,qui nondum in fide,& ſapientiâ perfectus eſt: & quaſi fœta ouis,cuius inchoatio,vel propoſitum, nondum comprobatum eſt vſu operis*: cum his itaque lentè gradiendum: Nam ſi vt currant veloces cogamus, neque zeli noſtri ardorem illorum contemperemus infirmitati, amittemus omninò.

*Validos & fortes ad primum clangoris ſonitum paratos eſſe vult Deus;nõ item paruulos & imbecilliores.*

Stephan. Angl.

Gen.33.13.

Rupert.

---

*Regis ad præſentiam vigor in ſubditis:eo ſublato hebetantur,& languent.*

## Sectio VII.

83. *Diſcedente Sponſo languet & exanimatur Sponſa.*

QVomodo, quæ nuperrimè confortata eſt Bacchi ſucco in cella vinaria, modò languet,& deficit? *Fulcite me floribus* (inquit) *ſtipate me malis, quia amore langueo*; certè ſicera & vinum datur his qui amaro ſunt corde, vt exhilarentur; ſed poſt vinum ſumptum, exanimatur Sponſa: an bibit de vuæ acerbæ muſto? num aceto potata eſt? Verùm in Sponſi apotheca vina omnia generoſa,& Falerna ſunt: vndenam igitur languor & hebetudo mentis,crebríque ſingultus, & deiectus antiquus vigor? Heu! abiit Dilectus! eôque diſcedente emarcuit Sponſæ decor, vitæ conſumpta eſt gratia: amabat Regem,eôque ſpectatore certaminum, ſupra ſe animus erigebatur, merces opulenta laborum videri ab Imperatore; nunc huius intercepto vultu, quid faciat niſi vt emoriatur robore deſtituta? Bernardus ſermone 51.in Cantica: *Poſt iſta omnia Sponſo more ſuo ſecedente,illa languêre amore ſe perhibet, id eſt, præ amore: quò enim gratiorem fuerat experta præſentiam; eò poſtmodùm abſentiam moleſtiorem ſentit: ſubſtractio nempè rei, quam amas, augmentatio deſiderij eſt; & quod ardentiùs deſideras, cares ægrius: rogat proinde iſta interim odoramentis florum, ac fructuum confoueri, quouſque denuò reuertetur, quem moleſtiſſimè ſuſtineat demorantem*: Vis cernere fortitudinis inauditam ſtragem? vnus inuentus miles, qui ex hoſtili legione millenos terga vertere cogeret; duóque inimicorum decem millia abegerunt: teſtis Moyſes Deuteron. cap. 32. verſ.30. *Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia?* Radulphus: *Virtus mirabilis, & prorsùs ſtupenda, vt vnus contra mille,& duo præualeant contra decem millia: Si ergo tantum præualet vnus,vel duo,vt nec ei reſiſtere valeant decem millia; quantùm efficere valet in vnum collecta Regis huius militia vniuerſa?* Sed vnde tantùm roboris militibus iſtis?Vtique Imperator cùm eis aderat, erudiebat ad pugnam & hortabatur: *Circumduxit eum & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, ſicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos: Dominus ſolus dux eius fuit; & non erat cum eo Deus alienus.*

Bernard.

Deuteron. 32 30.

Radulph.

Deuteron. 32.10.

84. Abraham filium immolabat ſpem poſteritatis, gaudium familiæ,ſenilium annorum lætitiam; eâ de mactatione Zeno Veronenſis ſerm.5.de Abraham:*A filio ad agnum tranſtulit dexteram,ſemper lætatus,ac gaudens,nec mutatus eſt vultus,cùm eſſet victima commutata; cum tanta lætitia arietem obtulit,cum quanta & filium obtulerat:* Quid? gnatúmne contemnebat Patriarcha, vt non eius vitam pluris fecerit, quàm pecudis inter vepres?Sin verò charus Genitori Iſaac eſt, cur non deflet, & plangit moriturum? Suggerit ſtatim Zeno: *Vbi enim fides fuit, non erat dolor:* At quare dolorem fides tollat? nempè fide adiuuabatur Abraham,vt quamquam in monte nemo humana conſideratione videbatur teſtis verſari, tamen crederet incunctanter Creatorem ſpectaculo intereſſe:cogitando itaque firmiſſimis argumentis coràm haberi in lucta,& certamine Ducem ipſum; tantâ perfuſus eſt alacritate,vt ne ſingultum vnum filij amiſſio extorſerit. O quídni certè gaudeat & tripudiet; nam perpende quid accidiſſe memoratus Auctor ſubnectat: *Abraham* (inquit) *cum filio,ſic probatus eſt à Deo,vt non poſtulans miſericordiam mereretur:* Ecce quidnam Imperatoris aſpectus commodi præſtiterit: non opus Abrahæ fuit in annos Curiæ limina terere, non ſupplices libellos porrigere, non iudices obſecrando fatigare;*Non poſtulans miſericordiam conſecutus eſt*; nempè Imperatori cùm ipſe intueretur, non probatio, non teſtes neceſſarij: Hanc igitur ob cauſam pro Regis præſentia miles in bello ſuſpirat; qui ſi cum exercitu graderetur, ſimul etiam qui imbecilliores iudicantur, quaſi Leones dato pugnæ ſigno,ignes efflarent.

Zeno Veron. *Abraham filium mactaturus etiam lacrymas cohibet, quòd Deum per fidem haberet præſentem.*

Idem.

Zeno idem.

85. Exploratores, qui ad conſiderandam terram Chananęorum miſſi ſunt,de Principum claſſibus fuiſſe ſcriptum Numerorum cap.13.verſ.3.*Singulos de ſingulis tribubus, ex principibus*: diſſertatio eſt apud interpretes,Principum quid voce intelligendum? num ſcilicet, qui de illuſtriori familia originem traherent, atque ita dictio communem ſolam Nobilitatem innuat; an ſtrictius conſtruendo illi concipiantur, qui tribubus cum officio,& Magiſtratu præeſſent? primo declarandum modo de generali nobilitatis laude, vt ſolùm indicetur ex ſplendidiſſima auorum lineâ fuiſſe, omninò Abulenſis contendit: ſi quidem (ait) veriſimile non eſt,amandatos procul duces tribuum:quid enim multitudo abſq; præfectis valeat?quid ſi interim hoſtes laceſſant? pugnauerint remiſsè à quibus factorũ Nomenclator abeſt: taceo,ſi tumultus in caſtris exoriatur,ſi fames,ſi peſtilentia vexet;omnis à Duce ſalus in attonitis rebus:non igitur credendum vllatenus ſapientiſſimum commiſiſſe Moyſen,vt ab exercitu Præfecti receſſiſſent; deſtinauit itaque ex nobilitate quoſdam, qui publico tamen non fungebantur munere, & hi ſunt, qui Principes nominantur: Verba

Numer.13.3. *Quinam Principes ad explorationẽ Terræ Chanaan miſſi*

Toſtat.



Verba Toſtati ſunt quæſt.13.in dictum caput Numerorum: *Quia non erat veroſimile, quod duodecim Principes tribuum,qui erant maximi, & nobiliſſimi in toto populo mitterentur in exploratores; quia iſti neceſſarij erant ſemper in caſtris ad bonum regimen, & ſtatum tribuum ſuarum.*

Toſtat.

86. Proh, quantis ornatus indumentis, quâque pulchritudine ac varietate ſummus Iudæorum Sacerdos! & tunicâ,& lineis, & ſuperhumerali, & logio & tiara, & balteo, & in hæc congeſtæ opes ſuperbiſſimæ, purpura & hyacinthus & byſſus, lapidéſque ferè omnes pretioſi: Quod ſi decorus, atque admirandus exterior hic rerum theſaurus ob materiæ præſtantiam,artíſque ingenium,glorioſior in infinitum quæ arcano obtegebatur illo diuina ſupellex, nempè cunctarum virtutum: Quid enim tam illuſtre in omnium gratiarum choro, quod non ibi figuretur? charitas, miſericordia, patientia, ſpes, manſuetudo, zelus, contemplatio, quæque ſuis diſtinguuntur notis colorum; additur & ſcientiæ honor,quem tintinnabula in extimis veſtimenti oris deſcripta referunt. O verè beatum Pontificem! ô inſigniter munitum contra ſpiritales nequitias, quem virtutes ambiunt vniuerſæ! Eſt inſuper quòd conſideremus de lamina, quæ oculis opponebatur: ſic Exodi Textus cap.28.verſ.36. *Facies & laminam de auro puriſſimo,in qua ſculpes opere cælatoris,Sanctum Domino; ligabíſque eam vittâ hyacinthina,& erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis:* concedo his admoneri Antiſtitem, vt in Deum omnia referat opera, niſi enim creator ſcopus ſit actionum, vana eſt omnis falſæ ſanctimoniæ profeſſio; atqui vt in Deum intentione feratur purâ, quid opus ante lumina acierum pendêre quotidie laminam cum Dei inſculpto nomine? *Erit autem lamina* (ſubiungitur) *ſemper in fronte eius*: Num clementiſſimus Dominus humanis ſe accommodare vſibus voluit? Sciebat mortales ad pugnam ituros licet mentis conſtantiâ magnanimes,corporis viribus inſignes, arma atque equitatum habentes pro votorum deſideriis; tamen ſi Ducis præſentiâ careant, corde frangi, labaſcere quantocyùs, atque eneruari: Quæ enim in certando ſpes abſente remuneratore? Vt quid deſcendat ſanguis eorum in corruptionem ſi nemo eſt qui reſpiciat,& attendat? Ne igitur militi Spiritali, quem aduersùs poteſtates tenebrarum accinxit ſtrenuè,contingeret deficere,atque conſternari mente propter Imperatoris ſenſibilem velut abſentiam; iubet oculis opponere Dei nomẽ, quod nunquàm fronte amoueatur: tanquam aſſerat: licet inſigniter à me communitus fueris donatis exuuiis virtutum ſtemmate fulgentibus; vereor nihilominus, ne ſi Imperator ſe ſubtrahat, Spiritu concidas & turbêris: adde igitur ad fortitudinis cumulum laminam cum Dei nomine inſculptam, quâ præſentem adſtare ſemper creatorem intelligas, atque ita egregiè dimices,nempè ante vultum Imperatoris:hoc niſi mentiar Hieronymus ad Fabiolam epiſt. 128. *Lamina aurea rutilet in fronte: nihil enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi de ſcientia coronemur: linis induimur, ornamur hyacinthinis, ſacrato balteo cingimur,dantur nobis opera,rationale in pectore ponitur,accipimus veritatem,profert ſermo doctrinam: imperfecta ſunt vniuerſa, niſi tam decoro currui dignus quæratur auriga; & ſuper creaturas Creator inſiſtens, regat ipſe quæ condidit.*

Exod. 28.36.

*Laminam auream, in qua nomen Domini inſculptum, in frõte ſummus Sacerdos geſtabat;vt Dei præſentiam in oculis ſemper haberet.*

Hieronym.

87. Vis ex militiæ flore intueri amoto Imperatore tantiſper ſubitò languidos? maiúſne aliquid Spiritalia tulêre caſtra Petro,Iacobo & Ioanne? nam primus ob conſtantiæ firmitatem ex lapidum duritie Cephæ ſortitus appellationem; alij duo vocati fulmina, tonitrui ſoboles dicti: deportauit ſecum IESVS in colles Gethſemani,atque ecce dum Patrem obteſtatur poſitus in oratione Dei, ſoporantur dormientes: Equidem non quietis hora illa,ſed vigiliarum, nam expetebat Satanas, vt cribraret ſicut triticum; aduersùs tentationem autem, periodúmque malorum expergefactos eſſe decebat; quonam igitur modo oculi clauduntur, & quaſi ſtertunt? nolite tamen penitus damnare, quanquàm enim verior cauſa ex mœrore de Præceptoris nece, numquid non tamen ab eiuſdem abſentia occaſio? *Et ipſe auulſus eſt* (inquit Lucas cap.22. verſ.41.) *ab eis, quantùm iactus eſt lapidis.* O breuem ſeparationis diſtantiam! & tamen cùm non longe abeſſet Imperator, in omni legione fortiſſimi milites marcido ſopore languent, iacent in terris proſtrata velut ſemimortua cadauera, non vicinum pugnæ claſſicum,non inimicorum ad cædem rabies commouêre valet. Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *quoties redis ad nos, & inuenis dormientes, & tamen benignè ſuſcitas nos, & iterùm abis ſecundò, & tertiò eundem ſermonem dicens?ſtatim autem vt receſſeris iterùm ſomnus occupat nos,nec vigilare poſſumus,niſi quamdiu nobiſcum es,& ſuſcitas nos.*



*Fortiores tres Apoſtoli, Chriſto recedente dormiunt, accedente verò excitantur.*

Luc.22.41.

88. De Aſino,Boue, Iumento, aliíſque pecoribus, Exod.cap.22.v.14.ſingulare mandatum eſt:*Qui à proximo ſuo* (inquit) *quidquam horum mutuò poſtulauerit,& debilitatum, aut mortuum fuerit Domino non præſente,reddere compelletur; Quòd ſi in præſentiarum Dominus fuerit,non reſtituet;*Verùm ſtatuamus poſſeſſore abſente,omnem adhibitam induſtriam,ne pecus aut debilitaretur,aut moreretur,quamobrẽ tum rependere cogatur,qui mutuauit,cùm ex negligentia malum non acceſſerit?præbeamus quoque Hero coràm adſtante, ſocordem extitiſſe in tuendo pecore,cui commodatum eſt,cur nõ ignauiæ pœnas luat reſtituendo?vtrobique enim cõſiderandũ potiſſimè videbatur,an ex torpore & neglectu mutilatum ſit animal:concipe legis ſubtilitatẽ:Domino adſtante quaſi impoſſibile iudicabatur ſocordię locum datũ eſſe;ſi enim ante ipſius vultũ indiligens fuiſſet,cui pecus ad tempus conceſſum; nunquam in poſterum illi commodaret; hanc ob rationem qui commodato accepit, omne ſtudium adhiberet,proinde ſi quidquam detrimenti,non ob incuriam accidiſſet: in Poſſeſſoris autem abſentia ſuſpicio eſt plurima de neglectu, & ad excuſandam culpam mille finguntur commenta;ingenioſè itaque à reſtituendo liberatur, cui ante Dominorum oculos,pecus emori contigit,quod ſupino otio tribuatur corã poſſeſſore nõ fuiſſe induſtriũ & vigilantem: ſed numquid non Tu Domine Deus Sabaoth vbiq; pręſens vniuerſa adimplens?Quomodo Paſtores coram te gregem deſeruêre,& oues emoriuntur, & debilitati ſunt arietes,& claudicauerunt Agni?vſquequo taces & ſuſtines mercenarios infidos? an magis iſti ſunt de eorum numero, qui loquuti ſunt in cordibus ſuis;Nõ eſt Deus?Lippomanus in catena de Rabbani Mauri ſententia: *Interitus ergo debilitati, aut mortui pecoris Paſtori non deputatur, ſi eius curam ſtrenuè geſſit, & quaſi Deo præſenti redditurus rationem ſtudioſiſſimè laborauit:Si autem Domino noſtro non præſente, damni quidquam factum fuerit, reddere compelletur; quia qui negligens eſt in cura paſtorali, & dixerit in corde ſuo ſecundum illam ſen-*

Exod. 22.14. *Mutuatum pecus,mortuũ aut debilitatum præſente Domino, non reſtituitur, quòd nullus ſocordiæ in præſentia Domini locus præſumatur.*

Lippoman.

*tentiam ſerui nequam: moram facit Dominus meus venire,& cœperit percutere ſeruos,& ancillas,& edere, & bibere,& inebriari : Veniet Dominus ſerui illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit; & diuidet eum, partémque eius cum infidelibus ponet; & in carcerem miſſus non exiet inde, donec reddat nouiſſimum quadrantem.*

---

*Dilecti abſentiam iuſti bonis operibus, & rerum æternarum cognitione, lenire conantur.*

## SECTIO VIII.

*Flores & malorum fructus fidem cum operibus innuunt quibus, conceptũ de Sponſi abſentia mœrorem ſolatur pia Sponſa.*

89. VEterum explanatorum multa pars fidem cũ bonis operibus per flores, fructúſque malorum intelligunt, quibus mœrorem de Sponſi abſentia temperare piæ conantur animæ, huiúſque exilij releuare infelicitatem continuam: Bernardus ſerm,51.in Cantica: *Si autem ſecundum moralem ſenſum in vna anima vis tibi vtraque hæc aſſignari,& flores vidêre & fructus: fidem florem, fructum actum intellige: itaque nec ſine flore fructus, nec ſine fide opus bonum; ſed & fides ſine operibus mortua eſt, ſicut inutiliter quoque flos apparet vbi non ſequitur fructus: ergo ex bonis operibus in fide non ficta radicatis recipit conſolationem mens aſſueta quieti, quoties ſibi (vt aſſolet) lux contemplationis ſubtrahitur.* Latiùs intelligere placet, vt non fidei ſolos complectatur actus, ſed etiam Theologicam ſcientiam & luminis per ſe infuſi cognitionem, & anagogicarum ſpeculationum theorias; omnes enim hæ notitiæ ſi vita in honeſtis ducatur laboribus, incredibile afferunt ſolatium Sponſi præſentiam deſiderantibus, & quoad fieri valeat continuis Amoris de abſentia illius quem diligit, ſacríſque medicantur querelis: ô remedium! ô virtutem conſociatâ doctrinâ & operibus! Diſceſſurus Helias inquit diſcipulo; poſtula quod vis vt faciam tibi antequàm tollar à te; dixítque Eliſeus, *obſecro, vt fiat in me duplex Spiritus tuus*, Reg.4.c.2.verſ.9. Quid duplicis Spiritus ſignificatione intelligendum? nempe in Helia & fulſit donum ſcientiæ prophetalis, & fulsêre opera admirandæ virtutis, quibus naturam vincebat: hanc igitur duplicem facultatem Vaticinationis & prodigiorum ad ſe transferri optabat Eliſeus: ſic Tractatus cum nomine Ioannis Hieroſolymitani de inſtitutione Monachorum exponit cap. 23. aiens: *Habebat autem Elias duplicem Domini Spiritum, videlicet Spiritum occulta, præſertim futura prophetandi; & Spiritum miracula faciendi; quorum Spirituum non vnum ſolum, ſed duplicem prædictum poſtulans Heliſeus, dixit, obſecro, vt fiat Spiritus tuus duplex in me.* Ad morum inſtructionem & vtilitatem conuenientior Bernardi interpretatio; nam alterum Spiritum velit eſſe omnem cognoſcitiuæ potentiæ illuminationem, quâ docetur quid vitandum ſit, quídque ſectandum, & quomodo Deo placeamus; alterum, voluntatis actus egregios, quibus efficaciter mouet ad executionem bonorum operum, & à malis fugiens recta amplexatur: *Quis eſt iſte Spiritus duplex* (ait ſerm.3.de Aſcenſione Domini) *qui quæritur, niſi illuminatio intellectus, & affectus purgatio? res difficilis; quia rarus in terris eſt, qui eum habêre mereatur: non dubito ego intellectum omnium, qui hîc eſtis illuminatum eſſe; ſed non affectum æquè eſſe purgatum, manifeſtis probabo coniecturis:* At quem in ſcopum duo iſta concupiſcit Eliſeus? nimirum, diſcedebat ab eo charus præceptor, quem amplius non eſſet conſpecturus, rapiebatur enim à mortalium cœtu: quò igitur ſuper eius abſentia conſolari aliquantùm poſſet, Spiritum cognoſcendi, quæ ad vitam ſempiternam conducunt, Spiritum eadem operandi petit; hos enim ſi comites nanciſci concedatur; tolerabilis fiet Magiſtri abſentia.

4.Reg.2.9.

Ioan.Ieroſol. *Duplicem Eliæ Spiritum poſtulat Eliſeus, .j. Intellectus illuminationem & affectus purgationem, in triſtitia de charo Præceptore ſublato ſolatium.*

Bernard.

Congregatis in vnum Apoſtolis deſcendit ſuper eos Spiritus paraclitus, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes; *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum,* Actor.c.2. verſ.3. Lingua quidem verbum, & ſcientiam denotat; ignis autem voluntatis ardorem in bona opera efferueſcentem; cur aſcendens in altum & captiuam ducens captiuitatem, hæc tamen diſtribuit dona Apoſtolis? nimirùm contriſtandi erant propter Seruatoris abſentiam mœrore graui: *Quid mirum, fratres, ſi implebat triſtitia cor eorum, cùm ab eis ſeſe pronunciaret iturum* (inquit Bernardus ſermone 6. de Aſcenſione) *& adderet; quò ego vado vos non poteſtis venire modò? Quidni concuterentur viſcera, turbaretur affectus, hæſitaret animus, hæreret vultus, paueret auditus, nec omninò æquanimiter diſceſſionis eius ſermo poſſit admitti, vt relinqueret eos, pro quo omnia reliquiſſent?* Quodnam igitur dolori remedium? certè duplicis exhibitio Spiritus, quo & intellectui claritas infunderetur, & voluntati zelus concederetur accendens ad egregia facta; nonne quidem ita Eliſeus Magiſtri peregrinationem ſuſtinêre doctus eſt? ob hoc itaque Flaminis lapſus ab alto in figura ignis, in figura linguæ: Bernardus ſermone 3. de Aſcenſione: *Nonne tibi videtur Elias aſcendentis Domini ſignare perſonam, Eliſeus verò chorum Apoſtolicum in Aſcenſione Chriſti anxiè ſuſpirantem? Sicut enim Eliſeus ab Elia nullo pacto auelli poterat; ſic nec Apoſtoli à Chriſti præſentia poterant ſeparari:* Proſequitur duplicem Spiritum eâ explicare formâ, qua à nobis declarata eſt, idémque rurſùs ſub finem ſermonis ſexti; quo loco, quemadmodum in ſolatium abſentiæ præceptoris ab Eliſeo deſideratus ſit, commonſtrat aiens: *Sic nimirùm & Eliſeus quondam oraſſe legitur, cùm dulciſſimum illud ſolatium, Heliæ præſentiam ſibi plangeret abſtrahendam: nimirùm, duplicari ei Spiritum oportebat, vt Magiſtri abeuntis abſentiam gratia duplicata ſuppleret:* Deinde Apoſtolis accommodans: *Duplicauit* (ait) *Spiritum viſio abeuntis, vt intellectui Spirituali Spiritualis iungeretur affectus; cum ipſa vtique, cui potiſſimùm inhærebat carne raptus in cælum: quod euidenter in Apoſtolis inuenitur impletum.* 90.

Act.2.3.

Bernard. *Dolorem de Chriſti abſentia ſolatur Spiritus S. Apoſtolis apparens in figura linguæ & Ignis, quibus ſcientia & feruor ſignificantur.*

Bernard.

Idem.

Sed quoniam in exilio hoc omnes Chriſtiani laboramus, & Deus noſter abſconditus eſt, poſuítque tenebras latibulum ſuum, quem nemo hominum videre poteſt; aliàs verò Cor noſtrum inquietum eſt donec perueniat ad eum, cùm vltimus noſter finis ſit, quemadmodum ſubleuanda eſſet exilij pœna, dedit ipſe generale ſolatiũ, Deuter.c.6.v.5. inquiens: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua:* Rabbanus in his tribus indicari ſimilitudinem trium diuinarum perſonarũ affirmat; nempè Genitori potentiam adſtruamus, Gnato ſcientiã, Spiritui ſancto affectum: habeamus igitur doctrinã, qua intellectus norit quid amplexandum, quid deuitandum ſit; habeamus voluntatem boni ſtudioſam, mala auerſantem; & ſit nobis fortitudo & robur ad comprehendendum quod intellectus ſequendum 91.

*Dilectio Dei ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine quomodo mœrorem Animæ exulis temperet.*

Deuter.6.5.
Rabban.



ſequendum eſſe dictauit; ad quod voluntas impellebat: his ſubſidiis momentaneum & leue fiet Tribulationis huius vitæ pondus: & quamuis Sponſi abſentia Amicos eius lugêre faciat, fletus tamen ipſe ſciendo, amando, operando multùm temperabitur: Bernardus ſerm.20.in Cantica: *Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia: & vide, ne fortè tria iſta tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua: mihi videtur amor quidem cordis ad zelum quendam pertinêre affectionis, animæ verò amor ad induſtriam, ſeu iudicium rationis, virtutis autem dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam, vel vigorem: dilige ergo Dominum Deum tuum toto, & pleno cordis affectu: dilige tota rationis vigilantia, & circumſpectione, dilige & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimeſcas.*

Bernard.

92. Habuit Saul duas filias, habuit & Laban: ſeruiuit auunculo Iacob & vtramque ſororem accepit, vtriuſque maritus dictus eſt: ſeruiuit in bello ſtrenuè Dauid Sauli, nec filiâ donatus eſt vtrâque: & illic & hîc in figura Germanæ Actionem, Contemplationémque deſignabant: Numquid non contemplatiuus Dauid, cuius in meditatione exardeſcebat ignis? Quomodo itaque vni coniunctus tantùm ſorori? nempè, quia Monarcha erat aliorum curam habens, & oporteat, qui Magiſtratum gerunt non ſic Theoriæ addictos eſſe, vt officio, quod in exterioribus eſt, deſint: huius documenti Auctor S. Gregorius Papa in lib.1. Regum, c. 14. *Quid eſt hoc, quod Iacob vtramque ſororem habêre licuit; Dauid autem ad maioris filiæ Saul thalamum non peruenit, niſi quia Dauid Rex fuit, Iacob autem Rex non fuit? Qui enim regimen animarum ſuſcipit, hunc cenſura Eccleſiaſtica ſuſceptum gregem deſerere, & remotæ vitæ otijs vacare non ſinit; ſed Merob Dauid promittitur, & nunquàm datur, Michol ſola datur, quia nonnulli cùm curam animarum ſuſcipiunt,* &c. Ad noſtræ tamen diſſertationis ſcopum aſſeramus: Dauid in patrio verſabatur ſolo, & peregrinus non cenſebatur, cùm Saulis nuncupari gener pacatè licuit: Iacob natali pulſus aruo ob metum de fratre Eſau, quaſi exulabat in domo Labanis; Quò itaque patriæ & dilectorum amicorum abſentiam ſuſtinere valeat, accipiat comites ſorores ambas Contemplationem videlicet, & Actionem à bona & feruida prouenientem voluntate; hæc enim remedia ſunt ad temperandum de abſentia dolorem: Dauidi, cui patria abſens non eſt, ſufficiat duarum filiarum Saul altera tantùm.

*Iacobo è ſua patria exuli dantur duæ ſorores Lia & Rachel .j. Actio & Cõtemplatio, quò labores ſoletur ſuos: Dauidi verò in ſua patria Regi vna tantùm Michol conceditur.*

Gregor.

93. Quemadmodum vigilare oporteat docens Chriſtus Parabolam de ſeruis proponit, Lucæ capite 12. verſ. 36. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris:* Iubentur verò & opera bona habêre, præcingi enim iſtud eſt; & notitiâ de rebus ad æternam ſpectantibus vitam, præditi eſſe, quæ in lampadibus deſignatur cognitio: declarauit pulchrè Theophylactus inquiens: *Et lucernæ ardentes in manibus veſtris, hoc eſt, ne in tenebris, & abſque iudicio verſemini, ſed ſit vobis lumen verbi, quod monſtrabit vobis, quæ facienda, & quæ non facienda: porrò ſuccincti lumbis ſunt, qui actiuam vitam agunt, eiuſmodi enim habitibus vtuntur operarij, quibus & ardentibus candelis opus eſt:* Et inferiùs paulò iterùm: *Conſideres autem & hoc, quod primùm lumbi veſtri ſuccincti ſunt, deindè lucernæ ardeant: primùm enim operatio, & deinde contemplatio, quæ mentis eſt illuſtratio.* Verùm quare famulis actio, & contemplatio potiſſimùm commendantur? Ecce, non Domini latera cingunt, non ſimul cum eo gradiuntur, abſens eſt Herus, & iucundatur in Conuiuio nuptiali: *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs:* Dominus, Redemptor noſter eſt, qui abiit in cælum, vbi thalami Sponſæ concelebrantur hilaria, reuertetur tamen inde cùm ad iudicium venerit; quare Theophylactus ſubaddit: *Quotidie enim nuptiæ fiunt in cælo ſanctarum animarum; redit autem ex cæleſtibus nuptijs fortaſſis in vniuſcuiuſque propria morte inexpectatus adueniens:* Et licet votis ſanctis reditus illius ſuauiſſimus futurus ſit, quoniam tamen eius tabeſcunt deſiderio, non poteſt non abſentia grauis & moleſta computari: huius igitur abſentiæ duros cruciatus, quò lenire aliquo modo poſſint, datur in ſolatium actio & contemplatio, & ideò lumbi præcinguntur, & lucernas in manibus ferunt.

Luc.12.36.
Theophylact.

*Datur & ſeruis Domino abſente Actio & Cõtemplatio in ſolatiũ, dum & lũbos præcingere, & lucernas ardentes in manibus habere iubentur in Euangelio.*

Theophylact.

In limbo circum pedes tunicæ ſummi Pontificis Hebræorum, *per circuitum quaſi mala punica ex hyacintho, & purpurâ, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis,* Exod.c.28. v.33. communis Allegoria, quæ fidem aut ſcientiam ſimul cum honeſtis vitæ actionibus exponit: ita Gregorius Papa lib.1.Reg.ep.24. Singularius autem Nyſſæ alter Gregorius in vita Moyſis: *Aurea verò tintinnabula, bonorum operum ſplendor ſunt, malis punicis intercepta: duo enim hæc ſunt ſtudia, quibus virtus tota conflatur, recta in Deum fides, & probata in hac vita conſcientia: hæc mala punica, ac tintinnabula indumento Timothei Paulus ille innexuit, cùm dicit oportêre vt habeat fidem, & probam conſcientiam: fides igitur Sacerdotis veluti tintinnabulum; vita verò naturam punicorum imitetur malorum,* &c. Equidem glorioſior Veſtis pars fimbria eſſe conſueuit, quòd in hanc & artis ſudet induſtria, & quod in lapidum natura, metallíſque eximium ſit, congeratur; quamobrem igitur inter plurima Hieroglyphica, id condecorauit emblema, quò actio, & doctrina ſignificaretur? Erat in templo religioſiſſimum, ſumméque venerandum adytum, quod Sanctum appellabatur Sanctorum: Hic Numini ſpecialiter conſecratus locus; hæc Dei peculiaris habitatio, hoc diuinum & interius oraculum: ingrediebatur ſub feſto expiationis ſupremus Antiſtes, verùm ſemel in anno duntaxat, vt Apoſtolus docet ad Hebræos cap.9.v.7. breuis mora, cùm anno regnaret interdictum, dolebat Pontifex Sacroſanctis excludi penetralibus pluribus menſibus, quaſi Dei enim negatam ſibi præſentiam exiſtimabat: Quo itaque inconceſſæ familiaritatis mœrori occurreret pharmaco aliquo ſalutari; monebatur ex fimbriæ textura, ſocios adhibere doctrinam, & honeſtæ conuerſationis famam: id tintinnabula, & malogranata ſuggerebant quoties in inferiora proſpiciebat: Nam & poma & flores, quibus eadem ſignificantur Sponſa optauit; quibus de Sponſi abſentia conceptam animo triſtitiam imminuerat. 94.

Exod.28.33.

Gregor. Mag. Nyſſen.

*In limbo veſtis Aaronicæ Mala Punica cum Tintinnabulis, fidem & bona opera figurabant, quibus Sacerdos mœrorem de inconceſſo in Sancta Sanctorum ingreſſu leniret.*

Hebr.9.

# VESTIGATIO XXI.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum ſextum & ſeptimum Capitis ſecundi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus:* Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis Dilectam, quoadusque ipſa velit. *Cap.2.verſ 6.& 7.*

*Gremio fouêre dilectionis ſingulare argumentum; Michææ verſus: oſculo haurire morientium Spiritum, eorum lumina Amicorum comprimere chariſſimi ſoliti; Geneſi & Deuteronomio lux: Sepulturæ veteribus ingens cura, Dauid interpretatus: Coma detonſa, Diíſque conſecrata, fluminibus ſpeciatim: Nazaræi capillum quare deponerent? Hebræorum ritus per Ethnicos ſuperſtitionibus infecti: Gentilium in libris non pauca, quæ ad optimum Bibliorum interpretamentum vſui eſſe queant; diſputatum an ſiniſtra potior dextra in recubitu & inceſſu? Vtilitas inde aliqua Scripturarum & Conciliorum quibuſdam locis.*

### SECTIO I.

1. *Conſtructio huius loci; & cum præcedẽtibus nexus.*

COMMVNIS ſententia præſentem adfuiſſe Sponſum memorat, cùm robore & virtute deſtituta eſt Sponſa, & in lethum propè feſtinabat emoriens; tum quanquam ſenſibus, & diſcurſu ob morbi atrocitatem, plurimum imminutam, correxiſſe tamen ſemet, quaſi pudefactam, quod vel à floribus, vel à pomis ſuppetias, quando Maritus coràm adſtaret, poſtulaſſet: itaque potiùs quàm aut in floribus, aut malis optat requieſcere inter Sponſi amplexus, eiúſque foueri ſinu, ex lacertis altero ſubiacente, altero ſuperinducto: Vah quid melius deſideraſſet quanquàm ſui compos pleniſſimè? etiámne in deliquio aſtutam putauerimus? nihil ſuper Sponſi pectoris fragrantiâ vnguentis primis deliburi, nam & ipſa laudauit olim: *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*, cap.1.verſ.1. mirum itaque non eſt, præ amplexibus & brachiis Sponſi deſpecta cum floribus poma: At non eam halitus aromatum ſuauiſſimus, Mariti vt ſinum concupiſceret, ſtimulabat, ſed amor: ſub illa conſternatione confoueri ab amiciſſimis oportebat brachiis; ita germanus ſubuenit apud Statium lib.2.Theb.

Stat.

*——fratris moribunda leuabat*
*Membra ſolo Periphas, læuâ marcentia colla*
*Suſtentans, dextrâque latus.*

Sic & in Pompeio de Cornelia Metelli Scipionis filia eius coniuge Plutarchus narrat cùm ob Mariti aduerſos caſus, mentis dimota ſtatu exanimaretur, tamen in rerum magnâ illâ turbatione à viro complexam quoad ſibi reddita eſt: ita & cùm Eſther Regina Aſſueri vultu & maieſtate ſtupefacta corruiſſet, Monarcha ipſe ſtatim throno exiliens occurrit, vlnísque ſuſtentabat, & blandiebatur, Eſth. cap. 15. verſ. 1. denique quæ vxor habetur, vbi feſſa & languens requieſcat niſi Mariti in gremio, cùm amori coniugali nihil conuenientius? adeò Hebræorum ex phraſi, cùm ea nominatur, quæ in ſinu recubat, vxor intelligitur, vt apud Michæam cap.7. verſ.5. *Ab ea, quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Chaldæus interpretatur, hoc eſt ab vxore, Caſtro, Sanchez à Lapide, Delrius tom. 1. Adagio 996. ex Deuteron.cap.13.verſ.6. *Siue vxor, quæ eſt in ſinu tuo, aut Amicus, quem diligis vt animam tuam*, &c. In hunc ergo morem, licet Sponſam ambiret vel affinium & cognatarum, vel ſociarum, vel Pediſſequarum copioſus numerus; nullius tamen vult excipi brachiis, niſi chariſſimis Mariti ſui.

*Seu ſinu, ſeu brachijs languentem excipere, Amoris argumentum.*

Mich.7.5.

Caſtro. Sanchez. A Lapide. Delrius. Deuteron. 13.6.

2. *Num Sponſus aberat, in deliquio Spõſæ*

Cæterùm, aliis viſum eſt, cùm Sponſam languor mortalis inuaſit nouum tunc abfuiſſe Maritum, ſiquidem expergefacta ex Lethargo inclamauit, *Vox Dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles*, &c. quo ſermone indicatur peregrè aduentaſſe Sponſum: Quòd ſi coràm adſtaſſet, cùm Spiritu & vigore deſpoliata eſt vxor, brachia cadenti, & fatigatæ porrexiſſet, quæ tamen non ſubtraheret, quoad animam recuperaſſet illa, cùm in deliquiis non longa intercedere conſueuerit mora, & quamuis pauſandum eſſet, nouorum coniugum dulciſſimus



mus poſtulabat affectus, ne Sponſus diſcederet, priuſquàm de morbi exitu conſtaret; quod ſi quidem adfuiſſet, non ſtatim excitata Sponſa in abſentis deſiderium prorumperet: itaque diſtaſſe tum ſibi perſuadent, proinde ad abſentem has dirigi Sponſæ voces; quare hîc accidere quidem, quod ex ſancti idiomatis ſæpe contingit more, vt futuris Indicatiui pro Imperatiuis, & Optatiuis vtantur, quemadmodum annotarunt Sotomaior & Giſlerius, eſt itaque voti forma ab ea, quæ ardentiſſimè flagrat vidêre Sponſum Heu, ſi vir meus adeſſet, quàm libens ex hac aura diſcederem, tantùm eius inter brachia, læuâ dexterâque me fouentibus, animam exhalare concederetur! ô vbi es delicium meum? ſiccine abſque te moriar? non vltimum dicam vale chariſſimo meo? non in eius finiam oſculo? non claudet mihi lumina? Siquidem olim vulgus Mortalium beatum ſe putabat, ſi in extrema obitus hora, ex coniunctiſſimis pignoribus adſtarent, quibus valêre iuberent, qui oſculo ſpiritum exeuntem ad ſe attraherent, qui oculos morituris componerent, frigidúmque lauarent, & vngerent corpus. Ouidius in Canace ad Macareum; expreſſiùs in Ariadna ad Theſeum:

*Futuris Indicatiui pro Imperatiuis & Optatiuis vtuntur Hebræi.*

Sotomaior. Giſlerius.

*Vltimũ chariſſimorũ ſpiritum oſculo haurire, oculos morientium claudere amiciſſimi ſolebant.*

Ouid.

*Ergo ego nec Matris lachrymas moritura videbo*
*Nec mea qui digitis lumina condat, erit.*
*Spiritus infelix peregrinas ibit in auras,*
*Nec poſitos artus vnget amica manus.*

Idem clariùs etiamnum conſolatione ad Liuiam de morte Druſi ſui pangit:

Idem.

*Ah miſeranda Parens ſuprema neque oſcula fixit*
*Frigida nec mouit membra tremente ſinu.*
*Non animam appoſito fugientem excepit hiatu*
*Nec traxit cæcas per tua membra comas.*

Papinius Statius eleganter quoque lib.5. Syluarum Epicedio Priſcillæ Abſcontij vxoris:

Stat.

*Hærentémque animam non triſtis in ora mariti*
*Tranſtulit, & chara preſſit ſua lumina dextra.*

Alia ex Marone, Propertio, Suetonio data Veſtigatione 1. ſect.2. n.15. cùm igitur ex inopinata ſpiritus fuga morituram ſe arbitraretur Sponſa, dolore percellitur vehementi; quòd is, quem præ mortalibus diligit vniuerſis amantiſſimus non adſiſtat Sponſus, qui extrema perſoluat abituræ ex hac vita charorum officia, ſeu dum oſculo animam quaſi legit, ſeu dum oculos diſcedentis blandè componit, ſeu dum lachymatur & ingemiſcit compatiens miſeræ, omniáque iuſti luctus ſigna edit.

3. *Obiectio contra hoc interpretamẽti genus.*

Occinas: propudioſum eſſe Religioſo, & graui intepreti, his reſpergere Commentationum modis ex fabularum triuiis, lucubrationes in ſanctum Epithalamium: quid enim niſi Gentilitatis vanam ſapiat dementiam, quibus de Reſurrectione, & immortalitate animarum falſiſſimi conceptus, legere oſculo, & in ſe traiectare ſpiritum morituri, tum & lumina claudere, ne per oculorum feneſtras euolet? non igitur ſanum conſilium eſt de his Salomonem loqui, intellexiſſe. Reſpondeo, ex his non colligi ritibus ſtultam Paganorum ſententiam de Animarum tranſmigratione in ſecunda corpora, hîc enim colligebatur ſpiritus ab iis, qui viuebant, quibuſque inerat anima, defunctorum verò ſpiritus in noua tranſibant corpora naſcendorum ſeu Hominum, ſeu Belluarum, vt ex Pythagora & Platone Minutius Felix edocet in Octauio: Quod ſi ob hos fines tamen Ethnici labiis morientium labia addebant, atque oculis etiam, in quibus reſidêre præcipuè animam credebant, os admouebant; non verò ob ſimiles cauſas Hebræi; ſed ad conteſtandum amorem, vtque ab externis indiciis intelligeremus, ſeculo amiſſum, recordatione & memoriâ ſuperſtitem in Amicorum cordibus: quamobrem Geneſ. cap. 46. verſ. 3. & 4. Iacob venerandum ſenem conſolatur Numen, inquiens: *Noli timêre, deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi: ego deſcendam tecum illuc, & ego indè adducam te reuertentem; Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos*; hoc eſt, morienti gnatorum dilectiſſimus Ioſeph, lumina claudet, & componet, vt exponunt Pererius & A Lapide; qui optimè animaduertunt Virgilij & aliorum productis carminibus, ab Hebræis mutuatos eam cærimoniam Gentiles: ita & de oſculo colligunt Nonnulli Deuteronomij cap.34. cap.5. *Mortuúſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino:* ex Hebr. *ad os Domini:* Caietanus; *in oſculo Domini:* Quemadmodum Genitrix filij halitum morientis in baſio attrahit; ſic Dominus chariſſimi famuli ſpiritum, deportandum in locum requietionis, ad ſinum videlicet Abrahæ, collegit, vti explanat Viegas in c.14.Apocalypſis comment.2.ſect.3.meminit Areopagita Eccleſiaſticæ Hierarchiæ c.7. inter ritus fidelium defunctorum, oſculi quod & Hierarcha ſepeliendo corpori, & adſtantes reliqui impertiebantur: licet poſtea in Concilio Antiſiodorenſi ſub Gregor.1. anno 590. canone duodecimo, prohibitum inueniatur, ne oſculum daretur his qui vita exceſſerunt, vti nec Euchariſtia apud Binnium tom.2. Conciliorum, part.2. in eum ſcopum verba Zenonis Veronenſis ſerm. de continentia: *Tu, non illa es, quæ Mariti corpus expoſitum lauiſti lachrymis, oſculis deterſiſti, crinium damno velaſti*, &c. vide plura, quæ congeſſimus ſuperiùs Veſtigat. 1. ſect.2. num.15. ex Ambroſio, Chryſoſtomo, & aliis, de oſculo moribundis impertito ob amoris intimi pignus & ſymbolum: quare nihil auerſum & indecorum Explanatio complectitur, quæ verba deſiderij Sponſæ de Marito præſente transfert ſiue ad oſcula libata ſupremam agentibus animam, ſeu ad faces oculorum compreſſas; aliáſve dulcioris affectus notas; cùm nihil in his ſuperſtitioſum ex Hebræorum vſu, ſed ex Gentium vitio, quæ imitari cùm vellent ob ignorantiam, vel malitiam deprauabant.

Diluitur.

Pythagoras. Plato. Minutius.

Geneſ.46.3.

Pererius. A Lapide.

Deuteron. 34.5. Cajetan.

Viegas. Dionyſ. Areopagita.

Concil. Antiſiodor.

Binnius. *Oſcula mortuorum cadaueribus imprimi prohibitum.* Zeno. Veron.

4. *Delira Ethnicorum cerimoniæ quædam, apud Hebræos honeſta.*

Et quoniam eſt eiuſmodi Hominum genus, quod cùm pietate aliqua flagrare videatur, nonnihílque in Theologicis verſatum fuerit ſtudiis, ob bonarum tamen diſciplinarum inſcitiam, exhorreſcat, cùm intueatur ad Bibliorum Lucem ea referri, quæ vanorum in gratiam Numinum cæca ordinabat Gentilitas; operæpretium eſt intelligere mitius vt agant cùm in talia inciderint, nec continuò deteſtentur, ſed animaduertant cùm externæ rerum figuræ vtrobique quaſi eædem appareant; apud Iudæos honeſtas extitiſſe; apud Ethnicos deliras, & impias: lubet ſubieciſſe notiora quædam exempla: Miſerandum, prorſúſque infauſtum Pagani arbitrabantur, ſi corpora defunctorum inhumata iacerent; Ouidius Triſt. lib.3.eleg.3.de ſeipſo:

Ouid.

*Sed ſine funeribus caput hoc ſine honore ſepulchri*
*Indeploratum barbara Terra teget?*
*Oſſa tamen facito paruâ referantur in vrnâ*
*Sic ego non etiam mortuus, exul ero.*

Cura quoque de Buſto Abrahæ, Geneſ. cap. 23. verſ.13. Iacob eiuſdem libri cap.47.verſ.30. *Vt non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum patribus meis:* lamentatur & Dauid Pſalm.78. verſ.2. & 3.

*Cura de Sepultura apud Hebræos vt & apud Gẽtes.*

Geneſ.23.13.

EEe 4 Poſuerunt

Pſalm. 78.2.

*Poſuerunt morticina ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ, effuderunt ſanguinem ipſorum, & non erat, qui ſepeliret;* ſúntque minæ apud Ieremiam cap. 8. extrahenda eſſe de ſepulchis oſſa regum, & proiicienda in ſterquilinium: ſed Patriarchæ optabant ob ſanctos & vtiles fines, præſertim ex ſpe Reſurrectionis, vt commonſtrat Bellarminus lib. 2. de Purgatorio, cap. 19. Ethnici volebant, quòd putarent inſepultorum animas neſcio quas pati anguſtias, & in cymbam non admitti Charontis: Maro lib. 6. Æneid.

Bellarmin.

Virgil.

*Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta*
*Tranſportare priùs, quàm ſedibus oſſa quierunt,*
*Centum errant annos, volitántque hæc littora circum,* &c.

*Crines detonſi, Dijs ſacri.*

Gentilibus mos, vt in Deorum honorem comam amputarent, quam altaribus cum nominis inſcriptione appendebant; eo de ritu complura Lipſius ad libr. 4. Taciti, numero 97. & in excurſibus ad libr. 14. ad pag. 245. Raderus ad libr. 9. Mart. Epigram. 17. de coma Earini, Tiraquellus ad Alexandri Neapolitani libr. 5. cap. 18. Proſper Stellatus libro 1. de Coronis & Tonſuris, cap. 5. Gueuara in cap. 3. Habacuc: Alphonſus de Mendoça in Quodlibeticis, quæſtione 5. expoſitiua; Pineda in cap. 1. Iob. numero 20. Franciſcus de Mendoça tom. 1. in lib. 1. Regum, Annotatione 10. in cap. 1. ſectione 1. numero 31. dabimus Luciani verba, qui de Dea Syria agens, ad finem inquit: *Træzenij Virginibus, & adoleſcentibus legem ſtatuerunt, ne quis ipſorum connubio ſe illigaret, priuſquàm Hippolyto comas tondiſſent, faciúntque hoc pacto: Adoleſcentes quidem barbas ſuas conſecrant: iuuenibus autem capillos ſacros à natiuitate vſque conſecratos demittunt; quos, poſtquàm in templo ſunt, reſecant; & in vaſa depoſitos, alij quidem argentea, multi verò etiam aurea, in æde affigunt, atque abeunt, inſcripto cuiuſque nomine;* Cuius eiuſdem omninò vſus meminit Pauſanias in Corinthiacis poſt medium: obſeruare autem peculiariùs libet propter Cyrilli, quæ mox daturi ſumus verba, fluminibus tondêre crinem Paganos ſolitos, vt nuncupatus modò Pauſanias teſtatur in Atticis, & in Arcadicis, Pindari Scholiaſtes in Odam 4. Pythiorum, vbi de intonſa Iaſonis coma, Iulius Pollux Onomaſt. libro 2. cap. 3. numero 5. Quid verò hoc aliud eſt, quàm ſimulachrum raſionis Nazaræorum, de qua Numerorum cap. 6. verſ. 18. *Tunc radetur Nazaræus antè oſtium Tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ; tollétque capillos eius, & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum;* id quod à noſtro Cornelio probè obſeruatum, ab aliíſque commultis; ſed iuuat promiſſam Alexandrini Cyrilli orationem exhibere ex lib. 16. de Adoratione: *Stultiſſimi namque Gentiles* (ait,) *cùm conſuetudinem, quæ præter naturam eſſet, ſequerentur, & pecudum more viuerent, promittebant comam, illam eius rei cauſam afferentes, dæmonijs ſe illam nutrire; & hic quidem illam Oreadibus Nymphis, ille viciſſim fluuio alicui certo tempore tondebat, eáque res religioſa putabatur: Moyſes verò ſapientiſſimus, imò verò per Moyſem ille longè omnium Sapientiſſimus, atque optimus omnium artifex Deus, filijs Iſraël, quibus adeò Ægypti error inſederat, vt ægrè ablui poſſit, eadem præcipit; ac per veteres illos mores, atque ritus paulatim eò transfert vt non amplius dæmonijs, ſed omnium Deo tanquàm per figuram, & vmbram, eum cultum deferrent.*

Lipſius.
Raderus.
Tiraquell.
Proſp. Stell.
Gueuara.
Alphonſ. Mendoça.
Pineda.
Franc. Mendoça.
Lucian.

*Coma abſciſſa Fluminibus ab Ethnicis dicata.*

Pauſanias.
Iul. Pollux.
Numer. 6. 18.
A Lapide.
Cyrill. Alex.

5. Claudam exemplorum ſumm m (non ob penuriam, ſiquidem copia maxima talium eſt, ſed quia breuem eſſe Digreſſio poſtulat) Theodoreti effato de ſpeculis, & ſiſtris Hebræarum fœminarum in ſacrorum vſu: is ad cap. 18. Exodi in catena Græcorum in Pentateuchum, in illa: *Fecit & labrum æneum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant,* &c. *Mos erat Ægyptijs* (inquit) *præſertim mulieribus, cùm ad ſacra pergerent, vti lineâ veſte, & geſtare ſiniſtrâ ſpeculum, dexterâ verò ſiſtra: quæcumque igitur de ſuo mundo, aut de Ægyptiorum reliquijs talia inuenerunt; omnia in vſum rei ſacræ contulerunt.* Nihil itaque ſubuerendum, vt ex Gentilium monumentis quædam ſubducantur ad veteris ſpeciatim inſtrumenti Literæ corticem humanum intelligendum; Nam vel ex eorum ritibus tranſlati aliqui, qui ſecundum exteriorem cærimoniam indifferentes, ad ſempiternæ Deitatis adorationem, vt de ſacrificiorum modis ſæpè Patres admonent: vel, quod frequentiſſimè contingebat, Hebraïcarum obſeruantiarum plagiarij euaſerunt, adiunctis ex Dæmonum inſtinctu, fœdis ſuperſtitionibus, ridicularúmque fabularum monſtris: redimere igitur ab iniquis poſſeſſoribus optimorum ingeniorum eſt, quod ad Scripturarum elucidationem conferre valeat; vt poſt Sanctum Auguſtinum, atque ex eo quidem monet Angelicus Doctor Opuſculo contra Religionum impugnatores, quod 19. eſt, cap. 11. §. 1. Has itaque ob rationes inducti fuimus, ex Gentilium vt peteremus ſcriniis, quibus præſenti affulgeremus verſui.

Exod. 18.

Theodoret.
*Hebrææ vt & Ægyptiæ mulieres ſpecula & ſiſtra manibus gerebant.*

Auguſtin.
S. Thom.

Dexteræ & ſiniſtræ varias cum ſymbolis notiones docebunt, ſingulariter verò ex vſu Sacrorum Bibliorum Pererius & à Lapide ad verſ. 14. cap. 48. Geneſeos, Delrius tom. 2. Adagio 321. Ioannes Fernandez in Theſauro, verbo *Dexter:* Celeberrima omnium quæſtio eſt, vtrùm aut in ſedendo, aut in ambulando honoratior locus, quæ ad dexterum, quæve ad ſiniſtrum tendit latus? qua de Controuerſia, vt iudicium ferremus, concedo, Grammaticalis, in qua verſamur, explanationis, exactam quamuis declarationem non obſtringere: Quoniam verò Patrum myſticæ non paucæ interpretationes in hanc partem declinant, ſiue cùm de gloria Humanitatis Chriſti ſedentis ad dexteram Dei apice dignitatis ſublimiſſimo tractant; ſeu cùm de Beatorum felicitate agunt, à quibus ſiniſtra quæque auertunt; His, vt deſeruiamus, etſi Literæ cortex non compellat (neque enim de honorificentiori ſede mentio eſt) ſtatuamus, quod nobis certius eſſe videatur. Siniſtræ omninò deferendum ſenſêre Nebriſſenſis Quinquagenæ cap. 39. Goropius Becanus Hieroglyphicorum libro 3. & quoad Scripturæ ſignificationes Ianſenius capite vltimo concordiæ; quoad locum in Conciliis Baronius tom. 3. anno 325. à numero 57. quoad externa cum ſacris generatim tom. 2. anno 213. à numero 6. ſubſcribit pro norma ſedendi in Conciliis Binnius Tom. 1. Conciliorum parte 1. Notis ad Concilium 1. Nicenum. §. *Quibus ordinibus,* &c. Idipsúmque rursùs tom. 2. parte 1. Notis ad Concilium Chalcedon. §. *Sexcenti,* &c. Dexteram abſque limite præferendam, quaſi excellentiorem, iudicauit Abulenſis, quæſtione 22. in cap. 2. libri tertij Regum, Pererius in verſum 5. cap. 48. Geneſeos, Maldonatus in verſ. 19. cap. 16. Marci, Ioannes Fernandez in Theſauro ſacræ Scripturæ, verbo *Dexter,* Tena in cap. 1. epiſtolæ ad Hebræos, difficultate 8. ſectione 1. Ceruantes in verſum 1. cap. 3. Sapientiæ: diligentiſſimè verò Iuſtus Lipſius Electorum libro 2. cap. 2. noſter

6.

Pererius.
A Lapide.
Delrio.
Io. Fernand.

*An ad ſiniſtram, an verò ad dexteram honoratior locus?*

Nebriſſ.
Gor. Becan.
Ianſenius.
Baronius.
Binnius.
Toſtat.
Perer.
Maldonat.
Io. Fernand.
Tena.
Ceruant.
Lipſius.

Biſciola



Biſciola tom. 2. ſubſceſiuarum Horarum cap. 5. media ſemita procedunt Ribera in cap. 1. epiſt. ad Hebræos, in illud, *ſedet ad dexteram maieſtatis,* &c. Suarius tom. 2. in 3. part. diſp. 51. ſect. 3. §. vna verò &c. nam in ſæcularibus atque externis potiora læuæ concedi non recuſant: in ſacris autem & internis prælatam ſemper Dexteram adſtruunt.

Biſciola.
Ribera.
Suarez.

7. *Siniſtra præponitur quãdoque ſed quaſi effectiuè & materialiter.*

Quarta ſeries eorum eſt, qui pronunciant; ſiniſtram quidem præpoſitam, dicamus ex ſcholarum terminis, quaſi materialiter & effectiuè, non autem formaliter, & appretiatiuè, hoc eſt, contingebat nonnunquam incedentibus duobus ſiniſtram occupari ab illo, qui citra omnem aleam, dignitate præſtabat; vnde cùm ex mortalium vulgari apprehenſione ei honoratior debeatur locus, qui reliquis ſupergreditur, atque eminet, his in caſibus cernentes læuam ab eo electam, qui anteiret ſiue ob nobilitatem, ſeu alios ob titulos; putarent vtique fulgentiori donatum parte, dexterámque à minori occupatam humilioris eſſe gloriæ: At nec in talibus euentibus ſiniſtra vincebat, niſi ſicut admonui, materialiter ſolùm, & in aſpectu externo ignorantium circumſtantias rerum perpendere: Nam ſi de principatu honoris altercantibus duobus, alteri inuito contrario Dextera ceſſiſſet, proculdubio hic grandiora obtinuiſſe cenſeretur; ſin autem Dexteram cuiquam tradi accidat ob indulgentiam & humanitatem eius, ad quem ſpectabat propter qualeſcumque rationes; tum ſanè in dexterâm vitium nullum coniectandum, tanquam læuâ obſcurior habeatur; quoniam, qui à dextris poſitus ſit, non ob merita loco radiat ſubuectiori, ſed ex conniuentia alterius, cui ob æquitatem debeatur: contingebat verò iſtud non raro, duas potiſſimùm ob cauſas: Primò, vel Hoſpitij, vel amicitiæ gratiâ, vel pietatis, & dilectionis; ita Reges & Imperatores peregrè venientibus etſi minoribus loco ceſſerunt; & ſodales commilitonibus, & Pater gnato, filius genitoribus, Maritus Sponſæ: exempla ſuppeditauimus aliqua Veſtigatione 19. num. 11. huiúſque normæ ea ſunt vniuerſa cum dicendis ſtatim, quæ illi coaceruant, qui ſiniſtram propugnant: Secundò; aut in pugna, aut in hoſtili metu; tum ſcilicet ob cuſtodiam & defenſionem, qui potior exiſtimabatur ſiniſterior ibat, vt à dexteram occupante protegeretur; iíque dicebantur latus honeſtioris claudere; ſcitè in illud Pſalm. 15. verſ. 8. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear:* Bellarminus: *Nam verè à dextris mihi ſemper eſt, tanquam latus meum tegens:* & qui muniebat in dextris aſſidens *exterior* dicebatur; qui læuam tenebat, quòd intra alium eſſet, *interior* nuncupabatur; non adhibeo probationes, ne cogar ab infinitis repetita tranſcribere; ita quidem Maronianum illud ex lib. 5. Æneid.

Pſalm. 15.8.
*Qui dextram tenebat* exterior; *qui verò læuam* Interior *dictus.*
Bellarmin.

Virgil.

*Namque furens animi dum proram ad ſaxa ſuburget.*
*Interior, ſpatióque ſubit Sergeſtus,* &c.

Interiorem, hoc eſt, ſiniſteriorem exponit Seruius Honoratus: Atque ob hanc cauſam, quòd gladium Doctor Gentium portet, olim à dextris ſeu imaginibus, ſeu diplomatis Pontificum cùm Petrus in ſiniſtris poneretur, depictum Nonnulli haud infeſtiuè exiſtimarunt, vt qui latus principis Apoſtolorum velut claudens, peculiarem Eccleſiæ defenſionem ſponderet; eidem & obſequij & honorationis à dilectiſſimo ſocio cauſæ paulò anteà recenſitæ conueniant ſatis, vt taceam myſticas alias rationes ſignificationis Eccleſiæ Gentium, & Synagogæ: & quidem, vt nunc memoratum eſt de ſiniſtræ quandoque prælatione, quæ vera tamen haudquaquam, vt monuimus, prælatio eſt, ſentiunt Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice, cap. 27. Pineda de rebus Salomon. lib. 6. cap. 10. Lotinus in Acta Apoſt. cap. 2. num. 25. & cap. 7. num. 55. Iuſtinianus tom. 1. in Paulum diſp. 1. cap. 9. à num. 9. Gaſpar Sanchez ad cap. 30. Iob. num. 33. & in verſum 25. cap. 2. Actorum.

Seruius.

*Cur S. Paulus olim à dextris S. Petri depictus?*

Bellarmin.
Pineda.
Lorinus.
Iuſtinian.
Sanchez.

8. *Dextra fauet ſcriptura.*

Dextræ ſuffragatur ſcriptura, Prouerb. cap. 4. verſ. 27. *Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt:* Eccleſiaſtæ cap. 10. verſ. 2. *Cor ſapientis in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius:* atque hanc ob cauſam tantoperè conatus Ioſeph, vt Manaſſe vertici filio vtique primogenito dexteram imponeret manum Iacob, Geneſ. cap. 48. verſ. 17. ex communi interpretum iudicio: denique ſtatuuntur Beati à dextris, Tartaro addicti à ſiniſtris, Matth. cap. 25. verſ. 33. de his fusè multi egerunt; alij etiam cumularunt abundanter, quæ ex humanæ eruditionis vena ſufficiant; damus Nos primùm Iuſtinum Martyrem, qui cùm docuiſſet quæſt. 118. Chriſtianos ad Orientem propterea orantes conuenti, quòd mundi præſtabilior eſſet portio, ſimilitudine confirmat inquiens: *Perinde atque dextera manu in nomine Chriſti eos ſignamus, qui ſigillo tali indigent; eò quòd præſtare ſiniſtræ putetur, quamuis poſitura, & non natura differat.* Eam ob rationem, cùm olim fideles manibus ipſi Euchariſtiam acciperent, & labiis admouerent, *ſiniſtram veluti ſedem quandam ſubijciebant dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura erat,* vt inquit Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 5. quare Ambroſius ſerm. 27. in feriam 6. poſt cineres: *Nulli autem dubium eſt* (ait) *dexteram vel totius corporis præclariorem portionem:* Otto Frigenſ. lib. 8. cap. 17. *Vna ad dexteram, hoc eſt partem potiorem, altera ad ſiniſtram poſita.* Philo Hebræus libro de vita contemplatiua, tractans de Eſſenorum conuictu: *Diſcubitus ita diſtribuitur* (inquit,) *vt ſeorſim viri dexterum latus, ſeorſim fœminæ ſiniſtrum teneant,* nempè viris vt potioribus meliori dato loco: ſanè tom. 4. Concil. part. 1. Actorum Concilij Florentini initio ſcriptum, ortam contentionem de potiori conſeſſu inter Latinos & Græcos, decretúmque tandem, vt quæ Baſilicam intrantibus læua erat pars, Pontifici & Romanis cederet; hæc autem reuera Templi dextera & honorificentior erat pars, ad latus nimirum altaris, quo Euangelia leguntur, à cuius ſitu dignior æſtimatur portio, nam intrantibus ad ſiniſtram eſt aræ cornu illud, à dextris verò, quo perlegitur Epiſtola: qui igitur eâ conſedit parte, quâ Euangelia recitantur, inter loca honorificentiorem obtinet: Conſtantienſis quoque Concilij ſect. 14. in coronatione Martini quinti; Sigiſmundus Imperator à dexteris collocatur, læuam tenente Marchione Brandeburgenſi.

Prouerb. 4. 27.
Ecclis. 10. 2.
Geneſ. 48.
Matth. 25.
Iuſtin. Martyr.
Cyrill. Ierosol.
Ambroſ.
Otto. Frig.
Philo.
Concil. Florent.
Concil. Conſtant.

9. *Obiectiones contra Dextera honoratiorem locum.*

Sed ex Conciliorum geſtis duo ſunt, quæ repugnant: quippè in Chalcedonenſi narratur Actionis primæ exordio, conuentui deſtinatis ædibus ſacris, ſiniſtrâ reſediſſe parte Reuerendiſſimos Epiſcopos, Leonis ſanctiſſimi Romani Antiſtitis vicarios, cùm dexterâ potirentur Orientales, Alexandrinus Hierarcha cum Ieroſolymitano & aliis: dubio autem verti non debeat potiora Papæ Legatis conceſſa. Accedit

memoratum

VII. Synod.

memoratum eſſe ſeptimæ Synodi Actione 4. ex fragmento Sermonis in laudem ſanctorum Cyri & Ioannis, cuius Auctor Sophronius Archiepiſcopus Ieroſolymitanus conſpectam in egregio pulchritudine templo Seruatoris Domini iconem, ad cuius ſiniſtrum latus Maria concernebatur Deipara; in dextero Ioannes adſtabat Redemptoris Præcurſor: Quis autem exiſtimet honorificentiori donatum loco Baptiſtam præ Dei immaculatâ genitrice? Reſpondeo; ita conſtruenda vt nuper aduertimus, cum relatione nimirum ad fanum intrantes, horum ſiquidem conſideratione, quod reuera dexterum eſt, Euangelij ſcilicet latus, ſiniſtrum eſt, quoad tergum vertant; ita ſanè de Concilio æquum eſt iudicaſſe, vt in Florentino contigiſſe docuimus; de imaginibus Sophronij verba indicant, nam ait: *Quod intrantes maximam imaginem, & admirabilem videbamus; in medio quidem Dominum Chriſtum pictum coloribus habentem: Chriſti autem Matrem, & dominam Genitricem ſiniſtrorſum, & dextrorſùm Ioannem Baptiſtam Præcurſorem Saluatoris*, &c. Itaque ingredientibus læua ſolùm erat pictura Matris Dei, quemadmodum introeuntibus ſiniſtra eſt Euangelij pars, re autem verâ omnino dextera eſt. Nodus potiſſimus deſumendus erat ex Bibliorum verbis, quibus aſſeueratur Chriſtus Dominus ad Patris, & Dei conſedêre dexteram, quoad ponat inimicos ſcabellum pedum ſuorum; Nam ſi potior eſt dextera, quonam pacto Genitore honorificentior gnatus? at huic ſatisfacere ſcrupulo conati ſumus Veſtigatione 19. à num. 10.

*Obiectũ ſit ſatis.*

Sophronius.

---

*Muſæ Salomonis venuſtas: quarum nationum venationibus aſſuetæ puellæ? quid fabuloſum in Amazonum hiſtoria? ex Iudicum libro verba: Cerui, & capreæ imbecillioris ſexus Venatio: ex Regum volumine primo locus: in delicijs olim Virginibus capreoli & dorcades, quos magno ſtudio alebant; Prouerbiorum ſententia illuſtrata: Num Salomonis ætate in Iudææ montibus animantia, in quibus lapis Bezar inueniretur? Somnus Reſurrectionis imago: flores, Virginum amor: Iſaiæ expoſitio; Conciliatio verſionis ordinariæ & LXX. Verſus intercalaris quiſnam?*

## Sectio II.

10. *Conſtructio loci huius.*

QVi Sponſum ad fuiſſe credunt, cùm ab animi deliquio Puella ſuperata eſt, brachia collabenti protendiſſe dicunt, ſuper his cùm ſibi reddita aliquantùm recumberet, & ſomnum capere optaret; quæ comitabantur nouam Nuptam famulantium cateruæ Virginum, & ſociæ Heroïnæ, intuentes velle eam requieſcere; ſiue quòd ex vrbanitate putarent, æquum eſſe Sponſum leuari onere; ſeu, quòd morbo conuenire potiùs arbitrarentur, vt in thalamum deduceretur, lectôque iaceret; ſtudebant ſanè paululùm interrumpere ſoporatæ otium, atque aliò transferre in ſecretum conclaue: Ieroſolymitanæ præ cæteris officioſas ſe monſtrabant Nurus, aut vt Sponſo, quocum amicitiâ, & cognatione fœderatæ, placerent; aut vt hac beneuolentiâ compenſarent antiqua odia, quibus Sponſæ detraxerant, cùm promiſſi connubij nexum diſſolui cuperent, nigram appellantes, & fuſcam ſicut Tabernacula Cedar, vt vidimus capite primo: ratus verò Spónſus humanitatem eam ægrotæ non ſatis commodam, quàm dormire inceptam expergiſci non conueniebat, cùm vrgêre importunas, quanquàm ex affectu, Ieroſolymitanas animaduerteret, adiurando comminatus eſt per chariſſima quæque pignora, vt monet Orig. homilia 3. & Honorius Auguſtodunenſis, nimirùm per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitarent, neque euigilare facerent, quoad ipſa ſponte ſuâ quietem abrumperet. Quo in loco optimi Interpretes conſiderant, Ludouicus Legionenſis, Sotomaior, Delrius, Sanchez, Giſlerius & alij, omnes omnium Metrorum ſales & argutias vetuſtiſſimo in hoc Carmine & diuiniſſimo eminêre: Quid enim tam gratioſum in ſæculari Poëmate his adiurationibus ſiue cùm iraſcuntur, ſiue cùm Amantes ſupplicant, & vouent. Phædra ad Hippolytum apud Naſonem:

Origen. Honor. Aug.

*Sales & argutiæ Poëticæ in hoc Diuino carmine eminent.*

Legionenſ. Sotomaior. Delrius. Sanchez. Giſler.

Ouid.

*Flecte feros animos*, &c.
*Sic tibi ſecretis agilis dea ſaltibus adſit,*
*Syluáque perdendas præbeat alta feras.*
*Sic faueant Satyri, montanáque numina Panes,*
*Sic cadat aduerſâ cuſpide foſſus aper.*

Seneca in Hippolyto, Act. 2.

Seneca.

*Regina nemorum, ſola quæ montes colis*
*Hecate triformis, en ades cœptis fauens:*
*Sic te regentem fræna nocturni ætheris*
*Detrahere nunquàm Theſſali cantu queant*
*Nullúſque de te gloriam Paſtor ferat.*

Abſtineo ab aliis; quoniam & hîc Auctores, & paſſim occurrunt: Quod ſi quidem Sponſus abfuit, cùm exanimata eſt Sponſa, miſſo ad eum nuncio accerſitus eſt breui; ſed interim dum adproperat, reſtituta eſt ſibi fœmina paulisper, quæ dum eo ipſo loco requieſcere tentaret, quo collapſa eſt, Ieroſolymitanæ cùm expedire magis, vt in cubiculum pergeret, arbitrarentur, in penetralia ferri inſtabant; quo in conſilio cùm etiam superueniente Sponſo perſiſterent, & vrgerent; à ſententia niſi diſcedant, comminatur earum deliciis, videlicet capreis, ceruíſque camporum.

11. *Cur per capreas & ceruos, & non per mundum muliebrem, &c. adiurantur hic filiæ Ieruſalem?*

Sed quando Puellis comminatur, earúmque rerum damnis terret, quas eſſe chariſſimas in more ſit, quamobrem non ablaturum ſe vel ſpecula, vel torques, vel gemmas, aut Zonam, quicquídve in muliebri ſpecioſum eſt mundo promittit? quæ ceruorum cura eſt Virginibus? quæ caprearum? Recentiorum commune pronunciatum eſt à ſacro Dramatis Poëta, Venatrices hoc loco produci adoleſcentulas, quæ timidorum animantium aſſuetæ venationibus, quales cerui, & capreæ: Non abhorrêre Epithalamium Virginum ſimiles turmas monſtrauimus Volumine 1. Anteloquio 5. ſectione 3. numero 27. Num verè tamen in Palæſtina & Syria, quibus talia exercitamenta fœmineæ legiones? exhibui eodemmet Prolegomeno ſectione 5. numero 85. Virgilianum ex primo Æneidos Teſtimonium, de Tyri Virginibus, quæ ob venationes pharetrâ, cothurníſque vtuntur, quo loco Seruius Maurus adnotat promiſcuè aut Sidonis, aut Tyri vti vocabulis Maronem, quod ſorores & proximæ eſſent vrbes: porrò ibidem Origenem oſtendi homilia 14. in Ioſue Sidonem, *Venatricem* interpretari: Equidem & quam Sidoniam facit Pœnorum Reginam Latinus Vates, eam Venationibus delectari pangit, pharetrâque inarmat 4. Æneid.

Virgil.

Seruius.

Origen.

*Tyriæ & Sidoniæ Virgines venatrices.*

Virgil.

*Tandem progreditur magnâ ſtipante cateruâ*
*Sidoniam picto chlamydem circumdata Limbo,*
*Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum*
*Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*



Sed amabo, qualem Reginæ in ſaltus, & nemora progredienti prædam obiectat Maro? an certè capreas, ceruóſque camporum? vt nihil ad Hymenæi ſimilitudinem deſit, quando & in Tyro & Sidone, quas prodit venatrices iuuenculas, pugnam cum feris exerceant, vt memoratis dicti Anteloquij probauimus locis; inquit:

Virgil.

*Poſtquam altos ventum in montes, atque inuia luſtra,*
*Ecce feræ ſaxi deiectæ vertice capræ*
*Decurrêre iugis: alia de parte patentes*
*Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cerui*
*Puluerulenta fugâ glomerant, monteſque relinquũt.*

Trebell.

Certè nobiliſſima illa Orientalium fœminarum Cœnobia, & ſtrenuiſſimis ducibus fortior tantam Bellorum laudem ex venationis ſtudio conſequutam Trebellius aſſeuerat in triginta Tyrannis, quippe vna cum marito Odenato capiendis Leonibus & pardis, vrſis, cæteríſque ſilueſtribus animantibus, diu in ſiluis & montibus verſata, cùm pluuias, calorem, & omnia mala, quæ in ſe continent venatoriæ voluptates, ſuſtineret, durata eſt ad puluerem caſtrorum perferendum.

12. *Mulieres in Aſia bellatrices.*

Neque inſolens admodum eſt, Aſiæ concedamus mulieribus in qua Palæſtina ſita eſt, ſpiritum ad ferarum certamina, quando & cum viris Marte congredi auſæ fuerint: quippè vt in Iulio Cæſare ſcribit Tranquillus, cap. 22. magnam Aſiæ quondam partem Amazones tenuêre, quas belli excelluiſſe imprimis gloriâ, & virorum fudiſſe caſtra, non ſolis Poëtarum verſibus concelebratum, ſed multorum Hiſtoricorum narrationibus, quos amplè congeſſerat noſter Biſciola Horarum ſubceſiuarum tom. 1. lib. 16. cap. 9. & 10. Scio acri diſputatione contendere Goropium Becanum in Originibus Antuerpianis libro octauo, cui Amazonica titulus, fabuloſa eſſe, quæ de Amazonibus memorantur: verùm noſtro inſtituto quam ille partem commentitiam vocat nihilum officit, vult enim tantùm nullam Prouinciarum ſolis fœminarum conſeruatam viribus contra impetum potioris ſexus, cæterùm bellatrices extitiſſe, magnorúmque auſuum libenter adſtipulatur, & prælia vnà cum Maritis ingreſſas; Quamobrem verò eis tota pugnæ laus conceſſa eſt à Poëtis, quaſi viri nihil patrarint, diſcendum ab eodem, cuius ingenioſi diſcurſus ſunt pag. 836. neque minus incertam eſſe narrationem idem putat de nouis in America ſub Occiduis Indis Amazonibus; ſuffragatur Antonius de Herrera in eius orbis delineatione Dec. 6. lib. 8. cap. 6. adſentitur tamen ſimul cum viris contra Hiſpanos pugnaſſe, ciuilibúſque in diſcordiis; & fortaſſe quod viri prolixam nimis comam alant capitis, occaſio data eſt ſuſpicandi omnes illius Tractus incolas, fœmineæ conditionis eſſe; nobis ſatis eſt mulieres aduersùs hoſtium pergere cuneos non timuiſſe, vt mirandum non ſit inuentas, quæ cum Brutis certarent animantibus, qualem Ladonem pingit Statius Theba. lib. 9.

Tranquill.

*Amazones pugnaces.*

Biſciola.

Gor. Becan.

Herrera.

*Nouæ in America Amazones quales?*

*Mulierũ cum brutis certamina.*

Statius.

*Non tamen aut teretes thyrſos, aut mollia geſſi*
*Penſa, ſed in tetricis & poſt connubia luſtris*
*Sic quoque venatrix, animôque innupta remanſi.*

*Laconũ Virgines Pugiles.*

Taceo quæ de Laconum Virginibus Plutarchus in Lycurgo referat, quemadmodum curſibus, luctâ, diſcorum & telorum iactibus, aliis pugilum artibus præſtarent; ipſæ quoque Venatrices, quali cùm forma obuiàm Æneæ facta Venus comparata eſt Lacedæmonum puellis, Æneid. 1.

Virgil.

———*mediâ ſeſe tulit obuia ſyluâ*
*Virginis os, habitúmque gerens, & Virginis arma*
*Spartanæ.*
*Námque humeris de more habilem ſuſpenderat arcũ*
*Venatrix, dederátque comas diffundere ventis*
*Nuda genu, nodôque ſinus collecta fluentes.*

Seruius.

Vbi Seruius: *Spartanæ, id eſt, Lacenæ, Sparta enim ciuitas eſt Laconiæ, vbi ſunt puellæ venatrices*; neque ſtupendum eſt horum verborum interpretationem à doctis ſcriptoribus ad venatrices referri mulieres, quando etiam ſcriptura nobis fœminam pingat, quæ aciem regere non vereatur, & cohortes diſponere: *Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes; qui accitis Zabulon, & Nephthali aſcendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu ſuo*, Iudic. cap. 4. verſ. 10. Cuius de robore egregio præclarè cecinit Alcimus Auitus Archiep. Viennenſis de caſtitatis laude ad Fuſcinam ſororem:

*Debbora Legionum Ductrix.*

Iudic 4. 10.

Alcim. Auitus.

———*Vt Debbora quondam*
*Duxerit inſtructas poſt fortia claſſica turmas*
*Et mulier ſumpto præcederet agmina ſigno*
*Mirantes hortata viros; quos ipſa ferocem*
*Exemplo, verbôque monens accendit in hoſtem.*

Itaque ex Hieroſolymis ad nuptialem confluentes pompam Heroïnæ, cùm ad Libani radices eſſent, & propè Tyrum & Sidonem, inter alias voluptates genialium Hilariorum, feras quoque ſæpiùs agitare, & laceſſere voluptas extitit: obteſtatur ergo Sponſus Dilectam requieſcere ſinant; ſic, inquit, vobis, quoties in ſyluas & campeſtria abieritis aduerſum ceruos, capreáſque, plurimas ſternere accidat, nullâ incaſſum è pharetris ſagittâ eiaculatâ.

13. *Cerui & Capreæ, animantia timidiſſima.*

Verùm, quare ceruos, capreáſque Venationis materiam nominat? cur non & Vrſos & Leones & Pantheras, & Tigrida? nempe timida hæc duo animantium genera: Euſtathius Archiepiſcopus Antiochenus in Hexameron. *Ceruo* (ait) *ſua ineſt timiditas, quanquam ſit acerrimi viſus; pugnámque cum animalibus quæ humi repunt, committat:* Græca Δειλὸν ἡ ἔλαφος, ϗ ὀξυδερκὲς, ϗ πρὸς τὰ ἑρπετὰ θηρία πολέμιον, &c. confirmat aliorum ſcriptorum ſententiis ea ad verba Leo Allatius & timiditatis phyſicas præfert cauſas, quibus adiungas Horatium lib. 1. Oda. 23. ad Chloen: de capreis etiam, quanquàm in tranſcurrendo celerrimis noſter Acoſta lib. 4. de natura noui orbis cap. 41. teſtatur ob metum abſcondere ſe protinus ac Homines, aliáſve conſpiciant feras: Quoniam igitur formidoloſus & imbellis eſt muliebris ſexus, licet interdùm ſupra conditionem aſſurgat, maioráque tentet; non tamen, quantùm viris conceſſum eſt, qui & Leones, & vrſos prouocant, tantùm Virginibus tribuendum erat; capreas itaque, & ceruos prudenter adſcripſit, muliebris enim hæc propriè venatio eſt, quam idcirco ad fortia creatus Achilles, iuuenis adhuc deſpiciebat, Statius 2. Achill.

Euſtathius.

Leo Allat.

Acoſta.

*Caprearũ & Ceruorũ venatio, mulierum eſt.*

Statius.

*Nunquam ille imbelles Oſſæa per auia Lynces*
*Sectari, aut timidos paſſus me cuſpide Damas*
*Sternere, ſed triſtes turbare cubilibus vrſas*
*Fulmineóſque ſues, aut ſicubi maxima Tigris*
*Aut ſubducta iugis fœta ſpelunca Leæna.*

*Vrſorũ, Leonum, &c. venatio generoſa.*

Quare Paſtor ille, qui conatus Saüli probare, ſibi animorum & virium ſatis contra Goliathum Philiſtæum, neque à ceruis, neque à capreis exempla mutuatus eſt: *Veniebat Leo, vel vrſus* (inquit) *& tollebat arietem de medio gregis; & perſequebar*

1.Reg.17. 34.

*perſequebar eos & percutiebam, eruebámque de ore eorum; & illi conſurgebant aduersùm me, & apprehendebam mentum eorum,& ſuffocabam,interficiebámque,* Reg.1.cap.17.verſ.34.Rectè autem,vt quàm eneruis eſſet Commodus Imperator oſtenderet Herodianus,quemadmodum in Amphitheatro cum Beſtiis pugnauerit,narrat propè finem lib. 1. *Ceruos igitur, & damas,item cornigera alia præter tauros, currens pariter ipſe,atque inſequens impetebat, ac præuent â fugâ certiſſimis ictibus proſternebat; Leones verò & pantheras,aliáque id genus nobiliſſima animalia, currens in orbem ſupernè iaculis confodiebat*; Quare Cyrus Xenophontis Pædag. lib. 1. cùm Venationibus aſſuefaciendus, ab eius rei peritis comitibus rogaſſet,quaſnam feras proximè adire,& fidenter inſequi deberet? reſponderunt: *permultos propiùs factos,ab vrſis,& apris, & leonibus,& pardalibus interemptos eſſe: ceruos & capreas & ſilueſtres aues, & aſinos etiam ſilueſtres, eſſe innocuos.* Itaque mirabili ingenio attemperauit fœmineo robore ſtylum in capreis,ceruiſque: Verùm & propter eaſdem rationes,ceruos camporum potiùs quàm montium nominauit; ſiquidem inter ſaxa & montium cacumina penè incredibili velocitate pererrant, vt Ælianus prodit lib.14.Hiſtoriæ animalium,c.15. *In patentium autem camporum æquoribus* (inquit) *quilibet vel tardus pedibus eas,quòd ibidem non valent ad fugiendum, capere queat.* Quod idem de Indiæ capreis apud Cluſiũ refert Nicolaus Monardes lib. 3. medicamentorum ſimplicium allatorum ex nouo orbe; ſegniores itaque & vinci non difficiles fœmineis aſſignauit præliationibus: fortaſsè autem non ſolius voluptatis gratiâ, capreas, ceruóſque inſectabantur, ſed quòd inter ciborum lautitias numerarentur, vt memorat Athenæus Dipnoſoph. libro duodecimo, cap. 10.

Herodian. — Xenophon. — Ælian. — Monardes. — Athenæus.

14\. Quod ſi minùs à nobis probatum quiſpiam æſtimet,quàm vt ſuadêre potuerimus, eiuſmodi fuiſſe Ieroſolymitanas Puellas, quæ relictis nonnunquàm oppidis & populorum deliciis, & in luſtra, & ſyluas aliquando fugerent, certamen cum feris mitioribus inituras; concedat tamen, non ſolùm in Iudæa,ſed in omni ferè orbis tractu Virginibus ſeu Capreolas,ſeu Dorcadas cum aliis animantibus lenocinio edomitis,charas extitiſſe,quibus cibos præberent, quas lauarent, & comerent, floribúſque & vnguentis polirent; quibúſque ne oculi penè ipſi dulciores eſſent; in his amor,in his oblectatio: talis ceruus ille Syluiæ apud Maronem.7.Æneid.

*Capreæ ſeu Dorcades & Ceruæ cicures, Puellis charæ.*

Virgil.

*Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,*
*Pectebátque ferum,purôque in fonte lauabat.*

Habetis & eadem de Cypariſſo Puero apud Naſonem decimo Metamorphoſeos:

Ouid.

——*Tu pabula ceruum*
*Ad noua,tu liquidi ducebas fontis ad vndas,*
*Tu modò texebas varios per cornua flores.*

Ad longum verò Titus Calphurnius de ceruo frænum & redimicula ſuſtinêre docto, Eclogâ 6. cui titulus, *Litigium:*

T.Calphurn.

*Cornua ſubtiles,ramoſáque tempora molles*
*Impleuêre roſæ,rutilôque monilia torque*
*Extremâ ceruice notant,vbi pendulus apri*
*Dens ſedet,& niueâ diſtinguit pectora Lunâ.*

Quare alludens ad Virgilianum, Ouidianúmque ceruum Martialis luſit Epigr.91. lib.13.

Martial.

*Hic erat ille tuo domitus Cypariſſe capiſtro*
*An magis iſte tuus, Slluia,ceruus erat?*

Atque Epigrammate 94. puerorum communia fuiſſe oblectamenta ſignificat;

Idem.

*Delicium paruo donabis Dorcada nato,*
*Iactatis ſolet hanc mittere turba togis.*

Ad hanc ceruorum oblectabundam amicitiam, teneriorẽſque diligentium affectus num Parœmiaſtes reſpiciat, cùm dicit Prouerb. cap.5. v.18. *Sit vena tua benedicta & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ: cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter:* Peregrinum eſt, quod Ælianus memorat de Hinnulo,quem dono accepit Ptolomæus ſecundus cognomento Philadelphus: *Is* (ait lib.11.cap.25.) *ſermone Græcanico enutritus, loquentes intelligebat; cùm antè id tempus ſolam Indorum linguam cerui intelligere crederentur.* Idem lib.6. cap.29 de Puero Aquilæ ſtudioſiſſimo, quam magnâ curâ & diligentiâ tuebatur: quin de maioribus animantibus Seneca lib. 2. de ira cap. 31. *Aſpice elephantorum iugo colla ſubmiſſa, taurorum pueris pariter ac fœminis perſultantibus terga impunè calcata, & repentes inter pocula,ſinúſque innoxio lapſu dracones,& intra domum,vrſorum, leonúmque ora placida tractantibus,adulantéſque Domino feras*; Verùm de cerua Silius Italicus lib.13.

Prouerb.5. 18. — Ælian. — Seneca.

Sil.Ital.

——*dociliſque accedere menſis*
*Atque vltrò blanda,attactu gaudebat herili*
*Aurato matres aſſuetæ pectine mitem*
*Comere,& humenti fluuio renouare colorem.*

Quando igitur conſtat,vſitatum fuiſſe,vt iuuenilior præſertim ætas, in deliciis, atque amoribus haberet ex animantibus quædam; arbitrari valeamus capreas, ceruóſque, de quibus hoc verſu memoratio,fuiſſe, quos curioſâ prouidentiâ Ieroſolymitanæ Virgines alerent: per has igitur ſuas delicias obſteſtatur Sponſus, modò ſupplicare eas cogitemus,ne Sponſæ quieſcenti obſtrepant: aut certè, vt terroris, & minarum adiurationem eſſe velimus; admonêre, ſi incolumes optent capreas, ceruóſque in vitæ iucunditatem ſeruare; abſtineant Sponſæ turbare dulcedinem; cui ſi moleſtas eſſe pergant, pœnam daturas in capreis, ceruiſque, quos tantoperè diligant.

15\. Equidem,ſi inueſtigando comperire poſſimus, caprearum,ceruorúmque genus,de quibus cantat Epithalamium eius fuiſſe præſtantiæ,vt in numero computarentur illorum, in quibus lapis contra venenum medicinalis reperitur, qui vulgari nuncupatione *Bezar* appellatur; tum cauſa appareret non leuis,quamobrem, aut venationum periculis Virgines inſequerentur, aut blandè enutrirent; ſanè, cùm maximæ interpretum partis iudicio, claſſis Salomonica, quæ in Tharſis & Ophirinam ſoluebat regionem, Indiam peteret ſeu Orientis,ſiue Americam, certiúſque maneat Eois appellere littoribus cõſueuiſſe, vbi nobiliſſimi Bezarini lapides,credibile imprimis eſt lapidis delectatum virtute, negotiatoribus commendaſſe,vti capreas,& cer os in Palæſtinam tranſportarent, in quibus reperiebantur; ſiue etiam Reges ij ex diuerſis orbis terrarum partibus, qui ſeu ipſi,ſeu per legatos ſuos donis maximis Salomonis ambiebant gratiam,miſerint aliquando: Nam & Columella lib. 7. cap. 2. tale quidpiam Romanis accidiſſe ſuis memorat, inquiens: *Cùm in municipium Gaditanum in vicino Africæ, miri coloris ſilueſtri,ac feri arietes,ſicut aliæ beſtiæ à munerariys deportarentur; M.Columella Patruus meus, acris vir ingenij,atque illuſtris Agricolæ, quoſdam mercatus in agros tranſtulit,& manſuefactos tectis ouibus admiſit:* Quidni de Salomonis induſtria paria concipiamus, præſertim, cùm ille viuaria aluerit ferarum,

*Num in hoc Caprearum ſeu Ceruorũ genere de quibus hic ſermo reperiatur Lapis Bezoar?*

Columell.



ferarum, vel ad gloriæ oſtentationem, vel cùm venationibus relaxare animum placeret,ſicut Pineda demonſtrat in verſum 5.cap.2. Eccleſiaſtæ, quibus incluſas capreas & ceruos,quos Canticorum hic deſcribit liber, ſpeciatim aſſeuerat numero 5.certè, vbi vulgatus legit: *Fecit hortos & pomaria*, &c. pro *pomarij* Originalia *Pardes* habent: Quod vocabulum primitiuè Perſicum facit Genebrardus Cant.cap.4.verſ.13.in illud, *emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum*, &c. Et in omnes ferè linguas manaſſe aduertit in quibus denotat ſpatia magna arboribus conſita, & vallo munita, quo Beſtiarum variæ incarcerantur formæ,communiter ſolent eſſe de mitioribus,quales cerui,capreæ & id genus: Petrus de Oſma ep.ad Nicolaum Monardes cum eius operibus,à ſaluriferarum herbarum depaſtione gigni ſecretâ corporis parte & exploratu obſcurâ lapidem eum refert: quod noſter confirmat Acoſta libro 4. de natura noui orbis, cap.42. & niuoſis frigidíſque delectari animal locis; & Libanum ſemper niuoſum eſſe, eundémque ſuauiſſimarum herbarum fertilem monſtrauimus ſæpè,& hoc, & anteriori volumine; vt ſiquidem præbeamus ſemel, ex India allatas capreas, cum ceruis, intelligere valeamus, quemadmodum ſequens generatio in Palęſtina quoque ob locorum naturam eodem ali potuerit modo,quo apud Indos, lapíſque intrà concreſcere potuerit: Taceo Carolum Cluſium Annotationibus in cap.45. lib.1.Hiſtoriæ Aromatum Garciæ de Horta contendere & in Hebræis vocem eſſe, qua lapidis ſignificetur virtus,vt frequenter accidit in lingua illa, Rebus ſua conuenire nomina,dictum igitur narrat: *Belzaar*; Dominum ſcilicet veneni, quod contra venenum & febres peſtiferas emineat, ſicut experientia commonemur; at ſcire cuperemus, à qua radice venenum indicante *zaar* deducatur, cùm etiam ipſum חֵמָה *hhamah*, quo exprimitur Deuteron. cap.32. verſ. 33. *Et venenum aſpidum inſanabile*, & Pſalm. 39. verſ. 4. *Venenum aſpidum ſub labijs eorum*, cum tranſlatione ab ira deſumpta pro veneno ſupponatur,vt docet in lexico Pagninus.

Pineda. — Ecclis.2.5. — Genebrard. Cant.4.13. — P. de Oſma. — Acoſta. *Libanus niuoſus.* — Car.Cluſius. — Belzaar .j. *Dominus veneni, Inde* Bezoar *ſecũdum aliquos.* — Deuteron. 32.33. — Pſalm.39.4. — Pagnin.

16\. Adiurat verò Sponſus,ne ſuſcitent,neque euigilare faciant Dilectam, *quoaduſque ipſa velit:* at numquid in poteſtate Sponſæ eſt, vt ſi quando placeat ei, expergiſcatur? Nonne tum ligata ratio, & libera impedita facultas? & quorſum excubiæ Principibus; quæ ſomnos interrumpant, niſi quia ſui iuris tunc non ſunt homines? imò ipſiſmet qui vigilant, acri opus eſt pugnâ, ne vincantur à ſomno, cùm natura multùm laborat? quare Auctor vitæ Pachomij c. 7. arenam portare eum ſolitum de loco in alterum locum, vt ſoporem irruentem depelleret affirmat: Palladius autem in Lauſiaca cap.2.de Dorotheo Thebano ſcribit eandem propter cauſam, lapides collegiſſe, ex quibus cellas componebat: de Macario Alexandrino idem recenſet cap. 20. Totis viginti diebus ac noctibus Tectum non ſubiiſſe,vt ſomnum domaret, cùm interim noctu frigore algeret, interdiu caloribus exæſtuaret: quamobrem igitur, *quoad ipſe velit?* Sed facilis explicatio eſt, indicari, vt profundè requieſcere ſinant, vt dormire ad ſatietatem; tum enim quiſpiam recubuiſſe quoad voluit dicitur, cùm ſomni nullum vltrà deſiderium eſt, nam & eſt ſomnus crebrò interruptus,quo non ſatis corpora reficiuntur: de vtroque Dauid in Pſalm. 120. verſ.4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël*;interpretatur ſcitè Bellarminus aiens: *Non dormitabit ſubinde oculos claudendo, & aperiendo; & multò minùs ſe tradet profundo ſomno; itaque ſemper vigilabit, neque oculos ad momentum claudet:* Et vide quàm ſecurus de reditu Sponſæ ad vigiliam; non opus eſt ſuſcitari illam à vobis, ipſa ſe eriget,ſciebat enim ſomnum eſſe, cui vita ſuccedit licet in tempus ſoporatos mortuis ſimiles reddat; ideò Sanctorum mors, cui Reſurrectio in vitam perennem ſuccedit, Bibliorum phraſi ſomnus & dormitio appellatur, locúſque ſepulchralis cæmiterium, hoc eſt,dormitorium; audiamus à Chryſoſtomo apud Photium Bibliothecæ pag. 1559. in dictum Apoſtoli 1.Theſſal.cap.4. verſ.13. *Nolumus vos ignorare de dormientibus,vt non contriſtemini, ſicut, &c. Quare Paulus, cùm de Chriſto loquitur, mortem ipſius vocat mortem, cùm verò de noſtra morte verba facit, dormitationem illam, & non mortem appellat: nam in eadem oratione ter mentionem mortis hominum faciens, nunquàm mortem dicit, ſed dormitationem deceſſum nominat: non enim temerè his vſus verbis Apoſtolus eſt,ſed magnum,& ſapiens quiddam præparat:in Chriſto igitur mortem vocat, vt paſſio credatur; in nobis verò dormitionem, vt dolorem conſoletur: vbi enim præceſſit Reſurrectio,confidens vocat mortem; vbi verò in ſpe adhuc manet,dormitionem appellat, & hac appellatione nos conſolans,in bonam vitæ ſpem erigit;dormiens enim omninò reſurget, cùm mors nihil ſit aliud, quàm diuturnus ſomnus.*

*Quid hoc, quoaduſque ipſa velit?* — Vita Pachom. — Palladius. — Pſal.120.4. — Bellarmin. — *Cæmeterium .j.dormitiorium.* — 1.Theſſal. 4.13. — Chryſoſt.

17\. Hebrææ voces צְבָאוֹת *Tzevaoth*,quam capreas vertit communis interpres; & אַיָלוֹת *ajloth*, pro quo ceruos dixit, cùm robur & fortitudinem etiam denotent iuxta ſecundam hanc ſignificationem tranſtulêre Septuaginta aientes: *Adiuraui vos filiæ Hieruſalem in virtutibus & viribus agri, ſi ſuſcitaueritis, & reſuſcitaueritis Dilectionem, quoaduſque velit:* Iuramenti formam eſſe aduertit Gregorius Nyſſenus orat. 4. in Cantic. & tamen quod iureiurando comminetur, non declarat,ſed per apoſiopeſim terret reticendo, vt apud Maronem 1.Æneid. *Quos ego:* Subaudi,iſtam illámve plagam inflixero: Quanquàm τὸ *ſi ſuſcitaueritis*,&c. idem eſſe benè monet Sãctius,atque, ne ſuſcitaueritis,vt in Pſalm.131. verſ. 3. *Si introiero in tabernaculum domus meæ,ſi aſcendero in lectum ſtrati mei*; id eſt,neque introibo, neque aſcendam: Quod verò charitatis & dilectionis vocabulo Sponſam appellat,oſtendimus Veſtigatione 8. numero 18. affectus & amoris nomine comprehendi intimiores quoſque & neceſſitudine coniunctos; Quanquam dici valeat,quod frequentiſſimum in Scripturis eſt, vt docet Ribera in cap.5. Hoſeæ num.4.& in cap.9. ad Hebræos numero 13.pro concreto abſtractum ſupponi:cecinit etiam Poëta Latinus Æneid. *Proyce tela manu ſanguis meus*, hoc eſt, qui mihi ſanguine proximus es: ſolet quoque in horum verborum comprobationem Ignatij Martyris dictum celeberrimum,ex epiſtola quam ad Romanos ſcripſit,proferri; ipſorum quippe opinione cùm de Chriſto loqueretur, ardentiſſimo exclamauit affectu: *Amor meus crucifixus eſt*, id eſt, Dilectus meus IESVS: Qui licet ſenſus piiſſimus, & dulciſſimus, Auctorémque Prologi quatuor homiliarum in Cantica ſub Origenis inſcriptione Patronum ſortiatur; aliam tamen eſſe constructionem antecedentium conſiderato nexu cum ſequentibus noſter probè aduertit Halloix Notis ad caput decimum vitæ eiuſdem Sancti; qui & intruſam eam ſententiam quanquam religio

*Verſio LXX. Seniorum.* — LXX. — Nyſſen. — Virgil. — Sanchez. Pſal.131.3. — Ribera. *In Scripturis ſæpe Abſtractum pro Cõcreto ponitur.* — Ignat. Mart. — Halloix.

religioſiſſimam in cap.2. operis de diuinis nominibus Areopagitæ doctis probat rationibus q.2, in vitam Dionyſij, §.*ad quartum* igitur &c.ſed vtcumque habeat ſe periodus, ſatis ex prolatis intelligitur, cur Sponſam Dilectionis complexus ſit vocabulo Sponſus.

Dionyſ. Areop.

18\. *Quidnam hic per virtutes agri ſecundùm lectionẽ LXX. intelligitur?*

Quænam igitur ſunt *Virtutes agri*, per quas adiurat Sponſus? quis exercitus? quódve militiæ robur? Lectionis diuerſi quidem ſenſus à vulgato ſignificationi vt adhæreamus intelligere poterimus, ipſaſmet intelligi adoleſcentulas, quæ cùm ob venationis ſtudium pharetris accingantur, & Beſtias campis nocituras inſequantur, Ruris fortitudo vocari queant; per hanc itaque virium gloriam, atque vt dexterè omnia contingant, poſtulat; ne graues ſint quieſcenti Sponſæ: alio more Origenes interpretatur hom.3.in Cantica, quem Theodoretus, & alij laudant, vt per agri *potentiam & vires* prati flores cum virgultis amœnis, & quicquid iucundum eſt, percipiamus:& quidem potentiæ vocabulo ex Bibliorum phraſi non ſolùm militare robur,ſed quod ſplendidum & excellens eſt in quaque re, indicatur; ita de Aſſueri in epulando luxu, Eſth.c.1. v.4. *Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ*: & de magna ſuppellectile Booz, cap.2. Ruth. verſ. 1. *Homo potens & magnarum opum*: agrorum igitur potentia flores erunt, à quibus conuenuſtantur: quis autem neſciat, quàm Virginibus grati conſueuerint eſſe flores;docuimus Veſtigat.præcedenti,n.16.& 17. indè libet mutuari ad huius loci memoriam Claudiani verſus lib.3.de laudibus Stiliconis:

Origen. Theodoret.

Eſther 1.4. Ruth 2.1.

*Virginibus grati flores.*

Claudian.

*Non ſic Virginibus flores, non frugibus imbres,*
*Proſpera non feſſis optantur flumina nautis,*
*Vt tuus aſpectus populo.*

In his legendis apud Trinacriam voluptas Proſerpinæ cum ſociabus ex Faſtorum 4. apud Naſonem:

Ouid.

*Illa legit calathos, huic ſunt violaria curæ,*
*Illa papauereas ſubſecat vngue comas.*
*Has hyacinthe tenes; illas amaranthe moraris*
*Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amat.*
*Plurima lecta roſa eſt, ſunt & ſine nomine flores*
*Ipſa crocos tenues, liliáque alba legit.*

Si ergo in hanc normam, potentiam & vires agri concipiamus de florum areolis; Virginibus comminari intelligimus, quaſi hortorum perdendam gratiam,marceſcendóſque vnicè adamatos flores, niſi Sponſæ perturbare otium deſinant.

19\. *Aſtra dicuntur in Script. Militia cæli; quare?*

At veſtigemus,quo pacto vtramque conciliare lectionem valeamus, vt idem vtrobique ſenſus eluceat,etenim frequens eſt ſcripturæ ſacræ, aſtra cum planetis, reliquúmque Olympi ornatum, militiam cœli dicere: Deuteron. cap. 17. verſ. 5. Regum 4. cap.17. verſ. 16. Sophon. cap.1. verſ.5. cuius nominis vſurpata idcirco Metaphora quòd vel figurâ & ſitu armatas repræſentent Legiones; aut ipſo perpetuo concentu diſpoſitum acierum ordinem; nam quòd interdum pro Creatore aduersùs peccatores contenderint, vniuerſitati creaturarum gloria eſt, quæ Numine intimante pugnat contra inſentatos, quoties vel maria exundant, vel gleba ſterileſcit, vel incendia euomuntur. Atquin bella ſua feræ exercent, ſeu cùm Venere inſtigantur, ſiue ob prædam & cubilia decertent: hanc ob cauſam inquit Ælianus lib.6. cap.1. *Aper quidem pugnaturus, ad lapides læues, ac politos, dentes exacuit: Leo, ne quid ignauè faciat, flagellans ſemetipſum, caudam excitat; elephanti autem ad certamen vt incendantur, promuſcide ſeſe verberant: Taurus gregis dux, cùm ab altero duce ſuperatus, ſe in quendam locum ab alijs ſegregat; & ſemetipſum non alieno impulſu, ſed ſua ſponte exercet; cornua quidem in arbores infligit, pedibus puluerem ſpargit, cæteriſque exercitationibus ſe accommodat.* Expreſſit hoc vltimum de Taurorum inimicitiis Maro inſigni deſcriptione Georgicorum 3. vbi generatim de Brutorum inter ſeſe frequenter vulneribus plurima:

Deuter.17. 4.Reg.17. Sophon.1.

Ælian.

*Belluarũ inter ſe pugna.*

Virgil.

*Et tentat ſeſe, atque iraſci in cornua diſcit*
*Arboris obnixus trunco, ventóſque laceſſit*
*Ictibus, & ſparsâ ad pugnam proludit arenâ.*

Quare Iſaïas, cùm mirabilem ex Euangelio futuram pacem ſymbolo exprimere aptiſſimo cuperet, Beſtiarum indicauit fœdere, quaſi depoſitis odiis, bella non vltrà exercerent, ſed in dulcem coïrent amicitiam: *Vitulus*(inquit c.11. v.7.) *& vrſus paſcentur; ſimul requieſcent catuli eorum; & Leo quaſi Bos comedet paleas:* Verùm vt hoc generale ſit feris omnibus; ſingulariter tamen militiæ forma in ceruis eluceſcit: nam de pugna quidem Seneca in Hippolyto, Actu 1.

Iſai.11.7.

Seneca.

*Si coniugio timuêre ſuo*
*Poſcunt timidi prælia cerui*
*Et mugitu dant concepti*
*Signa furoris.*

Quare amiſſis cornibus, locis ſecretis, iiſque tutis ſe abſcondunt, quoad enaſcantur, velut interim ſi laceſſantur, ad pugnandum inidoneis: Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtoria animal. cap. 5. *Quaſi enim ſua amiſerit arma, cauet ne inermis reperiatur:* Ælianus libro 6. de Animal. cap. 5. *In latebras, & condenſa fruticum amiſſis cornibus ſeſe cerui abdunt; hoc diligentiùs ab hoſtibus ſibi cauentes, quòd à cornibus iam inopes; cùm à priſtino robore, tum ab armis ſe nudos exiſtimant:* Plinius lib.8. c.32.*latent amiſſis velut inermes:* Sed caſtrorum ordinem, quo nihil in militia excellentius deſideres; percipe ab Æliano, cùm freta tranant lib.5. cap. vltimo: *Tum fidenti animo ſeſe traycere mare ingreſſi, & ordine natant: & verò in antecedentium tergo ſubſequentes capita reponunt; ac nimirum dux idcircò retrocedit, quia non habet vbi nitatur; & poſt omnes clunibus proximi antegredientis nitens, ex labore quieti ſeſe dat, ſimul & extremum agmen ducit.* Ergo demum capreæ & cerui agrorum fortitudines & robora ſunt, ſeu ſpecie pro genere poſita, vt his ſignificentur cæteræ beſtiæ venantium prædæ;vel quod in huiuſmodi Belli melior reſplendeat imitatio: Quamobrem exhac quidem ſuppoſitione, cum militia ruris feræ, præcipuè indomitæ, quæ in rapinis & hoſtilitate verſantur: dum adiurat per *exercitus & vires* camporum; idem eſt, atque ſi *capreas ceruóſque camporum adiuret:* proindè ſeu Tranſlationis vulgati; ſeu LXX.idemmet prorſus eſt ſcopus.

*Pugnant inter ſe Cerui, qui amiſſis cornibus velut inermes ſe abſcondũt.*

Ariſtot. Ælian. Plin.

Ælian.

20\. *Sunt hi verſus Intercalares.*

Obſeruat noſter Sanctius, cùm hi duo verſus: *Læua eius,* &c. & *Adiuro vos,*&c. ſæpius in hoc repetantur Epithalamio, intercalares eſſe cenſendos; eſt enim magna Poëmatis venuſtas, ſubſumpti carminis repetitio cum nitore; imitati in Pharmaceutria Theocritus & Maro, huius ſtrenuus imitator Sanazarus in Eclogis, Catullus in Thetidos & Pelei hymenæo: nec primus inuentor Salomon, nam ante eum Dauid Pater illius, threno, quo defleuit miſerandum obitum Saulis & Ionathæ; frequenter iteratis verbis illis: *quomodò ceciderunt fortes,*&c. Reg.2. cap.1. v.20. quid autem ſit verſus intercalaris declarat Seruius in illud eclog.8. Virgilianæ:

Theocrit. Virgil. Sanazar. Catull.

2.Reg.1.20. *Verſus Intercalaris quid?* Virgil.

*Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus,* &c.

Dicitur



Seruius.

*Dicitur autem* (inquit) *hic verſus intercalaris, qui frequenter poſt aliquantulos interponitur verſus: ſicut intercalares dies & menſes vocantur, qui interponuntur, vt ratio Lunæ, ſoliſque conueniat: fecit autem hunc verſum ad imitationem Theocriti, qui frequenter dicit in Pharmaceutria:*

Theocrit.

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
*O turbo, maritum meum domum adducito:*

Cæterùm in hoc genere reaſſumpti frequenter verſus accidit, vt neque exigatur à præcedenti metro, neque ſi prorſus tollatur, in ſenſu hiatus, aut vorago appareat: Quod in hoc Epithalamium non quadrat aliquo pacto; Nam quoties denuò inſeritur, ex noua & particulari circumſtantia contingit, ſeriéſque dicendorum exigit: Tum verò & in ea ſignificatione, quæ de Chriſto & Eccleſiâ eſt, quem in Litera, & Hiſtoriæ fibris principem obtinêre ſedem,nos iure arbitramur; diuerſiſſimus eſt omninò intellectus, cùm ſecundò,aut tertiò iteratur.

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum,ne ſuſcitetis,neque euigilare faciatis Dilectam,quoadusque ipſa velit. *Cap.2.verſ.6.& 7.*

*Synagoga diuitiarum ſtudioſa, Eccleſia Catholica paupertatis:Virginitas & Paupertas ſociæ: ex naſcentis Eccleſiæ primis fidelibus plerique ſe tribus Religioſorum votis obſtrinxerunt: loci declarati ex ſecundo & quarto Actorum capite: diuiſi in Clericos regulares, & Monachos: vita ex prædicatione & contemplatione nobilior & perfectior ſolâ contemplatiuâ: prima aduersùs Chriſtianos perſecutio quæ? qualiſque?*

### Sectio Vnica.

21\. *Per læuam, bona temporalia; per dextrã æterna gaudia ſubintelliguntur.*

Celebris explanatio, quæ *læuâ* Sponſi,bona temporalia, at tranſitoria, quæ fortunæ eſſe conſueuimus dicere, intelligi aſſeuerat; per *dexterã* vitæ ſempiternæ beata gaudia iuxta eundem Salomonem,Prouerb.c.3.v.17. *Longitudo dierũ in dextera eius,& in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria:*citant quàm plurimos Delrius & Giſlerius: Abbas VVolbero ex Patrum doctrina: *læua Chriſti,id eſt,ſiniſtra ſunt bona temporalia;dextera verò bona eius æternalia: ſed læua Chriſti ſub capite eius eſt,quia hæc ipſa temporalia bona ſummi amoris intentione premit,vt hæc quaſi inferiora adſpiciat,& æterna ſemper ſuperiora attendat.*Quãdo verò ad Catholicę Eccleſiæ initia ſecundùm noſtræ Cõmentationis ſeriem iſta referenda ſint,hîc etiam & ſe præclarè exoriẽtis primitiui Chriſtianorũ cœtus idea oſtẽdit,nouúmque illud,quod facere ſuper terrã cum iuniori populo Deus ſtatuit: ſiquidem Patres & Theologi, (in quibus ſingulariter excellunt, & planè edocẽt Auguſtin.& S.Thomas,quos aliis cũ multis exhibuimus Anteloq.7.ſect.12.n.119.)ſtatuũt,in veteri fœdere nõ fuiſſe promiſſiones vitę æternæ, ſed bonorũ temporalium in pinguedine terrę melle,& lacte fluẽtis,& generatione filiorũ, quod ſcilicet pollicitationes ſpiritaliũ diuitiarũ adoleſcẽtiori reſeruarẽtur Eccleſiæ:& quanquàm de vita æterna ſpẽ haberẽt,qui ſub lege continebãtur,exinde & promiſſionẽ eiuſdẽ accepiſſe vitæ dicere operæ ſit pretiũ,ſpes enim tẽdit in pollicita;quippè iuſtificabantur etiã tunc,& peccatorum remiſſionem conſequebantur: *Accedentem verò ad Deum,*(vt ait Apoſtolus ad Hebr.c.11.v.7.) *credere oportet,quia eſt,& inquirentibus ſe remunerator ſit.* Verùm,vt eodem ſubindicat loco Paulus,ex Patrum, qui ánte legẽ extiterunt,quibus eæ reuelatæ ſunt promiſſiones,traditione ad Iudæos, qui ſub lege fuerunt,manauit, & Prophetæ quod ab antiquis notũ erat,Deo inſpirante,ſuis quandoque immiſcuêre Vaticinationibus, ſic vt ab illius multitudinis peritioribus,capi poſſit: quare à lege propriè, & in rigore loquutionis, excluſerunt poſt Scholaſticos priſcos illos Suarius de legibus lib.9. c.6.n.21. Salas item de legibus tract. 14. diſp.21. ſect.7.n.33. Barradas lib.1.Concord.c.6. Becanus Analogiæ c.3.q.3. Taceo ob eundem finẽ,conceſſas eis vſuras reſpectu gentium alienigenarum, Deuter.c.23.v.19. etiam cum excuſatione peccati vt nobiles cenſent Theologi;itaque Synagoga in tẽporalibus,Eccleſia Catholica in ſpiritualibus, & propterea ſiniſtra ſub capite eius, imò quidem ſub veſtigiis Apoſtolorum:Nonne enim commonefacit Lucas,Act.c.4.v.34. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant,vendentes afferebant pretia eorum,quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum?*Quamobrem hanc perituræ ſubſtantiæ abdicationem ob Euangelicæ amorem paupertatis inter notas veræ Eccleſiæ recenſet Bozius libro vndecimo,ſigno quinquageſimo.

Prouerb 3.17. Delrius. Giſlerius. Volbero.

Auguſtin. S.Thom.

*Bona Temporalia Synagoga, ſpiritalia Eccleſiæ promiſſa.*

Hebr.11.7.

Suarez. Salas. Barradas. Becanus.

Deuter.23.

Act 4.34. *Bonorum abdicatio Euãgelica de veræ Eccleſiæ Notis.* Bozius.

22\. Quorſum autem poſſeſſiones & ſubſtantias repudiarunt? Scilicet quam ſummę perfectionis arduam tenuêre viam ex Chriſti Præceptoris hortamento Apoſtoli ſpretis quibuſq; opibus, cęlibatûque amplexato cũ obedientię pariter voto duci





ſpiritalis

ſpiritalis inſtitutionis, eiuſdem concepêre deſiderium ad vocem prædicationis diſcipulorum IESV qui derelictis Synagogæ ritibus ad Euangelium tranſierunt: rectè admodum Hieronymus

*Caſtitas & Paupertas Sociæ.*
Hieronym.

epiſt. 150. ad Hedibiam, quæſt. 1. *Vis eſſe perfectus, & in primo ſtare faſtigio dignitatis? fac quod fecerunt Apoſtoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Saluatorem, vt nudam, ſolámque crucem, nuda ſequaris & ſola.* Equidem amore diuitiarum ſuperato difficile non eſt arbitrari Matrimoniis etiam carêre voluiſſe, nam vt vxores habêre placitum eſſet, ſollicitos eſſe oporteret de modis, quibus familia alenda fuiſſet:

1. Corinth. 7. 33.
Anſelm.

*Qui cum vxore eſt* (ait Apoſtolus Corinth. 1. cap. 7. verſ. 33.) *ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* Anſelmus ibi: *ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi*, &c. *id eſt, ſtudet multiplicare diuitias, variámque ſupellectilem, vt habeat vnde paſcat vxorem, & filios.*

Lyra.

Nicolaus de Lyra: *quia imminet eis anxietas mentis, & labor corporis circa prouiſionem ſuæ domus, & prolis:* Quamobrem Auguſtinus cùm antequàm ad Dominum conuerteretur, philoſophicum quoddam viuendi genus cum ſodalibus meditatus eſſet, ſubdit de Romano, cui demandata eſt præcipua

Auguſtin.

cura, lib. 6. Confeſſ. cap. 14. *Sed poſteaquam cœpit cogitare vtrùm hoc mulierculæ ſinerent, quas & alij noſtrũ iam habebant, & nos habêre volebamus: totum illud placitum, quod benè firmabamus; diſſiluit in manibus, atque confractum eſt.* Præclarè Iſidorus Peluſiota lib.

Iſidor. Peluſiot.

3. epiſt. 351. *Neque enim coniugium malum eſt; abſit at mala ea, & incõmoda, quæ matrimonium ſecum trabit, ad retundendam, & hebetandam matrimonij voluptatem, ſatis magnam vim habent: quotus enim quiſque eſt, qui vt alimenta filijs ſubminiſtret, non omnia quæ parũ conueniant, faciat, atque ſe in pericula, & in pelagus, ac belluis in prædam conijciat? atque etiamſi nihil horum ſecum traheret, ne ſic quidem tamen dignum eſſet, quod cum Virginitate conferretur.* Poſtquam igitur & paupertatem dilexerunt & caſtitatis ſtudioſi facti ſunt per votorum nexus, Apoſtolis quoque ſub iiſdem nexibus ſubiectionem præſtare æquum viſum eſt, atque hoc illud Actor.

Act. 2. 24.

cap. 2. verſ. 42. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum.* Sublatâ autem opum acquirendarum inexplebili fame, quod diſcordiarum eſſe ſeminarium conſueuit; arctiſſimas inière amicitias, vnôque habitare ſub tecto à plurimis cœptum eſt:

Act. 4. 32.

*Nam multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*, Actor. cap. 4. verſ. 32. inde Cœnobiorum vox iam tum ab antiquiſſimis illis exordiis, vt à multis notatum eſt, nam apud Græcos com-

*Canonici vnde dicti?*

munitatem denotat: & quod eius temporis clerici regulares tribus obſtricti votis, atque ſocialem intra ſepta Collegiorum, vitam ducerent κοινωνικοὶ dicti ſunt, non ſolùm à regula ducto Canonicorum nomine, ſed quoque à communis victus

Turrian.

ſodalitio vt noſter aduertit Turrianus lib. 5. pro Epiſtolis Pontificijs, cap. 2.

23.
*In primitiua Eccleſia multi ſe tribus Religioſorum votis obſtringebant.*
Auguſtin.

Verùm, quibus innixi ſuffragiis iſta dicere tentamus? adſtipulatur nobis multoties Auguſtinus, nempè epiſt. 109. ad Monachos, ſerm. 49. de diuerſis, cap. 1. & 4. ſed imprimis enarratione in Pſalmum 132. in illud: *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum* &c. *Iſte dulcis ſonus*, (ait) *iſta ſuauis melodia, tam in Cantico, quàm in intellectu etiam, monaſteria peperit: ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt, qui omnia quæ habuerunt, vendiderunt, rerúmque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt*, &c. Clemens Romanus Apoſtolis ſynchronos, & fidus ſectator,

Clemens. Romanus.

epiſt. 5. ad Ieroſolymitanos: *Communis vita fratres* (inquit) *omnibus neceſſaria eſt, & maximè his, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorúmque diſcipulorum imitari volunt: communis enim vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo omnibus eſſe hominibus debuit: ſed per iniquitatem alius hoc ſuum eſſe dixit, alius aliud, & ſic inter mortales facta eſt diuiſio: iſtius conſuetudinis more retento, etiam Apoſtoli, eorúmque diſcipuli, vnà nobiſcum, & vobiſcum communem vitam duxêre; vnde (vt benè noſtis) erat multitudo eorum cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, aut noſtrum, de his quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed omnia illis & nobis erant communia.* Hunc autem ſermonẽ Clementis de Religioſa intelligendum Societate optimè comprobat noſter Franc. Turrianus loco nuper indicato ad calcem numeri præcedentis; quod & Ananiæ allatum ſupplicium, de quo continuò ſubiungit, confirmat; quem propter votum Paupertatis effractum, luiſſe mortis pœnam, Patrum & Theologorum receptum eſt iudicium; neque Clementis illegitimus eſſe partus idcircò cenſenda eſt epiſtola, quòd & vxores promiſcuas futuras innuere videatur: mendum enim ab aliquo ex nequiſſimis genuino inſertum

Turrian. Bellarm.

textui ex Vaticani codicis fide, & Turrianus ibidem, & Bellarminus in ſcriptoribus aduertunt: Hunc Clementis locum, cùm aſſerat, Apoſtolorum eâ communium bonorum diſciplinâ, quaſi primæuum naturæ ſtatum redintegratum, cùm æquæ mortalium eſſent diuitiæ, imitatus eſt ante annos quadringentos Potho Presbyter Prumienſis lib. 2. de domo Dei:

Potho. Preſb.

*Hæc eſt* (inquit) *domus initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolis Sancti ſpiritus gratiâ fundata, & perfecti decoris gloriâ illuſtrata: beatus ille populus tunc in fide adunatus, Sancti ſpiritus vnctione doctus, hanc conſonam deprompſit cæleſtis muſicæ modulationem, quam in Actibus Apoſtolorum audiuimus: multitudinis erat cor vnum, & anima vna: in hac domo primæ conditionis dignitas renouatur; imò ſupra primæ originis dignitatem humanæ vitæ ſtatus ſublimatur: ſicut enim in prima conditione omnes homines natura æquales condidit; ſic omnibus omnia, quæ ad vſum, & obſequium hominis condita ſunt, æqualiter diuiſit*, &c.

Vrbanus I.

Clementi iungendus Vrbanus huius nominis inter Romanos Pontifices primus, cuius ex epiſt. ad vniuerſos fideles extat fragmentum in c. *ſcimus*, 12. q. 1. *Scimus vos non ignorare* (ait) *quia hactenus vita communis inter omnes Chriſtianos viguit, & adhuc gratiâ Dei viget inter eos, qui in ſortem Domini ſunt electi, id eſt clericos, ſicut in Actibus legitur Apoſtolorum: multitudinis credentium cor vnum*, &c. ſtatímque cum his de voto agit, quibus proprium nihil ſe habituros ſpoponderunt quare Philonis Hebræi de Eſſenis laudes, quas de Monachis & cœnobitis omnino concipiendas eſſe Euſebius

Euſeb. Cæſar.

Cæſarienſis teſtatur, ad hunc planè cœtum, cuius meminêre, quæ de Apoſtolorum actis ſumpſimus verba, alludere idem putauit lib. 2. Hiſtoriæ, c. 16. ad quæ etiam ſanctus reſpexit Benedi-

S. Benedict.

ctus Regulæ c. 33. cùm aſſerit: *Nec quicquam liceat habêre, quod Abbas non dederit, aut permiſerit: omniáque ſint omnibus communia, vt ſcriptũ eſt: ne quiſquam ſuum aliquid eſſe dicat vel præſumat*, &c. Verùm de

Hieronym.

ipſomet Philone tractâs in ſcript. Hieronym. *Talis* (inquit) *prima credentium fuit Eccleſia, quales nunc Monachi eſſe nituntur & cupiunt, vt nihil vſquam proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper; patrimonia egentibus diuiduntur, orationi vacetur & Pſalmis, doctrinæque*



*doctrinæque, & continentiæ: quales & Lucas refert primùm Ieroſolymis fuiſſe credentes.*

24.
Caſſian.
*Cœnobitica Diſciplina ab Apoſtolorum Prædicatione.*

Producamus Ioannem Caſſianum de his liberè diſſertantem Collatione 18. cap. 5. *Itaque cœnobiorum diſciplina* (ait) *à tẽpore prædicationis Apoſtolicæ ſumpſit exordium: nam talis extitit Ieroſolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actis Apoſtolorum ita deſcribitur: multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna: talis, inquam, tunc erat omnis Eccleſia, quales nunc perpaucos in cœnobijs inuenire difficile eſt.* Plangit ſuo obſcuratum æuo in quibuſdam Monachorum nitelam antiquæ diſciplinæ Bernardus Apologiâ ad Guillielmum Abba-

Bernard.

tem, inquiens: *Cur adhuc viuo, vidêre ad id deueniſſe ordinem noſtrum, ordinem ſcilicet, qui primus fuit in Eccleſia, imò à quo cœpit Eccleſia, quo nullus in terra ſimilior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, qui in cælis eſt, Hieruſalem mater noſtra, ſiue ob decorem caſtitatis, ſiue propter charitatis ardorem, cuius Apoſtoli inſtitutores, cuius hi, quos Paulus tam ſæpè ſanctos appellat, inchoatores extiterunt? Et quidem inter illos cùm nihil, quod ſuum eſſet, quiſquam retinuiſſet, diuidebatur* (*vt ſcriptum eſt*) *ſingulis eorum prout cuique opus erat: non igitur, quod quiſque pueriliter gestire poterat: quod, inquit, opus erat; hoc eſt, quantùm ad indumenta, quod & nuditatem tegeret, & frigus repelleret: Putáſne ibi cuiquam galabrunum, aut iſembrunum quærebatur ad induendum? cuiquam ducentorum ſolidorum mula parabatur ad equitandum? putáſne, inquam, cuiuſpiam ibi lectuli opertorium Caſtinum, aut diſcolor Barticanus operiebat, vbi ſingulis diuidebatur tantùm prout cuique opus erat*, &c. Inuehitur quoque in ſui æui ſacrorum Hominum nonnullos Petrus Damianus epiſtola ad Canonicos Fa-

Pet. Damian.

nenſes: *Volunt ſiquidem* (inquit) *Canonicorum, hoc eſt, regulare nomen habêre, ſed non regulariter viuere; ambiunt communia Eccleſiæ bona diuidere; aſpernantur autem apud Eccleſiam communiter habêre: enimuerò non eſt hæc primitiuæ Eccleſiæ forma, ſatis exorbitat ab inſtitutionis Apoſtolicæ diſciplina, quibus nimirùm cor vnum erat, & anima vna, & vendebant agros*, &c. Petrus Bleſſenſis ſerm. 4. in Aduentu Domini, &

Pet. Bleſſenſ.

ſerm. 50. ad Monachos: *Regularis cohabitatio fratrum* (inquit) *initium habuit in monte Sion temporibus Apoſtolorum: initiata verò eſt in tribus; in charitate fraternâ, in communi ſubſtantiâ, in communi obedientiâ; de primo dictum eſt; multitudinis credentium erat Cor vnum, & anima vna: de ſecundo; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat; de tertio, omnia ponebant ad pedes Apoſtolorum, tanquàm profitentes eis debitam ſubiectionem.* S. Thom. opuſ. 17.

S. Thom.

contra retrahentes ab ingreſſu Relig. c. 15. *Legitur enim Actor. 4. quod multitudinis credentium cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia; ex quo patet, hanc eſſe Euangelicæ vitæ obſeruantiam, vt ea, quæ ad neceſſitatem vitæ pertinent poſſideantur communiter, poſſeſſionibus omninò à poſſeſſoribus abdicatis:*

Lyra.

Lyra in c. 4. Actor. in illud: multitudinis credẽtium, &c. *Nam Religionum inſtitutio ortum habuit ex hoc loco:*

Valdenſis.

VValdenſis confutans maledicta VVicclefi contra Religioſam profeſſionem tom. 1. lib. 3. art. 1. cap. 6. propè finem: *Cœnobitæ ergo Religioſi noſtri* (inquit) *communiter viuentes, nihil addunt culpabiliter Religioni Chriſti vulgari ex vi ſtatus, quia in his additis planè imitantur Apoſtolos & primos credentes: de quibus etiam tunc, vel multi, vel maior pars Religioſi erant, & adſtricti regulis Religionis perfectæ, & diſtinctæ à Religione Chriſti vulgari:*

Soto. Turrian.

Hos ex iunioribus Soto de iuſtitia & iure libro 10. quæſtione 4. art. 3. annot. 2. Turrianus



lib. 5. pro Epiſtolis Pontificiis, cap. 2. Baronius

Baronius. Bellarmin.

tom. 1. anno Chriſti 34. numero 271. Bellarminus de Monachis lib. 2. cap. 5. §. *Sextò probat*, &c. Ad

Lorinus. Sanchez. A Lapide. Eſtius. G. Pennottus. Iod. Cocc. Valentia.

finem cap. 2. & 4. Actorum, Lorinus, Sanctius à Lapide, & Guillielmus Eſtius Notis in totam Scripturam: fusè Gabriel Pennottus Hiſtoriæ Tripartitæ Canonicorum Regularium c. 4. & 5. Libri ſecundi, Iodocus Coccius Theſauri Catholici tom. 2. lib. 4. initio: Valentia tom. 3. diſput. 10. quæſt. 4. Puncto 1.

25.

Dei igitur Spiritu validè hominum animos commouente ex multitudine grandi, quæ Apoſtolorum prædicatione conuerſa, licet non omnes quidem (cùm plurimi coniugati eſſent, quibus difficile, vxorum ſobolíſve liberari curâ)

Valdenſis. Bellarmin. Eſtius. Sanchez.

vt animaduertunt VValdenſis, Bellarminus, Eſtius, Sanchez; maxima tamen cohors ſæculo valedixit, & regularem amplexata eſt vitam: Quanquàm verò ante hæc tempora Religioſi Euangelici fuerunt trium votorum, ipſi nimirùm Apoſtoli, in quibus fundatus eſt ſtatus ille, ſed extitit ſolùm de tanta varietate Clericorum Regularium ordo ſicut demonſtratum eſt à nobis Veſtigatione 12. numero 24.

*Religioſi in Clericos Regulares, & Monachos olim diuiſi.*

creſcente igitur mirum in modum turmâ, quæ mundum contempſerat, ſegregatis qui prædicationi aptiores videbantur in clerum regularem, & gradibus cuique tributis vſque in Sacerdotij apicem, iuſsôque, vt cum ſui profectus labore proximorum commodis, quæ ad ſpiritalem conducerent vtilitatem, attenderent: ſeqeſtrata eſt alia pars, quæ contemplatiuæ daret operam vitæ, ſibíque proſpiceret Eccleſiaſticis exempta miniſteriis, quæ foras ad aliorum culturam vocant; quamobrem quòd vitam curarum expertem, & ad diuinæ mentis ſimilitudinem vnitatis per contemplationem quantùm huius exilij moleſtiæ patiantur agerent, & ideò maximè ſingularem, Monachi di-

*Monachi vnde dicti?*

cti ſunt, non autem ab Eremitica & ſolitaria conuerſatione, cuius exordium Paulo primo

Hieronym.

Eremitæ docti tribuunt, Hieronymum in Prologo vitæ eiuſdem ſequuti: teſtatur namque Dio-

Areopagita.

nyſius Areopagita vrbibus habitaſſe, cùm de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 6. atque epiſtola ad Demophilum Monachum tradit, confluentibus in templum fidelibus, inter Laïcos ſupremum, atque optimum locum iis conceſſum: Philo autem licet apud Euſebium lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 16. teſtatur, extra vrbium frequentiam

Philo. Euſeb.

progreſſos *in locis ſolitarijs, & Hortis à populi conſpectu remotis, domicilia collocaſſe*, tamen ſocialiter & cœnobiticè viros, quemadmodum & fœminas habitaſſe prodit: qua de nominis

Ioſeph. Scaliger.

ſignificatione iam pridem Ioſephum Scaligerum ſuperbè effutientem tribus Eccleſiæ primis ſæculis latuiſſe Monaſticam profeſſionem, admo-

Lanſelius. Halloix.

nuerunt ex noſtris Lanſelius diſputatione Apologetica pro Sancti Dionyſij operibus; Halloix quæſt. 2. in eiuſdem Sancti vitam; docuit etiam

Bellarm.

Bellarminus de Monachis cap. 1. & ab his duobus petenda, quæ ad veſtem & mores ſpectant: Nos, vt ad inſtituti principalem reuertamus ſcopum, qui de temporalium bonorum abdicatione eſt cum voto; cum ex noſtro perpendimus

Lorinus.

Lorino, voluiſſe in Iudæa Numen altiſſima iactari Euangelicæ perfectionis ſemina ex ſingulari prouidentiæ conſilio, vt ſanguinis à Chriſto IESV effuſi; quanta eſſet potentia, innoteſceret; quandoquidem genti illi prolis & diuitiarum auidiſſimæ, nihil proponi difficilius poſſit,

FFf 3 quàm

quàm vt à matrimoniis abſtinerent, omnîque omnino Venere, & opes deſpicerent: hoc inſigni diuinæ virtutis robore excitati mirum in modum Apoſtoli ſunt, vt ſpem egregiam conciperent deſtruendæ Gentilitatis: neque enim mage arduum iſtud apparebat, quàm ab Hebræo adamari populo cum Virginitate paupertatem: Hæc eſt igitur loci iſtiuſmet, quo Sponſa gloriatur, ſiniſtram, per quam fortunæ denotantur bona, infra ſe poſitam dexterâ eminente, comparatio ad verba Actorum c.2.& 4. quibus ſe poſſeſſionibus liberâ exuiſſe voluntate primos Chriſtianos narratur; fuit verò altiſſima paupertas, cùm licet bona haberentur in communi, non ſolùm tamen priuati dominij ratio excluderetur, ſed in generali ſubſtantia nihil de immobilibus eſſet, ſicut Diuus Thomas obſeruat Opuſculo 17. contra retrahentes ab ingreſſu Relig. cap. 15. & collaudat ſingulariter 2.2. quæſt. 188. art.7. arbitratur autem Pater Suarius, ne in communi quidem ad ipſum Apoſtolorum cœtum ſpectaſſe rerum poſſeſſionem, ſed quod dominij erat generalis comprehendiſſe vniuerſam nouam exorientem Eccleſiam aſſignatis diſtributoribus, qui pro neceſſitate ſubuenirent indigentibus, legendus tom.2. in 3. partem diſp.28. ſect.2. §. dices, hoc eſt,&c. & tom.4. de Relig. lib.4. de inſtituto Societatis IESV, cap.10.num.6.

S.Thom.

Suarez.

26\. *Alia de vita ex Actione & Contẽplatione mixtâ Expoſitio.*

Alteram à præcedenti ſignificatione longè diuerſam, horum ſuggerit Verborum interpretationem Commentarius nupertimè vulgatus cum Angelici Doctoris nomine, quem in foſſæ Nouæ Ciſtercienſium monaſterio dictarit ſupremum admirabilis ingenij fœtum; ego maiora aureum illud prompſiſſe cerebrum crediderim, quæ etiamnum ſupprimantur, niſi fortaſsè tempus omnino conſumpſerit ex neglectu; ille igitur Scriptor, qui & ipſe laudem bonam meretur, lectione 1. ait: *Ergo læua eius, ſiniſtra Chriſti, quæ denotat vitam Actiuam, erit ſub capite meo, id eſt, ſecundariò intenta; & dextera illius, id eſt, vita Contemplatiua, per quam intendo mihi, amplexabitur me, id eſt, erit ſuper caput meum, quia erit, ad quod primò intendam; quia primò intendam mihi, & poſtea vobis.* Atquin obiicias, ſi hac ſententia exhortatio eſt ad vitam mixtam, éque practica, & theoretica conflatam; quamobrem ſtatim Sponſus adiurat, ne Contemplationi vacantem ſpiritum actione quouis modo interturbare tẽtent filiæ Ieruſalem, ſed quieſcere permittant delicioſè cum Sponſo morantem in ſacris orationibus, quoad ipſa velit; quo pacto declarat allegatus Commentarius, cum Petro de Alliaco; & iam olim expoſuerunt Caſſiodorus, Beda, Sanctus Bernardus ſerm. 52. Reſpondeo, vtriuſque mandati aptam eſſe concordiam: quippè oſtendimus in duas maximè claſſes diſtributos primitiuæ Eccleſiæ Religioſos, nimirum in Clericos regulares, & in Monachos: Clerici quipem, cùm Sacramenta Orthodoxis adminiſtrarent, prædicationibus, Catecheſi inſtruerent, ſimúlque meditationibus tempora conuenientia darent, praxim vtique ſpeculationibus diuinis iungebant: Monachi autem proximorum iuuandorum ſarcinâ exonerati, integrâ fruebantur Contemplationis voluptate; primi itaque læuâ dexterâque repræſentantur: ſecundi illi ſunt, quibus obſtrepere filiæ Ieruſalem vetantur.

Comment. S.Thom.

Alliaco. Caſſiodor. Beda. Bernard.

27\. Sed quænam ex his ambabus mirabilior, & perfectior vita? vtraque ſanè pulcherrima, vtraque cœlo delapſa; præferenda nihilominus, quæ mixta eſt, & Contemplationi prædicationẽ, aliáque ſacra annectit exercitamenta in proximorum commodum; Nam illud quidem operationis genus nobilius eſt, quod Dei ipſius inclinationem propiùs imitatur: At qui non tantùm ſibi vtiles ſunt, ſed alienis etiam proficui, quales illi ſanè qui mixtæ rationis cenſentur, Dei bonitatem præſtantiùs referunt; hinc Dionyſius de cæleſti Hierarchia, cap.3. ait, oportêre, *Qui de Hierarchia ſunt, præſertim primores, Deum pro virili imitari, ad maximam cum eo coniunctionem aſpirare, eius diuiniſſimum decorem fixè, & indeclinabiliter intueri, & quantum poſſibile eſt exprimere; neque hoc ſolùm, ſed alijs quoque prodeſſe, & eos efficere diuina ſimulachra, & ſpecula pellucida & immaculata:* primorum autem vocabulo Sanctos Pontifices innuit, quibus congruit alios docêre, & perficere, quorum proinde vita mixta eſt, partim in actionibus partim in Contemplatione, vt de Sancto Baſilio memorat Nazianzenus orat.20. Tum ita diſputemus. Epiſcoporum gradus ſupremus eſt, nam in ſtatu perfectionis ſunt, vt loquitur ſchola, cùm ad eam Religioſi tendant, & adeptionem nitantur, vt Sanctus commonſtrat Thomas Opuſculo 18. de perfect. vitæ ſpirit. c.16. igitur, quò ad hunc qui perfectiſſimus eſt Status magis alius quiſquam appropinquauerit, eò perfectior nominandus fuerit; ſed perſpicuum eſt Religioſos mixtæ vitæ propiùs accedere, cùm penè in iiſdem verſentur, quantùm ad populorum doctrinam: Poſtremò, ſi quam ob cauſam mixtorum vita inferior eſſet conditione purè contemplantium, propterea omnino, quod actionis tumultu quodam à diuina, quæ per ſpeculum & ænigma eſt in hoc exilio cognitione animus retrahatur, amoríſque idcirco ardor intepeſcat: ſed actio potiùs flammã charitatis in Deum excitat, arctiúſque Numini copulat: percipiamus à Sancto Thoma loco recentiſſimè allegato c.18. *Perfectio enim dilectionis proximi, vt ſuprà dictum eſt, ex perfectione diuinæ dilectionis deriuatur; quæ quidem tantum in cordibus aliquorum præualet, vt non ſolùm Deo frui velint, & ei ſeruire, ſed etiam proximis propter Deum; manifeſtum eſt autem, quod maioris dilectionis ſignum eſt, vt Homo propter amicùm etiam alij ſeruiat, quàm ſi ſoli amico ſeruire velit:* Quemadmodum verò ab actionis, ſi quis videatur eſſe ſtrepitus, ſeu interna cogitationum ſanctarum dulcedo, vulnere non afficiatur; ſeu dilectionis non patiatur incendium; excepto, quod pro huius vitæ ſtadio Contemplationis vigor haud interruptus eſſe poſſit, & in ſubſidium humanæ infirmitatis veteres olim ſolitudinum habitatores, manuum laborem adhibuerint, vt geſta eorum paſſim referunt, & Sanctus oſtendit Thomas Opuſc. 19. contra impugnantes ingreſſum Relig. cap.5. hac verò actionis normâ ſublimior ea ſit, quæ in docendo & prædicando verſatur, ipsîque diuinorum magis cognata Theoriæ; memoratus tamen Angelicus Doctor commonefacit, poſt data iam iam verba, inquiens: *Sed etſi detrimentum aliquod in dulcedine Contemplationis patiuntur propter exteriorem occupationem, quâ proximis ſeruiunt; hoc ipſum perfectionem diuinæ dilectionis atteſtatur: magis enim aliquem amare conuincitur, qui propter eius amorem iucunditate præſentiæ eius ad tempus carêre deſiderat in eius ſeruitijs occupatus, quàm ſi eius præſentia ſemper frui vellet; vnde Apoſtolus ad Romanos octauo, poſtquam dixerat: neque mors, neque vita ſeparabit me à charitate Dei; poſtmodum ſubiungit: optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis; quod exponens Chryſoſtomus dicit in libro de compunctione*

*Vita ex Contemplatione & Actione ſeu prædicatione mixta, perfectior eſt ſolâ Contemplatiuâ.*

Dionyſ. Areop.

Nazianzen.

S.Thom.

S.Thom.

*cordis*



*cordis: ita enim, tantùm eius mentem deuinxit amor Chriſti, vt etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat eſſe cum Chriſto; rursùs idipſum, quia ita placeret Chriſto, contemneret.*

28\. *Eadem doctrina ſtabilitur.*

S.Thom.

Neque ſemel placitum atteſtatus eſt Beatus Doctor: Nam & in 3. diſt.35. quæſt.1. art.4. in reſponſione ad ſecundum dubium, inquit: *Quantùm ad intenſionem meriti; videtur vita contemplatiua maioris meriti illa parte actiuæ, quæ circa ſui moderationem ſtudet; minoris autem quantùm ad illam partem, quæ profectui aliorum inuigilat; quia hoc ipſum videtur eſſe fortioris charitatis ſecundum genus, quòd prætermiſsâ conſolatione, quâ in Dei contemplatione reficitur, gloriam Dei in aliorum conuerſione quærat: quia etiam in humana amicitia verus amicus quærit magis bonum amici, quàm de eius præſentia delectari:* Quamobrem & in tertia ſummæ parte quæſt.40. art.1. ad 3. *Sed vita actiua, ſecundum quam aliquis prædicando & docendo contemplata alijs tradit, eſt perfectior, quàm vita, quæ ſolùm contemplatur, quia talis vita præſupponit abundantiam Contemplationis; & ideò Chriſtus talem vitam elegit;* denique ob hoc 2.2. quæſtione 188. art.6. aſſerebat idem: *Summum gradum in Religionibus tenent qui ordinantur ad docendum, & prædicandum:* Neque mirum eſt toties in hac edocenda perſtitiſſe ſententia; qui Chryſoſtomum legebat diſſertantem ſuper illis verbis ex Ioan. cap.21. *Paſce oues meas:* libro itaque ſecundo de Sacerdotio, poſtquam interrogaſſe IESVM, ait: *Petre amas me pluſquàm hi omnes?* Subnectit: *Atqui illi licebat verbis huiuſmodi Petrum affari: Si me amas Petre, ieiunia exerce, ſuper nudam humum dormi, vigila continenter, iniuriâ preſſis patrocinare, Orphanis patrem te exhibe, viduæ etiam te maritorum loco habeant; nunc verò prætermiſſis omnibus his quidnam illi ait? Paſce oues meas: Nam quæ modò à me dicta ſunt, ea complures præſtare facilè poſſint, non viri ſolùm, ſed etiam fœminæ: at cùm de credendâ huic, aut illi tam magnâ animarum curâ agitur; Vniuerſa quidem muliebris natura functionis iſtius moli, ac magnitudini cedat oportet; itémque & bona virorum pars: prodeant autem in medium, qui longè omnibus præſtant, quique animi virtute tantùm reliquos excellunt; quantùm corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem vniuerſam excelluit:* A Sancti Thomæ opinionibus in hac diſputatione Durandus minimè receſſit: nam in 3. diſtinctione 35. quæſt.2. num 8. ait: *Si autem loquamur de vita actiua, quæ non conſiſtit ſolùm in moderando proprias paſſiones, & regulando actiones proprias, ſed conſiſtit in hoc, quod Homo bonus in ſeipſo exiſtens ſecundùm vtramque vitam iam dictam nitatur bonitatem in alios diffundere; ſic dicendum eſt, quod talis Vita Actiua eſt nobilior, & perfectior quacumque Contemplatiua huius vitæ.* Subſcripſit & Beatus Antoninus de Florentia 4. parte ſummæ, titulo 10. cap.4. §.3. *Tertium genus vitæ, ſcilicet mixtum, vt perfectiorem eligere videtur Pſalm.62. dum ait: labia mea laudabunt te,* &c. *laudatur Deus labijs oris admonendo & prædicando, quod eſt præcipuum in vita actiua: Laudatur Deus labijs oris, ore, & corde in oratione, cogitatione, & affectibus deuotis, quod ſpectat ad contemplatiuam: Hanc vitam mixtam & perfectiſſimam Chriſtus tenuit, & in ſe oſtendit: Hanc mixtam tenuerunt Apoſtoli, & perfectiſſimi Sancti prædicando, orando,* &c. De hoc argumento copioſè ex iunioribus Suarez tom. 4. de Religione tract.9. lib.1. c.6. à num.8. & tract. 10. libro item 1. cap.7. n.3. Iacobus Aluarez de Paz tom.1. de vita ſpirit. lib.2. p.5. c.42. & 43. Abſoluat materiam Bernardi encomium ad fratres de monte Dei ſolitarios iuxta principium: *Abſit enim fratres à conſcientiæ veſtræ æſtimatione, à paupertate, & humilitate veſtra, ab ore veſtro omnis altitudo, quia altum ſapere mors eſt: Longè ſupra vos virtutem eorum ſuſpicientes & admirantes gloriam, qui ambidextri fortiſſimi (ſicut Ahod ille iudex fortiſſimus Iſraël, qui vtraque manu vtebatur pro dextera) & quamdiu licet, deuotiſſimè intùs vacare amant charitati contemplandæ veritatis; & cùm neceſſitas vocat, vel officium trahit, promptiſſimè ſe foràs mittunt pro veritate adimplendæ charitatis.* Salubre planè conſilium melliti Abbatis; ſolet námque Eremitis, ſi quando incautis, Spiritus ſubrepere occultæ philautiæ quaſi ipſi tantùm Spiritales ſint, vt qui iugiter mentalibus verſantur, ídque eò magis ſi auſteram in victu normam ſpeculationibus adiungant rerum ſupernarum; iterum huiuſmodi alloquitur inquiens: *Nolo ergo, vt nuſquàm arbitrêris lucêre ſolem communem dici niſi in cella tua, nuſquàm eſſe ſerenum niſi penes te, nuſquàm operari gratiam Dei niſi in conſcientia tua: an ſolitariorum Deus tantùm? imò & omnium,*

Idem.

Idem.

Ioan.21.

Chryſoſt.

Durand.

Antonin.

Suarez.

Aluar. de Paz.

Bernard.

Idem.

Alia, quæ magis Hiſtorica credo videbitur, Explanatio nos inuitat Adiurationis filiarum Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum, ne excitarent Dilectam, de Perſecutione Iudæorum contra nouam primitiuam Eccleſiam: Si quidem ad fidem noſtram Hebræorum inſigni traductâ multitudine, florebat eximia cum gloria Orthodoxorum infantilis ætas, nam præter vulgus, etiam de Sacerdotali numero incunabula condecorarunt; *Et Verbum Domini creſcebat* (ait Lucas Actor. cap.6. verſ.7.) *& multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valdè; multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei:* Sanè vltra quindecim mille Chriſtianorum numerat affuiſſe capita ſubitò penè ad Petri & aliorum commilitonum voces, edocet Flauius Dexter ad Seruatoris annum 35. numero 1. quæ poſtea fugata in exilium; id quomodo conſentaneum appareat, demonſtrat Biuarius, & prius à Baronio dilucidatum eſt tom.1. anno 35. numero 3. & 5. Huius tantæ cohortis maxima & venuſtiſſima portio Religioſis ſubſcripſerat votis, atque vel in priuatis domibus, vel in Collegiis ſociali viuebant fraternitate in omni morum ſanctiſſima diſciplina, cùm exorta eſt ſæuiſſima tempeſtas, quæ Stephanum deuorauit lapidibus in necem conuulneratum: tum exceptis Apoſtolis reliquus diſperſus eſt cœtus in varios tractus Prouinciarum; ceci diſſe cum Stephano Chriſtianorum millia duo Auctor eſt Dorotheus in Synopſi: equidem non paucos fuiſſe ex cap.26. Actor. verſ.10. Paulo aſſerente: *Et multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, & cùm occiderentur, detuli ſententiam,* obſeruant Sanchez & Cornelius ad verſum primum cap.8. Actorum, Thomas Maſſutius vitæ Sancti Pauli lib. 1. cap.12. qui pariter eius ſententiæ propugnator, quæ excreuiſſe ad quindecim millia Chriſtianorum plebem aſſerit: Verùm & ſunt, qui memorant, tunc patriis abire finibus compulſatos Mariam Magdalenam, Lazarum, & Martham cum aliis; quo de effato nihil modò à nobis conſtatuendum: cæterùm, hanc tanti fuiſſe nominis perſecutionem à Lorino & Maſſutio conſideratum eſt, vt putarint non immeritò exiſtimatum, à qua duceretur tyrannidis initium, ab Auguſtino lib.18. de Ciuit. cap.25. atque Euſebio lib.2. Hiſtor. cap. 1. neque eſſe à Gentilitatis occiſoribus Chriſtianarum ſumenda exordia perſequutionum. 29.

Act.6.7.

Fl.Dexter.

Viuarius.

Baron.

*Prima Chriſtianiſmi Perſecutio à Iudæis.*

Act.26.10.

Sanchez.

A Lapide.

Th.Maſſut.

Lorin.

Auguſt. Euſeb.

Sponſus igitur nouellæ commiſeratus vineæ, 30.



quæ

*Capreæ & Cerui perſpicaciſſimi viſus, Prophetas ſignant.*

quæ niſi egregiè complantata fuiſſet, & Spiritus ſancti afflatu inſigniter corroborata, turbari potuit vſque ad pœnitentiam ſuſceptæ Religionis, adiurat filias Ieruſalem, hoc eſt, potentiores Ieroſolymitanos, qui ſæuiebant, quanquam peruicaci & infido zelo paternarum traditionum; comminatur verò ne quaſſare pergant per capreas, ceruóſque, id eſt, Prophetarum Vaticinationes: Sicut enim hoc animantium vtrumque genus perſpicaciſſimi eſt viſus, ita & Prophetæ à longè ventura nimirùm intuebantur: quid autem cernebant? Equidem Ciuitatis, totiúſque Nationis miſerandam ruinam, niſi compungerentur: cui enim dubium eſt, ſi profundè doluiſſent ſynceris profuſis lachrymarum fletibus, veniam conſecuturos, vti Niniuitis parcitum eſt? aut certè captâ metaphorâ à Puellarum deliciis, quibus omnis voluptas ſunt dorcades & capreæ; cùm Iudæis ſancta illa Metropolis vniuerſis charior eſſet rebus, per iacturam dulciſſimi comminatur oppidi: materiam verò clariùs demonſtrat LXX. Seniorum verſio, quæ terret *ob robora atque exercitus agri:* Siquidem agro, qui incultus eſt, & quem vindemiant omnes, qui prætergrediuntur viam, Gentilitas ſignificatur, quæ inculta ſquallebat ſub ignorātiæ Cimmeriis tenebris: populus Hebræus quaſi hortus irriguus, nam & Paterfamilias circumdedit vallo, & turrim extruxit in ea, & conſeuit ordine areolas ex lectiſſimis floribus: prædicit itaque fore vt à Paganorū militibus Romanorū ſcilicet aquilabus, hi deſtruantur muri, vt nō relinquatur lapis ſuper lapidem: His quidem ſimilia per Stephani cōminabatur os, cùm diceret: *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus & auribus vos* Act.7.51. *ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, ita & vos: quem Prophetarum non ſunt perſecuti,* &c. Act. c.7. v.51. Sed noluerunt auſcultare, & ideò venit ſuper eos calamitas ingens.

# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus:* Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis Dilectam, quoadusque ipſa velit. *Cap.2. verſ.6. & 7.*

*Quæ ad ſublime Contemplationis lumen euehuntur animæ, prius ariditate, & deſolationibus, Sponſo ſe occultante ab eis, tentantur.*

## SECTIO I.

31. *Abſente Spōſo languore conſternatur Sponſa, quæ tamen floribus fidei, & operum pomis refecta in Sponſi amplexus ruit.*

RELIQVIT Dilectam ad tempus Sponſus charus: Heu, quales eo diſcedente languor & turbatio! non videt iuxta antiquos dies mens acris, non percipit ob caliginem & nebulas, ſed nec percepiſſe aliquando modò recordatur, ita ſibi relicta eſt quæ ſuper ſenes olim intelligebat: at non ſolius cognoſcitiuæ potentiæ labor, gemit & voluntas ſub tædio infinito: nihil eſt quòd conſoletur ſic deſertam: ô ſi fortis permaneat quoaduſque pertranſeat malum iſtud, neque ad Ægyptum remeare cogitet ob iugum graue; proculdubio gloria Domini orietur ſuper eam, & videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur Cor eius: quomodo nunc & Sponſæ contingit, nam abeunte viro eius, languore conſternata; ſed non interim confracta atque eneruis, veteris ſtudij damnauit rationes; floribus & pomis delectata, fide nimirùm & operibus ſe præmuniens; híſque promeruit artibus reducem fieri Sponſum, eiúſque vt confoueretur brachiis, læuâ ſuſtinente verticem, dexterâ tegente corpus: proh, qualis ille ſomnus Sponſi admotæ pectori, quàm ſublimis, quàm diuina contemplatio! Bernardus ſermone 51. in Cantica: Bernard. *Liquet denuò adeſſe Sponſum, credo vt ſuâ præſentiâ languentem erigat: & quia illam compererat donec abſens fuit, fidelem ad opera, & ſollicitam ad lucra, in eo nimirùm, quòd flores ſibi, & fructus præceperat adunari; etiam cum propenſiori hac vice remuneratione gratiæ eſt reuerſus: denique vno brachiorum ſuorum ſuſtentat caput iacentis, alterum ad amplexandum parans, vt ſinu foueat: felix anima, quæ in Chriſti recumbit pectore, & inter Verbi brachia requieſcit! læua eius ſub capite meo,* &c.

Mundi exordium ab imperfecto: *Terra autem erat inanis* (inquit Geneſ. cap.1. verſ.2.) *& vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi:* alij legunt: *& Terra erat incompoſita, ſeu inuiſibilis:* Qua de cauſa nō à principio conornatam produxit, arboribus, plantis, animantibus pulchram? cur etiam non ſplendoribus ſtatim illuſtrauit? Nempè, Telluris illud primum ornamentum ſingulare futurum erat, & comprimis excellens, non enim vt modò contingit, paulatim incrementa ſeu fruges, ſeu plantæ, ſeu arborum dona acceptura erant, ſed vt multis placet, talem habitura infantiam, qualem nunc ſortiuntur per autumnum maturam plenitudinem: ad hanc igitur tantam perfectionem oportebat, vt præcederet ſqualoris cuiuſdam horridus vultus, vtique in Spiritalem quidem ſignificationem: Nam illæ tenebræ, quæ faciem operiebant abyſſi, myſtico indicio, caliginem denotant,

32. Geneſ.1.2. *Prius erant tenebræ ſuper faciem Abyſſi quàm lux: Ita ſæpe in vita ſpiritali, ariditatem ſequuntur Cōſolationes.*



denotant, quam animæ patiuntur iuſtorum ex interuallo ſole iuſtitiæ radios ſubtrahente. O qualis nox & quàm terribile chaos, ſic enim quandoque obfunduntur, vt nihil vnquàm in ſpiritali ſchola didiciſſe velut arbitrentur: ſuccedit etiam, vt gleba quæ fuerat quaſi Paradiſus Dei, cùm Dilectus propè adſtaret, eo recedente ſterilis & infauſta appareat; non quòd non ſint formoſæ tunc animæ (neque enim aliàs ſpecioſiores;) ſed quia alacritas deeſt, per quam currebant in viis mandatorum Domini in odorem vnguentorum ſupernæ conſolationis, & ob hanc amiſſam grauis eſt omnis diſciplina, quæ antea ſuauiſſima apparebat: Quorsùm igitur his perturbari formis Sponſus permittit? vt tentet, num fideles ſint, & ſuſtineant atque expectent in humilitate & patientiâ quaſi ſæuientem contra eos amorem ſuum dulciſſimum: qui ſi nouerint robuſtè perferre deſolationem hanc; veniet & non tardabit in quem cor deſiderat, eámque ad contemplationis gloriam ſublimabit, tantíſque muneribus cumulabit, vt mage ſtupendum nihil ſit: atque huic allegoriæ ſimilis altera eſt, quæ perpendit Moyſem diem auſpicari à nebuloſis, initium enim eſt veſpera: *factúmque eſt veſperè* Geneſ.1.5. *& manè* (ait Geneſ. c.1. v.5.) *dies vnus*; nam figura eſt huius ſanctorum diei, quæ ab obſcuritate incipit, vt deſinat in lucem mirandæ internæ claritatis, de qua typicè lib.5. Concordiæ noui, & Ioach. Abb. veteris Teſtamenti, cap.3. Ioachimus Abbas: *Videamus breuiter* (inquit) *quomodo viri iuſti priùs habuerunt veſperam ſecundum Deum, & poſtea manè, quomodo de tenebris venerunt ad lucem? Abraham eduxit Dominus de terra ſua, & peregrinatus eſt multo tempore in terra aliena, erátque in timore, & tremore; ſimiliter Iſaac: ad vltimum autem benedixit vtriſque Deus, & dedit illis ſubſtantiam multam & proſperitatem & pacem.*

33. Loquitur de contemplatiuo, qui ſpretis mundi illecebris, ſoli Deo vacat Ieremias, Thren. Thren.3.27. cap.3. verſ.27. *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua; ſedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſuprà ſe:* Quænam eſt hæc eleuatio niſi mentis in oratione exceſſus vt Hugo, Rabanus, Lyra exponunt, & ſæpè quidem vſque in raptum vbi videt arcana, quæ non liceat Homini loqui! ô delicias! ô priuilegium! ô horam beatam! Verùm Tu, qui huius dulcedinis affectibus inæſtuas, & felicem meritò hunc arbitraris ſolitarium, perpende ſollicitâ attentione, quonam pacto aſcenderit ad blandimenta & amplexus Sponſi, ſubdit Propheta ſtatim; *dabit percutienti maxillam, ſaturabitur opprobrijs:* Omitto nunc principalem verborum ſenſum de Chriſto Seruatore, qui ad Literam alapam ſuſtinuit, ſequor cum aliis ſecundarium de viro contemplatiuo ſenſum: quænam igitur alapæ hæ? num diſciplina exterior acris Magiſtri ſpiritalis edomantis? Num monaſterij quotidiana onera in ieiunio, in ciliciis, in ſomno, in laboribus aliis? Sed non ſatis iſta, quæ aſſuetudine plurimùm eneruantur; eſt & colaphus ſpiritalis, quem ſibi à Satana impactum conqueritur Apoſtolus, Corinth.2. c.11. 2.Corinth. 11. O certè, cùm Hoſtis libidinum ſtimulis tentat, cùm prauæ excitantur cogitationes, & obtenebratur intellectus, & intepeſcit voluntas, & Homo ſibiipſi grauis eſt, nec quò ſe vertat, ſciat; propter hebetudinem námque moleſta ſunt vniuerſa, & in his omnibus neceſſe eſt ſubmitti, & non conqueri, ſed ponere in puluere os ſuum: per huiuſmodi igitur exercitationes & tolerantiam peruenit ſolitarius ad eum contemplationis gradum, vt extaſim pateretur: dulcis & amabilis fruitio, at non ſine martyrio, quemadmodum hæc ad verba conſiderauit Chromatius Aquileienſis Epiſcopus Concione 1. de octo Beatitudinibus, inquiens: *Quo manifeſtè eum vtique oſtendit* Chromat. Aquil. *virum, qui ſub iugo Euangelicæ legis viuens, ab omni perſequutionis iniuria ſe non auertit: huiuſmodi enim meditatio tolerantiæ ducit ad paſſionem martyrij:* planè martyrium ingens, annon enim dixerat, *& ſaturabitur opprobrijs?* quam in ſententiam Ambroſius Octonario decimo in Pſalm. 118. in principio: *Non dixit, ſubibit opprobrium: facile eſt enim* Ambroſ. *vnam, aut alteram contumeliam ſuſtinere; addidit, ſaturabitur opprobrijs, quò faciliùs Domini moueat miſericordiam opprobriorum complurium deformitate miſerabilis:* Martyrium ergo non recuſet qui donum contemplationis amat.

*Hugo. Rabanus. Lyra. Eleuat ſe ſuper ſe in oratione Solitarius, ſed daturus percutienti maxillam & Saturandus opprobrijs.*

34. Audiamus cùm fugeret in deſertum Sanctus Rex Dauid, quid ſibi contigiſſe pangit: *In terra* Pſalm. 62.3. *deſerta, & inuia, & inaquoſa; ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam,* Pſalm. 62. verſ.3. Vah glebam iniquam! vbi ne ſitientibus riui ſaltem; non alimoniæ, non rectum, ſed ne ſemita quidem: Spiritaliter illi denotantur, qui curis ſemoti, & mundo conculcato arduam profeſſionem aggreſſi, quòd voluptatum tranſeuntium omni ſenſu careant, computantur in regione difficillima verſari à carnalibus; & verè difficilis eſt eremi habitatio: Verùm hac exoneratione ſollicitudinum, & lenociniorum deſpectu conſequantur, vt anima ſui iuris omninò facta, quoad liceat ſub hac vita, in Deum celeriter feratur, & cæleſtia deguſtet per altiſſimas theorias: ſic tractatus cum nomine Ioannis Hieroſolymitani, de inſtitutione Monachorum, c.2. *Per hoc enim, quòd in terra deſerta, inuia, & inaquoſa* Ioann. Ieroſol. *manere elegit, vt ſic in ſancto, id eſt, in corde puro à peccatis appareret Deo; monſtrat primùm electum per eum vitæ ſolitariæ finem, qui eſt offerre Deo cor ſanctum, id eſt, ab omni actuali peccato purum: per hoc autem quod addit; vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam, monſtrat manifeſtè ſecundum finem vitæ prædictæ, qui eſt iam in hac vita aliqualiter experiri, ſeu myſticè videre in corde virtutem diuinæ præſentiæ, & guſtare dulcedinem ſupernæ gloriæ.* In eundem modum Bellarminus in Pſalmi verſiculum: *Anima enim* (dicit) *quo magis deſtituitur car-* Bellarmin. *nalibus bonis, vel certè quo magis affectum remouet à rebus terrenis, & ſe in quodam deſerto mentis conſtituit; eò facilius aſcendit ad cæleſtia contemplanda, & guſtanda:* congrua hæc interpretatio: mihi tamen aliter exponi poſſe videatur, de iis nimirum, qui in via Spiritus proficiunt, & ſedulo conatu ad perfectionis faſtigium anhelant: his ergo ita velociter ambulantibus per ſemitas Domini accidit nonnunquam tantam mentis ariditatem pati, vt quaſi fame tabeſcant & ſiti conſumantur, quòdque omni calamitate miſerabilius eſt, iis circumfundantur tenebris, vt quomodo ſe explicare valeant, ignorent; quamobrem exulantes à vultu Dilecti, qui faciem eis abſcondit, terram pererrant deſertam, & inuiam, & inaquoſam! ô dies illos, non alcyonios aliquo modo, ſed propè inferni pœnis quaſi ſimillimos; nec eſt tamen liberari à tormento hoc, quoad IESVS illuceſcat cordibus illorum; ſed vos athletæ fortiſſimi ſuſtinete modicum adhuc & videbitis eum, & gaudebit Spiritus veſter lætitiâ inenarrabili; equidem qui in his deſolationibus ſtrenuè ſe gerunt expectantes cum longanimitate aduentum magni

*Terra Religionis deſerta quidem & inuia & inaquoſa videtur, ſed ibi videtur virtus & gloria Dei.*

magni Dei, nihílque de fide erga ipſum remittunt; ſolet eos Numen intimæ ad familiaritatis gradus prouehere, & ſublimiſſimæ Contemplationis dulcedine recreare.

35. Fugiebat à conſpectu Domini abiturus in Tharſis Propheta, cùm ecce maria intumuerunt, venti ſtrident mugitu horriſono, verberata fluctibus nauis latera fragore reſonant, it clamor ad æthera eorum, qui puppi vehebantur nauticâ aſſociatus vociferatione; itaque & foras, & intus tumultus vndique: ſub tanto ſtrepitu dormitat ſecurus in vtramque aurem Ionas: *Et Ionas deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui.* cap. 1. verſ. 5. Quænam hæc tam valida requies? quæ tam alta ſenſuum pax, quam maris turbare ſæuitia nequeat, non procellæ ſtentoreum murmur, non vulgi confuſio per vota & fletus deprecantis? Scilicet, hæc omnis tempeſtas Chriſti referebat paſſionem, Ionáſque eorum typus, qui Chriſti ſtigmata in corpore ſuo portant, eiúſque ad exemplum dura plurima ſuſtinent mortificationibus probati egregiis: parum eſt lædi ab externo hoſte, niſi quoque & interna deſolatio ſuperueniat; quod enim clamauit in cruce Saluator: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Matth. cap. 27. verſ. 46. intelligendum eſt de deſertione per carentiam omnis gaudij, & conſolationis, qua acerbus in paſſione mœror leniri poſſit. O planè virum dolorum & infirmitatis, quem foras vulnera & contumeliæ premunt; intus lætitia, & iucunditas deſtituunt! Felix tamen, & nimiùm Beatus, qui in talia audeat, quem neque perſequutio, neque derelictio ab ea ſeparare valeat charitate, quæ eſt in Chriſto IESV, ſed fortiter Domini tormentum ſuſtineat; continget enim ita contra aduerſa induratum intromitti tandem in gaudium Domini, eâque contemplationis donari requie, cui ne tumultus, ne ipſa externa Marthæ ſollicitudo obſiſtat, ſed inter Paſtoralis officij curas, in mediis vrbibus, quaſi in eremi penetralibus, mens ſupra mundum aſſurgat, & in cœleſtibus conuerſetur, Deôque aſſiſtat iugiter: quod verò Chriſti effigiaret necem tunc Ionas, docet Anaſtaſius Sinaïta lib. 3. in Hexameron: *Tuam enim mortem* (Chriſto loquens ait) *effingens Ionas, & reſurrectionem; dormiuit in naui, ſicut tu in ligno Crucis.*

Ioan. 1. 5. *Ionas eorum typus qui Chriſti ſtigmata in corpore ſuo portant, mari ſæuiente & furentibus procellis ſecurius dormit in carina.*

Matth. 27. 46.

Anaſtaſ. Sinaït.

36. De Benjamino Moyſes Deuteron. c. 33. verſ. 12. *Et Benjamin ait, amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo; quaſi in thalamo tota die morabitur & inter humeros illius requieſcet:* quem locum myſticè ſuperiùs Veſtigatione 20. num. 13. ex Richardo Victorino, de ſublimi extaticæ contemplationis dono interpretatus ſum: At quomodo? & nónne hic idem Benjaminus eſt, de quo etiam Moyſes Geneſ. cap. 49. verſ. 27. *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.* Allegoricè autem de Paulo Apoſtolo Doctores Eccleſiaſtici exponunt, qui prædicatorum Coryphæus, atque poſt eum in alios quoque verbi diuini præcones transferri; neque inuenuſtè quidem: Benjamitica namque tribus ob fortitudinem, & in militaribus gloriam, lupus vaſtans & dilanians appellata eſt: prædicatores autem ſunt, qui contra Hæreſim, & omne vitiorum genus pugnant: ſed inquias, quomodo viri Bellatores tantâ frui pace valeant, vt quaſi in thalamo totâ die commorentur? eſto quidem oratione & meditationibus exerceantur, verùm contemplationis eum attingere gradum qui extaticus perhibetur, non illorum eſt, qui inter populos degunt, & ſtrepitum patiuntur, ſed qui interiora deſerti incolunt: atquin & horum quoque de numero Paulus erat, vexilliférque eximius: & tamen raptus eſt vſque in tertium cælum: Verùm, ne admiremini Beniamino tanta conceſſa, & quod in mentis exceſſu in medio iuuencularum tympaniſtriarum in Eccleſiis benedicat Deo: hic eſt enim ille filius doloris ſpecioſæ Rachelis, & quem ideò cùm emoreretur genitrix *Benoni* appellauit, Geneſ. cap. 35. verſ. 18. ô filium doloris Paulum, quem Beniaminus deſignabat, in mortibus frequenter, in plagis ſupra modum, & factum peripſema huius mundi; nec ſatis in pœnam hoc, niſi & anima affligeretur tentationibus acerbiſſimis, datus eſt enim ei Angelus Satanæ, qui colaphizet, & aggrauatus eſt nonnunquam ſic, vt viuere tæderet illum; Quem ergo tam fortiter Numen intus, foráſque probauit; rectè vt eundem ad contemplationis ſummum erexerit faſtigium.

Deuteron. 33. 12.

Gen 49. 27. *Beniamin quamuis lupus rapax, in thalamo tamen tota die morabitur, Prædicatorũ pugnantium figura.*

Geneſ. 35.

37. Petiit à Seruatore Mater filiorum Zebedæi, vt ex duobus filiis ſederet vnus ad dexteram eius, & vnus ad ſiniſtram in regno ipſius; excuſauit concedere, inquiens, *ſedêre ad dexteram meam, vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo*, Matth. cap 20. verſ. 23. Petiit ab eodem Latro: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum:* eiúſque in vota ſtatim benignus, reſpondet: *Hodie mecum eris in paradiſo* Lucæ cap. 23. verſ. 43. & quodnam eſt regnum Chriſti verum, niſi ſempiternum illud fine carens, quod in Dei contemplatione intuitiuæ viſionis ſitum eſt? Si igitur ad perennem claræ viſionis ſpeculationem vtrique aſpirant, quamobrem Chriſtus facilis ad preces latronis, ſegnior ad matris poſtulationem in filiorum cauſa, cùm tamen de cœtu Apoſtolorum ex dilectiſſimis ipſi eſſent? Zebedæa proles nondum aduerſis caſibus tentata, nondum immitia tolerare docta: Latro autem quanquàm nouus in ſchola Seruatoris diſcipulus, ſed è cruce pendebat: vide autem profectus gradum: cùm rogare ſupplex potuiſſet, vt clauis ſolueretur, & vitam ſimul cum libertate recuperaret; noluit omninò crucem deſerere: benè exclamat Drogo Hoſtienſis tract. de Sacramento Dominicæ paſſionis: *ô magna fides, ô magna ſpes, ô magna charitas: non vult de cruce deponi, ſed in regno Chriſti reponi:* pulchrè igitur, huic regnum, quod in contemplatione indefectura diuinæ eſſentiæ poſitum eſt, ſine mora & ambagibus collatum eſt; Zebedæi autem filiis licet Redemptoris cognatis, differtur, quoad bibant de calice amaræ potionis, & difficilia ſuſtineant: nam contemplatio laborem ſupponit.

Matth. 20. 23.

Luc. 23. 42. *Latroni in Paſſione Regnum cæleſte ſtatim conceditur: non itẽ filijs Zebedæi, quibus Paſſionis calix prius bibendus eſt.*

Drogo Hoſt.

---

*Vnum faciente Deo beneficium, expectes ab illo alterum; nam primum ſecundi velut pignus eſſe conſueuit.*

## SECTIO II.

38. NOn quemadmodum de ſiniſtra loquitur, ita & de dextera: læuam quippè iam poſſidebat; dexteræ ſpes erat, atque fiducia: perpende autem, vti ſimiliter gauiſa eſt pro vtraque, & Dilecto quem poteſt exhibet honorem pro adipiſcendis æquè & pro acceptis; concinnè Bernardus ſermone 51. in Cantica: *Non ait, amplexatur, ſed amplexabitur me, vt noueris prioris gratiæ adeò non ingratam, vt ſecundam gratiarum actione præuenerit: diſce in referendo gratiam non eſſe tardus, aut ſegnis,*

*Quòd læuâ Sponſi ſuſtentetur Sponſa, ideo certa eſt etiam ſe eius dextrâ honorandam, vnde ait in futuro* Amplexabitur me. Bernard.

diſce



*diſce ad ſingula dona gratias agere: propter hoc Sponſa, mox vt gratiam de læua ſenſit, gratias agit, non expectans plenitudinem, quæ eſt in dextera: neque enim vbi memorata eſt læuam eſſe ſub capite ſuo, etiam ſecuta eſt à dextera ſe ſimiliter amplexatam, ſed amplexabitur me inquit:* Verùm eſto certè, vt omnis ingratitudo peſſima ſit, at non ſolemus gratias agere niſi iis, à quibus dona accepimus, munus ſiquidem gratiarum actio non præcedit, ſed conſectatur; Quamobrem itaque Bernardus in Sponſa laudat, quod gratiarum actione Sponſi anticipauerit benignitatem? Equidem, cùm de beneficio licèt nondum facto quaſi certa tamen fiducia eſt; ars quædam prudentiæ eſt gratum ſe monſtraſſe ante acceptionem; quoniam igitur Sponſa velut certa erat, vt qui læuâ ſuſtentare dignatus fuerat, idem præberet & dexteram, à qua tegeretur; antequàm faciat, gratam ſe illi oſtendit: quænam autem certitudinis Sponſæ argumenta extitêre? nimirum Deus erat, qui benefaciebat: Dei autem mos eſt, vt cùm Beneficium vnum præſtiterit, alterum adiungat, & prius ſit poſterioris tanquàm pignus: probè itaque cum ſiniſtra Sponſam eleuaret, ſubintulit fore vt dextera amplexaretur; & quaſi de ſecundo munere nihil dubitans, cùm Deum Auctorem eſſe noſſet, non minùs pro hoc, quàm pro adepto beneficio gratias pendit.

39. Miſit Rex Syriæ currus & equites, robúrque exercitus, qui obſiderent vrbem, quâ Eliſeus latebat: orante autem Prophetâ, luminibus capti ſunt, & cùm videre non pergerent, quò ducerentur, Samariam inimicam ciuitatem intrare deceptione coacti ſunt: ibi recuperata iterum lucis vſura, ad dolorem tamen: nam ad mortem expoſcebantur, inquit námque Vati Rex Iſraël: *Num percutiam eos Pater mi?* Reg. 4. cap. 6. verſ. 21. reſpondet Eliſeus: *Non percuties, neque enim cepiſti eos gladio, & arcu tuo, vt percutias; ſed pone panem & aquam coram eis, vt comedant & bibant, & vadant ad Dominum ſuum:* hoc in geſto perpendo ſingulariter, quamobrem Prophetæ non ſatis viſum eſt neci ſubtraxiſſe, niſi inſuper & cibaret? Nimirum, eius beneficij, quo, gladio vltore liberati, Deus Auctor fuit, qui Vati ſuo inſpirauit, vt Regem moneret, ne trucidarentur: Quoniam itaque Deus vno facto Beneficio non acquieſcit, ſed agit, alterum vt ſubſequatur; propterea non ſufficiebat vitam concedi miſeris, niſi & pariter alimoniæ præberentur: huius fortaſsè ſenſus Chryſoſtomi effatum, ſermone de Eliſeo, & Syrorum inſidiis detectis tom. 1. *Et dixit ad eum Eliſeus, non percuties; quos nec in bello cepiſti, nec in prælio ſuperaſti; alia eſt enim conditio belli; alia virtus Dei: alius eſt ordo pugnantis, alia eſt cauſa virtutis, & ſigna monſtrantis; in bello ſalus adimitur, arma tractantur: in portentis & ſignis vita vtilitas exhibetur:* Veluti ſi aſſerat; vbi humana intercedit clementia, magnum eſt à ſuperbo Victore vitam proſtratis indulgeri; in ſecunda beneficia raro protenditur: Deo exiguum eſt vnam cumulaſſe gratiam, confert & alteram; atque ideò Chryſoſtomus pronunciat: *alius eſt ordo pugnantis; alia eſt cauſa virtutis, & ſigna monſtrantis.*

4. Reg. 6. 21. *Milites ad comprehendendum Eliſeum miſſos, non ſolùm à morte liberat ipſe Propheta, ſed etiam beneficijs cumulatos Deo inſpirante ad Regem ſuum iubet remitti.*

Chryſoſt.

40. Iaïrus de Archiſynagogis vnus, cùm penè animam filia exhalaret, Seruatorem deprecatus eſt, vigori vt reſtitueret antiquo, morbis propulſatis: *Impone,* (inquit) *manum ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat*, Marc. cap. 5. verſ. 23. Quamobrem tangi à Chriſto poſtulat, cùm verbo ſanare poſſit? conſiderabat in filia communem Hominum naturam, quam à principio Creator ipſe ſuis effinxerat manibus, vt tantâ indulgentiâ nobilitaret opus ſuum: *Manus tuæ fecerunt me* (aiebat Iobus cap. 10. verſ. 8.) *& plaſmauerunt me totum in circuitu; memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me:* huius itaque prærogatiuæ cùm recordaretur, ſimul & recordatus eſt, Deo morem eſſe primam beneuolentiam ſecundis Beneficiorum incrementis augere: ergo ſi digitorum & manus attactu limum rudem ab exordio in pulcherrima efformauit membra; modò etiam carnem infirmitate debilitatam tangendo redintegraturum eſſe: hanc ergo ob cauſam, manum vti adhibeat, rogat; nimirum: hanc vt extenderet, memoraretur, qualem pulueri olim gratiam contulerat, Adam quando plaſmauit; próque ſua conſuetudine ad Beneficium iterandum commoueretur: his affinia Chryſologus ſermone 33. *Credidit ergo Deo, quia eâdem manu, qua creatam ſenſerat filiam, recreari ac reduci poſſe ad vitam nouerat: veni, & impone manum; vt qui ſponte poſuit ad creandum, ad reparandum iterùm exoratus imponat.*

Marc. 5. 23.

*Rogat Iaïrus Chriſtum vt imponat manum ſuper filiam mortuam, ſcilicet Dei manus pulueri admota hominẽ formauerat, inde ab, eadẽ nouum beneficium benè expectabat.* Iob 10. 8.

Chryſolog.

41. Nato Cain, inquit Mater eius Heua dicens: *poſſedi hominem per Deum.* Geneſ. cap. 4. verſ. 1. Sed quomodo in natiuitate peſſimi germinis Deo adſcribit? licèt enim abſque generali Numinis concurſu ſecundæ nihil operari cauſæ valeant; tamen ſic ſpecialiter attribui non niſi eximij quidam conſueuêre effectus; quantò potiori iure de Abele ita Mater affirmaſſet, quem Numen ſibi particularibus vendicauit titulis? de quo nihil ſimile: Equidem declarato Caini ortu, ſtatim ſubſecuta eſt narratio de altero pari beneficio, maſculinâ alterâ prole editâ, ſubiunxit quippè Moyſes immediatè; *rursúmque peperit fratrem eius Abel*; in quem igitur tantam referret munificentiam, vt conduplicaretur donum, primúmque munus conſequeretur? in Adamum ſcilicet? Verùm Homo erat: Homines autem vix vnum præſtant Beneficium; à ſecundo rarus eſt, qui non abſtineat: vti ergo Dei quaſi proprium hoc eſſe edoceret, quem ex Adamo ſuſcepit filium, Deo Auctori concedit: Ambroſius lib. 1. de Abel, & Cain cap. 1. *Numquid hîc ſic dicit: acquiſiui hominem per Deum, vt Deum intelligamus inſtrumentum? Non vtique, ſed vt intelligas auctorem, & operatorem Deum; vnde magis Deo detulit, cùm dixit, acquiſiui hominem per Deum, vt & nos cùm aliquid adquirimus, vel omnes euentus ſecundos Deo magis deferre, quàm nobis arrogare debeamus.* Prope hunc modum & Chriſtus ſitientes inuitat apud Ioannem cap. 7. verſ. 38. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: qui credit in me ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ:* ô compotationẽ egregiam ipſis magnis fluminibus exhauſtis! at cur aquæ viuentes? nempè vt ſuccedant veteribus noua beneficia; decurrunt impetu lymphæ, & ſtatim diſcedentium loca aliæ occupant; talis à Chriſto beneficiorum ordo; alia ex aliis ſequuntur, & antiquiora ſequentium veluti ſemina fiunt: Chryſoſtomus homil. 3. in Geneſim, ſub initio: *Hoc enim ſpiritualium fluminum natura eſt, vt hoc magis ſcaturiant, & accreſcat ſpiritalis gratia, quo quis inde haurire ſtudet: propter hoc & Chriſtus dicebat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat: qui credit in me, ſicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuentis; quibus, horum fluminum dapſilitatem, & largitatem nobis indicat.*

Geneſ. 4. 1.

*Nati Caini Natiuitas Deo adſcribitur; non item Abelis quod huius Natiuitas ſit quaſi beneficium conſequens ad primum.*

Ambroſ.

Ioan. 7. 38.

Chryſoſt.

Cùm

42. Cùm de Liæ partubus meminit Scriptura, ſubdit nonnunquam vti Geneſ.cap.29.verſ.35. *ceſſauitquè parere*; de Rachele autem non ſubnectit, quemadmodum parere deſierit: at nonne quidem & Rachel pariter ceſſauit? Quid eſt igitur, quòd de illa ſilentium eſt? nempe in vitæ contemplatiuæ ſymbolum, quæ finem non ſortitur, quando in patria Beati æternùm contemplaturi ſint; actio verò huius exilij opus, tranſit, & deſinit: ſic Drogo Oſtienſis de Paſſione Domini, ex cuius ſententiâ hoc ſolùm, quod de actiua & contemplatiua vita eſt, accipi volo nunc: *Ergo Sara, & Lia in ſpelunca duplici abſconditæ ſunt: illa priùs ſterilis, poſtmodum iam ſenex, filium gaudij vnum tantummodò peperit; hæc poſt ſex filios parere ceſſauit, niſi quòd nouiſſimè filiam ſacri generis ignominiam peperit: mira res: hæc, quæ ſex habet filios parere ceſſare dicitur: illa, quæ vnum tantummodò; parere ceſſare non memoratur: ſed actiua finem habet, contemplatiua ſemper parit.* Dicamus aliter paulò: Rachel quæ ſpecioſa eſt, & quæ vitam beatam omnium curarum expertem, indicat, Deum nobis repræſentat, qui tantarum materiarum prouidentiâ nunquam laſſatur, verùm ſubſtantialiter felix & gaudens eſt: Lia triſtior, & deſpecta, actionémque repræſentans, quæ laborem affert, quæ onerat & fatigat humanæ conditionis imbecillitatem ſuggerit: Quoniam igitur in humana beneficentia, ſi quãdo liberalior eſt, donationibus terminus ſuccedit, ſcitè vt Lia parere deſiuiſſe teſtetur: Deo autem, quia conditio eſt (niſi per hominis ingratitudinẽ ſtet) priſcis muneribus noua adiicere, & in æternitatem quandam benefaciendo certare, hocque ipſo quod ſemel ditauerit, ampliorem ſubinde annectere gratiam; benè cùm Rachele iſtamet ſignificentur; quòd parere deſierit, ſub taciturnitate eſt.

Gen. 29. 35.

Drogo. *De Lia (humana ſcilicet beneficentia) dicitur quod ceſſauit parere; De Rachele (Diuina liberalitate) nõ item.*

*Nouiſſimorum vtiliſſima Meditatio, ad vitiorum fugam, ad virtutis deſiderium.*

## SECTIO III.

43. NOuiſſima hominum aut in beatitate, aut in ſuppliciis: pœnarum recordatio otium diſpellit, æternaturi gaudij cogitatio ad laborem ſtimulat; Siniſtra, quam hœdi in iudicio occupant, Satanæ & impiis præparatas flammas inextincti ardoris denotat, Dextera, quam Benedicti Patris tenent, regnum ſempiternæ lætitiæ ſignificat: has igitur inter ſortes velut inter medios cleros verſatur anima ſancta, atque ideò vita illius ſine labe graui aliqua, pennæ ſcilicet columbæ deargentatæ, & dorſum illius cum pallore auri, vbique enim nitet, quæ in finem extremum ſollicitè proſpicit: ac licet quidem huius Epithalamij Sponſa multorum iudicio eos repræſentet, qui perfectionis ſummum habent, certè hoc ſpecialiter loco, vbi & Spiritus abalienationem ſuſtinet propter amoris violentiam, quibus ſubliminiora perpendere conueniat, relictâ Nouiſſimorum theoriâ viæ purgatiuæ alumnis: ſed tamen fortaſſe admonitio eſt, his ipſis quandoque vtiliſſimum eſſe, memoriam retrò flectere in ea, de quibus ſub vitæ ſpiritalis tyrocinio cogitabant; vita enim noſtra laqueorum plena eſt, iiſque indiget conſiderationibus, quæ metu & honore percellant audacem in peccata, & noxias voluptates concupiſcentiam: vtcumque nobis ad diſſertandum de his, præter Ethologiæ huius commodum, ſatis eſt præmuniri ſuffragio Theodoreti cum tribus Patribus & Bernardo ſerm.51. in Cantica: proferamus ex trium Patrum verbis: *Comminatio ſuppliciorum, quæ à ſiniſtris conſtitutos manent, ſub capite meo eſt, ſub ea videlicet parte, quæ vt caput in corpore, ſic ipſa in anima principatum obtinet, mente nimirum, ſenſus ipſi ſubijciente: itaque dextra illius vt ſpero iam amplexabitur me; promiſſio ſcilicet bonorum, quæ à dextris collocati ſuſcipient, regnum vtique Dei in ſæculo futuro.*

*Dextra, Regnum cœleſte; Siniſtra pœnas æternas denotat.*

*Sponſa & læuâ & Dexterâ fulcitur, Nouiſſimorũ ſcilicet recordatione.*

Theodoret.

Bernard.

Tres Patres.

44. Daturus Creator per Moyſem populo Iſraëlitarum legem, flammis conterruit: *Totus autem mons Sinaï fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace: erátque omnis mons terribilis*, Exod. cap. 31. verſ.18. etiam & ſub nouo fœdere ignis, *nam apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquàm ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum*, Actor.cap.2. verſ.3. Quare ſemper ignis? Sanè Iudæi duro & peruicaci animo erant, quos terrêre opus eſſet: cum ignibus itaque Numen ad illos deſcendebat ex fumo tenebroſis, qui proinde luridas Tartari flammas memoriæ obtruderent, vt harum ex conſideratione promptiores redderentur in legum obſeruantiã, ſciréntque tranſgreſſoribus æternos parari cruciatus. Pariter & nouo ſub fœdere ignis, mitis tamen & conſolatorius, & qui ex deliciarum affluentiâ gaudia referret Ciuitatis, cuius ab vbertate inebriantur incolæ potantes de torrente voluptatis, quare & muſto plenos cenſebant; vt cùm de hac experientia colligerent æternum gloriæ quantum eſſet pondus, ſub prædicatione Euangelica tolerandos labores hilari exciperent geſtu: vtrobique proinde ignis, ſed vtrobique nouiſſimorum exemplaria; ſiue cùm Iudæis flammæ caliginoſæ ſtygem repræſentant; ſiue cùm Apoſtolis lucidi ignes alacritatem infundunt, & regnum ſanctorum, quod eſt cum Chriſto ſuggerunt: ſiue ergo lex obſeruanda eſt, ſeu Euangelica perfectio, Nouiſſimorum conſideratio præſidium allatura eſt; legi, quæ in ſeruitute eſt per timorem: Euangelio, quod ſub amore eſt, ex iucunditate: hinc feſtiuè Chryſologus ſermone 164. in illud Luc.11. *Ignem veni mittere in terram*, &c. *Nam legem pangere, gratiam ſerere, ignis ſemper opere conſueuit: daturus legem, ignem præmiſit in rubo* (nos ad fumantem Sinai tranſtulimus montem, quod ſcopo deſeruire magis arbitraremur;) *& nunc in arua gentium cùm deſtinaret Apoſtolos, ſic eos igneo imbre perfudit.*

Exod.31.18.

Act.2.3.

*In promulgatione legis veteris & Nouæ vtrobique Ignis: ſed longè diuerſus, qui nempe & Pœnæ & Gloriæ futuræ recordationem ingerebat.*

Luc.11.

Chryſolog.

45. Manifeſtabat Iſraëlitis viam ignoti deſerti Numen, *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, Exod.cap.13. verſ.21. ignibus quidem comburentibus indefectibilem Tartari fornacem, qua & ipſæ animæ ſpiritales torquentur percipere valeamus: Nubibus, quæ mites & blandæ ſunt, Beatorum ſine fine voluptates & bona illa ſupra humani captum intellectus, quæ Deus præparauit diligentibus ſe ſignificari arbitremur; adſtipulatur Gregorij Papæ auctoritas hom.21.in Euangelia: *In igne terror eſt* (inquit,) *in nube autem viſionis lene blandimentum: dies verò vita iuſti, & nox accipitur vita peccatoris: vnde & conuerſis peccatoribus Paulus dicit: fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: in die ergo per nubem columna monſtrata eſt, & in nocte per ignem; quia Omnipotens Deus, & terribilis apparebit iniuſtis: illos in iudicio veniens per lenitatis manſuetudinem mulcet, iſtos verò per iuſtitiæ diſtrictionem terret*; Itaque planè ibi repræſentatio extremi mundi actus, cùm alij ibunt in

Exod.13.21.

Gregor. *Hebræos in deſerto Deus per diem in Columna nubis, cæleſtis regni vmbrâ; per noctẽ verò in Columna ignis, pœnarũ Inferni figurâ ductabat.*



lætitiam, alij in planctum, quem nullus vnquàm excipiet terminus: ſed quamobrem in hanc ſemper reſpicere imaginem Hebræos Numen volebat? nempè gradientibus per ſolitudinem multa contingere oportebat, quibus eorum in Deum fides & conſtans religio probaretur: Nam & hoſtis aliquando inuaſurus erat pugnando, & panem & alimenta deſideraturi eſſent, & ſitis vexatura interdum, deinde & longum quadraginta annorum exilium: Quò igitur in his vincere poſſint, & ad optatam peruenire regionem, voluptas & labor viciſſim proponuntur: cui enim graue futurũ ſit, inediam toleraſſe, frigora & calores pertuliſſe, ſi momentaneâ hac patientiâ conceditur liberari tormentis, ad quorum narrationem ſolam cõtremiſcunt artus robuſtiſſimorum & audientes ipſi gemunt gigantes? Si exiguo & puſillo dolori gaudium reſpõſurum ſit, omnem quod exuperat ſenſum? ô leuem Monaſteriorum ſarcinam, dum tamen ſub his meditationibus cõparatio eſt! aliter, & totum hunc de rigore locum exponere valeamus; nam ignis extremo iudicio conflagrationem orbis ſignificauerit; & nubes, quæ aquas pluunt, vndarum magna illa incrementa indicarint, per quæ olim Terræ vniuerſa ſubmerſa eſt facies; & hæc fortaſſe interpretatio Iudęis aptior, nam cùm duro eſſent corde, & non reuocarentur ad Dominũ niſi quoties tribulabat eos, aſperioribus ſymbolis coërcẽdi erãt; nubes itaque vt diluuij recordarentur, admonebant: ignis vt inferni meminiſſent, quò vtrâque eruditi cogitatione, mores cõponerent atque eremi tentationes cum mãſuetudine portarent: in hæc Zeno Veronenſis ſerm.14. *Columna viam demonſtrans Chriſtus eſt Dominus: quòd autem duplicem ignis & nubis imaginem gerit, iudicia duo deſignat: vnum aquæ, quod geſtum eſt; ignis alterum, quod futurum ſit.*

Zeno Veron.

46. Dormiebat in horto Petrus, quieſcebat & Ioannes, licet Præceptor bonus aduerteret inquiens: *Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem*, Luc.c.22. v.46. Non tamen dormit in atrio Simon, non oculi grauantur: Sed & diſcipulus ille quem diligebat IESVS (concedamus parumper in huius allegoriæ ſcopum, adoleſcentem fuiſſe amictũ ſindone ſuper nudo) cùm tenuiſſent eum, reiectâ ſindone, nudus profugit ab eis, Marc. c.14.v.52. quid faciat abſque ſindone adoleſcens? quamobrem dimittit? Nox ſiquidem gelida eſt, nã quia frigus erat, Petrus calefaciebat ſe ad ignem: Sed perpende, ſindonis leuem eſſe iacturam cùm vita ſub diſcrimine eſt; moleſtum eſt abſque tegumento eſſe contra brumæ algorem; ſed niuium & grandinis exigua eſt patientia lucis comparata vſuræ, qua viuimus: ergo quidem in pomœrio; vbi pericula vacant, ſomnus obrepit: in atrio Pontificis ſub hoſtium aſpectu, nihil de torpore eſt: ſed nec eſt detrimentum, ſindonem proieciſſe vt vitæ ſalus in tuto ſit: Quidnam igitur eſt, quod filij Adam ſtertunt & dormiunt? quidnam eſt, quod lumina claudunt in profundum lethargũ? Quidnam eſt, vt neque diuitiarum, neque honorum, neque voluptatum iacturam aliquam faciunt? certè, quoniam non ſapiunt, neque nouiſſima intelligunt: Vtinam deſcenderent in infernum viuentes, ne moriendo præcipites in foueã cadant, & in chaos tenebrarum & obſcurum. O periculi viua & efficax conſideratio quantùm poteſt! ſine huius aſpectu etiam Simon & Ioannes dormiunt: illo non ſegniter perterrente, quietis nulla eſt ratio, ſindon proiicitur, hibernæ noctis congelatam ſuſtinêre pruinam arduum non eſt: Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Vel Iudam non videtis, quomodo non dormit? non ceſſat manus eius, non ceſſat pes, & coaceruat ſibi iram in die iræ; & tamen dormit Simon, dormit Iacobus, & Ioannes: quare? quia non attendunt quid poſt paululum futurum ſit: periculi magnitudo ſomnum fugat: numquid dormit Petrus in atrio? numquid dormiuit adoleſcens quando tenuerunt eum, & ille reiectâ ſindone nudus profugit? & tamen frigus erat, quia ſtabat Petrus, & calefaciebat ſe: magnitudo periculi & frigus, & famem facit obliuiſci: euigila tandem, euigila miſerabilis anima, ſi non amore, ſaltem timore.*

Luc.22.46.

*In horto, vbi pericula non præuidentur, ſomnus obrepit Apoſtolis, non item in atrio Principis Sacerdotũ.*

Drogo Hoſt.

47. At conſidera, quàm longè aliter ſe gerant Petrus & Ioannes cum reliquis commilitonibus ad periculi ſeueram nimis præſentiã, licet ipſis nullatenus cõminaretur: *Quoniam adhuc & oratio mea* (inquiebat Dauid Pſal.140.v.7.) *in beneplacitis eorum: abſorpti ſunt iuncti Petræ iudices eorum*: taceo nunc de Literæ cõnexione, quæ ſatis difficilis eſt; myſticè, iudices intelliguntur Apoſtoli, quoniam cùm venerit ad iudicandum Dominus, & ipſi ſedebunt ſuper ſedes ad iudicandum duodecim tribus Iſraël: atq; ita Bernard. interpretatur ſerm.7. in Pſalmum, *Qui habitat*, &c. Sed quid eſt abſorberi iudices hos? Verbum iſtud, ſtuporis & admirationis profundæ cuiuſdam normã indicat, adeò vt præ magnitudine eius quaſi extra ſe ferantur, tanquàm ſubmerſâ & abſorptâ intelligendi virtute, neque enim ad ea quæ vel dicantur, vel gerantur attendunt: Verùm, quamobrem Apoſtolos ſtupor comprehendat, præſertim ſi velut ex metu quodam ſubortum credamus? Nonne enim ipſi iudices ſunt? iudex autem quid timeat? reorum eſt formidare, qui arguuntur: iudex eſt, qui metum iniiciat, non qui accipiat: non ergo de Apoſtolis ſtupor quaſi ex timore natus, intelligendus erit. Sed ô diem illum; cuius ad ſignificandum nobis horrorem, etiã illi, à quibus propter officij rationem, metum abeſſe dicebat; tanquàm & ipſimet vereantur, introducũtur; & quaſi attoniti proponuntur, quibus certè firmiſſima ſecuritas eſt: qualis prodibit in ſcenam accuſandus, cùm qui condẽnat, talis depingitur? Væ væ peccatoribus, væ filiis diffidentiæ! ô IESV bone ſi me abſcõdas in illo tẽpore in foraminibus petræ, & nõ me abſorbeat tartarus! Heu quãto angor tremore! nã recordatio delictorũ meorum cum illius diei memoria contriſtat Spiritũ vſque ad mortẽ penè: ſimilis hic eſt locus alteri in Euãgeliis, cùm de virtutibus cælorum dicitur Matth.c.24.v.29. quia *commouebuntur*: nam ſermo eſt de Angelis beatis ex multorũ opinione Patrum, inter quos Auguſtinus ita exponit ſerm.130. de tempore inquiens: *Sicut Principe iudicante, non ſolùm rei; ſed & officia, quæ nihil ſibi conſcia ſunt, timore & tremore comprehunduntur propter iudicis terrorem: ita & tunc, cùm genus humanum iudicabitur, etiam cæleſtes miniſtri pauebunt, & terribili apparatu de iudicis intuentis horrenda formidine contremiſcent.*

Pſal.140.7.

Bernard. *Iudices quãuis ſint Apoſtoli abſorbẽtur tamen ſtupore, in conſideratione magni Iudicij.*

Matth.24.

Auguſtin.

48. Cùm Philiſtæorum ſegetes incendio conſumere Samſon vellet captis trecentis vulpibus; *caudas earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens, dimiſit vt huc, illúcque diſcurrerent*, Iudic.c.15. v.4. illæ autem in ſegetes profectæ, flammis vniuerſa depopulatæ ſunt: Quamobrem caudis alligauit tedas ſpeciatim? annon vel aut dorſo appenderet, pedũ etiam alteri innecteret? Spiritalis quidem pulchra ratio eſt de caudis: his enim myſticè fines & termini ſignificantur rerum: Segetes autem voluptates ſunt mundanæ & praua deliciarum lenocinia: optas extinguere

Iudic.15.4.

*Cauda, finem & terminum rei indicat.*

*Vt Samſon vulpiũ caudis, ſic Tu Nouiſſimis ſuis facem conſiderationis applica quò ſeculi gloriam & delicias in pulverem redigas.*

Nilus Abb.

Chriſtiane, & in fauillam reducere ſæculi gloriam?contemplare extrema humanorum gaudiorum:quid niſi mœror?quid niſi puluis & buſtum? Quid niſi infernus,& dolor intermiſſionem nunquã habiturus aliquam?ô iniquas voluptates,quibus tam cara pretia ſunt! De his igitur, vt inſtrueremur,caudæ faces alligauit:Nilus Abbas in Aſcetico: *Nec Samſon fortaſſe alienigenarum ſegetes combuſſiſſet, niſi conuerſis vulpium capitibus, earum caudas colligaſſet: Qui igitur caudam cum cauda vincire vult,ſumat vtriuſque rationis fines, hoc eſt inanis gloriæ honorem,& libidinis fœditatem; & cùm eos inter ſe planè contrarios, repugnantéſque conſpexerit; tum Samſonis factum imitetur.* Hinc tanta vitiorum licentia,hinc nomine Chriſtiano indigni mores, quòd non inueniantur, qui in nouiſſima proſpiciant: *Quis nouit* (interrogat Eccleſiaſtes cap. 3. verſ.21.) *Si Spiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi Spiritus iumentorum deſcendat deorſum?* Super his verbis Salonius Epiſcopus Viennenſis Commentario in Eccleſ. *Cur ergo dicit Salomon,quis nouit? quaſi nemo ſit qui hoc cognoſcere poſſit? ideò ait, quis nouit? vt difficultatem rei demonſtraret: nam* quis *in Scripturis ſacris non impoſſibilitatem,ſed difficultatem, aut raritatem ſignificare ſolet:* Sed locus iſte cùm de rationalis animæ agat immortalitate,quæ ſurſum tendit,hoc eſt, ſuperſtes poſt fatum manet, vt Hugo declarat, cum Brutorum formæ amiſſo halitu pereant, cur Salomon illo interrogandi articulo rarum eſſe qui aſſequatur,innuat, & comprehenſione arduum eſſe, præſertim cùm demonſtrationibus in ſcholis frequentiſſimè probetur immortale æuum humani Spiritus? quin ſi illud *ſurſum ferri*,de terribili Dei iudicio particulari animarum humanarum, quo examine Bruta carent,declaretur cum Bonauentura, Lyrano & aliis; éſtne, quod ignorari iſtud concedamus, cùm omnibus Chriſtianis pateat? Verùm conſidera aliud eſſe,ſpeculatiuè cognoſci animam immortalem, & iudici ſeuero ſtatim poſt obitum ſiſti; aliud hoc practicè & efficaciter intelligi: de hoc igitur ſecundo notitiæ modo interpretandus Eccleſiaſtes: At quamobrem raros eſſe perhibet qui vel hunc in modum percipiant? Sanè, quoniam ſi mortales feriò cogitaſſent animam perpetuò duraturam aut beatam, aut infeliciſſimam, longè alia vitæ & morum diſciplina eſſet: Quomodo enim ſi indubitatum hoc eſſe grauiter ſibi perſuaſiſſent, non timerent, & corrigerentur? Quia igitur pauci ſunt, qui ſtudioſè actiones ad omnem perfectionem componunt; idcircò pronunciat raros inueniri, qui de immortalitate humanarum animarum, de earundem poſt mortem ſingulari,eôque acerbo, & diſtrictiſſimo Iudicio cogitent.

Eccliſ.3.21.

Salon.

Hugo.

Bonauent.
Lyra.

---

*Beatus Aloyſius Gonzaga inter orandum non diſtrahitur: quanta hæc gratia?*

## SECTIO IV.

49. O Dulces Sponſi excubias!ô amorem in Dilectam! ipſe interdicit tumultibus,ipſe arcet obſtrepentes: non in ſingulos amicorum tam indulgens, ſed rarus planè fauor paucorum: *Inducitur cæleſtis Sponſus* (inquit Bernardus ſermone 52. in Cantica) *vehementiſſimè zelans pro quiete cuiuſdam Dilectæ ſuæ, ſollicitus ſeruare inter brachia propria dormientem; ne quâ fortè moleſtiâ, vel inquietudine ſomno ſuauiſſimo deturbetur:* Quænam eſt hæc tam beata Dilecta, cui ita Sponſus proſpicit? Equidem de non multis, quibus tanta familiaritas conceſſa eſt; vna Mens illa ſerena B. Aloyſij Gonzagæ, ſiquidem nubes tranſcenderat, & ventos & puluerem, denique quæ turbare poſſint omnia, cùm tam immobilis eſſet interior vultus, vt ne ſeximeſtri ſpatio tantùm ſibi importunæ & alienæ cogitationes inter meditandum ſurripuerint temporis;quantùm bina recitatio Angelicæ ſalutationis vendicaret,cùm tamen creberrimè & prolixè meditaretur: quare meritò vel ob hanc prærogatiuam Angelicus nuncupatus eſt, non enim humana videri queat tam magna tranquillitas vt eodem ſermone rectè perpendit Bernardus aiens: *Rerum enim cupiditatibus viuendo non teneri, humanæ virtutis eſt: corporum verò ſimilitudinibus non inuolui, Angelicæ puritatis eſt; vtrumque tamen diuini muneris eſt, vtrumque teipſum tranſcendere eſt:* hoc eſt enim corpore in terris verſari,ſed mente in cæleſtibus permanêre, & Angelorum velut æqualem eſſe,qui cùm ad varia deſtinentur propter hominum ſalutem, miniſteria; contemplationis nunquam aciẽ intermittunt; quod vt in terris contigerit ſimiliter,poſtulare Chriſtus nos docuit,cùm vti Patrem cæleſtem deprecaremur inſtruxit, inquiens: *fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* Matth.c.6.v.10. Chromatius concione 1. de octo Beatitudinibus,exponit: *Vt ſicut in cælo; id eſt,vt ſicut Dei voluntas ab Angelis fideliter cuſtoditur in cælis;ita quoque à nobis religioſa,ac fideli deuotione diuinæ dignationis auxilium poſtulandum eſt.*

Bernard.

*Ne à Contẽplationis ſomno excitetur Sponſa, B. Aloyſij Gonzagæ Anima, aut aliquo modo diſtrahatur, vetat Sponſus.*

Bernard.

Matth. 6.10.

Chromat.

Sanctiſſimus hic Adoleſcens rectè figuratus in Elcana Samuelis genitore,nam interpretatur nomen auctore Origene homiliâ vnicâ in libros Regum, *poſſeſſio Dei*, cùm enim in Baptiſmatis vnda receptam gratiã nunquàm amiſerit,iure *Dei* nuncupari *poſſeſſio* valeat: Quidnam itaque de Elcana Reg.1.c.1.v.1. *Fuit vir vnus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen eius Elcana:* Sed quomodo non vir vnus,non enim multiplex eſſe poſſit?cur non potiori locutione,erat vir quidã?certè non, ſed *vnus* pulcherrimâ ſignificatione: Nos enim miſeri peccatores, & tepidæ pietatis Religioſi,plures ſumus:Heu,ſi quãdo ad orandũ conuertimur,quales in formas ſubitò trãsformamur? quãta diuiſio eſt?nimirùm,quoniã non ſumus nos integra Dei poſſeſſio,ſed in nobis etiã mundus & caro & ſanguis,quod ſibimet approprient, reperiũt:Aloyſius ille cæleſtis excuſſis omnino terrenis in Deũ plenè tranſuolauit,& propterea in cõſpectu Domini deprecans, *vnus* erat ſolũ peregrinis ſemotis imaginibus: Origenes: *Non me latet primo loco,quòd in aliquibus exemplaribus habetur,erat vir quidam, ſed in his exemplaribus, quæ emendatiora probauimus,ita habetur,erat vir vnus: vide, ſi non hoc ipſum pertinet ad laudem iuſti,quòd dicitur de eo, erat vir vnus: Nos,qui adhuc peccatores ſumus, non poſſumus iſtum titulum laudis adquirere, quia vnuſquiſque noſtrum non eſt vnus,ſed multi:* Certè cùm extolleret Creatorem Dauid Pſal.101.verſ.26. *Initio Tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Ecce gloriam; ecce honorem! *Tu autem idem ipſe es*, hoc eſt immutabilis, & variari neſcius, apud te nulla eſt viciſſitudinis obumbratio,quoniam Deus tu es: huius igitur priuilegij ſimilitudo incõparabilis in B.Aloyſio affulſit, cùm & ipſe & dono & miſericordiâ Creatoris,ita contẽplando in eius attributa ſpiritalium oculorum figeret lumen, vt ne tantillum conniueret: 50.

1 Reg.1.1.

*B. Aloyſius in Elcana, quod interpretatur* Poſſeſſio Dei, *figuratus, erat vir vnus: & quo pacto?*

Origen.

Pſal.101.26.



conniueret:proſequitur memoratus Auctor eodem loco: *Verè enim imitatur iuſtus,qui talis eſt vnũ Dominum:Nam vt ego arbitror & illud quod per Prophetam dicitur: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus vnus eſt, non tantùm numero vnus deſignatur,qui vtique ſupra omnem numerum eſſe credendus eſt,ſed per hoc magis vnus dici intelligendus eſt, quòd nunquàm à ſemetipſo alter efficitur,hoc eſt,nunquàm mutatur,nunquàm in aliud vertitur, ſicut & de eo Dauid proteſtatur dicens:Tu autèm idem ipſe es,& anni tui non deficient: immutabilis eſt ergo Deus, & per hoc vnus dicitur: Sic ergo & imitator Dei iuſtus, qui ad imaginem Dei factus eſt, vnus & ipſe cùm ad perfectum venerit, appellatur; quia & ipſe, cùm in virtutis ſumma conſtiterit,non mutatur,ſed vnus permanet ſemper:* conſidera verbum illud: *cùm ad perfectum venerit:* Siquidem gratia hæc tam ſublimis non niſi eis tribuitur,qui ſpiritalis profectionis culmina excelſiora occupant poſt montium editiſſimorum ſcanſiones. O miraculum! vt in carne exiſtens phantaſias non pateretur,& ſpiritui regendum ſe committeret quaſi reſtitutâ antiquâ innocentiâ, cùm in aliis hominibus caro tam acre bellum cõtra animam diu,noctúque gerit; Quamobrẽ concludit Origenes aſſerens: *Si autem & ſubtilius aliquid conſiderare velimus, inuenire poſſumus & aliam vnitatem; verbi gratiâ; ſi ita mortificauero membra mea,vt iam non concupiſcat Caro aduersùs Spiritum, neque Spiritus aduersùs carnem: Si iam non ſit alia lex in membris meis, quæ repugnet legi mentis meæ, & captiuum me ducat in legem peccati: Si omnia, quæ intra me ſunt in vno,atque eodem ſenſu perfecta ſunt, & vna atque eadem ſententia moueantur: tunc ero & ego vir vnus.*

Origen.

Idem.

51. Abſoluto in diebus ſex mundano opificio ſeptimum diem feriationi conceſſit Numen,quo & poſtea iuſſit populũ Iſraëlitarum ab omni ſeruili opere vacare:quare & contemplatiuorũ otij ſancti dies hîc repræſentatio eſt, vt docet Rupertus lib.2.in Geneſ.c.13. Sed numquid Aloyſium noſtrum hunc poſſe myſticè cenſeri diem putemus? quid autem vetat? Siquidem concinnè Rupertus ibidem: *In cæteris laborauit, in iſto nihil fuit quod reſiſteret ei:* Laborare autem Deus ſymbolicè intelligitur,cùm ex peccatoribus iuſtos facit, ſiquidem hanc ob cauſam vulneratus & attritus eſt: quia igitur ipſe ſuâ miſericordiâ Aloyſium præſeruauit,ne in Baptiſmate receptam innocentiæ ſtolam,deinceps vnquam turparet graui noxâ, quaſi dicere poſſimus(quod aliis ſanctorum etiam contingit)in eius vitæ decurſu non fuiſſe,quæ laborẽ afferrent Creatori:Quodnã eſt igitur huius Sabbatiſmi priuilegiũ? *Primùm*(ait nominatus Abbas) *à cæteris diebus differt, quod veſpere & mane non habet;nec enim dicit Scriptura factum eſt veſpere & mane dies ſeptimus,vt dixerat de cæteris omnibus:* Si igitur neque veſper,neque mane in die ſeptimo, totum claritas eſt, ſimiliſque & æqualis ſplendor ſeu exoriatur ſeu cadat, imò non cadit quidem, neque incipit quæ auroram neſciuit,occaſus expers eſt: Hæc eſt igitur contemplatio illa verè cæleſtis,cùm fugatis vmbris & cogitationum alienarum nebulis,Deo plenè anima intenta; quem ad familiariſſimæ coniunctionis apicem cùm Beatus Gonzaga ſubuectus fuerit,rectè ipſe inter ſanctos connumerari poteſt, de quorum contemplatione valeat dici, quantùm huius exilij anguſtiæ patiuntur,mutationem ignorare, & lucem eſſe aurorâ & veſperâ carentem; Altera eius diei prærogatiua eſt, quam ſubindicat Moyſes, cùm aſſerit Geneſ.cap.2. verſ.2. *Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum; quod fecerat, & requieuit die ſeptimo,* &c. Quam ad ſententiam Rupertus nominato loco: *Vnde bene nota quòd non dicit Scriptura, quòd compleuit die ſeptimo omne opus ſuum, ſed tantum opus ſuum: Etenim non omne opus Dei hoc felici & glorioſo die completur, ſed ſolum rationalis creaturæ opus,gloria eius impletur:* Verùm nonne & rationalis creatura Homo ſexto die formatus eſt, & longè ante hunc Angeli conditi ſunt? Quænam eſt ergo creatura rationis capax, quæ ſeptimum etiam intrauit diem? Sed animaduerte Moyſem dicere, *compleuit opus ſuum*: Homo ergo antea efformatus,tum complementum ſortitus: & vide ſi non ita penitùs: Siquidem perfectio hominis conſiſtit in coniunctione cum vltimo fine, ad quem ordinatus eſt: hoc autem abſolutè contingit in patria, Diuinam intuitiuè contemplando eſſentiam; in hac autem vita per altiſſimæ contemplationis gradus,quâ anima diuinitatis quaſi abyſſo videatur immergi, nihil præterea niſi de Deo ſentiens: quia igitur dies iſte ſeptimus,dies ſanctæ & eleuatæ contemplationis;idcircò in hac *opus ſuum* compleuiſſe Numen perhibetur: Sed quamobrem opus ſuum tunc compleuiſſe ſpecialiter memoratur, quaſi peregrinum & ſingulare quidpiam compleuerit? Nonne enim & maria & tellus, & omnia quæ in eis ſunt opera Dei cenſentur? quorſum itaque Rupertus aduertit iuxta Moyſis ſenſum,non cuncta opera Dei iſto completa die,ſed tantùm compleuiſſe *opus ſuum*:equidem, vt dixi, completio huius diei eximiæ contemplationis Donum intelligitur: non omnibus igitur iuſtis hoc munus conceditur, ſed Amicorum dilectiſſimis,quos ob familiaritatis ſingularitatem *opus ſuum* Numen appellat: Deinde & quoties nos à Deo per mortale peccatum recedimus, & ad Satanam tranſimus, abalienamur à creatore; & opus illius licet phyſicè ſimus, non tamen moraliter: Si quis verò nunquam peccato lethali actuali animam conuulnerauit:hunc ſpecialiſſimo titulo Numen *opus ſuum* vocare poterit;talis cùm B.Aloyſius extiterit,opus ſuum iure peculiari Deus nuncuparet: rectè igitur, quòd opus ſuum in die ſeptimo compleuit, ſanctiſſimum hunc adoleſcentem ſibi intimè vniens per excelſiſſimam contemplationem.

Rupert.

*B. Aloyſius dies eſt ſeptimus in quo Deus requieuit ab omni opere quod patrarat, qui* veſpere & mane *non habet.*

Rupert.

Geneſ.2.2.

Rupert.

*B. Aloyſius, opus Dei,quã ratione?*

52. Dum ad flumineas Babylonis ripas captiui ſederent Hebræi rogati ab Ethnicis, vt cantarent: *Quomodo*(reſpondent Pſalm.136. v.5.) *cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* At quæ hæc excuſatio? quid enim obſtat diuerſam patriam eſſe? quaſi vox & guttur deficiant peregrino ſub climate:Origenes hom.2.in Ieremiam: *Impoſſibile eſt in Babylone conſtitutum Deo organis canere otioſa, quippe ibi ſunt organa hymnorum Dei,propterea dicitur per Prophetam: ſuper flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion: In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra: Suſpenſa ſunt organa quamdiu in Babylone ſumus: Si autem venerimus in Ieruſalem, in locum viſionis & pacis, organa, quæ antea otioſa pendebant, tunc aſſumentur in manibus,tunc grauiter cithariꝫabimus.* Babylon mundi huius figuram ſuſtinet, diuitum præſertim ſæculi,apud quos deliciæ filiorum hominum,& ſuperbia,& luxus,& vanitas vanitatum in mille pompis;viſio illa pacis deſertum eſt monaſticæ ſingulariter conuerſationis, vbi Paſtor bonus nonaginta nouẽ ouibus dulciter modulatur arreptâ fiſtulâ:docet itaq; Vates non eſſe locũ contemplationis aulam,& Baſilicas Regũ, ſed antra & cellas Monachorum. O Beati Gonzagæ

Pſal.136.5.

Origen.

*B. Aloyſius etiam in terra aliena (Aulicâ nẽpe)Canticum Domini cantabat:hoc eſt, in Contemplatione Deo adhærebat.*

laus incomparanda! antequam tranſiret ad familiam ſacram, dum adhuc in paternis ædibus ſplendidè commoraretur inter palatiorum epulas & choreas,& diu,noctúque gaudia turbulenta, adhærebat Deo in ſublimi contemplatione Spiritus purus tanquam ſi extra homines eſſet: Felix,cui etiam in Babylone pangere licuit in cithara ſuauiſſima! Annon rariſſimum iſtud? nam perſpice de ipſamet Ieruſalem,& quidem illa quæ ſurſum eſt,matre noſtra; *Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum*(ait Ioannes Apocalypſ.cap.8.verſ.1.) *factum eſt ſilentium in cælo quaſi mediâ horâ*: cur non per integram horam? cur non multis? diebus etiam & menſibus? Nam vbi ſilentium ſi non in Ieruſalem cœleſti, qui locus pacis & quietis eſt? puto cælorum vocabulo mentes concipi poſſe, quarum in olympo conuerſatio eſt propter aſſiduam de æternis rebus meditationem: ô certè neque his ipſis quanquam grandibus animabus ſub hac tamen vita adhuc ordinariè conceſſum interruptis frui cogitationibus, vexant peregrinæ ſpecies, vexat fragilitas corruptæ molis, vexant ſollicitudines: Quanta ergo illa attentio in ſacro adoleſcente, quæ menſium ſpatio plurimórum tantillùm diffundi orationem vix ſuſtinuit? Drogo Hoſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis in illud: *Non potuiſtis vigilare mecum vna hora*,&c. *Quis autem eſt Domine, qui tecum vna hora vigilet? etiam in cælo non eſt factum ſilentium niſi quaſi media hora; quantò minùs in terra vna hora vigilabimus tecum?*

Apocal.8.1. *Quaſi mediâ hora ſilentiũ fieri in cælo .j. in animabus puris & cœleſtibus, mirum eſt.*

Drogo Hoſt.

*Deus quaſi in temporibus non numerans vanitati mancipatos annos: Mali hæc eſſe ſola vera tempora adſtruunt.*

## SECTIO V.

53. PErpende altercationem: Sponſus, vt Dilecta ad ſatietatem requieſcat, contendit; adoleſcentulæ ne dormiat, procurant: quamobrem in contraria diſtrahuntur ſtudia? iuuenculæ, quibus effrænatus ardor, quæ in delicias pronæ, ſi-namus ex hac parte earum animarum typum gerant, quæ corporeis illecebris immerſæ, belluinum penè viuendi genus amplexantur, carnis ſolam curam habentes: Sponſus diuinæ cuiuſdam nobilitatis mentes repræſentat, quæ ad maiora conditum hominem iudicant, quàm vt corporis ſeruus fiat: iam verò notum eſt illam Sponſæ dormitionem ſomnum eſſe internum contemplationis, per quem Deo Spiritus integrè vacat: Quoniam igitur, quod in harum meditationum dulcedine temporis abſumitur, pretioſum illud eſt in conſpectu Creatoris, ideò tam ſollicitus Sponſus, ne qua eius particula defraudetur quæ ſuauiter requieſcit: quia verò otium hoc ſanctum inane & friuolũ Mali arbitrantur, propterea, quæ horum ob ætatis leuitatem figuram ſuſtinent; inducuntur feriationi tantæ aduerſantes. Hebræi in Ægypto, vt Religionis quam profitebãtur ex Patriarcharum traditione, ſacris operarentur, temporis quidpiam ſurripiebant: Pharo, ſub quo iniqui omnes concipiuntur, damnauit ſtatim quaſi inutiles horas,& ſugillabat dicens; *Vacatis otio,& idcircò dicitis; Eamus, ſacrificemus Domino*, Exod.c.5. v.17. Baſilius Magnus in illa verba, Pſal.45. *Vacate,& videte, quoniam ego ſum Deus*, &c. *Nouit Pharo proprium eſſe hoc liberiore otio fruentium, vt Deum inquirant, atque ita exprobrabat Iſraëli dicens: Vacatis, otioſi eſtis, & ideò dicitis; Dominum Deum noſtrum adorabimus:* Quodnam igitur vtile reputabat tempus ſceleſtiſſimus Rex? nempè, quòd à miſeris captiuis impendebatur ædificationi vrbium, quod ſęculo,& pereuntibus bonis tradebatur; aut ſi magis de myſtico Pharaone, videlicet Diabolo; quod eius obſequio concedebatur: Verùm de hoc tempore, Numinis qualis ſit opinio, conſulamus: *Menſis iſte*(inquit de eo, quo Paſcha celebraturi erant) *vobis principium menſium; primus erit in menſibus anni*, Exod.c.12.v.2. Sanè ante hoc, quemadmodum interpretes aduertunt, annus inchoabat à menſe *Tiſri*, qui noſtro correſpondebat Septẽbri, modò vt incipiat à *Niſan*, qui partim noſtro Martio, partim quandoque Aprili quadrat, iubet: At qua de cauſa aboleri quaſi memoriam veteris anni cupiat? Scilicet, vti expoſitores conſentiunt, annus ille antiquus ſecularis erat,& profanis deſtinatus vſibus; nouus autem iſte Religioni accõmodabatur: monet igitur eos, qui Ægyptum, hoc eſt, mundum profugi facti deſerunt, ſecularis & veteris hominis recordationem obliterare: & ad noſtrum ſcopum; mandat, ne in temporibus computetur, quod ſub Pharaone in mundo conſumptũ ſit; coram Deo enim id ſolum temporis verũ eſt, quod pietati defertur; propterea ſacrum coli annum præcipit vulgari tanquã dilecto: Gaudentius Brixienſis tract.1. in Exodum ſuper dictis verbis: *Legimus in Numerorum libro, quod quicumque vouerit votum, vt abſtineat ſe aut ab vſu coniugali, aut à delicijs quibuſlibet vel cibi, vel potus vſque ad præfinitum tempus,& violauerit quocumque lapſu, dies præteritos ei non imputandos, ſed vt ad initium redeat: ſic non ſunt imputati Iſraëlitis illi dies, quos conſumpſerunt in Ægypto: ſed quando ingemuerunt ad Dominum conuerſi ab operibus duris,& Dominus percuſſit primogenita Ægyptiorum qui eos ſeruire Domino non ſinebant: tunc audiuerunt; menſis hic vobis initium, primus eſt vobis in menſibus anni*,&c.

*Probibet Sponſus ne Sponſa in Cõtemplationis ſomno interrumpatur: Scilicet pretioſum hoc ſomni Contemplationis tempus multùm æſtimat, quod tamen Iuuencula friuolum cẽſent.*

Exod.5.17.

Baſil.

Exod.12.1. *Ante egreſſũ Iſraëlitarum ex Ægypto, annum Iudæi à Tiſri .j. Septẽbri: exinde verò à Niſan .j. Martio incipiebant.*

Gaudent. Brix.

54. Senior Cain quàm Abel, nam priùs editum in lucem ſacra narrat Hiſtoria; cùm autem de cuiuſque vitæ formâ ſermonẽ facit, anteponitur Abel, ab eo nimirùm exorditur inquiens: *Fuit autem Abel Paſtor ouium,& Cain agricola.* Geneſ.c.4. v.2. quamobrem non ab antiquiore initium? debẽtur namque ſenioribus præſtantiora: an hoc eſt quaſi maturiorem velle ſtatuiſſe Abelem? Sed vetat natiuitatis ratio, prior enim luci datus eſt: perpende amborum mores: Cain auaritiæ mancipium, agriculturæ ſtudium ad quæſtum referebat,& lucra præter modum, ideo ſacrificaturus Numini deteriora remiſit; itaque terrenis diſtractus emolumentis, totus de ſeculo erat: Abel Syluis atque eremo verſatus, animum diuinis intendebat, ouibúſque ſignificatam innocentiam mente exprimebat: ergo, quoniam vulgus ex natiuitatis ordine annos computat, rectè ex horum iudicio, cùm de partu loquendum eſt, Cain præfertur, quem priùs enixa eſt mater: apud Deum verò & ſpiritalium tractatores altera eſt myſtica annorum conſideratio: nam eò magis vixiſſe quempiã decernunt, quò magis virtute enituit, quò Deo familiarior euaſit: Quoniam itaque de virtute & perfectione nihil in Caini ſplendeſcebat moribus: Abel autem optimè compoſitus erat Spiritus: propterea quanquam in temporali generatione primatus Caino defertur; vbi tamen ventum eſt ad vtriuſque vitæ deſcribenda ſtudia, anteponitur ex natiuitate iunior, & Abeli delatum eſt; quippè coram Deo auaritia, & mundi anxiis ſollicitudinibus abſumptum tempus ita eſt

Geneſ.4.2. *Cain impius, quamuis primogenitus, Abeli iuſto poſtponitur in Scriptura, & coram Deo.*



quaſi non eſſet: igitur, velut pro non tranſactis reputatis Caini annis; bene eſt, quod qui in deſerto contemplabatur Abel, prælatus fuerit: conſiderauit perbellè Ambroſius lib. 1. de Abel & Cain, cap. 3. *Non eſt otioſum* (inquit) *quòd cum antea generatus ſit Cain, vt lectio docet, prælatus ſit hoc loco Abel, nec idem ſit ordo nominum, qui eſt ordo naturæ: quid ſibi vult mutatio ordinis, vt priùs iunioris meminerit, vbi ſcribitur vitæ ſtatus, operíſque vſus? Officiorum interrogemus diſtantiam vt colligamus cauſam prælationis: operari terram vſu prius eſt, gratiâ inferius, quàm oues paſcere: hoc enim inſtar eſt cuiuſdam doctoris & principis: rectè ergo vbi naſcuntur hi fratres, ſeruatur etiam in prædicando ordo naturæ: vbi verò exprimitur diſciplina viuendi, ſeniori iunior antefertur quia etſi tempore iunior, virtute præſtantior eſt; ſenectus enim venerabilis eſt, non annis cana, ſed moribus; vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi diſciplinarum ſit prædicatio, præcurrat Abel.*

Ambroſ.

55. Paterfamilias, qui exiit primo manè conducere operarios in vineam ſuam, cùm ad forum próficiſceretur, increpationis voce ait: *Quid hîc ſtatis tota die otioſi?* Matth.c.20. v.6. Sed quare otioſi qui in foro verſantur? quantùm enim ibi tumultus, quantùm laboris? nam vel lites proponunt; aut emunt, aut vendunt; domi requies eſt, at in foro cauſæ & negotia tractantur: concedamus quidem occupationes habere, qui foro reſident, fortaſſe tamen plerique occupationes peſſimas habent; ſuggerat Ambroſius lib. 3. de Virginibus ad medium: *Non in foro, non in plateis* (inquit) *Chriſtus reperitur: Chriſtus enim pax eſt, in foro lites; Chriſtus iuſtitia eſt, in foro iniquitas; Chriſtus charitas eſt, in foro obtrectatio; Chriſtus fides eſt, in foro fraus, atque perfidia; Chriſtus in Eccleſia, in foro idola:* Quando igitur quod in foro impenditur tempus, his conſecratum ſit nequitiis; rectè quòd vacuum, & inane cenſeatur tempus; quæ enim vitio & fraudibus tribuuntur horæ, & in quibus animæ interior ſalus nulla capit incrementa, licèt in honore & numero impiis ſint, apud Deum temporis indignæ cenſentur nomine; aut ſi ex morali conſideratione tempus eſſe velint, vmbratile, & abominandum reputabitur: Quod ſi iuxta allegoriam ex opinione quorundam eos qui in foro inuenti ſunt, Paganorum intelligi nationes cenſeamus; verum quomodo hos otioſos fuiſſe iure arbitrabimur? Quid enim eſt laboris in humana vita, quem ſubire recuſauerint? Nam & maria nauigando ſulcabant, & glebam vomere proſcindebant,& præliis exercebantur,& doctrinis incumbebant; Eſto ſic egerint quidem; tamen quoniam dæmonum cultui ſtudebant, licet in horum adoratione plurimùm conſudarent, tempus velut otioſum & vaniſſimum præſcribitur; imò non tempus illud, ſed perditio & infelicitas; diſpendium quippe eſt cùm Dei ſubtrahitur famulatui: Paſchaſius Abbas lib.9. in Matthæum: *Sed nos eos totâ die otioſos ſtetiſſe dicimus, quia non in labore legis fuerunt, non in aliqua Dei cultura; ſed malè ſtabant otioſi ſuis iuribus decertantes, erecti contra Deum ne crederent; ſtabant autem ac ſi lapides erecti, quos adorabant in Deos, ſimiles eis facti non proficiſcebantur, ſed permanebant immobiles tota die:* De Gentilium otio Theophylactus quoque.

Matth.20 6. *Otioſi dicuntur qui in Foro verſantur, quamuis occupatiſſimis.*

Ambroſ.

Paſchaſ.

56. Breuis impiorum vita, in ictu fugiens oculi: David teſtatur Pſalm.36.verſ.35. *Vidi impium ſuperexaltatum,& eleuatum ſicut cedros Libani; Et tranſiui,& ecce non erat, & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius*; Iuſto autem longa viuendi ſpatia pollicetur idem, Pſalm.90. verſ. 16. *Longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum:* At certè nonne in ſenectam & ſenium vitæ producuntur ſtamina multis impiorum; & iuſti demetuntur in flore adoleſcentiæ? percipe ex Sapientiæ lib.cap.4.verſ.10. *Placens Deo factus eſt dilectus,& viuens inter peccatores tranſlatus; raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*; Quomodo itaque breuis eſt & fugax vtcumque impiorum vita,& producti cenſentur iuſtorum dies? Et vt exemplo conſtabiliamus: cadit ictus in iuuentute Abel iuſtus: ſuperuixit diu nefandus Cain; de vtroque Ambroſius lib.2. de Abel & Cain, capite vltimo: *Ecce enim iuſtus, innocens, pius propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui ſublatus eſt parricidio: & iniquus, ſceleratus, impius, etiam fraternâ cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, poſteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permiſſione diuina:* Pulchrè nihilominus Dauid, qui ſpiritalis erat, dixit momentanea iniquorum tempora, & nulla planè, cùm iuſtos ad longum ſuperſtites arbitretur: Nam Beato Prophetæ illi tantùm viuebant, qui Deo quomodo placerent cogitabant: à quo ſancto propoſito cùm alienæ eſſent iniquorum mentes; licet carnalium hominum iudicio perduraſſe cenſerentur mali; tamen eam non dicendam vitam Pſalmiſta indicat; iuſti quamuis ſæculo breuiſſimè vixerint, quoniam in iuſtitiæ operibus multùm profecerunt, conſummati in breui expleuerunt tempora multa: Senectus videlicet non ab annorum periodis, ſed à moribus dignoſcitur: & ideo longiſſimæ canitiei Homines peccatores Biblia pueros nominant, Iſaiæ c.65.verſ.20. *Quoniam puer centum annorum morietur*, hoc eſt, vir iniquus.

Pſal.36.35.

Pſal.90.16.

Sap.4.10.

Ambroſ. *Breuis & fugax impiorũ (vt Caini) dicitur vita, etſi lõgiſſima: E contrà verò Iuſti (vt Abel) dicuntur multa tẽpora explere, quamuis in breui conſũmentur.*

*Senes peccatores pueri vocantur in Scriptura.*

Iſai.65.20.

57. Eam ob cauſam, volens Deus Moyſi ſocios concedere quibuſcum Magiſtratus onera partiretur, inquit illi: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël, quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint*, Numerorum cap.11. v.16. quid eſt, quos *Tu noſti?* nempè, quod ſingulariter Moyſes & non alij nouiſſent? Sed quomodo ignorare vulgus omne potuerit ſenectute graues? Non capilli, non barba alterius coloris, non in fronte & maxillis rugæ,& effœtus corporis vigor indicabat; ad hoc & à pueritia contubernales multi? Sed alia ſenectutis ratio Moyſi, qui ſpiritaliter diiudicabat, alia promiſcuæ turbæ: multitudo populi de facie & capillis cenſebat tantùm; Moyſes in animam proſpectabat; cui enim mens alta,& cœleſtis, quem præclara facinora commendabant, qui Deo adhæſit; is quamuis corpore,& annis exiguus, verè maturus & ſenex habendus: cæterùm, quem obſcœnæ voluptates poſſederunt, cuius Deus venter eſt, atque ſeruiuit iniquitatibus; licet Neſtoris excedat ętatem, nondum crepundiales faſcias,& gerulæ reliquiſſe mammam putandus eſt; quæ enim in talibus ſtudiis conſumuntur luſtra, ætatem ſpiritaliter non augent, ſed damnationem,& pœnas ſceleſtiſſimis repoſitas: abſit à Monachorũ beatâ ſcholâ, vt apud eos reperiantur, qui cùm per multos annos exterioris conuerſationis pondus ſuſtinuerint, quòd in Spiritu non ambulauerint, vix horam exegiſſe vnam Chriſti in diſciplinatu ęſtimentur: Heu! heu! auerte Domine malum iſtud grande: quæ enim huic par infelicitas? Gregorius Papa de illis Numerorum verbis, lib. 19. Moral. cap. 13. *Sicut plerumque iuuenes dicuntur, qui nulla*

Numer.11. 16.

*Eligit Moſes de ſenibus quos ipſe nouerat ſenes, ad indicandum, nõ quos populus tales ex facie cenſebãt; ſenes quidem mente, non annis.*

Gregor. *conſilij grauitate premuntur: Ita ſenes non eos Scriptura vocat, qui ſolâ grauitate temporum, ſed morum grauitate maturi ſunt;* Sap.4. *vnde Sapientiæ 4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, nec annorum numero computata: idem oſtenditur hîc dicendo; quos Tu noſti, quòd ſenes populi ſint; in quibus verbis ſenectus cordis notatur, cùm tales iubentur eligi ſenes, qui ſciuntur: Si enim corporis ſenectus quæreretur, à tantis ſciri poterat, à quantis videri: cùm verò dicitur, quos Tu noſti; patet, quod ſenectus mentis, non corporis eligatur.*

58. Prouerb.4.3. *Salomon dicit ſe Matris vnigenitum, quaſi eius frater infans mortuus, nullus cēſeretur.*

Quemadmodum à genitrice inſtrueretur referens Salomon, inquit Prouerb. c.4. verſ.3. *Nam & ego filius fui patris mêi, tenellus, & vnigenitus coram matre meâ, & docebat me, atque dicebat,* &c. Eſto quidem, vt tenellus fuerit, ſed quomodo vnigenitus? Nonne enim eiuſdem & Patris & matris ſoboles infans de adulterio conceptus? atqui & in lucem quoque priùs editus; cur itaque ſe vnigenitum appellat, qui fratrem habuit? nempe puſio ille extinctus eſt priuſquam ſciret reprobare malum, & eligere bonum, vt conſtat ex Reg. 2. c.12. (2.Reg.12.) verſ.18. cui igitur nihil eximium operari contigit, neque vitæ & morum famam, aliquam reliquit; eius natiuitatis, & temporis quod vixit, ratio nulla habita eſt; tanquam enim qui non extiterit cenſetur, cuius ingloria fuit pars minima ætatis, & propterea vnigenitum ſe nuncupauit Salomon, quaſi alter mundum ingreſſus non ſit: Salonij Epiſcopi Viennenſis Commentarius in dicta Salon. Prouerbiorum verba: *Quomodo vnigenitus fuit coram matre ſua, cùm præceſſerit eum frater vterinus ſicut Scriptura ſancta libri Regum teſtatur? Verum eſt, quia præceſſit eum frater vterinus; ſed ille mox mortuus eſt; quaſi nunquàm fuiſſet, ſine nomine ab hac vita diſceſſit, propterea vnigenitum appellat.* Sic etiam Dominus in Euangelio, cùm paratos debêre eſſe ſeruos expectantes Heri aduentum monuiſſet, addit: Luc.12.38. *Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati ſunt ſerui illi,* Luc. cap.12. v.38. Quare primæ & quartæ non meminit vigiliarum? cur non etiam Beatos ſupponat, quibus ſopor non irrepſit? Vigilias has hominum diuerſas ætates nonnulli exponunt: & primam aſſerunt infantiam eſſe, cùm adhuc Rationis non oborta eſt claritas; benè igitur, quod hæc ætas, quæ ad ſublimia neſcit aſſurgere, in laude non ſit poſita, ſed velut non fuerit, tacetur: quarta etiam vigilia intelligenda eſt de ſenectute laſſata, & impotenti, in qua etſi liberi regnet facultas arbitrij ad bonum & malum; tamen ita hebetantur ſenſus, vt truncum penè animal externus appareat homo: Quoniam ergo ad præclara facinora inualida eſt ætas, ipſius quoque ſuppreſſum eſt nomen: Drogo Hoſtienſis de Dominica Paſſione: Drogo Hoſt. *Venis in ſecunda, & tertia vigilia; ſed beatus ille ſeruus, quem tunc inueneris vigilantem: iam primæ, & quartæ vigiliæ nulla mentio fit, quia nec primæua ætas ſenſum recipit vigilandi, nec vltima ſpem prolixiùs dormiendi.*

*Infantia, & ſenectus impotens quod ad præclara facinora inepta ſint, in annis non computantur.*

---

*Supra fœmineam conditionem admirabilis omninò vigor, & maſcula planè virtus Sanctæ Thereſiæ à IESV, conſiderata.*

## SECTIO VI.

59. QVando Epithalamium nobis ſtrenuas proponat Virgines, quæ calathos, & delicias pertæſæ mulierum, virorum in exercitamenta audeant, nam progreſſæ in ſyluas & nemorum ſecreta feras cubilibus excitant ad certamina prouocantes, non poſſum non tui meminiſſe plurimùm, inclyta Sáncta Thereſia à IESV: ô robur! ô fortitudinem! ſileant tibi comparata Græcorum mendacia ſeu de Harpalyce, ſeu de Pentheſilea, etiam id quod veræ eſt narrationis de Zenobia Orientalium Regina; domuerunt homines, ſubiugauerunt prouincias: Tu dæmonum confregiſti potentiam, inferno metuenda facta es: reſtituerūt poſtliminio amiſſas regiones! per te Carmelus iterùm refloruit: ſignis & legionibus præfuerunt: Te non coactæ virorum, Te mulierum nobiliſſimę ſequutæ turmæ tanto deuotionis ſtudio, vt non reuocarint ab inceptis ieiunia, non vigiliæ, non paupertas, non ſolitudo, non aliæ pœnarum ſexcentæ formæ: ſubpudebat deſpici ob fragilitatem muliebrem naturam: quidnam igitur cogitauerunt: *Apprehendent* (ait Iſaias c.4. v.1.) *ſeptem mulieres virum vnum in die illa dicentes: panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum.* Iſai.4.1. Septenarius in Scripturis numerus non definitam aliquam, ſed plurimam denotare multitudinem conſueuit: ergo quaſi totius ferè generis nomine (quippè Virgo Beata ſemper excipiēda eſt) ſeptem inducantur: ſed quiſnam vir vnus, quē apprehenderunt? Orig. hom.3. in Iſaiam de ſeptē mulieribus: Origen. *Tunc apprehendent, & verè tenebunt ſeptem mulieres hominem vnum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum iuxta quòd intelligitur Homo, iuxta quòd natus eſt, iuxta quòd corpus aſſumpſit:* Audiamus petitionem: *Aufer opprobrium noſtrum:* quale hoc? ſcilicet fragilis eſt conditio noſtra, deſpicimur ob imbecillitatem, non fortia tentamus: da igitur robur, da potentiam, vt non ampliùs à viris contemnamur? Et quo pacto hoc fieri valeat, ipſæmet ſtatim ſubindicant: *tantummodò inuocetur nomen tuum ſuper nos:* quodnam de nominibus Chriſti poſtulant? Origenes dicta hom. Origen. *Quod eſt nomen Sapientiæ:* IESVS: *quid eſt, inuocetur nomen tuum ſuper nos? Ego ſum Sapientia, volo tuo nomine vocari, vt ego Sapientia dicar Ieſus, vt intellectus & conſilium magnum, & fortitudo, & ſcientia, & pietas, & timor Dei nominentur Ieſus, vt omnia in omnibus nomen tuum fiat: Nomen tuum inuocetur ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum: reuera abſtulit opprobrium Ieſus.* At nomen IESV nonne Beatæ Thereſiæ conceſſum? ipſa eſt, quæ ex glorioſo hoc vocabulo ſingulariter cognoſcitur: poſtquam igitur hoc ſanctitatis nomen Virgo clariſſima aſſumpſit; tum etiam muliebri ſexu nouo titulo opprobrium demptum eſt: quippè non ſatis fuit fœmineas cohortes claſſico arduam vocare ad pugnam, niſi quoque & virorum præeſſet caſtris quorum ad certamina doceret manus, & digitos inſtrueret ad bellum: ô decus! ô famam mulierum Theraſiam!

*S. Thereſia ex ſtrenuis vna Cantici Amazonibus, quarum in ſyluis, & venationibus voluptas auſtera.*

*Nomen Ieſu ſuper S. Thereſiam inuocatum abſtulit opprobriū muliebris infirmitatis.*

Munitiſſimo exædificato propugnaculo contra hoſtes, nam ex eo pendebant clypei mille, omnis armatura fortium, quæ præſidebat Sapientia, 60. *miſit ancillas ſuas vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis,* Prouerb. c.9. verſ.3. ſed quare tam imbellis deſtinatur turba? quid ſi legationi hoſtes obſiſtant? quid ſi inuitati reſpuant, & conuertantur contra eas quæ mittuntur? quin & intra arcem ipſam quamobrem aliquo modo fœminæ? militem propugnacula deſiderant, fœminas aulæ habeant, in quibus non arma tractantur, ſed ludi & choreæ ad mollitiem: Verùm alia eſt terreni Imperatoris lex, alia cæleſtis: qui de terra ſunt nonniſi

Prouerb.9 3. *Miſit æterna Sapientia Thereſiam Ancillam ſuam fortiſſimam, vt vocaret ad Arcem munitiſſimam, & ad mœnia Ciuitatis.*



niſi in curribus, & equitibus, & quadrigarum numero vincere queant; Deus etiam per imbecillia ſuperat inſtrumenta, nam virtus in infirmitate perficitur: habeat igitur ille præclarum aliquem Auguſtinum, habeat Dominicum egregium, habeat magnos Franciſcum & Ignatium, ducéſque alios incomparandæ gloriæ, à quorum latere cadant Hoſtium mille, & à dextris decem millia, ad quorum vocis auditum contremiſcant principes Moab, & obriguerunt habitatores terræ Philiſtiim: laudabilis Monarcha, ſub quo tam ſtrenui Bellatores, laudabilius adhuc ſi quoque per fœminas vincat: ô veni, & ducta Virgines in prælium ſublimis Thereſia; habeat per te imperator noſter IESVS, vt per fœminas triumpharit: rectè igitur Sapientia & ancillas intra munitionem habet, non vt in gyrum ſaltent ad citharæ muſicum, non vt ad ſpeculum ſe componant, & vnguentis marceſcant, ſed ad cuſtodiam murorum: vt proficiſcantur, & attrahant in ciuitatem præſidiariam manum: nihil hoc miraculo excelſius: Quid enim pulchrius, quàm in fœminea teneritudine coniungi robur? dixit feſtiuè de vitri materia S. Petrus Damianus epiſt. 97. Petr. Damian. *Vitrum quippe ſi robur haberet ſoliditatis, cæteris potuerat eminêre metallis; ſed quia citius rumpitur, vili pretio taxatur,* vitro ſimilis muliebris ob fragilitatem conditio: huic ſi infirmitas accedat, omnem ſuperabit æſtimationem: ecce Salomonis teſtimonio Prouerb. cap.31. verſ.10. Prouerb. 31. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* en vt conſolidatum eſt vitrum, ſuprà aurum, & gemmarum pondera excreuit valor; ſed quale orbis regio ignorat vitrum, habet abſconditum in theſauris ſuis Rex regum, educítque foras cùm placuit, de quibus S. Thereſia à IESV, vitrum ſplendeſcens & mundum, ſilice autem robuſtius, nam fortitudo & decor indumentum eius; & propterea filij Eccleſiæ Beatiſſimam prædicauerunt, vir eius Chriſtus & laudauit eam.

*S. Thereſia vitrū eſt ſed aureæ ſoliditatis, vnde pretij inæſtimabilis.*

62. Totus Apocalypſeos Liber plenus arcanorum, & cùm ſtuporem omnia generare poſſint, non tamen vbique demiratur Ioannes; eſt tamen cùm vehementer afficitur cap. 12. verſ. 1. Apocal.12.1. *Signum* (inquit) *magnum apparuit in cœlo: mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim;* De Eccleſia, & intemerata Dei Genitrice præcipua expoſitio; accommodemus pariter animæ iuſtæ, & dicamus Sanctam indicari Thereſiam: quidnam in hac eximium? quod Lunam, qua mundi infidæ ambitionis pompa denotatur, calcauerit, veſtigiis enim premit? ſed multarum fœminarum commune iſtud eſt encomium; ecce prodigium vnum: *in capite eius corona ſtellarum:* notum eſt ex Bibliorum phraſi, aſtra Doctores Eccleſiæ referre, eos nimirum, qui plurimos ad iuſtitiam erudiunt; ſed quid fœminæ & calamo ſcribæ velociter ſcribentis? quærant lanam & linum mulieres, & digiti apprehendant fuſum: virorum eſt monumentis exarare ad poſteritatem: ô ſingularem Virginem, cui tanta gratia deſuper conceſſa eſt, vt myſticæ Theologiæ ſacris educata antris, dictare & effari nitidiſſimè potueris, quæ ſenſeras introgreſſa in potentias domini! bene igitur in huius vertice corona duodecim ſtellarum: ecce maius alterum prodigium: *mulier amicta Sole:* Nonnunquam ex ſcripturarum vſu Sol laborem, & afflictionem vehementem indicat! ô fœminæ auſum in tantam ſarcinam! veſtis horridior, continua ieiunia, longæ orationes, ſtratum incomptum, & durum, cella anguſta & humilis; & in tanto operum ſplendore nihil glorioſum aut iactabundum, præferens ſibi quorum mitior conuerſatio, nihil inuidens, nulli obtrectans: hoc eſt igitur, non Soli propiùs adſtare contentam eſſe, ſed ipſo circumuolui, & medium fornacis intrare: At ſi non talis, quomodo Heliæ æmula? nam & ipſe curru igneo ſubuectus flammis circumdabatur: num minus eſt fœminam non comburi? quid hac fortitudine illuſtrius? *Magna ſiquidem familiaritas* (inquit Bernardus ſerm. de Beata Maria Virgine in dicta Apocalypſis verba;) *ſed mira omnino vicinitas Solis & mulieris: quomodò enim in tam vehementi feruore tam fragilis natura ſubſiſtit?* luculentè imprimis: *quomodò in tam vehementi feruore tam fragilis natura?* fateor & ante Ioannis viſionem hanc, ſole circumtectum aliquem: nam & alibi habitatio Phæbus eſt: *In ſole* (canit Dauid Pſalm. 18. verſ. 6.) *poſuit tabernaculum ſuum:* aliàs ſedile maieſtatis, Pſalm. 88. verſ.38. Pſalm. 18.6. Et 88.38. *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo:* Sed vir iſte, fortiſſimúſque virorum qui iubar ſuſtinêre queat ardentis ſyderis; neque tamen ibi Dauid cum ſtupore ingenti exclamauit, virorum quippe eſt difficilia aggredi, & ipſo cum ſole modò neceſſum ſit ſtrenuè concertare: Ioannes autem cùm fœminam paria torare cernat, iure admiratione inſigni percellitur: *Magnum planè ſignum* (proſequitur Bernardus) Bernard. *mulier illæſa manens amicta ſole; non eſt mulieris potentia, vt ſuſtineat ſolis amictum, ſublimior quædam neceſſariò eſt.*

*S. Thereſia & ipſa Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarū duodecim.*

*Quomodo in tam vehementi feruore tam fragilis Natura?* Bernard.

Deſtinatus in Ægyptum Moyſes pergebat vnà 62. cum vxore & filiis: *cúmque eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum,* Exod.4 24. Exod. cap.4. verſ. 24. quid legatus commeruit? Quamobrem mortis reus æſtimatus ſit? trita expoſitio propterea necis ſubiiſſe diſcrimen aſſeuerat, quòd filium non circumciderit; & textus vinculum id ſatis innuit: nam Sephora quaſi delicti conſcia, tulit ſtatim acutiſſimam petram, & gnati præputium circumcidit: Theodoretus in catena Græcorum P.P. in Pentateuchum ad cap. 4. Exodi, quorumdā peculiarem refert ſententiam, inquiens: Theodoret. *Nonnulli arbitrantur mortem tunc impendiſſe Moyſi, quia cùm ad vindicandos in libertatem conſanguineos mitteretur, ſecum voluerit vxorem habêre impedimentum: quam tamen veriſimile eſt aſſumpſiſſe comitem, non quò ſtudium diuini edicti remitteret, ſed vt ſocero ſuſpicionem eleuaret deſtituendi vxorem, vel aliam ſuperinducendi:* Verùm, quamcumque demum ob cauſam coniugem ſecum aſportauerit peregrinationis ſociam, quid in eo facto piaculi? Nonne certè Abraham deſcendit in Ægyptum, & Saram comparem ſecum vexit? imò propter hanc Abraham bene vſi ſunt: *Fuerúntque ei oues, & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli,* Geneſ. cap. 12. verſ. 16. Geneſ.12.16. Moyſi detrimento eſt vxorem detuliſſe ſecum, Abrahamo in commodum vertitur? vterque ſanè in Ægyptum deſcendit, ſed diſpar ambobus itinerum finis: gradiebatur quippè Abraham in Ægyptum, vt vitæ cui fames minabatur, ſubueniret: temporalis ſcopus iſte, & licet bonus, mediocris tamen gloriæ: Ibat Moyſes, vt populum antiquæ reſtitueret libertati, ſui vt faceret iuris & potentiæ, veteri collocaret in dignitate; itaque reformationem cogitabat Deo inſpirante: quoniam igitur non veritus eſt huius tanti finis Sociam admittere fœminam, contrucidandus erat. At quale nefas vel ipſum hoc? nimirum, imperfecta

*Quod Moyſes in Ægyptum pergēs Iſraëlitas ſecundū antiquā Patrum diſciplinam reformaturus vxorem ſecū duxiſſet volebat occidere eum Dominus: ſcilicet Legi Euāgelicæ hæc mulierū gloria reſeruabatur, collapſam redintegrare diſciplinam.*

erant illa tempora legis ſub natura adhuc, quin & ſequutum æuum ſcriptorum Canonum: reformationem autem à fœmina tentari, eius præſertim multitudinis,quæ paternarum ferè oblita traditionum,ad Ægypti ſuperſtitiones non modico tranſierat numero,grande quiddam , & ſublime videbatur : Quia igitur hoc tam inſigne decus Gratiæ ſæculis reſeruabatur , vbi fœmina exſurgeret,quæ velut emortuam antiquam diſciplinam redintegraret; tanquam ſubiraſcitur contra familiarem licet amicum Moyſem,quòd tam magnum ornamentum in legem naturæ transferre non metuiſſet. Nonne legitis apud Ioannem,cùm mater in conuiuio geniali ſedens apud Canam Galileæ, filio ſubintimaret , Vinum non habent; quaſi ſeueriori vultu reſpondiſſe gnatum : *quid mihi & tibi eſt mulier ? nondum venit hora mea*,Ioan.cap.2. verſ.4. Indignationis eam qualemcumque externam formam obtigiſſe propterea ex Patribus quidam tradiderunt , quod velut antè tempus ad miraculum genitrix properaret; ſiue demum myſticè vinum illud conſolatio Spiritus Sancti futurum erat , cùm muſto pleni eſſe dicebantur Apoſtoli ; quòd non niſi poſt crucem tribuendum fuiſſet ; ſeu alio pacto : in hunc morem concipere valeamus ; & Moyſi infenſum Numen , quod intempeſtiuè , ſcilicet ante legem Euangelij , fœminæ tantum concederet , vt populum in antiquum aſſerere vigorem poſſe arbitraretur.

Ioan.2.4.

63. Iudith illa fortis contra ducem regis Aſſyriorum,illa , quæ à fuſo ad gladium dexteram tranſtulit , Beatæ Thereſiæ figura præluſit, *cùm in ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium , ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ*,cap.8. verſ.6. Sanctus Petrus Damianus lib.8. epiſtola 14. ad ſorores : *Porrò autem vidualis officij limite non contenta , ad hoc vſque in ſancta religione proceſſerat, vt iam non ſola , ſed cum ancillis ſuis fieret eremita : de domo communi recluſorium fecit,& in populoſa vrbe amor artifex ſolitudinem reperit* ; Sed veteri mirabilior noua hæc Iudith , quòd non cum famularum turmis,quibus non eſt difficile imperare,& dominarum ſponte nutum ſequuntur, ſed cum alienis,& nobilitatis laude præſtantibus , in vrbibus aut propè omninò, deſertum reſtituerit. O charitas ! ô amor in quantum vales, qui & robur ſubminiſtrauit(nam fortis eſt quoq; vt mors, Dilectio , ) ne fœmineis contenta legionibus , in virorum auderet pariter culturam ! *Qui ſperant in Domino* (inquiebat Iſaias cap. 40. verſ.31.) *mutabunt fortitudinem,aſſument pennas ſicut aquilæ,ambulabunt & non deficient* : Contradicebant inclytiſſimæ Virgini humanæ Sapientiæ opiniones , & vt ſuam intra ſe contineret ſortem admonebant , nè vltra muliebrem tentaret conditionem:vbi tunc ſpes.& fiducia illius ? In Domino quidem,qui dat laſſo virtutem, & his qui non ſunt fortitudinem; conceſſit ergo ei pennas aquilæ, vt renouaret iuuentutem Carmeli,& ambulauit & non defecit : pulchrè Gillebertus ſerm. 14. in Cantica ſuper Iſaiæ dicto : *Qui veterem deponentes hominem,nouum induunt , cum qui creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis : qui ſeneſcentem deuotionem & quodam languentem tædio , in nouum denuò feruorem reducunt , & perſeuerantiæ faſtidia neſciunt reparatione frequenti : qui,inquit Iſaias,confidunt in Domino,mutabunt fortitudinem : non quidem vt veterem perdant, ſed vt nouam adijciant ; mutabunt fortitudinem inſtauratis frequenter incrementis.* Et quidem tempora prima memorans in corde ſuo Virgo hæc,cùm præſidiis deſtituta , ſola & inops Puella obſcuras cellæ latebras habitaret,& cum hac veteri comparans tenuitate diffuſam in multis Prouinciis vtramque ſobolem pietatis illuſtribus notis conſpicuam , arbitror in exceſſu gaudiorum & ipſamet cum Iacob dicebat ; *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum , & nunc cum duabus turmis regredior.* Geneſ.cap.32.verſ.10.Non eſt omnium pertranſire Iordanem , nam inſidiatur in via Behemoth monſtrum ingens vt deuoret ; *Ecce abſorbebit fluuium,& non mirabitur ; & habet fiduciam , quòd influat Iordanis in os eius* , Ioan. cap.40.verſ.18. Sed neque Eliſeus Iordanem tranſire audebat , niſi percuſsâ bis aquâ Eliæ pallio,Reg.4. cap.2. v.14. & an e hoc Spiritus duplicis promiſſionem accepit,vt robuſtus eſſet,Spiritus enim duplex Spiritus fortitudinis eſt. O fœminæ animum gigantibus excelſiorem ! in baculo Iordanem ſuperauit,& aduersùm Behemoth cum baculo proceſſit, cuius corpus quaſi ſcuta fuſilia,compactum ſquamis ſe prementibus,de ore eius lampades procedunt ſicut tedæ ignis accenſę,halitus eius prunas ardêre facit:meritò quæ ſic Iordanis calcauit fluctus duplicia accepit de manu Domini : meritò duarum gentium mater effecta eſt,verùm & in familiares quoque eius duplicis benedictionis virtus deſcendit , nam mulieris fortis omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.

Iudith 8. 6.
Pet.Damian.
*S. Thereſia noua Iudith,* fecit ſibi ſecretum cubiculum , in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat, *&c.*
Iſai.40.31.
Gilbert.
*S. Thereſia in baculo ſuo tranſiuit Iordanem & cũ duabus turmis regreſſa eſt.*
Gen.32.10.
Iob 40.18.

VESTI



# VESTIGATIO XXII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum octauum & nonum Capitis ſecundi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus* : Vox Dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus , tranſiliens colles:

Similis eſt dilectus meus capreæ , hinnulóque ceruorum. en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum , reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. *Cap.2. verſ.8.& 9.*

*Ex diurnis cogitationibus nocturnæ ſomniorum imagines : Num vigilantis Sponſæ oratio : Amor in credendo quàm facilis nonnunquam , quàm difficilis aliquando? ex Geneſi & Actis ſententia: hinnulorum & caprarum velocitas ; illuſtratus Dauid & Iobus : cancellis ad pudicitiam, ad grauitatem præpeditæ feneſtræ : Parœmiaſtæ clauſula : ſertis & floribus Amantium coronatæ valuæ : iocandi viris ſerijs quæ licentia? Eccleſiaſtici verba.*

### SECTIO VNICA.

1\.
*Somnium ſuũ de Dilecto narrat Spõſa.*

NON eſſe hunc ſermonem, quem linguâ articulauerit Sponſa , & vigil protulerit, ſed per inſomnia dormienti obiectam rerum faciem, vero propius eſſe iudicauêre Aloyſius Legionenſis , Delrius qui patronum obtendit antiquiſſimum interpretem Aponium , Placidus Nigidius ; quippè amorem præſentia Dilecti vltra omnem iucunditatem conſolatur : Seneca epiſt. 35. *Venit ad nos ex his , quos amamus , etiam abſentibus gaudium , ſed id leue , & euanidum : conſpectus , & præſentia , & conuerſatio aliquid habet viuæ voluptatis* : Quoniam igitur Sponſi adſtare lateri interdiu non ſemper Sponſa valebat, ſubſidium exilio adhibebat iugem de illo memoriam; itaque de ipſomet omnis cogitatio expergefactæ: quia verò ita comparatum , vt qualia in vigiliis hominum ſtudia ſunt , earundem materiarum ſimulachra dormientibus repræſentari conſueuerint , vt Hippocrates ex Medicinæ & Philoſophiæ rationibus demonſtrat libro de inſomniis: Claudianus elegantibus expreſſit diſtichis Præfat. ad 4. Honorij Conſulatum, pangens:

*Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno*
*Tempore nocturno reddit amica quies.*
*Venator defeſſa toro cùm membra reponit,*
*Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.*
*Iudicibus lites , aurigæ ſomnia currus,*
*Vanáque nocturnis meta cauetur equis.*
*Furto gaudet amans : permutat nauita merces,*
*Et vigil elapſas quærit auarus opes.*

Aliáque in eandem ſententiam, pro qua feſtiuum omnino S. Ambroſij dictum lib.2. de Virginibus propè initium,nam de Chriſti matre loquens,ait: *Dormire non prius cupiditas , quàm neceſſitas fuit ; & tamen cùm quieſceret corpus , vigilare animus ; qui frequenter in Somnis aut lecta repetit , aut ſomno interrupta continuat ,aut diſpoſita gerit ,aut gerenda prænuntiat* : quæ delibauimus ex copioſo Delrij penu Tom.2. Adagio 32. in illud Eccleſiaſtæ c.5. v.2. *multas curas ſequuntur Somnia* , &c. quod diurnæ turbationi mentis nocte ſomnia quæ vexent , reſpondeant ; plurima ille decerpſit ex Patribus atque Poëtis ; quanquam mihi ex Ambroſio tranſcripta verba , non in ſomnia propriè & ſtrictè referri debuiſſe appareat, ſed in rationis functiones , nam Virgo etiam ſoporata meritum continuabat per charitatis, & aliarum virtutum actus, quemadmodum ex præfata Ambroſij oratione Suarius oſtendit tom.2.in 3. part. diſp.18. ſect.2. Verùm concinnè Ambroſius Oratione de fratris Satyri obitu propè finem , cùm extinctus germanus diurnis cogitationibus frequens obiiceretur, noctibus gratulatur , quod per ſomnia præſentem ſiſterent : *denique ipſæ iam noctes quæ quaſi moleſtiores viuente te videbantur , quòd mutui conſpectus copiam denegarent : ipſe iam ſomnus colloquiorum noſtrorum dudum interruptor inamabilis , dulcis iam eſſe cœpit,quia te mihi reddidit* : Philoſophicas ſomniorum rationes docebit Conimbricẽſium lucubratio in librum Ariſtotelicum de ſomniis : de hoc autem argumento ſpeciatim cap. 5. Cùm ergo tales ſomniorum imagines effingantur , quales animum curæ interdiu preſſerant : cùm Sponſæ, quoad vigilabat omne votum , de Sponſi Societate atque præſentia ; modò quieſcenti ea repræſentantur quorum expergefacta deſiderio tenebatur ; atque ita narrat , quo pacto in ſomnis viſa eſt ſibi audire Sponſum loquentem , adproperantem

Aloyſ.Leg.
Delrius.
Aponius.
Nigidius.
Seneca.
*Ea in ſomnijs vt plurimùm repræſentantur , quæ in vigilijs menti impreſſa ſunt.*
Hippocrat.
Claudian.
Ambroſ.
Delrius.
Ecclis.5.2.
Suarez.
Ambroſ.
Conimbr.

perantem capreæ inſtar, hinnulique ceruorum, adſtantem parietis dorſo, proſpectantem in feneſtris & per cancellos.

2. *Multas ob rationes hæc verba dormienti Sponſæ adſcribuntur.*

Coguntur autem nominati Scriptores dormientis hos eſſe loquendi modos aſſeuerare, quòd perturbatæ ſint clauſulæ omnes, & innexæ: talia effari ſomniantes mirum non eſt, quod regere tum mens iudicio, & conſiliis pollens deſinat; vigilantibus aptari nequeant, niſi deliros & inſipientes faciamus: Nam quidem ſi Sponſus tenui, & ſubmiſſâ voce loquutus, quonam pacto ſubaudire Sponſa ligatis ſopore potentiis valebat? Sin autem elato vociferatus eſſe clamore perhibeatur, credere iſtud perdifficile ſit; quippè paulò antea Virginibus ſeuerè comminatus eſt, ne quieſcenti vel leui obſtreperent ſuſurro: ergóne ipſe excitaturus intra momentum? Deinde, quibus indiciis dormienti conſtitit in reuertendo citiſſimum extitiſſe Sponſum, vt propè volarit? Ad hæc cancellorum reticulatum opus exigua præſtabat foramina, quibus niſi proximè admoueatur quiſpiam, difficile eſt intellexiſſe, quem altera pars habeat; Sponſa autem thalamo, quo eam ancillæ repoſuerant decumbebat: Semotior itaque & iacens Sponſum cognoſcere occultantem ſe non poterat; quod eò certius eſt, cùm Hebræa vox מֵצִיץ *metſits*, pro qua vulgatus interpres, *proſpiciens*, vt Legionenſis, & Delrius animaduertunt propriè ſit florum ſumma ex folliculis capita oſtendentium, cùm maximâ adhuc ſui parte latent; ita & Sponſus auarè ſe intuendum conceſſit paucis oſtenſis lineamentorum: Qui ergo ſtudioſè ſe velabat; quomodo cum Puella à longè diſcernere potuerit? tantos itaque ob nodos, ſatius eſt ſopori, quàm vigiliæ adſcripſiſſe.

Legionenſ. Delrius.

3. *Quòd Amor Amantes à ſe rapit, nec ſui iuris eſſe ſinit: Tepidorum ingeniorum frequens eſt hic excuſatio.*

Verùm concedamus ſine dubio turbatam eſſe orationem & vinculo carentem, quid tamen vetat ab ea prolatam dixiſſe, à qua ſomnus fugerat? nempè, indecorum ſit Sponſam incohærentia profari, quando ingenio & conſilio præditam depingamus: fateor, modò non amare eam ſentiamus; ab amore autem poſſideri, illiúſque æſtuare incendio ſemel vt concedamus, quòd à ſcopo aberrantia proferat, mirabile non eſt, nam amor extra ſe rapit diligentes, nec ſui iuris eſſe quandoque permittit: nuper verò Sponſæ ſic Amor dominatus eſt, vt in languorem deciderit: ſed quia hoc generalis eſt tepidorum ingeniorum excuſatio, quoties huius Epithalamij ſcrupulis irretiri ſe vident; oſtendamus neque ab amore perturbatum Puellæ cerebrum, neque effutire coactum quæ conglutinari impoſſibile ſit: Poſtquàm igitur inter læuam, dexterámque Spōſi recens paulùlum requieuit Nupta, ſtrato, vt per otium dormiret, viſum eſt deponere illam; quo, vt recubuit, cùm ſciret Sponſus fœmineum impatiens eſſe genus, nec diu cohiberi poſſe adoleſcentiores ſingulariter, quin tranſcurrant & moueantur, adiurauit per capreas, ceruóſque camporum, ne quo prætextu excitarent; quibus intimatis valedixit tantiſper Dilectæ quoad vires blando recuperaret ſopore: regreſſus à Libani cacuminibus, ad quæ perrexerat, nihil veritus iam Sponſæ ſomnos interrumpere, quod ſatis quieti indultum eſſet temporis, voce ſonorâ percunctatus excubantes in Dominæ otium famulas, cuius illa clamore expergefacta, vt eſt ingenioſus & celer amantium auditus in dignoſcendis iis, quos affectu proſequuntur, ſtatim percepit aduentum Dilecti: & licet omnis abſentia longa & moleſta eſſe conſueuit ſub amoris imperio, ſomni quidem obliuio Sponſæ impoſuit vix diſceſſiſſe Sponſum cùm ſubitò remenſus eſt: proinde obſtupeſcit, quem in diſtantia Libani iuga profecturum arbitrabatur, vt tam breuí, atque exiguo interuallo redire potuerit; hanc ob cauſam velociſſimè reducem factum, capreæ, hinnulôque ceruorum aſſimilauit: proſpectante autem eo per cancellos genialis cubilis, quo decumbebat Sponſa, num integrè ſomnum depulſaſſet, cupientéque ſe ſubducere ad horam, modò plus ſopori indulgêre oporteret, cùm ad parietem & feneſtram ſonitus fieri quidpiam perſentiret, augurata eſt Sponſum eſſe, qui maritali licentiâ contueri non metueret, & pediſſequis intimauit aiens: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, &c. nec mirum ſi acres in videndo amantium oculi etſi non magni paterent aditus aliquid contuiti fuerint, vt & Sponſum ex viſu patefecerint: fortaſſe & vt locutus eſt, palàm ſe quoque Dilectus commonſtrauit, & vt recrearet Sponſam ludificationibus quibuſdam, retro parietem ſe occultauit, & emerſit aliquantùm poſtea in feneſtris, & per cancellos proſpiciens; ſignificauit Auguſtinus lib.13. Confeſſ. cap.15. inquiens de ſacro Sponſo: *Aſcendit per retia carnis, & blanditus eſt, & inflammauit*: Sed expreſſiùs multò Ambroſius ſerm. 6. in Pſalm. 118. *Deinde* (ait) *tanquam laſciuienti ludens amore, quia vult pertentare ſenſus amantis, ſæpè egreſſus, vt quæreretur à Sponſa, ſæpè regreſſus vt inuitaretur ad oſcula, adſtiterit poſt parietem, proſpexerit per feneſtras, eminens ſuper retia, vt non totus abeſſet, nec quaſi totus intraret, & ipſe ad ſe Sponſam vocaret, vt veniendi ad ſe inuicem fierent gratiora commercia, amoriſque vim mutuis adolerent ſermonibus*, &c. Quâobrem verò non conſpiciendum totum præbuerit, ſed per cancellorum vacua parcè eminuerit, Origenes homilia 3. Auguſtinus loco nuperrimè indicato, Gregorius Papa homil. 13. in Ezechielem propterea feciſſe memorant, ne ſi copiam ſui amplam feciſſet, magnitudine gaudij ob plenum conſpectum obruiſſet, & nouis languoribus occaſionem ſuggereret.

*Senſus huius loci & cum cæteris nexus.*

*Acres Amantium oculi.*

Auguſtin.

Ambroſ.

Origen. Gregor.

4. *Expoſitio altera.*

Neque etiam impoſſibile eſt, vt alio quopiam loquente, vel ex Matronarum, iuuencularúmque turbâ, quapiam ad feneſtras proſpectante quàm profundè dormiret, aut num ſopori indultum ſufficienter; excitata putarit Sponſi vocem eſſe loquentis, eúmque in cancellos exſurgere; ſunt enim in vehementi amore duo affectus; vbi concupiuit ardentiſſimè, ſed potiundi voti deſperatio concepta, ſi poſtea forſan quæ optabat ſalua eſſe certiſſimis probetur licet argumentis, vix eſt qui perſuadeat; ita venerando ſeni quamuis gnati conteſtarentur Ioſephum ſaluum eſſe, atque in Ægypto dominari, *tamen non credebat eis*, Geneſ. cap.45. verſ.26. ſic & in Actibus Apoſtolorum cap. 12. verſ. 15. dicente Puellâ, Simonem Petrum, quem Herodes in cuſtodia tenebat, vt occideret tranſacto paſchate, ad ianuam eſſe, inſanire illam domeſtici arbitrati ſunt; Quòd ſi verò de Amicorum aduentu ſpes & fiducia, tum quoque nimia in credendo facilitas eſt, errórque generatur frequens imaginantium ſi quem peregrè veniſſe rumor ſpargat, Dilectum eum proculdubio eſſe, patiuntúrque ſibi & ab exotica figura, ab ore & veſtibus illudi; eum in modum Hero apud Naſonem de Leandro:

*Amantes quandoque increduli.*

Gen.45.26.

*Quandoque nimis creduli.*

*Auribus interdum voces captamus, & omnem*
*Aduentus ſtrepitum credimus eſſe tui.*

Ouid.

Clariùs



Clariùs idem in Phillide ad Demophoontem, & rectè quidem fœmineæ leuitati talia vaniſſimæ ſpei ludibria ſibi blandè mentientis accommodat:

Idem.

*Sæpè fui mendax pro te mihi; ſæpe putaui*
*Alba procelloſos vela referre Notos.*
*Sæpè videns ventos cœlo pelagôque fauentes*
*Ipſa mihi dixi; Si valet, ille venit.*
*Denique fidus amor quicquid properantibus obſtat,*
*Finxit, & ad cauſas ingenioſa fui.*

Audiendus verò imprimis Ambroſius eſt Octonario vndecimo in illa verba Pſalm. 118. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum*, &c. *Quid eſt oculos deficere? de corporalibus dicamus, vt intelligamus de ſpiritalibus: Nonne, quando aliquem deſideramus, & ſperantes, adfore eò dirigimus oculos, vnde ſperamus eſſe venturum? itaque contenti diu quotidianâ expectatione deficimus: ſic Anna circumſpiciens in viam, ſollicitis aduentum filij explorabat excubijs: ſic Dauid Propheta currente de prælio altero poſt alterum, qui nuntiaret; poſitis in turre exploratoribus interrogare de ſalute filij Pater ſedulus geſtiebat: ſic teneræ vxor ætatis* (ecce Ouidianæ ſimilitudinem cognatam) *de ſpecula littorali, indefeſſâ expectatione coniugis præſtolatur aduentum, vt quamcumque nauim viderit, illic putet coniugem nauigare, metuátque ne videndi gratiâ Dilecti alius anteuertat, nec ipſa poſſit prima dicere; video te Marite: ſicut Anna dicebat ad filium: video te fili, amodò libentiùs moriar, mortis videlicet dolorem exoptati conſpectus ſuauitate non ſentiens.* Hac itaque poſteriori fotmâ, cùm Sponſa Dilecti regreſſum exoptaret magno impetu, ſimúlque expectaret, cogitatio deſideranti imponebat, vt crederet alienam vocem atque præſentiam Sponſi eſſe: atque iſtis quidem modis Literæ ſatis conglutinatur ſenſus, etſi Sponſæ expergefactæ & vigili non pars orationis, ſed tota concedatur.

Ambroſ.

5. *Sponſus cur hinnulo comparatus?*

Sollicitus de Sponſæ valetudine Dilectus domum citiſſimus reuertitur, quam tantam eius velocitatem ſubindicatura, capreæ, hinnulôque ceruorum aſſimilauit; notiſſimum quippè eſt ceruos agilitate præſtare inter quadrupedia: *partus* (inquit Plinius lib. 8. cap. 32.) *exercent curſu, & fugam meditari docent: ad prærupta ducunt*; Quare & Dauid, Pſalm. 17. v. 34. *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum*: ſed quare ab hinnulis compatio? quoniam creſcentes obeſi fiunt, & pinguedine vt ab eodem obſeruatum eſt Plinio remoratur curſus; cornuum etiam pondera nonnihil retardant, qua de cauſa eſt opinio nonnullis, velociores in currendo fœminas, quod illis careant: lege Gueuaram in caput vltimum Habacuc, Lorinum in Pſalm. 41. quanquam & repertas fœminas, quæ cornua geſtarent ex veterum ſententia Leo Allatius demonſtrat Notis in Sanctum Euſthatium Antiochenum pag.37. linea 22. Ælianus Dorcadas imprimis ex velocitate quadam mirabili commendat lib.14. cap. 13. hinnulorum tamen vide num potior mentio, quod à matribus abeſſe diu non ſuſtineant, quas amiſſas ſollicito requirunt ſtudio, Horat. Carm.1. Odâ 22.

Plin.

Pſalm.17. 34.

*Ceruæ velociores maſculis.*

Gueuara. Lorinus.

Leo Allat. Ælian.

*Ceruæ Hinnulorum ſuorũ quàm ſolicitæ.*

Horat.

*Vitas hinnuleo me ſimilis Chloë*
*Quærenti pauidam montibus auijs*
*Matrem*, &c.

Vbi autem hinnulorum exceſsêre ætate grandiores facti genitricem deſpiciunt, nec amor eſt deinceps luſtrare perditam, Iob cap. 39. verſ.4. *Separantur filij earum* (agit de cerua) *& pergunt ad paſtum; egrediuntur, & non reuertuntur ad eas*; Sponſus igitur qui reuerſus eſt melius hinnulo comparetur: caprarum etiam amorem erga ſuum genus eſſe memorat Ælianus, animalium Hiſt. lib. 6. cap. 25. ſed hæ ob curſum præcipuè indicantur, nam quæ montanæ ſunt, atque idcirco appellantur rupicapræ, quales hoc loco, ſalientes nimirum in montibus, & colles tranſilituræ, incredibile eſt, quàm ſint veloces & citæ: *ex cacumine in aliud longe diſtans cacumen ſaltu ferri* ſcribit Ælianus lib. 14. cap. 15. & Marcus Varro de re ruſtica lib. 2. cap. 3. *In Sauracti Fiſcello* (inquit) *capræ feræ ſunt, quæ ſaliunt è ſaxo pedes plus ſexagenos*: ſcitè Ambroſius ſerm. 16. in Pſalm. 118. *Itaque, vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior*; has eſſe, quæ ibicum nomine ſignificantur, Regum 1. cap. 24. verſ. 3. *Perrexit ad inueſtigandum Dauid & viros eius, etiam ſuper abruptiſſimas petras, quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt*, interpretum cogitatio aliquorum eſt: adi Pinedam in Iobum, cap. 39. verſ. 1. *Numquid noſti tempus partus Ibicum in petris?* &c. Equidem Philippus ex Græcæ catenæ in Iobum antiquis Auctoribus exiſtimat Ibicem, *in canticis vocari Damulam & aliquando capream: & vel maximè in ſaxis nutriri, vel in cauernis petrarum*; qui inſinuare videatur animal mixtâ figurâ & ceruum & capram referre: Ioannes Renodæus lib. 3. de Materia Medica cap. 3. ex Nicolao Monardo aſſerit ob hanc cauſam ab aliquibus vocari *Ceruicapram* & Hircum eſſe, in quo lapis *Bezar* inuenıatur, ocyſſimum & agilem eſſe vt è ſcopulo in ſcopulum facilè tranſcurrat, ad has montanas capreas, & incicures alluſio, Reg. 2. cap. 2. verſ. 18. *Porrò Aſaël curſor velociſſimus fuit, quaſi vnus de capreis, quæ morantur in ſiluis*: Nullum igitur ex animantium genere Sponſa producere potuit, quo expreſſiori colore delinearet, quàm fuerit pernix & feſtinus Sponſus in redeundo, quod aptiùs caprâ, hinnulôque ceruorum declaraſſet: probat autem noſter Sanctius ex Hebræis Originalibus, veniendi dictionem non præſens demonſtrare tempus, ſed præteritum; vt poſt aduentum Dilecti, eius laudarit feſtinationem Sponſa.

Iob.39.4.

*Capreæ velociſſimæ.* Ælian. M.Varro. *Sexagenos pedes vnico ſaltu ſaliunt Capreæ.* Ambroſ. *Capræ, Ibices.* 1. Reg. 24.3.

Pineda.

Philipp.

Renodæus. N.Monard.

2. Reg. 2.18.

Sanchez.

6. *Cur Sponſus in montibus & collibus errabundus?*

At quem in finem Sponſus inter montium, & collium iuga errabundus? nam venatum proceſſiſſe, quod longioris moræ exercitamentum fuiſſet quis cogitet, quæ afflictam ex languore Sponſam thalamo depoſuerat? ſin autem ſpatiandi gratiâ foràs progreſſus, planitie, & locis ſecuris deambulare poterat: certè cùm Sponſa ſtatu demota eſt, cùm laberetur deficiens, florum maximo ſe teneri deſiderio oſtendit, aiens: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo*: Quanquàm verò & in pratis, & adiacente ædibus viridario florum exquiſita & inſignis copia; ſciebat tamen Sponſus fœmineum animum ardêre ſemper earum rerum ſtudio, quæ inuentu difficiles, & quæ paucorum verſantur in vſu: hinc Canticorum cap. 4. verſ.8. coronas & ſerta ſpondet prope immanium ferarum caueas ſummis quæſitas periculis: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon; de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Ob has itaque rationes, in abditos montium vertices perrexit, vt florum peregrinas & raras quaſdam imagines deportaret: comparatur autem iſtamet agens capræ & hinnulo, non ſolùm quod iſti ſaliant ex montibus in colles alios, & ſecretis in iugis paſcantur; ſed multò magis, quòd odoribus oblectentur, & fragrantiâ ſuauiori: ſimilis ergo Dilectus capræ, hinnulôque ceruorum, quos præſtantium ad interiorem ſyluam halitus plantarũ allicit inſidiis

Cant.4.8.

*Hinnuli & Capreæ odoribus oblectãtur.*

magnarum

Ælian. magnarum ferarum,à quibus dilaniari poſſunt,& frequenter diſcerpuntur,cõtemptis: Ælian. lib.5. Hiſtor. animalium c.40. cùm ſeu Pautherem, ſeu Pardalem admirando à Natura odoris ſuauiſſimi munere donatum affirmaſſet, cuius etiam S. Euſthatius in Hexamero meminit, Ariſtoteles Problem. ſect.13. Theophraſtus de cauſis plantarum lib.6.c.26.de venationis modo ſubiungit: *Cùm horum,quæ ad victum opus ſunt eget,ſeſe vel in loca arboribus conſita, vel folijs veſtita ita occultat, vt inuentu difficilis tantùm reſpiret: hinnuli,Dorcades,capreæ ſilueſtres,atque alia huiuſmodi animalia ſuauis odoris illecebrâ attrahuntur, & proximè accedunt: illa tum quàm mox de latebra exiliens,ad prædam erumpit, atque eam comprehendit.*

S.Euſtath. Ariſtot. Theophraſt.

7. Sed venerit quidem ex montibus Sponſus cum florum ſertis,& manipulis,cur retrò parietem adſtat,& per cancellos,atque feneſtras aut timidus, aut inſidiator,aut verecundus proſpectat? mõſtraui fusè Veſtigatione 3.num.24. apud Hebræos,& Orientales generatim ſub iiſdem tectis ſeparatas fuiſſe habitationes virorum & mulierum;nam in penetralibus vxor cum famulabus & paruulâ latebat ſobole maſculinâ;vir & ſeruorum greges in patentioribus aulis;pariete diſiungebantur, & in his feneſtræ,ſed non omninò patentes,imò cõtra virorum licentiam aditus exigui;nam tranſuerſæ retium in morem ſeu ex incorrupto ligno, ſeu ex metallo virgæ præter ſermonem cætera intercludebant;hinc feneſtris adiuncti cancelli in honeſtiſſima familia, quemadmodũ & Prouerb.c.7. v.7. *De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi, & video paruulos*, &c. de eiuſmodi in auiariis opere Varro meminit lib.3.de Re Ruſtica c.5. *Inter colũnas exteriores pro pariete reticuli è neruis ſunt, vt perſpici in ſylua poſſit,& quæ ibi ſunt;neque auis eas tranſire.* Talis & paries, de quo Philo in vita contemplatiua,dum fœminæ quemadmodum à viris in contubernio ſeparatæ eſſent, monet: *Medius paries* (inquit) *à ſolo ſurgit,tribus, quatuórve cubitis in modum loriculæ.* Tranſit & in effæminatorum Principũ delicias imitatio: Spartianus in Ælio Vero: *Fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus inuenerat:nam lectum eminentibus quatuor anacliterijs fecerat,minuto reticulo vndique incluſum:* Vſurpata & in Maieſtatis auctoritatem,ne paſſim à vulgo Imperatores conſpicerentur; Suetonius in Nerone c.12. *Nam perrarò præſidêre:cæterùm accubans primũ paruis foraminibus,deinde toto podio adaperto ſpectare conſueuerat.* Inſuper & cortinæ additæ: Sidonius lib.1. epiſtol.2. de Theodorico Gothorum Rege; *Pellitorum turba ſatellitum,ne abſit,admittitur; ne obſtrepat,eliminatur,ſicque pro foribus immurmurat, excluſa velis,incluſa cancellis.*

*Cur Sponſus poſt parietem ſtat proſpiciẽs per cancellos?*

*Cancelli mulierum ædes à virorũ habitatione intercludebant olim.*

Prouerb.7.7.

Varro.

Philo.

Spartian. *Cancelli ob grauitatem.*

Sueton.

Sidon.

8. Quod autem retrò parietem adſtat, & de cancellis proſpectat; fortaſſe non ideo,vt ſciret clanculariè; num ſomno adhuc detineretur; ſed vt feneſtras & ianuam Libani in vertice decerptis floribus ornaret; nam inter alia ſæcularis amoris blandimẽta, ſeu procorum,ſeu noui Sponſi mos, ſcribere & cantare laudes in foribus expectatæ coniugis; imprimis verò florum lectiſſimas appendere coronas: Tibullus lib.1.Eleg.2.

*Te meminiſſe decet quæ plurima voce peregi*
*Supplice,cùm poſti florida ſerta darem.*

Plautus in Mercatore, Scena 4. *Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus;* Quod ſcilicet carbo notaret encomia: Lucretius verò lib.4.

*At lachrymans excluſus amator,limina ſæpè*
*Floribus,& ſertis aperit,poſtéſque ſuperbos*
*Vngit amaricino,& foribus miſer oſcula figit.*

*Procorum & nouorũ Sponſorum mos, cantare & ſcribere laudes,& florum coronas appendere foribus Puellarũ, & nouarum nuptarum.*

Tibull.

Plautus.

Lucretius.

Cur Ethnici facerent,declarat Athenæus Dipnoſoph.lib.15.c.3. *Coronant autem valuas illorum,quos amant,honoris causa, perinde ac templi cuiuſpiam Dei veſtibulum nõ quidem illis,quos amant;ſed Amori Deo coronas dicãtes; aut,quòd illum,quem amant,imaginem putant Amoris Dei,ædéſque huius delubrum, eorum limini,quos amant,coronas appendunt.* Etiam in portis ſiue publicis vrbium,ſeu priuatis domorum,quibus lãtior ingreſſus lætitia & gaudium apud Hebræos; Pſal.9.v.15. *Vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion:* Et clarius Ieremiæ cap. 5. Thren.v.14. *Senes defecerunt de portis,iuuenes de choro pſallentium; defecit gaudium cordis noſtri,verſus eſt in luctum chorus noſter; cecidit corona capitis noſtri;* Nempe ex floribus contexta vt putant Sanchez & Cornelius;ſed & mulier fortis in portis quoque laudatur,Prouerb.c.31.v.31.& Sapientia Amatoribus ſuis,Prouerb.c.8.v.34. *Beatus homo,qui audit me,& qui vigilat ad fores meas quotidie,& obſeruat ad poſtes oſtij mei;* Iſtum igitur in modum ſtat poſt parietem Sponſus,ianuę & feneſtris ſerta adfigens, & blanditias ſtatim verſu ſequenti dicturus.

Athenæus.

Pſal.9.15.

Thren.5.14.

Sanchez. A Lapide. Prouerb.31.31. Et 8.34.

Iam quòd numero tertio ex Auguſtino & Ambroſio ſuggeſſimus id,quod inter iuniores ad hũc locum à Delrio obſeruatum eſt, Luſitationes & iocos Amantium fuiſſe,quòd poſt parietem Spõſus ſe occultauerit, & in feneſtras prominuerit, nequaquam Salomonis grauitate Muſæ indignũ eſt,tales vt deſcribat præſertim adoleſcentes coniuges,& ſub ipſis amorũ,nouíque principiis Matrimonij;hæ enim circunſtantiæ indulgentiã prębent; etiam & viris auctoritate præditis aliquid interdũ licet, eò quod homines ſint: Quâ de materiâ eruditè ex noſtris Raynaudus de virtutibus & vitiis lib.6.ſect.2.c.10.n.192. Creſolius in Vacationibus Autumnalibus lib. 1. c.1.& ſequentibus duobus,& Myſtagogi lib.4.c.14.ſect.1. ex ſacris profaníſque exemplis. Seneca lib.1.de Tranquillitate c.15. *Non in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt,ſed ad iocos reuocanda:cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat; & Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum:& Scipio triumphale illud,& militare corpus mouit ad numeros:Viri illi antiqui ſolebant inter luſum, & feſta tempora virilem in modum tripudiare,non facturi detrimentum etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectarentur;* Et ſimilia nonnulla ep.18. Quantùm etiam in iocis, & recreatione, & quæ his ſint affinia, aliis quibuſdam fas ſit Auguſtinus expreſſit ep.73. ad Poſſidium,& lib.3. de doctrina Chriſtiana c.12. S.Thomas 2.2.quæſt.168. art.2.De geniali alacritate ſpeciatim aliquid monuimus tom.1. Anteloq.3. n. 101.& Anteloq.7. n.124.notum eſt,quod de Ageſilao Plutarchus & alij,cum paruis liberis in arũdine quaſi obequitantem,colludere ſolitum:de honeſtis adoleſcentum ludis,quibus poſt-cœnam aut prandium relaxare tantiſper animum concedatur, conſtruere quoſdam noſter aduertit Bonartius verba Eccleſiaſtici c.32.v.15. *Et hora ſurgendi non te trices:præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude,& age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo.* Quod verò Septuaginta hîc legunt: *in montibus Bethel*, quaſi ſpeciales quoſdam montes innuant è quibus reuertatur Sponſus; omittimus declarare quinam illi cenſendi montes, quoniam vltimo huius capitis verſu id commodius præſtandum, vt ordinarij interpretis lectio manifeſtetur; qui eoſdem nobis montes refert. 9.

Delrius. *Viros graues ioci & ludi non ſemper dedecent.*

Raynaud. Creſol.

Seneca.

Auguſtin.

S.Thom.

Eccli.32.15. Bonart.

Explanatio



# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus:* Vox Dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles:
Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. *Cap.2. verſ.8.& 9.*

*Modus Perſecutionis in nece Protomartyris Stephani contra primitiuam Eccleſiam: Pauli Apoſtoli conuerſio: Theologica interpretatio de gratia præueniente: Apocalypſis locus de eadem Canticorum verbis germanus: Barbariſſimis populis Numen auxilia ſufficientia præparare.*

### Sectio Vnica.

10. STATIM poſt Spiritus ſancti dilapſum Simone Petro verba ad multitudinem faciente, *Appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia,* Actor.cap.2.v.41.Deinde & cap. 4. v. 4. *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt; & factus eſt numerus virorum quinque millia:* Capite item quinto verſ.14.monet auctam credentium in Domino multitudinem virorum, ac mulierum; recenſitos in his ex primoribus, nempè de Sacerdotum ordine quoſdam Lucas aduertit cap.6. verſ.7. *Et verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum in Ieruſalem valdè; multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei;* In hac igitur mirabili conuerſione duo potiſſimùm ſuſpicienda: primum, Sacerdotes fidei auſcultaſſe, ſiue ob potentiam & diuitias: ſiue ob conceptas aduerſùs Seruatorem inimicitias, & ferale odium; ſecundò, tam ingentem cateruam exiguo ſuperatam internallo, & velociſſimè in partubus fœcundam nouam Eccleſiam: Sacerdotes itaque in montibus & collibus, qui terræ partibus eminent,repræſentari adſtruamus; conuerſionis autem celeritatem per curſum hinnulorum, caprarúmque; & quoniam vtrumque opus ſtuporis maximi; nequaquam Hominis cenſeatur vox, quæ domuit & pertraxit in obſequium Euangelij obſtinatiſſimos animos, ſed Dei per hominis organum loquentis;atque ideò Sponſa: *Vox Dilecti mei: ecce iſte venit ſaliens in montibus,* &c.Sed non hæc ſola gaudiorum occaſio, adhuc vberior inuitat ſeges; Nationes enim, quæ Dæmoni ſeruiebant in IESVM credituræ erant: & quoniam prope tempus illud ter nineum, & felix,ſiquidem Iudæam relicturi erant Apoſtoli, & in Gentes profecturi;proinde ſubdit,quaſi valuæ adſtare Sponſum, & feneſtris imminere qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,dicítque: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum,reſpiciens per feneſtras,*&c.

Act.2.41.

Et 4.4.

*Quàm multî ad Apoſtolorum prædicationem conuerſi?* Act.6.7.

11. Cæterùm, cùm multitudinis conuerſio Stephani necem præceſſerit, de hac autem à nobis adiuratio præcedens Sponſi per capreas, ceruóſque camporum intellecta ſit, non eſt quod hoc loco ſubingeramus: quare Hiſtoriæ quadrabit potiùs,vt quæ eandem perſequutionem ſubſequuta ſunt,deſcribamus: In florentiſſima igitur Ieroſolymitana Eccleſia ſæuam exortam tempeſtatem Lucas narrat: *Et omnes diſperſi ſunt* (inquit Actor. cap.8.verſ.1.) *per regiones Iudææ, & Samariæ,præter Apoſtolos:* Sed de eodem fugatorum numero c.11. verſ.19. *Et illi quidem qui diſperſi fuerant à tribulatione,quæ facta fuerat ſub Stephano, perambulauerunt vſque Phœnicen,& Cyprum & Antiochiam.* In Aſiam atque Europam delatos non paucos teſtatur Lucij Dextri Chronicon anno Chriſti 35. quo de pronunciato ad verſum ſequentem in Myſtica Explanatione: Equidẽ tunc exilio duriſſimo mulctatum Lazarum cum Magdalena & Martha ſororibus,cúmque Ioſepho ab Arimathia & aliis laceræ & imparatæ impoſitos naui Maſſiliam Deo in fluctibus Nauclero perueniſſe, nõnullis viſum eſt, ex quibus Baronius Cardinalis tom.1. anno Chriſti 35. ſub initio: De Nicodemo etiã Luciani ep.de inuẽtione S.Stephani, cui plurimum defert idẽmet Baronius ad diẽ vigeſimũ ſextum Decembris ſic Gamalielis nomine præfatur: *Cognoſcentes Iudæi Nicodemũ eſſe Chriſtianum,amouerunt eũ à principatu ſuo,& anathematizauerunt illum, & de ciuitate eiecerunt, tunc ego Gamaliel quaſi perſequutionem pro Chriſto paſſum,ſuſtuli eũ in meũ agrum,& alui & veſtiui vſque ad finẽ vitæ eius,& defunctum honorificè ſepeliui iuxta Dominũ Stephanũ:* Sub hac igitur tam immani tyrãnide multi in ciuitatibus & oppidis in angulis domorũ,& parietũ hiatibus,& ſubterraneis cubilibus latuerũt: cũ verò acri in hos ſtudio Perſecutores inquirerẽt: Paulus quippe de ſe Act.c.26.v.10. *Nã Ieroſolymis multos ſanctorũ ego in carceribus incluſi à principibus Sacerdotũ poteſtate acceptâ;* neque Metropoli ſatiatus, *Acceſſit ad principem Sacerdotum,* (Act.c.9.v.1.) *& petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad Synagogas,vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros,ac mulieres,vinctos perduceret in Ieruſalem:* Factum eſt, vt oppidis deſertis cogerentur in ſyluas & auia prodire, ſcopulorúmque habitare ventres,& terrarum voragines, vt quondam alij ſanctorum, de quibus memorat Apoſtolus ad Hebr.c.11.v.38. *In ſolitudinibus errantes, in montibus,& ſpeluncis,& in cauernis terræ;* atque hæc erat tantæ acerbitatis mœſtiſſima facies.

*Ieroſolymitana Eccleſia ſæua perſecutio.*

Act.8.1.

Et 11.19.

Lucius Dexter.

Lucian.

Act.26.10.

Act.9.1.

Hebr.11.38.

12\. Iam verò notum eſt Chriſto tribui quæ eius membra patiuntur; nihil mage vulgare Seruatoris ad Paulum in hac ipſa perſecutione, clamore dicentis ab alto: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Actor. cap. 9. verſ. 4. In hunc igitur modum Eccleſia introducit Sponſum, qui ſaliat in montibus, tranſiliat colles, multâque fugiat vi, caprâ, hinnuliſque velocior penè: ſignificatur autem diſperſorum ea pars, quæ pagos & oppida deſerere coacta eſt, cúmque in eremi vaſtitate nondum ſecura à collibus ad alios migrare colles adigebatur, quo in deceſſu imminentibus ſæpè hoſtibus, cùm ad ſalutem curſus ipſe velut moroſior, tanquam volare impellebantur; itaque non immeritò capræ, hinnulôque ceruorum ſimiles; altera verò pars, eáque præſtantior in vrbibus & vicis abſcondebatur, ſed cùm foràs prodire non auderet, rectè deſcribitur ſtans poſt parietem, ſummáque attollens capita in feneſtras & per cancellos: pulchrè itaque fugæ normam & in ciuitate & in deſerto memorauit: Bene; ſed eius particulæ, *vox Dilecti mei*, quænam cum iſtis germanitas? optima imprimis: ſiquidem, vt egregiè noſter perpendit Sanctius ad cap.8. Actorum, non ex metu, & degeneri quadam formidine primi illi credentes fugâ ſaluti corporis conſulere voluerunt, nam abundantiori ſacræ in Chriſto per baptiſmum regenerationis muſto, pleni, quod cumulatiſſimè tunc effuſum eſt, ſegnes ad interitum gladios prouocaſſent, modò ita conueniret; quamobrem igitur prolapſi è manibus hoſtium? ſcilicet vt Apoſtolis Magiſtris ſuis obtemperarent: hi námque didicerant à Præceptore ſuo Chriſto IESV: *Cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam,* Matth.10. v.23. quo de mandato floridiſſimè diſſertat Apologia de fuga ſua: *In lege* (ait) *præceptum erat, vt conſtituerentur ciuitates refugiorum, vt qui quomodocumque ad necem quærerentur, ſeruari poſſent; in conſummatione porrò ſæculorum, cùm aduenißet illud ipſum Verbum Patris, quod Moyſi antea locutum fuerat, rurſus hoc præceptum dedit; cùm vos, inquiens, perſecuti fuerint in ciuitate iſta, fugite in aliam; paulóque poſt ſubijcit; cùm videritis illam abominationem deſolationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam conſiſtentem in loco ſancto (qui legit, intelligat,) tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes,* &c. vides in ciuitate, vides in montibus abſcondi? cùm ergo Chriſtus talia præcepta dederit, probè ante ſermonem de fuga in perſequutione, præmittit: *vox Dilecti mei*, &c. ipſius enim hoc eſt conſilium, ipſius omninò inſtructio. Quod ſi verſu antecedenti ſatis declaratam Perſecutionem in Stephani morte aliquis arbitretur in adiuratione filiarum Ieruſalem, hoc quidem carmine referri arbitretur quæ ab eiuſdem Protomartyris feruentiſſimâ oratione manauit Pauli Conuerſio, nam cadens in terram, vt Lucas memorat, Act.9. v.4. *audiuit vocem dicentem ſibi: Saule, Saule quid me perſequeris?* & hanc eſſe vocem intelligere valeamus, quam Dilecti ſui eſſe Sponſa narrat. Quòd verò idem Sponſus, montes tranſilierit, ſignificatio eſt, à ſummo cælorum deſcendiſſe, & propè Apoſtolum conſtitiſſe, indéque factum vt viderit illum, quemadmodum Barnabas atteſtatur dicti cap. v.27. ipſéque Paulus 1. Corinthiorum cap. 9. v.1. mons enim altiſſimus eſt Olympus ædificatus in vertice montium: perſtrictis autem ob fulgorem luminibus non ſatis diſtinctè Ieſum intuebatur, & propterea interrogabat: *Quis es Domine*, ſicut obſeruatum à Lorino & Cornelio; inde eſt, quòd poſt parietem Sponſus latuerit, & non ſe perſpicuè cernendum præbuerit, ſed per cancellos & feneſtras: atque hac planè de mirabili conuerſione alia ſcire deſiderantem amandamus ad Lucæ interpretes cap.9. Actorum; ſingulariter autem ad noſtros, Iuſtinianum diſp. 3. ex præludialibus in Apoſtolum cap.4. Thomam Maſſutium lib.2. de vita S. Pauli cap. 2. & 3. qui epiſtola Dedicatoria operis ad Beatiſſimam Dei matrem cum Lorino & Cornelio ad verſ. 58. cap. 7. Actorum prodit, in porta Ephraim quæ nunc Sancti Stephani vocatur, lapidem extare & hodie, quem peregrini cum magna religione deoſculantur, vbi Chriſti genitrix cum Euangeliſta Ioanne ad torrentem Cedron in Stephani agone filium poſitis genibus deprecabatur, vt Stephanus Martyrium feliciter conſummaret, Saulo animus mutaretur & de perſecutore Eccleſiæ fieret ſtrenuiſſimus propugnator: eius rei meminit illuſtriſſimus Princeps Nicolaus Radziuillus in peregrinatione ſua Ieroſolymitana pag.60. §. *In monte*, niſi quod ſtetiſſe Virginem orantem dicat.

Act.9.4. *Chriſtus in ſuis ſimilis eſt capræ, hinnulóque ceruorum, dū modò fugit in montibus, tranſilitque colles, è ciuitatibus fugiēs in Perſecutionibus: modò proſpicit per cācellos dū in vicis abſconditur.* — Sanchez. — Matth.10. 23. — D.Pauli Cōuerſio. — Act.9.4. — 1.Corinth. 9.1. — Lorin. Cornel. — Iuſtinian. Th.Maſſut. — N.Radziuil.

13\. Quod ſi dogmaticè hunc interpretari locum velimus, eo communiri exiſtimo præuenientem Dei gratiam, pulſantem & excitantem corda hominum vel vt ad pœnitentiam conuertantur; vel ſi nondum crediderunt, tamen ſi diuinis inſpirationibus, quibus Deus eos ad vlteriora prouehere intendat, obtemperauerint, tandem ad fidem & iuſtitiam perueniant: *itaque Dilecti vox eſt*, nam ipſe clamat per illuminationes, & affectiones: vis noſſe vbinam loquatur? *Sapientia* (inquit Parœmiaſtes, c.1. verſ.20.) *foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua, dicens: vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? quia vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis:* Ipſe quidem properat, & feſtinat, vt nobis ſuccurrat, vnde *ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis capræ, hinnulôque ceruorum:* Intuere qualem deſcribat Pſalmodus, quàm in opitulando velocem? *Exultauit vt gigas ad currendam viam* (Pſalm.18.v.7.) *à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Sed bellè Chryſoſtomus percunctatur hom. 7. in Ioannem: *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines ſine lumine manent? neque enim omnes Chriſtum agnoſcunt, quomodo ergo illuminat omnem hominem? illuminat profectò quantum in ipſo eſt. ſi qui autem ſponte ſua mentis oculis conniuentibus ad huius lucis radios aciem dirigere noluerint; non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, ſed ex malitia ſua ſponte tanto ſe dono indignos reddiderunt.* Quoniam verò auxilium Dei non talis eſt naturæ, cui diſſentire & refragari voluntas non queat, id quod Caluinus edocebat adſtruens lib.2. Inſtitutionum cap.3. §.10. noſtræ haud eſſe poteſtatis motioni vel obtemperare, vel reniti, ſed quod repellere arbitrium hominis valeat ex Tridentini declaratione ſeſſione 6. Canone 5. propterea rectè ſubnectitur: *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos:* expectans videlicet amplexari à nobis inſpirationem ſanctam & non contemni. Foribus igitur mentis aſſidet diuina miſericordia, valuæ & feneſtris imminet, quæ ſi aperiantur,

Vox Dilecti *per gratiam præuenientē.* — Prouerb.1. 20. — Pſalm. 18.7. — Chryſoſtom. — *Gratia Præueniens non infert vim libero Arbitrio.* — *Diuina Miſericordia foribus, & feneſtris aſſidet.*



intrabit; ſin autem duritia oſtium claudat nolens obſecundare humanus Spiritus, Deus arbitrio vim non inferet, cùm ſui iuris eſſe voluerit, qui, *niſi eius gratiæ homines defuiſſent* (loquitur Trident. ſectione memorata cap. 13.) *ſicut cœpit, bonum opus perficeret*; quare eximiè Auguſtinus lib.83. Quæſtionum, de cœna tractãs, ad quam inuitati plures leguntur in Euangeliis, quæſt.68. *Itaque nec illi debent ſibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed ſibi tantùm; quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate.* Ambroſius autem gratioſè in feneſtræ metaphoram ſermone 8. in Pſalm. 118. in illud; *Miſericordia Domini plena eſt terra*, &c. *Sol iuſtitiæ* (ait) *omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit: Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat, vt ſi quis clauſis feneſtris radios ſolis excludat.* Nemini itaque ſe rerum Deus Gubernator ſubtrahit, omnes homines vult ſaluos fieri, omnibus ſufficientia præparat ad ſalutem media etiam infantibus in vtero materno; etiam feritate immaniſſimis incolis terrarum: & quoniam gratiæ à nobis cooperandum eſt, vult aperiri oſtium, recludi feneſtras, atque idcirco ſtat poſt parietem expectans in longanimitate, & annunciare Prophetam iubens: *Dic ad eos, viuo ego dicit Dominus Deus,* (Ezech.c.33.v.11.) *nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua & viuat: conuertimini, conuertimini à vijs veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſraël?* habent itaque intus manentes ſufficiens auxilium, alioqui pulſans ad oſtium quo iudicio poſtularit reſerari ab eis ſeu feneſtras, ſeu portas? inſtat verò, ne in vacuum accepiſſe gratiam appareat, ſed conſentiendo efficacem reddant; Quod ſi contumaces eſſe pergant, & nihili faciant inſpirationes; licet ob eam ingratitudinem non ita ſubtrahantur auxilia, quin homo abſolutè eorum præſidiis ſuffultus poſſit aut de lapſu reſurgere, aut in iuſtitia perſeuerare; tamen ſic extenuantur, vt ſæpiſſimè contingat, de facto cum eis neque in iuſtitiæ ſanctitate perſiſtere: nec è cœno emergere vitiorum: in hanc verborum Salomonis expoſitionem Beda declinat aſſerens, tunc Chriſtum per cancellos proſpicere, cum occultis inſpirationibus viſitat: Aponius: *Chriſtus* (inquit) *qui crucifixus eſt, ſtat reſurgens poſt parietem incredulitatis noſtræ, quem luteis operibus conſtrinxeramus peccando, ſtátque expectans ſe ab impijs inuocari.*

Conc. Trid. — Auguſtin. — Ambroſ. — *Omnibus neceſſaria ad ſalutem præparat Deus media.* — Ezechiel.33. 11. — Beda. — Aponius.

14\. His Canticorum effatis cognata eſt Apocalypſeos ſententia cap.3. verſ.20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum*; deſignatur enim præueniens Dei gratia, cum abſque inuocatione noſtra, & clamoribus ſeu externâ doctrinâ, ſeu interno ſono oblitos ſalutis comonefacit, quemadmodum Ambroſij cum titulo Commentarius exponit, Anſelmus, Ambroſius Ansbertus & Richardus Victorinus; neq; tamen inſpiratio eiuſmodi, aut motio quæuis, vt neceſſitatem adferat, reluctari enim poſſibile eſt, & cum ea diſſenſum componere, idcircò pulſans annectit: *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam:* quæ in verba pulcherrimè Andreas Cæſaræ Cappadociæ Archiepiſcopus c. 9. *Mea* (inquit) *præſentia nulli vim adfert: cordis oſtium pulſo, promptè aperienti ſuper ſalute ſua gratulor, illámque opiparæ cœnæ loco duco.* Eius abbreuiator Aretas pari dictione: *Aduentus meus* (ait) *violentus non eſt; oſtium cordis pulſo, aperientibúſque de eorum ſalute congratulor; delicias enim ac cœnam Hominum duco ſalutem:* Verum & gratiæ poſtea cooperantis, animámque comitantis in producendo ſanctum affectum, ſimultaneum & indiuiſibilem influxum, vnâ eâdemque phyſicâ actione amborum principiorũ ſupernaturalis auxilij, & naturæ, ſubinnuũt ſequentia, *Et cœnabo cum illo, & ipſe mecum*, vt ſolidè Pererius animaduertit diſp.28. in c.3. Apocalypſ. Qui totum hoc argumentum luculentè verſat, Cornelius etiam & Viegas comment.4. ſect.5. operæpretium eſt Conciliorum quoque definitionibus cõmunire: Ex Prouincialibus Senonenſe Canone 15. *Neque tamen tanta gratiæ neceſſitas libero præiudicat arbitrio: cùm tamen illa ſemper ſit in promptu, neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet, cui ſi quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum.* Colonienſe item p.7.c.32. *Nemo hîc excuſationem prætendat, quòd non trahatur, cùm Deus ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, vt conuertamur à via noſtra peſſima.* Bernardus ſerm. de conuerſione ad Clericos c. 2. *Neque ſanè laborandum eſt, vt ad vocis huius perueniatur auditum; labor eſt potius aures obturare ne audias: nimirum, vox ipſa ſe offert, ipſa ſe ingerit, neque pulſare interim ceſſat ad oſtia ſingulorum.* Similia Altiſiodorenſis lib.3. tract.2. q.5. Argentinas in 2. diſt. 27. quæſt. vnica art.3. Toſtatus verò quæſt.80. in cap. 11. Ioſue: *Gratia pulſatrix, vel præueniens ſemper aſſiſtit omnibus hominibus pulſando eos, vt moueantur ad bonum; & ſi aſſentiant huic motui, bonum operantur, atque recipiunt gratiam gratum facientem; & iſta gratia pulſatiua omni tempore aſſiſtit cuilibet homini pungens ad bonum, vt patet Apoc. 3. Ecce ego ſto ad oſtium:* Impia igitur & deteſtanda eſt Lutheri & Caluini aſſertio apud Bellarminum lib. 2. de Gratia & libero arbitrio cap. 1. §. *Altera ſententia*, &c. dicentium plurimos à Numine deſeri abſque ſufficientibus ad vitam æternam adminiculis.

Apocalypſ. 3.20. *Apocalypſis de gratiâ præueniente locus explicatus.* — Anſelm. Ambroſ. Ansbert. Richard. Victor. — Andr. Cæſarienſ. — Aretas. — Peretius. A Lapide. Viegas. — Concil. Senonenſe. — Colonienſe. — Bernard. — Altiſiodor. Argentin. Toſtat. — Bellarmin.

15\. At ſtatim vulgata obiectio proſilit de Barbaris fidei notitiâ deſtitutis: Siquidem naturali conditione impoſſibile erat, & iuxta ordinariam prouidentiam, vt crederent; fidem enim aſſequi abſque inſtructore & prædicante naturaliter repugnat; Sed ad nationes Oceani vaſtiſſimis fluctibus diſiunctas, exempli gratiâ, Americæ incolas abſque celebri miraculo multorum opinione deſtinari fidei Magiſtri non poterant; igitur ex natura rei media ad fidem neceſſaria obtinêre non valebant, & conſequenter nec quæ ad ſalutem deſiderabantur: Huius diſquiſitionis communis Reſolutio, infideles ſi modo debito diuinis reſponderent motibus ex legis naturalis plenâ obſeruantiâ, Numen illud æternum facturum, quemadmodum fidei myſteriis imbuerentur, ſeu ipſo immediato præceptore, ſeu per Angelos, ſiue per homines edocendo; quanquam autem in his inſolitum aliquid & rarum contingeret, vel ex apparitione cæleſtium Spirituum, vel per Hominum tranſlationem eorundem Angelorum ope in regiones mortalium conatibus inacceſſas; miraculum tamen in omni rigore putandum non eſſe, cùm vt talia fierent, rationes diuinæ prouidentiæ exigerent, quibus ſtatuit illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: Vide Suarium de fide diſp.12. ſectione 2. numero 15. Ruizium de Montoia de Prædeſtinatione diſp.46. ſectione 8. numero 22. venuſtè

*Barbariſſimis Nationibus etiam vltra Oceanũ procul diſſitis auxilia ad ſalutem ſufficientia prouidit Deus.* — Suarez. — Montoia.

Enchirid. Colonienſ.

venuſtè Enchiridion Colonienſe Chriſtianæ eruditionis de Sacramento Pœnitentiæ fol.92. *Quod enim Actorum* 14. *legimus Deum in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gentes ingredi vias ſuas, non ſic intelligendum, quaſi Deus gentibus ſuâ gratiâ defuerit; cùm gentes id, quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum habuerint, quod Deus illis per gratiam præuenientem manifeſtauerit; factum eſt, vt Gentes Dei gratiam contemnentes dimiſſæ ſunt ingredi vias ſuas.* Quare inſigniter Dionyſius culpam idololatriæ Nationum malarum non in præſides Angelos transferendam, ſed in prauam voluntatem ipſarum ſponte deſerentium quòd rectum eſſet de cœleſti Hierarchia, cap. 9. admonet, inquiens: *Errorem, quo barbaræ nationes in eos, qui dij non ſunt: deflexerint, rectis Angelorum præfectis non eſſe tribuendum, ſed illis ipſis, qui procliuitate ſuâ de rectâ ad Deum ferente viâ deflexerint amore ſui, contumaciâ*, &c. Proſper quoque Aquitanus ad cap. 8. Gallorum: *Omnium hominum cura eſt Deo; nemo eſt, quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conueniat; ſed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus; fidem autem hominis donum Dei eſſe fateamur*, &c.

Dionyſ. Areopag.

Proſper Aquit.

16. Equidem nulli tam ſtupidi mortales, & omninò rudes, qui tamen Auctoris bonitatem ex ipſa mundi creatura diſcere non poterant, & per ſenſibile opus inuiſibilia Creatoris: Actor. cap. 14. verſ. 16. *Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo, & lætitiâ corda noſtra:* Diuus Proſper libro contra Collatorem, cap. 14. *Trahit igitur ad Deum Contemplatio elementarum; omnium, quæ in eis ſunt ornatiſſima pulchritudo: inuiſibilia enim eius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Cuncti igitur nouerunt Deum eſſe, ſummâque præditum bonitate: concedamus itaque ſecundum naturæ leges exactè viuere, & Creatorem ſuper omnia diligere ſtudiosè conari, quamobrem naturalem cognitionem de Numinis bonitate, in eandémque affectum voluntatis naturalem quoque comitari non valeat cognitio pariter ſupernaturalis, amórque? neque enim ad ſupernaturalitatis rationem ab obiecto ſpecificari neceſſarium eſt, ſed ſufficit habitum aut principium ſupernaturale eſſe quamuis obiectum ordinis naturalis & inferioris ſit: habens igitur Gentilis cognitionem euidentem de exiſtentia Creatoris, eiúſque bonitate ſupernaturalem, qui oriatur à lumine aliquo per ſe infuſo diſtincto ab habitu fidei ſaltem præciſiuè & formaliter, poterit ex vi huius elicere amorem Dei ſuper omnia ſupernaturalem, quo iuſtificetur; facilis planè hæc via ad demonſtrandum auxilium Dei proximè ſufficiens ad conuerſionem adultis ratione fruentibus cuiuſcumque politiæ ſint, paratum eſſe, quin opus ſit vel Angelos inſtructores deſtinari; vel homines ex remotiſſimis transferri regionibus, qui catechizent: ſed quid Paulo reſpondeamus ſcribenti ad Hebræos, capite 11. verſ. 6. *ſine fide autem impoſſibile eſt placêre Deo?* quid Tridentino aſſeueranti Seſſione 6. cap. 8. *Perpetuum Eccleſiæ Catholicæ conſenſum tenuiſſe vt ſcilicet per fidem ideo iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis?* Sunt, qui arbitrantur non de fide ſtrictè conceptâ prout obſcura eſt cognitio diuinæ ſuppoſita reuelationi, exponendum Apoſtolum aut Concilij effatum, ſed de fide latiori vocabulo pro quauis ſupernaturali cognitione: Quod pronunciatum vt intelligi debeat plurimâ ingenij ſubtilitate, & ſingulari cum eruditione oſtendit P. Ioannes Martinez de Ripaldas tomo 1. de Ente ſupernaturali, diſp. 20. & 63. cùm à doctis amplexari viderimus opinionem, ſequemur: interim communi adhærentes iudicio; ſtatuamus ex ordinatione Diuinæ quæ de facto eſt prouidentiæ ſalutis hominum in vitam beatam, non dari auxilium præſertim efficax ad conuerſionem ſupernaturalem in Deum, quæ iuſtificet abſque præuiâ fidei, quæ ſtrictè nominatur cognitione: hoc autem ſubminiſtrari eis auxilium, qui obtemperant diuinis inſpirationibus, & faciunt quod in ſe eſt legis naturalis in obſeruantia; ita vt Numini nunquam vitio vertatur quin felicitatem exitus neſciam genus mortalium conſequatur; ſed in culpa homines ipſimet ſint, eas ob cauſas, quas ex Areopagita & Proſpero numero præcedenti demonſtrauimus: quonam autem pacto ex creaturarum teſtimoniis formatæ notitiæ Diuina ſe ingerat & intromittat prouidentia, & ad fidem & Iuſtificationem tandem prouehat, Leſſius noſter refert tractatu de Prædeſtinatione & Reprobat. Angelorum & Hominum, ſect. 6. num. 141.

Act. 14. 16.

D. Proſper.

*Gentiles ex cognitione Dei naturali potuerit ſupernaturalem Dei amoris ſuper omnia actum elicere, quo iuſtificarentur.*

Hebr. 11. 6.

Concil. Trident. *Quomodo, & quæ fides ad ſalutē omnino neceſſaria?*

Ioan. Mart. de Ripaldas.

Leſſius.





# Explanatio Didaſcalica in eumdem Verſum pro morum Inſtructione.

*Textus:* Vox Dilecti mei, ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles:
Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. en ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos. *Cap. 2. verſ. 8. & 9.*

*Amorem, non verborum phaleræ & lenocinia; ſed Beneficia & opera teſtantur.*

## Sectio I.

17. Plane Amor inſonat, vbi Dilectus memoratur; *Vox* (inquit) *Dilecti mei:* Quęnam ô Sponſa vox? qui ſermones eius? quidnam locutus ſit? Nihil audimus ab ore illius; An forſan inuerecundè profatus ſit, vt pudor extiterit retuliſſe? abſit iſtud, nam modeſtiſſimus eſt, cuius in labiis gratia nimirum diffuſa eſt, & proinde verba habens vitæ; ſed noueris ſanctæ, veræque Dilectionis morem eſſe, non per phraſes & ſententias ſe prodere, quæ inter homines inanes & vacuæ reperiũtur, at ex Beneficiis, & ſalutari opere, ideò ſubtectis, quæ à Sponſo dici potuerunt, ſubnectit munus Viſitationis, arduæ quidem, nam petroſa calcanda erãt, montiúmque faſtigiati apices; tranſiliuit lętabundus & hilaris; nec ſaltem, vt moram in redeundo traheret aliquam, difficultas viarum cogere potuit; Sponſi igitur amor Verborum parcus, munerum largiſſimus. Pertæſus malorum iunior ille imprudens filius ad genitorem recurrebat: proſpexit à longè venientem ſedulus Pater, *& accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, Lucæ c. 15. v. 20. Certè oſculum reconciliatæ pacis, & antiquæ amicitiæ pignus: ſed vbi dulces ſalutationes ad peregrè venientes? vbi mellita colloquia priſcorum geſtorum, & effundens ſe animus per verba nectar & ambroſiam redolentia? Itáne Parens ſuauiter dicere ignorat? atquin fauus diſtillans labia eius; ſed intuêre amplius, quemadmodum gnatus vt reſpondeat, prouocet? *Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus*; Neque his commoueatur, vt alloquatur gnatum, verùm ad ſeruos conuerſus, imperat illis, citò proferre ſtolam primam, annulum, & calceamenta, & vitulum afferre ſaginatum: ecce in donis munificum, qui in ſermone auarus eſt: ô certè Deus iſte eſt: Quippe filius, qui enormi & flagitioſâ vitâ Genitorem offenderat, cùm optaret reconciliari, nihil magis deſiderabat ſcire, quàm exutâ omni indignatione, Patrem in ſe blandum eſſe, ab eôque ſincerè diligi; nec latebat Parentem, gnati hoc eſſe præcipuum votum: Quando igitur veræ Dilectionis nota Beneficiis præueniſſe; idcirco ab aureis verborum abſtinens blandimentis, dona congerit, & propterea filio non reſpondens, famulis iubet ſtolâ, calceamentis, annulo adornare.

*Sponſus hîc beneficijs non ſermone ad Sponſam loquitur.*

Luc. 15. 20. *Non inani colloquio, ſed omnibus pij Parẽtis officijs amorem ſuum in filium Prodigum reuertentem teſtatur optimus Genitor.*

Negauit Magiſtrum Petrus in atrio principis Sacerdotum, tandémque ſibi redditus, & pœnitentiâ compunctus; *Egreſſus foras* (inquit Lucas c. 22. v. 62.) *fleuit amarè:* Sed ô quale dolentis Apoſtoli lamentabiles fuerunt threni dic nobis Sacer Euangeliſta! Refer, quibus ſe modis accuſauit; quas fuderat voces miſerabiles contriſtatus? Sed nihil de piis contra ſe querelis, tota de lachrymis Hiſtoria: Quid? Singultus ſpiritum intercluſerant, ne loqui valeret; loqui poterat, ſed noluit ſermonum Euangeliſta meminiſſe, vt quantùm doluerit, magis ſignificaret: Scilicet, pœnitentiæ excellentiſſimum fuiſſe genus innuere volebat, quale eſt, quem Dilectio vehemens generat; itaque tum, non famæ detrimentum, non peccati vituperium, non gehennę mouet horror, ſed mœror omnis eſt contra amatum, infidum & peruerſum extitiſſe: Quanquàm ſublatus eſſet tartarus, & reſtituta fama; tamen æternum fuiſſet lamentum, & penè inconſolabile, quoties ſubiret iniuriam aduersùs Dilectum commiſſam eſſe; Vt igitur regnaſſe egregiè amorem Petri in illa compunctione indicaret; tacuit de iis, quæ locutus ſit, & geſta, opúſque flendi memorauit tantum, nam probatio amoris exhibitio eſt operis: Sanctus Maximus hom. de Petri pœnitentia: *Ideò Petrus non vtitur ſermone, quo fefellerat, quo fidem amiſerat; ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult & cauſam ſuam flere, quàm dicere.* Eleganter Ambroſius, vt vocis dolori deprecantis abſolutionem quaſi legitimæ crederemus, oportuiſſe facta, lachrymas nimirùm præcedere lib. 10. in Lucam: *Non inuenio quid dixerit, inuenio quòd fleuerit: lachrymæ ſine horrore culpam loquuntur; lachrymæ veniam non poſtulant, & merentur; inueni, cur tacuit Petrus, ne tam citò veniæ petitio plus offenderet; antè flendum eſt, & ſic precandum.* 18.

Luc. 22. 62. *D. Petri pœnitentia non in vanis querelis, ſed in lacrymis tota recenſetur.*

*Mauult Petrus cauſam ſuam flere, quàm dicere.*

S. Maxim.

Ambroſ.

Cùm ſederet in oſtio tabernaculi ſui Abraham, apparuerunt tres viri ſtantes propè eum: hoſpitum munificentiſſimus exceptor inuitauit ſtatim: verùm nonne tenues ad epulas? Sic enim loquutus eſt Patriarcha; *Ponámque buccellam panis; & confortate Cor veſtrum, poſtea tranſibitis.* Geneſ. cap. 18. v. 5. egregium profectò fatigatis ex itinere ſolatium buccella panis: ne vni ſufficiat, quid tribus exiguum alimentum iſtud? Sed aliam longè diuerſam ſympoſij intueor eſſe faciem, 19.

Geneſ. 18. 5.

*Abrahamus ad ſolam panis buccellam hoſpites inuitat, & lautum inſtruit conuiuiũ, non multa locutus, ſed multa largitus.*

quàm vt Abraham pollicitus fuerit, ſiquidem epulaturis & vitulus optimus, tenerrimúſque præparatur, & butyrum cum lacte apponitur, & ſubcineritij coquuntur panes, & obſequij gratiâ licet famulorum in domo opulenta numerus ingens: non paſſus eſt ad armentum pergere quenquam, ipſe feſtinauit, & de melioribus vitulum elegit: ſi igitur tam lautus menſæ vultus, & ciborum plena ſatietas; quam ob rationem in principio ſolam panis buccellam ſpondet, nam quidem ſatis amplius extitit, vt Chryſoſtomus expendit hom.41.in Geneſ. *Vide liberalitatem Abrahæ* (inquit) *vitulum mactauit, & fermentauit farinam; audi & alacritatem, per ſeipſum, & per vxorem hoc facit; conſidera etiam quàm alienus à faſtu, adorat, & obſecrat:* Abraham nimirum, vt eadem hom. conſiderat Chryſoſtomus hoſpitalitatis inſignis amator erat; hunc itaque amorem quomodo probaret? num compoſitæ in adulationem eloquentiæ floſculis, & ſeſquipedalium promiſſionum tonitruo? imò tum ſuſpecta eſt Dilectionis veritas, cùm verboſa eſt oratio: pauca igitur dixit, & multa largitus, vt amorem facta munirent, ſententiæ non læderent: Oleaſter in nominatum Geneſeos locum: *Plura iuſti ſemper exhibent ex bonis, quàm promittant, inuitat eos ad buccellam panis, & inſtruit ſollenne Conuiuium; non ſic impij, ſed cùm multa polliceantur, perpauca exhibent.*

Chryſoſtom.

Oleaſter.

20. Benedixit ſenex Iſaac filio ſuo Iacob, inquiens: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*, Geneſ. cap.27. v.28. perſiſtit eiulando quoad ipſe & benedictionem adeptus eſt cognatam in his, quæ recenſuimus Eſau; *In pinguedine terræ, & in rore cæli deſuper erit Benedictio tua:* Ecce vtrique promiſſa eſt cæli benignitas, ecce & terræ; verum Iacobo ſpondet, vt à Deo accipiat: *Det tibi Deus* (ait) *de rore cæli*; Eſau non hoc permittit, quam ob cauſam? At quomodo locuples futurus Eſau niſi ex Creatoris dono? videlicet malus eſt, ſed æquè ſuper bonos, & malos ſolem ſuum oriri facit; verum cogita, qualenam de Eſau teſtimonium Malachias proferat cap.1. verſ. 2. *Nonne frater erat Eſau Iacob, Eſau autem odio habui*; ſed amor ex beneficiis cognoſcitur; quomodo igitur ſi odium eſt contra Eſau, dona congeruntur? aut ſi dignus inuentus eſt, cui munera conferantur, quamobrem Propheta inclamat, odium contra hunc, amorem erga Iacob eſſe? ô ingenium, ô ſubtilitatem; dona quidem Eſau acceperat, nam plurimam mundi huius ſubſtantiam nactus eſt, nec alius Largitor niſi Deus, ab ipſo namque vniuerſa emanant, ſiue permittat in quibuſdam, ſeu intendat poſitiuè in aliis; quia verò ex Beneficiis Amor diſtinguitur; per vatem autem ſignificaturus erat, odio proſequutum fuiſſe Eſau; quid agit, ne munera præſtans contrarius ſibimet videatur, ſimul diligens, odióque habens: ſubtrahit apud Moyſem Diuinitatis notitiam; ne ſi apertè ſcriberetur de Eſau, *Det tibi Deus de rore cæli*, beneficiis euidenter in Numinis clementiam tranſlatis, tanquàm de Prophetalis oraculi veritate quodam dubitaremus modo, propterea, quòd ex beneficiis Amor cognoſcatur.

Geneſ.27. 28.

*Cur non nominetur Deus, in Benedictione quam Eſau Iacob conceſſit?*

Malach. 1.2.

21. De temporibus Euangelicis Iſaïas læto carmine; *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces; non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium*, cap. 2. verſ. 4. ſed quare in vomeres enſes conuertantur? Numquid metalla deſunt, è quorum venis ſicut ea producitur materia chalybis vel ferri, quæ in gladios efformatur, curni etiam, de qua vomeres fiant? ſed percipe, non neceſſitatis eſt enſes coaceruari ad inſtrumenta findendæ glebæ; ideo verò agitur, ne amplius gladiorum apud mortales vſus ſit, verùm pace abundantiſſimâ fruantur nationes omnes; ex pace autem opes concreſcant maximæ, & mundus beatus in donis rideat: in ſymbolo ex Patrum expoſitionibus vt obſeruabam, Euangelij præmonſtratur felicitas, non ſolùm, quod tum clementia regnatura ſit, ſed ob munerum profuſiones ingentes Ioële dicente, *Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo*, cap.2. verſ.24. hæc nimirum commoda vomerum de gladiis conuerſorum; ſubnectit, vt de ſpiritalibus loqui intelligamus: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*, &c. ſed quare ſub lege gratiæ Beneficiorum iſta diluuia? cur non ſub Moyſe quoque? ſcilicet Euangelij lex Amoris nuncupatur, cùm prior illa timoris haberetur lex quod tempora iſta Numen ſpecialiſſimè diligeret: Quò igitur demonſtret nomen eximiè quadrare, veréque à ſe adamari, donis prodigâ diſpenſatione locupletauit, cùm ex muneribus amor reſplendeat: Tertullianus contra Iudæos: denique annunciat Iſaïas dicens; *Concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces, & non accipiet Gens ſuper gentem gladium, & iam non diſcent præliari: igitur intelliguntur alij, quàm nos, qui nouâ lege edocti iſta obſeruamus obliteratâ veteri lege, cuius abolitionem futuram actus ipſe demonſtrat? Nam vetus lex vltione gladij ſe vindicabat, & oculum pro oculo eruebat, & vindictam iniuriæ retribuebat; noua autem clementiam deſignabat, & priſtinam feritatem gladiorum, & lancearum ad tranquillitatem conuertebat; & belli priſtinam in æmulos legis, & hoſtis executionem, in pacificos actus arandæ, & colendæ terræ reformabat*; Sic ille de miti in proximum charitate; Nos vniuerſim non ſolùm de amore hominum aut in Deum, vel in ſui generis alios; ſed etiam, ídque potiſſimum, de Numinis affectu in Chriſtianam plebem.

Iſai.2.4.

*In Lege Euãgelica gladios conflandos in vomeres, & lanceas in falces prædicit Iſaïas ob pacis & inde munerũ abũdantiam.*

Ioël.2.24.

Tertullian.

22. *Afferte Domino Filij Dei* (exhortatur Dauid Pſalm.28. verſ.1.) *afferte Dominos filios arietum:* at qu d opus Numini filiis arietum? Nonne ipſius ſunt omnes feræ ſyluarum, omnes beſtiæ & pecora campi? Deus quidem arietum pinguedine non eget, nec viſceribus taurorum, ſed vult explorare populi erga ſe amorem; nihil enim hominibus grauius, quàm ſi ſubſtantiâ & opibus ſpolientur; propterea Iobo aduerſarius opponebat, tanquam non ſincerè amarit, qui diuitiis afflueret, nullámque ob Deum iacturam earum ſuſtinuerit: *Numquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum ac domũ eius, vniuersámque ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeſſio eius creuit in terra?* c.1. v. 10. Quò itaque adamari Creatorem ſyncerè à multitudine conſtet, imperat vt de pecoribus offerant & mactent in ſacrificiis: Chryſologus ſerm. 10. ad præfati Pſalmi verba: *Videtis, quia cæleſtis pater ſentit amorem donis, datis, effectu, probat muneribus charitatem:* quare Aaron noſſe volens, an leuis & perfunctoria quædam eſſet inſania improbi deſiderij Iſraëlitarum Deos alienos poſtulantium, mandauit; *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me*, Exod. c.32.v.2. perſuaſurus ſibi profundam eſſe amentiã ſtultiſſimæ voluptatis, ſi euſque progrederetur, vt quod in ſuppellectili maximè delicioſum, charúmque eſſet, prodigere non dubitarent: Teſtatus quæſtione 10. in dictum Exodi caput: *Aaron potuiſſet facere aliquem Deum de metallo alio, vt de æneis laminis, aut argenteis; voluit tamen de auro, vt fortè Iudæi auaritiâ retinendi auri ab incepto opere reſilirent.*

Pſalm.28.1.

*Filios arietũ (quibus tamen non egebat) in ſacrificium poſcebat Deus, quò plebs ſua ei ſuum opere teſtaretur amorem.*

Iob.1.10.

Chryſolog.

Exod.33.2.

Toſtat.



*Diuinæ vocis imperio, diuinis inſpirationibus cum omni feſtinatione obtemperandum.*

## SECTIO II.

23. SI quid homines qui maieſtate pollent, orbémque regunt, exigunt à famulantibus, vt ad nutum veloces obſequantur; quantò magis id debitũ ſupremo Monarchiarum omnium Gubernatori Deo? Et quidem optimates rarò præcipiunt, quæ in ſeruorum aut voluptatem aut commodum dirigantur; Deus quod nobis ſalutare eſt, quod vtiliſſimum, intimat. O ſegnes mortales! niſi vos reuerentia iubentis mouet, ſaltem damna impellant; *Vox Dilecti mei* inquit Sponſa, nimirum Gratia præueniens vt ex quibuſdam exponebamus, quâ pulſat Numen ad Cor, vt aut conuertamur à peccatis, vel à tepore, aut vt mundum deſeramus: Væ, ſi non continuò obtemperemus, in ictu enim oculi pertranſit, qui vocabat, & reſpuentes audire deſtituit; Nonne quidem in momento volat, qui ſalit in montibus, tranſilit colles ſimilis capræ, hinnulôque ceruorum: floridè Gregorius Nyſſenus homil. 5. in Cant. *Ecce enim inquit hic venit, non ſtans, neque permanens, vt per diurnam manſionem poſſit agnoſci ab eo, qui fixis oculis intuetur, ſed ſe ab oculis ſurripiens priuſquàm ad perfectam veniat cognitionem, ſaltans enim inquit ſuper montes, & tranſiliens colles*; Voci igitur Numinis famulemur abſque mora aliqua, & quia hoc maieſtas iubentis requirit; & quia nobis felicius nihil contingere valeat, quàm vt præſtemus.

*Voci Dilecti ſtatim obediendũ, quippe ſalit & tranſilit ſimilis capreæ hinnulôque ceruorum.*

Nyſſen.

24. De æterna Verbi generatione loquuturus Dauid, vt quanta fuerit Patris in gignendo celeritas declararet, Notariorum feſtinantiſſimis comparauit, inquiens Pſalm.44. verſ.2. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*, animaduertit tamen egregiè Auguſtinus longè ſupergredi humanam ſimilitudinem, *Velociter Dei tale eſt, vt velocius nihil ſit; in Scripturis enim ſcribitur litera poſt literam, ſyllaba poſt ſyllabam, verbum poſt verbum, nec ad ſecundum tranſitur niſi primo præſcripto; ibi autem nihil velocius eſt vbi non multa ſunt verba, nec tamen aliquid prætermiſſum eſt, cùm in vno ſint omnia*; Sed interpretemur aliter iſta, quaſi ex more quodam humano loquatur Pater & Verbum de opificio, creaturam, & mundum condere indicet: proh, quanta velocitas in auſcultando! *fiat lux* (ait Moyſes Geneſ.cap.1.verſ.3.) *& facta eſt*, ſine ambiguo, ſine interruptione Pater eructauit verbum bonum; filius exequutus eſt ocyſſimè, nam ſtatim protulit, *fiat*, continuóque *facta eſt lux*, ipſe mandauit & creata eſt; benè igitur lingua, quæ Patri obtemperauit, calamus ſcribæ velociter ſcribentis; percipiamus ex Zenone Veronenſi ſermone 3. in Geneſim: *Cùm imperat Pater orbem fieri, opus cum dicto completur à filio: quomodo autem, quotus, aut qualis fieri debeat, præcipit nemo, interrogat nemo: nec enim ſine Patris eſſe poſſit iniuria ſi hac neceſſitate opus eſſet illi, qui in ſinu Patris commanens, voluntatis eius perfectionem non didicerat, ſed habebat.*

Pſalm. 44.2.

Auguſtin.

*Quanta velocitas verbi diuini in parendo æterno Patri.*

Geneſ.1.3.

Zeno Veron.

Fuit etiam aliud verbum, quod Pater filio ſuggeſſit, videlicet, quem creauit hominem eundem vt redimeret, & propter hanc redemptionem carnem paſſibilem indueret; Numquid non tunc etiam lingua filij calamus ſcribæ velociter ſcribentis? incunctanter nempè Gabrielem excitauit, qui legatione fungeretur: Quanquàm verò aligerum deſtinaret miniſtrum, cuius in volando ſubtilitas ingens, tanquàm moras innecteret aliquas, velut anticipauit prior nuncio delatus, alioquin Puellæ quamobrem dicturus Archangelus: *Dominus tecum*, ſi famulum herus ſequuturus erat? & de hac ſanè feſtinatione in clauſtrum Virginale, hos in montibus, & collium apicibus ſaltus Patrum numeroſior cohors exponit; ſed qui omnia complectitur Bernardus producendus ſerm. 54. in Cant. *Ecce venit, inquit, ſaliens in montibus, tranſiliens colles: Sponſum loquitur, qui profectò tunc in montibus ſalijt, cùm miſſus à Patre ad Euangelizandum Pauperibus, Angelorum fungi non eſt dedignatus officio, factus magni conſilij Angelus, qui Dominus erat: per ſe deſcendit ad terras, qui alios delegare ſolebat: Bonus planè miniſter, qui ſpiritu alacer, charitate feruens, pietate deuotus, non ſolùm ſalit in montibus, ſed & tranſilit colles, id eſt, ſuperat, & vincit alacritate miniſtrandi; denique tranſilijt Gabrielem, & peruenit ad Virginem, eodem Archangelo teſtante, cùm ait; Aue gratiâ plena Dominus tecum: Quid? quem modò reliquiſti in cælo, nunc in vtero reperis? quonam modo? Volauit, & præuolauit ſuper pennas ventorum: victus es ô Archangele: tranſilit te, qui præmiſit te.*

*Verbum incarnandum, Gabrialem, Nuntium velociſſimum licèt, anteuertit tamẽ.*

Bernard.

25. Sed rerum molitione recèns creatam Angelicam naturam cum tripudio hymnos Verbo ceciniſſe ex Iobo nonnulli intelligunt, cap.38.v.7. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei:* Quando verò cantarunt Angeli? tum quidem, Baſilio Seleucienſi Auctore, cùm diſpulsâ caligine lux emerſit: At quamobrem non ante hanc, cælo, terrâque formatis; *in principio* enim *creauit Deus cælum & terram?* Conſidera, priuſquam lux formaretur, nocte conſepultum immani orbem totum, nam tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; adumbrabatur hoc rerum ſtatu inſignium peccatorum tranſmutatio, cùm de horrida & Cimmeria facinorum caligine tranſeant ad veritatis agnitionem; cælum autem, & tunc inarata tellus, nullîque ſubiecta maledicto, puras iuſtorum mentes deſignant: quanam igitur occaſione lætitia eſt Angelis Olympi habitatoribus? ex peccatorum ſanè pœnitentia & luctibus: *Dico vobis* (ait Chriſtus apud Lucam cap.15.v.7.) *quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* Rectè ergo cùm lux producitur, exhilarantur potiùs, quàm aut in cæli, aut in terræ productione. Verùm noſtro propoſito aptiùs: vocauit imperio lucem Creator vt prodiret; exiliit ſine mora, obſequuta eſt celerrimè: *fiat lux, & facta eſt lux*, Gen.cap.1.verſ.3. ſtupuêre ad promptitudinem Angeli, & Domini collaudarunt potentiam, quem inſenſibilis ita reuerita eſt creatura, vt ſpatia in parendo nulla interponeret: Doctor, quem iam allegaui oratione 1. *Lux verò cùm producebatur, Deus voce præiuit; meritò nunc loqui occupat, vt eius quod fit, ſenſu & admiratione Angelorum turbas moueat, qui imperium effectione rei comitatum conſpicati, eôque perculſi ſpectaculo, ad cognitionem, & hymnum Creatoris conuertantur; dicit enim Deus cum Iob diſſerens: Cùm aſtra faciebam, laudabant me omnes Angeli mei;* conſidera particulam eam; *qui imperium effectione* rei

Iob 38.7.

Baſil. Seleuc.

*Diuinas laudes celebrant Angeli, ſtatim vt creata eſt lux, quod hæc celerrimè Creatori vocanti obſequuta fuerit.*

Luc.15.7.

Geneſ.1.3.

Baſil. Seleuc.

*rei comitatum conſpicati ad hymnum Creatoris conuertantur*; nam demirati ſunt in obediendo iuſſis diuinis feſtinationem, vt ſimul cum imperio abſciſſis ambagibus, lux proſiliuerit.

26. Magdalenæ fratrem ex mortuis reuocaturus Saluator, voce magnâ clamauit; *Lazare veni foras*; obediuit continuò Sepulchrum, & vitale reſtituit creditum ſibi pignus; attende autem qualis aſcendat de monumento quatriduanus; *Et ſtatim prodijt qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Ioan. cap. 11. verſ. 44. Quamobrem talem emittit? cur non paululum ſubſtitit, vt comptiorem daret? Equidem in attonitis rebus, & perturbatis, ſiue diluuia terreant, ſeu incendia percellant, ſeu hoſtium improuiſus aduentus extremere faciat, qui politiſſimi alioquin, & in publicum nitidiſſimi ſemper prodeunt; tum inornati, cum ſqualore, veſtiúmque neglectu, fugam capeſſunt; ſcilicet metuunt, & Timor elegantiarum oblitos reddit: formidine igitur trepidantes ſubterraneæ caueæ, quoquo modo reſtituerunt compoſitionis nullam habentes rationem: Sed quid metuebant? ne ſi moras traherent poſtquam IESVS vocauit dum faſciæ ſoluerentur & ſudarium amoueretur, ob tantillam dilationem vapularent ſepulchris cunctis tanquàm euacuatis: percipiamus à Chryſologo ſerm. 65. *Tunc Tartarus ligatis manibus, & pedibus Lazarum retulit ad ſuperna, timens & tremens, ne dum ſoluit, ne dum moras facit, ne dum tardius reddit vnum; omnes cogeretur afferre:* Videant, videant omninò filij Adam, qui diuinæ vocationi ſerò & faſtidioſè auſcultant; ſeu Genitor, ſeu frater, ſeu Amicus detinet, multóque magis, ſi qui vocatur, ipſe ſponte ſuâ retardat; pluet ſuper generationem hanc ira Domini grauis & acerba; hinc bonorum naufragia, hinc ſobolis amiſſio, hinc famæ labes: Quid? Luet Buſtum, ſi Lazarum detineat, & illi pœnas non ſoluent, qui obturauerunt aures, & Deo reſtiterunt inuitanti ad cœnam nuptiarum Agni Sponſi, & vxoris eius?

*Ioan. 11. 44. Quatriduanũ Lazarum, vel etiam ligatũ & incomptũ præ feſtinatione, Chriſti Iuſſioni reddit ſepulchrũ quàm primũ.*

*Chryſolog.*

27. Felix autem quicumque licet olim magnus Peccator, tamen cùm à Domino vocatur, properat velox in occurſum: Zachæus Princeps Publicanorum erat, audit nihilominus ab ore Redemptoris: *Quia hodie ſalus domui huic facta eſt; eò, quòd & ipſe filius ſit Abrahæ*, Luc. cap. 19. verſ. 9. Spreuítque ſuſurros murmurantium, quoniam ad hominem peccatorem diuertiſſet: quid placuit in Zachæo? nempè, quia dimidium Bonorum pauperibus obtuliſſet, & quadruplum iis, ſi quos defraudauerat? optimum iſtud? Verùm, circumſpice aliud pariter; mox, vt imperauit IESVS ex Sycomoro deſcendere illum; *feſtinans deſcendit*; non famulos aduocauit & interim donec adueniſſent, ſedens in cacumine ſylueſtris ligni expectauit; non excanduit ob iuſſum licet coram multitudine, cùm tamen diuitias faſtus ſequatur, & de opulentis alius patienter non ſuſtinuiſſet, imò contempſiſſet præcipientis mandatum; nihil horum ille, ſed alacris & promptus è ſpecula ſe dimiſit: Laurentius Nouarienſis homilia de Pœnitentia IESVM cum murmuratoribus loquentem inducit: *Quid vos indignamini talem operarium? tam maturè conuerſum poſſum repellere, & non libenter recipere? & hunc deſpicere tam citò tranſlatum de malo in bonum, de præda ad palmam*; perpende illud met; *tam citò tranſlatum de malo in bonum*; neque enim repulſurus erat Chriſtus eum, qui tam citò vocanti reſponderat.

*Luc. 19. 9. Quòd feſtinãs ad vocem Chriſti deſcendiſſet Zachæus, ſit filius Abrahæ, & ſalus eius domui facta eſt.*

*Laurent. Nouarienſ.*

Præluſerat Monachatui Euangelij, illúmque referebat ſelectiori vitæ diſciplinâ Elias, & quaſi ad Religionem indicaturus vocationem eorum, qui à mundo ſeparantur, conſpecto Eliſeo arante in duodecim iugis boum, *miſit pallium ſuum ſuper illum: qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam*, Reg. 3. cap. 19. verſ. 19. At cur non rei familiari diſtribuendæ temporis aliquid datum? cur non valedicendis cognatis & ſodalibus charis? cur non ſaltem Boues domum reduxit, ne præda fuiſſent tranſeuntibus in agro relicti, patentibúſque aruis? tantùm oſculo impertito Genitorem ſalutauit, & in hoc fortaſſe ob legis imperfectionem indultum illi, nam in Euangelio poſtea volenti Patrem ſepelire Chriſtus reſtitit, itaque licet, quod piiſſimum videatur, non inter propinquos, ſed Pauperibus gazæ diſtribuendæ ſint; alij faciant; quem Redemptor vocat continuò ſequatur eum, exeundum eſt ſeculo quàm primùm; paucis conceſſum quod in Lotho factum eſt: *Diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eduxerúntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem.* Geneſ. cap. 19. verſ. 16. prudenter igitur in typo illorum, qui ad Cænobia pertrahuntur diuinis ſuaſionibus, Eliſeus abſque mora iuga Boum, & orationem deſeruit: Nilus Abbas in Aſcetico: *Hæc promptum ardentis animi ſtudium declarant; neque enim dixit; vendam inſtrumenta Boum, & prudenter diſponam; neque conſiderauit ea, ſi venderentur, emolumenti plus allatura; ſed cùm totus incenſus eſſet cupiditate, quâ ad Magiſtri neceſſitudinem rapiebatur; neglexit ea quæ videntur, & ab illis ſe tanquam à recto propoſito reuocantibus ſtuduit explicare.* 28.

*3. Reg. 19. 19. Eliſeus relictis bobus ſuis ſtatim ſequitur Eliam: Cænobitarum Chriſtum confeſtim ſequentiũ ſymbolum.*

*Gen. 19. 16.*

*Nilus Abb.*

Iuſſus Abraham filium immolare, ſine mora acquieuit, neque diem expectans præ ſtudio feſtinandi, *de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum.* Geneſ. cap. 22. verſ. 3. Quæ ad verba Origenes homilia 8. *Non deliberat, non detrectat, non communicat cum vllo homine conſilium, ſed ſtatim occupat iter.* Dices: ſi ob hoc laudatur Patriarcha, quod ad prima diuinæ præceptionis ſigna incunctanter obſequutus fuerit; quare poſtea, vt à filij abſtineret mactatione ab Angelo admonitus, non primæ ceſſit clamantis voci, ſed geminare ſonum opus fuerit, bis enim ab æthere intonuit, *Abraham, Abraham*? Reſpondeo, & in parendo celeritatem hoc quoque commendari facto: egregiè ſiquidem Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 8. *Repetiuit vocem, tanquam veritas, ne præueniretur ſtudio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non poſſet:* Deinde aliud eſt viros ſpiritales ſentire loquutionem internam in ea hortantem, quæ caro & ſanguis reſpuit; cùm enim Satan ad hæc allicere non conſueuerit, putant non opus eſſe multâ conſultatione, vt Dei eſſe vocem arbitrentur; aliter ſe gerunt, cùm quæ iubentur, ad commodum præſertim inferioris & carnalis hominis ſpectant; tum quippe deliberant, exploraturi ſi fortè in Angelum lucis ſe transformat nequitiarum inuentor; Quoniam igitur caro dolebat in ſobolis iugulatione, continuò obſecundat; & quia eadem exhilarabatur ex indulgentiâ & commutatione ſacrificij, tantiſper ſubſiſtit, quoad ex geminatione vox ſatis dignoſcatur: Verùm audiendus Cyprianus; de Bono patientiæ de Abraham tractans, inquit: *Sic Abraham Deo credens, & radicem & fundamentum fidei primus inſtituens, tentatus in filio non dubitat, neque cunctatur;* itaque tanquam ſignificare videatur, idcirco tam promptum in obtemperando quanquàm in re 29.

*Geneſ. 22. 3.*

*Origen. Abrahami in exequendo diuino de filij mactatione præcepto celeritas.*

*Ambroſ. Cur Abrahã bis vocatur è cœlo, vt ab incepto filij ſacrificio deſiſtat?*

*Cyprian.*

ſingulari



ſingulariter arduâ, quoniam fidei velut plantator; qui enim fidei cognitione excellit, cùm is ritè penderit, Deum eſſe qui iubeat & inſtet, & qui vocet, is nimirum qui vel auſcultantibus pro exiguis ſudoribus immortalis æui perpetuam reſeruat hilaritatem bonis omnibus ſimul conglobatis; vel ſub luridæ noctis atrâ caligine æternùm gemere cogat; quonam pacto vel in vnum remoretur inſtans? Quamobrem mortalium ingens numerus propterea obduratur quòd vel fides ſine operibus mortua eſt, aut certè languet & infirmatur ob teporem: idcircò Cainum illum, qui tardè ad ſacrificandum proceſſit, Bernardus venuſtâ appellatione, fideicidam nuncupauit: *Factum eſt autem* (ait Moyſes Geneſ. cap. 4. verſ. 3.) *poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*; ecce qui fidem quaſi plantauit Abraham, & ob eam cauſam fidelium vocatus Pater, properat ad immolandum, de nocte conſurgit, feſtinat anhelus; Cain tardigradus ſacrificulus, ille qui poſt multos dies offert, neque de pinguioribus tamen, fidem enecat; Bernardus ſermone 25. in Cantica: *Quid diuidis actum à fide? iniquè diuidis fidem perimens tuam; nam fides ſine operibus mortua eſt: Non mirum ſi Cain inſurrexit in fratrem, qui ſuam priùs occiderat fidem: quid miraris ô Cain ſi ad tua non reſpicit munera, qui te deſpicit? etſi nondum fratricida, iam tamen fideicida tenêris.*

*Cain tardus in ſuo ſacrificio dicitur fideicida.*

*Geneſ. 4. 3.*

*Bernard.*

---

*Dei, mundique contrariæ opiniones; contrarij, & diſpares vſus.*

## SECTIO III.

30. IN montibus quidem Dilectus, ſed non pauſat, non remoratur; fugit ſagittâ penè ocyus, certè quod nemo dubitet fertur velociſſimus capræ, hinnulorúmque inſtar. O fugam à montibus; ô collium deteſtationem! quonam igitur perrecturus, vt requieſcat? planè ad Valles: Sed quinam montes? quæ Valles? potentes ſæculi, qui ducunt in lætitia dies ſuos, & in labore hominum non ſunt, qui propter honores & opes inflantur, & ſuperbiunt, iuga altiſſima ſunt editorum ſaxorum; Valles pauperes cenſu, ſed Spiritu pauperiores, & mente compuncti, de quibus erubeſcit mundus: Confer modò ſæculi, & Chriſti opiniones; ſæculum, videlicet qui de ſæculo homines ſunt pietate carentes, optimatum terenda eſſe limina pronunciant; ambiendam illorum gratiam, colendos eos ſolos contemptis pauperibus & humilibus: Redemptor verò noſter faſtidit diuites tumentes, procul diſcedit; requieſcit autem ſuper humilem & trementem verba illius, & cui non eſt adiutor, neque conſolatio; hinc eſt, quod mundus à vallibus tranſit, à pauperibus declinat & moratur in petrarum faſtigiis, in montium apicibus; è diametro Sponſus venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, vt in vallibus habitet, & manſionem faciat; ita ergo & Chriſtus & mundus ſtudia in contraria certant: Bernardus ſermone 54. in Cantica: *Fratres, ſi iuxta ſapientiam Pauli ſcripta ſunt iſta ad correctionem noſtram, obſeruemus Sponſi diſcretos & circumſpectos ſaltus, quemadmodum videlicet tam apud Angelos, quàm apud nos, & in humiles ſaliat, & ſuperbos tranſiliat; ſiquidem excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit; hæc inquam attendamus quo cauti ſimus Sponſi nos ſalutiferis ſaltibus præparare, ne veluti à montibus Gelboë fortè tranſeat & à nobis, ſi indignos nos ſuâ viſitatione conſpexerit.* Porrò montium vocabulo non vnum faſtus vitium, ſed animæ multa alia inquinamenta concipi valeant, vt & vallium ſymbolo plures ab humilitate diuerſæ virtutes; quin & in generali elationis nomine quàm multi latent peruerſi affectus, nam alia eſt ſuperbia ab eruditione, alia à ſtemmate, alia à pulchritudine, alia à magiſtratu & opibus; itaque vt compendio dicamus montium & vallium appellationibus oppoſitos vitiorum, virtutúmque habitus ſubintelligere fas eſt, vt tam lata cogitetur eſſe opinionum diſſenſio inter Chriſti ſectatores & mundi huius amatores; quàm vitiorum, atque virtutum latè pateat ambitus.

*Sponſus montes & colles (Diuites nẽpe & ſuperbos) velox tranſilit, & in valles (humiles nimirum & pauperes) ſalit, longè contrario hominibus more.*

*Bernard.*

31. Plures ducere vxores Hebræis olim conceſſum; in tanta multitudine non æquè omnes Marito placituræ; nam vel ſeuerior indoles, aut vuluæ ſterilitas, aut formæ obſcurior gloria primum virorum amorem intepeſcere conſueuerunt; diligebatur itaque altera, alterius tædium erat; propterea Odibilis vna nuncupata, alia Dilecta: ergo teſtamentum vir condat, bona inter filios diſtribuat, quam prælaturus fuerit ſobolem? odioſæ ſcilicet? Sed quando homines ſæculi ita facturi? reguntur affectu, non iudicio, æquitatem libido vincit, proles ob matrem, quam oderant inuiſa, & propterea ſi quo poſſint modo, vniuerſa in gnatos dilectæ transferrent; reſpuit hanc partitionem Numen, & primogenito licet de odioſa ſato duplicia tribui mandat Deuteronom. cap. 21. verſ. 15. *Si habuerit homo vxores duas, vnam Dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, voluerítque ſubſtantiam inter filios ſuos diuidere: non poterit filium Dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia:* Quod ſi ad myſticos tranſeamus ſenſus; vxor amabilis voluptas eſt; quæ terret, virtus eſt; in cuius itaque progeniem non dicam congeruntur duplicia, ſed millena quoque? nonne certè in delicias? nulla patrimonia ſufficiunt veſtium luxui; quid de ferculis loquar tranſmarinis? Quid de ædificiorum ſumptibus? Quid de hortis & pomœriis? Quid de equitatu & quadrigis, déque familiæ numero ciuitatum incolis pari? in tanta prodigalitate ſolùm contra virtutem eſt auaritia crudelis; iacet ad limen inops Lazarus, quanquàm fide conſpicuus, innocentiâ glorioſus, lenitate eximius; nec vno tamen clamabat ore; tot eius labia quot vulnera; non mouetur ſuper illius in lectulo doloris tabe heluo purpuratus, nec menſarum analecta largitur: ô lamentabilem filij odioſæ ſtatum! Hæc eſt inuerſio filiorum Adæ, hoc Deo ſemper pugnare qui de mundo ſunt: in mundo erat, & mundus eum non cognouit; nam cognoſcere ipſum eſt vias eius ſequi, ſed mundus in oppoſitos deflectit ſemper calles: Ambroſius libro 1. de Abel & Cain cap. 4. *Duæ enim mulieres vnicuique noſtrûm cohabitant, inimicitijs, ac diſcordijs diſſidentes, velut quibuſdam zelotypiæ contentionibus noſtræ replentes animæ domum: vna earum nobis ſuauitati & amori eſt blandæ conciliatrix gratiæ, quæ vocatur voluptas; hanc nobis opinamur ſociam ac domeſticam; illam alteram immitem, aſperam, feram credimus, cui nomen virtus eſt*, &c. Proſequitur deinde longâ Allegoriâ, quam tranſcribere prolixus labor eſſet; conſulat eloquentiſſimè diſſertantem plura diſcere volens.

*Deuteron. 21. 15. Viro habenti duas vxores (virtutem, odioſam; & voluptatem, dilectam;) iubet Deus, Odioſæ Primogenito duplicia de omnibus dare.*

*Ambroſ.*

Iuſſit

32\. Iuſſit Numen Iſraëlem epulari, iuſſit agnum manducare,ſed intuere conuiuij figuram : *Sic autem comedêtis illum : renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus,& comedêtis feſtinanter ; eſt enim phaſe (id eſt tranſitus) Domini*,Exod. cap.12. verſ. 11. At,quæ nouæ iſtæ ſympoſiorum leges ? qui ritus ſingulares ? Veſtem colligere & lumbos cingere non diſcumbentium eſt, ſed eorum qui miniſtrant ſeruorum ; intraturi etiam ad menſam ſoleas & calceamenta deponant,ſeu vt lauentur pedes vnguento ; ſeu,ne aulæa ſordes accipiant vllas : liberæ quoque & ſolutæ manus ſunt, non baculo præpeditæ ; denique ſpatioſè in conuiuio ſedendum,locus enim iucunditatis eſt, non præproperè feſtinandum : porrò & altero loco monet, vt ſi princeps inuitet,gutturi hoſpes cultrum apponat,Prouerb.cap.23.verſ.1. Obſeruauit acutè peregrinam epulandi normam Gregorius Nyſſenus in vita Moyſis,§.*Quomodo igitur*,&c. *Accedit,quòd edendi modum non remiſſum quendam tradit,vt in conuiuijs fieri ſolet,vbi conuiuæ ſedent manibus liberis, & pedibus non ad iter calceatis, & ad hæc effuſis induti veſtibus ; ſed contra quaſi ad iter pedes iuſſit comedendo habere duris calceis calceatos, cingulo ſuſtineri, ac comprimi veſtem ne effundatur,ac in manibus baculum teneri,quo canes arceantur ; in hac itaque diſpoſitione feſtinanter agnum comedere iubentur, non operosâ coquorum arte præparatum,ſed igni vt contigit aſſum, & cum omni celeritate raptim illum abſumere:* Quidnam igitur Numen compulerat Gentium in ſympoſiando communes cærimonias nouare aliâ introductâ regulâ ? manifeſtum eſt (ſubiungit Nyſſenus) *altius quoddam hoc comedendi modo voluiſſe legiſlatorem nobis oſtendere : Quid enim ſi rectus, an ſedens ? Si vt ad iter calceatus, an aliter ? ſi feſtinanter, an maturè ? ſi baculum manibus teneas, an non ?* Docemur itaque hoc geſto, perpetuas eſſe inimicitias ſæculi amatorum, & diuina colentium ; mundi adulatores veſtem dimittunt ; Dei ſeruus colligit ; illi calceamenta exuunt, hi aſſumunt ; illi cum otio manducant, hi feſtinanter ; itaque in ſingulis contrarietas eſt ; & ſi vis particulatim ad epulas deſcendere ; mundus ſympoſiatur in riſu & hilaritate ; Dei famulus in compunctione, & idcircò illi pinguem de armento vitulum mactant, & in phialis aureis bibunt quoad inebriantur ; hi lactucis agreſtibus paſcuntur,& azymos comedunt panes.

Exod.12.11. *Ad Conuiuium, iubet Deus renes accingere, calceamenta in pedibus habere, baculum tenere in manibus, &c. Contraria hîs omnibus exigit Mundus.*

Prouerb. 23.

Nyſſen.

Idem.

33\. Iturus ad contemplandam viſionem magnam, appropinquare Moyſes prohibetur : *Ne appropinques,inquit, huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis ; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*, Exod. cap. 3. verſ. 5. Eſto Domine ſanctus locus ſit, verùm ſpinoſus pariter eſt,concede muniri pedum veſtigia, ne vepres pungant : ecquando calceorum vſus niſi in glebâ ſentibus horridâ ? percipiamus quid ille,cui interdicti calcei, de Aſere ? *Benedictus in filijs Aſer,ſit placens fratribus ſuis, & tingat in oleo pedem ſuum, ferrum & æs calceamentum eius*, Deut. cap.33. verſ. 24. vbi verò pars Aſer ? Nonne in terra fluente lacte & melle, atque ob amœnam planitiem ſicut Paradiſus Dei ; in gleba ergo molli & herbidâ quamobrem æneum iſtud calceamentum ? ſi per ſaxoſa eundum, ſi in acutis ambulandum, rectè aſſumatur de metallo præſidium,ſed verò in blando atque inoffenſo regionis tramite quamobrem ? ſanè prudentiâ ſæculi doctiſſimi mutaſſent omnia ; nam vbi rubus naſcebatur, ferreos, atque æneos calceos adhibuiſſent ; propè Iordanem autem in ripis vernantibus,pratíſque floridis,nudâ incederet plantâ ; ſed aliam oportet Dei ſententiam eſſe, quàm carnis & ſanguinis : ô arcani magnitudinem, quam ſoli ſpiritales intuentur ! Quid Cœnobialis vitæ rigor niſi terra vepribus abundans ? Spinæ ieiunia ſunt,ſpinæ meditatio,ſpinæ nocturnæ, & antelucanæ vigiliæ,ſpinæ abnegatio propriæ voluntatis : Quis non ad hoc terendum ſolum opus eſſe calceamentis ferreis putet ? & tamen ibi nudatis veſtigiis Adoleſcentuli & iuuenculæ incedunt, roſáſque & violaria ſe calcare arbitrantur : Quid ſæculi voluptate, & diuitiarum opulentiâ mollius ? vbi plumeus torus, & puluinaria de peregrinarum auium ſpoliis ; vbi ſtragulæ ex ſerum velleribus, & pectinibus edomitæ animalium pelles ad ſomnos conciliandos ? hîc tamen crebra ſuſpiria, & voces querulæ diúque noctúque tanquam vepres paſſim occurrentes tranſadigant & lacerent ſolatij vacuos : ibi igitur, vbi minimè neceſſaria eſſe apparebat,calceamenta ærea atque ferrea deſiderantur : Nolite itaque credere ſæculo,ſed Deo : nam quâ in glebâ calceamentum requiratur,ſæculum ignorat.

Deuteron. 33.24. *In locis ſpinoſis(.i.in ieiunijs, vigilijs,auſteritatibus Religioſis) nudos pedes exigit Deus; In terra verò, oleo, melle,& lacte imbutâ ( in ſæculari nimirum vita) calceamenta ferrea & ænea.*

Iam proximus Seruator cruci Patrem obteſtatur ſublatis in cælum oculis : *Pater,venit hora,clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*, Ioann. cap.17. verſ.1. Sed quonam pacto clarificandus à Genitore gnatus ? Accipe quorundam expoſitionem apud Auguſtinum tract. 104. in Ioannem : *Clarificatum à Patre filium nonnulli accipiunt in hoc, quòd ei non pepercit,ſed pro omnibus tradidit illum:* Ergonam ex patibulo clarus Saluator,& non potiùs exinanitus ? aduocemus Iſaiam, à quo intelligamus : cap.53.verſ.2. *Vidimus eum,& non erat aſpectus & deſiderauimus eum ; deſpectum, & nouiſſimum virorum,virum dolorum & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius,& deſpectus,vnde nec reputauimus eum :* Si ergo in paſſione deſpectus, & nouiſſimus virorum, quomodo ex eadem clarus & glorioſus ? Verùm diſtingue opinantium iudicia ; Qui abiectum & inhonorum reputarunt homines carnales fuêre ex Gentilitate & Iudaïſmo, quibus non eſt ſenſus ; qui illuſtrem & formoſum arbitrati ſunt, viri Dei extiterunt : Quod itaque mundo probroſum eſt, quod conuitiatur, & deſpectat,hoc Dei famulis admirabile & præpotens ; quod illis nigrum, his album apparet : placitorum ſemper diſcrimen eſt ; Sapienter Auguſtinus principio enarrationis in Pſal. 44. *Chriſtus crucifixus Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia :* En carnalium opinionem, ſubnectit de ſpiritalibus : *Nobis autem credentibus vbique Sponſus pulcher occurrat ; pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero,pulcher in manibus parentum,pulcher in miraculis ; pulcher in flagellis,pulcher in ligno,pulcher in ſepulchro.* Bernardus quoque ex intuentium diuerſis ſententiis exclamat ſermone de Paſſione : *ô nouiſſimum,& altiſſimum,ô humilem, & ſublimem, ô opprobrium hominum,& gloriam Angelorum! nemo illo ſublimior, nemo humilior.* 34.

Ioan.17.1.

Auguſtin. *Chriſtus in patibulo,Hominibus deſpectus, Deo clarificatus.*

Iſai.53.2.

Auguſtin.

Bernard.

De eodem Seruatore Iacob prædicabat in typo Iudæ : *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum*,Geneſ. c.49. verſ.11. Sed quamobrem ſtolam in muſto lauaturus ſit ? nonne vt emaculet ? planè quidem : lotio quippè in munditiem ordinatur : at eum in locum Diodorus in catena Græca rectè admonet, vino potiùs conſpurcari indumentum, labem non tollit, ſed addit ; quare non in torrente abſtergit aquarum viuentium, quæ impetu fluunt de Libano ? Verùm ſæculi mos eſt vndis abluere;Chriſtus oportet 35.

Geneſ.49. 11.

Diodorus. *Sæculi mos eſt, vndis abluere, Chriſtus verò pallium ſuum lauat in vino,& in ſanguine vuæ.*



tet aliâ emundet formâ : Quod enim ſæculo immunditia,hoc apud Chriſtum decor eſt : Vis cernere, an vino pallium lauans conſordidarit, an pulchrum fecerit ? conſidera interrogationes Angelorum apud Iſaiam cap.63. verſ. 1. *Quis eſt iſte,qui venit de Edom,tinctis veſtibus de Boſra?* obſeruant interpretes *Boſra* non tantùm ſignificari munitionem, ſed etiam vindemiam ; quare ex torculari redibat aſperſus indumentum de vuis expreſſo muſto ; equidem & vini natura rubra erat,nam ex Hebræo,pro *tinctis veſtibus,rubricatus veſtibus* ; ſed & ipſa vulgata lectio ſtatîm docet : *quare ergo rubrum eſt indumentum tuum,& veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari ?* rubrône igitur Lyæo obſcurata amictus gloria ? haudquaquam ; nam Propheta ibidem : *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ :* Vides ſpecioſum,quanquàm vino rubro pallium intinxerit ? Verùm,quo pacto decorus in tunica & chlamyde,cùm Zacharias referat cap. 3. verſ. 3. *Et* IESVS *erat indutus veſtibus ſordidis, & ſtabat ante faciem Angeli ?* an ſimul incomptus, & pulcher ? Sed aliis nitidus, aliis deformis ; Homines de mundo vulneratum in ligno cernentes, & ſanguine perfuſum, quaſi leproſum iudicarunt, & in quo non erat ſpecies, neque decor ; Homines in Spiritu ambulantes, ſole atque lunâ fulgentiorem omnîque aſtrorum iubare acclamabant ; Nolite obſtupeſcere dogmatum pugnam : Nam quæ poteſt eſſe conuentio lucis & Belial ? filiorum Dei,& filiorum ſæculi ?

Iſai.63.1.

Zachar. 3.3.

---

*Exemplo Numinis ſingularibus officijs eos proſequamur qui de nobis peius meriti ſunt.*

## SECTIO IV.

36\. SVggeramus Theodoreti explanationem de ſaltibus Sponſi in arduis montium cacuminibus : *Docet hic Sponſa* (inquit) *internecionem idolis illatam à Sponſo : montes enim & colles vocat lucos,& delubra dæmonum in montibus olim ſita, & ædificata, ſuper quæ verborum ſapientiâ, & miraculorum virtute ſaliens,atque tranſiliens, penitus illa euertit* ; etiam de Idololatriæ ruina verſum ſequentem : *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum*, &c. Aponius declarat : *Et licet non mereamur eum intueri* (loquitur de Chriſto) *tamen per hoc,quòd idololatriam abdicamus, feneſtras in ſupradicto facimus pariete,quibus nos, ab immundis ſpiritibus defendendo reſpicit Chriſtus* ; Sed numquid ad ruinam, & perditionem deſtruxit ? imò vt benefaceret copioſiſſimè,& gloriæ altiſſimum ad faſtigium ſubueheret ; propterea feſtinus,& ſaliens aduenit ; ſi quando enim punitúrus eſt,remoratur & pauſat, ideóque Protoplaſtum caſtigaturus, deambulabat *in Paradiſo ad auram poſt meridiem*,Geneſ.cap.3.verſ.8.ſcilicet lentis paſſibus,vt qui animi relaxandi gratiâ ſpatioſè in loco amœno diſcurrunt ; modò autem,quoniam gaudia allaturus pergebat,quaſi volans fertur ſuper pennas ventorum, ſcitè Galfridus in dictum Geneſis locum in Allegoriis Tilmanni ; *Non ſic poſtea venit ad Sponſam ; Ecce, inquit, venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles ; nunc verò deambulare dicitur, quærens latentem inter frutices peccatorem, retardabatur, & lentis paſſibus incedebat, vtpotè qui veniebat triſtem mortalibus inferre ſententiam ; ad Sponſam verò veniens feſtinat, & lætis admodum ſaltibus aduolat, æternæ reparationis afferens medicinam :* Verùm nonne hæc eſt Sponſa illa, quæ antiquis diebus Satanæ famulabatur in omnibus ſceleribus, cuius impudicitia ſupergreſſa eſt omnium fœminarum malitiam, quæ tamdiu reſtitit flecti nolens ? Quomodo igitur nunc prælata eſt in donis & amoribus ? ô Numen, ô pietatem ! non ſatis fuit inimicæ acerbiſſimæ pepercíſſe ; chariùs proſequutus, & amplioribus decorauit ornamentis ; denique, vbi abundauit delictum, ibi & ſuperabundauit gratia.

Theodoret.

Aponius.

*Deus Adamū puniturus deambulabat,lento ſcilicet gradu : Sponſæ verò benefacturus, ſalit in montibus, tranſibit colles velociſſimus.*

Galfrid.

De populo ingratiſſimo Pſalmus Dauidis octogeſimus, verſ.16. *Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula* ; grauis admodum querela, fœdus corrupiſſe, amicitiæ fidem violaſſe : Verùm quale indixerunt bellum pace confractâ ? num ad breue interuallum ? planè æterna ſtatuerunt odia ; *Et erit tempus eorum in ſæcula* ; hoc eſt,perſeuerans in finem æui malitia : ô procaces nimiùm hoſtes & contra eum, qui tanquam ſtipulam conterere valeat, & etiam vſque in gehennam perdere : ergóne in furore ſuo diſſipans diſſipauit à facie terræ ? *Et cibauit eos* (addit Propheta) *ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos :* Quid hoc eſt ? crudeliſſimis aduerſariis opima,& lautiſſima præparantur ? nihílne ſufficiat palato excepta Tritici medulla, & de cauernis petrarum eliquato melle ? animaduertit ſubtiliter Richardus Victorinus Expoſitione in Cantica, cap.33. *Inimici ergo dicuntur ; & tamen non tam ex frumento, quàm ex adipe frumenti ſatiantur.* Certè prandentibus cum Ioſepho fratribus Benjamino potiora delata ſunt; *maiórque pars venit Benjamin, ita vt quinque partibus excederet*, Geneſ. cap.43. verſ. 34. Quanquam verò ſuper his cæteri mirabantur nimis, eò quòd iunior eſſet in fratrum numero, ſed non ſtuporis magna occaſio, quippe arctiori ſanguinis vinculo Ioſepho colligatus, propterea quod ex eadem matre ſatus,eodémque inuolutus vtero ; mos autem eſt ſelectiora in eos congerere ; quibus magis adſtringimur ; itaque hoc naturæ & vſui conſentaneum ; ſed ô nouum omninò hoſtem ferociſſimum cibare non vtcumque, ſed adipe frumenti, & melle dulciſſimo ! puto ego ſuper hac clementia Domini,vel Angelorum quaſi attonitas acies ; ſed hæc eſt benignitas Euangelij, quæ etiam peſſimè de nobis promeritis optimè facere ſuadet : & quoniam de Benjamino incidit memoria,ab eo quoque probationem mutuabimur ; non ille quidem ad Literam contra Ioſephum audax & ſceleſtus, ſed in myſterio tamen illo ſignificatus Paulus Gentium Doctor, aduersùs Chriſtum terribilis,quamobrem de Benjamin alibi : *Benjamin lupus rapax*, Geneſ.cap.49. verſ. 27. quam ad ſententiam Ambroſius de Benedictionibus Patriarcharum,capite vltimo de Paulo explanans : *Lupus erat* (inquit) *cùm deuoraret, & diſpergeret oues Eccleſiæ, lupus erat, cùm Saulus erat,quando intrabat in domos,& viros,ac mulieres trahebat in Carcerem; Lupus erat,quando ſpirans minas & homicidia in diſcipulos Domini* ; &c. ergóne & huic Benjamino contigit ſuper fratres maiora accipere dona ? excipiamus Apoſtolos, & in his ſingulariter Petrum ; Deum immortalem! quantùm reliquis ſublimior qui perſequebatur Eccleſiam Dei hic Saulus ? nec dico,quod non pluribus commilitonum grandior, ſed hic tantus exceſſus quinque partium ad alios quàm Apoſtolos transferendus: vtcumque Ambroſius ſic ſcribit libro de Ioſeph cap. 10. *Ideò in conuiuio pars eius quintupliciter maior effecta eſt,quod haberet ſuperioribus præferri,non ſolùm* 37.

*mentis*

Pſal.80.16. *Licet Inimici Domini mētiti ſint ei,& futurum ſit tempus eorū in ſecula; tamen cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra malle ſaturauit eos.*

Richard. Victorin.

Geneſ.43. 34.

Geneſ.49. 27.

Ambroſ. *Paulo Apoſtolo, olim Eccleſiæ Perſecutori, maior pars præ fratribus venit, vt quondam Benjamino.*

Ambroſ.

*mentis prudentia,ſed etiam militia corporis , & gratia caſtitatis : à principio fidei maior Paulo prærogatiua defertur , de quo dictum eſt ad Ananiam : Vade , quoniam vas electionis eſt mihi , ad ſufferendum nomen meum coram gentibus.*

38. Reuertenti filio iuniori mandauit Pater veſtem optimam induere,Conuiuium præparari, & Penates muſicâ, ſtrepitúque Hilariorum reſonare; doluit pro inſolita gaudiorum lætitia ſenior frater , nec queſtus diſſimulare valens Genitori inquit; *Ecce tot annis ſeruio tibi , & nunquam mandatum tuum præterini , & nunquam dediſti mihi hædum,vt cum amicis meis epularer ; ſed poſtquam filius tuus hic qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus,venit, occidiſti ei vitulum ſaginatum.* Luc. cap.15.verſ.29. mira Emphaſis in particula illa; *Sed poſtquàm filius tuus hic,*&c. Quid eſt *poſtquam?* nempè,ſi olim , antequàm in regionem longinquam abiit pluribus eum dilectionis notis proſequutus fuiſſes,cùm tuis ad nutum imperiis obtemperaret,& paruulus coram te in aula luſitaret, nullus me vexaſſet liuor ; nam erga iuniorem prolem,præſertim verò ſi grata eſt indoles , Parentes indulgentiores eſſe conſueuerunt ; ſic & ipſe magnus quondam Pater Iacob teneriori affectu Ioſephum dilexit, eámque ob cauſam tunicam polymitam fecit : Scio inuidiſſe & tum fratres , ſed iraſcendi intempeſtiua ratio ; nam & Patris ſenectuti concedendum erat ; plus autem adoleſcenti virtuti ; abſit , de talibus noſtra formetur querela ; plangimus non quòd in frugi & diſertam ſobolem dona conferantur , omnéſque tripudio anguli exultent ; ſed quòd meretricius iuuenis , paternæ ſocietatis hoſtis , familiæ propudium ſupra menſuram honoretur, tolerare non valemus ; itaque omnis exulceratio eſt condecoratum eſſe poſtquam deuorauit ſubſtantiam cum meretricibus ; quaſi impietas conduxerit ad gloriæ incrementum : Verùm, præclarè Ambroſius animaduertit ruſticum , & inſcientem filium extitiſſe natu grandiorem , quod genitori exprobraret officioſam erga prodigum adoleſcentem humanitatem : *Et ideò notatur hic frater vſque adeò* (ait lib.7.in Lucam) *vt de villa venire dicatur , hoc eſt,terrenis operibus occupatus,ignorans quæ ſunt Spiritus Dei :* Pulchrè indoctum vocat in his,quæ ad Spiritum attinent ; ſi enim in ſpiritali gymnaſio ver atus fuiſſet, vtrique nouiſſet , inimicis bonum pro malis reddendum , atque tum ſingulariora conferenda beneficia , cùm grauiores aduersùm nos exiſtunt ; Lucidè Guerricus Abbas ſermone ſecundæ Hebdomadæ Quadrageſimalis in Sabbatum : de patris in iuniorem ſobolem clementia: *Vide autem , quomodo vbi abundauit delictum , ſuperabundauit gratia; vix ſperare poterat veniam ; iudex, imò iam non iudex , ſed aduocatus cumulat gratiam.* Conſidera autem his duobus fratribus,vt ſuprà allatus Ambroſius docet,populum Iudæorum,& Chriſtianorum indicari,ſenior autẽ qui obmurmurabat Hebrȩorum natio eſt:Quid obſtupeſcitis indignantem?ibi enim dentem pro dente,& oculum pro oculo eruebant; ſeueritas dominabatur, nec hoſti parcendum erat;mœret igitur infatuata natio,quod videat aliam præſcribi regulam Euangelio,& conſilium eſſe, vt qui percuſſerit nos in maxilla,alteram porrigamus illi.

Luc.15.29. *Malè Genitori ſuo improperat filius ſenior, quòd reuerſo Prodigo conuiuium opiparum inſtruxiſſet : quippe qui pios Parentis ſui mores nõdum ſatis noſſet: & benè de villa, vtpote ruſticus, venire dicitur hic Prodigi frater.*

Ambroſ.

Guerric. Abb.

39. Sub vltimæ cœnæ periodo,quando profecturus ex hoc mundo per mortem Crucis valedicebat Diſcipulis Iesvs,dulciori eos alliciens vocabulo, ſodales & Amicos ſuos appellauit; *Iam non dicam vos ſeruos,quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos,*Ioan.cap.15. v.15. cæterùm poſtquam ex ſepulchro Triumphator reſurrexit, Magdalenȩ iubens,vt ſalutaret eius nomine Apoſtolos,inquit : *Vade autem ad fratres meos,& dic eis, aſcendo ad Patrem meum,& patrẽ veſtrum,*&c. Ioan. cap.20.v.17.Sed nonne melior vox fratris , quàm amici?nonne coniunctior titulus? nam ibi præter familiaritatem,naturæ inſuper vinculum:Quamobrem itaque non diſceſſurus hoc vſurpauit dulcius vocabulum fraternæ neceſſitudinis ? Solent enim abituri,quod in blanditiis ſuauiſſimum eſt effũdere:At conſidera diſcipulos in paſſione Magiſtri extremefactos fugã meditatos , negauítque obſtinatè vnus;ob hoc non gratiam aliquam promerebãt,ſed indignationem, & iram:ergóne vindicaturus Iesvs trepidationem diſcipulorum? intuere ſummam Bonitatem; indulgentior fit cõtra iniuriam,& tunc ſublimiori nomine cõhoneſtat, cùm etiam antiqua ablaturus vocabula propter fugæ offenſam,intelligebatur;Verùm & ſuper his alia maxima quædam;Homines cùm aduerſȩ fortunæ iniquis ſuperatis caſibus in placidam amœnæ felicitatis ſtationem recipiuntur ; non ſolum contra veteres hoſtes immani efferuntur crudelitate,ſed eorum à quibus beneficia receperũt,obliuiſcuntur;Chriſtus autem ex mortuis reſurgens, & iam vltra non moriturus beatiſſimo ſtabat in loco,ſummôque cum imperio , ſiquidem data eſt ei poteſtas in cælo,& in terra:Quantũ eſt igitur, vt tunc non deſpexerit qui profugerant? Quantũ eſt vt ſaltem obliuioni & taciturnitati non commiſerit? At verò tunc maiori proſequutũ eſſe beneuolentiâ incõparandæ clementiæ laus eſt:Galfridus in Allegoriis Tilmanni ad cap.20.Ioannis: *Vade ad fratres meos,*&c. *ac ſi dicat ; vel nunc cognoſcant eum,qui licet repudiatus,ac relictus tempore paſſionis;non diffitetur,aut abijcit eos in die gloriæ & honoris ; nec vllâ iam claudicat ex parte fraternitas ;* His verbis cognatus Pauli locus ad Roman.c.8. v.33. *Quis accuſabit aduersùs electos Dei?Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet ? Chriſtus Ieſus,qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit,qui eſt ad dexteram Dei,qui etiã interpellat pro nobis:*eximiè,*qui eſt ad dexteram Dei;* nihil glorię felicitate ſublimius,nihil robore potentius,nihil voluptate iucundius ; in tantis honoribus,& gratiâ apud Genitorem valens infinitâ,non deprecatur vt conterantur hoſtes,ſed inimicorum aduocatus narratur;Chryſoſt. hom.18. in Matth. *Vidiſti Deum hominem fieri,tantáque propter te eſſe perpeſſum:& adhuc dubitas quemadmodum poſſibile ſit iniurias donare conſeruis? Non audiſti eum in patibulo dicentem,Pater dimitte eis? Nonne audiſti Paulum dicentem ; Chriſtus Ieſus , qui mortuus eſt,qui & reſurrexit,qui & ſedet ad dexteram Dei , qui & interpellat pro nobis?*

Ioan.15.15.

Ioan.20.17. *Chriſtus Diſcipulos in Paſſione ſua trepidos ac vacillantes nec ſatis fidos , quos priùs Amicos vocauerat , ſuauiori poſt Reſurrectionem fratrum nomine compellat.*

Galfrid.

Rom.8.33.

Chryſoſt.

40. Minabatur Iudæis Chriſtus , & prædicebat euerſionem inclytiſſimȩ vrbis Ieroſolymorum,& quaſi tantorum ſuppliciorum cauſam declarans; *vt veniat* (inquit) *ſuper vos omnis ſanguis iuſtus , qui effuſus eſt ſuper terram , à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ,*Matth.c.23.v.35.Sed verò nõne deſtructa eſt Metropolis ob Chriſti necẽ?planè quidem?quorſum itaque euertenda dicatur ob iuſtorum martyria ?mos eſt Chriſto , cùm pœna inferenda eſt,ſe velut ſubducere,& occultare , ne vexationum Auctor credatur ; oſtentat ſe palàm quando benefaciẽdum eſt; ita alicubi notauimus Abrahæ in tabernaculo ſe oſtendiſſe cum duobus ſociis in valle Mambre;ſubtraxiſſe ſe euntibus ad Sodomæ conflagrationem, duo enim vrbẽ intrauerũt,tertio aufugiente,quem Ambroſius Iesvm

Matth.23.35. *Vbi gratia largiẽda eſt, adeſt Chriſtus,vbi verò ſeueritas exercenda, latet : Hinc dicit Ieruſalẽ euertendam non ob ſuam, ſed ob Iuſtorum necem.*





in typo fuiſſe memorat lib.1.de Abraham,c.6.*Venerunt autem Angeli duo Sodomam veſperi:vbi gratia largiẽda eſt,Chriſtus adeſt,vbi exercenda ſeueritas,ſoli adſunt miniſtri;*diuinè igitur,quoniam ſermo futurus erat de vindicta inimicorum,licet vltio potiſſimùm ob Seruatoris necem,vt ſignificaret,quam erga hoſtes deberemus eſſe mites, atque benigni, ſubpalliauit iuſtiſſimæ quanquàm punitionis titulum.Solent optimates nonnunquam velle aggredi quidquam loco , & nobilitati ipſorum non ſatis conueniens : pudor eſt feciſſe cum Heroum inſignibus;meditantur itaque quonam pacto maieſtatem celare valeant;deponunt ergo notas gloriæ & imperij , & ſeruilem aſſumunt formam; nam à ſeruo fieri indecorum non eſt quod herum facere puderet;tanquam in hunc modum Iesvs quaſi verecundabatur Auctorem putari animaduerſionis contra Iudæos ; mutuatus proinde ſeruorum nomen,Abelis & aliorum iuſtorum vocabula oppoſuit,quibus ciuitatis ruinam tribueret.

Ambroſ.

41. De hac eadẽ vindicta loquutus Dauid Pſal.108. v.12. *Fiant nati eius in interitum,*(ait) *in generatione vna deleatur nomen eius:*Nam quadrageſimo ſecundo à Chriſti morte anno deletam à Romano milite Ieroſolymam Lyranus ſupponit hunc ad locum,alij quadrageſimo:parui modò intereſt vtra ſincerior Chronologia:tum igitur extincti eorum filij,à quibus lethum Iesvs paſſus eſt; tales prima linea & generatio viuentium Seruatoris æuo; vnã autem ſæpè in Scripturis dicitur quod primũ eſt, ita Moyſes de prima die humanorum temporum; *factúmque eſt veſpere & mane dies vnus,* Geneſ. c.1. v.5. Quod in generatione vna oblitteratũ eſt nomen;intelligendũ,in corũ gnatis,qui Redẽptoris neci interfuerunt;audiamus docentẽ Incognitum ad relatũ ex Pſalmo verſum:*De illis ergo Iudæis,qui principales fuerunt contra Chriſtum , intelligitur hic Textus:tales enim iam veriſimiliter erant mortui tempore captionis Ciuitatis;ſed ne aliqua poſteritas talium remaneret , omnes nati illorum in illo excidio Ciuitatis interierunt;quod præuidens Pſalmus de illis principalioribus dicit:fiant nati eius in interitum , ſcilicet eius gentis,quæ principaliter Chriſti mortem tractauit , vt ſcilicet memoria eorum ex tota eradicetur terra.* Sed quamobrem Chriſtus diſtulit vltionem in gnatorum ętatem?cur non acerbiſſimum experti fatũ ruentis vrbis turba illa quæ vociferabatur:*Crucifige,Crucifige,ſanguis eius ſuper nos,* &c. Non expediebat ſanè impunitam tranſire nationẽ horrendi ſceleris conſciã;vt igitur iuſtitiæ rectitudini,non iræ ſatisfactum eſſe quiſque intelligeret , pœna differtur poſt funus crucifigentium in filiis exercenda;Nam ſi odium amare Chriſtus Iesvs aliquo potuiſſet more,vtique eorum infinito planctu exſaturandus eſſet,à quibus iniuriam , & contumelias ſuſtinuit;furentibus enim in vindictam cõtra hoſtes,reliqua damna leuia reputantur,ſi non patiatur ipſe inimicus : docuit igitur Chriſtus primò;ex odio nihil eſſe perpetrãdum, ſed generosè agendum cum aduerſariis,& proinde ab eorũ qui crucifixerũt ſupplicio viſibili abſtinuit,ne iræ imputaretur;docuit ſecundò non eſſe prætereundas inſignes noxas,quin ad caſtigationẽ humani generis debitè puniantur,& idcircò filios luere coëgit;docuit poſtremò nec in ipsâ iuſtâ reorum punitione eſſe feſtinandum, ſed perpendi oportere criminum enormitatem diligenti examine ; & hanc ob cauſam,cùm potuerit ſtatim poſt Aſcenſionem in cælos,Romanorum excitare duces in excidium Ieroſolymitanorum , totiúſque Iudææ; noluit ante quadraginta elapſos annos.

Pſal.108.12.

Lyra.

*Vnum in Scripturis dicitur ſæpè quod* primũ *eſt.*

Geneſ.1.5.

Incognitus. *Chriſtus necis ſuæ vltionem in eorũ qui crucifixerant , natos, 42. poſt Paſſionem anno differt ; quò nos doceret, ex odio nil eſſe perpetrãdum.*



## *Virgines ſacris Odæis ob Chriſti honorem quaſi in vita conſepultæ,mortem ſecuræ, & hilares præſtolentur.*

## Sectio V.

42. DOcuimus in humana Literæ explanatione, quòd Spõſus retrò parietem ſteterit, & per cancellos atq;feneſtras reſpexerit,innui ſeparatas fœminarũ ædes à virorũ habitationibus,de quibus venuſtè S.Bernard.ſerm.56.in Cãtica in principio;ſed ad humanã politiã illa recluſoria, inuitôque fœmineo ſexu , deniq; maritales amplexus nõ repudiabãt;ſed tandẽ Euangelij affulgente iubare Maria intemerata caſtitatis vexillũ ſuberexit, ſequutæ exemplũ pudicarum Virginum Legiones Collegiis & Gynæceis à virorũ affatu diſcretȩ;feneſtræ obſeſſæ,& reticulatȩ,vt ſi audiri queãt,nec lõga tamẽ colloquutio,cerni nõ poſſint;talẽ Clara progenuit ſtirpẽ,talem educauit Thereſia,tales innumeras alij exhibuêre ; ergo optimatum filiæ multæ hãc vt ſectarẽtur vitæ inſtitutionẽ Maritos contempsêre,genere,formâ,opibus præcellẽtiſſimos,nullôque vim adhibente,parietibus valuíſq; & feneſtris penè obturatis ambiẽtibus,ſepulchrũ intrauerunt ante dierũ finem; quid enim niſi anguſtæ funeralis caueæ perſpicax imago,cum tanta obſidione breuiſſimi cubilis limites ? ô horridam diſciplinã amãtibus voluptates!ſed ô ter, quatérque optabilẽ deſiderantibus in æternum gaudêre cũ Chriſto!Itur à cella in cælum,& quæ diuitibus mundi formidabilis eſt hora ſuprema,ſuauis eſt illis,quæ velut buſto emortuæ latuerunt in clauſtro ſatis vallato,trans parietem,tránſque cãcellos, & reticulatas feneſtras; Quamobrem Sponſam quæ ita occultabatur,Dilectus inuitat,veris iucundiſſimâ vt fruatur amœnitate , ſubdit namque ſtatim;*Surge,propera,iam hyems tranſiit,flores apparuerunt,*&c.Ver autem reſurrectionis atque immortalitatis figura eſt;allicit itaque ad perennem lætitiam : ô præmium altiſſimum incluſæ Virginis, mortis nõ timêre ſpicula,quæ reges metuũt! Ambroſius Octon.in Pſal.118.in verſ.3.*Veni,quia iam retia tibi ſoluta ſunt ; cerne medium parietem maceriæ iam ſolutum,qui internorum affectuum concordiam diuidebat, & in diuerſum excitabat diſſenſiones corporalium paſſionum:Veni ergo ſecura ; cupio vidêre faciem tuam,& audire vocem tuam ; veni,vt iam me non per retia videas,ſed facie ad faciem vultibus amatorijs Dilecta potiaris.*Eadem placuit interpretatio Origeni hom.4.ex quatuor,& Iuſto Orgelitano.

Bernard. *Sponſus ſtans poſt parietem, proſpiciens per Cancellos inuitat Sponſam Incluſam in cella ſua velut in ſepulcro,ad veris Paradiſiaci amœnitatem.*

Ambroſ.

Orig. Iuſt.Orgel.

43. Quàm pulcher in curru ſuo Phœbus auricomus?quàm lucidũ Sidus?nihil eius ſplendore formoſius,nihil quadrigâ lætius:poſtquã orbis totius oculos in ſe cõuertit triũphali excelſus rhedâ,tãdẽ radios contrahit,& poſito diademate, fulgentîq; exutus pallio,demergitur Oceano, vndarũq; obſcuro receptus ſinu,quaſi ſepelitur; cur properat in buſtũ?cur vmbroſâ delectatus ſpeluncâ,humani generis adorationẽ & encomia deſpicit?Sed ſinite properare in foſsã ſepulturę,cui foſſa & antrũ rediuiuæ gloriæ pignus eſt; nouit ſepulchrum vitæ cõditoriũ eſſe;amátq; iuuẽtę reſtituturũ ſpelæũ;inde progreſſus iterũ cũ adoleſcẽtiæ perfectâ luce:Zeno Veron. ſerm.de Reſurrect. *Sol quotidiè naſcitur,eadémque die,quâ naſcitur emoritur,nec tamẽ inſtantis finis ſorte terretur , vt ſuos retardet curſus, ſed fidelis ſemper, intrepidus ad ſepulchrum noctis contẽdit,ſciens in ipſo habere quod viuat;*ecce,quamobrẽ occaſum ſol non metuit , nec ſuperbi decoris ornamentis deſpoliari exhorreſcit,nimirum, *in ipſo*

*Sol in Oceanum quaſi in ſepulchrum fulgentes ſuos radios mergit , ſed inde pulcrior emerſurus: Iuuenis in Monaſterij ſepulchro,decorem ſuum condentis Emblema.*

Zeno Veron.

*ſepulchro ſciens habêre quòd viuat:*Si vitam præſtare ſepulchrum valeat, cur in regiorum marmorum incruſtatis parietibus,quos Babylonici operis aulæa integunt, cinerei illi, vermibúſque ſcatentes anteponendi? Cùm ergo intueberis quenquam iuuenum ex numero, quem ætas, valetudo, ſpecies,nobilitas,opulentia commendat,ſæculi valedicere pompis;arbitrare Solem videre,qui ambitiosâ extinctâ gloriâ; ſepulchro diuerſari amet; idipſum cógita propriori etiamnum repræſentatione, cùm teneram conſpicatus fueris Virginem,quam auorum honorat linea, æui flos, immarcidæ genæ, ſupellex ingens, obliuiſci populum ſuum, & domum patris ſui; vt quid tam properè emoriuntur,& ſepulchro abſcondi affectant? Videlicet, *Sciunt in ipſo habêre quòd viuant*; ſciunt ab hoc exilio alacres tranſire, qui maturè foueam ſibi foderunt, & inciderunt in eam. O monaſterij, ô ſepulturæ ſatis compenſatam patientiam,quæ amariſſimam hominibus mortem, dulcem reddit!

44. In mare proiectus Ionas à ceto grandi deuoratus eſt; quamobrem non & conſumptus,non exanimatus?myſticam ſuggeramus cauſam,quæ mores iuuat, nam typi præſtantiſſimi ratio in Chriſtum dirigitur: ille igitur Propheta cognatos relinquens,& natale ſolum,Religioſorum à ſæculo fugam delineabat; iam verò, quod & immanem piſcis ventrem ingreſſus,clauſtrum denotat præſertim femineæ conditionis, quod arctiſſimum eſt, & ſepulchrorum inſtar: Quod itaque tali commorantem in habitaculo Ionam mors velut formidarit, & quaſi non auſam appropinquare, liberum tranſire permiſerit; documentum eſt Cœnobitis piè viuentibus, ſacratíſque Monialibus,cùm extremus inſtat diſceſſus, mortem ipſam tanquam eſſe quæ metuat, non autem morituros, Hieronymus epiſtola 3. ad Heliodorum: *Ille,ille te vicit fugitiuus Propheta, ille te iugulauit, qui reliquit domum ſuam, dimiſit hæreditatem ſuam*; quaſi innuat ob hoc victam mortem, & deterritam,quòd in Iona, illorum contemplaretur imaginem,qui patriam,parētes,poſſeſſiones deſeruerunt,vt Chriſto in Religione famularētur:Quòd ſi non in Iona ſiſtamus,ſed etiam in eum, quē repræſentauerat Chriſtum patientem feramur; illa ipſa confixio clauorum Religioſæ abnegationis ſignificatio putatur; & ſpeciátim Monialibus impeditam euagandi facultatem docere valeat,nam vnius circulo domus velut confixæ, vltra moueri nequeant; exaggeratoriè ex concionum norma P.Bleſſenſis ſerm.9.in Purificat.B.Virg. *Audeo ego, & dico:in diſtrictiori cruce pendet vir contemplatiuus, quàm Chriſtus;quia & diuturnior, & in pluribus coërcens eum:Chriſti membra ſic clauis confixa ſunt,vt officijs ſuis vti non valerent; lingua tamen libera à crucifixione loquebatur,orauit enim pro crucifixoribus: vir autem contemplatiuus omnia membra ſua clauis obedientiæ arctauit,vt nec etiā lingua loqui valeat:*Chriſtus itaque Religioſarum animarum de ligno pēdens, ſymbolum; vide nunc quemadmodum diſcedens moriatur;*Et inclinato capite tradidit Spiritum.*Ioan.c.19.v.30.Quamobrem tradidiſſe narratur?vt non inuitum defunctum eſſe intelligatur? *Emiſit,& bene tradidit* (ait Ambroſ.lib.10.in Luc.) *quod enim emittitur voluntariū eſt:*Placida mors eſt, quæ accerſitur:quare inclinato capite?vt dormiētis requiē fuiſſe conciperemus:Auguſt. tract.120. in Ioannem:*quis ita dormit quando voluerit,ſicut Ieſus mortuus eſt,quando voluit?* Scitè animaduertit Theophylactus alios mortalium priùs expirare, deinde caput flectere, IESVS antequàm expiraret inclinauit verticem ſacratum, quam ob cauſam? Athanaſius q.40.ex iis quæ in Scripturam, ſi tamen genuinæ,meditatur quaſi trepidaſſe mortem ad Seruatoris conſpectum, & ſubſtitiſſe tanquam accedere veritam; inclinatione itaque ac ſi nutu quodam vocauit;ſic igitur obiit, qui Religioſos figurabat, vt quàm ſit iſtorum tranquilla mors, cùm ſtatuta monaſteriorum obſeruant, conſtet Seruatoris exemplo.

*Ionam in vētre Ceti Religioſi ſiue Monialis Imaginem, Mors veretur, non ipſe Mortem.*

Hieronym.

P.Bleſſenſ.

*Chriſtus Crucifixus (Religioſæ Animæ ſacrū ſymbolum) moriens tradit Spiritum; tradit inquā, quippe non inuitus.*

Ioan. 19.30.

Ambroſ.

Auguſtin.

Theophylact.

Athanaſ.

Perrexit in deſerti interiora Helias, ambulans quadraginta diebus,& quadraginta noctibus vſq; 45.
ad montem Dei Horeb:hîc ſpeluncam ingreſſus, & Dei fruebatur collocutione,Reg.3.c.19.v.9.& quidē ieiunabat:Tertullianus de Numine percūctante ſedentem in cauerna Vatem libro aduersùs Pſychicos c.6.*Quàm familiari congreſſu Dei exceptus eſt: quid Tu Helia hîc? multò amicior iſta vox,quàm Adam vbi es?illa enim paſto homini minabatur;iſta ieiuno blandiebatur*; Sed cur Heliam hoc ieiunantem loco corui non paſcunt olim ſicut fecerunt? cur viduæ alicuius non excitata miſericordia, quâ ad alendum inſtigaretur?Et ſanè quadraginta diebus ieiunauit Propheta,quâ abſtinentiâ dignus factus eſt,quem in antro deſerti habitantem Numen viſitaret:*Ieiunium Eliam magnæ viſionis ſpectatorem fecit*(inquit Magnus Baſilius hom.1.de ieiunio)*quadraginta namque dierum ieiunio cùm animam purgaſſet,in ſpelunca meruit, quantum fas eſt homini,Deum videre*;Atquin & ipſi Chriſto IESV poſt tantorum dierum ieiunium Angeli acceſſerunt,& miniſtrabant ei;fortiórne Redemptore Helias,qui nō eſuriat,qui non cibis egeat?imò,vt ieiunaret Helias, Chriſtus eſuriuit:ſunt,qui volūt Dei ſermocinatione quaſi diuino quodā pabulo refectū, corroboratúmque;verùm aptemus his,quæ à nobis dicūtur; Helias cōuerſatione,& moribus Religioſæ vitæ imago;tum verò cùm in ſpelunca ſe abdidit, eorū repræſentator,qui cellæ vnius angulo quaſi ſepulchro deliteſcunt, fugiúntque mundum non Spiritu & deſiderio ſolùm,ſed corpore pariter & loco quod expreſſius fieri in ſacris Virginibus, quæ arctiorem profitentur diſciplinam contemplamur;ergóne contra has mors aſſurgere tentet? inuadere audeat?quæ cæteris formido eſt cruenta beſtia,has metuit,dùm ergo iſtas in ſe Helias efformat, pingatur nobis velut qui alimentis non egeat, ſed interim nihilominus robuſtus & validior,vt qui de morte ſecurus,& Victor lethi;ſatis eſt Religioſum Heliam ſpecu ſe quaſi ſepulchro occultaſſe,ne mors aggrederetur licet abſtinentem ferculis,& potu;quibus tamen diuturnè ſubſtractis protinus in alios dominatur.

3.Reg.19.

Tertull.

Baſil.

*Elias quadraginta dies ieiunus, in angulo deliteſcens,de morte velut ſecurus; Religioſum ſcitè adumbrat.*

Præclarè Ieremias Religioſam deſcribens animā:*Sedebit* (inquit) *ſolitarius,& tacebit;quia leuauit ſuper ſe;ponet in puluere os ſuum,*Thren.cap.3. v.28. 46.
Quibuſnā pulueribus labia admouebit? quidē ſepulchrali cineri,vnde & Ambroſ.ſerm.10.in Pſal. 118.legit;*Dabit in ſepulturæ foſſurā os ſuū*, exponítq; in Cōmentario aiens;*vt vocē ipſam velut buſto quodā,ac tumulo ſepeliat;ac includat*; Audi huius ſepulturæ Magno à Baſilio encomiū hom.de laudibus eremi:*Cella Dominicæ ſepulturæ propemodum æmula, quæ peccato mortuos ſuſcipis,& per afflatum ſancti Spiritus Deo reuiuiſcere facis*; eximia planè laus, nam qui moriuntur in clauſtro obſeruantiæ gratiam interimentes peccato lethali, rarò cadunt, & citò expergiſcuntur; ſed eſt alia comparatio magis quadrans nobis: nam in Pſalm. 15. verſ.10. cantatum eſt:*Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem;*

Thren.3.28.

Ambroſ.

*Religioſæ Cella dominicæ ſepulturæ æmula.*

Baſil.

Pſal.15.10.

Quæ



Quæ poſteriora verba B.Petrus de Chriſti carne, quæ putrefacta non eſt aliquo modo in ſepulchro,exponit Actor.c.2. verſ.31. Mors igitur depoſitum illud cæleſte violare non eſt auſa, ibi confracta eſt potentia illius,quemadmodum vaticinabatur Oſæas c.13.v.14. *Ero mors tua,ô mors, morſus tuus ero Inferne*; quare & apud Apoſtolum glorioſa ſugillatio eſt 1. Corinth.c.15.v.55. *Abſorpta eſt Mors in victoria: vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Sicut itaque ſepulchrum Redemptoris Mors exhorrebat,ita & Religioſorum ſepulchra, quæ cellæ eorum ſunt, has enim timidè intrat ſub vitæ exitum, ſciens non licêre ſibi contra ſanctos; hanc itaque ob cauſam Baſilius Cellam Religioſorum *Dominicæ ſepulturæ propemodum æmulam* nominauit.

Act.2.

Oſee 13. 14.

1.Corinth. 15.55.

*Cellas Religioſorū Mors intrat timidè.*

Baſil.

# VESTIGATIO XXIII.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum decimum,vndecimum, duodecimum, & decimumtertium Capitis 2. Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus*: En Dilectus meus loquitur mihi; ſurge, propera Amica mea, Columba mea,formoſa mea,& veni:
Iam enim hyems tranſiit,imber abiit,& receſſit:
Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit; vox Turturis audita eſt in terra noſtra:
Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. *Cap 2.verſ.10.11 12.13.*

*Verno ſub tempore imbrium,atque ventorum an metus aliquis? Quàm graphicè Salomon ver deſcribat ex aliorum Auctorum collatione oſtenditur: Verba ex primo Regum: Amygdala veris nuncia:demonſtratum flores vernæ benignitatis indices eſſe: Aprilis cur ita nuncupatus? Sapientiæ libri excuſſa ſententia de tranſitu maris rubri.*

### SECTIO I.

1. NVLLI dubium voces eſſe Sponſi; *En Dilectus*(ait)*loquitur mihi*, &c. illius ergo ſermones:Quando autem profatus eſt?Sunt qui putent dicta hæc fuiſſe, de quibus paulò antea noua Nupta retulit, inquiens: *Vox Dilecti mei*,&c. Quoniam verò ſubmiſsè cum Sponſa cōfabulatus ſit,editiori ſono declaraſſe illā, vt proficiſcendum eſſe pediſſequarum turbæ noſſent, & explicarent ſe,quibus eſſent diſtractæ curis; Non nemo arbitratus hæcà Sponſa conficta inter iocos & blandimenta maritalia, vt ſignificato inter ludendum de Ruris amœnitate deſiderio; Spōſus de peregrinatione ſeriò ſtatueret:ſimpliciter alij, cùm deliquio correptam animaduertiſſet Spōſus, & emorientē penè,arſiſſe florum voluptate; exiſtimauit valetudini conducere potuiſſe camporū aſpectum, quod agrum natura mille picturarum formis variaſſet; domo itaque exeundum, ídque feſtinātet monet:*Surge,propera Amica mea,formoſa mea & veni*; Sed quomodo properatura ſit, quæ dudum tabeſcebat,nec adhuc conualuit?vbi lectica?vbi,qui in humeris ſupportent,quin & in manibus etiam;nam delicata Puella eſt? iubet tamen properare,aut quia femineus animus facilè erigitur,ſi deliciæ proponantur; aut quod verius ſit, quod vna cum Dilecto abitura ſit, amórque vires conceſſurus ſit: non ibit illa per quæcumque inuiſa & horrida ad Sponſi imperium?tardiórne futura aliâ,de qua lib.5.Syluar.Carm.1.Statius:

*Quandónam Sponſus hæc locutus fuerit, & quo ſenſu?*

——*tecum gelidas comes illa per Arctos*
*Sarmaticáſque hyemes,Iſtrúmque, & pallida Rheni*
*Frigora,tecum omnes animo durata per æſtus:*
*Et ſi caſtra darent,vellet geſtare pharetram*
*Vellet Amazoniâ latus intercludere peltâ.*

Statius.

Quippe ei dilectio fortis vt mors, dura ſicut infernus æmulatio: Quamobrem Amicam dicat, monſtrauimus Veſtigat.10.à n.20. quibus de cauſis aſſimilauerit Columbæ diſputauimus Veſtigatione 16.à n.4.Dicit *formoſam ſuam:*Nam etſi alias pro Hebræorum conditione vxores haberet; tamen hæc ſuperexcellebat vultu, vt c.6. verſiculo indicatur octauo;laus quoque Sponſę egregia eſt, quòd cùm formoſam appellat, Columbam, hoc eſt,pudicam ſimul nuncupet; rara enim eſt coniunctio pudicitiæ, & ſpeciei ſingularis; ſed leuia iſta,tranſeamus ad vberem explanationem.

Nec fatigatæ valetudinis omninò Sponſus im- 2.
memor;nō eſſe tamē cur in apricis ſpatiari verecatur,ſuggerit,quoniam de pruina, aut vētis nullus



 timor,

*Imbrium ac ventorum nullus in vere timor.*

timor, quæ ægritudini aduerſantur; *Iam enim hyems tranſijt, imber abijt & receſſit*; pulcherrima inſinuatio verni temporis,quod & flatus propellit & imbres: Maro Georgic.2.

Virgil,

*——ver illud erat,ver magnus habebat*
*Orbis,& hybernis parcebant flatibus Euri.*

Scilicet propterea quidem ver, quòd ventorum conſopitus furor; ſed & de pluuia, atque imbribus idemmet,Georgicor.2.

Idem,

*——nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros*
*Aut actum cælo magnis Aquilonibus imbrem.*

Horat,

Pangit eodem modo Horat.lib.4.Oda 7.& 12.Sed audiendus eloquentiſſimus Nazianzen. Orat.43.

Nazianz. *Aëris clemētia in vere,*

quæ eſt in nouam Dominicam: *Nunc* (ait) *cælum ſplendidius,nunc ſol ſublimior,magiſque aureus; nunc Lunæ orbis clarior, & ſydérum chorus purior: nunc & fluctus cum littoribus,& nubes cum ſole, & venti cum aëre, & terra cum ſtirpibus, & ſtirpes cum oculis in gratiam redeunt:* Nicetæ autem candem in Orationem Commentarius:

Nicetas.

*Nunc cælum* (inquit) *ſplendidius, nimirùm tenebricoſis, & caliginoſis nubibus,quaſi veſte quadam atrâ exutum; nunc Lunæ orbis illuſtrior; hyemæ enim triſtior erat & obſcurior propter aëris craſſitiem: & ſiderum chorus purior veris tempore; quoniam non iam propter immodicam humiditatem vapores craſſi excitantur; Nunc fluctus, nubes,venti,terra, & plantæ pacatæ ſunt & tranquillæ, etiamſi per hyemem grauiſſimis diſſidijs, & bellis inter ſe conflictarentur.* Alcimus Auitus lib.1.in Geneſim,cùm tranquillam Paradiſi ſignificare clementiam vellet,veri comparandam arbitratus eſt, inquiens:

Alc. Auitus,

*Hîc ver aſſiduum cæli clementia ſeruat*
*Turbidus Auſter abeſt,ſempérque ſub aëre ſudo*
*Nubila diffugiunt ingi ceſſura ſereno.*

Et propè eodem modo antiquus Poëta,Hiſpanúſque Presbyter Dracontius in Hexameri opere;

Dracontius.

*Non glacies diſtricta domat,non grandinis ictu*
*Verberat,aut gelidis caneſcunt prata pruinis*
*Ver ibi perpetuum communes temperat auras.*

Zeno Veronenſis ſermone 1. de Paſchate, de

Zeno Veron.

tempore Verno, *quo* (ait) *diffusâ conuoluta hyems triſtitudine, nouo vento Fauonio blandiente, diuerſis floribus genere, colore pariter & odore, vnâ natiuitate diffuſis, germinantia vndique dulce prata reſpirant.* Adſimili facundiâ ſcriptor Panegyrici Maximiano Auguſto dicti: *O felix, beatúmque ver nouo partu! iam non amœnitate florum, nec viriditate ſegetum,nec gemmis vitium; nec ipſis tantùm fauonijs, & luce ſerenatâ lætum, atque venerabile; quantum ortu Cæſarum maximorum!* Venuſtè quoque Ruricius

Ruric. Lemouic.

Lemouicenus Epiſcopus lib.1.ep.5. *Hoc namque tempore cuncti Orbis ſpecies rediuiua reparatur; & quicquid in eo ſitu ſqualidum,frigore turbidum, glacie concretum, nuditate deforme, ariditate præmortuum hactenus fuit,ad inſtar reſurrectionis emergit.* Eximiè igitur Salomonis Lyra veris aduentaſſe iucunditatem ſignificatura panxit,hyemem tranſiiſſe,imbres receſſiſſe.

3.
*Obiectiones contra dictã Vernæ Tempeſtatis ſerenitatem.*

Opponas, vera eſſe non poſſe, quæ de abactis pluuiis ob veris natiuitatem, frigoréque & procellis ſtatuimus,nam & cauendas eſſe & Vernas & Autumnales ætheris iras, Georgicor. 1. Latinus monet Poëta:

Virgil,

*Quid tempeſtates Autumni,& ſidera dicam?*
*Atque vbi iam breuiórque dies,& mollior æſtas,*
*Quæ vigilanda viris? vel cùm ruit imbriferum ver*
*Spicea iam campis cùm meſſis inhorruit.*

Seruius.

Ibi Seruius; *Verno & autumnali tempore fiunt tempeſtates, quando nec plena æſtas eſt, nec plena hyems; vnde medium, & confine vtriuſque temporis ex coniunctione contrariarum rerum tempeſtates efficit.*

*Imbres & Tempeſtates in Vere & Autumno.*

Quin & eodem libro optandos eſſe quandoque Agricolis in vere imbres obſeruat,inquiens:

Virgil.

*Humida ſolſtitia & hyemes oratione ſerenas,*

Seruius.

Quæ declarans Seruius,ait: *Nam hoc dicit, optandum eſſe ruſticis, vt autumnali,& hyemali tempore ſit ſerenitas; vernali verò & æſtiuo tempore, vt ſint pluuiæ.* Quare Honorius Auguſtod.lib.2. de Philoſophia mundi,c.26.

Honor. Auguſtod.

*Eſt huius temporis proprium inconſtans eſſe,ſcilicet modò pluuioſum ex vicinitate hyemis; modò ſiccum ex vicinitate æſtatis; modò frigidum,modò calidum:* Titus Calphurnius Ecloga 5.

Calphurn.

*Veris enim dubitanda fides,modò fronte ſerenâ*
*Blandius arriſit,modò cum caligine nimbos*
*Intulit.*

Denique ſub Paſchæ celebritate, quod vernale punctum eſt,ob frigora, ſedebat Petrus, & calefiebat,Marci c.14.v.54.

Marc.14. Seruius.

Reſpondêre quiſpiam tētet, ex Seruij partitione in illud Virgilianum ex 1.Georg.*Vere nouo*,&c.Vernam anni tempeſtatem tribus conſtare menſibus,quorum primus ver nouum dicatur; ſecundus,ver adultum; tertius, ver extremum atque præceps; ij autem menſes reputentur Martius, Aprilis, Maius: ergo ſermonem nō eſſe de menſe Martio,ſed de ſequentibus cùm vel adultum aut ſeneſcens eſt ver, primus enim ille menſis Brumæ cognatus eſt, quamobrem & hyemi adſcribunt nonnulli quatuor adiunctis menſibus,& veri duobus ſolùm,id, quod Euripidis verſus indicant apud Plutarchum, Commentario de animæ genitura è Timæo,ait:

Euripid. apud Plutarch.

*Brumæ quaternos menſes, Æſtatiſque item*
*Veriſque binos,grati & Autumni pares.*

*Amygdala veris Nuntia,quod prima omnium floreat; (vnde dicitur vigilans Hebraicè:) Ficui contraria.*

Quare vt innueret de conſummato iam vere loquutum ſemet, Amygdalæ mentionem facere omiſit,quod ſtatim ad veris introitum,imò antea quidem florêre incipiat: Plinius lib.16.c.25. *Ex his,quæ hyeme Aquilâ exoriente,vt diximus concipiũt, floret prima omnium amygdala menſe Ianuario, Martio verò pomum maturat:* Quamobrē ſcitiſſimo vocabulo Hebræi amygdalam שָׁקֵד *ſchaked*, hoc eſt, vigilātem appellant,quia inter arbores antelucanâ velut preparatione maturat,vt effloreat,vt notat Pineda ad v.5.c.12.Eccleſiaſtæ,n.19 Delrius in eundem verſum Adag. 336. præcipuè verò poſt Hieronymum interpretes alij ad v. 11. c. 1. Ieremiæ:*virgam vigilantem ego video:* Theodotion, Syrus,& Arabicus,*virgam amygdalinam*; & idem ex ſectariis Cauſabonus ad cap.12. lib. 2. Athenæi; Econtrario autem ficum memorauit, quod hæc arbor non niſi ad veris exitũ, & proximè ad æſtatem floreat Matthæo indicante c.24.v.32.

Pineda. Delrius. Hieronym. Ierem.1. 11. Theodotion. Syrus. Arabic. Cauſabon. Matth.24. 32.

*Ab arbore autem fici diſcite parabolam; cùm iam ramus eius tener fuerit,& folia nata,ſcitis quia propè eſt æſtas.* Atqui ob eundem ſcopum ex auibus nec Ciconiam, nec Hirundinem,nec Cuculum prodit,ſed Turturem,quod hæc ſeriùs accedat Phœbo altius ſcandente,cætera illa volatilia ineunte vere ſe oſtendant,quod de cuculo quidē ſatis declarāt Ariſtoteles lib.9.Hiſtoriæ c.49.Ælian.lib.3.c.30. de Hirundine inſinuat idem lib.1.c.52. expreſſiùs Horatius lib.4.Oda 12. Titus Calphurnius Eclog. 5. Vere nouo reuertere affirmat, ver autem nouum principium veris ex Seruio docuimus;de Ciconia Virgil.2.Georg,nam *vere rubenti*,inquit, hoc eſt, ſimul ac florere tellus incipit,

Ariſtot. Ælian. Horat. Calphurn.

Virgil.

*Candida venit auis longis inuiſa colubris.*

4.

Aſt hęc omnia infirma probãtur;nam maximè timendum eſſe veris exitũ in nimbis atque procellis Virgil. indicauit citatis paulò antea Metris *Quid tempeſtates autumni*,&c.Quo loci Seruius aſ-

Virgil.

ſerit;



Seruius.

ſerit:*Sciendum,vltimas partes tam autumni,quàm veris ſignificare,quibus fiunt procellæ:* Seneca ep.67.

Seneca.

*Ver aperire ſe cœpit, ſed iam declinatum in æſtatem, quo tempore calêre debebat,intepuit: nec adhuc illi fides eſt, ſæpe enim in hyemem reſoluitur.* Ergo Maro & alij de Europę intelligendi plaga,quæ dubias vices patitur,& nonnunquam incaleſcit,nonnunquam frigeſcit; Salomon autem de Palæſtinæ climate explanandus,ſub quo nulli decidunt imbres, poſtquàm ver aliquid adoleuit;de quo argumēto fusè diſſertatum eſt à nobis Anteloq.5.ſect.4.ſubſect.1. & 2.Nam & quidem Maro iiſdē locis ſtatuit,neq; à tempeſtate omnino ſecura Triticeæ demeſſionis tempora, cùm tamen in Iudæa prodigij inſtar tũ decidere imbres:Samuel,Reg.1.c.12.v.16.ait:

*Poſt veris prouectam tempeſtatem nulli in Palæſtina imbres.*

1.Reg.12. 16.

*Sed & nunc ſtate,& videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro: Numquid non meſſis Tritici eſt hodie? inuocabo Dominum, & dabit voces & pluuias:* Rē grandem appellauit,quod rerum ordinariis metis præteruheheretur;itaq; propriè diuinus Poëta,cùm ad Iudææ cęlum reſpiceret, cecinit propulſatam hyemem cum imbribus; Quorsùm autem Petrus vere introgreſſo ad focũ ſederet, inſinuauimus nominato Anteloq. n.59. vbi plenè ſtabiliuimus quæ hîc affirmamus,neque iuuat tranſcripſiſſe; Non tamen abnuerim ad veris finem Salomonis reſpicere muſam, quoniam de Libano eſt ſermo,qui mōs cùm inſigniter niuoſus habeatur, vt concedamus ſanè poſt vernæ tempeſtatis genituram neque pruinâ,neque gelu horridum eſſe; Ventum tamen non eſſe frigidum difficile eſt credere,quoad vere excreſcente ignibus Phœbæis incaleſcit.

5.
*Cur Sponſus Libanum vocat (terram noſtram) cùm inde ortus nō ſit?*

Subnectit poſt fugatos imbres, de florum apparitionibus; & hoc indicium veris excellens: *Flores* (inquit) *apparuerunt in terra noſtra:* Quamobrem verò & Sponſus ſuam appellat terrã, cùm non Libani ortus in iugis,ſed Ieroſolymis? Scio eſſe,qui vellet dicere,monitore Plutarcho in Cōnubialibus præceptis, coniugum omnia eſſe communia:Sed an ideo qui in Scythia aut Ponto natus eſt,Hiſpanus,aut Francus dicendus ſit? Hiſtorica & ſimplex ratio eſt,Sponſum in Libano poſſediſſe hortos,vineas,olineta, vt dicto Anteloq.5. oſtendimus,n.132. quorum Sponſæ partem conceſſit dote largitâ: hæc igitur intermixta prædia

*Flores vernæ amœnitatis indices.*

Terram noſtram vocat.Pergamus ad flores,& vernæ eſſe Tempeſtatis cōprobemus idoneos teſtes; Nihil in profana Muſa crebrius: Maro 2. Georg. Horat.lib.4.Oda 7.& 12.Naſo faſtor.lib.2. Titus Calphurnius Eclog.5.perbellè de Zephyro Claudianus lib.2.de Raptu Proſerpinæ:

Virgil. Horat. Ouid. T.Calphurn. Claudian.

*——Ille nouo madidantes nectare pennas*
*Concutit,& glebas fœcundo rore maritat;*
*Quaque volat,vernus ſequitur color:omnis in herbas*
*Turget humus,mediòque patent conuexa ſereno;*
*Sanguineo ſplendore roſas,vaccinia nigro*
*Induit,& dulci violas ferrugine pingit.*

Aliáque de florum diſtinctionibus lectu iucundiſſima; deſcribunt ex Chriſtianis Poëtis egregiè

Alcim.Auit. Dracontius. *Natura in vere noua Nuptæ ſimilis.*

Alcimus Auitus lib. 1. in Geneſim, Dracontius Presbyter in Hexamero: Ennodius Ticinenſis ingenioſè conſiderat Naturam quaſi in aulæis conſidentem nouæ ſimilem Nuptæ, thalamo quem mille ornant colores, fulgentem carmine 4.in Præfatione Epithalamij Maximi.V.S.

Ennod. Ticin.

*Annus ſole nouo teneras dum format ariſtas,*
*Natura in thalamis orbe tepente ſedet.*
*Pingitur & vario mundus diſcrimine florum*
*Vna ſoli facies,gratia,cultus,amor.*

Sed & Venantius Fortunatus ſpecioſo concelebrat Metro lib.3.Carmine 9. ad Felicem Epiſcopum de Paſchate Reſurrectionis:



Fortunatus.

*Terra fauens vario fundit munuſcula fœtu*
*Cùm benè vernales reddidit annus opes.*
*Millia purpureum pingunt violaria campum*
*Prata virent herbis,& micat herba comis.*

Denique & iidem Poëtæ quoties ludunt aut in Elyſiis deſcribendis pratis,aut in beatiſſimis quibuſque laudandis hortis, præcipuè aſſumunt, vt dicant,veris ibi continuum,& indefectibilem eſſe vultum; in talia cùm Sidonius Auernus incidiſſet Carmine 2. Panegyrico nempè Authemij, inquit:

*Ver continuũ, dicitur de loco feliciſſimo.*

Sidon. Aruer.

*Ver ibi continuum eſt; interpellata nec vllis*
*Frigoribus palleſcit humus,ſed flore perenni*
*Picta peregrinos ignorant arua rigores:*
*Halant rura roſis,indeſcriptóſque per agros*
*Fragrat odor;violam,cytiſum,ſerpylla,liguſtrum,*
*Lilia,narciſſus,caſiam,colocaſia,caltham*
*Coſtum,malobathrum,myrrhas,opobálſama, thura*
*Parturiunt campi.*

Conſtat igitur,hoc, quod elegantiſſimum in Vatum libris argumentum,& vbi delicatior luxuriæ vena,præoccupatum à Salomonis ingenio, ante Græcorum,aliarúmve nationum Poëtas.

6.
*Flores, veris filij.* Athenæus. *Ver dictum Proſerpina, quod hæc floribus delectaretur.*

Nihil verò concinnius,quàm quod Chęremon apud Athenæum lib.13.Dipnoſoph.c.9.in Io flores appellet ſobolem veris; *circumcirca* (inquit) *ſtratis veris filijs*; ſed & lepidiſſimum id eſt etiam, quod libello de Iſide atq; Oſiride Plutarchus tradit,antiquos, Proſerpinæ nomine ver appellaſſe, quod hęc Dea floribus oblectaretur;neque minus feſtiuè quæſiuit idem in Naturalibus Quæſtionibus,cur veris tēpore difficilis ſit canibus ferarum indagatus? Reſpondet; odorē Beſtiarum,quē canes ſubſentiunt,*hunc verno tempore obruunt,& confundunt frequentes plantarũ,& frutetorum halitus floribus ſuperfuſi,& permixti,odoratúmque canũ turbant, eóſque in errorē ducunt,ne ferarum odorem prehendere valeant;hinc circa Ætnam in Sicilia neminem ferunt cum canibus venatũ ire;quia enim multos perpetuò illic vt in viridario, prata colléſque flores mittunt; à fragrantia,quæ orã occupat,obſcurari ferarũ anhelationes.*

Plutarch. *Verno tempore propter florum fragrantiam, difficilis canibus ferarum indagatus.*

Plinius.

De arboribus Plin.lib.16.c.25. *Arborum*(ait)*flos eſt pleni veris indiciũ,& anni renaſcentis:flos gaudiũ arborum.* Iam & his notis ver demonſtrare Zenonem Veronenſem, & Panegyricũ Maximiani Auguſti oſtendimus n.2.paria Magnus Baſilius homil. 2. Hexameri,S.Ambroſius de Noe & Arca c.17. Euſtathius Antiochenus Hexameri Baſiliani compendiſta,Ruricius Lemouicenus lib.1.ep.5. Gregorius Nazianzenus orat. 43. quæ eſt in nouam Dominicam:*Nunc & pratum ſuauiter olet,& planta viret,& herba detondetur, & in virentibus aruis agni luſitant*;Quare & *Reginam temporum*,veris appellat ſerenitatē; quo nomine & inſigniuit illius Scholiaſtes Elias Cretenſis in orat.19. Theologi: Dubito autem,num & ipſummet ver in omni gloria ſua formoſius ſit S. Ambroſij dictione lib.3. Hexam.c.8.*Quid deſcribam purpuraſcentes violas,candida lilia,rutilantes roſas,depicta rura nunc aureis, nunc varijs, nunc luteis floribus? in quibus neſcias, vtrùm ſpecies amplius florum,an vis odora delectet.*

Baſil. Ambroſ. Euſtathius. Ruric. Lemouic. Nazianzen. *Veris Serenitas, Regina temporum.* Elias Creten. Ambroſ.

7.

Suffragatur & Aprilis Etymologia menſis,quã vberrimè explicat Macrobius Saturnal.lib.1.c.12.

Macrob.

*Sed,cùm ferè ante æquinoctium vernum triſte ſit cælum, & nubibus obductum,ſed & mare nauigantibus clauſum,terræ etiam ipſæ aquâ,aut pruinâ,aut niuibus contegantur;eáque omnia verno,id eſt, hoc menſe aperiantur;arbores quoque,nec minus cætera,quæ continet terra, aperire ſe in germen incipiant; ab his omnibus menſem*

*Aprilis dictus quaſi Aperilis quod & calū, tellus, & flores in hoc menſe ſe aperiant.*
Seruius.
Ouid.

*Aprilem dici meritò credendum eſt quaſi Aperilem; ſicut apud Athenienſes ἀνθεστηριὼν idem menſis vocatur, ab eo quod hoc tempore cuncta floreſcant:* Seruius in illud Maronis ex Georg. 1. *Vere nouo,*&c.*Aprilis verò dictus eſt , quaſi terras tepore aperiens:* ante vtrumque Ouid.Faſtor.4.

*Nam quia ver aperit tunc omnia,denſáque cedit*
*Frigoris aſperitas,fœtáque terra placet.*
*Aprilem memorant ab aperto tempore dictum,*
*Quam Venus iniectâ vendicat alma manu.*

*In floribus calcarunt Hebræi, cùm mare rubrum tranſierunt.*
Sap.19.7.
Lyra.
Ianſen.

Quare in floridis calcaſſe Hebræos, cùm rubri æquoris vada ſuperarent, Auctor libri Sapientiæ docuit c.19.v.7.*Et in mari rubro via ſine impedimento,& campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio tranſiuit;* Scio Nicolaum de Lyra in huius expoſitione loci, & cum eo Ianſenium figuratam dicere loquutionem,quòd eâ facilitate tranſiuerint,quâ per campum ſuaueolentibus herbis placidiſſimum incedunt,qui animi laxandi causâ inambulant; ſequutus Torniell. anno mūdi 2544. n.28.noſter Barradas Itinerarij filiorū Iſraël lib.3. c.10. n.4. cæterùm alij non pauci,nimirum Vatablus,Oſorius,Lorinus,Caſtrius,Tirinus omnes in Sapientiæ volumen;Pineda verò Iobi cap.26.v.5. n.11.& de rebus Salomonis lib.4.c.13. n.6. intelligunt Hiſtoricè veras extitiſſe herbas,quas veſtigiis preſſerint Iſraëlitæ, quòd Erythrei maris ſinus, non ſolùm plantas & herbida, ſed arbores quoque producat, quæ à Pineda confirmantur; itaque ſine miraculo quidem, nam verna anni portio erat cùm diſcederent,Exod.34.v.18. *menſe enim verni temporis egreſſus es de Ægypto*; Iterum Deuter.cap.16.verſ.1. Secundum veris igitur naturam (quam ob cauſam hæc à nobis tractantur) ſolum flores & herbas germinauit;an autem ventus ille qui deſiccauit lutum aquarum multarum, cùm vehemens & vrens deſcribatur Exod.cap.14. verſ.21. flores, herbáſque comburendo, vt emarcuerint,fecerit, definire promptum non eſt: fortaſſe vt lutum duraret miſſus tantùm: conſtructio ſaltem eſt calcatam eſſe glebam paulò antea herbis & floribus virentem licet tunc ſine gloria; vt cùm de eodem itinere ſermo eſt apud Habacucum cap.3.verſ.15.*Viam feciſti in mari equis tuis,in luto aquarum multarum,* ſenſus non eſt, tum cùm pertranſirent,luteam fuiſſe ſemitam,alioqui cœno prepedirentur,quos tamen inoffensè perambulaſſe Sapientiæ allegata verba innuunt, ſed fuiſſe non diù antè ob luto difficilem viam, vt Cornelius & alij interpretantur.

Torniell.
Barrad.
Vatabl.
Oſorius.
Lorin.
Caſtrius.
Tirinus.
Pineda.
Exod.34.18.
Habac.3.15.
À Lapide.

---

*Quod tempus putandarum vitium? Balſami ſurculus odoratus:Vitis cùm floret an ſuaui odore? Eccleſiaſtici enodatus verſus: putatio vitis adultæ quænam? Leuitici & Amos verior intellectio: Turtur hyeme latens quando prodit? Ieremiæ periodus: Vernum Cantillationis quam ob rationem tempus? ex Sapientiæ c.17. teſtimonium; flores an emittat ficus? Habacuc declaratus; ne groſſi decidant medicina hortenſis: ficus veteribus ob quæſtum & delicias in pretio: ſycophantæ quinam? Vitis & ficus ſorores: Numerorum loco, Regum 3.& 4.Iſaiæ,Michææ,Zachariæ ſplendor.*

## SECTIO II.

8. SEquamur alias vernæ tempeſtatis notas; *tempus* (addit Salomon) *putationis aduenit*; Quænam hæc inciſio? Num Vitis? Sed ſtatim eadem florere perhibetur; Quomodo autem floreat, in qua ſarmenta putantur? Nam putationem longè minuta ſequitur vua,quę floritio intelligitur:Noſter Sanctius ad Balſamum tranſtulit,quæ & vitis in morem ipſa amputatur: concedo putationem Balſamo; docet enim Petrus Bellonius, itineralium obſeruationum lib.2.cùm in Mataræam veniſſet, recens putatos balſami frutices à ſe conſpectos,ita vt ſoli ſtipites ſupereſſent, qui ramulorum initia producebant; ſubnectit autem dicens; *Eiuſdem etenim eſt Balſamum cum vite naturæ; quam ſingulis annis putare neceſſe eſt,alioqui degenerat:* Verùm idem prodit Auctor Septembri menſe folia deponere,quod & Saliguiacus indicat tom. 10. cap. 6. Num igitur à Septembri in Aprilem differatur putatio? Sed quò tam longæ ſpectant moræ? Ne etiam in Vite Bacchica tantùm otij Columella ſuſtineat,qui lib.4. c.23. monet,in regionibus,quibus mite eſt cælum, auſpicandam ſecundum Idus Octobris: ſub plaga frigidiori ad Idus Februarias: Maro quoque poſtquam folia amisêre Vinea, abſcindendos eſſe ſurculos indicat Georg.2.

*Quænam hæc vinearum putatio, cùm ſtatim florere dicantur?*
Sanchez.
Petr. Bellon.
*Balſamum eiuſdem cum vite naturæ, vnde & quotannis putatur.*
Salignac.
Columell.
*Vites quando putandæ?*

*Et iam olim ſeras poſuit cùm Vinea frondes*
*Frigidus & Syluis Aquilo decuſſit honorem,*
*Iam tum acer curas venientem extendit in annum*
*Ruſticus,& curuo Saturni dente relictam*
*Perſequitur Vitem attondens fingitque putando.*

Virgil.

Ambroſius Hexameri lib.3.c.12.*Quæ primùm veris tepefacta temperie gemmare perhibetur; deinde ex ipſis Sarmentorum articulis fructum emittere, de quibus oriens vua formatur*; quin ne ſtatim gemma, ſed priùs ex vulnere ſectæ ſtirpis lachrymæ profluunt:Venantius Fortunatus lib.3.carm.9.

Ambroſ.

*Caudice deſecto lachrymat ſua gaudia palmes*
*Vnde merum tribuat dat modò Vitis aquam.*

Ven.Fortun.

Quod ſi lachrymæ & gemmæ cum Veris calore, igitur antea,cùm frigora & hyems adhuc dominaretur,inutilia recidebantur Sarmenta; noluit autem in Bruma laborare delicatus ille Villicus (quē meritò inertem & pigrum Parœmiaſtes appellat Prouerb.c.24. v.30.) atque ideò vinea omnino corrupta eſt: Sed ad Balſamum redeamus; ſtatuendum itaque appareat has ob rationes illius putationem ſub vere non contingere; cur igitur hoc introducta loco à Salomone? Equidem ſuauiſſimus ille halitus,quem Balſamum diffundit,& quo ſummè commendatur,& in folia & ſurculos tranſit,vt docet Proſper Alpinus lib.4.de Medicina Ægyptiorum,c.10.& Dialogiſmo ſuper Balſami natura cap.6. quare Nicolaus Monardes libro ſimplicium Medicamentorum ex nouo orbe allatorum memorat Indos,ramos & truncos minutatim diſſectos in aquis in lebetē coniectos, ignibúſque admotis quaſi concoquere, vſque dum oleum exprimatur,quod Balſamo par ſit; Verùm & apud Braſilienſes Indicæ Hiſtoriæ lib.2. noſter recenſet Maffæus;plantas cerni affrictu animantium attritas; quæ à ſerpentibus Venenatis,aut à feris ictæ,naturæ quadam doctrinâ,ad ſalutare remedium ſe conferunt; ſed hæc diſtinctiùs Ioannes Renodæus lib. 1. de materia Medica ſect. 3. c.16. *Vbi adoleuerunt Sarmenta*, (ait) *præſcinduntur, emuntúrque ab inſtitoribus, qui in aduenas regiones deferunt quæſtus magni gratiâ, vbique enim expetuntur,& magni veneunt,*neque recentiorū temporum inuentio,Plinij quoque ætate:*Sarmenta*(ait lib.12. c.25.)*in merce ſunt;amputatio ipſa, ſurculúſque vænit*; Quando igitur Balſamum non ex ſurculis & Virgis, ſed de venis corticis ſauciati eliciatur, hanc

Prouerb. 24
*Balſami etiā odoratus eſt ſurculus.*
Proſper Alpin.
N.Monardes.
*E Balſami ramis & truncis oleum expreſſum.*
Maffæus.
Renodæus.
Plin.



hanc autem Lachrymam ſolis calidiſſimum extrahat iubar; fortaſſe vere aliquantùm adulto, quòd iam tum Phœbus radiis torrêre inchoet, quò liberiùs corticem eiaculatis flammis percutiat, Virgulæ cum foliis abſcinduntur, neque ſine emolumento, quando & in eis pretium; ad hanc itaque Balſami ſub vere putationem Salomonis dirigatur carmen.

9. Quod ſi de vite communi, quæ in Lyæum exprimitur cum vulgata ſententia, declarare placeat; tum illud à nobis rurſum erit amplexandum, quod priori firmauimus opere, Anteloq. quinto, num. 49. biferas, triferáſque eſſe vineas in Palæſtinæ feraci glebâ; ex quibus dum aliæ florent, aliæ quæ ſeriùs in vindemiam procedunt, tum amputantur; itaque arbitremur, cùm audimus canentem Salomonem, vineas floruiſſe, puta in Aprili, de iis vineæ frondibus loquutum, quæ maturum Botrum oſtendunt poſt veris exitum in ipſa ætatis infantia,menſe videlicet Iunij, nam ſub id temporis primitiuas vuas Iudææ ſuppeditare ſolum Abulenſis perhibet quæſt. 5. in cap.13.Numerorum; neque ſanè rarum minus, vt ſimul iidem palmites & floreant ex minutiſſima vua, ſimúlque Botrum adultum geſtent, quàm vt de iiſdem ſurculi alij, qui nondum gemmauerunt, falce attondeantur, alij & folia & minutam vuam portent; atquin de primo atteſtatur Ariſtenætus epiſt.3. aiens; *Iuxta pampini patulæ, altæque admodum, amplexæ noſtra diu tenuêre inflexa colla, dum circulatim pendulas vuas attendimus; quarum turgent aliæ, aliæ primulo nigrore matureſcunt; acerbæ quædam, aliæ florentes adhuc videntur*; de ſecundo autem noſter Hymenæus, qui & amputationem,& vineæ floritionem combinauit; ſcrupulus verò eſt nonnullis, quod vineæ florētes dediſſe odorem ſuum referuntur,affirmant namque tenellam vineam fragrans nihilum ſpirare; At Salomon de iucundiori aliquo odore non ſignificauit, tantùm dixit *ſuum*, hoc eſt, peculiarem; ſed acquieſcamus dulcem fuiſſe halitum, & optabilem,vt Rabbi innominatus exponit, quem ſequutus videatur Genebrardus in Metricis:

*Vineæ in Palæſtina bis térue in anno florent & gēmaſcunt.*
Toſtat.
Ariſtenæt.
*Vites, dū florent, odoræ.*
Genebrard.

*Iam iam nouellis vineæ,*
*Se veſtientes pampinis,*
*Suaues odores ſpargitant.*

Neque iſtud incredibile, præſertim in terra illa feliciſſimæ vbertatis; de talibus vineis Ambroſius lib.3. Hexam. cap.12.*primùm omnium* (inquit) *nil gratius florentis odore vitis.* De eodem Bernardus ſerm. 60. in Cantica: *Hic odor* (ait) *ſerpentes fugat; aiunt enim floreſcentibus vineis omne reptile venenatum excedere loco, nec vllatenus ferre odorem nouorum florum.* Eadem tradit ex Medicorum Gymnaſiis Leuinus Lemmius libello de Herbis Biblicis, cap. 2. vbi florem vitis quem ad veris finem in noſtro orbe prodire obſeruat, deſcribit, *Floſculum minutum & ſtellatum, feſtucis, ramentiſque orbiculatis obſitum*; Idioma vulgatum Hiſpanicum *encierne* appellat ſed & de hoc Canticorum verſu Pineda ad verſ. 4. cap. 2. Eccleſiaſt. num.8. At quid dubitamus de vite benigniſſimè ſpirante, cùm Siracides præſtantiſſimæ euaporationis quibuſque rebus ſapientiam comparans vitem interponat? cap.24. verſ. 23. *Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis.*

Ambroſ.
*Vitis florida odore fugantur ſerpentes.*
Leuin.
Lemm.
Pineda.
Ecli.24.23.

10. Eſt alia vitium putatio, & reſectio, cùm pampinis læta eſt, & ſe protulêre, tum cura eſt vlmis ſubligare, quædámque reſcindere, ne nimia prolificatio vindemiæ noceat; frondes etiam ſi plus æquo ſe expandant, & obumbrent, Phœbi radios arcentes, demuntur quædam; hæc autem contingunt adaucto iam vere; quando igitur putationi coniunxerit Turturis cantū, conſiderandum, an fortè ad hanc putationis normam alludat; nam eiuſmodi quidpiam apud Maronem Ecloga.1.

*Eſt & altera vitis adultæ & iam luxuriantis putatio, prouecto iam vere.*

*Hinc altâ ſub rupe canet frondator ad auras;*
*Nec tamen interea raucæ, tua cura palumbes*
*Nec gemere aëria ceſſabit Turtur ab vlmo.*

Virgil.

Aduertit Seruius ſub vlmo vineam poni, & Virgilius ſæpe innuit, Georg.1.

———*Vlmiſque adiungere vites*
*Conueniat.* & Georg.2.
*Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos;*

Vere itaque robur aſſequuto, dum vineæ frondes inutiles reſcinduntur, Turtur eleuatis vlmorum cacuminibus conſidens frondatorem gutturis muſicâ oblectat: Totus autem ille Virgilianus locus planè maturi veris imaginem refert, nam & captanda eſſe frigora ob æſtus ſignificat, & apum euagari examina, quæ non niſi tepido iam cœlo, & floribus circumueſtitâ tellure, cellas deſerunt: Venantius Fortunatus lib. 3. carm.9.

*Conſtructura fauos Apis hinc aluearia linquens*
*Floribus inſtrepitans poplite mella legit.*

Ven. Fortunat.

Nazianzenus in veris delineatione orat.43.*Nunc ſedulæ Apes ſolutis pennis, & relictis aluearibus ſapientiæ ſuæ documentum præbent, atque ad prata conuolant, floréſque diripiunt:*

Nazianzen.

11. Quando autem ſuprà ſtatuerimus in Palæſtina vindemiam plurimam fuiſſe, eò quòd vineæ biferæ, atque triferæ eſſent, ſeu potius longo continuatam ſpatio, nam dum primas vuas colligebant, & in torcularibus calcabant, ſecundæ maturæ fiebant, idipſúmque de tertiis; ſi his coniungamus & duplicem extitiſſe meſſem in terrarum nimirum optimâ, cùm de Mauritaniæ quibuſdam id partibus Strabo adſtruat lib. 17. τινὲς δ' αὐτῆς καὶ δίκαρπον ἔχουσι τὴν γῆν, καὶ δύο θερισμοὺς καρποῦνται, τὰ μὲν θερινὰ, τὰ δ' ἐαρινά: *Terram biferam nonnulli habent,& duas meſſes faciunt; vnam vernam, alteram æſtiuam*; Lumen facilè allaturi ſumus Leuitici nodo cap. 26. verſ.5. *Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem*; Nam ſi ea vera ſunt, quæ nos probare conati ſumus Anteloquio 5. num. 52. poſtremam omnium meſſem, quæ triticea eſt finem ſortiri ante exitum Maij; quonam modò conſtet eandem in Autumnum, qui vindemiæ celebratur titulo,protendi? maior etiamnum difficultas in ſententia Amos cap.9.verſ.13.*Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen.* Vltima Periodus ſine labore intelligi valeat,cùm enim ſeminarent Agricultores per Septembrem; mirum non eſt torcularia nondum clauſa fuiſſe;iis autem approbatis,quæ inſinuauimus cogitare debeamus, dum primæ meſſis colligerentur ſpicæ,eodem tempore glebam araſſe colonos ad ſecundam meſſem; cùm hæc autem alba eſſet, atque ad falcem parata in æſtate; tum vindemiam pariter inchoare; & quia Botris ſecundi & tertij ſuccedunt, produci laborem vſque in ſementem.

*Vt duplex, triplexve in Palæſtina vindemia ita quoque duplex Meſſis.*
Strabo.
Leuitic. 26 5.
*Hinc difficiles Leuitici & Amos enodantur loci.*
Amos 9.13.

12. *Vox Turris audita eſt in terra noſtra*; Ex volatilium genere plurimæ frigidioris cœli regiones deſerunt ſub finem Autumni, & in tepidas migrant Prouincias; reuertuntur autem cum veris initio ad priſtinas ſyluas:docuit Ambroſius lib.5. Hexam. cap.14. *Alia quoque auium genera enchoria,*

*Volucrū plurima ſub finē Autumni migrāt in calidiores prouincias.*
Ambroſ.

*quæ manent in locis ſemper; alia aduentitia,quæ obeunt regiones alias, & peractâ hyeme reuertuntur.* Idem penè Marcus Varro lib.3.cap.5. vbi Turturem iis agglutinauit volucribus,quæ Brumâ emenſâ remeat vernis temporibus: Ariſtotel.8. de Animal. cap.16. *Nemo enim propè dixerim vidiſſe per hyemem vſpiam Turturem dicitur*; quæ tranſcripſit Athenæus lib 9. cap.11. Cicero lib. 2. de finibus, Plinius lib.10.cap.24.Iſidorus Hiſpalenſis lib.12. Orig.cap.7.Albertus,& Georgius Agricola; probat igitur Salomon ex Turturis aduentu lætiſſimos veris eſſe dies, quod eſt Interpretum commune iudicium; obſeruauit & doctiſſimus Medicus Vlyſſes Aldrouandus Ornitholog, lib.15. pag. 237. qui ex Ieremiæ probat ſuffragio cap.8.verſ.7.*Turtur,& hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui*, id eſt,cùm à tepidiori plaga,vbi per hyemem commoratæ,ad vernum reuertantur æquinoctium,quæ eſt Explanatio communi. Sed quorſum *vox turturis?* Si ex præſentia argumentum, quamobrem non apparuiſſe referat? primùm,quia licet regreſſa fuerit, inter frondes opaci nemoris abſcondit ſe; latens autem corpore & plumis de voce cognoſcitur; Deinde & ſubtilius; Quoniam inter columbarum ſpecies enumeratâ Turture ab Athenæo allegato ſuperiùs loco,ſuggerit, *hyeme vocem non edere præterquam ſereno, ac tranquillo cælo*; cùm ergo ſæpiùs audiri incipit, indicio eſt hyemem tranſactam eſſe.

M. Varro. *Nulla in hyeme videtur Turtur.* Ariſtotel. Athenæus. Cicero. Plin. Iſidor. Hiſp. Albert. Georg. Agric. Aldrouand. Ierem.8.7. *Turtur niſi ſereno cælo vocem non edit.* Athenæus.

13.

Rabbini Selemon, Aben-Ezra,& innominatus, quos ſequuti Genebrardus & Sanctius notant Hebraicum זָמִיר *Zamir*, pro quo vulgatus *putationem* expreſſit Hemiſtichio præcedenti, *cantillationem* pariter ſignificare, itaque vbi lectio eſt: *Tempus putationis aduenit*, poſſe adiungi aliam; *Tempus cantillationis aduenit*, & propriè ad veris etiam naturam,quod tunc & aratores, & Bubulci, & Nautæ canant; potiſſimè autem ſyluæ & campi reſonant dulciſſimis auium vocibus; Quare ſubiunxit continuò; *Vox Turturis audita eſt*, non quod hæc ſatis grata, luctum enim repræſentat, cùm gemitus propè ſit; amœna autem veris iucunditas mœrorem oderit; ſed quoniam huius audito volucris ſono,cùm tardius ex peregrinatione redeat, ſubinferimus reliquas potiori causâ modulari aues; ſed qualem conciliat voluptatem naturæ illa in volucribus muſica quis enarrare valeat niſi qui aureâ quadam in dicendo harmoniâ præditus inueniatur,quâ & ipſæ cantatrices aues velut Orphei alterâ Lyrâ mulceantur: Ouid.2.Faſt.

R. Salomon. Aben-Ezr. Genebrard. Sanchez. Zamir *Hebr. Putationem & Cantillationem ſignificat.* *Auium cãtus in vere.* Ouid.

*Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,*
*Ludit & in pratis,luxuriátque pecus.*

Idem Horatius lib.4.Oda 12.Titus Calphurnius, Ecloga 5. Gregorius Nazianzenus oratione 43. *Nunc Paſtor & Bubulcus fiſtulas aptant, ac paſtorale carmen inſpirant, atque in arboribus & petris veris amœnitate fruuntur; iam Auis nidum conſtruit, atque alia quidem redit,alia immigrat,alia circumuolat, ac nemus cantu implet, hominémque garritu demulcet; omnia Deum laudant,& vocibus mutis celebrant:* Venantius Fortunatus lib.3.Carm.9.

Horat. T.Calphurn. Nazianzen. V. Fortunat.

*Ad cantus reuocatur auis,quæ carmine clauſo*
*Pigrior hyberno frigore muta fuit.*
*Hinc philomela ſuis attemperat organa cannis*
*Fitque repercuſſo dulcior aura melo.*

Ruricius Lemouicenus lib.1.epiſt.5.*Vniuerſa animantia bruta pariter & elinguia,incedentia & volantia,atque reptilia,ſuis quæque modis, ſuis quæque ſibilis,ſuis quæque vocibus, etſi ſono diſſono, aut ore diuerſo; pari tamen affectu, quaſi vno concentu in laudem proprij Auctoris erumpunt:* Sed cuncta hæc, quæ mortalium animos exhilarare conſueuerant, Ægyptiis ſub denſa illa caligine,quam ob Pharaonis duritiam ſuſtinebant,timorem afferebant; Sapientiæ liber,cap.17.verſ.17. *Siue enim Spiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis,aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inuiſus,aut mugientium valida beſtiarum vox,aut reſonans de altiſſimis montibus Echo,deficientes faciebant illos pro timore.*

Rur. Lemouic. Sapient.17. 17.

Locum ſequentem: *ficus protulit groſſos ſuos,* expendi ſatis Anteloq.5.num.61. oſtendi ibidem ex variis,num. 59. pro flore groſſos habêre, non tamen,quòd in cæteris accidit arboribus, pomi præcurſorem præmittere,vnde Plutarchus Conuiualium diſceptat.lib. 5. q.9. inquit: *Quod verò imprimis ſtupendum eſt,quòd cùm arbores, quæ germinant & fœtificant omnes floreſcant,vna flore vidua ſit fici planta*; igitur Habacuc cap. 3. verſ. 17. dum comminatur Propheta: *ficus non florebit,& non erit germen in vineis*, intelligendus eſt non laturam groſſos ob vaſtationem hoſtilem; alioqui vanus terror, quando nullâ culturæ induſtriâ fieri poſſit,vt florem ficus oſtendat; decidere etiam groſſos,& paucas ad vtilitatem remanêre ficus monſtrauimus relato num.61. Qualis verò adhibenda medicina ne groſſi decidant, ſed in fructus ſuaues euadant, indicat Magnus Baſilius homilia 5. Hexameri: *Quamobrem alij*(ait)*iuxta ficeta caprificos ſerunt; alij caprifici groſſos inter ſeſe colligatos inijciunt ficis; atque hoc pacto ficorum imbecillitati medentur, defluentem iam,labentémque fructum ipſarum, groſſis iſtis fulcientes*; ex Baſilio mutuati Sanctus Ambroſius lib.3. Hexam. cap.13. Euſtathius Antiochenus in ſumma Hexameri Diui Baſilij; Theophraſtum, Plinium, atque Palladium adiungit Leo Allatius Notis ad verſ. 33. pag. 10. Euſtathij, Antonius Mizaldus de ſecretis hortorum libro 3. cap.16. Ludouicus de Sotomaior in hunc locum inter veris ſigna ficum ab Horatio poſitam arbitratus eſt lib.1.epiſt.7.ad Mæcenatem:

14. *Groſſos pro floribus habet Ficus.* Plutarch. *Quid agendũ ne groſſi è ficu decidant?* Baſil. Ambroſ. Euſtathius. Theophraſt. Plin. Pallad. Leo Allat. A.Mizald. Sotomaior. Horat.

——*dum ficus prima,calórque*
*Deſignatorem decorat lictoribus atris.*

Sed vt recta Poëtæ conſtructio innuit,de Sextili menſe,cùm ſub Iulio Caniculâ vniuerſa flagraut, & morbi vehementiores lictores atros, hoc eſt, qui funera baiulant, requirunt, ſermo eſt, vt Lambinus, & alij, qui Lyricum declarant Poëtam,obſeruant; ficus namque cùm bifera ſit, prima maturat poma in Iulium vt noſter à Lapide monuit in verſ.1.cap.7. Michææ; *Præcoquas ficus deſiderauit anima mea*, &c. Sed tam ſerò apud Italos,in Palæſtina oſtendi citato Anteloq. n.59. in Maio eſui dulces ficos ſuppeditari; & longè multo antè Iunium in Hiſpania,vt cuiuſque anni experientia docet.

*Tempus ficuum.* Lambin. *Ficus bifera.* A Lapide. Mich.7.1.

At quorſum omnis oratio penè de ficubus & vite? Sanè quoniam priſcis illis,non tantùm Victus maxima ſpes in his poſita, verùm & in deliciis haberent; diſſerui nonnihil de vitibus Veſtigatione 7. numero 2. & 7. modò de ficis libemus aliquid: Athenæus lib.3. cap. 5. ex Herodoto ſcribens de viris, quibuſcum odia exercenda eſſent, pugnandúmque, doctúrúſque molliter nequaquam educatos: *Aduersùs illos homines* (ait) *ô Rex exercitum comparas, qui anaxyride, & reliquo veſtitu coriaceo vtuntur, cibantur verò non ijs, quæ cupiunt,ſed ijs, quæ ſuppetunt, regionem aſperam incolunt; Vinum per Iouem non bibunt, nec ficis, nec alijs lautis cibis veſcuntur*; tantíque quæſtus, vt non minus creſceret ex his vectigalibus, quàm ex oleo, & vino, theſaurus ſeu vrbium, ſeu Principum: *Philomeſtrus* (ait eodem capite) *libro de Sminthijs Rhodijs ſcribit, Sycophantem inde nuncupatum fuiſſe, quòd illis temporibus è ficuum mercatura, vinei, olei tributa colligerentur,ac portoria,& mulctarentur qui ea non ſoluiſſent, è quibus in adminiſtratione Reipublicæ ſumptus fieret*; monet deinceps id muneris ciuium ſpectatiſſimos geſſiſſe; Quanquàm verò inter officia aulæ regiæ Dauidicæ nominetur,Paralip.1. cap.27. verſ.28.*ſuper olueta,& ficeta,quæ erant in campeſtribus Balanam Gederites*; Verùm ille non tributa collegiſſe intelligendus, ſed operariorum,qui in ficubus, & oleis colendis laborabant, ſummus extitiſſe Præpoſitus;cur autem Sycophantæ nomen impoſtorem ſignificare cœperit, fortaſsè ratio, quod conniuerent vendentibus pro bonis malos, vt enim ex Poëta Alexi in Lebete refert ibidem Athenæus,in caniſtris infernè duros & vitioſos occultabant, bonos & maturos ſupernè oſtendentes. Ficos prolixè admodum laudat Iulianus Imperator epiſt. 24. ad Serapionem: *Homerus ille ſapiens cæteros fructus partim ob magnitudinem, partim ob colorem, pulchritudinémve laudat, ſoli fico dulcedinis nomen attribuit, at ficus non ſolum ſenſu eſt dulcis, verùm etiam odore antecellit; iam adeò vtilis hominibus eſt, vt præſidium ad quæuis venena ſalutare Ariſtoteli videatur; ac menſis etiam inchoandis & claudendis non aliam ob cauſam adhibeatur*; Deinde quibuſdam interpoſitis annectit: *Quin & regales menſas ornat atque ad omnium conuiuiorum ornatum adhibetur; neque intritum, aut ſcriblita, aut panis dulciarius, aut denique aliud condimenti genus pari ſuauitate vnquam reperietur; adeo eſt mirabilis iſte cibus præ alijs omnibus.*

15. *Cur hîc de vite & Ficu præcipuus ſermo?* Athenæus.



*Sycophanta vnde dicitur?* Idem. 1.Paralip. 27.28. Iulian.Imp. *Ficus laudantur.*

16.

Cùm igitur & ficuum, & vinearum non modò tanta ſint commoda ſed voluptas etiam ſumma, mirum non vt de his potiſſimum Sponſi agat oratio; Quamobrem in omni Iudæorum poſſeſſione nihil antiquius, nihil amabilius vitis & ficuum diligentiâ; ſub harum frondibus confabulationes, ludi, recreationes, conuiuia, & tunc lætiſſima Reipublicæ facies, cùm ſecurè fas eſſet gaudêre in hac vmbra; Reg.3.cap.4.verſ.25. *Habitabátque Iuda & Iſraël abſque timore vllo,vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan vſque Berſabee cunctis diebus Salomonis*; iiſdem germana Reg.4. cap. 18. verſ. 31. Iſaïæ cap. 36. verſ. 16. Michææ cap.4.verſ.4. Zachariæ cap.3.v. 10. Nec aliud durius ſupplicium, quàm his ſpoliaſſe, Pſalm.104. verſ.33. *Et percuſſit vineas eorum,& ficulneas eorum:* Oſeæ cap.2. verſ.12. *Et corrumpam vineam eius, & ficum eius:* Damnatur & his carens regio, Numer. cap.20.verſ.5.*Quare adduxiſtis in locum iſtum peſſimum, qui nec ficum gignit, nec vineas?* an ob hanc rationem, quod ſimul intra eadem ſepta & ficus & vitis, ſorores appellauerint? Nam Athenæus lib.3. cap. 5. Hipponactem dixiſſe memorat; *nigram ficum, vitis ſororem*; an quoniam vtriuſque idemmet repertor ex Poëtarum fabulis, Bacchus ſcilicet? de vite norunt lippi & tonſores; de ficubus Athenæus ibidem: *Soſibius Lacedæmonius cùm ficus inuentorem Bacchum fuiſſe oſtendiſſet, ſubiunxit ea de cauſa Lacedæmonios Bacchũ Syciten,id eſt, ficulneum venerari; idem Andriſcus & Agaſthenes referunt: Naxijs Bacchus Meilichius appellatur, quod mortalibus ficum dederit; ob eandémque rationem apud Naxios Dei Bacchi, quem Dionyſium vocant, è ligno vitis facies eſt; illius verò, quem Meilichium nuncupant è ficu: ficus enim* μείλιχα *Naxij vocant*; non ſine cauſa igitur peculiaris eſt vitis cum ficu ſociatio.

*Iudæorũ melior poſſeſſio vitis & Ficus.* 3.Reg. 4.25. 4.Reg.18. Iſai. 36. Mich.4. Zachar.3. Pſalm.104. 33. Oſee 2.12. Num.20.5. *Ficus vineæ ſoror,& quare?* Athenæus. Athenæus. *Bacchus vt vitis, ſic Ficus inuentor.*

17.

Vltima particula, *Vineæ florentes dederunt odorem ſuum*; confirmaui num.9. odorem rectè concedi etiam viti communi, nec opus eſſe cogitare Salomonem de Balſami vite loquutum eſſe: pariter oſtendi monſtruoſum non eſſe, vno eodémque loco teſtatum eſſe,quòd & putarentur vineæ, & florerent: Eius pronunciati ſuggero alteram cauſam; in Libano, de quo ſermocinatio eſt (ibi enim verſabantur Amantes) pleraque edita & montuoſa ſunt; nihilominus planities interdum, & lætiſſimi campi; iam verò illud experientia crebrò docet, quæ in montium faſtigiis & lateribus conſeruntur, quoniam frigidior incumbit ventus, & ſol minùs exæſtuat, quàm aut in vallibus, aut planis, ſeriùs fructum producere, vt quædam arbores in ſupereminentibus locis florêre incipiant,cùm in depreſſis eiuſdem aliæ conditionis poma ferant; hanc ob rationem Nicolaus Radziuillus Dux Olicæ in Ieroſolymitana Peregrinatione ſua contingere aſſeuerat, Ierichontino in agro ſegetes & fructus omnes citiùs duabus antea prouenire hebdomadis, quàm Ieroſolymitano ſub Tractu; vtique apud Ierichuntem æſtus ſunt maximi; Ieroſolymitana frigida eſt plaga, ſic ille pagina 98. qui de Gortyna, & Candia ſimilia tradiderat pag. 18. Qui igitur de vinearum putatione ſermo eſt, illas ad vites referri queat,plantatas ſcilicet in collibus, & montium capitibus; floritio autem vinearum ad eas traducatur, quæ humili conſito ſolo; has, cùm vehementioribus radiis Sol adurat, tum florem emittant, cùm nondum altiores illæ gemmare inchoarint; vtrumque itaque ſub vere & floritio atque putatio; diuerſis tamen in ſedibus. Hîc multa inſuper diſquiri poterant, quæ curioſis oblectamento futura erant; Qui menſes ver componant? Quamobrem genialibus tripudiis ſeu exoptata, ſeu electa verna tempeſtas? cur in Palæſtina ſub veris clementia apta ad falcem ſpica Triticea, cùm apud nos niſi cum æſtatis incremento demetatur? quo pacto exundantes in tempore meſſis Iordanis & Nilus gaudia Agricolarum non eludat? ſed de his vniuerſis copioſè à nobis diſſertatum eſt volumine primo, Anteloq. quinto, ſect.4.& membris eius.

*In Libano quamuis editiſſimo monte, Planities ſunt & lætiſſimi campi.* Radziuil. *In agro Ierichuntino ſegetes & fructus citiùs duabus hebdomadibus matureſcunt, quàm in Ieroſolymitano.*

Explanatio

# Explanatio in eumdem Verſum Myſtica.

### *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus*: En Dilectus meus loquitur mihi; ſurge, propera Amica mea, Columba mea, formoſa mea, & veni:
Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit:
Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: Vox turturis audita eſt in terra noſtra:
Ficus protulit groſſos ſuos, Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. *Cap.* 2. *verſ.* 10. 11. 12. 13.

*Diſperſi fideles ex perſecutione in Stephani morte, quas adierint prouincias? num Ethnicis prædicarint? Actorum loca quædam illuſtrata, de Epiſtolis item Iacobi, & Petri: Deſerti vireſcentis ſymbolo adumbrata Gentilitatis Conuerſio, Romæ ſpeciatim: Petri in Antiochena vrbe locata Cathedra; inde Romam tranſlata, vbi perpetuò defixa eſt; id ſectarij negare quàm improbè auſi ſunt: occaſione vocis Turturis; libelli cum hac inſcriptione ſcopus conſideratus; ſacris inſtitutis quomodo particularium abuſus præiudicare non debeat.*

## Sectio Vnica.

18. *Diſperſi in Ieroſolymitana Perſecutione primi Fideles, quas in regiones venerint?*

CVm antecedentem exponeremus verſum, perſuadêre conati ſumus, Salomonem in ea conuerſum tempora, quibus Proto-Diaconus, Martyrúmque Anteſignanus Stephanus ſaxorum imbre comminutus eſt; Num verò huius ſolius ruinâ crudelitas exſaturata eſt? tranſiit in nouam fidelium meſſem acerbitas, laribúſque & Ieroſolymâ excedere compulſi ſunt; ſed in quas delata exulum manus illa vel regiones, vel vrbes? Lucas Actor. cap. 8. v. 1. *Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ præter Apoſtolos*: longioris peregrinationis metas aſſignat cap. 11. verſ. 19. *Et illi quidem, qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano perambulauerunt vſque Phœnicem & Cyprum & Antiochiam*; Atquin viſum non paucis in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam, Bithyniam eſſe profectos; Nam certè Spiritu ſancto repleti Apoſtoli, cùm Dei loquerentur magnalia, auditores nacti ſunt ex Aſia, Ponto, Cappadocia, Actor. cap. 2. verſ. 9. de Aſia etiam fuerunt ex his, qui cum Stephano diſputabant, Actor. cap. 6. verſ. 9. cùm igitur magna in vrbe exterarum Prouinciarum commorarentur homines, ſeu ex Iudæorum illi ſtirpe, ſeu Proſelyti Moyſis amplexati ritus, & ab Ethniciſmo ad Circumciſionem tranſlati, veriſimile fuerit ex his non leuem numerum Petri Concionibus Seruatori adhæſiſſe; modò autem Ciuitate fugatos in cognatas migraſſe ſedes, ſecúmque ob Chriſtianæ amicitiæ vinculum aſportaſſe, quibus non licuit in Iudæa occultari; Deinde Petrus fundatâ Antiochenâ Eccleſiâ, Aſiam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam luſtrauit, vt memorat Hieronymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis in Petro; Leo Magnus ſermone 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, Metaphraſtes ad diem 29. Iunij in Surianis Vitis; hoc autem ſuſcepit itineris non ſolùm vt prædicaret, nouíſque augeret Eccleſiis, ſed vt chariſſima ſibi pignora diſperſorum in Stephani morte, ab iiſque adquiſitam Domino prolem inuiſeret, adhortaretúrque; Poſtremò exinde Romam abiens Claudij ſecundo anno ex veriori computo, tertio eiuſdem anno, quos præſentiâ non ita pridem conſolatus eſt, epiſtolâ ſalutauit; nam prioris exordium incipit: *Petrus Apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*, &c. Quanquàm autem de tempore ſcriptionis epiſtolæ varia eſt cogitatio, tamen hanc ad eos miſſam, qui ob Stephani mortem relegati ſunt, diuersáque ſubiêre climata; quemadmodum & Iacobi Ieroſolymorum vt putant Antiſtitis, qui dulcem aliquando gregem alloqui amabat, nam & initialia ad palantes etiam: *Iacobus Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruus, duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*; graues teſtantur viri; Sanè quidem ita Sancti Thomæ Commentarius; de Recentioribus Titelmannus, Gagnæus, Gregorius Primatticius, Balthaſar Paëz, Cornelius, Tirinus, Menochius, omnes aut in epiſtolam Iacobi, aut in primam Petri, Baronius anno Chriſti 35. num. 3. & anno 45. num. 15. Sanchez in cap. 8. Actor. num. 2. Ribera in cap. 1. Oſeæ num. 102. non tamen adeò fauent ſecundæ eiuſdem curæ Procœmio in epiſtolam ad Hebræos, num. 12. Tena lib. 3. Iſagogæ in ſacram Scripturam, difficultate 12. ſectione 7. & difficultate 13. ſectione tertia; alios in Aſiam, alios in Europam aduentaſſe teſtatur Flauius

Act. 8. 1.
Et 11. 19.
*Quas regiones peragrarit D. Petrus?*
Hieronym. Leo M. Metaphraſt.
1. Petr. 1.
*Prima Petri, vt & Iacobi epiſtola, ad eos qui in perſecutione poſt mortem Stephani obortâ in varias regiones diſperſi ſunt, ſcribuntur.*
Iacob. 1.
Titelman. Gagnæus. G. Primatt. Paëz. A Lapide. Tirinus. Menoch. Baron. Sanchez. Ribera. Tena.



Flauius Dexter ad Chriſti annum 35. quem Biuarius defendit, & cui noſter ſubſcribit Inchofer Tractatu de epiſt. B. Virginis ad Meſſanenſes c. 1 & 13. in Hiſpaniam nimirum, Italiam, Franciam, Britannias; nam & tum vxorem Zebedæi ad Hernicos in Italiam perueniſſe exulantem antiquis conſtare monumentis Baronius affirmat Notis ad 25. Iulij diem; Maſſiliam appuliſſe Lazarum cum ſororibus, & Ioſephum ab Arimathia, quem vltra progreſſum referunt, eundem ſenſiſſe Cardinalem monſtrauimus Veſtigat. præteritâ n. 11. de Hiſpania Viuarius in Dextri ſignatum annum.

F. Dexter. Viuarius. Inchofer.

19. *Qui ex Iudæa diſperſi fuerant in Perſecutione Ieroſolymitana, Euangelium Gentibus diſſeminare cœperunt.*

Sed quem in ſcopum iſtamet omnia tendant? ſanè, vt doceamus has diſperſorum ob fidei cauſam Legiones; iis ad quas perrexerunt nationibus Euangelium diſſeminaſſe, & Chriſto nonnullos ex dæmonum adoratoribus aggregare cœpiſſe, Gentilitatis denique auſpicatos ſalutem, quibus ſuperuenientes breui ex Apoſtolorum Collegio pro gratiæ amplitudine cumulatiſſimos retulêre fructus lætiſſimæ ſegetis; verùm, cùm hæc diſſipatio Seruatoris Aſcenſionem modico conſequuta ſit interuallo nondum reſerato Euangelij oſtio, cùm niſi aliquot poſt annis Petro Lintei cum quadrupediis viſio detecta fuerit, quo pacto ſtatuemus auſos Gentilitatem inſtruere? Nam ex his quidem profugis benè Lucas enarrat, ambulaſſe quoſdam vſque Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, ſed monet continuò; *nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis*, Actor. c. 11. v. 19. Quòd nimirum adhuc interdictum eſſet prædicare Ethnicis, quoad Petro intimatum eſt licêre & his annunciare, quæ Chriſtus obſeruanda reliquerat. Reſpondeo, à me probatū ſatis Veſtig. 18. n. 15. nullo præcepto vetitum Apoſtolis, viríſve Apoſtolicis poſt Chriſti necem vt Gentes imbuerent nouæ legis diſciplinâ; id rudiores etiamnū ex Iudaïſmo conuerſi intempeſtiuo cærimoniarum Moſaïcarum zelo faſtidiebant; Nam & poſt viſionem Lintei, Corneliúmque Baptizatum, increpare Principem Apoſtolorum non timuerunt, Act. cap. 11. v. 3. *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* tolerandus erat ardor in Synagogam, quoad paulatim intelligerent de Sacramento Regis, & ſepeliretur antiqua mater; cuius ſententiæ fautores ſi optimos non haberemus Theologos recenſitos præfato loco; tamen dicere poſſimus inter exulantes cohortes fuiſſe non raros eos, qui Gentilium ſuperſtitiones ſequuti olim fuerant, qui cùm Ieroſolymis Petrum audiſſent Ieſum prædicantem, Euangelio ceſſerunt; his ergo permittebatur Ethnicis Chriſtum manifeſtare, quanquam idem facere Iudæis religioni eſſet; nempè vbi ſuperius Lucas Actorum 11. monet ex diſperſorum multitudine Antiochiam profectos neminem alloquutos præterquam Iudæos, ſubdit ſtatim v. 20. *Erant autem quidam ex eis viri Cyprij, & Cyrenæi, qui cùm introïſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos annunciantes Dominum Ieſum:* hoc eſt: Quanquam primi illi, eò quod Iudæi eſſent, non niſi cum Iudæis ſermocinari auderent; ſecundi cùm eſſent ex Gentibus antequàm ad Chriſtum tranſirent prædicatione Apoſtolorum; non timuerunt Græcis, id eſt, aliis ex Gentilitate Ieſum annunciare; Quem in morem interpretantur in Acta ſcribentes Lyra, Hugo, Caietanus, Arias Montanus, Sa, Mariana, Cornelius, Tirinus, Menochius, & Antonius Caracciolus in Biga illuſtrium Controuerſiarum, Controu. 1. de acceſſu B. Iacobi ad Hiſpaniam num. 52.

Act. 11. 19.
Act. 11. 3.
Act. 11. 20.
Lyra. Hugo. Caietan. Arias Mont. Sa. Mariana. A Lapide. Tirinus. Menoch. Caracciolus.

20. *Senſus horum verſuum Hiſtorico-Myſticus.*

Probabile eſt itaque, altero poſt Chriſti Aſcenſionem anno nondum abſoluto, in variis mundi partibus beneficio diſperſorum ob Stephani necem cœpiſſe Euangelium innoteſcere, & dæmonum præſtigiis comtemptis, eorum adoratores nonnullos in Ieſum credere; Turbatam igitur ob calamitatem afflictorum ex perſecutione gnatorum Eccleſiam Sponſus conſolatur; Ne turberis formoſa mea, quod duri ſemper corde Iudæi non admittant ſecum habitare, parabo alias nationes pro ſemine Abraham, ſurge, relinque Syriam, propera cum ingenti profugarum caterua in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Europæ, atque Aſiæ oppida; iam hyems præteriit, iam nubila illa longæ caliginis ſedentium in vmbra mortis diſcuſſa ſunt, iam Sol exoritur vt illuminet, & germinare faciat terram iniquam hactenus. O quales hortos intueor! ô qualiter prata vernant! Sed quàm ſit hæc de Eccleſia Gentium Explanatio germana Patrum cogitationibus, aperiamus; Matthæus Cantacuzenus Dialogiſmum eſſe cum Eccleſia noua ex Gentibus planè aſſeuerat; & de Bruma annectit: *Tempus enim hyemis, nimirum infidelitatis præterijt, & imber abijt, videlicet, Idololatriæ illuuies cum prauis pariter deſijt operationibus.* Declarant eundem in modum Nyſſenus hom. 5. Epiphanius Hæreſ. 59. Bernardus ſerm. 58. hîc Caſſiodorus, Beda, Anſelmus, Alcuinus, Aponius, Vuilleramus, Gloſſa, Sanctus Thomas, Vuolbero, Petrus de Alliaco: *Flores apparuerunt, in terra noſtra*; virtutes, Patrum communi indicio; *initia bonorum operum* ait Commentarius Sancti Aquinatis, ſed concinnè Petrus Alliacenſis: *Initia bonorum operum apparuerunt in terra noſtra, id eſt, in Eccleſia gentium. Tempus putationis aduenit poteſt ſic intelligi* (inquit Philo Carpathius) *quia iam tempus aduenit metendi Gentiles frumentorum inſtar, & horreum cæleſtis Regis colligendi à cupiditatibus rerum terrenarum*; Vocem Turturis, vocem eſſe docent Apoſtolorum, Apoſtolicorúmque virorum, per quos eruditæ Nationes Seruatorem & Euangelium illius cognouerunt; ita Beda, Caſſiodorus, Haymo, Rupertus, Honorius; Paulo ſpeciatim Philo Carpathius accommodauit; rectè ſanè Cardinalis de Alliaco; *Vel vox Turturis eſt ſonus Apoſtolorum & Prædicatorum, qui auditus eſt in terra, quia in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Ficum cum groſſis ad Gentilitatem referunt Epiphanius loco paulò anteà indicato, Ambroſius ſerm. 6. in Pſalm. 118. vt quæ olim excidi iuſſa eſt ob ſterilitatem poſſeſſori vtilis eſſe cœperit in groſſis dulcibus nimirum, & maturis; at vulgata opinio Synagogæ concedit, quæ & ipſa prædicantibus Apoſtolis ſuauiſſimos edidit fructus, nam de hac primitiuæ Eccleſiæ grandior portio; verùm non ſolùm in Iudæa, & Sione conuerſi, ſed in aliis nationibus aliqui, in quibus diſperſi erant, ita vt ſi ſermo de iis, qui in Aſia atque Europa docebant, ſimul cum Ethnicis Iudæos quoſdam conuerterint, de quibus exponunt Caſſiodorus, Iuſtus Orgelitanus, Aquinas, Vuolbero, Cantacuzenus, Alliaco: *Vineæ florentes* (ait quem modò nominaui) *id eſt congregationes fidelium in primitiua Eccleſia, florentes, id eſt, credere incipientes, dederunt odorem ſuum, id eſt, famam ſanctæ conuerſationis*; de particularibus Eccleſiis, quas Apoſtoli, illorúmque ædificauerunt diſcipuli variis in Prouinciis trita ſententia: Ambroſius lib. 9. in Lucam, Hieronymus lib. 1. contra Iouin. hîc Origenes homilia 4. Bernardus ſerm. 60. Nyſſenus oratione 5. Gregorius, Beda, Caſſiodorus

*Diſperſā variè nouā Eccleſiam ſolatur Sponſus.*
Cantacuzen.
Nyſſen. Epiphan. Bernard. Caſſiodor. Beda. Anſelmus. Aponius. Alcuinus. Vuilleram. Gloſſa. S. Thom. Volbero. P. de Alliac. Philo Carp.
Haymo. Rupert. Honor. Aug. Alliac.
Ambroſ.
Caſſiodor. Orgelitan. S. Thom. Volbero. Cantacuz. Alliac.
Hieronym. Origen.

Caſſiodorus,Anſelmus,Philo Carpathius,Rupertus,Sanctus Thomas,Cantacuzenus,VVolbero.

21.
*Pulchrè, vernâ, floridâ, fœcundâ, felici agrorum, montiumque innouatione, Gentium Cõuerſio hîc adumbratur.*
Iſai.35.1. — Ierem.31.12. — Amos 9. — Pſalm.64. — Pſalm.2 8. — Hilarius. — Lyrâ. — Incognit. — Genebrard. — Bellarmin. — Caſſiodor. — Athanaſ. — Cyrill. Alex. — Didymus. — Hieronym.

Nec ſanè pulchriora alia ſymbola, lætioráve ad Gentilitatis innuendam conuerſionem, quàm glebæ innouatio; agrorúmque & montium felicitas,ſeu in vinetis, ſiue in arborum, florúmque amœnâ ſpecie; Quamobrem Iſaias,cùm Euangelicorum temporum iucunditatem pingeret omnium Catholicorum interpretum ſuffragiis, ad Ruris conuolauit hilarem partum,inquiens c.35. verſ.1. *Lætabitur deſerta, & inuia,& exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium; germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans; gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli,& Saron.* Ieremiæ cap.31. verſ.12. *Eritque anima eorum quaſi hortus, & vltra non eſurient: tunc lætabitur Virgo in choro, iuuenes & ſenes ſimul, & conuertam luctum eorum in gaudium, & conſolabor eos.* Amos cap. 9. verſ. 14. Dauid Pſalm.64.verſ.12.Sed quare congeminat in *terra noſtra?* vide, quid memoratus nuperrimè Rex Lyrâ cantet Pſalm.2.verſ.8. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam,& poſſeſſionem tuam terminos terræ:* quâ in ſententiâ vocatio Gentium innuitur,& futurus Deus in poſterum non ſolùm Iudæorum,ſed cunctarum nationum, idcircò adiungitur; *Et poſſeſſionem tuam terminos terræ;* neque enim aut Dauid,aut Salomon, aut alius quiſpiam Monarcharum in vniuerſa mundi regna protulit imperium: Hilarius: *Hæc eſt ergo eius hæreditas,vt omni carni det vitam æternam; vt omnes gentes baptizatæ & doctæ regenerentur in vitam,in Dominicam familiam ſuſceptæ.* Nicolaus de Lyra: *Quia à tempore Apoſtolorum fides Chriſti diuulgata eſt per orbem vniuerſum, ſecundum quod dicitur infrà, Pſalm.18. In omnem terram exiuit ſonus eorum,*&c. Similiter Incognitus; Verùm, quare Hæreditas & poſſeſſio? planè ad ſignificandam Dominij proprietatem notantibus Genebrardo & Bellarmino:Caſſiodorus etymologizat: *Hæreditas* (inquit) *ab Hero,quòd in ea poteſtate liberâ dominetur.* Si igitur Hæreditas & poſſeſſio, Eccleſia noua, rectè omninò *Flores apparuerunt in terra noſtra; Vox Turturis audita eſt in terra noſtra,*&c. innui his verbis Iſraëlis reprobationem, tranſlato ad Gentes imperio ſpiritalium maximè bonorum in Catena Græcorum à Daniele Barbaro interpretatâ affirmat Athanaſius,Cyrillus Alexandrinus,Didymus,& inter Latinos Hieronymi ſub titulo Commentarius in Pſalmos.

22.
Act.11.21. *Antiochia, vbi primùm Fideles vocati ſunt Chriſtiani, ſedes Patriarchalis quando inſtituta?*
Iſai.62.2. — Ignat. Mart. — Athanaſ. — Leo Caſtrẽſ. — Baron. — Tertull. — Euſeb.
*Quo tempore Romam intrauit S. Petrus, & illuc ſedem tranſtulit Pontificalem?*
Baronius. — Cerda.

Altioris tamen Sacramenti quidquam ſubeſſe verbis illis in *Terra noſtra* reor; Nam ſtatuimus quidem num.19.ex his, qui ex Perſecutione Stephano ſublato fugati ſunt in remota oppida, diſtantéſque Prouincias Cyprios quoſdam & Cyrenæos Antiochiam delatos Ethnicis prædicantes Chriſto vendicaſſe plurimos: *Et erat manus Domini cum eis* (Actor. cap.11. verſ.21.) *multúſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum:* læto vberis huius meſſis nuncio Ieroſolymam aſportato,Barnabas Antiochiam deſtinatus eſt; is Tarſum profectus Saulo comite feliciſſimo locupletatus eſt; vterque per annum ampliſſimâ in vrbe verſati *docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ Diſcipuli Chriſtiani:* Tum adimpletam Iſaiæ vaticinationem cap. 62. verſ.2. *Et videbunt gentes iuſtum tuum,& cuncti reges inclytum tuum; & vocabitur tibi nomen nouum, quos os Domini nominauit,* exiſtimauit Sanctus Ignatius Martyr epiſtola ad Magneſianos, & Diuus Athanaſius diſputatione contra Arrianos,aliíque præſertim apud Leonẽ Caſtrenſem in dictum Oraculum: Quo etiam de nomine exceptis, qui Acta Apoſtolorum illuſtrant, copioſè Baronius tom.1. anno Chriſti 43. à num. 11. per hoc temporis, anno Chriſti nimirum 37. inchoante,Tiberio regnante vt à Tertulliano obſeruatum eſt, docétque Euſebij Chronicon, Antiochiæ Petrus Cathedram Epiſcopalem inſtituit, quæ exinde ſedes Patriarchalis, ſeptennio eius Ciuitatis Antiſtes cùm fuiſſet, Euodio traditâ eius vrbis paſtorali curâ,vltimi ex ſeptem annis luſtrando Aſiam minorem, Pontum,Cappadociam,Bithyniam, cum exordio octaui,parte conſumptâ,Romam 44.Seruatoris anno, Claudij Imperatoris ſecundo intrauit; quò & ſedem tranſtulit Pontificalem, quam vſque in vitæ finem rexit; vnde ipſa Eccleſiarum omnium prima & præſtantiſſima facta eſt,matérque Orthodoxorum,vt vel inde nomen ſortiti, nam Romani intelliguntur, qui fidem Chriſti ſinceram profitentur, vt à Baronio probatur tom. 1. anno Chriſti 45. num.10. & anno 58. numero 49. à noſtro Cerda in Aduerſariis c. p.1. num.1.

23.
*Quænam hîc* Terra noſtra *in qua flores apparuerunt: num Antiochia, an Roma?*
*Petri Romana Sedes in Hæreticos aſſeritur.*
Coclæus. — Roffenſ. — Lindan. — Horant. — Sander. — Baron. — Bellarmin. — Gretſer. — Iod.Coccius. — Anaſtaſ. Sinaït. — VValfrid. — Honor. Aug. — Chronic. Alexandr. — Fl.Dexter. — Toſtat. — Valentia. — Suarez. — Onuphr. Panuinus. — Baron. — Bellarmin.

Concedamus itaque hanc de Chriſtianorum tam in Iudæis,quam in Gentibus præcipuè exordiis vaticinationem Salomonicam decem aut duodecim annos complecti ſaltem à Chriſti Aſcenſione elapſos; ſub hoc quidem interuallo non ſolùm Antiochenam Petrus Cathedram gubernauit,ſed Romæ etiam Pontifex ſummus conſederat; ergo,vt quónam Orationis ſcopus tendat ſingulariter patefaciamus; ſi modò concipiamus,id quod exquiſitior interpretatio poſt lare videatur in verbis illis; *Terra noſtra*, emphaſim latêre, cogitare poterimus ad Antiochenam Eccleſiam reſpicere vatem; tum quod ibi ſupremus Paſtor,& à Chriſto Sponſæ relictus Vicarius,Cathedram poſuerit; tum,quòd illic aperti nominis voce Religionem nouam fateri non dubitauerint cultores eius, vt facere ſolent qui propriis in aruis verſantes, non habent ob quod latêre ſtudeant, nec quorſum familiæ inſignia diſſimulent; Quadrat tamen venuſtiſſimè Romanæ Eccleſiæ, quod temporibus prolabentibus,etiam in humanum & temporale Dominium Petri ſucceſſorum erat tranſitura, quódque illius ſingillatim vrbis ſpeciales Epiſcopi futuri vniuerſi Romani Pontifices, exituri fuiſſent; depingit igitur illius agri, cui Dominus plenè benedixit in principio feruorem maximum, modò florum emblematis,modò ficuum,modò vinearum: Sed quid non audet Hæretica impudentia? Nihil vllarum gentium Hiſtoricis monumentis ſic comprobatum, nihil tantâ conſpiratione receptum, nihil crebriùs auditum,quàm quod Petrus, Paulúſque Romanos edocuerint prædicando, ibíque gladio Neroniano ſuccubuerint, ſummum geſſerit Pontificatum Apoſtolorum Coryphæus; hoc aduersùs omnium Mortalium teſtimonia Hæretici poſteriores inficiantur. Scripsêre contra mendacium enorme Coclæus, Roffenſis, Lindanus, Horantius, Sanderus; ſed ingenti quidem Græcorum Latinorúmque cateruâ ſtipati Baronius tom.1. Annalium,anno Chriſti 44. num.25. Bellarminus tom. 1. lib. 2. de ſummo Pontifice cap.3.Gretſerus tom.2.Defenſionis Bellarminianæ in nominatum dicti libri caput; Iodocus Coccius Theſauri Catholici tom. 1. lib. 7. art. 5. apud quos cùm inueniſſemus collectorum à nobis Auctorum nomina referre ſuperſedimus, neſcio tamen an omiſerint Anaſtaſium Sinaitam Hexam. lib. 4. VValfridum libro 1. de Rebus

Eccleſia



Eccleſiaſticis cap.22.Honorium Auguſtodunenſem de luminaribus Eccleſiæ in principio;Chronicon Alexandrinum propè initium; Flauium Dextrum anno Chriſti 66. & 68. Abulenſem tom.6. in Matth. quæſtione 72. in cap. 24. id etiam mouit plurimum, ne diutiùs refutaremus, quòd ob claritatem euidentiæ, ſuperuacaneum appareret, materiam per ſe certam ſtabilire niti, quæ fuit cauſa, vt à longiori abſtineret diſputatione, noſtro Valentiæ in Analyſi fidei libro 7. cap. 13. Suario quoque contra Regem Angliæ libro tertio cap. 13. numero 9. Quanquàm verò Orthodoxorum nullus ambegerit de Petri in vrbem Romam aduentu, de Pontificatu ibidem, atque Martyrio; non tamen geſſiſſe prius Epiſcopalem functionem apud Antiochenſes Onuphrius Panuinus Additionibus ad Platinam probare tentauit; diſplicuit effatum ſummoperè graues ob cauſas Cardinali Baronio, quem Lector adire valeat anno Chriſti 39.num.12. & Notis Martyrologicis in diem Ianuarij 18. refellit optimè pariter Bellarminus nuncupato lib. 2. de ſummo Pontifice cap.6.

24.
Pſalm.106. 33. *Roma quæ prius deſertũ ſterile & inaquoſum, per B.Petrum,facta eſt in ſtagna aquarum Baptiſmi, & in terram floridam & amœniſſimã.*
Arnob. iunior. — Leo I.

Quam verò magnificentiſſimæ Romanæ vrbis conuerſionem ab Ethnicis & infandis moribus ad Chriſti legis obſeruantiam, & pietatem in mortificatione, in ieiuniis, in caſtitate non fictâ, in precibus & vigiliis, omnîque exercitamento Religionis incontaminatæ Salomon hoc loco deſcripſit,reſtituti ad lætitiam & pulchritudinem ruris ſub charactere, eandem Genitor priùs delineauit paribus ex figuris Pſalm. 106. verſ.33, *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; Terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum.* Ac licet communis expoſitio generatim de Nationibus ab idololatria ad fidem IESV Chriſti tranſlatis exponat; voluptas tamen eſt Arnobij iunioris ex Commentario in hanc Dauidis odam, mentem de Roma ſingulariter proponere; *Lætatus eſt Petrus,quia ſiluerunt fluctus, & deduxit eum in portum voluntatis ſuæ,in Eccleſiam ſine dubio, vbi exaltent eum in Eccleſia populi, & in cathedra ſeniorum laudent eum, quia poſuit flumina in deſerto, id eſt, in deſerto huius ſæculi perambulans, quouſque perueniret ad Romam; prædicauit baptiſmum* IESV *Chriſti, in quo vniuerſa flumina benedicuntur vſque hodie à Petro; ipſe poſuit exitus in ſitim, ita vt qui exierit foras ab Eccleſia Petri, pereat ſiti: poſuit terram fructiferam in ſalſuginem; per Petrum in ſalſugine Literarum poſitam Romam, fecit eam fructum afferre; & adiecit: poſuit, inquit, deſertum ab aquis, quæ peccata lauant, poſuit in ſtagno aquarum, abundant aquæ baptiſmatis in deſerto iſto, quod ante Petri aduentum ſiccum fuit, & aridum; hoc nunc excultum, cùm conſtitueretur in eo ciuitas Eccleſiæ, in qua quotidie ſeminantur agri, & plantantur vineæ, vt fiat fructus natiuitatis, quos benedixit Deus, & fecit vt multiplicentur.* Equidem ante Beatum Petrum allegoricè Roma quidem,non tantùm ſolitudo & deſertum,at iniquiſſimum planè & formidabile ob Beſtiarũ monſtra ſæuiſſima,quo modo nominatur frementium ſylua ferarum à Leone Papa ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli; Beſtiæ autem illæ omnium pariter gentium ſuperſtitiones, quas ſimul collectas adorabat.

25.
*Quale Iudicium de Libello inſcripto* Vox Turturis?
Bellarmin. — Suarez. — Valentia. — Sanchez. — Turrian. — Leſſius. — Platus. — Gretſerus. — Contzenus. — Aluarez de Paz. — Scriban. — Suarez. — Mariana. — Orlandin. — Platus. — Ribaden. — Maffæus. — Spinell. — Vaſconcelos.

Excitauit me *vox Turturis*, vt de eo, qui antè paucos annos prodiit libello ſub hac inſcriptione requiſitum à nonnullis priuatim iudicium meum omnibus patefacerem. Scopus Opellulæ in duobus; Alter; Religioſas familias eſſe viua & vegeta Eccleſiæ membra; hanc centies deoſculamur Theſim, quam ſtrenuè ſæpè propugnarunt laudatiſſimi noſtri Ordinis viri, Bellarminus Suarezius,Valentia, Thomas, Sanctius, Turrianus,Leſſius,Hieronymus Platus,Gretſerus,Adam Contzenus, Iacobus Aluarez de Paz, Scribanus; Auctoris verò nullis vnquàm encomiis ſatis commendatum cœtum: magnis defendunt ſententiis Franciſcus Suarez tom. 4. de Religione tract. 9. libro 2. cap. 6. Mariana tom. 1. Annal. libro 12. cap. 8. Orlandinus 1. parte Hiſtoriæ Societatis lib. 8. numero 45. Plati lib. 2. cap. 30. & 32. Iacobus Aluarez de vita ſpirituali tom.1. lib. 2. parte 5. cap. 35. §. *Hæc Baſilius*,&c.Ribadeneira in vita Sancti Dominici,Maffæus in Sancti Thomæ Aquinatis vita;Contzen.lib.6.Politic. cap.46. §.5. Spinellus de B.Virgine c.35. num. 6. Vaſconcelos in Hiſtoria Regum Portugalliæ, in deſcriptione Luſitaniæ.Alter finis,confutatio dictorum à Venerabili Cardinali Bellarmino lib.2. de gemitu Columbæ cap. 6. ſcilicet ob grauia & multiplicia ſcandala omnibus nota, natáque ex relaxatione Monaſticam profitentium diſciplinam quorundam,Columbæ gemendi atque plangendi vberem datam materiam.

26.
*Card. Bellarmini Encomia.*
Baron. — N.Coeffeteau. — Spondanus. — Saluian. — Theodor. Beza. — Auguſtin.

Verùm hæc ab illo Cardinali tradita ſunt, de cuius Controuerſiarum Lucubrationibus Cæſar Baronius tom.1. anno 53. numero 32. *Nobiliſſimum planè opus, quod inſtar turris illius, quam Dauid ædificauit cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, & omnis armatura fortium in Eccleſia habeatur;* quem Nicolaus Coeffeteau Dominicanus Epiſcopus Maſſilienſis tom.1. contra Marcum Antonium de Dominis Diſcuſſione, cap. 3. libro 1.pag.57.vocat *florem,robur,& exercitus Domini*; de quo Henricus Spondanus Præſul Apamenſis in Auctuario,ad annum 1622. *Eruditione, & virtutibus Chriſtianis etiam ſupra famam ornatum*, vt ſileam tam multa, quæ ab eius vitæ conſcribuntur Auctore; Hic igitur, quo nemo ſuo æuo doctior, qui & in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis verſatiſſimus, longâ videlicet & attentâ in narratione id prodiderit, quod non exploratiſſimum habuerit? Hic, qui ſuo tempore in doctrinis primum non vidit, maior tamen ob ſanctitudinem, quam ob eruditionis præſtantiam, ea in vulgus ſpargere non timuit,quæ ſupprimi charitas ordinaſſet? itaque ab ignorantia, cùm Sapientiæ; à malitia, cùm pietatis vindicet excellens ſplendor; in quibus deliquit? cur igitur diſpliceat? rectè ſanè præfatur Saluianus lib.8. de Gubernatione Dei: *Arbitror, imò certus ſum faſtidioſam plurimis ſtyli huius prolixitatem fore, maximè quia morum noſtrorum vitia caſtigat; omnes admodum enim ſe laudari volunt; nulli grata reprehenſio eſt*; dixerat autem libro præcedenti; *Offendi quamuis quoſdam ſuſpicer his, quæ diximus; ſed quia veritas magis, quàm offenſio cogitanda eſt, dicam, & ſæpè dicam.* Scio quidem Theodorum Bezam in ea, quam texuit de Caluini Præceptoris ſui geſtis Hiſtoria,quanquam non ſubdubitaret aliquo modo ſceleribus vniuerſis opplétũ,in deceptionẽ tamen mortaliũ,veritatem celaſſe accerſitis virtutũ figmentis ad ſubuertendos animos;ab hoc autẽ dolo orthodoxa abhorret ſinceritas; ſi quando eximij Heroes pro humana labũtur fragilitate,non diſſimulat;monet véturos ad diſcendũ ex antecèdentiũ ruinis,Euangeliſtæ præiuerunt,neque enim de Petro,Thoma,aliíſve tacent;Egregiè Auguſtinus epiſtola 7. ad Marcell. *Vos autem, qui me multùm*

*diligitis, ſi talem me aſſeritis aduerſus eos, quorum malitiâ, vel imperitiâ vel intelligentiâ reprehendor, vt me nuſquam ſcriptorum meorum erraſſe dicatis; fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis*; ſimilia lib.21. de ciuit.c.7.& de Bono Perſec.c.21. Auguſtinum ſequutus Angelicus Doctor lib.1.Ethnicor.lect.6. *Melius* (inquit) *videbitur eſſe, id eſt, honeſtius, & ad bonos mores pertinens, & omninò oportêre; vt Homo non vereatur oppugnare familiares ſuos pro ſalute veritatis; niſi enim Homo veritatẽ familiaribus præferat, conſequens eſt, quod Homo falſa iudicia, & falſa teſtimonia proferat pro defenſione amicorũ, quod eſt contra virtutẽ.*

S.Thom.

27. Gemitus Columbæ *Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini defenditur, cõtra* Vocem Turturis.

Quidnam igitur? Bellarminus claſſicũ intonuir, & primus in arenam deſcẽderat, qui matrem Eccleſiam ad plangendum exhortaretur ob fœdos Religioſorũ quorumdã, auíſque ſanctiſſimis degeneres mores? quibúſque nepotum clariſſimi aliqui tandem medicinam attulêre? ſed in hac eloquẽdi forma, volo miſſa facere tanquã generaliora quædam accuſationũ capita, quæ apud Saluian. leguntur lib.3.ad Eccleſiam Catholicã; apud Gregorium Papam Dialogorum præcipuè libris, etſi non pauca in Regiſtro etiam, Auguſtinum de opere Monachorum, c.28. Chryſoſtom.ep.14. Nazianzen. carmine aduerſus Monachos Hypocritas, Caſſianum Collat.4.cap.19.& 20. quos autem recenſebo infrà annũ milleſimum ſcriptores miraculorum & ſanctitatis eximiâ gloriâ illuſtres multos, omnes autem pietate inſignes, & literarum honore claros; eorum maximus numerus talia profert, támque acerba, quibus ſi comparentur quæ à Bellarmino dicta exaggerantur, mitiſſimus abſque dubio habendus ſit; verba ipſamet exhibêre recuſamus, quoniam in re grauiſſima ne quidem ad recitandum alienum ſermonem ſatis nobis eſſe auctoritatis præſumimus; fideliſſimi Nomenclatores erimus; ex hac igitur multitudine, quam Zelus domus Domini incitabat, vt in ſpiritu vehementi ad orbem clamarent totum, nec parcerent pupillæ oculorum ſuorum vt trabem eruerent, Bernard. mellifluus Apologia imprimis ad Guilielm. Abb. ſæpéque in homiliis, ſæpè in Epiſtolis Petrus Damianus opuſculo 12. Quod eſt Apologeticum de contemptu ſæculi c.1. imò vniuerſis; & frequenter epiſtolarum libris: Petrus Cluniacenſis lib.1.ep.28.lib.3.ep.23.lib.4. ep.17. Philippus Abbas ep.10. Aelredus in ſpeculo charitatis lib.3.c.28. Potho Preſbyter Prumienſis de ſtatu domus Dei, lib.3. ſub fine, Arnulphus Epiſcopus Lexouienſis ep. ad Alexandrum tertium apud Baronium tom.12. anno Chriſti 1181.§. *Quod rurſus*, Laurentius Iuſtinianus Tractatu de compunctione & complanctu Chriſtianæ Perfectionis, §.1. ſub finem: & lib. de obedientia, c.19. Sanctus Bonauentura 4. parte Opuſculor. ep. de reformandis fratribus ſui ordinis, pag.467. Iuſtus Abbas Ciſtercienſis ſerm. in conuentu Abbatum, &c. tom.14. Biblioth. P P. magnæ Coloniẽſis ſub initio: Sancta Birgitta Reuelationum lib.3. c.17. & 18. & lib.7. c.20. Guilielmus Pariſienſis Tractatu de moribus c.9. non longè à fine Sanctus Antonin. Hiſtorialis ſummæ part.3. Tit.23.c.4.§.3. Diuus Vincentius Ferrarius epiſt. ad Benedictum 13. Antipapam in fine 4. concluſionis; de quo & teſtatur Antonius Senenſis in Chronico Prædicatorum ad annum 1340. titulo *communia*, pag.186. Qui & ipſemet ibi, atque ad annum 1370. pag.199. ſed fusè quidem grauiſſimus Pater Vincentius Iuſtinianus Antiſtius ſcholiis ad nominatũ ep. Sancti Vicentij locum; déque eodem ſodalitio Ioan. Nider de Reformatione Religioſorum lib.1.c.14. & ſpeciatim c.17. Ferdinandus de Caſtillo 2.part. Hiſtoriæ fratrum Prædicatorum lib.2.c.2.& c.66. Trithemius lib. de ruina Monaſtici ordinis cap.3. ſpiritaliſſimus Abbas Ludouicus Bloſius Præfat. ad librum ſacelli Animæ fidelis, §. *Dolendum profectò eſt*, &c. Aluarus Pelagius Epiſcopus Siluenſis lib.2. de planctu Eccleſiæ ſingulariter, c.24. ſatis tamen ex profeſſo, c.53.54.64.68.70.74.76. Ioannes Mauburnus Liuriacenſis Abbas Roſeti ſpiritualis 1.part.c.3. Diſtinct.1.tit.2.n.13.&14. Philippus Boſquierius in antiquitatibus Franciſcanis, ſeu ſpeculo vitæ S.Franciſci & ſociorũ eius, Centuria 2.c.15.& Centuria 3. c.36. Chronicon Carthuſienſe Auctore Petro Dorlando lib.7. c.10. in vita Dionyſij Carthuſiani, qui Dionyſius supernè monitus eſt, vt epiſtolâ publicaret reuelatas ei querimonias; Conſtitutio Cardinalis Campegij tom.4. Concilior. part.2.n.24.pag.145. Baronius tom.7. anno Chriſti 529.§. *At quis Dei conſilium*, &c. Sanderus lib.1. de Schiſmate Anglicano, pag. 156.§. *Opreſſit hoc*; &c. Florimundus Ræmundus tom.1. de Hæreſum ortu, & progreſſu lib.1.cap.6. n.5. & præcipuè, c.7. n.4. Hieronymus Romanus tom.1. de Repub. mundi lib.6.cap.3.

Saluian. Gregor. Auguſtin. Chryſoſtom. Nazianzen. Caſſian.

Bernard. Petr. Damian. Petr. Cluniacenſ. Philipp. Abb. Aelred. Potho Prum. Arnulphus. Lexouienſ. Laurentius Iuſtinian. Bonauẽtura. Iuſtus Abb. S Birgitta. Guilielmus Pariſienſ. S.Antonin. Vincentius Ferrar. Antonius Senenſ. V.Iuſtin. Antiſtius. Ioan. Nider.

Ferdinand. de Caſtillo. Trithem. Lud. Bloſius. Al. Pelagius. Ioan. Mauburnus. Philipp. Boſquier. Petrus. Dorland. Cardinal. Campegius. Baronius. Sanderus. Florimund. Remund. Hieronym. Rom.

28. *Contra Regulariũ deprauationes quàm multi graues Auctores ſcripſerunt.*

Eſt autem diſcriminis, quod Bellarminus defomationis capita generatim perſtringat; multi verò ex recenſitis ſigillatim ſpecies quaſque enumerant, vti Bernardus, Damianus, Laurentius Iuſtin. Birgitta, Iuſtus Abb. Antonin. & quidem ſuprà quadraginta Aluarus Pelagius; diſtinguunt & Recẽtiores, Mauburnus, Trithemius, Bloſius, Nider, Iuſtinin. Antiſtius, Boſquierius; In horũ itaque genuinis ſcriptis, cùm deprauationum multiformia texi argumenta animaduerterat, pronunciauit multiplicia fuiſſe ſcandala; Deinde, cùm de rara multorum ſanctitate, prudẽtiâ, ſcientiâ conſtaret dubitari non poſſit, niſi in hominum famâ verſarentur, quæ de Regularium lapſibus aperire ſtatuiſſent, non publicaturos; cúmque illorum volumina, quod claſſici Auctores ferè cuncti eſſent, paſſim litteratorũ tererentur manibus, indoctiores quoque non pauca legerent, quod vernaculo quædam ſermone edita, quædam interpretata, adiunxit nota eſſe cunctis; denique non in omnibus hoc damnum, nec vbique, neque in maiori parte, Niſi igitur quos allegauimus, pronunciati Duces fuerint, vincat meritò ſcriptor ille; ſin verò tot, támque præſtantes conſenſerint, affirmarint, tradiderint, cur vnus inter plurimos Bellarminus perſtringitur? Quingẽti anni ſunt, in quibus nullum ſæculum fluxit, quod non Religioſorum cœtuum aliquos tulerit, diuerſarúmque familiarum viros, qui obſcurari Monaſticam gloriam doluerint, editíſque threnis animi lamentum ſignificarint; Nemo aduerſus illos conclamauit, Nemo ſtylum exercuit; proh conditionis acerbitatem! Quod in aliis & iure eximio virtus; hoc in nobis culpæ, hoc ſceleri detur! cedo aberratum eſſe, ſed plures offenderunt: cur ad noſtri ſolius inuidiam ordinis Tragœdia machinatur?

29. *Obiectioni de Hæreticorum cauillationibus, ſatisfit.*

Scilicet, Hæretici, quo feruent odio in Monaſticam profeſſionem, debacchandi contra Regulares ſumunt occaſionẽ; Quaſi verò dempto Bellarmini Tractatu non habeant à quibus hauriant? Quaſi non ſint tales ſectarij, quales depingit Lactantius lib.5. diuinar. inſtit.c.11. *Apud quos nimirum, ſuprà omnia facinora habeatur, nullũ facinus admittere, pectúſque purũ ab omni ſceleris contagione præſtare*; de quibus apud Euſebium Magnus Imperator Conſtantinus, vitæ lib.3.c.62. *ô veritatis inimici, Hoſtes vitæ, internecionis Auctores & conſiliarij, omnia*

Lactan.

Conſtantin. M. apud Euſebium.



*omnia apud vos veritati contraria, turpibus conſentiẽtia maleficijs, ineptis & Commentitijs fabulis exultãtia; nã ſcelera veſtra adeò grandia, adeò immenſa ſunt, adeò etiam turpia, & omni crudelitate redundantia, vt dies integer ad ea explicãda non ſufficiat*; igitur Monachatui illi exprobrabunt, cùm de Cœnobitis qui iniquiſſimi euadere ſolent, tales ſiunt quales optimi inter eos? *Nam ſi illi*, (vt accõmodem Senecæ verba de vita Beata c.19.) *qui virtutem ſequuntur, auari, libidinoſi, ambitioſique ſunt: quid vos eſtis, quibus ipſum nomen virtutis odio eſt?* Quod ſi certè ipſum virtutis nomen illis inuiſum, quàm grata eſt turpitudinis fama, quomodo placêre valeat Gemitus colũbæ ſuper Religioſorum aliquorum corruptelâ? Columba eorum in lachrymas ſoluitur, quoniam filij inclyti Sion amicti auro primo verſi ſunt in vaſa teſtea, & denigrata eſt ſuper carbones facies eorum; ſed Nouatoribus graue eſt lugere amiſſam pietatem, triſtari ob vitia. Quòd ſi Columba ferit & increpat; at non ad conuitiandum more Hæreticorum, ſed ad corrigendũ: *Numquid quia vituperium eorum* (inquit S.Birgitta lib.3.c.16.) *& damnũ placet Deo? abſit; ſed ideò ſit, vt honor Dei manifeſtior fiat, & audientes timeant iudicium Dei.* Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib.2. c.64. in principio: *Et adhuc petita venia à Dominis Religioſis, de quorum numero indignus ſum; pro eorum & mea vtilitate, & quia poſteris plurimum profuturum eſt, de eorum ſtatu & defectibus latiùs ſcriptitabo.* Frater Ioannes Nider Prologo in libros de Reformatione Religioſorum; *Si quibus verò diſplicuerint ſequentia, ipſi ſe manifeſtant, quia ordines non diligunt; quorum vtique corruptiones & vitia damnari nolunt: ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo: melius eſt vt ſcandalum oriatur, quàm veritas relinquatur.* Cautiſſimus & prudentiſſimus Abbas Ludouicus Bloſius Præfatione ad Sacellum animæ fidelis: *Verùm nullus putet me iſta maligno animo commemorare; neque enim ita eſt, ſed ex commiſeratione, & amore hæc à me dicuntur; admodum namque cupio, vt huiuſmodi mala eliminentur è locis Deo dicatis, in quibus tamen plurimi adhuc Dei gratiâ integerrimè viuunt:* Has eaſdem ob rationes Columba mœrens ingemiſcebat, quò, vt ipſa affirmat, *Deus conuertat corda Patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam ſpiritualem & feruorem cordis patrum iuſtorum:* potuítne de iſtis conſolari Hæreſis, quæ optabat malum in dies magis, magíſque creſcere? certè, ſi de mundo tollere valeret Columbæ gemitum, feciſſet omninò.

Seneca. S.Birgitta. Aluar. Pelagius. Ioannes Nider. Ludouic. Bloſius.

30. *In Legum Transgreſſores non in leges ipſas debacchandum eſt.*

At niſi à Catholicis produci in ſcenã Religioſorum defectus animaduerterent Hoſtes Eccleſię, non inſanirent contra Monaſticã. Verùm non ob hanc quidem cauſam, ſed quia temulenti & ebrij ſunt; nõ enim lex mala eſt, quia Homines improbi ſunt: Origenes lib.2. contra Celſum: *Crimen hoc nõ eſt Euangelij, ſed eorum, qui id deprauare auſi ſunt temerè: & quemadmodum nihil ad Philoſophiam crimen Sophiſtarum, Epicureorum, Peripateticorum, aut quorumcumque falſa dogmata profitentium; ita in verum Chriſtianiſmum non cadit crimen deprauantium Euãgelia.* Hieronymus contra Vigilantium: *Paucorum culpa non præiudicat Religioni: Apoſtolorum fidem Iudæ proditio non deſtruxit:* Theodoret. orat.12. ad Græcos: *Miſerum ſanè eſt ob eos Chriſtianos, qui Dei leges transgrediuntur, ipſas leges accuſare, ac perſequi*; Iiſdẽ germana Tertull. de Præſ.c.3. Vincent. Lyrinenſis Cõmonitorij c.23. præſenti autem ſcopo Ioannes Nider Præfat. quã dixi operis de Reformatione Religioſorũ; *Ea enim, quæ neceſſaria reor, habeo ſubiungere; quæ etſi fieri videantur ab ordinibus, abſit tamẽ vt ſint de quocumque ordine; nullus quippe ordo quidpiã recipit inordinatum; vnde non aduerſùs ordines, ſed pro ordinibus exclamare putandus ero; quia non ordines in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo*; ſi ergo luminis quidpiam in Hæreticis remanſiſſet, haudquaquam cœleſte donum Monaſticam ob prauos vſus quorundam vituperare debuiſſent ſed quid rationis & mentis ab Hæretico expectemus viro? quem perpulchrè Bernardus delineat ſermone 66. *Nam quantùm ad iſtos, nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt; nec auctoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur ſuaſionibus, quia ſubuerſi ſunt*; etiam in naturam, in ſanctos, in Deum Creatorem blaſphemant; maledictis omnia proſcindunt & Monaſticæ indulgebunt, quam canè peius & angue exhorruerunt?

Origen. Hieronym. Theodoret. Tertull. Vincent. Lyrinenſ. Nider.

Bernard.

31. *Niſi Dominus cuſtodierit Religioſam Ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam*

Iam, vt cum Orthodoxis tractemus; ingentis periculi materia eſt, aliquem ordinem ab alio deſpici, qui nondum corruerit, aut declinarit, neque enim dubium eſt vtiliora Eccleſiæ Dei fuiſſe nõnulla ſodalitia, quæ ad tẽpus Relaxatio deformauit, aliis ab ea præſeruatis Numinis beneficentiâ: quin & tũ quando eclipſim patiebantur, tales habuêre ſanctitate & doctrinâ præfulgentes, tãtóſque, quãtos alia fortaſſe optauerint cùm maximè ſplendêre viſa ſunt; Nemo ſuæ cõfidat induſtriæ, nemo præſumat diligentiâ: Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam; neque ideò tamen non vigilandũ eſt, at in tremore & humilitate ſancta; quoniã iudicia Dei abyſſus multa; & quis nouit poteſtatem iræ eius? homines cùm ſimus, nihil humani à nobis alienum putare debemus: paueo omninò dum recogito de his, qui ceciderunt aliquibus; gigãtes enim fuêre, & cælũ ipſum vertice attingebant; quàm ſapiẽter Auguſtin. ep.137. *Quãtumlibet enim vigilet diſciplina domus mea, Homo ſum, & inter Homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior ſit, quàm arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus eſt; aut melior ſit quàm domus Abrahæ, vbi dictum eſt, Eijce ancillam, & filium eius; aut melior ſit, quàm domus Iacob, vbi lectum filius inceſtauit; aut melior ſit, quàm domus ipſius Dauid, cuius filius cum ſorore concubuit; aut melior, quàm cohabitatio ipſius Domini Chriſti in qua vndecim boni perfidum, & furem Iudam tolerauerunt; aut melior ſit poſtremò, quàm cælum, vnde Angeli ceciderunt.* Et iuxta eandem ſententiam Tertullianus de Præſcript. cap.26. *Etiam de oliuæ nucleo mitis & optimæ & neceſſariæ aſper Oleaſter exoritur, etiam de papauere fici gratiſſimæ, & ſuauiſſimæ, ventoſa & vana caprificus exurgit; ita & Hæreſes de noſtro fructificauerunt non noſtræ, degeneres veritatis grano, & mendacio ſilueſtres*; neque in his occaſionibus prohibemus triſtitiam piis mentibus; *manifeſtum eſt quidem* (ait recitatâ epiſt. Auguſtinus) *quia iſta in Eccleſia non accidunt ſine graui triſtitia ſanctorum atque fidelium, veruntamen conſoletur nos, qui omnia prædixit.* Sed vnde conſolatio, aut in quibus fundetur? Idem ad finem epiſtolæ Doctor: *Quapropter etſi contriſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis; nolite ergo propter amurcam, qua oculi veſtri offenduntur, torcularia deteſtari, vnde apothecæ Domini fructu olei luminoſioris implentur:* Et hęc ad eruditas & Religioſas animas, nam ſæculares multæ intellectum non habẽt; poſtulemus à Domino, vt lucem eis concedat, *Nam ipſi* (vt Beatus Pater Auguſtinus inquit) *cum aliqua maritata inuenitur adulterata, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas: cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitẽtur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit; inſtant, ſatagũt, ambiũt, vt de omnibus hoc credatur.*

Auguſtin. *Vbi adeò perfecta familia, in qua nil vitij, nullus defectus?*

Tertull.

Auguſtin.

Idem.

Idem.

# Explanatio Didaſcalica in eoſdem Verſus pro morum Inſtructione.

*Textus:* En Dilectus meus loquitur mihi; ſurge, propera Amica mea, Columba mea, formoſa mea, & veni:
Iam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit:
Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: Vox turturis audita eſt in terra noſtra:
Ficus protulit groſſos ſuos, Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. *Cap.* 2. *verſ.* 10. 11. 12. 13.

*Mariæ ex natiuitate Hominibus perfectio & ſolatium; Deo gloria, & Laus prorſus mirabilis.*

## SECTIO I.

32. Cantacuzen. *Mariam hic inuitat vnigenitus filius Dei, vt in hunc mundũ prodeat.*

VOCARI Deiparam vt exoriatur, & de vtero materno in hunc mundum prodeat docet Matthæus Cãtacuzenus: *Velut ex vnigeniti Dei filij* (inquit) *perſona exponat, ac dicat; Exurge, veni propinqua mea, hoc eſt, tẽpus eſt, ô Mater, vt tu naſcar: in terra, vt ſis domicilium mihi ex te naſcituro mortali; tempus enim hyemis, nimirum infidelitatis præterijt; & imber abijt, videlicet, idololatriæ illuuies cum prauis pariter deſijt operationibus.* Sanè primum Adam cùm impensè conditor dilexiſſet, orbis terrarum vaſtâ habitatione non contentus, ſingularem fabricatus eſt hortum cum omni Ruris amœnitate quò intimum pignus collocaret; *Neque Donatoris deſiderium* (ait Baſilius Seleucienſis Orat. 2.) *vniuerſa terra, & conceſſum mare ſatiauit, ſed extructum manu ſuâ Paradiſum delicioſam ſedem Dilecto conceſſit*; Secundo itaque Adamo Chriſto filio dilectionis, nonne viridarium exquiſitis opulentum voluptatibus Virginem præpararit Mariam in cuius ſecretis viſceribus habitaret? Chryſippus Preſbyter Ieroſolymitanus hoc ſalutat ex nomine hom. de eius laudibus, inquiẽs; *Aue, quæ es hortus Patris; Aue quæ es pratum totius fragrantiæ Spiritus ſancti*: ſi igitur Hortus Deipara ſimilis antiquo Nemori Dei manibus conſito, rectè quod hyems & tempeſtas abire iubeantur, floréſque & auium cantilenæ inuocẽtur, nihil enim vel turbidum, vel ſqualidum locus ille patiebatur, perpetuò halans à floribus, & iuuentâ camporum immarceſſibili vernans; Itaque, quoniam Mariæ Natiuitate, ſepti Paradiſiaci veteris gloria reſtauranda erat ob filium, quem paritura fuiſſet, introducitur filius ipſe ob charitatem erga genus humanum, qui genitricem quaſi morarum incuſet, neque amplius differri remedium velit, ſed vt properet atque feſtinet, per cuius ſobolem orbi ſalus aduentura ſit: quare apud Matthæum, cap. 1. benè ex huius feſtiuitatis Euangelio Chriſtus filius Dauid, filiúſque Abraham nuncupatur, quoniam Dauid cùm aquam ciſternæ Bethleem exoptauit, diem Chriſti concupiſcebat; quem vt videret Abraham quoque, exultauit, vidítque & gauiſus eſt; cùm igitur deſideriorum vterque vir, pulchrè Chriſtus, qui ardet deſiderio maternæ Natiuitatis illorum particulariter filius vocatur, qui eiuſdẽ Virginis expectatione flagrabant.

Baſil. Seleuc.

Chryſipp. *Maria Terreſtris ſecũdi Adami, Chriſti videlicet Paradiſus.*

33. Sed quomodo per Mariam redintegratus eſt antiquus honor aut quod imperfectum erat, conſummatum ſit? Equidem, quia *de ea naſciturus erat* IESVS, *qui vocatur Chriſtus*. Eloquẽtiſſimè de primi hominis molitione Tertullianus lib. de Reſurrect. Carnis, c. 6. *Recogita totum illic Deum occupatũ, ac deditum, manu, opere, conſilio, ſapientiâ, prouidentiâ & ipsâ imprimis adfectione, quæ lineamenta ductabat: quodcumque enim Limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur futurus*; verba illa perpendo: *Quæ lineamenta ductabat*: primis Artificis labor lineamenta ſcribere, éſtque picturæ modus, ſed craſſus, informis, obſcurus; igitúrne lineamentale opus primus homo? ſed ídnam quo pacto? Quid enim pulchrius viro illo? Quis faciei decor? quæ membrorum proportio? totius corporis quanta venuſtas? formoſus ſanè Adam, ſed vultu Chriſto inferior quando ille etiam in corpore mortali *ſpecioſus præ filijs hominum*: interiore autem gloriâ Seruatori comparatus vix lineamentum reputetur; ergo vſque ad Mariæ Natiuitatem inchoatâ & rudi picturâ mundus fruebatur, habebat enim ſola lineamenta; hac exoriente, Chriſtus iam iam expectabatur, lineamentorum illorum videlicet perfectio: *Quodcumque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur futurus*; Surgat itaque, properet, & veniat Maria, vt perfectiſſimæ imaginis viſu, & voluptate mundus potiatur: ô quanta ob Mariam imagini humanæ perfectio acceſſit! Certè in homine Trinitatis repræsẽtatio, dixit enim beatiſſima Trinitas, *Faciamus hominem ad imaginẽ, & ſimilitudinẽ noſtrã*; verùm ſimilis profectò ob tres animę potẽtias, Memoriã, Intellectũ, & Voluntatẽ: proh, quantùm addidit ſimilitudini perfectionis Deipara! quid enim in Trinitate illuſtrius formâ ipsâ diuinarũ emanationũ? quomodò ſcilicet Pater filium gignat, & ab vtroque Spiritus ſanctus procedat? Sanè & Maria de ſubſtãtia carnis ſuæ, carnẽ Chriſti humanitati ſubminiſtrauit; Hæc verò caro aucta eſt in Seruatore nouâ per nutrimentum carne appoſitâ: Harum autem ex vinculo duarum Redemptoris latere effoſſo Eccleſia in cruce dormiente eo prodiit: numquid non figuratur in iſtis perbellè Trinitas? auſcultemus Petro Damiano ſermone 1. de Sancto Ioanne Euangeliſta: *De Maria Chriſtus carnem ſuſcepit; Eccleſiam verò de lateris ſui carne produxit; magna igitur & felix mater eſt Beata Virgo Maria, ex cuius viſceribus caro Chriſti deſumpta eſt; ex qua rurſus per aquam & ſanguinem profluxit Eccleſia; hoc itaque modo & ex Maria prodijſſe videtur Eccleſia*; ita igitur imago Trinitatis, quæ in homine effulgebat perfectionis incrementum maximum conſecuta eſt: iuſtè ergo deſiderabatur quæ ſurgeret, properaret, atque veniret, per quam humanæ naturæ ex prole, quæ ſuſcipiebatur, tantus decor additus eſt.

Tertullian.

*Vſque ad Mariæ Natiuitatem cruſſioribus tantum lineamentis .j. inchoatâ & rudi pictura Mũdus fruebatur, cui perfectionem attulit Maria.*



Pet. Damian.

34. Vah quantus ob hæc dæmonum luctus & mœror! inuiderunt enim Homini ſublimes honores; ecce quæ de Onagris Petrus Bleſſenſis memorat ſermone 33. *In diebus æquinoctiorum* (inquit) *Onagri horas diei & noctis rugitibus ſuis diſtinguunt, & quaſi naturali Horoſcopi prima hora diei vbicumque terrarum ſunt, rugitum emittunt*; cur autem per æquinoctium, nec aliis temporibus, fremunt, ſtridéntque? quibus tum furiis ſpeciatim agitantur? Verùm myſticè concipiamus Onagris dæmones intelligi: Hinc igitur ſingulariter plangunt inconditis vociferationibus ſub veris, autumníque æquinoctio; quibuſnam perterreantur? Vide quidem: propè autumnale æquinoctium Virgo intemerata in lucem edita eſt; propè veris æquinoctium Chriſtus Incarnatus: Sanè, quòd Hominis imago, quam dicebamus, reparata eſt, quòd perfecta euaſerit, Chriſto debetur; id totum cumulatum eſt ſimul ac carnem induit, exinde nimirum humana natura propter vnionem & coniunctionem cum Verbo, Angelicæ præferebatur; ſed huius auſpicium boni in Deiparæ Natiuitate; hæc firmam ſpem conceſſit dignificandæ humanitatis: Quia igitur proximè ad vtrumque æquinoctium in Martio Redemptoris Incarnatio; in Septembri Virginis Natiuitas, ideò ſpeciatim tum rugire dicuntur Onagri, qui ſunt Dæmones.

Petr. Bleſſ. *Onagri rugitibus ſuis horas diei & noctis diſtinguunt.*

*Rugiunt fremúntque Onagri .j. Dæmones circa Æquinoctiũ vernum, propter Verbi in Maria Incarnationem: & circa Autũnale, propter Mariæ Natiuitatem.*

35. Pſalm. 47. 1. Sed conſideremus, quàm feſtiuâ muſâ Dauid hanc Mariæ Natiuitatem concelebret? *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius*, Pſalm. 47. verſ. 1. Quænam hæc eſt vrbs, quæ Dei appellatur? numquid non ipſius eſt poſſeſſio cælum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt? ad eum igitur ſingula cùm ſpectant, cur vni titulus appropriatur? Dauid profectò potens Bellator multas ciuitates habuit, quas pugnando adquiſiuit; Ieroſolyma tamen Iebuſæis erepta *vrbs Dauid* nuncupata eſt, ſcilicet, quia hanc exornare ciuitatem, quia in ea commorari ſtatuit; Quoniam igitur Maria ea eſt, quam ſtupendâ condecorauit pulchritudine, in qua ſingulariſſimè commoratus eſt: licet enim cum omnibus ſanctis ſit Deus particulari à cæteris creaturis modo: *tamen* (vt ait Bernardus homilia 3. ſuper Miſſus eſt) *ſpecialiter cum Maria eſt, cum qua vtique tanta illi conſenſio fuit, vt illius non ſolùm voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret*, ideò Ciuitas Dei vocata, *de qua* videlicet *natus eſt Ieſus*, qui habitauit in ea, & carnem de illa traxit; Ciuitas quoque Dei, quia ſemper & perpetuò in ea per gratiam Deus, cùm in aliis Sanctis conceptionis ſaltem inſtanti ob peccatum Originale Dæmon verſatus ſit tanquam in vrbẽ ſua; de hac itaque ciuitate Propheta; *Magnus* (inquit) *& laudabilis nimis* in ea Deus. Equidẽ creauit terram, & cælos extendit ſicut pellẽ, & maria piſcibus fœcundauit, Solem & Lunam fabricauit; ſed ob hæc tanta opera non niſi bonus prædicatus eſt: *Viditque cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*, Gen. c. 1. v. 31. modò autem Deiparam intuitus, non ſolùm bonum putat Vates, ſed etiã *Magnum* appellat; adiungit, & *laudabilem nimis*; ſed quænam nimia poſſit eſſe laudatio illius, cuius virtus & poteſtas eſt infinita? At intellige: Deus Pater in generando filio ſupra omnem admirationem ſtupẽdus, quare exclamabat Iſaias: *Generationẽ eius qui enarrabit*, c. 53. v. 8. Sed quidem infinitũ genuit infinitus, Deus de Deo, ęternus ab æterno; nũc autem cùm Virgo exoritur, de qua naſciturus ſit IESVS, qui vocatur Chriſtus, annon omni prodigio maius, temporalem fieri qui erat ante ſęcula, immortalem de mortali prodire, eundẽ Mariæ nominari ſobolem verè & ſubſtantialiter, qui Patris principium ignorantis filius ſit? Dicat igitur hoc circumſpiciens Pſalmiſta, quaſi *nimium laudabilem* ex Marię Natiuitate factũ creatorem; Quod vt innueret Euangeliſta in Genealogia Saluatoris poſuit; *de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*, hinc enim miraculũ & ſtupor: Richard. de S. Laurentio lib. 11. de laudibus Mariæ; *Benè ciuitas Dei, quæ tota fuit Dei, quia nihil in ea habuit pars aduerſa; item ciuitas Dei, quia ſola digna tanto Rege, tanto inhabitatore, & ideò dicitur Pſal. 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri*, &c.

*Maria antonomaſticè* Ciuitas Dei, *in qua* Magnus Dominus & laudabilis nimis.

Bernard.

Geneſ. 1. 31.

Iſai. 53. 8. *In Chriſti ex Maria ortu prodigium eſt maius quodammodo, quam in eiuſdem Verbi æternâ generatione.*

Matth. 1. 16.

Richard. à S. Laurent.

36. Pſal. 86. 1. Pangebat in Pſalm. 86. v. 1. *Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*: certè lapides pretioſi quínam niſi ſancti, & iuſti? at quis in baſim lapides iactari pretioſos contuitus ſit? in peramplis & memorandis ædificiis ſolet argenti, aurive, quidpiã, raro exquiſitorum lapidum vnus imis ſepeliri latebris, non ad fundamentũ, & robur, ſed ad honorem; ad baſim & firmitatem quæruntur impolita; quorſum igitur ex mõtibus ſanctis fundamenta? nimirùm talis eſt Virgo Maria, vt quę alios iuſtos cõſummant, coronántque virtutes ſub vitę exitu, ab his, grandioribúſque in immẽſum illa auſpicetur, atque ideò fundamenta illius montiũ culmina & apices, & ideò apud Iſaiam cap. 2. v. 2. *mons in vertice montium*; Meritò adiungitur, *diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*; Ianuę domorũ ingreſſus ſunt; Quodnam ergo hoc tam nobile oſtiũ eſt, quod charius ſit integris aliorũ Tabernaculis? nec vno, alterôve Tabernaculo ſolùm, ſed omnibus Tabernaculis Iacob? Scilicet Mariæ exortus, & Natiuitas eſt; hæc ergo Numini perfectis aliorum ædificiis amabilior; ſed quid demiramur, cùm talis illa, qualem nominare vix audeat Múſa ſancti Regis: *fundamenta* (ait) *eius in montibus ſanctis*: cuiuſnam, ô Dauid? nomen ſuggere? ſed tacet ob magnitudinem rerum; quæ enim diuinis quaſi propè accedunt, & inexhauſtâ laudum exuberant copiâ, ſilentio indicantur eloquentiâ meliùs; cùm itaque nonniſi tenuiter de Maria effari ſe poſſe intelligeret, quam etiã in fundamentis & porta, hoc eſt, in exordio & natiuitate tam præclaram, dignámque cernebat, ſuppreſſit ſtylum: Richardus de S. Laurentio dicto lib. 11. de laudibus Mariæ: *Et nota, quòd Propheta prauidens in Spiritu dignitatem: & excellentiam huius ciuitatis, ſcilicet glorioſæ Virginis, quaſi vehementer admirans gloriam ipſius, ex improuiſo proſilit in hæc verba, fundamenta eius in mõtibus ſanctis: & cùm nihil præceſſerit, ad quod refertur hoc Relatiuũ eius, refertur ad mentẽ Prophetæ.*

Iſai. 2. 2. *Maria Natiuitas eſt Porta Sion dilecta ſuper omnia tabernacula Iacob.*

Richard. à S. Laurent.

*Damaſcen. Sæculorum Contentio de Natiuitate Deiparæ.*

37. Quod ſi per Proſopopœiam à Temporibus & ſæculis rogari Virginem cogitemus, vt naſci feſtinet & properet, quo pacto introducuntur à Damaſceno Orat. de Natiuitate Mariæ, ait namque: *certabant inter ſe ſæcula quodnam ortu tuo gloriaretur*; cauſam præfata docebunt; illa quippè tempora celebriora iudicantur, quibus inſoliti contingunt euentus, & famæ mirabilis cuiuſdam, quibúſque ſalus & Victoria Reipublicæ parta eſt: cùm itaque ſublimius nihil concipi valeat, quàm Virginem naſci, quæ mater futura abſque detrimento caſtitatis, quæ Deum hominem factum paritura eſſet, hinc ad nobilitatem temporum, contentio ſæculorum: ſed numquid ad ſolatium quoque? quippè hyems erat, Phœbus abſcondebatur, & caligo erat ſuper populos nocti ſimilis, exindè mœſtitudo & gemitus, & crebra dolentium ſuſpiria: *Ab illa*, ſcilicet cùm Adam præuaricatus eſt, *hora* (inquit Damianus ſerm. de Aſſumpt. Virginis) *tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad Virginem Hoc eſt illa Nox ſolitaria, nec laude digna, de qua ſcriptum eſt, Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, quia crudeles & indomiti ſpiritus dimotis repagulis humanum genus totis viribus obtinuerunt; ſed natâ Virgine ſurrexit aurora, quia Maria veri præuia luminis natiuitate ſua mane clariſſimum ſerenauit*; tum igitur luctus fugatus eſt, nam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra: *Quando nata es* (ait Rupertus lib. 6. in Cantica) *ô Virgo Beata, tunc vera nobis aurora ſurrexit, quia ſicut aurora quotidiana eſt finis præteritæ noctis, & initium diei ſequentis; ſic natiuitas ſua finis dolorum, & conſolationis fuit initium*: Quamobrem non inſcitè Ioannes Geometra Deiparam, *Temporum genitricem nominauit*; ſi enim vt Damianus aſſerebat *vſque ad Virginem nec inuentus eſt aliquis, qui vel exiret de tenebris, vel tenebras diſſiparet, ſed mundo creſcente concreuit tenebroſa Vorago*; ergo ipſa fuit, quæ claritatem attulit, lucis propterea mater, & ſplendoris genitrix.

Damian.

*Ab Adamo ad Mariam vſque Tenebræ factæ sũt ſuper vniuerſam terram: Natâ autem Virgine ſurrexit Aurora.*

Rupert.

Ioan. Geometra.

*Qui vt alienis commodis ſeruiat, propria deſpicit; etiam in magnis periculis liberabitur.*

## Sectio II.

*Spõſa à quiete ad laborioſam & periculoſam vinearum (i. animarũ) putationem vocatur, futura tamen ibi, cũ Sponſo nimirum, ſecuriſſima.*

38. QVònam vocatur Sponſa? ſcilicet ad vineas putandas; grauis labor, reſecare inutiles, aridóſque ſurculos! ergóne propter iſtud quæ iacet in ſtrato & quieſcit circumdata floribus, ſtipata malis, exſurget & properabit? ſed nonne præter onus periculum quoque eſt vel ab apro qui vineam depopulatur, vel à ſerpentium morſibus, aut à vulpium inſidiis, & dolo? ſed quidnam vineis ſignificetur, Bernardus docebit ſerm. 58. in Cantica: *Et vineas quidem animas eſſe dixi vobis; ad has itaque reuiſendas, corrigendas, inſtruendas, ſaluandas anima perfectior inuitatur*; multùm ibi curarum, multùm periculorum; ſed conſolatur Sponſus, cùm dicit *Surge, propera, & veni*: hoc eſt, mecum vnà pergas, non dimittam ſolam proficiſci, comitabor ipſe vt eruam à malis quibuſcumque: Nonne ob mei amorem deſpecto otio, ſuauîque amœnitate, ob aliorum lucra vexaris? Num igitur deſeram concertantem, à qua ſic diligor? *Nec parum confortat* (ſubdit Bernardus) *quod audit, veni, & non vade, per hoc ſe intelligens non tam mitti, quàm duci, & ſecum pariter Sponſum eſſe venturum: quid enim difficile illo comite reputet? Pone me, inquit, iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me: Item, ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam Tu mecum es.* Miſſus à Patre Ioſeph, vt fratres ſalutaret, qui in Sichimis oues paſcebant, non recuſauit imperium: At cur non detrectat eximius Adoleſcens? Non enim ſciebat Liuore inſanire contra eum germanos? Non metus ex deſerto, cùm teſtium ignara malitia ſæuiret? Denique, quanto diſcrimini legatio obnoxia, euentus monſtrauit, nam miſericordia fuit in veterem ciſternam proiici, cùm de morte conſilium initum fuiſſet: Horum nihil deterruit bonitate confiſum animum; videbat enim ob alienum commodum vitam offerri periculo; ſciebat Numen propitium eſſe fratrum vtilitatem quærentibus; Tandem qui ſibi non pepercit, vt vel inimicis prodeſſet, hunc Deus nocendi infinitis liberatum machinis, gloriâ condecorauit inſigni, adeò non periit quanquàm ſatis iactatus laboribus ad interuallum aliquod: Chryſoſtomus hom. 25. in cap. 10. epiſt. ad Corinthios 2. *Ioſeph fratrum conſulens vtilitati, ſuam eſt conſequutus, qui miſſus à Patre non dixit: quid? non audiſti, quòd pro viſionibus, & ſomnijs diſcerpere me aggrediebantur, & ſomniorum, & amoris erga me tui pœnas dabam? quid non contra me molientur, cùm in eorum ero poteſtate? nihil huiuſmodi cauſatus eſt, nec cogitauit quidem, ſed rebus omnibus fratrum ſalutem præpoſuit: idcircò omnia poſtmodum bona adeptus eſt, quæ eum clariſſimum, glorioſiſſimúmque reddiderunt.*

Bernard.

Idem.

*Ioſeph dum ſe pro fratribus ſuis, periculis exponit, quantâ gloriâ ſublimatur.*

Chryſoſtom.

*Elias quod ſui negligens, ſalutis animarum cauſâ famem in populum inuexiſſet, miraculosè cibatur è cœlo.*

39. Premebatur fame Iſraël, Elias tantæ plagæ ſtructor, nam precibus conſequutus eſt, ne cœlum plueret, & glebæ ariditate ſterileſcerent; dúmque tabeſcerent plurimi, quòd alimoniæ non inuenirentur, Propheta alebatur modò à coruis; modò à vidua muliere: Nonne ſatius Domine Vatem hunc eſuriem pati, ſic enim miſerebitur afflictæ nationis, imbréſque efflagitabit? ſanè, cùm ab initio Propheta decerneret ad caſtigandum vulgus cum optimatibus terræ, petere ne cœlum aquas daret, intuebatur & ſibi quærendum nutrimentum, humanâque conſideratâ prouidentiâ inediam ab illo ſuſtinendam eſſe: Num igitur remoratus eſt eum Timor defuturæ ventri eſcæ? haudquaquam profectò: conſiderabat, licet temporum iniquitas damnum corpori allatura eſſet ſublatis Terræ fructibus, ſed incommodum iſtud populo in ſpiritalem ceſſurum vtilitatem, correptus enim à Deo reſipiſceret, & vitia emendaret; ſalutem igitur animæ proximorum anteponebat ſaturitati, & ciborum plenitudini: perpendit Numen Mentis generoſitatem; cúmque intueretur ſeruum ſuum nihili facere corporis damnum ex fame, vt ſpiritu ſaluarentur proximi, periculo liberandum cenſuit; mandauit igitur coruis vt alerent, inſpirauítque idipſum viduæ, Regum 3. cap. 17. æquum enim non fuerat, vt propriorum emolumentorum prodigus vates ob alienum lucrum à Numine deſtitueretur ingruentibus malis: Baſilius hom. 1. quæ eſt de laudibus ieiunij: *Vox ab ore ieiuno proficiſcens populo tranſgreſſori clauſit cœlum annos tres, ac menſes ſex: vt enim indomitum obſtinatorum, duráque ceruice Deo rebellium cor emolliret, voluit & ſeipſum eâ calamitate cum cæteris condemnare; & adegit omnem populum ad ieiunium ingraueſcente fame, videlicet vt malitiam, quam è delicijs, vitâque diſſolutâ contraxerant, abſtinentiâ corrigerent.*

Baſil.

40. Sodomam miſſi vltores ſcelerum peſſimorum Angeli, Lot monent: *Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes*, Geneſ. cap. 19. verſ. 15. cúmque in obediendo remiſſior eſſet, quaſi nolentem liberari, periculo eximunt, nam diſſimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eduxerúntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem: Quis tantus ardor, ne vllo pacto Lot communia inuoluant incendia? cur de hoc tanta prouidentia eſt circumambientibus damnis, terribilibúſque ignibus? Ecce, Sodomam quidem Angeli virorum pulcherrimorum ſub ſpecie ingreſſi; ſuccenſum libidine vulgus, tradi ſibi hoſpites à Lot vrgebat; ille autem filias obtulit, ne contumeliam hoſpitibus inferrent; cerne egregiam humanitatem: cùm enim peregrini eſſent viri illi, & ignoti antea, poſtpoſuit filiarum honorem externæ pudoris gratiæ, aliíſque vt benefaceret, ſibi ſuíſque parcere recuſauit: Qui igitur proprij commodi oblitus alienam ſtudioſè conquirebat vtilitatem, meritò dignus habitus eſt, qui periculo exciperetur, & tanquàm inuitus licet, ſaluaretur tamen; ob hanc igitur cauſam liberatus eſt tanto Angelorum conatu: Chryſoſt. hom. 43. in Geneſim: pulcherrimè admodum allegorizat de curanda proximorum à nobiſmet ſalute: *Lot filias ſuas proſtituit, vt hoſpites ignotos eriperet ab impiorum contumelia; Nos autem videntes ſæpè fratres noſtros in profundum impietatis, & in fauces Diaboli cadere; nec ſermone eos dignamur, nec conſulere, nec verbis admonêre, & eripere à malitia, & ad virtutem manuducere: imitemur igitur iuſtum hunc, etſi periclitandum etiam fuerit pro ſalute proximi, non hoc ſubterfugiamus: nam tale periculum nobis erit ſalutis occaſio, multámque conciliabit fiduciam.*

Geneſ. 19. 15.



*Quod pro ſuis hoſpitibus familiæ ſuæ honorem Lot expoſuiſſet, quaſi inuitus à Sodomorum incendio eripitur.*

Chryſoſt.

41. Poſtquam Abraham ex pugna reuerſus fuſo hoſtium exercitu, recuperatôque fratris filio Lot, quem captiuum inimici duxerant Reges, *factus eſt ſermo Domini ad eum per viſionem dicens: Noli timêre Abraham, Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*, Geneſ. cap. 15. v. 1. pro illis verbis, *Ego protector tuus*, ex Hebræo transferunt nonnulli; *Ego ſum clypeus tuus, ego ſum ſcutum tuum*; & iuxta hanc ſignificationem Septuaginta: *Ego hyperaſpiſtes tuus*, ſcilicet, qui ſcuto præcedo; Sed quamobrem abſolutâ dimicatione defenſionem ſpondet? cùm immineret capiti diſcrimen ancipitis belli fortunæ, tùm auxilij tutelæque pollicitatione cohortandus erat, non autem metu ſublato: Equidem poſt adeptam Victoriam, quam deuicti hoſtes prædam Regi Sodomorum variæ ſupellectilis ademerant, vindicatam eam ab inimicis, vt ſibi Patriarcha reſeruaret, Rex volebat; abnuit ille generosè reſponditque: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli, & terræ; quòd à filo ſubtegminis vſque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt, ne dicas: ego ditaui Abraham*, Geneſ. cap. 14. verſ. 22. At quam ob rationem nihil à Rege accipere velit? Sanè, ſi quidquam admiſiſſet, locupletior inde cùm fieret, ſuſpicio eſſet lucri gratiâ ſuſceptam ab illo pugnam: modò autem cùm recompenſationem ſpernat, docet palàm, quæſitum ab eo in certamine alienæ protectionis honorem tantùm; itaque pro aliorum commodis neglexit propriam ſecuritatẽ, & contra ſe durus fuit, vitam periculis obiectans, vt alij ſaluarentur: præclarè igitur ſubditum eſt quàm primùm iſta patrata ſunt, Numen apparuiſſe, & promiſiſſe, ſcutum futurum ſe illi deinceps; non eſſe proindè quòd timeret, ſiquidem talis eſſet, qui otium contemneret & bellum amplexaretur ob proximorum charitatem, in dubiis quibuſque caſibus propitios habiturum ſuperos: Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 15. *Spiritualiter* (inquit) *hic locus Euangelicum virum ædificat: Quiſquis crucis vexillum erigit, & nomen Chriſti prædicat, ſicque legitimè certans; errores & vitia expugnat & exinde non quæ ſua ſunt quærit, ſed quæ Ieſu Chriſti; ipſe quodammodo eſt Abraham, qui quatuor Reges deuicit, & eos qui expoliauerant, expoliauit, atque propinquum liberauit, & hoc facto, ab homine, ſiue per hominem ditari noluit.* Quicumque ad hunc gradum peruenerunt, vt ob animarum zelum, non ſolùm quæ corpori dura ſunt perpeti velint, qualia Apoſtolus enumerat, in itineribus multis, in frigore & nuditate, periculis fluminum, periculis latronum, & ſimilibus aliis, ſed etiam contemplationis priuari ad tempus dulcedine ſuſtineant; ſciunt, quam ſibi humanum Numen experiantur; neque enim tantùm cuſtodit eos in omnibus viis eorum; ſed internis quoque replet delectationibus: Caietanus illud exponens: *Ego protector tuus*, &c. *In Hebræo habetur* (ait:) *ego ſcutum tibi ſcilicet contra omnes hoſtes tuos; ego protector tuus, ego clypeus tibi ero, ego ſagittas excipiam inimicorum, & propellam.*

Geneſ. 15. 1.

*LXX. Quod bello pro charitate ſuſcepto vitã ſuam expoſuiſſet Abraham, ſtatim apparuit illi Deus, protectorem ei ſe futurum pollicens.*

Rupert.

Caietan.

42. Dum Moyſes appropinquaret, vt Rubum incombuſtum intueretur; facta eſt vox Domini ad eum inquientis: *Ne appropies huc, ſolue calceamentum de pedibus tuis*, Exod. cap. 3. verſ. 5. Quaſi verò depoſitis calceis veniam daturus, vt accedere liceret; ſed qualis iſtamet præparatio? imò potiùs calceatum eſſe oportebat qui proximiùs accederet, quippe Vepres gleba producebat, à quibus niſi calcei defenderent, plantæ lacerandæ eſſent: Equidem Moyſem Legatum in Ægyptum deſtinabat, qui Iſraëlem ſeruitutis iugo liberaturus eſſet: Vtile ſanè Hebræis imperium, ſed Moyſi arduum; nam præter ſæuitiam barbaram tyranni, ſoceri domus relinquenda erat vbi habitabat quietus, & diues; alienæ itaque vtilitatis gratiâ incommoda non pauca ſubeunda erant; ſed quidem propter hæc nudum incedere mandat, tanquam aduertat; Vidéſne quàm præclarum ſit inter ſentes ambulantem diſcoopertis veſtigiis non lædi? talia igitur contingent tibi modò iuſſis meis obtemperans in Ægyptum proficiſcaris, Quoniam enim ex hac peregrinatione eueniet, vt propriis ablegatis emolumentis fratrum vehementer concupiſcas ſalutem, licet in mediis verſêris periculis, hoſtéſque circumdent innumeri; protegam te, & à quibuſque tutabor aduerſitatibus, vepréſque horridos tanquam violaria, aut roſas ſecurus, gaudénſque calcabis; aliter Ambroſius declarat, mortis nullo debêre affligi metu, qui propriæ iucunditatis oblitus, difficilibus innectitur propter aliorum incolumitatem; nominatus Doctor lib. 7. in Lucam, in illud cap. 10. *Non peram, non calceamenta*, &c. *Denique ad Moyſen dicit: ſolue calceamentum pedum tuorum, locus enim, in quo ſtas, Terra ſancta eſt: mortale igitur, atque terrenum calceamentum; iubetur ſoluere, cùm mitteretur ad populum liberandum; huius enim miniſter muneris timêre nil debet, nec à ſuſcepto officio mortis periculo retardari: & ideò, cùm Dominus affectum eius probaſſet, conditionem autem vidiſſet infirmam, animi eius, mentíſque veſtigium mortalibus vinculis cenſuit exuendum.*

Exod 3. 5.

*In terra vepribus horridâ nudis pedibus ambulare iubetur Moyſes, vt, cùm illæſus euaderet, periculis ſe pro aliorum ſaluce audacter exponere diſceret.*

Ambroſ.

*Tolerabilius ſuſtinentur quodammodò verberum, quàm verborum iniuriæ.*

## Sectio III.

43\. Qvàm blandis nominibus Sponſam ſalutat, Amicam vocans, Columbam, & Formoſam? Acutè Bernardus ſermone 57. *En Dilectus meus loquitur mihi: Benè* (inquit) *Dilectus, qui venit amatoria loquuturus, non autem increpatoria:* Equidem alios correpturus ſe perſuadêre exoptat, non à liuore, neque à vindicta ſe propelli, ſed ex charitate emendationem procurare, vt ſanè contra vitium ſæuiat, Perſonæ tamen morem gerere debet, phraſibúſque vti, quibus non homo ſed malitia arguatur, & hoc ſenſu Bernardus aſſerit, *Dilectum*, hoc eſt, eum qui verâ charitate imbutus ſit, *amatoria*, non *increpatoria* loqui; Quamobrem Caietanus rectè aduertit, nullo conuitiorum genere læſum à Iudice Cainum, ſimpliciter enim interrogatur; *Vbi eſt Abel frater tuus?* Geneſ. cap. 4. verſ. 9. *Nec aliquâ vtitur contumeliâ* (ait præfatus Author;) *non inquit, ô ſcelesſte, ſed abſolutè inquirit ad inſtruendos humanos iudices, vt abſtineant à contumelijs:* Ratio iſtorum; Quoniam inter homines qui generoſiores ſunt, ægriùs multò ferunt, verbis ad pudorem imperi, quàm vel bonis, poſſeſſionibúſque expoliari, vel in corpore, artubúſque ſauciari; conuitia enim Nobilitas plus multò reſpuit: *Filij hominum* (canit Dauid Pſal. 56. verſ. 5.) *dentes eorum arma & ſagittæ; & lingua eorum gladius acutus:* Sed quomodo pugnæ inſtrumenta dentes & lingua? & vbi Vulcani ingenium in tot figuris armorum? Apro, & ſuibus dentes arma ſunt, quemadmodum Tauro cornua; ſerpentes linguâ feriunt; non Hominum itaque, ſed Brutorum illa arma ſunt quæ in dentibus & lingua: Num igitur per Emphaſim quandam velut loquutus Propheta? Tanquàm dicat; vobis ſæua inſtrumenta ſagittæ & gladius videntur; at mitis horum eſt furor comparatus verborum iurgiis & increpationibus; magis nocent, altiúſque vulnerant labia, nam & cor ipſum diuidunt, ſcindúntque, quàm vel haſta vel enſis carnem tantùm diuidens, & puniens: Auguſtinus Enarratione in citatum Hymnum iactatis contra Seruatorem conuitiis aptat, inquiens: *Sed quomodo ipſi occiderunt, qui ferrum non ferebant, qui gladium non ſtrinxerunt? Vnde occiderunt? Dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus: noli attendere inermes manus, ſed os armatum; inde gladius proceſſit, quo Chriſtus occideretur.*

Bernard.

*Deus, dum in interrogando Caino fratricidij reo, à verbis durioribus abſtinet, Iudices ne conuitijs & contumelijs reos laceſſant, docet.* Geneſ. 4. 9.

Pſalm. 56. 5. *Dentes hominum, arma ſunt & ſagittæ; & lingua gladius acutus.*

Auguſtin.

44\. Quibus non malis tentata Iobi conſtantia? quibus non laceſſita damnis, cùm amitteret pecora, ancillas, filios, nec corpori parceretur in vlcera liqueſcenti? in tantis calamitatum diluuiis laudans benedicit; *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Iob. cap. 1. verſ. 3. Veniunt ex proximis Regibus antiqui ad inuiſendum Amici: horum poſt aduentum maledixit diei ſuo, & locutus eſt: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt Homo; dies ille vertatur in tenebras*, &c. cur modò dolorem exprimit, cùm lætari debuiſſet ex ſodalium alloquio? Quid enim miſeris ſuauius, quàm apud amicos ærumnas deponere piâ querelâ? Sed conſiderate: Amici iſtimet cùm ob ſcelerum cauſas aliquas puniri à Numine Iobum æſtimauerint, reum declarabant culparum accuſantes; itaque aſperis verborum iaculis animum illius effodiebant: quò itaque perciperemus linguæ inuehentis quaſi grauiores ictus eſſe fortunæ, malitiæve aliis vulneribus; Iobus proponitur, qui in amiſſione diuitiarum, gnatorúmque tacuerit plus, lætiórque iudicatus ſit, quàm cùm à ſodalibus increparetur: Ambroſius in Exhortatione ad Virgines: *Vicerat Sanctus Iob damni dolorem, vicerat, imò excluſerat luctus acerbitatem in amiſſionibus filiorum, vicerat vulnerum aſperitates, vibices corporis; adhibentur mulieris tentamenta, & ipſa non ſentit; adhuc amicorum increpationes ad certamen ei vltimum reſeruantur: luctatus fuerat cum affectu patrio, luctatus cum dolore corporis; & ægritudine; oportebat eum ſubire etiam ſermonum tentationes.* Eximiè: *Amicorum ei increpationes ad certamen vltimum reſeruantur:* quaſi hæc quæ poſtrema ſit conflictatio, præteritis fortior ſit, difficiliúſque verborum ſuſtinêre amarulentiam quàm non dolêre ad bonorum, ad ſobolis, ad valetudinis confractionem & iacturam.

Iob. 1. 3.

Iob. 3. 3. *Grauiora & minus tolerabilia ſunt Iobo ſuorum Amicorum verba, quàm ſua vlcera.*

Ambroſ.

45\. Graue flagellis cædi, ſed grauiora verba linguæ maledicæ: *Flagelli plaga liuorem facit* (inquit Eccleſiaſticus cap. 28. verſ. 21.) *plaga autem linguæ comminuet oſſa:* admiratus iure Petrus Damianus ſermone de vitio linguæ: *Ecce* (inquit) *lingua oſſa non habet, & comminuit oſſa:* at ſcutica ſiue de funibus, ſeu ex animantium pellibus, nonne linguâ durior? quid ſi de plumbi aut ferri materia? Nonne igitur multò aptior ad comminuenda oſſa, quàm linguæ imbellis ſubſtantia? Equidem Biblicâ phraſi, tum oſſa conſumi dicuntur, cùm doloris intimum, & maximum quoddam eſt vulnus, atque ita Prouerb cap. 17. verſ. 22. *Spiritus triſtis exſiccare oſſa* dicitur; quò igitur denotet Siracides quàm ſupra externa damna, quæ cutis ſignificantur plagâ, illa mala ſint, quæ probroſus affert ſermo; innuit hunc ſecreta quæque penetrare, & in tantum vincere, vt cutem ſolam illa; hic oſſa conterat. Fortaſſe ad hoc ipſum repræſentandum vexatus eſt à locuſtis Pharao cum Ægyptiis: *operuerúntque vniuerſam ſuperficiem terræ vaſtantes omnia; deuorata eſt igitur herba terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat; nihilque omninò virens relictum eſt in lignis & in herbis terræ in cuncta Ægypto.* Exod. cap. 10. verſ. 15. At cur non Beſtiarum robuſtiores immiſſæ, vrſi, leones, elephanti qui demolirentur vniuerſa, ſtragémque ederent horribilem? Sanè locuſtæ morſu præcipuè valent Plinio Auctore lib. 11. cap. 29. ita verò conſumunt arborum fructus nullo vt commodo Dominis eſſe poſſint: ferarum maiores lædunt, ſed aliquid relinquunt in vſum poſſeſſoris: cùm igitur tetris morſibus linguæ venenatæ ſpicula ſubintelligantur, locuſtæ docent ſæuiores eſſe plagas acerbæ maledicentiæ, grandium qui reputantur hoſtium odiis, cum magnis brutis locuſtæ plus noceant: Vide in hanc ſententiam aliquid apud Sanctum Gregorium lib. 31. Moral. cap. 20.

Eccli. 28. 21.

Pet. Damian. *Plaga linguæ comminuit oſſa.*

Prouerb. 17. 22 *Oſſium comminutio in Scriptura, dicitur de grauiſſimo cordis dolore.*

Exod. 10. 15.

*Locuſtæ cur in Pharaonē immiſſæ potiùs quàm ſæuiores feræ.* Plin.

Gregor.

46\. Linguam in conuitia exaſperatam à ſtygiis ſuccendi flammis Iacobus aſſerit; *Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna*, cap. 3. verſ. 6. Quamobrem Tartarus ardêre faciat? Num quia praua dæmoni tribuunt, & nequitiæ Auctor credatur, neque tam enormia humanum loqui os poſſit niſi inferni tincta vaporibus? Sic Gillebertus ſermone 24. in Cantica: *Nam eſt ſuccenſio quædam de inferiùs erumpens; Iacobus ait; lingua modicum membrum inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata & ipſa à gehenna:*

Iacob. 3. 6. *Lingua inflammat, cùm ipſa ſit inflammata ab Inferorum gehenna.*

Gilbert.

Quomodo



*Quomodo poteſt benè inflammare lingua tam peſſimè inflammata? Ignem hunc, quem euomis, hauris de gehenna, inde incipit, & illò rapit: Lingua, inquit, inflammata à gehenna: malè ſuccendit, quia ſuccidit vnita, quia diſſidij verba ſcintillat, & flamma talis de inferis eſt; nam flamma, quæ deſurſum eſt, pudica eſt, pacifica eſt, bonis conſentiens, & bonos faciens;* Verùm & in gehennæ illud cernitur ardoribus, vt immedicabilis ſit combuſtio eorum, animáſque ipſas torqueant, nam parum eſt corpora vexari; denique nullum comparabile tormentum, non regno exui, non filios, non parentes mortibus ſublatos lugêre, non laribus expelli antiquis, non lecto iacêre lethalem: ergo in hunc quaſi modum vniuerſa propè mala dempto peccato exſuperat conuitiorum iniuria, atque ideò increpantia labia tanquàm ab inferis prodiiſſe cenſentur.

*Sancti non ob extrinſeca damna humanorum caſuum ſed ob peccatum triſtantur.*

## Sectio IV.

51\. Iam (inquit) *hyems tranſijt, imber abijt, & receſſit:* Quando verò? Scilicet cùm in hunc mundum Chriſtus venit, quando apparuit Verbum in ſimilitudinem hominum: igitúrne ante filij Dei Incarnationem nunquàm ceſſauit bruma, nunquàm receſsêre pluuiæ? Sed nonne tum etiam verna temperies, Zephyríque ſpirabant, & hyemem fugantes æſtatem reſtituebant? Quod ſi myſticâ ſignificatione hyemis aſperitate, & obſcurâ luce triſtitiam denotari arbitremur, numquid in luctu ſemper mundus quoad Saluator natus eſt? & quid illi tot Gentilium ludi, tot ſpectacula & ſaltationum choreæ, tot fidicines, tot epulæ? denique omnis eorum cogitatio in lætitiis & voluptatibus: ita quidem ſed carnalibus iucunditas & tripudium, ſanctis mœror, cùm regnaret in deliciis prophanis impietas: Quoniam autem ob Saluatoris aduentum ſcelera imminuta fuêre, & deſolata eſt nationum vana Religio, quanquàm Tyranni perſequerentur iuſtos, & mala externa acciderent non pauca, hyemem nihilominus, ſcilicet lugendi præteriiſſe tempora iudicabant; vbi enim culpa non dominatur, cæteras non eſſe dignas cauſas, ob quas doleant, iuſtis opinio eſt: Ambroſius Octonario 6. in Pſalm. 118. ad verſum tertium: *Ante aduentum Chriſti hyems erat: venit Chriſtus, fecit æſtatem: tunc omnia erant florum indiga, nuda virtutum; paſſus eſt Chriſtus, & omnia cœperunt nouæ gratiæ fœcundari germinibus: imber abijt luxuriæ profluentis, & nubila tetris orta flagitijs æſtiuâ iam puræ conſcientiæ ſerenitate laxantur*, &c.

*Totum tempus præcedens Chriſti Incarnationem fuit hyems, propter impietatem: ab Incarnatione verò cœpit ver, & æſtas, propter deſtructionem peccati.*

Ambroſ.

52\. Non omnium eſt ſcire quomodo gaudendum ſit, & quas ob cauſas: *Miſericordia & veritas* (inquit Dauid Pſalm. 88. verſ. 16.) *præcedent faciem tuam; beatus populus, qui ſcit iubilationem!* ô nouum Beatitudinis præceptum! An contrarius Euangeliſtæ Pſalmodus? *Beati qui lugent* (ait Matthæus cap. 5. verſ. 5.) *quoniam ipſi conſolabuntur;* Hominum ſæculi eſt, vel qui ſine lege viuunt ſolatia quærere, Chriſtianus flêre debet; pœnitentibus namque repromiſſa eſt gloria cæleſtis: Quamobrem itaque cùm Iesvs beatos nominet qui lugent, & ſe affligunt, Propheta beatum populum nunciat, qui ſcit iubilationem? ſtupet ob dicti nouitatem Origenes hom. 7. in cap. 6. Ioſue: *Quod etiam me permoueat dictum, quid iſtud tantum ſit operis, quod populum beatum faciat? non dixit, quia beatus populus, qui operatur iuſtitiam, vel beatus populus qui ſcit myſteria, vel qui ſcit cæli, ac terræ, vel ſiderum rationem, ſed beatus, inquit, populus, qui ſcit iubilationem.* Rectè verò admodum & in populum adquiſitionis reſpiciens Dauid, beatos proclamauit qui ſciunt iubilationem; hoc eſt, qui nouerunt, quando, & quo pacto gaudendum ſit exultatione inenarrabili; hoc ſolùm ſpiritalem habentibus cognitionem conceſſum eſt, itaque mortalium plurimi lætantur cùm plangere debuiſſent, mœrore conficiuntur cùm exhilarari oporteret; ita ſúſque déque vertunt res, quia non ſciunt iubilationem: ſi fortè contingat ad Regis familiaritatem admitti, ſi in Conſulem promoueri, ſi poſſeſſionibus & diuitiis cumulari, licet acquiſiuerint malis artibus, in lætitiam effunduntur, cùm pœnitere deberent ſcelere nimirùm interueniente; è contra quamuis peccatum abſit, propter aduerſitates quaſcumque turbantur & gemunt ſancti & perfecti, quoniam ſciunt iubilationem, modò culpa nulla exiſtat, cætera gaudio non obſiſtunt; ſi peccatum admiſceatur, nihil conſolari valeat: itaque remoto delicto iugis alacritas; præter hoc aliud nihil animos frangit.

Pſalm. 88. 16.

Matth. 5. 5. Beatus Populus qui ſcit iubilationē: *Spiritalem quippe, mundanæ lōgè contrariā.*

Orig.

53\. Auditâ Saülis nece Dauid, corde, oculíſque mœret, teſtatúſque lugubri carmine interni doloris affectum: *Montes Gelboë* (ait Reg. 2. cap. 1. verſ. 21.) *nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum:* itáne lugêre deceat nunc cùm ſublatus eſt vnà cum Ionatha Saul? Ecquando lætior vnquàm Dauidi affulſit dies! Ecce nemo eſt, qui vitæ amplius inſidietur; ecce, non tantùm deinceps incolumem eſſe fas ſit, ſed purpurâ veſtiri, diademate ornari: Quis ad regnum vocatus aliquando lachrymatus eſt, & non magis prægaudio ſibi penè exceſſit? quorſum igitur threni & lamentationes? rectè Theodoretus quæſtione 3. in librum ſecundum Regum: *Admirari oportet Prophetam & Regem; maleuoli viri auditâ cæde, non ſolùm luxit, ſed etiam acerbè eſt lamentatus;* Verùm perpendite iuſtum Dauidem cogitaſſe altiùs de infauſto Saülis exitu, quàm vt mortalium vulgus conſueſcit; non eum mouebat pugnæ infelicitas, non deſolatæ Amicorum Parentum res; conſiderabat abſque pœnitentia in ſceleribus & nequitiis defunctum, Deo inuiſum obiiſſe caput: peccati igitur recordatio ſic Spiritum deiecit, vt ne regnandi tam prompta, quàm blanda erigere potuerit ambitio: propterea, non lætum aliquem Muſa hymnum concipit ob imperij certam ſpem, ſed triſtes modulata eſt ſonos deflens miſerabilem Saülis occaſum.

2\. Reg. 1. 21. *Saülem in peccatis mortuum quamuis hoſtem ſuum, acerbè eluget Dauid, quamuis eius Regiæ dignitatis hæret.*

Theodoret.

54\. Cùm filium iugulare feſtinaret Abraham, Angeli reuocatus clamore, tranſtulit ad arietem, qui filio ſubſtitutus erat Victima, gladium; putas quàm hilari geſtu! planè hilari, ſed eodem tamen, quo filium ſacrificaturus ſtringebat machæram; percipiamus ex Zenone Veronenſi ſermone 7. de Abraham: *Eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat: à filio ad agnum tranſtulit dextram, ſemper lætatus, ac gaudens; nec mutatus eſt vultus eius, cùm eſſet mutata Victima; cùm tanta lætitia arietem obtulerat, cum quanta obtulerat & filium; in illo ſacrificio ſolus Deus doluit, qui aliam Victimam procurauit, ſcilicet filium ſuum.* At, quo pacto æquè lætatus credatur Patriarcha feriendo gnatum, vt ſi arietem iugulaſſet? Quis enim, non dicam tam pius genitor, & qui ſummo arderet

Zeno Veron. *Eadem hilaritate & filiū & arietem immolaſſet Abrahamus, quippe cùm vtrumque ſine peccato, Deo nimirum iubente victimaret.*

amore

amore erga vnicum pignus,ſed è barbarorum inculta ſæuitia,tam hilaris pergat ad immolandum ſuauiſſimi ingenij adoleſcentem,vt ad mactationem pecoris? Equidem Abrahamum ſolus peccati metus retardare poterat, ne proli aduerſaretur;ſciēs ergo Numen eſſe, à quo parricidij mandatum accepiſſet, norat offendi eundem non potuiſſe quòd iuſſis obtemperaret: ſublatâ igitur delinquendi occaſione, venuſtè intulit, non minùs gauiſum in filij cæde, quàm in arietis ſacrificio; vbi enim diſparuit culpa, triſtitiæ pariter dēpta eſt materia, quâ ſemotâ ſeu gnatus offerebatur;ſeu gregis dux, lætum eſſe oportebat: Addamus & quid illa ſignificent; *In illo ſacrificio ſolus Deus doluit, qui aliam Victimam procurauit, ſcilicet filium ſuum*; Num labor eſt Deo,eo pacto quo metaphoricè laborare, atque dolêre interpretamur, quòd filium generi concedat humano? haudquaquam, ſed quod ad ſatisfaciendum pro delictis tribuat; itaque culpæ vacui Abraham & Iſaac, quòd Creatori auſcultarent, ſolus Deus peccata intuebatur,pro quibus oblitterandis filium mittebat, cùm ergo de peccatis cogitatio non poſſit non ſanctorum viſceribus mœrorem afferre, ſeu ob contemptum Dei honorem,ſeu ob commiſerationem damni proximorum; conſideratur Numen ob peccati in humanum arbitrium ſtragem tanquam dolens; at ſolus dolens ipſemet,quia ſolus delictis attendebat.

55. Contemplare Iobi magnanimitatem,& fortitudinem; modò aliquis nunciat à Sabæis boues, aſinâſque diſtractas; modò alius igne cæleſti deuoratas oues, pueróſque, modò tertius ruinâ cadentium ædium oppreſſos filios; ſub tanto agone benedicit ſemper Domino, ſubit demum animo recordatio temporis,quo conceptus in vulua materna,quo ex eadem in lucem, auráſque prodiit, exclamat tum quaſi imprecatorio ſermone aiens: *Pereat dies,in qua natus ſum,& nox in qua dictum eſt,conceptus eſt Homo*,Iob.cap.3.verſ.3. Ergóne pœnitet Iobum ob mala, quæ ſuſtinet quod vnquàm genitus ſit,& initia viuendi execratur in odium præſentis aduerſitatis? Ambroſius de myſticis quibuſdam edoceri nos aſſerit lib.4. in Lucam ad cap.4.aiens: *Nam quod maledicit diei dicens: Pereat dies ille, in qua natus ſum, ad Prophetiam pertinet; Pereat,inquit,dies ſæcularis,vt dies ſpiritualis oriatur.* Ergo Iobus ſanè vitæ totius examinato diſcurſu, reperit poſteriorem clauſulam præſertim fluctibus inſigniter iactatam, alia etiam viderit communia mortalibus incommoda; ſed pariter cum fortunæ ictibus ſæuiſſimis, animaduertit conſeruatam morum innocentiam, neque poſt rationis vſuram conturpatam peccatorum ſpurcitiis ab eo mentem,quare ſubintulit: *Neque enim reprehendit me Cor meum in omni vita mea*,Iob.cap.27.verſ.6.cùm igitur tranſactam abſque ſceleribus vitam conſpicaretur, non laborat, non incuſat aliquid, licet námque interuenerint atri dies cogitatione vulgari hominum, ſcilicet illi, in quibus ſplendore, opibus, clientelâ deiectus, ſed quoniam in his non peccauit, triſtari contemnit abſente delicto; pergit, & à rationis vſu in antecedentia tempora conuertit oculos; vidit,vidit vtique Originali ſe conceptum in maculâ, cum eâdem materno extractum de vtero; vbi ergo contemplatus labis atque noxæ fuliginoſum vultum, qui ad calamitates alias ſuauis, & patientiſſimus, non potuit ſibi continêre quin animi indicaret mœſtitudinem, & contra horas ipſas vociferaretur,aiens, *Pereat dies, in qua natus ſum,& nox,in qua dictum eſt,conceptus eſt Homo.* Et hoc eſt quod Ambroſius inſinuabat,optaſſe videlicet *ſæcularem*, id eſt, peccati diem conſumi, vt *ſpiritualis*, iuſtitiæ nimirùm & ſanctitatis exoriretur lux. Et fortaſſe ob ſimilem rationem,quanquàm aliàs lætitiæ indulſerint, nemo tamen ſanctorum in Biblicis monumentis legitur diem natalitium feſtiuis repræſentationibus honoraſſe Origene atteſtante homilia 8.in Leuiticum: *Nemo* (ait) *ex omnibus ſanctis inuenitur diem feſtum,vel conuiuium magnum egiſſe in die natalis filij, aut filiæ ſuæ:* Similia Hieronymus ad cap.14.Matthæi; neque enim ſancti feſtam duxêre lucem, in qua adhuc peccati vigeret dominatus.

*Iob cæteræ patientiſſimus maledicit diei conceptionis & natiuitatis ſuæ,in odium ſ.peccati originalis.*

Iob 3.3.

Ambroſ.

Iob 27.6.

Origen.

Hieronym.

---

*Gemitu & mortificatione Prædicatoris,magis quàm dictionis eloquentiâ rebelles animæ conuertuntur.*

## SECTIO V.

56. FLores Bernardus ſermone 58.in Cantica ſub finem,eos interpretatur,qui ab infidelitate & immunditia ad ſanctitudinem tranſlati ſunt; & quidem ob vocem Turturis, ſcilicet Apoſtolicorum virorum,quibus non tam eſt cura, vt ſermo politus ſit,auribúſque iucundus, quàm vt ſit vtilis,ad planctum nempè mouens:de Turturis voce idem Sanctus Abbas ſermone 59. *Et vox quidem gementi, quàm canenti ſimilior peregrinationis noſtræ nos admonet; illius vocem Doctoris libenter audio, qui non ſibi plauſum,ſed mihi planctum moueat*; At ſunt proculdubio de Concionatorum numero, qui ſeriâ & graui oratione exhortantur, & proficua magis,quàm curioſa eloquuntur, fructum tamen exiguum conuerſionis animarum referunt:Quæ huius ſterilitatis occaſio? Sanè, quoniam licet aliis ſpecioſè conſulunt,ipſi molles & tepidi inueniuntur: itaque nullis ante concionem ſuſpiriis ad Deum ingemiſcunt, nullas profundunt lachrymas,non ieiuniis, non flagellatione, non aliis macerationibus Numen delinquentibus propitium facere ſtudent; quaſi omnis præſumptio eſt tantùm de optimo ſuadendi genere, quo ſe præſtare arbitrantur; ſed monemur vt flores appareant,Turturis nos habêre luctum oportêre, laborandum eſſe pro conuerſione peccatorum in crebris fletibus & gemitibus,in caſtigatione ſenſuum, in virtutum ſanctarum exemplis,alioquin dictionis licet grauis & ſeriæ energiâ vnicè freti, paucos in metendo frugum manipulos colligemus: *Verè Turturem exhibes* (proſequitur Bernardus) *ſi gemere doceas: & ſi perſuadêre vis, gemendo id magis,quàm declamando ſtudeas oportebit: exemplum ſanè tum in alijs multis, tum vel maximè hoc in negotio;verbo efficacius eſt; dabis voci tuæ vocem virtutis,ſi quod ſuades,prius tibi illud cognoſceris perſuaſiſſe: Tu qui alios doces, teipſum non doces? Fac vt loqueris, & non ſolùm me faciliùs emendas, ſed te quoque non leui liberas probro; non iam enim pertinebit ad te,ſi quis dicat: alligant onera grauia,& importabilia,& imponunt ea in humeris hominum;digito autem ſuo nolunt ea mouêre.*

*Floribus,animæ ab infidelitate ad ſanctitatem conuerſæ hic ſignificantur.*

Bernard.

*Ad Turturis gemitū, (hoc eſt,Concionatoris orationē & mortificationem) flores apparent.*

Bernard.

57. Cùm diruta Salomonicis templi auguſta reædificaretur moles,iuuenū quæ in opere laborabat urma,*vnâ manu faciebat opus,& alterâ tenebat gladium.*Eſdræ 2.cap.4. verſ.17. nempè ob Hoſtium timores,quibus inuiſa fabrica: quàm diuerſa ſecuritas cùm prima iaceret fundamenta Salomon, tum enim vnuſquiſque lætus & hilarās ſub vite,

2.Eſdr.4.17.

&



& ſub ficu ſuâ ſedebat à Dan vſque Berſabee: At cur non etiam tunc armatorum diſpoſitæ cohortes in aduerſariorum terrorem? Quamobrem ſaltem nondum bellicis ſopitis tumultibus, cùm Dauid Ieroſolymitanam vrbem nouis amplificaret ædificationibus, non gladios accincti, qui opus faciebant? Sanè prima animarum ædificatio Baptiſmus eſt, quo Deo reconciliamur ex vaſis iræ: plurima ibi facilitas; non qui mundatur, non qui abluit fatigantur; Quàm leue miniſtro onus pauca quædam recitaſſe verba, lymphâ aſperſiſſe? Secunda ædificatio cùm poſt adeptum rationis lumen, à peccatis actualibus & perſonalibus, quæ committimus,liberamur compunctione eorundem, deflentes apud Sacerdotem humili in confeſſione ſcelera noſtra; ad hanc plerumque excitamur contritionem voce Prædicatorum: ô diuinum miraculum linguæ Euangelizantium! ô Chriſtianorum oratorum efficaciam ſtupendam! Sed verbíſne tantùm fidant Concionatores? toto planè errauerint cælo: rememorentur quàm ſit ardua ſecunda Templi fabrica; frendent, minantur, inſtant ſæui & crudeles hoſtes contra opus Domini: arripiendus gladius mortificationis,ſuperflua vniuerſa amputanda omninò, vigilandum acriter; hæc niſi eloquentiæ adiungantur præſidia, nullum tam aureum dicendi flumen reperiatur, cuius non obſtinata corda reſiſtant vi; cæterùm quoties conuerſatio eximia vocem commendat,Deus facit, vt etiam de lapidibus filij Abraham enaſcantur: Beda in Eſdræ 2. cap.20. *Nec prætereundum eſt quòd cùm Dauid, vel Salomon eandem Ciuitatem ædificarent, nihil de armatis ſtructoribus, vel aduerſarijs impugnantibus dicitur; ſed deſtructa propter peccata maiori labore, & induſtriâ reficitur; Similis autem eſt ædificatio ſpiritualis, quæ in animarum ſalute geritur: in baptiſmo enim renati ſine labore per gratiam Dei ciuitas, & domus eius efficimur: Si autem pòſt Diabolo ſuadente, vel ſeducente ad peccata relabimur, & virtutum mœnia hoſtis victor igne vitiorum deijcit; neceſſe eſt grauiori ſtudio afflictionis, vigiliarum, & arctiori vitæ, bonorum operum ædificia reparare.*

*Concionator vnâ manu teneat gladiū Verbi Dei,alterâ gladium Mortificationis; eos, qui Templum Salomonicum reædificabāt, æmulatus.*

Beda.

58. Moyſes cùm ex Hebræis rixantes duos conſpicatus eſſet,corrigere eum tentauit, ſanúmque mente facere, qui ex iniuria aggreſſus eſt; reſpondit Doctori procax: *quis te conſtituit principem ſuper nos?* Exod.cap.2.verſ.14. Et quidem diſciplinarum magnâ excellebat famâ tum, nam eruditus erat in omni Sapientia Ægyptiorum, verùm adhuc aulâ enutritus cùm filius filiæ Pharaonis reputaretur nondum cæleſtium contemplatione mentem purgauit ab imperfectione, quare eloquentiâ ſolùm potens compeſcere iratum non valuit: ſcitè in vita Moyſis prope initium Gregorius Nyſſenus: *Sed ab eo, qui proximo iniuriam afferebat repulſus, ad contemplationem hac contumeliâ impellitur: ciuitatum enim turbationibus omninò relictis, ſecum viuere maluit:* qualis autem fuit contumelia? nempè tacitè ſugillabatur Moyſes,quòd dicendi gratiâ tantùm præſumens, antequàm per longum ſeceſſum in ſublimem transformaretur virum,arbitraretur talem ſemet eſſe qui deflectentes alios in rectum duceret; quare abiit in montana, ibíque diu verſatus, populorúmque frequentiâ abſtractus, dignus inuentus eſt, cui multorum millium regimen crederetur, quibus perſuadebat innocentiâ & virtute potiùs quàm dictione: idem Nyſſenus in Myſtica interpretatione: *Videmus enim Moyſem antequàm perfectiori ſe virtute firmauerit, duos inter ſe contendentes homines conciliare nequiuiſſe; poſtea verò cùm ſibiipſi longo temporum ſpatio vacauerit; à multis hominum millibus facilè in protectorem recipi: magna igitur voce Scripturæ auctoritas clamare videtur; non inſiliendum eſſe ad docendam inſtituendámque multitudinem,niſi priùs magnâ diligentiâ,magniſque laboribus eam fueris auctoritatem adeptus, vt auditores verbis tuis facilè acquieſcant.*

Exod.2.14. *Moyſes quāuis in omni Ægyptiorum ſcientia eruditus,à Iudicio repellitur, donec cū Deo collocutus in ſpiritalem euaſit virum.*

Nyſſen.

Idem.

59. Singularis primæ fœminæ molitio; obdormiente Adamo, tulit Dominus vnam de coſtis eius, & repleuit pro ea carnem; *Et ædificauit Dominus Deus coſtam,quam tulerat de Adam in mulierem*,Geneſ.cap.2.verſ.22. primùm,quare non de puluere ſicut Hominem fabricauerat? Deinde, quamobrem non de carne potiùs quàm ex oſſe, ſiquidem tenera & delicata futura erat conditio muliebris,aptiùs videri potuerit, vt ex mollibus conderetur, quàm ex duro? poſtremò, quâ de causâ non pro ablato oſſe nouum reponitur os, ſed quaſi deteriori compēſatione, pro oſſe adempto caro ſubſtituitur, vtique ad imbecillitatem Adæ,quem os roboraſſet, caro autem infirmabat? Spiritaliter, prædicatores Adamo repræſentari concipiamus; ipſi genitores per Euangelium animarum,quas Deo lucrantur, & ad ſalutem perducunt. O quale venuſtatis ſpectaculum mentem contueri Dei gratiâ formoſam! non Eua in omni gratia recentis pulchritudinis huic comparetur, magis quàm æſtiui diei fulgoribus nox atra; Si ergo tali augeri ſobole tam lætâ & beatâ Concionator exoptat, nouerit opus eſſe vt debilitetur, infirmetúrque, ſicut Adam debilitatus eſt; infirmetur nimirum in paupertate, in ieiuniis,in perſecutionibus, in fletu,in orationibus, & vigiliis; hæc ſunt, quibus corpus infirmatur, Spiritus autem conualeſcit: Chriſtus ipſe infirmatus eſt vſque ad mortem Crucis, in ſputis, in flagellis, in ſpinis,in clauorum fixura,denique latus eius haſtâ apertum eſt; & totum hoc, vt ex dormientis in patibulo ſomno mortis reſerato corde per lanceam militis Eccleſia velut altera Eua de Adæ coſta prodiret; Et Prædicator non laborabit prolem ſanctam, & immaculatam Deo adquiſiturus? & reputabit ſatis eſſe flores verborum ad conuertendas animas? Sanctus Petrus Damianus ſermone de Beata Columba Virgine & Martyre: *Sed, quid eſt quòd omnipotens conditor, cùm mulierem de viro, id eſt, fragilem ſexum de fortiori propagare diſponeret, non viri carnem ſed os potiùs ad faciendam fœminam ſibi voluit materiam exhibêre? potuit enim Deus homini carnem detrahere, vnde fœmina formaretur,& hoc certè congruentius videretur; ſciebat enim ſexum debiliorem, qui nimirum conſequentiùs de carnis infirmitate, quàm oſſis procederet fortitudine: & vt magis ſtupeas diuini operis ſacramentum, non pro oſſe os reddidit, ſed carne potiùs, quod in viri corpore vacabat, impleuit: Debilis itaque factus eſt Adam, vt fortis fieret Eua: infirmatus eſt Chriſtus,vt roboraretur Eccleſia; illius enim infirmitas noſtra eſt fortitudo.* Velit itaque Prædicator generoſos & robuſtos filios parturire, ipſe per mortificationem & pœnitentiam infirmus euadat Seruatoris exemplo,qui infirmatus eſt, vt roboraretur Eccleſia.

Geneſ.2.22. *Debilitetur Concionator ieiunijs,fletu, orationibus, &c. vt Animas Chriſto pariat, ſicut Adam debilitatus eſt dum in productione Euæ carnē pro oſſe ſubſtituit ei Dominus.*

Pet.Damian.

60. Omninò talis erat Prædicator Gentium Apoſtolus,neque enim,ſi non talis,ſcripſiſſet, 1. Corinth.cap.3. verſ.2. *tanquàm paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi*; ergo Nutrix infantium Paulus? Equidem nutrix dulciſſima: Sed quamobrem Nutrici ſuam in prædicando diligentiam aſſimilauit?

1.Corinth. 3.2.

lauit? Num quia dictionem attemperabat auditoribus,& non niſi ſimplici rudibus ſermone loquebatur? Optima hæc licet communis interpretatio,quam elegantiſſimè à Gilleberto tractatam, quia admodum vtilis eſt, ſubiiciam ex ſermone 27.in Cantica:ait:*Vtinam iſtud attendant,qui facturi ſunt in conuentu fratrum ſermonem! ſtudent magis alta,quàm apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum ſui, non ipſorum ſalutem operantes:erubeſcunt humilia,& plana docêre, nè ſola hæc ſciſſe videantur;erubeſcunt vbera habêre,nudare mammam,lactare paruulos: Quid iſtud eſt? ideóne conſediſti in medio cathedram tenens,vt ſcientiam iactes, an vt teneram ſubditorum lactes infantiam? ſubtilia texis:artem qui audiunt,mirantur, eloquentiam laudant: benè quidem,tamen ſi gratiam ſentiunt, ſi te diſputante audientium moueatur affectus,intellectus inſtruatur:alioquin,quid ad præſens negotium peregrina quædam adducere,quæ auſcultantes non capiant?* Verùm ad noſtri inſtituti finem:ſunt,qui & verba circumfuſę multitudini accómodant peritè,vt indoctioribus plana,eruditis ingenioſa porrigant, & cuiuſq; ſtatus rationem habeant,non tamen dicendo proficiũt, non vt corrigantur mores,adipiſcuntur;id quamnam ob cauſam? Quoniam bonæ nutrices non fiunt;Taceo,qualem ſarcinam portant gerulæ,dũ ob puſionis lachrymas neque die,neque nocte requies eſt aliqua;præcipuâ conſideratione dignum eſt, quemadmodum vt roboretur infans illæ debilitantur,abſtinent enim à cibo, à ſomno, à voluptatibus, ne paruulo noceant, quibus lactans validior redderetur; itaque huius inedia eius eſt fortitudo; hunc ergo in morem vt numero antecedenti ponebamus, infirmatum Chriſtum, quò Eccleſia roboraretur; debet & Concionator Euangelicus debilitari, quò auditores conualeſcant,ſtrenuíque euadant.

Gilbert. *Optimi Concionatoris Exemplar D. Paulus, Nutrici ſe comparat, quæ inter cætera pro Puſione ſuo abſtinet à ſomno, à cibo, à voluptatibus,&c.*

*Deo quaſi parùm ſuaue fuiſſet ex hominum bonis operibus glorificari,niſi eorum ſimul coniuncta eſſet vtilitas.*

## Sectio VI.

61. VIdimus apparuiſſe flores, inſonuiſſe gemitũ Turturis;ſed vtrumque vbinam? *In Terra*(inquit(*noſtra:Ergóne*(diuino more exclamat Bernardus ſerm.59.in Cantica)*ratione carebit Deo quidem tam inſueta locutio? aduerte,quantæ ſuauitatis ſit Deum cæli dicere,in terra noſtra:in Terra,inquit, noſtra:Non planè principatum ſonat vox iſta, ſed conſortium, ſed familiaritatem: quid? Conditor eſt,& conſortem ſe reputat? Amor hoc loquitur, qui Dominum neſcit: verè magnus amor,excedens charitas.* Debebantur illi titulo creationis,titulo ſupremę poteſtatis quę noſtra erãt vniuerſa,voluit partiri nobiſcum ſociali fœdere;quamobrem honore contentus,& honorem pariter & vtilitatem nobis reliquit; glorificatur ex bonis noſtris operibus Deus; mercedem ſupereffluentem nos recipimus in æterna poſt obitum tabernacula admiſſi,vt videamus eũ ſicuti eſt,& gaudeamus in ſancta Sion; Quàm dulcis & ſuauis Dominus, qui abſque noſtro cómodo honorari recuſat; quia igitur ſimul nos & ille, propterea in Terra noſtra dicit, ſibi adunans ſponsã. *Omnia flumina intrant in mare* (ait Eccleſiaſtes c.1. v.7.) *& mare non redundat*; Si ergo mare non excreſcit fluuiorum aduẽtu, quidnam Oceano prodeſt lympharum recurſus? nimirum gloriæ quidẽ eſt eximiæ,tam vaſtos eſſe ſinus,vt in tantã aquarum copiam ſufficiant;laudis eſt tanquam Parentem communem adorari ab omnibus fluuiis:ecce honor declaratus eſt,ſed cui vtilitas? Fluminibus proculdubio;ſtatim ſubditur;*ad locum vnde exeunt flumina,reuertuntur, vt iterùm fluant.* Vide quamobrem in Oceanum dilabuntur? nempè vt iterum ſecurè redeant; à Deo gratiæ ſpiritus, quo benè operemur; ipſius munus eſt auxilium ſupernaturale;Hoc adiuti cùm rectè facimus,cui profectus? nũ Deo? Sed nullius indiget pleniſſimè beatus,& ſuperabundans; glorificatur tamen, ideò iuſſum, luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona,& glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt;ſed vtilitas homini, qui præmium vitæ æternæ benè operando meretur; Galfridus apud Tilmannum in Allegoriis: *Sed quid opus eſt vt omnis noſtra gloriatio, & gratiarum actio in Deum tranſeat, quia ſolus ſibi ſufficiens bonorum noſtrorum omninò non eget? Sic glorificatur in hominibus Deus, quomodo in mare fluunt aquæ,quibus tamen mare abundat:& quid erit,ſi in mare non influant? aut fontes ſiccari neceſſe eſt,aut diluuio redundante vniuerſa deleri.*

Bernard. *Apparuerunt flores, ſed in terra noſtra, ſcilicet in noſtrum commodum.*

Eccli.1.7.

*Omnia flumina intrant in mare, ſed in ſuam vtilitatem,quippe vt iterum fluant.*

Galfrid.

62. Vocatus ad nuptias IESVS, cùm vinum deficeret, ſuppleuit aquis in optimos Bacchi ſuccos mutatis; recenſitâque Hiſtoriâ totâ ſubnectit Euangeliſta:*Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ,& manifeſtauit gloriam ſuam*,Ioan.cap.2. v.11.Ergóne in eum diem occultata gloria Saluatoris? Sed quare latuiſſe intelligatur? Videlicet, quia miraculis clarêre recuſauit, hæc vt orditus eſt,tum gloriam patefacere viſus eſt:igitur glorię declaratio ex miraculis: Verùm, ſi ita quidem, percunctari libet, quamobrem poſtulante Satana à filio Dei, vt lapides in panem conuerteret, acquieſcere reſpuit? Si enim lymphæ in vinũ tranſmutatio, Dei gloriam velut ſonoro quodam clamore publicauit, quamobrem non & lapidum in panem metamorphoſis eandem publicaſſet? Quod ſi declaratura fuiſſet, cur abſtinuit Chriſtus Diabolo concedere? Nempè;ſi ob Aduerſarij callida vota Chriſtus annuiſſet, nulla inde petenti manaſſet vtilitas? at verò, quando in nuptiis ſignum edidit,roborata eſt Apoſtolorũ fides, addit namque Euangeliſta;*Et crediderunt in eum diſcipuli eius*; Quoniam igitur Deo, velut minùs formoſa eſt gloria,quæ ipſi redundat abſente Angelorum,hominúmve vtilitate; idcirco cùm abeſt vtilitas, quaſi glorificari reſpuit; & ideo in præſentia diſcipulorum miraculum operatur;dęmoni miraculum facere non vult:Rupertus lib.3. in Matthæũ, in illud c.3.*Dic vt lapides iſti panes fiant*, &c. *Fortè enim putas, quia gloriam ſuam non manifeſtauiſſet, ſi ad eius dictum lapides facti fuiſſent panes? ſicut in eo poſtmodum gloriam ſuam manifeſtauit, quòd ad eius nutum aqua in vinum conuerſa eſt? Sed non ita eſt: vbi enim hoc initium fecit ſignorum, & manifeſtauit gloriam ſuam, non gloria fuit inanis, ſed gloria cum fructu,quem videlicet fructum præſentat dicens; & crediderunt in eum diſcipuli eius: Numquid crederet eum Tentator inſidioſus?*

Ioan 2.11.

*In Cana vinũ in aquam conuertit Chriſtus*,manifeſtans gloriã ſuam *coram hominibus, quod eorum vtilitati cedit ſiquidem* crediderunt in eum: *Lapides verò in panes ſuadente dæmone conuertere nõ vult, quod ei foret inutile.*

Rupert.

63. Cùm Abraham toto hauſiſſet pectore filij victimationem, ferrúmque leuaſſet contra iuuenem; ab Angelo reuocatus audire meruit: *Nunc cognoui,quod times Deum, & non pepercìſti vnigenito filio tuo propter me.*Geneſ.c.22.v.12.& quidem imperio illo carni duriſſimo tentauit Dominus Patriarcham,vt Moyſes eodem teſtatur loco:Si ergo tentabatur genitor in gnati morte, quare à Numine aſſeueratum eſt; tum ſciuiſſe quemadmodum illum Abraham metueret? audiamus Auguſtinum ſerm.de tempore 72. *Ergo nouerit charitas veſtra*

Geneſ.22.12.

Auguſt.



*veſtra tentationem Dei non id agere, vt ipſe aliquid cognoſcat, quod antea neſciebat; ſed vt illo tentante, hoc eſt, interrogante, quod eſt in homine occultum prodatur:* igitur eâ tentatione ſi nihil de nouo Dominus cognoſcit, quorſum à ſe tentatum Abrahamum referat, eius erga ſe timorem quaſi exploraturus? placet eorum interpretatio, qui exponunt: *Nunc cognoui*,hoc eſt, quod apud me latebat faciam, vt pluribus mortalium pateat, & gentium tu præconiis laudêris; cuius ſententiæ Auguſtinus homilia 73. de tempore: *Ideò iubet filium occidere vt manifeſtetur mundo,qui iam notus fuerat Deo*; tanquàm aſſerat: Tu gnatum generoſâ carnificinâ de medio tollere non dubitaſti, vt me glorificarent homines omnium terrarum; extollunt meritò ſummis encomiis; cui tam fideles ſerui miniſtrant, quibus Domini voluntas filiorum amore charior ſit; at num ſolus fruar laudibus? Volo & tecum diuidere partem famæ,ſic namque mihi vſus eſt cum famulis diſtribuere; dabo igitur operam,vt & tuum per hominum ora diuagetur nomen; hoc itaque eſt: *Nunc cognoui,quòd times Deum*,&c.

*Præceptum de immolando filio in ipſius Abrahami honorem & gloriam omnino cedit.*

Auguſtin.

64. Cùm ſedentem in telonio Matthæum conſpicatus eſſet IESVS mandauit,eum vt ſequeretur; *& ſurgens* (refert de ſeipſo cap. 9. verſ.9.) *ſequutus eſt eum*, planè relicto deinceps telonio; ſed obeſt Chryſologi opinio ſentientis non tam deſeruiſſe,quàm mutaſſe telonium: *Matthæus*(ait ſermone 28.)*non ſubtrahitur operi, ſed mutatur,& telonium ſuſcipit magis, quàm relinquit, vt non trigeſimum in quadrageſimum, quinquageſimúmque nummum triſtis redigat ſupputator; ſed trigeſimum in ſexageſimum, & centeſimum fructum lætus recondat diuinis commodis profuturum:* Aſt, quomodo hæc vera eſſe queant? Nam qui Chriſto adhærent, illiúſque ſectantur veſtigia,non debent poſtliminio ad ea reuertere,quæ ſemel deſeruerũt;animaduertit quaſi in ſimili Gregor.Papa hom.24.in Euangelia: *Quæri enim poteſt*(ait,)*cur Petrus,qui piſcator ante conuerſionem fuit,poſt conuerſionem ad piſcationem redijt, & cùm veritas dicat,Nemo mittens manum ad aratrũ,& aſpiciens retrò,aptus eſt regno Dei,cur repetijt quod reliquit?* Deinde, vt ad piſcationem rediiſſe liceat, quod actio per ſe ſit indifferens,oſtendit ad teloniũ nullo pacto Matthæum reuertere oportuiſſe, quia fraudi & iniquitati obnoxia Ars eſt:*Nã Piſcatorem Petrum*(ſubdit,)*Matthæum verò telonarium ſcimus,& poſt conuerſionẽ ſuam ad Piſcationẽ Petrus redijt, Matthæus verò ad telonij negotium non reſedit; quia aliud eſt victũ per piſcationem quærere;aliud autẽ telonij lucris pecunias augêre:*Si igitur docet Gregorius Matthæũ telonium nunquam deinceps reuiſentẽ,quo pacto Chryſologus contrariũ affirmauerit? Sed quidem S.Gregorius de materiali telonio loquutus,cui nũquam in poſterum reſtitutus Euangeliſta; Chryſologus de ſpiritali lucro, quo verſatus eſt abundantiſſimo cum fœnore,& conſpice qualem in modum. Vocatus eſt à Seruatore Matthæus vt conuenienti tẽpore,in remotas barbarorum Prouincias noui Teſtamenti gratiã prædicaturus feſtinus & lætus pergeret:hoc erat Dei annunciare gloriã,vt præuaticinatum eſt à Dauide,Pſal.18.v.1.*Cæli enarrant gloriam Dei*; cælorum autem vocabulo Apoſtoli ſubintelliguntur; ergo prælectus Matthæus Deum vt glorificaret; itáne iſtud fiat abſq; vtilitate ingenti glorificantis eũ? nequaquã;transferatur igitur quod ſæculare erat in myſticum & ſpiritale telonium; & dum Numẽ Matthæus glorificat, ſibi gratiã & beatitudinem æternam mereatur; & ſic Domini glorificatio cũ famuli emolumento coniungetur; certè melioribus quàm olim incrementis;nec enim iam *trigeſimum in quadrageſimum* (vt loquitur Chryſologus) *quinquageſimúmque nummũ triſtis redigit ſupputator; ſed trigeſimum in ſexageſimum & centeſimũ fructum.*

Matth.9.9.

Chryſoſt. *Matthæus à Chriſto vocatus, non tã deſerit telonium, quàm in aliud mutat abundantiori multò fœnore.*

Gregor.

Idem.

Pſalm.18.1.

*Aduerſitatibus iuſtorum Congregatio nòn minuitur,ſed creſcit & amplificatur.*

## Sectio VII.

65. VIx Salomon recenſebat amputatas fuiſſe vineas,cùm penè ſine mora annectit *vineæ florentes dederunt odorem ſuum*;quomodo tam citò floruerunt,quæ paulò antea vulneratæ ſunt? & ideò quidem floritio ſubitanea, prætérque ætatem, quia ſauciatæ ſunt:ô nouam ex vulneribus medicinam! quæ moritura videbatur ob ictus,iuueneſcit lætiſſimè vernans, & præcurrit ſibi in augmentis;quàm floridè Ambroſius lib.9.in Lucam, ad cap.10. *Vt vinea dum iugatur, erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur; ita plebs ſancta dum ligatur,exuitur,dum humiliatur,attollitur, dum reciditur, coronatur*; Natus eſt Ioſepho filius primogenitus quem vocauit Manaſſen,hoc eſt obliuionem, radix enim נָשָׁה *naſcha* ſignificat *obliuiſci*; ſecundum autem filium appellauit Ephraim,id eſt *fructum* vel *incrementum* à radice פָּרָה *para*, hoc eſt *fructificauit*,Geneſ.c.41. v.49. At nonne oppoſitæ voces augmenti & immemoriæ, ſeu obliuionis? oblitum eum reputamus, qui humiliatus & contemptus obſcuro reſidet loco:creſcentem arbitramur illum,qui ſecundâ fortunâ gaudet, altúſque & potens ſit:Quomodo itaque ſi oblitus, ſi conculcatus,& deſpectus, ſublimis pariter & exaltatus? ô nominũ veram dignámque amicitiam! nulla fidelior germanitas quàm obliuionis & incremẽti:Vidéſne,quid Saluator pronũciat; *Amen, Amen dico vobis,niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit,multum fructum affert.*Ioan.cap.12.v.24 mortuorum continuò obliuiſcimur, en filium obliuionis mortuum in terra granum, quàm vile tũc, quàm abiectum? Sed niſi talis præceſſiſſet abiectio,non attuliſſet in meſſe fructum centeſimum: Rupertus Abbas lib.8.in Geneſim,c.41. *Hoc quoque Deo noſtro ita myſticè congruit, vt & nos exemplo eius obliuioſi primùm, deinde & fructuoſi ſimus iuxta hæc duo nomina,quorum alterum obliuio, alterum fructificans interpretatur: nam ille propter nos grano frumenti aſſimilatus eſt, quod cecidit in terram & mortuum eſt vt multum fructum afferret; eius ergo exemplo & nos*, &c.

*Amputatæ vineæ ſtatim florere hîc dicuntur, quaſi flos naſcatur è vulnere.*

Ambroſ.

Geneſ.4. 49.

Ioan. 12. 24.

Rupert.

66. Mortuo Abele deſcendit Creator & percunctabatur fratricidam:*Vbi eſt Abel frater tuus?* Gen. c.4 v.9. Quid? forſan ignorabat Deus? abſit:Quãobrem ergo interrogat? Num in ſignum teneri, dulcíſque amoris? Si quãdo in montibus vel auiis nemorum ſecretorum ſobolem dilectam matri aut fera peſſima laniauit, aut Homines occiderunt crudeles,fertur paſſis crinibus & lachrymoſa in ſyluas, in montium cacumina, & delectatur muta interrogans ſaxa, mutáſque frondes, & non reſponſuram glebam; vbi filius meus charus? vbi ſolatium meum? vbi lumen oculorum meorum? ita & fœmina olim peccatrix,poſtea âmoribus ſanctis deebriata,dum ad Saluatoris monumentum plangit amarè, ſiue Angelos, ſeu Dominum ipſum ſub aliena ſpecie de Domini corpore exanimi percunctatur:an ergo & tali affectu? Creator de Abele,quem amabat, inquirit?

Geneſ.4.9.

Sed quamobrem funebria lamenta, quæ de amore teſtentur? nempè liuoris occaſio peſſimo Caino extitit, quod diligi ſingulariter à Numine Abelem intueretur; *reſpexit enim Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit:* Quid miſer tentauit, quidnam præmeditatus eſt? ſcilicet vt occidendo faceret, ne amaretur à Deo: ergo paſſus, ergo vulneratus eſt, quoniam diligebatur; ſed num occiſione imminutus eſt amor? imò creuit quidem, Nam vide quomodo & poſt mortem velut mater extinctam ſobolem requirit, poſtulans, vbinam ſit Abel? atque idcircò poſtulat, vt intelligamus, necem iniuſtam amori non obfuiſſe, ſed obſequutam eſſe; neque enim in detrimentum iuſtorum calamitates, ſed in lucra: Chryſoſtomus homil. 8. in 4. epiſtolæ ad Romanos, de Cain ſermocinatus: *Interficiebat eum* (inquit) *quandoquidem Dilectus videbatur expectans à Dilectione illum exturbare; extendit autem dilectionem magis, ac magis, & ipſum ſanè mortuum Deus magis inueſtigabat, cùm diceret, vbi eſt Abel frater tuus? non enim inuidia amorem extinxiſti, quin potiùs incendiſti magis; anteà enim illum tibi ſubdiderat Deus, poſteaquàm verò illum interemiſti, vel mortuus te vlciſcetur; tanta eſt mea erga illum dilectio.*

*Etiam tenerius poſt occiſionem diligitur à Deo Abel, dum quaſi gemebundus queritur ad Cainum: Vbi eſt Abel frater tuus!*

Chryſoſt.

67. Gratias agit Dauid nomine iuſtorum Deo liberatori ex malis eorum Pſalm. 9. verſ. 4. *In conuertendo inimicum meum retrorſùm, infirmabuntur, & peribunt à facie tua: Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam*; hoc eſt, pro me ſententiam tuliſti: ſed quare hoc celebrat? nam ſi iniquus fuerat, quomodo abſolui poterat ab æquiſſimo iudice; ſi innocens, quo pacto ab eodem condemnari? fecit igitur iuxta naturam ſuam, iuxtà meritum cauſæ; vtrumque agendo fecit quod debebat: ob quodnam itaque gratiæ referantur? ſed cogita accuſationis figuram; impij contra iuſtum falſum teſtimonium dicebant, vt nomen famámque illius eraderent de terra viuentium, & hoc agebant ob liuorem atque inuidiam; igitur perſecutionis ſcopus erat iuſti confuſio: ſed Deus qui tentari eum permiſit, non ſuſtinuit præualêre malitiam, glorioſiórque redditus eſt ab accuſatione; dicit proinde anima ſancta: Quas tibi gratias rependam Pater & Domine cunctorum? nam quod aduerſum me machinabatur iudicium, feciſti meum, ſcilicet conuertiſti ad me, agens, vt quo me deprimere hoſtes conabantur, eleuarent potiùs: Auguſtinus in Pſalmi verba: *Quoniam feciſti iudicium meum: & cauſam meam, inquit, ideò infirmabuntur, & peribunt à facie inimici, qui me perſequuntur: quare infirmabuntur, & peribunt? quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam, id eſt, iudicium illud, in quo iudicari viſus ſum, meum feciſti; & cauſam meam illam, in qua me iuſtum, & innocentem homines condemnauerunt, meam feciſti.* O nolite timêre iuſti pro Rege veſtro conturbari! eruet enim vos in mirabilibus; & quibus vos artibus conſumere inimici procurauerint, iiſdem vt ſubuehant & extollant Deus facturus eſt; Quid in Rerum vniuerſitate hac prouidentiâ ſublimius, qua Numen in bonum, & emolumenta iuſtis conuertit, quæ hoſtilia futura, ruinámque vltimam allatura oculi carnalium iudicaſſent? Quamobrem venuſtè imprimis Pſalmus intitulatur; *pro occultis filij:* Quid enim tam arcanum, quam ob mortem in Cruce exaltari nomen IESV ſuper omne nomen? dilatari, amplificari Eccleſiam Perſecutorum ſæuitiâ? *Atque hæc ſunt verè occulta filij Dei* (ait ad præfata verba Bellarminus) *vt habetur in titulo pſalmi: qui enim in oculis hominum reus videbatur, & cum ſumma ignominia pœnas luere; is illo ipſo tempore iuſtitiam indicabat, id eſt iuſtiſſimè indicabat, iam pretio perſoluto hominem liberandum, & Diabolum dominio ſpoliandum; & reipſa chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, vt ſcribit Apoſtolus Coloſſ. 2. tulit de medio, affigens illud Cruci, & ſpolians principatus, & poteſtates.*

Pſal. 9. 4.

*Deo gratias agit Dauid, quod acrem hoſtium ſuorũ accuſationem in ſuam gloriam conuertiſſet.*

Auguſtin.

Bellarmin.

68. Imperauit Nabuchodonoſor tribus adoleſcentibus Sidrach, Miſach, & Abdenago, vt ſtatuam quam fecerat auream, venerarentur; Regis contemnentes iuſſa obedire noluerunt, quam ob cauſam in fornacem ignis detruſi ſunt; ibi cùm à flãmis non læderentur admiratus Rex exclamat: *Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Miſach, & Abdenago, qui miſit Angelũ ſuum & eruit ſeruos ſuos, & verbum Regis immutauerunt, & tradiderunt corpora ſua ne ſeruirent, & ne adorarent omnem Deum excepto Deo ſuo:* Daniel. c. 3. v. 91. Quamobrẽ Tyrannus laudat, quod odio perſequebatur capitali? Num ob prodigij magnitudinem? an etiam pariter ob iuuenum conſtantiam audentium minas & furorem contemnere ſuperbiſſimi Monarchæ? Sanè & ob hanc quoque cauſam putat Chryſoſt. hom. 19. in c. 6. epiſt. ad Corinthios poſterioris: *Iniecit* (ait) *aliquando Nabuchodonoſor tres pueros in fornacem; inde, cùm eos igni non conſumi videret, inquit erumpens: Benedictus Dominus Deus eorum, Sidrach, Miſach & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eripuit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum, & verbum Regis immutauerunt: quid dicis? contemptus es, & admiraris qui te contemnunt? certè ait, contemptu mei admirationem capio: itaque non propter ſignum tunc Deus tantùm glorificatus eſt, ſed propter eorum, qui in fornacem iniecti ſunt, propoſitum*; difficilis apparet Chryſoſtomi oratio *certè ait contemptu mei admirationem capio:* At Reges præſertim faſtu tumidi ſi contemnantur, nonne vindictæ rabie quædam intolerabili penè inſaniunt? nonne tunc ſæuitiam immaniter exacuunt, atque omni carnificinæ ingenio torquent? Quomodo igitur eos, à quibus deſpectus fuerit, commendat? Equidem initio feritati indulgens flammis acceptam iniuriam vlciſci conatus; itaque ob Dei cauſam incendia ſubire pueri coacti ſunt; ſed quia ſanctis tentatio ad gloriam eſt, noluit ſuſtinêre Deus, quin regiorum iuſſorum deſpicientia, quæ adoleſcentibus exitium allatura videbatur, honorem potiùs conciliaſſet: conuertit itaque Barbari Monarchæ animum, fecítque, vt ob ſui contemptum, propter quem enecaturus illos putabatur, veneraretur, collaudarétque mentis fortitudinem: quare rectè Chryſoſtomus aſſerebat, coluiſſe eos Regem, quoniam ab illis contemptus fuerat.

Daniel. 3. 12. *Furorem Nabuchodonoſoris contemnentes tres pueri in fornacem ardentem miſſi, ab ipſo Nabuchodonoſore laudantur & honorantur.*

Chryſoſt.

*Dimidiatæ, & imperfectæ virtuti, tripudium & laudes ſubtrahit Deus.*

## SECTIO VIII.

69. FIcus (ait) *protulit groſſos ſuos:* cur Sponſa languens & fatigata paulò antea, non groſſos exoptabat, ſed malis ſtipari auebat? nempè pomum fructus maturus eſt; de groſſis monet Bernardus ſermone 59. in Cantica: *Non comedamus ex eis, nec enim eſui habiles ſunt ob immaturitatem ſui*; Sponſa igitur, quod creuerit, & perfectum eſt, amat, & ideò poma expetit, groſſis non delectatur: Quid verò groſſi, myſticè Bernardus declarat ſermone 60. *Verè ficus eſt populus fragilis carne, ſenſu paruulus, animo humilis, cuius primi fructus, vt interim nomini alludamus, groſſi vtique, & terreni*; non in his deliciatur Sponſa, ſicut nec Sponſus illius, ſed in conſummatę virtutis mentibus. Creauit firmamentum in die ſecundo Numen, vocauítque cælum, Geneſ. cap. 1. verſ. 8. Quàm nobilis mundi portio? cur non approbaſſe nunciatur inquiens; vidítque Deus quod eſſet bonum? nihil laudatorium, nihil feſtiuum in molitione firmamenti: quorſum ita? nempe deerat ornatus; adhuc ſine Phœbo & Lunâ, & aſtrorum ignibus, per quos micat & radiat; dimidiatę artis opus, quod ſecundâ die productum eſt, noluit laudare quoad cõſummans perficeret; ne ſi exordio ſolo ſatis placatus videretur Creator, otioſitas mortalium, quod imperfectum & infantile eſſet, diligeret, nec laboraret in perficiendo: Rupertus lib. 1. in Geneſim c. 30. *Quia licet firmamentum vna quidem, & pulchra ſpecies eſt, verumtamen iuxta intentionem operantis vnum quid totum non eſt; & ſicut bonam domum non dicimus, quæ bonum tectum habet, non tamen parietes, nec perfecta cæmenta: ita licet firmamentum, tectum quidem mundi perfectum & pulchrum eſt, nondum tamen mundus erat, nondum Terra & mare proprias habebant ſpecies; & ideò nimis feſtinum eſſet, ſi laudaretur, & diceretur: Vidit Deus, quod eſſet bonum, &c.*

*Malis, hoc eſt, fructibus maturis, non groſſis necdũ perfectis, ac immaturis, ſtipari optat Sponſa,*

Bernard.

Idem.

*Firmamentũ ſtatim vt creatum eſt, nõ laudatur, quòd ornatus illi deeſſet.*

Rupert.

70. Cùm baptizaretur IESVS, audita eſt vox Patris è cælo dicentis: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. c. 3. verſ. 17. Quamobrem non eadem intonuit ab alto vox, cùm inter animalia in præſepi naſceretur, cùm adoraretur à Magis, quando circumciſus eſt, cùm in templo diſputaret Puer etiamnum? Annon in his omnibus filius Dei naturalis infinitæ gratiæ, & ſanctitudinis? cur ergo ſuppreſſit in diem baptiſmatis? Sanè Chriſtus à primo animationis inſtanti perfectiſſimus; at ſecundum hominem exteriorem nos per illum erudiendi fuimus; apud homines autem tum quiſquam perfectus eſſe cenſetur, cùm aliorum Magiſter & Doctor eſſe incipit, nam ex plenitudine ſcientiæ in alios refundit: Seruator igitur cùm non diu poſt baptiſmum prædicando Iudæos inſtruere exordiretur, tunc ſecundum externam opinionem conſummatus & maturus iudicabatur: quia igitur in reliquo vitæ curriculo ex ſententia conſiderantium Hominis exterioris ætatem iuxta aliorum hominum conſuetudinem imperfectus cenſebatur; velut condeſcendens Pater mortalium de Chriſto ignorantiæ, qui parem aliis mortalibus exiſtimabànt, noluit teſtari ſub principio vitæ, quàm in eo beneplacebat, in natiuitate, aut circumciſione; ne ſi tum lætari ſe pro tam diuino gnato doceret; exhilarari de imperfecto audientes cogitaſſent; ſatíſque ad virtutem arbitrarentur quod inchoatum ſolùm eſſet, cùm & in hoc Numen quaſi gaudere viſus fuiſſet.

Matth. 3. 17. *Chriſtus cùm ſecundum humanam exiſtimationẽ maturus & conſummatus extitit, tunc voce Patris è cælo celebratus eſt, non priùs.*

71. Ex decem amiſit drachmis vnam fœmina, quæſiuit acri labore, inuenit, continuóque aduocatis ſociabus & vicinis: *Congratulamini mihi*, (inquit) *quia inueni drachmam, quam perdideram.* Luc. cap. 15. verſ. 9. putauit exiguam ſe ſolam ad tripudium, accerſiuit amicas, quò maior eſſet exultatio: cur nunquam ante hoc, cùm vel ſextam, vel octauam drachmam quocumque demum modo acquiſiuit, gauiſa eſt ſaltem publicâ manifeſtatione? Quid ſupra reliquas in decima excellit drachma? Perſpice attentè; decimus perfectionis numerus eſt, qui & decalogum implet; imò quidem, ſi non decimum adiungatur mandatum, reliquorum obſeruantia ad vitam ſempiternam non ſufficit; noluit itaque prudens mulier ob ſextam, vel octauam lætari drachmam, quia imperfectum eſt omne, ſi non decimum comprehendatur. Gregorius Nyſſenus de Virginitate, cap. 12. *In amiſſæ drachmæ indagatione hoc ipſum nobis Dominum præcipere cenſeo; quaſi cæteris virtutibus, quas drachmas ille vocauit, etiamſi omnes adſint, illa tamen vna remota ſit ab animo viduo, nulla exiſtat vtilitas.* Quamobrem ſapientiſſimus Abraham nec ipſe quoque ad feſtiuiſſimas epulas congregauit ob natum Iſaac, ſed cùm idem ab vbere dimotus eſt, quod tum perfectorum ſtatum repræſentaret, quibus tanquam robuſtis & ſtrenuis ſolidæ, fortéſque apponuntur eſcæ: *Creuit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*, Geneſ. cap. 21. verſ. 8. quem in locum Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 7. *Non enim, qui à nutricis lacte ſubductus eſt puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham, ſed quia idoneus habitus eſt Iſaac fortioris gratiæ cibo & virtutis alimento; non adhuc, vt Corinthij, lacte potandus, ſed epulis ſolidioribus mandatorum cæleſtium, mentis ſuæ lacertos firmans.*

Luc. 15. 9. *Decimâ Drachmâ inuentâ, lætitia eſt, & gaudium, quòd denarius numerus perfectus ſit, Decalogúmque impleat.*

Nyſſen.

Geneſ. 21. 8. *Cùm ablactatur Iſaac, ſit conuiuiũ, non cùm naſcitur.*

Ambroſ.

72. Delectabatur in Ioſepho ſuper cæteris gnatorum, cúmque plus diligebat Iacob, ſcilicet, *eò quòd in ſenectute genuiſſet eum, fecítque ei tunicam polymitam*, Geneſ. c. 37. verſ. 3. at ſi tardior natiuitas in vltima genitoris ætate amabilem reddebat, quamobrem non etiam de Benjamino, qui Ioſepho minor natu erat, legamus, à Parente ſingulariter fotum, cui & variegatum texeretur indumentum? quare ſenectutis vocabulo Adoleſcentis virtutem ſubintelligi docuit Chryſoſtomus, quem veterum alij ſequuti; homil. 61. in Geneſim inquit: *Vt ſciamus, quod non hoc ſolùm erat, quod Patrem illi conciliabat, & præferri eum alijs faciebat, docet nos ſcriptura, quòd poſt illum & alius natus ſit: ſuperna autem quædam gratia, quæ fuit in Ioſeph, amabilem eum reddebat, & propter animi virtutem cunctis præferri faciebat.* At quare per ſenectutem indicata animi præſtantia? Senectus enim debilis, caduca, atque emarcida eſt, vt ſi virtutem aſſeramus denotaſſe, languidam & infirmam, & vigore omni deſtitutam eam fateamur oporteat: Hanccine prudentiſſimus Iacob tantoperè dilexerit? Verum eſt rugoſam atque effœtam eſſe ætatem ſenectutis, nec robore pollentem aliquo, ſed hoc in corporis viribus: mens nunquam fortior, nunquàm vernantior: Quamobrem Hieronymus præclarè epiſt. 2. ad Nepotianum: *Omnes penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſolâ ſapientiâ decreſcunt cætera*; addítque rurſùm: *Senectus verò eorum, qui adoleſcentiam ſuam honeſtis artibus inſtruxerunt, & in lege Domini meditati ſunt die, ac nocte; ætate ſit doctior, vſu tritior, proceſſu temporis ſapientior:* Igitur ſenectus virtutem & ſapientiam perfectam, conſummatámque repræſentat: & quidem Chaldæus vertit: *eò quod filius ſapientiæ erat ei*; Sed non qualiſcumque Ioſephi ſapientia, verùm ſuis omnibus abſoluta numeris, qualis conſueuit eorum eſſe, qui canis tempora ſparſerunt: & quidni ſenectutis reputetur, quæ erat Ioſephi ſapientia, quando ſenum Magiſter nominatus ſit Pſalmo canente 104. verſ. 22. *Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret?* Non igitur de vllo alio gnatorum Iacob prædicetur, quod Pater illum ſpeciali amore dilexerit, &

Geneſ. 37. 3.

Chryſoſt.

*Ioſephum propter virtutem & ſapientiam perfectam cæteris fratribus præfert Iacob, vnde propter ſenectutẽ non annoſam, ſed maturam & ſapientem diligitur Ioſephus.*

Hieronym.

Chald.

Pſal. 104. 22.

& tunicam ei fecerit diuerſorum liciorum; Quia, quod erat in eis Sapientiæ, & virtutis, imperfecti, & dimidiati honoris erat; Iacobum autem complacêre & deliciari non niſi in eo, quod perfectum, conſummatúmque eſſe, decebat: imperfectis ſufficit generalis Parentum amor; ſingularia obſequia perfectorum præmia ſunt; eandémque ob cauſam multicolore induit tunicâ, vt talem eſſe animum ſignificaret, quale eſſe indumentum corporis; quam ſcilicet non vna, alteráve ſolùm exornaret virtus, ſed gratiarum tota complexio, vt perfectum indicarent, in quem tam diuerſa concurrerent, adeò ex amictu fratres ſi voluiſſent, diſcere poterant, cur genirori in delectationibus

Ambroſ.

eſſet: *Denique & Iacob illum plus amabat* (inquit Ambroſius libro de Ioſeph. cap.2.) *in quo maiora virtutum inſignia, vt non tam filium Pater prætuliſſe videatur, quàm Propheta myſterium; meritóque variam tunicam fecit ei; quò ſignificaret eum diuerſarum virtutum amictu fratribus præferendum:* Rupertus autem Abbas perpulchrè rationem perhibet, quare ſenectutis filius nominaretur Ioſeph lib. 8. in

Rupert.

Geneſim, cap.19. *Iſraël ſenex non erat, quando genuit Ioſeph, ſiquidem præter Benjamin cunctos infra quatuordecim annos genuerat: reſtat ergo ſenectutem illam hîc aſſignari, de qua Sapientiæ cap. 4. Senectus venerabilis eſt, non diuturna, nec annorum numero computata: cani enim ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata; in illa namque veraciter ſenectute Iſraël genuit Ioſeph, quia propter illam iuſtitiæ ſuæ ſenectutem, talem habêre meruit hæredem.* Propè eodem more Theodoretus.

Theodoret.

73. Miſit ex famulís legatos ad Hanon Amnonitarum Regem Dauid: ille inſigni contumeliâ affectos remiſit, dimidiam ſcilicet barbam raſos, Reg.2. cap.10. verſ.4. O terribilem iniuriæ formam! Qualis confuſio viro dimidiâ cum barbâ! puduit Dauidem, non affatu, non conſpectu dignatus eſt, quoad in plenitudinem excreuit: Equidem barba virorum gloria eſt, ſicut in fœmina capitis coma; indicátque myſticè animorum virtutem, nam hæc illorum gloria & decor eſt: Quis eſt igitur fortis prudénſque Dauid, qui cum dimidio faciei ornamento ſeruos adſpicere nolit; niſi Deus Creator, qui ad imperfectam & dimidiatam virtutem tanquam erubeſcit, & ſe negat animæ claudicanti in via mandatorum Domini? Fortaſſe ob hanc cauſam primus ſe abſcondit

2.Reg.10.
*Barba virorũ gloria; vt mulierum, coma.*

*Dimidiâ barbâ raſos. j. dimidiatam virtutem erubeſcit Dauid.*

Homo: *Timui* (inquit Geneſ. cap.3. verſ. 10.) *eò, quòd nudus eſſem, & abſcondi me:* Quid tum ſi nudus? an Dei oculos quidquam latet? nonne antequàm peccares nudus quoque? nec tamen fugere, non occultari tentabas? rectè Ambroſius lib. de Paradiſo cap.13. *Et antè quidem nudi erant, ſed non ſine virtutum integumentis; nudi erant propter morum ſimplicitatum, & quod amictum fraudis natura neſciret;* Verecundabatur itaque coram Dei apparere vultu Adam, eò quòd virtutum gloriâ deſpoliatus eſſet: At quomodo nudum ſe Protoplaſtus refert? nonne quidem & ipſe & thalami conſors, eò quòd cognouiſſent ſe nudos eſſe, *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi periZomata,* Geneſ. cap.3. verſ.3. Cur igitur abdidiſſe ſe memorat propterea quòd nudus eſſet? Sed erat malè & imperfectè veſtitus Adam, genitalia texuerat, alia corporis patebant membra, metuebat ſeminudus, ſemiueſtitus Dei ſe præſentiæ ſiſtere; ideò & ſemiraſos famulos Dauid contueri recuſauit; dixit venuſtè apud Tilmanni catenam Stephanus Anglicus in præfatum ex Regum ſecundo libro locum: *Malunt autem filij Hanon, id eſt, maligni Spiritus, vt media pars radatur, quàm tota:* Nam certè, quamobrem non totam omninò abradi barbam iuſſerit Tyrannus? Num quia Diabolo quaſi vtilius ſit, animam aliquibus florêre virtutibus, quàm nullis omninò? Sed quo pacto in dæmonum hoc cedere lucrum valeat? nempe ſi omnium penitus virtutum præſidio deſtitueretur anima, horrore quodam enormiſſimæ paupertatis, compungeretur, quadámque ſui miſeratione, veſtiri optaſſet; modò autem fallaci quadam dulcedine blanditur ſibi, cùm & Honeſti à ſe quaſdam amari partes contempletur, nec vſque adeò inopem ſemet arbitratur; hinc differt conuerſionem, & vitiis quæ nimium diligit, ad longum indulget, nec meminit ad condemnationem ſufficere vel in vno perſeueraſſe ſcelere: ô aſtutiam filiorum Hanon, qui non totam eradere barbam ſeruorum Dauid cupiant, ſed aliud remanêre, aliud cadere! Hócne illi feciſſent, niſi ob lucri ſpem? ô ſaltem vecordiſſimi filij Adam terreamini à voce illius, cuius vt tonitruum clamor eſt, qui minatur habentibus dimidiatam ſolùm in virtute gloriam: *Vtinam frigidus eſſes, aut calidus, ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo.* Apocal. c.3. verſ.15.

Geneſ 3. 10.

Ambroſ.
*Timet coram Deo apparere ſemiueſtibus Adam.*

Geneſ. 3.3.

Stephan. Anglic.

*Dimidiam virtutem, quàm nullam ferè mauult Dæmon.*

Apocal. 3. 15.

VESTI



# VESTIGATIO XXIV.

## Explanatio Humana, & Grammaticalis, in Verſum 14. 15. 16. & 17. Capitis ſecundi Cantici Canticorum Salomonis.

*Textus:* Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni; Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; nam vinea noſtra floruit.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia.

Donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ: reuertere, ſimilis eſto Dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruorum, ſuper montes Bether. *Cap 2. verſ.* 14. 15. 16. 17.

*Columbaria in Villis; Ieremiæ locus; vmbræ in ſpecubus, & ſub platano captatæ: Cantum, oris gratia, gutturis commendat dulcedo; Dauid & Ezechiel explicati: Muſica triſtitiæ & curarum ſuaue leuamen: Eccleſiaſtes & Samuel interpretati: Auium delectabiles ſoni: Vinearum ſtudioſi Reges, & Philoſophi; earum hoſtes vulpeculæ, animal hoc fætens & aſtutum: epulæ in hortis gratiores: æſtate venti in meridiem conſopiuntur; Eccleſiaſtici & Lucæ illuſtratio: particula* donec *vt accipiatur; Libani montis duplex nomen.*

### SECTIO VNICA.

1. *Senſus, & cõnexio cum præcedentibus.*

DIXERAT languenti Sponſæ non eſſe metuendos imbres, hyemíſve ſæuitiam; tum, vt in apricum educeret, verni commendauit temporis diuitias, ex glebæ coloribus in florum varietate, ex læta vinearum iuuentute, ex auium melodis cantibus; cunctantem adhuc & timidam, ſecundò adhortatur, Columbam, quod formidat volucre appellans, & ab hac mutuato ſymbolo, quæ ſcilicet in petris nidificat, cùm ſilueſtris eſt; in maceriæ anguſtis cubiculis, cum domeſtica & cicur eſſe incipit; antrum habere ſe, ſpecúmque & naturâ artifice politè elaboratum, & humano perfectum ingenio aſſerit, quo æſtus, pluuiámque vitet; hic ſenſus clauſulæ: *Surge Amica mea, ſpecioſa mea, & veni; Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ:* Et licet in vrbibus Columbaria, vt experientia docet, atque monet Ælian. lib.3. Hiſt. animal. c.15. Sed villa & ſolitudo aptiores: Martialis de Villa Fauſtini lib.3. epiſt.44.

*Columbaria quidem in vrbibus, aptiora tamen in villis & ſolitudine.*

Ælian.

Martial.

*Sonántque turres plauſibus columbarum,*
*Gemit hinc palumbus, inde cereus Turtur.*

Et lib.12. Epigr.27. de Hortis Marcellæ: de colũbarij maceria & Foraminibus, & modo vniuerſo Turris, Varro de re Ruſtica lib.3. c.5. Columella lib.8. c.8. alludit in agreſtes ſingulariter colũbas: Tertullianus contra Valentinianos c.2. *Noſtræ columbæ domus* (inquit) *ſimplex, etiam in editis ſemper, & apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus ſancti,* &c. de quibus Ieremias c.48. v.28. *Relinquite ciuitatem, & habitate in petra habitatores Moab: & eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis:* Quid? ergóne prouidus in rem familiarem etiam ſub ipſis nuptialibus gaudiis oppido vna cum noua thalami ſocia ruſticaturus Sponſus exceſſerit, & ad Villam columbarium inuiſurus profectus ſit? Equidem nec tanti Principis gloriâ eam indignã curam monſtrauimus Anteloq.5. ſect.6. veterum Ducum exemplis, de quibus apud Romanos inſignis fama: Pacatus in Theodóſ. Panegyrico: *Sic agreſtes Curij, ſic veteres Coruncani, ſic nomina reuerenda Fabritij cùm induciæ bella ſuſpendebant, inter aratra viuebant, & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Iouis Laureis, triumphales viri ruſticabantur.*

Varro.
Columella.
Tertullian.

Ierem. 48. 28.

*Curæ Rurales viris inſignibus non indignæ.*
Pacat.

Sed vt pergere Sponſum ad opera viſitanda ruralia aliàs benignè cõcedamus, modò ferri ad relaxandum animum, erigendúmque ægrotæ à deliquio Sponſæ putamus; iuerit quidem ad coniugis dotalem vineam, quæ in excelſo plantata loco ſecundum Palæſtinorum vſum ſicut obſeruauimus Veſtigat.7. num.1. antrum & ſpeluncam habebat,

2. *Vinea Sponſæ in edito loco, vbi antrum in lapide cauatum: illuc Sponſa inuitatur.*

ſeu relictum ab antiquis temporibus, cùm ex Bellorum terroribus olim in montibus latebras fodere Iſraëlitæ coacti, Iudic. c.6. v.2. Seu quemadmodum in agris, hortorúmque deliciis ſpecus ad vltimam corporum pompam, funeríſque monimentum exſcindebant viuo in lapide, Geneſ. c.23. v.17. Ioan. c.19. v.41. ita & domicilium fabricabant, vbi ſine caloris, ſine imbrium formidine, aut epulis aut ludo vacarent: Hic igitur amantium receſſus, antri nimirum in figuram, quemadmodum LXX. Seniorum verſio memorat: *In tegumento petræ iuxta promurale*, quibus adiungere verbis Origenis Commentationem ex homil. 4. operæpretium eſt: *Nunc* (inquit) *oſtendit ei locum, ad quem venire debeat, qui locus ſub velamento & tegmine ſaxi ſit poſitus: ſit autem idem locus non tam iuxta murum, quàm iuxta promurale quoddam: promurale autem dicitur, cùm extra muros, qui ambiunt ciuitatem, alius ducitur murus & eſt murus ante murum:* Iuxta hunc igitur ſenſum Sponſus Dilectam affari videtur: & de tali Spelunca Mart. libro 4. Epigram. 51.

[Margin: Indic. 6. — Geneſ. 23. Ioan. 19. — LXX. — Origen. *Promurale, quid?*]

*Læti collibus imminent receſſus,*
*Et planus modico tumore vertex*
*Cælo perfruitur ſereniore.*

[Margin: Martial.]

Vmbras captare, & recreari in epulis aliíſve iocis ſub frondentibus arborum ramis frequentior mos; platanus celebrata vatum maximè ingenio, de qua relatus nuper Poëta lib. 9. Epigram. 46. Maro, Georg. 4.

[Margin: *Platani vmbra gratiſſima.*]

*Iámque miniſtrantem platanum potantibus vmbrã.*

[Margin: Virgil.]

Quod eius gratiſſima ſit vmbra, vt probat noſter Biſciola Horarum ſubceſiuarum Tom. 1. libro 9. cap. 21. Ariſtonætus Epiſtol. 3. *Nam ibi platanus denſa ramis, opaca vmbra, aura modica, herba mollis, & tempeſtate æſtiuâ florêre docta; conſedimus humi, quà ditiſſimus campus*, &c. Hebræis gratior vitis, & ficus; nam de feſta Hortorum voluptate Reg. 3. cap. 4. verſ. 25. *Habitabátque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan vſque Berſabee:* Nunc itur ad ſaxeum cubiculum, cùm prandendum fuerit in latiora exibunt, nam paſcentur inter lilia; neque antri habitatio non ſatis apta veris deſcriptioni, quam & Nazianzenus inter vernæ iucunditatis notas reponit Oratione 43. *Nunc paſtor & bubulcus fiſtulas aptant, ac paſtorale carmen inſpirant, atque in arboribus, & petris veris amœnitate fruuntur.* Nicetæ in eam orationem quaſi metaphraſis: *Nunc Paſtor & Bubulcus inciſis calamis paſtorales fiſtulas conficiunt, ac componunt, in eáſque inſpirantes & inſufflantes paſtorale carmen modulantur, veríſque voluptate perfruuntur in petris, vel vmbroſis arboribus propter auram, & moderatum ſolis calorem ſedentes.*

[Margin: Biſciola. Ariſtonætus. — 3. Reg. 4. 25. *Gratiores Hebræis vitis & Ficus vmbra.* — Nazianzen. *Et in antra penetrat verna amœnitas.* — Nicetas.]

3.

Quoniam autem ſecundum Orientalium fœminarum conſuetudinem, de qua tractatum eſt Veſtigatione 3. num. 25. non niſi faciem velata Sponſa extra domum pedem ferebat, quando peregrini abſint teſtes, iubet vultum integrum demonſtrare, *Oſtende mihi faciem tuam*; ſimul etiam, quòd inuitaret ad canendum, confert enim ad Muſicæ gratiam oris intortus geſtus; rogat verò, ne inuerecundior appareat, ſi guttur non prouocata inflecteret; *Sonet vox tua in auribus meis*, rectè Ambroſius libro 1. offic. cap. 18. *Denique in ipſo canendi genere prima diſciplina verecundia eſt, imò etiam in omni vſu loquendi*; adiungit; *vox enim tua dulcis & facies tua decora*; nimirum, vt quàm eſſe Sponſo ſimillimam nouam commonſtret Sponſam, de illo namque Dauidis Muſa, cùm oris commendaſſet ſuauitatem, Pſalm. 44. verſ. 3. adiecit & formæ decorum: *Speciosus præ filÿs hominum, diffuſa eſt gratia in labÿs tuis:* vtroque autem ornamento excellentem mandat ſibi tantùm canere: *Sonet vox tua in auribus meis*; nam ſi genarum, oculorúmque præſtantiſſimum iubar valet ad hominum mouendos animos, vt inſanè nonnunquam diligant, quid felicior gutturis ſuperaddita harmonia, quæ ſe ſolâ vehementiſſimè attrahit, & pulchritudinis næuos excuſat? Chryſoſtomus hom. 69. in Matthæum: *A meretricum igitur cantibus ſtatim cupidinis flamma incendit auditores, & quaſi non ſufficiat ad inflammandam mentem aſpectus, ac facies mulieris, peſtem quoque vocis inuenerunt:* Quemadmodum verò Hebræis ſolenne fuerit, fœminarum vt delectarentur vocibus, ſeu in Victoria, ſeu in funere canendo monſtrauimus Anteloq. 5. num. 19. & 21. laudat ex dulcedine vocem, nam inter primas dotes hæc; vnde apud Ezechielem cap. 33. verſ. 32. *Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcíque ſono canitur*; & honeſtiſſimæ Sponſæ vocis talis dulcedo, qualem Ambroſius commeminit Octonar. 7. in Pſal. 118. in illud *Cantabiles mihi erant*, &c. *Dulcis igitur cantilena, quæ non corpus effœminat, ſed mentem, animúmque confirmat.*

[Margin: *Cur faciem oſtendere iubetur Sponſa?* — *Ad Muſicæ vocis ſuauitatem confert oris gratia.* — Ambroſ. — Pſalm 44 3. — Chryſoſt. — *Fœminarum cantus in Hebræorum delicÿs.* — Ezechiel. 33. 32. — Ambroſ.]

4.

Certè, cùm villam, hortóſque petierint ad grauem curis mentem refocillandam, quæ tam grata & conueniens medicina, quam vocis ſuauiſſimæ in cantilenis leuamen, circumauxiliantibus modò auium, modò currentium lympharum, nunc & motarum frondium argutis ſonis cum bubulca fiſtula: perbellè Sidonius Auernus ſuo de Rure lib. 2. epiſtola 2. *Hîc iam, quàm volupe auribus inſonare cicadas meridie concrepantes, ranas crepuſculo incumbente blacterantes, cygnos, atque anſeres concubiâ nocte clangentes, intempeſtâ gallos gallinaceos concinentes, oſcines coruos voce triplicatâ puniceam ſurgentis auroræ facem conſalutantes, diluculo autem Philomelam inter frutices ſibilantem, Prognem inter aſſeres minurientem; cui concentui licebit adiungas fiſtulæ ſeptiforis armentalem camœnam, quam ſæpè nocturnis Carminum certaminibus inſomnes noſtrorum montium Tityri exercent, inter greges tinnibulatos, per depaſta buxeta reboantes, quæ tamen varia vocum, cantuúmque modulamina profundiùs confouendo ſopori tuo lenocinabuntur.* Sed quomodo delinitur cantu triſtis animus, mœrórque depulſatur, percipiamus: Dio Chryſoſtomus oratione 32. *Alius rursùs modus eſt, tibiæ, & cantus in luctibus, quo videlicet opinor, affectionum aſperitas, duritiéſque paſſionum ſanctur, mœſtitiáque mollior efficiatur per cantum occultum cum luctibus: quemadmodum Medici inflammata vlcera madefacientes, emollientéſque dolorem ceſſare faciunt.* Athenæus lib. 14. cap. 5. *Quæ impotentiam animi temerariam non ſolùm cohibet, & mitigat, ſed etiam diſcuſſâ triſtitiâ lenitatem affert, liberalémque lætitiam.* Quintilianus lib. 1. Inſtitut. cap. 10. *Atque eam natura ipſa videtur ad tolerandos faciliùs labores, velut muneri nobis dediſſe:* Affinia his quædam Philo Hebræus libro de Victimis, Cicero lib. 2. de legibus, Strabo lib. 10. Quamobrem pulcherrimè Ambroſius volucrum concentus recordatione tanquàm adleuat explanationis Hexameri ſarcinam; inquit lib. 5. cap. 12. *Sed profectò qui inter mutos piſces vigilauerit, non dubito quòd inter canoras aues ſomnum ſentire non poſſit, quin tali ad vigilandum gratiâ prouocetur.* Eodémque

[Margin: *Muſica Ruralis curarũ dulce leuamen.* — Sidon. Auern. — Dio Chryſoſtom. *Mœrorem Muſica pellit, Incantátque.* — Athenæus. — Quintilian. — Philo Hebr. Cicero. — Ambroſ. *Quàm dulces volucrum cantus.*]



Eodémque libro cap. 24. & ipſis alitibus in onera ſolamen eſſe: *Quid autem de Luſcinia dicam, quæ peruigil cuſtos cùm oua quodam ſinu corporis, & gremio fouet, inſomnem longæ noctis laborem cantus ſuauitate ſolatur? Hanc imitata tenuis illa mulier, ſed pudica, incuſſum molæ lapidem brachio trahens, vt poſſit alimentum panis ſuis paruulis non deeſſe, nocturno cantu mœſtum paupertatis mulcet affectum*; intelligit de ancilla, aut inopi molam circumagente, de cuius langueſcente voce Eccleſiaſtes, cap. 12. v.4. *Et claudent oſtia in plantea, in humilitate vocis molentis.*

[Margin: Idem. — Ecclis. 12. 4.]

5.

Profuſus laudator Caſſiodorus lib. 2. epiſt. 40. *Triſtitiam noxiam iucundat, tumidos furores attenuat, cruentam ſæuitiam efficit blandam, excitat ignauiam, ſoporantémque languorem, vigilantibus reddit ſaluberrimam quietem, vitiatam turpi amore ad honeſtum ſtudium reuocat caſtitatem, ſanat mentis tædium bonis cogitationibus ſemper aduerſum; & quod beatum genus curationis eſt per dulciſſimas voluptates expellit animi paſſiones:* Et quidem melancholiæ ſpiritum illum malum, qui Saülem vexabat, Caietanus arbitratus eſt, cui vt mederentur famuli, conſulebant dicentes: *Iubeat Dominus, & ſerui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcientem pſallere citharâ; vt quando arripuerit te ſpiritus Domini malus, pſallat manu ſuâ, & leuius feras:* Reg. lib. 1. cap. 16. verſ. 16. Nihil igitur ad iucunditatem promptius dulci Sponſæ modulatione comparari potuit: fortaſsè etiam ad canendum mouet, eius vt allectæ exemplo, ſyluarum muſicæ volucres linguam ſoluant; nam quantùm eſt aues ad harmoniam natas prouocari, cùm ſi fidem Solino adhiberemus, aquæ inanimes exſiliant? *In Halæſina regione* (inquit) *fons, aliàs quietus, & tranquillus cùm ſiletur; ſi inſonent tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & quaſi miretur dulcedinem vocis, vltra margines intumeſcit*; vt rectè tum illud adaptaretur, quod ab Æliano ſcriptum eſt lib. 3. var. Hiſt. cap. 1. *Concinunt etiam aues hinc indè diſperſæ, & imprimis muſicæ, quæ ſitientes aures mirificè recreant, atque indefeſſos cum voluptate deducunt viatores, modulationibus ſuis prætereuntium labores ſubleuantes.* Iam ipſis auium melodis accentibus quidnam ſuauius? adeò ob hoc oblectamentum nonnunquam viri præſtantes oppidis derelictis rura inhabitarunt: Gregorius Nyſſenus Oratione 3. de Reſurrect. *Tum auium cantatricum frondibus inſidentium quaſi officinæ exiſtunt, & admirabilis quædam circa eas amœnitas ac gratia relucet, adeò vt multi ædes auro, & lapide tum Theſſalico, tum Laconico exornatas deſeruerint, & iucundiorem ſibi ſub arboribus habitationem eſſe duxerint; idcircò quoque Patriarcha Abraham ſub quercu tabernaculum fixerit, non prorſum inopiâ domicilÿ, ſed quia tenebatur eâ, quæ ex ramis edebatur, voluptate.* Vide, quæ præter diſputata nunc, de cantus præſtantia ad triſtitiam compeſcendam, mulcendámque laſſitudinem, ſuperiori Nos volumine Anteloquio 9. n. 11. & 12.

[Margin: Caſſiodor. *Excitat, ignauos, furioſos Muſica mulcet: Deÿcit affectus prauos & tetrica ſanat Tædia, Virgineos nonnunquã inſpirat amores.* — Caietan. — 1. Reg. 16. 16. — Solin. *Fons & Halæſinus, ſi cãtes, exilit; & mox Si ſileas, tranquillus erit.* — Ælian. — Nyſſen.]

6.

Poſt muſicam vinea ſpectatur, & noxia caſtigantur animacula: Numquid hoc regio ſplendore indecens? Iulianus Imperator de ſemet ep. 46. in prædij deſcriptione: ἔςι δ' ἐνταῦθα ϗ γεωργίας ἐμῆς μικρὸν ὑπόμνημα, φυταλία βραχεῖα, φέρουσα οἶνον ἡδὺν ϗ ἡδὺν οὐκ ἀναμένοντα τὴν ἐκ τοῦ χρόνου προσλαβεῖν τοῦ Διονύσου ὄψει, ϗ τὰς χάριτας: *Eſt etiam illic agriculturæ meæ monumentum exiguum parua quædam vinea, quæ vinum fert ſuaue, & odoriferum, neque temporis diuturnitate vitÿ quidquam aſſumit; denique Bacchum, & Gratias videbis:* Sed neque ipsâ Philoſophorum grauitate; Themiſtius Orat. 2. de Patre ſuo eo ſtudiorum genere excellente: *Ac ſæpè vbi ſenem adiſſes, aut ſerentem arbores deprehendiſſes, aut repurgantem, aut aliò transferentem, aut aquam rigandis plantulis in liras, & ſulcos deriuantem: quin etiam aliquid ex maturis fructibus protuliſſet, aut circum vitium ordines deducens, cùm pulchritudine, tum magnitudine viſendam vuarum copiam oſtendiſſet: necnon perinde vt Genealogi ſolent, vuarum colonias, tanquam ad matrices ciuitates, reducebat:* Denique ille, qui Regum terrarum ſimul & potentiſſimus & ſapientiſſimus non aſpernatur de ſe prodere: *plantaui vineas, feci hortos & pomaria*, Eccleſ. cap. 2. verſ. 5. ſed & Sponſa, cuius eſſe verba iſtamet quorumdam interpretum opinione exiſtimatio eſt, habet quam imitetur nobiliſſimam inter matronas, Nam & hæc *conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam:* Prouerbiorum cap. 31. verſ. 16. ſiue igitur Dilectum colonis loquutum eſſe velimus, ſeu Sponſam eius, nam orationis perſtat ſenſus quacumque aſſeueratâ re; vulpes iubent capi paruulas, eò quod vineam perdant florentem.

[Margin: Iulian. — *Vineæ cultura Regio ſplẽdori non indecens nec Philoſophicæ grauitati.* — Themiſt. — Ecclis. 2. 5. — Prouerb. 21. 16.]

7.

Indicaui vinearum hoſtes Veſtigat. 7. n. 2. & in his ſpeciatim vulpecularum genus, quibus Palæſtinam abundaſſe, quæ de Samſone Narratio eſt Iudicum cap. 15. oſtendit; efferueſcit multitudo propè ſegetum matureſcentium tempus, frumentariæ præſertim, nam tum captæ à Samſone trecentæ; incidere autem in veris iam adultioris ætatem triticeam meſſem probaui Anteloq. 5. num. 53. modò autem Epithalamij ſermo ferè hanc eandem periodum vernæ reſpicit amœnitatis, iuxtà enim eſt, vt ſpica grandeſcat & maturet, cùm vinea floret; ſed & tum vulpes partus educunt; ne in immenſum itaque numerus excreſcat & vindemia triſtis appareat comedentibus botros vulpium malignis cateruis, paruulos opprimi fœtus mandat; aut ne etiam floritioni tranſcurſibus animalcula noceant: Oppianus Cyneg. lib. 3. de vulpibus memorat cauernas ſuas ſeptem oſtiis aperire, vt fuga venatore perſequente in expedito ſit; id & alia præſtare animantia Lactantius indicat Tractatu de ira Dei cap. 7. aiens: *Sunt animalia, quæ latibulis ſuis diuerſos, & plures exitus pandunt, vt ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis*; fodi autem glebam tot modis, & à tantis, maxima vitibus afferat detrimenta neceſſum ſit; expelli itaque prouidè imperat; ſanè & altero ingredi foramine, altero exire Auguſtinus tradit in Pſalmum Octogeſimum, vbi & fœtens eſſe animal, & penè contagioſi halitus meminit, quale nuncupat Martialis libro decimo, Epigram. 35.

[Margin: *Palæſtina vulpibus abundat, præſertim circa tempus meſſis triticeæ.* — Iudic. 15. — Oppian. *Septem oſtia vulpium cauernis ad fugam.* — Lactan. — *Vulpes fœtida.*]

*Hinc olidam clamoſus ages in retia vulpem*
*Mordebitque tuos ſordida præda canes.*

[Margin: Martial.]

Admonet Delrius hîc, vbi minxerit, ſolum infœcundum reddere; quod Callimachi Scholiaſtes teſtatur: τὸ ζῶον τοῦτο λέγεται ὅτι ἔνθα ἂν οὐρήσῃ ἄγονος ὁ τόπος τῷ ἔτει ἐκείνῳ γίγνεται, &c. nempè, *iſtiuſmodi animal, vbi vrinam facit, locum eo anno ſterilem reddere*; Ne igitur aut minctu Terra lædatur; aut florentium vinearum ſuauis odor, cuius paulò antea mentio facta; ſed quàm ſuauis, cùm & roſam olêre Botros Iulianus dicat epiſt. 46. *Iam* (inquit) *vua & cùm in vite adhuc pendet, & cùm in torculario premitur, odorem edit roſarum:* halitu multarum vulpium inficiatur, exterminari ocyus præcipit: ſunt, qui arbitrentur, cùm à minutis vulpium catulis vinea damnum accipere non poſſit, ſermonem eſſe de adultis, ſed quod animal corporis exiguum mole quantumcumque creſcat, idcircò paruulum nuncupari; Equidem

[Margin: Delrius. Callimach. Scholiaſt. — *Vrina vulpis ſolum reddit infœcundum.* — Iulian.]

& prouerbiali ioco nonnunquam luſum, vulpes dicendo ſtaturâ puſillos; Athenæus lib.14.cap.22. *Nam Gemellam fœminam quandam per riſum is ἀποτράγημα vulpis nominat, aut quia foret puſillo corpore, aut quia verſuta & malitioſa, vt expoſuit Dorotheus Aſcalonites*: Et quoniam ſtatuimus in Iudæa vulpium plurimas fuiſſe legiones, forſan idcircò de hoc ſpeciatim animante Chriſtus Matth. c. 8. verſ. 20. *Vulpes foueas habent: filius autem Hominis non habet vbi caput reclinet*: Velut pronunciet cùm vulpium numerus tam latus ſit, multitudini cubilia non deſunt; mihi Domino, Creatori, ſummi gnato patris habitaculum non eſt.

*Athenæus. Matth.8.20.*

8\. Cùm audiunt *paſci inter lilia* Sponſum nonnulli, Bucolicam eſſe Muſam perſuadent ſibi facilè; probat Tuccius non poſſe de ouibus intelligi carmen, cùm liliis veſci pangat, quæ lanificum oderit pecus; ſed aliud eſt lilia mandere, eſto ouillum genus recuſet, aliud inter lilia; nam cùm in Palæſtina ob glebæ delicias; vt aduertimus Veſtigatione 15. num.17. cultis noſtris viridariis pares agri incuſtoditi & vulgares, ferebant mixtim cum herba communi liliorum ſpecies, veſcebantur herbâ oues liliis omiſſis: Sed quænam de ouibus interpretari cogant? Annon ſatis eſt in Horto prandiſſe Sponſam cum Dilecta inter florida? Quippe gratiora conuiuia in pratis, quàm ſub tecto licet fulgenti, ſub lacunaribus quanquam aureis; nullum comparabile aulæum tapetibus naturæ variegatis, dulcior auicularum ſonus quàm citharæ muſica; Quare etiam de Elyſiis ciuibus Lucianus in vera Hiſtoria libro 2. cùm mirandæ pulchritudinis habitare vrbem dixerit, cùm ad epulas peruenit, in agrum eduxit potioris voluptatis encomio: *Conuiuium verò* (ait) *celebrant extra Ciuitatem in campo, qui Elyſius vocatur: etenim pratum eſt pulcherrimum, & circa illud nemus omni arborum ſpecie conſitum, vmbram diſcumbentibus faciens; ſtratum autem ſubſternunt è floribus*, &c. Ergo Sponſa in antecedentibus poſt ſollenne prandium connubiale, quo fœdus nuptiale confirmatum eſt, impar gaudiorum magnitudini Spiritum amiſit; reclinauit in thalamo feſſam Sponſus, & venatum proceſſit; ita diei pomeridianis horis conſumptis Nox longiori quieti reſtituit: Sequentis diei exorto Lucifero non ſatis adhuc à deliquio validam, Dilectus Sponſam in ſuburbana Temporis laudatâ iucunditate ad vineas ſpectandas inuitat; conſedêre in Rupis antro, cantauit noua dulciter Sponſa, iubet capiendas eſſe vulpeculas, affertur prandium manducatum inter lilia; rogat prandentem ne in Veſperam vſque deſerat, quando omni voluptate eius charior præſentia; hæc ſignificatio verborum; *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia*; id eſt, Sponſus meus ſuauiſſimus; qui ob mei ſtudium domo auguſtâ relictâ, foris prandêre voluit inter liliarum quaſi cæleſtes halitus, is mecum remanêre ſuſtineat, atque vt prope illum ipſa morer, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ, hoc eſt, vſque in ſuperuenientem noctem, quoad lux penè refugiat, rerúmque caligine diuerſitatem confundat.

*Tuccius. Delicioſa in pratis & hortis epulæ. Lucian.*

9\. Hæc mihi Literæ ſanior, hæc ſimplicior viſa Explanatio; Scio quidem Latinæ phraſis ſonum permittere, vt aut manè, aut veſpera ſignificetur; Nam vere increſcente, Phœbôque maiores ignes reſumente; ad meridiem clementia eſt ventorum maxima, flatúſque blandi aut naſcente, aut occumbente ſole: Plinius lib.2.cap.24. *Sol, & auget & comprimit flatus: auget exoriens, occidénſque, comprimit meridianus æſtiuis temporibus*; docuit Stagirita in Problem. ſectione 25. quæſtione 2. idem ſenſiſſe Galenum multis locis oſtendit Stephanus Rodericus lib. 4. de Meteoris Microcoſmi c. 10. vnde apud Siracidem cap.34. verſ.19. *tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani*; Quoniam ſcilicet tum vehementiſſimè æſtus affligit aurâ penitus conſopitâ; ſub veſperam præcipuè Fauonium ſpirare inquiunt Conimbricenſes tract.6. de Meteoris cap.5. Iam cùm & in matutinis, & veſpertinis temporibus vmbræ, quæ aut in nocte, aut in meridie immotæ eſſe, & ſtare quodammodò videbantur, inclinentur, mutentúrque, de quoquo duorum temporum hæc pariter clauſula exponi valeat. Itaque vocum licet ambiguus ſonus, at Dramatis nexus veſperæ vt adſcribamus hortatur; Nam oportet ſentiamus ſub auroram laribus progreſſos, haud optare rurſum manè exoriri: tum & prandentes expetere ſolùm, vt colloquia veſper dirimat, qui domum redire compulſurus ſit: tum quidem vmbræ inclinantur, nam quod cadit inclinatur, cadere verò Poëta Latinus ad veſperam vmbras, Eclogâ 1. cecinit:

*In vere, ad meridiem clementia ventorũ maxima. Plin. Sol Oriens vel Occidens ventos auget. Ariſtot. Galen. Steph. Roderic. Eccli.34.19. Fauonius flat præcipuè ſub veſperam. Quandonam inclinantur vmbræ?*

*Maioréſque cadunt altis de montibus vmbræ;* — Virgil.

Tum & Phœbus ipſe cum iugalibus ſuis inclinatur: Naſo Metamor.

*Pronus erat Titan, inclinatôque petebat*
*Heſperium temone fretum.* — Ouid.

Apud Lucam venuſtè cap. 24. verſ. 29. *Mane nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies*: Septuaginta ſeniorum verſio: *donec reſpiret dies, & amoueantur vmbræ*: quoniam à flagrantiore ſole ob diffuſionem lucis ſic diminutæ vmbræ, vt ad meridiem ſingulariter ſtare putarentur, donec paulatim Phœbo in occaſum reuertente, creſcere, ac proinde agitari & moueri iudicantur: auræ quoque aſpirant in noctem, vt Maro canit Æneid.7. ad veſperam nimirum; Salomon verò donec aſpiret dies videlicet moriens: & quidem iuxta hanc conſtructionem noſtram, particula *donec* limitatæ ſignificationis; perſeueraturos enim confabulando ad crepuſculum veſpertinum, nec vlteriùs denotat; ſecùs intelligendum aliâ relatis verbis conceſsâ interpretatione; vt ſi dicere Sponſam concipiamus, alium nunquam ſe amaturam, ſed nec ab huius dilectione vllo ceſſaturam tempore: *Dilectus meus mihi, & ego illi, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ*, hoc eſt, dum & manè & veſper numeretur, quoad ſecula erunt: Seneca in OEdipo:

*Luc.24.29. LXX. Virgil. Particula* donec *quam hîc habeat ſignificationem.*

*Dum matutinos prædicet lucifer ortus*
*Candida formoſi venerabimur ora Lyæi.* — Seneca.

Nam hoc ſenſu vox *Donec* ſignificat indefinitè quo more frequenter in Scripturis; exemplum vulgare ex Pſalm.109.verſ.1. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*; etiam & poſtquàm ita contingat, ſedebit à dextris Dei; trita regula & obſeruata à plurimis: Bernardus hîc ſerm. 72. Auguſtinus lib.20. de Ciuit. cap.7. Hieronymus contra Heluidium, Ambroſius de Arca & Noë, cap. 17. Videndus Ribera in Oſeæ cap. 1. numero 35.

*Donec quomodo ſumitur in S. Scriptura? Pſal.109.1. Bernard. Auguſtin. Hieronym. Ambroſ. Ribera.*

10\. Viſa Sponſa, cùm ait: *Dilectus meus mihi, & ego illi*, optaſſe, vt ſolus cum ſola ipſa Sponſus vacaret; ratus Maritus non decêre, vt ab Hoſpitibus, qui ex nobilitate ad genialis lætitiæ pompam confluxerant, diu abſtraheretur, qui fortaſſe ob alias cauſas, quam ob Sponſæ delicias, comitatu auulſum, & ſociali ſe negare amicitiæ iudicarent; veniam petiit, vt ſeu redire liceret

*Senſus Literalis ſeu Grammaticalis.*



ad illos, ſeu vnà pergere cum eis in montium editiora iuga abituris cuiuſcumque demum Recreationis gratiâ; auſcultat votis, & vt peregrinetur dimittat; ſed quia eius ſpoliari præſentiâ moleſtiſſimum ſub Connubiorum initiis præſertim, rogat obnixè, quàm citò reſtituatur: *Reuertere, ſimilis eſto Dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether*: ſit reuerſio feſtina, propera, celeris, ſupera agilitate velocipedes capreas, hinnulóſque: de his animantibus ſuprà tractatum; nunc vnica difficultas: montes *Bether*; Latinorum Patrum maxima cohors *Bethel* legunt, vt & Biblia Complutenſia & Regia: Adrichomius in Benjamin, num.43. eoſdem eſſe montes perhibet, fœcundos, nemoroſos, & arboribus conſitos, gramine & herbis aromaticis plenos, & ideò Ceruos, capras & hinnulos illorum cacumina frequentare; Verùm in Hebræo diuerſa eſt vtriuſque ſignificatio nam *Bethel* domus Dei interpretatur, vt monet Hieronymus in cap.4. Oſeæ, & in cap.1.Mich. & Patrum communis eſt eadem Etymologia; *Bather*, ſeu *Bether* Concauitatem denotat, quare L X X. transferunt: *Reuertere, ſimilis efficere fraterne mi capræ vel Hinnulo ceruorum ſuper montes cauitatum*: & quoniam in montibus cauitates illæmet ob diuiſionem & ſciſſuram partium, alij vertunt ſuper montes diuiſionum, בָּתֶר *Bather* enim propriè exponi diuiſionem, partionem, & ſciſſuram probant hîc Sotomaior, Giſlerius, & Vincentius Richardus Notis ad Cantacuzenum.

*An hîc Bether & Bethel idem? Adrichom. Bether 4. cõcauitas, diuiſio, ſciſſura. LXX. Sotomaior. Giſlerius. Vin. Richard.*

11\. Quamobrem cùm non omnino longè progreſſum cum ſodalibus Sponſum vt potè reuerſuros ad noctem, oporteat cogitare; omníſque huius Actio Dramatis vel propè Libanum ad radices illius, aut in monte ipſomet peragatur; ſuſpicio eſt per montes diuiſionis non alios ſignificari, quàm Libani iuga; ſiue quia Libani inter ſe diuidũtur colles aliqui voraginibus intermediis, quibus ſcinduntur ne planitie continuentur, vt à Brocardo animaduerſum eſt 2. parte deſcriptionis Terræ Sanctæ de Hermon, Seir, Galaad, quibus etſi diſtincta nomina, vnius eiuſdémque Libani membra ſunt; rectè itaque tot complectens iuga, quæ noui montes appareant, diuiſionum collis vocetur, aut potiorem alteram ob cauſam, quod Libanus Mons ſit, quo Palæſtina diuiditur ab aliarum nationum regnis nam diſterminare Iudæam à circumuicinarum Prouinciarum limitibus docui Anteloquio 5. ſuperioris voluminis num.79. Quod de eius parte vna Hermone Euſebius memorat citatus ab Agellio, v.3. Pſalm.132. ἀερμὼν ὄρος, καὶ τοῦτο τῇ γῇ διαφέρων τοῦ Ἰσραὴλ: nempè, *Hermonem montem eſſe, qui Iſraël ſeparat*, & diſterminat: itaque *Bather*, ſeu *Bether* altera Libani appellatio intelligitur, vt duplici intituletur modo: *Libanus* ſcilicet vel à candore, vel à thure: *Bether*, ob collium diuiſiones, ſeu quia Iudæam diſtingueret ab externis incolis; neque obſtat vocem *Bether* non alibi inueniri de monte hoc; nam ſunt & in ſcripturis ſeu perſonæ ſeu loca binomia, ex duobus tamen vocabulis, alterum creberrimè repetitur, alterius vix iteratio; exempli cauſâ, *Eſther* dicebatur alia appellatione *Ediſſa* cap. 2. verſ. 7. at hæc deinceps tacetur dictio: Quemadmodum igitur in prærupto Libani faſtigio ſaliunt mirabili velocitate capræ, & Ceruorum hinnuli; ita Sponſam Dilectus morâ & procraſtinatione ſublatâ inuiſat.

*Montes Bether, an Libani iuga? Brochard. Hermon, Seir, Galaad, Libani montis Iuga ſunt. Libanus Mons Diuiſionis, & quare? Euſeb. Agell. Eſther alio vocabulo Ediſſa dicta.*

Explanatio

# Explanatio in eoſdem Verſus Myſtica.

## *Senſus Principis, qui de Chriſto & Eccleſia.*

*Textus*: Surge,amica mea, ſpecioſa mea, & veni; columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora:

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas,nam vinea noſtra floruit:

Dilectus meus mihi,& ego illi,qui paſcitur inter lilia.

Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether. *Cap.2.verſ.14.15.16.17.*

*Alexandrinam Eccleſiam Beatus Marcus quàm egregiè fundauit,ſimul & inſtituit! Eccleſiaſticam Hymnodiam ritè diſponit: Num eâ in principio omnis omninò clerus exercebatur? Eſſeni, de quibus Philo Iudæus memorat, an Chriſtiani cenſendi? Num de ijſdem Ioſephus Flauius ſcribat? an hîc fidus ſatis Hiſtoricus? Pliniani Eſſeni Rechabitæ: preces Chriſtianorum verſus Orientem: Pauli verba.*

### Sectio I.

12. *Num de Templis ſeu de Eccleſiaſtica Hymnodia intelligendus hic locus?* Tertull.

DE Chriſtianorum loquutus templis, quaſi ad hanc Salomonis colludat orationem Tertullianus contra Valentinianos cap.2. *Noſtra* (ait) *columbæ domus ſimplex, etiam in editis ſemper,& apertis, & ad lucem, amat figuram Spiritus ſancti,*&c. Intelligit de Eccleſiis Orthodoxorum ſecundùm Pamelij, & Rhenani interpretationem: maceriâ quoque eaſdem ſignificari docet hîc Anſelmus: Vocatur autem has ad Eccleſias Sponſa, vt quantus ſit vultus decor, quanta vocis ſuauitas, innoteſcat: Fortaſſe commendatur verbis iſtis Eccleſiaſtica Hymnodia; Scripſimus ſuperiori Veſtigatione Beatiſſimum Apoſtolorum Principem Romam delatum, ibi Cathedram fixiſſe; inde Sanctum Marcum Euangeliſtam in Ægyptum miſit tertio Claudij anno, Alexandrinam vt fundaret Eccleſiam, quemadmodum Euſebij Chronicon ſequutus Baronius teſtatur tom.1. anno Chriſti 45. num. 15. atque eius Eccleſiæ primum extitiſſe Pontificem Menologia teſtantur,& qui Euangeliſtarum geſta conſcripſerunt, Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum,Gelaſius in Concilio Romano, in Decreto de lib.Auth.& Apocryph. Hic igitur mirabilis planè laudis Eccleſiam credentium poſuit, ſimillimam videlicet primitiuæ illi Eccleſiæ,quæ ab Apoſtolis ſtatim poſt Paracliti delapſum fundata eſt; audiamus ex Hieronymo nuperrimè citato loco: *Denique Philo diſertiſſimus Iudæorum videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaïzantem,quaſi in laudem gentis ſuæ librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſit: & quomodo Lucas narrat Ieroſolymæ credentes omnia habuiſſe communia: Sic illè,quod Alexandriæ ſub Marco fieri Doctore cernebat, memoriæ tradidit*: Quæ & in Philone repetit: ſed iuuat ipſum Philonem loquentem produxiſſe, qui eo, quem intitulauit de vita contemplatiua libro, ait: *Huic vitæ inſtituto qui ſe addicunt, non ex more,aut rogati id faciunt,ſed amore correpti rerum cæleſtium, & quaſi furore diuino perciti donec ad contemplationem illam deſideratiſſimam perueniant: Deinde præ immortalis,beatæque vitæ cupidine,quaſi iam hac mortali defuncti, facultates ſuas relinquunt liberis, aut cognatis, vltrò eis poſſeſſiones cedendo; atque etiam ſocijs & amicis,ſi cognati deſint*; Quæ & alia eximia de opum contemptu Euſebius ex Philone cùm tranſcriberet lib. 2. Hiſtor. Eccleſ.c.17. addidit, meritò hanc parem viuendi rationem computandam ei,quæ Actor. c. 2. & 4. delineatur: Quidnam igitur hac Eccleſiæ facie pulchrius? rectè itaque Sponſus: *Et facies tua decora*: experiamur pariter de mellita vocis harmonia.

Pamelius. Rhenan. Anſelm.

*S. Marcus Alexandrinæ Eccleſiæ primus Pontifex?* Baronius.

Hieronym. Gelaſius.

Hieronym.

Philo Hebr.

Euſeb.

13. *Cantus Eccleſiaſticus à S.Marco in Eccleſia Alexandrina inſtitutus.* Philo Hebr.

Eius quoque & rei aſſertorem Philonem proferamus, oportet, qui memorato de Contemplatiuis opere, Eſſenorum vocabulo Monachos Alexandrinos Marci Euangeliſtæ diſciplinâ formatos intelligens, quo pacto canerent alternis verſibus Deo ſummo Creatori laudes enarrat inquiens: *Vbi omnes conſurrexêre, duo chori fiunt in medio cœnaculo, alter virorum,alter fœminarum: cuique ſuus incentor præficitur honore præſtans,& canendi peritiâ: Deinde cantant hymnos in laudem compoſitos varijs metrorum, carminúmque generibus,nunc vno ore, nunc alternis,non ſine decoris, & Religioſis geſtibus,& accentibus,modò ſtantes, modò prorſum, retrorſúmque gradum mouentes, vtcumque res poſtulat: Deinde poſtquàm vterque chorus ſeorſim expleuit, his ſe delicijs,velut amore diuino ebrij vnum chorum faciunt promiſcuum ad imitationem illius olim inſtituti, quando mare Deo iubente, alteris ſalutem, alteris perniciem attulit, præcinente viris Moyſe, Mariâ verò Prophetide fœminis*; Atque aliæ deinceps Eccleſiæ Alexandrinam in Oriente, deinceps & in Occidente imitatæ, eundem in cantando amœbæum obſeruarunt modum alternatorũ verſuum: ſcio & Ignatium Antiochenum tertium à Beato Petro Præſulem Angelorum ob viſionem alternas canentium laudes Sacro-ſanctæ Triadi, vt memorant Socrates lib.6. Hiſt.Eccleſ. cap.8. Nicephorus Calixtus lib.13.capite item octauo; induxiſſe, vt eo ſuam apud Eccleſiam cantaretur pacto, optimúmque exemplar ad alias tranſiſſe Eccleſias: Nec dubito etiam Antiochenæ Eccleſiæ ſub Sancto Ignatio pulcherrimam faciem quæ primos Magiſtros nacta eſt Barnabam, Paulum, & Petrum Epiſcopum ſuum; itaque & in ipſam mirificè quadret, vocem ſortitam dulcem cum ore formoſo; ſed ideò Marcum ſingulariter propoſuimus, quia Ignatio vetuſtiorem Hymnodiæ inuentorem: quippè Ignatius ſolus ſedit in Antiochena ſede, quo tempore oblata eſt viſio, ſub Neronis imperio, vt noſter Halloix tradit in eius vita, cap. 5. diximus verò numero præcedenti Claudij tertio anno profectum in Alexandriam Marcum,vbi continuò Eccleſiam formare cœpit: At certè Baronius non niſi anno Chriſti 71. conſtitutum Ignatium Antiochenſium Hierarcham docet; cùm tamen idem adſtruat Marcum obiiſſe Euangeliſtam Martyrio coronatum anno 64. deſiit igitur apud viuos eſſe aliquot annis priuſquã Angelorum cantibus edoctus Ignatius, Hymnodiæ Eccleſiæ ſuæ formam præſcripſiſſet.



*Ignatius tertius à B. Petro Anthiochenus præſul,etiã Cantũ Eccleſiaſticũ ordinauit.* Socrat. Nicephor.

Halloix.

Baron.

14. *Pſalmodia à Chriſto inſtituta.*

Nolumus tamen quiſquam concipiat, Marcum primum omninò Auctorem Pſalmodiæ in noua lege; à Petro ea de re inſtructus eſt, cùm ex Roma in Ægyptum abiret; à Chriſto Seruatore Petrus, aliíque hauſerunt Apoſtoli, vti ab Auguſtino animaduerſum eſt, epiſt.119. cap.18. Vvalfrido, libro de Rebus Eccleſiaſticis, cap. 25. ſed quoniam continuò Iudæam Chriſtus prædicans circuibat cum Apoſtolis, rariùs licebat cantibus vacare: tum deinde poſt eius Aſcenſionem, cum ordinari noua conuerſorum ad Euangelij veritatem Eccleſia cœpit, obſequutam breui interuallo fidelium diſperſionem ob perſequutionem quando Stephanus Protomartyr lapidatus eſt, fortaſſe non licuit Pſallendi regulam tradere,aut non viſum eſt, quoad longioris tranquillitatis ſpes affulgeret: Pſallebant proinde ex deuotione, & ſpiritus feruore,magis quàm ex canonum præceptis: Marcus autem quietis potitus temporibus, ex Chriſti & Apoſtolorum traditione modum conſtituit,quemadmodum pſalmi, hymníque Deo canerentur, horis certis indicatis, numeróque Pſalmorum, & geſtus, vocíſque ratione: Animaduertendum autem eſt in his, quæ à Philone recenſentur de cantu Eccleſiaſtico, omnia concedi Eſſenis, quos Therapeutas nominat,quo certè vocabulo Monachorum antiquiſſimi ſignificantur vitæ ſanè contemplatiuæ dediti: ex quibus ſuſpicio aliqua naſcatur de aliis Religioſis mixti inſtituti,qualis fuit Clerus primitiuæ Eccleſiæ, vt inſinuauimus Veſtigat. 21. n.25. de quibus tum & Parochiarum extitiſſe Rectores rogatus eâ ſuper quæſtione, affirmat Iuo Carnotenſis epiſt.313. ad Ioannem Aurelian. Epiſcop. num fortè chori aſſiſtentia exſoluebatur, dum operarij adhuc pauci & meſſis vrgebat plurima, eâ cœtus conſideratâ parte, quæ ob doctrinæ & prædicationis gratiam Gentilitatis conuerſioni vtiliſſima eſſe potuerit: Quippe ſicut oſtendebamus Veſtigat.12. num.24. Monachis ſtrictè conceptis diuinas in laudes vacantibus ſolùm, per Hymnodiam, aliáque ſpiritalia exercitamenta; Clerici regulares omnia ea ſubibant miniſteriorum onera, quæ ad ſalutem animarum æternam conducunt; & quoniam tum meſſis quampluríma erat,orbis ſcilicet vniuerſi conuerſio, diéque, ac nocte laborandum fuerit, & barbaræ, diſſitæque longiſſimis peregrinationibus inuiſendæ Prouinciæ; non ſatis comprehendi valeat,quemadmodum choro ſimul, & tam ingenti ſarcinæ Catecheſeos gentium attendere potuerint; doctioribus ſi aliud iudicare placuerit non renitemur, præſertim cum Dionyſius ſcribat Areopagita c.3.Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; Pontificem, ſeu Epiſcopum ad aram reuerſum dum ſacrificium viuificum celebratur, *Sanctam Pſalmorum melodiam inchoare, cui ſimul concinit Ordo Eccleſiaſticus*: agnoſcimus tamen, quæ hanc iuuent cogitationem memoranda reperiri verba in Concilio Romano Epiſcoporum, Preſbyterorumque dicta à Magno Gregorio ſanctiſſimo Pontifice, quæ leguntur lib.4.Regiſt.cap.88. aliàs epiſt.44.& referuntur Diſt.92.cap.*in ſancta*, &c.*In ſancta* (inquit) *Romana Eccleſia, cui diuina Diſpenſatio præeſſe me voluit, dudum eſt conſuetudo valdè reprehenſibilis exorta, vt quidam ad ſacri altaris miniſterium cantores eligantur, & in Diaconatus ordine conſtituti modulationi vocis inſeruiant; quos ad prædicationis officium, eleemoſynarúmque ſtudium vacare cõgruebat: qua de re præſenti decreto inſtituto, vt in ſede hac ſacri altaris miniſtri cantare non debeant, ſolúmque Euangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſollennia exſoluantur; pſalmos verò, ac reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, ac minores ordines exhiberi: ſi quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema ſit*; ex quo Gregoriano ſermone P.Suarius tom.4. de Relig. Tract.10. lib.1. de inſtituto Societatis cap.8. num. 6. ſubintulit, doctrinam hanc fuiſſe per antiquos Patres traditam in Eccleſia, adiungítque Decreti Sancti Gregorij explanationem admirabilem Angelici Thomæ 2.2. quæſt.91. art.2. ad 3. *Dicendum, quòd nobilior modus prouocandi homines ad deuotionem per doctrinam & prædicationem, quàm per cantum, & ideò Diaconi, & prælati, quibus competit per prædicationem & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, non debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur*: iuréque num. 7. Dominicum Sotum caſtigat, lib. 10. de iuſt.& iure, quæſt.5. art.3. circa finem, ſcribere auſum, vix Religionis nomen mereri, quæ choro eximatur; Quæ vox ſicut leuior eſt, quàm quæ mediocrem Theologum deceat, ita nec confutationis ſtudio digna: Nam ſi emergat cœtus, cuius omnis ſcopus ſit proximorum ſpiritalis ſalus, eiúſque conſequendæ gratia, cuncta penè actio verſetur aut in tradendis diſciplinis variarum ſcientiarum, aut in prædicando, inſtruendíſque populis, choro liberari debêre aliarum ſacrarum familiarum Praxis monet, quam praxim tradit Raphaël de Torres Dominicanus, olim Prior in Salmaticenſi Sancti Stephani eximiæ comprimis obſeruantiæ cœnobio tom.1. de Religione 2.2. quæſt. 91. art.2. diſp. 2. num.18. *Religioſi* (ait) *qui habiliores, & aptiores ſunt ad conciones, & doctrinam, & ijs continuò vacant; diſpenſantur in integrum à chori ſequela exceptis quibuſdam feſtis ſollenniſſimis; mediocriter habiles, & qui prædictis officijs per interualla ſeruiunt;* diſpenſantur

Auguſtin. Valfrid.

*Eſſeni ſeu Therapeutæ quinam?*

Iuo. Carnot.

*Monachi Pſalmodiæ vacabant, Clerici Regulares animarum ſaluti*

Dionyſ.

Gregor.

Suarez.

S.Thom. *Vtra nobilior Pſalmodia, an Diuini verbi Prædicatio?*

Sotus.

Raphaël de Torres.

*diſpenſantur à parte præfata ſequelæ : cæteri choro aſſiſtunt.*

15\. Sed cùm Hymnodiam Eccleſiaſticam, quæ ſub Marco Euangeliſtâ floruerit, Eſſenorum maximè, quos Philo commendat, exemplo adſtruamus, argumento vti nos inefficaci, non ex ſectariis tantùm quidam apud Bellarminum de Monachis lib. 2. cap. 5. Baronium tom.1. anno Chriſti 64.num.5.Poſſeuinum in Philone Iudæo: ſed etiam Catholicorum aliqui iudicarunt, ea ſcilicet cauſa, quod ad veteris inſtrumenti Monachiſmum, aut Iudææ Philoſophos ſpectarent Eſſeni, in quibus ante Chriſtum natum ea ſplendebant, quæ Philo tantoperè laudat: At de paucis ex Catholicorum numero liceat gloriari Nouatoribus; neque iſti inficiantur ſub Marco Eſſenos fidem amplexatos Chriſtianam viguiſſe; volunt inſuper & ante Euangelium, quam præconiis inſigniuit Philo perfectam viuendi rationem conſpicatam; vtcumque, noſtro adfauêre pronunciato illuſtriorem, denſioréмque Orthodoxorum turmam, compertum eſt: itaque præter relatos nuper Auctores tres, Philonem de Chriſtianis loquutum eſſe ſtatuunt Hieronymus in ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Marco & Philone; Euſebius in Hiſt.Eccleſ.lib.2. cap. 17. Epiphanius Hæreſi 29. Beda Præfatione in Marcum; Sozomenus lib.1. Hiſt. Eccleſ. c.12. Nicephorus lib. 2. cap.15. VValfridus de Rebus Eccleſiaſticis capite 25. Photius in Bibliotheca pag.278.in Philone: Suidas, Honorius Auguſtodun.de luminaribus Eccleſiæ in Philone, Vincentius Bellouacenſis ſpeculo Hiſtoriali lib.7. c.131, Sanctus Antoninus 1. parte Hiſtoriali; titulo 6. cap.21.§.7.& de recentioribus Trithemius in Catalogo Eccleſiaſticorum ſcriptorum in Philone, Sixtus Senenſis de eodem lib. 4. Biblioth. Bergomas in ſupplemento Chronicorum ad Chriſti annum 34. propè finem, Matthæus Galenus de Origine Monaſticæ cap.2. & 5. Richardus Hal de proprietate Monachorum cap. 4. Ioſephus de Siguenza in vita Sancti Hieronymi libro 2. Diſcurſu 2. Hieronymus de la Rua tom.2. Controuerſiarum Theologicarum controuerſia 9. poſitiua propè initium, Michael Mauclerus Monarchiæ Eccleſiaſticæ 2. partis lib.5. c.12. & ex noſtris Suarius tom.3. de Religione libro 3. cap.1. num. 12. Platti libro 2.de bono ſtatus Religioſi cap. 21. Gretſerus tom. 1. pro Bellarm. ad defenſionem cap.16. lib.2. de verbo Dei, §.*Pergit prædicans,*&c.& in Apologiis pro vita Sancti Parentis Ignatij: Serarius Opuſculor. tom. 1. Trihæreſij lib.3. cap.17. Magallanius ſectione 1. ad verſum 11. cap. 4. Iudicum, Annotatione 11. numero 112. Lorinus in verſ.24. cap. 18. Apoſtolicorum Actorum, Halloix Notationibus in cap. 5. vitæ S.Ignatij Martyris, Creſolius Myſtagogi libro 3.cap.27.ſect.1.

Bellarmin. Baronius. Poſſeuin. *Quoſnam per Eſſenos intelligat Philo Iudæus?* Hieronym. Euſeb. Epiphan. Beda. Sozomen. Nicephor. Valfridus. Photius. Suidas. H. Auguſtod. Vincentius Bellouac. S. Antonin. Trithem. Sixt. Sen. Bergomas. Matthæus Galen. Rich. Hal. I. de Siguen. H de la Rua. M. Mauclet. Suarez. Platus. Gretſer. Serarius. Magallan. Lorin. Halloix. Creſol.

16\. Quæ apud eos idcircò potiſſimùm oborta eſt ſententia, quòd intuerentur Philonis verſari ſtylum in iis deſcribendis hominibus, qui altiſſimæ paupertatis cùm fundamenta ieciſſent, omnem aſpernabantur venerem, omnem gloriam, omnem voluptatem: Quam ob cauſam, non niſi Monachorum perfectiſſimum extitiſſe genus, quod Philo depinxerit æſtimarunt; denique Eccleſiæ Catholicæ aurea illa fuiſſe tempora: perſuadebant autem ſibi tales viros Synagogam non produxiſſe, cùm veteris fœderis homines exceptis raris quibuſdam, nuptias ſimul cum opibus, & deliciis impenſo virium conatu adamaſſent vt ſæpè commonſtrauimus, antecedenti nimirum volumine, ſectione 12. & hoc opere Veſtigatione 12.num.23.& Veſtigatione 20.num.47. Sed ex Ioanne Caſſiano diſcamus, quales Beati Marci fuerint diſcipuli vt à Philone, iuſtiſſimo collaudatos titulo non dubitemus; *Nam cùm in primordijs fidei*(inquit lib.2.Monaſticarum inſtitutionum Caſſianus c.5.)*pauci quidam, ſed probatiſſimi Monachorum nomine cenſerentur, qui ſicut à beatæ memoriæ Marco Euangeliſta, qui primus Alexandrinæ vrbi Pontifex præfuit, normam ſuſcepêre viuendi; non ſolùm illa magnifica retinebant, quæ primitus Eccleſiam, vel credentium turbas in Actibus Apoſtolorum legimus celebraſſe; verùm etiam his multò ſublimiora cumulauerunt; etenim ſecedentes in ſecretiora ſuburbiorum loca, agebant vitam tanto abſtinentiæ rigore diſtrictam, vt etiam his, qui erant Religionis externæ, ſtupori eſſet tam ardua conuerſationis eorum profeſſio.* Accedit, quod Philo de iis, quibus loquitur Eſſenis, commemorat, diſperſos eſſe per Græciam, & totam Barbariam, imprimis verò apud Alexandriam reperiri: At Palæſtinorum Eſſeni interiora Iudææ habitabant, vt tradit Plinius lib.2.c.17. cui Solinus adſtipulatur, nam Iudæorum proprij quidam Philoſophi erant, ſicut Druidæ Gallorum, & apud Indos Gymnoſophiſtæ: Poſtremò iuuat quod in Philonis nihil elucet narratione, quod Chriſtianæ profeſſioni contradicat; multa reſplendent, quæ aliis minimè ſectis quadrent; ſed & appellatio Eſſenorum recentiores alterius Religionis cultores denotat, cùm nec apud Euangeliſtas, neque apud antiquiores Ioſepho & Philone ſcriptores inueniatur, vt benè adnotatum eſt à noſtro Sanctio ad cap.2. lib.1. Machab.num.43.& Philo cùm eam interpretatur, Sanctos indicare affirmat, quo nomine primos vocatos eſſe Chriſtianos Pauli ſæpius commonefaciunt epiſtolæ, & demonſtrat Baronius tom.1.anno Chriſti 43.n.15.

*Quales S. Marci Euangeliſtæ Diſcipuli?* Caſſian. *Eſſeni, Iudæorum Philoſophi.* Plinius. Solinus. Sanchez. Baron.

Opponas Sanctum Hieronymum expreſsè docentem, de Eſſenis, de quibus ſcripſit Philo; de iiſdem ſcripſiſſe Ioſephum Flauium variis locis ita quidem ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, & libro 2. contra Iouinianum; at Ioſephus libro 2.de Bello cap.7.& lib.18. Antiq. cap. 2. in pluribus diſſentit à Philone, iiſque materiis, quæ Chriſtianis adaptari nequeant: nam Philo cælibes facit, & Matrimonia exoſos, Ioſephus vxores tribuit; alter Iudæos, alter Græcos & Barbaros eſſe narrat; hic vrbibus & oppidis incluſos, ille extra ciuitatem habitare, adiicit Ioſephus matutinis precibus ſolem venerari, quæ Gentilium fuiſſe ſuperſtitio videatur Phœbo diuinitatem tribuentium. Reſpondeo Philonem Petri amicitiâ familiariter vſum Romæ, vt Hieronymus teſtatur in Scriptoribus, de illo tractans: Euſebius Hiſtor. Eccleſ. libro 2. cap. 15. Suidas, & Photius Biblioth. pag.278. Qui & Chriſtianis initiatum ſacris meminit, quod Baronio non ſatis probatur anno Chriſti 42. num. 36. Sed cum Petro amicitiam concedit anno 45. num. 15. & ſanè ob eam, redeuntem Alexandriam commendatum ab Apoſtolorum principe Marcum ſecum reduxiſſe; quem & ibi cum Marco inceptum fœdus protraxiſſe credibile; diſcebat itaque has ob cauſas de Chriſtianorum ritibus exactâ diligentiâ, & Monachorum vitam deſcripſit, quos propterea & cælibes deſcripſit, & ſuburbiis habitantes: Ioſephus neque tum natu grandior, imò puer quidem, neque amicitiâ vſus eorum, qui probè inſtruere poſſent, confudit narrationem Chriſtianorum

17\. *Philoni obijcitur ex Hieronymo Fl. Ioſephus.* Ioſeph. *Philo S. Petri amicitiâ Romæ familiariter vſus.* Euſeb. Photius. Baron. *Fl. Ioſephus in re Chriſtiana non æquus teſtis, nec fidus.*





vrbes incolentium cum vxoribus & liberis cum Monachorum Hiſtoria; modóque Iudæos natiuitate extitiſſe ſubinnuit, modò Gentiles; Profectò Ioſephum nunquam ſatis æquum teſtem in aduentum in Chriſti, Chriſtianorúmve geſtis, aduertit olim Egeſippus Hiſtoriæ principio de Ieroſolymitano excidio, Toſtatus quæſtione 85.in cap.12.Numerorum, Baronius tom.1.anno Chriſti 34. num. 227. Salianus cum denſa Auctorum cateruа Præludio in Annalium ſecundum tomum; Verùm & ſollenne eidem fit, vt à Philone diuerſa recenſeat in iis, quæ oculis Philo intuitus ſit, cùm trimulus adhuc infans Ioſephus: exemplum memorabile de Caij & Petronij contra Iudæos Actis Baronius exhibet anno Seruatoris 42. num.34. Quamobrem nulla ratio eſt, vt Philonis orationi præiudicare arbitremur Ioſephi dictum.

Egeſipp. Toſtat. Baron. Salian. Baron.

18\. Iam, quod ad ſolis exortum Eſſenos precari ex Ioſepho argumentatum, Philoni idipſum adſcribi potuerat, nam & adſtruit: *bis vnoquoque die precari ſolitos, ſub auroram & veſperam; oriente quidem ſole veram fauſti diei fauſtitatem poſtulantes, nimirum vt ipſorum mens cæleſti luce repleatur*; At hæc cæremonia de primis loquutos Chriſtianis euincit; nam ad Orientem conuertentes ſe orare conſueuiſſe produnt Clemens Papa & Martyr libro 2. Apoſtol. conſtitut. c.57. Tertull. Apolog. cap. 16.Leo Primus ſermone 7. in natali Domini, & 4. ſermone in Quadrageſimam, Iuſtinus Martyr ex Quæſtionibus 118. Cauſas piæ cærimoniæ multas, dignaſque tradit Guilielmus Durantus Mimatenſis Epiſcopus Rationalium Diuinorum libro 5. cap. 2. à num. 57. Quod verò Ieroſolymitanum intrare templum reſpuiſſe Ioſephus ſuperbiæ accuſet; imò quidem iſtud maximè Chriſtianos oſtendit, qui cùm deletos Chriſti morte Iudaïcos ritus nouiſſent, iis ne quoquo modo contaminarentur, Templi abſtinebant ingreſſu: fortaſſe autem nec in his enumerandis vſquequaquàm fidelis Ioſephus; licet enim à Seruatoris nece interdictum Iudaicis vti ritibus vt in quibus ſalutis reponeretur ſpes æternæ; tamen non omninò prohibebantur, quoniam etſi mortuæ, nondum mortiferæ; ob iuſtos igitur fines maioris animarum lucri aſſumere interdum fas erat, atque ita Paulus Nazaræorum more caput ſibi in Cenchris totonderat, Actor. cap.18. verſ. 18. ob quod dicebat 1.Corinth.cap.9. verſ. 20. *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer*, talémque ob finem Timotheo circumciſionem perſuaſit, vt obſeruat Auguſtinus epiſtola 19. ad Hieronymum, & libro contra mendacium cap.5. Chryſoſtom. homilia 34. in Acta; Quare veroſimilius eſt ſub initio & ab Eſſenis retentos quoſdam Iudæorum vſus, vt propterea Hieronymus in Marco ſcripſerit, inquiens: *Denique Philo diſertiſſimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Eccleſiam adhuc Iudaizantem, quaſi in laudem gentis ſuæ, librum ſuper eorum conuerſatione ſcripſerit.*

*Chriſtiani ad Orientem cōuerſi orabāt.* Clemens Papa. Tertullian. Leo I. Iuſtin. Mart. Durantus. 1.Corinth. 9.20. Auguſtin. Chryſoſt. Hieronym.

19\. Tribuit & annorum vetuſtatem Eſſenis Ioſephus libro 18. Antiquit. cap. 2. aſſerens: *Miranda autem eſt eorum iuſtitia, qua omnes Græcos & Barbaros longè ſuperant, multis iam ſæculis triti in eius continuis ſtudijs*: ſequutus Plinius libro 2. cap.17. *ita per ſæculorum millia* (ait) *gens æterna eſt*; hunc eius abbreuiator Iulius Solinus, cap.36. Reſpondeo Ioſephum confudiſſe, commiſcuiſséque cum ſuæ nationis Philoſophis, nimirum Rechabitis, narrationem Chriſtianorum Monachorum; Nam vt adimit frequenter in Biblica Hiſtoria, quæ in Prouincialium dedecus eſſe videantur, ſic de externis facile aſſuit, quæ encomio eſſe valeant: cùm igitur animaduerteret (præter vxorum filiorúmque curam) alia quædam relucêre, in quibus ad Eſſenorum diſciplinam Rechabitæ proximarent, ſi tamen Ioſephi ætate illorum tam ſeuera conuerſatio, quàm à Ieremia delineata eſt 35. capite, conglutinauit de vtriſque vnam fabulam, à qua hallucinati ſunt pagani ſcriptores, qui in Hebræorum recenſendis arcanis labuntur, vt Tacito contigit lib. 5. Annal. cap. 1. & 2. id quod poſt Baronium anno Chriſti 72. num. 27. noſter monuit Sanchez in cap. 4. lib. 1. Reg. num. 11. & de Ioſepho in præſenti quæſtione obſeruatum eſt à Matthæo Galeno de Origine Monaſticæ, cap. 2. ob eandem in quibuſdam de victu ſimilitudinem Nilus Abbas exordio Aſceticæ, & Suidas ex Rechabitis deſcendiſſe Eſſenos putarunt: Verùm de Eſſenorum Religione ſufficiant iſta, quando ea ſatis ad Eccleſiaſticæ hymnodiæ probationem contra ſectarios; nempè recens eſſe inuentum garriunt; ſed tam ſtultam vocem in antiquiſſimo Hæreſiarcha Paulo Samoſateno olim Synodus damnauit Antiochena ad Dionyſium Papam ſcribens, inquiens: *Porrò, quid vobis in memoriam reuocemus, quemadmodum Pſalmos & cantus, qui ad Domini noſtri Ieſu Chriſti honorem decantari ſolent tanquàm recentiores, & à viris recentioris memoriæ editos exploſerit?* De Pſalmodiæ argumento ad longum Baronius tom. 1. anno Chriſti 60. numero 24. Suarius tom. 2. de Religione lib. 4. de Horis Canonicis cap. 1. Bellarminus tom. 4. lib. 1. de bonis operibus in particulari, cap. 13. Iodocus Coccius tom. Theſauri Catholici lib. 8. art. 9. Contzen Politicor. libr. 6. cap.6. Creſolius Myſtagogi lib.3.c.27. Quando verò cœpta muſica inſtrumenta cantui in Eccleſiis adhiberi, docebunt ex relatis Baronius & Creſolius.

Ioſeph. Plinius. Solinus. *Monachos Eſſenos cum Rechabitis confundit Ioſephus.* Ierem 35. Tacitus. Baronius. Sanchez. Matthæus. Galen. Nilus Abb. Synodus Antiochena. Baron. Suarez. Bellarmin. Iod. Coccius. Contzen. Creſolius.

---

*Simon Magus primus Hæreſiarcha, libidinoſus, & bonorum operum Hoſtis: Vulpinam imitatus in ſpargendis erroribus calliditatem: quibus illum modis confutauit Sanctus Petrus? quâ agendum viâ cum hæreticis? Canonicæ Epiſtolæ an eum perſtringant? Roma num ſub mundi finem ad paganiſmum reditura? ex Apocalypſi nodus: Eccleſia Catholica ſemper duratura, Oſeas elucidatus: Concilium Ieroſolymitanum ſuper legalium obſeruantia à baptizatis quando celebratum? Deus Eccleſiam ipſam, vel animam ſanctam derelinquere quemadmodum intelligatur? Dauidis & Matthæi expenſa pronunciata.*

## Sectio II.

QVid Eccleſiæ ſtatu vernantius eo, quem nuper depinximus? ô faciem decoram, ô vocem dulciſſimam! Sed frui deliciis non eſt conceſſum: exquiſitè Clemens Romanus lib. 6. Apoſtolic.conſtitut.cap.5. *Diabolus inuidens Sanctæ Dei Eccleſiæ excitauit in nos ærumnas, Perſecutiones, perturbationes, blaſphemias, ſchiſmata, Hæreſes:* Oſtendit c.7. Hæreticorum Promachum Simonem extitiſſe 20.

Clem. Rom.

Magum, adſtruúntque Irenæus lib.1. cap.20. Epiphanius Hæreſi.21. Theodoretus de Hæret.fabul. Quam idcircò *Satanæ primogenitum* Ignatius appellauit Martyr epiſt. ad Trallianos: Quanquam verò Simon apoſtatare incepit priuſquam ea accidiſſent, quæ ſuperiore contigiſſe affirmauimus

*Simon Magus Hæreſiarcharũ Princeps.*

ſectione; tamen ex ſcelere famoſus non eſt redditus niſi annis aliquot elapſis, cùm diſcipulos habere cœpit, Menandrum, Baſilidem, Saturninum, alióſque; vnde nominatus Clemens Papa cap. 8. *Cùm verò ad gentes exiuimus prædicandum verbũ vitæ, tunc Diabolus molitus eſt in populo, vt poſt nos Pſeu-*

Clem. Rom.

*do-Apoſtolos mitteret ad ſermonẽ labefactandum: itaque produxerunt Cleobium quendam, & adiunxerunt Simoni; ij verò diſcipuli fuerunt eiuſdem Doſithei, quem reprobatum eiecerunt principatu, deinde alij aliorum abſurdorum dogmatum auctores extiterunt, Cherintus, Marcus, Menander, Baſilides, Saturninus*; de quibus ſigillatim & in quibus Simoni adhæſerunt erroribus Nicetas Choniates Theſauri Orthodoxæ fidei lib.4. cap.1. præcipuè verò

Nicetas. Choniat.

innotuit peſſimus Magus Romæ ſub Nerone Imperatore, ante quod tempus Marcus Alexandriam adiit; ſed quemadmodum Romanæ Eccleſiæ exordia vexauerit percipiamus ab eodem Clemente cap.9. *Romam cùm veniſſet, Ec-*

Clem. Rom.

*cleſiam vehementer perturbauit, multos euertens, atque in ſuam adducens ſententiam; gentes verò commouebat magicis artibus.* De hoc igitur teterrimo Diaboli membro, eiúſque aſſeclis Sponſa: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineam, nam vinea noſtra floruit:* profectò quia

Baron.

floret egregiè, propterea Tartarus furore debacchatur immani; lege Baronium tom.1. anno Dominico 35.n.23.

21\. Rectè vulpes paruulas ſuffocandas adhortatur, quia initio præoccupandum, ne contagio ſerpat, & remedia prætergrediatur; Nam vt pronunciat

Ariſtot.

Ariſt.1.cæli c.33. *Paruus error in principio, fit maximus in fine, quia principiũ eſt maius virtute, quàm magnitudine*; Marcus Tullius in eandem ſententiam

Cicero.

Philip.5. *Omne malum naſcens facilè opprimitur, inueteratũ fit plerumque robuſtius*; nihil iſto frequentius axiomate in ore mortalium; ſint igitur ob hanc rationem paruulæ; at vulpes quamobrem? Equidẽ,

*Hæretici fœtidi & callidi vlupibus ſimiles.*

cùm vulpium more Hæretici ob ſpurcitias, & corruptelam, nullis enim non ſe vitiis tradunt, fœtêre noſcantur; animantis nihilominus calliditatẽ imitati, ſentinam horribilis doctrinæ ſpecioſis titulis celant, crepátque in ore illorum non rarò Chriſtus, & Euangeliũ, Orbíſque ſi Deo placeat, conuerſio in meliorem figuram; talis omnino Simon Magus, nam cùm & Helenen ſcortum circumduceret, & veneri inceſtæ habenas laxaret, & dæmonas inuocaret ad præſtigiamenta, tamen verbis Deum Patrem cum Filio & Paraclito cum Angelis tonabat: Epiphanius tom.2. lib.1. ſub ini-

*Simon Magus libidinoſus & vaferrimus.* Epiphan.

tio: *Progreſſus in medium, & prætextu nominis Chriſti veratrum melli committens (quod venenum eſt ab ipſo corruptis) ipſúmque ex maligno ſuo errore ſub nominis Chriſti dignitate exhibens, mortem his, qui ipſi fidẽ habuerunt, induxit: Quum autem naturâ eſſet laſciuus, corruptam opinionem circulatoribus ab ipſo deceptis induxit: nã vbi reperiſſet ſibiipſi mulierem circulatricem Helenam nomine à Tyriorum vrbe ortam, ipſam in vxorem ducit, non indicans ſe conſuetudinem cum ipſa habêre, verum in abſcondito, turpitudine mulieri permixtus ille præſtigiator, fabuloſam quandã amœnitatem diſcipulis ſuis exponebat; nimirum dicens, ſe eſſe virtutem Dei magnam, coniugem verò ſcortatricem-Spiritum ſanctum eſſe dicere auſus eſt.*

22\. Adiunxit cum impiiſſimis diſcipulis, vt aſſereret, bonorum operum nullam habendam eſſe rationem, fidem abundare ad vitam æternã conſequendam; ne verò tam deteſtandi nouitate dogmatis perterrerentur fideles, cùm animaduerterent in ea, quæ Pauli eſt ad Romanos epiſtola, Apoſtolum deprimere volentem Iudæos in Moyſe & operibus legis nimium gloriantes, & Chriſti propterea fidem contemnentes, eadem non tanti facere opera, & Chriſti fidem miris ſubuehere laudibus; ex malè interpretatis ſcripturis occaſionem fouendę ſumpsêre malitiæ, reipſa tamen, quò eneruatâ bonorum æſtimatione operum, impunè per omnem vagari nequitiam liceret: *Temporibus Apoſtolorum* (inquit Auguſtinus libro de fide, & operibus cap.14.) *non intellectis quibuſdam ſententijs Pauli Apoſtoli, eum quidam arbitrati ſunt dicere, fidem ſolam ſufficere*; Quem in ſcopum ita docerent, paulò inferiùs ſubinnuit: *Sciens de Apoſtoli Pauli quibuſdam ſententijs ſuboſcuris nonnullos iniquos accepiſſe occaſionem, vt tanquam ſecuri de ſalute, quæ in fide eſt; benè viuere non curarent.* Idémque monſtrans, cur Eunomio hic tam blandus error perplacuerit, ait c.54. *Fertur vſqueadeò fuiſſe bonis moribus inimicus, vt aſſeueraret; quod nihil cuiquã obeſſet quorumlibet perpetratio & perſeuerantia peccatorum; ſi huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps eſſet.* Vides Hæreſum quàm ſancta fundamenta in Simone, eiúſque commilitonibus! Pellex Helena, & odium in opera bona; ſuper his ædificatur Babel; proh quàm diuinè Clemens admonuit Alexandrinus Stromat. lib.7. *Omnem Hæreſim ab initio habêre aures, quæ non audiunt quod vtile eſt; ſed ſolùm pateant ijs, quæ dicuntur ad voluptatem:* Quemadmodum autem falſis ſcripturarum expoſitionibus colorant deliramenta, noſter ad longum commonſtrat Grethſerus Præfat. tomi ſecundi Defenſionis Bellarminianæ.

*Simonis Magi errores: quorum hæredes nunc etiam habet Caluiniſtas.*

Auguſtin.

Idem.

Clem. Alex.

23\. Gliſcente in hunc modum Hęreſis peſte, Sponſæ Eccleſiæ, quæ capi vulpeculas expoſtulabat, commiſerati Apoſtoli, eorúmque imprimis vertex Petrus, quonam pacto dexterè congredi poſteritas deberet cum hoſtibus ſceleratiſſimis, exemplo oſtenderũt: Quippè S. Petrus non veritus minas Neronis impensâ operâ Mago fauentis, palàm certamen adorſus eſt, publicam non eſſe timendam diſſertationem, ſi quando fidei exigit cauſa, edocens: poſtquam igitur diſputando Simonem Petrus ſæpè confutaſſet, cùm ad falſa miracula conuerteretur; ſuperbientem ex Dæmonum artibus ieiunio vicit, vt Auguſtinus indicat epiſt.86. ad Caſulanum; Orationis autem ſingulariter virtute teſte Sancto Maximo homilia 15. in Natali Sanctorum Petri, & Pauli; *Tunc Petrus fixis genibus precatus eſt Dominum, & precatione factâ vicit magicam leuitatem; prior enim aſcendit ad Dominum Oratio, quàm volatus, & antè peruenit iuſta petitio, quàm iniqua præſumptio.* Arnobius lib.2. contra gentes: *Viderant enim curſum Simonis Magi, & qradrigas igneas Petri ore difflatas nominato Chriſto euanuiſſe:* quibus erudiuntur contra Hæreſim dimicaturi, vitæ vt excellant religioſiſſimâ grauitate, nulla fortiora contra Hæreſim præſidia morum & doctrinæ coniunctione; & quidem ſcientiam monumentis commendari perennibus iuuat librorum, quæ in futuras generationes tranſeant; itaque Petrus ipſe, Iacobus, Ioannes epiſtolas conſcripſerunt, quibus noxiam Simonis opinionem de fide abſque charitate, & virtutum ſanctarum operibus, ſe ſolâ iuſtificante, non tantùm prauam, & hominum ſaluti

*Quibus armis Simonem Magum profligauit S.Petrus?*

Auguſtin.

S.Maxim.

Arnob. *Cum Hæreticis quâ viâ pugnandum.*

*Canonicæ Simonem Magum Epiſtolæ perſtringunt.*



ſaluti capitalem eſſe oſtenderunt, ſed frigidam pariter & ineptam quod ingenij omni careret ſenſu: Auguſtinus ſuprà etiam relatus libro de fide & bonis operibus, cap. 14. *Quoniam igitur hæc opinio tum fuerat exorta; aliæ epiſtolæ Petri, Ioannis, Iacobi, & Iudæ contra eam maximè dirigunt intentionem & vehementer adſtruunt, fidem ſine operibus nihil prodeſſe:* Suffragantur Auguſtino ad verſ. 14. c. 2. epiſtolæ Iacobi ex noſtris Iuſtinianus, Cornelius, Tirinus; Iacobi autem ſcriptis id ſummè elucet, quam potiſſimùm ob cauſam poſteriorum temporum Nouatores, Lutherus ſuprà omnes, ſtramineam Iacobi dicunt epiſtolam, & canone expungunt: Habent igitur ex Beati Petri cum Simone Mago congreſſu Doctores Orthodoxi normam, qua Hydram Lernæam ſuperent venenatæ Hæreſeos; cuius in Beatiſſimi Apoſtoli prærogatiuis meritò reponitur, quod primum Hæreſiarcham glorioſo edomuit triumpho: conſule Bellarminum lib.1. de Romano Pontifice, c.23.

Auguſtin.

Iuſtinian. A Lapide. Tirinus. *Lutherus Canonicam Iacobi Epiſtolam, ſtramineam vocat.*

Bellarmin.

24\. Vidimus Simonis Magi, aliorúmque Hæreticorum amentiâ perturbatam Eccleſiam, acceſſit Neronis furor, quem palàm edictis propoſitis Chriſtianum fieri quempiam vetuiſſe Sulpitius Seuerus Auctor eſt libro 2. Hiſtoriæ; ſub tanta rabie furentium ſimul Hæreticorum, Paganorúmque, ecce quam Sponſo conſtantiam promittit Nupta eius: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*; Egregiè, cùm innuerit proximè antecedenti verſu fœtêre Hæreticorum conuentus, in quibus nimirùm ſcelera cum abominationibus regnant, proindéque vulpibus, quarum teterrimus odor eſt, comparauerit; nunc ex diametro Catholicæ Eccleſiæ fragrantiam memorat, vbi ſcilicet lilia, quæ ſunt omnes virtutes, diuinos emittunt halitus; eum itaque Sponſum, qui tali delectatur ſuauitate ſacrorum hortorum, nunquam ſe derelicturam offert ſecundum ipſius gratiam vſque in finem, quæ veſpera deſignatur, nam tanquam dies vnus eſt totum hoc ſæculum coram Deo; Hanc quidem inuiolandi fœderis diuturnitatem, ſi à Romana particulariter vrbe promitti concipiamus, erunt qui dixerint, non adimpleturam; nam arbitrantur Apocalypſeos c.17. prædici, ſub exitu temporum, Romam Babylonis ſignificatam nomine, antiquam Deorum ſuperſtitionem, cultúmque Ethnicorum Numinum amplexaturam, & tum à ſe Romanum eiecturam Pontificem, cum vniuerſo Clero, reliquíſque fidelibus; Quarũ nequitiarum acerbiſſimas luet pœnas, vaſtata à decem regibus, ignibúſque ſuccenſa; cui adſauent ſententiæ in dictum Apocalypſ. caput Ribera, Viegas, à Lapide, Bozius tom.2. de ſignis Eccleſiæ ſigno 100. lib.24. c.6. §. *Iam cùm Roma*, &c. Alij autem Ioannem interpretantur de Roma ſanè Ethnica, verùm quæ olim talis fuerit, & ſpiritaliter deſolata eſt, igníque charitatis diffuſæ in cordibus per Spiritum ſanctum ſuccenſa, cùm veterem ignorantiam deteſtata eſt, & ad iuſtitiam, ſanctitatémque conuerſa; huius acerrimi defenſores cogitationis Maluenda lib.4. de Antichriſto, cap. 5. noſter Alcazarius Notatione 12. Procœmiali num.8. & diſput.1. Prologi ad cap.17. & 18. Apocalypſ. contrarium placitum vterque plus æquo faſtidit, præſertim cùm ipſi Hiſtoricum verborum ſenſum frequenter deſerere cogantur, & Allegoriam ſubſtituere; ſapientiori iudicio, qui etſi de poſtremis loqui temporibus Apocalypſim autumant, nihilominus admittere recuſant Ethnicam iterùm Romam futuram, neque enim Ioannis Vaticinatio id vt ſentiatur, impellit; graues tamen contra eam exorientur perſecutiones vel propè Antichriſti regnatum, vel eo imperante, fortaſſe quidem ob morum corruptelam in populo Chriſtianorum; fortaſſe magis ad ſanctorum probationem, & ad Martyrum gloriam: Quare perſtabit ibi Romanus Pontifex cum Clero & Religioſis, multíſque ciuium Orthodoxorum; Quæ, vt deſtruatur in materialibus ædificiis, hoc ipſum continget paulò ante necem Antichriſti, & conflagrationem orbis, remanente etiam tùm (quanquam latêre neceſſum ſit) populi cum Antiſtite ſuo fide & amicitiâ in iis, quæ ſæuitiæ Antichriſti miniſtrorum reſtiterunt; ita penè Suarius contra Regem Angliæ libro 5. cap.7. à num.9. & cap.21. à num.7. Bellarminus quanquam non tam diſtinctè lib.4. de Rom. Pontifice, cap.4.

*Neronis in Chriſtianos furor.* Sulpit. Seuer.

*Num Roma ſub mundi finem ad Paganiſmum reditura?*

Ribera. Viegas. A Lapide. Bozius.

Maluend. Alcazar.

Suarez. Bellarmin.



25\. Quod ſi non Romanæ eſſe hunc vrbis ſermonem adſtruamus, ſed Eccleſiæ in communi, quatenus à particularibus abſtrahit ſedibus, hanc nullo vnquam tempore, nullorum euentuum procellis aut varietate Sponſam negaturam eſſe certiſſimum eſt: Chryſoſtomus in Pſalm.147. *Eccleſiam Deus munit validius quàm Ieruſalem, non vectibus & portis, ſed cruce circumſeptam: in principio itaque Imperatores, Reges omnes, populi, & ciuitates, & dæmonum phalanges, & ipſa Diaboli tyrannis, & alia innumerabilia inuaſerunt Eccleſiam: illa tamen omnia fracta & diſſoluta ſunt, & interierunt; ipſa autem creuit, & in tantam prouecta eſt altitudinem, vt ipſos etiam cælos ſuperarit.* Eam ob cauſam Patres ſæpiùs comparant Arcæ Noëticæ diluuiorum ſuperanti impetus, cùm nihil præterea reſiſteret: Alcim. Auitus lib.4. in Geneſim propè finẽ:

*Eccleſia ſtat inconcuſſa.*

Chryſoſt.

*Arca Noemi comparatur Eccleſia.*

Alcim. Auitus.

*Non aliter crebras Eccleſia vera procellas*
*Suſtinet, & ſæuis nunc diuexatur ab vndis;*
*Hinc Gentilis agit duros ſine more furores,*
*Hinc Iudæa fremit, rabidôque hanc impetit ore;*
*Hæreſeωn veſana furens exinde Charybdis*
*Concutit, & Graiũm ſapientia ſtulta Sophorum;*
*Quæ quanquàm inter ſe vario certamine pugnant,*
*Debellanda tamen ſi quando Eccleſia, gaudent*
*Conſenſu vnanimi Chriſti conſurgere contra*
*Nauiculam, & vanis mendacia fingere verbis;*
*Sed clauſam vacuo pulſant impune latratu.*

Damaſcenus oratione de Transfiguratione; *Aduersùs hanc inferorum portæ, Hæreticorum ora, dæmonum organa impetum quidem faciunt, ſed non praualebunt, arma quidem induunt, ſed non expugnabunt; ſagittæ paruulorum plagæ eorum fuerunt.* Benè ergo dicit, *Dilectus meus mihi & ego illi*, in ſempiternum videlicet, & ideò *donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ:* cur ni profectò? Ecce enim vt Sponſus loquitur; *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus*, Oſeæ c.2. verſ.19. quâ ſententiâ indiſſolubile Chriſti cum Eccleſia matrimonium, quod nullæ ſufficiant diſrumpere perſecutiones agnoſcunt Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Lyra, Albertus, & recentiores paſſim; dabo Alexandri Alenſis verba tom.4. quæſt.2. memb.4. art.3. *Præterea dicitur Oſeæ 2. Sponſabo te mihi in fide, & ſponſabo te mihi in ſempiternum: Sicut ergo, cùm eſt copula inſeparabilis eſt coniunctio viri & mulieris: ita inſeparabilis eſt coniunctio Chriſti & Eccleſiæ, ergo ſemper durabit Eccleſia.* De his ſuperiùs Veſtigatione 17. num.20.

Damaſcen. *Chriſti & Eccleſiæ Cõiugium indiſſolubile.*

Oſeæ 2.19.

Cyrill. Theodoret. Rupert. Lyra. Albert. Alexandr. Alenſ.

26\. Præter Simonis Magi affectatã nequitiam aliũde etiã turbę & inter domeſticos quidẽ, vt omnibus tentaretur modis noua Eccleſia; ſeditio igitur

MMm 2 propterea

propterea exorta, quod Iudæorum quidam docerent conuerſos ex Gentilitate ad Chriſtum, ſaluari non poſſe,niſi circumciderentur, vt Lucas declarat Actor.c.15. v.1. neque ſolùm Antiochiæ & Ieroſolymis concitari tumultus ab Hebræis aduerſus Chriſtianos ex Paganiſmo redeuntes, ſed Romæ inſuper; Quas ob rixas nono Claudij imperatoris annò, Iudæi Româ diſcedere coacti sũt Actor.c.18.v.2.vnà cum Iudæis Chriſtianos quoque abire compulſos, quod inter vtramque ſectam Gentiles non diſcernerent, arbitratur Maluenda lib.8.de Anti-Chriſto c.1.noſter Sanctius in cap.18.Actorum; ſolum igitur vertere tunc & Beatum Petrum Imperatoris edicto multi cogitauerunt; procul itaque euntem Paſtorem, exiguus fidelium,qui in vrbe remanebat grex (nam latuerant aliqui, vt & modò contingit, vbi ſæuiunt Catholicorum hoſtes, occultari quoſdam) ne reuertere cunctetur, ſupplicibus exorat votis; *Reuertere, ſimilis eſto Dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether*; Alij nono Claudij Imperatoris anno, quanquam non ob perſequutionem, Romæ tamen paululùm valedixiſſe Sanctum Petrum opinantur,vt de ea quæ de Circumciſionis & legalium obſeruantia ab his,qui Chriſto in baptiſmate regenerati ſunt, orta fuerat, lite Concilio Ieroſolymis habito definiret; relati nuper Sanctius & Maluenda,Baronius tom.1. anno Chriſti 51.n.2.Bellarminus de Romano Pontifice lib.2.c.6.§.*Nec tamen*,&c.Cornelius & Lintrenſis in c.18. Actorum, Maſſutius lib.4. vitæ S.Pauli c.2.Chriſtophorus de Caſtro in Hiſtoria Deiparæ cap.19. num.7. eo de Concilio Clemens Romanus Conſtitut. Apoſtol.lib.6.cap.12. *Sed quoniam tunc hæc Hæreſis magnas ad decipiendum vires videbatur habere, totáque Eccleſia in periculo verſabatur; nos duodecim cùm conueniſſemus Ieroſolymis (nam in locum proditoris Matthias Apoſtolus factus eſt,qui ſortem Iudæ accepit,)vnà cum Iacobo fratre Domini deliberabamus quid faciendũ eſſet*; Num verò probabile ſit omnes adfuiſſe Apoſtolos Baronius & Maſſutius locis memoratis docto expendunt iudicio; à quibus ſimul cum Bellarmino lib.1.de Conciliis & Eccleſia,cap.16. híſque,qui c.15.Actorum Beati Lucæ exponunt, Lector colliget, exemplar legitimorum omnium Conciliorum, quæ poſtea fuerint, extitiſſe Ieroſolymitanum iſtud; in quo & Chriſti in terris vicarij primatus ſplendidè eluxit Petro cum auctoritate præſidente, & de Controuerſia ſedulò quæſitum eſt,Apoſtolis tanquam iudicibus, qui erant Epiſcopi,ad definiendum conuocatis, Preſbyteris autem ad conſultandum; Sanè difficultates has,quæ in ſchiſma & diuiſionem motæ ſunt, rectè *montes Bether*, id eſt, *diuiſionis* appellare valeamus; proficiſcentem ergo in hos montes ex Roma Sanctum Petrum, vt omnis mons & collis humiliaretur, & aſpera fierêt in vias planas,diſcipuli, quos poſt ſe in vrbe relinquebat,obteſtantur, quâ poſſit regrediatur feſtinatione ad Imperij caput; *Reuertere, ſimilis eſto Dilecte mi capreæ*,&c.

*Iudæos & inde Chriſtianos Româ diſcedere coacti sũt ſub Claudio.*
Act.18.
Maluenda.
Sanchez.

Baronius.
Bellarmin.
A Lapide.
Lintrenſ.
Maſſut.
Chr.à Caſtr.

Clem. Rom.

*Ieroſolymitanum Concilium omniũ legitimorum Conciliorum exemplar.*

27\. Præſtat autem verba iſta commodaſſe vniuerſali Eccleſiæ quoniã germanior ſenſus eſt,noſtreque fini explanationis congruentior,qui Eccleſiæ ſecundum ſe, vt à ſingularibus præſcindit, acta ſequimur; Hæc itaque ad Chriſtum Sponſum ſuum, qui Deus ſimul eſt, preces intendit, & obſecrat: *Reuertere,ſimilis eſto Dilecte mi capreæ, hinlóque ceruorum*,&c. At quomodo Chriſtus cùm Deus ſit Eccleſiam Sponſam ſuam derelinquere poſſit, aut abeſſe, cum diuinitas cunctis præſens ſit rebus intimè, nullíſque non creaturis prouidentiâ quoque aſſiſtat, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus? ſi quos verò dereliquiſſet, vtique malos, non autem Sponſam dilectiſſimam: obſeruandum, duobus modis Deum concipi derelinquentem Homines;altero, cùm ſubtrahendo auxilium efficax in peccatum labi conniuet permittens; altero, quando variis affligi pœnis ſeu externis ſinit: Ita Sanctus Thomas 1. parte quæſt. 113. diſputans, num ab Angelo cuſtode Homo aliquando deſeratur? art.6. in corpore ait: *In tantum Deus ſecundum ordinem ſuæ prouidentiæ dicitur homines derelinquere, in quantum permittit Hominem pati aliquem defectum vel pœnæ, vel culpæ*: Quamobrem cùm tentationes exſurgunt, cùm dæmones infeſtant, cum Homines iniuſti perſequuntur,famæ, ſubſtantiæ, valetudini nocent; tum Deus abire, atque recedere velut intelligitur: probationem eximiam Pſalm. ſuppeditat vigeſimus primus:ſtatim exorditur vates nomine Chriſti patientis: *Deus, Deus meus reſpice in me quare me dereliquiſti?* Quid? annõ præter alias formas aſſiſtentiæ diuinitatis cùm hæc dicerentur ab Humana Chriſti natura, hypoſtaticè ei coniuncta erat diuinitas?Quonam ergo pacto longè facta eſt tanquàm diſtaret, aut eum dereliquit? venuſtè Angelicus Doctor interpretatur 3. parte quæſt. 50. art.2. ad 1. *Vnde derelinquere ibi non eſt aliud, quàm non protegere à perſequentibus: vel dicit ſe derelictum, quantùm ad illam orationem, quâ dixerat; Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte*; itaque, ideo dereliquit, quoniam ab atrociſſimis Crucis tormentis, & ab Hoſtium crudeliſſimâ ſæuitiâ liberare noluit, quo more exponunt Remigius Antiſſiodorenſis, Richardus Pampolitanus, Cardinales Thomas Ieorgius,Thomáſque Caietanus, Genebrardus, Ianſenius, Petrus à Figueiro, Bellarminus: *Significat* (inquit) *permiſſum fuiſſe à Deo, vt ipſe in humana natura pateretur horribilia illa tormenta, & mortem ignominiæ plenam, à qua ſi Deus voluiſſet, eum facillimè liberare potuiſſet*; & vide,quæ ad conſolationem animarum ſubiungit ſanctarum: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte & non ad inſipientiam mihi*: quare non ad inſipientiam, cùm non exaudiatur filius innocens, amor & delicium patris? Quoniam his licet concurrentibus titulis vt exaudiatur,non condemnabit Genitoris diſpoſitionem, vt facere ſtulti conſueuerunt, nouit videlicet æquiſſimam eſſe; nec inſipientiæ verti debent, quod piè conqueratur; caro enim infirma eſt, licet ſpiritus promptus ſit: His perſimile illud eſt, quod Matthæus ſuggerit, cap.8. verſ. 24. nempe concitatâ tempeſtate vehementi, obdormiſſe in nauicula Chriſtum; Quod in eius factum Euſebius Gallicanus hom. in Dominicam 5.poſt Epiphaniam: IESVS (ait) *quamuis nõ dormit, dormire tamen videtur, quando lupi in bonos inſurgunt; non dormit quidem,ſed prælium intuetur,& certaminis ſimul finem,& bellantium fidem expectat*. Chryſologus ſerm.19. *Vbi Chriſtus Eccleſiæ ſuæ nauem, mare ſæculi tranfretaturus aſcendit, gentium flabra, Iudæorum turbines, perſecutorum procellæ, vulgi nubes, dæmonum nebulæ ſic ruerunt, vt totius mundi fieret vna tempeſtas*. Rupertus lib.7. in Matth. *Igitur toties dominus* IESVS *in nauicula, quaſi dormit, aut dormiuit, motúſque magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus; quoties tardante illo per ordinatiſſimam diſpoſitionem, & ad tempus ſubtrahente præſidia, Diaboli ventorum huius ſæculi agitator inquietus*

*Duobus modis Deus Hominem derelinquere concipitur.*

S.Thom.

Pſalm.21.1.

S.Thom.

Remigius.
Antiſiod.
Richard.
Pampol.
Thom.
Georg.
Caietan.

Euſebius.
Gallican.

Chryſolog.

Rupertus.



*(qualis vtique ventus Nero, aut funeſtus Decius, vel certè Diocletianus,vel Maximianus)perſecutiones excitauit,& in mortes ſeu oppreſſiones ſanctorum, mare, id eſt,multitudines gentium per ipſorum leges,& edicta commouit*. Similia Paſchaſius lib.5.in Matth.Chriſtianus Druthmarus in eundem, & incertus Chryſoſtomus hom.5.

Paſchaſ.
Druthmar.
Incertus
Chryſoſt.

28\. Quod ſi abſentem eſſe Sponſum,& derelinqui hanc ab eo id ſit, quod probetur Hoſtium maximis iniuriis; iam quidem ſæpiùs in Iudæa à Principibus Sacerdotum, à Phariſæis & Scribis, ab Herode vexata eſt;iam Romæ Claudius inſectatus eſt, qui vrbe diſcedere cõpulit nouos fideles: Sed quid non crudelitatis Nero immaniſſimus? de quo Oroſius lib.7.cap.7. *Primus* (inquit) *Romæ Chriſtianos ſupplicijs & mortibus affecit; ac per omnes Prouincias pari perſecutione excruciari imperauit, ipſúmque nomen extirpare conatus, beatiſſimos Apoſtolos, Petrum cruce, Paulum gladio occidit*. Ad hæc de gremio matris exilientes filij viperini, Hæreſes cudebant atrociori pugnâ, quàm Tyrannorum externæ minæ. Et tamen hæc tam ingentia mala aduerſitatum rudimenta ſolùm fuêre; ſed quia adoleſcens Eccleſia nouis felicium nuptiarum ebria amoribus, quaſi inexperta adhuc crebræ Dilecti abſentiæ; adiurat,vt quando pergere contendat, ne remoretur, ſed feſtinus adueniat celebriori regreſſu, quàm ſint volatiles paſſus capreæ,hinnulíque Ceruorum: ô qualis commutatio,quàm diſpar ſonus! nuperrimè; *Dilectus meus mihi & ego illi*; nunc autem *reuertere* chariſſime:& vbi pollicitationis illius fortitudo? vbi æterni amplexus, & non interrumpenda ſolatia? Age ſancta Mater,permitte diſcedat, roga tamen ſupplex, citò reſtituatur, nam talibus votis, quanquàm proficiſci,& relinquere te expediat, congaudet plurimùm: reminiſcere Lunam temet eſſe,quam proinde Sol interdum fugiat, interdum aſpiciat; ſed omnia tandem in gloriam & emolumentum tibi profutura; benè Ambroſius lib.4. Hexameri,c.2. *Eſt ergo in diei poteſtate Sol; & Luna in poteſtate noctis,quæ temporum vicibus obedire compellitur,& nunc impletur lumine, nunc vacuatur; licet plerique hunc locum myſticè de Chriſto & Eccleſiâ videantur accipere, quòd agnouerit Chriſtus proprij corporis paſſionem, qui ait, Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt ille occaſu ſuo omnibus donaret vitam æternam, qui perpetuæ mortis vrgebantur occaſu; & Eccleſia tempora ſua habeat perſecutionis & pacis; nam videtur ſicut Luna deficere, ſed non deficit; obumbrari poteſt, deficere non poteſt, quia aliquorum quidem in perſecutionibus diſceſſione minuitur, vt Martyrum confeſſionibus impleatur, & effuſi pro Chriſto ſanguinis clarificata victorijs, maius deuotionis ſuæ, & fidei toto orbe lumen effundat.*

*Quàm variè vexata Primitiua Eccleſia?*

*Nero Chriſtianorum Hoſtis crudeliſſimus.*
Oroſius.

Ambroſ.

# Explanatio Didaſcalica in eoſdem Verſus pro morum Inſtructione.

*Textus*: Surge,amica mea, ſpecioſa mea, & veni; columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas,nam vinea noſtra floruit:

Dilectus meus mihi,& ego illi,qui paſcitur inter lilia.

Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ: reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes Bether. *Cap.2.verſ.14.15.16.17.*

*Sapiens ex lapſibus proprijs, alieníſve, multò vigilantior redditur in futurum.*

## SECTIO I.

29\. SVRGE, ait, *& veni in foraminibus petræ*: Quare ſaxorum munitio?Numquid hoſtes vallo, & obſidione circumdabunt, vt robuſtiſſimo includi eam præſidio neceſſum ſit? Ecce nulla modò bella, ſed tempus voluptatum eſt,animíque leuandi causâ itur in prata herbis,roſíſque virentia,in colles amœnos,proptérque fluminum hilares ripas, cur non igitur aut tentorium figitur,ſub quo Sponſa requieſcat Solis fugitura ardentes radios; vel ſub opacis arborum delitèſcit ramis in Phœbi deriſum? delicatior vtraque ſtatio, quàm antro abſcondi tenebroſo: ſed perpende olim, cùm aut ſub tabernaculis & pellibus rurar etur Sponſa, aut ſyluarum occultabatur frondibus,iubare ſæuiori percuſſam ſolis vultu ſubfuſcam redditam: *Nolite me conſiderare* (dicebat Cant.cap.1. verſ.5.) *quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol: poſuerunt me cuſtodem in vineis*: Et tamen cucumerarium vbi faciem protegeret,in vinea erat,tentoriúmque vel de frondibus,vel de pellibus; memor itaque plagæ, quam

*Quòd à Sole decolorata priùs fuiſſet Sponſa, iam cautior ſaxis ſe contra Solis radios munit, dum in antrũ ſecedit.*

Cantic.1.5.

leuiora contra ſolem propugnacula, formæ attulerunt, doctior effecta, nunc robuſtiora adhibet, lapidem videlicet excauatum, qui Phœbi ignes laceſſat: Sponſæ autem exemplo animam prudentem eruditionem capere oporteat, vt ſi quando ex mortali fragilitate aut ipſa interdum labatur, aut cadere alios cernat, ne peccatis veniæ deſperans peccata ſuperaddat, alióſve ruentes contemnat, ſed doctrinam mutuetur, vt deinceps cautior procedat, fortioráque meditetur aduersùs hoſtes præſidia, fructúmque de malis ipſis referat: Origenes hom. vltima ex quatuor: *Oſtenditur ergo ei iter iſtud ſub velamine petræ agendum, non ſub aëre nudo, neque vt patiatur ſolis ardores, ne iterum fuſca fiat, ne iterum dicat, deſpexit me ſol: propterea ſub velamine petræ hoc agit iter: hoc autem ipſum iter non vult ex frondibus ei eſſe, aut linteis, aut pellibus, ſed petram vult ei eſſe velamen, id eſt, firma & ſolida Chriſti dogmata; ipſum namque eſſe petram Paulus pronunciat dicens, petra autem erat Chriſtus: Chriſti ergo doctrinâ & fide ſi obtegatur anima, & veletur, tutò poteſt ad illud peruenire ſecretum, vbi reuelatâ facie gloriam Domini contempletur; meritò autem velamen iſtud petræ tutum creditur, quia & Salomon de ea dicit in Prouerbijs, quod veſtigia ſerpentis non poſſunt deprehendi ſuper petram.*

Origen.

30. Plurimis vexatus damnis Ægyptiorum Rex Pharao, tandem abire Iſraëlem concedebat, at relictis pecoribus, in quibus diuitiæ eorum: *Ite ſacrificate Domino, oues tantùm veſtræ, & armenta remaneant, paruuli veſtri eant vobiſcum.* Exod. cap. 11. v. 24. accipiunt poſtea ab Ægyptiis Hebræi commodato vaſa argentea & aurea, veſtémque plurimam: Quid? an his cum ſpoliis abierunt? planè quidem; nam clancularie, nocturníſque obſeruatis tenebris, dum ſomno vacarent Ægyptij? haudquaquam ſed eiſdem inſpectoribus: *alterâ die Phaſe filij Iſraël in manu excelſa, videntibus cunctis Ægyptijs, & ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus, caſtra metati ſunt in Soccoth.* Numer. c. 33. v. 4. ergo quidem Ægyptij diſcedentes intuebantur; cur aurum, veſtem decoram, & argentum non repetunt ab eis antequam finibus patriis extracti, peregrinis diſpergantur regionibus? Siccine, nec cum eis Pharao dimittere velit, quorum legitimi poſſeſſores ipſi erant Iſraëlitæ, ſed pecora apud ſe manêre contendebat, & nunc cum alienâ æternum haud redituros abire ſubſtantiâ, eâque ornatiſſimâ permittantur: Quæ hæc Ægyptiorum tam prodiga eſt liberalitas cum Hebreis, quos odio proſequebantur acerbo? ſcilicet, vt de Numerorum colligebamus textu, cùm itineri Iſraëlitæ accingebantur, Ægyptij Primogenitos ob eorum contra Hebræos ſæuitiam interfectos funebri plangebant luctu: Quò igitur hoc emendatos vulnere in poſterum ſe teſtentur, & pœnam ad diſciplinam profeciſſe oſtendant, qui quod debebant, antea præſtare recuſabant, modò etiam plus quàm id, ad quod teneantur exſoluunt; & qui Iudæis, quæ ſua erant aſportare, ægrè indulgebant; modò, quod ipſorum Ægyptiorum ſit, ídque pretioſiſſimum, aliò transferre non reuerſurum vnquam, conniuent.

Exod. 11. 24

Numer. 33. 4.

*Qui Iudæos quæ ſua erãt aſportare prohibebant Ægyptij; iam primogenitorum mortuorum pœnâ emendati, quod ipſis Ægyptijs pretioſiſſimum erat, Iſraëlitis fugientibus dimittũt.*

31. Feſtinus pergebat ad filium immolandum Abraham; *die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul.* Geneſ. c. 22. v. 4. Quidnam eſt quod luminibus ſpeculatur victimæ dicatum montem? Solent qui nimium amant comitari abeuntes ſodales, & cùm paſſibus ſequi nequeunt, feruntur viſu quantùm licet poſt illos; eoſdem cùm & redituros expectant, aſcendunt in collium faſtigia, aciémque protendunt, ſi fortè de longè videant, quem adeſſe concupiſcũt. Ergóne retardari mortem filij dolet, & tanquam ſegnes accuſans ſeniles greſſus Abraham, obediendi ſtudio, quod pedibus nequeat, luminibus præoccupat? aureâ dictione Ambroſius lib. 1. de Abraham c. 8. *Vidit locum procul, ſollicitè explorat qui properat implêre; quamuis ſenilem ſtudio celeraret gradum, tamen hoc ſerum putans procedebat oculis; ſolet hebeſcere viſus ſenum, vt etiam propinqua non facilè conſpiciant; hic non ſolùm vidit locum, ſed etiam longè poſitus aſpexit;* Verùm, quis tam magnus feſtinandi ardor Patriarchæ, vt non contentus matutinam anteuertiſſe lucem, de nocte enim conſurgens ſtrauit aſinum ſuum, oculis nitatur quod curſu non poteſt? Sciebat nimirum ex traditione veteris ætatis Cain tum ob alias cauſas, tum peculiariter ob tarditatem numini diſplicuiſſe, nam obtuliſſe poſt multos dies notatur, Geneſ. c. 4. v. 3. quem in verſum Ambroſius lib. 1. de Cain & Abel, c. 7. *duplex culpa; vna quod poſt dies obtulit, altera quod non ex primis fructibus: ſacrificium autem & celeritate commendatur & gratiâ:* Alterius igitur pœna inſtructus, cautus euadit, plurimúmque vigilat ne moroſus appareat; quare greſſibus tantùm ambulare mediocre iudicauit velocitatis deſiderium, adiuuat luminibus curſum, & viſu præambulat.

Geneſ. 22. 4.

*Quòd lentum tardúmque Caini ſacrificium Deo diſplicuiſſe noſſet Abraham, & de nocte conſurgit, & montẽ procul aſpicit, quò etiã oculi greſſus præuenirent.* Ambroſ.

Idem.

32. Refouebat in ſinu vinculis exutum mortalibus pauperem Lazarum Abraham, cúmque dulciſſimis aſſueta quondam epulis torqueretur lingua diuitis & poſtularet, vel extremum digiti à Lazaro lymphis intingi, vt ſtilla ſaltem refrigeret ambuſtas fauces, reſpondit Abraham: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala; nunc autem hic conſolatur, Tu verò cruciaris, & in his omnibus inter nos, & vos chaos magnũ firmatum eſt, vt hi, qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc tranſmeare,* Luc. c. 16. v. 26. Sed quamobrem tam magnum chaos inter ſtygiam paludem, & limbũ, quo ſanctorum requieſcebant animæ? & perſpice diligentiã, *neque inde huc tranſmeare poſſint:* Quid metuunt, quibus certamen finitum eſt, qui portum tenent? neque enim iam ampliùs fluctuũ metus quiſquam; placidè tranſigent quoad venerit deſideratus Saluator, & beatis annumerabit Angelis; equidem & munitus ſatis locus videbatur Paradiſus voluptatis; irrupit tamen verſipellis Diabolus, & decepit Adam cum vxore illius: ô mirabilem ruinam duorum, quibus tam fortia adminicula contra hoſtem! huius igitur lapſus quaſi memores, ne ſimilia ipſis velut contingant (non quod accidere poſſit cùm extra viam ſint, ſed ad noſtram doctrinam, qui caſui obnoxij ſumus) procurant eiuſmodi intercedere chaos, quod ſuperare nec tartarei valeant habitatores: Bernardus ſerm. 8. in Pſalmum, *Qui habitat,* &c. *Putas enim timêre adhuc non poterant, & callidiorem cunctis animantibus ſerpentem non habêre ſuſpectum, præſertim ſeductæ quondam in Paradiſo memores mulieris; niſi cum toto iam corpore ſuo vltricibus traditum flammis, & inter ſe, & eum magnum iam chaos firmatum eſſe conſpicerent.*

Luc. 16. 26.

*Quòd in Paradiſum terreſtrem ſerpens aſtutus malè irrepſerit, Chaos magnum firmatur inter Limbum Abrahæ & locum damnatorum ad maiorem ſecuritatem.* Bernard.

33. Cùm extendiſſet manum Oza, vt arcã teneret, iratus indignatione Dominus, percuſſit eũ ſuper temeritate, & mortuus eſt: compunctus eſt Dauid, quantum arbitremini? *Et extimuit Dauid Dominũ* (Reg. 2. c. 6. v. 9.) *in die illa dicẽs, quomodo ingredietur ad me arca Domini?* Obſerua phraſis modũ: *extimuit in die illa:* Cedò ante hunc diem, nonne Dauid vir optimus & Numen timebat? certè, niſi Deum metueret, Saüli crudeliſſimo Aduerſario lethum intuliſſet, mala alia feciſſet plurima, à quibus abſtinuit

2. Reg. 6. 9.

*Ex percuſſione Ozæ Dauid compunctus fit cautior.*



nuit ob timorem Domini; quare itaque eo ſpecialiter die timuiſſe Creatorem memoratur? metuebat ſanè Deum, metuebat cæleſtia ante hoc Dauid, ſed ab eo die, quo ſublatus eſt Oza ita metuere cœpit, vt eius metus comparatione velut non timuiſſe olim iudicaretur; Cùm enim obſeruaſſet Hominem eam profectò ob cauſam pœnas exſoluiſſe, quæ honore & compenſatione digna putabatur, ſic affectus eſt, vt quanquam in Domini timore profeciſſe æſtimaretur ab aliis, ſibiipſi minùs placeret, tantúmque ſuperaddi opportêre metus autumaret, vt in huius conſpectu prior ille velut non timor fuiſſe cenſeretur: Abulenſis q. 9. in dictum cap. 6. *Non eſt ſenſus, quòd in illa die inceperit Dauid timêre Dominum, ſed illâ die cœpit illum plus timêre, cùm nunc percuſſiſſet Dominus Ozam, & non videretur multum peccaſſe.* Felicius tamẽ ex propriis didicit lapſibus, quàm ex aliena caſtigatione, auſus namque Vriæ Hethæi maculare torum, cùm adulterio homicidium copulaſſet, ſibi demũ reſtitutus, aquam ciſternæ Bethleemiticæ concupiuiſſe pœnituit, & libauit Domino, *Propitius ſit mihi Dominus,* (aiebat Reg. 2. c. 23. v. 17.) *ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* ô beatum animum, quem non ad deſperationem peccatum mouit, neque ad licentiam ſcelerum, ſed in concupiſcentiæ glorioſam ſtimulauit Victoriam, doctiorémq; Spiritus curam! nunc ad aquam expauet Rex, vt cùm lympharum timêre illecebras cernamus; muliebria quãtùm oderit blandimenta percipiamus; opus eſt ne mulier fallat, etiam aquæ ne decipiãt; ruina inſtruxit, à remotioribus fugere, proxima ne euertant: Gregorius Papa hom. 24. in Euangelia; *Sed flagellis eruditus, protinus cum periculo militum aquã deſideraſſe reprehenditur, & eam Domino libauit; quia in ſacrificium aqua effuſa conuerſa eſt, culpã concupiſcentiæ mactauit per pœnitentiam ſuæ reprehenſionis: qui ergo quondam alienam vxorem concupiſcere non timuit; pòſt etiam quia aquam concupiuit, expauit.*

Toſtat.

2. Reg. 23. 17.

*Dauid poſt peccatum ſuum quàm cautus, quàm abſtinens!*

Gregor.

34. Beati Alexij Romani poſt voluntarium exiliũ, ad paternos iterum lares redeuntem perpendens Sanctus Petrus Damianus inquit ſermone de eodem: *Alexius non terrena quæque dimiſit, cùm opes omnes, atque diuitias paterni iuris abiecit, ſupernæ iuſſionis mandata compleuit; cùm verò ad propria redijt renunciator egregius, metam proculdubio diuinæ legis exceſſit.* Itaque ſignificare videatur longè præclariori facinore antiquam repetiſſe domum, quàm ab eadẽ exierat, ſiquidem deſerendo Patrem, matrémque & vxorem, id quod in lege eſt, ſcilicet in Euãgelicis conſiliis exequutus ſit; reuertendo autem ad priſcas ſedes quidpiam egerit ſuprà quàm lex adhortetur, & propterea *legis diuinæ metam exceſſit;* Sed quæro, annon Euangeliorum Scriptura dicat ineptum eſſe regno cælorum, qui cùm manum ad aratrum porrexerit, retrò aſpiciat, hoc eſt, cùm ſeculo valedixit, iterum mundo reſtituatur? at verò mundo reſtitui nõ aliud appareat, quàm ad Patrẽ, domúmq; natiuitatis, quæ blãdiebãtur olim, poſtliminio voluiſſe: huius autem mandati ea peropportuna ratio eſt, quòd ij qui ad vetera Parentum lenocinia regrediuntur, à virtutis firmitate recedunt domeſticis voluptatibus eneruati: quot iſtorum caſuum exempla? itaque primum monitũ eſt perfectos eſſe deſiderantibus, vt Parentũ fugiant conſortia, ideò Abrahæ dictum, Geneſ. cap. 12. v. 1. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui:* ad Sponſam quoque Pſal. 44. v. 11. *Obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui;* Quonam ergo pacto in his, quibus legi quaſi contradicere Alexius videbatur, legis tranſcendiſſe metam referatur, cùm magis in vltimos terrarum proficiſci terminos debuerit, quàm ad ea rediiſſe quæ deſeruerat? Sanè rerum curſum ordinarium vt perpẽdamus, cùm ſapiens quiſque alieno periculo & damno cautior euadat, Alexius qui ſapientiſſimus erat, plurimorum ruinâ eò quòd paternam repetiſſent domum poſt ſeculi fugam, proculdubio retrahebatur, ne deſtituta rurſum viſitaret, & ad hoc oportebat nec in omni circum regione ſtare; hoc equidẽ lex inſinuat, hoc edocet: quod igitur hoc nõ obſeruarit, magnum quiddam fuit, ſingulare, & lege exemptum, planè de inſtinctu particulari eius, qui legem ipſammet condidit: Quamobrem S. Damianus quaſi ad inſolitum quidpiam contẽplandum nos vocat, tanquam dicat: Obſtupeſcite & miramini: cùm non lateret B. Alexium reuertentes ad paternas ædes poſt calcatum ſæculum ſuccubuiſſe multos, tamen alienam non veritus ruinam, regreſſus eſt ipſemet: at vos, qui imbecilli eſtis hoc illius factum ſuſpicite, imitari non audeatis: Dei ex ſpeciali id perpetrauit conſilio, & idcircò extra legem fuit, vos aggredi æquum non eſt, quæ Deus ex ſingulari imperio vt fiant, iubet: ſtupendum quidem, quod Cõſule natus pulcherrimôque coniunctus matrimonio, pro Chriſto omnia deſpexerit; mirabilius tamen eſt non veritum eſſe paternæ Angulo domus rurſum includi cùm aliorum ruinæ terrerent; ob hoc igitur ſubiecit Cardinalis Damianus: *Cùm verò ad propria redijt renunciator egregius, metam proculdubio diuinæ legis exceſſit.*

Pet. Damian.

*S. Alexius metam diuinæ legis excedit: qua ratione?*

Geneſ. 12. 1.
Pſal 44. 11.

*S. Alexij Actio eximia, ſingularis, & ſupra legem, de particulari Dei inſtinctu: ad quam obſtupeſcit S. Damianus.*

---

*Qui rebus magnis inidonei ſunt, temerè & præſumptuosè eas affectant; Qui habiles ſunt, non niſi cum verecundia & metu.*

## SECTIO II.

35. QVid ad ſummam laudem noſtræ deeſt cantatrici? non ſolo gutture ſuauis eſt, ore quoque formoſa eſt; his integratur Muſica encomiis; Bernardus ſerm. 62. *Quia enim non placet vox, ſi diſplicęat facies, demonſtrat cùm illico ſubdit, Et facies tua decora: Quid internæ decor faciei niſi puritas? in pluribus hæc abſque prædicationis voce complacuit, illa abſque iſto in nemine:* Tam dulcis, tam venuſta non ſe ingerit ad canendum, non ſollicitat, non ambit; opus eſt à Sponſo quaſi cogatur, certè rogat: *Oſtẽde mihi faciem, ſonet vox tua in auribus meis:* Fortaſſe ſi ſtridens, & inſonora prorupiſſet inuitis auditoribus: Verecundum Sponſę timorem non audẽtis vel faciem detegere, vel gutturis mouere harmoniam Origenes indicauit homil. poſtrema ex quatuor, aiens: *Tum deinde quaſi ſi reuerentiæ cauſa ipſa Sponſa obtecta ſit, & velata; petit ipſe Sponſus, vt veniens ad illum locum, quem ſuprà oſtendit vtpotè ſecretiorem, ibi ex quaſi reiecto velamine oſtendat faciem ſuam: & quia pro multa reuerentia taceret Sponſa, deſiderat Sponſus aliquando etiam vocem eius audire, & delectari in verbis eius, & dixit, vt auditam ſibi faciat vocem ſuam:* Sic comparatum eſt inter humanæ infirmitatis abuſus: prout quiſque digniſſimus eſt honore, fugit venerari, prout arte quaque excellit magis, prudentior & circumſpectior eſt; vilium & hebetum audacia eſt, atque præſumptio ſumma.

Bernard.

*Sponſa ad canendum non ſe ingerit, niſi à Sponſo ſollicitata.*

Origen.

36. Alloquebatur Ioãnes cum diſcipulis ſuis, quos Euangelij lacte nutrierat, *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione & regno.* Apoc. cap. 1. v. 9. Quare non ſe Magiſtrum nominat? tanquam ſi idiota & doctrinarum expers, fratrem ſe dicit ſolum;

Apoc. 1. 9.

ſolùm:tranſeamus ad Scribas & Phariſæos, & videamus quale de eis ferat Chriſtus teſtimonium:

Matth.23 6.

*Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Matth. cap. 23. v. 6. Cerne inexplebilem Magiſterij ſitim, *& vocari ab Hominibus Rabbi*: Itaque Magiſter vocari Ioannes recuſat; appellari Scribæ & Phariſæi omni conantur ſtudio: quæ differentiæ huius ratio? nimirum, priores illi ineptiſſimi erant, lucéque orbati, quæ prima dos Magiſterij, itaque eis nihil ſtolidius, vnde IESVS eodem Matthæi cap. verſ. 16. *Væ vobis duces cæci*; & verſ. 24. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*: proh Doctores admodum inſignes & præclaros! Ioannes autem vertex Theologorum, corona Scholarum, Pater & Antiſtes ſcientiarum, ille Chriſti ad mamillas eruditus, ille qui Trinitatis arcanum ſpeculatus, ille cum Virgine Beata tamdiu moratus, & ſecretorum reconditorum Veſtigator acerrimus, ergo illi, quoniam ignari, rudes, trunco hebetiores, quærunt & ambiunt honorem Doctoratus, cui prorſus inſufficientes: ô temeritatem, ô impudentiam! Et quod miſerabile eſt aduersùs hos genus humanum non conclamat, non vociferatur: Ioannes autem, quia Phœnix in diſciplinis, quia tam ſublimis in cognitione, verecundatur ſe Magiſtrum pronunciare, tanquam ſi non Cathedræ par, idcirco Fratrem ſe appellauit ob animi ſubmiſſionem, atque modeſtiam: Richardus de Sancto Victore libro 1. in Apoc. cap. 14.

*Ioannes dignißimus, Magiſter appellari recuſat, id verò nomen ambiunt Phariſæi indignißimi.*

Matth.23. 16.& v.24.

Richard. Victorin.

*Et notandum, quod cum poſſit dicere Magiſter propter prælationem, dixit frater propter humilitatem.*

37. Gubernationis ſarcinam deponere Moyſes niſu contendit maximo; adeò & occidi mauult, quàm præeſſe: *Non poſſum ſolus* (inquit Numer. cap. 11. verſ. 14.) *ſuſtinere omnem hunc populum; quia grauis eſt mihi; ſin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis*; At nonne hic ille eſt, qui præfecturæ olim tam auidus, vt ne præterire adoleſcentiam ſineret, quin mandaret, conſpicatus enim rixantes Hebræos duos, velut imperantis auctoritate alloquutus eum, à quo iniuria facta eſt, inquit, *Quare percutis proximum tuum?* cui interrogatus reſpondet: *Quis te conſtituit principem & iudicem ſuper nos?* Exod. c. 2. v. 14. innuens iudiciariæ poteſtatis immaturam vſurpationem: cur igitur in iuuentute Magiſtratus appetens, ſenior recuſat? nimirum in ardenti illo ætatis flore gubernatoriæ artis imperitus erat Moyſes; poſt autem longum in ſolitudine receſſum, poſt aliorum conſilia, poſt experientiam magiſtram, conſummatus Antiſtes redditus eſt: iam verò qualem eſſe hominum abuſum commemorauimus? Scilicet, cùm ad res gerendas inepti eſſe cognoſcuntur, tum cæcâ quadam præſumptione, eas concupiſcunt, votúmque eſt adipiſci quod neſciunt: cùm autem ſcientiæ perfectionem attigerunt, ſubmiſsè & verecundè procedunt; neceſſum eſt maiorum ſtricto imperio cogantur præfecturæ humeros inclinare, & quibus poſſunt viis enituntur Magiſtratu exſolui: Quoniam ergo Moyſes cùm adoleſcens extitiſſet, ad regendum inidoneus erat, propterea tum iudicem fieri exoptabat: Quia tamen idem ſenior factus in Præſulem euaſit abſolutiſſimum; non niſi Dei compulſus mandato Ducis Hebræorum titulum ſuſcepit, quem deponere tentauit, quòd pro mentis verecundia, non ſatis habilem tanto ſe putaret oneri.

Numer.11. 14.

*Moyſes iuuenis ac imperitus iudiciariam ambit poteſtatẽ, quâ exonerari ſenex ac dignißimus efflagitat.*

Exod.2.14.

38. Poſt ſalutatam Deiparam addit Nuncius cæleſtis: *Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum*, Luc. cap. 1. verſ. 30. Quid eſt *inueniſti?* planè vox eſt de ſcrutante, de veſtigante quod non habeat: quis enim quod habeat otiosâ luſtrauerit diligentiâ? Ergò Dei gratiâ caruerit Maria? Sed abſit, cùm & ante hoc Angelus ipſemet gratiâ plenam, cum qua & Dominus eſſet, prædicauerit: Quæ itaque plena eſt, cuiuſnam indiget? quid aut poſtulet, aut deſideret? Sed priuſquam nodum hunc ſoluamus, inſpiciamus falſas cuiuſdam inaniter locupletis opes: *Quia dicis, quod diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*, Apocal. cap. 3. verſ. 17. Quonam modo hic inter diuites numerari velit, cùm rerum omnium egenus ſciatur, aut cur Maria pauperem ſe quaſi reputat, cùm abundet? Sanè turgidus & ſuperbus erat deſpoliatus ille, ex hac præſumptione affectabat videri quod non erat, & cùm Diuitum ſtatui vitæ eius conditio omninò repugnaret, tamen ambit primos Reipublicæ gradus, eius potiſſimùm correptus œſtro, à quo remotiſſimus; Sanctus Gregorius 3. parte Paſtoralis curæ, admonitione 35. *Diuitem ſe aſſerit, qui per arrogantiam extollitur, ſed pauper, cæcus, & nudus arguitur: pauper quia virtutum diuitias non habet; cæcus, quia nec paupertatem, quam patitur, videt; nudus, quia primam ſtolam amiſit, ſed peius eſt, quia nec ſe perdidiſſe cognoſcit.* O ſceleratum, ô cauteriatæ frontis homuncionem! ſordidus & inops cum ſenatoribus terræ, qui purpuram & byſſum induunt, ſedêre tentat! Euome Domine, proiice in ſterquilinium nequam & fœtens caput: Richardus de Sancto Victore lib. 1. in Apoc. cap. 11. *Quia cùm ſis miſer per tui teporis deſidiam, & bonorum ſpiritualium penuriam; te diuitem æſtimas, & iactitas per ſuperbiam, & inanem gloriam; meritò te incipiam euomere ex ore meo: nam ſi tuam paupertatem cognoſceres, & de culpa temetipſum humiliares, diutiùs ad pœnitentiam te expectarem, nec de ore meo penitus te euomerem*; Non talis Maria Beata: nonne diues, cui fecit Dominus magna, qui potens eſt & ſanctum nomen eius? cuius vultum etiam diuites plebis deprecantur? nec mirum cùm gratiâ plena cognoſcatur; & tamen pro humilitate ſua, gratiam adhuc quærit, & tanquam egenam ſe reputans, laborat & veſtigat; Hæc eſt ſanctarum mentium de ſe tenuiter quantumcumque exaltentur, locupletentúrque ſentientium verecundia admirabilis, & ideò verè diuites, quia ſe egêre iudicant, vt qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc: Bernardus ſermone de aquæductu in Natiuitate Mariæ, in dictâ ſuperiùs Lucæ verba: *Quid? plena eſt gratiâ, & adhuc gratiam inuenit? digna prorsùs inuenire quod quærit, cui propria non ſufficit plenitudo, ſed quemadmodum ſcriptum eſt, qui bibit me, adhuc ſitiet.*

Luc.1.30.

*Quaſi pauperem ſe reputat Maria cùm omnibus abundet: Superbus verò quidam ſe ditiſſimum credit, cùm planè nihil habeat.*

Apoc.3.17.

Gregor.

Richard. Victorin.

Bernard.

39. Quàm ſuperba, quàm tumens Maria illa legiſlatoris Moyſi ſoror, quæ ſe fratri coæquare non veretur, inquiens: *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus, nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* Numer. cap. 12. verſ. 2. ſcilicet gloriabatur Prophetiæ dono ſe germano nequaquàm inferiorem: Num verum iſtud? Sed quo pacto verum eſſe poſſit, cùm Dei ore præferatur Moyſes verſ. 6. *Audite ſermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei,*

Numer.12. 2.



*vel per ſomnium loquar ad illum; at non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquar ei*: Quamobrem itaque fœmina Moyſi ſe comparare non dubitauit, quæ longo ſuperabatur interuallo? Equidem propterea quod obſcurior eſſet, & ad gloriam legiſlatoris non accederet, ſi enim quemadmodum frater, eximia ipſa fuiſſet, ſobriè egiſſet modeſtè ſentiens de conceſſa gratia; nunc verò, quia mediocris claritatis, præſumit nobiliſſimis ſe Prophetis adiungere; Quàm diſpar huic altera Maria Chriſti genitrix? enumerabat Lucas congregatos in domo Saluatoris diſcipulos, & nouiſſimam Deiparam nuncupat: *Et cum introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi, hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre* IESV, *& fratribus eius*, Actor. cap. 1. verſ. 14. Fortaſſe quidem ipſa chariſſimo ſuo Lucæ intimauit, vt præponerentur Apoſtoli; ſed numquid non ipſa Magiſtra & Domina Apoſtolorum erat, quæ & cæli, terræque Regina? Quare vltimo ſcribatur loco? ideò, quia dignitate & meritis prima erat, quibus enim primus præſtantiſſimúſque debetur honor, ij maximè honorem vitant, quia in ſuis oculis ob humilitatem parui ſibi apparent, & cultu, atque veneratione indigni; Bernardus ſermone de verbis Apoc. in Natiuitate Mariæ: *Itáne, & mulierum ſeſe vltimam exhibeat, vt nouiſſima omnium poneretur? meritò facta eſt nouiſſima prima, quæ cùm prima eſſet omnium, ſeſe nouiſſimam faciebat; meritò facta eſt Domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam.*

*Maria ſoror Moyſis ſibi Prophetiam fratri æqualẽ arrogat, quod eſſet indignißima: Maria Deipara ſe infra omnes demittit cùm ſit omnium prima.*

Act.1.14.

Bernard.

40. Ex Hebræis quidam eleemoſynam facturi, tubæ ſonitu & clangore ad ſtipem conuocabant, quos dehortabatur Chriſtus inquiens; *Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus*, Matth. cap. 6. verſ. 2. Lego de altero, qui inopes ſuſtentabat, ſed in profundo noctis ſilentio: *Quis veſtrûm habebit amicum* (dicit IESVS apud Lucam cap. 11. verſ. 5.) *& ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi, Amice commoda mihi tres panes*, &c. Quare ſub mediam noctem, & non ſub auroram & veſperam? Equidem noctis ſub exordio licet huc illuc nonnulli diſcurrant, tamen creſcentibus tenebrarum vmbris, domum ſe conferunt omnes, adeò prouectâ iam caligine vix ipſi canes oblatrant, nam vt ille dicebat; tunc ſilent voces hominúmque, canúmque; ne igitur ſcire quiſpiam poſſet eleemoſynam dare eum, elegit tempus, quod teſtibus maximè vacat: At quorſum vel hic ſtuduerit occultare, vel illi clamoſo diuulgare ſono? Sanè primi illi reipſâ auari erant, raptoréſque fraudulenti alienorum bonorum, vnde Redemptor noſter de eis, Matth. c. 23. verſ. 14. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas facientes*: Verùm ſecundus iſte miſericors abſque fuco aliquo, pauperibus condolens, faciebat theſaurum in cælis de mammona: Quoniam ergo illi viri miſericordiarum non erant, affectabant tales videri, famámque virtutis ambiebant, cui ineptiſſimi penitus: Quid enim tam diuerſum, ac raptor, & auarus, bonorúmque in egenos profuſor? ideò tubâ canebant eleemoſynam facturi; Hic autem eò quòd ſincerus pauperum amator eſſet, metuebat nihilominus ſi fortè nomini reſpondebat operibus, & ob verecundiam abſcondebat ſe, pudore quodam affectus, quod quaſi dignum nihil ſe præſtare reputaret: Chryſologus ſerm. 39. *O quam pius, qui quod mandatis docet, informat exemplis: cùm facis, inquit, eleemoſynam, noli tuba canere: quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte? parum eſt, quod facienti miſericordiam nox velabatur, quòd largitatem dantis petentis obtegebat improbitas, niſi ad cumulum pietatis velandæ adſcriberetur & ſomnus.*

Matth.6.2.

Luc.11.5.

*Tubâ ſuas eleemoſynas canunt Hypocritæ, media verò nocte dũ nullus videt vir Euangelicus beneficus eſt.*

Matth.23. 14.

Chryſolog.



---

*Malarum ſeu cogitationum, ſeu operum exordijs fortiter repugnandum.*

## SECTIO III.

41. ERgóne, ſiue Sponſus loquatur, ſeu vxor eius crudeliores aduerſus puſillas vulpes, quàm contra magnas? Nonne grandiores vineæ nocentiores? cur itaque de his ſilentium? At rectè omninò noui coniuges: ne enim cum maioribus natu acrem inſtruere pugnam cum dubia ſpe Victoriæ neceſſum ſit, exiguas intercipere mandant; hæ ſi tollantur de medio, grandes nullæ ſuperſtites futuræ, quibuſcum colluctandum ſit: Spiritaliter autem, prauitatis initia vulpes aſtutæ ſunt; Si quiſquam felix excubitor ſub principio aduigilet, & paruulum interimat, quod facillimum eſt cum hoſte agere, quod tunc infirmus ille, & certare indoctus, triumphabit leui conatu de inimicis; ſin roborari permittat, nonniſi cum potentiſſima Dei gratia, ſtrenuum atque adultum vincet. O quoties dolebit, & lugebit infauſtus crepundialem & vagientem non extinxiſſe! Origenes homilia nouiſſima ex quatuor: *Competenter ſanè, cùm adhuc puſillæ ſunt, capi eas mandat, & comprehendi, dum enim cogitatio mala in initijs eſt, & puſilla eſt, facilè poteſt abijci à corde: Nam ſi frequenter iteretur, & diu permaneat, adducit animam ſine dubio ad conſenſum, & poſt conſenſum intra cor ſuum confirmatum, certum eſt quia ad peccati tendat affectum: dum ergo in initijs eſt, & puſilla: capi debet & abijci; ne ſi adulta fuerit, & inueterata, iam non poſſit expelli.* Hanc ob cauſam iudicauit Chryſoſtomus Abſalonem eouſque ſceleris proceſſiſſe, vt genitorem bello laceſſere non puderet, quod ſub principio cùm fratris ſanguinem effudit, non ſatis à Patre correptus, talîque indulgentiâ vitium corroboratum ſit, vt quaſi immedicabile fieret, inquit ſerm. 1. de Abſalone: *Semper enim ſcelera dum non reſecantur, increſcunt; dum enim in Abſalom fratris occiſi facinus non vindicatur; in parricidium Patris recidiuum facinus iteratur.*

*Vulpes, dum adhuc ſunt paruulæ, interimendæ.*

Origen.

*Abſalom de fratre occiſo non ſatis punitus, in Patrem ſuum poſtea inſurrexit.*

Chryſoſt.

42. Deſcendit Chriſtus, poſtquam mortuus eſt, in limbum, vt captiuas iuſtorum animas carcere liberaret: Quod fecerit Dauidem commemorare Pſalm. 106. verſ. 16. *Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, Bernardus arbitratus eſt ſermone 1. in Sancto die Paſchæ: *Sed eſt locus vnde clauſis noluit procedere ianuis, carcer vtique gehennalis; confregit ſiquidem vectes ferreos, repagula vniuerſa contriuit, vt liberè ſuos educeret, quos redemerat de manu inimici, & plenis egrederentur portis agmina ſanctorum*: Verùm, quamobrem portas, vectéſque fruſtulatim comminuit? Nam ſi itineris ſcopus ergaſtulo detentos, liberos mittere, ſufficiebat valuas aperuiſſe: acerbitatis cuiuſdam forma videatur indignatio contra vectes,

Pſal.106.16.

Bernard.

ferratáſque oſtiorum laminas, quæ in partes diſcerpere compulerit, quò nullis poſtea vſibus prodeſſent: ita enim mos eſt victori cùm ſæuit, omnéſque furori laxat habenas, vt non in vrbium ſolos habitatores iraſcatur, ſed contra ædificia, & murorum ſtructiones, dirutis vtriſque ad fundamenta, & non relicto lapide ſuper lapidem. O iram prouidam Saluatoris, & nunquam nimiam! nempe primus ille congreſſus ſpectabilis cum Principe tenebrarum, poſt exhalatum in cruce ſpiritum; exordium illud triumphorum Domini: quò itaque erudiamur, prima certamina cum animæ ſpiritalibus aduerſariis non ſegnia eſſe oportère, neque remiſſa, ſed magni impetus conantium hoſtis neque veſtigia, neque memoriam remanêre aliquam, quòd in tali ſita ſit ardore dimicantium ſalus & tranquillitas mentis; licet ad eximendos captiuos vectes confringere, portáſve conterere opus non eſſet, quia tamen prima illa velut externa triumphatoris ſpolia erant, voluit quaſi terribilem ſe demonſtrare, & tanquam plenam indignationi licentiam concedere.

*Chriſtus in exordio triũphorum ſuorum, in limbũ deſcendẽs ſtatim portas æreas cõterit & vectes ferreos cõſtringit.*

43. Antiquæ gloriæ reminiſcitur Iobus, & ait cap. 29. verſ. 7. *Quando procedebam ad portam Ciuitatis, & in platea parabam cathedram mihi.* cur ad vrbis ianuam Rex, aut ibi quam ob cauſam ſedile? Nonne à Regia ſeueritate alienum in communi loco cum multitudine verſari? quare idemmet Iobus cap. 3. verſ. 14. de Regibus & conſulibus dixit, ſolitudines ſibi ædificare, quia nimirum in palatiis ſub aurata camera, intérque parietes ebore diſtinctos latent abſconditi, nec ſe vulgo mortalium patefaciunt: ſed noſſe conuenit, iudiciarium tribunal propè vrbium introitus olim collocatum, Regéſque ipſos iudicum fungi munere non aſpernatos; procedebat igitur ad fores ciuitatis Iob inclytus, vt litium arbiter fieret altercantibus, componerétque diſcordes, & ſcelera vlciſceretur; ſed quamobrem non id potiùs Ciuitatis in vmbilico, quàm ad ianuas? nempè ſi vrbem introgreſſi eſſent rixandi ardore tumultum excitaſſent, oppidanorúmque partibus in factiones diſtractis, quibuſdam vni, quibuſdam alteri opitulantibus, ſeditionibus tota commoueretur vrbs; Hæc ergo ad vitanda ſub ingreſſu Ciuitatis cauſæ conquerentium audiebantur, ſopitíſque in liminibus portarum diſſenſionibus, oppidani pace & voluptate fruebantur maximâ: ô quantum eſt diſcordiis paſſionum animæ reſtitiſſe in oſtio; quoniam ſi initio pergere, centrum occupare permittantur, immanis excitabitur pugna, quæ interitum ſpiritui afferat, Diuus Gregorius Papa lib. 19. Moral. cap. 13. *Mos veterum fuit, vt ſeniores in porta conſiſterent, cauſas introëuntium iudicarent, quatenus tantò eſſet pacificus vrbis populus, quantò ad hanc diſcordes ingredi non liceret:* Hinc apud Pſalmiſtam miſeri naufragantium gemitus Pſalm. 68. verſ. 3. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me:* ô certè cor maris! ô profundum æquoris! ô vitij medullam! ſi enim eouſque perrexerit Homo, raro ſaluabitur; illuc ne perueniat, fugienda ſunt initia tempeſtatis; Theodorus Studita Catech. 4. *Qui in celeriter fluctuantes cogitationes ſedet, nihil in mora ſit quin miſerabilem eam edat vocem: veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.*

Iob. 29. 7.

*Diſcordes in porta Ciuitatis iudicabat Iobus, ne ſi ingreſſi fuiſſent vrbem, oppidanos turbaſſent: Sic in ipſo oſtio, Animi paſſiones ſedandæ.*

Gregor.

Pſalm. 68. 3.

Theodor. Studita.

44. Sed reuertamur ad Iobum, & perpendamus, quibus eſſet potiſſimum formidabilis, dum iudiciario ſederet throno: *videbant me* (inquit cap. 29. verſ. 8.) *iuuenes, & abſcondebantur, ſenes aſſurgentes ſtabant, principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo:* Cur non etiam ſenes eius conterriti aſpectu, latebras petebant? videlicet, iuuenum ij ſignificantur nomine, qui nullâ legibus habitâ reuerentiâ, luxum & voluptates ſequuntur; ſenes intelliguntur, quorum compoſiti mores, & vita innocua: Quoniam igitur ob Iudicis aduentum probi lætantur & exultant, mali autem dicturi ſint montibus, Cadite ſuper nos, & operite nos, propterea iuuenes abſcondebantur, ſenes conſurgebant: Gregorius Papa lib. 19. Moral. cap. 14. *Sanctam ergo Eccleſiam vident nunc iuuenes, & abſconduntur, ſenes verò ei aſſurgentes aſſiſtunt, quia vigorem eius, atque rectitudinem immaturi formidant, grandaui glorificant; vident ergo hanc iuuenes & abſconduntur, quia deprehendi in ſuis occultis actibus metuunt; ſenes verò aſſurgentes ſtant, quia perfecti quique ex humilitate indicant, quantum in bona operatione profecerunt;* ſed interrogo, numquid ex ſenibus non mali, omnibúſque fœdati vitiis quidam ſunt, Quemadmodum & inter adoleſcentes reperiuntur virtutum clariſſimarum famâ laudatiſſimi? Quamobrem ergo non & ſe abſcondere qui ſenes reputantur, perhibeantur? vide ſubtilitatem: omnis correctio tanquam aduersùs iuuenes ſolos eſt, non quia de ſenibus cuncti probi ſint, ſed quia vitium ſenectute confirmatum velut irreparabile cenſeatur ob difficultatem ſalutis; concipitur itaque Iobus quaſi hos ob deſperationem quandam penitus relinquat, quodammodò ægritudine ob immanitatem beneficium reſpuente medicinæ, non quoniam non conuerti & ſaluari ipſimet valeant, ſed vt quàm ſit ardua prouincia demonſtretur; ſciens ergo ob neglectam adoleſcentum educationem, ſpretáque ſub initiis mala in tantam deinceps cadere inſaniam vt miraculi inſtar propè habeatur reſipiſcere, optimus Gubernator in iuuenes ſeuerius animaduertebat, quo ſcelerum exordia amputaret; idcirco diſciplinam veriti adoleſcentes ſpeciatim memorantur, ſimul ac prodibat, eius fugere vultum ſolitos, & ſe abſcondere.

Iob. 29. 8. *Coram Iobo abſcondebãtur Iuuenes, quippe qui corrigebãtur, non item ſenes, quos nimirum in vitijs confirmatos corrigere ſpes non erat.*

Gregor.

45. Singularis eſt Ambroſij interpretatio ſerm. 1. in verſum 4. Pſalm. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis: in Paradiſo quidem* (ait) *mandauit Adæ vt cuſtodiret mandata, ſed fortaſsè non mandauerat nimis, & ideò lapſus eſt, ideò inflexus voce mulieris:* At quare non mandaſſe *nimis* intelligitur? Reſpondet Ambroſius, Quoniam Protoplaſto ſignificaſſe non eſt viſus ſi vel vnam legis tranſgrederetur partem, totius reum futurum, quatenus ad gratiæ gloriæque ſimpliciter amiſſionem: putabat ergo quòd vel vno, alterôve offenderet ſcelere magni periculi rem non ducendam, hac illus cogitatione, malorum quaſi imbecilliora ſpreuit exordia, & ingenti ruinâ qui initia contempſit præcipitatus eſt; ſubdit nominatus Doctor; *Et ideò deceptus erat à ſerpente, putans quod ſi in parte aliqua recederet à mandato, non penitus erraret, ſed quia ſemel à ſemita mandatorum receſſit, totam deſeruit viam, inuenit eum*

Pſal. 118. 4. Ambroſ. *Lapſus eſt Adamus, quòd ſceleris exordia neglexerit, ſiquidem cauere debuit vel à viſu pomi vetiti.*

Ambroſ.



*eum ſerpens extra viam, & expoliauit, omnibus nudum reliquit, ideò Dominus, quia lapſus erat qui in paradiſo erat per legem, per Prophetas, per Euangelium, per Apoſtolos monuit, vt nimium cuſtodias mandata Domini Dei tui, omne, inquit, verbum otioſum, quod locutus fueris, reddes pro eo rationem.* Aliter & faciliùs Ambroſij declararemus ſcopum, ſi cuſtodiri nimis mandata ſua Deum præcepiſſe ideò conciperemus, quoniam vetuerit non tantùm ſubſtantias faciendorum, ſed adiuncta ſimul, & cohærentia; nempe putemus ſubſtantiam eſſe vt iuſſerit ne de pomo comediſſent; circumſtantiæ verò extitiſſent fructus contemplatio & tactus: Si itaque Numen imperaſſet Adamo ne intueretur, ne contrectaret, mandaret cuſtodiri mandata ſua nimis, & tum Ambroſianum pronunciatum conſtrueretur: *Sed fortaſſe non mandauerat nimis & ideò lapſus eſt*, hoc eſt, propterea lapſi ſunt, quoniam eis interdictum non fuit, non ſolùm vt non ederent, ſed etiam ne conſpectarent, ne attigiſſent, quoniam ſi intueri piaculum eſſet, cùm initium illecebræ in viſu, de exordio cautiores fuiſſent; ſi autem vigilaſſent contra principium diſcriminis, tutiſſima fuiſſet ſalus; at hoc negligentes ex viſu ad tactum progreſſi, non difficulter eſui ceſſerunt.

---

*Maximâ ſolertiâ proſpiciendum, ne à vitijs ob virtutis quendam colorem decipiamur.*

## SECTIO IV.

46. CVm Libanus ſæua animantum genera Leones pardóſque aleret, propterea enim vocatur Sponſa inferiùs cap. 4. verſ. 8. *de cubilibus Leonum, de montibus pardorum*, quamobrem cui de vinea cura eſt non contra ingentia hæc ferarum monſtra armat plebem ſuam? nimirum, vt hæ arceantur beſtiæ, villicus vt commoneat ſeruos opus non eſt, nam & mole corporis & rugitu terrifico, non ſolùm vt vineæ fructibus quiſque prouideat, ipſæ ſollicitant, verùm ne morſibus earum dilacerentur vinearum cuſtodes; vigilant itaque abſque inſtructoris voce ſatis aduersùs has; ſed vulpium aſtutia eſt maxima, ſimulãt clementiam & imbecillitatem vt noceant; hoc non omnes, qui in rure verſantur, ſed periti & antiqui intelligunt Magiſtri: rectè admodum Gregorius Nyſſenus homilia 5. in Cantica: *Non enim dixit, venamini aprum ſilueſtrem, qui vineam Dei depopulatur, aut ſingularem feram, aut rugientem leonem, aut magnam balenam, aut marinum draconem, vim enim aliquam eorum, quæ contra depugnant, per ea oſtenderet oratio venatoribus; ſed illæ omnes, inquit, terreſtres poteſtates, aduersùs quas eſt colluctatio hominibus, principatus, poteſtates, & rectores tenebrarum mundi huius, & Spiritus nequitiæ, ſunt paruæ vulpes, doloſæ & infelices;* Nam ſanè, quæ palàm vitia ſunt, deformitate ſuâ clamant; vbi metus eſt, ne bonæ voluntatis ſuccumbant homines? tunc profectò, cum Angelus Satanæ in lucis ſe transfigurat Angelum: ô quantos decepit fraudulentus! Quantis impoſuit; dum in mirabilibus ſuper ſe ambulant, & viſiones vident, & ſenſibus abſtrahuntur, & oculis vulgi ſtupenda patiuntur? alij etiam Spiritu incipientes, carne deſinunt; de his illuſionum formis, quantôque vigilandum ſit ſtudio pulcherrimè in hunc locum Bernardus ſermone 64. *Aſtutum ſiquidem natura eſt genus animantis, promptúmque admodum ad nocendum in occulto: & videtur mihi congruentiſſimè deſignare ſubtiliſſima quædam vitia ſpecie palliata virtutum; nec enim aliter nocêre queunt niſi quòd ſe virtutes virtutum quadam ſimilitudine mentiuntur; ſunt autem cogitationes hominum aut vanæ, aut factæ immiſſiones per Angelos malos, Angelos Satanæ, qui ſe transfigurant in Angelos lucis, parantes ſagittas ſuas in pharetra hoc eſt in occulto, vt ſagittent in obſcuro rectos corde; vnde & puſillas eas propter hoc reor dici, quòd cùm cætera vitia quadam quaſi corpulentiâ ſui manifeſta ſe præbeant, hoc genus pro ſui ſubtilitate haud facile agnoſci, & ideò nec caueri poſſit niſi duntaxat à perfectis & exercitatis, & qui habeant illuminatos oculos cordis ad diſcretionem boni & mali, maximéque ad diſcretionem ſpirituum, qui cum Apoſtolo poſſint dicere: quia non ignoramus aſtutias Satanæ, neque cogitationes eius.*

Cantic. 4. 8. *Non apros, leones, tigrides à vineis arceri, quippe à quibus ſatis timetur; ſed vulpes aſtutas & ſimulatas de quibus leuis eſt ſuſpicio, monemur.*

Nyſſen.

Bernard.

47. Iuſſus Abraham circumcidere familiam ſuam nullâ ſeruorum exceptione, *Omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur*, Geneſ. cap. 17. verſ. 12. tranſeo ad myſticum intellectum, quem ſuggerit Ambroſius libro 2. de Abraham cap. 11. *Si ad ſingula referas vernaculi ſunt motus naturales; pretio empti ratione & doctrinâ adquiſiti: egent autem illi & hi, tanquam virgulta, purgatione, & inciſione luxuriæ.* Verùm eſto, naturales motus, qui belluinam ſapiunt conditionem, correctionem poſtulent, ſed quam ob cauſam motus ratione & doctrinâ adquiſiti, eandem deſiderare videantur? quem enim in finem ſcientia, & iudicij ſubſeruiat regula, niſi vt in motibus nihil appareat diſtortum, nihil vacuum, nihil abundans? Num rectè igitur Ambroſius conſulat præter indiſciplinatos motus, etiam rationalium faciendam inciſionem? Optimè quidem Sanctus Doctor: Nam quantumcumque aduelet ratio, & doctrina conetur, metuendum ſemper, Nam aduerſarij tanta eſt in fallendo ſubtilitas, vt etiam doctrinæ ſe ingerat, & procuret ſolerter inducere, vt doctrinæ natum ex viſceribus intelligatur, quod exitus rerum deceptionem & errorem fuiſſe oſtendit; niſi enim, cum doctrinæ imaginibus ludificet, nihil faciat, quod namque apertè conſtat errorem haberi, quiſque facilè vitat; vbi veritatem præſtigiæ mentiuntur, ibi Magiſterij acris interueniat diligentia, neceſſarium: rectè igitur & ipſoſmet doctrinæ & rationis partus examinandos eſſe, & quod ſupereffluat, præſcindendum eſſe, adhortatur.

Gen. 17. 12.

Ambroſ. *Non ſolùm vernaculi .i. motus naturales, petulci: ſed etiam emptitij .i. ratione & doctrinâ acquiſiti à quibus etiam cauendum eſt, circumcidi iubentur.*

48. Cùm reperiſſet in templo IESVS nundinationem, zelo maximo percurſus, facto de funiculis flagello, *Omnes eiecit de templo, oues quoque & boues, & nummulariorũ effudit æs, & menſas ſubuertit.* Ioan. cap. 2. v. 15. huius egregij facinoris communis habetur ratio, ſtimulatum Saluatorem ob templorum reuerentiam, textúſque fauet omninò, cùm demõſtret indignatum idcircò, quòd domum Patris illius, domum reddidiſſent negotiationis: addamus huic tam iuſtæ cauſæ alteram: Nimirũ ex Sacerdotibus populus diſcit, quæ ad Religionem, pietatémque attinent, ideò Malach. c. 2. verſ. 7. dicitur, *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*; Videns itaque plebs Sacerdotes permittere, vt in forum venale templi conuerterentur porticus, putaret licitum eſſe loco Numinis venerationi dicato mercaturam exercêre.

Ioan. 2. 15.

Malach. 2. 7.

*Ne populus exiſtimaret licitum eſſe mercaturã in Templo exercere, &c. tam ſeuerè vendẽtes eijcit de Templo Chriſtus, vt etiam menſas euerterit, as effuderit, &c.*

exercêre,quin & tam indignũ lucri, quæſtúſque modum,pietatem arbitraretur; ne igitur hic tam falſus error multitudinis occuparet animos, vitiúmque inſigne virtutem æſtimarent;quanquàm aliàs mitiſſimus IESVS, excandeſcit & verberat; memorat autem opportunè Matthæus c.21.v.14. vt hæc patrata ſunt, accèſſiſſe ad eum in templo cæcos,& claudos,quos ſanauit; cur nõ anteà?myſticè quidem bene penitus; vbi enim ſacerdotum diſſimulatio correcta eſt, rectè quòd cæcitas, & ignorantia ſublata eſt,nam ex praua illa Sacerdotũ indulgentia oriebatur in vulgi mentibus ignorantia, cùm iudicarent religioſa habenda quæ prophana eſſent, & pro virtute, quod ſceleſtum, erroneúmque eſſet, colerent: Quo ex facto erudiuntur,qui fidei præſunt quæſtionibus, nullatenùs conniuendum eſſe cùm populus in errorem inducitur, & mendacium pro veritate adorat, licétque aliàs clementiæ laudem ſollicitè ambiant, in talibus oportêre ſeueros eſſe;Rupertus lib.1.in

Rupert.

Ioſue c.21. *Vnde & apud Euangeliſtam Matthæum pulchro myſterio dictum tenemus, quia cùm Dominus noſter facto de funibus flagello vendentes,& ementes de templo eieciſſet, tunc demùm acceſſerunt cæci, & claudi ad eum in templo, & curauit eos: non priùs cæcos, & claudos curauit,quàm illos latrocinantes de ſpelunca eiecit; quia videlicet non vitia curari,nec virtutes poſſunt illuſtrari,niſi priùs Mammon de cordibus Sacerdotum, aut ipſi Sacerdotes cum illo Deo ſuo de templo Dei fuerint eiecti.*

49. Trãsfiguratus eſt Chriſtus,magnâque irradiante claritate,*Reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*; Matth.cap.17. verſ.2.ſed ecce nec incomitatus,nam apparuerunt Moyſes & Helias cum eo loquentes: quare latera hi duo ſtipant? ſcitè Theophylactus: *Quin & vt appareat,quod non ſit legi aduerſarius, neque Deo:non enim Moyſes adſtitiſſet ſuo aduerſario, neque Helias tantus Zelotes ipſum tuliſſet,ſi Deo fuiſſet contrarius:* Verùm ſi propterea adſtiterunt, vt à Deo profectum eſſe,& non à Beelzebub innuerent,quamobrem nunquam antea, ſed neque pòſt quidem niſi cum illo?Equidem hæc occaſio erat,in qua clarificabatur filius hominis,& Beatorum repræſentabat immortalitatem;magna prærogatiua,ſingulare priuilegium de torrente voluptatis potare; & debebatur Homini illi, quia pariter Deus; ſed reprimebat gloriæ dotes,vt pati pro humano genere valeret; at in ſe res ipſa quàm excellens:Quoniam igitur futurũ erat, vt Satan decepturus animas,claritatem imitaretur ſupernam,inſtructurus Redemptor noſter contra Dæmonem ſpiritales mentes, Moyſem & Heliam aduocat cùm transfiguratur; Nec tamen Genitor his contentus teſtibus de cœlo inclamat,filiũ ſuum eſſe Dilectum,in quo complaceat: ô quanta neceſſaria eſt cura, ne ſpiritalibus viris Satan illudat!nec tum ſecuri cũ cœli velut adaperiuntur,& collucent, & fulgurãt radij micantes in vultum; imò ſummoperè vigilandum tunc;ſi tamen Heliam & Moyſem contubernales habuerit, hoc eſt mortificationem, orationem,clementiam,paupertatem, zelum feruentiſſimum diuini honoris, conſolari poterit; quin & illud caueat vt non in reuelationibus glorietur,ſed in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti,nã de exceſſu, id eſt Saluatoris morte,non de Lucis admirabilis præſtãtia colloquebãtur Patriarchæ.

Matth. 17.2.

Theophyl.

*Teſtes ſuæ Transfigurationis Moyſẽ & Eliam adſciſcit Chriſtus, cui etiã vox de cœlo teſtimonium reddit: docens cauendum à Satana illuſionibus, nec omni ſpiritui niſi probatiſſimo credendum.*

50. Quàm vehemens contra Ieruſalem Dominus: *Scrutabor Ieruſalem* (ait Sophon c.1.v.12.) *in lucernis:* Quid,bone Ieſu, nonne ſol refulget, nonne claritas omnia illuſtrat, vt quid in die lucerna? Denotat veſtigationem actem, & perdiligentem: Quoties enim interdiu Lucernę accenduntur niſi ob ſollennitatem,in ſolis quidem ſupplementum, vt quò eius non pertingunt radij, latebroſa fulgor Lucernæ demonſtret; At quóſnam Ieruſalem celat vocabulum? Bernardus ſerm.55.in Cantica: *Puta enim hoc loco Prophetam Ieruſalem nomine deſignaſſe illos, qui in hoc ſæculo vitam ducunt religioſam, mores ſupernæ illius Ieruſalem conuerſatione honeſta,& ordinaria pro viribus imitantes:*ergóne contra bonos ciues, quales Ieroſolymitani, duriſſima ſcrutinij ratio? planè & in commodum ipſorum, cauſam Gerardus Zutphanienſis lib.de ſpiritalibus Aſcenſionibus indicat, c.20.*Nam Ieruſalem* (ait Iudicis nomine) *ſcrutabitur in Lucernis,& inuenientur nonnulli Babylonij,qui ciues putabantur fore Ieruſalem.* O triſte fatum!ad Ieruſalem beatam vt non pertinêre inueniantur, ſed ad confuſionem & tartarum, qui ſuperni credebantur ciues:Hæc eſt igitur veſtigationis exactiſſimæ in Ieruſalem ſapiens occaſio,ne pro ſanis qui cõtagio infecti ſũt,numerentur; neque verò hæc paruipendenda eſt ſcientia quæ diſcernit inter Religioſos,quinam ad Ieruſalem ſpectant, qui autem ad Babylonem; non ſufficit lux ordinaria, cum Phœbææ claritati ſuperaddere Lucernarum ignes opus ſit; multa enim ſunt, quæ niſi apprimè ſpiritaliter eruditus quiſquã noſcatur,fallunt ſub recti ſpecie,vt inducant, vt ad ſynceram iuſtorũ pertinêre claſſem is exiſtimetur qui latro,qui fraudulẽtus;& hypocrita eſt.

Sophon 1.12.

Bernard.

*Etiam Ieruſalem Ciuitatem Sanctam ſcrutatur in lucernis Deus, ne aliquis ibi Babylonicus Ciuis laruatus lateat.*

Gerard. Zutphan.

---

*Feruentiſſima Chriſti Dilectio ob Inſtitutionem Euchariſtiæ: ex verbis Ioannis* c.6. v.7.In me manet,& ego in illo.

## SECTIO V.

51. D*Ilectus meus mihi, & ego illi:*loquitur Sponſa: ô verbum amabile! *Reuolue* (inquit deuotiſſimus Bernardus ſerm.67.in Cantica)*textum Epithalamij huius ab ipſo exordio vſque huc,& vide ſi tãta vſpiam illi,quanta hac vice in cunctis viſitationibus & allocutionibus Sponſi copia eius indulta fuerit, & ſi vnquã ex ore ipſius non modò tam multos,ſed & tam iucũdos ſermones acceperit:*Ergo hęc ſtatio dilectionis, hic charitatis ſpecioſus & deſiderabilis locus: & totum hoc, quia Dilectus ipſi, & ipſa Dilecto.*O Sancta anima*(meritò percunctatur citatus Abbas) *quid tuus ille tibi,quid tu illi? Quænam quæſo hæc inter vos tam familiariter, fauorabilitérque diſcurrens exhibitio,& redhibitio? tibi ille, túque viciſſim illi?* Numquid ob viſiones, ob miracula,ob mentis extaſes? verùm & his conſolationibus in Prophetis & Patriarchis Synagoga gauiſa eſt;Numquid ob Spõſi coniunctionem per gratiæ multiformia dona? ſed iuſti quique,ſed Angeli ob hoc exultauerunt: Quidnam igitur tibi peculiare, de quo neque ſenior Eccleſia, neque ſpiritus adminiſtratorij gloriari poſſunt? nempè, quòd Chriſtum manducas & manducando manes in eo, & manet ipſe in te: Hoc eſt itaque pro quo tripudiat noua Eccleſia, dum lætis vocibus intonat *Dilectus meus mihi & ego illi:* Rectè ob hanc alternam commixtionem, quódque ſint duo in corpore eodemmet,nam per Sacramentum viuificum Chriſto cõcorporamur, vt ſermocinatur Damaſcenus lib.4.de fide Orthodoxa c.14.Sponſa potiùs iubilat,quàm ob recepta hactenus dona magnifica, cùm ſemetipsũ dando, Charitatẽ Dilectus ſummam quam potuit oſtendere demonſtrauerit, Vnde Sanctus Thomas poſt enumeratos varios gradus diuinæ munificentiæ

Bernard.

Idem.

*Eccleſia ob cõtinuã dulcémq; Chriſti in Euchariſtia præſentiam exclamat:* Dilectus meus mihi, & ego illi.



& bonitatis opuſc.58.de Sacramento Altaris c.5. ait:*Sextus gradus & ſummus, quod dat homini corpus ſuum in cibum,Ioan.6.Panis,quem ego dabo vobis.Gregorius:Bonus Paſtor Dominus animam pro ouibus poſuit,vt in Sacramento noſtro corpus ſuum, & ſanguinem ſuũ verteret, & oues quas redemerat carnis ſuæ alimento ſatiaret,& in hoc eſt expreſſio ſumma largitatis, & præcipui amoris.*

S.Thom.

52. Memorat inter veterũ Patriarcharum glorioſa facinora cum laudis excellentiori encomio Apoſtolus Iſaac tentatam à genitore immolationem, ſubdítque *Vnde eum & in parabolam accepit*,Hebr. c.11.v.19.exponit verò Theophylactus recepiſſe velut in figuram & ſymbolum venturi Hominum Redemptoris IESV Chriſti, de cuius paſſione in filij nece edoctus Abraham:ergo Patriarcha Deo poſtulanti ad mortem gnatum conceſſit, rurſúmque Numen Abrahæ filium ſuum interficiendum pro eius aliorúmque ſalute mortalium ſpopõdit; Deo itaque Abraham & Abrahæ Deus,propterea Zeno Veronenſis ſerm.1.de Abraham;*In illo ſacrificio ſolus Deus doluit,qui aliam victimam procurauit,* nempe gnatum ſuũ, quem mittere in orbem terrarum decreuit pro ſaluatione gentium:His conſideratis expendamus vt de Abraham immolaturo Iſaacum Moyſes loquatur; de Patre æuiterno filium in humana deſtinantem Ioannes:prior Geneſ.c.22.v.2.*Tolle filium tuum vnigenitum,quem diligis Iſaac*,&c.altera verſio legit,*quẽ dilexiſti*,ſcilicet ad demonſtrandum amoris exceſſum, vt qui non ſit nouus,ſed longo radicatus tempore: Ambroſius lib.1.de Abraham cap.8.*Quid eſt,quod ait,quem dilexiſti? vt non recenti quodam impulſu amoris, ſed inolito diu,& probato amore ſignificaret dilectũ.* Ioannes autem c.3. v.16. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret:*Nam emphaſim latêre,cùm velut inexplicatè dicat *Sic dilexit* Euangeliſta, vt ineffabilis quædam ſignificetur charitas, interpretum bona pars notauit: interrogandum nunc, quamobrẽ Moyſes & Ioannes dictione vtantur, quæ amoris vehementiam, & inſolitam magnitudinem denotent? Nonne conſpicis, vt Abraham, Dei totum velit eſſe gnatum ſuum, & idcircò in Holocauſtum quæ victima eſt tota conſumptibilis,illũ offerebat;Deus quoque Abrahæ ſobolem vult ſuam eſſe prolem, vt nominat Matthæus c.1.v.1.*Liber generationis* IESV *Chriſti, filij Dauid,filij Abraham:*Si ergo Abrahæ filius manet apud Deum, & Dei filius apud Abraham,vbi alterna mánſio eſt, charitatis fundamentum eſt, quantum maius vix eſſe poſſit,atque eam ob cauſam phraſis dilectionem loquitur ardentiſſimam: cùm igitur Tu,dulciſſime IESV,dando nobis panem, qui de cœlo eſt, feceris, vt & nos in te maneamus,& Tu in nobis maneas,nonne hoc agendo charitatem tuam erga nos demonſtraſti maximam.

Hebr.11.19.

Theophyl.

*Amoris exceſſus in Sacrificio Abrahæ, & in ſacrificio Chriſti Euchariſtico.*

Zeno Veron.

Geneſ. 22.2.

Ambroſ.

Ioann. 3. 16.

Matth.1.1.

53. Imitãdo Chriſti Seruatoris veſtigia Apoſtoli, ob conuerſationis excellentiã, velut in Dei quaſdam affectiones tranſlati ſunt, ita vt non amplius Homines,ſed tanquam dij apparerent;ita innuiſſe Chriſtum opinatur Hieronymus cùm poſt interrogatos homines Apoſtolis dixiſſet:*Vos autem, quem me eſſe dicitis?*Matth.cap.16.v.16.*vos*,hoc eſt, qui naturæ fragilis imbecillitatẽ ſupergreſſi velut in Deos euaſiſtis:Nam lib.3.Commẽt.in Matthæum ait: *Prudens Lector attende, quod ex conſequentibus,textûque Sermonis, Apoſtoli nequaquam homines ſed dij appellãtur*;ſic ergo Chriſtus quod ipſi connaturale erat ante omnia tempora, Apoſtolis per ſimilitudinem quandã conceſſit,vt diuinitate velut præditi cenſerentur;ſed quemadmodum eis largitus quod ſibi proprium erat, ita aſſumpſit quod illis genuinum erat,nempè humanam paſſibilitatem & formã ſerui;ideò Paulus ad Philipp. c.2.v.7.*Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo*,Auguſtinus, & alij Patres, quos Iuſtinianus & Velaſquez eum ad locum citant,tunc quidem propriori repræſentatione ſerui formam ſuſcepiſſe affirmant,cùm tranſiturus ex hoc mũdo, linteo ſe præcinxit,aquam in peluim miſit,& cœpit lauare pedes diſcipulorũ;atqui certè cùm hoc facere aggreſſus eſt,tum præcipuè ardentiſſimum charitatis æſtum Apoſtolis declarauit, vt non tacuerit Euangeliſta ſignificare, inquiens:*Cùm dilexiſſet ſuos,qui erant in mundo,in finem dilexit eos.*Ioan. c.13.v.1.Sed quare nunc ſingulariter exaggeratur Dilectio?Videlicet adimpletum eſt, vt Homo eſſet ſicut Deus,Deus autem ſicut Homo;olim,cùm percunctaretur Apoſtolos, *Vos autem quem me eſſe dicitis?*illi quaſi in diuinam tranſière ſimilitudinem,nunc præcingendo ſe linteo qui Deus eſt in Hominum trãſit abiectionem, formam ſerui ſuſcipiens; modò itaque integratur cõmutatio formarum, iam & Deus qualis Homo, cùm Homo antea eſſet velut Deus; Si ergo per analogiã Homo diuinus eſt,& diuinitas latens in ſeruili figura exinanitur;benè quidem Euangeliſta tum ſpecialiſſimè demonſtratum charitatis vigorem prædicat;nihil enim charitatem Dei erga Homines ita euehit;atque proclamat niſi genus mortale ſtolidiſſimum fuiſſet,ſicut,quod ſublimis ille, & infinitæ beatitudinis vſque eò deſcendat, vt non renuat,& ipſum in Homine eſſe,& in ipſo Hominẽ manêre,quod per Euchariſtiæ inſtitutionem perpetratum eſt,cùm ob hoc ſcriptum ſit: *In me manet & ego in illo*;Quam ad ſententiam Theophylactus Ioan.c.6.*Nam qui edit,& bibit carnem, & ſanguinem Domini,in ipſo manet Domino, & Dominus in ipſo;contemperatio enim fit noua,& ſuper rationem, ita vt ſit Deus in nobis,& nos in Deo.*

Matth.16. 16.

Hieronym.

*Amoris ardore vehementiſſimo Homo fit diuinus,& Deus Humanus in Euchariſtia, in qua Deus in Homine manet & Homo in Deo.*

Philipp. 2.7.

Auguſtin.

Iuſtinian.

Velaſquez.

Ioan.13.1.

Theophyl.

54. Duabus tabulis decem mandata ſcripta,nam cũ duabus tabulis ex monte legiſlator Moyſes deſcendit,Exod.cap.32.v.15.habuiſſe autem diuerſa præcepta multorum opinionibus commõſtrat ad finem Commentariorum c.31.Exodi noſter Cornelius;diſtinctio autem fuit;alterâ inſcripta fuiſſe tabulâ,quę ad Numinis cultum ſpectarent,alterâ, quæ ad proximi ordinabantur vtilitatem:cur non vtraque eâdem ſimplici exarata tabulâ?Reſpõdet Toſtatus q.23.in dictum c.32. Exodi:*In his præceptis*(inquit)*erant quædam dirigentia in Deum, & alia dirigentia in proximum;ad aſſignandam autem rationẽ dignitatis diſtincta ſunt in duabus tabulis, ne præcepta pertinentia ad proximum iungantur cum præceptis pertinentibus ad Deum, ne videantur eſſe æqualis dignitatis:*Verùm ſi Deus pro ineffabili ſuâ bonitate non renuit in eadem coniungi perſonalitate cum humana natura,quamobrẽ recuſet præcepta ad eius honorem pertinentia eâdem cõſcribi tabulâ, quâ mandata conſcribebantur ad proximi emolumẽtum dictata? conſidera, hoc erat Deum quodam pacto coniungi cum creatura, & vt duo eſſent in vno,manerétque Deus apud creaturam,& creatura apud Deum: iam verò ſæpè monuimus legem veterem,legem fuiſſe timoris & ſeruitutis;legem nouam,gratiæ & amoris:cùm itaque ſimul cómorari,eſséque Deum & creaturam, inſignioris cuiuſdam dilectionis argumentum eſſet; rectè,quod in lege noua per Euchariſtiam Deus in homine, & Homo in Deo maneat,ſicut & antè huius inſti-

Exod.32.

A Lapide.

Toſtat.

*Deus & Homo ſeparãtur in Veteri fœdere, quod ex duabus Decalogi Tabulis patet: In nouo autem vniuntur per Euchariſtiã.*

tutionem ſub eadem perſonalitate duæ naturæ, humana,diuináque : ſed priſco ſub fœdere, quoniam lex timoris vigebat,non in eadem conſcribi tabula quæ ad Creatoris ſpectabant reuerentiam mandata ; quæque ad proximi bonum , ſuſtinuit Numen,

55. Medio noctis ſpatio , Hoſpite ſodali ſuperueniente,pergit, & interpellat quieſcentē Amicum ſociorum vnus,*Commoda mihi*(inquit Luc. cap.11. v.6.)*tres panes:*Quare non primâ,non ſecundâ,aut tertiâ noctis hora ? Chryſologus aptius ad impetrandum illud fuiſſe tempus affirmat,& propterea ex cōſilio quodam acceſſiſſe tunc reliquo dimiſſo interuallo,percipiamus eius orationem ſerm. 39. *Sed iſta ſatis hora eſt efficax impetrandi;hoc ſciens Propheta,ipſum tempus ſuæ ſupplicationis aſſerit extitiſſe, cantando:media nocte ſurgebam ad confitendum tibi:in hac hora vigilantibus ſemper Sponſus ille cæleſtis occurrit:*Quâ vltimâ clauſulâ ſubindicat, quorſum mediæ noctis ſilētium ad impetrandum ſingulariter conueniens ſit;nempè ſuggerit Sponſum cū noua nupta ad nuptialem prodire ſollēnitatem:*Media autem nocte clamor factus eſt*(Matth.cap.25.v.6.)*ecce Sponſus venit,exite obuiam ei;tunc ſurrexerunt Virgines , & ornauerunt lampades ſuas :* Quò autem pergunt?Scilicet ad genialem cœnam,& ideò iubentur ſerui lumbos præcincti & lucernas ardētes in manibus habentes,Dominum ſuum expectare , ſi fortè in ſecunda,aut in tertia vigilia à nuptiis reuertatur confeſtim aperiant ei,Luc.c.12. verſ.36. porrò nuptialis illa cœna, quam Homo Rex filio ſuo fecit,Matth.c.22. v.2. Euchariſtiæ præfigurabat Sacramentum ex vulgata Patrum declaratione;per hoc autem vt perſpeximus Chriſtus manet in comedente,& comedens in ipſo:*In me manet,& ego in illo:*Quo vt dicebamus ſumma Redemptoris erga mortales charitas manifeſtatur , nihil enim ab amore præſtantius quàm vt ſeipſum dederit, qui flagrat,& ardet:Si igitur hanc ob cauſam mediæ noctis tranquillitas eſt,in qua charitatis excellit pietas,optimè Chryſologus affirmabat,hoc particulariter oportuniſſimum eſſe tempus ad quæque impetranda,nulla enim melior occaſio, quàm cùm in eo,qui miſericordiam facturus eſt, charitas dominatur,quando huius operatio ſit ad benefaciendum ſtimulare,

Luc.11.6.

Chryſolog. *Medium noctis , tempus eſt ad impetrandum efficax,tunc ſcilicet Sponſus Euchariſticus prodit ad nuptialem ſolēnitatem , & Charitas tūc dominatur.*

Matth.25.6.

*Dei maximi Imperatoris ſolius gloria , præmijs ſpiritalibus compenſare famulantium labores.*

## Sectio VI.

56. Eptuaginta legunt quaſi actiuè, *qui paſcit inter lilia;*Symmachus,τὰ ἄνθη , nimirum *flores* vertit,hinc ſumpta occaſio,vt nonnulli de ouium paſtore conſtruerent , qui ad veſcendum in prata agnos cum matribus eduxerit;concedamus modò huic ſententiæ:ſed quis hic tam ſuperbus Paſtor, qui non vt cæteri Bubulci fœno pecus alat,ſed liliis,quibus in florum diuerſitate nihil ſublimius, nouum & inſolitum epularum genus eſt iſtud ; agnoſco ſub figura Dominum Dominantiū Chriſtum:Quid eſt enim fœnum,quod citò marceſſit, & deficit , niſi vana carnis gloria ad momentum tantùm vireſcens ? Quid lilia denotant niſi bona ſpiritalia , quæ receptos in Paradiſum nunquam ſuos deſerunt poſſeſſores,quos æternis conſolantur deliciis , nullius vnquàm faſtidij intermixtâ ægritudine:ergo mundi Principes his qui pro eorum cauſa grauiſſima portarunt onera quænā tribuere valeant,vt liberales eſſe cupiant,niſi tranſituri honoris labentīa quędam ornamenta,niſi aurum,gemmas,veſtem,agrorum ſpatia ? Sed omne fœnum eſt,quod priuſquam euellatur exaruit:Dei primum præmium in liliis,hoc eſt vita beata,vita ſempiterna,vbi non mors,non luctus, non timor amittendi;etiam inferiora iſta Deus largitur,nam per eum Reges regnant, ſed vilis oſtētatio niſi in maiora dona progreſſus,videlicet perpetuùm duratura:Gregor.Nyſſen.hom.5.in Cantica : *Hoc eſt enim paſtor bonus,qui non fœno paſcit gregem,ſed puro lilio paſcit oues; is enim reuera , qui fœno non ampliùs nutrit fœnum : homo autem cùm ſit particeps rationis vero nutritur verbo;quod ſi huiuſmodi fœno fuerit ſaturatus,ipſe quoque fit fœnum, omnis enim inquit caro eſt fœnum;Sin autem fiat Spiritus,qui natus eſt ex Spiritu, non ampliùs cibum depaſcet ex fœno , ſed Spiritus erit eius alimentum;quod quidem tacitè ſignificat lilij puritas,& bonus odor.*

LXX. Symmach. *Chriſtus Optimus Paſtor oues ſuas non fœno,vt cæteri paſtores,ſed lilijs quibus in florum diuerſitate nil ſublimius, paſcit.*

Nyſſen.

57. Clamat Deus per Iſaiam c.55.v.1.*Omnes ſitientes venite ad aquas,& qui non habetis argentum,properate,emite,& comedite;venite,emite abſque argento,& abſque vlla commutatione vinum & lac:*Quomodo,ſi adhortatur vt emant,adiungit,abſque argento,& abſque vlla commutatione? Quo enim modo emptio fiat,niſi vel dando pecunias, vel commutando merces pro mercibus?Si iſta interdicūtur,emptio eſſe non poterit ? Perpende:ſi quando theca ſacratum reliquiarū venalis proponitur,qui nundinat , aduertit pro ſacris Reliquiis pretium non admittere,ſed pro theca:Vt quid hoc ? nempè, vt inſinuet Reliquiarum ſpiritalem eſſe debere æſtimationem , nec oportêre computari inter vaneſcentia , & temporalia, indicatur itaque nobilitas ſumma deſpectu emptionis; eum igitur in modū, quanquam bonis operibus in gratia factis ex merito de condigno vitam promeremur æternam,ſic vt hęc debita ſit vt mercenario denarius;ad ſignificandum tamen præmium , quod nobis confert Deus,non materiale eſſe & periturum , ſed ſpiritale , fixúmque in æternitatem , deſcribitur quaſi quod commutationem, aut oneroſum laborē excludat ſolutionis & pretij rationem habentem; licet & prima gratia in omni rigore noſtri excludat operis diligentiam,& ita ſtrictè abſque commutatione,& pretio:Bernard.ſerm.2.de Reſurrectione:*Non talis eſt emptio apud amatores huius ſæculi,ſed apud auctorem ſæculi alia eſſe non poteſt : quam igitur dabis ei commutationem Homo pro gratia ſua, qui nullius eget , & cuius ſunt vniuerſa ? gratia gratis datur etiam cùm emitur,gratis emitur,quia quod datur pro ea,nobis meliùs retinetur.*

Iſai.55.1.

*Præmium ſpiritale & æternum confert Deus abſque argēto, & abſque vlla commutatione.*

Bernard.

58. Mortuo Saluatore,*vnus militum lanceâ latus eius aperuit*. Ioan.c.19. v.34. Quodnam latus?dextrum fuiſſe Bernardus affirmat,ídque ob myſterium:*Et quidem Dominus meus* IESVS(inquit ſerm.7.in Pſalmum : Qui habitat,&c.) *poſt cætera ineſtimabilis ſuæ erga me pietatis beneficia , etiam dexterum ſibi propter me latus paſſus eſt fodi;quòd videlicet non niſi de dextera mihi propinare vellet, non niſi in dextera locum parare refugij:*Sed quare ſingularis beneficij loco reponit Bernardus,quòd dexterum animæ adapertū ſit latus magis quàm ſiniſtrum?Nempè,in ſcripturis per dexteram bona ſignificantur ſpiritalis & æternæ beatorum vitæ; per ſiniſtram denotantur caducæ & ſæculares opes , Salomone atteſtante, Prouerb.c.3. v.16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria :* Quæ verba exponens Ambroſ.ſerm.14.in Pſal.118.ad illa: *Anima mea in manibus meis ſemper*,&c.inquit.*Bonis vtique manus vtraque dotata eſt dotibus:in eo tamen habet*

Ioann.19.34.

Bernard. *Dextrum latus Chriſto in Cruce foditur , quòd ſuis dextera .j. bona ſpiritualia abūdè in laborum remunerationem ſubminiſtret.*

Prouerb.3.16.

Ambroſ.



*varietatem ſui muneris , quod & præſentia & futura tempora comprehendunt ,vt læua præſentium remuneratrix,dextera futurorum ſit:*Addo his, cùm IESVM Pilatus interrogaret,an Rex Iudæorum eſſet,reſpōdiſſe illum:*Regnum meum non eſt de hoc mundo.*Ioan. cap.18.v.36.non quod non huius orbis Dominus ſit , ſed vt innoteſcat alterius etiam regni ſpiritalis & finem non habituri Monarcham eſſe , hoc autem temporale Dominium tam vile,quod penè dignum non ſit,cuius ſe principem glorietur : ob hanc igitur eandem cauſam & dexterum ſibi perforari latus elegit,vt non purum Hominem ſe eſſe teſtaretur,quorum potentia ad temporalem ſolam remunerationem extenditur:Dei infinitę magnitudini exigua talis retributio ; proinde vt ad grandia famulantium animos excitaret, ſpiritualium ſe bonorum largitorem eſſe demonſtrat.

Ioan.18.36.

59. Quamobrem Iſaias cùm venturi Meſſiæ plurima recenſeret nomina, honeſtiſſimis ornauit vocibus, Patrem vocans futuri ſæculi : *Admirabilis,* (inquit c.9.v.6.) *conſiliarius,Deus fortis,Pater futuri ſæculi,princeps Pacis;*At quare non & præſentis ſæculi Genitor,cùm in Verbo omnia condita,& per verbum , ipſe autem ſit verbum Patris ? Si igitur ipſe dixit & facta ſunt , ipſe mandauit & creata ſunt : annon Genitor & Pater ? Quorſum itaque Vates hanc ſubticuit appellationem?Sanè,qui dominantur gentibus,ipſi etiam præſentis huius ſęculi Patres dicuntur nec aliud eis conuenientius nomen,nec quo poteſtatis meliùs exprimatur infirmitas,Quid enim dare poſſunt,niſi quod tranſeat , & euaneſcat , ſuóſque deludat poſſeſſores ! O abſit Chriſti mei tam breuis,tam puſilla ſit gloriatio,accipiat ille titulum,quo Imperatorum orbis terrarum nunquàm gauiſus eſt aliquis, appelletur honorificentiſſimo vocabulo Patris futuri ſæculi : Quodnam eſt futurum ſæculum,niſi vita illa ſine termino,ſine labore,in Dei clarâ & intuitiuâ conſiſtens viſione,ac propterea ſpiritale ? ex hoc ergo cognoſcendus nomine IESVS meus, qui optimis ſeruis ſuis bona præparauit , quæ oculus non vidit , nec auris audiuit , nec in cor hominis aſcenderunt ; & quamuis etiam huius temporis Dominus exiſtat,ſed quia minoris laudis hæc appellatio , Propheta grandibus Meſſiæ titulis adiungere noluit : Bernardus ſerm.2.de Circumciſione : *Videtúrne iam aliquid deeſſe Saluatori ? planè deeſſet quod maximum eſt, niſi & Pater eſſet futuri ſæculi , vt per eum ſcilicet in immortalitatem reſurgeremus , qui per præſentis ſeculi patrem generamur ad mortem.*

Iſai 9.6. *Pater futuri ſeculi dicitur Meſſias, quòd æterna bona ſuis præparet.*

Bernard.

60. Iuſſus à Numine Moyſes,vt ſingulos ex ſingulis tribubus mitteret , qui explorarent terram Chanaan,Numerorum cap.13. v.3. ex tribu Leui deſtinare omiſit:quâ de cauſâ?erat Tribus illa ſæculi oneribus liberata,& diuinis mancipata obſequiis ; Quæ igitur humanâ velut maior erat ob miniſterium conditione , & quaſi propè in diuinam tranſlata , cùm diuinitatis operatio in ſpiritalibus conſiſtat, quæ ad diuinam accedebat imitationem,quaſi tantæ excellentiæ nobilitatis non ſatis idoneam Prouinciam , materialis glebæ explorationem dimittit, celſiorem habens Terram, quā diſquirat in ſacrificiis,& precationibus viuētium nempè:Abulenſis ad præfatam Quæſtionem reſpondens,diſput.23.in dictum Numerorum caput,ait : *Quia non erat Leui vt tribus Iſraël,ſed quædam Gens ſeparata ad cultum Dei ; vnde in his , quæ erant purè temporalia non incumbebant illi onera.*Currant feſtinè mundi amatores ad temporalia lucra: Qui Deo famulantur , norunt ſublimiorem illis reſeruatam ſpiritualium bonorum poſſeſſionem, & ideò facilè terrenam deſpiciunt , quæ ſi fuiſſet ſola merces , miſerè ſecum agi putarent,nec Deo Imperatore dignam recepiſſe compenſationem: Quare & antiquus Iacob coram Pharaone introductus Rege, cùm de ætate ab eo percunctaretur: *Dies*(inquit Geneſ.c.47. verſ.9.)*peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt , parui & mali :* Quomodo parui vltra centenos? Quomodo mali,cùm quod optatiſſimum fuerit,hoc cernere datum ſit, nimirum penè regnantem in Ægypto Ioſephum, toties deſideratum?Verùm non ille Iacob tantùm, ſed Iſraël quoque,hoc eſt,videns Deum,æternitatis videlicet candidatus , imò quaſi ciuis , quid enim Ciuitas illa,quæ in ſupernis,niſi viſio pacis? Qui igitur ciuium donatus cæleſtium nomine, quanquam à Deo longum vitæ acceperit curriculum,quanquā proſperis conſolatus euentibus, vilia cōputat,non tanquam Dei contemnens munera,ſed vt oſtendat potiorem ſe expectare retributionem in ſpiritalibus , cùm Monarchā habeat Deū,cui exiguum ſit temporali ditaſſe ſubſtantiâ: *Parui* (inquit Bern.ſerm.3. in Vigilia Natiuitatis) *& peſſimi ſunt omnes dies vitæ, ait ille Sanctus Patriarcha,qui vidit Dominum facie ad faciem.*

Numer.13. *Cur nullos ex Tribu Leui exploratores in terram Chanaam miſit Moyſes, cùm ex reliquis omnibus tribubus aliquos elegiſſet?*

Toſtat.

Geneſ.47.9. *Cur Iacob 130. vitæ ſuæ annos paruos dicit & malos?*

Bernard.

## *EPILOGATIO AD CHRISTVM DOMINVM & Virginem Beatam.*

61. AT hîc ſiſtamus gradum,& finem Volumen noſtrum ſecundum admittat:laborauimus in illo per triennium,quoad licuit,& ab iniunctis occupationibus conceſſum,neque per diem,neque per noctem ceſſantes ab opere:Si quid famulati ſumus,ſufficit, Amātiſſime IESV,intelligere præmiis te ſpiritalibus compenſare onera ſeruorum;iamdiu eſt ex quo ſæculo valediximus,renunciauimus ſpei diuitiarum,honorum , voluptatum,repetere indecorum eſt,potiùs cum Vate: *Quid mihi eſt in cælo,& à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum.* Pſalm.72. v.25. Didici à Genitricis tuæ ſanctiſſimæ exemplis,nam qualem illam Ioannes deſcribit, ſcientiarum quàm plenam! Apoc.c.12.v.1.*Signum magnum apparuit in cælo; mulier amicta ſole*,&c. Sed quæ fœmina? *Iure Maria* (reſpondet Bernardus ſerm. in dicta verba) *ſole perhibetur amicta,quæ profundiſſimam diuinæ Sapientiæ vltrà quàm credi valeat penetrauit abyſſum:*Et cur ni penetrauerit,quæ Chriſtum induit,à quo & ipſa induta eſt,ſole nimirum conamicta?rectè Anſelmus hom.ſuper illud:*Intrauit* IESVS *in quoddam caſtellum*,&c.*Chriſtus,vt ait Apoſtolus,Dei virtus & Dei Sapientia:& in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ,*

*Epilogus huius ſecundi Voluminis.*

Pſal.72.25.

Apocal 12.1. Bernard. *Omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ in Maria.*

Anſelm.

*ſapientiæ,& ſcientiæ abſconditi:Chriſtus autem in Maria,ergo Dei virtus,& Dei ſapientia, & omnes theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ in Maria.* O Cherubicam!ô Magiſtram! & hæc tã clara in diſciplinis cerne vt Lunam ſub pedibus teneat; Siquidem Lunari denotantur ſymbolo quicquid in temporalibus ſpecioſum eſt,ſiue quæ ſublimant,ſeu quæ delectãt, ſeu quæ locupletes reddunt;Hæc igitur vniuerſa proterit Sole fulgens,ſtellis coronata, quia humanæ deſpicit gratiam mercedis,cæleſtem expectans retributionem,quam reddet in illa die iuſtus iudex:repudianda igitur caduca,vt in Deum animus transferatur.

62. Sæpe in longo & difficili itinere,Domine IESV,oppreſſus infirmitate mea,quæ multa eſt nimis,iacebam ſic fatigatus, vt vltrà progredi non valerem niſi virga tua & baculus tuus me conſolata eſſent:Quæ eſt iſta Virga tua,niſi beata Genitrix tua,Virga de radice Ieſſe Maria?ô Virgam laſſis abundantem in omne refrigerium & ſanitatem!*Inſuperabilem,Deipara ſpem tuam habens*(dicebat Coſmas Ieroſolymitanus Hymno quinto)*ſeruabor,defenſionem tuam poſſidens non timebo;*pulchrè adiungit & vocare *omnipotens auxiliũ* Mariæ,ſignificare nimirum volens,ad omnia vincenda pericula ſufficere illius inuocationem,quia ſic filius eius ſtatuit:Quamobrem idem gnatus, cùm ad prædicandum diſcipulos mitteret, *præcepit eis,ne quid tollerent in via niſi Virgam tantùm, non peram non panem,neque in zona æs,*Marc. c.6.v.8.Ergo vbi cubaturi? Quis cœnam dabit? Quis veſtem?Quis ſubminiſtrabit ægrotantibus? Numquid pro cunctis Virga ſubſtituet? planè quidem,nam ideò *omnipotens auxilium* eius perhibetur:ne timeant igitur qui concionãtur,ne metuant qui ſcribant,vtrumque munus Diſcipulorum Domini,& in vtroque labor & afflictio,at ſi propitiam habuerint Virgam de radice Ieſſe matrem Redemptoris, omnibus anguſtiis & neceſſitatibus liberabit eos:Piè torſit Euangeliſtæ dictum Richardus de S.Laurentio lib.12.de laudibus B.Virginis: *Maria Virga prædicationis, videlicet quæ ſola datur prædicatoribus ad portandum in via:Vnde Marci 6.Dixit Dominus duodecim Apoſtolis:nihil tuleritis in via niſi Virgam tantùm: Qui enim habêre poſſit hanc Virgam comitem in via vitæ præſentis,non deeſſet ei gratia,non doctrina,vel aliquid neceſſarium.*

Coſmas Ierofol. *Omnipotens Mariæ auxilium.*

Marc.6.8.

Richard. de S.Laurent.

63. Et quoniam adhuc,ô Virgo intemerata,plurimum nobis reſtat operis,montéſque prærupti vincendi magnarum difficultatum,roga Vnigenitum & dic in auribus eius:*Reuertere,ſimilis eſto Dilecte mi capreæ,hinnulóque ceruorum ſuper montes Bethér:*O certè,ô penitus capreæ,hinnulôque par!Capreæ hinnulique acutiſſimè vident, per ſaxoſa & horrentia inoffenſis decurrunt greſſibus:ecce votorum partem eximiam; vt videam & intelligam,Domine,incerta & occulta ſapientiæ,quam in ſacro velaſti Hymenæo tuo, vt perambulem immaculatus in via arcana & obſcura grandium parabolarum, abſtruſorũ ænigmatum, nunquámque extra Catholicæ Eccleſiæ, piorúmve Doctorum tramitem oberrem:cedo hanc virtutem pro miſerationum tuarum dulcedine, Amantiſſime IESV; ſed & Te refugium inopum Maria Deipara ſubeat, quod & ipſa caprearum hinnulis cõparata ſis:*Duo vbera tua,ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilys,*Cantic. c.4.v.6.Quare vbera?Dicat Myſtes tuus Richardus Victorinus: *Adeò pietate replentur vbera tua,vt alicuius miſeriæ notitiâ tacta,lac fundant miſericordiæ,nec poſſis miſerias ſcire,& non ſubuenire:*Quamobrem ſicut hinnuli?*Meritò etiam miſericordia Virginis curſui hinnulorum comparatur cùm per mundum currat,& velociùs occurrat quàm inuocetur,& cauſas miſerorum anticipet:*Amicorum quoque alter Richardus à S.Laurentio lib.4. de laudibus tuis ſcripſit:*Duo vbera B.Mariæ Virginis,de quibus velut lac,piæ ſubuentionis dulcedo fugitur,ſunt affectus pietatis & miſericordiæ,qui velut capreæ acuto lumine conſiderant quis, & quantâ indigeat ope,& per talem conſiderationem accurrunt.* Quæ igitur vigil excubas ſuper egeno & paupere,& properas continuò ad remedium; intuêre,quoniam ego filius huius Societatis Ancillæ tuæ miſer ſum,& pauper & nudus:Reuertere & ipſa ſicut Dilectus tuus ſimilis capreæ, hinnulóque ceruorum & dita paupertatem meam; ac in montes *Bether* duc me victorem ſuper excelſa canentem Gnato,Tibíque cum modulatione, quibus ſit glória in ſæcula. Amen.

*Duo Mariæ dulciſſima vbera.*

Cantic.4.6.

Richard. Victorin.

Richard.à S. Laurent.

*Sacroſanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ, unicæ,piæ, fideliſſimæ correctioni vſque ad iota & apicem, omnia ſubiectantor.*

F I N I S.

INDEX

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

## QVÆ IN HOC SECVNDO VOLVMINE EXPLANANTVR.

*Litera* v. *veſtigationem*, n. *numerum marginalem*, p. *paginam indicat.*

### *Ex Geneſi.*

*Cap.1.v.1.* IN principio creauit Deus cœlum & terram.v.2.n.91.p.112
Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. v. 16. n.43. p.512.v.20.n.61.p.595.v.13.n.34.p.424
2. Terra autem erat inanis & vacua. v. 21. n.32. p.620
4. Dixítque Deus: fiat lux,& facta eſt lux; & vidit Deus lucem,quod eſſet bona. v.9. n.14. p.323.v.11.n.41.p.385.v.13.n.34.p.424
5. Factúmque eſt veſpere & mane dies vnus. v.21.n.32.p.621.v.22.n.41.p.649
*Ibid.* Vt diuidat aquas ab aquis. v.15.n.33.p.483
11. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum. v.8. n.36.p.297. v.12.n.26.p.399.v.15.n.56.p.492
17. Et poſuit eas in firmamento cœli vt lucerent ſuper terram,& præeſſent diei, ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. veſt.15. n.54. p.490
26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram,vt præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli,& beſtiis,vniuerſæque terræ. v.10.n.40. p.350. v.8.n.41.p.299. v.12. n.4.p.389. v.9.n.18.p.324. v.15.n.42.p.426. v.20.n.62.p.595
28. Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli,& vniuerſis animantibus, quæ mouẽtur ſuper terram,v.7.n.101.p.275. v.20.n.69. p.598
31. Vidítque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.v.20.n.55.p.593
2. 7. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt Homo in animam viuentem. v.8. n.56.p.304.
9. Produxítque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu,& ad veſcendum ſuaue:lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignúmque ſcientiæ boni & mali. v.14.n.49. p.457
14. Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates. v.3.n.96.p.155
17. Ex omni ligno Paradiſi comede;de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.v.8.n.62.p.307. v.14.n.61. p.461.v.20.n.74.p.597
19. Faciamus adiutoriũ ſimile ſibi.v.14.n.60.p.461
20. Appellauítque Adam nominibus ſuis cuncta animantia,& vniuerſa volatilia cœli,& omnes beſtias terræ.v.13.n.42.p.426
21. Ædificauítque Dominus Deus coſtam quam tulerat de Adam, in mulierem. v.6. n. 20. p.213.v.13.n.48.p.428
23. Hæc vocabitur virago quoniam de viro ſumpta eſt.v.3.n.8.p.119
24. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam,& adhærebit vxori ſuæ.v.5. n.27.p.197. Et erunt duo in carne vna. v.1. n.18.p.27
3. 2. Nequaquam moriemini.v.14.n.49.p.457
6. Vidit igitur Mulier,quod bonum eſſet lignum ad veſcendum,& pulchrum oculis,aſpectúque delectabile.v.15.n.19.p.476
9. Vocauítque Dominus Deus Adam,& dixit ei: Vbi es? v.1.n.107.p.59
14. Super pectus tuum gradieris,& terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. v.15. n. 51. p.489
15. Inimicitias ponam inter te & mulierem,& ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis Calcaneo illius. v.10.n.43.p.351.veſt.2. n.58.p.98. v.8. n.62.p.307
16. Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos:in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. v.13. n.53.p.430
17. Quia comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes,maledicta terra in opere tuo; in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.v.6.n.57.p.228
19. In ſudore vultus tui veſceris, donec reuertaris in terra de qua ſumptus es, quia puluis es & in puluerem reuerteris. v. 2. n. 78. p.107
4. 1. Poſſedi hominem per Deum.v.21.n.41.p.623
8. Dixítque Caïn ad Abel fratrem ſuum: Egrediamur foras:cúmque eſſet in agro,conſurrexit Caïn aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.v.8.n.69.p.310
9. Vbi eſt Abel frater tuus? v.23.n.66.p.673.v.9. n.28.p.328

10. Vox ſanguinis fratris ſui clamat ad me terra. v.1.n.121.p.64.v.1.n.134.p.68

11. Maledictus eris ſuper terrã:cùm operatus fueris eam,non dabit tibi fructus ſuos:vagus & profugus eris ſuper terram.v.16.n.37.p.510

14. Ecce eiicis me hodie à facie terræ,& à facie tua abſcondar,& ero vagus,& profugus in terra.v.9.n.28.p.328

15. Poſuitque Dominus Caïn ſignum, vt non interficeret eum omnis qui inueniſſet eum. v.8.n.64.p.308

5, 1. Hic eſt liber generationis Adam ; in die qua creauit Deus hominem ,ad ſimilitudinem Dei fecit illum,v,4.n.25.p.327

21. Porro Henoch vixit ſexaginta quinque annis & genuit Mathuſalam ; & ambulauit Henoch cum Deo.v.8.n.80.p.314

24. Et non apparuit *Henoch*,quia tulit eum Deus. v,11.n.39.p.384

6, 7. Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo hominẽ quẽ creaui à facie terrç.v.7.n 80.p.267

12. Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram.v.8.n,31.p.295

14. Fac tibi arcam de lignis læuigatis & bitumine linies intrinſecùs,& extrinſecus. v.3.n,112. p.162

7.13. In articulo diei illius ingreſſus eſt Noë & Sem, & Cham,& Iaphet filij eius , vxor illius , & tres vxores filiorum eius.v.17.n,37.p.527

8, 15. Locutus eſt autem Deus ad Noë dicens;egredere de arca Tu,& vxor tua, filij tui,& vxores filiorum tuorum.v,20.n.76 p.600

20. Ædificauit altare Domino,& tollens de cunctis pecoribus,& volucribus mundis, obtulit Holocauſta ſuper altare.v,14.n.77.p.467

22. Cunctis diebus terræ,ſementis & meſſis , frigus & æſtus,æſtas & hyems,nox & dies non requieſcent.v.1.n.131,p.67

9, 2. Et terror veſter,ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ , & ſuper omnes volucres cæli cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram, omnes piſces Maris manui veſtræ traditi ſunt.v.20.n.76.p.600

3. Omne quod mouetur,& viuit,erit vobis in cibum , excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.v.16,n,29,p.508

20. Cœpítque Noë vir Agricola exercere terram,& plantare vineam , bibénſque vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.v.1.n.148.p.72

24. Euigilans autem Noë ex vino,cùm didiciſſet quæ fecerat ei filius ſuus minor,ait:Maledictus Chanaan.v.8.n.81.314

11. 7. Venite, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum,vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. veſt.7.n.67.p.263. v,20. n.58.p.594

12, 1. Egredere de terra tua , & de cognatione tua, & de domo Patris tui ,& veni in terram quam monſtrauero tibi. v.3, n. 94. p.155. v.14.n.74.p.466

15. Et nunciauerunt Principes Pharaoni , & laudauerunt eam apud illum , & ſublata eſt mulier in domo Pharaonis. v.8.n.75.p.312

14, 21. Da mihi animas,cætera tolle tibi. Leuo manum meam ad Dominum Deum. excelſum, poſſeſſorem cœli , & terræ , &c. v. 4. n.31, p.182

15, 1. Ego protector tuus ſum,&c.v.23.n.41.p.667

9. Siquidem & vaccam triennem aſſumpſit & capram trimam , & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. v.20.n.97. p.594

13. Scito prænoſcens,quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua , & ſubiicient eos ſeruituti,& affligent quadringentis annis.v.6.n,52.p.226

16. 2. Ingredere ad ancillam meam ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.v,6.n.20.p.213

4. Sed tunc concepiſſe ſe videns , deſpexit Donam ſuam.v.1.n.133.p.67

17. 4. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham , quia patrem multarum gentium conſtitui te. v. 3. n.94. p.155

12. Omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus , quàm emptitius circumcidetur.v.24.p.47.p.695

18, 1. In oſtio Tabernaculi ſui in ipſo feruore diei v.8.n.49.p.302

27. Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?v.10,n.64.p.359.v.11.n.22.p.379

19. 1. Venerúntque duo Angeli Sodomam veſpere. v.3.n.74.p.147

20. 2. Miſit ergo Abimelech Rex Geraræ, & tulit eam.v.8.n.75.p.312

4. Abimelech verò non tetigit eam,& ait:Domine,num gentem ignorantem, & iuſtam interficies? v.8.n.75.p,312

21. 2. Concepítque & peperit, filium in ſenectute ſua tempore quo prædixerat ei Deus. v.12. n.35.p.403

10. Eiice ancillam hanc & filium eius:non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac,v,9.n.30.p.329

18. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes Terræ , quia obediſti voci meæ. v. 13. n.46.p.428

22. 2. Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Iſaac,& vade in terram viſionis , atque ibi offeres eum in Holocauſtum ſuper vnum montium quem mõſtrauero tibi. v.14.n.74. p.466.v.16.n.44.p.513.v.24.n.52,p.697

5. Expectate hîc cum aſino,ego & Puer illuc vſque properantes , poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos.v.8.n.50.p.302

6. *Tulit Abraham* ligna Holocauſti , & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum : ipſe verò portabat in manibus ignem , & gladium. v.13. n.44. p.427 v,16.n.44.413

12. Ne extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam. v,12. n.47. p.407. v.6.n,34.p.210

24. 2. Et os eius grandi lapide claudebatur, v. 20. n.59.p.595

11. Cúmque camelos feciſſet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ,veſpere tempore quo ſolent mulieres egredi ad hauriendam aquam.v,3.n.27.p,126

14. Cui ego dixero,inclina hydriam tuam,vt bibã, & illa reſpõderit,Bibe; Quin & camelis tuis potum da:ipſa eſt quam preparaſti ſeruo tuo Iſaac,&c.v.3.n,65.p.144.v.13.n.51.p.429

16. Puella decora nimis, virgóque pulcherrima. v.7.n.3.p.233

28. Cucurrit itaque puella , & nunciauit, &c. v. 3.n,24.p.125

47. Suſpendi itaque inaures, &c. Et armillas poſui in manibus eius. v11. n.8,p.372

53. Prolatíſque vaſis argenteis, & aureis ac veſtibus , dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque eius , & matri dona obtulit. v.3.n.2.p.116

61. Igitur Rebecca & puella illius aſcenſis camelis ſequutæ ſunt virum.v.3.n.4.p.117

67. Et in tantum dilexit eam , vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.v.5.n.21.p.195

25. 5. Dedítque Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera , & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo.v.7.n.10.p.336

23. Perrexitque vt conſuleret Dominum. v.11. n.20.p.378

*Ibid.* Major ſeruiet minori.v.7.n.103.p.276

26. 8. Proſpiciens Abimelech Rex Palæſtinorum per feneſtram , vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua.v.1.n.42.p.35

11. Cogitaui mecum dicens : forſitan non eſt timor Dei in loco iſto,interficient me propter vxorem meam.v.6.n.26.p.216

27. 16. Pelliculas Hœdorum circumdedit manibus, & Colli nuda protexit.v.5.n.61.p.493

17. Benedicens ait,Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni.v.3.n.107.p.160

20. Det tibi de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiã frumenti & vini.v.1.n.98.p.56

25. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni,cui benedixit Dominus. v.20. n.47.p. 491.v.5. n.11.p.191.v.10.n.55.p.356.

28. Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: Eſto Dominus fratrum tuorũ, incuruentur ante te filij matris tuæ. *Ibid.* &. v.17.n.50. p.531.v.20. n.46. p.591. v.17. n.50. p.580

41. Oderat ergo ſemper Eſaü Iacob pro benedictione qua benedixerat ei Pater,dixítque in corde ſuo,venient dies luctus patris mei,& occidam Iacob fratrẽ meũ .v.2.n.81.p.108

57. Frumento & vino ſtabiliui eum , & tibi poſt hæc, fili mi vltra quid faciã?v,5.n.25.p.197

28. 12. Vidit námque ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei aſcendentes , & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.v.10. n.70.p.361.v.14.n.36.p.452

*Ibid.* Non eſt hîc aliud niſi Domus Dei,& porta Cœli.*Ibid.*& v.15.n.56.p.492

29. 2. Vidit puteum in agro , & os eius grandi lapide claudebatur.v.12.n.34.p.402

9. Et ecce Rachel veniebat cũ ouibus patris ſui, nam gregem ipſa paſcebat.v.7.n.3.p.233

16. Diſſimulante illo , apprehenderunt manum eius,& manum vxoris,ac duarum filiarum eius eo quòd parceret Dominus illi;eduxerúntque eum , & poſuerunt extra Ciuitatem.v.16.n.17.p.507

18. Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.v.15.n.12.p.473

35. Ceſſauítque párere.v.21.n.42.p.624

30. 20. Dotauit me Deus dote bona.v.7.n.96.p.273

32. 25. Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane, qui cùm vidiſſet quod eum ſuperare non poſſet, tetigit neruũ femoris eius, & ſtatim emarcuit.v.12.n.34.p.402.v.14.n.64.p.462

26. Dimitte me,iam enim aſcendit Aurora. v.5. n.32.p.199

33. 13. Noſti Domine mi,quod paruulos habeam teneros,& oues & boues fœtas mecũ,quas ſi plus in ambulando fecero laborare , morientur vna die cuncti greges. v.9. n.6. p.307.v.20.n.90.p.602.

26. Non dimittam te,niſi benedixeris mihi.v.17. n.29.p.525

34.12. Augere dotem & munera poſtulate , & libenter tribuam quod petieritis ; tantum date mihi puellam hanc vxorem.v.3.n.2.p.116. v.15.n.12.p.473

35.4. Et inaures quæ erant in auribus eorum. v.11. n.7.p.372

19. Mortua eſt ergo Rachel,& ſepulta eſt in via, quæ ducit Ephratam,hæc eſt Bethleem,ere-xítque Iacob titulum ſuper ſepulchrum eius v.11.n.39.p.384.

37. 3. Eo quòd in ſenectute genuiſſet eum,fecítque ei tunicam polymitam.v.13.n.72.p.675

25. Iſmaëlitas viatores venire de Galaad , & Camelos eorum portantes aromata,& reſinam, & ſtacten in Ægyptum.v.14. n.8.p.438

27. Frater enim & caro noſtra eſt.v.1.n.134.p.68

38. 8. Dixit ergo Iudas ad Onam filium ſuum;ingredere ad vxorem fratris tui,& ſociare illi , vt ſuſcites ſemen fratri tuo.v.6.n.10.p.236

15. Quam cùm vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem.v.81.n.22.p.290

26. Iuſtior me eſt,quia non tradidi eam Sela filio meo.v.14.n.44.p.455

39. 6. Erat autem Ioſeph pulchra facie,& decorus aſpectu.v.16.n.9.p.499

20. Traditque Ioſeph in carcerem vbi vincti regis cuſtodiebantur,& erat ibi clauſus.v.18. n.33.p.548

22. Tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur,& quidquid fiebat ſub ipſo erat,nec nouerat aliquid cunctis ei creditis.v.6.n.58.229

41. 40. Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.v. 1.n.20.& 24.p.28.

43. Fecítque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent,vt præpoſitũ eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti.v.10.n.3.p.334. & 16.p.339.

42. 7. Quaſi ad alienos durius loquebatur interrogans eos, vnde veniſtis.v.n.76.p.466.

43. 33. Sederunt coram eo,Primogenitus iuxta Primogenita ſua , & minimus iuxta ætatem ſuam.v.5.n.4.p.88.v.8.n.2.p.280

44. 23. Niſi venerit frater veſter minimus non videbitis amplius faciem meam.v.7.n.4.p.423

27. Quaſi de graui ſomno euigilans, tamen non credebat eis : Cúmque vidiſſet plauſtra , & vniuerſa : quæ miſerat, reuixit ſpiritus eius. v.2.n.30.p.88.v.22.n.4.p.634

46. 3. Noli timere, deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi:ego deſcendam tecum illuc,& ego inde adducam te reuertentem ; Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos. v.21.n.3.p.607

16. Introduc viros domum , & occide victimas, & inſtrue conuiuium;quoniam mecum ſunt comeſturi meridie. v.8.n.1.p.287

33. Cùm vocauerit vos,& dixerit quod eſt opus veſtrum?reſpondebitis; viri paſtores ſumus, vt habitare poſſitis in terra Geſſen,quia deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium. v.11.n.25.p.380

47. 9. Dies peregrinationis meæ centum triginta annorũ ſunt, parui & mali. v.24.n.60.p.699

30. Vt non ſepelias me in Ægypto,ſed dormiam cum patribus meis. v.21.n.4.p.607

48.14. Manũ dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe,qui maior natu erat. v.9.n.15.p.324

49. 3. Ruben primogenitus meus , Tu fortitudo

mea, & principium doloris mei: prior in donis,maior in imperio.v.11.n.26.p.380
4. Effuſus es ſicut aqua,non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui & maculaſti ſtratum eius,v.18.n.35.p.549
6. Quia in furore ſuo occiderunt virum, v. 7. n.80.p.267
7. Maledictus furor eorũ quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.v.16.n.39.p.511
8. Iuda,te laudabunt fratres tui.v.14.n.44.p.455
9. Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt Leo & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum? v.17. n.14.p.519
10. Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius donec veniat qui mittendus eſt,v.10.n.55.p.356
11. Lauabit in vino ſtolam ſuam & in ſanguine vuæ pallium ſuũ.v.1.n.156.p.75. & p.646
20. Aſer pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.v.7.n.104.p.276
27. Benjamin lupus rapax,&c.v.21.n.36.p.622


## Ex libro Exodi.


Cap.1.v.12. Bene ergo fecit Deus obſtetricibus, ædificauit eis domos.v.20.n.79.p.601
3. 2. Apparuit ei in flamma ignis de medio Rubi,& videbat,quod Rubus arderet, & nõ cõbureretur. v.14.n.37.p.453.v.16.n.26.p.507
11. Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto? v. 10. n.80.p.364
15. Hæc dices filiis Iſraël: Dominus Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, miſit me ad vos. v.20.n.63.p.596
17. Et educam vos de afflictione Ægypti ad terram fluentem lacte, & melle. v. 20. n.50.p.592.
4. 6. Quam cùm miſiſſet in ſinum,protulit leproſam inſtar niuis.v.7.n.72.p.264
10. Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum. v.1. n. 85. p.52. v. 10. n.80. p.364.v.20.n.49.p.592.& 73.p.599
24. Cùm eſſet in itinere, in diuerſorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum, 14.n.68. p.464.v.16.n.33.p.509
5. 1. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: dimitte populum meum vt ſacrificet mihi in deſerto.v.10.n.78.p.364
5. Multus eſt populus terræ, videtis quòd turba ſuccreuerit quanto magis ſi dederimus eis requiem ab operibus.v.18.n.27.p.546
6. 3. Ego ſum qui ſum.v.3.n.60.p.141
7. 19. Tolle virgam tuam & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & ſuper fluuios eorum,& riuos ac paludes, & omnes lacus aquarum,vt vertantur in ſanguinem.v.16. n.25.p.506
8. 8. Orate Dominum vt auferat Ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum vt ſacrificet Dómino.v.7.n.67.p.262
9. Conſtitue mihi quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo. v.1. n.111.p.60
10. 24. Ite ſacrificate Domino, oues tantùm & armenta remaneant.v.17.n.29.p.525
11. 5. Vſque ad Primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam.v.1.n.27.p.30
12. 1. Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in mẽſibus anni.v.21.n.53.p.628
13. 21. Dominus præcedebat vos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis v.16.n.51.p.512
Ibid. Per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.v.21.n.44.p.624
Ibid. Præcedebat vos per diẽ &c.v.14.n.48.p.457
Ibid. Per diem in columna nubis & per noctem in columna ignis.v.19.n.27.p.567
15. 1. Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.v.10.n.85.p.366
5. Deſcenderunt in profundum quaſi lapis. v.8. n.58.305
20. Egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eum cum tympanis,& choris,quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino, &c. v.4. n.20.v.20.n.32.p.584
22. Erat enim aqua quaſi murus à dextra eorum & læua.v.10.n.29.p.345
16. 31. Guſtúſque eius quaſi ſimilæ cum melle. v.15.n.63.p.494
33. Sume vas vnum & mitte ibi Man, quantum poteſt capere gomor. v.3.n.123.p.167
18. 17. Non bonam rem facis: ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte, qui tecum eſt,v.8.n.46.p.300
20. 19. Loquere Tu nobis & audiemus: non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur.v.14.n.55.p.459.
21. 24. Oculus pro oculo, dens pro dente. v.2. n.37.p.91
22. 14. Qui à proximo ſuo quidquam horum mutuò poſtulauerit & debilitatum, aut mortuum fuerit Domino non præſente, reddere compelletur, Quod ſi in præſentiarũ Dominus fuerit,nõ reſtituet.v.20.n.88.p.603
25. 20. Reſpiciántque ſe mutuò verſis vultibus in Propitiatorium quo operienda eſt Arca. v.20.n.54.p.593
28. 36. Facies & laminam deauro puriſſimo,in quo ſculpes opere cælatoris Sanctũ Domino: ligabíſque eum vittâ hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis. v.20.n.86.p.602
29. 33. Per circuitum quaſi mala punica ex hyacintho,& purpura,& cocco bis tincto,mixtis in medio tintinnabulis.v.20.n.94.p.605
30. 32. Sume tibi aromata,primæ Myrrhæ,& electæ quingentos ſiclos.v.13.n.12.p.413
34. Sume tibi aromata, ſtacten & onycha, galbanũ boni odoris & thus lucidiſſimum. v.14.n.2.p.436
31. 18. Dedítque Dominus Moyſi duas tabulas teſtimonij lapideas, ſcriptas digito Dei. v.10.n.85.p.366
4. 18. Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque, ac filiarum veſtrarum auribus. v.11.n.7.p.366
32. 31. Obſecro peccauit populus iſte peccatũ maximum, fecerúntque ſibi Deos aureos. v.7.n.45.p.254
6. Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.v.8.n.67.p.309
10. Dimitte vt vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos faciámque te in gentem magnam. v.20.n.65.p.596
33. 15. Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.v.1.n.82.p.51.v.1.n.90.p.53.
19. Oſtende mihi gloriam tuã .v.18.n.30.p.547







34. 24. Nullus inſidiabitur terræ tuæ, aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.v.1.96.p.55
29. Cúmque deſcenderet Moyſes, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.v.9.n.17.p.324
29. Cùm deſcenderet Moyſes de monte Sinaï, tenebat duas tabulas teſtimonij, & ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini. veſtig.15.n. 39. p.491
38. 8. Fecit & labrum æneum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant,&c.v.21.n.5.p.608


## Ex libro Leuitici.


Cap.4.v.1. Offerat pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino.v.17.n.28.p.528
18. 12. Turpitudinem ſororis Patris tui non diſcooperies, quia caro eſt patris tui. veſt.14. n.12.p.440
21. 7. Scortum & vile Proſtibulum non ducent vxorem.v.8.n.26.p.292
23. 40. Sumetíſque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum. v.17. n.10.p.517.v.19.n.3.p.558
26. 5. Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vinea occupabit ſementem. v. 23. n.11. p.655


## Ex libro Numerorum.


Cap.3. v.1. Hæ ſunt generationes Aaron & Moyſi. v.13.n.38.n.425
6. 2. Vir ſiue mulier cùm fecerint votum, vt ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare; à vino & omni quod inebriare poteſt, abſtinebunt.v.20.n.44.p.590
18. Tunc radetur Nazaræus ante oſtium Tabernaculi fœderis cæſarie conſecrationis ſuæ; tollétque capillos eius & ponet ſuper ignem, qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum.v.21.n.4.p.608
10. 4. Si ſemel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Iſraël,ſi autem prolixior, atque conciſus clangor increpuerit, mouebuntur caſtra.v.20.n.82.p.601
11. 11. Cur afflixiſti ſeruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me?v.9. n.34.p.330
12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem,vel genui eam vt dicas mihi,Porta eos in ſinu tuo,ſicut portare ſolet nutrix infantulum.veſtig.9.n.34.p.330. veſtig.15. n.44.p.487.
13. Vnde mihi carnes vt dem tantæ multitudini? v.15.n.44.p.487
16. Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſraël,quos tu noſti,quòd ſenes populi ſunt. v.21.n.57.p.629.v.3.n.82.p.150
Ibid. Duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum,vt deſcendam,& loquar tibi & auferam de Spiritu tuo, &c.v.7. n.64.p.261
17. Et auferam de Spiritu tuo, tradamque eis vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.v.8.n.46.p.301
11. 21. Sexcenta millia peditum huius populi ſunt, & tu dicis:Dabo,&c.v.3.n.78.p.149
31. Nam ventus egrediens à Domino, &c. ibid.
12. 2. Num per ſolum Moyſem locutus eſt Dominus?&c.v.24.n.39.p.692
13. 3. Mitte viros qui conſiderent Terram Chanaam,quam daturus ſum filiis Iſraël, ſingulos de ſingulis tribubus, ex principibus. veſtig.14.n.70.p.464. veſtig.15. n.53.p.494. v.20.n.85.p.602
24. Abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri. veſtig. 13. n.62.p.433
20. 21. Quia non crediditis,vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. v.15.n.34. p.487
21. 8. Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno, qui percuſſus aſpexerit,&c. v.7. n. 89. p.276
24. 24. Venient de Trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios.v.15.n.3.p.469
27. 9 Homo cùm mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hæreditas. v.7. n. 11. p.230
16. Prouideat Dominus ſpirituum omnis carnis hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc,& poſſit exire,& intrare inter eos, &c. v.20.n.77.p.600


## Ex Deuteronomio.


Cap.2.v.7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum:nouit iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.v.1.n.132.p.67
14. Tempus autem quo ambulauimus in Cadeſbarne vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit. v. 6. n. 23. p.215
6. 5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota fortitudine tua.v.20.n.91.p.604
7. 6. Quia populus Sanctus es Domino Deo tuo:te elegit Dominus Deus tuus,vt ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram.v.8.mor.n.60.p.306
8. 4. Veſtimentum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit,& pes tuus non eſt ſubtritus; en quadrageſimus annus eſt.v.1.n.143.p.70. v.3.n.119.p.165
12. 2. Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes Deos ſuos ſuper montes excelſos & colles,&c.v.7.n.44.p.254
13. 6. Siue vxor quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam. veſtig. 2. n.16.p.82
17. Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius v.15. n.39.p.485.
16. 21. Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Dei tui.v.12.n.27.p 400
17. 26. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere,qui non ſit frater tuus:Cúmque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero ſubleuatus. v. 10. n. 17. p.339
21. 15. Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ

primogenitus &c. v.7. n.90. p.271. v.22. n.31.p.645

23. 1. Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Dei.v.18.n.10.p.538

17. Non erit Meretrix de filiabus Iſraël.: nec Scortator de filiis Iſraël.v.8.n.26.p.292

31. 16. Et populus iſte conſurgens fornicabitur poſt Deos alienos.v.8.n.31.p.294

32. 2. Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum,&c.v.20.n.46.p.591

3. Fluat vt ros eloquium meum; quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. v.14.n.53.p.458

10. Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui: ſicut Aquila prouocans ad volandum pullos ſuos: Dominus ſolus dux eius fuit; & non erat cum eo Deus alienus. v.29.n.83.p.602

12. Dominus ſolus Dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus.v.1.n.143.p.70

13. Vt ſugeret mel de petra. veſtigat.14. n.38. p.534

30. Quomodo perſequatur vnus mille, & duo fugent decem millia.v.20.n.83.p.602

33. Et venenum aſpidum inſanabile. v.21.n.15. p.613

33. 12. Et Benjamin,ait, amantiſſimus Domini,&c. quaſi in thalamo tota die morabitur, &c. v.20.n.13.p.575.v.21.n.36.p.622

17. Quaſi primogeniti Tauri pulchritudo eius. v.16.n.9.p.499.v.4.n.38.p.185

34. 5. Mortuúſque eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino. v.21.n.3. p.607

## *Ex libro Ioſue.*

*Cap.*3.*v.*16. Et pedibus eorum in parte aqua tinctis, ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes, &c. Quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum) deſcenderunt. v.13.n.62.p.334

4. 7. Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini.v.7.n.69.p.264

13. Quadraginta Pugnatorum millia, per turmas & cuneos incedebant per plana atque campeſtria vrbis Iericho. veſtig.15. n.5. p.470

9. 4. Saccos veteres aſinis imponentes, & vtres vinarios ſciſſos atque conſutos, calceamentáque perantiqua quæ ad indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant. v.1. n.149.p.72

10. 4. Ad me aſcendite, & ferte præſidium vt expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Ioſuë,& ad filios Iſraël. v.3.n.103.p.158

13. 3. Terra Chanaan quæ in quinque Regulos Philiſthiim diuiditur, Gazæos, & Azotios. v.7.n.14.p.238

## *Ex libro Iudicum.*

*Cap.*3.*v.*16. Qui fecit ſibi gladium ancipitem habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus,& accinctus eſt eo ſubter ſagam in dextro femore.v.3.n.106.p.461

5. 10. Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via,loquimini.v.10.n.17.p.339

7. 17. Quod me facere videritis,hoc facite: Ingrediar partem caſtrorum, & quod fecero ſectamini. v.1.n.144.p.71

8. 21. Tulit otnamenta ac bullas quibus colla regalium camelorum decorari ſolent. v.10. n.8.p.336

25. Expandentéſque ſuper terram pallium, proiecerunt in eo inaures de præda, & fuit pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis, monilibus, & veſte purpurea quibus Reges Madian vti ſoliti erant, & præter torques aureas Camelorum. v.6.n.3. p.205

9. 8. Nunquid poſſum deſerere pinguedinē meam, qua & Dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear. v.3.n.84. p.150

*Ibid.* Ierunt ligna vt vngerent ſuper ſe Regem. v.3. n.16.p.122

48. Dixit ad ſocios: Quod me videtis facere,citò facite. v.1.n.144.p.71

10. 22. Reuerſúſque eſt omnis exercitus ad Ioſuë in Maceda, vbi tunc erant caſtra, ſani & integro numero. v.3.n.112.p.162

15. Et poſtea clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem vocabulo Aod, filium Gera. v.3.n.108. p.161

14. 16. Occurrit ei catulus ſæuus & rugiens. v.5. n.8.p.200

15. 4. Caudas earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio,&c. v.21.n.48.p.625

8. Deſcendens habitauit in ſpelunca petræ Etam. v.8.n.29.p.547

17. 5. Impleuítque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt Sacerdos.v.5.n.39.p.201

## *Ex libro Ruth.*

*Cap.*2. *v.*1. Homo potens & magnarum opum. v.21. n.18.p.614

3. 3. Lauare igitur, & vngere, & induere cultioribus veſtimentis.v.2.n.12.p.80

## *Ex libro* 1. *Regum.*

*Cap.*2.*v.*4. Arcus fortium ſuperatus eſt & infirmi accincti ſunt robore.v.10.n.24.p.343

4. 18. Cúmque ille nominaſſet arcam Dei, cecidit de cella retrorſum iuxta oſtium, & fractis ceruicibus mortuus eſt. v.2. n.30. p.88

8. 5. Ecce tu ſenuiſti, & filij non ambulant in viis tuis, conſtitue nobis Regem,vt iudicet nos ſicut & vniuerſæ habent nationes. v.1. n.114.p.61

9. 2. Electus, & bonus: & non erat vir de filiis Iſraël melior: ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum. v.1. n.19. p.504

10. Et cuius erunt optima quæque Iſraël nónne tibi & omni domui Patris tui? v.2. n.83. p.109

13. Dauid ſurrexit de terra, & lotus vnctúſque eſt.v.2.n.8.p.78

11. 15. Immolauerunt ibi victimas pacificas coram Domino, & lætatus eſt ibi Saul, & cuncti viri Iſraël nimis. v.4.n.9.p.172

12. 3. Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius. v.2.n.16.p.122

16. Sed nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. v.23.n.4.p.653





13. 5. Et Philiſthiim congregati ſunt ad præliandum contra Iſraël,triginta millia curruũ,& ſex millia equitum, & reliquum vulgus ſicut arena,quæ eſt in littore maris plurima. v.10.n.7.p.335

13. Dixitque Samuel ad Saul; Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei his, quæ præcepit tibi: quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum: ſed nequaquam regnum tuum vltra conſurget. v. 1. n.115.p.61.v.4.n.27.p.181.

19. Porrò Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſraël: cauerant enim Philiſthiim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.v.8.n.70.p.310

16. 12. Erat autem rufus & pulcher aſpectu, decoráque facie. v.16.n.9.p.499. v.7. n.3.p.233. v.17.n.47.p.521

23. Spiritus Domini malus arripiebat Saul. v.1. n.89.p.53

17. 5. Caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamea induebatur.v.12.n.43.p.405

34. Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem,& veniebat leo,vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis,& perſequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum: & illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebámque eos; Nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus: erit igitur Philiſtæus hic incircumciſus quaſi vnus ex eis.v.9.n.5.p.317.v.21.n.13.p.612

18. 1. Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.v.1.n.16.p.26

4. Nam ex poliauit ſe Ionathas tunica qua erat indutus,& dedit eã Dauid,& reliqua veſtimēta ſua vſque ad gladium & arcum ſuum, & vſque ad balteum ſuum.v.1.n.155.p.74

6. Porrò cùm reuerteretur percuſſo Philiſtæo Dauid, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis vrbibus Iſraël,cantantes,choróſque ducentes in occurſum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in ſiſtris.v.1.n.30. p.31. v.4. n.2. p.169.& n.11.p.173

7. Percuſſit Saül mille, & Dauid decem millia. v.4n.37.p.185

27. Et percuſſit ex Philiſtiim ducentos viros, & attulit eorum præputia,& annumerauit ea Regi vt eſſet gener eius: dedit itaque Saul Michol filiam ſuam vxorem. v.20.n.8. p.573

21. 4. Non habeo Laicos Panes ad manum,ſed tantùm panem ſanctum: Si mundi ſunt pueri maximè à mulieribus.v.13.n.64.p.434

15. Et ait Achis ad ſeruos ſuos: vidiſtis hominem inſanum,quare adduxiſtis eum ad me? an deſunt nobis furioſi, quod introduxiſtis ipſum,vt fureret me præſente? v. 17. n. 25. n.524

24. 3. Super abruptiſſimas petras,quæ ſolis ibicibus peruiæ ſunt.v.22.n.5.p.635

5. Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis. v. 1. n.125. p.65

25. 29. Si enim ſurrexerit aliquando Homo perſequens te, & quærens animam tuam; erit anima Domini cuſtodita quaſi in faſciculo viuentium, apud Dominum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur quaſi in impetu & circulo fundæ. v.8.n.63.p.307

30. 23. Non ſic facietis fratres mei de his quos tradidit nobis Dominus, nec audiet vos quiſquam ſuper ſermone hoc: æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter diuident. v. 4. n.21.p.178

## *Ex libro* 2. *Regum.*

*Cap.*1.*v.*20. Quomodo ceciderunt fortes. v.21.n.20. p.614

24. Filiæ Iſraël ſuper Saül flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro.v.3.n.4.p.118

2, 7. Vidéſne quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei poſita ſit in medio collium. v.1. n.8.p.207

15. Da mihi carnem,vt coquam Sacerdoti, non enim à te accipiam carnem coctam,ſed crudam.v.5.n.39.v.202

20. Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Aſcalonis, ne fortè lætentur filiæ Philiſthiim, ne exultent filiæ incircumciſorum.v.6.n.56.p.228

3. 14. Redde vxorem meam Michol quam deſpondi mihi centum præputiis Philiſthiim. v.15. n.12.p.473

4. 5. Et oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit.v.8.n.49.p.302

5. 1. Ecce nos os tuum, & caro tua ſumus. v. 13. n.48.p.428

6. 14. Erat accinctus Ephod lineo.v.18.n.5.p.535

7. 2. Vidéſne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita ſit in medio pellium? v.17. n.8.p.517

11, 11. Arca Dei & Iſraël & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent, &c.v.4.n.1.p.166

12. 3. De pane illius comedens,& de calice eius bibens, & in ſinu illius dormiens: erátque illi ſicut filia.v.20.n.3.p.571

23. Nunc autem quia mortuus eſt, quare ieiunem? numquid potero reuocare eum amplius? v.7.n.82.n.268

13, 16. O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna quæ eſt in Bethleem iuxta portam! v.6. n.49.p.226

18. Quæ induta erat tunica talari: huiuſmodi enim filiæ Regis Virgines veſtibus vtebantur.v.15.n.15.p.474

29. Surgentéſque omnes filij Regis: aſcenderunt ſinguli mulas ſuas,& fugerunt. v. 10. n.17. p.340

14. 24. Dixit autem Rex: Reuertatur in domum ſuam,& faciem meam non videat.v.9.n.28. p.328

26. Ducentis ſiclis pondere publico. v.9. n. 28. p.328

32. Quare veni de Geſſur? melius mihi erat ibi eſſe: obſecro ergo vt videam faciem Regis: quod ſi memor eſt iniquitatis meæ, interficiat me.v.9.n.28.p.328

15. 2. Et mane conſurgens Abſalom ſtabat iuxta introitum portæ,& omnem virum, qui habebat negotium,vt veniret ad Regis iudicium, vocabat,&c.v.1.n.110.p.60

5. Faciebátque hoc omni Iſraël venienti ad iudicium,vt audiretur à Rege, & ſollicitabat

corda virorum Iſraël.v.13.n.56.p.431.

17.12. Cúmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.v.2.n.19.p.83.v.13.n.41.p.426

18.5. Et præcepit Rex Ioab, & Abiſaï & Ethaï, dicens: Seruate mihi puerum Abſalom, v.1.n.139.p.64.v.13.n.56.p.431.

33. Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi. Quis mihi tribuat vt ego moriar pro te? Abſalon fili mi, fili mi Abſalon.v.7.n.82.p.268

23.8. Sedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus qui octingentos interfecit impetu.v.7.n.84.p.269.v.8.n.43.p.300

## Ex libro 3. Regum.

Cap.1.v.1. Vt cùm operiretur veſtibus, non calefieret.v.4.n.22.p.196

4. Erat autem Puella pulchra nimis, dormiebátque cum Rege, & miniſtrabat ei, Rex verò non cognouit eam.v.6.n.50.p.226

4. Pulchra nimis, dormiebátque cum Rege & miniſtrabat ei; rex verò non cognouit eam. v.20.n.48.p.591

11. Num audiſti quod regnauerit Adonias filius Haggith, & Dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe conſilium à me, & ſalua animam tuam, filiíque tui Salomonis; vade & ingredere ad Regem Dauid.v.13.n.41.p.426

33. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita ſua, in morte quoque non ſunt diuiſi. v. 8. n.106.p.277

2.5. Tu quoque noſti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſraël, Abner filio Ner, & Amaſæ filio Iether.v.6.n.32.n.219

19. Surrexit*Rex in occurſum eius adorauítque eam, & ſedit ſuper thronum ſuum: poſitúſque eſt thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram eius.v.4.n.22.p.179

26. Sed hodie te non interficiam quia ſuſtinuiſti laborem in omnibus in quibus laborauit Pater meus.v.4.n.22.n.179

3.11. Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti ſibi dies multos, nec diuitias, &c. Sed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium, Ecce feci tibi, &c. Sed & hæc quæ non poſtulaſti, dedi tibi, &c.v.1.n.94.p.55

4.25. Habitabátque Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, &c.v.7.n.7.p.235.v.23.n.16.p.657

7.45. Omnia vaſa quæ fecit Hiram Regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant.v.12.n.14.p.393

8.3. Venerúntque cuncti ſenes de Iſraël & tulerunt Arcam Sacerdotes, & portauerunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vaſa tabernaculi, quæ erant in tabernaculo. v.6.n.10.p.208

41. Inſuper & Alienigena qui non eſt de populo tuo Iſraël cùm venerit de terra longinqua, &c.v.7.n.13.p.237

9.16. Cepit Gazer, ſuccendítque eam igni, & dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis. v.7.n.10.p.236.v.15.n.12.p.473

22. De filiis autem Iſraël non conſtituit Salomon ſeruire quemquam, ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, & Principes & Duces, & præfecti curruum & equorum. v.7.n.5.p.235

10.5. Habitacula ſeruorum Salomonis & ordines miniſtrantium veſtéſque eorum. v.3.n.4.p.107

12. Non ſunt allata huiuſmodi ligna thyina, neque viſa vſque in præſentem diem. v.17.n.12.p.518

18. Veſtiuit auro fuluo nimis.v.11.n.43.p.385

20. Quia non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.v.2.n.75.p.106

23. Magnificatus eſt ergo Rex Salomon ſuper omnes Reges terræ, diuitiis & ſapientiâ: & vniuerſa terra deſiderabat vultum Salomonis, vt audiret ſapientiam eius, quam dederat Deus in corde eius.v.8.n.78.p.313

27. Fecit enim vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum.v.12.n.10.p.391

28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa & ſtatuto pretio deducebant. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenti, & equus centum quinquaginta.v.10.n.1.p.333.ibid.num.10.p.337.

12.4. Pater tuus duriſſimum iugum impoſuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum.v.7.n.6.p.337

13.20. Cumque ſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad Prophetam. v.81.n.2.p.180

17.3. Vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes: coruíſque præcepi, vt paſcant te ibi.v.13.n.55.p.43

6. Panem & carnes mane, ſimiliter panem, & carnes veſperi, & bibebat de torrente.v.10.n.52.p.354

13. Vade & fac ſicut dixiſti: veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcineritium paruulum panem, & affer ad me, tibi autem & filio tuo facies poſtea.v.1.n.97.p.56

18.44. Quæ parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.v.3.n.68.p.145

19.3. Et ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas, venítque in Berſabee, Iudas & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum viam vnius diei.v.20.n.81.p.601.v.18.n.31.p.547

5. Proiecítque ſe & obdormiuit in vmbra Iuniperi.v.18.n.54.p.555

8. Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb. v.14.n.40.454

9. Quid hîc agis Elia? v.3.n.71.p.146

11. Egredere & ſta in monte coram domino, & ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, ſubuertens montes &c. v.18.n.30.p.547

## Ex libro 4. Regum.

Cap.1.v.2. Cecidítque Ochozias per cancellos cœnaculi ſui, quod habebat in Samaria, & ægrotauit.v.17.n.7.p.516

2.9. Obſecro, vt fiat in me duplex Spiritus tuus. v.20.n.84.p.604.v.10.n.87.p.367. Rem difficilem poſtulaſti ibi.

12. Currus Iſraël, & auriga eius.v.1.n.71.p.71.

2.15. Leuauit



2.15. Leuauit pallium Heliæ quod ceciderat. v.1.n.156.n.75

23. Aſcende Calue, aſcende Calue. v.7.n.93.p.272

4.1. Mulier autem quædam de vxoribus Prophetarum.v.20.n.23.p.590

31. Neque erat vox, neque ſenſus, reuersúſque eſt in occurſum eius, & nunciauit ei dicens; non ſurrexit puer.v.8.n.39.p.298

34. Nam incubuit ſuper puerum, poſuítque os ſuum ſuper os eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri.v.9.n.36.p.331

5.10. Vade, & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. v.1.n.130.p.66

14. Reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt.v.1.n.130.p.67

22. Dominus meus miſit me ad te dicens, modò venerunt ad me duo Adoleſcentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum; da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices.v.5.n.40.p.202

6.21. Non percuties, neque enim cepiſti eos gladio, &c.v.21.n.39 p.623

18.31. Hæc enim dicit Rex Aſſyriorum: facite mecum quod vobis eſt vtile, & egredimini ad me: & comedet vnuſquiſque de vinea ſua, & de ficu ſua, & biberis aquas de ciſternis veſtris.v.8.n.66.n.309

19.23. Per manum ſeruorum meorum exprobraſti Domino, & dixiſti; in multitudine curruum meorum aſcendi excelſa montium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius. v.10.n.7.p.335

23.7. Deſtruxit quoque ædiculas effeminatorum quæ erant in domo Domini pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci. v.7.n.44.p.254

## Ex libro 1. Paralipom.

Cap.2.v.54. Filij Salma, Bethleem, & Netophati Coronæ domus Ioab.v.20.n.57.p.594

15.17. Porrò Dauid erat indutus ſtola byſſina. v.18.n.5 p.535

17.1. Ecce ego habito in domo cedrina & arca Dei poſita eſt in medio pellium.v.6.n.8.p.207

18.8. De Thebath, & Chun vrbibus Adarezer æris plurimùm, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas & vaſa ænea.v.12.n.12.p.392.& n.14.p.393

21.13. Melius mihi eſt vt incidam in manus Domini, quia multæ ſunt miſerationes eius, quàm in manus hominum. v.3.n.73.p.146.v.20.n.70.p.598

22.8. Filius; qui naſcetur tibi erit vir quietiſſimus: Faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis per circuitum, & ob hanc cauſam pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Iſraël cunctis diebus eius. v.3.n.12.p.120

27.28. Super oliueta & ficeta quæ erant in campeſtribus Balanam Gederites. v.23.n.15.p.657

## Ex 2. Paralipom.

Cap.1.v.12. Diuitias autem & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus nec ante, nec poſt te fuerit ſimilis tui.v.10.n.18.p.340

15. Præbuítque Rex argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magna.v.17.n.12.p.518

16. Adducebantur autem equi de Ægypto, & Coa, à negotiatoribus Regis qui ibant, & emebant.v.10.n.10.p.337

8.17. Abiit in Aſiongaber, & in Ailath, ad oram maris rubri quæ eſt in terra Edom.v.6.n.12.p.209

9.25. Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum, equitúmque duodecim millia, conſtituítque eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat rex in Ieruſalem.v.10.n.6.p.335.& n.14.p.338

16.14. Poſuerúntque eum ſuper lectum ſuum plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis quæ erant pigmentariorum arte confecta. v.2.n.8.p.78

Ibid. Et ſepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quod foderat ſibi in ciuitate Dauid, &c. *de Aſa Rege.* v.17.n.17.p.520

18.2. Deſcendítque poſt annos ad eum in Samariam, ad cuius aduentum mactauit Achab arietes, & boues plurimos ipſi, & populo qui venerat cum eo.v.13.n.9.p.412

22.9. Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti; non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me: filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum. v.8.n.48.p.301

26.18. Non eſt tui officij Oſia, vt adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium. v.3.num.42.p.154.v.10.n.77.p.363

19. Statímque orta eſt lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini ſuper altare thymiamatis.v.8.n.74.p.311

20. Cùm reſpexiſſet eum Azarias Pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes viderunt lepram in fronte eius, & feſtinatò expulerunt eum. v.9.n.27.p.328

32.21. Filij qui egreſſi fuerant de vtero eius interfecerunt eum gladio.v.2.n.19.p.83

35.15. Vſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant.v.14.n.34.p.451

## Ex 2. Eſdræ.

Cap.4.v.17. Vnâ manu faciebat opus, & alterâ tenebat gladium.v.23.n.57.p.670

8.45. Egredimini in montem, & afferte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes Myrthi & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt.v.3.n.31.p.128

13.24. Et filij eorum media ex parte loquebantur Azoticè, & neſciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi. v.2.n.83.p.109

## Ex libro Tobiæ.

Cap.2.v.19. Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum ſuarum victum quem conſequi poterat, deferebat.v.15.n.16.p.474

Ex

## Ex libro Iudith.


*Cap.*8.*v.*7. Erat autem eleganti aſpectu nimis. v.16. n.1.p.495
10. 2. Abſtulit à ſe cilicium, & exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ: & lauit corpus ſuum,& vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui.v.2.n.12.p.80
3. Vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui,&c.v.16.n.1.p.495


## Ex libro Eſther.


*Cap.*1.*v.*5.Vt oſtenderet diuitias gloriæ regni ſui,ac magnitudines, atque iactantiam potentiæ ſuæ.v.21.n.18.p.614
5. In veſtibulo nempe horti, & nemoris, quod Regio cultu & manu conſitum erat. v.17. n.4.p.515
6. Et pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris & carbaſini,ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis,qui eburneis circulis inſerti erant & columnis marmoreis fulciebantur. v.6.n.12.p.209
*Ibid.* Lectuli quoque aurei,& argentei ſuper pauimentum ſmaragdino, & Pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat. v.8. n.4. p.381. v.12. n.7. p.390
8. Nec erat, qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut Rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſque quod vellet.v.4.n.2.p.187
2. 12. Ita vt ſex menſibus oleo vngerentur myrrhino, & aliis ſex quibuſdam pigmentis, & aromatibus vterentur.v.3.n.2.p.117
*Ibid.* Cùm autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum,vt intrarent ad Regem, &c.v.2.n.12.p.80
4. 11. Omnes ſerui Regis & cunctæ quæ ſub ditione eius ſunt,norunt Prouinciæ, quòd ſiue vir,ſiue mulier,non vocatus,interius atrium Regis intrauerit, abſque vlla cunctatione ſtatim interficietur.v.1.n.102.p.57
5. 3. Quid vis Eſther Regina? Quæ eſt petitio tua? etiamſi dimidiam p rtem Regni petieris dabitur tibi.v.3.n.63.p.143
6. Quid petis vt detur tibi? & pro qua re poſtulas? etiamſi dimidiam partem Regni mei petieris,impetrabis.v.10.n.43.p.351
6. 12.Feſtinauit ire in domum ſuam,lugens & operto capite.v.8.n.27.p.292
7. 8. Statim operuerunt faciem eius. v. 8. n. 27. p.292
15. 9. Super ſolium Regni ſui,indutus veſtibus Regiis,auróque fulgens,& pretioſis lapidibus. v.11.n.43.p.385
12. Quid habes Eſther? ego ſum frater tuus,noli metuere.v.14.n.15.p.441
13. Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex eſt conſtituta.v.10.n.43.p.355


## Ex libro Iob.


*Cap.*1.*v.*6. Quadam autem die cùm veniſſent filij Dei vt aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan.v.9.n.29.v.328
8. Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus,& timens Deum, & recedens à malo. v.12.n.50.p.408 .& v.17.n.45.p.530
11. Dominus dedit, Dominus abſtulit, &c. v.3. n.72.p.146
15. Irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia,& pueros percuſſerunt gladio, & euaſi ego ſolus vt nunciarem tibi.v.10.n.70.p.361
21. Dominus dedit,Dominus abſtulit; ſicut Domino placuit ita factum eſt.v.10.n.70.p.361. v.13.n.52.p.410
3. 2. Qua dictum eſt, conceptus eſt homo. v. 11. n.27.p.380.v.23.n.44.p.668.& n.53.p.670
7. Sit nox illa ſolitaria,nec laude digna.v.8.n.12. p.285
14. Ædificant ſibi ſolitudines.v.1.n.102.p.57
9. 26. Pertranſierunt quaſi naues poma portantes, ſicut Aquila volans ad eſcam.n.20. n.17. p.576
13.24. Cur faciem tuam abſcondis & arbitraris me inimicum tuum.v.7.n.4.p.234
29. 7. Quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabam cathedram mihi. v.24. n.43.p.694
8. Videbant me iuuenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant, Principes ceſſabant loqui & digitum ſuperponebant ori ſuo.v.24.n.44.p.694
14. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me, ſicut veſtimento, & diademate iudicio meo. v.19. n.24.p 566
15. Oculus fui cæco,& pes claudo; pater eram pauperum,&c.v.6.n.31.p.219.
31. 1. Pepigi fœdus oum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine.v.16.n.30.p.508
38. 7. Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina & iubilarent omnes filij Dei.v.15.n.33.p.483
8.Et quis concluſit oſtiis mare,quando erũpebat quaſi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis,& poſui vectem & oſtia. v.8.n.61.p.307
39.39. Pulli eius lambent ſanguinem & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. v.3. n.76. p.148
42.11. Dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam,& inaurem auream vnam.v.4.n.2.p.169


## Ex libro Pſalmorum.


*Cap.*2.*v.*7.Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, Ego hodie genui te. v.1. n.78.p. 49. v. 10. n.25.p.344
8. Poſtula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ. v.4. n.14. p.275.v.8. n.34.p.296. v.23. n.21. p.660
3. 6. Ego dormiui & ſoporatus ſum, & exurrexi quia Dominus ſuſcepit me. v. 17. n. 14. p.519
4. 2. Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus Iuſtitiæ meæ.v.17.n.47.p.531
5. Filij hominum vſquequo graui corde,&c.v.17. n.48.p.531
6. Multi dicunt,quis oſtendit nobis bona. v. 17. n.25.p.524
8. A fructu frumenti vini & olei, multiplicati ſunt. ibidem.
8. 1. Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.v.13.n.29.p.422
9. 4. Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meam.v.23.n.67.p.674







13. 4. Qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis.v.20.n.72.p.598
14.15. Domine inclina cælos tuos,& deſcende, tange montes & fumigabunt.v.1. n.141. p.70
15. 5. Dominus pars hęreditatis meæ,& calicis mei; tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.v.20.n.2.p.571
8. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.v.21.n.7.p.609
10. Notas feciſti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.v.7.n.4.p.234
17.12. Et poſuit tenebras latibulum ſuum.v.12.n.49. p.407
18. 1. Cœli enarrant gloriam Dei. veſtig. 15. n.34. p.483.v.20.n.55.p.593.
2. Dies diei eructat verbum.v.1.n.79.p.50
4. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. v.8. n.34. p.296.v.10.n.26.p.344
5. In ſole poſuit tabernaculum tuum:& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. v.6.n.13.p.109
6. Exultauit vt gigas ad currendam viam; à ſummo cœlo egreſſio eius.v.10.n.88.p.367
19. 8. Hi in curribus,& hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus. v.10.n.17.n.339
22. 2. Dominus regit me & nihil mihi deerit. v. 8. n.8.p.283
4. Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.v.14.n.36.p.453
5. Et calix meus inebrians quam præclarus eſt. v.15.n.31.p.481
23. 7. Attollite portas Principes veſtras, & eleuamini portæ æternales;& introibit Rex gloriæ.v.10.n.25.p.343.& v.10.n.63.p.358
8. Quis eſt iſte Rex gloriæ? v.19.n.13.p.562.564
25.6. Lauabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis.v.13.n.7.p.411
26. 6. Circuiui & immolaui in Tabernaculo eius hoſtiam vociferationis: cantabo, & pſalmum dicam Domino.v.13.n.7.p.411
28. 9. Vox Domini præparantis Ceruos. v.2. n.19. p.83
29.11. Quæ vtilitas in ſanguine meo,dum deſcendo in corruptionem.v.17.n.16.p.519
33. 1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini: Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri.v.10.n.54.p.355
35.9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.v.20.n.1. p.570
39. 3. Et eduxit me de lacu miſeriæ,& de luto fæcis. v.8.n.13.p.286
5. Beatus vir,cuius eſt nomen Domini ſpes eius. v.13.n.12.p.413
9. Aures autem perfeciſti mihi.v.3.n48.p.136
41. 1. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,&c.v.15.n.37.p.485
10. Quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? Dum confringuntur oſſa mea.v.1. n.146.p.71
44. 1. Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. v.1.26.p.29. v.2.n.66. p.101.v.16.n.42.p.512
2. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. veſtig.12.n.29. p.401. v.22.n.24.p.643. p.305
3. Specioſus forma præ filiis hominum, &c. v.16.n.9.p.499.& n.17.p.503
4. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.v.15.n.46.p.488
5. Specie tua & pulchritudine tua intende proſperè,procede & regna. ibid.
6. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis. veſt.4. n.9.p.190. v.18.n.21.p.543.& n.59.p.559
8. Propterea vnxit te Deus,Deus tuus, &c.v. 3. n.50.p.136
9. Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. v.2.n.12. p.80. v.3.n.107.p.160. v.14. n.4.p.346. n.5. p.437.n.8.p.438
10. Adſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato circumdata varietate. veſt. 13. n.36. p.424.v.15.n.15.p.474.v.19.n.5.p.559
11. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam; Et obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui: & concupiſcet Rex decorem tuum. v.11.n.4.p.371.v.18.n.44.p.552
13. Et Filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.v.2.n.55. p.97.v.4.n.3.p.170.v.7.n.4.p.234
14. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus,in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. v.3. n.14.p.725.v.12.n.8.p.391.& n.16.p.395
14. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.v.8.n.10.p.284
15. Adducentur Regi virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi; afferentur in lætitia,& exultatione, adducentur in templum Regis. v.4. n.10. p.173. v.10. n. 57. p.356. v.18.n.34.p.549. v.20.n.28.n.582
17. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. v.2.n.17.p.82.v.10.n.56.p.356
45. 4. Sanctificauit Tabernaculum ſuum Altiſſimus, Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo. v. 8. n.58. p.305. v.24. n.69. p.464. v.15. n. 34. p.482
48.23. Homo cùm in honore eſſet, non intellexexit: comparauit eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. veſtig. 20. n.62. p.596
49. 3. Deus manifeſtè veniet.v.14.n.71.p.465
50. 8. Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.v.15.n.32.p.481
9. Aſperges me Hyſſopo, & mundabor: lauabis me,& ſuper niuem dealbabor. v. 14. n.41. p.454
51. 4. Tota die iniuſtitiam cogitauit lingua tua: ſicut nouacula acuta feciſti dolum. v. 12. n.32.p.401
54. 7. Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ & volabo & requieſcam? Ecce elongaui fugiens,& manſi in ſolitudine.v.16.n.4.p.496
13. Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi,&c.v.1.n.50.p.38
14. Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus:qui ſimul mecum dulces capiebas cibos.v.2.n.17.p.82.v.20.n.3.p.571
56. 5. Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ,& lingua eorum gladius acutus. veſt. 23. n.43.p.668
22. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula.v.4.n.36.p.184
62. 3. In terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtu-

tem tuam & gloriam tuam. veſt, 21. n.34. p 621
64. 14. Induti ſunt arictes ouium,& valles abundabunt frumento.v.1.n.155.p.74
67,27. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus,in medio iuuencularum tympaniſtriarum.v,1.n.31.p.31.
14.Si dormiatis inter medios cleros,pennæ colũbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.v.12.n.5.p.389.v.16.n.4.p.496
18. Currus Dei decem millibus multiplex,millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.v.10.n.25.p.244
29. Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.v.10.n.12.p.574
68. 3. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.v.24.n.43.p.694
13. Et in me pſallebant qui bibebant vinum. v.2, n.11.p.80
21. Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, & qui conſolaretur & non inueni.v.2. n.25.p.86.v.15.n.36.p.484
22. Et dederut in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.v.2.n.88.p.111
71. 1. Pſalmus Dauid in Salomon. veſtig. 15. n. 9. p.471
8. Et dominabitur à mari vſque ad mare,& à flumine vſque ad terminos orbis Terrarum. v.2.n.40.p.92.v.8.n.34.p.296
11. Et adorabunt eum omnes Reges terræ,omnes gentes ſeruient ei.v.2.n.40.n.92
75. 1. Notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.v.3.n.61.p.142
77.16. Tuus eſt dies,& tua eſt nox; tu fabricatus es aurotam & ſolem.v.15.n.34.p.482
24. Panem Cœli &c.v,15.n.49.p.489
25. Panem Angelorum manducauit Homo. v.15. n.31.p.481
49. Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem,& iram,& tribulationem,immiſſiones per Angelos malos.v.8.n.51.p.303
70. Et elegit Dauid ſeruum ſuum,& ſuſtulit eum de gregibus ouium: de poſt fœtantes accepit eum.v.9.n.6.p.317
79.12. Extendit palmites ſuos vſque ad mare. v.8. n.34.p.296
80.16. Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſecula.v.22.n.37.p.647
17. Et cibauit eos ex adipe frumenti: & de petra melle ſaturauit eos.v.24.n.38.p.453
83. 3. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.v.2.n.28.p.87
4. Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos: Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.v.15.n.34.p.483
11. Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.v.5.n.24.p.196
85. 9. Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.v.2.n.40.p.92
86. 1. Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.v.2.n.92.p.112
89.15. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis quibus vidimus mala. v.4. n.29. p.181
90. 5. Scuto circumdabit te veritas eius; non timebis à timore nocturno. v.11.n.37.p.383.
6. Ab incurſu & dæmonio meridiano. v.8. n.16. p.287
7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.v.3.n.11.p.162
11. Quoniam Angelis ſuis Deus mandauit de te vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.v.3.n.77.p.148
91. 1. Cantate Domino canticum nouum, Cantate Domino omnis terra.v.2.n.42.p.93
95.11. Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum ante faciem Domini,quia venit.veſtig.19.n.1. p.557
100.7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.v.9.n.26.p.327
101.3. Non auertas faciem tuam à me: in quacumcumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.v.14.n 59.p.461
26. Ipſi peribunt,Tu autem ipſe es,&c.v.21.n.50. p.626
103.2. Confeſſionem & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. veſtig. 12. n. 49. p.407
15. Et vinum lætificet cor hominis. v. 2. n. 22. p.84.v.5.n.25.p.197
104.25. Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius:& dolum facerent in ſeruos eius. v.16. n.38.p.511
26. Miſit Moyſen ſeruum ſuum,Aaron quem elegit ipſum.v.1.n.50.p.38
33. Et percuſſit vineas eorum, & ficulneas eorum.v.23.n.16.p.557
106.4. Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. v. 8. n.44.p.300
15. Miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum; Quia contriuit portas æreas,& vectes ferreos confregit.v.8.n.35.p.297
16. Quia contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit. v.1.n.117.p.62. v.5.n.26.p.197. v.24.n.42.p.693
33. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, &c. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum,&c.v.22.n.24.p.661
108.12. Fiant nati eius in interitum, in generatione vna deleatur nomen eius. v. 22. n. 41. p.649
109.1. Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. v. 8. n.18.p.288
2. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.v.2.n.58.p.99
113.5. Quid eſt tibi mare,quod fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum? v.2.n.75. p.105.v.13.n.62.p.433.v.18.n.43.p.551
117.19. Aperite mihi portas iuſtitiæ,ingreſſus in eas confitebor Domino: Hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.v.10.n.26.p.344
24. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.v.3.n.34.p.129
O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare,&c.ibid.& v.5.n.17.p.194
26. Conſtituite diem ſollennem in Condenſis,vſque ad cornu Altaris.v.13.n.7.p.411
118.4. Tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis. v.24.n.45.p.694
91. Ordinatione tua perſeuerat dies. v.1. n. 131. p.67
105. Lucerna pedibus meis verbum tuum. v. 18. n.32.p.548
162. Lætabor ego ſuper eloquia tua,ſicut qui inuenit ſpolia multa.v.5.n.23.p.196




119.5. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: habitaui cum habitantibus Cedar,cum his qui oderunt Pacem,eram pacificus.v.6. n.1.p.204.& n.23.p.215
127.4. Filij tui ſicut nouellæ oliuarum: in circuitu menſæ tuæ.v.13.n.5.p.410
128.1. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël.
2. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. veſtig.8.n.81. p.314.v.17.n.49.p.531
130. 1. Domine non eſt exaltatum cor meum: neque elati ſunt oculi mei; neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. veſtigat.8. n.54.p.304. v. 16. n.32. p.509
131. 3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero in lectum ſtrati mei.v.21. n.17. p.613
8. Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. veſtigat. 4. n. 19. p.178
132. 2. Sicut vnguentum quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: Quod deſcendit in oram veſtimenti eius. v.2.n.7.p.78.veſt.13. n.35.p.424
133.1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini in atriis domus Dei noſtri.v.16.n.21.p.501
136.1. Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus cùm recordaremur Sion. v. 1. n. 90. p.53
5. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? v.21.n.52.p.627
137.5. Tu formaſti me,& poſuiſti ſuper me manum tuam.v.17.n.43.p.529
17. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum.v.10.n.83.p.366
140.7. Abſorpti ſunt iuncti petræ Iudices eorum. v.21.n.47.p.625
146.9. Qui dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum.v.3.n.76.p.147

## *Ex Prouerbijs.*

*Cap.2.v.*17. Vt eruaris à muliere qui reliquit ducem pubertatis ſuæ.v.2.n.7.p.82
3. 16. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria.v.1.n.94.p.55
*Ibid.* Longitudo dierum in dextera eius,& in ſiniſtra filius diuitiæ & gloria. v.21. n.21.p.615
4. 3. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea,&c.v.21.n.58. p.630
18. Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectam diem.v.1.n.79.p.50
23. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.v.12.n.43.p.405
27. Vias enim quæ à dextris ſunt,nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt,quæ à ſiniſtris ſunt.v.21. n.8.p.609
5. 6. Vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles. v.8. n.21.p.289
16. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide: Habeto eas ſolus,nec ſint alieni participes tui.v.10.n.76.p.363
18. Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ: cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius

inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter.v.21.n.14.p.612
20. Quare ſeduceris fili mi,ab aliena, & foueris in ſinu alterius.v.8 n.2.p.280
7. 11. Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis. v. 8. n.21.p.289
13. Apprehenſúmque deoſculatur iuuenem & procaci vultu blanditur dicens: Victimas pro ſalute tua deuoui, hodie reddidi vota mea: idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum deſiderans te videre, & reperi. v.5. n.6.p.171
16. Intexui funibus lectulum meum,ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum Myrrhâ,& Aloë,& Cinnamomo; veni, inebriemur vberibus. v.2.n.27.p.87. v.17. n.2. p.514.v.13.n.6.p.411.v.14.n.4.p.456
8. 12. Ego Sapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. veſtig.8.n.40. p.299
17. Qui manè vigilant ad me, inuenient me. v.1. n.110.p.60
22. Initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio.v.2.n.90.p.112.v.3.n.68. p.145
30. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe Terrarum. v.16.n.42.p.512
9. 1. Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem: immolauit victimas ſuas: miſcuit vinum,& propoſuit menſam ſuam: miſit ancillas ſuas,vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis: ſi quis eſt Paruulus,&c. v.14.n.29.p.448
1. Sapientia ædificauit ſibi domum: excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum & propoſuit menſam ſuam. v.15.n.52.p.490.v.20.n.81.p.601
3. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia Ciuitatis: ſi quis eſt Paruulus, veniat ad me. veſtig.15.n.52.p.490.veſt.21. n.60.p.630
5. Si quis eſt paruulus veniat ad me, & inſipientibus locuta eſt: venite, comedite panem meum,& bibite vinum,quod miſcui vobis, &c.v.20.n.81.p.601
13. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur Spiritus. veſtig. 2. n. 28. p.87
16. 29. Vir iniquus lactat amicum ſuum. v. 2. n.17. p.82
17.22. Animus gaudens ætatem floridam facit: Spiritus triſtis exſiccat oſſa. veſtigat. 2. n. 28. p.87
23. 1. Quando ſederis vt comedas cum principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam. v.18. n. 4. p.535. v.19. n. 24. p.566
24.28. Ne lactes quemquam labiis tuis. v. 2. n. 17. p.82
11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. veſtig. 8. n. 3. p.281
11. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. veſtig. 20. n. 18. p.577
25.12. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem. veſtigat. 11. n. 9. p.372

27. 9. Vnguento & variis odoribus delectatur cor. v.2.n.21.p.84

30. 18. Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia.v.3.n.26. p.126

31. 10. Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. v.10.n.35. p.473

22. Byſſus & purpura indumentum eius. v.10. n.11.337.

24. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo.v.12.n.2. p.387.v.15.n.15. p.475.v.18.n.4.p.535

29. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: Tu ſupergreſſa es vniuerſas.v.16.n.14.p.502


## *Ex libro Eccleſiaſtæ.*


*Cap.*1.*v.*4. Generatio præterit, & generatio aduenit; terra autem inæternum ſtat. v.2.n.46.p.94. v.18.n.47.p.552

2. 5. Feci hortos, & pomaria. v.21.n.15.p.613

8. Poſſedi ſeruos & ancillas multámque familiam habui: feci mihi Cantatores & Cantatrices.v.3.n.4.p.117

10. Et omnia quæ deſiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram. v.10.n.7. p.335

3. 21. Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?&c.v.21.n.48.p.626

5. 2. Multas curas ſequuntur ſomnia. v.22.n.1. p.633

9. 7. Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. v.18.n.4. 535. Et v.2.n.95.p.114

10. 8. Cor Sapientis in dextra eius & cor ſtulti in ſiniſtra illius.v.21.n.8.p.609

16. Væ tibi terra cuius Rex puer eſt, & cuius principes mane comedunt: Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, & non ad luxuriam.v.8.n.14.p.286

11. 4. Et claudent oſtia in platea, in humilitate vocis molentis, & conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis.v.1.n.30.p.31


## *Ex Cantico Canticorum.*


*Cap.*1.*v.*11. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. v.3. n.16. p.122. v.8.n.2.p.280

6. Vbi paſcas, vbi cubes in meridie. v.18.n.41. p.551

9. Pulchræ ſunt Genæ tuæ ſicut Turturis. v.15. n.11.p.472

2. 3. Sicut Malus inter ligna ſyluarum, ſic Dilectus meus inter filios.v.15.n.11.p.472

5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. v.2.n.34.p.90

7. Adiuro vos, ne ſuſciteris neque euigilare faciatis dilectam. v.8.n.18.p.288

13. Vineæ florentes dederunt odorem ſuum. v.15.n.10.p.472

16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia donec aſpiret dies, & in clinentur vmbræ.v.18.n.12.p.539

3. 2. Per vicos & plateas quæram quem diligit animea ma, quæſiui illum & non inueni. v.8. n.60.p.306

6. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij. v.6.n.61.p.230

8. Sexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. v.18. n.32. p.548

9. Ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum aſcenſum purpureum media charitate, &c.v.13.n16.p.122

10. Egredimini filiæ Sion & videte Regem Salomonem.v.13.n.16.p.422

18. Media charitate conſtrauit, propter filias Ieruſalem.v.13.n.49.p.429

4. 2. Dentes tui ſicut greges tonſarum quæ aſcenderunt de lauacro.v.3.n.60.p.141

4. Sicut Turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.v.15.n.9.p.471. v.20.n.81.p.601

6. Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris.v.14.n.8.p.438

*Ibid.* Duo vbera tua ſicut duo Hinnuli capreæ gemelli qui paſcuntur in liliis, v.18.n.12. p.539.& n.50.p.553

7. Tota pulchra es Amica mea, & macula non eſt in te.v.6.n.15.p.210.v.13.n.36.p.424

8. Veni de Libano Sponſa, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon.v.6. n.8.p.207.v.10.n.4.371

8. Veni de Libano Sponſa, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon. v.19.n.22.p.565

9. Vulneraſti Cor meum ſoror mea Sponſa, vulneraſti Cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. v.6. n.7. p.210

5. 1. Comedite Amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. v.20.n.14.p.575

2. Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.v.13.n.8.p.412.v.19.n.27.p.567

5. Et digiti mei pleni myrrha probatiſſima. v.13. n.12.p.413

*Ibid.* Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt renuncietis ei, quia amore langueo.v.2.n.34.p.90

10. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.v.18.n.56.p.555

11. Caput, aurum optimum, manus plenæ hyacinthis, venter eburneus diſtinctus ſapphiris.v.3.n.107.p.160.

13. Labia eius lilia diſtillantia myrrham primam.v.2.n.18.p.83.v.13.n.12.p.413.

*Ibid.* Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis. v.15.n.9.p.471

6. 7. Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adoleſcentularum non eſt numerus: vna eſt columba mea, Perfecta mea. v.10. n.16. p.339. v. 13. n. 17. p. 122. v.15. n.34.p.484

11. Neſciui: Anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. v. 20. n. 7. p.573







*Ibid.* Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis. v.3.n.17.p.123.v.15. n.35.p.484

2. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.v.19.n.26.p.567

13. Poma noua, & vetera ſeruaui tibi. v.20. n.18. p.577

8. 1. Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, &c.v.2.n.77.p.106

5. Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens innixa ſuper dilectum ſuum? v. 19. n.5.p.559

*Ibid.* Sub arbore Malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt Mater tua: ibi violata eſt genitrix tua. v.15.n.19.p.475

6. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum. v.12. n.6. p.390.v.16.n.7.p.429


## *Ex libro Sapientiæ.*


*Cap.*2.*v.*1. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ
6. &c. Venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur Creatura tanquam in iu-
7. uentute celeriter: vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non pręteręat nos flos temporis: coronemus nos roſis antequam marceſcant.v.2.n.2.p.77

5. 3. Turbabuntur timore horribili, dicentes: Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam & finem illorum ſine honore; Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. v.7.n.90.p.271

7. 8. Et præpoſui illam Regnis, & ſedibus; & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. v. 11. n.44.p.386.v.14.n.15.p.441

17. Sicut enim Spiritus ſibilans aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, &c.v.23.n.13. p.656

8. 2. Hanc amaui & exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui Sponſam eam mihi aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. v. 15. n. 8. p.412.v.20.n.9.p.573

9. Propoſui ergo hanc adducere mihi ad conuiuendum.v.13.n.8.p.412

16. Intrans in domum meam conquieſcebam cum illa, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius.v.13.n.8.p.412

9. 15. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam. v.2.n.28.p.87

10. 12. Certamen forte dedit, vt vinceret. v.20. n.9. p.573

13. Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberauit eum, deſcendítque cum illo in foueam & in vinculis non dereliquit illum. veſtig. 2. n. 80. p.108

18. Tu autem Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos.v.1.n.109.p.59

12. 24. Etenim in erroris via diutius errauerunt Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, infantium inſenſatorum more viuentes. Propter hoc tanquam pueris inſenſatis iudicium in deriſum dediſti. v. 7. n.18.p.240

13. 2. Sed aut ignem aut Spiritum aut citatum aërem aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, Rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Initium enim fornicationis eſt exquiſitio Idolorum.v.8.n.31.p.294

14. 15. Acerbo enim luctu dolens pater, citò ſibi rapti filij fecit imaginem, &c.v.7. n.24.p.242. & n.39.p.251

21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui aut Regibus deſeruientes homines incommunicabile nomen lapidibus, & lignis impoſuerunt.ibid.

15. 18. Cùm nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo, à regalibus ſedibus, durus bellator in mediam exterminij terram proſiliuit. v. 19. n. 17. p.564

16. 21. Et deſeruiens vniuſcuiuſque voluntati, ad quod quiſque volebat conuertebatur. v.14. n.56.p.459

18. 14. Cùm enim quietum ſilentium continerent omnia, & nox in ſuo curſu medium, iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus proſiliuit. v. 19. n. 32. p.568

19. 7. Et in mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio, per quem omnis natio tranſiuit. v.23.n.7.p.654


## *Ex libro Eccleſiaſtici.*


*Cap.*9.*v.*1. Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.v.2. n.16.p.82

13. 29. Omne animal diligit ſimile ſibi; ſic & omnis homo proximum ſibi: Omnis Caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur.v.2.n.53.p.97

24. 17. Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion. v. 17. n.9. p.517

10. In omni gente primatum habui. Et in his omnibus requiem quæſiui. v. 14. n. 69. p.464

21. Et quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam: & quaſi Balſamum non miſtum odor meus. v.13. n.12. p. 413. v.18.n.553.v.15.n.7.p.471

23. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis.v.23.n.9.p.655

28. 21. Plaga autem linguæ comminuet oſſa. v. 23. n.45.p.668

32. 1. Rectorem te poſuerunt? nolli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita, recumbe, vt læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias, Coronam & dignationem conſequaris corrogationis. v.5.n.3.p.187.v.13.n.10.p.413

41. 15. Curam habe de bono nomine. v. 6. n. 30. p.218

44. Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.v.7.n.30.p.246

45. 14. Corona aurea ſuper mitram eius, expreſſa ſigno ſanctitatis, & gloria honoris. v.3.n.35. p.129

46. 5. Annon in iracundia eius impeditus eſt ſol, & vna dies facta eſt quaſi duo? v. 3. n.98. p.156

49. 8. Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.v.3.n.28.p.127

18. Et oſſa ipſius viſitata ſunt,& poſt mortem prophetauerunt.v.7.n.30.p.146

50. 6. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ & quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi Sol refulgens ſic ille effulſit in templo Dei.v.2.n.85.n.110


## *Ex Iſaia.*


*Cap*.1.*v*.3.Cognouit bos poſſeſſorẽ ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non cognouit & populus meus non intellexit. v.3.n.4.p.132.v.8.n.29.p.294

21. Quomodo facta eſt meretrix Ciuitas fidelis, plena iudicij?v.8.n.31.p.294

22. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aquâ.v.5.n.39.p.202. v.10.n.79.p.364

2. 2. Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles,& fluent ad eum omnes gentes.v.14.n.34.p.451

4. Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, &c. v.22.n.21.p.642

8. Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis Theſaurorum eius: & repleta eſt terra equis,& innumerabiles quadrigæ eius.v.10. n.17.p.339

3. 17. Decaluauit Dominus verticem filiarum Sion. v.6.n.20.p.213

24. Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus,& pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. v. 12. n. 2. p.388

5. 1. Cantabo Dilecto canticum dilecti mei. v. 3. n.37.p.130

2. Vinea facta eſt Dilecto meo in cornu filij olei: & ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam,& ædificauit turrim in medio eius,& torcular extruxit in ea.v.7. n.2.p.232

11. Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. v.2.n.11. p.80. v.8. n.14.p.286

6. 2. Seraphim ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius,& duabus volabant. v.3.n.116.p.164. veſt.9.n.29. p.328. v.10.n.54. p.355.& n.60.p.357.v.20. n.54.p.593

5. Væ mihi,quia vir pollutus labiis ego ſum. v.10.n.80.p.364

8. Vir pollutus labiis ego ſum,& in medio populi polluta labia habentis ego habito. v. 10. n.80.p.364

*Ibid.* Quem mittam, & quis ibit nobis? v.14. n.75. p.466

7. 14. Ecce virgo concipiet, & pariet,&c. v.3.n.23. p.125

8. 3. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari. v.1. n.48.p.38. v.3.n.3.p.117.v.10. n.88.p.367

4. Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram Rege Aſſyriorum. veſtigat. 15. n. 34. p.482

9. 3. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia. v. 5. n. 23. p.196

3. Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.v.29.n.26.p.567

6. Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. v.15. n.62. p.494. v.20. n.78.p.600

*Ibid.* Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. v.1. n.48. p.38. v.24. n.59.p.699

11.2. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis,Spiritus ſcientiæ & pietatis & replebit eum Spiritus timoris Domini.v.8.n.42.n.299

6. Habitabit lupus cum agno,& pardus cum hœdo accubabit: vitulus,& Leo, & ouis ſimul morabuntur.v.14.n.56.p.459

7. Vitulus & vrſus paſcentur; ſimul requieſcent catuli eorum, & Leo quaſi Bos comedet paleas.v.21.n.19.p.614

8. Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauerna reguli,qui ablactatus fuerit,manum ſuam mittet.v.1.n.118. p.63

14. 14.Aſcendam ſuper altitudinem nubium,ſimilis ero Altiſſimo.v.6.n.38.p.221

16. 1. Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion. v. 1. n.80.p.50

18. 2. Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius.v.3.n.99.p.157.v.16.n.8. p.498

*Ibid.* Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam, ad populum terribilem poſt quem non eſt alius, ad gentem expectantem,& conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.v.10.n.26.p.344

21.17. Et reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur. veſt. 6. n. 1. p.204

23. 4. Erubeſce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris dicens: Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines. v. 9. n.32. p.329

32.16. Et habitabit in ſolitudine, iudicium & iuſtitia in Carmel ſedebit; & erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium. v. 19. n.23.p.566

18. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.v.19.n.23.p.566

33.9. Et factus eſt Saron ſicut deſertum. v.18.n.8. p.537

34.1. Lauda ſterilis quæ non paris: decanta laudem & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus, &c.v.2.n.40. p.92

35. 1. Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium: Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans,





laudans,gloria Libani data eſt ei:decor Carmeli & Saron.v.2.n.43.p.93.v.18.n.7.p.536. v.23.n.21.p.600

38.17. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. v.13.n.58.p.432

39. 2. Lætatus eſt autẽ ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum,& argenti,& auri, & odoramentorum,& vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius v.5.n.6.189

40. 6. Omnis Caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri: exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.v.20.n.17.p.576

11. In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. v.1. n.93. p.54.v.9.n.6.p.317

42. 11. In domibus habitabit Cedar: Laudate habitores petræ de vertice montium clamabunt.v.6.n.1.p.240

43. 5. Noli timere quia ego tecum ſum: ab Oriente adducam ſemẽ tuum, & ab Occidente congregabo te: Dicam Aquiloni,Da & Auſtro; noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. v.8.n.34.p.296

45. 8. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum. v.1.n.98.p.56. v.18.n.37.p.550

9. Væ qui contradicit fictori ſuo, Teſta de Samiis terræ.v.15.n.10.p.472

15. Verè tu es Deus abſconditus. v.1.n.100.p.57

46. 3. Qui portamini à meo vtero; qui geſtamini à mea vulua.v.2.n.19.p.83

47. 2.Tolle molam,& mole farinam, &c. v.1.n.27. p.30

49.2. Et poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me.v.4.n.36.p.184

23. Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.v.16.n.15.p.503

51. 1. Attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis. v.6. n.20.p.213

*Ibid.* Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos.*Ibid.*

53. 1. Quis credidit auditui noſtro? Non eſt ei ſpecies neque decor: & vidimus eum & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum. v.17. n.19.p.21

3. Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo & humiliatum. v.3.n.42. p.133. v.15.n.39.p.481

*Ibid.* Deſpectum,& nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: quaſi abſconditus vultus eius,& deſpectus, vnde nec reputauimus eum.v.16.n.18.p.504

10. Si poſuerit pro peccato animam ſuam videbit ſemen longæuum. v.3.n.44.p.133.v.15. n.41.p.486

12.Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.v.3.n.44.p.134

54. 2. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: Longos fac funiculos tuos: ad dexteram enim & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit. v.8. n.34. p.296. v.16.n.14.p.502

8. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te.v.7.n.4.p.234

55. 2. Venite, emite abſque agento, & abſque vlla commutatione &c.v.24.n.57.p.698

56. 10. Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi.v.15.n32.p.481

57. 9. Et ornaſti te Regi vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua.v.2.n.12.p.80

58. 1. Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam. v.1.n.87.p.52

60. 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabajoth miniſtrabunt tibi: v.6. n.1. p.204

8. Qui ſunt iſti, qui vt Nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.v.10.n.54.p.355. v.16.n.8.p.498.v.18.n.21.p.543

61. 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me, quaſi Sponſum decoratum corona, & quaſi Sponſam ornatam monilibus ſuis. v.1. n. 56. p.75. v. 11. n.5. p.371

*Ibid.* Et erunt campeſtria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum. v.15. n.13.p.473

62. 3. Non vocaberis vltrà derelicta &c. v. 3. n.3. p.117

6. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, ac nocte in perpetuum non tacebunt.v.10.n.81.p.365

63. 1. Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ v.10. n. 25.p.343. v. 16. n.18. p. 504. v.19. n.13.p.562

65. 20. Quoniam puer centum annorum morietur. v.21.n.56.p.629

66. 8. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic ſimile? nunquid parturiet terra in die vna? aut pariet gens ſimul,quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos? v.4.n.15.p.175

9.Ad vbera portabimini & ſuper genua blandientur vobis.v.2.n.19.p.83


## *Ex Ieremia.*


*Cap*.1.*v*.10. Ecce conſtitui te hodie ſuper Gentes,& ſuper Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. v.16.n.35.p.510

11. Virgam vigilantem ego video. v. 23. n.3. p.652

2. 20. In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo,tu proſternebaris Meretrix. v.7.n.44.p.254.v.8.n.13.p.290

21. Ego autem plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena? v.8. n.51.p.303

34. Nunquid obliuiſcetur Virgo ornamenti ſui, aut Sponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus oblitus eſt mei diebus innumeris. v.2.n.77.p.106

3. 4. Ergo ſaltem amodo voca me: Pater meus, Dux Virginitatis meæ tu es. v. 2. n. 17. p.82

6. 16. Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona & ambulate in ea.v.9.n.10. p.320

7. 34. Et quieſcere faciam de vrbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem Sponſi, & vocem ſponſæ, in deſolationem enim erit terra. v. 1, n. 26. p. 29. & v. 1. n. 30. p. 31
8. 7. Turtur, & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, v. 23. n, 12. p. 656
9. 21. Quia aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras. v. 16. n. 6. p. 497
13. 23. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas. v. 6. n. 4. p. 205
16. 9. Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris, & in diebus veſtris, vocem gaudij & vocem lætitiæ, vocem Sponſi & vocem Sponſæ. v. 1. n, 26. p. 29
*Ibid.* Et domum conuiuij non ingrediaris, vt ſedeas cum eis, & comedas & bibas. v. 81. n. 2. p. 280
16. Poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. v. 18. n. 39. p. 550
17. 1. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum. v. 11. n. 7. p. 372
18. 17. Dorſum & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorum. v. 7. n. 4. p. 234
22. 14. *Væ* qui dicit: ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpatioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingítque ſinopide. v. 17. n. 8. p. 517
25. 10. Perdámque ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocẽ Sponſi, & vocẽ Sponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ. v. 1. n. 26. p. 29
30. Celeuma quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ. v. 3. n. 32. p. 128
38. Dereliquit quaſi leo vmbraculum ſuum, quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ. v. 12. n. 5. p. 389
31. 5. Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ; plantabunt plantantes, &c. v. 7. n. 1. p. 232.
22. Vſquequo deliciis diſſolueris filia vaga? v. 15. n. 35. p. 484
*Ibid.* Eritque anima eorum quaſi hortus, &c. v. 23. n. 21. p. 660
32. 33. Et verterunt ad me terga, & non facies, cum docerem eos diluculo, & erudirem, v. 7. n. 4. p. 234
35. 19. Non deſinet vir de ſtirpe Ionadab filij Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus. v. 10. n, 54. p. 355
48. 33. Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit. v 3. n. 32. p. 128
49. 29. Surgite, & aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios Orientis: tabernacula eorum, & greges eorum capient: pelles eorum, & omnia vaſa eorum tollent ſibi. v, 6. n. 1. p. 204
50. 19. Ecce ego viſitabo Regem, & terram eius, ſicut viſitaui Regem Aſſur. v. 8. n. 51. p. 303
51. 6. Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam: nolite tacere ſuper iniquitatem eius; quoniam tempus vltionis eſt à Domino, viciſſitudinem ipſe retribuet ei. v. 8. n. 51. p. 303
7. Calix aureus Babylon in manu Domini. v. 8. n. 55. p. 304
14. Quoniam replebo te hominibus quaſi bruchо & ſuper te celeuma cantabitur. v. 3. n. 32. p. 128

## *Ex Threnis.*

*Cap. 1. v. 2.* Plorans plorauit in nocte. v. 1. n. 50. p. 38
18. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. v. 8. n. 53. p. 303
*Ibid.* Spreuerunt illam; quia viderunt ignominiam eius. v. 15. n. 34. p. 484
3. 27. Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua; ſedebit ſolitarius, & tacebit: quia leuauit ſe ſupra ſe. v. 15. n. 35. p. 484. v. 21. n. 33. p. 621
28. Sedebit ſolitarius, & tacebit quia leuauit ſuper ſe. v. 22. n. 46. p. 650
29. Ponet in puluere os ſuum ſi fortè ſit ſpes, dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. v. 2. n. 82, p. 180. v. 22. n. 46. p. 150
30. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. v. 1. n. 129. p. 66
51. Oculus meus deprædatus eſt animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. v. 16. n. 6. p. 497
4. 20. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus: in vmbra tua viuemus in gentibus. v. 16. n. 42. p. 512
5. 14. Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro pſallentium: defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter. v. 1. n. 30. p. 31

## *Ex Baruch.*

*Cap. 3. v. 4.* Domine omnipotens Deus Iſraël, audi nunc orationem mortuorum Iſraël. v. 7. n. 32. p. 247
6. 10. Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant. v. 8. n. 25. p. 291
*Ibid.* Cùm receperint illud à Meretricibus, ornant Deos ſuos. *Ibid.*

## *Ex Ezechiele.*

*Cap. 1. v. 1.* Cùm eſſem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti ſunt cœli, & vidi viſiones Dei. v. 11. n. 20. p. 378
1. 4. Et de medio eius quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis. v. 12. n. 12. p. 392
8. Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem, filium Buzi ſacerdotem in terra Chaldæorum. v. 1. n. 50. p. 38
16. Et vna ſimilitudo ipſarum quatuor: & aſpectus earum & opera quaſi ſit Rota in medio Rotæ. v. 14. n. 57. p460
20. Spiritus enim vitæ erat in rotis. v. 12. n. 28. p. 400
31. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, & quando natus es, in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aquâ non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis. v. 13. n. 36. p. 424
3. 4. Et dixit ad me: Fili hominis vade ad domum Iſraël, & loqueris verba mea ad eos: Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, quorum non poſſis audire ſermones. v. 3. n. 97. p. 155. v. 4. n. 15. p. 175
13. 18. Væ quæ conſuunt puluillos ſub omni cubito manus; & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. v. 8. n. 4. p. 281
16. 8. Et expandi amictum meum ſuper te. v. 4. n. 10. p. 173





10. Veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te iâthino, & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & dedi inaurem ſuper os tuum, & circulos áuribus tuis: & coronam decoris in capite tuo: & ornata es auro, & argento, & veſtita es byſſo, & polymito, & multicoloribus. v. 11. n. 5. p. 371. v. 18. n. 6. p. 536
12. Et dedi inaurem ſuper os tuum. v. 11. n. 7. p. 372
18. Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas: & oleum meum, & thymiama meum poſuiſti coram eis. v. 2. n. 12. p. 80
24. Et ædificaſti tibi lupanar, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis: ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ. v. 8. n. 26. p. 292
25. Ad omne caput iræ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ: & abominabilem feciſti decorem tuum: & diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, v. 8. n. 23. p. 290
17. 3. Tulit medullam cedri, ſummitatem frondium eius auulſit. v. 13. n. 56. p. 432
23. 41. Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te; thymiama meum, & vnguentum meum poſuiſti ſuper eam. v. 2. n. 12. p. 80
25. 17. Ecce ego extendam manum meam ſuper Palæſtinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis. v. 7. n. 14. p. 238
27. 5. Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum. v. 17. n. 9. p. 517
6. Et Prætoriola de inſulis Italiæ. veſt. 15. n. 3. p. 469
7. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, vt poneretur in malo. v. 10. n. 11. p. 337
17. Iuda & Terra Iſraël ipſi inſtitores tui in frumento primo: Balſamum & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis. v. 15. n. 9. p. 471. v. 15. n. 30. p. 480
21. Arabia, & vniuerſi Principes Cedar, ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hœdis venerunt ad te Negotiatores tui. v. 6, n. 1. p 204
28. 13. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum. v. 11, n. 6. p. 372
34. 2. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. v. 8. n. 9. p. 284
14. In paſcuis vberrimis paſcam eas: & in montibus excelſis Iſraël erunt paſcua earum, &c. v. 1. n. 93. p. 54

## *Ex Daniele.*

*Cap. 3. v. 50.* Fecit medium fornacis quaſi ventum veris flantem. v. 20. n. 48. p. 591
92. Ecce ego vidi quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. v. 3. n. 101. p. 157. v. 15. n. 36. p. 484
5. 17. Munera tua ſint tibi, dona domus tuæ alteri da: Scripturam autem legam tibi Rex, interpretationẽ eius oſtendã tibi. v. 4. n. 32. p. 182
8. 27. Et ego Daniel langui & ægrotaui per dies. v. 2. n. 34. p. 40
10. 3. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus; Panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque vnguento vnctus ſum. v. 11. n. 30. p. 381
12. 3. Fulgebunt qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. v. 15. n. 48. p. 488

## *Ex Oſea.*

*Cap. 2. v. 15.* Et dabo eis vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem: & canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ. v. 15. n. 13. p. 473
2. Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum. v. 11. n. 7. p. 372
5. Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, oleum meum, & potum. v. 2. n. 12. p. 80. v. 3. n. 2. p. 117
6. Propter hoc, Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. v. 18. n. 11. p. 539
8. Et hæc neſciuit quia ego dedi & frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui, & aurum quæ fecerunt Baal. v. 18. n. 11. p. 539
12. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit: mercedes hæ meæ ſunt, quas dederunt mihi amatores mei. v. 6. n. 7. p. 235. v. 23. n. 16. p. 557
14. Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. v. 2. n. 17. p. 82. & n. 57. p. 98
4. 3. Proiécit Iſraël bonum, inimicus perſequetur. v. 20. n. 75. p. 599
6. Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. v. 15. n. 32. p. 481
8. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum. v. 20. p. 72. p. 598
7. 9. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit. v. 18. n. 28. p. 546
11. 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum. v. 4. n. 10. p. 173
12. 4. Et inualuit ad Angelum, & confortatus eſt. v. 12. n. 34. p. 402
13. 14. De manu Mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô Mors, morſus tuus ero Inferne. v. 10. n. 24. p. 343. v. 22. n. 46. p. 251
14. 5. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani. v. 15. n. 17. p. 415
8. Memoriale eius ſicut vinum Libani. v. 13. n. 17. p. 416

## *Ex Ioële.*

*Cap. 1. v. 8.* Plange quaſi Virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis tuæ. v. 3. n. 23. p. 125
2. Et quidem ſuper ſeruos meos, & ſuper ancillas meas in diebus illis effundam de ſpiritu meo & prophetabunt, &c. v. 13. n. 40. p. 132
3. 6. Et filios Ieruſalem vendidiſtis filiis Græcorum. v. 10. n. 10. p. 337

12. Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallem Ioſaphat: quia ibi ſedebo, vt iudicem omnes Gentes in circuitu. v. 19. n. 22. p. 565

## Ex Amos.

Cap. 2. v. 8. Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare, & vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui. v. 2. n. 23. p. 84. v. 8. n. 4. p. 281

5. 26. Et portaſtis Tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri quæ feciſtis vobis. v. 17. n. 33. p. 248

6. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris. v. 8. n. 4. p. 281

6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti. v. 2. n. 11. p. 80

9. 13. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & comprehendet arator meſſorem, & calcator vuæ mittentem ſemen. v. 23. n. 11. p. 655

## Ex Abdia.

Cap. 2. v. 1. Et aſcendent Saluatores in montem Sion iudicare montem Eſaü: & erit Domino Regnum. v. 10. n. 27. n. 344

## Ex Iona.

Cap. 1. v. 5. Et Ionas deſcendit ad interiora nauis; & dormiebat ſopore graui. v. 21. n. 35. p. 622

## Ex Michæa.

Cap. 1. v. 7. Noli credere amico: & noli confidere in Duce: ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui. v. 2. n. 16. p. 82

4. 10. Dole, & ſatage filia Sion quaſi parturiens: quia nunc egredieris de Ciuitate, & habitabis in regione, & venies vſque ad Babylonem; ibi liberaberis; ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum. v. 6. n. 51. p. 226

5. 2. Et egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. v. 1. n. 19. p. 27

7. 1. Præcoquas ficus deſiderauit anima mea, &c. v. 23. n. 14. p. 656

## Ex Nahum.

Cap. 3. v. 8. Numquid melior es Alexandria populorum quæ habitat in fluminibus? v. 15. n. 11. p. 472

## Ex Habacuc.

Cap. 3. v. 3. Cornua in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius: Ante faciem eius ibit Mors, & egredietur Diabolus ante pedes eius. v. 10. n. 24. p. 343

4. Cornua in manibus eius. v. 15. n. 39. p. 485

8. Qui aſcendes ſuper equos tuos: & quadrigæ tuæ ſaluatio. v. 10. n. 27. p. 344

15. Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. v. 23. n. 7. p. 654

## Ex Sophonia.

Cap. 1. v. 8. Et erit in die hoſtiæ Domini: viſitabo ſuper Principes & ſuper filios Regis, & ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrina. v. 2. n. 11. p. 79

12. Scrutabor Ieruſalem in lucernis. v. 24. n. 50. p. 696

2. 5. Verbum Domini ſuper vos Chanaan terra Philiſtinorum, & diſperdam te, ita vt non ſit inhabitator; & erit funiculus maris requies Paſtorum & caulæ pecorum. v. 7. n. 14. v. 2; 8

8. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die Reſurrectionis meæ in futurum, &c. v. 14. n. 33. p. 451

## Ex Aggæo.

Cap. 1. v. 4. Numquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? v. 17. n. 8. p. 517

## Ex Zacharia.

Cap. 3. v. 3. Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis, &c. v. 22. n. 35. p. 647

9. 17. Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? v. 7. n. 53. n. 257

12. 11. In die illa magnus erit planctus in Ieruſalem: ſicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. v. 14. n. 34. p. 451

## Ex Malachia.

Cap. 1. v. 3. Dilexi Iacob, Eſaü autem odio habui. v. 17. n. 50. p. 532

2. 7. Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. veſtig. 7. n. 39. p. 528

1. 11. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. v. 14. n. 30. p. 449

## Ex 1. Machabæorum.

Cap. 9. v. 37. Et ducunt Sponſam ex Madaba, filiam vnius de magnis principibus Chanaan cum ambitione magna. v. 10. n. 1. p. 333.

Et eleuauerunt oculos, & viderunt & ecce tumultus & apparatus multus; & Spõſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius obuiam cum tympanis, & Muſicis, & armis multis. ibidem.

39. Et eleuauerunt oculos ſuos, & ecce tumultus, & apparatus multus. v. 1. n. 27. p. 30

## Ex 2. Machabæorum.

Cap. 3. v. 2. Fiebat vt ipſi Reges & Principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent, &c. v. 7. n. 27. p. 245

4. 30. Et cùm hæc agerentur contigit Tharſenſes & Mallotas ſeditionem mouere, eo quod Antiochidi Regis concubinæ dono eſſent dati. v. 3. n. 4. p. 118

6. 7. Ducebantur autem cum amara neceſſitate in die natali Regis ad ſacrificia: & cùm Liberi ſacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire. v. 13. n. 6. p. 411

6. 12. Obſecro autem eos: qui hunc librum lecturi ſunt, ne abhorreſcant propter aduerſos caſus, ſed reputent ea, quæ acciderunt, non ad interitum, ſed ad correptionem eſſe generis noſtri. v. 12. n. 32. p. 402

12. 37. Incipiens voce patriâ, & cum hymnis clamorem extollens, fugam Gorgiæ militibus incuſſit.

## Ex Matthæo.

Cap. 1. v. 19. Cùm eſſet deſponſata Mater eius Maria Ioſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. v. 3. n. 68. n. 145

23. Et vocabis nomen eius Ieſum; ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. v. 3. n. 14. p. 121

2. 10. Gauiſi ſunt gaudio magno. v. 1. n. 50. p. 38

11. Et intrantes domum, inuenerunt Puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris obtulerunt ei munera, &c. v. 1. n. 86. p. 52. v. 12. n. 48. p. 407

12. Reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. v. 9. n. 21. n. 325

13. Surge & accipe Puerum, & Matrem eius & fuge in Ægyptum. v. 10. n. 69. p. 360

16. Mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, ex omnibus finibus eius, à bimatu, & infrà. v. 16. n. 30. n. 508

3. 14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. v. 6. n. 57. p. 228

16. Ecce aperti ſunt ei cœli. v. 15. n. 56. p. 491

4. 1. Tunc Ieſus ductus eſt in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à Diabolo. v. 10. n. 68. p. 360

2. Et cùm ieiunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. v. 8. n. 76. p. 312

3. Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. v. 16. n. 31. 508

6. Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. v. 5. n. 29. p. 198

9. Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. v. 3. n. 88. p. 152

11. Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. v. 10. n. 62. p. 358

13. Et relicta Nazareth venit, & habitauit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nepthalim, &c. v. 7. n. 2. p. 20

5. 13. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. v. 9. n. 24. p. 326

16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. v. 12. n. 50. p. 407

30. Quis tetigit veſtimenta mea? Vides turbam comprimentem te, & dicis, quis me tetigit? v. 23. n. 32. p. 423

39. Si quis te percuſſerit in dexteram tuam, præbe illi & alteram. v. 6. n. 49. p. 225

6. 3. Te autem faciente eleemoſynam neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt; ſit eleemoſyna tua in abſcondito. v. 9. n. 16. p. 324

17. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans. v. 2. n. 1. p. 76

22. Si oculus tuus fuerit ſimplex: totum corpus tuum lucidum erit. v. 16. n. 6. p. 497

28. Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent: Dico autẽ vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut vnum ex iſtis. v. 5. n. 11. p. 191. v. 10. n. 11. p. 337. v. 15. n. 15. p. 474. v. 18. n. 8. p. 537. & 474

29. Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis, &c. v. 18. n. 1. p. 533

37. Quia Ioannes Baptiſta ſurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. v. 16. n. 23. p. 506

8. 6. Domine, Puer meus iacet in domo Paralyticus, & malè torquetur. v. 16. n. 21. p. 505

14. Vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimiſit eam febris. v. 3. n. 100. p. 157. v. 10. n. 75. p. 362

29. Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos. veſtig. 4. n. 24. p. 180

9. 9. Et cùm tranſiret inde Ieſus vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me. v. 10. n. 75. p. 363

10. 16. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ. v. 16. n. 6. p. 497

11. 16. Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt cecinimus vobis. v. 9. n. 35. p. 330

21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaïda; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. v. 4. n. 15. p. 175

25. Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ; quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. v. 13. n. 30. p. 422

29. Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. v. 2. n. 49. p. 96

12. 7. Si autem ſciretis, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes. v. 6. n. 33. p. 219

41. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce pluſquam Ionas hic. v. 4. n. 15. p. 175

13. 24. Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. v. 6. n. 45. p. 224

25. Venit inimicus, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici & abiit. v. 8. n. 73. p. 311

27. Domine nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? v. 3. n. 115. p. 163

28. Inimicus homo hoc fecit. v. 19. n. 34. p. 569

29. Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. v. 12. n. 31. p. 401

30. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & in tempore meſſis, dicam meſſoribus, colligite primùm zizania &c. veſt. 19. n. 26. p. 566

43. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. v. 16. n. 18. p. 504

55. Vnde huic ſapientia & virtutes? nonne hic eſt fabri filius? nonne mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioſeph,

Ioſeph,& Simon,& Iudas? Et ſorores eius nonne apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta?v.3.n.104.p.159
15. Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus:Etiam Domine nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.v.19.n.29.p.567
28. O Mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis.v.3.n.75.p.147
16.13. Quem dicunt homines eſſe filium hominis, &c.v.7.n.97.p.274
16. Reſpondens Simon Petrusdixit: Tu es Chriſtus,Filius Dei viui.v.2.n.62.p.100.v.17.n.2. p.521
22. Et aſſumens eum cœpit increpare illum dicens:abſit à te Domine: non erit tibi hoc: Vade poſt me Satana ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea,quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum:v.13.n.37.p.425
28. Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, &c. v.16. n.1.p.495
17. 5. Adhuc eo loquente,ecce nubes lucida obumbrauit eos.v.13.n.60.p.433
18. 4. Niſi efficiamini ſicut parunli, nos intrabitis in regnum cœlorum.v.20.n.50.p.592
18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram,erunt alligata & in cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.v.14.n.18.p.443
23. Non dico tibi vſque ſepties,ſed vſque ſeptuagies ſepties.v.2.n.37.p.91
19.5. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. v. 1. n.18.p.27
24. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire,quàm diuitem intrare in Regnum cœlorum.v.11.n.9.p.373
27. Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te, quid ergo erit nobis? v. 12. n. 24. p.397
20. 7. Inuenit alios ſtantes, & dicit illis; Quid hîc ſtatis tota die otioſi?v.13.n.44.p.427
12. Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti,qui portauimus pondus diei,& æſtus.v.8.n.79.p.313
22. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? v.20.n.3.p.571
21. 8. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via; alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. v.12.n.27. p.400
13. Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. v.15.n.34.p.483
25. Scitis quia Principes gentium dominantur. &c.v.15.n.25.p.478
32. In Reſurrectione enim neque nubent neque nubentur,ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.v.17.n.30.p.525
22. 4. Ecce prandium meum paraui, Tauri mei & altilia mea occiſa ſunt.v.15.n.53.p.490
12. Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem.v.14.n.46.p.456
13. Amice quomodo huc intraſti, &c. v. 2. n.95. p.114
30. Neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. veſtig.17. n.35. p.527
23.13. Ligatis manibus & pedibus eius,mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus,& ſtridor dentium.v.9.n.15.p.323
15. Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum Proſelytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. v. 6. n.27. p.217
25. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui,& dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus & viſitaſtis me: in carcere eram,& veniſtis ad me.v.1.n.142.p.70
37. Ieruſalem Ieruſalem, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. v.9.n.33.p.330
24.14. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus,& tunc veniet conſummatio.v.18. n.22.p.544
25. Tunc ſi quis dixerit vobis: Ecce hîc Chriſtus eſt,aut illic,nolite credere:ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, ecce in deſerto eſt,nolite exire; ecce in penetralibus,nolite credere.v.14.n.71.p.465
26. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.v.14.n.71.p.465
32. Ab Arbore autem fici diſcite parabolam, cùm iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt æſtas. v.23.n.3. p.652
35. Cœli & terra tranſibunt. v.18.n.47.p.552
25. 1. Quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obuiam Sponſo,& Sponſæ. v.4.n.20.p.178. v.19.n.5.p.559
6. Media autem nocte clamor factus eſt; Ecce Sponſus venit, exite obuiam ei. veſt.1.n.17. p.30. veſtig.19. n.32.p.568. veſtig.20. n.66. p.597
12. Amen dico vobis neſcio vos.v.13.n.48.p.428. v.16.n.27.p.507
34. Tunc dicet Rex his,qui à dextris eius erunt: Venite Benedicti Patris mei,&c.v.1.n.103. p.58
40. Amen dico vobis,quamdiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. v.1. n.122.p.64
26.13. Amen, dico vobis vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. v.13.n.28.p.421
Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad ſepeliendum me fecit.ibid.422
21. Amen dico vobis, quia vnus veſtrûm me traditurus eſt.v.7.n.87.p.270
33. Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. veſtigat. 15. n.45. p.487
27.42. Alios ſaluos fecit,ſeipſum non poteſt ſaluum facere.v.3.n.86.p.151
42. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce & credimus ei. v.3.n.109. p. 161. v. 4. n.26. p.180
46. Deus meus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? v.10.n.89.p.366.v.20.n.78.p.600. v.21. n.35.p.622
52. Et monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam Ciuitatem & apparuerunt multis. veſt. 8. n. 37. p.297

63.Domine

*Index locorum S. Scripturæ.*

63. Domine, recordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſurgam; iube ergo cuſtodiri ſepulchrum. v. 5. n.19.p.195
28. 2. Angelus deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem.v.5.n.26.p.197
16. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. v.18.n.14. & 15. p.540. v.3. n.56.p.139

## *Ex Marco.*

*Cap.*1.*v.*4. Fuit Ioannes in deſerto baptizans,& prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.v.10.n.72.362
4. 2. Docebat eos in Parabolis multa. v.15. n.52. p.490
5. 8. Exi Spiritus immunde ab homine. v.4. n.24. p.180
5. 23. Impone manum ſuper eam,vt ſalua ſit, & viuat.v.21.n.40.p.623
6. 16. Quem ego decollaui Ioannem,hic à mortuis ſurrexit,v.7.n.102.275
7. 6. Bene prophetauit Iſaias de vobis Hypocritis ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. v.16.n.13.p.501
8. 34. Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam,& ſequatur me.v.14. n.72.p.465
9. 2. Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. v.18. n.3.p.534
11.10. Hoſanna; benedictus, qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum Patris noſtri Dauid.v.7.n.100.p.275
14.15. Et dixit eis: euntes in Mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni Creaturæ. v.14.n.17.p.443
51. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum: at ille reiecta ſindone nudus profugit ab eis.v.18.n.4.p.535
16. 1. Et cùm tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene,& Maria Iacobi,& Salome emerunt aromata vt venientes vngerent Ieſum. v. 15. n.43.p.486
7. Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. v.7.n.77.p.266
14. Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiem cordis: quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt.v.13. n.19.p.427
15. Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, veſtig.18. n.14. p.540

## *Ex Luca.*

*Cap.*1.*v.*5. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. veſtig. 10.n.7. p.560
26. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ,cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph.v.17.n.32.p.526
28. Aue gratia plena,Dominus tecum. v.8. n.52. p.303
30. Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum.v.10.n.42.p.350
31. Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero,& paries filium.v.3.n.91.p.153
34. Quomodo fiet iſtud,quoniam virum non cognoſco?v.20.n.37.p.587
38. Ecce Ancilla Domini,fiat mihi ſecundum verbum tuum. v.3.n.114.p.163. veſtig.16. n.45. p.513
47. Magnificat anima mea Dominum.v.3.n. 114. p.163
57. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. veſtigat. 2. n. 70. p.103
56. Et manſit cum illa quaſi tribus menſibus. v.14.n.62.p.461
58. Audierunt vicini & cognati eius,quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa,& congratulabantur ei. veſtigat. 4.n.2. p.169
78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri,in quibus viſitauit nos oriens ex alto. v.15.n.55.p.491
2. 13. Et ſubitò facta eſt multitudo militiæ cœleſtis,laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo,&c. v.10.n.59. p.357. v.19.n.18.p.564
26. Reſponſum accepit *Simeon* à Spiritu ſancto non viſurum ſe mortem niſi priùs videret Chriſtum Domini.v.13.n.43.p.427
35. Et tuam ipſius Animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.v.7.n.109.p.278.v.6.n.64.p.231.v.7.n.72. p.265
3. 34. Factum eſt cùm baptizaretur omnis populus. v.5.n.31.p.199
9. 24. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat Crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.v.14.n.54.p.459
33. Præceptor, bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moyſi,& vnum Heliæ.v.14.n.58.p.460. v.3. n.106.p.160
35. Vox facta eſt de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite. v. 14. n. 47. p.406
62. Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. v. 2. n.84.p.109
10.2. Meſſis quidem multa,operarij vero pauci.v.15. n.41.p.490
4. Nolite portare ſacculum neque peram, neque calceamenta.v.16.n.28.p.507
41. Martha, Martha, ſolicita es & turbaris erga plurima.v.14.n.64.p.462.
11.21. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. veſt. 3. n. 44. p.134
47. Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem veſtri occiderunt illos. v.7.n.31.p.247
12. 18. Deſtruam horrea mea & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes bona multa poſita in annos plurimos,requieſce,comede,bibe,epulare.v.17. n.26.p.524
33. Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt,

veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit.v.7.n.61.p.260
36. Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtis. veſtigat.20.n.93. p.605
37. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.v.1.n.51.p.39.v.8.n.28.p.293
13.29. Venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei. v.8.n.28.p.293
14.8. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, &c.veſtigat.13.n.5. p.410
35. Neque in terram, neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur. veſtigat. 9. n. 24. p.227
15.4. Quis ex vobis homo, qui habens centum oues: & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat illam? v.7.n.83.p.268.v.8.n.65.p.308
6. Et veniens domum conuocat amicos, & vicinos, dicens illis; congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. v.4. n.2.p.169
12. Pater, da mihi portionem, quæ me contingit. v.3.n.80.p.149.v.17.n.24.p.523
14. Poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa. veſtigat. 9. n. 23. p.326
19. Pater peccaui in cœlum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. v.8. n.5. p.282. v.8.n.58.p.305
20. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.v.1.n.108.p.59.v.7.n.78.p.266. v.14.n.42.p.454.v.22.n.17.p.641
28. Et miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. v.11.n.35.p.383
22. Citò proferte ſtolam primam, &c. v.2. n.96. p.114
32. Epulari autem & gaudere oportebat; quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt.v.13.n.9.p.412
16.2. Quid hoc audio de te? v.7.n.88.p.270
7. Accipe literas tuas, & ſcribe octoginta. v.12. n.39.p.404.
Et laudauit Dominus villicum iniquitatis quia prudenter feciſſet.ibid.
9. Et ego dico vobis facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. veſt.7. n.61.p.260
11. Quia filij huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.veſtigat.2.n.86. p.110
14. Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, &c.v.1.n.137.p.68
19. Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo.v.10.n.11.p.337
24. Pater Abraham mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. v.2.n.79.p.107.v.7.n.58.p.259
25. Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua. v.7.n.82.p.268
17.18. Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo niſi hic alienigena. veſtig.3.n.42. p.133
18.11. Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri: ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. veſtigat. 3. n. 79. p.149.v.6.n.31.p.219.veſtig.12.n.42. p.405
21.32. Amen, dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant: Cœlum & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.v.8.n.57.p.305
22.19. Hoc facite in meam Commemorationem. v.14.n.24.p.446
29. Et ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.veſt.20. n.3.p.571.v.8.n.28.p.293
41. Et ipſe auulſus eſt ab eis, quantùm iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat. v.20.n.87. p.603
47. Quid dormitis? Surgite, &c. veſtig. 21. n.46. p.625
62. Et egreſſus foras fleuit amarè. veſtig.22. n.18. p.641
23.28. Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. v.3.n.86.p.151
41. Neque tu times Deum, & nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil malis geſſit.v.1.n.84.p.52
43. Amen, dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo.v.10.n.50.p.354
24.17. Qui ſunt hi ſermones quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes. v.5.n.25. p.196
21. Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſraël: & nunc ſuper hæc omnia, tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt. v.8.n.28.p.293
25. O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ loquuti ſunt Prophetæ. veſtig.4. n.15.p.175
29. Mane nobiſcum Domine quoniam adueſperaſcit.v.5.n.25.p.196
30. Benedixit ac fregit, & porrigebat illis: & aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.v.15.n.31.p.480
38. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via. veſtigat. 15. n.31. p.481

## *Ex Ioanne.*

*Cap.* 1. *v.* 3. Omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil.v.12.n.29.p.400
5. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.v.12.n.28.p.400
7. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.v.10.n.71. p.361. v.12. n.30. p.401
12. In propria venit, & ſui eum non receperunt. v.2.n.93.p.113
*Ibid.* Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.veſtigat.2. n.15. p.81
18. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. veſt. 2. n.66.p.103





23. Ego vox clamantis.v.1.n.86.p.52
27. Ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigeam calceamenti.v.2.n.59.p.99
31. Amen, Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum; & Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis.v.16.n.22. p.505
41. Inuenimus Meſſiam quod interpretatum eſt Chriſtus.v.3.n.15.p.122
2.3. Vinum non habent: Quid mihi, & tibi eſt mulier? v.4.n.25.p.180.v.19. n.33.p.568. v.20. n.45.p.591
*Ibid* Quid mihi & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.v.21.n.62.p.632
11. Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ & manifeſtauit gloriam ſuam. v.2. n.93.p.113
15. Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & nummulariorum effudit æs, & menſas ſubuertit. veſtigat.17. n.41. p. 528. v.24.n.48.p.695
3.3. Amen, Amen dico tibi niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.v.18. n.46.p.552
5. Amen Amen, dico tibi niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. v.15. n.55. p. 491. n. 57. p.492
8. Sed neſcis vnde veniat aut quò vadat. veſt. 1. n.44.p.36
11. Hoc fecit initium ſignorum IESVS in Cana Galilææ.v.15.n.45.p.487
16. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.veſt.16.n.44.p.513. v.20.n.62.p.596
29. Amicus autem Sponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi, v. 1. n.26.p.29
4.8. Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.v.8.n.17.p.287
20. Patres noſtri in hoc monte adorauerunt; & vos dicitis, quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.v.8.n.68.p.309
5.3. Hæc eſt enim charitas Dei vt mandata eius cuſtodiamus.v.20.n.25.p.581
22. Neque enim Pater iudicat quenquam: ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem. v.19.n.11.p.561
6.15. Cùm autem cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ſolus.v.7.n.100.p.274
53. Litigabant Iudæi adinuicem dicentes, quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.v.17.n.25.p.524
54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.v.3.n.119. p.615
57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo. v.1.n.153.p.74.v.17.n.25.p.524
7.19. Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? v.8.n.26.p.292
8.56. Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt. v.14.n.35. p.452
9.16. Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.v.6.n.21.p.214
17. Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere? ibid.
24. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? v.6.n.21.p.214
10.8. Omnes quotquot venerunt fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oues.v.9.n.22. p.325
11.22. Domine ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus: Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.v.10. n.89.p.367
27. Ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei, qui in hunc mundum veniſti. veſtigat. 2. n.62. p.100
40. Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei.v.10.n.89.p.368
12.3. Et domus impleta eſt ex odore vnguenti.v.2. n.39.p.92.v.13.n.3.p.409.n.13.p.414
24. Amen, Amen, dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; Si autem mortuum fuerit multum fructum affert.v.4.n.14.p.175
32. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum: hoc autem dicebat ſignificans qua morte eſſet moriturus. v.4. n. 14. p.175.v.1.n.95.p.55
13.3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, ſurgit à cœna & ponit veſtimenta ſua.v.3.n.51. p.137.& n.56.p.139.v.14.n.73.p.465
10. Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus.v.8.n.4.p.281
27. Quod facis, fac citiùs.v.18.n.52.p.554
30. Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exiuit continuò.v.1.n.83.p.51
31. Nunc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. v,6. n.42, p.223. v.11. n.31.p.381
14.12. Amen, Amen dico vobis; Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet.v.1.n.51.p.39
15. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Qui habet mandata mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me.v.20.n.25.p.581
26. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia.v.19.n.14.p.562
15.14. Vos Amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.v.20.n.25.p.581
15. Iam non dicam vos ſeruos; quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. v.10.n.22. p.341
16.7. Expedit vobis, vt ego vadam, ſi enim non abiero Paraclitus non veniet ad vos: Si autem abiero, mittam eum ad vos. v.22. n.72. p.104.v.8.n.33.p.395
17.3. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.v.6.n.39.p.222
11. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum ſicut & nos. v.18. n.38.p.550
21. Vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. v.1. n.156.p.75
18.35. Regnum meum non eſt de hoc mundo. v.3.n.56.p.139.v.5. n.36. p.201. v.24.p.58. p.699
19.3. Veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. veſt. 5. n. 3. p.187

29. Mulier ecce filius tuus; deinde dicit. diſcipulo; ecce mater tua.v.20.n.64.p.596
30. Et inclinato capite tradidit ſpiritum. v.22. n.44.p.650
39. Ferens mixturam Myrrhæ, & Aloës quaſi libras centum,v.17.n.16.p.519
41. Erat autem in loco vbi crucifixus eſt hortus, & in horto monumentum nouum, &c. v.17.n.14.519
20. 11. Maria autem ſtabat ad monumentum foris, plorans: Dum ergo fleret, inclinauit ſe,& proſpexit in monumentum,&c. v.17.n.18.p.521
13. Tulerunt Dominum meum,&c.v.1.n.61.p.43
17. Vade autem ad fratres meos, &c. v.22.n.39. p.648
21. Pax vobis: Sicut miſit me pater,& ego mitto vos: Hæc cùm dixiſſet, inſufflauit & dixit eis; Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. v. 14. n.16.p.442.v.15.n.29.p.480
21. 9. Viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. v.13.n.18.p.416
12. Nemo audebat diſcumbentium interrogare: Tu quis es?v.13.n.18.p.417
15. Simon Ioannis diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine,tu ſcis quia amo te:Dicit ei, paſce oues meas. v.12. n. 16. p. 395. v.19, n. 16. p. 563. v. 21. n.28. p. 619. v. 20. n.6. p.572

## *Ex Actis Apoſtolorum.*

*Cap.*1.*v.*3. Apparens eis & loquens de regno Dei. v.1.n.64.p.44.v.2.n.37.p.91
7. Non eſt veſtrum noſſe tempora,vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. v. 16 n.119.p.62
8. Accipietis virtutem Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria & vſque ad vltimum terræ. v.9.n.10.p.320
10. Duo viri adſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic IESVS, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.v.19.n.18.p.564.
*Ibid.* Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. v.7. n.55.p.2.58
2. 3. Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum. v.14. n.55. p.459. v.16. n. 45. p. 513. v.20.n.90.p.604
10. Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet, &c.v.19.n.19.p.565
17. Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ. 1.n.63.p.43.v.3.n.40. p.132
24. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum.v.21.n.22.p.616
29. Inſuper & caro mea requieſcet in ſpe: Quoniam non derelinques Animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tum videre corruptionem.v.17.n.15.p.519
34. Non enim Dauid aſcendit in cœlum: dixit autem ipſe: Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. v.19. n.10. p.561
42. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. v.1.n.154.p.74.v.14. n.27.p.447
45. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat.v.3.n.54.p.139
46. Frangentes circa domos Panem. v.15. v.31. p.481
4. 32. Multitudinis autem Credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.v.13.n.50. p.429.v.21.n.22.p.616
34. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, quæ vendebant & ponebant ante pedes Apoſtolorum. v.21. n.21.p.615
5. 41. Ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati. v.3. n.105. p.160
6. 7. Et Verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus diſcipulorum in Ieruſalem valdè, multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.v.21.n.29.p.619
7. 51. Dura ceruice,& incircumciſis cordibus & auribus vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis: ſicut Patres veſtri ita & vos.v.11.n.28.p.380
55. Ecce video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris Dei.v.15.38.p.485
58. Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. v.19. n.28.p.569
8. 1. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia quæ erat Ieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos.v.23.n.18.p.658
9. 4. Saule, Saule, quid me perſequeris? v.1.n.136. p.68.
15. Vas electionis eſt mihi iſte.v.15
15. Vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus & filiis Iſraël. v.3. n. 105. p.159
10. 11. Vidit *Petrus* cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam,velut linteum magnum,quatuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia & ſerpentia terræ, & volatilia cœli, & facta eſt vox ad eum; Surge Petre occide & manduca.v.10. n.51.p.354
28. Vos ſcitis quomodo abominandum ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam; ſed mihi oſtendit Deus neminem communem, aut immundum dicere hominem.v.7.n.13.p.237
11. 3. Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? v.23. n. 19. p.659
19. Et illi quidem qui diſperſi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat ſub Stephano, &c. v.23. n.18.p.658.v.659
20. Erant autem quidam ex eis viri Cyprij & Cyrenæi, qui cùm introiſſent Antiochiam, loquebantur, & ad Græcos annunciantes Dominum Ieſum v.23.n.19.p.659
21. Et erat manus Domini cum eis, multúſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum.v.23.n.22.p.660
13. 32. Et nos vobis annunciamus eã,quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt,quoniam hanc Deus

Deus adimpleuit filiis noſtris, reſuſcitans Ieſum,ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt:Filius meus es tu, ego hodiè, genui te. v.10.n.25.p.343
46. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ,ecce conuertimur ad gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus:poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. v. 9. n.10. p.320
15.10. Nunc ergo,quid tentatis Deum,imponere iugum ſuper ceruices Diſcipulorum,quod neque Patres noſtri,neque nos portare potuimus.v.2.n.37.p.91.v.8.n.26
16. 9. Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, & dicens, tranſiens in Macedoniam adiuua nos.v.18.n.20.p.543
17.23. Quod ergo ignorantes colitis hoc ego annuncio vobis.v.7.n.23.p.242
20.28. Attendite vobis,& vniuerſo gregi,in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.v.15.n.12.p.473.v.20.n.8.p.573
37. Magnus fletus factus eſt omnium,& procumbentes ſuper collum eius oſculabantur eum. v.10.n.6.p.16
26.10. Et multos ſanctorum ego in carceribus incluſi, & cùm occiderentur; detuli ſententiam.v.21.n.29.p.619

## *Ex Epiſtola ad Romanos.*

*Cap.*1.*v.*16 Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti,Iudæo primum & Græco. v. 6. n.25. p.216.v.10.n.10.p.337
21. Quia cùm cognouiſſent,non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. v.6. n.28.p.217.v.8.n.29.p.294
23. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt,&c.v.7.n.17.p.239
24. Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam: vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis: Nam fœminæ eorum,&c.v.7.n.46.47.p.255
25. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium; & coluerunt & ſeruierunt Creaturæ potius quàm Creatori. veſtigat.7.n.24. p.242
5. 12. Propterea ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum Mors;& ita in omnes homines Mors pertranſiit,in quo omnes peccauerunt.v.10. n.30.p.346
8. 12. Scimus enim quod omnis Creatura ingemiſcit,& parturit vſque adhuc. v.3. n.90.p.153
23. Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias Spiritus ſancti habentes. veſtig.6.n.22. p.214.v.16.n.503
28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. v.13.n.4.p.426
38. Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? Tribulatio,an anguſtia? an fames? an nuditas? &c.v.18.n.21.p.543
36. An tribulatio? an anguſtia?&c.veſtig.4.n.13. p.174



9. 3. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, pro fratribus meis,qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.v.7.n.86.p.269
10.12. Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci:Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum; omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.v.9.n.33.p.330
18. Sed dico:numquid non audierunt, & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum,& in fines orbis terræ verba eorum.veſt.18.n.18. p.542
21. Ad Iſraël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.v.13.n.50.p.429

## *Ex 1. ad Corinthios.*

*Cap.*1.*v.*26. Quia non multi ſapientes ſecundum carnem,non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus,vt confundat ſapientes,&c.v.18.n.23. n.544
23. 15. Vſque in hodiernum diem cùm legitur Moyſes velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. v.16.n.13.p.502
7. 14. Quæ autem nupta eſt,cogitat quæ ſunt mundi,quomodo placeat viro,v.4.n.1.p.168
32. Qui ſine vxore eſt,ſollicitus eſt quæ Domini ſunt,quomodo placeat Deo:qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori,& diuiſus eſt.v.20. n.27.p.582
9. 20. Et factus ſum Iudæis tanquam Iudæus,vt Iudæos lucrarer, & iis,qui ſub lege ſunt,quaſi ſub lege eſſem, &c.v.15.n.49.p.489
9. 27. Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne fortè cùm aliis prædicauerim ipſe reprobus fiam.v.20.n.22.p.579
11.20. Conuenientibus ergo vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare: vnuſquiſque enim ſuam cœnã præſumit ad manducandum,& alius quidem eſurit,alius ebrius eſt. v.1.n.127.p.66. veſtigat.7. n.52. p.257
22. Nunquid domos non habetis ad manducandum,& bibendum?v.1.n.40.p.35
26. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis donec veniat.v.7.n.71.p.264. v.14.n.25.p.446
13. 4. Charitas patiens eſt,benigna eſt, congaudet veritati omnia ſuffert,omnia credit, omnia ſperat.v.20.n.25.p.581
15. 10. Sed abundantiùs illis omnibus laboraui. v.3.n.106.p.160
15. 25. Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius:nouiſſima autem inimica deſtruetur Mors.v.10.n.24.p.353
55. Abſorpta eſt Mors in victoria: vbi eſt Mors victoria tua? vbi eſt Mors ſtimulus tuus? v.10.n.24.p.343
27. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius, cùm autem dicat omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. v.3.n.56.p.139
47. Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de cœlo cœleſtis.v.1.n.81.p.50
55. Abſorpta eſt mors in victoria: vbi eſt mors victoria tua?vbi eſt mors ſtimulus tuus?v.22. n.46.p.651

## *Ex 2. ad Corinth.*

*Cap.3.v.5.* Ita, vt non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius. v.10.n.49.p.353

13. Non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſraël in faciem eius. v.12.n.49.p.407

4. 7. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. v.8.n.55.p.304

5. 16. Et ſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum: ſed nunc iam non nouimus. veſt.17. n.19.p.521

8. 9. Scitis enim gratiam Domiui noſtri IESV Chriſti quoniam propter vos egenus factus eſt cùm eſſet diues, vt illius Inopia vos diuites eſſetis. v.3.n.56.p.139

10. 4. Nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia ad deſtructionem munitionum. v.20.n.6.p.572

11. 12. Et ſcio huiuſmodi Hominem ſiue in corpore ſiue extra corpus, neſcio, Deus ſcit; Quoniam raptus eſt in Paradiſum. veſt.20. n.12. p.574. veſt.1. n.100. p.57. veſtigat.20.n.15. p.576

12. 4. Raptus fuit in Paradiſum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. v.2. n.61.p.100.v.17.n.30.p.525

6. Parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. v.7.n.95.p.273

9. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. v.2.n.49.p.96

## *Ex Epiſt. ad Galatas.*

*Cap.1.v.8.* Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis præterquam quod Euangelizauimus vobis, anathema ſit. veſt. 17. n.39. p.528

18. Poſt tres annos veni Ieroſolymam videre Petrum, alium autem Apoſtolorum vidi neminem niſi Iacobum fratrem Domini. veſt.18. n.17.p.542

2. 20. Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Chriſtus. v.1.n.18.p.27. v.1.n.62.p.43.v.1. n.153.p.74

3. 24. Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto vt in fide iuſtificemur: at vbi venit fides, iam non ſumus ſub Pædagogo, omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto IESV. v.2.n.45.p.95

28. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber. v.10.n.10.p.337

4. 9. Infirma & egena elementa. v.3.n.38.p.331

19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. v.18. n.46. p.552. v.7.n.75.p.266

22. Scriptum eſt enim quoniam Abraham duos filios habuit vnum de Ancilla, & vnum de libera. v.3.n.6.p.118

5. 17. Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem, hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcumque vultis illa faciatis. v.2.n.28.p.87

## *Ex Epiſt. ad Epheſios.*

*Cap.3.v.8.* Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit, vt innoteſcat Principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, ſecundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto IESV Domino noſtro. v.10.n.28.p.345

4. 11. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas & Doctores. v.12.n.16.p.394

5. 2. Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. v.10. n.23.p.343

5. 25. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam neque rugam. v.5.n.28.p.198.v.16. n.20.p.500

27. Et exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. v.13.n.36.p.424

32. Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. v.3.n.8.p.119

52. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea. v.20.n.8.p.573

## *Ad Philippenſes.*

*Cap.2.v.6.* Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. v.3.n.51. p.137.v.6.n.38.p.221

8. Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. v.20. n.78.p.600

9. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt, in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris. v.19. n.12.p.562

## *Ad Coloſſenſes.*

*Cap.1.v.5.* Propter ſpem quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij quod peruenit ad vos ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit. v.18.n.18.p.542

12. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, &c. v.16.n.41.p.512

20. Pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. veſt. 3. n.14.p.121

2. 15. Delens quod aduerſum nos erat chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians Principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo. v.10.n.24.p.343. veſt.15. n.57.p.492

## *Ex 1. ad Theſſalonicenſes.*

*Cap.4.v.13.* Nolumus vos ignorare de dormiẽtibus, vt nõ contriſtemini, ſicut, &c. v.21.n.16.p.613

5. 8. Qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt: Nos autem qui diei ſumus, ſobrij ſumus. v.8.n.12.p.285

*Ex*



## *Ex 1. ad Theſſal.*

*Cap.1.v.7.* Cùm poſſemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli, ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos. v.8.n.47.p.301

## *Ex 1. ad Timotheum.*

*Cap.2. v.11.* Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione: docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, ſed eſſe in ſilentio. v.18.n.9.p.537

## *Ex 2. ad Timoth.*

*Cap.3.v.16.* Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. v.17.n.21.p.522

## *Ex Epiſt. ad Hebræos.*

*Cap.1.v.1.* Multifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio, &c. v.1.n.101.p.57

1. Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio. v.8. n.29.p.294

3. Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit. v.19. n.21.p.565

4. Tanto melior Angelis effectus quanto differentius præ illis nomen Hæreditauit cui enim dixit aliquando Angelorum filius meus es tu, ego hodie genui te? v.3.n.p.119 v.19.n.10.p.561

6. Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei. v.3.n.48.p.135.v.10.n.25.p.343

14. Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. v.2.n.64.p.101.v.10. n.26.p.344.v.15.n.49.p.489

2. 8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: In eo enim quod omnia ei ſubiecit nihil dimiſit non ſubiectum. v.3.n.56.p.139

7. 8. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati. v.19.n.15.p.569

11. Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat. v.19.n.15.p.563

11. Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat. v.10.n.23.p.342

18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius, & inutilitatem, nihil enim ad perfectum adduxit lex. v.3. n.38.p.331.v.10.n.23.p.343

9. 15. Et ideo noui Teſtamenti Mediator eſt, vt morte intercedente, in redẽptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ Hæreditatis: vbi enim Teſtamentum eſt, mors interueniat neceſſe eſt Teſtatoris: Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt. v.10.n.23. p.343

10. 5. Ideo ingrediens mundum dicit: hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi; tunc dixi, ecce venio, &c. v.3. n.48.p.155.v.20.n.37.p.588

12. 2. In auctorem fidei & conſummatorem Ieſum aſpicere, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. v.3.n.49. p.136

11. 7. Accedentem verò ad Deum credere oportet, quia, eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. v.21.n.21.p.615

## *Ex Epiſt. B. Iacobi.*

*Cap.1.v.1.* Iacobus Dei & Domini noſtri IESV Chriſti ſeruus, duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione, ſalutem. v.23.n.19.p.658

2. 2. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara. v.18.n.3.p.534

6. Quicumque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus. v.12.n.40.p.404

26. Vis autem ſcire ô Homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt? Abraham Pater noſter nonne ex operibus iuſtificatus eſt? Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus iuſtificata eſt? ſicut enim corpus ſine Spiritu mortuum eſt; ita & fides ſine operibus mortua eſt. v.20.n.25.p.581

3. 6. Lingua, &c. inflammat totam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna. v.23. n. 46. p.668

## *Ex 1. Petri.*

*Cap.1.v.1.* Petrus Apoſtolus IESV Chriſti, electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, &c. v.23.n.18. p.658

n.42. Vobis autem miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt vobis, per eos qui euangelizauerunt vobis Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem deſiderant Angeli proſpicere. v.2.n.87.p.110

3. 22. Per reſurrectionem IESV Chriſti, qui eſt in dextera Dei. v.19.n.10.p.561

## *Ex 2. Petri.*

*Cap.1.v.9.* Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. v.12. n.28.p.400

17. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: Hic eſt filius meus dilectus, &c. v.12.n.47.p.407

## *Ex epiſt. Iudæ.*

*Cap.5.* Scientes ſemel omnia quoniam IESVS populum de terra Ægypti ſaluans. v.3. n.61. p.142

## *Ex 1. Ioannis.*

*Cap.2.v.19.* Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. v.9.n.26.p.327

## *Ex Apocalypſi.*


Cap. 1. v. 5. Princeps Regum terræ. v. 3. n. 56. p. 139

10. Fui in Spiritu in Dominica die. v. 5. n. 18. p. 194

2. 17. Vincenti dabo manna abſconditum & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum. v. 2. n. 97. p. 115

3. 5. Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis & non delebo nomen eius de libro vitæ. v. 18. n. 3. p. 534

17. Quia dicis quod diues, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia Tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. v. 9. n. 15. p. 323

18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, & non appareat confuſio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos vt videas. v. 2. n. 95. p. 114. v. 18. n. 4. p. 535

20. Si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. v. 22. n. 14. p. 639

3. 4. Aſpectui lapidis iaſpidis, & ſardinis, & in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ. v. 10. n. 60. p. 537

4. 7. Et in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia, ſingula eorum habebãt alas ſenas, & in circuitu, & intus plena ſunt oculis. v. 3. n. 85. p. 151

6. 10. Vſquequò Domine (Sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra. v. 1. n. 135. p. 68. v. 3. n. 121. p. 166

7. 14. Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerunt eas in ſanguine. v. 18. n. 3. p. 534

12. 7. Et factum eſt prælium magnum in cœlo; Michaël, & Angeli eius præliabantur, &c. v. 17. n. 42. p. 529

12. 1. Signum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. v. 1. n. 154. p. 64. v. 2. n. 58. p. 98. v. 21. n. 62. p. 631

15. 3. Cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei, & Canticum Agni. v. 1. n. 26. p. 29

17. 4. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua. v. 8. n. 55. p. 304

16. Et decem cornua quæ vidiſti in Beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt. veſtig. 7. n. 49. p. 260

18. 2. Cecidit cecidit Babylon magna. veſt. 8. n. 55. p. 304

22. Et vox molæ non audietur in te amplius, & lux lucernæ non lucebit in te ampliùs, & vox Sponſi & Sponſæ non audietur adhuc in te. v. 1. n. 26. p. 29

19. 2. Qui iudicauit de meretrice magna quæ corrupit terram in proſtitutione ſua. v. 8. n. 31. p. 294

7. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei quia venerunt nuptiæ Agni & vxor eius præparauit ſe & datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido. v. 18. n. 5. p. 535

8. Et datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido. v. 10. n. 11. p. 337. veſt. 11. n. 42. p. 385

10. Vide ne feceris, conſeruus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV. v. 1. n. 141. p. 70. v. 2. n. 64. p. 101. v. 17. n. 33. p. 526

11. Ecce Equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verax. v. 1. n. 119

14. Et exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis veſtiti byſſiuo albo & mundo. v. 1. n. 119. p. 63. v. 18. n. 2. p. 534

16. Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus dominantium. v. 3. n. 42. p. 133. n. 56. p. 139

16. Rex Regum & Dominus dominantium. v. 3. n. 42. n. 133

21. 2. Et ego Ioannes vidi ſanctam Ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo à Deo, paratam, ſicut Sponſam ornatam viro ſuo. v. 19. n. 5. n. 559




# INDEX
## RERVM ET VERBORVM,
### QVÆ IN HOC SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

A


AARONICI Sacerdotis indumentum tot catenis, tot annulis vinctum, ſpiritalis viri ſolicitam curam denotat. pag. 555

*Abdias.*

Abdias Babylonicus qualis Auctor? 585

*Abel.*

Abel occiſus teneriùs à Deo diligitur. 674

Abel quamuis nefariè interfectus non clamat in occiſorem, quia germanum, ſed eius ſanguis dicitur clamare: Longè meliùs clamat pro nobis Sanguis Chriſti. 68

Abelis Innocentis effuſus ſanguis ad veritatis manifeſtationem clamat in cœlum: dum veritatem celat, & negat impius fratricida. 64

Abelis ob mortem, quia ad imaginem Dei facti, ſtupent elementa. 166

*Abiſag.*

Abiſag Sunamitis quæ frigidum Dauidem calefacit, nec in libidinem prouocat, Scripturæ Sacræ figura. 591

Abiſag Scripturæ Sacræ Imago Dauidem ſenem, ægrotúmque ſola calefacit, recreátque. 196

*Abraham.*

Abrahamum è patria ſua amandat Deus, viri Apoſtolici typum. 155

Abrahamum videtur Deus in conſilium vocare de excidio Sodomorum: & quare? 359

Abraham, ſpolia deuictis hoſtibus bene parta, ſibíque à Sodomorum Rege oblata, generosè reiectat, ſolâ laborum ſuorum coronâ contentus. 182

Abrahamo, quòd bello pro charitate ſuſcepto vitam ſuam expoſuiſſet, ſtatim apparuit Deus, protectorem ei ſe futurum pollicens. 667

Abrahæ cur tres apparuerunt Angeli, ex iis verò duo tantùm Sodomam intrarunt? Ratio moralis. 147

Abraham inde ſalutem, iucunditatem diuitias elicit, vnde ſibi mortem metuebat. 227

Abrahamus ad ſolam buccellam panis hoſpites inuitat, & lautum tamen inſtruit conuiuium: non multa locutus, ſed multa largitus. 642

Abraham quamuis trecentorum famulorum herus, vigilat tamen ipſe in ipſo diei feruore: eadem horâ dormitat Isboſeth vni confiſus oſtiariæ. O quàm diſpar vtriuſque ſors! 302

Cur Abrahamo filiũ immolandũ pręcipit Deus? 220

Abrahamus filium immolaturus, diem Chriſti Paſſione cruentum vidit, & gauiſus eſt. 452

Abrahamo datum præceptum de immolando filio, in ipſius Abrahami honorem & gloriam omnino ceſſit. 673

Abraham filium mactaturus etiam lacrymas cohibet, quòd Deũ per fidem intueretur præſentẽ. 602

Abrahamus eadem hilaritate filium, vt arietem immolaſſet quòd vtrumque ſine peccato, Deo nimirum iubente. 679. 680

Abrahamus vel ex ipſa filij ſui nece Sacerdotis nomen ſibi vult vendicare. 529

Abraham meruerítne plus quàm Iſaac, dum ipſum voluit immolare? 230

Abrahami in exequendo diuino de filij mactatione præcepto celeritas. 644

Abraham bis vocatur è cœlo, vt ab incepto filij ſacrificio deſiſtat; quare? 644

Abrahamo ſiue dũ è patria ſua egredi, ſiue dum filiũ immolare iubetur, cur nullus præfigitur locus? 466

Abrahami de Iſaaco paratum ſacrificium adeò fuit incoactum, vt nullis ſiue Abrahami, ſiue Saræ lacrymis fœdatum fuerit. 467

Abrahamum Diues Epulo ab Inferis Patrem appellat, velut naturæ vinculo ſibi coniunctum, quaſi cognatum faciliùs exoraturus. 68

Abraham in Diuitem Epulonem miſerè damnatum adeò non commouetur, vt benigne Filium compellarit. 268

*Abſalom.*

Abſalom vadit in Hebron vota Domino redditurus, non in Ieruſalem, quare? 247

Abſalom fratricida ſuperbus è triennali exilio reuocatus, in Regiam Patris ſui domum non admittitur, quippe qui necdum humilis, de cæſarie ſuperbiret. 328

Abſalom de fratre occiſo non ſatis punitus in patrem ſuum poſtea inſurrexit. 693

Abſalonem filium impium & reprobum, ſuúmque hoſtem, mortuum luget Dauid mœrore inconſolabili, qui tamen in alterius ſui infantuli morte, quem ſaluum ſciebat, non eſt triſtatus. 268

Abſalom doloſus & verſipellis vel à Mulo deceptus occiditur, cui nec anxia Parentis optimi quem fefellerat, ſolicitudo profuit. 431

*Abſconſio.*

Abſconſio Maieſtatem probat. 258

*Abſentia.*

Abſentiam Dilecti bonis operibus & rerum æternarum cognitione lenire conantur in hoc ſeculo Iuſti. 604. 605

*Abſtracta.*

Abſtracta nomina pro Concretis ponit frequenter Scriptura Sacra. 118. 613

*Accumbere, Accubitus.*

Accumbere ad menſam olim, Heroum erat, & virorum dignitate præſtantium. 279. Principum filiis non conceſſum. ibid.

Accumbunt etiam nunc ad Menſam Orientales. 280

Accubitus ad Menſam Ordo apud veteres. 281

Accubitus ad Menſam mos vnde? 279

Accubitus Conuiuialis forma apud veteres. 280. 281

Accubitus Conuiuialis morem à quibus didicêre Hebræi, & quo tempore? 280

Accubitus Chriſti in gloria ad dexteram Patris. 417

*Actus.*

Actus virtutis ad perfectionem acquirendam frequenter iterandi. 66

*Adamus*

Adamus ſtatim vt formatus, Rex à Deo declaratus eſt, quòd tunc in Iuſtitia originali appetitus, motúſque ſenſitiui Rationi parerent. 275

Adamum quaſi Sacerdotem ordinat Deus, dum in eius conditione ei manus imponit. 529

Adamum vel in Paradiſum conſtitutum præcepti fræno coërcet Deus. 307

Adamus vno vinculo, multis verò Maria conſtringitur. ibid.

Adamus ne Creatoris obliuiſceretur vnius arboris fructu interdictus eſt, vt hæc prohibitio Deum identidem in memoriam ingereret. 461

Adamus horâ prandij peccat, Chriſtus eâdem prandij horâ nos redimit. Euchariſtiæ accommodatum. 568

Adamus lapſus eſt, quòd malorum exordia neglexerit; ſiquidem vel à viſu, & tactu pomi veriti cauere debuit. 694

Adamus poſt peccatum vxorem ſuam vocauit Euam, id eſt, vitam, propter ingens deſiderium, & aſſiduam memoriam vitæ indeficientis per peccatum amiſſæ. 107

Adam ſemiueſtitus timet coram Deo appparere. 676

Adamum poſt primum peccatum ad colloquium familiare admittit Deus, quanta cum benignitate & Indulgentia? 59

Adami oſſa vt Sacras Reliquias in Arcam tranſtulit Noë, præſidium aduerſus tumentes fluctus. 246

Vbi Adamus ſepultus eſt, ibi Chriſtus dicitur Crucifixus. 368

In Adamo nullo modo peccauit Maria. 346

*Adoleſcentia.*

Adoleſcens *amictus ſindone ſuper nudo* quid ſignificet? 535

Adoleſcentia vitæ pars lætior. 314

In Adoleſcentia ſpretis voluptatum blanditiis, pietatem ſectari, rarum & perceſebre eſt. 312. 313. 314

*Adoleſcentulæ.*

Adoleſcentulæ Cantici num Concubinæ? 120

Adoleſcentulæ in Cantico, pediſſequæ Sponſæ. 117. 120

Adoleſcentulæ Cantici Sponſum quem vt munificum amabant, Oleum effuſum vocant, ſiue à liberalitate, ſiue à potiori vnguentorum dono. 118

Adoleſcentulæ, quas Animas ſignificent? 132

*Adonias.*

Adonias ambitioſus regnum affectans repellitur: Salomon verò humilis eligitur. 600

*Aduentus.*

Aduentitiæ cœnæ quænam? 412

Aduentus Chriſti bellè fulguri comparatur. 465

*Aduerſa.*

Aduerſa nobis quæcunque, ex Dei Prouidentia accidunt. 359. 360

Aduerſitatibus iuſtorum Congregatio non minuitur, ſed creſcit & amplificatur. 673. 674

*Ædes.*

Ædes ab edendo dictas quidam exiſtimant. 418

Ædificatio Hebræis dicitur Procreatio filiorum. 213

*Ægyptus.*

Ægyptum per miniſtros ſuos flagellauit Deus, ipſe verò per ſe Babylonem puniuit: quare? 303

In Ægyptum amandatur Puerulus IESVS, ac ſi ibi foret ſub vigilantiori Diuinæ Prouidentiæ cura, vbi tribulationum ſeges maior. 369

Ægyptij qui in mari rubro cum Pharaone ſepulti fuerunt, nigri erant. 206

*Aër.*

Aër, Ignis, Aqua pro Diis habita. 244

*Æs.*

Æs in ſacris miniſteriis. 392

*Æthiopia.*

Æthiopes alij Aſiani ſiue Orientales, alij Africani ſiue Occidentales. 205

Æthiopes, nigri. 205

Æthiopum nigredo, vnde? 205

*Afflictio* gratiſſimè cuilibet ſepeliendũ eſt os, vt taceat, terrâque obruendũ, forti virtutũ aggere. 108

*Agar, Agareni.*

Agar in Abrahæ Domini ſui torũ euecta, Saram deſpicit, & inde fit miſera: ſic timeat vir in dignitatem elatus ne ſeu diſciplinæ negligentiâ; ſiue prioris obſeruantiæ contemptu cadat infelix. 67

Agareni quinam? 204. Horum exercitia. ibid.

*Agnus.*

Agnus Comes infidus: Columba ſeu Turtur ſocia vel in aduerſis fideliſſima. 277

Agnum Paſchalem *Chriſtum* manducaturi caput *Diuinitatis* cum pedibus *Humanitatis* vorare debent, vt ex Diuinitate honorem, ex Humanitate ſpem concipiant. 458

*Agri*

Agri virtutes quænam hic intelliguntur ſecundùm verſionem L X X. Interpretum? 614

Agri Tribuum vſque in annum Iubilæi poterant abalienari. 237

*Agrippa.*

Agrippa Rex metu exanimatur. 89

*Albus.*

Alba veſtis lætitiæ, honoris, gloriæ indicium: vnde in Spectaculis, conuiuiis, ſolemnitatibus veſte alba induebantur veteres. 534

Alba veſtis nobilitatem à plebe diſtinguebat. ibid.

Albæ veſtes, gaudij & gloriæ ſymbolum. 114

*Alexander.*

Alexandri Magni Tabernaculum quale? 209

Alexander Seuerus cur ſic dictus? 123

*Alexius.*

S. Alexius metam diuinæ legis excedit, quâ ratione? 691

S. Alexij Actio eximia, ſingularis, & ſupra legem de particulari Dei inſtinctu, adquam obſtupeſcit S. Damianus. 691

Alexij Comneni Græcorum Imperatoris in Templorum profanatores imprecatio. 421

*Alienus, Alienigena.*

Alienigenæ quinam apud Hebræos? 237

Alienis commodis qui ſeruit, ſuis neglectis, in magnis periculis liberabitur. 666

*Alma.*

*Alma* apud Hebræos ſignificat puellam incorruptam & à virorum aſpectu ſemotam. 125. 126

*B. Aloyſius Gonzaga.*

B. Aloyſius Gonzaga inter orandum non diſtrahitur: quanta hæc gratia? 626. 627. 628

B. Aloyſius diei ſeptimo, in quo Deus requieuit, comparatur. 627

B. Aloyſius Gonzaga Opus Dei, quâ ratione? 627

Cantabat Canticũ Domini in terra aliena; id eſt, in Aula, Contemplatione Deo adhærebat. ibid.

B. Aloyſius Gonzaga erat vir vnus quo pacto? 626

*Alphonſus Barcena.*

Alphonſus Barcena ab Angelis in deſertis Peruanis tranſuectus. 543

*Altare.*

Altaria circuibant in ſuis ſacrificiis Hebræi. 411







*Alternus.*

Alternus Cantus. 30

*Amans.*

Amans ad Amantis vocem reuiuiſcit. 28

Amantes per oſcula ſpiritum diligentis ebibunt. 25

Amantes meticuloſi & increduli. 38

Amantis manu dona elaborata maximo in pretio habentur. 389

Amantis Nota in carne impreſſa. 390

Amantum morbus ſumma Amentia. 86

Amantum languor. 86

Amantes quandoque increduli: quandoque nimis creduli. 634. 635

Amantium oculi perſpicaciſſimi. 634

Amantum Iuramenta inualida. 37

Ex Amantibus vnum quodammodo fieri qui aſſerant & quamobrem? 26

*Amazones.*

Amazones nouæ in America quales? 611

*Ambitio.*

Ambitio Arium & multos Hæreſiarchas in præcipitium deturbauit. 327

Ambitio muliebre vitium. 191

*S. Ambroſius.*

S. Ambroſius conſolationem elicit è lectione geſtorum Noë. 195

*America.*

America veteribus num cognita? 542

Nũ in Americã ingreſſi ad prædicandũ Apoſtoli? 542

In Americam num ab Angelis delati ſunt ad euangelizandum Apoſtoli? 543

*Amicus, Amicitia.*

*Amica* vocabulum num caſtum? 341

*Amica* nomen dupliciter ſumptum. ibid.

Amicitiæ infida ratio eſt, quæ Sodalis præſentiam tantùm obſeruat. 509. 510. 511

Ad Amicitias profanas diſſoluendas, remedium optimum eſt Separatio. ibid.

Amicus Amici ſecretorum fidus cuſtos. 341

Amicos æquales reddit Amicitia. ibid.

Amici imagines ſuas in tabulis ad viuum depictas vltrò citróque mittere ſolebant. 22

Amici peregrè venientes oſculo excepti. 23

Tres Iobi Amici, Reges. 146

Amicorum & Propinquorum gratulationes in bonis ſucceſſibus olim frequentes. 169

*Amœbæum.*

Amœbæum carmen in Cantico. 499

*Amor.*

Amorem cæcum Poëtæ malè fingunt. 497

Amor grauis Deus & Sapiens apud Gentiles Philoſophos. 37

Amor verus non attendit diuitias, nobilitatem, &c. Sed ipſam perſonam ſolam. 37

Amor Amantes reddit ſtrenuos. 28

Amor ſuſpectus quem munera comitantur. 22

Amor habet ſua caſtra, ſuámque militiam. 572

Amorem non verborum phaleræ & lenocinia, ſed beneficia & opera teſtantur. 641. 642

Amor à ſimilitudine. 97

Amor humanus quàm varius! 304

Amoris, Affectus, Charitatis vocabulo, vxor, Liberi, Amici indicati. 288

Amor Maieſtatem neſcit; familiares & pares reddit Amantes. 595. 596. 597

In Amore pingendo errant Pictores. 36

Amor habet ſuum idioma. ibid.

Amoris Parentes vt & Aui incogniti. ibid.

Amoris cicatrices auro obductæ. 390

Amoris Sacri Languor. 575

Ab Amore ſupernaturali languor, ægritudo, conſumptio, ſenſuum abalienatio, ecſtaſis, &c. 89

Amoris exceſſus in Sacrificio Abrahæ, & in Sacrificio Chriſti Euchariſtico. 697

Amor in ecſtaſim rapit. 37

Amoris caſti & obſcœni iidem aliqui effectus. 86

Amor Diuinus Ecſtaſim parit. 574. 575. 576

Ab Amore ſeu ſpurco, ſeu puro, deliquium. 87

Amor beatificus quomodo corporis potentias non fatigabit, cũ ab Amore deliquium proueniat? 576

Amor Chriſti feruentiſſimus in Euchariſtiæ inſtitutione. 696

*Amphitheatra.*

In Amphitheatro ſparſa in populũ dona, *Rapina*, ſeu miſſilia dicta. 137. Hinc ſæpe litigia in iis arripiendis, percuſſiones, cędes. 138. Ideo prudẽtiores ante eiuſmodi iactationem à Theatro diſcedebant. 138

*Amygdala.*

Amygdala veris nuntia dicitur, quod prima omniũ floreat: vnde dicitur Hebraicè *vigilans.* 652

Amygdala Ficui contraria: in quo? 652

*Ananias.*

Ananias quòd vnam tantùm bonorum ſuorum partem ſibi reſeruaſſet cæteris ad Apoſtolorum pedes oblatis, repentinâ morte mulctatur. 405

*Anathema.*

Anathema eſſe pro fratribus optat D. Paulus, quo ſenſu? 269

*Angeli.*

Angeli ceciderunt nec reparati ſunt; quia Chriſtum pro fundamento non habebant. Contrà accidit Hominibus. 112

Angeli, Milites nuncupati, ob fidam hominum aduerſus Dæmones cuſtodiam. 357. 358. 359

Angelorũ bonorũ, malorúmque aliqualis apud Gentiles cognitio, ſed multis obſcurata erroribus. 249

Angelos aliquos è bonis, apparuiſſe aliquãdo Ethnicis ob occultũ aliquẽ finẽ, non eſt impoſſibile. 250

Angeli poſt Incarnationem, à Chriſti exemplo ſubmiſſi magis erga homines. 70

Angelos Cuſtodes ſingulis hominibus datos credidit Plato. 249

Angelum Cuſtodem planè referebat bonus Paganorum Genius. ibid.

Angeli à ſumma Dei in Homines humanitate in miniſterium noſtrum delegati, & vel ad pedum curam demiſſi. 148

Angelorum humilis in homines pietas. 489

Angeli in Chriſtum proſpiciunt, eius vt exemplo alacriores veluti reddantur in obeundo ſuo circa Homines miniſterio. 110

Angelorum frequens apparitio Deiparæ in triduo mortis Chriſti. 43

Angelorum Dialogiſmus *Attollite portas*, &c. explicatur. 359

Angeli Mariæ in cęlos aſcendẽti obuiã procedũt. 178

Angeli ducatum recuſat Moyſes, & quare? 53

Angeli Moyſem ſepeliẽre. 246

Angeli cur adſunt Chriſto poſt certamen cum Dæmone poſt 40. dierum ieiunium, & non dicuntur adfuiſſe tempore certaminis? 358

Angeli qui Iſaiæ labia mundauit, nomen ſupprimitur, & Seraph dicitur quamuis ex eo Ordine non fuerit, vt ad eum à quo legationem receperat, debita tranſeant encomia. 164

Duo Angeli S. Benedicto in itinere adſunt. 543

*Anglia.*

In Anglia Hæreticorum adeſſe concionibus, omnino illicitum. 241

*Anima.*

Anima Deo abſente in mœrore eſt, nihilque eam recreare valet. 53

Animæ ſanctæ mœror in huius vitæ exilio. 168
Animæ Paſſiones in carnem dominantur. 87.88.89
Animæ & corporis magna ſynergia. 87
Animarum ſaluti ſic inuigilandum vt propria non negligatur. 149.150.151
Animarum Conuerſioni & ſaluti vacare, quàm ſublime miniſterium! quàm Deo charum, & homini vtile! 272.273
Animarum culturæ inuigilantibus expedit quandoque ſanctæ licet actioni ſe ſubtrahere, & ſpiritalibus vacare Exercitiis. 545.546.547
Animæ Martyrum ſub Altari Euchariſtico corporis ſui immortalitatem benè & conuenienter precantur. 165.166
Animi deliquiũ quid, & vnde proueniat? 574.575.576

*Annulus.*

Annulus Libertatis & nobilitatis indicium. 114
Annulo domeſtica ſupellex omnis obſignata. 189
Annulus futuri Coniugij pignus, Sponſæ datus à Sponſo. ibid.

*Annunciatio B. Virgin.*

In Annunciatione ſua dum Angelo aſſentiens Chriſtum concepit, plus meruit B. Virgo, quàm omnes vnquam ſiue homines, ſiue Angeli. 374

*Annus,*

Annum Iudæi à *Tiſri*, id eſt, Septembri exordiebantur ante egreſſum ex Ægypto, exinde verò annum à *Niſan*, hoc eſt, à Martio incepêre. 628
Annos vanitati mancipatos quaſi nihilum reputat Deus; Mali verò hos ſolos numerant. 628.629
Annum integrum poliendæ cuti Sponſæ Perſicæ addicebant. 80
Pro Annis malis & ærũnoſis lętãtur in cælo Iuſti. 181
Annos malos, labores, ærũnas pias Hominibus inuiderẽt cœleſtes Angeli, ſi quid poſsẽt inuidere. 182

*Anticipatio.*

Anticipatio temporis præſcripti cauenda. 180.181
Anticipatio modica præſcripti temporis Saülem è Throno Regio deturbat. 181

*Antinous.*

Antinous puer ab Adriano in Deum conſecratus: & quare? 249

*Antiochia.*

Antiochiæ, vbi primùm fideles vocati ſunt Chriſtiani, Sedes Patriarchalis quando inſtituta? 660

*Antiochus.*

Antiochus in Templo Garizitano Iouis Hoſpitalis ſimulacrum ſtatuit. 244

*Antiquitas.*

Antiquitas Eccleſiæ. 321
Antiſtes. Vide *Prælatus. Superior.*

*M. Antonius.*

M. Antonij & Cleopatræ luxus. 209

*Antrum.*

Antrum in vinea Sponſæ. 677
Et in Antra penetrat verna amœnitas. 678

*Aod.*

Aod ambidexter, bonus Saluator, in quo nil læuum nil ſiniſtrum, nil debile. 161
Aod Rigoris typus: Samgar, Manſuetudinis. 184

*Apoſtata.*

Apoſtatæ, velut Prodigus Euangelicus egrediuntur poſt veſtigia gregum, brutis deteriores. 326

*Apoſtoli.*

Cur Apoſtoli in Horto præ triſtitia dormiunt? 54
Apoſtoli quomodo in gratia confirmati ſtante libero arbitrio? 579
Apoſtoli ſunt Eccleſiæ Angeli. 344
Apoſtoli, vtriuſque Fori Interni & Externi Iuriſdictionem à Chriſto accepêre. 443
Ad Apoſtolorũ prædicationẽ quã multi cõuerſi. 637
Apoſtoli, Oculi Eccleſiæ. 303
Apoſtolorum gaudium & robur in Spiritus S. ſuſceptione. 295
Apoſtoli Columbis comparati. 498
Apoſtoli qui & Saluatores, Equis ſignificati. 344
Apoſtolorum eminens præ cæteris ſanctitas. 214
Apoſtolis num prohibuit Chriſtus ne gentibus Euãgelium prædicarent ante Aſcenſionem? 540
Apoſtoli cur tamdiu in Iudæa poſt Chriſti mortem remanſerunt. 541
Apoſtoli quonã anno ad euangelizandũ diſperſi? 541
Apoſtoli quomodo vniuerſum orbem peragrare potuerunt cùm eſſent pauci? 542
Apoſtolis ſingulis quæ contigerunt Prouinciæ? 344
Apoſtoli, Sagittæ, Nubes, Columbæ dicti, ob eorum celerrimos in varias regiones diſcurſus. 543
Apoſtoli in Americam ad prædicandum num peruenêre? 542. An illuc ab Angelis delati ſunt? 543
Apoſtoli ſi in omnes orbis plagas peruenerunt, cur non ſtatim ſubſecuta eſt ſeculi conſummatio? 544
Apoſtoli aut Virgines aut cælibes. 382
Apoſtoli non homines ſed velut Dij exiſtimantur à Chriſto. 274
Apoſtoli, & ex Diſcipulis Chriſti aliqui ſe tribus votis etiam ante Paſſionem obſtrinxerunt. 397
Apoſtoli quamuis ſint Iudices, abſorbentur tamen ſtupore in conſideratione magni Iudicij. 625

*Apparitio.*

Apparitio Angelorum Deiparæ frequens in triduo mortis Chriſti. 43

*Appendices.*

Appendices Dominicæ Reſurrectſonis dicuntur à Tertulliano Patriarchæ & Prophetæ aliqui cum Chriſto reſuſcitati. Quare? 297

*Aprilis.*

Aprilis dicitur quaſi Aperilis, quod Cælum, Tellus, & flores in hoc menſe ſe aperiant. 654

*Aqua.*

Aqua, Ignis, Aër pro Diis habita. 244
Ex Aquis prima viuentia eduxit Deus, in Baptiſmi ſymbolum. 492
Ex Aquis & volucres & Piſces creati ſunt. 223

*Arabia, Arabs.*

Arabia Triplex: Deſerta, Felix, & Petræa. 204
Arabiæ ſterilitas & infelicitas. ibid.
Arabes omnes Paſtores. ibid.
Arabum barbari mores; victus, ingenium. ibid.

*Arbor.*

Arbor ſcientiæ boni & mali, quænam? 475
Arbor vetita in Paradiſo num fuerit Ficus? 475.476
Arbor vetita quæ Adamo in deliciis fuerat, eadem hunc peccatorem Deo ſiſtit. 259
Num Arbores plures eiuſdem ſpeciei cum Arbore vetita? 476
Arbores duæ ſolùm memorantur ex omnibus Paradiſi terreſtris lignis: ſcilicet lignum vitæ, & lignũ ſciẽtię boni & mali ſub mortis pœna prohibitum: vt hinc terrorem, inde fiduciam concipiamus. 457

*Arca Noë.*

Arca Noë cur bitumine intus erat illita? Ratio moralis. 162
Arca intus vt deforis bitumine illita, Eccleſiæ figura. 312

*Arca fœderis.*

Arca fœderis portabat portitores ſuos, vnde occiſus eſt Oza quòd eam tenere voluiſſet. 198
Arca fœderis piis præſidium, impiis excidium; Euchariſtiæ typus. 433
Arca, cùm portaretur, velata fuit. 208
Arca fœderis num velata pellibus? 207
Arcæ Domini Baſilica. ibid.





Arca ſeruabatur in Ieruſalem, Tabernaculum verò in Gabaon. 247

*Architriclinus.*

Architriclinus, quid? eius munus: qualis eſſe debuit? 188
Architriclinus debuit eſſe ſobrius, & de ordine Sacerdotali apud Iudæos. ibid.

*Argonautæ.*

Argonautis apparuit Michael Archangelus. 250
Argonautæ Templum Deiparæ extruxerunt. ibid.

*Arius.*

Arius & cæteri Hæreſiarchæ ſuperbiâ inflati, de Eccleſia detruſi ſunt. 327

*Aroma.*

Aromata in Chriſtianorum Feſtis, & in Sanctorum honorem. 193
Aromata conficere, mulierum eſt. 410
Aromatum vſus apud Iudæos plurimus. 78.79
Aromatum quantus olim abuſus & exceſſus. 76.77
Aromaticum vinũ dãnatis ad mortẽ dabatur olim. 84

*Ars.*

Ars imitatur Naturam, non adæquat. 191
Ars artium, regere hominum mentes. 481

*Aſcenſio Chriſti.*

Aſcenſionis Chriſti Regia Maieſtas, vſque in Beatorum Spirituum ſingularem ſtuporem. 564.565
In Aſcenſione Chriſti duo tãtùm Diſcipulis apparẽt Angeli eleuato Chriſto, quaſi omnes alij ægrè tulerint à tanta cæleſti ſolemnitate abeſſe. 564
Aſcenſionis Chriſti gloriam celebrat Sponſa. 560

*Aſer.*

Aſer præbens delicias Regibus, figura Chriſti in Euchariſtia. 276

*Aſſuerus.*

In Aſſueri Cõuiuio libera cuiq; potatio, & quare? 187

*Aſſumptio B. Virgin.*

Aſſumptio Deiparæ celebratur. 177.178.179

*Aſſyrij.*

Aſſyrij vnguentis plurimis vtebantur. 79
Aſſyrij Solem & Ignem adorabant. 252

*Aſtra.*

Aſtra dicuntur in Scriptura, Militia cæli, quare? 614
Aſtris comparantur Doctores. 488

*Auaritia.*

Auaritia hominum quanta. 523.524.525

*Aues.*

Aues plurimæ in regiones calidas ſub finem Autumni migrant. 655.656
Auium quàm dulces cantus. 678.679
Auium Cantus in vere. 656

*Aurelianus.*

Aurelianus Imperator nec inter bonos, nec inter malos Principes cenſetur, quod ei Clementia Imperatorum dos prima defuerit. 130

*Aurichalcum.*

Aurichalcum in monte Libano reperitur. 393

*Auris.*

Auris Serui, qui liber eſſe nolebat, ſubulâ perforabatur in perpetui notam mancipatus. 136

*Aurum.*

Aurum Æternitatis ſymbolum, quod in tempora fortiſſimum, quod è flammis purius exeat, quod longo attritu parum minuatur, æruginis & rubiginis expers. 167
Auri & Argenti venuſta ſociatio. 389

*Auxilia.*

Auxilia ad ſalutem ſufficientia prouidit Deus, etiam Barbariſſimis Nationibus vel vltra Oceanum procul diſſitis. 639

*Azarias.*

Azarias Pontifex corripiens Oziam Regem, non nominat eum Regem, quaſi regnum per peccatum amiſiſſet ſeruus ipſe factus. 154
Azarias Sacerdos quòd Oziam Regem excelſo conſtantîque animo palàm arguiſſet, cæleſtis & Angelicus celebratur à S. Chryſoſtomo. 363

B.

*Babylon.*

Babylon Meretrix Hæreſis figura, aſſeclis ſuis cicutam in aureo propinat vaſe. 311
Babylonis chariores Amatores, fiunt tandem ſæuiores eius hoſtes, à quibus diſcerpitur. 259
Babylonicæ Turris moles, diſcordiâ diruitur. 263

*Bacchus.*

Bacchus vt vitis ſic Ficus inuentor. 657
Bacchi apud Paganos feſta ad Scenopegiæ Iudaicæ imitationem. 558

*Baculus.*

Baculus ſeueritatis, & correctionis ſymbolum. 298

*Balſamum.*

Balſamum botro ſimile. 470
Balſamum in Engaddi. ibid.
Balſamum Mexicanum. ibid.
Balſami virtutes. ibid.
Balſami odor præſtantiſſimus. ibid.
Balſamum vnde dictum? 471
Balſamum in nuptiali pompa. ibid.
Balſamũ Iudæis nũ prima oſtẽderit Regina Sabę? 471
Balſamum eiuſdem cum vite naturæ, vnde & quotannis putatur ſicut vitis. 654
Balſamum non ſola Iudæa producit, ſed & Ægyptus & Arabia felix. 480
Balſami ſurculus odoratus eſt. 654
Balſami ramis & truncis oleum exprimitur. ibid.
Balſamum bonæ famæ ſymbolum. 486

*Baptiſmus.*

Baptiſmus abſtergit omnes omnium antecedentium peccatorum maculas: & hominem reddit cælo paratiſſimum. 490.491.492
Baptiſmi lauacrum qualẽ Animæ nitorẽ cõciliet. 500
Vter præſtãtior Baptiſmus, fluminis: an sãguinis? 352
In Baptiſmo, qui Chriſtianorum Natiuitas eſt, Candida veſtis. 194
Baptiſmus eluit Iudaicum fœtorem. 500
In Baptiſmo, Vnctio Olei quem in finem? 479
Baptizato Chriſto ſtatim aperti dicuntur cœli ad indicandam Baptiſmi virtutem. 491

*Barba.*

Barba, virorum gloria: vt mulierum, coma. 676

*S. Barbara.*

S. Barbaram, quòd eſſet formoſiſſima, in excelſa Turre à ſe conſtructâ, & domo in ea artificiosè ædificatâ collocauit Pater. 126

*Barbari.*

Barbaris Nationibus auxilia ad ſalutem ſufficientia prouidet Deus. 639.640

*Beatitudo.*

Beatitudinem in terris qui locat, errat. 160

*Bellaria.*

Bellaria, placentæ, Cupediæ in hilaribus & Genialibus feſtis. 578

*Bellarminus.*

Bellarmini Cardinalis Eminentiſſimi Encomia. 661

*Bellua.*

Belluarum inter ſe pugnæ. 614

*Belus.*

Belus idem cum Nembroto. 252
Beli idolum in ſimilitudinem Solis. 253

*Benedictio.*

Benedictio de rore cæli, cætera bona largè impluit. 56

In Benedictione quam Eſau filio ſuo conceſſit Iacob cur non nominetur Deus? 642

*S.Benedictus.*

S.Benedicto iter agenti duo Angeli adſunt in biuiis,qui viam indicent. 543

*Beneficentia.*

Beneficentia Humana Liæ comparatur,de qua dicitur quòd ceſſauit parere:Diuina verò Liberalitas Racheli. 624

Beneficium Dei primum , ſecundi pignus eſſe conſueuit. 622.623.624

*Beniamin.*

Beniamin Lupus rapax,& in thalamo tota die moratus,Prædicatoris Euangelici figura. 622

*Benignitas.*

Benignitas Dei ſumma. 147.148.149

Benignitas Dei tanta eſt in peccatores, vt Adamum poſt peccatū ad familiare colloquiū admiſerit.59

Benignitas nimia nocet & Principi & ſubditis. 190

*Beniuinum.*

Beniuinam ſyluam acceſſu difficilem reddunt Tigres. 439

Beniuinum an Myrrhæ ſpecies? 439

*Bether.*

*Bether*,& *Bethel* an ſit idem? 681

*Bether* ſignificat concauitatem , diuiſionem , ſciſſuram. 681

Montes *Bether* an Libani iuga? ibid.

*Bezoar.*

*Bezoar* Lapis vbi inueniatur? 612

*Bezoar* an dicitur quaſi *Belzaar*,id eſt, Dominus veneni? 612

*Bibere.*

Ad Bibendum Coactionis mos antiquus. 187

Bibendum dum Conuiuij Rex iubebat , aut abeundum. 187

Bibentibus Vigiles adhibiti. ibid.

*Biblia*,Vide *Scriptura Sacra.*

Ex Bibliorum lectione ineffabilis voluptas,& lætitia ingeniis ritè diſpoſitis. 590.591.592

*Bonum.*

Bona temporalia per læuam , æterna verò per dextram intelliguntur. 615

Bona terrena ſi dilexeris,ea te in morte cruciabunt: Si piè neglexeris,multùm proderunt. 260

Bonum & pulcrum Dei nobis in Euchariſtia offertur. 257

Bonorum communicatio Diuinam charitatem arguit : Humanam verò auaritiam nolle aliis prodeſſe. 523.524.525

Bonorum abdicatio Euangelica,vna eſt de veræ Eccleſiæ notis. 615

*Bonus* pro pulchro quandoque ſumitur. 504

Bonis in aliquo Cœtu ſemper malus aliquis admiſcetur. 223.224

*Botrus.*

Botrus ingens Terræ Promiſſionis quem duo viri in vecte ferebant,Euchariſtiæ ſymbolum. 434

Num Botrus Cypri dicatur ſic ex eo quod è Cypro in Palæſtinam delatus ſit? 472

Botrus Cypri cur Sponſus dicatur? 472

Botrus Cypri de Euchariſtia intellectus. 480

*Boues.*

Boues ſub mari æneo laborioſos Rectores ſeu Prælatos indicant. 199

*Breuiarium.*

Breuiarium ſeptem verborum Chriſti in cruce editum. 491

*Byſſus.*

Byſſus quidnam? 535

Byſſus ex Ægypto commendata. 337

C.

*Cadauer.*

Cadauera mortuorum vncta & condîta ad eorum conſeruationem. 520

Cadauera vnguentis delibuta ſæpe cremabātur.ibid.

*Cades.*

In Cades quantum temporis moratus eſt populus Hebræus? 415

*Cadesbarne* quid & vbi? 215

*Cadere.*

Cadere,ſuperbis quomodo vtile? 226

*Cælum.*

Cælum primò creat Deus vt ſolidam rerum omnium baſim & fundamentum. 112

Cælum eſt Maria,imò cælo purior. 51

*Cæremonia.*

Cæremonia Oſculi tabellæ Pacis,vnde?

Cæremoniæ in Chriſtianorū nuptiis obſeruatæ. 22

Cæremoniæ nuptiales apud Ethnicos & Hebræos. ibid.

Cæremoniæ quædam Ethnicorum , apud Hebræos honeſtæ. 607

*Cæſar.*

Cæſar inter Deos relatus. 248

Cæſaris ſidus. ibid.

*Cain.*

Caini Natiuitas Deo verbis expreſſis tribuitur, non item Abelis,quamobrem? 623

Cain impius quamuis primogenitus Abeli Iuſto poſtponitur in Scriptura & coram Deo. 628

Cain tardus ac lentus in ſuo ſacrificio dicitur fideicida. 645

In Caini auaritiam efferam clamant Elementa , qui fratrem impiè trucidauit , ne haberet , quocum terræ angulum vnum diuideret. 524

Cainum impiorum Coryphæū exilio mulctat Deus, quò doceret ſceleſtos à iuſtis ſegregandos. 511

Cain quia fidem ſuam extinxerat impiiſſimus, inde & fratrem interfecit hæretico ſcelere. 310

Cain ſit vagus in terra poſt fratricidium : Et hoc atrox ſui ſceleris ſupplicium eſto. 308

Caini ſupplicium grauius fuit punitione Euæ, quòd hæc ingenuè peccatum ſuum confeſſa fuerit , ille verò Deo etiam mentiri voluerit. 430

*Calculi.*

Calculorum ludicra pugna. 573

*Caligula.*

Caligula,Germanici filius vnde ſic dictus? 123

*Calix.*

Calix Babylonis valdè fragilis , etſi aureus : Chriſti verò, vas ſolidiſſimum,etſi fictile. 304

*Caluinus.*

Caluinus peſſimus interpres Sacram Scripturam ad beneplacitum ſuum torquet. 442

Caluinus temerarius in ſuis erroribus. 177

Caluinus in ſeipſum cæcus inuehitur. 321

Caluinus hæreticè aſſerit nullam adoraſſe creaturam Gentiles ſed ſolum verum Deum in ſtatuis & ſimulacris ſuis. 242

Refutatur hic error ex Scriptura & Patribus. ibid.

Caluinus in Auricularem Confeſſionem vt temerè, ſic impiè debacchatur. 444

Caluiniſtæ, Cainiſtæ. 310

*Cancelli.*

Cancellis Mulierum ædes à virorum habitatione intercludebantur olim. 636

Cancelli olim ob grauitatem appoſiti. ibid.

*Candidus.*

Candidis veſtibus , qui genere illuſtres; nigris verò qui obſcuri,vtebantur. 212


Candida




Candida veſtis nobilitatem à plebe olim diſtinguebat. 534

Candida veſtis in Epiſtola B. Iacobi quid ſignificet? ibid.

*Canis.*

Canes ad cuſtodiendas vineas adhibiti. 232

Canes in vere propter nimium florum halitum, feras non benè odoratu apprehendunt. 653

*Canicula.*

Canicula talorum damnoſior iactus , vt Venus felicior. 187

*Canon.*

Canonis,& aliarum Miſſæ partium quanta vetuſtas aduersùs Kemnitium. 446

Canonici vnde dicti? 616

*Canticum.*

Canticum Canticorum incipit à Morte & Reſurrectione Chriſti. 42

Canticum Canticorum non rigidè Epithalamium, ſed quid mixtum partim ex Epithalamio, partim ex rerum geſtarum narratione. 31.32

In Cantico Canticorum nil non honeſtiſſimum. 32.35

Canticum hoc quando à Salomone ſcriptum? 208

Canticum Agni in Apocalypſi,nuptiale eſt. 30

Canticum dicuntur Prophetarum inuectiuæ:qua de cauſa? 130

*Cantus.*

Cantus vide *Muſica.*

Cantus volucrum quàm dulces. 678.679

Cantus fœminarum in Hebræorum deliciis. 678

In Cantu cæteris olim præibant Optimates. 31

Cantus circularis in Conuiuiis. 30

Cantus Eccleſiaſticus à S.Marco in Eccleſia Alexandrina inſtitutus. 682

Ca ntus alternus. 30

Cantores & Cantatrices in Nuptiis. ibid.

*Caprea.*

Cur per Capreas & Ceruos,& non per mundū muliebrem,&c. adiurantur hîc filiæ Ieruſalem? 610

Capreæ ſeu Dorcades & Ceruæ cicures,Puellis charæ. 612

Capreæ bonis odoribus oblectantur. 635

Caprearum & Ceruorum Venatio muliebris eſt.611. Vrſorum verò,Leonum,&c.generoſa. ibid.

Capreæ velociſſimæ ſunt. 635. Sexagenos pedes vnico ſaltu ſaliunt. ibid.

Capreæ num Ibices? 635

Capreæ & Cerui perſpicaciſſimi viſus,Prophetas ſignant. 620

*Caprifolium.*

Caprifolium an ſit *Lilium inter ſpinas*? 539

*Caput.*

Capite Reipublicæ vel infecto vel ſano , de ſubditis idem iudicari conſueuit. 505.506.507

*Carduus.*

Cardui B.Mariæ Ordo à Ludouico I I. Duce Borbonio inſtitutus. 539

*Carmel.*

De Carmelitani Ordinis origine. 589

*Caro.*

Caro Chriſti, prima caro eſt:quo ſenſu? 115

Carnium eſus cùm ante diluuium fuerit interdictus, ſtatim poſt diluuium conceſſus eſt:& quare? 508

*Carolus.*

Carolus Imperator vnctus in Baſilica D.Petri,à vertice vſque ad pedes à Leone Papa. 78

Caroli Magni pompoſus in Vrbem Romam ingreſſus. 127

Carolus V.Imperator Imperio ſe abdicauit, ac Filio relegauit. 143





*Caſtitas.*

Caſtitate ſtabilitur Eccleſia , vt Hæreſes Impudicitiâ. 582

Caſtitas inter veræ Eccleſiæ notas refertur.582.583

Caſtitas & Paupertas Sociæ. 616

Caſtitatis votum emiſit Chriſtus. 587

Ad Caſtitatem illibatam ſeruandam optimus Cuſtos Humilitas. 547.548.549

Caſti & obſcœni Amoris iidem effectus aliqui. 86

*Cathedra.*

Cathedra Docentium aurea. 222

*Cato.*

Catonis vxor peſſima. 192

*Cauda.*

Cauda,finem & terminum rei ſignificat. 625

*Cedar.*

Cedar vrbem eſſe in Sanir pulcherrimam quidam aſſerunt. 207

Cedar,nigredinem ſignificat. 205

Cedareni,quinam? 204. Horum exercitia. ibid.

Cedareni,nigri. 205

Cedareni an fuerint diuites,& qua ratione. 204

Cedareni in Pharan habitauêre. 215

Per Cedar Eccleſiam intelligunt aliqui. 216

*Cedrus.*

Cedrus num idem quod Citrum? 517

Ex Cedro ſeu Citro Menſæ ex Africa aduectæ pretioſiſſimæ. 517.518

Cedrina , Citrina, ſeu Thyina ligna num ex Ophir Salomoni allata? 518

Cedrus & Cupreſſus cur in ædificiis cōmēdatæ. 517

Cedrus & Cupreſſus incorruptibiles & bene odoræ. ibid.

Cedrus & Cupreſſus in magnificis ſolùm fabricis. 516.517

*Celeritas.*

Celeritas in exequendis diuinis mandatis & inſpirationibus commendatur. 643.644.645

*Celeuma.*

Celeuma quid? 128

*Cella.*

Cella Religioſi,Dominicæ ſepulturæ æmula. 650

Cellas Religioſorum Mors intrat timidè. 654

Cella vinaria.j.Triclinium, ſeu locus Conuiuij. 570

Cellaria Cantici quænam? 188.189. in illis quid aſſeruatum? ibid.

Cellaria Scripturam Sacram innuunt. 192

*Cera,Cereus.*

Ceræ & Olei lumen in templis , quàm gratum ſit Deo,Miracula teſtantur. 419

Cereorum accenſorum in templis vſus. ibid.

Cereorum,Lychnorum,Luminū vſus in Feſtis. 193

*Certamina.*

Certamina Procorum pro Puellis. 572.573

*Ceruus,Cerua.*

Ceruæ Hinnulorum ſuorum quàm ſolicitæ. 635

Ceruæ velociores maſculis. ibid.

Cerui & Capreæ animantia timidiſſima. 611

Cerui inter ſe pugnant,& hi quidem amiſſis cornibus velut inermes ſe abſcondunt. 614

*Chaldæi.*

Chaldæi,Perſæ, Aſſyrij Solem & Ignem Deos ſuos coluêre. 252

*Cham.*

Cham petulans,iunior Noë filius dicitur , cùm eſſet ſecundus natu,& quare? 314

Cham peſſimus ſtatim à diluuio,impollutum hominum cœtum leprâ infecit contagioſâ. 224

*Chananæus.*

Chananæa,Sponſa Cantici. 119

Chananæi à Iudæis deſpecti. 234




Chananææ

Chananææ in Euangelio micas ſolùm petenti, panis abundè & pro libito ſubminiſtratur. 147
Chananæa Euangelica ſolam micam panis à Chriſto poſtulat, Euchariſtiam nempe. 568

*Charitas. Charum.*

Charitas ordinata. 580
Charitas Nardo herbâ calidâ ſignificata. 416.417
Charitatis Habitus diuerſimodè in vnum tamen Deum fertur pro variis eius effectibus. 242
Quæ chara fuerunt nobis in hoc ſeculo, nos in Dei Iudicio hoſtiliter accuſabunt. 258.259.260

*Cherubim.*

Cherubim circa currum Diuini Iudicis adſtantes omnes ſunt oculis pleni, ad diuinæ perſpicaciæ in Iudicio extremo exaggerationem. 265

*Chorea.*

Choreæ in Feſtis. 193

*Chriſtus.*

Chriſtus voto ſe ad redimẽdũ hominẽ ſacrauit. 138
Chriſtus vitã paſſibilẽ quomodo liberè elegerit, ſtãte precepto Patris ei dato de Incarnatione. 134.135
Chriſtus recèns natus ſic occultatur vt opus fuerit Magis ſtellâ ad eum prodendum. 201
Chriſto etiam incarnato liberum fuit mortẽ vel admittere vel reſpuere in aliquo rationis ſigno. 136
Chriſtus ſolus è Creaturis liber, vt cui ſoli Dei nomen conueniat. 119
Chriſtus in omnibus Matrem referebat. 96
Chriſtus Mariam ſpiritaliter genuit, & lactauit ſibi ſimillimam. 98
Chriſtus frater & caro noſtra. 68
Chriſtus per 40. dies ieiunaturus in eremum ſecedit vbi nulla gulæ irritamenta; & dum eſurit, lapides in panẽ conuertere Diabolo ſuadente renuit, vt nos erudiat occaſiones lõgiùs eſſe fugiendas. 509
Chriſtus Regnum temporale ſibi oblatum reſpuit; ſpiritale verò admittit, quod hoc totum in virtutibus ſit. 275
Chriſtus Rex omnium rerum temporalis, Regni vſui, deliciis, opibus renunciauit vt Paſſioni locum daret. 138
Chriſtus quà Homo habuit ius & dominium per ſe & directum in omnes nationes. 139.140
Chriſtus regno irriſorio illuſus. 187
Chriſtus Petrum à Crucis ſupplicio diſſuadentem ſeuerè corripit, qui Iudam dum Paſſionem promouet, amicè compellat. 425
Chriſto dedit Pater optionem carnis aſſumendæ paſſibilis ſiue impaſſibilis, ita tamen vt homines redimendi non forent niſi per Crucem. 134
Chriſtus quos ſui ſanguinis pretio cariſſimè emit, quomodo à Patre ſibi datos dicit? 550
Chriſtus maualt omnes contriſtari Apoſtolos, quàm vnius obſtinatiſſimi Iudæ ſcelus detegere, poſthabito multorum dolore, vnius confuſioni. 270
Chriſtus miram Panis & vini in ſuum corpus & ſanguinem Conuerſionem ſub mortem ſuam reſeruauit, qui à ſimili quaſi Conuerſione miracula ſua inceperat, vt doceret, quantâ perfectione ſpiritalis vitæ initia eminere debeant. 113
Chriſti verba ita efficacia ſunt vt Iudam è cœnaculo euocauerit Dæmon, ne iis emolliretur. 51
Chriſto recedente dormiunt Apoſtolorum tres primi: eo accedente excitantur. 603
Chriſti ſudor ſanguineus in horto fuit naturalis. 88. Vnde? ibid.
Chriſtus abſque ſolatio paſſus, lætitiam ad Martyrum agonas tranſmiſit. 484.485
Chriſtus opprobriis ſaturatus, nos ad plura toleranda durè inſtruit. 66
Chriſtus in Paſſione variè circumducitur vt cadauer, factus obediens vſque ad mortem. 61
Chriſto nihil acrius à Iudæis in cruce falsò obiectum, quàm quòd alios ſaluos feciſſet, ſeipſum ſaluare non poſſet. 151
Chriſti prompta & fortis obedientia. 135
Chriſtus in Cruce non ſolum præceptor, ſed etiam Teſtis, (quem Martyrem Græci dicunt,) doctrinam factis probauit. 401
Chriſtus Sponſus optimus, in Cruce pro ſalute hominum cubat, requieſcit, oblectatur. 551
Chriſti potus triplex in Paſſione. 85
Chriſtus in Cruce non habuit Conſolatorem. 86
Chriſtus cur ad Scribarum ſuaſionem de cruce deſcendere noluit? 161
Chriſtus in Cruce Hominibus deſpectus, Deo clarificatus. 646
Chriſtus ibi dicitur crucifixus, vbi Adamus ſepultus. 368
Chriſtus inter Ioannem & Iudam: in Cruce inter Electum & Reprobum Latronem. 224
Chriſtus prætulit Crucem gloriæ corporis ſui. 136
Chriſti ſãguis clamat efficaciter pro Peccatoribus. 68
Chriſtus in Cruce ideo ſe à Patre derelictum queritur, quòd ſanguinem ſuum obſtinatis non profuturum peccatoribus cerneret: inde tanto cum ardore eorum Conuerſionem efflagitat. 366
Chriſti latus ſponte apertum nos ad cordis ſpontaneam reſerationem inuitat. 62
Chriſtus in Paſſione ſua Oleum effuſum ſeu exinanitum. 133
Chriſtus in morte fuit faſciculus Myrrhæ; in Reſurrectione verò Botrus Cypri. 492
Chriſti corpus in ſepulchro incorruptibile. 519
Chriſti mortuum corpus vnctum eſt, non ad conſeruationem, quippe quod erat incorruptibile, ſed ad honorem. 520. Et ad ſeruandũ patrię morem. ibid.
Chriſto Limbum deſcendenti congratulationes, ob victoriam Crucis. 174
Chriſtus è tumulo tam formoſus reſurgit, vt etſi idem omnino ſit qui prius, hunc tamen iam non noſcat Paulus. 521
Chriſtus, dum reſurgit à mortis Triumphator ſolus nobiliſſimus, ſolus beneficentiſſimus. 296. 297. 298.299
Chriſtum Regem etiam temporalium rerum omnium conſtituit Pater æternus. 138
Chriſtus poteſtatem ſuam temporalem Regiam non exercuit magnas ob cauſas. 139
Chriſtus à Patientia Deus demonſtratur: ab eadem homines velut Dij euadunt. 64
Chriſti caro, prima caro eſt: quo ſenſu? 115
Chriſtus necis ſuæ vltionẽ in eorũ qui crucifixerunt natos, 42. poſt Paſſionem ſuam anno differt, quo nos doceret ex odio nil eſſe perpetrandum. 649
Chriſtus quomodo ad dexteram Patris ſedere dicatur? 561.562
Chriſtus eſt flos campi dum Apoſtolos & Diſcipulos in omnes terrarum plagas fidem prædicaturos mittit. 540
Chriſtus ſua Patri vulnera, Maria ſua Chriſto vbera in peccatorum veniam piè obtendit. 96
Chriſtus tum ſingularis & fidiſſimus auxiliator, cùm maximo in diſcrimine verſantur res mortalium. 568.569
Chriſtus in multis laboribus & arat, & ſeminat, abundantis verò & glorioſæ meſſis honorem Apoſtolis relinquit. 486
Chriſto Doctore, ſtatim perfectus euadit Latro in cruce. 52
Chriſtus articulatè clamat, Prophetis ſubobſcurè muſſitantibus. 52





Chriſtus à Senatu Romano, qui Deos conſecrabat, in Deorum numerum non fuit relatus, & quare? 243
Chriſtus Eccleſiam, vxorem ſuam primariam, nomine ſuo nobilitauit, non autem Synagogam. 119
Chriſtus ſicut ceruus abſorpto ſerpente ſitit. 485
Chriſtus in Hominum venatione deliciatur. 550
Chriſtus cum paupere eſurit, ſitit, peregrinatur, nudus eſt, infirmus, incarceratus, &c. ſic Superior optimus. 70
Chriſti ortus è petra. 50
Chriſtus emiſit votum Caſtitatis. 587
Chriſti in Matrem Amor. 97
Chriſtus bonus Maritus, Eccleſiæ ſuæ gloriam, ſibi Crucem eligit. 198
Chriſtus Paſtor Optimus ſuas oues non fœno vt cæteri Paſtores, ſed liliis, quibus in florum varietate nil ſublimius, paſcit. 698
Chriſti nomen Oleum effuſum literatè. 122
Chriſtus ſiue Vnctus idem ac Rex in Scriptura. ibid.
Chriſtus eſt Imago Dei perfecta: Homo verò non Imago Dei, ſed ad Imaginem Dei dicitur. 166
Chriſtus non inuenitur in plateis. 306

*Chriſtianus.*

Chriſtiani olim dicti *Ieſſæi* à nomine IESV. 142. & etiã *Therapeutæ*, hoc eſt Curatores, ſeu Cultores. ibid.
Chriſtiani Româ diſcedere coacti ſunt ſub Claudio. 688
Chriſtianos, Galilæos vocari edicto ſanxit Iulianus Apoſtata: quare? 488
Chriſtiani olim ad Orientem conuerſi orabant. 685
Chriſtiani olim in Defunctorum corporibus vngendis profuſi. 77.78
Chriſtianus pugnare debet illæſus. 162

*Cibus.*

Cibos quoſdam in lege Moſaica vetuit Deus, vtpote noxios. 148

*Cicatrix.*

Cicatrices vulnerum poſt Reſurrectionem retinet Chriſtus, quò oſtendat ſe per dolores gloriam aſſecutum, & homines ad patiendum animet. 493

*Cingulum.*

Cingulum è nuptialibus ornamentis vnum. 388

*Circus.*

Circẽſes Ludos ab Ægyptiis mutuata eſt Græcia. 334

*Circuitus.*

Circuitus in Hebræorum ſacrificiis. 411
Circuitus Procorum. 412
Circuitus voce Tricliniũ ſignificatũ, quamobrẽ? 411
Circularis Cantus in Conuiuiis. 30
Circulares Compotationes. 411
Circulario in Ethnicorum genialibus ſacrificiis. 412

*Circumciſio.*

Circumciſio ſeruitutis ſtigma. 152. Item non ſolum Serui, ſed & fugitiui, & Latronis Nota. 153
Circumciſio gratiam non cauſabat ex opere operato. 131
Circumciſio gratiæ in ipſamet datæ non erat cauſa, nec moralis quidem, quia non erat Chriſti actio, ſed Synagogæ tantùm: Secus in Eccleſiæ Sacramentis. ibid.
Circumciſio apud Iudæos an poſt Chriſti mortem perſeuerare potuerit? 563

*Citò.*

Citò peragenda velut iam facta reputantur in Scriptura. 213

*Citrum.*

Citrinæ Menſæ quanto in pretio? 517
Citrum an ſit Cedrus in Cantico? 517

*Ciuitas.*

Ciuitatis ſpiritalis fundamẽta primũ & maximè cõmendat Dauid, quia melioris vitæ exordia, faſtigia



potius ædificij quã fundamẽta videri debeant. 112

*Clamor.*

Clamor Sanguinis Chriſti pro peccatoribus, longè diuerſus à clamore Sanguinis Abelis. 68

*Clementia.*

Clementia Regum dos vnica: Principatus Nota. 123
Clementia & Æquitas ſociæ vnanimes. 190
Clementia Oleo ſignificata. 123
Quod Clementia Imperatorum dos prima Aureliano defuerit, is neque inter bonos, neque inter malos Principes numeratur. 130
*Cleomenes* verè Rex propter manſuetudinem, laudatur à Plutarcho. 123
*Cleopatræ* Tabernaculum elegans. 209

*Clericus.*

Clerici Regulares olim quinam? 617
Clericatus Regularis & Monachiſmi differentia. 398
Clerici Regulares in Religioſa Chriſti (dum paſſibilis viuebat) ſchola: non autem Monachi. ibid.
Clericis num ferro vti liceat? 478

*Clima.*

In Climate eodem & nigri & candidi naſcuntur homines. 206

*Coa.*

*Coa* quid in Scriptura? 337. Vbi ſita? 338
*Coa* num idem quod *Goa?* 337
*Coa* num Ægæi maris Inſula? ibid.
Coæ veſtes ſplendidæ. ibid.
*Coa* Tela vel filum. ibid.

*Cœmeterium.*

Cœmeterium, id eſt, Dormitorium. 613

*Cœna.*

In Cœna duplex olim Lotio. 281

*Cœnobiticus.*

Cœnobitica Diſciplina ab Apoſtolorum Prædicatione. 617
E Cœnobitico Paradiſo qui vel fugiunt, vel exulant, ipſi fures ſunt & latrones. 326

*Cognatio.*

Cognati omnes, Fratres dicti apud Palæſtinos. 440
Cognationis carnis, quàm potens vinculum! 68.69
Cognatum per Carnis aſſumptionem verbum habere optat Sponſa, in quo & Aduocatum & Defenſorem certum habeat. 68

*Cognitio.*

Cognitio de Diuinitate quam huius vitæ ſubminiſtrat lumen, anguſta eſt, ſpeciatim de myſterio Trinitatis. 406.407.408

*Columba, Columna.*

Columba volucrum fœcundiſſima. 502
Columba gloriæ cupida. 496
Columbæ ſimplicitas. 497
Columbarum in Coniugio intemerata fides. 498
Columbarum Tripolitanarũ ſplendentes oculi. 496
Columbæ Syriæ pulcherrimæ. 497
Columbæ ſacræ Veneri, quas ideo in Cypro & Syria attingere nefas. 496
Columbas per odores ſuaues capiunt Aucupes, & quo pacto? 184
Columbæ quædam Epiſtolas detulerunt, nuntiorum fungentes munere. 498
Columba, Amicitiæ ſymbolum. 509
Columba nigra, viduæ Emblema. 509
Columba Babyloniorum militare vexillum. 389
Columbæ ſimplicitas, ſerpentis aſtutiæ opponitur. 500.501
Columba ſimplex & lucis amans, (quæ animas ſimplices & candidas indicat,) facilè educitur è ſua cauerna: Serpens verò lucifuga niſi vi & eruptione ex antro ſuo non extrahitur. 63
Columbæ Apoſtolos figurant. 498

Colũba Socia etiã in rebus aduerſis fideliſſima. 277
Columbaria aptiora in villis & in ſolitudine quàm in vrbibus. 677
Columna nubis per diem Hebręos ductabat, Colũna verò Ignis per noctem: quid hoc portendit? 624

*Coma.*

Coma abſciſſa fluminibus ab Ethnicis dicata. 608

*Communicatio.*

Communicatio bonorum diuinam charitatem arguit humanam verò auaritiam nolle aliis prodeſſe. 523.524.525

*Comnenus.*

Comneni Imperatoris in B. Virginem Pietas. 171

*Comparatiuus.*

Comparatiuo & ſuperlatiuo carent Hebræi. 83

*Compaſſio.*

Compaſſio Sanctorum ea eſt, vt vel ipſis damnatis lacrymas non negent. 268

*Conceptio B. Virg.*

Conceptio Immaculata Deiparæ aſſeritur. 211.345.346.347.348.&c. Et à culpæ debito proximo vindicatur. ibid.

*Concha.*

Concha, nõ Canalis eſſe debet, qui alios inſtruit. 150

*Concilium.*

Concilium Ieroſolymitanum legitimorum omnium Conciliorum exemplar. 688
Conciliorum Auctoritas. 321
Concilia quatuor OEcumenica celeberrima: nempe Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe. 322

*Concionator.*

Concionator varias formas induat pro auditorũ captu, quibus ſe accõmodet neceſſe eſt. 488.489.490
In Concionatore Euangelico quid requiratur? 394
Concionator prudens cum Tauris altilia quoque paret, id eſt, ſublimia & plebeia ſimul doctis & ignaris proferat. 490
Concionatoris gemitu & mortificatione magis quàm dictionis eloquentiâ rebelles animæ conuertuntur. 670.671.672
Concionatoris veri Typus Ioannes Baptiſta. 361.362
Cõcionatoris optimi Exemplar D. Paulus Nutrici ſe comparat, quæ inter cætera pro Puſione ſuo à ſomno, cibo, voluptatibus, &c. abſtinet. 672
Cõcionator Euãgelicus nõ de peccatorũ ſugat moribus, ſed illos ſuâ imbuat probitate. 423.424.425
Concionator non ſit vt Aqua, quæ quas eluit ſordes contrahit, ſed vt Solis radius qui fœtores abſumit ſemper purus, ſemper lucidus. 151
Concionatorẽ Euangelicum Dei totum eſſe præſtat, nihilque humani ambire emolumẽti. 361.362.363
Cõcionator aquã vino miſcere quãdo nõ debeat. 364
Concionator in reprehendendis Potentum vitiis, conſtans & imperterritus ſit. 364.365.366
Concionatores Principes ſint, qui ſolum Deum extimeſcant. 366
Concionatores Sagittarij ſunt, colliment autem in Optimates maximè, quos ſi ſanctè feriant & à vitiis reuocent, eorum exemplo cæteris multum proderunt. 365
Concionatores ſunt Cuſtodes ſuper muros Ieruſalem conſtituti, qui nec die. j. ante conſpectum potentum: nec nocte. j. coram obſcura plebe tacere debent. ibid.
Concionatores ſiue Doctores Chriſtiani ſimiles ſint Electro. 394
Concionatores Sagittæ dicuntur in Scriptura. 184
Concionator vna manu teneat gladium Mortificationis, alterâ gladium Verbi Dei, eos qui Templũ Salomonicum reædificabant æmulatus. 671
Concionatores *filij excuſſorum*, ſiue Excuſſores, quo ſenſu? 365
Concionatores Equitatu Pharaonis expreſſi: & quare? 361

*Concio.*

Concionibus Paganorum ſiue Hæreticorum intereſſe num licitum? 240

*Concordia.*

Concordia in diuerſitate pulcra. 395
Concordia & vnio, Chriſtianæ Pietatis validiſſimum teſtimonium. 458.459.460
Concordia quàm neceſſaria iis qui pro Eccleſiæ bono laborant. 592.593.594
Concordiæ & vnitati maximè ſtuduit primitiua Eccleſia, quod repudiatam à Chriſto cerneret Synagogam rixoſam & proteruam. 429

*Concubina.*

Concubinæ vocabulum olim honeſtum. 341

*Condignum.*

De Condigno meruit Deipara Incarnationis accelerationem. 45

*Congregatio.*

Nulla eſt Congregatio adeò ſancta, in qua nullus ſit næuus. 663
Nulla Congregatio tam ſancta, in qua non aliquis malus bonis permixtus ſit. 223.224

*Confeſſio.*

Confeſſio Sacramentalis quàm laudabilis atque vtilis. 454.455.456
Confeſſionis Sacramentalis laudes, & ad eam hortamenta ex Patribus. 444.445
Confeſſio Auricularis amara quidem, ſed nobiliſſima & vtiliſſima. 444
Confeſſionis ſigillum prorſus inuiolabile. 446

*Confirmatio.*

Confirmationis Sacramentũ quãdo inſtitutum? 489
Confirmationis Sacramenti Materia, Oleum & Balſamum. ibid.

*Confœderatio.*

Confœderationes particulares in Conuentu pernicioſæ. 511

*Confuſio.*

Confuſione ſolâ linguarum diſſipati ſunt eorum conatus qui turri Babelica iter in cælum moliebantur: Sic ſtudia ſpiritalium Præceptorum diſſenſione fiunt irrita. 594.595

*Coniux. Coniugium.*

Coniuges æquales ſint. 22
Coniugum idem ſit velle, idem nolle. 428.429.330
Coniugia Patriarcharum prope puteos incepta. 590

*Connubium.*

Connubiales ritus apud Ethnicos & Hebræos. 22
Connubiale fœdus in vtramque fortunam. 571

*Conſcientia.*

Conſcientiæ examen felicitatis & coronæ Beatorum velut quoddam pignus. 565.566
Conſcientiæ latebras candidè manifeſtare ſubditus debet quoties eius ratio à Prælato exigitur. 62

*Conſilium.*

Conſiliis alienis vti etiam Sapientiſſimo prudentia eſt. 299.300

*Conſolatio.*

Conſolatio maxima è S. Scripturæ lectione percipitur. 195.196

*Conſtantinus.*

Conſtantini Imperatoris in ſacris ædificiis conſtruendis & ornandis munificentia. 420
Conſtantini Magni pia in ſummos Pontifices liberalitas. 478
Conſtantinus Imperator in Regali ſuo ſolio collocat S. Silueſtrum Pontificem. 448



*Index Rerum & Verborum.*

*Contemplatio.*

Ex Contẽplatione & Actione ſeu Prædicatione vita mixta, perfectior eſt ſolâ Contemplatiuâ. 618.619
Contemplatiuæ Animæ prius ariditate & deſolationibus Sponſo ſe ab eis occultante, tentantur. 620.621.622

*Contemptibile.*

A Contẽptibilibus rebus, etiã ſalus proficiſcitur. 270

*Conuerſio.*

Conuerſioni Animarum vacare quàm ſublime miniſterium! 272.273.274
De Conuerſione Adoleſcentularum, id eſt, Nationum Sponſo gratulatur Eccleſia, non de multa ipſius gloria, quippe quod Chriſto hac Conuerſione nihil erat antiquius. 133
In Conuerſione grandiũ Peccatorum Diuinæ Omnipotentiæ virtus maximè clareſcit. 366.367.368

*Conuiua, Conuiuium.*

Conuiuarum numerus apud veteres. 203
Conuiuæ ſeptem externi accumbebant vt plurimùm cum Hoſpite. 203
Conuiuis coronæ à Sympoſiarcha datæ. 412
Conuiuia in Amicorum reditu. ibid.
Conuiuium nuptiale vt plurimùm in ædibus Sponſæ. 285
Conuiuium nuptiale Cantici celebratum eſt in patria Sponſæ. ibid.
Conuiuium Amoris ſchema. 288
In Conuiuiis olim veſtes candidæ. 534
In Conuiuiis crebræ olim lotiones apud Iudæos. 281
In Conuiuiis olim vnguenta effundebãt Puellæ. 172

*Cooperatio.*

Cooperationem Hominis exigit Deus; neque expectandum homini eſt, vt Deus totum agat eo feriante. 426.427

*Copher.*

*Copher* Hebræum quid? 468
*Copher* num Dactylus palmarum? an Camphora? 468

*Cor.*

Cor Hominis Tabernaculum refert. 305
Cor excæcare ſeu indurare quomodo Deus dicatur? 255
Cordis formam circumferebant olim Romanorum Pueri: & quare? 372

*Corinthij.*

Corinthij Dominicam non manducare cœnam cur dicuntur ab Apoſtolo? 66
Corinthij Diuites cur arguuntur à S. Paulo, tanquam diuinam cœnam non manducantes? 257

*Cornelius.*

Cornelius Centurio iuſtus, etſi gentilis. 217
Per Cornelium Centurionem, oſtium Gentibus ad fidem patefactum. 41

*Cornua.*

Cornua Lunæ ſub pedibus Deiparæ, deorſum verſùs debent pingi. 99
Cornua Moyſem honorant, quæ Chriſtum cruciant & infamant. 485

*Corona.*

Coronæ triumphales ex Olea, apud Græcos & Romanos. 127
In Corona Spõſi Oleagina nomẽ ipſius expreſſũ. 129
In Coronis olim triumphalibus præclara cuiuſque depicta facinora. 129
Corona duodecim Stellarum in capite Mariæ, quænam? 98
Coronæ à Sympoſiarcha Conuiuis dabantur. 412

*Corpus. Corrigere.*

Corporis & Animæ magna ſynergia. 87
Corpus Chriſti in ſepulchro incorruptibile. 519
Qui Corrigit aliorum mores, expedit ipſum ab omni culpa liberum eſſe. 227.228.229

*Coruus.*

Coruus ſodalis infidus, præſentiæ & beneficiorum cultor in Arcam non eſt reuerſus. Secus verò fidelis Columba. 510
Coruus Peccatoris ſymbolum. 355
Coruo credit Deus carnes in Eliæ cibum paratas, quaſi non recordaretur hunc carnium auidum in Arcam ad Noë non rediiſſe. 355
Coruus quod Noëmum ingratus fefelliſſet, iubetur carnes Eliæ ſubminiſtrare in ſceleris antiqui vindictam. 431
Coruorum pullos à parentibus neglectos quàm prouidè paſcat Deus. 147.148

*Coturnices.*

Coturnices & ad ſatietatem, & trans mare aduectas populo Iſraëlitico in cibum prouidet benigniſſimus Deus. 148

*Crater.*

Crater Philoteſius qualis? 571

*Creatura.*

Creatura omnis B. Virgini quantùm debeat? 48
Creaturæ omnes ingemiſcunt, quod Hominis qui per peccatum Mancipium ignobile factus ſit, ſeruæ ſint. 153

*Credulus.*

Creduli nimium Amantes aliquando, aliquando nimis increduli. 634.635

*Crines.*

Crines detonſi, Diiſque ſacri. 608

*Crux.*

In Cruce Chriſtus pro ſalute hominum cubat, requieſcit, oblectatur. 551
Crucis in die Paraſceues Adorationis vſus antiquiſſimus. 450
Ad Crucis ſignum muta Idola. 248
In Cruce Chriſtus edidit ſeptem verborum Breuiarium. 401
Crux ſub Scalæ figura laſſato Iacob & vndequaque afflicto ſolatium eſt & robur. 452
Crucis baculo innixus Dauid, nec in medio vmbræ mortis timet. 453
Crucem prætulit Chriſtus gloriæ corporis ſui. 136

*Culpa.*

Culpâ vacet, qui alios corrigit. 227.228.229

*Cultor.*

Cultores veri Dei inter Ethnicos. 40.41

*Cupreſſus.*

Cupreſſina ligna quænam? 518
Cupreſſus incorruptibilis & odorata. 517
Vide *Cedrus.*

*Cura, Curioſus.*

Cura de ſepultura apud Hebræos vt & apud Gentes. 607
Curas & ægritudines ſopit vinum. 84
Curioſos de futuris Diſcipulos Chriſtus reprimit, ac nubis oppoſitu ad Patrem ipſe aſcendens ſuauitér caſtigat. 62

*Currus.*

Currus Pharaonis in Cantico, quinam? 332.333
Curruũ duodecim millia habuit Salomõ: ad quid? 335

*Curſus.*

Curſus quadrigarum in ludis, ſpectaculis, nuptiis, ad quem omnes confluebant. 334
Curules Ludi in honorem Solis. 334

*Cydonia Mala.*

Cydonia Mala olim Coniugibus data, & quare? 558.571.

*Cyprus.*

Cyprus, virgultum eſt aromaticum, cuius fructus Botro ſimilis. 469
Cyprus idem quod Liguſtum. 469

Cyprus,id eſt flos. 469
Cyprus Inſula fertiliſſima. 472

D.

*Dactylus.*

DActylus,num ſit Botrus Cypri,& quare ſic dictus? 468.469

*Dæmon.*

Dæmon aſtutus fatuitatis pœnâ in ſerpente punitur, quòd Euæ falsò ſuaſiſſet Sapientiam eſu pomi ſine labore comparandam. 221
Dæmon malè Chriſto improperat, quòd ante tempus veniſſet,ideò duriùs increpatur. 180
Dæmones aliqui latebant olim ſub Paganorum ſtatuis,& in eorum ritibus. 248

*Damnati.*

Damnatis ad mortem vinũ condĩtũ olim dabatur.84

*Daniel.*

Daniel reſpuit oblata ſibi à Baltaſſare pro ſomnij interpretatione munera,cui ipſa veritatis indagatio præmium erat. 182

*Dauid.*

Dauid mauult ſe Deo quam hominibus puniendum committere, quippe cui ſumma Dei nota erat & tolerantia,& lenitas. 147
Dauid transfiguratur in Ionatham,indutus eius veſtimentis. 74
Dauid Humilis contra Goliathum carneam molem in certamen deſcendit. 549
Dauidis Pulcritudo. 233
Dauid dum Saülis perſecutionem fortiter tolerat, Sacerdotalem & munditiem & perfectionem aſſequitur. 403
Dauid dum Sauli parcit cùm eum potuiſſet occidere,Sacerdos ac Dei Vicegerens habetur. 65
Dauid cùm eſſet ſapientiſſimus, tamen in Cathedra Iudiciaria ſedebat inter tres, hoc eſt, inter viros conſultiſſimos : & cùm fortiſſimus eſſet, ſe præ humilitate vermiculum cenſebat. 300
Dauid ex adulterio ita fit cautus,vt vel frigidæ aquæ delicias in ſiti reſpuat. 225.226
Dauid compunctus ex percuſſione Ozæ fit cautior. 690
Dauid poſt peccatum ſuum quàm cautus, quàm abſtinens! 691
Dauid ſecurus eſt ſe de perfidi Abſalonis copiis victoriam reportaturum, quod illæ dolo & fraudibus fulcirentur. 431
Dauid de ſalute Abſalonis hoſtis infenſiſſimi ſolicitus,vetat ne occidatur,vtpote filius. 69
Dauid Abſalonem filium impium & reprobum luget mortuũ,mœrore inconſolabili,qui tamen pro alterius ſui Infantuli morte non eſt triſtatus. 268
Dauid eligit peſtem in peccati ſui vltionem potiùs quàm aut famem,aut bellum:quare? 598
Dauid dum glorioſa ſua facinora retroſpicit, fit Adulter & Homicida : dum verò in Chriſtum venturum Propheticæ mentis aciem intendit,etiam ab aqua frigida in areſcente ſiti abſtinet. 111
Dauidem quaſi faſciculum conſtrictum; eius verò hoſtes ſicut lapides è funda rotatos ominatur Abigail : quo ſenſu? 307
Dauid Dominum dum ſuas exaudit preces vocat Deum Iuſtitiæ non verò Deum Miſericordiæ: quare? 531
Dauid ſua præclara facinora celebrat, ne quis in diuinam Prouidentiam obmurmuret,quod in thronum regium euectus fuerit immeritus. ibid.
Dauid gloriatur de iis quæ in iuuenili ætatis flore bene geſſerat. 314
Dauid à Dei ſocietate ſtat immobilis. 304
Dauid cur dicit *Tibi ſoli peccaui* : cùm & in Vriam & in alios peccaſſet. 227.228
Dauid morti proximus Ioabum interfici mandat: quare? 219

*Debbora.*

Debbora Legionum Ductrix in Scriptura. 611

*Decimus.*

Decimâ drachmâ inuenta, lætitia eſt & gaudium: quare? 675

*Decretum.*

Decretorum diuinorum circa Incarnationem Chriſti Ordo. 47.48
Decretorum diuinorum Ordo circa Incarnationem Chriſti liberam & præceptam. 134.135
Decretorum diuinorum Ordo circa Incarnationem, & Deiparæ à peccato Originali præſeruationem. 346.347

*Deficere.*

Deficiens in vno,fit omnium reus. 403.404.405

*Deipara.*

Deiparæ Templum ab Argonautis extructum. 250

*Delectatio.*

Delectatio ex honeſto oſculo licita. 35

*Deliquium.*

Deliquium animi quid?& vnde? 574.575.576
Deliquium Animi,à mœrore,à voluptate,ab Amore ſiue puro,ſiue obſcœno. 87
Deliquio Remedia. 86

*Denarius.*

Denarius numerus perfectus eſt, Decalogúmque implet. 675
Denarius cur datur iis qui circa horam vndecimam ad vineæ culturam venerant,priùs cæteris,qui ante eos venerant? 569

*Dentes.*

Dentes hominum arma & ſagittæ. 668

*Derelinquere.*

Derelinquere Hominem duobus modis dicitur Deus. 688

*Deſertum.*

Deſertum de ſe incultum,aſperum,horridum Moyſe Duce,quàm ſe præbuit mite. 382

*Deſolatio.*

Deſolationibus & ariditate tentantur Animæ Contemplatiuæ. 620.621.622

*Deus.*

Deus,nomen eſt Prouidentiæ. 57
*Deus* nomen eſt terroris, *Dominus* nomen Amoris. 458
Deus Adamum puniturus deambulabat lento ſcilicet gradu : Sponſæ verò benefacturus ſalit in montibus,tranſilit colles velociſſimus. 647
Deus ſummè clemens ſuos manſuetudinem docet. 124
Deus à quocunque,quauis horaadiri poteſt contra ſecularium Principum morem. 58.59.60
Deus verus ſub variis & formis & nominibus à Paganis adoratus eſt. 442
Deus quo ſenſu phyſica peccati cauſa à quibuſdam dicatur? 255
Deus dolore cordis tangi dicitur,cùm punit. 267
Deus olim terribilis,de Mariæ lacte mitis redditus. 95
Deus cum reuerentia homines etiam reos excipit.59
Deus excellens Paterfamilias,non contentus dediſſe neceſſaria,etiam vſque ad voluptatem,& delicias ſubminiſtrat. 147.148.149
Deus parcus in Synagogam,munificus in Eccleſiam. 43
Dei Magiſterium quàm efficax! 51







Deum Præceptorem habentes, in momento inſtruimur. 51
Deus venatori comparatur. 184
Dei, Mundique contrariæ opiniones: contrarij & diſpares vſus. 645.646
Deo Soli cur ſe peccaſſe Dauid dicit, cùm & in Vriam & alios peccaſſet? 227.228
A Deo recedentem Ionam triſtitia comitatur. 54
Deorum tres claſſes apud Platonem. 250
Deos creabant Imperatores Romani. 243
Deos trecentos ſexaginta colebat Orpheus. 244
Inter Deos relati Homines etiam nequiſſimi, & abiectiſſimæ Creaturæ. 245

*Dextra.*

Dextræ an Siniſtræ honoratior locus? 608.609
Dextera, ſiue dexter locus, vel æqualibus, vel minoribus conceditur à ciuiliſſimis,amicitiæ,& honoris causâ. 561
Dextera,bona temporalia, Læua verò æterna ſignificat. 381.615
Dextera, Regnum cæleſte: Siniſtra pœnas æternas denotat. 624
Dextra omnia ſunt Iuſto, nil læuum. 225
Dextrum latus Chriſti in cruce foditur, quòd ſuis dextera .j. bona ſpiritualia abundè in laborum remunerationem ſubminiſtret. 698

*Diabolus.*

Diabolus à Chriſto increpatur quod Angelos Chriſtum portaturos dixiſſet. 198
Diabolus eſt Luna. 99

*Dies.*

Dies naturalis, id eſt,ab ortu in occaſum in 12. horas diſtinctus apud Iudæos. 287
Diei Iuſtorum etiam veſpertinæ deſeruiunt vmbræ. 225.
Dies Malorum à manè inceptus in noctem præcipitatur:Contrà, Iuſtorum dies à veſpera ducitur in clarum manè. ibid.
Dies ſeptimus veſpere & manè non habet. 627
Dies ſine nocte eſt Maria. 50

*Dignitas.*

Dignitas Sacerdotalis quàm fulgida,quàm ſublimis! 527.528.529
In Dignitatem euectus vir timeat ne ſiue diſciplinæ negligentiâ, ſiue prioris obſeruantiæ contemptu cadat infelix. 67

*Dilectio.*

Dilectio Dei ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine,quomodo mœrorem exulis Animæ temperet? 604

*Diluuium.*

Qui in Diluuio perierunt adulti omnes, peccatores erant. 224

*Dimidium.*

Dimidiatæ virtuti tripudium & laudes ſubtrahit Deus. 674.675.676
Dimidiam virtutem quàm nullam ferè mauult Dæmon. 676
Dimidiâ barbâ raſos .j. dimidiatam virtutem aſpicere non vult Dauid. ibid.

*Diſcipuli.*

Diſcipulorum infirmitates quandoque Præceptoribus tribuit Scriptura. 216
Diſcipulorum ſuorum famam in Phariſæos tutatur acriter Chriſtus. 220
Diſcipulos in Paſſione ſua vel infidos vel ignauos non aſpernatur poſt Reſurrectionem Saluator, ſed eos per Angelum ſolatur, Petrum maximè, qui cæteris atrociùs deliquerat. 266
Diſcipulorum Chriſti fides in Triduo mortis Chriſti qualis? 43

*Diſcordia.*

Diſcordia Reipublicæ, aut Congregationi quàm pernicioſa. 261.262
Diſcordia Babylonicæ turris ædificium diſiicit. 263
Diſcordes in porta Ciuitatis iudicabat Iobus, ne ſi vrbem ingreſſi fuiſſent, oppidanos turbaſſent: Sic in ipſo oſtio Animi paſſiones ſedandæ. 694

*Diſcretio.*

Diſcretio in vita ſpiritali, ad moderandos feruores indiſcretos quàm neceſſaria. 580
Diſcretio ſpirituum Prælato neceſſaria. 481

*Diſſenſio.*

Diſſenſio ſpiritalium Præceptorum eorum ſtudia reddit irrita. 593.594.595

*Diues.*

Diues auarus in Euangelio ſibi ſoli congregat omnia. 524
Diues Epulo Abrahamum Patrem appellat ab Inferis, velut naturæ vinculo ſibi coniunctum, vt ſic facilius eum quaſi cognatum exoraret. 68
Diues Epulo in lingua maximè cruciatur, quæ præcipuum voluptatum fuerat inſtrumentum. 259
Diues Epulo in inferis de linguæ tormento potiſſimum queritur, & quare? 107

*Diuinitas.*

De Diuinitate quàm pauca cognoſcimus in hac vita 406.407.408

*Docens.*

Docens alios ita ſit Oleum effuſum, vt prius oleo diuinæ gratiæ & virtutum ſit perfuſus. 149
Docentium aurea Cathedra. 222

*Doctor.*

Doctor Eccleſiaſticus Animarum ſaluti inuigilans varias induat formas pro auditorum captu : quibus ſe accommodare debet. 488.489.490
Doctor qui alios erudit generet ſobolem eruditam more Patris ęterni,qui Verbum ſuum lumen producit abſque vlla ſplẽdoris ſui diminutione. 150
Doctores ſancti de honoratiſſimis & pulcherrimis Eccleſiæ ſunt membris. 384.385
Doctores ſunt Eccleſiæ collum monilibus ornatum. 384
Doctores Aſtris comparati. 488

*Doctrina.*

Doctrina Eccleſiæ ſublimis, laborioſa, auſtera, cruenta : Sinagogæ verò mollis, voluptuoſa, infirma, 221
Doctrina Ioannis Euangeliſtæ Humanam & Angelicam tranſcendit. 99.100

*Dod.*

*Dod* apud Hebræos quid? 440

*Dolor.*

Dolor præcipuus hominis Chriſtiani eſſe debet ob Animæ Sponſum amiſſum per mortale peccatum. 380.381

*Domeſticus.*

Domeſticus hoſtis quantùm noceat? 261
Domeſtica Pax Reipublicæ & Congregationi quàm neceſſaria. 261.262.263

*Dominicus.*

Dominicus Dies in honorem Reſurrectionis Chriſti inſtitutus ab Apoſtolis. 194

*Dominus.*

Domini Seruis miniſtrabant in Saturnalibus & Mercurialibus feſtis. 39

*Domus.*

*Domus Animæ* quid apud Hebræos? 191
Domus Virginum in Templo. 125
Domus bipartitæ apud Palæſtinos & Orientales, vt ſua eſſet vna fœminis, puerîſque teneris manſio, ſua viris altera. 125

Domus Iſraël dura & contumax. 175
Domus ſaltus Libani cur ſic dicta? 515
Domorum ſummitates in Palæſtina quales? ibid.
Domo Dei expelli, Superbiæ grandis eſt pœna. 327. 328

*Donatiſtæ.*

Donatiſtarum de Meridie Cantici lepida Expoſitio. 295. 296

*Donatiua.*

Donatiua in nuptiis. 116

*Donec.*

Particula *Donec* quomodo ſumatur in Sriptura? 680

*Donum.*

Dona antenuptialia quæ? 116. Sponſis quàm frequentia? ibid.
Dona Amantis manu elaborata, maiori habentur in pretio. 389
Dona dabantur olim à Sponſo cognatis & affinibus Sponſæ. 116
Dona olim populo in theatris ſpargebantur, miſſilia dicta. 137

*Dormire.*

Dormitio Apoſtolorum Petri, Iacobi, & Ioannis in Horto Oliueti qualis? 54
Dormiunt Apoſtoli in horto, vbi pericula nõ præuiderur, non item in atrio Principis Sacerdotũ. 625

*Draco.*

Draconum effigies in monilibus. 388

*Duo.*

Duæ Verbi diuini vxores. 41

*Durities.*

Durities Iudæorum quanta? 132

E.

*Eccleſia.*

Eccleſia ſemper fuit vna, quamuis diuerſa pro diuerſis Sacramentis & ritibus. 41
Eccleſia nigram ſe fuiſſe antequam è gentilitate conuerſa eſſet, fatetur. 216
Eccleſiæ duæ ante Meſſiæ aduentum: vna in populo Hebræo: altera in medio nationum. 40
Eccleſiæ triplex Diſtinctio: ſcilicet ſub Naturæ decretis, ſub Lege ſcripta, & ſub Gratia. 40
Eccleſia fidelis inter Gentes ante Euangelium. 216
Eccleſia per Iudæos fundata, quare dicatur vocata ex Gentibus? 41
Eccleſia Gentium ante Conuerſionem, & Synagoga, Meretrices. 294
Eccleſia primitiua fuit *Mulier amicta Sole*, hoc eſt, Chriſto, in eúmque tranſmutata per frequentem Euchariſtiæ ſumptionem. 74
Eccleſia Chriſtiana Domina; Synagoga verò Ancilla. 43
Eccleſia vberibus, Synagoga Vino repræſentatur. 193
Eccleſia quantùm Synagogam antecellat Virginitatis gloriâ? 583
Eccleſia primaria Chriſti vxor, Sponſi ſui nomine honoratur; non item Synagoga. 119
Eccleſia Pulcherrima dicitur inter mulieres, hoc eſt, pulchrior Synagogâ & Lege Naturæ. 319
Eccleſia in odorem vnguentorum Chriſti velox currit, lenti verò ſegnéſque ſemper Synagogæ greſſus. 175
Eccleſiæ ſubiectio ſpontanea eſt, libera, & ingenua: Synagogæ verò coacta & violenta. 184
Eccleſiæ fides in triduo mortis Chriſti. 43
Eccleſia à Sancto ſpiritu in die Pentecoſtes obumbratur. 562
Eccleſia vt pulcra, ſic fœcunda ſicut Columba. 502
Eccleſia longè fertilior & numeroſior Synagogâ, & quauis Hæreſi. 502
Eccleſia è ſuis vulneribus fœcundior reddita. 502
Eccleſia ſtabilis & conſtans durat, dum Hæreſes identidem marceſcunt. 94
Eccleſiæ quanta firmitas. 94
Eccleſia ſtat inconcuſſa. 687
Eccleſiæ ſtabilitas, & in aduerſis ſumma Conſtantia. 521
Eccleſia Lectulo & domibus cedrinis ſignificatur. ibid.
Eccleſiæ magnum & auguſtum Imperium. 92
Eccleſiæ Catholicæ fundamenta ex Iudæa. 320
Eccleſiæ Natiuitas celebratur in Paſchatis feſto. 194
Eccleſiæ & Chriſti Coniugium indiſſolubile. 687
Eccleſiæ ſublimis Doctrina, laborioſa, auſtera, cruẽta: Synagogę verò mollis, voluptuoſa, infirma. 221
Eccleſiæ ſupra Synagogam exultatio. 215
In Eccleſiam munificus Sponſus; in Synagogam parcus. 43
De Eccleſiæ notis vna, Stabilitas. 522
Eccleſiæ vniuerſalis propagatio, vna eſt de Orthodoxæ notis. 94
Eccleſiæ Sacra Antiquitas. 321
Eccleſiæ Mater Synagoga. 41
Eccleſiæ Nuptialis apparatus. 562
Eccleſiæ oculi, Apoſtoli. 503
Eccleſiaſticis reditibus fruentes Pauperibus ſubuenire tenentur. 201. 202. 203
Eccleſiaſtici ſuperflua pauperibus erogare tenentur. 202
Eccleſiaſtici Caupones aquã vino malè miſcent. 202

*Ecſtaſis.*

Ecſtaſis, ſenſuum abalienatio, languor, ægritudo, conſumptio ab Amore ſupernaturali. 89
Ecſtaſis ſopori cur comparetur? 574. 575
Ecſtaſis ab Amore Diuino. 37. 574. 575. 576
Ecſtaſis quibuſnam concedatur? 575
Ecſtaſeos duæ cauſæ; nimirum Intellectus, & Voluntas. 90
Ecſtaſes aliquæ & naturales & dæmoniacæ. 89

*Effundere.*

Effundere quid propriè ſignificet? 132
Effunde in alios virtutẽ, ſed de pleno, inſtar Fõtis. 150

*Engaddi.*

Engaddi num idem cũ valle Achor feraciſſima? 473
Engaddi prope Pentapolim. 470
In Engaddi naſcitur Balſamum. ibid.
Engaddi explicatur Oculus tentationis. 481
Engaddi, id eſt fons hœdi, Baptiſmũ figurat. 479. 480

*Elcana.*

Elcana. j. poſſeſſio Dei, cur dicitur vir vnus? 626

*Electrum.*

Electrum quid ſit, & ex quo? 391
Electri tres ſpecies. 392
Electrum, metallum ex auri & argenti coalitione. 391. 392
Electrum facilè concipit ignem. 392
Electrum & Aurichalcum idem metallum, vel multùm cognata. ibid.
Electri vſus in ſacris. ibid.
Electri ſummum pretium. 392
De Electro nummi. 393
Electrum contra venena proficuum. ibid.
Electro Chriſti Incarnatio pulchè figurata. ibid.
Electro ſimiles ſint Concionatores & Doctores Chriſtiani. 394

*Elias.*

Elias fameſcente populo Iſraëlitico fameſcit & ipſe, erat quippe currus Iſraël & auriga eius. 71
Elias bonus Magiſter Puerum ſuum quippe tenellum in ſqualidæ eremi horrorem, vbi multa paſſurus erat, ſecum ducere noluit. 601
Elias quod ſui negligens ſalutis animarum cauſâ famem in populum inuexiſſet, miraculosè cibatur è cœlo. 666
Elias quadraginta dies ieiunus in angulo deliteſcens, de morte quaſi ſecurus, Religioſum ſcitè adumbrat. 650
Eliam non terrores fulminantem, ſed in deſerto mitem viſitat Dominus. 146
Eliam ſeueriſſimum, nimiôque Zelo in peccatores terribilem, ex hoc mundo tollit Deus, ne ſi diutiùs manſiſſet, ſtrages neſcio quas in puniendis peccatoribus ſuper terram ederet. 267
Eliam ſub Iunipero, ſpinoſa Arbore ſomnolentum ſtatim excitat Angelus. 555
Elias non in vrbe aliqua, ſed in Carmeli montis ſeceſſu orat, & impetrat cæleſtem imbrem. 546
Elias Deum intuitiuè necdum vider. 247
Eliam nimis extollit qui Apoſtolis æqualẽ facit. 214
In Elia, Eliſeo, &c. vitæ Monaſticæ inchoatio ſolùm. 397

*Eliſeus.*

Eliſeus relictis bobus ſuis ſtatim ſequitur Eliã, Religioſorũ Chriſtũ cõfeſtim ſequẽtiũ ſymbolũ. 644
Eliſeus milites ad ſe cõprehẽdendũ miſſos, non ſolùm à morte liberat, ſed etiam beneficiis cumulatos Deo inſpirãte ad Regem eorum remittit. 623
Eliſeus à petulantibus pueris irridetur, ſed non impunè: Chriſti figura in Caluariam ignominiosè aſcendentis. 272
Eliſeus in Eliæ pallio Chriſti Sindonis figurâ, Tribulationum ſeu periculorum aquas ſecurus tranſit. 453
Eliſei baculus, ſeueritatis quippe & correctionis ſymbolum Sunamitidis puerum ad vitam reuocare non valuit: ſed eius vatis Oſculum, quod Pacis, Amicitiæ, Reconciliationis ſignum eſt. 298

*Elohim.*

*Elohim* Hebræũ Dei nomen, *Iudicium* ſignificat. 190

*Eloquentia.*

Eloquentia Sponſi ſuauis & mellita, Oleum effuſum dicitur. 130

*Emblema.*

Emblemata à Chriſtianis olim geſtata qualia? 372

*Emmanuel.*

Emmanuel qua ratione Chriſtus vocatus eſt? 121

*Enoch.*

Enoch ſexaginta quinque annorum viuidus Adoleſcens, quòd Deo placuerit tunc, à Scriptura laudatur. 314

*Enos.*

Enos vir ſanctus in lege Naturæ honoratus. 245

*Epiſcopus.*

Epiſcopatus bonum opus eſt, non bonæ opes. 377
Epiſcopo vni vna ſit Eccleſia. 376
Epiſcoporum qualis perfectio. 376. 377
Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, quid ſit? ibid.
Epiſcopos quales deſideret B. Paulus? ibid.

*Epiſtola.*

Epiſtolæ Colũbis olim quaſi internũtiis creditę. 498
Epiſtolę S. Petri, S. Iacobi, S. Ioannis, & S. Iudæ Canonicæ Simonem Magum perſtringunt. 686. 687

*Epithalamium.*

Epithalamia duo in Nuptiis. 30

*Epulæ.*

Epulæ à circuitu denominatæ propter circulares compotationes. 411

*Equitatus. Equus*

Equitatus Pharaonis, qualis? 333
Quãtus Equorũ apud veteres curruúmq; ſplẽdor. ib.
Equis honor impenſus. 333. 334
Equos Salomon habuit quadrageſies mille, & duodecim millia curruum; ad quid, cùm bellum geſſerit nullum? 335
An in Equorũ multitudine peccarit Salomon? 340
In Equis & curribus quãtæ Priſcorũ expẽſę. 335. 336
Equi generoſi notæ. 336
Equi Ægyptij olim commendatiſſimi. 336. 337
Equi Regij, quibus ſolus Rex inſidebat. 339
Equorum variæ claſſes in domo regia. ibid.
Equorum vſus Iudæis an interdictus? 339. 340
Equis ſignificati Apoſtoli. 344
Equæ ad ſtadium & ad currus aptæ. 338
Equa in Venerem effrenis, Scorti ſymbolum. ibid.
Equarum in pullos amor. 339
Equæ in curſu celeres & ad partum habiles. ibid.

*Eſau.*

Eſau dum à Patre licet pro Patre in venationem diſcedit, Benedictionem ſuam perdit. 462
Eſau de cæde ſui fratris animum impiè oblectãti, de eadem & verba & minæ incauto excidunt. 108

*Eſſeni.*

Eſſeni, Iudæorum olim Philoſophi. 684
Eſſeni ſeu Therapeutæ quinam? 683
Eſſeni vnde dicti? 142
Per Eſſenos quoſnam Philo Iudæus intelligat? 684
Eſſenos Monachos cum Rechabitis confundit Fl. Ioſephus. 685
Eſſeni prandia habuêre & cœnas. 287

*Eſther.*

Eſther primùm à populo ſeparata, tum in gynæceo cum puellis incluſa; poſtea anno integro accuratiori formæ cultui dato, tandem in Aſſueri torum & thronum eleuata, Mariæ vmbra fuit. 482
Eſther alio vocabulo Ediſſa dicta. 681

*Ethnici.*

Ethnici Solis, Lunæ, Aſtrorum nomine omnia comprehendebant Numina. 248
Ethnici verum Deum ſub variis formis & nominibus coluêre. 242
Ethnici in Deorum ſuorum vitiis vitia ſua honeſtabant. 240
Ethnici omnes Græcorum vocabulo, vt & Peccatorum nomine expreſſi. 216
Ethnicorum in nuptiis cæremoniæ. 22
Ethnicorum Numina omnia maſculina Solis nomine variè comprehenſa. 253

*Eua.*

In Euæ formatione Adami caro diuiditur, vt vna in duobus mens aptetur. 428

*Euangelium.*

Euangelium in multis melius & excellentius eſt Lege veteri. 91
Euangelium Gẽtibus diſſeminare cœperũt ij qui ex Iudæa in varias nationes diſperſi sũt, in Perſecutione Ieroſolymitana poſt S. Stephani necẽ. 659
Euangelium gentibus primum prædicari, omiſsâ Iudæa an Chriſtus præceperit? 320
Euangelium Gentibus ante Aſcenſionem prædicare num Chriſtus prohibuerit? 540
Euangelij Odor diffuſiſſimus, in omnes ſcilicet terræ fines peruenit, Synagogæ verò Odor anguſtus Iudææ terminos non exceſſit. 92
Euangelium multas regiones fœcundas reddidit. 93
Euangelium vberibus ſignificatur quæ meliora ſunt vino, hoc eſt, lege veteri. 91
Euangelij differentia à lege Naturæ, & Scripta. 132
Euangeliorum Matthæi & Marci cur diſpar Titulus? 273

*Euchariſtia.*

Euchariſtia, alimonia eſt quæ Immortalitatem confert manducantibus. 165

Euchariſtia alimonia eſt vitæ & ſalutis dignè ſumentibus : indignè recipientibus eſca Iudicij & Mortis. 432.433.434
Euchariſtia, Regius panis : omnéſque ad eam accedentes, Reges. 276
Euchariſtia, Sacramentum Pacis, Amicitiæ, Charitatis, quia Deum iniurias diſſimulantem, & hoſtibus benefacientem intra ſe claudit. 65
Euchariſtia vnguentum eſt effuſum, arcens putredinem & corruptionem. 165.166.167
Euchariſtia vber ſpiritalis poculi. 115
Euchariſtia diei .j. Iuſtis, nubes eſt lucida, gratiæ & ſuauitatis ſymbolum; Nocti verò, id eſt, ſceleratis, Ignis eſt, vaſtator terribilis. 433
Euchariſtiæ Sacramentum aduerſus tentationum genera omnia, munimen fortiſſimum, ſuauiſſimúmque. 567.568
Euchariſtia roborat. 481
In Euchariſtia Chriſtus nubes eſt, qui per diem Solis ardores temperat. 567
In Euchariſtia Chriſtus Libertos ſuos, concorporeos & contribules ſuos facit. 115
In Euchariſtia dat Chriſtus conuiuis ſuis calculum & nomen nouum. ibid.
Euchariſtia vnit Deum & Hominem. 697
Euchariſtia ſeruitutis charactere abolito manumittit & ingenuos facit. 113.114.115
In Euchariſtico Pane & vino quomodo memoria Paſſionis Chriſti recolatur? 454
Euchariſtiam dignè manducantem in Chriſtum quodammodò transformari. 74
In Euchariſtia Chriſtus pallium & ſtolam ſuam nobis reliquit. 75
Euchariſtiæ typus eſt Arcafœderis, piis præſidium, impiis excidium. 433
Euchariſtia figuratur ingenti Terræ promiſſionis botro, quem duo viri in vecte ferebant. 434
In Euchariſtia offertur nobis quod bonum & pulchrum eſt Dei. 257
Quod in Euchariſtia ſub Panis & vini accidentibus Chriſtus latêre voluerit, glorioſum id & perhonorificum. 256.257.258
Ad Euchariſtiam accedentes ſe mutuò olim oſculabantur Chriſtiani, ſcilicet viri, viros; fœminæ fœminas. 34
Euchariſtia candidam in ſumente veſtem poſcit. 114
Ad Euchariſtiam præparat Iudicij extremi Meditatio. 264
Dum in Euchariſtia Chriſtus ſe nobis totum effundit, hunc inſanire dicunt furioſi homines. 524
Ceſſat peſtis Dauidica hora Cœnæ, morte vel ad ſolam Euchariſtiæ vmbram exhorreſcente. 166
Euchariſtiâ muniebantur ad Martyrium ituri. 481
Euchariſtia in nuptiis. 22

*Eunuchus.*

Eunuchi mulieribus cuſtodes adhibiti. 538
Eunuchi à grauioribus negotiis & muneribus prohibiti. 538
Eunuchus vnde dicatur? ibid.
Eunuchus idem aliquando quod Satrapa vel Princeps. ibid.

*Euphrates.*

Euphrates, id eſt, fœcunditas & abundantia fructuum. 155
Euphratis Mæandri in Scriptura non exprimuntur. ibid.
Euphrates Mendicantium Religioſorum Ordines repræſentat. ibid.

*Examen.*

Examen Conſcientiæ quaſi pignus eſt quoddam felicitatis & coronæ Beatorum. 565.566
Examen extremi Iudicij quàm metuendum! 264.265

*Exceſſus.*

Exceſſus vnguentorum aromaticorum Chriſtianis odioſus. 77

*Excuſatio.*

Excuſatio tepidorum ingeniorum in difficili huius Cantici expoſitione. 634

*Exemplum.*

Exempla Perfectiorum conſideranda iis qui ad Perfectionem aſpirant, ne tepeſcant. 109

*Expelli.*

Expelli è Dei caſtris quàm periculoſum & infelix! 325.326

*Explorator.*

Exploratores ad Terram Chanaam Principes miſſi, & quinam. 602
Exſtaſis Vide, *Ecſtaſis.*

*Exterior.*

Exterior dicebatur, qui dextram tenebat; qui verò læuam, *Interior.* 609

*Exultare, Exultatio.*

Exultare, quid? 193
Exultatio in Feſtis quanta? 193

*Ezechiel.*

Ezechielem è Babylone tumultuosâ vrbe extrahit Deus, q[illegible] illi ſua reuelet ſecreta. 378

F

*Fabula.*

An FAbulæ Poëticæ in Sacræ Scripturæ Interpretationem benè allegentur? 607
Fabulæ Poëtarum ad Scripturæ explicationem non inutiles. 25

*Facies.*

Faciem velare debent Matronæ & pudicæ fœminæ. 291
Faciem velare, Luctus, pudoriſque indicium. 292

*Facta*

Factis imperandum eſt, exemplo Gedeonis & Abimelechi, non verbis tantùm. 71

*Fama.*

Fama bona quanto ſtudio conſeruanda. 486.487.488
Famam Diſcipulorum ſuorum in Phariſæos tutatur Chriſtus validis argumentis, iiſque acribus & increpatoriis. 220
Famæ proſpiciendum eſſe, eamque vindicandam ab obtrectantibus. 218.219.220
In Famæ defenſione duo ſcopuli vitandi. 219

*Fames.*

Fames, Dei ſatelles Prodigum in domum paternam durè cogit. 360
Fames, nuditas, perſecutiones, morbi, aduerſa quæque Lictores ſunt Dei, in quos non iuſtè reus iraſcitur. 359

*Familia.*

Familia quæuis Regnum eſt, cuius Rex Maritus, & Regina, vxor. 186

*Faſcia.*

Faſcia cum cingulo inter nuptialia ornamenta. 388

*Faſciculus.*

Faſciculus Myrrhæ cur vberibus appoſitus? 439

*Fatuitas.*

Fatuitatis pœnâ punitur aſtutus in ſerpente Dæmon, quòd Euæ malè ſuaſiſſet Sapientiam eſu pomi ſine labore comparandam. 221

*Fauonius.*

Fauonius flat præcipuè ſub veſperam. 680

*Fel.*

Felle & aceto potatur Chriſtus in cruce, Latrones verò cum eo crucifixi, vino condito. 85

*Felis*



*Felis.*

Felibus, Scarabeis, Buculis Templa conſtructa. 245

*Ferculum.*

Ferculum, quo Adonidis portabatur ſimulacrum. 578

*Ferrum.*

Ferro Clericis vti num liceat? 478

*Feſtinare.*

Feſtinat Deipara ad viſitandū Eliſabeth: quare? 554

*Feſtum.*

Feſtorum dierum exultatio. 193
In Feſtis olim quanta populi affluentia? ibid.
Feſtiuitates nocturnæ apud antiquos. 285
Feſtum Scenopegiæ ſeu Tabernaculorum quale apud Iudæos & vnde ſic dictum? 128. Quo tempore celebratum? ibid.
Feſtū Tabernaculorū, vindemiâ peractâ, collectíſque Terræ frugibus, in gratiarum actionem celebrabatur in menſe *Tizri*, id eſt, Septembri. 128
In ſolennibus Feſtis Iudæorum, Tentoria ſiue Tabernacula de arborum ramis fiebant. 558
In Feſtis Chriſtianorum, vnguenta, odores, aromata. 193. Item Donaria: vela picturata: Cerei: Lychni: Choreæ: Flores: Conuiuia. ibid.
In Feſtis quomodo feriandum, & quare? 194
Feſtiuæ celebritates in noctem tranſlatæ. 285

*Ficus.*

Ficus nullos flores emittit, ſed groſſos pro floribus habet. 656
Ficuum tempus quodnam? ibid.
Ficus bifera eſt. ibid.
Ficus & vitis cur hîc ſæpe memorantur? ibid.
Ficus commendantur. 657
Ficus & vitis Iudæorum melior poſſeſſio. ibid.
Ficus vineæ ſoror, & quare? ibid.
Ficus Amygdalæ contraria : in quo? 652
Ficus Indica deſcribitur. 475

*Fides.*

Fides quomodo & quæ ad ſalutem neceſſaria? 640
Fidei conſocianda bona opera. 399.400.401
Fidei & operum coniunctio adſtruitur contra Caluinum. 581
Fides ſine operibus, eſt lux in tenebris, in qua non eſt vita. 400
Fidem aut verbis aut factis negare etiam ad tuendam vitam illicitum. 241
Fides Eccleſiæ in triduo mortis Chriſti. 43

*Filia, Filius.*

Filiæ num in paternam Hæreditatem olim ſuccedebant? 236.237
Filiarum in Hæreditate quæ olim portio? 236
Filias Ieruſalem ſuper ſeipſas priùs, poſtea ſuper filios earum Chriſtus flere monet. 151
Filij Heli cur canes coctas recuſabant. 202

*Firmamentum.*

Firmamentum ſtatim vt creatum eſt non laudatur, quòd ornatus illi deeſſet. 675

*Flammeum.*

Flammeum geniale, velamen quo noua nupta tegebatur. 22

*Flauius Ioſephus.*

Flauius Ioſephus in re Chriſtianorum non æquus teſtis, nec fidus. 684.685

*Flos.*

*Flos campi* quid ſignificet in Cantico? 536
Flores vernæ amœnitatis Indices. 653
Flores & Poma in Amantum deliciis. 576. Cur? ibid.
Flores Virginibus gratiſſimi. 614
Flores in veſtibus elegantioribus depicti. 474
Flores acu picti in thalamo nuptiali. 515
Flos vineæ naſcitur ex vulnere putationis. 673
Flores veris filij. 653
In Floribus calcarunt Hebræi cùm mare rubrum tranſierunt. 654
Flores & Poma Virginitatis & Cœlibatus ſymbolum. 581
Floribus innexi Veneris crines. 576

*Flumen.*

Fluminibus abſciſſa Coma ab Ethnicis dicata. 608

*Fœdus.*

Fœdus Connubiale in vtramque fortunam. 571

*Fœmina.*

Fœminæ apud Orientales & Palæſtinos à viris in parte aliqua domus ſeiunctæ. 125
Fœminæ inuidæ. 212
Fœminæ ambitioſæ. 191
Fœminæ in agris opilionibus in multis vtiles. 317
Ad Fœminas & Pueros in Arte Paſtoritia ſpectabat minoris pecoris cura. 317
Fœmininis nominibus pro Maſculinis aliquādo vtūtur Hebræi ad rei præſtantiam ſignificandam. 83
Fœminæ honoratiſſimæ proſtitutæ falsâ Religionis ſpecie. 291

*Fons.*

Fons eſt in Halæſina regione, cùm ſiletur, tranquillus & quietus: ſi verò inſonent tibiæ, exultabundus ad cantum eleuatur, & vltra margines intumeſcit. 679
Fonti comparantur veri aliorum Inſtructores. 150

*Forum.*

Fori vtriuſque Interni & Externi Iuriſdictionem à Chriſto accepêre Apoſtoli. 443
In Foro non inuenitur Chriſtus. 629

*Fractio.*

Fractio panis Emmaus de Euchariſtia exponitur. 481

*S. Franciſcus Xauerius.*

S. Franciſcus Xauerius plures Chriſto aggregauit Idololatras, quàm omnes ſimul Hæretici ad ſuos errores traduxerint à Chriſto paſſo. 94
S. Franciſcus Xauerius inſtar Animæ, huc illuc piè vagatur. 155
Franciſcus Xauerius quàm ſtrenuè Animarum ſalutem procurarit, vt verum IESV famulum ſe probaret. 156.157
*Vide in Littera* X.

*Frater.*

Frater quaſi ferè alter. 441
Fratres quàm arcto ſocientur vinculo. 235
Fratres quinam apud Palæſtinos? 440
Fratres nuncupati primi Chriſtiani ab vnitate & concordia. ibid.
Fratris blanda appellatio num caſta? 441
Frater idem quod dilectus. ibid.
Fratrum in Sponſam ſororē ſuam inhumanitas. 235

*Fraus.*

Fraus Deo Sanctiſque mentibus inuiſa. 430.431.432

*Frondes.*

Frondes manibus geſtatæ in Iudaïco Tabernaculorum feſto. 128
Frondibus, floribuſque ornatæ ædium portæ, feneſtræ, aulæ, &c. in nuptiali ſympoſio. 559

*Frons.*

Frontis hilaritas, & aliquid in geſtu lepidum ac dulce formam perficit. 499

*Frumentum.*

Frumento ſenſus Scripturæ Myſticus cōparatur. 197

*Fugere.*

Fugere ex Dei caſtris vel expelli inhoneſtè, & periculoſum & infelix. 325.326

*Fundamentum.*

Fundamenta vitæ ſpiritalis ſint valida & profunda. 111.112
Fundamenta Eccleſiæ valida. 111

*Futurum.*

*Futurum.*

Futuris Indicatiui pro Imperatiuis & Optatiuis vtuntur Hebræi. 607

G

*Gabaonitæ.*

GAbaonitæ laceri & exploſi gratiam Ieſu promerentur:Hos vel Saul inſequatur ſed non inultus. 72

Gabaonitis bellum indicitur, eò quòd fœdus cum Ieſu Naue pepigiſſent: ita Chriſtianis quòd vero IESV ſociati ſint. 159

*Galaad.*

Galaad pars Libani montis. 438

*Galbanus.*

Galbano comparatur B.Virgo, & quamobrem? 553

*Gallina.*

Gallinæ in animalibus ſuorum pullorum amantiori & ſolicitiori bellè ſe Chriſtus comparat. 158

*Gedeon.*

Gedeon factis imperat, non verbis tantùm, Dux optimus. 71

Ex Gedeonis vellere oſtẽditur quãtis virtutibus abũdare debeat is qui animarum ſalutẽ procurat. 161

*Gemitus.*

*Gemitus Columbæ* Eminentiſſimi Cardinalis Bellarmini defenditur contra *Vocem Turturis.* 662

*Gemma.*

Gemmarum & Margaritorum luxus. 372

*Genæ.*

Genæ, Pudoris ſedes. 369

A Genis & collo cur Sponſæ laudes exorditur Sponſus? 370

Genis Sponſæ ſignificati Antiſtites. 376

*Genius.*

Genij Priſcorum, Semidei. 249

Genij apud Romanos olim quàm multi? ibid.

Genij Paganorum, Cacodæmones. 250

Bonus Genius Paganorum noſtrum bonum Angelum planè refert. 249

Genium familiarem habuit Socrates. 250

Ad Genialẽ Menſã etiã procul abſentes inuitati. 172

*Gentes, Gentiles.*

Gentium Conuerſio pulchrè vernâ, floridâ, fœcundâ, felici agrorum, montiúmque innouatione adumbratur. 660

Gentium Illuminatio, prima Reſurgentis Chriſti cura. 244

Gentibus oſtium ad fidem patefactum per Centurionem Cornelium. 41

Inter Gentes fuit etiam Eccleſia fidelis ante Euangelium. 216

Gentiles ex cognitione Dei naturali potuerunt ſupernaturalem Dei amoris ſuper omnia actum elicere quo iuſtificarentur. 640

Gentiles cum vero Deo, falſos quoque colebãt. 244

Gentiles in Iudæam proficiſcebantur vt Hebræorum arcana diſcerent. 217

Gentilibus vnde veri Dei cognitio? ibid.

Gentiles à Iudæis edocti. ibid.

Gentilium in exteriori idolorum cultu ſimulatio, ad honoris, bonorum, vitæ conſeruationem poteſt excuſari ab Ignorantia inuincibili. 241

*Giezi.*

Giezi Mali Eccleſiaſtici Imago, non pro filiis Propheturum, vt mentiebatur, ſed in ſuos vſus profanos pecunias, & pompoſas veſtes à Naamano Simoniacus emendicabat. 202.203

*Gladiatores.*

Gladiatorum ludis ſe ad bellum ituri præparabant Romani. 335

*Gladius.*

Gladius & Lancea, Belli Emblema: Vomer & Ligo, Pacis. 310

Gladius Cherubini flammeus ante Paradiſi oſtium collocatus vndis Baptiſmalibus extinguitur. 492

Gladius verſatilis ante Paradiſi oſtium Pœnitentiæ forum adumbrat, Cherubim verò ipſos Sacerdotes. 456

Gladius qui Paradiſi terreſtris viam occludit, cur flammeus eſt, non verò ex chalybe? ibid.

Gladio non ſemper vtatur Prælatus, hoc eſt, Correctionis acumine. 184

*Gloria.*

Gloriæ cæleſtis ſymbolum, Meridies. 293

*Goliath.*

Goliath cætera armatus, fronte ſolâ nudus, vulneri locum præbuit. 405

*Græci.*

Per Græcos quinam intelliguntur in nouo Teſtamento? 216

*Gratia.*

Gratia Præueniẽs nõ infert vim libero Arbitrio. 638

Vbi Gratia aliqua largienda eſt, adeſt Chriſtus; vbi verò ſeueritas exercenda, later. 648

Gratiarum actiones, donaria, Hoſtiæ, pro incolumitate, pro ſuperatis periculis, pro lætis euentibus. 171

*Gratulatio.*

Gratulationes, gratiarúmque actiones Chriſto in triduo mortis à Sanctis Patribus, Angeliſque exhibitæ. 174

Gratulatoriæ in nuptiis ſalutationes. 169

Gratulationes pro bonis ſucceſſibus inter Amicos & propinquos olim frequentes. 169

Gratulationes in rebus proſperis variæ. ibid.

*Graues.*

Graues viros ioci & ludi non ſemper dedecent. 636

*S.Gregorius Nazianzenus.*

S.Gregorij Nazianzeni Pater, Prælatis Liberalitatis in pauperes exemplum. 203

Gremio fouere, dilectionis argumẽtũ ſingulare. 606

*Groſſus.*

Groſſos pro floribus habet Ficus. 656

Ne Groſſi è ficu decidant, quid agendum? ibid.

*Gutta.*

Gutta Myrrhæ, quid? 437

*Gynæceum*

Gynæceum, Mulierum in ædibus habitatio: quò nemo accedebat niſi propinquâ cognatione coniunctus. 126

H

*Hadrianus.*

HAdrianus Imperator ſuper Equi venatorij tumulo columnam erexit. 334

*Hæmorrhoiſſa.*

Hæmorrhoiſſa humilis in Euangelio à Chriſto celebratur. 423

*Hæreſis: Hæreticus.*

Hæreſis Gentilitate peior. 254

Hæreſis foris ſimulata, intus doloſa. 501

Hæreſis, torrens tempeſtuoſus. 94

Hęreſeos Sorores collactaneæ, Luxus & Feritas. 310

Hæreſes Potentiæ ſecularis ſubſidio fultæ. 322

Hæreſes voluptatibus eneruantur & langueſcunt. 94

Hæreſibus identidem euaneſcentibus, ſtat ſemper Eccleſia. 94

Ad Hæreſes arcendas Paſtorum vigilantia vtiliſſima. 322

Hæreſes in impudicitia: Eccleſia in Caſtitate ſtabilitur. 582

Hæreſiarchæ ſuperbiâ inflati, de Eccleſia eiecti. 327

Hæretici quàm miſerè Scripturas interpretentur. 295.296

Hæretici Scripturæ teſtimonia paſſim temerè iactitant. 501

Hæretici Doctrinam, Chriſtianaſque virtutes ab Eccleſia ablegare conantur. 310

Hæretici cum Iuda Proditore inclamant in ſacros Templorum ornatus: *Vt quid perditio hæc?* 420

Hæretici fœtidi & callidi, vulpibus ſimiles. 686

Hæreticorum fanaticus Spiritus. 321

In Hæreticis ſi quid modeſtiæ & probitatis apparet, totum de Hypocriſi eſt. 311.312

Hæretica zizania vix à tritico ſub initiis ſuis diſcerepare videntur, ſed vbi creuêre, ſe produnt, totúmque malè depopulantur agrum. 311

Hæreticorum in caſtris, corruptelæ & vitiis ampliſſima conceſſa facultas. 308.309.310

Cum Hæreticis quo pacto pugnandum? 686.687

Hæreticorum & Paganorum Templis & Concionibus intereſſe num licitum? 240

Hęreticorum Paganorúmve ritibus adeſſe ciuilis alicuius obſequij causâ præciſè, peccatum non eſſe Naamani exemplum teſtatur. 240

Hæretica Meretrix Babylon cicutam in vaſe aureo aſſeclis ſuis propinat. 311

Inter Hæreticos aliquis poteſt inculpatè errare in articulo fidei. 239

*Halmah.*

*Halmah* ſiue *Alma* vox Hebræa ſignificat Puellam abſconditam à viris, hoc eſt, incorruptam & Virginem. 125.126

*Halitgarius.*

Halitgarius vetus Auctor laudatus. 445

*Halæſinus.*

Halæſinus fons ad cantum ſonorum exiliens. 679

*Hebræi.*

Hebræi non ieiunant (vt mos erat) dum vitulum in Deum conſecrant, ſuum hunc Deum imitati. His ſimiles Hæretici. 309

Hebræi, liberi peccant; captiui reſipiſcunt. 307

Hebræi de rebus ſuis erant ſecuriſſimi, dum rei diuinæ vacabant. 55

Hebræis Polygamia permiſſa. 24

Hebræorum ritus Connubiales. 22

Hebræi in vnguentis prof ſiſſimi. 78.79

Apud Hebræos Poëſis & Muſica antiquiſſimæ. 30

Hebręa nomina aliquando loco interpretationis exhibent LXX. & vulgatus Interpres. 471

Hebrææ vocis *Naſchak* variæ expoſitiones. 28

*Hebron.*

Hebron, locus apud Iudæos ſanctus, quod ibi quatuor Patriarchæ cum ſuis Coniugibus ſepulti fuerint; nempe Adam & Eua; Abraham & Sara: Iſaac & Rebecca: Iacob & Lia. 247

*S.Helena.*

S.Helenæ regia erga res ſacras liberalitas. 420

*Heli.*

Heli Pontifici ſubiraſci videtur Deus, quod ſobolem ſuam *filios* vocaſſet poſt eorum peccatum. 154

Heli Pontifex à mœrore exanimatur, vt & nurus eius. 88

*Heliopolis.*

Heliopolis, id eſt, Ciuitas Solis, apud Ægyptios. 334

*Hemath.*

Hemath Dynaſta Thou, miſit Adoram filium ſuum ad Regem Dauid vt gratularetur ei de Adarezer percuſſo. 169

*Henoch.*

Henoch Scriptorum Patriarcha. 384

Henoch quia Doctorum primus in cælum viuus tranſlatus. 384

*Herodes.*

Herodes cauſam cur Ioannem decollauerit, celat, & quare? 275

Herodis impia cautio, pueros omnes à biennio & infrà occidentis, cùm tamen Chriſtus menſem vnũ nondũ expleſſet, ſit nobis in bonũ inſtructio. 508

*Heros*

Heroum inſpicienda veſtigia iis qui ad Perfectionem tendunt, nec aſpiciendum retro quid laboratum ſit, ſed videndum quid laboris ſuperſit. 109

*Hermon.*

Hermon, Seir, Galaad ſunt Libani Montis Iuga. 681

*Heſperidum mala.*

Heſperidum mala num Iudææ arua produxerint Salomonis tempore? 577

*Hiberni.*

Hiberni num à S.Iacobo Maiore edocti fuêre? 544

*Hierarchia.*

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ pulchritudo, & mirus concentus. 395.396

Hierarchiæ Ordinẽ cõfundere nitũtur Hæretici. 395

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ in Synagogæ Miniſtris adumbratio. ibid.

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ varij Ordines, vermiculato Monilium Sponſæ opere expreſſi. ibid.

*Hinnulus.*

Hinnuli & Capreæ odoribus oblectantur. 635

Hinnulo cur comparatur Sponſus? ibid.

*Hiram.*

Hiramus Tyriorum Rex Salomoni nouo Monarchæ per Legatos gratulatur. 169

*Hœdus.*

Hœdi myſticè quinam? 319

*Homo.*

Homo ad imaginem Dei creatus eſt quaſi Dei filius, vt Deum magis amet quàm timeat. 69

Hominem ad imaginem ſuam formauit Deus, quòd eum Amicitiæ ſuæ capacem conderet. 595

Homo nõ Imago Dei dicitur, ſed ad Imaginẽ Dei. 166

Homo è ſua natura fragilis nimiùm, Dei ſpiraculo ſtabilitur. 304

Ad Hominis formationem in conſilium tres Perſonæ Diuinæ vocantur, quo docemur nil magnum ſine conſilio aggrediendum. 299

Homo cæteris creaturis inferioris huius mundi præficiendus, quare vltimus creatur? 423

Hominem quo die creauit Deus, eodem redemit, hoc eſt, feriâ ſextâ. 552

*Honor.*

Honor gratulatorius in Nuptiis. 169

Honor Sanctis viris olim benè exhibitus, in ſuperſtitionẽ poſtea & Idololatriam degenerauit. 248

Honoratior Dextræ locus, an ſiniſtræ? 608.609.610

*Hora.*

Hora quacunque Deus adiri poteſt, nullis aditum occludentibus. 58

Cur Hora Chriſti nondum venerat ad faciendum miraculum in Nuptiis Canæ Galilææ? 569

*Hoſanna.*

*Hoſanna* vox Hebræa quid ſignificet, & vnde deriuetur? 129

*Hoſanna* in Reſurrectionis Chriſti glorioſa Ouatione cantatum ex Dauide. ibid.

*Hoſtia.*

Hoſtia Pacifica pro gratiarum actione quid? 171.172

Hoſtiæ Pacificæ maior pars cedebat offerẽtibus. 172

Ad Hoſtiarũ Pacificarũ Epulũ tota familia cõuocata. 172

*Humanitas.*

Humanitas quàm Reges ac Principes deceat. 123

Humanitas Chriſti de ſe Serua, in Cõiugẽ Verbi aſſumpta, libertatẽ, & Dei nomen aſſequuta eſt. 119

Humanitatis Chriſti poſt Reſurrectionẽ pulcritudo. 504

*Humilitas.*

Humilitas Antonomaſticè Chriſti virtus. 96
Humilitatis præſtantia & neceſſitas. 418
Humilitas Nardo figurata. 416.417
Humilitas Cuſtos eſt Caſtitatis. 547.548.549
Humilitas in iis rara, qui obſcuro loco nati dignitates aliquas aſſequuntur. 304
Humilitas Chriſti in Circumciſione mira. 152
Humilitas Angelorum erga homines. 489
Humilitatem cum lacte Chriſtus velut à Matre ſuxerat. 96
Humilitas inter virtutes Chriſto chariſſima, ſicut inter Apoſtolos chariſſimus Ioannes. ibid.
Humiliari, vilémque fieri Dei cauſa, non pudor eſt, ſed ornamentum præcipuum. 270.271.272
Quo magis quiſquè ſe Humiliat, eo plus vulgatur à Deo & euehitur. 421.422.423

*Hydria.*

Hydriæ in Tricliniis vnde, & ad quid? 281

*Hyems.*

Hyems erat ante Chriſti Incarnationem, ex tunc verò ver & æſtas. 669
In Hyeme nulla videtur Turtur. 656

*Hymenæus.*

Hymenæum auſpicabantur Nubentes. 29

*Hypocrita.*

Hypocritæ ſuas eleemoſynas tubâ canunt, mediâ verò nocte, dum nullus videt, vir Euangelicus beneficus eſt. 693

I

*Iacob.*

IAcob benedictionem paternam muliebri induſtriâ, non laborum ſuorum meritis aſſecutus, peregrè ſtatim proficiſcitur, quò multis laboribus, multâque fortitudine glorioſus lares repeteret paternos. 530
Iacob variis longi itineris fractus laboribus, ſolus tamen quaſi diuino robore auctus, immane ſaxi pondus à puteo remouet. 402. Idem cum Angelo ſtrenuè luctatur. ibid.
Iacob Paſtor egregius Liam & Rachelem, hoc eſt, vitam Actiuam & Contemplatiuam, Sorores duas in matrimonium ducit. 545
Iacob (vir Contemplatiuus) dum cum Angelo (per Contemplationem) luctatur, dono Præſentiæ Dei muneratur, cùm Iſraël, hoc eſt, videns Deum, nominatur. 463
Iacobo è ſua patria exuli dantur duæ ſorores Lia & Rachel. j. Actio & Contemplatio: Dauidi verò in ſua patria Regi vna tãtùm Michol cõceditur. 605
Iacob lenis non niſi per manuum aſperitatem, id eſt, per labores & ærumnas benedictionem paternam aſſequitur. 493
Iacob cum quonam luctatus? 199
Iacob, vtriuſque vitæ, Actiuæ ſcilicet & Contemplatiuæ typus: quippe Liæ Actiuæ, & Rachelis Contemplatiuæ Coniux. 356
Iacob ſenſibus à nimio gaudio deſtitutus. 88
Iacob 130. vitæ ſuæ elapſos annos paruos, dicit & malos: Quare? 699

*S. Iacobus.*

S. Iacobus Maior docueritne Ibernos? 544
S. Iacobus Zebedæi in quas peruenerit regiones? 543.544
S. Iacobi Apoſtoli Epiſtola Canonica ad eos qui in Perſecutione Ieroſolymitana varias in regiones diſperſi ſunt propter fidẽ Chriſti, ſcripta eſt. 658

*Iairus.*

Iairus rogat Chriſtum vt imponat manum ſuper filiam ſuam mortuam, & quare? 623

*Iberni.*

Iberni num à S. Iacobo Maiori edocti fuerunt? 544

*Idololatra: Idololatria: Idolum.*

Idololatræ ſuis vitiis, paſſionibuſque impuris relicti, puniti ſunt. 255
Idololatrarum excuſatio aliqua ab eorum Doctoribus & Præceptoribus. 239
Idololatria inter Gentes tanta, vnde? 245
Idololatriæ inchoamenta à ſimulacris, & cuius illa formæ? 251
Idololatriæ origo à Solis, Lunæ, Stellarum adoratione. 252
Idololatriæ origo à Nemrode, qui & Belus, à Nino filio poſt mortem inter Deos relato. 251
Idololatria ab Ignorantia & voluptate. 245
Idololatria, peccatorum maximum extenſiuè, non intenſiuè. 254
Idololatria aliqua num fuerit ante diluuium? ibid.
Idololatriæ nũ dari poſſit inuincibilis ignorãtia? 238
Idololatria Sponſæ non excuſatur à peccato. 239
Idolum Solis apud Perſas quale? 252

*Iehouah.*

*Iehouah* Dei nomen ineffabile, in nomen IESV verſum eſt poſt Incarnationem. 140
Iehouah quod nemo pronunciare audebat in veteri lege, poſt Incarnationem, fuit *oleum effuſum*, id eſt, omnibus permiſſum. 140

*Ieiunium.*

Ieiunia è cibo & potu veterum Chriſtianorum rigida. 286

*Iephte.*

Iephte filia immolãda, ſuam primùm in ferendis opprobriis patientiã probat, quæ ſi conſtans patiatur, iugulum mactationi præbebit intrepida. 73

*Ieremias.*

Ieremias præ omnibus veteris Teſtamenti Patriarchis & Prophetis eminet, vt pote in vtero ſanctificatus, quod nemini aliorum conceſſum. 352
Ieremiæ Prophetæ Oſſa Ægyptiis apud quos ſepultus eſt, benefica. 247

*Ierícho.*

In agro Ierichuntino ſegetes & fructus citiùs duabus hebdomadibus mattureſcunt quàm in Ieroſolymitano. 657

*Ieruſalem.*

Ieruſalem ſol vrbium: & vrbs per Antonomaſiã. 213
Ieruſalem Ciuitatem ſanctam ſcrutatur in lucernis Deus, ne aliquis ibi Babylonicus Ciuis laruatus lateat. 696
Ieroſolymitanæ Eccleſiæ ſæua perſecutio in neco Protomartyris Stephani. 637

*Ieſus.*

IESV nomen latiùs patet quam *Iehouah* & ambo per *Dominum* efferuntur. 141
IESV nomen Oleo Medico ſignificatum 142. inde IESVS idem ac Curator, Medicus. 142
Nomen IESV *Oleum effuſum*. 121.122
*Ieſu* nomen in Epiſtolis D. Pauli quàm frequens? 141
Ad IESV nomen muta Idola. 248
Nomen IESV ſuper S. Thereſiam inuocatum abſtulit ab ea opprobrium muliebris infirmitatis. 630
IESVS *Oleum* per opprobria multa *effuſum*. 158
IESVS in patria ſua omnino deſpectus. 159
IESV nomen perſecutiones deſpondet eius cultoribus. 158.159
Nec Moyſis, nec Eliæ ſeueriſſimi, nec Eliſei virtus examinatur, Solus IESVS quanquàm mitiſſimus equiſſimúſque, diſcuſſus malitioſè exploditur. 159
IESVS ſcopus in quem collimant impij. 158
In Ieſum laus omnis transferenda, noſtrâ, ſi quæ poteſt eſſe occultatâ gloriâ. 162.163.164
IESV & Salomonis nominum affinitas. 121.122
IESVS vocatur Emmanuel re non ſono. 121
Ieſus quo ſenſu indutus veſtibus ſordidis apud Prophetam





phetam Zachariam, cap. 3. 160

*Ieſſæi.*

*Ieſſæi* dicti olim Chriſtiani à nomine IESV. 142

*Iethro.*

Iethro veri Dei inter Madianitas Sacerdos, vt inter Chananæos Melchiſedech. 217

*S. Ignatius Martyr.*

S. Ignatius tertius à B. P. Antiocheno Præſul, Canticum Eccleſiaſticum in Eccleſia ſua ordinauit. 683

*S. Ignatius Loyola.*

S. Ignatius Loyola nullam Societati ſuæ pro labore ſpirituali mercedem permittit, quippe quæ à ſolo Deo mercedem expectet. 183
S. Ignatij Societatis IESV Fundatoris quàm ſingularis prærogatiua quòd Pater æternus ſe illi manifeſtauerit dum Romam pergeret ad condendam ſuam Societatem. 56

*Ignis.*

Ignis apparuit in promulgatione vtriuſque Legis, Veteris nimirum & Nouæ: & quare? 624
Ignis, Aër, Aqua pro Diis habita. 244
Ignis ante Perſarũ Reges deferebatur: quare? 252.253

*Ignorantia.*

Ignorantia à ſuperbia. 316
Ignorantia inuincibilis myſteriorum quæ ex Dei pendent reuelatione dari poteſt. 238
Ignorantia ſui laboraſſe quàm noceat hominibus. 323.324
Ignorantia inuincibilis mendacij & periurij poteſt dari. 241
An Ignorantia inuincibilis excuſare poteſt falſorum Deorum cultores? 238
Ignorantia Synagogæ quanta. 345
Ignoret Homo ea à quibus ſuperbit, ſciat verò quæ Humilitatem conciliant exemplo Moyſis. 324

*Imaginatio.*

Imaginatio Matrum quàm efficax in fœtum? 206

*Imago: Imaguncula.*

Imagines Amicorum in tabulis ad viuum deſcriptæ, mitti ſolitæ. 22
Ad Imaginem Dei creatus eſt Homo vt Deum magis amet quàm timeat quaſi eius filius. 69
Imagunculæ ſeu Medallia ab Antiquis ante pectus geſtata varij generis. 372

*Imber.*

Imbrium & ventorum nullus in vere timor. 652

*Immundus.*

Immundos quoſdam cibos in Lege veteri prohibuit Deus, ſcilicet ad hominũ valetudinẽ, quia noxios. 148

*Impatientia.*

Ob Impatientiam leuis moræ, aureo Vitulo procumbunt Hebræi Idololatræ. 181

*Imperatiuum.*

Imperatiuum pro Optatiuo poſitum in Scriptura. 24
Imperatiuum pro futuro Indicatiui in Scriptura. 38

*Imperatores.*

Imperatores Romani Deos creabant. 243
Imperatores aliqui etiam dum viuerent diuinos ambiebant honores. 243

*Imperium.*

Imperium Eccleſiæ quàm magnum & auguſtum. 92
Imperio diuino quàm citò parendum. 643.644.645

*Imperare.*

Imperandum eſt factis exemplo Gedeonis & Abimelechi non verbis tantùm. 71

*Incarnatio.*

Incarnatio Chriſti Electro bellè figurata. 393
Incarnationis accelerationem Deipara meruit de condigno. 45

*Inconſtantia.*

Inconſtantia mentis Humanæ ſumma eſt, quam tantùm Dei ſocietas firmam ſtabilémque reddere valet. 303.304.305
Inconſtantia Philoſophorum Gentilium. 244

*Increpatio.*

Increpatio lenis dicitur ſagitta aut iaculum ob efficaciam. 185

*Indica Ficus.*

Indica Ficus deſcribitur. 475

*Indignus.*

Indigni & inidonei res magnas affectant. 691.692.693.

*Indulgentia.*

Indulgentia Dei tanta eſt vt Adamum etiam poſt peccatum ad colloquium familiare admittat. 59

*Induratio.*

Induratio Cordis qualiter à Deo? 255

*Infantia, Infans.*

Infantes cum lacte, mores nutricis imbibunt. 95
Infans nutricis mores potiùs quàm matris induit. 81
Infantis Ceruino lacte nutriti mira pernicitas. 95
Infantibus recens natis oſculum impreſſum olim, & quare? 34
Infantuli Matrum idioma facilius ediſcunt, propter teneriorem in eas amorem. 109
Infantia & Senectus in annis non computatur, quod ad præclara facinora ineptæ ſint. 630

*Infirmum.*

Infirma mundi glorioſè elegit Deus, vt huius mundi, fortia confunderet. 544

*Ingratitudo.*

Ingratitudo Iudæis quaſi innatum vitium. 132

*Inimicus.*

Inimicis condonare, Dei filiorum indicium eſt ſingulare. 64
Inimicis parcere, Diuinitatis quoddam indicium. 145.146.147
Inimicos noſtros ſingularibus officiis proſequi debemus Dei exemplo. 647.648

*Initium.*

Initiis malarum ſeu cogitationum, ſeu actionum fortiter repugnandum. 693.694

*Iniuria.*

Iniurias remittere, eſt quid diuinum. 64
Iniuriam clementer remiſiſſe, Diuinitatis quoddam indicium eſt. 145.146.147

*Inobedientia.*

Inobedientia leuis, Saulem è regio ſolio deturbat. 61

*Inſpiratio.*

Inſpirationibus diuinis cum omni feſtinatione obtemperandum. 643.644.645

*Inſtructio.*

Inſtructio Puerorum quàm difficilis moleſtiæ opus. 329.330.

*Inſtrumentum.*

Inſtrumentum Muſicum Sponſarum, Nablium. 31

*Intellectus.*

Intellectus & voluntatis arcta germanitas. 512

*Intercalaris.*

Intercalaris verſus qualis? 614.615. An hîc in Cantico aliquis? ibid.

*Interior.*

*Interior* Antiquis dicebatur, qui læuam partem tenebat; qui verò dexteram *Exterior*. 609

*Inuectiua.*

Inuectiuæ Prophetarũ, Canticũ dictæ, & quamobrẽ? 130.

*Inuidia.*

Ex Inuidia & praua affectione Mus in Elephantem creſcit. 212

*S. Ioannes Baptiſta.*

A Ioãne (qui *Gratia* interpretatur,) Euangelij, Legis, Gratiæ inchoata eſt ſublimitas. 102
A Ioannis Præcurſoris aduentu, totus in gaudio renouatur Orbis. 105
Ioannes Baptiſta in Matris vtero obtinuit, quod Ezechieli & Moyſi in ætate perfecta conceſſum. 104

Ioannes Baptiſta ſciuit in Matris vtero, quæ ignorauerunt Angeli in cœlo. 104

Ioanni Baptiſtæ in Matris vtero longa ſunt tempora, quæ præuertere conatur ſtudio adorandi Saluatorem. 103

Ioannes Baptiſta *Gratiæ* vocabulo meritò inſignitus: Infans ipſe ſupergreſſus eſt adultam Heroũ gloriam: Ex ipſius Natiuitate lætitia. In vno eo plurimorum Sanctorum excellentiæ: Qualem in cælo locum promeritus. 102.103.104.105.106

Ioannis Baptiſtæ ſolius è Sanctis Natiuitas celebratur, quòd ſanctificatus in Matris vtero nullam Infantiæ ſenſerit ætatem, & à menſura perfectæ cœperit ætatis plenitudinis Chriſti. 165

Ioannes Baptiſta Spiritu ſancto repletus ex vtero Matris, dum Eremum infans incolit, eam aſſequitur perfectionem quam Apoſtoli niſi in Saluatoris diſceſſu non attigerunt. 104

Infantia S. Ioannis Baptiſtæ conſummatam magnorum virorum gloriam ſuperauit. 103

Ioannis Baptiſtæ ſiletur Infantia quia neceſſaria: Chriſti celebrantũr Cunæ, quòd nempe eò ſe abiectionis volens demiſit Saluator. 271

Ioannes Baptiſta indignum ſe fatetur, qui corrigiam calceamentorum Verbi, id eſt Scripturæ nodos ſoluat. 386

Ioannes Chriſtum baptizare cur recuſabat? 228

Ioannes Baptiſta ſuum peculiare Gymnaſium, ſuoſque Diſcipulos habuit, quaſi Laureâ & Magiſterio à Chriſto honoratus ob Ingenij præſtantiam, & Doctrinæ eminentiam. 104.105

Ioannes Baptiſta veri Concionatoris typus. 361.362

In Ioanne Baptiſta Milite ſuo & mori & viuere dicitur Chriſtus, dum Herodes exiſtimat Chriſtum eſſe Baptiſtam à mortuis ſuſcitatum. 506

In Ioannem Baptiſtam duo Mariæ vbera, quæ reis veniam, & iuſtis gratiam impetrant, effundũtur. 354

Duo Ioannes, Baptiſta ſcilicet & Euangeliſta, duo vbera Chriſti. 99

Ioannes Baptiſta miro Salomonis ferculo ſiue Throno pulchrè comparatus. 105

Ioannis Baptiſtæ varia attributa. ibid.

Primam in cœlo poſt Chriſtum & Mariam ſedem occupat Baptiſta, Luciferi loco ſuffectus. 106

*S. Ioannes Euangeliſta.*

S. Ioannes Euangeliſta pluſquàm Homo, quod Paulo Apoſtolo non licuit, Hominibus miniſterium SS. Trinitatis doctior expoſuit. 100

S. Ioannis Euangeliſtæ ſupereminens Doctrina, comparatione ad Homines, Angelos, & Chriſtum ipſum illuſtrata. 99.100.101.102

Ioannes Euangeliſta Chriſti Doctor Vicarius. 101

Per Ioannem Euangeliſtam ſublimius aliquid dixit Chriſtus, quàm per ſeipſum. ibid.

A S. Ioanne Euangeliſta Angelorum Doctore diſcunt & ipſi Seraphim. 100

S. Ioannes Euangeliſta vt Aquila immotis oculis Diuini fulgoris vultum fixè intuetur: ad cuius aſpectum vel ipſe caligauit Baptiſta. ibid.

Cur à Ioanne Euangeliſta prius agnoſcitur Chriſtus poſt Reſurrectionem quàm à Petro? 28

Ioannes Euangeliſta Filius Mariæ ſubſtitutus quia Chriſto ſecundum & Diuinam & Humanam generationem quaſi ſimilis. 102

Ioannis Euãgeliſtæ quanta Prærogatiua, ex eo quod Chriſto conſanguineus, & Deiparæ filius adoptiuus. 69

Ioannes Euangeliſta Chriſti in Mariam ſupplet vices: Quare? 596

Ioannes Euangeliſta Virgo, & Mariæ Angelus Concuſtos. 526

Ioannes Euangeliſta Verbi Diuini, Verbum alterum, quo pacto? 101

Ioãnes Apoſtolus Doctorum Aquila Magiſter appellari nõ vult, cùm tamẽ hoc nomẽ digniſſimè meritus eſſet, illud verò ambiũt Phariſæi ſtolidiſſimi. 692

Ioanni Euangeliſtæ Deipara creditur. 102

Vt Ioannes Euangeliſta inter Apoſtolos Chriſto chariſſimus, ſic eidem gratiſſima inter virtutes Humilitas. 96

*Ioannes Comnenus.*

Ioannis Comneni Imperatoris in Deiparam piiſſimi Triumphus. 171

*Ioannes Ieroſolymitanus.*

Ioannes Ieroſolymitanus quis & qualis Auctor? 588.589

Ioannes Ieroſolymitanus an *Tractatum de Inſtitutione Monachorum* ſcripſerit? 589

Ioannes Ieroſolymitanus multis hæreſibus infectus à S. Hieronymo & S. Epiphanio taxatus. ibid.

Ioannis Ieroſolymitani varia vitia. 588

*Iob.*

Iob Gentilis Synagogæ comparatus, eius gloriationem reprimit. 218

Iobus omnes ſuas clades in vnum Deum refert. 361

Iobum quaſi Deum à magna ipſius patientia Satan deſperans ſuſpicit & miratur. 146

Iobus non modò à viſu, ſed & ab Imaginatione ſibi cauet. 508

Iob moleſtam ſortitus eſt vxorem (vulnerum ſuorum grauiſſimum) quam ſi concordem nactus foret, nil illi inſuaue contingere potuiſſet. 430

Iobo grauiora & minus tolerabilia ſunt ſuorum Amicorum dura verba, quàm ſua vlcera. 668

Iobus aliquis patientiſſimus, famam ſuam in calumniantes defendit. 119

Iob cur ad Amicorum ſuorum aduentum maledicit diei Natiuitatis ſuæ? 380

Iob in odium peccati Originalis maledicit diei Conceptionis ſuæ. 670

Iob queritur de nimis exacta perſecutorum ſuorum in eum inquiſitione, cùm & ipſi peccatores eſſent, ſolius verò Dei ſit ſic corrigere. 228

Cur Iobus probitatem ſuam commendans, abſoluitur, Phariſæus verò ſe iactans damnatur? 219

Iobus Iudicium quo ſeipſum examinabat in Conſcientiæ ſuæ Tribunali, Diademati comparat. 566

Iobi honoratus Tumulus. 246

*Iocus.*

Ioci & Ludi, graues viros nonnunquam decent. 636

*Ionas.*

Ionas transfuga ab æquoreis fluctibus tanquam Dei Lictoribus in Niniuẽ vel inuitus compellitur. 359

Ionas quò mitior in Niniuitas fieret, in ventre Ceti triduo ſepultus, Reſurrectionis Dominicæ typus efficitur. 298

Ionam comitatur mœſtitia, dum fugiebat à Deo. 54

Ionam in ventre Ceti Religioſi ſiue Monialis Imaginem Mors veretur, non ipſe mortem. 650

Ionas, eorum typus qui Chriſti ſtigmata in corde ſuo portant mari ſæuiente & furentibus procellis ſecurus dormit in carina. 622

*Ionathas.*

Ionathas cum Naas, (.i. ſerpente pugnaturus) reptans velut ſerpens graditur: Sic Chriſtus vt peccatorem vincat, ei citra peccatum ſe aſſimilat. 489

*Ioſeph Patriarcha.*

Ioſeph cur à Patre plus ceteris fratrib. diligitur? 675

Ioſephus cur ſenectutis filius? 463

Ioſephi veſtis polymita cæteris fratribus cauſa inuidiæ. ibid.

Ioſephus ſola læta & iucunda ſua ſomnia adhuc puer recenſet; vt quæ cordi erant, triſtibus ſilentio ſuppreſſis. 107.108


Ioſeph

*Index Rerum & Verborum.*


Ioſeph dum ſe pro fratribus ſuis periculis exponit, quantâ gloriâ ſublimatur. 666

Ioſeph ideo nocentes corrigit, quia ipſe erat innocens. 229

Ioſeph vbi de fœmineis blanditiis glorioſè triumphauit, ſtatim detruditur in carcerem, ibique per duos annos humiliatur. 548

Ioſephi virtus egregia poteſtatem in alios incarceratos promeruit. 229

Ioſeph Pharaonis Pincernæ confiſus diutius in carcere detinetur. 260

Ioſeph Patriarcha curat vt terra Geſſen detur Patriarchis fratribus ſuis, quò ſeparati ab Ægyptiis ſolitariam vitæ formam inſtituerent ſecretis cæleſtibus aptam. 380

Ioſephi Patriarchæ Oſſa ab Ægypto aſportata & honorata. 246

Ioſeph Patriarcha ab Ægyptiis in Deorum numerum relatus. 248

Ioſeph Serapidis nomine ab Ægyptiis adoratus. ib.

*Flauius Ioſephus.*

Ioſephus Flauius non ſibi ſatis conſtat. 471

Ioſephus Flauius in re Chriſtiana non æquus teſtis, nec fidus. 684

*Ioſephus Scaliger.*

Ioſephus Scaliger malus Matthæi Interpres. 498

*Ioſue.*

Ioſue, id eſt, Saluator bene Princeps Iſraëlitici populi à Moyſe conſtituitur. 598

Ioſue dum Amorrhæos expugnat indefeſſus diem vnum in duos producit. 156

Ioſue cur cum Sole etiam Lunam ſtare iubet? 178

Ioſue ab Arca fœderis triũphos ſuos auſpicatur. 553

Ioſue nomen & figura Domini IESV. 154

Ioſue habuit hæreditatem à populo ſibi datam. 155

Ioſue terram promiſſionis populo diuidens nullam eius partem ſibi retinuit. 154

Ioſue exercitus generoſo Duci, omnis victoriæ adſcribitur gloria. 164.165

Ioſuanus Exercitus poſt inſignem victoriam reportatam ſilet: & quare? 164

*Irriſio.*

Irriſionibus Hominũ vera probatur Pœnitentia. 73

Irriſionibus Filia Iephte immolanda, præparatur ad necem fortiter ſubeundam. ibid.

*Iſaac.*

Iſaac cum ablactatur, grande celebratur conuiuium, non verò cùm naſcitur. 675

Iſaac Religioſi viri typus, viſâ Rebeccâ Sacræ Scripturæ ſymbolo mœrorem de matris morte acerbum lenit. 95

*Iſraël.*

Iſrael è captiuitate Ægyptij locupletior educitur. 226

Iſraelitæ omnes ingenui, Salomone regnante. 234

*Iudæa*

Iudæa poſt Chriſti mortem deterior facta. 93

Iudæa quàm arcta & anguſta. ibid.

*Iudæi*

Iudæi legum ſuarum præuaricatores, maximè earum in quas Natura nititur. 292

Iudæi ab Aſſyriis veſtem, idioma, cultum, moréſque barbaros mutuati. 79

Iudæis an interdictus Equorum vſus? 339.340

Iudæorum felix fuit Reſpublica dum docti & ſapientes eam moderati ſunt Reges. 384

Iudæis innatum vitium Ingratitudo. 132

Iudæis in Religione nil ſyncerum, ſed affectata tantùm exterior Iuſtitia. 501

Iudæi primi perſecuti ſunt Chriſtianos. 619

Iudæi fœtentes & putidi, & vnde? 79

Iudæi bobus & aſinis ſtolidiores. 132

Iudaïcum fœtorem Baptiſmus eluit. 500

*Iudas Patriarcha.*

Iudas Patriarcha cur ceteris præficitur fratribus? 356

*Iudas Proditor.*

Iudas vnus Collegium Chriſti obſcurat, quo diſcedente clarificatur filius hominis. 223

Iudam Proditorem compellans Chriſtus monet: *Quod facis, fac citiùs*: quo ſenſu? 554

Cur cùm Iudas è cœnaculo exiuit, tunc dixit ſe Chriſtus clarificatum? 381.382

Iudam è cœnaculo euocat Dæmon, ne is Chriſti concione ad pœnitentiam emolliatur. 51

*Iudex.*

Iudicis ſummi exacta perſpicacia. 264

Iudices ne verbis contumelioſis reos laceſſant, exemplo Dei docentur. 668

*Ad Iudices* Ludus dictus. 187

*Iudicium.*

Iudicij Diuini examẽ quã formidoloſũ. 263.264.265

In Iudicio Dei nos ea accuſabunt, quæ nobis chariſſima malè fuêre. 258.259.260

Iudicij extremi Meditatione ſummã ad Euchariſticã cœnam puritatem à Corinthiis exigit Paulus. 264

Iudicium finale iis qui ſe quotidie examinant & iudicant honori non fore, oſtenditur ex zizaniorum Parabola. 366

Iudicio ſeu arbitrio proprio qui vult regi, Saulem more Iudæorum Regem ſibi poſtular, ſæuiſſimum experturus. 61

*Iugum.*

Iugum Nubentibus olim impoſitum. 173

*Iulianus Apoſtata.*

Iulianus Apoſtata Chriſtianos vocari Galilæos impio ſanciuit edicto, quò Chriſtiani nominis ſplendorem extingueret. 488

*Iuramentum.*

Iuramenta Amantum irrita. 37

*Iurgia.*

Iurgia inter viros qui pro Eccleſiæ bono laborant quàm pernicioſa. 592.593.594

*Iuriſdictio.*

Iuriſdictio ſacra ſeu ſpiritalis Põtificis aut Sacerdotis vocabulo non verò Regis, ſolet exprimi. 139

*Iuſtitia.*

Iuſtitia Clementiæ ſocianda. 190

*Iuſtus.*

Iuſto ſunt omnia dextra, læuum nihil. 225

Iuſtos num Lex Naturæ vel Moyſis coluerit in vita, vel poſt mortem? 245

Iuſtis etiam contrarij proſunt euentus: quippe quibus omnia cooperantur in bonum. 224.225.226


K.

*Kemnitius.*


KEmnitius Miſſæ Canonem ante Gregorij Papæ tempora ignoratum hæreticè affirmat. 447


L.

*Labia.*


LAbiorum & oris oſculũ ad ingenuos pertinebat; pedum verò & manuum ad ſeruos. 24.43

*Labor.*

Labores pro animarum ſalute, imitatoribus Chriſti nõ ſarcina ſed voluptas & deliciæ sũt. 549.550.551

Labores pro Chriſto perpeſſos adeò magni faciunt Angeli, vt eos hominibus inuiderent, ſi quid poſſent inuidere. 182

Labores ſuorum ſpiritalibus præmiis cõpenſare, Dei Maximi Imperatoris ſolius gloria. 698.699

Laboribus & mortificatione acquiritur Sapientia. 221.222.223

Laborũ ipsâ tolerãtia ſuos ſudores ſatis compenſari exiſtimant viri magnâ mente præditi. 181.182.183

Abſque Laborum piè perpeſſorum concentu, manca foret cæleſtis Harmonia. 182

*Lac,lactare,lactatio.*

Lac Mariæ Deum olim terribilē,mitem reddidit. 95
Lac Eccleſiæ,vino Synagogæ longè melius. 111
Lactauit Chriſtus ſpiritaliter Mariam. 98
Lactatio in Scriptura ſumitur pro melliloquio per metaphoram. 82

*Lacædemoniæ Virgines.*

Lacedæmoniæ Virgines Pugiles. 611

*Lacrymæ.*

Lacrymas vel ipſis Damnatis nō negant Sancti viri. 267

*Lætitia.*

Lætitia nulla vera Peccatoribus. 53

*Læuum.*

Læuum nihil eſt Iuſto,omnia dextra. 225

*Lamina.*

Lamina aurea Aaronis,erat inſtar Coronæ, cui nomen Dei inſcriptum,& quare? 129
Laminam auream in qua nomen Domini inſculptū in fronte ſummus Sacerdos geſtabat, vt Dei præſentiam in oculis ſemper haberet. 603

*Lampas.*

Lāpades ſacræ quàm pretioſo oleo ardebāt olim. 419
Lampades & Lumina,in feſtis Chriſtianorum. 193
Lampades & Tedæ in Nuptiis. 30
Lāpadi cōparantur qui alios ad ſalutē inſtruunt. 150

*Languor.*

Languor Amantum. 86
Languor Amoris ſacri. 575
Languor ab Amore ſupernaturali. 89

*Lapis Bezoar.*

Lapis Bezoar vbi reperiatur? 612

*Lapſus.*

Ex lapſibus propriis vel alienis multo vigilantior in futurum Sapiens redditur. 689.690.691

*Laquearia.*

Laquearia Cantici qualia? 515.516
Laquearia nonniſi in magnificis ædificiis. 516.517
Laquearia in Martyrum templis olim. ibid.
Laquearia Cypreſſina Clerum & Sacerdotes figurant,præcipuam Eccleſiæ partem. 527

*Latro.*

Latro in Cruce, Chriſto Doctore, ſtatim perfectus euadit. 52
Bonus Latro dicitur Chriſti Præcurſor,veluti Ioānis Baptiſtæ æmulus:adeò eius ſcelera obliterata fuêre ſtatim vt conuerſus veniam obtinuit. 354
Latroni in Cruce,Regnum cæleſte ſtatim conceditur,non item filiis Zebedæi,quibus Paſſionis calix priùs bibendus annunciatur. 622
Latrones in Cruce de vino condito potati, Chriſtus verò de felle & aceto. 85

*Latrunculi.*

Latrunculorum ludus bellica certamina refert. 573

*Lauendulæ.*

Lauendulæ odor gratus. 409

*Laus.*

Laus omnis de operibus noſtris bonis in IESVM refundenda. 162.163 164.
Indigna Laus eſt, quam affectus, non autem merita conciliant. 530
Laus cuiuſlibet viri obſcura ſine ſcientiarum encomio. 385

*Lazarus mendicus.*

Lazarus ille Mendicus in hoc mundo miſerrimus poſt mortem ab Angelis portatur quaſi in curru triumphali, portatur inquam,ne ſi ambularet, vel tantillum laborare videretur. 493

*Lazarus frater Magdalenæ.*

Lazarum quatriduanum ad Chriſti vocem reddit ſepulchrum,adeò celeriter vt etiam ligatus & incomptus prodierit. 644
Lazarum(Peccatoris à vitiis fœtidi ſymbolum)ſuſcitaturus,præ compaſſione gemit, triſtatur, turbat ſe Chriſtus. 266
Lazari .j.Peccatoris fœtidi Reſuſcitatio tā arduū & tam grande videbatur miraculū, vt Martha quaſi de eo aut diffidere aut deſperare viſa fuerit. 368

*Lectus,Lectulus.*

Lectuli Nuptialis ſplendor & ornatus. 515
Lectulus nuptialis num ideo dicitur hîc floridus quòd in Horto florido ſit ſtratus? 515
Lectus nuptialis num in faſtigio domus:& quare floridus dictus? 516
In Lectulo nuptiali flores acu picti. 515
Lectulus floridus Virginitatis ſymbolum. 525
Lectulus,Scripturam ſacram figurat. 522
Lectulus Sponſæ floridus, Chriſti ſepulchrum: & quare? 519
Lectulo& domibus Cedrinis Eccleſia ſignificata. 521

*Lepra,Leproſus.*

Lepra,Hæreſis ſymbolum. 312
E Leproſis decem mundatis ſolus vnus, & hic non erat Iudæus,gratias agit. 133

*Leui.*

Ex Leuitica tribu nullos exploratores in terram Chanaam miſit Moyſes, cum ex cæteris omnibus tribubus aliquos elegiſſet:Quare? 699

*Lex.*

Lex vetus per Angelos,Noua verò ab ipſo Filij Dei ore tradita. 396
Lex vetus auſtera& rigida,Euangelium ſuaue. 91
Lex Moſaïca num Sanctos celebrat? 245.246
Legis naturalis quodnam tempus? 40
Lex vetus quando deſiit? 563

*Libanus.*

Libanus Mōs diuidit Iudæā à vicinis Prouinciis. 681
Libanus Mons ab odoriferis plantis ditiſſimus. 415
Libanus Mons diuiſionis:quare? 681
Libanus Mons niuibus candet. 613
In Libano quamuis editiſſimo monte,planities ſunt & campi lætiſſimi. 657

*Libellus.*

De Libello Inſcripto *Vox Turturis* quale ferendum Iudicium? 661

*Libertas.*

Liberū Arbitriū cum Tractione diuina cohæret. 176
Libertas in voluptates quā periculoſa. 306.307.308

*Libertus.*

Liberti in Conuiuium admittebantur. 282
Libertis honor exhibitus. 113

*Lictor.*

Lictores Dei ſunt Calamitates, morbi, perſecutiones,&c. 359

*Lignum.*

Lignum ſcientiæ boni & mali quodnam? 475
Ligna Cedrina,Citrina,Cupreſſina,Thyina pretioſiſſima. 517.518
Quæ ligna ſyluarum in Palæſtina? 557

*Ligo.*

Ligo & vomer,Pacis Emblema:vt Gladius & Lancea,Belli. 310

*Liguſtrum,*

Liguſtrum quid? 469

*Lilium*

Lilium flos Amoris. 539
Liliorum quanta fœcunditas? ibid.
Lilium grandioris ſpei ſymbolum. ibid.
Lilium rerū mirabiliū ac ſtupendarum præſagum. ib.
Liliata Sponſæ veſtis. 539
De quonam Lilio fit mentio in Cantico? 536
Lilia in Palæſtinæ ſylueſtribus. ibid.
Lilia inter paliuros & ſpinas in Palæſtina. 537
Lilium Virginitatis ſymbolum in conuallibus, hoc eſt,in locis humilibus naſcitur. 547


Lilium




Lilium in Cantico num intelligatur de Matriſylua ſiue Caprifolio? 539
Lilio comparatur in Euangelio Salomonis gloria, quòd cùm in publicum prodiret elegans & cultior,candidâ in veſte conſpiceretur. 533

*Lingua.*

Lingua eloquens, dicitur mellita, roſea, nectarea. 83
Lingua gladius acutus. 668. Quàm grauiter feriat. 668.669
Plaga Linguæ comminuit oſſa. 668
Lingua inflammat, cùm ipſa ſit inflammata Inferi gehennâ. 368
Lingua Diuitis epulonis maximè torquetur,quia deliciarum præcipuum fuerat inſtrumentum. 259

*Litera.*

Literæ vnius mutatione nomina multa corrupta. 121

*Locus.*

Locus vter honoratior,ad dextram,an ad ſiniſtram? 608.609

*Locuſta.*

Locuſtæ cur in Pharaonem immiſſæ potiùs quàm ſæuiora animalia? 668

*Lot.*

Lot, quod pro ſuis Hoſpitibus familiæ ſuæ honorem expoſuiſſet,quaſi inuitus à Sodomorum incendio eripitur. 667
Lot dum generos ſuos de imminenti Sodomorum incendio monet,irridetur,quippe diues erat,vxoratus,&c. 362
Lotum è Sodomis (quem tamen in mediis flammis, vt poſtea tres pueros in fornace, illæſum ſeruare potuiſſent)educere feſtinant Angeli,quò doceant pericula citiùs præcauenda. 507

*Lotio.*

Lotiones in Cōuiuiis crebrę olim apud Iudæos. 281

*Lucerna.*

Lucernæ ardentes in Templis. 419

*Lucifer.*

Lucifer à Ioanne Baptiſta deluſus. 106

*Lucta.*

Lucta Iacob, in qua diuina conferuntur beneficia, nocturna eſt,ſcilicet celanda. 199

*Lucus.*

Lucus impudicitiæ exercitatio & ſchola. 254
In Lucis & nemoribus,Oracula,Templa, Flamines, Deorum ſtatuæ. 253.254
Luci obſcuri ad obſcœnitatem. 254

*Ludus.*

Ludus Calculorum & Latrunculorum. 573
Ludi Circenſes. 334. Num tempore Salomonis aliqui? 335
Ludi Curules in honorem Solis. 334
*Ludus* ad Iudices *dictus*. 187

*Lugubris.*

Lugubris ad buſtū planctus apud antiquos. 520.521

*Lumen.*

Luminum in Templis vſus quàm ſit Deo gratus Miracula teſtantur. 419

*Luna.*

Lunæ Deipara comparatur. 178
Luna ſub Mariæ pedibus cur pingitur? 352
Luna ſub pedibus Mariæ,quid ſignificet? 98
Luna dum ſub pedibus Deiparæ pingitur, cornibus deorſum versùs conuerſis debet verè pingi. 99
Lunam etiam cum Sole cur Ioſue ſtare fecit? 178
Lunæ in ſuo defectu condolent elementa. 230
Lunæ comparatur Dæmon. 99

*Lux.*

Lux celerrimè Creatori vocanti obſequuta eſt. 643

*S.Lydvvina.*

S.Lydvvina ab Angelis ſæpe aſportata. 543

M.

*Macula.*

MAcula quid apud Hebræos? 210

*Madian, Madianitæ.*

Madian duplex. 205
Madian adiacet Æthiopiæ Felici. ibid.
Madianitæ Æthiopes. ibid.
Madianitæ Arabiam Deſertam incolebant. ibid.

*Magdalena.*

Magdalenæ memoria à ſua humilitate perennis. 422
Magdalenam mœſtam vt recrearet Chriſtus, huic Euangelizatricis munus demandat. 550
Magdalena pedum oſculum tantùm ambit, Maria verò Deipara ad oris oſculum aſpirat. 49
Magdalena Pœnitens ornatus ſqualorem & inde irriſionem ambit. 73
Magdalena Chriſti corpus mortuum non vngit in Sabbato, vt vitet ſcandalum & famam conſeruet ſuam. 486.487
Magdalenæ vnguentum piſticum quale? 414

*Magi.*

Magi adorando Chriſtum facti ſunt velut Sacerdotes,& inde Angeli, vnde eos redeuntes quaſi ſocios ſuos comitantur Angeli. 528
Magos in Bethleem venientes cur Stella ducit; redeuntes verò Angelus comitatur. 358
Magos in Bethleem quænam duxerit Stella? ibid.
Magi Chriſto procidunt, nempe à Deo ipſo edocti, non itē Paſtores quamuis ab Angelis inſtructi. 52
Magi Chriſto recèns nato procumbentes tacent: quamobrem? 407

*Magiſterium.*

Magiſterium Dei quàm efficax! 51

*Magiſtratus.*

Magiſtratum non ambire, ſed alieno ex impulſu & velut coactum admittere iuuat. 599.600
Magiſtratu languente,corruit populus. 71

*Maieſtas.*

Maieſtatem excludit Amor, paréſque reddit Amantes. 595.596

*Malus.*

Malus aliquis ſemper inter bonos. 223.224

*Malus arbor : Malum,pomum.*

Malus inter ligna ſyluarum Chriſtum in Euchariſtia adumbrat. 567
Mali vocabulo in Cantico an pomum commune ſignificatum,an Citriorum arbor? 558
Malum Cydonium Sponſis concluſis diuidebatur inter cærimonias nuptiales. 558.571
Mala Medica num in Palæſtina fuerint aliqua Salomonis tempore? 577
Mala Punica cum tintinnabulis in limbo veſtis Aaronicæ quid ſignificent. 605

*Mamma.*

Mammæ mari & fœminæ promiſcuè tribuuntur. 83

*Manaſſes.*

Manaſſes.j.obliuio,vnde dicatur? 673
Manaſſes, (id eſt,ſui obliuioſus) læuam cum Hœdis & reprobis occupat. 324

*Manducatio.*

Manducatione corporis Chriſti in eum velut transformamur. 74

*Manna.*

Mānę ſapor diuerſus pro diuerſo appetitu,at vnus ei color,vna figura:Chriſtianę vnitatis ſymbolū. 459
Mannæ ſapor & oleatus & mellitus: Oleum autem luctæ & laboris,Mel verò ſuauitatis ſymbolū. 494
Manna Euchariſtiæ figura in Auro incluſa, æternitatis ſymbolo. 167
Mannâ,Euchariſtię ſymbolo,dū veſcebatur populus Hebræus,non ſeneſcebat indumentū,non veteraſcebat calceus,imò cū ipſo corpore creſcebat. 165


*Manſuetudo*

*Manſuetudo.*

Mãſuetudo Regũ ac Principum virtus ſingularis. 123
Manſuetudinẽ docet ſuos Deus sũmè clemens. 124
Manſuetudo Prælati ſiue Superioris, quàm vtilis & proficua ſubditis. 183.184.185

*Manumiſſus.*

Manumiſſus veſte albâ donatus. 114

*Manus.*

Manus & oris oſculum, nobilium erat. 24.43
Manus Dei quàm benefica? 623

*S. Marcus.*

S. Marcus Alexãdrinæ Eccleſiæ primus Pontifex. 682
Quales S. Marci Euangeliſtæ Diſcipuli? 684

*Mare.*

Mare queritur de Mercatorũ tumultibus: quare? 329
Mare æneum Præfecturam ſignat, quæ quod vile & abiectum eſt, ſibi retinens, quod ſpecioſum & delicatum eſt in alios debet effundere. 199
Mare rubrũ nõ ſolùm Iſraëlitis viam ſalutis præbet, ſed Ægyptios quoq; abſorbet: Baptiſmi figura. 491

*Margarita.*

Margaritæ & vniones magno in pretio. 370
Margaritarum Candor. ibid.
Margaritorum quæ & quanta magnitudo? 373
Margarita apud Indos vna ponderabat centum & ſexaginta grana hordei. ibid.

*Maria Virgo Deipara.*

Mariæ Deiparæ Immaculata Conceptio adſtruitur; ita vt ab Originalis culpæ debito proximo libera ſit. 345.346.347.348.349
Maria ſingulariter producta: Originali ſoluta debito: Chriſti meritis nobiliſſimè redempta: Quantum beneficium ab omni fuiſſe noxa præſeruatam? 350.351.352
Maria verè Domina & Regina, quia in Conceptione immaculata, ſerua à peccato nunquam fuit. 153
Mariæ immaculatam Conceptionem, Rabbini etiam & Mahumetani fatentur. 211
Mariæ Virginis, vel inde quod Chriſti futura eſſet Nutrix, immaculata debuit eſſe Conceptio. 96
Maria in ipſo Conceptionis inſtanti Virginitatem ſuam Deo ſacrauit. 587
Maria an peccauerit in Adamo? 346.347.&c.
De Mariæ Natiuitate contendunt Secula. 666
Marię ex Natiuitate hominibus perfectio & ſolatiũ, Deo gloria, & laus prorſus mirabilis. 664.665
Marię in Tẽplo Præſentatio celebratur. 482.483.484
Num Maria tria Monaſtica vota in Templo emiſerit? 483
Maria dum Angelo in Chriſti Incarnatione conſenſum præbuit, plus meruit quàm omnes vnquam ſiue homines, ſiue Angeli. 374
Maria dum ſe Dei Ancillam dicit, totum quod habet, refert in Deum Dominum ſuum. 163
Maria antequam pareret, iam erat Mater. 350
Ab Adamo ad Mariam vſque *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram*: natâ autem Virgine ſurrexit Aurora. 666
Maria liliũ inter ſpinas, dum recens à Spiritu ſancto grauida viſitat Eliſabetham, vt peccati ſpinas à Ioanne adhuc in Matris vtero arceat. 553
Maria dolores quos effugit parturiens, hos ſuſtinuit filio compatiens. 279
Maria vt purificaretur Templum conſcendit, ne filium magis in ſpecioſis quàm humilibus imitata videretur. 276.277.278
Maria in ſua Purificatione non Agnum quod diuitum erat munus, cùm ipſa tamen de Regia eſſet Dauidis ſtirpe, ſed par Turturum aut Columbarum cum pauperibus obtulit, memor filium in ſtabulo vilia inter animalia natum. 277
Pia & pulcra Ratio moralis cur Chriſtus in Nuptiis in Cana Galilææ Mariam Matrem increpare viſus. 144
Mariæ Chriſto patiente quantus dolor! 229.230.231
B. Virgo pulcra vt Luna, à mœrore nigreſcit & obſcuratur dum Chriſtus Sol Iuſtitiæ in morte extinctus eſt. 229
Virginis tantus fuit in Paſſione filij dolor, quanta eius gloria. ibid.
In B. Virgine Martyrũ omniũ collecti cruciatus. 230
Mariæ Conſtantia ingens in acerbiſſimo dolore. 231
Maria in triduo mortis Chriſti gemebunda Turtur. 375
Maria Magiſtra Apoſtolorum & Euangeliſtarum poſt Chriſti diſceſſum. 375
Maria num primo in Ieroſolymis Apoſtolico Concilio præfuit? 375
Mariæ in ſua Aſſumptione obuiam occurrunt Angelicæ Mentes. 178
Maria Virgo vt fida laborum Chriſti in terris ſocia; ita in Aſſumptione ſua, gloriæ conſors. 177.178 179
Cùm cæteris hominibus Chriſtus Iuſtitiam meruerit, ſuæ Matri etiam exiſtentiam & productionem impetrauit: Inde quantus Virginis in filium charitatis ardor! 348
In Mariam Miſericordiæ ſuæ Regnum quaſi tranſmiſit Chriſtus, eiuſque diſpenſationi Redemptionis noſtræ pretium commiſit. 143
Mariam matrem ſuam Chriſtus ſpiritaliter genuit, & lactauit ſibi ſimillimam. 98
Maria totum Chriſti corpus veſtit, cùm nec Ioannes Baptiſta, nec Angeli vel ad calceamenta præſumere audeant. 99
Mariæ vt pote Matri ſuæ in omnibus ſimilis Chriſtus. 96
Maria Paradiſus terreſtris ſecundi Adami, Chriſti videlicet. 664
Maria inter filias Adæ pulcherrima, ſicut Chriſtus filius ſpecioſus formâ præ filiis hominum. 97
Mariæ nonnunquam accommodat Eccleſia, ea quæ de Chriſto principaliter dicuntur. 98
Sicut Iſaaco ſimilem in moribus vxorem quæſiuit Abraham, ſic Spiritui Sancto Diuino Amori, dulciſſimo, liberaliſſimo, clementiſſimo, ſimilis genij Sponſam, MARIAM nempe prouidit Pater æternus. 144
Maria Virgo meruit de condigno Incarnationis accelerationem. 45
Maria pro Hominum ſalute animam ſuam immolauit, corpus quoque mactandum vltrò datura, ſi Deus annuiſſet. 178
Mariæ, Ianua cæleſtis Beneficij: Per illam ad Deum introducimur. 144
Mariæ Virgini quantum omnis Creatura debeat. 48
Maria nunquam nec Mater, etiam ante partum, quia Matris nomen pietatem, miſericordiam, compaſſionem ſonat, &c. 145
Maria diuinæ munificentiæ Organum eximium: mite quaſſatorum leuamen; tota blandiens & ſuauis. 143.144.145
Maria generis humani quaſi caput pro toto corpore dolet. 230
Duo Mariæ vbera quæ reis veniam, & Iuſtis gratiam impetrant, in Ioannem Baptiſtam effunduntur. 554
Maria ſuos in Diuini Iudicij ſeuero examine adiuuat. 263.264
Maria Nubes roſcida ardentiores Chriſti ſupremi Iudicis radios nobis attemperat. 263
Mariæ omnipotens auxilium. 700
Duo Mariæ dulciſſima vbera. ibid.
In Maria omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ. ibid.

Maria



Maria, *Oleum eſt effuſum*, à Miſericordia, dulcedine, medela, &c. 143
Mariam Deus dimidio Regni ſui (nempe Miſericordiæ Imperio) protegit, vt olim Eſtherem Aſſuerus. 143
Apud Mariam vtpote Clementiæ Reginam Impetratio num facilior, quàm apud Filium Iuſtitiæ Regem ac ſummum Iudicem? 143
Maria, Eccleſiæ gena. 374
Maria, Roſa è ſpinis nata. 144
Maria Cælum, imò cælo purior. 51
Maria firmamentum eſt in medio aquarum. 483
Maria Paradiſus eſt, cui Ioannes vt Cherubin Cuſtos adſcribitur. 102
Maria cum Luna confertur. 178
Maria Nubecula leuis, pura, dulcis è mari amaro, ſalſo, craſſo, aſcendens. 145
Maria Antonomaſticè dicitur *Ciuitas Dei*, in qua *Magnus* Dominus & laudabilis nimis. 665
Maria Vellus Gedeonis. 161
Maria Dies eſt ſine nocte. 50
Maria, Cerua matutina. 483
Maria oris oſculum, ſummum ſcilicet inter oſcula expetit, & quare? 25
Maria petra deſerti. 50
Maria Galbano cur comparetur? 553
Maria quod Chriſtum veſtierit, & ab ipſo veſtita fuerit, fuit *Mulier amicta Sole.* 98
Maria intenta ad Protoparentis ingrati caſum, ſtatim poſt Chriſti Conceptionẽ Deo humillimas gratias agit, per eam namque genus humanum reparandum erat, quod per Adamum ingratum corruerat. 163
Mariæ pulchritudo corporea. 97
Ad Mariæ pulcritudinem, dum in terris degebat, viſendam, piæ Peregrinationes. 97
Mariæ Intellectus quanta perfectio. 374.375
Maria prima omnium Virginitatem Deo vouit. 584.585.586
Maria Virginum Sacrarum Prima, primitate dignitatis & temporis. 584.585.586.587
Mariæ Humilitas, Verecundia, Modeſtia. 376
Mariæ Deiparæ puritas omnimoda. 211
Oculorum in Maria quanta modeſtia. 376
Maria in Gratiæ & Gloriæ donis ſuperauit omnes & Homines & Angelos collectiuè etiam ſumptos. 374
Maria ſingularis, & in quo? 98
Maria veſtitur Sole, Luna, & Stellis, illuſtribus Doctrinæ characteribus ad omnium ſtuporem. 385
Maria redintegrauit quę peccatum labefactauerat. 44
Mariæ & Diuininitatis vna veſtis. 99
Maria num poſtulauit mater Dei fieri? 25

*Maria ſoror Moyſis.*

Maria Moyſis ſoror mulieribus Hebræis præcinebat. 30.31
Maria ſoror Moyſis ſibi Propheriam fratri æqualem temerè arrogat, quòd eâ ſit indigniſſima: Maria verò Deipara ſe infra omnes demittit, cùm ſit omnium prima. 693

*Maritus*

Maritus vxorem quandoque vltra ſeipſum euehit & honorat. 39
Maritus Præceptor vxoris. 82
Maritus Rex, vxor Regina dicti. 186

*Maritati.*

Maritatis aliquid licentius in corporis ornatu dandum. 80

*Martha.*

Martha quod à Chriſto ſe ſubtraheret circa plurima ſolicita, arguitur. 462

*Martyr, Martyrium.*

Martyres in ſuis certaminibus illæſi. 162
Martyrum conſolatio & fortitudo, Botro cypri expreſſa. 477
Martyrum omnium cruciatus in Maria Virgine collecti. 230
Ad Martyrium ituri Euchariſtiâ pręmuniebantur. 481
Martyrium an præſtantius Baptiſmo? 352
Martyrium etiam à peccatis in futurum ſeruat, cùm Baptiſmus præterita peccata ſolùm abluat. 352

*Mater.*

Matris idioma facilius diſcunt Pueruli, propter teneriorem in eas amorem. 109
Matris Imaginatio quàm potens in fœtum. 206
Mater ſeptem Machabæorum, præ vehementi gaudio de filiorum fortiſſimâ morte, moritur. 88

*Matrimonium.*

Matrimonium ex duobus vnum quomodo facit? 27
In Matrimonium cur aliqui inſurrexêre Hæretici. 310

*Matrona.*

Matronæ à Scortis quomodo diſtinguebantur olim? 291

*Matthæus.*

Matthæus à Chriſto vocatus, non tam deſerit telonium, quàm in aliud mutat abundantiori fœnore. 673
Matthæum cur reſpicit Chriſtus & ſtatim tranſit: cum Samaritana verò diutius colloquitur. 363

*Medallia.*

Medallia ab Antiquis ante pectus geſtata varij generis. 372

*Melchiſedech.*

Melchiſedecis Oblatio, Euchariſtiæ figura. 165

*Medium.*

Media ad ſalutem neceſſaria omnibus præparat Deus. 639

*Mendacium, Mendax.*

Mendacium & fraus Deo, ſanctiſque Mentibus inuiſa. 430.431.432
Mendaces Reprobi in vltimo Iudicio vel coram vniuerſo Orbe ipſi Chriſto Iudici verba dare nituntur, ac veritatem obnubilare. 64

*Mendicantes.*

Mendicantium Ordines fluuio Euphrati comparantur. 155

*Mens.*

Mentes verecundæ, leniter; impudentes aſperiùs increpandæ ſunt. 220

*Menſa.*

Menſæ antiquorum rotundæ vel hemicyclæ: & quare? 410
Menſæ ex Cedro ſeu Citro ex Africa aduectæ. 518
Menſæ Rex aliquis inter antiquos. 187.188. Eius auctoritas: munus: qualis debuit eſſe? ibid.
An ad Menſam vnà cum Dominis Pueri & famuli olim ſedebant? 282
Quo ordine Menſis accumbebant olim veteres? 281

*Mercurialia.*

In Mercurialibus feſtis Domini ſeruis miniſtrabãt. 39

*Meretrix.*

Meretricis vox an de turpi quæſtu apud Hebræos, 289
Meretrices vagæ. 289
Meretrices in ſyluis. 290
Meretrices olim peplo faciem ſuam velabant. 290. 291
Meretricum cellæ olim in portubus. 290
Meretrices num aliquæ olim inter Hebræos? 292

*Meridies.*

Meridies non eſt tempus paſcendi,ſed feriandi 283
Meridies, Gloriæ cæleſtis Emblema. 293
Meridies, charitatem ſeu ſplendorem Euangelicum innuit. 294

*Meritum.*

Meritum de congruo exile ac tenue,nec propriè meritum. 44

*Meſſias.*

Meſſias,id eſt, vnctus. 122

*Meſſis.*

Meſſis in Palæſtina duplex,vt & vindemia. 655

*Metus.*

Metum inter fiduciamque gradiendum ex Diuinæ Iuſtitiæ pariter & Miſericordiæ conſideratione. 456.457.458

*Michaël Archang.*

Michaël Archangelus cum Diabolo altercatur de Moyſis corpore,& quare? 246
Michaëlem Archangelum Argonautis ad Anaplum apparuiſſe narrat Metaphraſtes. 250

*Michas.*

Michas Sacerdotem conſecrans,manum eius impleſſe dicitur,& quare? 201.202

*Militia, Miles.*

Milites voluntarios legit Chriſtus. 465
Militia cæli in Scriptura,quid? 614

*Miniſterium.*

Miniſterium Conuerſionis Animarum quàm præſtans. 272.273

*Miſſa.*

Miſſæ ſubſtantiam Chriſtus inſtituit, Accidentia verò Apoſtoli;auxêre viri Apoſtolici. 447
Miſſæ Sacrificium eſt Necis Chriſti recordatio. 446
In Miſſæ Conſecratione repræſentatur Chriſti Paſſio. 448
De Miſſæ Sacrificio celebris Malachiæ Prophetia. 449

*Miraculum.*

Miracula è Prophetarum cadaueribus. 246

*Miſericordia.*

Miſericordia Diuina foribus & feneſtris aſſidet. 638

*Miſſilia.*

Miſſilia, Dona quæ olim populo ſpargebantur in theatro. 137
Miſſilium in Theatro iactorum occaſione, litigia inter populares,percuſſiones,cædes. 138
Inſtante Miſſilium iactatione prudentiores è Theatro diſcedebant. 138

*Mitis.*

Mitem Eliam in deſerto viſitat Dominus, non verò terrores fulminantem. 146

*Mithra.*

*Mithra*,Solis Idolum apud Perſas. 252

*Modimperator.*

Modimperator Conuiuij,quis & qualis? 187.188

*Mœror.*

Mœror Sponſæ abſente Sponſo. 53
Mœrori ſalutare pharmacum,vinum. 84
A Mœrore vt à voluptate defectus animi ſiue deliquium. 87
Mœret Anima Deo abſente nihilque eam recreare valet. 53

*Mola.*

*Molæ vox* in Scripturis quid?& in Nuptiis cur adhibita? 29.30

*Monachus.*

Monachi vnde dicti? 617
Monachi olim Laici. 398
Monachiſmi à Clericatu Regulari differentia. 398
Monachorum quantus olim numerus, 582
Monachi antiquiſſimi,Eſſeni dicti. 683
Monachorum conſolatio in Scripturis. 196

*Monarcha.*

Monarcha quiuis Sponſus eſt,cui ſubiecta Prouincia Sponſa. 428

*Moniales.*

Moniales in Monaſteriis ſuis incluſæ quaſi in vita conſepultæ, mortem ſecuræ & hilares præſtolentur. 649.650

*Monile.*

Monile è Margaritis,Donum connubiale, 371
Monile ſimul cum Zona in Serpentis figuram. 388
Monilia Sponſæ partim argentea,partim aurea, indicant Euangelij Prædicationem argenteam,& mores Apoſtolicos charitate aureos. 394
Monilibus Virtus ſignificata. 382

*Moribundus:Moriens:Mors : Mortuorum corpora.*

Moribundus qui priùs Pœnitentiæ ſigna exhibuit, abſolui debet ab aduentante Sacerdote. 445
Morientes cur deoſcularentur Priſci? 26
Morientium vltimum ſpiritum oſculo excipere, iiſq; oculos claudere amiciſſimi ſolebant. 607
Mors à vehementi gaudio,& à mœrore. 88
In Morte cruciant Bona terrena quæ nimiùm dileximus. 260
Mors Religioſum veretur,non ipſe mortem. 650
Mors intrat timidè Religioſorum Cellas. 651
A Morte & Reſurrectione Chriſti Canticum Canticorum incipit. 42
Mortuorum corpora vncta & condita ad eorum conſeruationem. 520
Mortuorum cadauera à Chriſtianis olim quàm profuſè vncta. 77.78
Mortuorum cadauera num cremabantur apud Iudæos? 520
Mortuorum cadaueribus oſculum imprimere, & Euchariſtiam dare prohibitum. 607

*Moyſes.*

Moyſes Iuuenis adhuc & imperitus,Iudiciariam ambit poteſtatem,quâ exonerari ſenex ac tum digniſſimus efflagitat. 692
Moyſes viſione rubi, ligni ſpinoſi quo Chriſtus in Paſſione coronandus erat,in omnem euentum firmatur. 453
Moyſes in terra vepribus aſpera nudis pedibus ambulare iubetur, vt cùm illæſus euaſiſſet, periculis ſe pro aliorum ſalute audacter exponeret. 667
Moyſes cæteroquin eloquentiſsimus ad primam Dei vocem balbutit. 52
Moyſes cur ſe excuſat, Iſaias verò vltrò ſe offert ad Verbum Dei prædicandum? 364
Moyſes in Ægyptum profecturus,nec prudenti ſocero ſummam à Deo acceptam poteſtatem declarat. 200
Moyſes dum Hebræorum Imperator inauguratur, Terra in qua rubus ardet ſancta dicitur: & quare? 507
Moyſem pergentem in Ægyptum cur volebat Dominus occidere? 198
Moyſi ad Pharaonem Tyrannum proficiſcenti, cur mortem intentat Angelus? 509
Moyſes quod filio ſuo parceret, nec eum vt reliquos circumciderer,vitæ diſcrimen ſubit. 464
Moyſes Deus Pharaonis conſtitutus per Aaronem Prophetam ſuum alloquitur Regem, grauitatem quaſi diuinam ſeruans. 258
Moyſes cur in Ægypti flumina primùm ſæuit? 506
Moyſes recuſat ducatum Angeli,& quare? 53
Moyſes ingemiſcit ſub tanto Regiminis populi Hebræi onere, quippe quòd pueri moribus & ſenſu forent quos regebat. 330







Moyſes quanquam prudentiſſimus & à Deo populo præfectus, quod ſolus regeret arguitur à Iethro, danturque illi à Deo.70.Conſiliarij. 301
De Moyſis ſpiritu impertitur Deus ſeptuaginta ſubpræfectis vt vno eodemque ſpiritu adminiſtrata pacificè Hebræorum Reſpublica circumſtantium hoſtium impetus ſtabilis irrideat. 261
Moyſis ſpiritus quomodo in ſeptuaginta ſenes deriuatus? 150
Moyſis vultus diuinè irradiat,cùm de monte deſcendit correcturus populum. 227
Moyſes quòd coram omni populo addubitaſſet, nec famæ ſuæ proſpexiſſet ſatis, ab ingreſſu Terræ promiſſionis arcetur. 487
Moyſis, quia erat patientiſſimus iniuriarum ac mitiſſimus,facies diuinè irradiat, nempe ipſe erat Deus Pharaonis. 65
Moyſes manſuetudine populum Iſraeliticum ſibi deuinxerat. 130
Moyſes dum Madianitas debellat, ne quidem vnum è ſuis amittit. 162
Moyſes moriturus Deum pro ſucceſſore rogat. 600
Moyſes ab Angelis tumulatus. 246
De Moyſis corporis cur à Michaele Archangelo cum Diabolo altercatum? 246
Moyſis ſepulchrum cur ignotum? 227
Moyſes quamuis in omni Ægyptiorum ſcientia eruditus,à Iudiciaria poteſtate repellitur, donec cum Deo collocutus in ſpiritalem euaſit virum. 671
Moyſes dicitur Pater filiorum Aaron, quòd eos docuiſſet. 425
Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines,& Elias rigidiſſimus, in vno cum Chriſto conciliantur tabernaculo. 460
Moyſem Arabes Mercurium exiſtimauêre. 248
Moyſes coniugatus faciem Dei videre ambit; Elias Virgo hanc ne videat vultum operit, ſcilicet Virginitati ſuæ cuſtodem adhibens Humilitatem. 547

*Mulier.*

Mulier clauſa ſimilis Flori. 538
Mulieres Africanæ caput obuelabant panniculo nigro ac ſubtili, ſub quo viros aſpicientes, ipſæ non videbantur. 126
Mulierum Habitationes à virorum manſione diſtinctæ apud Palæſtinos & Orientales. 125
Mulieres etiam cùm in publicum prodirent, à viris ſeparatæ incedebant apud Iudæos. 125. Idem mos apud Græcos & Afros. 126
Mulieres Hebrææ vt & Ægyptiæ ſpecula & ſiſtra manibus gerebant. 608
Mulierum eſt in penetralibus claudi; virorum,in publicum prodire. 537
Mulierum Orientalium in vultu velando cura. 206
Mulierum capitium olim ſolum vnum liberabat oculum. 291
Mulierum cum Brutis certamina. 611
Mulieres zelotypæ. 25
Mulieres in Aſia bellatrices. 611
Muliebris ſexus ambitioſus. 191
Mulieribus Romanis vinum olim interdictum, etiam ſub mortis pœna. 83
Mulieribus Hebræis vinum permiſſum. 83

*Mundus.*

Mundi Opiniones & mores quàm diſcrepent ab æſtimatione Dei! 645.646
Mundi Prudentia eſt *Meum* & *Tuum*: aliis ſua negare,aliena rapere. 524
Mundus eſt vetula Religioſi Nouerca. 195

*Munus.*

Munera Amorem ſuſpectum reddunt. 22
Munera Sponſis à Cognatis & Amicis data. 388
Munera in Hoſpites diſtributa, 188

*Murenula.*

Murenulæ quid? 387.388
Murenula num ad effigiem piſcis aut ſerpentis? 387.388
Murenulis Fides adumbrata. 399
Murenulis indicantur Religioſorum vota. 396.397

*Murrhina.*

Murrhina olim in pretio. 436
Murrhina vaſa. 435. vide *Myrrha.*

*Murmurator.*

Murmuratore nil ſuperbius. 423

*Muſa.*

Muſæ Salomonis venuſtas. 610

*Muſica.*

Muſica excitat ignauos, furioſos mulcet, mentis tædium ſanat: animi paſſiones expellit, caſtos ciet affectus, &c. 679
Muſica pellit mœrorem, & luctum incantat. 678.679
Ad Muſicæ ſuauitatem confert oris canentis gratia. 678
Muſica olim in nuptiis. 29
Muſica & Poëſis apud Hebræos antiquiſſimæ. 30

*Myrrha.*

Myrrhæ nomen & Arbori & gummo ſeu Arboris lacrymæ accommodatur. 436
Myrrha, qualis Arbor? ibid.
Myrrhæ faſciculus cur vberibus appoſitus? 439
Coronatum ex Myrrha, vſus in Conuiuiis. 437
Myrrhæ ſarmentum non bene odorum. 437
Myrrha ſpinis aſpera. 437
Myrrha ſuaue olens. ibid.
Myrrhæ in ſepeliendis corporibus vſus. 438
Myrrhâ correctus olim grauis anhelitus. ibid.
Myrrhæ odor cur ſupra nardum ad epulum Geniale conquiſitus? 438
Myrrha valet aduerſus ebrietatem. 438
Myrrha vbi naſcatur? ibid.
Myrrha marina quænam:& quomodo pigmentis ſeu ſuffitibus inſeruiat? 435
Myrrhæ cum Beniuino quanta affinitas. 439
Myrrha lapis pretioſus, quem quidam Porcellanam credunt. 435. vnde ſic dicta? ibid.

*Myrrhatum vinum.*

Myrrhatum Chriſto vinum in Paſſione oblatum quale? 85

N.

*Naaman.*

NAaman ſepties in Iordane lauatur, quippe ad mundationem lepræ non ſufficit vna lotio. 66
Naaman Principi ſuo Regi Syriæ idololatræ in ſuis Sacris,ciuilis officij causâ licitè aſſiſtebat. 240

*Nablium.*

Nablium quid?& vnde dictum? 31
Nablium Inſtrumentum Muſicum Sponſarum. 31

*Nabuchodonoſor.*

Nabuchodonoſor quartum Iuuenem in fornace cum tribus pueris viſum,cur ſuſpicatur eſſe filium Dei? 157
Nabuchodonoſoris furorem contemnentes tres Pueri in fornacem ardentem miſſi, ab ipſo Nabuchodonoſore laudantur & honorantur. 674

*Nardus.*

Nardi multæ ſpecies. 413
Nardus quænam optima? 413
Nardus duplex:Syriaca & Indica. 415
Nardum montanum laudatiſſimum. 415. In Cilicia & Syria naſcitur. ibid.
Nardus in Libano. 416
Nardus ab odore præſtantiſſimo pretioſa. 409

Nardus in Menſarum *deliciis* olim habebatur, vel quod ex ea texerentur coronæ, vel vnguenta conficerentur, vel quod vino miſceretur. 408
Nardinum vnguentum præcipuum. 409
Nardinum Oleum in lampadibus templorum. 409
Nardinus herba humilis & calida: Humilitatē Charitatemque figurat. 416

*Naſchack.*

*Naſchak* verbi Hebræi variæ ſignificationes. 28

*Natiuitas Mariæ.*

Natiuitas B. Virginis hominibus perfectionem & ſolatium, Deo gloriam & laudem mirabilem prorſus attulit. 664.665
Natiuitas Mariæ Virginis eſt Porta Sion dilecta ſuper omnia tabernacula Iacob. 665
De Natiuitate Deiparæ certant inter ſe Secula. 666

*Natura, Naturale.*

Natura in vere Nouæ Nuptæ ſimilis. 653
Naturalis Legis quodnam tempus? 40

*Nazaræatus.*

Nazaræatus magnum Hebræorum votum. 590

*Negligentia.*

Negligentia noſtra velut macilentam reddit diuinam gratiam. 427

*Nemus.*

Nemora in ædificiorum tectis apud veteres. 516

*Nemrod.*

Nemrod qui & Belus à Nino filio poſt mortem inter Deos relatus: Idololatriæ origo. 251

*Nero.*

Chriſtianorum crudeliſſimus Hoſtis. 689
Nero Conuiuij Imperator. 187
Neronis in Chriſtianos furor. 687

*Nigra, Nigredo.*

Nigram ſe dicit Sponſa, ſcilicet in opinione Ieroſolymitanarum quæ ex inuidia nigram eam depingebant, quæ tamen reuerâ nigra non erat. 212
Nigra dicitur Gentilitas ob ſcelerum enormitatem. 254
Nigredo aliqua decora, 225
Nigredo improbitatis ſymbolum. 214
Nigredine, ſtatus abiectus ſignificatur. 212

*Noë.*

Noë in prima florentîque ætate virtutibus clarus Deo placuit, ideo per Arcam Mundum ſummo cum honore ſeruauit. 313
Noë tranſtulit ſecum in Arcam oſſa Adami vt ſacras reliquias, præſidium aduerſus tumentes fluctus. 246
Noë quamuis exſiccatam eſſe terram à Columba didiciſſet: diuinum tamen expectauit mandatum, vt ex Arca egrederetur in terram totum orbem moderaturus. 600
Noë à Cham maledicto irriſus Tyronem in ſpiritualibus ſignat ſugillandum, ſed à maledictis. 72
Noë, id eſt Requies. 195

*Nomen.*

Nomen Ieſu *Oleum effuſum.* 121.122
Nominum Ieſu & Salomonis affinitas. 121.122
De Nomine IEHOVAH nomen Ieſu concinnatum. 140
Nominum IEHOVAH & Ieſu diſtantia inter ſe. 141
Nomen Ieſu in paucis D. Pauli Epiſtolis quingenties repetitum. 141
Nomen Salomonis ſeu Pacifici in Corona Sponſi Oleagina intertextum, implexumque; quòd è Pugna Pacem reportaſſet. 130
Nomen Sponſi impreſſum Coronæ ipſius Oleaginæ. 129
Nomen Mariti vxori communicatur. 119
Nomen ſuum ſeruo manumiſſo dabat Dominus honoris causâ. 118
Nomina plurima literæ vnius mutatione corrupta. 121
Clara à pecore ſumpta Nomina. 284
Nomina propria per circumlocutionem ſæpe exprimit Scriptura. 38
Nomina vilium Perſonarum in Scripturis ſupreſſa. 36
Nominis vocabulum pro re ſignificata aliquando ſumunt Hebræi. 133
Nomina ab actionibus & euentibus frequenter imponebant Hebræi. 117

*Noſtrum.*

Noſtra dicimus quæ ab aliis dono accipimus. 518

*Nouacula.*

Nouaculæ acutæ comparatur Iuſtorum perſecutio. 402

*Nouiſſima.*

Nouiſſimorum quàm vtilis Meditatio ad vitiorum fugam, & ad virtutis deſiderium. 624.625

*Nouitij.*

Cum Nouitiis Animabus non in furore, ſed ex lenitate agendum. 600.601.602

*Nouus Orbis.*

Nouus Orbis Veteribus num notus? 542

*Nox, Noctu.*

Noctu feſta celebrata. 285

*Nubentes Nubere.*

Nubentes intonabant Hymenæum. 29
Nubentes vittâ ſeu peplo obumbrati, 173
Nubentibus Iugum olim imponebatur. 173
Nubere à nubibus dictum. 559

*Numerus.*

Numerus quinquagenarius apud Hebræos lætus & hilaris, 592
Numerum pluralem pro ſingulari ſubſtituit Scriptura honoris gratiâ. 27

*Nuptiæ.*

Nuptiarum gaudia præcipua à Puellis. 190
In Nuptiis Cantores & Cantatrices. 30
In Nuptiis aurati & purpurei amictus, ſed ſub ſtola è byſſo candida. 536
In Nuptiis candidæ veſtes. 535
Nuptialis pompa in menſem totum ſæpe continua: mediocris in ſeptiduum protracta. 287
In Nuptiali Conuiuio, frondibus, floribusque ornabâtur ædium portæ, feneſtræ, aulæ, &c. 559
Nuptiales Chriſtianorum cæremoniæ. 22
Nuptiales pompæ noctu celebratæ. 285
Nuptiæ Chriſti & Eccleſiæ cur in diem Pentecoſtes dilatæ? 563

*Nutrix.*

Nutricis mores induit infans potiùs quàm matris. 81

## O

*Obediens Obedientia.*

OBediens Chriſtus vſque ad mortem, circumducitur in Paſſione vt Cadauer. 61
Obedientia Chriſti prompta & fortis. 135
Obedientiæ vinculis adſtrictum, propriâ duci voluntate, quàm periculoſum. 60

*Obiurgatio.*

Obiurgationes Prophetarum ſpecioſo Cantici nomine vocantur in Scriptura, & quare? 150

*Obliquus.*

Obliquum carmen, quale? 387

*Obumbrare.*

*Obumbrare* vox Maritalis. 559.560

*Occaſio.*

Occaſiones malorum quàm citò vitandæ. 507.508. 509





*Oculus.*

Oculi Amantium quàm acres & perſpicaces? 634
Oculos præcipuè ſpectant Amantes. 497
Oculi Sponſæ cur columbarum dicuntur? 496
Oculi Columbini mentis candorem innuunt. 497
Oculi, Animi Indices. ibid.
Oculos morientium claudere ſolebant amiciſſimi. 607
Oculi ſublimes, mobiles, vagi, &c. 497
Oculi Animæ feneſtræ. ibid.
Oculi Eccleſiæ ſunt Apoſtoli. 503
Oculorum Conuerſio, in S. Scriptura Beneuolentiæ indicium, eorumdem verò Auerſio, Iracundiæ nota. 234

*Odioſa.*

Odioſæ vxoris Primogenito iubet Deus duplicia de omnibus dare. 645
*Odioſæ*, id eſt, Virtutis Filius, quamuis vilis apud homines, honoratur, præfertúrque filio *Dilectæ*, hoc eſt, Voluptatis. 271

*Odor.*

Odor, Aromatum dos vnica. 191
Odoramenta olim communiſſima. 411
Odoramenta pretioſiſſima in rebus Sacris. 78
Odoribus omnia fragrabant olim apud Ethnicos. 78
Odorum fragrantiâ capiuntur Columbæ & Palumbes. 184
Odor ſuauis, bonæ Famæ ſymbolum. 127
Odor Synagogæ anguſtus, Euangelij odor diffuſiſſimus. 92

*Olea, Oleaginus.*

Ex Olea Coronæ Triumphales. 127
Ex Olea Deorum fabricatæ ſtatuæ: & quare? 123
Oleæ foliis coronatur Sponſus ob conſtantiam. 127
Olea Victoriæ ſymbolum. 127
Oleaginæ frondes in Scenopegiis. 128

*Oleum.*

*Oleum effuſum* vocatur Sponſus ab Adoleſcentulis: & quare? 118
Oleum Chriſti nomen in omnes terras effuſi effuderunt Apoſtoli. 154
Olei effuſione ſumma Dei in creaturas liberalitas adumbrata. 147
Oleum pretioſiſſimum in rebus Sacris. 78
Oleum generale vnguentorum odoris optimi vocabulum. 117
Olei etiam vulgaris virtus Medica. 142.
Oleo Medico nomen IESV ſignificatum. ibid.
Oleum in ſacris templorum lampadibus olim quàm pretioſum. 410
Oleum ex nardo in ſacris lampadibus. 409
Oleum exinanitum, Chriſtus in ſua Paſsione. 133
Olei vnctio in Baptiſmo quem in finem? 479
Oleum luctæ & laboris ſymbolum. 494
Oleum Clementiæ ſymbolum. 123
Oleo Chriſti Diuinitas adumbrata. 136
Oleum quidem habuit Synagoga, ſed non effuſum vt Eccleſia. 132

*Olfactoriolum.*

Olfactoriolum vbi Sponſi inſculpta effigies ad pectus ſemper geſtabat Sponſa, Dilecti numquam immemor. 461

*Oliua.*

Oliua Arborum Reginam eſſe recuſat, datque ſimul hoc documentum: Si deuotionis pinguedo deſerenda eſt, ne aliis imperes. 150
Oliua Pacis ſymbolum. 66.120
Oliuarum Rami in Triumpho Chriſti Ieroſolymitano. 129

*Omnis.*

Omnibus neceſſaria ad ſalutem media præparat Deus. 639

*Omnipotentia.*

Omnipotentiæ Diuinæ Virtus emicat maximè in Peccatorum grandium Conuerſione. 366.367. 368

*Onager.*

Onagri horas diei & noctis rugitu ſuo diſtinguunt. 481.655
Onagris Dæmones comparati. 665

*Onyx.*

Onyx vnguentis aromaticis ſeruit. 436

*Opera.*

Opera Fidei ſocianda. 399.400.401
Operum & fidei coniunctio aſſeritur contra Caluinum. 581
Ex Operibus bonis quæ ad gloriam Dei cedunt, quanta Homini redundet vtilitas. 672.673

*Ophir.*

Ex Ophir quænam ligna Salomoni allata? 518

*Opinio.*

Opiniones Dei & Mundi quàm contrariæ! 645.646

*Optimates.*

Optimates cæteris in cantu præîbant. 31

*Optio.*

Optio Chriſto data eſt aſſumendæ carnis paſſibilis ſiue impaſſibilis, ita tamen vt homines redimendi non forent niſi per crucem. 134. Optio hæc Chriſto quando facta? 135

*Opus.*

Opus vermiculatum, quale? 390. quanto in pretio apud Veteres? ibid. Hoc LXX. vocant *Puncta* ſeu *diſtinctiones.* 393

*Oratoria.*

Oratoria Sacra quæ in ſepulchri Chriſti piam repræſentationem in Hebdomade Sancta adornantur, ab Iſaiæ vaticinio celebria. 450

*Ordo.*

Ordo in Militia & exercitu quàm neceſſarius! 572
Ordinem etiam brutas animantes docuit Natura. 572
Ordine ſuo & tempore ſingula in negotioſo, variôque Mundi opificio format Deus, quamuis in momento cuncta perficere potuiſſet. 179
Ordinem ſeruat Sponſa, etſi feſtina. 179
Ordo diuinorum decretorum circa Incarnationem Chriſti. 47.48
Ordo decretorum Diuinorum circa præceptũ Chriſto datum de Incarnatione, & ipſius Chriſti liberam electionem. 135
Ordo decretorum diuinorum circa Incarnationem, & Deiparæ à peccato Originali præſeruationem. 346.347
Ordines duo ſpectantur in Prædefinitione Diuina, ſcilicet Intentionis & Executionis. 47
Ordo ſpiritalium exercitiorum non interturbandus ob negotia. 179.180
Ordo Miſſæ à S. Petro inſtitutus. 447
Ordo Equitum Cardui B. Mariæ à Ludouico II. Duce Borbonio inſtitutus. 539

*Oriens.*

Ad Orientem conuerſi orabant olim Chriſtiani. 685
Apud Orientales Mulieres à Viris in bipartitis ædibus ſeiunctæ. 125

*Originale Peccatum.*

Originalis peccati contrahendi duplex conſideratur debitum in B. Virgine, Proximum, & Remotum: & an ab vtroque exempta? 345.346.&c.

*Ornatus.*

Ornatus cultior & mollior viros dedecet. 495
Ornatus depoſitionem Hebræis edicit Deus, vt inde cachinnis expoſitam probet eorum Pœnitentiam. 72
Ornatus paulò licentior maritatis permittendus. 80
In Ornatus templorum malè inclamant cum Iuda Heretici: *Vt quid perditio hæc?* 419

*Orpheus.*

Orpheus 360. Deos coluit. 244

*Os, oris.*

Oris Oſculum ad nobiles & ingenuos ſpectabat. 24. 43.

*Os, oſſis.*

Oſſa Adami quaſi Sacræ Reliquiæ in Arcam à Noe aſportata. 246
Oſſium comminutio in Scriptura dicitur de grauiſſimo cordis dolore. 669

*Oſculum.*

Oſculorum variæ differentiæ. 24
Oſculorum tria genera; Pedis, Manuum, Oris. 24. 43
Oſculum ſalutationis & congratulationis Nota. 33
Oſculum Amicitiæ, fœderis, & Concordiæ ſymbolum. 33
Oſculum inter Chriſtianos olim frequens. 34
Oſculum cultus & ſubmiſſionis indicium. 28
Per Oſcula ſalutati abſentes Amici. 21
Oſculum peregrè venientium nota. 23
Oſculum honeſtum, & delectatio ex eo præcisè ſecuta, licita ſunt. 35
Per Oſculum ſpiritum Amantis ebibit Amans. 25
Oſculo vltimum chariſſimorum ſpiritum haurire, chariſſimi ſolebant. 607
Oſculũ morientibus ab antiquis cur impreſſum? 26
Oſculum recèns natis Infantibus impreſſum. 34
Oſcula plura pauciorúue data pro qualitate perſonarum. 27
Oſcula etiam rebus inanimatis conceſſa. 23
Oſcula Mortuorum cadaueribus imprimi prohibitum. 607
Oſcula Sponſis licita. 35
Oſculum ſanctum quale? 33. 34
Oſculum ad Euchariſtiam: 34
Oſculatio pedum Summi Pontificis. 34
Oſculi tabellæ Pacis vſus in Ceremoniis Eccleſiaſticis vnde? 34
Oſculum Eliſei Sunamitidis puerum reſuſcitat, non eiuſdem Prophetæ baculus. 298
Otioſi dicuntur qui in foro verſantur, quamuis occupatiſſimi. 629

*Ouis, Ouicula.*

Ouicula boni Paſtoris humeris impoſita, vndénam erat laſſata? 54
Ouem vnam errantem dimiſſo grege requirit Paſtor, quaſi grex totus ab vna errabunda foret diſſoluendus. 308
Ouis erraticæ, quam in ſuos humeros aſſumpſit, culpam in ſe quaſi transfert Paſtor optimus, dum dicit, quod ipſe eam perdiderat. 268
Inter Ouium, Hominumque regimen cognatio. 383

*Oza.*

Oza occiſus eſt quod Arcam tenere voluiſſet. 198

*Ozias.*

Ozias Rex ſuperbus, Sacerdotum officium præripiens, leprâ punitur ab hominum conſortio expellendus. 328
Ozias Rex dum ab Azaria Pontifice corripitur, Rex non nominatur, quaſi Peccatum ſeruum illum reddidiſſet, ac è ſolio deieciſſet. 154

P

*Pabulum.*

PAbulo, Reſurrectionis ornamenta indicantur. 239

*Pædagogus.*

Pædagogus aliquando Princeps, Dux, Pater nominatur in Scriptura, 82
Pædagogi Angelis ſimiles. 489

*Paganus.*

Pagani non peccabant dum in ſuis dubiis Maiorum ſuorum iudicio acquieſcebant. 239
A Paganorum vitiis meritò ſibi ſuſpecta eſſe debuit eorum Religio. 295
Vide *Ethnici.*

*Palæſtina.*

In Palæſtina vites bis, térue florent: & matureſcunt. 655.
In Palæſtina duæ in anno Meſſes, vt & duplex vindemia. 655
In Palæſtina poſt Veris prouectã tempeſtatem nulli imbres. 653
Palæſtina vulpibus abundat præſertim circa tempus meſſis triticeæ. 679

*Pallium.*

Pallij extremâ parte Sponſam obumbrabat Maritus Hebræus. 559
Pallium Eliæ & Eliſei, eumdem in vtroque Spiritum indicat. 75

*Palma.*

Palmæ fructus quod vuã imitetur, Botrus dictus. 469

*Panis.*

Panis ſubcinetitius Elię ex charitate ſubminiſtratus, amplum in ſumma penuria viduæ Sareptanæ victum ſuppeditat. 56
De eodem comedebant Pane noui Coniuges, in ceremoniis Nuptialibus. 571

*Paradiſus.*

Paradiſus terreſtris Regia Hominis in ſtatu Innocentiæ Aula. 154
Paradiſi poma quæ in Palæſtina naſcuntur deſcripta. 475.

*Paraſceue.*

In Paraſceue cur Chriſti corpus non conſecretur? 448

*Pars.*

Pars pro toto aut è contra, in Scriptura. 27

*Partialitas.*

Partialitas maximè vitanda Prælato. 463. 464. 465.

*Paſcha, Paſchalis.*

Paſchatis Dies, dies exultationis & lætitiæ, cæteris lucidior. 194
Paſchalis ſolemnitatis deſcriptio. 194
Paſchalis noctis Peruigilium. 285
Paſchale Feſtum Natiuitas eſt Eccleſiæ. 194

*Paſſer.*

Paſſeri qui in expiatione Leproſi offerebatur & immolabatur, comparatur Chriſtus. 485. 486

*Paſſiones.*

Paſſiones Animæ quemadmodum in carnem dominentur, Phyſica ratio. 87. 88. 89

*Paſſio Chriſti.*

Paſſionis Chriſti recordatione facilè ſuperantur aduerſa. 452. 453. 454
Paſſio Chriſti torrenti comparatur. 257

*Paſtor, Paſtoralis.*

Paſtor & Amans, ſolo vno puncto diſtinguuntur in lingua Hebraica. 288
Paſtor num præire an ſequi gregem debeat? 317
Paſtori ſemper vigilandum. 318
*Paſtor* dicit Iuſtitiam & Lenitatem, hanc tamen maximè. 284
Paſtoralis dies pulchrè deſcribitur. 283

Ars



Ars Paſtoritia multa, éaque vtilia ad regendum documenta includit. 283
Paſtores multi illuſtriſſimi. 284
Paſtores Eccleſiæ Electro ſimiles eſſe debent. 394. 395

*Patientia.*

Patientia ipſa eſt Diuina Natura. 145
Patientia, præſtantia eſt ingenitæ cuiuſdam proprietatis. 146
Patientia ad quietem & iucunditatem ducit. 492. 493. 494
Patientiâ Homines velut Dij euadunt. 64
Patientia Chriſti ipſum eſſe Deum probat. 64
A Patientia Moyſis vultus diuinè irradiat, ac per illam velut Deus habetur. 65
Patientia ſeu Moderatio Dauidis ipſum quaſi Sacerdotem ac Dei Vicegerentem conſtituit. 65

*Pater.*

Pater æternus cum mortalibus non conuerſatus. 57
Pater æternus S. Ignatium Societatis Ieſu Fundatorem alloquitur: Quantum iſtud Priuilegium. 57
*Pater futuri ſeculi* dicitur Meſſias; quòd æterna bona ſuis præparet. 699
Patres legis Veteris, Incarnationis accelerationem meruêre tantùm de congruo. 46

*Patera.*

Pateram prægustatam Sponſo porrigebat Sponſa in nuptiali ſympoſio. 570

*Patria.*

Patria Apoſtolicis & Religioſis viris nulla fixa eſt: ibi domicilium, vbi maius Dei obſequium affulget. 154. 155. 156

*Patriarcha.*

Patriarcharum pro Chriſti Incarnatione ſuſpiria. 44
Patriarchalis ſedes Antiochena quando inſtituta? 660

*S. Paulus.*

S. Paulum in Conuerſione ſua Equitem pingunt Pictores, ſed malè. 340
D. Paulus reliquos Apoſtolos laborum tolerantiâ antecellere viſus. 159
S. Paulo Apoſtolo, quondam Eccleſiæ Perſecutori, maior pars præ fratribus venit, vt quondam Benjamino. 647
Paulus Apoſtolus paruulos ſuos ipſe lactat: nutrit, fouet, nec aliis committit alendos. 301
D. Paulus plura peragrauit regna, quam alius quiuis Apoſtolorum: inde Doctor gentium dictus. 160
D. Paulo etiam ipſæ conſolationes ſunt in maius cruciamentum. 159
Pauli Apoſtoli mœror pro lapſis Galatis. 266
S. Paulus Gentium Doctor in tertium cælum rapitur, vt eo honore ſublimatus, Chriſtum pro dignitate annunciare poſſit. 274
D. Paulus Concionatoris optimi exemplar, rectè Nutrici ſe comparat; quare? 672
S. Paulus Præconis Euangelici exemplar in cælũ rapitur, vbi diſcat ſpernere terrena, & ſe ciuem cælicum probare. 362
D. Paulus optabat fieri anathema pro fratribus, quo ſenſu? 269
D. Paulus ſe in audientium vtilitatem cõmendat. 220
D. Paulus cùm de cæteris ſuis laboribus & virtutibus gloriatur cur Animarum, quas Chriſto pepererat, numerum non recenſet? 273
S. Paulus tentoriorum opifex ſecundum aliquos. 208
S. Paulus cur olim à dextris S. Petri depictus? 609

*Pauper, Paupertas.*

Paupertas & Caſtitas Comites. 616
Pauperibus ſubuenire tenentur Eccleſiaſtica bona poſſidentes, 201. 202. 203. Iiſque ſuperflua erogare. ibid.

*Pax.*

Vbi Pax floruerit domeſtica in Republica aut Congregatione, vix nocere poterunt externæ pugnæ. 260. 261. 262

*Peccator Peccatum.*

Peccatorum Conuerſio quàm difficilis? 367. 368. In ea Diuinæ Omnipotentiæ virtus maximè elucet. ibid.
Peccatoribus nihil verè lætum. 53
Peccatores non exhorret vera Sanctitas, ſed eis dulciter compatitur. 265. 266. 267
Peccata remittere ac retinere idem eſt Caluino, ac prædicare Euangelium. 443
Peccatum quos inficit & deturpat, ex ingenuis, liberiſque, mancipia continuò reddit. 152. 153. 154
E Peccato cautelam maiorem eruit Iuſtus, humilitatem profundiorem, diligentiam vigilantiorem, inſtructionem pleniorem. 225
Peccati cauſa phyſica quo ſenſu dicatur Deus? 255

*Pecus.*

Pecus mutuatum, mortuum aut debilitatum præſente Domino non iubetur reſtitui, quod nullus Socordiæ in præſentia Domini locus eſſe præſumatur. 603

*Pelles.*

Pellés Salomonis, quænam? 207
Pelles Salomonis, an fuerint indumenta? 208
Pellicea veſtimenta bellatores, & feros homines decent. 208
Pelles quæ tegebant Arcam, pulchræ & pretioſiſſimæ. 207
Pellium Tabernaculi, nullus fortè vſus, Templo extructo. 207
Pelles Caſtrenſes Salomoni Regi Pacifico quomodo conueniunt? 209

*Pentecoſte.*

Pentecoſte dies Nuptiarum Chriſti & Eccleſiæ. 132
Cur in Pentecoſtes diem dilatæ Chriſti & Eccleſiæ Nuptiæ? 563
In Pentecoſte nuptiali Eccleſiæ feſto, diuino muſto inebriati Apoſtoli. 678
In Pentecoſte tria Apoſtolis propinauit pocula Spiritus ſanctus. 579
In Pentecoſte obumbrat Eccleſiam Spiritus ſanctus. 562. mittitur Verbi nomine quaſi Procurator nuptiarum. ibid.

*Peregrè venientes.*

Peregrè venientes oſculo excipiebantur. 23

*Periclymenon.*

Periclymenon, qualis flos? 539. An ſit lilium Cantici? ibid.

*Periculum.*

Pericula in Tentationibus præcauenda, nec expectanda vltima diſcriminis occaſio. 507. 508. 509
In Periculis maximis Chriſtus fidiſſimus auxiliator. 568 569

*Perfectio, Perfectus.*

Perfectæ Vitæ ſtudioſis, Meliorum exempla ſemper conſideranda, ne tepeſcant. 109
Ad perfectionem tendenti Animæ, præſertim ſub Conuerſionis exordio hominum irriſiones, dicteria, ſcommata deſpicienda. 72
Perfecti viri diuinæ gratiæ fauores & prærogatiuas magno ſtudio occultare nituntur. 199. 200. 201.
Perfectus vir à Veneris Planetæ fulgoribus ad Lunæ claritatem, & ab ea ad Solis lumen continenter tendat, more Simonis Oniæ filij. 110

*Permiſſio.*

Permiſſio peccati, in præcedentium peccatorum vindictam. 255

 Perſarum

*Perſæ.*

Perſarum Dij Sol & Ignis. 252
Apud Perſas vnguentorum luxus. 79
Perſarum Reges Solis ſe propinquos dicebant. 252

*Perſecutio.*

Perſecutio Sanctos non conſumit, ne attenuat quidem, robur magis & nitelam accerſit. 401.402.403
Perſecutio ſicut nouacula acuta Tonſoris, non lædit, ſed pilos & ſuperflua radit, nitidioremque reddit Iuſtum. 402
Prima Perſecutio Chriſtianorum à Iudæis. 619
In Perſecutione Ieroſolymitana diſperſi Fideles, quas in regiones venerint? 658

*Pes.*

Pedis oſculum, Seruorum erat. 24.43
Pedum lotio ante cœnam vnde? 281

*Petra.*

E Petra ortus Chriſti. 50
Petra deſerti, Maria. 50

*S. Petrus.*

Cur Petrus dicitur neſcire quid loqueretur, dum tria in Thabore fieri Tabernacula optat? 262
Petrus in Thabore neſcit quid dicat, dum Dominum in ſeruorum ordinem redigi optat. 425
D. Petrus in quonam errauit, dum tria in Thabore optat fieri Tabernacula? 160
Petro Apoſtolo in cæteris quanquam eximio, quod vel ſemel obedire recuſaret, dicitur, Si non lauero te, non habebis partem mecum. 404
D. Petrus poſt trinam ſuam negationem Chriſtum interrogat, quod priùs non auſus fuerat, quaſi poſt peccatum in maiorem Chriſti receptus foret familiaritatem. 354
S. Petrus negare Chriſtum permittitur, vt inde feruidior eius natura reprimatur. 268
S. Petrus mauult cauſam ſuam flere, quàm dicere. 641
Cur Petrus Eccleſiæ ſummus Paſtor præficitur, non Ioannes? 262
D. Petrus Apoſtolus quas Regiones peragrarit? 658
S. Petrus Simonem Magum proſtrauit, quibus armis? 685
S. Petrus quo tempore Romam ingreſſus eſt, ibique Sedem fixit Pontificalem? 660
S. Petri Romana Sedes in Hæreticos aſſeritur. 660
D. Petri Pœnitentia non in vanis querelis ſed in lacrymis tota recenſetur. 641
D. Petri prima Epiſtola ad eos qui in perſecutione obortâ poſt mortem Stephani, in varias regiones diſperſi ſunt ſcribitur. 658

*Pharao.*

Pharao de quo in Cantico fit mentio: quiſnam? 332
*Pharao* apud Ægyptios Regem ſonat. 332
Pharao domeſticis hoſtibus, Ranis nimirum vincitur. 263
Pharao Ægypti plagis profligatus etiam Iſraëlitarum bona, dum eos dimittit, occupare vult. 525

*Phariſæus.*

Phariſæus dum ſe iuſtum prædicat, damnatur; Iobus verò dum probitatem ſuam commendat, probatur: Quare? 219
Phariſæus in Templo orans Publicano poſtponitur, quia etſi cætera vitia ſuperaſſet, iactantiæ tamen ſuccubuit. 405
Phariſæi in Templo Oratio Deo exoſa, quia in Prouidentiam diuinam iniuria, quod nempe, nullum in Eccleſia ſanctum præter ſe agnoſceret. 149

*Philiſtiim.*

Philiſtæi ſpeciatim Chananæi. 238
Philiſtiim ſeu Palæſtini propriè erant Alienigenæ apud Hebræos. 237
Philiſtæi ab Iſraëlitis olim bellica inſtrumenta ſubmouere tentarunt; ſic nunc Hæretici ab Eccleſia doctrinam Chriſtianaſque virtutes ablegare conantur. 310

*Philo.*

Philo Hebræus S. Petri amicitiâ Romæ familiariter vſus. 684

*Philoſophia, Philoſophus.*

Philoſophiæ Ethnicæ inconſtantia. 244
Philoſophi Gentiles in erroribus ſuis inexcuſabiles: & quare? 239
Philoſophi Ethnici Pædicones, inde Antinous puer ab Adriano in Deum conſecratus. 249
Philoſophorum alia fuêre dicta, alia facta. 244
Apud Philoſophos Gentiles, nil firmum, nil ſtabile, vana omnia. 244
Philoſophi ſiue Oratores Ethnici de verbis curioſi, de moribus negligentes, quos imitati ſunt omnes ſectarij. 394
Philoſophis & ſapientibus inter Ethnicos, aliud in ore, aliud in corde. 239
Philoſophi in tegendis ſuis vitiis diligentes & cauti. 295

*Philoteſius.*

Philoteſius Crater, quid? 571

*Phœnix.*

Phœnix inter Aues Virgo, Reſurrectionis & Immortalitatis ſymbolum, Virginitatem pulchrè adumbrat. 527

*Pictor.*

Pictores errant dum Paulum in Conuerſione ſua Equitem pingunt. 340
Pictores errant in Amore pingendo. 36

*Pigmenta.*

In Pigmentis duo præcipua: Odor & Synceritas. 413

*Piſcator.*

Piſcatores ad Orbem conuertendum cur elegerit Deus? 544

*Piſticum.*

Piſticum Magdalenæ vnguentum, quid? 414

*Planctus.*

Planctus lugubris ad buſtum antiquus. 520.521

*Platanus.*

Platani vmbra gratiſſima. 678

*Platea.*

In Plateis non inuenitur Chriſtus. 306

*Plato.*

Plato credidit Angelos ſingulis hominibus Cuſtodes datos. 249
Plato tres Deorum claſſes propoſuit. 250

*Plenum.*

Plenum illud, quod perfectum. 202

*Pluralis.*

Pluralem numerum pro ſingulari ſubſtituit Scriptura, honoris gratiâ. 27

*Poculum.*

Pocula in compotationibus olim in orbem ducta inter Conuiuas. 411
Pocula tria Apoſtolis propinauit Spiritus Sanctus in feſto Pentecoſtes. 579
Poculum idem propinatum, eiuſdem aleæ & diſcriminis ſymbolum. 571

*Pœnitentia.*

Pœnitentia ſalubriter amara. 443. Myrrhæ comparatur. ibid.
Sacramenti Pœnitentiæ & Clauium inſtitutio. 442
Vt Pœnitentiam Hebræorum probet Deus, ornatus depoſitionem illis præcipit, vt ſic hominum ludibrio exponantur. 73

*Poëta, Poëſis.*

Poëſis & Muſica antiquiſſimæ apud Hebræos. 30
Poëtici Sales & argutiæ in hoc Diuino Cantico. 610
Poëtarum fabulæ num ſacrarum Scripturarum interpretationi bene ſeruiant? 607
Poëtarum fabulæ ad Scripturæ explicationem non inutiles. 25

*Polygamia.*

Polygamia Hebræis permiſſa. 24

*Pompa.*

Pompa genialis aliquando in menſem totum continua, mediocris in ſeptiduum protracta. 287

*Pomum.*

Poma Paradiſi in Palæſtina. 475
Poma in Amantum deliciis vt & flores. 576. Quare? ibid.

*Pontifex.* Vide *Epiſcopus, Prælatus.*

*Pontifex Romanus.*

Pontifices Romani ditionem ſuam à Conſtantino Magno Imperatore, Pipino & Carolo Magno Galliæ Regibus, *&c.* liberaliter conceſſam legitimè poſſident. 478
Pontificis Romani humanus & Politicus Magiſtratus propugnatus aduerſus Caluinum. 477

*Porcellana.*

Porcellana num ſit eadem cum Myrrha lapide? 435

*Porta.*

In Porta Ciuitatis iudicium olim ferebatur. 694

*Poteſtas.*

Poteſtas è Sacerdotali Ordine duplex, ſcilicet in verum Chriſti corpus, & in Myſticum. 442
Poteſtas temporalis Chriſti, etiam quà Homo, & eius Imperium ſuper omnes nationes, explicatur & probatur. 138.139.140
Poteſtatem ſuam Temporalem quomodo Chriſtus promeruerit? 140

*Potus.*

Potus triplex Chriſti in Paſſione. 85

*Præceptor.*

Præceptore Chriſto, doctus ſtatim & perfectus euadit bonus in Cruce Latro. 52
Præceptor quaſi Pater exprimat in filiis imaginem ſuam, nec eorum in ſe ruditatem transferat. 425
Præceptorem habentes Deum, in momento inſtruimur. 51

*Præceptum.*

Præcepta Dei in noſtram vtilitatem cedunt. 672.673
Quomodo cum Patris Præcepto de ſubeunda pro hominibus morte cohæreat Chriſti electio circa vitam paſſibilem? 134

*Præco.*

Præco Euangelicus terrena omnia emolumenta negligat. 361.362.363

*Prædefinitio.*

In Prædefinitione Diuina duo ſpectantur ordines, nimirum Intentionis & Executionis. 47

*Prædicatio.*

Prædicatio Verbi Diuini nobilior Pſalmodiâ. 683

*Prædicator*, Vide *Concionator.*

*Prælatus.*

Prælatus non ſolùm extrinſecus luceat, ſed & intus plenus ſit oculis, ſimilis quatuor animalibus Apocalypſeos. 151
Prælatus ſubditorum defectus quantùm fieri poteſt celet & operiat. 268.269.270
Prælatus non ſemper vtatur correctione. 184
Prælatus gerẽdis & agendis ipſe interſit. 301.302.303
Prælati ſubditorum Matres non Domini. 124
Prælatus ſubditis quæ ad honeſtam vitæ rationem neceſſaria ſunt ſubminiſtret, & tum quæ iubere conueniens eſt, imperet. 597.598
Prælato pacis ſtudioſo, vitanda ſummoperè partialitas. 463.464.465
Prælati ſiue Superioris lenitate diſcretâ, ſubditi mirum in modum excitantur, atque proficiunt. 183.184.185
Prælatus ſubditorum peccata quæ correxit, ne memoriâ refricet. 353.354
Prælatus in emendatum ſubditum durus, non Pater, ſed hoſtis efferus & lupus crudelis habeatur. 353
Prælati ſeueri, ſubtriſtes, duri, Saüle repræſentantur: mites verò Dauide. 185
Prælatos & Magnates ſermo blandus ac mitis quantùm deceat. 130
Prælatus imitatur Dauidem qui vt latens vermiculus arborem exterius illæſam & formoſam corrodit intus, & deiicit. 269
Prælato ſuo ſubditus conſcientiam ſuam candidè manifeſtare debet, ac omnes cordis ſui latebras aperire. 62
Prælati bobus mare æneum ſupportantibus ſignificati. 199
Prælati genis Sponſæ figurati. 376
Prælatorum vigilantia ad arcendas hæreſes multum conducit. 322
Vni Prælato, vna ſit Eccleſia. 376

*Præmium.*

Præmium ſpiritale & æternum confert Deus: abſque argento & abſque vlla commutatione. 698
Præmium de condigno varium & inæquale. 45

*Præſentatio.*

Præſentationis Mariæ trimulæ in Templo Conſideratio. 482.483

*Præſentia.*

Præſentia Regis ſiue Superioris quanto vigore ſubditos animet. 602.603.604

*Præſentia Dei.*

Præſentia Dei roborat Abrahamum ad mactationem filij. 602
Præſentiam Dei per diuinorum memoriam quanto cum emolumento procurant viri ſpiritales. 460.461.462

*Præſumptio.*

Præſumptio ſpiritus quàm pernicioſa. 380

*Præteritum.*

Præteritum pro Futuro frequenter vſurpant Prophetæ. 133

*Prandere, Prandium.*

Prandere olim erat vitium. 286
Prandij etymologia. 287
Prandium cibum meridianum dicit. 287
Prandia apud Veteres olim nulla. 285.286
Prandium meridianum olim apud Hebræos. 287
Prandium Cœnæ addebatur in ſolis feſtiuitatibus apud Veteres. 287

*Pratum.*

In Pratis & hortis delicioſæ epulæ. 680

*Primaria.*

Primariæ vxoris apud Hebræos dignitas. 120

*Primitiua.*

Primitiua Eccleſia quàm variè vexata. 689

*Princeps.*

Principi faciendum, & cuiuis Prælato, quæ ſubditos facere deſiderat. 70.71

Principes immites ac ſæui, Hoſtes appellandi. 124

*Procus.*

Procorum & nouorum Sponſorum olim mos erat cantare & ſcribere laudes puellarum ſuarum,& earum foribus florum coronas appendere. 636
Procorum optatam Virginem ambientium circuitus. 412
Procorum pro puellis in Coniuges ducendis pugnę. 572.573

*Prodigus.*

Prodigum Euangelicum tandem fame enecat Dæmon,cui mira priùs promiſerat. 431
Prodigus in domum paternam à Fame Dei Satellite vel inuitus cogitur. 360
Prodigum filium reuertentem,obuiàm accurrens excipit blandè optimus Pater. 59
Prodigi Filij nuditatem tegit ſuo amplexu Pater. 269
Prodigo filio reuertenti omnia ſinceri Amoris ſigna exhibet pius Pater,oſculúmque, cùm adhuc longè eſſet infigit, maximúmque beneuolentiæ indicium. 266
Prodigus Euangelicus à Patre annulo donatus,.& ad Conuiuium vituli ſaginati admiſſus:figura eſt eorum qui ad Euchariſtiam admittuntur. 114
Prodigi filij venerandus ac optimus Pater dum filium pœnitentem honorificè recipit,nil ei de præteritis exprobrans, Prælatis exemplum inſigne eſto. 353
Prodigus etſi propè fame enectus ad Conuiuium (Euchariſtiam intellige) non admittitur,niſi ſtolâ primâ indutus,& annulo ornatus. 434

*Promurale.*

Promurale,quid? 678

*Propheta.*

Prophetæ ſubobſcurè muſſitant, Chriſtus verò articulatè clamat. 52
Prophetæ Capreis & Ceruis ob viſus perſpicaciam ſignificantur. 620
Prophetarum cadauera,miraculis clara. 246.247
Prophetis Iudæorum in ſua cuique manere patria datum:Apoſtolici verò & Euangelici Miniſtri totum Orbem diſcurrendum ſuſcepêre. 156

*Proprium.*

Proprio iudicio ſolùm non regi, ſed alienis vti conſiliis, etiam in ſapientiſſimis prudentia eſt. 299. 300.301
Propria qui deſpicit, vt alienis commodis ſeruiat, etiam in magnis periculis liberabitur. 666.667

*Prouidentia.*

Prouidentia Dei quanta,& quàm liberalis. 147.148. 149
Nonniſi ex Prouidentia Dei ſingulari aduerſa contingere homines certò ſibi perſuadeant. 359. 360.361

*Prudentia.*

Prudentia in vita ſpiritali quàm neceſſaria, ad indiſcretos feruores moderandos. 580
Prudentia filiorum huius ſeculi, in ambiendis maioribus ſemper dignitatibus, exemplo ſit filiis lucis. 110

*Pſalmodia.*

Pſalmodia à Chriſto inſtituta. 683
Pſalmodiæ olim vacabant Monachi,Clerici verò regulares animarum ſaluti. 683
Vtra nobilior Pſalmodia, an Diuini Verbi Prædicatio? 683

*Pſalmus.*

Pſalmi Graduales vnde?, eorum quis ſcopus, quæ materia? 215
Pſalmi 44.inſcriptio,*Pro iis qui commutabuntur*,moraliter exponitur. 552

*Pſeudonardus.*

Pſeudonardi ſeu Lauendulæ odor gratus. 409

*Ptolomæus*

Ptolomæi Philadelphi quale Tabernaculum. 209

*Pudor.*

Pudor Virginum & Sponſarum. 33

*Puella.*

Puellæ præcipua Nuptiarum gaudia. 190
Puellarum grex elegans in Hebræorum Regum aula. 117

*Pueri.*

Puerorum inſtructio, difficilis moleſtiæ opus. 329. 330
Pueros compeſcere,quantus labor? 329
Puerorum acclamationes præ cæteris Chriſti miraculis in admirationem commemorantur. 422
Puer centum annorum quis in Scriptura? 629

*Pugna.*

Pugnæ variorum animalium inter ſe. 614

*Pulchritudo.*

Pulchritudo in quo conſiſtat? 210
Pulchritudo corporea, gratiorem reddit Virtutem. 90
Pulchritudo Deiparæ eximia. 97
Pulchritudo Saræ in ætate ſexaginta vel etiam nonaginta annorum. 233
Pulchritudo Dauidis, Rachelis, Rebeccæ Paſtorum. 233
Pulchritudo Sponſæ Cantici quomodo potuit in agro,Soli expoſita,conſeruari? 233

*Pulchrum.*

Pulchrum perfectè quid & quale? 503

*Purificatio.*

In Purificatione ſua Maria Filium ſuum humillimum quo pacto imitata? 276.277.278

*Puteus.*

Prope Puteos incepta Patriarcharum Coniugia. 590
Puteorum aquis Scripturæ Sanctæ deſignatæ. 591. 595

## Q.

*Quærere.*

QVærentibus primùm regnum Dei, etiam temporanea adiiciuntur. 55

*Quinquagenarius.*

Quinquagenarius numerus Hebræis lætus & celebris. 592

## R.

*Rabſaces.*

RAbſaces Ieroſolymitas blanditiis decipere nititur;Hæreticorum typus. 309

*Rachel.*

Racheli ſoli è primariis Patriarcharum vxoribus Titulus ſepulcralis erigitur in perpetuam eius memoriam:& quare? 384
Rachel Emblema Sapientiæ. 384

*Raphaël Torrenſis.*

Raphaël Torrenſis pro deſpecta Poëtica Scripturæ interpretatione notatus. 26

*Rapina.*

Rapina non ſolùm dicit rem vi ablatam inuito poſſeſſore, ſed etiam rem cum bona Domini gratia acquiſitam. 137
Rapina dicitur de iis quæ in theatro ſpargebantur donis. 137





*Ratio.*

Rationem diuinam in medulla eſſe,quid? 306

*Rationale.*

In Rationali Sacerdotis Aaronici nullæ rugæ, nullæ plicaturæ: Conſcientiæ candidæ & integræ ſymbolum. 63

*Rebecca.*

Rebecca ad hauriendum aquam foràs egreſſa, quomodo *Alma*,ſeu abſcondita dicatur? 126
Rebeccæ deſponſæ dantur pediſſequæ ſiue ancillantes feminæ. 117
Rebecca è ſuorum conſortio ſe proripuit vt à Deo inſtrueretur. 378
Rebecca Chriſtianæ Sapientiæ imago, vel coram Sponſo velatur:longè aliter Hæreſis. 200
Rebecca Sacræ Scripturæ ſymbolum. 195

*Rector.*

Rectores verbis quantùm poſſunt mollioribus ingenia curent. 130
Rectorum ſeu bonorum exiſtimatio ſufficit in Detractores iniquos. 192

*Recubitus.*

Recubitus Conuiuialis forma apud Veteres. 280. 281

*Redemptio.*

Redemptio Mundi,quàm difficile opus! 367
Ad Redemptionis Mundi opus Verbum Diuinum ſe velut exercuit antequam illud aggrederetur. 367
Redemptio duplex:Altera quæ lapſum erigit:Altera quæ caſum impedit. 346

*Regiones.*

Regiones multæ ab Euangelio fœcundæ redditæ ſunt. 93

*Regnum.*

Regnum Chriſti ſuper omnes homines temporale explicatur. 138.139.140
Regnum Dei primùm quærentibus, omnia adiiciuntur,etiam bona temporalia. 55
*Regnum meum non eſt de hoc mundo*, quo ſenſu dixerit Chriſtus? 139
Regnum eſt quævis familia, in quo Maritus Rex, & Vxor Regina. 186
Regnum luſorium. 187
Regna luſoria in alicuius aliquando contumeliam & opprobrium. 187

*Regulares.*

Contra Regularium deprauationes quàm multi graues Auctores ſcripſerint. 662

*Relatiuum.*

Relatiuum apud Hebræos ſine Antecedente nonnunquam ponitur. 38

*Religio.*

Religionis terra deſerta quidem,& inuia,& inaquoſa videtur,ſed ibi videtur virtus & gloria Dei. 621
Religionis habitus diuerſimodè in vnū tamen Deum fertur pro diuerſis eius effectibus. 242

*Religioſus.*

Religioſi in Clericos Regulares & Monachos olim diuiſi. 627
Religioſis tribus votis nullus è Synagoga olim ſe adſtrinxit. 397
Religioſi variegata Eccleſiæ ornamenta. 397
Religioſorum vota Murenulis expreſſa. 396.397
In Religioſa vita ſicut in Hebræorum ex Ægypto migrantium ſolitudine per 40. annos, imò per totam vitam pficiſcendum. 67
Religioſus mortem non veretur. 650
Religioſo viro nulla fixa Patria:ibi domicilium, vbi maius Dei obſequium affulget. 154.155.156
Religioſi Cella, Dominicæ ſepulturæ æmula. 650
Religioſi Mendicantium Ordines Euphrati fluuio comparantur,cuius Mæandri in Scriptura non exprimuntur. 155

*Reliquia.*

Reliquiæ Sanctorum in Lege Naturæ,& in Moſaica honoratæ. 246
E Reliquiis Sanctorum varia curationum genera. 267

*Remedia.*

Remedia ad animi deliquium. 86

*Renouatio.*

Renouatio Votorum Religioſis medium eſt perutile ad vitæ ſpiritalis incrementa. 551.552.553

*Reſurgere.*

Reſurgentis Chriſti prima cura, Gentium illuminatio. 344
Qui in morte Chriſti reſurrexerunt, num iterum mortui? 297

*Reſurrectio.*

In Reſurrectione Chriſti repudiatur Synagoga,cuius loco ſufficitur Eccleſia. 342
Reſurrectionis Chriſti Triumphus. 296.297.298. 299
In Reſurrectione Chriſti nil triſte,ſed omnia in lætitiam conſpirant. 296.297
Reſurrectionis Chriſti dies, dies eſt exultationis & lætitiæ.194. Cæteris lucidior. ibid.
Reſurrectionis glorioſa ornamenta, Pabuli emblemate adumbrata. 293
Reſurrectionem Chriſti abolere conati ſunt Ethnici. 194
Reſurrectionis gloriam ſibi vendicat Virginitas. 525

*Reus.*

Reos homines Deus magna cum reuerentia quamuis Iudex Summus officioſè excipit. 59

*Rex.*

Rex verè appellatur qui paſſiones domat & vitia ſubiugat. 274.275.276
Regis ad præſentiam vigor in ſubditis,eo ſublato hebetantur & languent. 602.603.604
Regum & Principum virtus,Clementia. 123
Rex Conuiuij apud Veteres:186.187.quomodo electus?ibid.qualis eius auctoritas? 187
Rex Conuiuij apud veteres,Sympoſiarcha,Magiſter, Patérque Cœnæ dictus. 186
Rex Conuiuij ſuâ depoſitâ Majeſtate, de ſuis præceptis regijs punitus. 187

*Rhinoceros.*

Rhinoceros cornu non lædit, quod in venena ſaluberrimum eſt. 185

*Roma, Romani.*

Roma,quæ priùs deſertū ſterile & inaquoſum, per B. Petrum facta eſt in ſtagna aquarum Baptiſmi, & in terram floridam & amœniſsimam. 661
Roma ſub mundi finem num ad Paganiſmum reditura? 687
Romam quo tempore intrauit S.Petrus,&illuc quando Sedem tranſtulit Pontificalem? 660
Romana S.Petri ſedes contra Sectarios aſtruitur. 660
Romanorum Pueri cordis formam olim circumferebant, quæ cautos & prudentes eſſe moneret. 372

*Ros.*

De Rore cæli benedictio, cætera omnia bona largè impluit. 56
Ros eſt Chriſtus. 56
Ros Scripturæ Sacræ ſymbolum. 591

*Roſa.*

Roſa Verecundiæ & Silentij Emblema. 369

Roſa apud Germanos in Triclinio è tectorum ſuſpēſa faſtigiis:& quare? 369.370
Roſa Harpocrati Taciturnitatis Deo ſacra. 369.370

*Rotæ.*

In Rotis Ezechielis quatum vna in medio alterius,& quæ à tam diuerſis tam vniformiter reguntur animalibus,Chriſtianorum concors vnio adumbratur, 460

*Ruben.*

Ruben primogenitus Imperium in fratres non obtinet,ſed Iudas:quare? 455
Ruben Primogenitum ſuum, Principium doloris ſui vocat Iacob; quod mortiferè peccando thalamum paternum violaſſet. 380

*Rubor.*

Rubor à pudore laudabilis in muliere. 369
Rubor fuſcis non inſidet,ſed candidis. 370
Rubor verecundus Pudicitiæ comes. 369

*Ruralis.*

Rurales curæ viris illuſtribus non indignæ. 677

S.

*Sabbatum.*

SAbbatum antiquum Feſtorum noſtrorum typus. 194

*Sacerdos.*

Sacerdotes Angelis æquales. 528
Sacerdos tantum pro ſuo piaculo offerre iubetur in lege Moſaïca, quantum pro totius populi ſcelere: vitulum nempe in ſacrificium. 528
In Sacerdotis conſecratione cur manus impleri dicitur? 201.202
Sacerdotes impij carnes crudas volunt, ne pauperibus ſuperſit aliquid. 202
Sacerdotum crimina non per Miniſtros ſuos, ſed per ſeipſum punit Chriſtus, inde Sacerdotalis ſceleris enormitas indicatur. 528
Sacerdotis nomen ſibi vult vendicare Abrahamus, vel ex ipſa vnigeniti filij ſui nece. 529
Sacerdotes peccata populi diſſimulantes ſeuerè corripit Deus. 599
Sacerdotis Aaronici multicolor veſtis, vitam Actiuam erga plurima ſolicitam:linea verò ſeu byſſina vitam Contemplatiuam vni neceſſario intentam, figurabat. 546
Sacerdotalem perfectionem quâ ratione Dauid aſſequutus fuerit. 403
Sacerdotalis honoris quàm fulgida & ſublimis dignitas. 527.528.529
Sacerdotalis poteſtas duplex, nempe in verum Chriſti corpus,& in Myſticum. 442
Sacerdotalis dignitas inde infertur quod ſolâ Chriſti manu puniantur Sacerdotes. 529

*Sacramentum.*

Sacramenta Synagogæ infirma, non enim cauſabant gratiam,neque phyſicè,neque moraliter. 131
In Sacramentis Eccleſiæ Chriſtus principaliter agit, Chriſtus baptizat,confirmat,vngit,&c. 131

*Sacrificare.*

Sacrificare Iudæis non licebat alibi quàm in Templo Ieroſolymitano, niſi ex diſpenſatione diuina. 172

*Sacrificium.*

Sacrificiorum triplex genus apud Hebræos, 171
Sacrificia in nuptiis. 172
In Sacrificio Abrahæ non diuiduntur Aues, quibus ſpiritales viri innuuntur,quod inter ſe non debeant diuidi. 594
Sacrificium Euchariſticum in mortis Chriſti memoriam inſtitutum. 446

*Sagitta.*

Sagitta Charitatis quàm potens. 185
Sagittæ dicuntur Concionatores in Scriptura. 184

*Salomon.*

Salomon,id eſt,Pacificus. 120
Salomon longo tempore ante Olympiades. 334
Salomone regnante omnes Iſraëlitæ liberi & ingenui. 234
Salomon num veſtitus pellibus? 208
Salomonis veſtimenta florida. 208
Salomon quantis præ Moyſe,Dauide,&c. honoribus celebratus eſt; quod nimirum in iuuenili ætate, & ſapiens & virtutibus inſignis. 313
Salomon ſe matris vnigenitum dicit,cùm tamen fratrem habuiſſet:quare? 630
Salomon vt ad ſuos Matrem euehit honores, aduerſæ quondam fortunæ ſociam:ſic ad ſuos Genitricē ſuam Chriſtus aſſumit triumphos. 179

*Saluator.*

Saluatoris nomen Adoleſcentulis communicatum,id eſt,animabus in augmento ætatis vegetis & robuſtis,quæ de die in diem renouantur. 161
Saluatores animarum profligare debent hoſtes ſine vlla ſui læſione exemplo Ioſuani exercitus. 162

*Salus.*

Saluti Animarum vacare, quàm ſublime miniſterium! quàm Deo charum & Homini vtile! 272. 273.274
Saluti animarum ſic attende, vt tuam ipſe non negligas. 149.150.151
Saluti Animarum qui inuigilant, quàm debent eſſe perfecti. 160.161.162

*Samaritana.*

Samaritana excuſat Chriſto impudicitiam ſuam à prauis ſuis Magiſtris,qui nouam in Samaria ſectam inuexerant. 309

*Samſon.*

Samſon leonem à ſe in fruſta diſcerptum nec Patri nec Matri indicat, diuinum prudenter celans beneficium. 200
Samſon profligatis generoſè Philiſtæis, deſcendens habitat in ſpelunca petræ Etam. 547
Samſonis robur in coma, id eſt, in diuina Contemplatione ſitum erat, quâ dum priuatur, occæcatus ad molam cogitur. 462

*Sanctitas.*

Sanctitas & morum honeſtas veræ Religionis Notę. 295
Sanctitas vera non exhorret, non deſpicit peccatores,ſed eis dulciter compatitur. 265.266.267
Sanctitas garrula & inquieta,ſuſpecta eſt. 199

*Sanctus.*

*Sancti* nomen olim commune Chriſtianis, maximè Eccleſiaſticis, 589
Sancti Veteris Teſtamenti ante Chriſti aſcenſionem non inuocabantur directè, quia cùm intuitiuâ Dei viſione nondum fruerentur,preces clientum videre non poterant,niſi ex ſpeciali priuilegio. 247
Sanctos num lex Naturæ ſiue Moyſis coluerit in vita vel poſt mortem. 245
Sanctorum cultus in lege Moſaïca. 246
Sancti nō ob extrinſeca damna humanorum caſuum, ſed ob peccatum triſtantur. 669.670
Sancti fauores diuinos abſcondere nituntur. 199. 200.201

*Sanguis.*

Sanguis Chriſti validè clamat pro Peccatoribus. 68
Sāguineus Chriſti ſudor fuit naturalis,88.Vnde?ibid.







*Sapiens.*

Sapiens ex propriis alieníſve lapſibus, multò vigilantior redditur in futurum. 689. 690. 691
Sapientum Ethnicorum quàm corrupti mores. 217
A Sapiente honorari plus eſt, quàm à quouis potentiſſimo, aut locupletiſſimo. 386

*Sapientia.*

Sapientia difficilium toleratu, & mortificatione acquiritur. 220. 221. 222
Sapientia Throno Salomonis figuratur, qui Bobus ſecundum L X X. Interpretes fulciebatur, laborum Hieroglyphico. 222
Sapientia non in peculiari aliqua natione,ſed in omni gente primatum habet, & in omnibus requiem quærit. Hanc imitentur Prælati. 464
Sapientia ipſa Diuina habitat in conſilio. 299
Sapientiæ debetur omne pulcherrimum. 385

*Sapor.*

Sapor Perſarum Rex ſe Regem Regum, Participem ſiderum, Fratrem Solis & Lunæ in literis ſuis inſcribit. 252

*Sara.*

Sara dum à Regibus capitur, Abrahamum ditat, Eccleſiæ ſymbolum. 503
Saræ apud Pharaonem illibatus honos. 171
Saram à Rege Abimelecho intactam, cur expreſsè Scriptura teſtatur? 312
Saræ Septuagenariæ, & etiam nonagenariæ forma elegans. 233
Saræ nonagenariæ mira corporis pulcritudo, à virtute. 402
Sara zelotypa. 25

*Saraceni.*

Saraceni quinam? 204

*Sareptana.*

Sareptanæ viduæ amplum in ſumma penuria victum ſuppeditat ſubcineritius panis Eliæ ex charitate ſubminiſtratus. 56

*Saron.*

*Saron* quid? 536. Qualis Regio? 537

*Satanas.*

Satanam duriùs increpat Chriſtus, quod ei præproperum in terras aduentum falsò obiectaſſet. 180

*Saturnalia.*

In Saturnalibus feſtis Seruis Domini miniſtrabant. 39.

*Saül.*

Saul ſomniat ſe in vertice Palmæ arboris collocari. 109.
Saul quamuis agreſtis Samuelem Prophetam de Corona Regia loquentem, ſtatim intelligit, quia frequens ei de ſua ad Thronum regium euectione fuerat cogitatio. 109
Saul à Clementia Regnum ſuum benè auſpicatus eſt. 124
Saul propter modicam temporis præſcripti anticipationem è Regio Solio deiicitur. 181
Saül à Deo derelictus, regiè infelix. 53
Saulem è ſolio leuis Inobedientia præcipitat. 61
Saulem mortuum quàm acerbè luget Dauid:& quare? 669
Saul Prælatum ſeuerum, ſubtriſtem, durum; Dauid verò mitem Superiorem refert. 185
Saulem ſibi in Regem poſtulat, qui ſuo arbitrio vult regi. 61

*Saulus.*

Saulus in Eccleſia Chriſti conſanguineâ Chriſtum ipſum perſequitur, vnde de cælis conqueritur in illum Ieſus. 68

*Scala.*

Scala Iacob Baptiſmi figura. 491
Scala Iacob Crucis Chriſti figura, Iacob afflicto ſolatium eſt & robur. 452
Scala Iacob Diuinæ Prouidentiæ Hieroglyphicum. 361
Scala Iacob, viris Apoſtolicis quale documentum? 545

*Scenopegia.*

*Scenopegia*, quid, & vnde dicta? 128
In Scenopegiis feſtiuæ Oleaginæ frondes. 128

*Scientia.*

Scientiam Diuinam ſedendo malè ambit ſtolidiſſimus Dæmon, cùm ſtent ipſi Seraphini, ſenis quamuis doctrinarum alis inſtructi. 221

*Scriptura Sacra.*

Scriptura Sacra Theſaurus,& Alimentum. 192
S.Scripturæ Lectio ineffabilem voluptatem & lætitiam ingeniis rite diſpoſitis parit. 590.591.592
Scripturæ Sacræ ſtudium ſolatio eſt rebus triſtibus & deploratis. 195.196.197
Scripturæ Sanctæ quanta vtilitas. 522
Scriptura Sacra Hortus floridus & fœcundus. 522
S.Scriptura,Ager eſt ille delicioſus in quem Iſaac ſecedit ad meditandum. 195
Scriptura Sacra eſt Lectus vmbroſus, ſiue à profundis myſteriis obſcurus. 522
Scripturarum Maieſtatem decet abſtruſa myſteriorum profunditas. 523
Scriptura Sacra *Cellariis* figurata. 192
Scriptura Sacra, Vino, Puteorum aquis, Rore, fragrantiâ veſtimentorum Eſau, Abiſag Sunamitide, lacte & melle,aureâ Regulâ variè figuratur. 590. 591.592.
S. Scripturæ Myſticus ſenſus Frumento comparatur. 197.
Scriptura ſacra Lectulo figuratur. 522
In Scriptura Sacra Hebræorum ſolatium. 196
Scripturas explicant Mulieres apud Sectarios. 523
Sectarij ſuo ſe gladio ſæpè iugulant. 296

*Seculum.*

Seculorum Contentio circa Natiuitatem Deiparæ. 666.

*Sedere.*

Sedere otioſus dicitur in Scriptura: Bellator & ſtrenuus, ſtare. 221
Sedendi vox ad Iudiciariam ſæpe refertur poteſtatem. 565.
Sedere Chriſtum ad dexteram Patris,quid eſt? 561. 562.
Sederéntne an accumberent in epulis Veteres? 279
Sedebant ad menſam Veteres antiquiſsimis temporibus. 279
Sedendi ad menſam ante Euangelium proximè, nullus vſus apud Hebræos; vnde Chriſtus ipſe recubuit. 280

*Senatus.*

Senatus Romanus qui Deos conſecrabat, Chriſtum non probauit. 245

*Senectus, Senes.*

Senectus matura & ſapiens æſtimatur, non annoſa. 675
Senectus in annis non computatur, nec etiam Infantia, quod ad præclara facinora ſint ineptæ. 630
Senum correctio difficilis & ferè deſperata. 694

Senes peccatores pueri vocantur in Scriptura. 629
Quoſnam Senes ad iudicandum eligit Moyſes? 629

*Senſus.*

Senſuum abalienationes variæ. 89

*Separatio.*

Separatio, optimum eſt remedium, ad profanas diſſoluendum amicitias. 509

*Seplaſiarij.*

Seplaſiarij ex Sparta eiecti. 77

*Sepulchrum.*

Sepulchra Hebræorum magnifica. 247
Sepulchrum Iobi honoratum. 246
Sepulcrum Moyſis cur ignotum? 227
Cur è Sepulchro clauſo reſurgit Saluator, Limborum verò portas confringit? 197
De S. Sepulcri Ieroſolymitana Eccleſia, Iſaiæ & Sophoniæ vaticinia. 451
Sepulchra Templa dicta. 247
Sepulcrum Equo erectum. 334

*Sepultura.*

Sepulturæ cura apud Hebræos, vt & apud Gentes. 608

*Sermo.*

Sermo blandus ac mitis Prælatos & Superiores quantùm deceat. 130
Sermocinatur vnuſquiſque ſiue opportunè, ſiue importunè de iis quæ enixè diligit. 106

*Seraphim.*

Seraphim ſtant, in Dei Contemplatione fixi, & pariter volant in miniſterium ſalutis animarum. 355
Seraphim tot quamuis nominibus celebrandi, vultum tamen ſuum obnubilant, vt iis omiſſis ſeu ignoratis, in vnum Deum laudes omnes congerantur. 164
Seraph cur dicatur Angelus ille qui labia Iſaiæ mundauit? ibid.

*Serpens.*

Serpentes fugantur odore vitis floridæ. 655
Serpens æneus vt Numen ab Hebræis habitus, inde ab Ezechia confractus. 248
A Serpentis effigie potius quàm ab oſſibus ſeu Reliquiis Ioſephi, ſiue ab Inuocatione Patriarcharum, ſanitatem conſequuntur Hebræi in deſerto; & quare? 270
*Serpens* ſumptum vocabulum pro Carmine obliquo, quod in orbem ab Hoſpitibus cantabatur. 387

*Seruitus.*

Seruitus, peccati præſertim ita eſt odioſa, vt plus horrere viſus fuerit Chriſtus Apoſtolicorum pedum lotionem, quàm Iudæorum ſputa, quia nimirum pedum lotio ſeruitutem ſignat peccati ſobolem. 152
Ad primam & ſecundam Dæmonis tentationem in deſerto patienter reſpondet Chriſtus; ad tertiam verò aſperiùs, quia Seruitutis opus ab eo flagitabat Dæmon, eumque quaſi in peccatorum maſſam refundebat. 152

*Seruus.*

Seruis Domini miniſtrabant in Saturnalibus & Mercurialibus feſtis. 39
Seruorum qui liberi eſſe nolebant, aures ſubulâ perforatæ. 126
Seruos manumiſſos nomine ſuo honorabant Domini. 118
Seruis ſuis quantùm deferat Deus? 39

*Seueritas.*

Seueritas non excludat Clementiam. 190

*Seuerus.*

Seuerus Alexander vnde ſic vocatus? 123

*Sidoniæ Virgines.*

Sidoniæ Virgines venatrices. 610.611

*Sigillum.*

Sigillum Confeſſionis omnino inuiolabile. 446

*Silentium.*

Silentium fieri in cælo, vel quaſi mediâ horâ, mirum eſt, & quare? 628

*S. Silueſter.*

Silueſtro Pontifici quantus honor à Conſtantino Imperatore delatus. 448

*Simeon.*

Simeon & Leui Zelatores ſæui in turpiora prolabuntur crimina: Ioſeph qui Peccatoribus compati norat, ſeruatur innocens. 267

*Simon Magus.*

Simon Magus Hæreticorum Princeps præſtigiis ſuis ſanctitatem Deitatemque ſimulauit. 311
Simon Magus primus Hæreſiarcha: libidinoſus, & bonorum operum hoſtis. 685.686
Simonis Magi hæreſes, quarum hæredes nunc etiam habet Caluiniſtas. 686
Simonem Magum quibus armis profligauit S. Petrus? 685

*Similitudo.*

Similitudo Amoris cauſa; vnde ſimile diligit ſibi ſimile. 97
Similitudo Dei in Homine, quæ in gratia Iuſtificante & virtutibus fundatur, tum magis apparet, cùm plus latet. 324
Similitudo Dei in Homine per peccatum fuit abolita, ex ſententia Magiſtri ſententiarum. 166

*Sindon.*

Sindon quid? 535
Quorſum *Sindone amictus ſuper nudo* Adoleſcens, dum capitur Chriſtus? 535

*Singularitas.*

Singularitas Mariæ Virginis quàm eximia. 98

*Siniſtra.*

Siniſtræ locus an Dextræ præponatur aliquando? & qua ratione? 609
Siniſtrum nihil in cælis. 561

*Sinus.*

Sinu ſeu brachiis languentem excipere, Amoris argumentum. 606

*Sitis.*

De ſiti potiùs quàm de Crucis ſupplicio queritur Chriſtus: quare? 484

*Socrates.*

Socrates Genium habuit familiarem quocum colloquebatur. 250

*Sol.*

Solem Orbis Rectorem, Animámque mundi arbitrabantur Gentiles. 253
Solis, Lunę, Aſtrorum nomine omnia comprehendebant Numina Ethnici. 248
Solis Idolum apud Perſas *Mithra* dictum. 252
Sol oriens & occidens ventos auget. 680
Vt Sol nec Annus in ſuis vnquam ceſſant periodis, ſic in via virtutis ſemper progrediendum. 67
Sol in Oceanum quaſi in ſepulchrum fulgentes ſuos radios mergit, ſed inde pulchrior emerſurus: Iuuenis egregij in Monaſterij ſepulchro decorem ſuum condentis Emblema. 649
Sol Iuſtitiæ quo pacto Sponſam decolorauit? 255
Soli cognatos ſe dicebant Reges Perſarum. 252

*Solemnitas.*

Solemnitates à gyrando dictæ apud Hebræos. 411

*Solitudo.*

Solitudo, ſiue receſſus neceſſarius Animæ quæ à Deo illuminari cupiat. 378.379



*Index Rerum & Verborum.*

Solitudo, & Solitarium dicunt ſingularitatem. 98.
Solitudo Sponſę abſente Sponſo eiuſque dulces querimoniæ. 38
Solitudo proprij Iudicij cauenda. 300
In Solitudine proprij Iudicij quot monſtra. 300

*Somnium.*

In Somnio ea vt plurimum repræſentantur quæ menti in vigilia obiecta ſunt. 633
Somnium Saülis de Regio Throno. 109

*Spectacula.*

Spectacula Circenſia tempore Salomonis introducta. 335

*Spiritualis.*

Spiritualis vir à terra exaltatus omnia trahit ad ſeipſum. 55
Spiritalis vitæ fundamenta ſeu Tyrocinia ſint valida quo totius ædificij moles conſtans ſit & perpetua. 111.112.113.
Spiritalia exercitia non omittenda ob negotiorum turbas. 179.180.181
Spiritalibus præmiis ſuorum famulorum labores compenſat glorioſè ſolus Deus. 699
Spiritualium virorum curam habet Deus ſpecialem, & ipſorum Deus ſignatè dicitur. 56
Spiritalis Lucta ſoli Deo aperta ſit. 200

*Spiritus Sanctus.*

Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes obumbrauit Eccleſiam. 562
Spiritus S. tria Apoſtolis propinauit pocula in feſto Pentecoſtes. 579
Spiritus Sanctus Verbi nomine mittitur ad Eccleſiam in die Pentecoſtes quaſi Procurator nuptiarum. 562
Spiritus Sanctus deſcendit ſuper Apoſtolos in igne, ſed in Linguæ figura, qua Verbum ſignificatur. 513
Spiritus ſanctus Apoſtolis apparens in figura linguæ & Ignis, quibus ſcientiam & feruor ſignificantur, dolorem in eis de Chriſti abſentia ſolatur. 604
Spiritus Sancti aduentu, ex timidis conſtantiſſimi euasêre Apoſtoli. 579
Spiritus Sanctus partitur cum Verbo Diuino gloriam operum quæ ipſi ſpecialiter tribuuntur; Itémque cum Spiritu ſancto Verbum Diuinum. 511.512.513
Spiritus Sanctus Mariæ Deiparæ fuit velut Maritus in Verbi Incarnatione. 144
Spiritus Sanctus vt Chriſti in Maria formationem; ſic noſtram in Baptiſmo regenerationem operatur, quaſi Vndæ Baptiſmalis maritus. 492
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, Baptiſmi videlicet per gratiam ſanctificantem. 491

*Spiritus mali.*

Spirituum malorum infeſtationes variæ. 248

*Sponſus.*

Sponſus & Sponſa, vocabula Amoris. 27
Sponſus dotem futuræ vxori ſoluebat. 472
Sponſus Præceptor nouæ Nuptæ. 82
Sponſus etiam cognatis & affinibus Sponſæ dabat munera. 116
Sponſi vmbraculum nuptiale ex ligno præſtantiſſimo, Citrio nempe. 558
Sponſis de futuro licita eſt ea voluptas quæ præcisè ex oſculo & manus vel faciei contactu percipitur, etiam ſine veniali peccato. 35

*Sponſa.*

Sponſa ſub eodem cum Sponſo Tabernaculo. 559
Sponſa in ſinu Mariti accumbebat in nuptiali conuiuio. 81
Sponſa in Nuptiali Conuiuio prægustatam pateram Sponſo porrigebat. 570
Sponſam extrema pallij parte obumbrabat, ſiue obtegebat nouus Maritus apud Hebræos. 539
Sponſæ mœror, abſente Sponſo. 53
Sponſæ apud Perſas annum integrum poliendæ cuti impendebant. 80
Sponſæ, vt cuſtodirentur, Sponſo traditæ apud Hebræos. 170
Sponſæ vnguentis olim ſtillabant. 80
Sponſarum Pudor. 33
Sponſæ ſolitariæ abſente Sponſo dulces querelæ. 38

*Sponſus Cantici.*

Sponſi Canticorum duo nomina: Salomon, & Vnctus, ſiue Rex. 123
Sponſus Rex qua ratione hîc in Paſtorem mutatur? 283
Sponſus Cantici Rex, vnde & Sponſa Regina. 122
Sponſus Cantici Sponsâ longè formoſior. 499
Sponſus rectè *Oleum effuſum* dictus, quia Rex, quia mitis, quia munificus. 124
Num Sponſus pro Sponſa in Coniugem ducenda certarit? 573

*Sponſa Cantici.*

Sponſa Cantici Sulamitis dicta: an quod Solymitana: ſeu Ieroſolymitana? 121. Sulamitis, id eſt, Pacifica. ibid.
Sponſa Cantici, Chananæa genere, vnde Sunamitis, hoc eſt Captiua, & mancipiū antiquitus dicta. 119
Sponſæ educatio ciuilis & ingenua. 236
Sponſa Cathecumena inſtruebatur in lege Moyſis ante nuptias. 213
Sponſa Cantici Philiſtæa. 238
Sponſa Solem adorauerat. ibid.
Sponſa in Tyro educata. 207
Sponſa Cantici alienigena, quo ſenſu? 237
Sponſa Cantici nobilis à Patre. 235
Sponſæ Matri adhuc Virgini vim intulit in Libano Maritus. 235
Sponſa nobilis Chananæa, à fratribus vili addicitur operi. 234
Sponſæ Cantici pulchritudo eximia quomodo ruri conſeruata? 233
Sponſa non erat à natura nigra, nec eius pulcritudo à Sole in vllo fuit vitiata. 210
Sponſa in Cantico non dicitur Regina, quod hoc nomen Maieſtatem ſonet, Maieſtas autem cum Amore non bene conuenit. 123
Sponſa cur dicitur filia Principis? ibid.
Sponſa propter fratrum ſuorum minas, fortè Idolorum cultum ſimulauit cùm eſſet ipſa Sacrorum Priapi Antiſtes in vineis. 240
Sponſam Cantici quidam fuiſſe Reginam Saba Æthiopiſſam putant. 206
Cur Sponſa hoc Epithalamium incipit & non Sponſus? 39
Sponſa duo de ſuo ad nuptialem pompam confert: odoramenta nempe ſuis confecta manibus, & pictas acu veſtes. 474
Sponſa in ſuo deliquio vindicatur. 90
Sponſæ Amor totus in Dilectum. 174
Sponſa cum Deo liberè agit. 58

*Spontanea.*

Spontanea Obſequia Deo quàm placeant. 465.466.467

*Stabilitas.*

Stabilitas Eccleſiæ, & in aduerſis magna conſtantia. 521

Stabilitas vna de Eccleſiæ Orthodoxæ notis. 522

*Stacte.*

Stacte, odorus humor è myrra ſtillans. 436
Stacte, deliquio, laterum pectoriſque doloribus, graui halitui, venenis &c. remedium. 439

*Statio.*

Statio Contemplationem, volatus Actionem ſignificat. 355

*Stare.*

Stat in Scriptura bellator & ſtrenuus: ſedet otioſus. 221

*Stella.*

Stella quænam Magos in Bethleem duxit? 358
Stella, ſidus Cæſaris dicta. 248

*S. Stephanus.*

Stephanus coram Iudicibus ſuis ſæuit, & acri ſermone Iudæos laceſſit, qui tamen dum lapidatur pro trucidantibus placidè orat: Quare? 381

*Strenuitas.*

Strenuitas ab Amore. 28

*Subditus.*

Subditus Prælato ſuo conſcientiam ſuam candidè manifeſtare debet. 62
Subditorum defectus, quoad fieri valeat, à bono Prælato ſunt occultandi. 268.269.270
Subditorum antiquos lapſus quos correxerint, ſi memoriâ refricent Prælati ad æſtimationis imminutionem, inhumani ſunt. 353.354
Subditis, quæ neceſſaria ſunt ſubminiſtret Prælatus, tum quæ conuenientia erunt, imperet. 597.598.599

*Sudor.*

Sudor Chriſti ſanguineus in horto ante Paſſionem, fuit naturalis.

*Sulamitis.*

Sulamitis dicta eſt Sponſa Cantici à Salomone Sponſo. 121
Sulamitis id eſt Pacifica. ibid.

*Sunamitis.*

Sunamitis num idem quod Sulamitis? an verò corruptum vocabulum? 121

*Superbia, Superbus.*

Superbia Religioſi, vel fugâ punitur, vt in Agare: vel exilio, vt in Iſmaële. 329
Superbiæ grandis pœna, domo Dei expelli. 327.328
Superbis quomodo vtile ſit cadere? 226

*Superior.*

Superior optimus in ſe transfert quod durum eſt; quod facile & blandum in ſubditos. 197.198
Superior optimus cum ſubdito eſuriat, ſitiat, infirmetur, exemplo Chriſti. 70
Superior ſubditorum defectus quoad fieri valeat celet & abſcondat. 268.269
Superior ſubditis quæ ad honeſtam vitæ rationem neceſſaria ſunt, ſubminiſtret, & tum quæ iubere conueniens eſt, imperet. 597.598
Superior pacis amans Partialitatem vitet. 463.464.465
Superiores quantùm poſſunt molli & blando Sermone ingenia curent. 130
Superiores Subditorum Matres non Domini. 124
Superioribus vel ſanis vel infectis, idem de ſubditis iudicari conſueuit. 505.506.507
Superioritatem non ambire, ſed alieno ex impulſu & velut coactum admittere iuuat. 599.600

*Suſanna.*

Suſanna, Lilium ſignificat Hebræâ linguâ. 123.539

*Suſa.*

Suſa interpretatur Lilium. 539

*Superlatiuum.*

Superlatiuum non habent Hebræi nec Comparatiuum. 83

*Suſpirium.*

Suſpiria antiquorum Patrum pro Chriſti Incarnatione. 44

*Sympoſiarcha.*

Sympoſiarcha, quid? quomodo electus? 186.187

*Synagoga.*

Synagoga non erat Eccleſia vniuerſalis. 40
Synagoga in morte Chriſti ſepulta. 343
Synagoga in Chriſti Reſurrectione repudiatur & Eccleſiæ primariæ Coniugi dat locum. 342
Synagoga, Ancilla; Eccleſia Chriſtiana, Domina. 43
Synagoga ſegnis & lenta. 175
Synagogæ quanta ignorantia. 345
Synagoga, vua expreſſa, ficus maledicta, fœnum arefactum: Eccleſia verò ſemper fœcunda. 94
Synagogæ bona temporalia promittebantur, Eccleſiæ verò ſpiritalia. 615
Synagoga tarda & ſegnis Caino, Eccleſia verò feſtina & prompta Abele figuratur. 175.176
Synagoga vtpote ſuſpecta loco circumſcripta eſt anguſto, Eccleſiæ verò cuius nimium perſpecta fides, & amor, locus omnis permittitur. 93
Synagogæ Odor anguſtus Iudææ limites non exceſſit; Euangelij Odor ſuauiſſimus in fines Orbis terræ diffunditur. 92
Synagogæ ſubiectio coacta & violenta; Eccleſiæ verò ſpontanea, libera, ingenua. 184
Synagogæ gloriatio reprimitur comparatione Iobi. 218
In Synagogam parcus Deus; in Eccleſiam munificentiſſimus. 43
Synagoga Mater Eccleſiæ. 41
Synagogæ fides quamuis defeciſſet, non ideo deſiiſſet vera Dei Eccleſia. 40
Synagogæ Sacramenta infirma. 131. Gratiam non cauſabant neque Phyſicè, neque Moraliter. ibid.
Synagogæ Iudæorum, quid? & in quem vſum? 172.173

*Synecdoche.*

Synecdoche ſeu pars pro toto, in Scriptura Sacra. 141

T

*Tabernaculum.*

Tabernacula de arborum ramis in ſolemnibus Iudæorum feſtis. 558
Tabernaculi formam referebat Thalamus nuptialis. 209
Tabernaculum, mobiliſſimum de ſe ædificium à Domini ingreſſu immotum ſtabilitur. 305
Tabernacula in bello pretioſa, & delicioſa. 209
Tabernacula ruralia, venatoria, viatoria, eaque ingentis pretij. 209
Tabernacula Alexandri, & Ptolomei Philadelphi. 209
Tabernaculum Cleopatræ delicioſiſſimum. 209
Tabernaculum, Cor Hominis. 305
Tabernaculorum feſtum quale apud Iudæos, & cur ſic dictum? 128. Quando celebratum? ibid.

*Taurus.*

Tauro Rhinocerotis cornua habente Chriſti Clementia fortis exprimitur. 185







*Tectum.*

In Tectis ædificiorum Pomaria & ſyluæ olim. 516

*Tedæ.*

Tedæ in Nuptiis & Lampades. 50

*Templum.*

Templum in monte Garizim Ieroſolymitano ſimile ædificatum. 244
In Templo Samaritano cum vero Deo Idola colebantur. 244
Templũ in Ægypto ad imitationem Ieroſolymitani conſtructum. 244
In Templo ſolo ſacrificabant Iudæi, nec alibi licebat, niſi cum diſpenſatione diuina. 172
Templum Deiparæ ab Argonautis extructum. 250
Templum à Dagoberto Francorum Rege magnificè conſtructum. 420
Templorum ornatus Deo gratiſſimus. 421
Templa olim Martyria dicta. 451

*Tempus.*

Tempus vanitati impenſum non numerat Deus: Contrà ſolum hoc æſtimant Mali. 628.629
Temporis ſpatia non anticipanda. 180
Ad Temporis anticipationem hortabantur Scribæ Chriſtum in Cruce diabolicâ ſuaſione, quò fidem minuerent in eum credentium. 180
Temporis Anticipatio modica Saülem è throno deiicit. 181

*Tenebræ.*

In Tenebras exteriores eiici, quid ſit in Euangelio? 286

*Tentatio.*

Tentationis diſcrimen opportunè præueniendum, nec expectanda vltima periculi occaſio. 507.508.509

*Tentorium.*

Tentoriis de arborum ramis vtebantur Iudæi in ſuis ſolennitatibus. 558
Tentoria formoſiſſima prope vrbem Cedar. 207

*Terra.*

Terra in æternum ſtare dicitur, dum in melius renouatur. 557
Terra inanis & vacua cur dicitur ſtatim poſt eius creationem? 137
Terræ in odium peccati maledicit Deus, non aquis: quare? 228
Terra Promiſſionis, Synagogæ hæreditas, quàm anguſta. 93

*Tertia Perſona.*

Tertiæ perſonæ pro ſecunda, vſus in Scriptura, honoris causâ. 38

*Thalamus.*

Thalami Nuptialis quanta Majeſtas? 209
Thalamus nuptialis in Viridario ſtratus: & quare? 515
Thalamus Nuptialis in Tabernaculi formam conſtructus. 209
Thalami genialis ornatus & gloria. 515. in eo flores acu picti. ibid.
Thalamus genialis num in ædificij domate? & quare floridus dictus? 516

*Thamar.*

Thamar quo ſigno Meretrix iudicatur à Iuda? 290

*Theatrum.*

In Theatro ſpargebantur olim populo dona. 137

*Theodorus Mopſueſtus.*

Theodori Mopſueſtæ error, de ſenſu Cantici Canticorum. 206

*Theodoſius.*

Theodoſius Imperator clementia illuſtris. 124

*Therapeutæ.*

Therapeutæ, hoc eſt, Curatores ſeu Cultores, dicti olim Chriſtiani. 142

*S. Thereſia.*

S. Thereſia à Ieſu ſupra fœmineam conditionem fortis. 630.631.632
S. Thereſia ex ſtrenuis vna Cantici Amazonibus, quarum in ſyluis & venationibus acris voluptas. 630
S. Thereſiam Ancillam ſuam fortiſſimam miſit æterna Sapientia, vt vocaret ad Arcem munitiſſimam, & ad mœnia Ciuitatis. 630.631
S. Thereſia Vitrum eſt, ſed aureæ ſoliditatis, vnde pretij inæſtimabilis. 631
S. Thereſia & ipſa Mulier eſt amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim. 631
S. Thereſia noua Iudith, *fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur, & habens ſuper lumbos ſuos cilicium ieiunabat*, &c. Iudith. 8. 632
S. Thereſia in baculo ſuo tranſiuit Iordanem (ſicut Iacob) & cum duabus turmis regreſſa eſt. 632

*Thomas.*

S. Thomas Apoſtolus quaſnam peragrarit regiones? 543

*Thronus.*

Thronus Salomonis eburneus (quale opus in vniuerſis regnis non eſt factum) Sapientiæ deſignatus: Huic enim debetur quod eſt pulcherrimum 385
Thronus Salomonis Sapientiæ ſymbolum, bobus ſecundum Lxx. Interpretes fulciebatur, Laborum Hieroglyphico. 222

*Thyina ligna.*

Thyina ligna quænam? 518

*Timor.*

Inter Timorem & Spem gradiendum ex conſideratione Diuinæ Iuſtitiæ pariter & Miſericordiæ. 456.457.458
Timoris donum cur Chriſto adſcribitur? 299.300

*Tintinnabulum.*

Tintinnabula malis Punicis in limbo veſtis Aaronicæ inſerta quid innuant? 605

*Titulus.*

Titulus Euangeliorum Matthæi & Marci diſpar, & quare? 273

*Torcular.*

*Pro torcularibus* quidam inſcripti Pſalmi, quia poſt vindemiam in gratiarum actionem canebantur. 128

*Torrens.*

Torrens, Paſſio Chriſti. 257
Torrens, continua & perennis gaudiorum Chriſti copia. 257

*Tractatus.*

De *Tractatu de Inſtitutione Monachorum* quid ſentiendum? 589

*Trahere, Trahi.*

Trahi à Deo, in Scriptura, quid? 176
Tractio Diuina non officit libertati. 176
*Trahere* non ſemper dicit coactionem ſeu neceſſitatem. 176
*Trahendi* vocabulo Hæretici quomodo abutãtur. 176
Trahi plus eſt quàm currere. 170

*Tribulatio.*

Per Tribulationem & dolorum patientiam ad quietem & iucunditatem peruenitur. 492.493.494

*Tributum.*

Non ab omni Tributo Nobilitas vileſcit. 234

*Triclinium.*

Triclinij Magiſter aliquis in Nobiliorum ædibus, 187

Triclinium & Accubitus, Templa & Altaria ſignificant. 418

Tricliniorum lectuli & puluilli. 281

Tricliniorum luxus apud Veteres. 281

*Triduum.*

In Triduo Mortis Chriſti, qualis Eccleſiæ fides? 43

*Triſtitia.*

Triſtitia Sanctorum non ob extrinſeca damna humanorum caſuum, ſed ob peccatum. 669.670

Triſtitia comitatur Ionam à Deo fugientem. 54

Triſtitiæ medetur vinum. 84

*Tſeror.*

*Tſeror* Hebræis quid? 436

*Tumulus.*

Tumuli Hebræorum inſignes. 247

*Turtur.*

Turtur Auis peregrina. 371

Turtur ſolitaria. 378

Turturis & Columbæ munditles. 376

Turtur niſi ſereno cælo vocem non edit. 656

Turtur in hyeme nulla videtur. 656

Turtur dum conſortem amiſit nullâ re delectatur. 380

Turturis genæ num rubeæ? 370

Turtur in Sponſæ auribus cur effigiata? 372

Turturi Genæ Sponſæ comparantur. 369. Quare? 369. 370. 371. 372. Quid ibi *Turtur* ſignificat? ibid.

Turtur an in gemma ſeu Margarito ſculpi potuerit? 373

Turtur Concionator Euangelicus. 670

Turtur ſocia in rebus etiam aduerſis fideliſſima. 277

*Tyriæ Virgines.*

Tyriæ Virgines venationi vacabant. 610.611

*Tyrocinium.*

Tyrocinia vitæ ſpiritalis validè iacienda ad futuri ædificij conſtantiam. 111.112.113

V.

*Variegatum opus.*

VAriegatum opus in veſtibus, menſis, nauibus, armis, &c. 391

*Vbera.*

Vbera Puellarum voluptas. 106

Vbera & mammæ viro etiam tribuuntur, vt Deo vterus & vulua. 83

Vbera pro labiis aliquando in Scriptura per metaphoram ſumuntur: ſicut & lactatio pro verbis ſuauibus. 82

Vberibus Eccleſia, Vino Synagoga ſignificatur. 193

*Vellus.*

Vellus Gedeonis Mariæ Deiparæ figura. 161

*Velum.*

Velum capitis Matronas pudicáſque feminas decet. 291

*Venatio.*

Venatione exercebantur Tyriæ & Sidoniæ Virgines. 610.611

Venatio Columbarum per odores ſuaues. 184

Venatione hominum delectatur maximè Chriſtus. 550

*Ventus.*

Ventus textilis quid? 536

Ventorum an aliquis in vere timor? 652

*Venus.*

Venus in Cypro & Syria colebatur. 496

Veneris crines floribus innexi. 576

Veneri ſacræ Columbæ. 496

Veneris cingulum. 388

Venus, fortunatior talorum iactus, vt Canicula damnoſior. 187

*Ver.*

In Vere Aëris clementia. 652

In Vere ſuauis Auium cantus. 656

Veris ſerenitas Regina Temporum. 653

Ver Proſerpinæ nomine appellatum, quod hæc floribus delectaretur. 653

Ver continuum dicitur de loco feliciſſimo. 653

In Vere circa meridiem clementia ventorum maxima. 680

Vernæ Tempeſtatis ſerenitas deſcribitur. 652

Verno tempore propter florum fragrantiam, difficilis canibus ferarum indagatus. 653

Verna & florida agrorum montiúmque innouatio pulcrè Gentium Conuerſionem adumbrat. 660

*Verbum.*

Verborum iniuriæ minus tolerabiles quàm verberũ. 668.669

Verbum Dei adeò efficax eſt, vt Iudam è cœnaculo Dæmon extraxerit, ne Chriſti concione ad pœnitentiam molliretur. 51

Verbo nil inſtabilius: A Deo tamen Verbum ita firmatur vt cælo ipſo ſit conſtantius. 305

*Verbum increatum.*

Verbum cur vocatur filius dilectionis à S. Paulo; cùm potius ſit filius intellectionis? 512

Verbum per carnis Aſſumptionem cognatum habere optat Sponſa, quò & Aduocatum & Defenſorem certum habeat. 68

Verbum in ipſa ſua Incarnatione docet nos Iniuriarum acceptarum obliuionem. 64

Verbum Diuinum partitur cum Spiritu ſancto gloriam operum quæ ipſi ſpecialiter tribuuntur: Item & cum Verbo Spiritus ſanctus. 511.512.513

Verbi Diuini quanta velocitas in parendo æterno Patri. 643

Verbum Diuinum Gabrielem Paranymphum velociſſimum licèt, anteuertit tamen ad ſuam Incarnationem. 643

*Veritas.*

Veritas candida, & byſſina, nil occultat. 63

*Vermiculatum opus.*

Vermiculatum opus, quid? 390. Quanto in pretio apud Antiquos? ibid. Hoc LXX. vocant *Puncta*, ſeu *diſtinctiones*. 393

Vermiculato Monilium Sponſæ opere, varij Eccleſiæ Hierarchiæ Ordines expreſſi. 395

*Verſus.*

Verſus intercalaris quid? 614.615

*Veſtigium.*

Veſtigia gregum, quid myſticè ſignificent? 319

*Veſtis.*

Veſtes antiquitus variis figuris ſeu pictæ ſeu intextæ. 473

Veſtes genialis pompæ variegatæ ſeu pictæ. 474

Veſtis & ornatus accuratior cura ad muliebrem ſpectat ſexum. 495





Veſtes Coæ magno in pretio. 337

In Veſtibus elegantioribus flores depicti. 474

Veſtes ex lino ſubtiliſſimæ. 536

Veſtes variegatæ. 390

Veſtes gemmeæ. 371

Veſtis alba lætitiæ, honoris, gloriæ indicium. 534

Veſte albâ in Spectaculis Conuiuiis, Solemnitatibus induebantur Veteres. 534

*Veſtis candida* in Canonica B. Iacobi Epiſtola quid ſignificet? 534

Veſtis candida, gloriæ & gaudij ſymbolum. 114

Veſtis pulcritudo formæ decorem auget. 495

*Vexillum.*

Vexillum in eximio & ſacratiori caſtrorum loco poſitum. 572

*Via.*

Via Chriſti facilis & florida: in qua Apoſtoli ſine calceamentis currunt: quamuis ſpecie tenus videatur horrida. 382

*Via viri in adoleſcentula*, explicatur. 126

*Victima.*

Victimæ & Sacrificia pro ſuperatis periculis, pro lætis euentibus ſub nuptiarum ingreſſu. 171. 172

*Victor.*

Victores olim cantibus excipiebant Puellæ, Pueri, Senéſque. 173

*Vidua.*

Viduæ Emblema, Columba nigra. 509

Viduæ vxoris mœror. 168

*Vigilantia, Vigilare.*

Vigilantiâ ſummâ viris ſpiritalibus opus eſt, dum cum huius vitæ periculis conflictantur. 554.555. 556

Vigilat bonus Paterfamilias dormientibus famulis, & inimicum ſuperſeminantem zizania noctu obſeruat. 569

*Villicus.*

Villici ſui decoctionem ſeu diſſipationem diſſimulat Herus donec publico rumore ad eum defertur, túncque non nimis credulus, ſed lentus reum ipſum interrogat, antequam ſententiam ferat. 270

*Vinea.*

Vinea Sponſæ vbinam ſita? 237

Vineæ in Antiquorum deliciis. 233

Vinearum quantus prouentus. 235

Vinea Sponſæ Cantici quænam? 235

Vineæ quænam aptæ ſedes? 232

In Vineis maxima Orientalium, Syrorum præſertim & Palæſtinorum cura. 232

Vineæ cultura Regio ſplendori non indecens, nec Philoſophicæ grauitati. 679

Vinearum quænam innuitur in Cantico putatio cùm ſtatim florere dicantur? 654

Vineæ in Palæſtina bis, térve in anno florent & fructus parturiunt. 655

Vinearum nomine ſignificantur Horti & frondoſa omnia, vt Luci, Syluæ, nemora. 253

Vineam ſuam ipſe Dominus impiger & plantauit, & excoluit, nec eam ſoli ſeruorum ſuorum curæ credidit. 303

*Vinum.*

Vinum in Conuiuiis præcipuum, ſine quo dapes iniucundæ. 570

Vinum, Triſtitiæ, deliquio, ægritudini variè medetur. 84

Vinum cum ratione bibere melius eſt, quàm aquam cum faſtu. 580

Vinum Hebræis mulieribus permiſſum. 83

Vinum mulieribus apud Romanos interdictum ſub mortis pœna. 83

Vinum condîtum damnatis ad mortem olim dabatur. 84

Vino condito potati Latrones cum Chriſto crucifixi, ipſe verò Chriſtus felle & aceto. 85

Vinum damnatorum in Scriptura, id eſt, conditum & pretioſum, quod pro morti addictis, & ex eorum bonis emebatur. 84.85

Vinum lætitiæ ſymbolum, Frumento, hoc eſt, Scripturarum medullæ iungitur in benedictione Iacob. 197

Vinum, quod lætificat cor hominis, Diuinioris eſt Sapientiæ ſymbolum, in qua maxima voluptas. 590

Vinum pharmacum ſalutare *Enos*, id eſt, homini afflicto & mœſto. 84

Vini Regnum quodnam? 186.187

*Vir.*

Viri eſt in publicum prodire; mulieris, in penetralibus claudi. 537

Viro, quod in coniugio oneroſum eſt, imponitur, vt Principi, non autem mulieri ſubditæ nimirum. 198

*Virginitas.*

Virginitatem Maria prima omnium Deo vouit. 584. 585

Virginitas Reſurrectionis gloriam ſibi vendicat. 525

Virginitas Phœnici inter aues Virgini, Reſurrectionis & Immortalitatis ſymbolo bellè comparatur. 527

Virginitas cultores ſuos quaſi immortalitate donat. 525.526.527

Virginitas Lectulo florido repræſentatur, ſub lignis Cedrinis, quibus immortalitas deſignatur. 525

Virginitas ad Euangelij prædicationem aptiſſima. 481

Virginitate delectatur Eccleſia, ſicut olim Synagoga Coniugali fœcunditate. 581

Virginitatis ſymbolum, Flores & Poma. 581

Virginitatis quot cultores in noua Lege Euangelica. 582

Virginitatis lilium in conuallibus, hoc eſt, in locis humilibus naſcitur. 547

Virginitatem ſuam iam in ipſo Conceptionis ſuæ inſtanti Deo ſacrauit Maria. 587

Qui Virginitatem ſeruare cupit aſſumat gladium, id eſt, Verbum Dei, ſuper femur ſuum, hoc eſt, carnis pruritum, contra timores nocturnos, id eſt, ſuperbam ſui ignorantiam. 548

*Virgines.*

Virgines Tyriæ & Sidoniæ venatrices. 610.611

Virgines Laconum Pugiles. 611

Virginum domus in Salomonis Templo. 125

Virgines in Monaſteriis ob Chriſti honorem quaſi in vita conſepultæ, mortem ſecuræ & hilares præſtolentur. 649.650

Virgines robuſtæ, & quarum ob crebras victorias glorioſa Pudicitia, Deiparæ comites ſunt. 549

Virginum & Sponſarum pudor. 33

*Virtus.*

Virtus ſolùm quoad aſpectum, & in ſuperficie terribilis: intus atque in medulla ſuauiſſima. 382. 383

Virtutis actus crebrò iterandi, quippe ad perfectionem non ſufficit ſemel, bíſve conari. 66.67

Virtus ſimilis volucrum pennis, quæ ipſas aues non grauant ſed leuant. 383
In Virtutis via ſemper eundum, & millies idem repetendum. 67
Virtuti dimidiatæ & imperfectæ tripudium & laudes ſubtrahit Deus. 674.675.676
Virtus monilibus expreſſa. 382

*Viſitare.*

Viſitat Elizabetham Maria, vt Ioannes ſanctificetur. 553.554

*Vita.*

Vita ſtrictè accepta non competit plantis. 492
Vitæ melioris exordia, faſtigia potiùs ædificij, quàm fundamenta videri debent. 112
Vita ex Contemplatiua & Actiua mixta, eſt nobiliſſima. 355.356.357
Vita ex Contemplatione & Actione ſeu Prædicatione mixta, perfectior eſt ſolâ Contemplatiuâ. 618.619
Vita Contemplatiua, Actiuæ ſocianda eſt in iis qui ſaluti Animarum vacant? 545.546.547
Vita impiorum quamuis longiſſima, breuis & fugax dicitur; Iuſtorum verò longa ſunt tempora quamuis in breui conſummentur. 629

*Vitis.*

Vites, dum florent, odoræ. 655
Vitis floridæ odore fugantur ſerpentes. 655
Vites quo tempore putandæ? 654
Vites in montibus Soli oppoſitis. 232
Vitis iam adulta & luxurians, prouecto iam vere iterum putatur. 655
Vitis Soror ficus dicitur, & quare? 657
Vitis & Ficus præcipua Iudæorum poſſeſſio. 657
Vites in veſtibus pictæ. 474

*Vitium.*

A Vitiis ſub virtutis ementito colore decipientibus, maximâ ſolertiâ cauendum. 695.696

*Vitulus.*

Vitulus aureus quem adorauerant Iſraëlitæ, cultores ſuos ad punitionem prodit. 259

*Vmbra.*

Vmbra Platani gratiſſima. 678
Vmbræ Vitis & Ficus præ cæteris populo Hebræo gratæ. 678
Vmbræ quandonam inclinari dicuntur? 680

*Vnctus.*

Vnctus in Bibliis idem ſæpè ac Rex. 122

*Vnguentum.*

Vnguentorum varius & optimus vſus. 76
Vnguentorum, Balneorúmque abuſus. 76. & exceſſus. 77
Vnguentorum vſus apud Hebræos multus. 78.79
Vnguenta Chriſtianis putida. 77
Vnguentorum profuſiones in Conuiuiis à puellis. 172
Vnguentis delibuta à Chriſtianis cadauera. 77.78
Vnguentis odoriferis olim ſtillabant Sponſæ. 80
Vnguentum Magdalenæ piſticum quodnam? 414
Vnguentis delibuta mortuorum corpora, ad conſeruationem & ad honorem. 520
Vnguenta odora in donis antenuptialibus, præcipua. 117
Vnguenta in Epithalamio præcipuè commendata. 191
Vnguenta odora quædam fluida, quædam craſſa. 414
Vnguenti fragrantia bonæ famæ ſymbolum. 127

*Vnio.*

Vnio & Fraternitas Chriſtianæ Pietatis validiſſimum teſtimonium. 458.459.460

*Vnio, Margarita.*

Vniones Colli, auriúmque ornamentum. 370
Ab Vnionum multitudine Sponſa videbatur quaſi Gemma vnica. 371
Vnionum quæ & quanta magnitudo? 373

*Vniuerſalitas.*

Vniuerſalitas veræ Eccleſiæ nota. 256

*Vnum.*

*Vnum* in Scripturis dicitur ſæpè quod *primum* eſt. 649
Vnum ex duobus Amantibus quomodo fiat? 26
Vna fuit ſemper Eccleſia quamuis diuerſa pro diuerſis ritibus & Sacramentis. 41
Vnius ob mandati negligentiam, plurimorum obſeruantiæ fit iactura. 403.404.405
Vnum ex duobus quomodo faciat Matrimonium? 27

*Vomer.*

Vomer & Ligo, Pacis Emblema: vt Gladius & Lancea, Belli. 310

*Volucres.*

Volucrum plurimæ ſub Autumni finem migrant in calidiores prouincias. 655.656

*Voluntarium.*

Voluntaria & incoacta obſequia Deo quantum placeant. 465.466.467
Voluntarios milites legit Chriſtus. 465

*Voluptas.*

Voluptas & Ignorantia ducunt in Idololatriam. 245
A Voluptate magna deliquium. 87
Voluptas ineffabilis & lætitia ex Sacræ Scripturæ lectione. 590.591.592
Voluptatum copiam Homini præſtari, maximum eſt periculum. 306.307

*Votum.*

Vota Religioſorum Murenulis ſignificata. 396.397
Vota Antiquorum pro incolumitate, pro ſuperatis periculis, pro lætis euentibus. 171
Votum magnum Veteris Teſtamenti quale? 590
Voto ſe Chriſtus ad redimendos homines ſacrauit. 138
Vota tria Religioſorum à Chriſto inſtituta. 397. peculiaria Eccleſiæ ornamenta. ibid. Horum ne verum quidem ſpecimen habuit Synagoga. 397
Vota tria Religioſorum num Maria in Templo emiſit? 483
Tribus Religioſorum Votis in primitiua Eccleſia multi ſe deuouebant. 616
Tribus Votis Religioſorum nullus è Synagoga ſe adſtrinxit. 397
Votorum Renouatio medium eſt perutile Religioſis ad vitæ ſpiritalis profectum. 551.552.553

*Vox.*

*Vox Molæ* in Scriptura quid & cur in Nuptiis adhibita? 29.30
*Vox Turturis*, inſcriptus Libellus, qualis? 661
Voces admirabundæ Angelorum in Triumphali Chriſti Aſcenſione. 362

*Vrias.*

Vriæ Hebræi vox egregio Bellatore digna. 169

*Vrina.*

Vrina Vulpis ſolum reddit infœcundum. 679

*Vtilitas.*



*Vtilitas.*

Vtilitatem hominum Deus intendit in eorum bonis operibus. 672

*Vulpes.*

Vulpes animal fœtidum. 679
Vulpibus abundat Palæſtina. 679
Vulpes plura in ſuis antris habent foramina ad fugam. 679

*Vxor.*

Vxor æqualis ducenda. 22
Vxoris probæ cum Marito idem debet eſſe velle, idémque nolle. 428.429.430
Vxori pudicæ, abſque Mariti licentia, domo exire, nefas. 170
Vxorum pudicarum cultus neglectus, mœſtúſque abſente Marito. 168
Vxorem Maritus aliquando vltra ſeipſum euehit & honorat. 30
Vxor in Mariti ſinu ad menſam accumbebat. 282
Vxoris Primariæ Prælatio & Priuilegia. 120
Vxorem vel poſt obitum vult habere in ſepulcro ſociam Abrahamus, quibus vna fuerat mens, vnus ſpiritus, dum viuerent. 429
Vxor Iſaaco ſimilis in moribus, & piâ in hoſpites & aduenas propenſione ad vitanda iurgia, quæritur. 429
Vxores duæ Verbi Dei. 41

X.

*S. Franciſcus Xauerius.*

SAnctus Franciſcus Xauerius quàm ſtrenuè Animarum ſalutem procurarit vt verum Ieſu famulum ſe probaret. 156.157
S. Franciſcus in ſua mira velocitate, quâ tot regiones peragrauit pro animarum conuerſione verè Angelus. 157
S. Xauerij pro animarum ſalute aſſidui labores. 156
S. Xauerij labor indefeſſus bellicæ Ioſuani Ducis fortitudini comparatur. 156
Vt Chriſtus ſolam Petri ſocrus febrem in eius domum ingreſſus conſiderat; ſic Xauerius in Sinis ſolos animarum morbos attentè intuetur. 157
Diuinitatem ſibi à Paganorum Myſtis oblatam recuſat S. Xauerius. 158
S. Xauerij laborioſa tolerantia. 157

Z.

*Zabulon.*

ZAbulon, dos eſt optima, quòd in eius Tribu cœperit Chriſtus prædicare. 273

*Zachæus.*

Zachæus, quòd feſtinans ad vocem Chriſti è Sycomoro deſcendiſſet, fit filius Abrahæ, & ſalus eius domui facta eſt. 644

*Zacharias.*

Zachariæ vaticinium de Chriſtiano Hebdomadis ſanctæ luctu. 451

*Zamir.*

*Zamir* vox Hebraica Putationem & Cantillationem ſignificat. 656

*Zelotypia.*

Zelotypia Mulieribus familiaris. 25

*Zelator.*

Zelatores nimis ſæpè in fœdiora labuntur ſcelera, iuſtè id Deo permittente. 267

*Zelus.*

Zelus in peccatores ſæpè iram, ſuperbiam, crudelitatem redolet. 267
Ex Zelo incauto infinita ſcandala. 268

*Zizania.*

Zizania in medio tritici apparent poſt omnem ſeruorum diligentiam, poſt vigilantiſſimam Heri curam. 224
Zizania vix à tritico ſub initiis ſuis diſcrepare videntur; cùm autem creuerint, ſe produnt, totúmque malè depopulantur agrum. 311
De Zizaniis ſcit Deus bona elicere. 224
Zizania Tritico, vile pretioſo ſociatur in hac vita, vſque in diem Iudicij. 224

*Zona.*

Zona, ad ſerpentis formam. 387.388

*Zonah.*

*Zonah* quid apud Hebræos? 289

*Zoroaſter.*

Zoroaſter idem eſt ac Chus Chami filius. 252
A Zoroaſtro edocti Chaldæi, Perſæ, Aſſyrij Solem & Ignem vt deos ſuos coluêre. 252